BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
44 G
12

Google



Applicato alla Libreria de Cap.ni di Albano

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

8.44.g.12

ANNI ECCLESIASTICI CONCIONATORII QUADRIPARTITI:

SEU

CONCIONUM PRÆDICABILIUM

IN DOMINICAS, ET FESTA, ET FERIAS PER totius Anni decurſum, ab Adventu ad Adventum,

TOMUS III.

AVTHORE


R. P. HENRICO SEYNENSI,

PRÆDICATORE CAPUCINO.

Opus univerſis animarum Rectoribus, & Divini Verbi Præconibus, & Catechiſtis, & Controverſiſtis utiliſſimum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. CAP. ALBANI



A

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus IOANNIS WILHELMI FRIESSEM junioris.
Anno M. DC. LXXVII.
Cum licentiâ Superiorum, & Approbationibus.

APPROBATIONES, ET FACULTATES.

Approbationes Theologorum Ordinis.

EGo ſubſignatus Ordinis FF. Minorum Capucinorū Concionator, licèt immeritus, de mandato Reverendi Patris noſtri Provincia'is hujus Provinciæ ex commiſſione admodum Reverendi Patris noſtri Generalis, tertium Tomum Libri, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, à Reverendo Patre Henrico Seynenſi ejuſdem Ordinis & Provinciæ Concionatore & Alumno compoſitum accuratè perlegi. Nihil in eo Orthodoxæ Fidei diſſonum, aut bonis moribus contrarium, imò verò multa Dei Verbi Præconibus perutilia invêni Quapropter quatenus in lucem prodire poſsit, dignum judicavi. Hoc teſtor, & manus meæ ſigillo confirmo. Datum in noſtro Conventu Seynenſi, 12. Auguſti 1675.

F. IOSEPH Agathenſis Capucinus Concionator.

EGo Frater Marcellus Regienſis Concionator Capucinus, & ConfeſſorCapucinarum Monaſterii Maſſilienſis, de mandato admodum Reverendi Patris Stephani à Cæſenâ Ordinis noſtri Miniſtri Generalis, Tomum III. Libri, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, ab admodum Venerabili Patre Henrico Seynenſi Concionatore Capucino compoſiti accuratiſſimè legi & perlegi, huncque non ſine animi oblectatione evolvi. Et cùm nihil Fidei Orthodoxæ, boniſque moribus diſſonum redoleat, ſed ſuaviſſimum ſanæ doctrinæ, omniumq; virtutum ſpiret odorem : ideò illum meritò utiliſſimum & jucundiſſimum futurum ſpondeo, typiſque mandandum cenſeo. Datum Maſſiliæ in Conventu noſtro die 2. Septembris 1675.

F. MARCELLVS Regienſis Concionator Capucinus, aliàs Profeſſor Theologiæ.

Facultas Admodum Reverendi Patris Generalis.

Admodum Venerabili in Chriſto Patri Henrico Seynenſi Prædicatori Capucino F. Stephanus à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licèt immeritus, ſalutem in Domino.

CVm Pater Provincialis Provinciæ noſtræ S. Ludovici mihi fidem fecerit de reviſione & approbatione Concionū Paternitatis tuæ, quas typis mandare peroptas; cùmq; ad hunc effectum tibi neceſſarium ſit ire Pariſios: idcircò tenore præſentium, & ad meritum ſanctæ obedientiæ indulgeo, ut unà cum ſocio ab eodem Patre Provinciali tuo aſſignando illuc te conferre, ibiq; morari valeas uſquedum opus fuerit pro impreſſione earundem Concionum tuarum. Poſtmodum in tuam Provinciam redibis cum benedictione Domini, apud quem memor ſis meî in orationibus tuis. Romæ 24. Septembris 1675.

Locus † Sigilli.

F. STEPHANVS Miniſter Generalis.

CON-

CONSENSVS ET FACVLTATES.

Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

EGo infraſcriptus Provinciæ ſancti Ludovici Fratrum Minorum Capucinorum Provincialis, licèt immeritus : Visâ indulgentiâ admodum Reverendi Patris Stephani à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, quâ conceditur admodum Venerabili Patri Henrico Seynenſi ejuſdem Ordinis, & prædictæ Provinciæ Prædicatori , ut typis mandari faciat Librum à ſe conſcriptum, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, à Theologis ejuſdem Ordinis examinatum, & approbatum , æquo animo conſentio , ut iſte Liber à prædictis Examinatoribus Reipublicæ Chriſtianæ proficuus futurus judicatus, in publicam poſſit prodire lucem, dummodò ſerventur ea quæ de Iure ſervari ſolent. Datum in noſtro Conventu Vapingenſi, die 6. Novembris 1675.

Locus † Sigilli.

F. THEODOSIVS Provincialis.

Altera Facultas Admodum Reverendi Patris Generalis.

Admodum Venerabili Patri in Chriſto P. Henrico Seynenſi Concionatori Capucino, F. Stephanus à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licèt immeritus, ſalutem in Domino.

CVm Paternitas tua Coloniæ Agrippinæ typis mandare ſtatuerit quoddam Opus à te compoſitum, ac propterea à me licentiam poſtulaveris illuc eundi ad effectum prædictum, aſſentiente etiam tuo Patre Provinciali: idcircò tenore præſentium, & ad meritum ſalutaris obedientiæ indulgeo, quatenus Coloniam Agrippinam te conferre, ibique morari valeas unà cum ſocio à Patre Provinciali tuo aſſignando quandiu opus fuerit pro impreſſione dicti operis. Pergas igitur cum benedictione Domini, & vale , meî memor in orationibus tuis apud divinam ejus Majeſtatem. Datum Genuæ 2. Septembris 1676.

Locus † Sigilli.

F. STEPHANVS Miniſter Generalis.

Alter Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

Admodum Venerabili Patri Andreæ Salonenſi Sacerdoti Capucino Frater Theodoſius Aquenſis, ejuſdem Ordinis, & Provincialis Provinciæ ſancti Ludovici, licet immeritus, ſalutem.

CVm oporteat ut aſſignemus ſocium A. V. P. Henrico Seynenſi Prædicatori Provinciæ noſtræ, ſecundùm poteſtatem nobis traditam ab A. R. P. Generali in literis obedientialibus ab eo nobis exhibitis ex parte illius, ut faciat imprimi librum ſuum Coloniæ Agrippinæ, virtute præſentium, & ad meritum ſanctæ obedientiæ aſſignamus te ad hunc effectum, & tibi permittimus ut diſcedas cum illo. Datum Aquis-Sextiis 22. Septembris 1676.

Locus † Sigilli.

F. THEODOSIVS Provincialis.

ANNVS

Digitized by Google

ANNUS ECCLESIASTICUS CONCIONATORIUS QUADRIPARTITUS.

TOMUS III.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magnâ, & majeſtate. Luc. 21. 27. &c.

Horrendam exhibuit viſionem aliàs Angelus D. Joanni in Patmos inſulâ exulanti, caſum putà Babylonis, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna* a. Proſequitur Angelus, & dicit ei: Aſpice Joannes, & attolle lapidem molarem, & deinde ſine ut in præceps ille ruat. *Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem molarem, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna*: Eodem impetu præcipites ruunt animæ impiorum juſto Dei judicio. Non triumphant virtutes, quoadusque effectu aliquo extraordinario refulgeant. Dei Juſtitia tot exquiſitis commendabilis perfectionibus, nihil eſt adhuc operata conforme gravitati brachij ſui. Sed veniet dies horribilis, quo ſe de peccatoribus ulciſcetur; qui tamen jucundus erit animabus ſanctis tunc laborum ſuorum mercedem recepturis. Hi ſunt effectus Juſtitiæ vindicativæ, & remunerativæ, qui tunc mirum in mundum effulgebant, & quorum imaginem delineat nobis Evangelium noſtrum: *Et erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis, & in terris preſſura gentium, areſcentibus hominibus præ timore. His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra; quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Sed quia ebrium alloqui, eſt oleum & operam perdere; ad voluptuoſum verba dirigere, eſt injurias ſuſcipere pro reſponſis, eò quòd ratio illius cùm ſit vino ſepulta, & omnia lumina intellectus iſtius, impudicitiæ ſint obſcurata vaporibus, haud quidpiam ſit cum ipſis proficiendum. Cæcitate percutiuntur ambo, ne videant; & inſenſibilitate, ne media ſalutis aſſumant. Ipſorum crimen Iram Dei accendit. Juſtitia Divina tenetur ſe de eis ulciſci. Intereà quæramus aſylum, proſternentes nos ad pedes Matris Miſericordiæ, & dicamus ei: *Ave* b *Maria*.

Etiamſi omnia attributa Divina manifeſtentur in operibus Dei, evidentiùs nihilominùs & ſpeciatim oſtenditur ipſius Bonitas in rerum creatione c, in quâ omnibus Entibus, & ſingulis, quæ ipſis erant neceſſaria, providit; homini, præbens illi corpus omnibus ſuis facultatibus præditum, & animam cunctis ſuis potentijs prædivitem. Educens è nihilo creaturas univerſas, eis largiens exiſtentiam. Cœlum creans cum ſuis aſtris, Solem & Lunam cum ſplendoribus ſuis; terram, ut fructus germinet; mare; ut piſces ſubminiſtret; aërem, ut refrigeret; ignem, ut nos calefaciat. Eluxit Miſericordia Divina in ſtatu Gratiæ, *ubi venit plenitudo temporis* d, per admirabile Incarnationis myſterium, in quo Deus Pater dedit nobis Filium ſuum unigenitum, qui humanam aſſumpſit naturam, ut noſtram operaretur redemptionem, nobiſque media ad ſalutem noſtram peragendam ſubminiſtraret neceſſaria. Imò verò hæc eadem met Miſericordia Divina in ſtatibus Legis naturæ, & Legis ſcriptæ reſplenduit. Reſpiciebat enim Deus futuri Filij ſui merita; bona opera admittebantur venturi ipſius intuitu, in Chriſtum e referebantur omnia venturũ. Sed Juſtitia Divina manifeſtabitur, cùm deſpectis à peccatoribus donis creationis, & gratiarum, quibus ab ipſomet Deo cumulatiſſimè fuerunt ipſi perfuſi, de ipſorum criminibus ſe in flammis ulciſcetur ſempiternis.

Accingite vos, & plangite Sacerdotes, ululate Miniſtri altaris, ingredimini, cubate in ſacro Miniſtri Dei mei f. Terribiles minas, quas præ oculis noſtris ponit Propheta! Horrendos tremores, quos animabus per hæc verba noſtris incutit! Sacerdotes, quibus ex officio incumbit Domino in Templo ipſius miniſtrare; Vos omnes qui Divino eſtis obſequio mancipati, induite vos ſaccis, & capita veſtra cineribus reſpergite; *Clamate ad Dominum, A, a, a diei; quia propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à Potente veniet.* Clamorem emittite præ compaſſione. Heu pervenimus ad diem vindictæ! Deus, quanta futura ſit brachij ſui gravitas, exhibebit. Tunc non erit ampliùs deſtructio Pentapolis g; nec pliùs Angeli exterminatoris excidium h; ſed *quaſi vaſtitas à Potente veniet*, totalis fiet annihilatio omnium mundi pulchritudinũ, & omnimoda deſtructio ſine reparatione. Non gladius Principis qui creaturas ſit exterminaturus; *à Potente*, ſed fulmen ignitum Divinæ Juſtitiæ, quæ jacula juſtæ projiciet iracundiæ, telaque vibrabit ad ceoſa contra peccatores & obſtinatos. *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum* i. *Et erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis.*

Heu quantos tremores! Quàm ingentes metuendi anſas! Sed quæ connexio, obſecro, verborum iſtorum terribilium cum conſolationibus, quas Deus in tali eventu pollicetur? *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra; quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Sed quid? *Quaſi vaſtitas à Potente veniet.* Erit tunc excidium univerſum. Omnes creaturæ implacabili Iræ Domini percutientur fulmine, & veluti ad nihilum redigentur. Et nos caput audebimus attollere? Tot prodigia patebunt oculis noſtris, quæ corda noſtra timore conſtringent horribili, & ea nos gaudio dilatabimus novo? Quænã inter motus ſic oppoſitos concordia deprehendenda? Hanc citò conciliaverimus diſcordiã, ſi conſulamus Evangelium noſtrũ, ubi Juſtitia remunerativa triumphans in mercede, quam largitur ipſa Bonis, illis non exiguam præbet hauriendæ inde lætitiæ occaſionem. *Reſpicite, &c.* Juſtitia verò vindicativa ſuæ vibrat iracundiæ fulmina contra rebelles, & de inimicis ſuis triumphat. *Ululate, quia quaſi vaſtitas à Potente veniet.* Erit tunc dies horribilis qui dabit illos præcipites in

a Apoc. 18. 2. & 21.

b Luc. 1. 28.

c Gen. 1. 2. &c.

d Galat. 4. 4. & 5.

e Pſ. 53. 10.

f Joel. 1. 13. & 15.

g Gen. 19. 24. & 25.

h Exod. 12. 12.

i Matt. 24. 29.

Digitized by Google

ignes,& in torrentes ſulphureos. *Veniet dies Domini, propè eſt dies tenebrarum, & caliginis; dies nubis & turbinis, ante faciem ejus ignis vorans, &*
k Joel. 2. 2, & 3. *poſt eum exurens flamma k.* Veniet ſupremus Judex hoc excidium cauſaturus deplorandum.
Diviſio. Quod inducit me ut hunc dividam diſcurſum in duplicem conſiderationem; Quarum prior oſtendet vobis, quòd, cùm Deus non poſſit quin puniat crimina, illa caſtigat inde unde eadem delicta fuere patrata: Poſterior verò demonſtrabit actiones Judicis, quæ Juſtitiæ ipſius vobis propalabunt rigores.

1. Pars. Controvertitur inter Theologos quæſtio problematica, Utrùm Deus poſſit actum Juſtitiæ exercere purum. Doctorum opiniones hinc & utrimque pugnant. Qui è partibus ſtant Miſericordiæ, has afferunt rationes, quas allegat Deo
l Habac. 3.2. Propheta *l*: *Cùm iratus fueris, Miſericordiæ recordaberis.* Quæ referuntur ad hæc Evangelij noſtri verba: *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra; quoniam appropin-*
m 2. Tim. 2.13. *quat redemptio veſtra.* D. Paulus *m* verò ait: *Fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt:* Deum non poſſe facere contra eſſe ſuum: Atqui eſſe Dei eſt Bonitas & Miſericordia: *Deus, cui pro-*
n Eccleſia. *prium eſt miſereri ſemper n.* In inferno etiam ipſo invenitur Miſericordia *o*: ibi enim damnati
o Pſ. 142. 64. & dæmones puniuntur citra condignum. *In cælo p* elucet in infinitum, cùm Bonos modo Deus
p Pſ. 35. 6. præmiatur infinito. Non poteſt ergo Deus, ſecundùm iſtos, actum Juſtitiæ purum facere. Prætereà, Entia cognoſcuntur per ſuas qualitates, & eſſentiæ per proprietates ipſis congenitas. Licèt nullas habeat Deus proprietates, cùm ipſe ſit totus purus, & totus ſimplex, attamen ſecundùm effectum, & noſtro concipiendi modo, dicimus Miſericordiam illi eſſe propriam: *Deus, cujus natura Bonitas †.* Ergo miſericordia ſimul
† S. Bern. ſerm 3. In Circumciſ. invenitur poteſt cum Juſtitia. Inſuper, Eodem ſe habet Deus modo in conſervatione rerum, ac in earum creatione. Miſericordia & Juſtitia manifeſtatæ ſunt, ipſæ ſunt duæ germanæ à Deo inſeparabiles. Altera igitur non poteſt ab altera ſeparari. Ecce quod poteſt eſſe motivum conſolationis nobis qui ita nobis indulgemus, ut omnia amemus quæ nos ſpectant, & tanto affectu proſequamur ea quæ noſtris commodis ſubſerviunt ac ſatisfactionibus. Inter eos verò qui ſtant è partibus Juſtitiæ, infertur ex eo quod ait Hugo de
q Hugo de S. Vict. l. 2. de Sacram. part. 14. citatus à Trigoſ. p. 1. q. 17. a. 4. ſancto Victore *q*, *Quòd ſi Deus totam pœnam relaxaret, non propter hoc eſſet injuſtus*: Deum poſſe à pari ſuſpendere effectum Miſericordiæ in punitione, & ſic efficere ut Juſtitia ſua ſit pura. In quo nulla (dicunt hi Doctores) eſt contradictio. Foret enim illa vel ex parte Dei, vel ex parte creaturæ. Ex parte Dei, non. Ex parte creaturæ, neutiquam; ut infertur ex ijs quæ dicit noſter Trigoſus ad propoſitum iſtud. Non ex parte Dei, & ex ipſius defectu, qui nullus eſſe poteſt, ſed ex parte creaturæ, & ex ipſius defectu, nimirum ob ipſius debilitatem quæ non poteſt tantum pati. Ubi diſtinguendæ occurrunt ambæ in Deo potentiæ, ordinaria, & abſoluta. Secundùm ordinariam non poteſt; *Seipſum negare non poteſt*, & ſe gerit in conſervatione ac in creatione, & proprium eſt ipſi miſereri. Secundùm abſolutam poteſt, ſuſpendens actum Miſe-
r Alex. de Ales citatus Ibid. ricordiæ *r*. Peccatum etiam conſiderari poteſt duobus modis, vel ſecundùm naturam ſuam deficientem; vel ſecundùm averſionem à Deo, &
† Jer. 2. 5. & 6. converſionem ad creaturam †: ſecundùm id eſt tantùm privatio formæ, quæ eſt gratia. *Forma dat eſſe rei*, anima eſt forma corporis, & gratia animæ, cùm peccatum ſit gratiæ privatio, illam privat eſſe ſuo, & eam *ad nihilum* redigit *s*. s Pſ. 72. 22.

Heu! Quid ſumus nos coram Deo, cùm peccati labe nos intuemur inquinatos? Prorſus nihilum, cadaver fœtidum & abominabile, *Et ſub-* t Pſ. 38. 6.
ſtantia mea tanquam nihilum ante te t. Sic Deus poteſt facere actum purum Juſtitiæ: ſicut videmus in peccatoribus, quorum nihil eſt reſiduum invenire; & in Sodoma & Gomorrha, de quibus dubitaretur an ipſarum incolæ viventes in infernum deſcenderint; utrùm ipſæ hæ civitates igne Divinæ Juſtitiæ in cineres redactæ unquam fue- † Gen. 19. 24. & 25.
rint, niſi Scriptura ſacra † contrarium illius evinceret. Miſericordia igitur Divina à peccatoribus recedet, nullum amplius exercebit ipſa regnum, ſolaque pura remanebit Juſtitia in immenſa de impijs vindicta: & cùm nò poſſit quin puniat crimina, ea inde caſtigabit ipſa, unde fuerint illa pa- u Pſ. 2. 7.
trata. Cognoſcens *u* quippe Deus infinitas *x* per- x Baruch. 3. 23.
fectiones ſuas, non poteſt quin eas diligat *y*; cùm ſeipſum amet Deus, non poteſt quin puniat eos y Joan. 15 20.
qui vellent illas deſtruere; cùm ſicut vitam *z* habet ipſe infinitam, qui volunt ipſum ea privare, z Ezech. 33. 11.
ſupplicium merentur infinitum, quod quandam habeat cum malo, quod intendunt illi agere, proportionem. Dicetis fortaſſe mihi, hanc non eſſe intentionem peccatoris. Reſpondeo, Deum dediſſe nobis *mandata* * obſervanda, peccator ea * Eccli. 11. 11.
contemnit, Deum deſerit, ut creaturam inquirat, & hora obitus ſui vellet ut nullus eſſet Deus, ut nullam actionum ſuarum teneretur illi reddere rationem, ipſum vellet ad nihilum redigere; & ſicut vellet illum vita privare infinita, pœnam meretur ipſe infinitam. Et ſicut tenetur Deus Bonitatis ſuæ motivo allectus, propriam *gloriam* a Iſai. 42. 8.
quærere *a*; non vult, neque poteſt peccatum deſerere impunitum.

Peccator tres perſonas offendit ſanctiſſimæ Trinitatis; Patrem, cùm exigui ducat illius voluntates, quas contemnit *b*, quarum jugum excutit, b Prov. 1. 25.
& quibus obedire recuſat: Filium, cùm pretioſum ejus *Sanguinem* c, & merita infinita ſuis cal- c Hebr. 10. 29.
cet pedibus, omneſque labores ejus reddat irritos. Et Spiritum Sanctum, cùm Divinis ipſius reſiſtat inſpirationibus *d*, repellat motus ejus ſa- d Prov. 1. 24.
cros, & lumina illius obtenebret, & ſic illum contriſtet *e*. Bonitas Divina ſuas debet partes agere, e Epheſ. 4. 30.
bono ſuo & honori ſuo invigilare; & ſi ipſa peccatum impunitum deſereret, peccatori laxaret habenas ut majora patraret crimina. Non poteſt igitur quin illum ſeverè caſtiget. Fidelitas ejus ipſum ad id inducit: debet enim Deus quod promiſit, executioni mandare; mercedes virtuti pollicitus eſt, ſicut eſt vitijs pariter ſupplicia minitatus, talis eſt ordo creaturarum, ne ipſis laxentur ad ſcelera habenæ perpetranda.

Odêrunt peccare Boni virtutis amore.
Odêrunt peccare mali formidine pœna.

Si Deus promiſſa ſua non perficeret, ipſe verax non foret; ſi verax non foret, mendax eſſet; ſi mendax eſſet, non foret Deus: Ne igitur vomamus hanc blaſphemiam, dicamus illum non poſſe quin puniat; & quòd ut pœna habeat proportionem cum culpa, cùm ſit culpa infinita, eò quòd peccator Deum velit vita privare infinita, pœna etiam debet eſſe infinita. Juſtitia ad id ipſum obligat, quæ *reddit unicuique ſecundùm opera ejus f.* f Rom. 2. 6.
In hac vita Deus tacet de tot uſuris, dolis, furtis, adulterijs, alijſve peccatis; diſſimulat, ſilentio

præter-

prætermittit, ac ſi eſſet impotens ad puniendum, & ignarus ad cognoſcendum, ne præ injurijs ad iracundiam moveatur. *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar g.* Ubi jam eſt infans [g Iſai. 42. 14.] ex utero matris egreſſurus, oportet neceſſariò ut genitrix enitatur, infans naſcatur, & in lucem prodeat; alioquin moriente matre & vitam amittente, infans putreſcit & areſcit. Sic, peccator, criminum conſcius es, peccata tua Dei Juſtitiam prægravarunt, oportet ut ijs exoneretur Deus; ut enitatur, & pariat Juſtitia Divina, alioquin Deus vitam amitteret; Deus verò non poteſt vitâ privari *h*: oportet igitur ut pariat. In hoc [h 1. Tim. 1. 17. & 6. 16.] mundo invenitur magna Juſtitia, & magna Miſericordia; parva Juſtitia, & parva Miſericordia. Quando parva Juſtitia eſt in hoc mundo, magna miſericordia eſt pro altero, quod fit quando Deus Juſtos præſenti affligit tempore. E contrà parva miſericordia, magna Juſtitia; peccatoribus omnia ſuccedunt ad ipſorum vota, agri ipſorum, vineæque ipſorum fructibus redundant, quia aliqua bona moralia exercent opera; parva miſericordia in hoc mundo, Juſtitia magna in altero, ubi pœna infinita. Non ignoratis quid acciderit a- [i Dan. 5. 1. &c.] liàs Baltaſſar Regi Babylonis, in medio convivio, totâ Curiâ ſua ſtipato, Concubinis ſuis & omnibus regni ſui Aulicis circundato. Nullus alius in menſâ Principis niſi de delicijs & lætitiâ percipiendis habetur ſermo: impius ille Monarcha præ oculis habet vaſa ſacra & calices quæ aſportata erant è Templo Domini Jeroſolymitano, lapidibus pretioſis, ſapphiris, ſmaragdis, auro & argento ita decorata, ut nihil eſſet pretioſius his invenire. Hæc omnia à patre ejus Nabuchodonoſore è Judæâ Babylonem rapta fuerant. Exultat neſandus ille Rex. Et ecce tres *digiti* ſcribentes ſuper parietem aulæ convivij. Scribentes digitos intuetur Rex, ſtatim mutatur ipſius *facies*, renes diſſolvuntur, *& genua* collidunt; tremore concutitur ſolo vel intuitu duorum aut trium digitorum. Heu! Peccator quid agetur de te, quando parebit manus Dei, brachium illius fulminibus & tonitruis armatum, quando manifeſtabitur hæc facies, in quâ ſedebit tota juſti Judicis iracundia? Quid agetur de te, anima mea, cùm videbis manum adamantinam contra te condemnationem mortis ſcribentem?

Propter hanc fortaſſis conſiderationem *Job maledixit k* nocti conceptionis ſuæ, & diei qua [k Job. 3. 1. &c.] in lucem editus eſt, dicens; *Pereat dies in quâ natus ſum, & nox in quâ dictum eſt; Conceptus eſt homo.* Sed cur nativitati? Non propter peccatum originale. Cur igitur maledicta congerit in diem natalium ſuorum? *Non requirat eum Deus deſuper*, nec examinet. Sed quid? Nunquid non ſufficiunt vita prava & diſſolutiones, quibus toto vitæ noſtræ indulgemus decurſu, nedum examinet Deus diem nativitatis noſtræ? Certum eſt, Deum non ſolum à nobis rationem exacturum eſſe peccatorum commiſſorum, ſed etiam beneficiorum ſuſceptorū, ad quid ea inſumpſerimus, v. g. eò quòd nos Chriſtianos fecerit, &c. num hoc primum momentum Divino ipſius mancipaverimus obſequio, ut gratias ipſi ageremus pro hoc ſingulari beneficio: *Non requirat eum Deus deſuper.* Et hoc eſt quod terrorem nobis incutit, & rigorem Divinæ Juſtitiæ oſtendit. Sic David queri videtur de brevitate vitæ, quæ ſeptuaginta, vel ad ſummum octoginta terminetur annis *l*. Quare hoc? Ratio iſtius eſt, quia nimis bre- [l Pſ. 89. 10. & 11.] vis eſt, ut ea durante noſtræ ſatisfaciamus obligationi, & Deo grates rependamus debitas. *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Operæ pretium eſt elaborare ut vitentur hi rigores, & agnoſcantur hæc beneficia. Et vos tranſigitis dies veſtros, & quomodo? Has horas apprimè tranſegi pomeridianas in jucundo conſortio, luſi, alacriter jocatus ſum. Sed ad quid hæc mundi negotia vobis inſervire queant? Tempus præteriit, & tempus præteribit vobis, *Quia tempus non erit ampliùs m* Illud ſequetur æternitas. Non vult Deus, neque poteſt quin [m Apoc. 10. 6.] puniat crimina, & illa caſtigat inde, unde commiſſa ſunt. Eſt ſiquidem maxima univerſim ſumpta illa quæ fertur: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur n.* Eædem phari & laternæ, quæ Ju- [n Sap. 11. 17.] dæis ad capiendum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum inſervierant *o*; in deſtructione Jeruſa- [o Joan. 18. 3.] lem, cùm devaſtata fuit à Veſpaſiano, interceptæ fuerunt in Templo, & inſervierunt ad inquirendos Scribas & Phariſæos in caveis & locis ſubterraneis abſconditos. Ex iiſdem cineribus factis ſuper populo Dei occupato in conficiendis lateribus *p* pro Ægyptijs, per aëra diffuſis *q*, & ſuper [p Exod. 5. 14.] hos homines delabentibus, egrediebantur tumo- [q Exod. 9. 10.] res ipſos infeſtantes: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Inde puniemini, unde peccata veſtra commiſeritis; laqueos paratis, in eos incidetis *r*; diſſenſiones formatis, in ſingulari peribi- [r Pſ. 7. 16.] ris certamine; igne ardetis concupiſcentiæ, igne infernali comburemini, ſicut Sodomitæ, adverſùs quos Deus non adhibet aquam, nec frigus, ſed ignem, flammam, & ſulphur, quibus in cineres fuerunt redacti, ut audiſtis ſuprà.

Scriptura ſacra loquens de morte Abner, ait: *Joab reduxit eum à ciſternâ Sira s.* Seu, ut legunt [s 2. Reg. 3. 26.] aliqui Rabbini, *à ciſternâ ſpinarum*, cùm eſſet jam mortuus. Quare hoc? Id ſanè non dicitur abſque myſterio. Sed ut benè intelligatur, ſciendum eſt Abner duobus ſeſe ipſi offerentibus occurſibus gloriam & honorem Regi Davidi voluiſſe eripere, dicendo, eum inanis aurâ gloriæ ductum ſe laudibus extuliſſe ob res quæ nullam præ ſe habuiſſent veritatem; imprimis verò tali ſeſe offerente ipſi occurſu, quem vobis ego ſum deducturus conformiter ad narrationem in ſacris Annalibus, ſcriptis exaratam *t*. Id igitur accidit, cùm Davidem Saul [t 1 Reg. 24. 1. &c.] circumquaque perſequebatur. Miſerandum Principem! Terra non videbatur ei ſufficere quam perambularet. Fortuitò, ſeu, ut rationi, & fidei dicatur convenientiùs, Divina Providentia *u* ſic di- [u Sap. 8. 1.] ſponente, ingreditur Saul locum quendam ſubterraneum, ut ibi cuidam naturæ neceſſitati faceret ſatis, in quo ſe David occultaverat, ita ut facilè poſſet Regem occidere, ad quod invitabatur à proprijs ipſe Aulicis. Hæc eſt dies, ajebant illi, quam Divina eſt tibi pollicita Providentia, ſe inimicum tuum poteſtati tuæ tradituram eſſe, ut illum ſecundùm beneplacitum tuum diſponas David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum x*, & quietat ipſa manſuetudo *y* per parti- [x 1. Reg. 13. 14.] cipationem, ſicut Deus eſt ipſa *Bonitas z* & Sua- [y Pſ. 131. 1.] vitas per eſſentiam, fuerat edoctus lectionem [z 4. Eſdr. 8. 36.] quandam, quam tota mea vobis non poſſet exprimere facundia, minùs autem ſufficere ut eam vobis perſuaderem, nimirum ut bonum pro malo inimicis rependeret ſuis, *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo* †, Idcircò Sau- [† Pſ. 118. 98.] lem non vult occidere, ſed ipſi videtur tantùm ſatis eſſe ſi extremitatem pallij præcîdat Regij ejus. Ad primum ergo occurſum David ait Sauli; *Domine mi Rex, vide, & cognoſce*

oram chlamydis tuæ in manu meâ; quoniam cùm præciderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Abner ait hoc non fuiſſe verum, ſed pallium Regium, tranſeunte Saüle prope tribulos à ſpinis fuiſſe laceratum, & partem ejus ipſis adhæſiſſe, quam cùm inveniſſet David, gloriabitus ſe potuiſſe Regẽ occidere.

a 1 Reg. 26. 7. &c.

Secunda injuria, quam Abner irrogavit Davidi, hæc eſt a: Dormiente Saüle in tentorio ſuo, David qui maxima erat præditus induſtria, Regii cuſtodes corporis dormientes pariter nactus, & ſic facilè papilionem Regis adiens, illius lanceam ſimul & calicem aufert. Abner erepturus Davidi gloriam tam præclari facinoris, ait id fuiſſe mendacium à Davide prolatum; ſed cùm Rex bibiſſet prope quandam ciſternam, puerum honoratum oblitum fuiſſe ibi lanceæ ipſius, ac calicis; non autem Davidẽ ea ſubripuiſſe dormiente Saüle in ſuo conopæo, ſomno ſopitis pariter cuſtodibus. Sed ecce punitio hujus invidi gloriæ Davidicæ, crimini ipſius conformis. Abner offertur mortuus *à ciſterna ſpinarum*. Uſus fuerat ſpinis, & ciſterna, ut malitiam ſuam & invidiam exhiberet; per eandem punitur rem, per quam offenderat. Sic Deus, cùm non poſſit quin puniat crimina, ea caſtigat ipſe inde unde illa fuerunt patrata.

1. Par. b Act. 10. 42. c Gen. 1. 1 &c.

Sed ut poſſimus evitare rigores & ſeveritates ſummi Judicis *vivorum & mortuorum* b, actiones illius ſunt nobis perpendendæ, & videndum eſt quid pro nobis ipſe egerit. *In principio* c nos è nihilo eduxit pro creationem, magnam compoſuit maſſam, ex qua conſequenter omnes creaturæ, cæli, aſtra, elementa, omnes res ſublunares, & homo tandem formata ſunt. Sed quare homo ultimus omnium formatus eſt? Ratio iſtus eſt, Quia in mundum veniebat ut Dominus, & ſic domicilium debebat invenire præparatum, & omnes creaturas ordinatas, ſicut Regi venturo in aliquam civitatem diſponuntur & ſuperba ornantur ſupellectile palatia Majeſtati ipſius excipiendæ congruentia. Vel, quia cum homo debe ret omnibus creaturis communicare, Deus debebat aliquid ex ſingulis deſumere, unde ipſum formaret, eſſe è lapidibus, vegetabile è plantis, ſenſibile ex animalibus, intellectuale ex Angelis, imò verò immortalitatem è Deo vivo. Conſiderate ergo quanta hic ſupremus Artifex laboret ſolicitudine, ut formet hominem. Ad fabricationem illius omnia ſua inſumit attributa: Sed priùs conſilium init cum tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram**. Fo m m is creaturam quæ ſit veluti exemplar noſtræ magnitudinis d, & ſicut imago noſtræ potentiæ e. Lutum ipſe ſumit, quod Spiritu ſuo animat. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* f. Super quæ verba Tertullianus ait: g *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, providentiâ, & ipsâ imprimis adfectione quæ lineamenta ductabat.* Volebat Deus huic terræ orbiculo lapidem pretioſum, & margaritam pretii inæſtimabilis imprimere, cùm ipſe deinde pro reparanda hominis anima factus fuerit homo h. Nos verò quid non debeamus agere pro anima noſtra cõſervanda, cùm fuerit à Chriſto reparata? Nonne vires omnes noſtras inſumere tenemur ac potentias, facultates ſpiritus æquè ac corporis univerſas, ut illius invigilemus conſervationi? Præbuit nobis Deus duos pedes,

* Gen. 1. 26. d Pſ. 47. 2. e Pſ. 64. 7 f Gen. 2. 7 g Tert. lib de Reſurrec. Carn. c. 6. h Galat. 4 4. & 5.

manus geminas, & ambos oculos, ex quibus ſi alterum deficiat, nobis alterum poteſt eſſe proficuum; ſed unicam tantùm largitus eſt nobis animam: ſi ita infelices ſimus ut eam profligemus, omnia ſunt nobis perdita, etiamſi totus mundus nobis eſſet acquiſitus. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ* i? Deus honori ſuo, in noſtrî favorem, renunciavit; & nos nunquam ob amorem illius exiguo commodo abrenunciabimus? Quodnam grati animi ſpecimen, & quales ei gratiarum actiones exhibebimus pro univerſis illius beneficijs? Sanguinem ſuum k ſimul atque vitam ſuam profundit, morti ſe tradit; omnia quæ habet, pro nobis adducit in periculum, ut animam noſtram efficiat ſalvam. Omnia prætereunt. Anima eſt immortalis, ſive in cœlis, ſive in infernis.

i Matth. 16. 26. k Joan 19 1. &c.

Videamus igitur actiones Judicis. Obſervant Evangeliſtæ quòd *Jeſus ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus* l. Sed quare tempus hoc ab ijs obſervatur? Myſterium profectò eſt hæc obſervatio. Quid autem vult nobis Chriſtus innuere hac ſolitudine, receptuve iſto ſex dierũ ante paſſionem ſuam tol·randam? Simon de Caſſia m reſpondet: *Secundùm tempus ab eo præfixum, paratus in animo appropinquabat loco, ubi propriâ voluntate ſe volebat ſubdere paſſioni, & tradere ſe invidis per amorem, qui eum quærebant ad mortem, ante ſex dies Paſchæ venit in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus.* Quaſi verò mors eſſet tranſitus ſtrictus, importunus, & ita periculoſus ac ſi ipſe timeret, ſe Bethaniam recipit, ubi ſe ad mortem diſponit, inſumens omnes potentias ſuas ad conſiderationem oblitus ſui proximi. Sed quare hoc? Eratne ante mortem hæc ſolitudo neceſſaria Chriſto qui erat Sanctitas per eſſentiam n, totæ deliciæ o, & Sapientia p Patris æterni? Hoc ſanè nobis eſt inſtructionis loco, ut diſcamus quænam agere debeamus. Si enim Chriſtus, qui eſt *Dominus noſter* q, & ſupremus *Judex vivorum & mortuorum* r, qui nullis eſt peccat s & criminibus obnoxius s, qui eſt totus *perfectus* t, qui in hunc mundum venit, ut nos abſolveret u, & mediatorem noſtrum x ſe exhiberet, cui nihil eſt timendum y, ſemetipſum in ſe recipit; heu! quid debemus facere nos tot criminibus & ſceleribus implicati? Cur non ſeriò perpendemus ea quæ ſalutem noſtram ſpectant? Cur non reflectemus nos ſuprà nos ipſos? Quare tempus non inſumemus ad examinandas actiones noſtras, ut præſentari poſſimus coram ſevero hoc Judice, eique earundem actionum noſtrarum exactam adamuſſim reddere rationem?

l Joan 12. 1. & ex Matth 26 6. m Simon de Caſſ. lib. 9. de virtut. 2 ſerm. Dom. c. 14. n Marc. 1 24. o Matth. 3. 17. & 17. 5. p Coloſſ. 2 3. q Pſal. 8. 2. r Act. 10 42. s 1 Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9. t Matth. 5. 48. u Matth. 9 2. x 1. Tim. 2. 5 & 6. y Pſ. 90. 10.

Chriſtus *quadraginta* diebus z poſt reſurrectionem ſuam cum diſcipulis ſuis in terra remoratur, antequàm in cœlum aſcendat, ſeſſurus ad dexteram æterni ſui Patris. Cur autẽ triumphans de morte a, de diabolo, de carne, de mondo, & de inferno, nõ ſtatim ad cœlos aſcendit, ut triumphorum ſuorum fructus colligeret? Quadraginta diebus in terris remoratur Chriſtus, ubi ſe præparat. Sed quid? Eſtne in eo quidquam quod reformatione indigeat? Quare hi quadraginta interponuntur dies? Sanè ut nos inſtrueret Chriſtus, quòd ſi ipſe eùm deberet præſentari ſuo Patri æterno, ſe præparat, ipſe qui nihil habebat metuendũ, quippe qui ſanctitas eſſet per eſſentiam; quid debeamus agere nos qui onerati ſumus criminibus,

z Act. 1. 3 &c. a Oſee 13. 14.

Digitized by Google

b Iſai. 1, 2. &c. bus b, & infinitis ferè ſceleribus obnoxij. Vide-
tur nunc Deus noſter diſſimulare c, & tacere de
c Sap. 11. 24. peccatis; ſed tunc temporis diſtrictus ille Judex
examinabit omnes actiones noſtras. Deus in crea-
d Gen. 1. 3. tione cū produxiſſet lucē d, id eſt, Angelos, ut ex-
ponit D. Auguſtinus e eos cōſiderat, illos exami-
e D. Aug. lib. de Gen. ad lit. c. 5. nat. Sed lumen nunquid nō eſt aliquid eximiū, &
omni parte conſummatū? Nonne corporibus om-
nibus ornatum largitur ac decôrem? *Vidit Deus*
f Gen. 1. 4 *lucem quod eſſet bona* f. Quare? Ut examinemus
nos ſerio, & noſtras diſcernamus tenebras, eò
quòd ille tam exactè examinet lucem ſuam.
Heu! Quid agetur tunc temporis de vitâ noſtrâ
g Apoc. 20. 12. tot criminibus obnoxiâ?

D. Joannes ait g: *Et vidi thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum; & vidi mortuos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt; & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.* Hæc eſt viſio myſterijs inſignis, quæ oſtendit nobis id quod ſcriptum fuerit in prætorio Divinæ Juſtitiæ noviſſimis temporibus, examine & actione ſummi Judicis intermedijs. Thronus ille candidus non eſt alius niſi thronus nubium, quem ſibi eriget ſupremus ille Judex, ut innuunt verba textus noſtri: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magnâ & majeſtate.* Hi mortui ſunt omnes homines, qui citabuntur ante tribunal Divinæ Juſtitiæ, ut ſuarum actionum omnium reddant rationem, ut ait Apoſtolus: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria*
h 2. Cor. 5. 10. *corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum* h.
Tunc aperientur libri, qui magnis characteribus hominum peccata detegent. Aliqui ex antiquis Patribus per hos libros intellexerunt Scripturas & mandata Dei. Hi erunt veluti Bartholi, è quibus Judex ſupremus extrahet decreta diffinitiva & irrevocabilia. Scripturæ convin-
i Ioan. 3. 18. cent duritiem atque obſtinationem peccatorum; *Qui non credit, jam judicatus eſt* i. Alij Patres dicunt, hos libros futuros ſanctos. Hi erunt libri aperti, qui virtute exemplorum ſuorum impreſſam magnis characteribus deferent peccatorum condemnationem. Alij tamen Patres per hos libros intelligunt libros conſcientiarum. In membranis conſcientiarū noſtrarū veluti ſcripta exarata ſunt omnia peccata noſtra; ipſæ ſunt libri aperti ac ſigillati; *Nihil autē opertū eſt, quod non reveletur; neq; abſconditum, quod non ſciatur* k.
k Luc. 12. 2. Species hypocritica ſæpè hominex decipit, adulteria clam ſemper patrantur; *Nihil autem eſt abſconditum, quod non ſciatur.* Erubuiſti tuum ſacerdoti confiteri peccatum; *Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam in conſpectu ſolis* l.
Angeli boni & mali obſervabunt vel ſecretiſſi-
l 2. Reg. 12. 12. mam cogitationem, vel minimum verbum otio-
m Matth. 12. 36. ſum m. Rem admirandam! Et propter minimum ex his defectibus pudore ſuffundêris. Deus intellectum noſtrum lumine elevabit ſupernaturali, ut cognoſcamus omnes defectus noſtros n, ſicut & cæterorum; unuſquiſque nos digito de-
n 2. Cor. 5. 11. monſtrabit: Diva Magdalena in hoc etiam invenietur conſortio; liber conſcientiæ ejus aperietur; in hâc membranâ legentur omnes impuritates & diſſolutiones vitæ illius o; ſed non erit hoc
o Luc. 7. 37. ad confuſionem: ipſius; imò verò pœnitentia
* Luc. 7. 47 ipſius * illam exhibebit glorioſam.

Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ. Iſte liber novus eſt memoria Dei. Liber iſte electos omnes exhibet ſcriptos characteribus indelebilibus; *In manibus meis deſcripſi te*, ajebat

ſingulis illis Deus per Prophetam p. Hoc egit p Iſai. 49. 16.
dutis clavis, cùm operatus eſt, & paſſus fuit pro
nobis q, ſcripſit nos in ſua memoria, vel in ſuis q Ioan. 19. 1. &c.
ideis, proponens es tunc determinatè nobis ſuam
communicare gloriam; idcircò *& qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis,* r ſevero *vivorum & mortuorum* † Judice ſic diſponente. r Apoc. 20. 15. † Act. 10. 42.

De quodam refertur Monacho, quòd, cùm in pœnitentia ad ſenectam uſque dies ſuos tranſegiſſet exercenda, in profundiſſimas ac abditiſſimas ſeſe recepiſſet ſolitudines, eximia ſic florens ſanctitate ut impetraret pardis, qui ad ipſum quotidie pro alimento emendicando ventitarent, quos hortabatur ne alicui nocerent homini; qui pro omni obſonio ordinario herbas duntaxat, & aliqua panis ad conſervandam adhibebat vitam, fruſtula, quæ à Fratribus recipiebat Monaſterij, ad quod pergebat, cùm ad id neceſſitas ipſum impuliſſet; jam jam morti vicinus, cùm cubile ipſius extremum agentis agonem, omnium corona circumdaretur Monachorum; ut ſpiritus reſumpſit ſuos, & ad ſe reverſus eſt, non ſecus ac ſi interrogatus eſſet, reſponderit: Verum eſt; illud perpetravi; ſed pro eo diluendo, decem & viginti peregi pœnitentiam annis, delicto. Poſteà: Sed hoc? Non diffiteor; ſed iſtud per meam profeſſionem, quæ eſt veluti ſecundus Baptiſmus, expunxi. Sed id? Proh Deus Juſte quàm exactus es cenſor! Non exiſtimabam hoc fuiſſe peccatum. Juſtitia Divina heu quàm rigida es! Conſolabantur eum Monachi. Et ipſe reſpondebat: Neſcitis quàm ſevera ſit juſtitia divina. Ipſo ſtupefacto, omnes pro eo orant, & quid de eo judicent, ignorant. Vos verò deliquiſtis; & quamnam egiſtis pœnitentiam? Decem, vel viginti annis? Quid ſentitis de Juſtitia Divina? Quid non timetis? Non cogitabatis; & idcircò defectu cogitationis & ſeriæ reflexionis unuſquiſque in præceps delabitur.

Aſtrologi loquentes de aſtris, & de eorum qualitatibus, præſertim verò de Luna ſic mutationi obnoxia, dicunt eam, cùm Jovem reſpicit, influentias habere omninò ſuaves ac benignas; è contrà verò cùm ad Martē, & ad Saturnum dirigitur, ipſam malis influere effectibus. Ad differentiam Stellarum, videmus eam aliquando plenam, alias ſemiplenam, aliquandiu adinſtar corrigiæ, ſeu fili, eodem tempore quo Stellæ manent æqualiter circumquaque lumine perfuſæ. Ratio hujus diſcriminis eſt, quòd ſuum omne lumen à Sole recipiant Stellæ; ipſæ ſunt capaces impreſſionis interioris ſuſcipiendæ, cùm Luna tantùm in ſuperficia exteriori, lumine perfundatur. Scriptura autem peccatorem Lunæ
comparat; *Stultus ſicut Luna mutatur* s. Ni- s Eccli. 27. 12.
hil eſt ſtultius peccatore. Deus eſt ſpecioſus Sol, cujus lumen eſt gratia, illam duntaxat recipit peccator in ſuperficie, in eo ipſa non imprimitur, neque immoratur, non conſiderat pecca-
tor. Sed Juſtus, qui eſt veluti Stella quæ fulgere t Dan. 12. 3.
debet in æternitate t, eam intimè recipit ac profundè. Idcircò defectu conſiderationis peccator in præceps ruit, & in deſolationem; *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia non eſt qui*
recogitet corde u. u Jer. 12. 11.

Obſervaſtiſne id quod ſcribitur in Evangelio eveniſſe Scribis & Phariſæis, ſimul ac Cornelio
Centurioni Ipſo die Paſſionis Domini noſtri Jeſu x Matth. 27. 31. &c.
Chriſti? Univerſus populus hunc comitatur x
Agnum y innocentem pro Reo reputatum, qui y Iſai. 53. 7.

tandem pervenit ad Calvariam montem. Unuſquiſque tranſit, *Et prætereuntes*. Nullus eſt inter tot homines qui conſideret. Jeſus crucem defert ſuam: Cornelius Centurio gradum ſiſtit, dum alij prætereunt, attentè quæ aguntur, conſiderat. Cùm Jeſus perveniſſet ad locum, ubi cruci erat ſuffigendus, genua flectit, oculos ſuos ac ſpiritum ſuum in cœlos elevat; Centurio ſemper attendit. Præcipitur Jeſu ut porrigat brachium, extendit ipſe illud. Clavo perforatur ei manus, obmuteſcit ipſe. Quid eſt hoc ait Cornelius. *Verè Filius Dei erat iſte*. In ipſo invenitur aliquid magis quàm ſit in homine, eo tempore quo alij *prætereuntes blaſphemabant eum; moventes capita ſua*. Hæc omnia evenerunt defectu conſiderationis. Cur tot odia? Cur hæc lectio veniæ ignorata, exemplo licèt perſuaſa Chriſti dicentis *z*: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*; ſed à Cornelio Centurione benè intellecta? Id evenit defectu conſiderationis, eò quòd nemo circa agenda ſeriò recogitare velit. [z Luc. 23. 34.]

Videte igitur quid vobis timendum ſit è parte Divinæ Juſtitiæ, propter crimina veſtra quæ ipſam irritavêre. Deus Juſtitiam ſuam comparat apud Prophetam *a*, tribus rebus quæ nos imparatos præſepè deprehendunt: *Ecce validus & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis: turbo confringens: ſicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam*; nimirum grandini, turbini, & tempeſtati. Grandini; venitis ab inviſendis agris & vineis veſtris, terra apta eſt jam ad meſſem, concipitur à vobis bona ſpes; racemi progrediuntur, eo omnia vobis eſſe benè videntur; ſed ecce grando omnes fructus veſtros depopulatur; non cogitabatis, interim grando veſtrus profligat fructus. Magna formatis conſilia, mors accedit, & imparatos vos intercipit: *Dum adhuc ordirer, ſuccidit me b*, querebatur Ezechias. *Cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire*, dicebat David *c*. Super aggerem fluvio contiguum aſcenderatis, non cogitabatis, turbo venti vos involuit, & in fluvium projicit. Ita Dei eodem ſe gerit modo. Aquis tranquillis & pacatis in mari potiebamini; non cogitabatis, cùm ſubitò mare intumeſcit, & tempeſtas oritur. Hæc eſt ira Dei quæ venit. Heu! Cavete vobis. Sodomitæ & Gomorrhæi ad tympani & citharæ ſonitum exultabant, & velut dies feſtus agebant; non cogitabant, & ignis è cœlo deſcendens conſumpſit illos, eò quòd conſilia Abrahæ *d*, & Lot *e* deſpexiſſent. Voluptates tranſeunt; Quid nobilius? Duo aut tria verba contra Jus calamo ſuper papyrum ſcriptis extrata, falſus contractus, uſura palliata; quid ſpecioſius? Detractio, linguæ & verbi indiſcreti vibratio, voluptas, fornicatio, adulterium, inimicitia, odium, vindicta, hæc omnia tranſeunt, ſed hæc omnia ſequitur æternitas. Heu æternitatem! Æternitatem! Heu toto corde & corpore contremiſco! Æternitatem! Timor Dei poſſide me; *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui f*. Juſtitia Divina facit ut timeamus te, cùm à timore incipere debeat bonus Chriſtianus æquè ac à fide perfectionem ſuam: *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo g*, ut habeat *gratiam, & gloriam*, quam tandem *dabit ei Dominus h*. [a Iſai. 28. 22.] [b Iſai. 12.] [c Pſ. 20. 21.] [d Gen. 18. 16.] [e Gen. 19. 19 &c.] [f Pſ. 118. 120.] [g Eccl. 12. 13.] [h Pſal 83. 12.]

IN FESTO S. FRANCISCI XAVERII CONFESSORIS.

Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Matth. 11. 29.

ARchimedes petebat aliàs punctum extra terram, cui poſſet ipſe facere inniti circinum ſuum, & ipſe polliceb atur ſe facturum eſſe magna prodigia interventu artificiorum ſuorum, & machinarum ſuarum: Diabulus, qui eſt magnus Archimedes mundi tenebroſi inferni, petit unicum punctum in microcoſmo, id eſt, in parvo mundo hominis, & ſi ita induſtrius eſt ut ipſum obtineat, ipſe ſe ſatis fortem reputat ad hoc ut executioni mandet univerſa pernicioſa conſilia ſua, quæ non poſſunt eſſe niſi funeſta & noxia homini: ipſe requirit punctum, ſed punctum honoris; ſi ipſum obtineat, quanta prodigia ipſe facit: Sed Deus qui adverſatur illi in omnibus, efflagitat unicum punctum humilitatis, ad hoc ut elevet hominem ad altiſſimum apicem gloriæ, & reddat eum ſimilem ſibi, ſicut agit D. Franciſcum Xaverium: ipſe proteſtatur, juxta maximam Evangelicam *a*, *Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur*. Ipſe requirit humiliationes, poſtquàm ipſemet eas exercenit, exiens *à Patre, & in mundum b* veniens, ipſe *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo c in utero d* B. Virginis Mariæ, poſt hæc verba, *Ave Maria*. [a Luc. 14. 11.] [b Joan. 16. 28.] [c Philipp. 2. 6. & 7.] [d Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.]

Sic natura ſibi complacet in diverſitate, ut conſtituere noluerit homines in ſtatu æquali magnitudinis & proſperitatis; ipſa voluit ut eſſet tempus elevationis & depreſſionis, proſperitatis & paſſionis, pacis & belli, victorioſorum & victorum, ſanorum & infirmorum: imò *& infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia e*. Deus ordinariè utitur inſtrumentis infirmis ad operanda opera admirabiliſſima. Opus admirabiliſſimum omnium, eſt opus ſalutis hominum *f*, ipſum eſt eò admirabilius, quò eſt difficilius; & eò difficilius, quò Deo laborioſius fuit: & tamen Deus utitur ad hunc magnum effectum medio ignoto & prorſus contrario; afflictionibus & depreſſionibus medijs ipſe nos elevari facit in cœlum; ipſe inſumit humilitatem & patientiam D. Franciſci Xaverij ad convertenda Regna integra Indiarum & Japponiæ. Materia prima eſt res ferè incomprehenſibilis mentibus noſtris, & imperceptibilis ſenſibus noſtris; & tamen Philoſophi faciunt ex eâ partem eſſentialem cujuslibet compoſiti Phyſici. His non obſtantibus, mirandum non eſt, Auditores, ſi homo, qui natus eſt ad res magnas, ſuas impendit operas ad acquirendam magnitudinem, & ad evehendũ ſe ad officia & dignitates, cùm id omne quod eſt in naturâ, conetur ſe magnificare. Aqua ſe colligit, & guttæ faciunt rivos, & rivi flumina; & [e 1. Cor. 1. 27.] [f Pſ. 73. 12.]

Ocea-

Oceanus extenderetur ſic ut non faceret ampliùs niſi unicum alveum è totâ terrâ, niſi Deus oppoſuiſſet molem ſuperbiæ ipſius elementi immitis, quæ non eſt alia niſi arena, quæ ipſum g Job. 38. 11. coercet *g*: Terra elevat ſe in montes & in rupes: Et Aer qui ſuperbiâ antecellit omnia alia elementa, replet omnia loca, quæ ab alijs relinquuntur, ſic quælibet res eſt exaltationis avida: Arbores in ſylvis elevant ſe, ut meliùs videant ſolem: Animalia creſcunt uſque ad quendam ſtatum: Sol elevat ſe uſque ad meridiem ſuum, & ipſi Juſti ſequuntur modum procedendi ejus, *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſ-* h Prov. 4. 18. *que ad perfectam diem h.* Homo igitur, qui eſt Princeps iſtius mundi, videtur non eſſe criminoſus, ſi magnificare ſe ſatagat, cùm ortus ſit è parentibus Regibus, quos vidit deferre ſceptrum & diadema; conſilia ipſius ſunt juſta, ſi, more Cæſaris, in infortunijs ſuis ipſe ſemper cuſtodit hunc ſpiritum ambitionis & imperij: iſte Monarcha inter vincula imperabat Dominis ſuis, quaſi fuiſſent ſervi ſui: homo habet etiam in infortunio ſuo hanc inclinationem ad impe- i Gen. 1. 28 rium, quod ipſe ſuſceperat à Deo *i*. Sed quæ- Diviſio. nam media debet ipſemet inſumere ad huc ut perveniat ad has magnitudines, ut elevet ſe ad hos honores, & ad cumulum verarum exaltationum? Humilitatem, quæ ipſum reddit ſimilem Angelis, & Deo ipſi, elevans ipſum ſupra id omne, quod non eſt Deus, ut videbimus in priori parte diſcurſus iſtius in perſonâ D. Franciſci Xaverij. Secundò, Afflictionem, quæ ipſum etiam reddit ſimilem Deo, ſicut conſiderabimus in poſteriori parte in perſonâ ſancti noſtri.

1. Pars. Philoſophia nos edocet, quòd duæ cauſæ contrariæ producunt effectus contrarios, calor calefacit, & frigus refrigerat, vita motum tribuit, & mors eo privat, ſuperbia deprimit: Ergo humilitas debet exaltare per rationem contrariorum, *Contrariorum eadem eſt ratio*, dicit maxi- k Luc. 14 11. ma Philoſophica. Evangelica *k* verò, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Angelus, hic ſpiritus diſſolutus l Iſai. 14. 14. à materia, ſe vult elevare, *Similis ero Altiſſimo l*. Et en ipſe depreſſus ad abyſſus uſque, *Verantamen* m Iſai. 14 15. *ad infernum detraheris in profundum laci m.* Cùm ipſius elevatio non concurrerit niſi ad reddendum caſum ipſius probroſiorem. Ipſe noluit ſe humiliare Deo homini, qui ut ſic fuit ipſi propoſitus adorandus, *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbẽ terræ, dicit, Et adorent* n Hebr. 1. 6. ex Pſ. 6. 8. *eum omnes Angeli Dei n.* Superbia ſua fuit cauſa infortunij ipſius, & ex Angelo, qualis erat, evaſit diabolus: Homo igitur humilians ſe, effici debet Angelus. Iſtud videmus in D. Franciſco Xaverio: nam anno Domini milleſimo quinquenteſimo trigeſimo quinto profectus Venetias cum ſocijs ſuis, ubi D. Ignatius à Loyola ipſos expectabat; hoſpitatus eſt in xenodochio Incurabilium; &, ut ſe plùs humiliaret, abhorrens infirmum quendam ulceribus ſcatentem, ſuxit vulnera ejus ſemel & bis fervore ſingulari, quaſi non fuiſſet ipſemet homo, ſed Angelus prorſus ſenſu deſtitutus. Angelus, ait Theologia, eſt inviſibilis, & indiviſibilis, ipſe non occupat locum; Ipſe, eſt ſubſtantia oculis imperceptibilis: quàm magna eſt virtus humilitatis, cùm ipſa nos reddat ſimiles Angelis inviſibilibus, & indiviſibilibus. Humilis eſt inviſibilis, ipſe non apparet in occaſionibus gloriæ: quærite eum in honoribus; non invenietis eum ibi: ipſe eſt inviſibilis. Cùm D. Franciſcus Xaverius à ſummo Pontifice benedictionem ſuſcepiſſet ad inſtantiam Regis Portugaliæ Joannis III. ut iret in Indiam Occidentalem, quandiu ipſe erat in hac itineratione cum Legato Maſcarena, quem ipſe lucratus erat Deo cum tota domo ipſius, verbis ſuis, & vita ſua prorſus admirabili, ſicut & ipſe liberaverat à periculo mortis multos qui erant cum ipſo, tranſiens prope patriam ſuam, noluit unquam ſe avertere ab incepta vita ad hoc ut viſitaret matrem ſuam, fratres ſuos, & ſorores ſuas, licèt ad exhibendam eis hanc viſitationem rogaretur à Legato, & nulla ſupereſſet ipſi ſpes videndorum illorum ampliùs unquam: ipſe ſe reddidit inviſibilem. Humilis eſt indiviſibilis, ipſe non occupat locum ſicut Angeli, ipſe non elevat ſe ambitione: D. Franciſcus Xaverius eſt indiviſibilis, & ait cum Pſalmiſta *o*, Deum allo- o Pſ. 38. 6. quendo, *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Ipſe eſt igitur Angelus, & ſimilis Angelo, cùm, ſicut Angelus, ipſe ſit inviſibilis, & indiviſibilis præ profunda humilitate, æſtimans ſe minimum omnium, deferens omnibus ſacerdotibus, & Religioſis, miniſtrans eis quaſi ſervus, licèt eſſet ipſe Legatus Apoſtolicus, operiens virtutes ſuas, erubeſcens ad proprias laudes, reputans ſe maximum peccatorem, & dicens cum D. Paulo *p*, *Chriſtus Jeſus venit in hunc mun-* p 1. Tim. 1. 15. *dum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Licèt haberetur ab omnibus ut ſanctus, vacans munijs depreſſiſſimis, ut docere pueros, & miniſtrare infirmis in xenodochijs. Humilitas exaltavit Angelum, ipſa elevavit eum ad fœlicitatem, qua ipſe nunc fruitur, cùm omnes Angeli, qui ſunt in cœlo, genua flexerint Verbo in- q Apoc. 12. 7. carnato *q*. Hæc igitur virtus nos elevat ad ſimilitudinem Angelorum, ſicut ſuperbia nos ſimiles dæmonibus facit.

Ipſa nos reddit etiam ſimiles Deo, ipſa nos facit cognoſcere depreſſionem noſtram, & nihilum noſtrum; & magnitudinem Dei, ac immenſitatem ejus: agnoſcentes nos, omnia referimus in Deum, nos ſpoliantes omni affectu creaturarum, omni eo quod eſt creatum, propter amorem ipſius: Atqui Deus qui amat eos qui ipſum amant, ſicut ipſemet proteſtatur, *Ego* r Prov. 8: 17. *diligentes me diligo r*, amando benefacit: videns ergo quòd humilis evacuavit ſeipſum propter amorem ipſius, omnibus creaturis, cùm ipſe ſit Author gratiæ, æquè ac naturæ, replere debet hoc vacuum: & ſicut proprium amori eſt reddere ſimilem, homo qui eſt humilis, ſicut D Franciſcus Xaverius, quemadmodum dixi vobis, diligens Deum, & dilectus ab eo propter humilitatem ſuam, debet eſſe conformis Deo, debet effici ſimilis Deo: & non ſecus ac Deus eſt magnus, & parvus; magnus, cùm contineat om- s Baruch. 3. 25. nia, *Magnus & immenſus s.* Parvus, cùm ita t Joan 4. 24. parvus ſit, ut ſit indiviſibilis, *Spiritus eſt Deus t*, totus collectus in ſe, ſine diviſione, abſque mixtione creaturarum, fœlix in ſeipſo, cùm ſua uni- u 1. Joan. 5. 7. tas *u* ſit ſua fœlicitas: ſic humilis, eſt magnus, & parvus; magnus, cùm nihil admittere poſſit extra ſe, rejiciat omnia, contemnat univerſa, nec ipſe velit aliquid præter Deum; parvus, cùm ſit indiviſibilis per humilitatem ſuam, & velut in puncto. Qualis virtus, quæ reddit hominem ſimilem Deo; *Excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta* x Pſal. 137. 6. *à longè cognoſcit x.* Si Deus videt humilem propiùs, ideò quia humilis propior eſt; ſi propior

eſt,

eſt, ſi propior eſt, ideò plùs participat Divinas ipſius qualitares; ſi plùs porticipat ipſius attributo, propiereà ei ſimilior eſt.

Videte, ſi placet, Angelos: illi qui reſiſtunt,
5 efficiuntur demones; illi verò qui humiliont ſe, ſunt Archangeli: Lucifer eenim humiliste ſe, *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo caden-*
y Luc. 10. 18 *tem y.* D. Michaël eum de throno deturbat, & humiliando ſe, ſtabilit fæliciiatem ſuam. Humilitas eſt fundamentum ſalutis. Ad hoc ut fælices ſimus, oportet ut ingrediamur cœlum; ad hoe ut iogrediamur cœlum, debemus eſſe baptiza-
z Joan. 3. 5. ti, & renati *ex aquâ & Spiritu ſancto z.* Ad hoc ut baptizemur, debemus eſſe infantes, vel adulti, ſed ſemper debemus eſſe humiles. Si infantes, ecce figura humiliom, *Sinite parvulos veni-*
a Marc. 10. 14. *re ad me: talium enim eſt Regnum Dei a.* Si
b Matth. 19. 17. adult, debemus illud ingredi per bona opera, *Si vis ad vitam ingredi. ſerva mandata b.* Atqui bona opero ſunt etiam innixa humilitati: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt & ſitiunt*
c Matth. 5. 3. &c. *juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur c.* Non poſſunt exerceri hæc opero ſine humilitate: debemus igitur eſſe humiles od hoc ut ingrediamur cœlum; & Angeli non ſunt Angeli niſi perhumilitatem, *Quis ut Deus?*, oit Archangelus Michaël, ejiciendo è cœlo Luciferum, & conſcios
d Apoc. 12. 7. rebellionis ipſius. *Michael d* enim, idem ſonat ac *Quis ut Deus?* Joonnes Baptiſta eſt ſanctus: quidnam reddit eum talem? Humilitas: *Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ergo Chriſtus. Et interrogaverunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es, ut reſponſum demus his qui miſerunt nos? Quid dicis de teipſo? Ait, Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini, ſicut*
e Ex Iſai. 40. 3. *dixit Iſaias e Propheta. Et qui miſſi fuerant; erant ex Phariſæis. Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei, Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta. Reſpondit eis Joannes, dicens, Ego baptizo in aquâ: medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt: cujus ego non ſum dignus,*
f Joan. 1. 19. &c. *ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti f.* Ipſe humiliot ſe, & Deus illum exaltat ſupro omnes homines natos è mulieribus, poſtquàm vocavit eum Angelum per Prophetam ſuum Molachiam, *Cœpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne, hic eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam an-*
g Ex Malach. 3. 1. *te te g? Amen dico vobis, non ſurrexit inter na-*
h Matth. 11. 7. &c. *tos mulierum major Joanne Baptiſtâ h.* Magdalena vult metiri ſe od Jeſum Chriſtum, & non pervenit niſi ad talos illius, *Stans retro ſecus pe-*
i Luc. 7. 38. *des ejus i.* D. Petrus ad genua illius, *Procidit*
k Luc. 5. 8. *ad genua Jeſu k.* D. Joannes ad pectus ejus,
l Joan. 21. 20. *Recubuit ſuper pectus ejus l.* D. Thomas ad latus illius, *Jeſus dicit Thomæ, Infer digitum tuum*
m Joan. 20. 26. & 27. *huc, & mitte in latus meum m.* Sed D. Joannea Baptiſta fert monum ſuom ſuper caput Jeſu Chriſti, quem baptizat, *Jeſus baptizatus eſt à*
n Marc 1. 9. *Joanne in Jordane n.* Inferte hioc magnitudinem ejus, quæ educitur ex ipſius humilitate. B. Virgo Maria fuit magna, ſed ipſius magnitudo eruitur ex ipſius humilitate: *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit ſpiritus meus in Deo Salutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes o.* Ecce o Luc. 1. 46. &c.
magnitudo, quæ inde procedit, dignitas ſupereminens Matris Dei, *Virginitate placuit, humilitate concepit*, ait D. Bernardus *p.* D. Franciſcus p D. Bern. citat. à D. Bernardin ſerm. 7. de Conſenſ. Virginal. c. 1.
Xaverius humiliat ſe exactâ & promptâ obedientiâ judicij, voluntatis, & executionis, paratus ad reliquendas Indias, & ad revertendum in Europam, ſi vidiſſet unum I, quod erat prima litera nominis ſui Generalis D. Ignatij, quem ipſe agnoſcebat ut Superiorem ſuum legitimum, qui ipſum miſerat inter illas nationes infideles ad manifeſtandam gloriam Dei, & ad operandam ſalutem animarum, & cui ipſe non ſcribebat, niſi flexis genibus.

Sed non miror ſi D. Franciſcus Xaverius, Angeli, Apoſtoli, D. Joannes Baptiſta, & B. Virgo Maria humilient ſe, cùm videam quòd Jeſus Chriſtus, qui eſt Deus, humiliat ſe. Ipſe humiliat ſe, exiens *à Patre, & in mundum q* veniens, q Joan. 16. 28.
faciens ſe hominem *in utero r* Virginis, naſcens r Luc. 1. 31. ex Iſa. 7. 14.
in præſepio s, ſubjiciens ſe Parentibus ſuis, *Et erat ſubditus illis t.* Imò verò humiliat ſe diabolo, *Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut ten-* s Luc. 2. 7.
taretur à diabolo u. Et peccatoribus, qui ſunt t Luc. 2. 51.
membra diaboli, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati x*: Et, *Magnus dæmon pecca-* u Matth. 4. 1.
tum eſt y. cùm ſe ſubmittit Pilato, qui damnat ipſum ad mortem *z*, Herodi qui ipſum deridet *a*, x Joan. 8. 34.
& Judæis æquè ac militibus qui ipſum cruci y D. Chryſoſt. homil. 83. ex c. 9. Matth.
ſuffigunt *b*. Et nonne ſe humiliat quotidie, ingrediens pectora infecta, ſordida, criminoſa, & horribiliora inferno? Si ergo Deus humiliat ſe, ſi D. Franciſcus Xaverius, ſi Angeli, ſi Apoſtoli, ſi z Joan. 19. 16.
Magdalena, ſi D. Joannes Baptiſta, ſi B. Virgo humiliant ſe, ſi Jeſus Chriſtus humiliat ſe diabolo, & peccatoribus, qui ſunt membra ejus: a Luc. 23. 11.
ambitioſi, quidnam non agere debens? Vos b Luc. 23. 23.
quæritis magnitudines, ſcitote quòd non pervenietis od eas niſi per depreſſiones, quòd omoes magnitudines mundi non ſunt veræ magnitudines. Heu! tantum laborem inſumitis, ſic vehementer ſudatis, oon vitupero inclinationem veſtram, quæ vobis videtur noturalis, ſumite ſolùm media congrua acquirendis veris magnitudinibus, quæ non ſunt aliud niſi humilitas, *Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur c.* Ecce via c Luc 14. 11.
Regia, per quam tranſivit *Sanctus ſanctorum d*, d Dan. 9. 24.
Rex regum, & Dominus dominantium e. Humi- e Apoc. 19. 16.
liavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum; & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris f. Ad hoc ut f Philipp. 2. 8. &c.
aliquis evadat magnus, debet ſe deprimere: quòd Angelus efferatur ſuperbiâ, noo eſt unde ſic vehementer miremur: ſed quòd *homo putredo, & filius hominis vermis g*, ſuperbiat, iſtud g Job. 25. 6.
eſt inuſitatum. Si inter elemeota diſſymbola, qualia ſuot terra & aer, ita difficilis eſt tranſitus, ot nooniſi vix unum tranſire poſſit in alterum, ut ait Philoſophia: Homo, qui non eſt niſi nihilum, quid habet unde ſupra ſeipſum efferatur? Unuſquiſque relinquere debet iſtum gibbum cameli, ſi velit ingredi cœlum, *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam †.* Divites, relinquite hæc † Matth. 7. 14.
onera, gravitates iſtas: debetis enim deprimere

vos

vos & illuc ingrediamini : *Jeſus autem dixit*
diſcipulis ſuis, Amen dico vobis, quia dives diſ-
ficile intrabit in Regnum cœlorum. Et iterum
dico vobis, Facilius eſt camelum per foramen a-
cus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum
h Matth. *cœlorum h.* Ambitioſi, abteouotiate cogita-
19. 23. & tionibus iſtis vanitatis: quid enim reſpondebitis,
24. cùm exeundo ex iſto mundo per mortem, ut
carpatis iter cœli, & accedatis ad portam Empy-
rei, interrogabimini, ſicut agitur cùm quis ac-
cedit ad aliquam arcem, & petetur à vobis teſſe-
i Apoc. 12. ra militaris? D. *Michael i* petit, *Quis ut Deus?*
7. k Joan. 1. A D. Joanne Baptiſta petitur, *Propheta es tu k?*
21. A B. Virgine Deiparâ, *Quæ eſt iſta l?* Et ab ip-
l Cant. 8. ſomet Jeſu Chriſto debente illuc intrare, *Quis*
5. m Pſ. 23. *eſt iſte Rex gloriæ m?* Tunc petetur à vobis ſin-
8. gulis, *Quis eſt iſte?* Magnus Doctor, diſertus
Rhetor, celebris Cauſidicus. Iſtud, non eſt
teſſera. Eſt dives, cujus *in alis inventus eſt ſan-*
n Jer. 2. *guis animarum pauperum & innocentum n.* Hoc,
34. non eſt teſſera excubiarum. Eſt quidam, qui in-
duxit unumquemque ad hoc ut iret in cœlum, de-
primendo aliquos, alios reddendo pauperes, &
affligendo eos, cùm afflictiones ſint viæ quæ nos
perducunt ad gloriam Beatorum, ſicut dicam
modò. Nec iſtud, eſt teſſera. *Quæ eſt iſta?* Eſt
Domina quædam, quæ pulchritudine ſuâ ſibi
devincit unumquemque, & quæ habet adorato-
res. Neque hoc, eſt teſſera. Hæc, non ſecus
ac illi *ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit*
o Matth. *fletus & ſtridor dentium o.* Sola humilitas eſt
8. 12. via quæ ducit ad cœlum, cùm ipſa nos Deo ſi-
miles efficiat, ſicut & afflictio.

II. Pars. D. Paulus *p* ait, quòd in Jeſu Chriſto, qui eſt
p Coloſſ. Deus æquè ac Pater ſuus, continentur omnes
2. 3. theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, *In quo ſunt om-*
nes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Af-
flictio nos reddit ſimiles Deo, edocens nos om-
ne genus ſcientiæ. Et primò, Grammaticam,
quæ, prout prima, docet nos loqui ſine defectu,
& evitare omnem incongruitatem in ſermoni-
bus noſtris. Afflictiones edocuerunt Davidem
loqui appoſitè, *Dixi, Cuſtodiam vias meas : ut*
q Pſ. 38. 2. *non delinquam in linguâ meâ q.* Sed quando-
nam iſte Propheta loqui didicit? *Cùm conſiſte-*
r ibid. *ret peccator adversùm me r,* inquit ipſemet.
Deus arguit amicos Job, eò quòd malè locuti
ſint adversùs ipſum, *Non eſtis locuti rectum co-*
s Job. 42. *ram me, ſicut ſervus meus Job s.* Ratio verò
8. propter quam Job benè locutus erat, hæc eſt,
quia ipſe edoctus fuerat in ſcholâ afflictionum,
Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere
peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus,
qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.
Dixit autem illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in
t Iob. 2. *ſimplicitate tuâ? Benedic Deo, & morere t.* Re-
7. &c. thorica docet perſuadere, commovere inven-
tione, diſpoſitione, & elocutione : afflictio hoc
idem agit : ſic videmus quomodo verba tribuit
mendicis ad hoc ut inducant ad liberalitatem;
quo pacto ipſa facit ut vulnerati & membris
mutili oſtendant vulnera ſua & defectus mem-
brorum ſuorum ad commovendos ſpectatores
ad commiſerationem. Logica educit conclu-
ſiones ex præmiſſis, & probat effectus per cauſas
ipſorum : ſic fratres Joſeph argumentabantur
detenti captivi in Ægypto: *Meritò hæc patimur,*
quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes
anguſtiam animæ illius dum deprecaretur nos, &
non audivimus : idcircò venit ſuper nos iſta tri-
u Gen. 42. *bulatio u.* Ipſi cauſam ſuæ detentionis attri-
21. &c.

buunt peccato ſuo, & perfidiæ ſuæ. Phyſica
nos edocet motum rerum naturalium, quomo-
do ipſæ incipiunt eſſe, & tendunt ad ſuum fi-
nem : afflictio dat nobis notitiam noſtræ origi-
nis, & noſtri finis, cujus cognitio nos latet.
Quotidianum veritatis ipſius exemplum nobis
mare providet : cùm eſt tranquillum, nobis o-
ſtendit quidquid habet in ſinu ſuo; ſed cùm eſt
agitatum, non dat nobis in litore, niſi ſordes,
immunditias, & ſpumas : cùm homo eſt in pro-
ſperitate, diceretis quòd omnia ei rident; ſed
afflictio facit ipſum emittere foras ſordes ſuas,
cognoſcere peccatum ſuum, & levare manus ſuas
& oculos ſuos in cœlum, propter quod ipſe crea-
tus eſt. Moralis dirigit opera noſtra, & reddit
illa conformia fini ſuo : afflictiones faciunt nos
cognoſcere finem noſtrum, qui eſt Deus, *Uni-*
verſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus x: x Prov. 16. 4.
faciunt nos producere effectus conformes huic
fini, reddendo nos ſimiles Deo. Alexander
Magnus ſic ſuperbus erat ut facilè crederet, per-
ſuaſus ab alijs, ſe fuiſſe immortalem, ſed cùm vul-
neratus eſſet, ipſe cognovit, quòd eſſet morta-
lis, & dereliquit hanc præſumptionem & iſtam
ſuperbiam. Aſtrologia dat cognitionem aſtro-
rum, & influentiarum illorum : afflictio inducit
ad elevandos oculos in cœlum : ſic mater ſep-
tem Martyrum Machabæorum videns filium
ſuum natu minimum in afflictione conſtitutũ, æ-
què ac reliquos ſex perimi viderat præ oculis ſuis,
dicebat ei, *Peto te nate, ut aſpicias ad cœlum y.* y 2. Mach.
Mathematica nos edocet dimenſiones quantita- 7. 28.
tis : & afflictio nos inſtruit ſtatim quanta diſtan-
tia ſit hinc ad cœlum per viſum, quantùm terra
diſtet ab inferis per meditationem pœnarum; ip-
ſa cognoſcere facit homines extenſionem ambi-
tionis ipſorum, quam proſperitas non limitave-
rat : & Cæſar morbo decumbens, juſſit ut affer-
retur ſibi urna, & coram his qui aderant, dixit,
Ecce vas quod continere debet omnem fortitu-
dinem meam, & animum meum, cui totus mun-
dus debebatur in mercedem effectuum ipſius.
Theologia dat nobis cognitionem Dei : nec a-
liquid eſt, quod meliùs nos faciat cognoſcere,
quòd Deus eſt, quàm afflictio : nunc offerimus ei
vota, *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi z.*
Deus dare volens legem ſuam Moyſi, deduxit il- z Pſ. 119.
lum ſuper montem, qui eſt ſymbolum pœnæ, 1.
Deſcendit Dominus ſuper montem Sinai in ipſo
montis vertice, & vocavit Moyſem in cacumen
ejus a. Et volens illi præbere notitiam ſui, o-
ſtendit ſe illi in rubo ardenti, *Apparuitque ei* a Exod.
Dominus in flammâ ignis de medio rubi b. Et 19. 20. &c.
inter afflictiones & tormenta D. Stephanus *ple-* b Exod. 3.
nus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit glo- 2.
riam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. Et
ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis
ſtantem à dextris Dei c. Sunt aliqui curioſi, qui c Act. 7.
non ſunt contenti ſcientijs ordinarijs, ſed volunt 55. & 56.
habere ſcientias ſecretiores illis. Aliqui putant,
quòd ſcientia ſecretiſſima conſiſtit in cognitio-
ne materiæ cœlorum : ſed hallucinantur. Nun-
quid non ſita eſt hæc ſcientia in cognitione pro-
prietatis plantarum? Nonne in notitiâ virtutis
margaritarum? Nequaquam. Anne in noti-
tiâ differentiæ aſtrorum? Minimè. Scientia
difficillima & minùs cognita, eſt ſcientia pecca-
torum. David, cui ſcientia profundiſſimorum
ſecretorum ſapientiæ Dei fuerat revelata, ſicut
ipſemet ait, Deum alloquens, *Incerta & occulta*
ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi d, petit ab eodem d Pſ. 50. 8.

Digitized by Google

Deo remiſſionem peccatorum ſuorum, quæ non ſunt ipſi cognita, dicens ei, *Ab occultis meis munda me e.* Etiam, Auditores; ſcientia peccatorum eſt ſecretiſſima, quia nemo vult illam ſcire. *Saul* videns, quòd David ipſum non occîderat, eundem *dixit ad David, Juſtior tu es quàm ego f.* Sed quàm inconcinnè perſecutor iſte Juſtorum, vocat ſeipſum juſtum? Debebat ipſe potiùs dicere, *Injuſtior ego ſum.* Ideò quia non agnoſcebat culpam ſuam.

e Pſal. 18. 13.
f 1. Reg. 24. 17. & 18.
g Rom. 8. 29.

D. Paulus g ait, quòd Pater æternus *quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui. Poteſt referri conformatio iſta ad Filium ſecundùm naturam ejus aſſumptam. Sic enim Prædeſtinati ſunt conformes fieri imaginis Filij Dei, ut ſint cohæredes Chriſti h, & ſicut portaverunt imaginem terreni, ſic portent imaginem cæleſtis i,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. D. Franciſcus Xaverius, cùm eſſet ex hoc numero Prædeſtinatorum, ab initio ſuæ converſionis uſus eſt rudibus pœnitentijs, & afflixit corpus ſuum, eò uſque ut per quatuor dies nihil comederit: & deinceps ut cooperaretur conſilijs, quæ Deus habebat ſuper ipſum, ipſe præ ſe tulit patientiam & victoriam heroicam de ſeipſo, domando paſſiones ſuas, ſugendo ulcera infirmorum, & leproſorum, patiendo injurias & calumnias in multis occurſibus cum reſignatione ad Dei voluntatem, ut ſe redderet ſimilem Domino ſuo patienti, qui volebat inde probare virtutem ipſius, & conſtantiam quoad ſanctum obſequium ſuum. Nunquid non aliquando luſores pilæ vidiſtis, quomodo antequàm ipſi incipiant ludum ſuum, multas capiunt pilas, & projiciunt eas circumquaque, ut obſervent & experiantur illas quæ meliùs ſaliunt, ad hoc ut eis utantur: quòd ſi inveniantur aliquæ inter eas, quæ non benè ſaliant, projiciunt illas in porticum, vel in retia? Deus eſt veluti luſor pilæ, *Ludens in orbe terrarum l.* Ipſe projicit unum in terram ictu morbi, alium jacturâ bonorum, propinquorum, amicorum, infortunio, ſi autem advertat inter eos, aliquos, qui quò plùs ab ipſo deprimuntur afflictionibus, eò plùs elevant ſe versùs cœlum; iſtis utitur ipſe in ludo ſuo, eos agnoſcit ut bonos, & vult illos ſibi reddere ſimiles in gloriâ: *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt m:* Poſtquàm iſti ſimiles illi fuerint in paſſionibus ipſius. Quòd ſi reperiat aliquem qui non habeat virtutem elevandi ſe, projicit illum in retia diaboli, *Quaſi pilam mittet te in terram: ibi morieris ignominia domus Domini tui n.*

h Ex Roman. 8. 17
i Ex 1. Cor. 15. 49.
k Dion. Carth. art. 12. in Rom. 8. 29.
l Prov. 8. 31.
m 1. Joan. 3. 2.

Sed quid? Dicetis mihi; nunquid non eſt præſagium vitæ futuræ, ac ſuſcipere illius arrhas in iſto mundo, & ſignum pœnæ æternæ, acerbari inter labores, ſi finis omnium rerum debet habere convenientiam cum ſuo principio? E contrà hoc, eſt ſignum perfecti amoris. *T. Manlius Torquatus, cognomento Imperioſus, quòd ſeviſſimi exempli author fuerit, filio ſuo maximæ ſpei juvene, quòd contra imperium ſuum in hoſtes pugnaſſet, quàmvis pugnatum eſſet fortiter, virgis cæſo, & ſecuri percuſſo,* ait Calepinus o. Iſte pœnas expetivit de filio ſuo, & aliorum punitionem reſervavit miniſtris ſuis: Deus eodem modo ſe gerit erga filios ſuos: ipſe punit eos in iſto mundo, *Ego quos amo, arguo, & caſtigo p.* Punitionẽ verò aliorum remittit miniſtris ſuis, qui ſunt diaboli, qui illos cruciabunt, *Et ibunt hi in ſupplicium æternùm q.* Percuſſiones iſtæ, ſunt ſagittæ amoris, quas Deus vibrat adversùs nos; ipſe ſe velut exercet ad ſcopum, donec attigerit cor noſtrum, ut nos reddat ſimiles ſibi per paſſiones: & ſicut eſſet injuriam irrogare homini, qui rectà in ſcopum collineavit, eripere ei deſtinatam metam, in quam directo limite contendebat; ſic eſſet Injuria Deum afficere ac ab afflictionibus declinare velle. Aliquando unus è ſocijs Seraphici Patris mei D. Franciſci, petebat ab eo, ut Deum oraret ad hoc ut ipſum liberaret ab afflictionibus, quibus erat impetitus. Sed Seraphicus iſte Patriarcha reſpondit ei, Frater mi, niſi certus eſſem de tua ſimplicitate, imponerem tibi ſeveram pœnitentiam. Sed dicetis mihi etiam, Si Deus amat Juſtos, & vult eos reddere ſibi ſimiles; in quonam cognoſcitur amor illius erga eos in iſta vita? Signum quòd aliquis ametur ab alio, eſt, ſuſcipere favores ab illo: quòd autem Juſti nedum recipiant à Deo favores, è contra non ſuſcipiant ab eo niſi afflictiones, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire r?* Hujus amor non tribuit niſi fiduciam, & non cauſat niſi afflictiones illis, quos unit ut eos ſibi prorſus efficiat ſimiles. Cùm eſſet aliquando Cambyſes Perſarum & Medorum Rex cum aliquo ex Aulicis ſuis, petivit ab eo quidnam diceretur de ſe. Sacra Majeſtas, reſpondit adulator ille, tu non habes niſi magna conſilia, non poſſunt dici niſi mirabilia de te. Cùm autem Cambyſes illum habuiſſet obvium in alia occaſione, ut illum denuò interrogaret, hic Aulicus ei reſpondit ingenuè, Totum id, de quo vituperaris, eſt, quia æquo liberiùs vino deditus ſis. Tunc Cambyſes reſpondit illi, Scito quòd vinum æquè parùm turbavit unquam mentem meam, ac manum meam, ſicut experiêris: perge itaque, & adduc mihi huc filium tuum. Cùm autem veniſſet filius ejus, ipſe præcepit afferri ſibi vinum, & cùm multum bibiſſet, cepit arcum ſuum, & ejaculatus eſt ſagittam in cor pueri. Abſtrahendo ſævitiam ab hac hiſtoria, *Jeſus interrogabat diſcipulos ſuos, dicens, Quem dicunt homines eſſe Filium hominis s?* Ipſe voluit ſcire in quanam æſtimatione eſſet ipſemet apud homines. *Et excitatus eſt tanquam crapulatus à vino t.* Ipſe eſt velut homo ebrius, ſed ebrius vino amoris, quod vinum non impedit quin ipſe rectà ſagittas ſuas vibret in corda amicorum ſuorum, quos reddit ſibi ſimiles per afflictiones, *Amor aut pares invenit, aut facit,* ait proloquium commune. Res inuſitata, quòd cùm Deus ſit impaſſibilis, *Non accedet ad te malum, & flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo u,* paſſibilitas quæ eſt illi contraria, nos accedere faciat ad illius Divinitatem. Afflictio igitur nos reddit conformes & ſimiles Deo. Quod non ignorabat Patriarcha Joſeph, cùm venit pater ipſius Jacob in Ægyptum, ubi erat ipſe Protex Pharaonis, ad ipſum viſitandum: *Miſit autem Judam ante ſe ad Joſeph, ut nunciaret ei, & ille occurreret in Geſſen. Quò cùm perveniſſet, juncto Joſeph curru ſuo, aſcendit obviàm patri ſuo ad eundem locum: videnſque eum, irruit ſuper collum ejus; & inter amplexus flevit. Dixitque Pater ad Joſeph: Jam lætus moriar quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* At

ille

n Iſai. 22. 18.
o Calep. in dictiõ. V. Manlius.
p Apoc. 3. 19.
q Matth. 25. 46.
r Joan. 6. 60.
s Matth. 16. 13.
t Pſ. 77. 65.
u Pſ. 90. 10.

ille lotutus eſt ad fratres ſuos, & ad omnem domum patris ſui, Aſcendam, & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei; Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terrâ Chanaan, venerunt ad me: & ſunt viri paſtores ovium, curamque habent alendorum gregum: pecora ſua & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt ſecum. Cùmque vocaverit vos, & dixerit, Quod eſt opus veſtrum? Reſpondebitis: Viri paſtores ſumus ſervi tui, ab infantiâ noſtrâ uſque in præſens, & nos & patres noſtri. Hæc autem dicetis, ut habitare poſſitis in terrâ Geſſen: quia deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ovium x. Sed, Auditores, eſtne neceſſarium ut fratres Joſeph; incurrant inimicitiam Ægyptiorum? Oportetne ut ſint eis odio antequàm cogniti ſint ab illis? Quænam proveniet utilitas Joſeph ex eo quòd patrem ſuum & fratres ſuos malè excipiendos & affligendos exponat? Nulla alia, niſi ut cuſtodiat eos in humilitate. Si perveniſſent ad Curiam Pharaonis, ut pauperes peregrini, ſtipem oſtiatim emendicantes, non indigniſſent alio momento & pondere, cujus interventu ſe cuſtodiviſſent in humilitate: nunquam enim ſuperbia, magna conſtruit ædificia ſuper miſeriam, & ſuper paupertatem: ſed cum illuc veniant, ut magnificentur, & promoveant fortunam ſuam, & ſciant quòd ibi Joſeph eſt Prorex & amicus Regis Pharaonis, qui expectat ipſos, ut tribuat ipſis optimam & fertiliſſimam terram Regni, cum multis alijs favoribus & commodis; *Dixitque ad Joſeph ut imperaret fratribus ſuis, dicens, Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem veſtrum & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ y:* timendum erat, ne vanitas ipſos abriperet, & ipſi perirent, ſibi complacendo nimis in tanta fortuna. Propterea Joſeph, qui prævenire vult hoc periculum, & ſubminiſtrare eis humilitatis exercendæ materiam, judicat convenire, ut dicat Pharaoni, eos eſſe paſtores, ad ſuſcitandum adversùs illos odium Aulicorum, & ad impediendum hoc modo profectum fortunæ eorum. Et inde intelligimus veritatem prædictionis, quam fecit Iſaac filio ſuo Eſau natu majori, cùm filius iſte urgebat ipſum ut ſibi daret benedictionem, ſicut & jam benedixerat Jacob, *Cui Eſau: Num unam, inquit, tantùm benedictionem habes, pater? mihi quoque obſecro ut benedicas. Cùmque ejulatu magno fleret, motus Iſaac, dixit ad eum, Vives in gladio, & fratri tuo ſervies z.* Sed in quânam re Eſau ſervivit fratri ſuo natu minori Jacob, ut veram redderet hanc prædictionem, cùm ſciamus quòd ſemper eum perſecutus fuerit? *Oderat ergo ſemper Eſau Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater: Dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum a.* Præterea, *Reverſi ſunt nuntij ad Jacob, dicentes, Venimus ad Eſau fratrem tuum, & ecce properat in occurſum tuum cum quadringentis viris. Timuit Jacob valdè: & perterritus diviſit populum qui ſecum erat, greges quoque & oves & boves & camelos in duas turmas, dicens, ſi venerit Eſau ad unam turmam, & percuſſerit eam, alia turma quæ reliqua eſt, ſalvabitur b.* Volebat igitur Eſau illum occidere; & ſi non aggreſſus eſt eum, ideò quia Jacob obtulit ei munera: *Dixit enim: Placabo illum muneribus c.* In quânam re igitur Eſau ſervivit fratri ſuo Jacob? In eo quòd perſecutus eſt eum: nam id quod utiliſſimum eſt Juſtis, eſt perſecutio & afflictio, quæ reddit illos ſimiles Deo. Infortunium fuit Eſau, quòd eſſet perſecutionis illius inſtrumentum, nam ipſe ſemper plùs invehebat ſuper ſe iram Dei, & maximum bonum erat Jacob, videre ſe ſic impetitum perſecutione: *Quia major ſerviet minori d,* ſicut ſcriptum eſt: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui e,* refert D. Paulus f. Ut cùm videret Jacob, quòd ita faveret ſibi Deus, ut ſe poneret velut in feneſtrâ cœli, ut videret ipſum dormire in itinere ſuo *in Meſopotamiam Syriæ,* & tenderet ipſi *ſcalam g* ad aſcendendum illuc, ſi vellet: cùm ſe cerneret ſic potentem ut luctaretur cum ipſomet Deo in perſonâ Angeli, ſic ut ipſemet Deus videretur ab ipſo veniam petere, *Dimitte me h:* & priuſquàm luctaretur cum Deo in perſonâ Angeli, quandiu abiret *in itinere quod cœperat,* intueretur quòd eſſent *ei obviàm Angeli Dei i:* ipſe recordaretur quòd frater ſuus Eſau perſequebatur ipſum ad mortem: ad hoc ut ipſe ſale miſceret dulcedines ſuas: nunquid non erat magnum ſervitium, quòd frater ipſius reddebat ipſi, cùm hoc modo contineret ipſum intra terminos humilitatis, & cognitionis ſui ipſius? *Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valdè eum timeo k,* ajebat ipſe, Deum alloquens.

x Gen. 46. 28. &c.
y Gen. 45. 17. &c.
z Gen. 27. 38. &c.
a Gen. 27. 41.
b Gen. 32. 6. &c.
c Gen. 32. 20.
d Ex Gen. 25. 23.
e Ex Malach. 1. 2. & 3.
f Rom. 9. 13.
g Gen. 28. 6. &c.
h Gen. 32. 26. &c.
i Gen. 32. 1.
k Gen. 32. 11.

Deus apprimè ſcit, Auditores, modum reddendi nos ſimiles ſibi, & alligandi nos obſequio ſuo; & non æſtimat ſic congruentes huic rei favores ſuos, ac afflictiones quas mittit ad nos, *Domine, in anguſtiâ requiſierunt te,* dicit Iſaias l, Deum alloquens. *In tribulatione ſuâ manè conſurgent ad me,* ait ipſemet per Oſee m. *In tempore afflictionis ſuæ, dicent: Surge, & libera nos,* inquit Jeremias n, loquens de afflictis qui tunc recurrent ad Deum. Et Pſalmiſta o loquens de illis qui obliviſcuntur Dei, & de relinquunt obſequium ejus in honoribus & proſperitatibus mundi, rogat eundem Deum, ut mittat ad eos pudorem & infamiam, ad hoc ut redire faciat illos ad ſe, & inducat eos ad implorandum Divinum ipſius auxilium, *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine.* Cùm afflictiones ſint veræ notæ filiorum *Dei*, quæ nos diſponunt ad poſſidendam aliquando hæreditatem gloriæ: *Si compatimur, ut & conglorificamur p.*

l Iſai. 26. 16.
m Oſee 6. 1.
n Jer. 2. 27.
o Pſ. 82. 17.
p Rom. 8. 17. &c.

IN FESTO S. BARBARÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. Joan. 5. 17.

SAlvator noſter, *qui eſt imago Dei inviſibilis a*, *cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus b*, aſſerit ſe operari ſimul cum Patre ſuo, cum quo unam & eandem habet naturam, ſicut ipſemet ait, *Ego & Pater unum ſumus c*. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum *d*, *Ego ſecundùm naturam Verbi, & Pater unum ſumus, hoc eſt, eſſentialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo, unum, vocatur eſſentiæ unitas individualis, non generica ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ.* Sicut autem habet eandem cum illo naturam, ſic & eidem cum illo potentiæ communicat: *Neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis*, ait D. Auguſtinus *e*. Propterea dicit ipſe per eundem Carthuſianum *f* poſt Evangeliſtam noſtrum, *Pater meus cœleſtis & naturalis, uſque modò operatur, id eſt, à principio mundi uſque in præſens, imò & uſque in ſempiternum indeſinenter agit in rebus, totum univerſum in eſſe conſervando, gubernando, corrupta reſtaurando. Et ego operor, ſicut & Pater, imò eadem quæ Pater, quia indiviſus ab illo in natura & opere.* D. Barbara dicere poſſet aliquo modo idem, *Pater meus uſque modò operatur* rabie & ſævitia ſua, *& ego operor* dilectione & reverentia mea. Certamen amoris & odij, quod terminatum eſt *in utero g* B. Virginis Mariæ, quæ eſt *Mater pulchræ Dilectionis h*, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave i Maria*.

a Coloſſ. 1. 15.
b Hebr. 1. 3.
c Joan. 10. 30.
d Dion. Carth. art. 27. in Joan. 10. 30.
e D. Aug. in Enchirid. c. 38.
f Dion. Carth. art. 13. in Joan. 5. 17.
g Luc. 1. 31. ex Iſ. 7. 14.
h Eccli. 24. 24.
i Luc. 1. 28.

Subſcribo ſententiæ illius Philoſophi, qui dicebat, quòd ipſe non erat in mundo, niſi ad contemplandam pulchritudinem luminis. Sic ipſum, eſt miraculum mundi, & id quod eſt in eo excellentiſſimum: & ſi David *k* vult cognoſcere Deum, & nobis illum repræſentare, non valens illum comprehendere quoad eſſentiam ſuam, quippe qui eſt *incomprehenſibilis cogitatu l*, deſcribit eum nobis indutum lumine, dicens quòd eſt *amictus lumine ſicut veſtimento. Hoc eſt, ſic in templo clarus ac fulgidus es, ac ſi lux eſſet veſtimentum te omnino operiens, ita quòd nihil tenebroſitatis in te invenitur, juxta illud, Deus lux eſt, & tenebræ non ſunt in eo ulla m*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *n*, Deum poſt Pſalmiſtam alloquens. Lux eſt prima productio, & primum opus Dei ad extrà, *Dixit Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux o*. Lux eſt ornamentum naturæ, decus gratiæ, & ſplendor gloriæ. In natura, interventu luminis æſtimamus omnes illius effectus: ſi pictor tabellam pingit, oportet ut in ea ſit lumen, requiritur ad illam lux, alioquin tabella non emicabit: in hoc ſitum eſt ſtudium pictoris. In gratia, lux neceſſaria nobis eſt ad hoc ut cognoſcamus id quod agere debemus, propterea Dei Filius nobis exhibetur in eâ, prout *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt p. Id eſt, illuminat lumine gratiæ omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, omnem qui illuminatur gratia ſpirituali, quam nullus ſortitur, niſi à Filio. Quia gratia, id eſt, liberatio à peccatis, juſtificatio generis humani, ſupernaturale donum Spiritus S. perficiens animam, eamque Deo acceptam, & ad promerendum idoneam faciens, per Jeſum Chriſtum facta eſt. Chriſtus namque ut Deus, cauſa eſt principalis atque efficiens gratiæ hujus: ſed ut homo talis, eſt cauſa inſtrumentalis ac meritoria ejus*, ſubdit præfatus Carthuſianus *q*. Et in gloria requiritur lumen ad roborandam virtutem noſtram, quæ nimis infirma foret ad videndum Deum ſine hoc auxilio, *In lumine tuo videbimus Lumen r*. Sicut neceſſarium eſt ſpeculum ad videndum vivacitatem corporis noſtri, ſplendorem oculorum noſtrorum, & majeſtatem frontis noſtræ: ſic lumen requiritur ad hoc ut cognoſcamus & admiremur opera naturæ, gratiæ, & gloriæ: atqui ſicut lumen eſt ornamentum naturæ, dico etiam quòd charitas eſt id quod vehementer micare facit gratiam, quòd eſt ornamentum gratiæ, & lumen quod manifeſtat eam in ſplendore ſuo. Ideòque volo vobis oſtendere in favorem D. Barbaræ, Primò, quomodo fecit ipſa micare lumen è medio tenebrarum: Secundò, quomodo ipſa eduxit amorem ex odio Patris ſui: Ut concludam Tertiò per honorem, quem liberi ſuis exhibere debent parentibus. Ecce tres partes iſtius diſcurſus.

k Pſ. 103. 2.
l Jer. 32. 19.
m Ex 1. Joan. 1. 5.
n Dion. Carth. in Pſ. 103. 2.
o Gen. 1. 3.
p Joan. 1. 9. & 17.
q Dion. Carth. art. 4. & 5. in Joan. 1. 9. & 17.
r Pſ. 35. 10.

Diviſio.

I. Pars.

Lux fidei, quæ eſt conſenſus, quem præbemus Deo quoad id quod ipſe requirit ab obedientiis noſtris, ut ait D. Thomas *s*, *Quòd fides imperat aſſenſum intellectus ad id, quod creditur*, duo ſupponit, nimirum revelationem; & ut res, quam credere debemus, ſit credibilis. Revelatio cum fide eſt qualitas infuſa, res revelata, & oportet ut intellectus noſter flectatur ſub conatu manus omnipotentis Dei quoad id, quod exigit ipſemet à nobis: *In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia*, dicit Apoſtolus, ſcribens Corinthijs *t*. Revelatio igitur debet eſſe certa: propterea Deus noluit ut fides penderet ab oculis, quia deceptu faciles ſunt inter omnes ſenſus: ſed ſicut fides debet eſſe certa, procedens à

s D. Tho. 2. 2. q. 1. a. 4. in corp.
t 2 Cor. 10. 3. &c.

Deo

Deo qui eſt prima & ſumma *Veritas w*; ſic exire facit eam ex auditu, qui minùs eſt obnoxius errori: *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti* x. Atqui ibi ſunt tenebræ: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* y. Et inde procedit iſta lux fidei, quæ nos illuminat ad credendum, & ad tribuendum aſſenſum noſtrum: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu*, Dicit D. Paulus z. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus a. *Quoniam Deus, trinus, ſimplex, atque omnipotens, qui dixit, id eſt, interiori verbo fecit de tenebris, id eſt, poſt tenebras, vel de tenebris, id eſt, de materiâ obſcurâ, lucem ſenſibilem ſplendeſcere, id eſt, inchoativè oriri: Unde dicitur in Geneſi* b, *In principio creavit Deus cœlum & terram: & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: Dixitque Deus, Fiat lux: & facta eſt lux: illuxit in cordibus noſtris, id eſt, lumen fidei, atque Divina ſapientia, mentibus noſtris infudit. Ad illuminationem ſcientiæ claritatis* Dei, *id eſt, ad hoc ut nos illuminemur ad cognoſcendum claritatem, id eſt, nobilitatem, ſeu excellentiam Dei. Vel, ad illuminationem, &c. Id eſt, ad hoc ut alios doceamus de notitiâ claritatis Dei, id eſt, perfectionis* Divinæ: *illuminationem, inquam, ſcientiæ tendentis in faciem Jeſu Chriſti, id eſt, dirigentis nos ad veram Chriſti notitiam, quâ eum agnoſcimus eſſe Deum & hominem. Facies autem notitiam ſignificat, quia per faciem unuſquiſque potiſſimùm cognoſcitur.*

Eccleſia exivit è tenebris crucis montis Calvariæ, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*, ait D. Auguſtinus c. Et Jeſus Chriſtus in eclypſi ſuâ fecit ampliorem lucem, *Et lux in tenebris lucet* d. Ille illuminavit bonum Latronem e, milites, & carnifices ſuos. Lumen exit è tenebris: è tenebris peccati Deus oriri facit lumen gratiæ. Videte hoc in Saulo: *Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco. Et ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere f?* D. Barbara naſcitur in civitate Nicomediâ, in quâ nihil erat præter tenebras idololatriæ: & inde Deus exire facit lucem fidei, quæ illam illuminat. Sed quis eam poterat edocuiſſe myſteria noſtra? Nulli erant ibi Chriſtiani, vel ſi aderant aliqui, hi erant onerati vinculis, jacentes in ergaſtulis: oportebat ut Deus ad eam mitteret aliquem Angelum, ut ferviret ei vice Magiſtri, vel ut edoceret ipſemet illam interventu revelationum.

Secundò, Fides & veritas revelata, debet eſſe credibilis. Hæc eſt ſecunda res, quam D. Thomas requirit in fide. Si enim non eſſet credibilis, intellectus renueret ei ſe ſubmittere, non ſecus ac ſi diceretur, quòd Pater æternus habet duos Filios: hoc eſt impoſſibile, quia non eſt credibile. Hoc non eſt poſſibile: nam cùm Filius ſit productio intellectus Patris, Pater producit ipſum cognoſcendo ſe g: & ſicut in hâc productione Pater exhaurit totum ſuum intellectum, ſic communicat ei totum quod ipſe eſt, ſicut canit Eccleſia.

Totus in Verbo Pater.

Si eſſent duo Filii, requirerentur ad hoc duo intellectus, quod eſſe non poteſt. Sic non ſunt duo Spiritus ſancti: Spiritus ſanctus procedit per viam voluntatis h: cùm unicus ſit intellectus Patris, non eſt etiam niſi unica voluntas Patris & Filii, & ſic unus Spiritus ſanctus. Oportet ut id, quod revelatur, ſit credibile, ſicut eſt myſterium Incarnationis; quòd puella ſit Mater & Virgo ante partum; in partu, & poſt partum i, hoc, eſt effectus omnipotentiæ Dei: credibile eſt, quòd humanitas ſancta Jeſu Chriſti ſubſiſtat in perſonâ Verbi, *Verbum caro factum eſt k*. Deus poteſt iſtud facere: hoc eſt credibile. Atqui dico quòd D. Barbara credit id, quod ipſa credere non poterat, nec debebat. Ipſa non poterat hoc credere, cùm eſſet in civitate Nicomediâ, quò tota idololatria erat collecta, ubi fiebat cultus omnium falſorum Numinum: & tamen inter omnes iſtas tenebras ipſa, more alterius Abrahæ, *contra ſpem in ſpem credidit l*. Ipſa non videbat aliquid, quod ipſam induceret ad hanc fidem; è contrà videbatur ipſa debere perſuaderi intuitu differentis praxis, quæ ibi exercebatur: attamen ipſa credidit, & eduxit lumina è mediis tenebris iſtis. Ipſa non debebat hoc credere, cùm ſuxiſſet Religionem contrariam, quam pater, & majores ipſius profeſſi fuerant. Ipſa non debebat iſtud credere, cùm attraheret ipſa ſuper innocens caput ſuum iram patris ſui, qui facit ipſam includi in turri: & ibi *Lux in tenebris lucet* m. Pater ipſius decreverat ut ibi fuerent duæ feneſtræ: & ipſa ſategit ut ibidem fierent tres ad innuendum myſterium adorabile SS. Trinitatis. Pater ipſius præcepit ut collocaretur ibi balneum: ſed ipſa fecit ibidem alterum balneum cryſtallinum diaphanum ex originibus oculorum ſuorum, unde juges fluebant lacrymæ: iſtæ verò ſpecioſæ & præclaræ aquæ illuminabant eos, qui veniebant in hunc carcerem, ubi pater ipſius eam detinebat, ut viſitarent illam. Aquæ iſtæ producebant lumen. Iſraelitæ *cùm in Perſidem ducerentur, Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus & ſiccus: & in eo contutati ſunt eum, ita ut omnibus ignotus eſſet locus. Cùm autem præteriſſent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias à Rege Perſidis: Nepotes Sacerdotum illorum qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem: &, ſicut narraverunt, non invenerunt ignem, ſed aquam craſſam. Et juſſit eos haurire, & afferre ſibi: & ſacrificia quæ impoſita erant, juſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ipſa aquâ, & ligna, & quæ erant ſuperpoſita. Utque hoc factum eſt, & tempus affuit quo Sol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus,*

w Joan. 14. 6.
x Rom. 10. 7.
y Hebr. 11. 1.
z 2. Cor. 4. 6.
a Dion. Carth. art. 4. in 2. Cor. 4. 6.
b Gen. 1. 1. &c.
c D. Aug. conc. 4. in Pſal. 103. ex Joan. 19. 34.
d Joan. 1. 5.
e Luc. 23. 40. &c.
f Act. 9. 1. &c.
g Pſal. 7
h Joan. 15. 26.
i Matth. 1. 20. &c.
k Joan. 1. 14.
l Rom. 4. 18. ex Gen. 15. 6.
m Jo. 1. 5.

n 2. Mach. 8. 19. &c.

ita ut omnes mirarentur n. Sic lacrymæ D. Barbaræ convertebantur in lumen, quod illuſtrabat omnes eos, qui ipſam viſitabant, fidem & veritates noſtræ Religionis.

II. Pars.

Secundò, Ipſa eduxit amorem ex odio, hoc, eſt ſecundum paradoxum, veriſſimum tamen. Nam cùm haberet patrem, qui ſe reddebat ipſius Tyrannum & carnificem, & hic ipſam videret firmam & inconcuſſam in ſancto conſilio ſuo, juſſit ipſam deduci ad Præſidem Martianum, coram quo ipſam accuſavit, quòd eſſet Chriſtiana, requirens ab eo inſtanter, ut rigor legum Imperialium latarum contra Chriſtianos, exerceretur adversùs ipſam, & ad mortem ipſa damnaretur. Quæ rabies! Ipſa tamen exire facit maximum amorem ſuum ex iſto odio: diligit ipſa patrem ſuum, orat pro converſione illius, compatitur cæcitati ejus: & ſi is non convertitur ad Deum, ad preces ſanctæ filiæ ſuæ, iſtud, eſt arcanum cœli. Charitas eſt virtus propria Chriſtianis, amor diſcretionem conſtituit inter hos & idololatras: diligere amicos, virtus eſt omnibus communis; ſed inimicos amare, ad ſolos pertinet Chriſtianos. Hic amor inducit eos ad patienter omnia ſuſtinenda: non remunerantur injuriæ, quæ eis irrogantur, niſi ſanctis deſideriis & orationibus: & nunquam Martyres fuerunt magis contenti, quàm cùm paſſi ſunt in medio Tyrannorum & tormentorum, quia Deus patiebatur in ipſis, & magnâ perfundebantur in ſuppliciis ſuis conſolatione, ſicut ipſi dicunt Deo per Pſalmiſtam

o Pſ. 93. 19.

o. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Et per Dionyſium Carthuſianum p, *Id eſt, multiformiter conſolatus es me, conſolatione ſpirituali, occultâ, Angelicâ. Hoc eſt, quod dicit Apoſtolus* q, *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Et denuò* r, *Benedictus Deus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtrâ. Hinc alibi* s *quoque ſcriptum eſt, Poſt tempeſtatem, Domine, tranquillum facis, & poſt fletum exultationem infundis. Omnis nempe qui pro cauſâ honeſtâ affligitur, dummodò afflictionem ſuam æquanimiter toleret, omnemque carnalem ac vilem delectationem deſpiciat, promeretur conſolari à Domino tantò exuberantiùs, quantò abundantiùs dolet.* Sic D. Felicitas detenta in carcere, ubi expectabatur ut pareret ad hoc ut morti traderetur propter cauſam Jeſu Chriſti, clamans inter dolores puerperii, & deriſa à militibus qui ipſam cuſtodiebant, & ipſi dicebant, quòd ipſa deberet expectare clamare die ſequenti inter tormenta, quibus crucianda erat, non autem tunc quando non patiebatur ipſa niſi dolores communes mulieribus, appoſitè reſpondit, *Hodie ego patior, cras Chriſtus patietur in me.*

p Dion. Carth. in Pſ. 93. 19.
q 2. Cor. 1. 5.
r 2. Cor. 1. 3. & 4.
s ex Tob. 3. 22.

Quæritur num charitas augeri poſſit quoad extenſionem ſuam. Reſpondetur ad hoc quæſitum, quòd non; benè quidem quoad perfectionem ſuam. Quantùm ad extenſionem, ipſa poſſidet Deum: cùm autem Deus ſit infinitus, *Magnus eſt & non habet finem* t, ipſa non poteſt poſſidere nec deſiderare aliquid aliud. Ipſa eſt præcipua virtutum Theologicarum, *Fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas* u. Fides proponit, ſpes promittit, & charitas dat fruitionem: & poſſidentes Deum, habemus omnia; alioquin deſunt nobis univerſa: *Domine, feciſti nos ad te: & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*, dicebat D. Auguſtinus x, Deum alloquens. Et ante eum Pſalmiſta y, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Charitas habet duos effectus: ipſa replet intellectum luminibus, nobilitat animam, & ditat illam omni eo quo ipſa indiget ad perfectionem ſuam: & ſatiat omnē affectum quo hæc anima duci poteſt erga aliquid, non habens aliquid amplius deſiderandū. D. Barbara duos habet iſtos effectus charitatis: ipſa eſt contenta in mente ſua, & in voluntate ſua per poſſeſſionem Dei ſui, *Qui replet in bonis deſiderium tuum*, ait David z, animam ſuam alloquens. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus a, *Id eſt, rationabilem tuum affectum ſeu piam orationem ad actum perducit, dando tibi quod cupis & poſtulas. Omnis enim qui petit, accipit. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus* c. *Et, Nihil deeſt timentibus eum* d. *Nunc itaque implet Deus deſiderium noſtrum gratiâ atque virtutibus, non ſimpliciter, nec plenè, ſed ſecundùm modum vitæ præſentis. In patriâ verò implebitur ſimpliciter atque perfectè, juxta quod dictum eſt, Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

t Baruch. 3. 25.
u 1. Cor. 13. 13.
x D. Aug. lib. 1. Conf. c. 1.
y Pſ. 16. 15.
z Pſ. 102. 5.
a Dion. Carth. in Pſ. 102. 5.
b Luc. 11. 10.
c Pſ. 9. 38.
d Ex Pſ. 33. 10.

Prætereà, Quæritur num omnia miracula, quæ ſancti fecerunt, ſint magna. Reſpondetur ad iſtud, quòd ex parte illius, qui ea facit, qui eſt Deus, cùm ſancti non ſint niſi inſtrumenta illius, dici poſſunt magna: ſed quoad ipſa, parva ſunt: Quin imò & ipſa miracula à Jeſu Chriſto peracta immediatè, quia non ſunt perpetua & continua: filia Jairi Principis Synagogæ e, filius viduæ Naim f, & Lazarus g ab illo reſuſcitati, ſuſceperunt vitam, quam debebant denuò perdere: & ſic de aliis curationibus, cæcorum h, mutilorum ſeu claudorum i, mutorum k, ſurdorum l, leproſorum m, & paralyticorum n, quæ non erant perpetuæ: ſed miracula D. Barbaræ magna ſunt, quia perpetua ſunt: nam per æternitatem in cœlo animæ ſalvatæ interventu precum illius erunt beatæ: & ſicut appenduntur in ſacellis Sanctorum, tabellæ miraculorum; ſimiliter in cœlo iſtæ animæ erunt veluti tabellæ æternæ miraculorum à D. Barbara patratorum. Jeſus Chriſtus dixit aliàs, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet* o. Quodnam eſt opus maximum Dei? Sanè non creatio mundi, ſed juſtificatio peccatoris, *Quæ opera, niſi ut ex impio juſtus fiat? Et majora horum faciet, quorum obſecro? Nunquidnam omnium operum Chriſti majora facit, qui cum timore & tremore ſuam ipſius ſalutem operatur* p? Subdit D. Auguſtinus q. Iſtud eſt quod lætificat Angelos, *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* r. Qualis gloria D. Barbaræ propter tot converſiones miraculoſas, cùm Deus ipſa fuerit uſus ut inſtrumento ad operandam ſalutem tot animarum. Miraculum continuum, cùm ipſa ſemper oret, & jugiter faciat converſiones miraculoſas per ſanctas mortes, præſervans ab eis quæ ſubitaneæ ſunt & improviſæ: favor qui fuit ipſi conceſſus ob petitionem ſeu ſupplicationem, quam ipſa Deo propoſuit antequàm moreretur.

e Matth. 9. 25.
f Luc. 7. 14.
g Joan. 11. 43.
h Matth. 9. 29.
i Matth. 21. 14.
k Matth. 9. 33.
l Marc. 7. 34.
m Matth. 8. 3.
n Joan. 5. 8.
o Joan. 14. 12.
p Ex Philip. 2. 12.
q D. Aug. tract. 72. in Joan. 14. 12.
r Luc. 15. 10.

Ad confirmationem iſtius veritatis, Sacerdos quidam, nomine Theodoricus, refert inſigne miraculum, quod ipſe ſe vidiſſe teſtatur anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo in civitate Gorgâ in Hollandiâ, de quodam viro, qui didicerat, quòd omnes illi, qui honorabant D. Barbaram in vitâ ſuâ, non priùs morerentur, quàm muniti forent ſanctis Eccleſiæ Sacramentis. Pius iſte vir, nomine Henricus, fuit impetitus igne, nedum poſſet ullo modo exire domo, ubi circumquaque flammis erat circundatus, & liberare corpus ſuum, quod ardebat in medio: ſed id quod ipſum plùs cruciabat, non erat videre quòd vivus combureretur, ſed quòd Sacramentis Eccleſiæ deſtitutus moreretur. Ad has redactus anguſtias, recordatus eſt D. Barbaræ, invocavit eam, & imploravit auxilium ejus, non ad hoc ut ipſum liberaret à morte, ſed ut mediis intercesſionibus illius, ex iſto mundo diſcedere poſſet Sacramentis munitus. Confeſtim autem apparuit ei D. Barbara, quæ extinxit flammas, opponens eis pallium, & eduxit illum ex eo incendio, dicens ei, quòd propter devotionem quam ipſe ſibi teſtatus erat, Deus prolongaverat ipſi vitam uſque ad diem craſtinam manè, ut daret ipſi tempus faciendi bonam Confeſſionem, & ſuſcipiendi ſacrum Viaticum, & Extremam Unctionem. Quod factum eſt, licèt corpus iſtius viri ſic vehementer eſſet combuſtum, ut à pedibus uſque ad caput videretur potiùs homo aſſatus, quàm vivens. Et ipſe narravit illis, qui accucurrerunt ad videndum hoc miraculum, gratiam quam ipſe ſuſceperat à Deo per intercesſionem D. Barbaræ, animans eos ut eſſent ei devoti, & ſervirent Deo, qui ſalvaſe voluerat ipſum hâc viâ. Sacerdos prædictus, qui excepit ipſius Confeſſionem, recenſet hoc miraculum.

Martyres patiuntur in carne ſuâ, quam oderunt ut hoſtem capitalem; ſed D. Barbara patitur in carne patris ſui, quem ipſa diligit. Sed quis amor D. Barbaræ erga patrem ſuum? Philoſophi dicunt, quòd eædem diſpoſitiones, quæ erant in corruptione, reperiri debent in novâ generatione, ut in igne: ſiccitas enim quæ eſt in ligno, reperitur in igne: Sed hìc ſedet odium; & hinc egreditur amor, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis* ſ. Spiritus ſanctus eam poſſidebat, ipſa replera erat charitate erga patrem ſuum, qui ipſam malè excipiebat. Ipſa ſimilis fuit Filio Dei, qui fuit objectum iræ Patris ſui, qui ipſum tradidit morti, *Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* t. Et ex hoc odio patris ſui, D. Barbara fecit exire amorem, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat,* ait Dionyſius Carthuſianus u. Pater ipſius, erat motivum pœnarum ipſius, ſicut erat objectum amoris ipſius: videns ergo D. Barbara patrem ſuum tenebris erroris & idololatriæ involutum, ipſa multâ cruciabatur pœnâ intuitu ſtatus deplorandi ad quem redactus erat miſer iſte pater ipſius, & hæc pœna quam ipſe inde experiebatur, erat ipſi doloroſior illâ pœnâ quam infligebat ipſi idem pater ipſius, qui propriâ manu caput ipſius amputavit. Ipſa tamen amore proſequitur patrem ſuum, ſicut & reverentiâ, hoc autem eodem modo liberi ſe gerere debent erga parentes ſuos. Et hoc nobis ſupereſt videndum.

ſ Rom. 5. 5
t Rom. 8. 32.
u Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12. 34.

Dei Filius fecit in vitâ ſuâ quinque ſpeciales actiones humilitatis & obedientiæ recenſitas in Evangelio. Prima, fuit in nativitate ſuâ, cum ipſum Mater ſua *peperit, & pannis eum involuit, & reclinavit eum in præſepio* x, quaſi verò perdidiſſet ipſe libertatem ſuam propter amorem noſtrum. Secunda, fuit in circumciſione ſuâ, *poſtquàm conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur* y, ubi paſſus eſt ipſe confuſionem, & dolorem. Confuſionem, ſumens ibi characterem probroſum peccatoris infamis, *in ſimilitudinem carnis peccati* z, æquè ac *formam ſervi accipiens* a in nativitate ſua. Dolorem, cùm gladio lapideo præciſa fuerit ipſi pars corporis ipſius tenerrima. Tertia, fuit in præſentatione ſua in templo, & in purificatione Matris ſuæ, quæ præ humilitate abſque exemplo ſubjicere ſe voluit legi mulierum immundarum, licèt eſſet ipſa *tota pulchra* b, & obtulit ipſummet Filium ſuum ut victimam expiatricem peccatorum omnium hominum, *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm legem Moyſi* c, *tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino* d. Quarta, fuit in eodem templo, ubi cum humilitate audivit doctrinam Doctorum legis circa puncta graviſſima Religionis, & Scripturæ, *Et parentes ejus, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos* e. Ubi tamen, ſi placet, obſervabitis id, quod ait Dionyſius Carthuſianus f, *Audivit doctrinam illorum, non ut aliquid diſceret ſive profiteret, ſed ut juxta prolata ab illis, congruenter, non extraneè interrogaret, & quia inter homines converſans, humano decentique modo habere ſe debuit; itemque ut exemplum præſtaret ſimplicibus, præſertim pueris & junioribus, quatenus periti, ut Magiſtros & ſeniores audire potiùs curent, quàm docere præſumant, nec vanâ oſtentatione ſe jactent, præſertim cùm ſcriptum ſit* g, *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et iterum* h, *Nolite plures Magiſtri fieri, Fratres mei, ſcientes quia majus judicium accipitis. Itaque poſtquàm illos audivit, quæſtiones Chriſtus propoſuit, ut illos inſtrueret, atque ad Dei laudationem induceret.* Quinta, fuit cum *bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, ubi crucifixerunt eum* i milites, ut victimam innocentem ex naturâ ſuâ k, & amoroſè criminoſum l, ad mitigandam iram ſui Patris æterni exacerbati adversùs homines. Totum hoc figuratum fuit in Iſaac: non latet vos quænam fuerit generoſitas Patriarchæ Abrahæ ad volendum immolare Deo filium ſuum, in quo ipſe ſibi valdè complacebat: non ignoratis quàm prompta & cæca fuerit obedientia iſtius filii, diſpoſitioni Divinæ Providentiæ, & mandato patris ſui: *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum, Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Tulit quoque*

III. Pars
x Luc. 2. 7
y Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.
z Rô. 8. 3.
a Phil. 2. 7
b Cant. 4. 7.
c ex Levit. 12. 2. &c.
d Luc. 2. 22 &c.
e Luc. 2. 46 &c.
f Dion. Carth. 11. 7. in Luc. 2. 46
g Jacob. 1. 19.
h ex Jacob. 3. 1.
i Joan. 19. 17 & 18.
k 1. Petr. 2. 22.
ex Iſai. 53. 9.
l Iſai. 53. 6

ligna holocauſti. & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium. Cùmque duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit, Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: ubi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum, quem oſtenderet ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit, cùmque alligâſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dixitque ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me m. Utrum admirabilius eſt in hoc
m Gen. 22. 1. &c. occurſu, aut fides, generoſitas, & amor patris, aut filij obedientia mandato patris, & decretis Divinæ Providentiæ? Non pertinet niſi ad Deum ſolum imperare abſolutè creaturis; & creaturæ nullam reſpectivè debent obedientiam abſolutam niſi Deo ſoli: & ſi liberi obediunt parentibus ſuis, qui dederunt ipſis vitam, ideò quia Deus hoc ipſis præcipiat, *Honora patrem*
n Exod. 20. 12. *tuum, & matrem tuam n*: & exequendo voluntates parentum ſuorum, adimplent voluntatem Dei, qui iſtud ipſis mandat. Cùm præcepiſſet aliàs Jeſus Chriſtus ventis & mari mandato abſoluto; mare venti & tempeſtas reddendo obedientiam abſolutam, teſtimonium perhibuerunt reciprocum, quòd ipſe ſuus Creator eſſet: & Apoſtoli, qui ante hoc miraculum videbantur ambigere æqualiter & de potentiâ & de divinitate ipſius; poſt ſigna ſic ſupremæ poteſtatis, certò credunt, quòd ipſe eſt ſolus Deus, cui reddendæ ſunt adorationes & obedientiæ: *Imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes, Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt*
o Matth. 8. 26. & 27. *ei o?*

Philoſophi antiqui & moderni ſemper agnoverunt, quòd Deus nulli debet eſſe ſuum, ſicut
p Exod. 3. 14. ipſemet ait, *Ego ſum qui ſum p*. Et quòd ipſe eſt cauſa rerum omnium, & ſine principio, & quòd verum eſt, quòd creatura totum debet eſſe ſuum Deo: *In ipſo enim vivimus, & move-*
q Act. 17. 28. *mur, & ſumus q*. Quod induxit ipſos ad diſtinguendum duo entia, unum creatum, & alterum increatum. Eſt autem ſciendum, quòd Deus eſt ens per ſe, quod non eſt intelligendum poſitivè, quaſi verò iſtud, Ens per ſe, ſignificet quòd Deus ſit cauſa & productor ſuî ipſius, cùm nihil per ſeipſum fieri poſſit, eò quòd id quod fit, poſterius ſit eo per quod fit; ſed ſumendum eſt negativè, id eſt, quòd Deus non ſubſiſtit per alium: ſed creatura non ſolùm pendet à Deo in eſſe ſuo; ſed etiam in operatione & in conſervatione ſuâ, cùm dicat Philoſophia, *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*. Et imperfectio eſt creaturæ, indigere concurſu Dei ad hoc ut poſſit agere, dicente eâdem Philoſophiâ, *Ut ſe habet ad eſſe, ita & ad operari*. Et ut ſic creatura ſuas Deo reddere tenetur ſubmiſſiones & obedientias, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Domi-*
r Prov. 16. 4. *nus r*.

Filius ſuſcipit à patre & à matre eſſe, operationē, & conſervationē. Ut probemus hoc videamus illud in Deo, quomodo Pater æternus dat Verbo, quod vocamus ipſius Filium, hæc tria, eſſe, operationem, & conſervationem. Ut autem iſtud benè intelligatur, videamus quænam ſit definitio generationis: *Generatio eſt origo viventis à vivente, ex principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ*. Atqui totum iſtud reperitur in Deo, qui eſt origo vitæ, *Apud te eſt fons vitæ s*, qui eſt s Pſ. 35. 10.
vita per eſſentiam, vita ſine morte, vita æterna, Pater eſt origo vitæ, & Filius qui eſt etiam vivens, eſt pariter vita per principium conjunctum quod eſt eſſe Dei & ipſius intellectus: nam eſſe & intelligere in Deo idem ſunt: Pater ſe cognoſcens ſeipſo qui eſt eſſe ſuum, & virtute Divini intellectus ſui producit Filium ſuum in ſimilitudinem naturæ, *Qui eſt imago Dei inviſibilis t*. *Cùm* t Coloſſ. 1. 15.
ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus u. u Hebr. 1. 3.
Pater æternus eſt pictor, qui pingit in eo omnes adorabiles perfectiones ſuas: ſic ipſe vocatur *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris x*. Cùm x Joan. 1. 18.
habeat eandem cum illo naturam. Deſcendamus in naturam: Liberi ſuſcipiunt eſſe à parentibus ſuis. Sed quomodo, dicetis mihi? Videtur hoc non poſſe aſſeri, nec poſſe eſſe; quia liberi nihil recipere videntur: cùm materia prima ſemper maneat, quia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, parentes non tribuunt eam: anima eſt immortalis, ipſa procedit immediatè à Deo, & conſequenter nihil recipiunt: quòd ſi aliquid ab eis ſuſciperēt, hoc eſſet anima, æquè ac corpus: dico quòd non: benè quidem quoad equum valet iſtud, quia equo moriente totum moritur, quia cùm anima equi educatur è ſinu materiæ corporis, cùm deſcendat è corpore, equus dat corpus & animam per generationem: arbores habent fructum ſuum & granum ſuum ad conſervandam ſpeciem ſuam: Sed quomodo parentes dant eſſe? *Generatio eſt origo viventis à vivente, ex principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ*. Id eſt, eſt origo vitæ à patre qui habet vitam, & filij qui eam ſuſcipit à parentibus per principium unitum, quod eſt Deus & parentes, Deus ut cauſa prima, & creatura ut cauſa ſubalterna: in ſimilitudinem naturæ, cùm filij ſint ejuſdem naturæ & ſpeciei cum parentibus. Ecce quomodo filius ſuſcipit eſſe. Quid enim facit hominem? Non anima ſeparata, nec corpus ſeparatum; ſed ambo ſimul faciunt compoſitum: atqui per parentes hæc unio fit, & conſequenter parentes dant eſſe. Cùm dederint eſſe, dant etiam operationem, quæ eſt dependentia ab eſſe, *Ad eſſe ſequitur operari*. Si non eſſemus, non ageremus, eſſe eſt fundamentum operationis. Ipſi ſuſcipiunt etiam conſervationem per hoc principium naturæ, quòd quælibet res amat effectum ſuum, & impendit omnes curas ſuas ad conſervationem illius. Quid non videmus in natura? Leones amittunt ferocitatem ſuam erga leunculos ſuos, & præ amore privant ſe præda ſua, ut ſubminiſtrent illis alimentum quod eſt ipſis neceſſarium: Urſa eſt dupliciter mater, & ventris, & oris: Videte quomodo aviculæ excipiantur à matribus ſuis, quomodo hæ ſolicitæ ſint de providendo eis cibo: Hirundo pedibus ſuis & roſtro ſuo ædificat nidum ad enitendos pullos ſuos, poſthæc educit ipſa pennas ſuas tenuiſſimas, è quibus componat eis ſtratum, ut in eo cōmodiùs eos collocet: Sed præ omnibus gallina, cùm Jeſus Chriſtus ſe comparet ei, dicens populo Judaico, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat* y Matth. 23. 37. ex
pullos ſuos ſub alas, & noluiſti y? 4 Eſdr. 1. 30.

Sed quid ex omnibus ipſis educere volo, niſi quòd

quòd cùm liberi ſuſcipiant à parentibus ſuis eſſe, operationem, & conſervationem, ipſi debent eos honorare, exhibere eis obſequium, adjuvare illos in omnibus & per omnia, agere ſemper in eorum ſavorem, obedire illis, requirere in omnibus eorum commoda, non diſſipare eorum bona, nec illa diſponere (loquor de minoribus) interventu diſſolutionum, nec inire Matrimonia contra eorum voluntatem? In naturâ omnia operantur in ſavorem parentum: ſolus catolus viperæ naſcens mortem infert matri quæ ipſum enititur, lacerando viſcera ejus. Heu! vos eſtis veluti catuli viperæ, mortem veſtris miſerabiliter infertis parentibus, quorum viſcera lancinatis. Heu! infortunati, cùm iſto vos geratis modo, periculoſum eſt, ne malo fine pereatis. Heu! D. Barbara non ita ſe geſſit erga patrem ſuum, qui erat motivum dolorum ipſius, æquè ac objectum amoris ipſius, licèt ipſam dirè exciperet, faceret ipſam pati Martyrium, & ipſemet inauditâ crudelitate caput ipſi manu propriâ amputaret. En igitur evolat ipſa in cœlum: ito anima electa; cœli aperimini ad eam ſuſcipiendam: tot animæ, beatæ mediis interceſſionibus B. Barbaræ, occurrite ei obviæ.

z Pſ. 28. 3 &c. Sed dicamus cum David z, Auditores, pro fine diſcurſus iſtius, quòd D. Barbara eſt vox Domini noſtri, inſtrumentum quo ipſe utitur ad convertendas animas, & vocandas eas ad pœnitentiam, *Vox Domini ſuper aquas*, animas, inquam, quæ erant ſubmerſæ; ipſa orat pro eis, educit illas ex aquis quibus erant immerſæ, id eſt, è pravis ipſarũ conſuetudinibus, retribuens eis vitam, quam jam amiſerant: *Vox Domini in virtute*, ad commovendas conſcientias: *Vox Domini in magnificentiâ*, ad deprimenda hæc corda ſuperba ſignificata per cedros Libani, *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ad extinguendum in ſervis Dei ignem ſeu inflammationem iræ, & luxuriæ, perducendo eos ad refrigerium manſuetudinis, & caſtitatis. *Vox Domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades*; ad excitanda corda infructuoſa, pigra, & arida, concutiendo ea ſancto timore, ac Divino amore, ut fiant agilia, fructuoſa, & fervida. Nam Cades idem eſt ac immutata, vel ſancta. Prædeſtinati ergo, quoniam poſſunt ad tempus errare, ſed non finaliter perire, meritis B. Barbaræ, commovebuntur à Domino ad ſalutem, antequam moriantur. *Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa*, diſponendo ad currendam velociter *viam mandatorum* † Dei ſervos illius fervventes, illuminando corda eorum ad hunc effectum. † Pſ. 118. 32. Et cùm ipſa eduxerit lumen è tenebris, & amorem ex odio patris ſui, fiduciâ & devotione afficiamur erga illam, imitemur eam in mirabilibus ipſius, illuminemus tenebras peccatorum, diligamus in Deo, & pro Deo; in Deo amicos, pro Deo inimicos, exhibeamus honorem, & obſequium parentibus noſtris, ut regnare poſſimus cum eâ in gloriâ.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. ADVENTUS

PRIMA PARS ADVENTUS,

Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem; & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus; & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens; Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 1. &c.

NOn imponit id quod exterius eſt, operibus noſtris pretium, valor illorum ab intùs procedit; id quod exterius eſt, decipit ut plurimùm; itaque Deo non ſatisfit ſolis apparentiis exterioribus, ipſe non attendit ad fucata virtutis adulterinæ ſpecimina, quæ oculis illudunt hominum. Idcircò juſtitia Scribarum & Phariſæorum, quæ admirationes requirebat populorum, quæ inanes captabat aures, quæ ſeculis omnibus per futilem gloriam volebat vivere, & ſpectatorum oculos ſuſpendebat ac animos, condemnatur à Chriſto tanquam criminum conſcia, eò quod nihil haberet præter ementitæ virtutis exteriorem ſpeciem. Si verò actiones noſtræ aliquid magis præ ſe non ferant, ipſe proteſtatur, nobiſque pro infallibili jubet eſſe tenendum, ſe, niſi nos veris invenerit Chriſtianorum notis inſignitos, non admiſſurum eſſe nos ad fruitionem Regni cæleſtis, quod eſt portio eorum, qui ſeduli fuerint imitatores virtutum, quarum originalia in vitâ ipſius miramur expreſſa. *Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.* Scribarum & Phariſæorum verba erant aurea, opera verò ferrea, & contraria iis quæ ipſi aliis perſuadere intendebant, actiones ipſorum propriis non erant conformes ſermonibus: Ideò Dei Filius, qui eſt Magiſter noſter, non vult ut eorum inhæreamus veſtigiis, niſi velimus criminis ipſorum & hypocriſis nos exhibere conſcios. Cùm igitur Chriſtiani ſimus, operæ pretium eſt ut Chriſtianorum opera faciamus, & ſanctitatem noſtram incipiamus à fide, quæ fuit diſpoſitio ad myſterium ineffabile Incarnationis, Virgine Sanctiſſimâ audiente à cognatâ ſuâ Divâ Elizabeth, *Beata quæ credidiſti a*, cum priùs credidiſſet Angelo qui dixerat ipſi, *Ave Maria.* a Luc. 1. 45. & 28.

In myſtico Canticorum libro, in quo Salomon ſub diverſis deſcripſit amores animæ Sanctæ cum Deo ſuo metaphoris, juxta ſanam Doctorum interpretationem, diſcurſus iſte ſpiritualis dividitur in tres ſtatus, utpote animarum Chriſtianarum quæ incipiunt, earum quæ proficiunt, & illarum quæ perfectionem jam ſunt adeptæ. Ratio hujus veritatis in promptu eſt. Quia homines ſunt ſimiles plantæ, quæ primò floret, cùm ita ſit tenera & delicata ut vel exiguo flante vento, ſive adverſa tempeſtate tantiſper commota facilè marceſcat, & ſic aëre indiget benigno ac temperato ut poſſit creſcere & nutriri, quoadusque debitam naturæ ſuæ ſibi comparaverit ac attigerit perfectionem: ita animæ ſanctæ, quæ incipiunt ſe Deo mancipare, magna indigent ſuavitate, & non exiguo alimento, & clariori manifeſtatione operum & mirabilium, quæ fecit Deus, quàm illæ quæ jam maturæ ſunt ac perfectæ, quoniam iſtis unica ſufficit promiſſio, quæ aliis non eſt ſatis.

Ideò Sponſus diſcurrens cum Sponſâ, quæ nondum ad cumulum perfectionis erat evecta, ut illa ipſum cognoſceret, ſuosque ipſi amores conſecraret, aperuit illi omnia receptacula, ubi divitias habebat ipſe reſeratas, ut illa doceretur magnitudinem Sponſi; idcircò dicebat ipſa: *Introduxit me Rex in cellaria ſua b*. Cùm magis profeciſſet in progreſſu ſpirituali, non ait Sponſum ſibi oſtendiſſe cellaria margaritarum, ſed *cellam vinariam* †. At quomodo oſtendit ei Deus divitias, cùm longè eſſet remota à perfectione, & nunc cùm ipſam adepta eſt, monſtrat ei vinum tantùm? *Introduxit me in cellam vinariam.* Myſterium. Quando ipſa ſurrexit, incipiendo, dixit: *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, in plurali. Et nunc quando videbatur aliquid magis lucrata, ut perfectior eſſet, Sponſus oſtendit ipſi tantùm unam *cellam*. Verum eſt, ait Sponſa; ſed ultima iſta vice *ordinavit in me charitatem c*, & communicavit mihi perfectum amorem ſuum vino ſignificatum. Unde fatendum eſt, Deum oſtendere majores divitias, ut homo ipſi gratias rependat debitas, quia hoc excedit cætera omnia, iſtæque divitiæ omnes alias longiſſimè antecellunt.

b Cant. 1. 4. † Cant. 2. 4. c Ibid. 4.

Hodierna igitur die, Animæ Chriſtianæ, ſi aperiamus oculos fidei, quæ debet initium dare perfectioni noſtræ, & quæ eſt primus paſſus animæ, quo ipſa ad ſanctitatem ſibi viam parat conſequendam, videbimus profectò Deum noſtrum non excipere ampliùs nos, ſicut aliàs ipſe veteres exceperat Philoſophos, qui incipiebant ipſius notitiam acquirere; ſed ſicut populum perfectum & conſummatum Divinorum intelligentia myſteriorum: aperiebat enim Antiquis multas cellas, & diverſas illis oſtendebat margaritas & divitias magnitudinis ſuæ in abaco ſuo exaratas, monſtrans in uno loco magnitudinem Omnipotentiæ ſuæ, qua *creavit d* ſphæras cæleſtes cum motibus inter ſe ſic benè cohærentibus, & cum claritate ita admirabili, & cum effectibus exquiſitis ſic apprimè; Planetas cum influentiis ita diverſis: in alio loco elementa cum contrariis qualitatibus, & concordiam quam ipſamet Divina Potentia inter tantam conſervat diſcordiam inviolatè: in alio loco exhibuit rotunditatem terræ, plantis ſuis, & variarum ſpecierum arboribus prædivitem, tot & ita diverſis animalibus fertilem: poſteà immenſos pelagi vortices infinita ferè piſcium multitudine redundantes: deinde aperuit illis alium locum, ubi delineavit eis humani corporis fabricam, excelſam animæ rationalis nobilitatem, potentias ipſius ſpirituales, aciem intellectus, firmitatem memoriæ, libertatem voluntatis, quæ eſt privilegium naturæ ipſius ſingulare, conſtructionem & artificium molis corporeæ cum proportione omnino admirabili obſervata in materia ita fragili, ut erat terra; tot uniones oſſium, nervorum, & ligamentorum; tot venas, & tot arterias ita inter ſe diſtinctas, & ferè miraculosè diſpoſitas.

d Gen. 1. 2. &c.

Ecce diſpoſitiones & varia loca diverſorii, quibus mediantibus anima, quantumvis rudis, cognoſcere poterat Omnipotentiam & Providentiam Divinam, ſicut fecerunt Philoſophi veteres, ut aſſerit Apoſtolus *e*: *Inviſibilia ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Prætereà, Oſtendit cellas Sapientiæ ſuæ, dando legem ſuam populo ſuo Iſraëlitico *f*, ſacras illi declarando Scripturas *g*, & revelando illis Prophetias *h*, ſicut fecit in gratiam Hebræorum. Sed excepit nos ut perfectiſſimos omnium Philoſophorum veterum, & univerſorum Judæorum, & ita majori ratione anſam habemus amplam gloriandi de eo quòd, ut ſeſe nobis exhiberet cognoſcendum, non erat opus ipſi ut nobis aperiret omnipotentiæ ſuæ abdita, nec reconditæ ſuæ theſauros Sapientiæ, ſed cellam duntaxat Amoris, quo erga nos ferebatur, qui ſolus ſufficientem Divinæ Majeſtatis ipſius præbere poterat nobis notitiam, quando poſt inexhauſtum peccatorum diluvium, ſuam dignatur nobis ipſe impertiri miſericordiam, & gratiam largiri, quæ eſt principium ſanctitatis & juſtitiæ, quam exigit à nobis his verbis: *Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.* Quod inducit me ut oſtendam vobis in hoc Adventu Primò Chriſtianum in principio, per fidem, ubi explicabo vobis compendiosè quid debeat credere: Secundò Chriſtianum in progreſſu, per ſpem, circa ea quæ debet à Deo petere; Tertiò Chriſtianum in perfectione, per charitatem, ſecundùm ea quæ debet & tenetur agere; conformiter ad iſtam diviſionem, quam Theologia facit juſtitiæ, in initiativam, progreſſivam, & conſummatam. Tres partes hujus Adventus, quas hodiernâ die in genere conabor vobis enucleare.

e Rom. 1. 20. f Exod. 20. 1 &c. g Matth. 6. 1. &c. h Matth. 12. 40.

Diviſio Adventus.

1. Pars.

Communis eſt ſententia Patrum Eccleſiæ, & omnium Theologorum, gubernationem totius orbis vices debere rependere tribus præcipuis attributis, quæ in Deo inveniuntur modo mirifico, utpote Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitati. Ad producendum immenſum hunc orbem potentia requiritur; ut convenienter fiat, neceſſaria eſt Sapientia, quæ diſponat omnia, & in ordine congruo collocet univerſa; & ut hæc Potentia & hæc Sapientia reducantur ad opus, deſideratur tandem Bonitas, cui proprium eſt ut ſe libenter communicet, ut diſertè effatur D. Dionyſius Areopagita *i* his verbis, *Bonum eſt diffuſivum ſui.*

i D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

Hæ tres Divinæ perfectiones ſunt, ni fallor, hi tres digiti, de quibus loquebatur Iſaias *k*; *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtaterâ?* Et reſpondens, tacitè interrogationi ſuæ ſatisfaciendo, ait, ipſum eſſe Deum, qui tribus perfectionibus ſuis Potentiâ, Sapientiâ, & Bonitate tenet ſtateram elementorum, & omnia quæ cœlorum concluduntur ambitu, & veluti machinam terræ cum ſuis montibus, & collibus, & vallibus, ferè ſemper ſignificat abundantiam fructuum, dicens, Deum tenere in ſuis digitis maſſam terræ, ſi autem digitos ſuos aperiat, infinitis ipſum nos cumulaturum eſſe bonis. Alludens ad verba Iſaiæ Pſalmographus, cùm dixiſſet in uno loco: *Terra noſtra dabit fructum ſuum l*: ſubjungit in alio: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione m.* Et alibi etiam dicit: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate n.* Sed ad aperiendam manum hanc, ait, eos, ſuper quos fluere debent hæc bona & fructus, in ipſum ſperare, & petere ab ipſo auxilium opportunâ tempeſtate; *Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempo-*

k Iſai. 40. 12. l Pſ. 84. 13. m Pſ. 144. 16. n Pſ. 103. 28.

tempore o. Dummodò autem hoc ferantur deſiderio, ipſis procul dubio ſatisfieri, ut aſſerit Chriſtus Magiſter noſter in noſtro Evangelio: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Sed quomodo? Sufficitne tantùm eſurire & ſitire juſtitiam, ut integrè ad votum ſatiari nos poſſimus? Requiriturne aliquid amplius quàm deſiderium bonorum ut illorum, affluentiâ cupioſè, fruamur?

o Pſ. 103. 27.

Antequam ex profeſſo aggrediar explicationem trium Adventus partium ſupradictarum, rectæ rationi exiſtimavi conſonum, ut ſciretis quid ſit intelligendum per iſtud verbum, *juſtitiam*, quam eſurire & ſitire debemus, ut ea ſatiari poſſimus. Juſtitia igitur eſt nomen, quod in terminis Latinis derivatur ab iſto, jus, & jus quaſi juſſum, juſtitia & jus idem prorſus eſt ac res quæ præcepta eſt; veluti qui diceret, Jus aut Juſtitiam eſſe id, quod Deus, aut ratio naturalis, aut Lex publica nos docet, quando eſt exequendum. Unde Juriſperiti tradunt definitionem juſtitiæ, ajunt: *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi p.* Cicero *q* verò eam ſic deſcribit: *Quæ animi affectio ſuum cuique tribuens, atque hanc, quam dico ſocietatem conjunctionis humanæ munificè & æquè tuens, Juſtitia dicitur.* Et hæc virtus juſtitiæ ita ampla eſt & heroica, ut Deus appelletur abſolutè *Juſtus r.* Homo autem juſtus nominatur, quando virtutum eſt omnium ornatus ſuppellectile; & Dominus noſter Jeſus Chriſtus communiter dicitur *Sol juſtitiæ s.* Quia eſt origo fontalis, & prototypon omnis perfectionis fœcundiſſimum *t.*

p Ulpian. L. Juſtitia. ff. de Juſt. & Jure.
q Cicer. / lib. de Finib. Bon. & Mal.
r Pſ. 118. 137.
s Malach. 4. 2.
t Matth. 5. 48.

Duplex eſt autem juſtitia, humana, & Divina. Humana, per quam naturali auxilio adjuti, & lumine inſito illuſtrati videmus, & reddimus unicuique quod ipſi debitum eſt. Hæc juſtitia non poteſt perfectè obſervari, quia lumen rationis peccato Protoplaſti fuit obſcuratum, & licèt ipſa clara foret ac integra ratio, nunquam poſſet nobis oſtendere præcipua fidei noſtræ myſteria, utpote Trinitatem, Incarnationem, Euchariſtiam, &c. ut redderemus illi ſub his conſiderationibus honorem, qui ei debetur. Eodem lumine naturali non poteſt homo ſe cognoſcere: ſe enim ſanum eſſe judicat, licèt verè ægrotet peccato originali, & multis aliis infirmitatibus animæ ſit implicatus. Erga proximum naturaliter juſtus eſſe non poteſt; non enim cognoſcit, ſe pro ſalute proximi ſui in caſu neceſſitatis vitam ſuam debere profundere. Suppoſito verò quòd naturaliter cognoſceret omnia iſta debita, ea tamen nunquam ad exitum perduceret, cùm non habeat animum, nec vires ad hoc ſufficientes, eo plane modo quo claudus videt quidem quà & quomodo illuc eſſet eundum, ſed defectu crurum non poteſt; homo ære gravatus alieno videt venientem creditorem, ſed cùm non ſit ſolvendo, non poteſt ei ſatisfacere. Hanc juſtitiam habebant Judæi, qui cognoſcebant per legem bonum & malum; *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces u.* Sed lex iſta eos non efficiebat juſtos.

u Rõ. 7. 7 ex Exod. 20. 15.

Juſtitia Divina eſt illa, quæ pro fine habet pacem æternam, & ſatietatem Divinam, quæ adhuc duplex eſt. Altera enim eſt propria & naturalis Deo, per quam Pater Filius & Spiritus ſanctus ſe mutuò cognoſcunt profundiſſimâ & infinitâ ſcientiâ, ſeque amore diligunt infinito: & licèt erga creaturas ad nihilum teneantur ex debito juſtitiæ, ipſam nihilominùs inviolatè cuſtodiunt & quâdam condecentiâ, allecti duntaxat motivis ſuæ gratiæ & miſericordiæ; unde dicebat Deo Pſalmographus: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum x.* Et alibi: *Juſtus Dominus, & juſtitiam dilexit y.* Altera juſtitia, quæ non eſt eſſentialis, nec æterna, ſed potiùs derivata & participata, eſt illa per quam homines lumine irradiati naturali, & viribus deſurſum promanantibus muniti diſtinctè cognoſcunt, & exactè reddunt id, quod Deo, & proximo debent ipſi rependere; & hæc eſt propriè juſtitia, de quâ loquimur, & cujus exercitium nobis inſpirat Dei Filius, cùm ait: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra,* &c. & quam ſanè ſi eſuriamus & ſitiamus, haud dubiè beati erimus.

x Pſ. 118. 137.
y Pſ. 10. 8.

Quoad id quod ſpectat primam juſtitiam, quæ naturalis eſt, cùm non poſſit acquiri, & dato quòd eſſet acquiſita, non poſſet operari noſtram ſalutem, non eſt multum nobis curandum ut eam eſuriamus, & ad eam anhelemus: abſit enim à nobis ut deſideremus Juſtitiam Divinam, quæ reperitur eſſentialiter in Deo, hoc enim eſſet conſentire temerariæ oblationi dæmonis dicentis; *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum z.* Quæ famem intulit primis Parentibus gradus & perfectionis Dei eodem momento quo eis famem ingerebat pomi, cujus morſus infra conditionem brutorum longiùs eos depreſſurus eſſet *a.* Sed juſtitia humana derivata à Juſtitia Divina, quæ conſiſtit in cognitione & in fortitudine ſupernaturali reddendi Deo, & proximo id, quod illis debetur, & illud executioni mandandi, illa eſt, quam totis viribus proſequi, & eſurire ac ſitire debemus, ut poſſimus ingredi in Regnum cœlorum, & ſatiari ad placitum in perenni beatitudine. Hæc autem juſtitia in tria ſubdividitur membra. Ut enim aliquis ſit juſtus, primò debet eſſe in ſtatu gratiæ, & à peccato immunis, quod fit per fidem, quæ nobis infunditur in Baptiſmo *b*, ubi peccatum originale pellitur, & deletur. Prætereà, Ut conſervetur iſta gratia, ſeu iſta juſtitia, exercenda ſunt opera procedentia ab ipſa gratia, incumbendo exercitiis laborioſis, quæ merentur incrementum hujus gratiæ, ſeu primæ juſtitiæ, quod fit per ſpem, quæ eſt virtus ſupernaturalis nobis divinitùs infuſa, per quam certa cum fiducia vitæ æternæ ſperamus bona, quorum acquiſitio eſt difficilis, ut videre eſt figurativè in hoc monte, ſuper quo hodierna die Dei Filius Evangelicam prædicat doctrinam, cum mons laborem repræſentet atque difficultatem. Tertia tandem juſtitia conſiſtit in unione animæ cum Deo in hac vita per charitatem, obſervando Divina ejus mandata, quoad ipſum ſpectat, ſicut etiam & proximum; & quæ perennis eſſe debet in altera per æternitatem in unione clara & filiali animæ Beati cum Deo, quia charitas nunquam excidit *c.*

z Gen. 3. 5. & 6.
a Pſ. 48. 13. & 21.
b Jo. 3. 5.
c 1 Cor. 13. 8.

Primam juſtitiam appello Initiativam, aut incipientem : per remiſſionem enim peccati, & per infuſionem gratiæ per fidem, quæ nos introducit ad credenda Religionis noſtræ myſteria, incipit ſtatus hominis juſti. Secundam voco progreſſivam; per actus quippe virtutis, quorum exercitium eſt arduum & difficile, Chriſtianos progreditur in perfectionem ſibi convenientem, ut attingat tandem gloriam, quæ eſt ſpei ipſius terminus. Tertiam tandem dico conſummatam; per charitatem ſiquidem erga Deum & proximum, ſigillum recipit Chriſtianus, & ultimam notam totius ſanctitatis. Et ſicut in arbore tria ſunt præcipua, primum vita arboris, ſecundum accretio aut nutritio arboris, tandem fructus, qui eſt perfectio arboris: ita in animâ, ut ſit juſta, requiritur gratia, quæ eſt vita & ſanitas animæ, deinde deſiderantur actiones virium, quas operari debemus in gratiâ, quæ ſunt alimentum iſtius animæ; & tandem perfectio iſtarum actionum virtute præditarum, per charitatem quæ eſt fructus ejus. Hæ tres conditiones ſpectant ad juſtitiam, quæ eſt perfectio noſtra totalis ac integra.

Aſpirandum eſt igitur ad primam juſtitiam, mediante fide, quæ peccatori neceſſaria eſt ut poſſit negotiari cum Deo, à quo dependet hæc gratia, & cum Jeſu Chriſto qui eam meruit *d* per Paſſionem & Mortem ſuam; & recipere Sacramenta, quæ ſunt veluti pharmaca, quibus cæleſtis iſte Medicus ſuam gra-
d Joan. 1. 17.
tiam alligavit *e*. Hæc igitur fides perſuadet
e Jo. 3. 5.
peccatori, quòd Deus eſt *juſtus Judex f*. Et
f 2. Timoth. 4. 8.
quod *non eſt acceptio perſonarum apud Deum g*
g Rom. 2. 11.
Et inde procedit timor judiciorum Dei. Hæc fides illum inſtruit, Deum deteſtari peccatum
h Sap. 14. 9.
ut ſibi infenſum *h*, & inde oritur in eo ſyndereſis & deteſtatio peccati. Hæc fides illum docet,
i Pſ. 118. 68.
Deum eſſe bonum *i* non ſolùm in ſe, ſed etiam erga homines; & ſtatim in eo producitur amor & fiducia erga ipſum Deum. Tandem, Oſtendendo ei neceſſitatem abſolutam recipiendi Sacramenti Pœnitentiæ *k*, firmiter ipſe proponit illud recipere, quàm citiſſimè erit ipſi poſſibile.
k Luc. 13. 3.
Hæc eſt ipſa fides quæ juſtificat peccatores *l*, non quòd propriè iſta fides ſit ſanitas animæ : requi-
l Rom. 3. 24. &c.
runtur enim ad hoc gratia juſtificans, & aliæ plures facultates aut virtutes ſupernaturales, quæ dantur huic animæ ut habitus & inclinationes ad opera ſublimia & ſupernaturalia; ſed dicimus fidem ſolam juſtificare diſpoſitivè quoad primam inſtantiam. Idem planè eſt ac ſi decretis, famem ipſam ſatiare, quatenus ipſa eſt quæ imprimit appetentiam cibi, qui formaliter ſatiat; ſeu veluti quando dicitur à vobis; Cæſar ſolus victoriam reportavit de hoſtibus, non intenditis propterea Cæſaris milites excludere, ſed aſſeritis Cæſarem ſolum cum ſuo exercitu, nullo alio adminiculante ipſi Principe, glorioſum de hoſtibus retuliſſe triumphum : eodem modo quando dicitur fides juſtificare, hoc non impedit quin ſciamus præter fidem alia requiri, ut homo dicatur juſtus : ſed hoc innuit iſtam fidem, quæ eſt veluti cæterarum Dux virtutum, pellere è loco obſeſſo hoſtem, qui eſt peccatum, licèt vires naturales nullum poſſint ſubminiſtrare auxilium, ſoli tamen fidei tota laus tribuitur, ut dicitur de Abrahamo : *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam m*. Conſidera peccator quàm facilè poſſis recuperare
m Rom. 4. 3.
ſanitatem animæ tuæ, cùm illud unico tantùm conſtet deſiderio; & cum hoc ſolo deſiderio juſtitiæ adipiſcendæ poſſis eſſe juſtus, nunquid non ad hanc juſtitiam conaberis pervenire? Tu poteris ſatiari, oſtendendo duntaxat te eſurire, & noles eſurire, & anhelare ad hanc juſtitiam? Tu potes eſſe juſtus, credendo juſtitiam iſtam eſſe in manibus Dei, qui eam tibi vult impertiri; & tu vis peccatis & criminibus eſſe inquinatos nolens credere in virtutem illius, qui ſalutare infirmitati tuæ remedium vult applicare?

Sed proculdubio beati eritis, Auditores, ſi poſt recuperatam è manibus Dei, *qui dives eſt in mi-* II. Pars.
ſericordiâ n, animarum veſtrarum ſalutem, & ac- *n* Epheſ. 2. 4.
ceptam peccatorum veſtrorum, quibus lethaliter infirmabamini, indulgentiam, deſideretis ſecundam juſtitiam, quam vocavimus progreſſivam, quæ dicit opera bona, aut merita nova, quæ ſanctis virtutum adipiſci poteſtis exercitiis. Virtus in monte reſidet, ipſa in arduis ſita eſt, & nobis repræſentatur per hunc montem, ſuper quo hodiernâ die Dei Filius docet diſcipulos ſuos, & in eorum perſonâ omnes fideles Chriſtianos, ut ſperent pro ſuſceptis laboribus ſuis æternæ gloriæ retributionem; cùm ſpes, quæ eſt ſecunda virtus ſupernaturalis divinitùs nobis infuſa, per quam certâ cum fiduciâ vitæ bona ſperamus æternæ, habeat pro objecto res, quarum conſecutio eſt difficilis. Hoc autem innuit nobis, inter ſolas res laborioſas & difficiles quærendum nobis eſſe Deum noſtrum, & inter ardua & delitiis reluctantia, veſtigiis *o*, Salva- *o* 1. Petr. 2. 21.
toris noſtri nobis eſſe inhærendum. Ad quid enim proficeret, & cujus eſſet nobis utilitatis, ſi poſt acceptam gratiam Divinam, quæ eſt prima ſanitas ſeu prima juſtitia, quæ vocatur gratia juſtificans, unà cum tot & ferè innumeris virtutibus ſanctis, & habitibus ſupernaturalibus, quibus anima noſtra dignatione Divinæ fuit inſignita Miſericordiæ, utpote fidei, ſpei, charitatis, & aliarum plurium, in nobis omnes iſtæ virtutes remanerent deſides, & univerſa illa dona ſupernaturalia in animabus noſtris otio torperent intolerando? Quid vobis prodeſſet beneficio crurum vos eſſe donatos, & nolle incedere? quid manus accepiſſe, & nolle eas congruis applicare occupationibus? viribus præditos eſſe, & nulli vacare rei! Hoc planè eſt irridere Medicum, aut Chirurgum, & manifeſtè oſtendere vos eorum induſtria & cura non indigere; habere unde fiat facilis novorum acquiſitio meritorum, & progreſſus incompatabilis in via perfectionis; & nihilominus otio & deſidia torpere, manere (ut dicitur) manibus in crucis modum complicatis, putantes vobis ſatis eſſe, ſi ſitis in ſtatu gratiæ, & adepti ſitis animarum ſalutem veſtrarum. Scitote (quæſo) quòd *in via* Domini *non progredi, regredi eſt* †. Sed dicetis mihi, viam virtutis aſpe- † D. Bern. ſerm. 2. de Purif.
ram eſſe atque difficilem. Et hoc vobis utile, cùm ſic ſubminiſtret vobis media magis ſemper approximandi ad eum, qui medelam vobis intulit, quique conſervare & augere poteſt ſanitatem veſtram, quique pro certo nos habere jubet, eò magis nos ipſi fieri proximos, quò magis ad montem aſcendimus; & ſi velimus ipſum illuc ſequi, non aliter quàm cruce noſtra onuſtos eò debere nos aſcendere; *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me p*. Quare adhuc reluctabimini, nolentes eum ſequi, propter difficultates *p* Luc. 9. 23.
in via virtutis & perfectionis paſſim occurrentes?

Nihil

Nihil ſanè eſſet quod vos deterreret ab iſto conſilio, ſi in animum induceretis veſtrum, ad ſingulos paſſus, quos ſuper hunc aſperum montem anima veſtra graditur, ſequendo Chriſtum, ipſam perfundi novis odoribus, novis inſpirationibus, novis ſavoribus, novis conſolationibus, & novis viribus, quas ipſi ſubminiſtrat cœleſtis ille Sponſus in dulcedine Divinæ ſuæ converſationis, quæ novos debent ipſi ſemper addere animos, & vehementiores affectus ad ipſum ſequendum, & cum eo familiariter converſandum. *Beati* igitur *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Beati illi qui non contenti primâ ſanctitate animæ, quæ eſt gratia Dei, eſuriunt ſine intermiſſione perfectiorem juſtitiam; illudque teſtantur aſcendentes intrepidè montem virtutis; nam proculdubio reficientur & ſatiabuntur dulcedine colloquiorum, quæ miſcebunt ipſi cum Deo, qui docebit eos modum, quo ſuas ipſi debeant offerre preces ſupplicationeſque. Cujus rei

q Iſai. 2. 3.

certitudinem edoctus Iſaias q, nos invitat ut macti animo ſuper montem aſcendamus, aſſeverans nos ibi Dei noſtri veſtigijs inhæſuros, & Divina ejus præſentia fruituros ad delicias uſque incomprehenſibiles, dicens: *Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & ambulabimus in ſemitis ejus, & docebit nos vias ſuas.*

III. Pars.

Sed oportebitne ſemper aſcendere, & ſine intermiſſione laborare? Non diffiteor: proficuum perſæpè eſt moderatum aliquod exercitium ſuſceptũ pertractare; ſed tandem aliqua quiete fruendum eſt: mons, quantùmvis rudis & aſper, jucundus eſt, quando ingenti ſtipati hominum coronâ in eum aſcendimus; ſed voluptas eſt integra, quando in vertice montis ſpecioſa quædam planities ſe exhibet intuendam, ubi requieſcendi ad placitum materies, & refrigerij alicujus percipiendi ſubminiſtratur anſa. Ha! quod ſanè immodica dignum eſt conſideratione, Deus, qui eſt Pater & Altor animarum noſtrarum, proſpiciens perſeverantiam noſtram in bonis operibus, & laborem, quem in hôc aſcendendo exhaurimus monte rudi ac aſpero virtutis, executioni ipſius Divina tradentes mandata per charitatem, quæ cum ipſo nos u-

r 1. Joan. 4. 16.

nit in hac vita r, proponit convivium nobis paratũ ſuper ſpatioſa & immenſa planitie, quæ eſt in vertice montis, puta in cœlo Empyreo, ubi charitas erit æterna. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ s.*

s Iſai. 25. 6.

Quiſnam poterit ad tam magnificum & tam Divinum admitti convivium? Quiſnam mereri poterit numero fœlici Beatorum in menſa Dei ſine fine diſcumbentium ſociari? Quis ita potens & facultatibus prædives ut locum ſibi queat comparare inter tot Electorum agmina? Quis ita locuples ut ſibi poſſit tantillum emere cibi illius delicias omnes creatas incomparabiliter excedentis, cujus prælibatio vitam largitur ſempiternam? Vultiſne ſcire quiſnam futurus ita ſit beatus ut dulcedinem illius cibi facilè recuperare poſſit, eoque ad votum & integrè potiri? Nihil aliud ob id præter famem requiritur, & ut quis oſtendat ſe eſurire tertiam hanc *juſtitiam* perfectam & conſummatam, quæ completur in executione mandatorum Dei, quæ nos unit Deo in hac vita, &

t Matth. 22. 37. & 39.

cum proximo per charitatem t, quæ in vita gloriæ beatæ non ampliùs fidei circumvelabitur

u 1. Cor. 13. 10. &c.

tenebris u, ut erat prima, id eſt, gratia juſtificans; non iterùm implicata difficultatibus operum meritoriorum & pœnalium: neque languens in ſpe, ut ſecunda, quæ erat juſtitia progreſſiva ſeu operans, ſed juſtitia conſummata, quæ in vita altera luminibus potitur claræ viſionis Faciei Divinæ, & perfectæ poſſidet quietem voluptatis, & fruitionem ſummi Boni, ad cujus acquiſitionem ita longo tempore, ingenti anhelaverat ardore. Deus dixit aliàs Moyſi: *Ego oſtendam omne bonum tibi. Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris x.*

x Exod. 33. 19. & 23.

Iucundum exhibebo tibi omne bonum deſiderabile, ſed tantùm obſcurè, dorſum meum duntaxat perſpicies. Idem ait hodierna die ipſe diſcipulis ſuis ipſum ſupra montem aſcendentem ſequentibus, Sequimini me, venite poſt me, & aſpicite me à tergo, & cùm ad apicem perveneritis, poſtquàm rudem & aſperum virtutis montem aſcenderitis, & præcepta mea ſervaveritis per charitatem perfectam, videbitis manus meas & faciem meam, quarum intuitus eſt vos beatos penitus effecturus.

Verùm enim verò Sancti ipſi toto tempore, quo in hoc mundo ſunt converſati, non viderunt Redemptoris noſtri perſonam niſi à tergo & ab humeris, illum duntaxat inſpexerunt è latere crucis, violenter excipientes corpora ſua, & ſuas

y 1. Cor. 9. 27.

paſſiones *in ſervitutem y* ſpiritus & rationis redigentes, ut perfectè obſervarent Divina ipſius

† Pſ. 87. 16.

mandata. Viderunt Jeſum *in laboribus* † duntax-

z Joan. 19. 1. &c.

at, in flagellis, & *ſpinis z*, in cruce, & non in facie, aut in delicijs. Tres Diſcipuli tantùm viderunt eum in Transfiguratione gloria fulgentem, ſed per exiguum tempus, & deinde non erat illud gaudium completum: ibi quippe ſermo fiebat de Paſſione ipſius, & de rebus mœrorem afferentibus. *Et dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem a.*

a Luc. 9. 31. &c.

Bonus Latro Dimas vidit eum è latere tantùm, & medietatem vultus

b Luc. 23. 42.

illius b; Sed heu! hæc facies adoranda, ſputis erat fœdata, ac Sanguine operta, & manus ejus ex illo latere cruci affixa, & clave terebrata: At ſuper vertice montis, qui eſt cœlum Empyreum, Beati vident clarè hanc ſplendidam faciem meliùs quàm

c Exod. 34. 24.

aliàs Moyſes c; nihil ampliùs credunt, quippe qui totum vident; nihil ampliùs ſperant, cùm totum poſſideant; fides erat obſcura, ſpes faſtidioſa, viſio autem eſt tota clara, & poſſeſſio tota delicioſa: nam amor ſuum adeptus centrum eſt, ibi eſt unio creaturæ cum ſuo Creatore; ibi anima, quæ famelica erat, reficitur, ſic ut nunquã eſuriat; & quæ debilis erat effecta in inquirendo Sponſo ſuo, eumque ſequendo per aſpera montium virtutis & viæ ad cœlum tendentis cacumina, vires priſtinas recipit per gratiam modo ita ſingulari ut glorioſa reddatur & immortalis in cœleſti fœlicitate per ſæcula infinita.

Poſt hæc, Auditores, nunquid non eſuritis hæc tria genera juſtitiæ? Fælicitatem nonne agnoſcitis eſſe maximam, ſi quis ſit juſtus his tribus juſtitiæ initiativæ, progreſſivæ, & perfectæ ſeu conſummatæ portionibus? Si verò ad comparandas ſibi has omnes juſtitias, cuilibet ſufficit ut eas eſuriat & ſitiat, nonne vos planè exiſtimaretis beatos, ſi tali fame ac ſiti prememini concupiſcenda? Credo quòd ſic. Certus ſum autem vos mihi reſponſuros eſſe, omnes homines eſurire & ſitire.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quis autem nõ eſuriat, hic divitias, alter honores, ille verò voluptates? Heu! hæc omnia non me latent, univerſa iſta callco, ſed planè ſcientia quæ me affligit; ſed iſta omnia non faciunt ut quis eſuriat *juſtitiam*. Crederetiſne prodigum laude dignum, & fælicitate fruentem, eò quòd d Luc. 15. 16. glandes eſuriiet ac ſiliquas, & cibos porcorum *d*? Oporteret igitur illius fælicitatem fuiſſe perfectam, comedendo cibos illos immundis animalibus congruentes, & ſi in ſpurca illa fuiſſet ipſe converſus animantia. Si eſſet aliqua in corporali fame fœlicitas, illa ſaltem videretur inveniri in deſiderio veſcendi cibis Regijs, aut ſedendi in menſâ alicujus Principis. Pro certo autem habere debetis, omnia temporanea æternitati comparata, eſſe veluti cibos porcorum, quibus non poteſt ſanguis nobilis, aut ſubſtantia cœleſtis conſtitui, ſed mortalis penitus ac animalis. Honores nihil aliud ſunt niſi ventus, voluptates quàm ſomnium, divitiæ verò præter phantaſmata & imaginationes, quantùmvis autem ingens ſit fames veſtra, & quantumvis comedatis ex ijs cibis levibus & vento diſtentis, ac nullo modo ſolidis, nunquam ſa- e Pſ. 33. 11. tiabimini; *Divites eguerunt & eſurierunt e. Et divites dimiſit inanes f.* Vocabitiſne illud f Luc. 1. 52. fælicitatem? Oportet igitur ut fælicitatem conſtituatis in vento & in nihilo. Fallimini procul dubio, profectò graviter hallucinamini; fames Beatorum eſt fames juſtitiæ; ſi homo eſt adhuc peccator, beatus erit eodem momento, quo indulgentiam ſuorum delictorum, & gratiam Dei, quæ prima juſtitia eſt, ſuſcepturus eſt; eodem enim inſtanti ſatiabitur iſta gratia, & omnia ipſius peccata remittentur ipſi. Videte Regem peccatorem, qui vix dixerat, ſe hac la- g Pſ. 31. 5. boraſſe fame *g*, cùm ſtatim ſatiatur; *Dixi, Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Si jam juſtificatus eſt, beatus erit, ſi conetur h Apoc. 22. 11. exercere opera meritoria, & ſemper progredi in via virtutis; *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc h.* Sicut infans recenter natus longam vitam promittit, & ſtaturæ incrementum, ſi matris quæ ipſum enixa eſt, lac eſuriat, *Sicut modò geniti* i 1. Petr. 2. 2. *infantes, lac concupiſcite i.* Mater enim ipſius quæ nihil aliud deſiderat niſi illum videre ſtaturæ convenientis, & benè diſpoſitum, libentiſſimè illi ſua porriget ſugenda ubera. Si tranſierit hujus vitæ decurſum, & exierit ex hoc mundo in ſtatu gratiæ, fœlicitas illius adimplebitur appropiando deſiderio ardenti ad Deum viventem, qui ipſum integrè ſatiabit, ut k Pſ. 16. 15. ait ei David *k*: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et qui ait per Salomonem *l*; *Tran-* l Eccli. 24. 26. *ſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.*

Verè mundani aliquo modo iſtam *eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Nullus enim eſt qui non velit eſſe Juſtus, & bonus Chriſtianus, & potiri continuo Dei ſubſidio, & in numero Beatorum collocari, ſed iſta fames non eſt acuta, ita ut dicantur illi eſurire. Ægrotus, cui cibus in nauſeam verſus eſt, fame laborat, ſeu potiùs alimento indiget ſumendo, ſed quia videntur ipſi cibi inſipidi, non eſt in ipſo appetentia cibi, & non comedet; peccator qui non nutritur ſpiritualiter, eſt capulo mortis vicinus æternæ, ſiquidem benè ægrotat, indigeret ſanè comedere, & refici gratiâ cœleſti; & vellet eam habere, ſed faſtidioſus ipſi videtur cibus ille cœleſtis, nullam percipit ipſe voluptatem in vitá ſpirituali, nihil eſt quod ipſum provocet ad ſumendum talem cibum ſpiritualem; non comedet, & ideò morietur infælix: nam ad acquirendam fælicitatem oportebat ut ille Divinam eſuriiſſet gratiam. Unde S. Auguſtinus deplorans miſerandum animæ ſuæ ſtatum, cùm adhuc in peccatis & diſſolutionibus ſuis verſaretur, & ſe in cœno voluptatum ſuarum volutaret, dicebat, ſe, cùm à Deo remotus foret, eſuriiſſe, putà indiguiſſe gratiâ Divinâ, ſed cum iſtâ gratiâ ſe nullam ipſius ſuſcipiendæ ac hauriendæ appetentiam habuiſſe, eò quòd nullas in virtute, aut pœnitentiâ delicias inveniret amplectendâ.

Heu! Peccator non te beatum efficiet fames iſta, ſed deſiderium duntaxat capeſſendi iſtius cibi, qui poteſt tuæ fami facere ſatis. Si deſideres juſtitiam & gratiam Dei, oporret ut eam ardenter eſurias; & ſi admoveas extremum linguæ tuæ, ſeu extremitatem cogitationis tuæ ad gratiam Dei per aliquam bonam inſpirationem, quam tibi ipſi ſuggeret, ſtatim morſum illuc defigas firmo propoſito ac deſiderio te in bonam recipiendi frugem præ efficaci voluntate deſerendi peccati, ratione cujus cibus iſte tibi in nauſeam fuerat converſus: Si enim aliquando tibi arrideat, & ſapida videatur gratia Dei, quæ eſt prima juſtitia, accreſcet fames comedendo, *Qui edunt me, adhuc eſurient m*, m Eccli. 24. 29. Exercendo te in bonis operibus, ſenties incrementa virtutis & gratiæ, vires reſumes priſtinas, hoc Divino alimento ſubſidium tibi præbente ut poſſis meliùs ſuper montem aſcendere, lavans manus tuas ab omni ſpurcitiâ, purificans cor tuum à cunctis iniquitatibus, & verba tua ab universâ falſitate. *Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde, quis n*, &c. n Pſ. 23. 3. &c.

Iſtâ tandem fame benè irritata perſeverantia finali, ſedebis in menſa Dei, qui te ſatiabit in gloria ſua.

FERIA V. POST DOMINICAM I. ADVENTUS.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Matth. 5. 20.

CUm decreverim per Adventus hujus decurſum inſtruere vos ijs, quæ ad obligationem veſtram & ad debitum veſtrum pertinent, ſtatumque veſtrum, quatenus eſtis Chriſtiani, ſpectant; propoſui mihi dividere Sermones, quos habiturus ſum, in tres hebdomadas, ut poſſim docere vos omnia, quæ ſunt præciſè ſaluti veſtræ neceſſaria, quarenus veri Chriſtiani eſſe debetis, intra iſtud tempus, aut circiter, quo duraturus eſt hic Adventus. Omnis enim Chriſtianus debet ſcire perfectè quæ credere teneatur, quæ ſperare, & quæ agere. Primum docemur in Symbolo Apoſtolorum, vulgò *Credo*, ubi articuli fidei noſtræ annotantur expreſsè, quos examinabimus in hâc primâ Adventus parte. Secundum poſitum eſt in Oratione Dominica, quæ communiter dicitur, *Pater noſter*, quod videbimus in ſeconda. Tertium continetur in præceptis Decalogi, quod diſcutiemus in tertia. Ecce tota juſtitia Chriſtiani quæ incipit ex fide. Maria Virgo credidit † verbo Angeli, qui dixit ipſi, *Ave Maria.*

† Luc. 1. 45. & 28.

D. Paulus, qui altiſſimè Doctorum omnium loquitur de virtute fidei ſupernaturali, & quem ideò merito jure vocare poſſemus Orthodoxæ & Catholicæ Religionis Interpretem, definit hoc modo hanc virtutem nobis divinitus infuſam, quam profitemur in Religione Chriſtiana, & quæ eſt principium noſtræ juſtitiæ & noſtræ ſanctitatis per gratiam, quam effundit Spiritus ſanctus in corda noſtra per Baptiſmum, ut ait idem Apoſtolus *a*; *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis:* Sic, inquam, fidem definit: *Eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium b.* Hæc definitio duas continet partes. Priorem, quòd *eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum.*

a Rom. 5. 5.

b Hebr. 11. 1.

D. Thomas *c*, qui omnes Scripturæ ſacræ veritates librat *juxta pondus Sanctuarij d*, proponit hanc difficultatem ſuper definitionem fidei ab Apoſtolo traditam; Si fides, inquit, eſt virtus & habitus ſupernaturalis, & ideò qualitas & accidens, quomodonam D. Paulus vocat eam ſubſtantiam? Ipſemet reſpondet petitioni ſuæ, ſibique facit ſatis, ſic eam vocari ab Apoſtolo, quia ipſa eſt fundamentum totius ædificij ſpiritualis, & omnium virtutum, &, ut ajunt Theologi, radix & origo juſtificationis hominum; terminus Græcus, Hypoſtaſis, eſt etiam magis ſignificativus; idem enim eſt ac ſubſiſtentia, baſis, cùm fides ſit baſis ſpei, quia cùm res, quas ſperamus, non ſint viſibiles, neque ſenſibiles, cùm ipſæ non ſint præſentes, fides dat eis hanc ſubſtantiam, ſubſiſtentiam, &, ſi dici liceat, perſonalitatem, faciens ut ſuo nobis modo præſentes exhibeantur. Hæc eſt Theophylacti *e* doctrina; *Fides quidem rerum ſubſtantia eſt, quæ nondum ſubſiſtunt. Qualis eſt reſurrectio, quæ nondum fuerit, ſed fides hanc facit ut futura credatur, & hanc nobis tanquam præ oculis ponit;* confirmans intellectum, & proponens illi res, quas ſperat, ut infallibiles & veluti præſentes, eodem modo ac ſi eas tangeret, ſi eas videret, & ſi inter beata Electorum agmina in cœlo Empyreo Divinæ Eſſentiæ fruitione potiretur. Fides eſt anticipata prælibatio certa & voluntaria veritatis nondum manifeſtatæ, & in hoc ſenſu *eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* Seu, ut vertit S. Auguſtinus *f*, *Sperantium fides eſt ſubſtantia rerum.* Sicut enim anima rationalis in ſuo eſſe naturali eſt una hominis ſubſtantia; ita fides Divina quæ deſurſum nobis infunditur à Deo ut habitus ſupernaturalis & donum cœleſte, in eſſe ſupernaturali ſeu gratiæ Divinæ eſt una ſubſtantia hominum qui ſperant: ſi enim crederent futurum eſſe, ut non poſſent adipiſci & ſibi comparare id, quod totis viribus proſequuntur, & quod toto ſperant animo; proculdubio ſpe ſua exciderent; & nullus eſt qui unquam ſperaret id, quod nunquam ſe crederet eſſe poſſeſſurum. Et hæc eſt prior pars definitionis ab Apoſtolo traditæ, cùm ait: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum.*

c D. Tho. 2. 2. q. 4. a. 1.

d Num. 3. 50.

e Theophylact. lect. in hunc locum.

f D. Aug. apud Cornel. in hunc locum.

Poſterior pars definitionis, quam Apoſtolus attribuit fidei, ampliorem acquirit illi juriſdictionem, quàm prior, in qua vocat eam ſubſtantiam, & fundamentum earum, quæ ſibi ſpes proponit; hîc verò appellat illam argumentum earum rerum quæ non videntur; *argumentum non apparentium.* Quia ipſa eſt argumentum infallibile veritatum, quarum nondum habemus evidentiam; quò poſſumus reducere pœnas inferni, quæ non conſiderantur per fidem, ſed per timorem. Fides utrumque credit, ſed inquantùm conſiderat res, quas ſperamus, *eſt ſubſtantia.* Et inquantùm reſpicit illas, quas timemus, & quas non videmus, *eſt argumentum* validum magna efficacia plenum, quia cum fide deſcendit *g* homo cogitatione ad inferos, viſitaturus ibi funeſtas damnatorum manſiones, terribiles triſtium illorum locorum horrores; ibi videt impios inter ardentes flammas, à carnificibus infernalibus cruciatos, audit lamentationes, blaſphemias, & clamores miſerorum illorum, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum: ut ea quæ non conveniunt h*, facerent, dum viverent in terra: & ex illa conſideratione procedit quidam timor frigidus & glacialis, qui extinguit ignem concupiſcentiæ, & à peccato removet: quis enim auderet peccato mortali conſentire, vel perpetrare illud, cùm peccatum lethale ſequantur tot pœnæ *i*? quis legem Dei violare, cùm in æternum tranſgreſſor mandatorum Dei ſit privandus beata ipſius præſentia *k*, cujus fruitio totũ paradiſũ facit in gloria ſempiterna *l*?

g Pſ. 54. 16.

h Rom. 1. 28.

i Ezech. 18. 4. & 20.

k Matth. 25. 41.

l Pſ. 16. 15.

Fides igitur argumentatur, *Eſt argumentum*. Seu, ut legit Theophilactus, *Demonſtratio & manifeſtatio quædam incertarum rerum, nec apparentium, hoc eſt, in conſpectum non venientium; ſed fides facit ut res ejuſmodi mente ſpectemus, tanquam præſentes.* Quia exhibet veluti præſentes has omnes veritates; intuenda proponit omnia ſupplicia & tormenta, quæ peccatori minitatur Deus. Et ſicut ex exercitio virtutis, & proſecutione juſtitiæ Chriſtianæ inferuntur coronæ & mercedes *m*; ita ex amplexu vitij & diſſolutionis, quid aliud ſequi poteſt præter ſupplicia & tormenta æternalia? Ita explicat S. Auguſtinus *n*, vocans fidem *convictionem rerum quæ non videntur*, manifeſtam; argumentum quod perſuadet res intellectui, & convincit in ijs quæ non videri poſſunt, nec videntur, quia res quæ videntur, pertinent ad cognitionem, & non ad fidem. *Eſt* igitur *fides ſubſtantia* earum *rerum* quas ſperamus, & *argumentum* earum, quæ non videntur; & in hoc ſtatu eſt abſolutè neceſſaria ad operandam ſalutem noſtram, ut oſtendam vobis in priori parte hujus diſcurſus. Et in poſteriori videbitis quare fides ſit neceſſaria ad cognoſcendum Deum, & non ratio.

m Matth. 25. 35. &c.

n D. Aug. lib. 13. de Trin. c. 1.

Diviſio.]

I. Pars. Ut probemus priorem partem hujus ſermonis, & priorem veritatem, quam propoſui vobis, enucleemus; Sciendum eſt, in quâlibet operatione habendam nobis eſſe cognitionem finis hujus operationis. Et ratio iſtius eſt, Quia finis, ſecundùm Philoſophum *o*, eſt cauſa cauſarum, quæ movet agens, & eſt principium operationum noſtrarum, cùm ait: *Quid eſt igitur quod cuique bonum propoſitum eſt, niſi id cujus causâ reliqua aguntur?* Licèt enim finis ſit ultimus in executione, eſt tamen primus in intentione, & movet agens; nam ſicut ſe habent principia in ſpeculabilibus; ſic habet ſe finis in operabilibus; v. g. ſi dicatis ſervo, Abi, ſtatim reſpondet, & ſibi præceptis obtemperat ac motem gerit; ita in omnibus alijs rebus primò reſpicitur finis, quia qualiſcumque ſit finis, ſemper movet agens. Nunc autem ad propoſitum revertendo noſtrum, Viatores ſumus nos omnes in hoc mundo; *Non enim habemus hic manentem civitatem; ſed futuram inquirimus p.* Finis igitur, ad quem deſtinati ſumus, & ad quem tendere debemus, eſt Deus, non autem divitiæ, nec honores, nec voluptates: nam ſicut Deus eſt cauſa efficiens omnium rerum creatarum per Potentiam ſuam *q*; & cauſa exemplaris per ſuam Sapientiam *r*; eſt etiam cauſa finalis per ſuam Divinam Bonitatem; *Ego ſum principium & finis s.* Nam, ſicut ait D. Ambroſius *t*, *Ille qui verus eſt finis, non unius erit finis, ſed omnium.* Et Magiſter ſententiarum *u*, *Fecit Deus rationalem creaturam, quæ ſummum Bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando poſſideret, ac poſſidendo frueretur.*

o Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 7

p Hebr. 13. 14. ex Mich. 2. 10.

q Gen. 1. 1. &c.

r Sap. 8. 1

s Apoc. 1. 8.

t D. Ambr. in Pſ. 38. 5.

u Magiſt. Sent. lib. 2 diſt. 1.

Beatitudo hominis conſiſtit in cognitione Dei, quia ipſe eſt ultimus finis noſter, ideò greſſus noſtros ad illum magno debemus ardore dirigere, inſumentes ad hoc omnes vires intellectus noſtri ſimul ac voluntatis noſtræ. Ad hanc nos Deus vocat notitiam, cùm nobis ait: *Venite ad me omnes x.* Cùm igitur Deus ſit noſter finis, ſequitur debere nos eum cognoſcere; & fælicitas noſtra eò erit perfectior, quò major erit cognitio noſtra: maxima enim & ultima hominis perfectio in hâc ſita eſt cognitione Divinâ; *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum y*, ait ipſemet Chriſtus Patri ſuo. Et, *Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus z.* Vacate, per contemplationem. Et videte per cognitionem. Inde videtis cognitionem Dei abſolutè neceſſariam eſſe homini, nullum autem eſt medium ſecurius, nec melior via ad comparandam hanc cognitionem, quàm fides. Et ad majorem intelligentiam hujus veritatis, Obſervate, quæſo, cum D. Thoma †, hominem poſſe habere triplicem rerum Divinarum notitiam. Prima eſt cognitio naturæ, & illa naturali cognitione comparatur. Secunda gratiæ, & illa per revelationem Divinam mediante fide obtinetur. Tertia verò gloriæ, & hanc habemus per ipſam fruitionem ſupernaturalem, cum D. Bonaventurâ *a*; vel per viſionem ſupernaturalem, ne recedamus à D. Thoma *b*. Prima bona eſt, ſecunda melior, tertia verò optima.

x Matth. 11. 28.

y Joan. 17 3.

z Pſ. 45. 11.

† D. Tho. in 4. contra Gent.

a D. Bon. in 1 ſent. diſt. 1. a. 3 q. 2, & in 4. ſent. diſt. 49. a. 1 q 1.

b D. Tho. 1. p. q 26. a. 3. in corp.

Quoad autem id quod ſpectat ad primam viam cognitio Divina impreſſa eſt nobis eodem momento, quo eſſe cœpimus; *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine c.* Verùm enim verò rationi erat conſonum ut illa prima Cauſa, illud Eſſe *d* ſupremum, à quo omnes creaturæ dependent, ab omnibus agnoſceretur & adoraretur. Animalia permanſêre firma in diverſis ordinibus, quos ipſis conſtituit Deus ad conſervationem ſpecierum ipſorum, & illud adminiculante inſtinctu naturali, qui ipſorum phantaſias ad tales ac tales determinat operationes. Quid juſtius quàm ut perfectiores creaturæ haberent unde eum cognoſcerent; & quia hæc cognitio naturalis excedebat vires actionum ipſarum, neceſſariò decuit ut illa manus ſuprema univerſi orbis Artifex, imprimeret intellectui omnium creaturarum ratione præditarum cognitionem ſuæ Divinæ Præſentiæ & Potentiæ. Ipſa verò experientia ſenſibilem nobis exhibuit hanc veritatem, inventis quibuſdam nationibus in mundo novo viventibus ſine politiâ, ſine legibus, & ſine ullâ religione determinatâ, errantibus pecudum more per ſolitudines, eo ipſo quo vitæ Religioſæ Cultores propriam vitam libenti profuderunt animo ad converſionem miſerabilium illarum animarum ſub tyrannicâ dæmonum captivitate gementium peragendam. Statim enim atque ad effetatas illas appulſi ſunt nationes, ut aperuerunt barbaris illis populis ſuæ cauſam peregrinationis, ſeque illuc perveniſſe duntaxat eo fine ut ipſos lumine Religionis Chriſtianæ, & ſolius veræ irradiarent, quæ Deum adorat totius orbis Creatorem, qui cœleſtem largitur beatitudinem ijs qui vitio reſiſtunt, & flammis addîcit æternis illos qui merita deſerunt virtutis, qui extremo judicaturus eſt die naturam humanam, & *qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus e*; immites illi populi qui homines devorabant non ſecus ac ſi fuiſſent ipſi tigrides aut leones, ſecretiori ac Divinâ inſpiratione perciti ita transformantur, ut nihil ampliùs niſi honores deferant Viris Dei extraordinarijs iſtis, quos Prophetas appellant, magnique Numinis nuncios & legatos. Hominis animus, qui denſis ignorantiæ fuerat obvolutus tenebris, & erroris illecebris implicatus, datâ opportunâ hâc occaſione perficiendi iſtam ſecretam inclinationem Divinæ cognitionis à natura

c Pſ. 4. 7.

d Exod. 3. 14.

e Rom. 2 6.

nobis

nobis inſitam, ſe dilatat, ſe diffundit in extremas delicias, conſiderans ſe poſſe faciliori viâ aſcendere ad cognitionem ejus, è quo proceſſit. Talis eſt ordo & ſeries, quæ obſervantur ab intellectu humano, quando ad perfectiorem Dei cupit aſſurgere notitiam.

Ulteriùs progredior in hâc primâ viâ; quia utens ratione naturali, & ſe reflectens ſupra ſuas cognitiones, aſcendit à rebus ſenſibilibus uſque ad cognitionem Dei, v. g. à motu cœlorum, & à mundi creatione; & ita Philoſophi veteres Dei notitiam ſunt adepti; *Inviſibilia ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles f.* Ac ſi diceret Apoſtolus: Utimur his rebus creatis ut ad cognitionem aſcendamus Creatoris. *Inviſibilia ipſius*, demiramur attributa Divina, ſummas Dei perfectiones; Potentiam ipſius, per magnitudinem creaturarum; Sapientiam, per ordinem in quo illas diſpoſuit; & Bonitatem, in earum conſervatione; *à creaturâ mundi*, id eſt, ab homine, qui eſt particeps omnium creaturarum. Ideò dicitur in Evangelio *g*: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Super quæ verba D. Gregorius *h* ait: *Omni creaturæ prædicatur Evangelium, cùm ſoli homini prædicatur.*

f Rom. 1, 20.

g Marc. 16. 15.

h D. Greg. 1. hom. 29. in Evang.

Honor Areopagi, & magnus Galliarum noſtrarum Apoſtolus D. Dionyſius *i* oſtendit apprimè ſe hanc calluiſſe Theologiam naturalem, quam fuerat edoctus à Magiſtro ſuo D. Paulo, cùm dicit, *Eos qui de Divinis rebus diſſerant, cùm ad fingenda corpora eorum, quæ corpore vacant, veniſſent, plenè aptas, & quoad ejus fieri poteſt, cognatas eis formas exprimendo, eas quæ ex præſtantiſſimis naturis noſtris, atque iis materiâ vacantibus atque ſummis ducta eſſent, non cœleſtibus Diviniſque ac ſimplicibus naturis eas quæ in terrâ infimæ ſunt, figuras circumdare.* Fieri non poteſt, inquit Doctor ille Divinus, ut aſcendamus ad notitiam rerum ſupernaturalium, quæ ſunt in cœlis, niſi ſimilitudines exteriores & formæ apparentes rerum ſenſibilium ad eas cognoſcendas nobis tramitem aperiant, ut videntes eximiam tot mirabilium, quæ per orbem micant univerſum, pulchritudinem, credamus ea omnia, quæ in mundo demiramur exquiſita, eſſe duntaxat radios exiguos originis illius æternæ Pulchritudinis *k*, per eſſentiam poſſidentis id, quod creaturæ poſſident per participationem; imò verò ſol materialis eſt veluti ſpeculum, quo mediante Solis *l* æternitatis ſplendorem ſuſpicimus. Ità admirabatur D. Dionyſius pulchritudinem rerum ſenſibilium. Verùm enim verò nunquid non eſſet pecudum more vivere, defixos in terram ſemper oculos deprimere, eoſque nunquam ſurſum attollere? Nonne aſſereremus eum eſſe mente & judicio captum, qui oculos injiciens in magnificum aliquod ædificium, eo modo diſcurreret intra ſe? Lapides hujus palatij ſeipſis egreſſi ſunt è lapidicinis, & ſeipſos quadraverunt ut hoc componerent frontiſpicium, calx ſponte ſe ſuper iſtis collocavit lapidibus; arena ex ſe deſeruit ripam fluminis, aut littus maris, ut lapidum iſtorum cum calce faceret unionem; eodem modo ſe geſſit lignum. Qui ita ratiocinaretur, nonne pro inſano reputaretur? nunquid non expelli mereretur è numero ratione præditorum, eò quòd non agnoſceret his omnibus ultimam impoſuiſſe manum induſtrium Artificem, ſingula diſponendo? Quis igitur aſpiciens tot mirabilia, quæ cœlum & terra quotidie exponunt oculis noſtris intuenda, non dicit, niſi velit pro inſano haberi, more alterius? Verè ſpecioſa laquearia hæc deaurata, arcus iſti cærulei, hi parvi clavi argentei firmamento affixi, aſtrum iſtud lucidum quod ſuper nos circulatione movetur ita ordinatâ & ſic benè diſpoſitâ, quod tempeſtates anni tantâ metitur proportione, quod per acceſſum vitam, per receſſum verò mortem germinibus terræ commiſſis affert; hæc omnia gubernantur ab Omnipotente, qui univerſa ſummâ moderatur Sapientia. Si autem poſtquàm contemplatus fuiſſet cœlum, oculos ſuos in terram deprimeret, ibique obſervaret ordinem, quem in eâ Divina Providentia conſtituit infallibilem, proculdubio hanc Cauſam ſupremam in ipſius cognoſceret effectibus. Si attendatis aliquando Vernum tempus, quando annus primordia ſua auſpicans, in ſpe fructum Autumni nobis exhibet intuendum, quid gratum jucundo illo non obſervabitis tempore? Videbitis amœnâ illâ tempeſtate prata ridentia, ſpecioſo operta tapete viridi, proprijs naturæ manibus elaborato, tot diverſis floribus variegato, qui veluti encauſtica pictura ſummam præbent obtutibus noſtris ſatisfactionem, & videntur dulcibus oculis animos noſtros rapere. Præterea, Aſpectus præruptorum montium, qui apices ſuos ad regionem uſque attollunt fulgurum, qui more ſerpentum vicinas pervadunt valles, totamque regionem efficiunt fœcundam: magna illa flumina, quæ famoſiſſimarum conſervant commercia Civitatum: tot animalia diverſa in ſuis ſpeciebus, ita exquiſita in ſuâ pulchritudine, quorum alia aërem incolunt, alia in terris commorantur, hæc verò immerguntur aquis; hæc Inclinatio ſecreta, quâ feruntur pro conſervatione ſuarum ſpecierum; hæc omnia nunquid ex ſe facta ſunt? Nonne manifeſtè nobis innuunt inſpicientibus talem ordinem qui ea conſervat, ipſa à ſummâ dirigi Sapientiâ? Annon mutis vocibus nos inducunt ut vota noſtra & obedientias noſtras exhibeamus ei, cujus ſuave, & ſapiens, & potens experiuntur ipſa moderamen? Ecce primus paſſus, quem intellectus noſter gradimi, aſcendendo à creaturis ad cognitionem Creatoris ipſarum Artificis.

i D. Dion. lib. de Cœl. hier. c. 2.

k Hebr. 1. 3.

l Malach. 4. 2.

Sed quia intellectus noſter incapax eſt ut ſibi perſuadeat omnia neceſſaria ſcitu quoad Deum, cùm ſint plura quæ longè captum ipſius antecedant & vires ipſius: ideò ſecunda cognitio, quæ per fidem comparatur, eſt ipſi neceſſaria. Hæc ſecunda cognitio perfectior eſt, poſtquàm enim rationem ſibi ſubjecit, illam captivam tenet ſub obedientia, & regulas illi præſcribit, ut poſtquàm cognoverit eum qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium m*, ipſa eum dirigat ad reddendum cultum ſupremum, adorationem ſummam, & obedientiam Deo ſuo debitam; & quia infinitæ *n* perfectiones illius infinitè ſuperant intellectus humani capacitatem, illum redigit *in captivitatem in obſequium Chriſti o* & fidei, & intendit fidem loco lampadis & lucernæ accenſæ ſervire ibi, quò ratio non poterit attingere. Licèt enim nulla res ſit cognoſcibilior Deo in univerſa natura creata, attamen ob exiguum lumen, quo illuſtramur, non poſſumus perfectè cognoſcere id omne quod nobis

m 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.

n Baruch. 3. 25.

o 2. Cor. 10. 5.

bis neceſſarium eſt ad operandam ſalutem. Cujus rei veritatem edoctus Ariſtoteles *p* ait: *Quemadmodum veſpertilionum oculi ſe habent ad lumen diurnum; ita & animæ noſtræ mens ad ea, quæ naturâ ſunt omnium manifeſtiſſima.* Ideò hæc ſecunda cognitio, quam habemus per fidem, magis inſtruit nos magnitudinibus Dei. Habemus autem hanc ſecundam cognitionem per Divinas revelationes in Scriptura ſacra exaratas, & ab Eccleſia propoſitas; *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus q.* Secunda cognitio melior eſt prima, tertia verò utraque.

p Ariſt. lib. 2. Metaph. c. 1. text. 1.

q Joan. 20. 31.

Hæc autem tertia cognitio, eſt, quando anima beata è corporis mortalis ergaſtulo ſoluta, ac ſeparata videt clarè & intuitivè faciem Dei in cœlo, id eſt, Eſſentiam Divinam apertè & manifeſtè; *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus: videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum r.* D. Joannes *s* autem nonne aſſerit à nobis videndum Deum eodem modo quo ipſe eſt in ſe? *Videbimus eum ſicuti eſt.* Non intuebimur eum inter ænigmata ampliùs, ſed clarè: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri t.* His tribus modis acquirere poſſumus notitiam Dei; nunc verò non poſſumus habere tertiam, quæ eſt clariſſima omnium, *Non videbit me homo, & vivet u.* Prima cognitio quæ fit mediante naturâ, non ſufficit ad ſalutem; non enim abundè, vel ſaltem non ſatis docet ea quæ ſcire debemus: ideòque ſecunda, quæ fit per ſupernaturalem fidem, in via requiritur; per ipſam enim fidem multò plura cognoſcimus, quàm per primam, & minùs quàm per tertiam. Sic videmus quomodo fides eſt nobis neceſſaria in hac vita; *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit x.* Sed cur fides eſt neceſſaria ad cognoſcendum Deum, non autem ratio? Id supereſt nobis videndum.

r 1. Cor. 13. 9. & 12.

s 1. Joan. 3. 2.

t Pſ. 47. 9.

u Exod. 33. 20.

x Hebr. 11. 6.

II. Pars.

Ratio iſtius primò eſt, Quia cognitio fidei certior eſt cognitione, quam comparamus per ſimplicem rationem naturalem; eò quòd cognitio naturalis, quam per rationem acquirimus, eſt multùm fallax in ijs quæ Deum ſpectant; cujus rei argumentum eſt, quòd Philoſophi qui inquiſierunt habere ſcientiam Dei per notitiam naturali lumine duntaxat comparatam, in multos graves lapſi ſunt errores, nec in ſuis potuerunt convenire ſententijs. Horum enim alij omnia caſualia in mundo aſſerebant eſſe ac fortuita. Alij Solem, & tales alias creaturas Deum eſſe contendebant, conſtituentes plures Deos, qui eſt error omnium maximus, cùm pluralitas deorum ſit nullitas deorum. Sed quid mirum, cùm etiam in rebus, quas ipſis etiam percipimus ſenſibus, non poſſimus per humanam rationem, earum nobis conſummatam comparare notitiam? Hoc eſt etiam videre in omni ſcientiarum genere, ubi auditur tam magna diverſitas opinionum inter Doctores, v. g. in Theologia, in utroque Jure Canonico, & Civili, in Philoſophia, &c. quod autem utrimque defendi poteſt, non eſt omnino certum, cùm veritas ſit tantùm una. Homo igitur falli poteſt, & alios fallere; ſed Deus non valet decipi, nec alios decipere, cùm ſit ipſa *Veritas y* per eſſentiam. Cùm igitur humana ratio non poſſit attingere perfectam cognitionem rerum creatarum & ſenſibilium, quomodo poſſet pervenire ad cognitionem Dei, & rerum Divinarum, quæ ſub ſenſus noſtros non cadunt? Ut igitur inter homines certa foret ac infallibilis cognitio Dei, oportuit ut res Divinæ eis datæ fuerint intelligendæ per fidem, veluti prolatæ à Deo, qui, cùm ſit prima *Veritas*, mentiri non poteſt, & quia eſt Magiſter qui eas nos docet. Scientia igitur & cognitio, quam habemus per fidem, certior eſt illa, quam habemus per quamlibet aliam ſcientiam: fides enim Veritati Divinæ, quæ eſt ipſius objectum, innititur, & ſcientia fundata eſt ſuper humanam rationem, quæ *deficit à certitudine, & à Verbo Dei, cui innititur fides*, ut notat D. Thomas *z*. Unde fit ut dicat Apoſtolus *a*: *Ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum.*

y Joan. 14. 6.

z D. Th. 2. 2. q. 4. a. 8. ad 3.

a Epheſ. 4. 17.

Secundò, Cognitio fidei promptior eſt cognitione ſcientiæ: ſcientia enim, ad quam ſpectat probare Deum eſſe, & unum eſſe, & aliquod aliud attributorum ejus, proponitur ut ultima hominibus, quam ipſi debent diſcere, illa enim plures alias ſupponit per longum tempus addiſcendas; Metaphyſica verò, quæ tractat de Deo, eſt ultima Philoſophiæ. Hoc etiam videmus in rebus naturalibus, quæ tempus exigunt ut poſſint ſciri, eaſque homines non poſſident niſi poſt aliquot curricula annorum; & dicitur quidam Philoſophus manſiſſe triginta annos ut poſſet habere notitiam naturæ vel unius apis; quantum igitur majoris temporis inſumpſiſſet ad acquirendam cognitionem Dei, & eorum quæ ad illum ſpectant. Et ſanè multùm obfuiſſet homini non habere citò fidem, cùm ſine fide omnia ipſius opera Deo placere non poſſint, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt b.* Super quæ Gloſſa Ordinaria ait: *Ubi deeſt agnitio Veritatis æternæ, falſa eſt virtus etiam in optimis moribus.* Ut igitur homo Deum cognoſceret, neceſſarium erat ut id foret per fidem, quam poſſet homo habere eodem tempore, quo ratione præditus eſt.

b Rom. 14. 23.

Tertiò, Cognitio fidei eſt communior: multi enim non poſſunt in ſcientijs proficere ob multa impedimenta; ideò tres recenſentur cauſæ, veluti tria obſtacula, quæ impediunt ne quis habere poſſit cognitionem veritatis. Prima cauſa eſt ratione infirmitatis corporalis, quæ impedit ne quis ſtudio vacet, & ſic nunquam ad hanc ſublimem poſſit Dei pervenire cognitionem. Secunda propter defectum commodorum temporalium, & occupationem rerum domeſticarum, quarum cura eſt ſatagenda. Tertia tandem propter ignaviam, & hi omnes eſſent privati cognitione Dei, & ita veræ fœlicitatis non fierent compotes. Oportuit igitur ut res Divinæ proponerentur credendæ per fidem, qui modus cognoſcendi eſt omnibus communis; *Ubi non eſt Gentilis & Judæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber; ſed omnia & in omnibus Chriſtus c.* Et, *Non erubeſco Evangelium: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm & Græco d.*

c Coloſſ. 3. 11.

d Roman. 1. 16.

Quartò, Fides eſt amplior, & latiùs ſe diffundit quàm cognitio quæ habetur per rationem

natura-

naturalem: per ipſam enim, Dei nihil amplius cognoſcere poſſumus, niſi quia *Unus eſt e*. Quia eſt *omnibus Potentiâ f*. Seu Omnipotens, & ſic de cæteris ejus attributis. Quòd autem ſit trinus in perſonis *g*, quomodo poteſt hoc concipi ratione naturali; ſicut & poteſt dici de myſterio Incarnationis *h*, de Paſſione *i*, & de alijs articulis, quorum cognitionem habemus per fidem? Amplior igitur eſt fides, de qua Apoſtolus *k* ait: *Loquimur Dei Sapientiam, quæ abſcondita eſt, quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit.* Principum, id eſt, Philoſophorum. Et paulò inferiùs: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.* Unde hodierna die muliercula majorem habet Dei cognitionem, quàm habuerint Ariſtoteles & Platones. *Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*, ait Eccleſiaſticus *l*. Et D. Thomas id confirmat *m*.

e Deut. 6. 4.
f Pſ. 64. 7.
g Matth. 28. 19.
h Joan. 1. 14.
i Joan. c. 18. & 19.
k 1. Cor. 2. 7. & 10.
l Eccli. 3. 25.
m D. Th. 2. 2. q. 2. a. 3.

Quinta tandem ratio eſt, Quia fides eſt utilior: credere enim ijs, quæ manu tangimus, præ ſe non defert meritum, v. g. quòd Sol moveatur, quòd homo ſit mortalis, &c. quia, ut ait D. Gregorius *n*, *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Credere autem ea, quæ ratio non poſſit concipere, & res quæ non ſunt cognitæ niſi per revelationem, ibi profectò meritum eſt invenire, primò, ratione reverentiæ, qua erga Deum afficimur, credentes ob amorem illius ea, quæ non cognoſcimus: credere enim ſimplici hominis verbo, eſt illum honore afficere, cùm credatur fide dignus: alioquin enim iraſcitur Deus; *Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt o. Generatio mala & adultera ſignum quærit p. O generatio incredula & perverſa uſquequò patiar vos q?* Quòd ſi Hippocrates & Pythagoras prohibuerant diſcipulis ſuis ne ſe circa ſuas interrogarent opiniones, ſed quòd pro tota authoritate, quæ dixiſſent ipſi, forent ipſimet ſatis diſcipulis; quantò magis Authoritas Divina ſuper alias prævalebit quaſcumque? Secundò, Ratione humilitatis, cùm homo humiliter intellectum ſuum ut credat ea quæ non cognoſcit, v. g. in Hoſtia ſacra Corpus Chriſti *r* cum omnibus ſuis dimenſionibus; Mariam Matrem ſimul ac Virginem *s*; cùm Potentia Dei cognitione noſtra ſit major, inde ſibi homo magnum comparat meritum; & certè non parva eſſet temeritas non velle credere niſi ea, quæ videntur; *Credidi, propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis*, ajebat David *t*. Et inde procedit meritum; *Sancti per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, cantat ſancta Mater Eccleſia †. Quod procul dubio non eſt ſine merito, quod credendo acquiritur; *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in Nomine ejus u.* Et quamvis Philoſophi veteres Deum cognoverint cognitione naturali, hoc tamen non impedit quin ſint damnati; fides requirebatur; *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti x.*

n D. Gregor. homil. 26. in Evang.
o 1. Cor. 1. 22.
p Matth. 12. 39.
q Matth. 17. 16.
r 1. Cor. 11. 24.
s Matth. 1. 25.
t Pſ. 115. 1.
† Eccleſia ex Hebr. 11. 33.
u Joan. 20. 31.
x 2. Cor. 10. 5.

Et ſicut Aurifex inſumit laborem ſuum ſuper aurum, vel argentum, vel margaritas ſicut ſuper ſuum objectum, ita objectum quod fidem occupat, ſunt ipſæ res quæ non videntur, & quæ non cadunt ſub ſenſus noſtros, cùm ſint materiales; ſunt myſteria quæ nobis à Deo ſunt revelata, & ab Eccleſiâ propoſita ut credenda, non aliam ſanè ob cauſam, niſi quia Deus, qui eſt *Veritas y* æterna & eſſentialis, ea revelavit. Ratiocinationes quæ eruuntur è Prophetijs, è miraculis, è numero Martyrum ferè infinito, è puritate Legis Evangelicæ, è conformitate ipſius ad rationem, ex admirabili conſecutione & conſenſu iſtorum omnium myſteriorum, è converſione orbis univerſi, è medijs quæ ſancta adhibuit Mater Eccleſia ut ſe benè ſtabiliret, firmamque conſtitueret inter immanes Tyrannorum perſecutiones; è ſapientiâ & ſanctitate Profeſſorum Legis noſtræ Chriſtianæ, & alia motiva hujus generis, ſunt rationes validiſſimæ, quæ poſſint nos introducere ad fidem; non ſecus ac anima noſtra, etiamſi ſit ſpiritualis, haurit omnes cognitiones ſuas à ſenſibus, cùm tamen ſit omnis ſenſus expers, & corporeæ concretionis exonerata mole: Ita fides, etiamſi utatur omnibus iſtis motivis, quæ poſſint vim afferre hominibus obſtinatioribus, & durioris cervicis; attamen ipſa eſt magis elevata, nullumque aliud motivum prætendit, niſi veritatem æternam, quæ illuminat animam noſtram, & eam in captivitatem redigit glorioſam & jucundam, ita ut nullo modo libertati, quæ eſt ipſius privilegium ſingulare, officiat. Ita affecta eſt anima noſtra, eòque reducitur ut credat, non allecta humanâ ratione, aut miraculis & prodigijs, vel doctrinâ, ſeu ſanctitate, ſed quia Deus interiùs in corde ipſam alloquitur, & ita intimè pervadit ac tangit ſecretiora pectoris ipſius penetralia, ut credat ipſa infallibile id omne quod ipſi revelatum eſt à Deo, & propoſitum ut credendum ab Eccleſiâ ſanctâ, quæ eſt Mater communis omnium Fidelium. Eò ſanè deductus fuerat S. Elzearius Comes Ariani, cùm aſſerebat ſe tantâ res fidei noſtræ guſtaſſe certitudine, & tam ingenti infallibilitate, talique intellectus ſui lumine cœleſti perfuſi determinatione, quòd dato quòd famoſiſſimi atque celeberrimi, qui ſuâ tempeſtate ut ſcientiæ prodigia ac miracula florebant Doctores, voluiſſent ſibi perſuadere doctrinam contrariam ei, quam in ſimplicitate ſui cordis fuerat amplexatus, omnis eorum ſubtilitas nullo modo potuiſſet concutere intellectum ſuum, qui *in captivitatem* redegerat omnia ſua lumina & ſuas omnes ratiocinationes *in obſequium* illius ſupernaturalis fidei, quæ facit in viâ totam fœlicitatem noſtræ peregrinationis.

y Joan. 14. 6.

Sed cavendum nobis eſt ſeriò ne nimiùm nobis indulgeamus, eò quòd Chriſtiani ſimus & Fideles nomine. Maximas Deo gratias tenemur rependere pro eo quòd fidem ſuam noſtris animabus infuderit. Quid enim nobis prodeſſet accepiſſe ab eo beneficia Creationis *z*, & Redemptionis †, niſi media nobis ad operandam ſalutem noſtram ſubminiſtraret neceſſaria? Hoc nobis dignatione ſuæ Miſericordiæ largitus eſt, quod recuſavit multis alijs, quos tenebris infidelitatis obvolutos deſerit, & derelinquit. Sed operæ pretium eſt, ut hanc fidem comitentur opera noſtra bona. Deus petit ab animâ devotâ: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum a.* Defer me cordi tuo impreſſum, ut ſignificetur meum eſſe, meque illud acquiſiviſſe; & brachio applicatum, ut oſtendatur, illud me poſſe diſponere ut Dominum ipſius; quod intelligitur, Secundùm Gloſſam Ordinariam, de fide & bonis operibus; *Ponimus Chriſtum ut ſignaculum ſuper cor, cùm ea quæ dixit, ita diſcimus, quaſi Divina veraciter ſint verba Sapientiæ. So-*

z Gen. 2. 7.
† Apoc. 1. 5.
a Cant. 8. 6.

lemus ſignum aliquod digito vel brachio alligatum circumferre, quo admonemur illius rei, cujus frequentiorem habere volumus memoriam. Ponimus ut ſignum ſuper brachium, cùm ea quæ fecit, ita audire & ſequi ſtudemus, quaſi vera ſint exempla virtutis. Brachium ad cognoſcendam corporis diſpoſitionem adhibetur. Medici pulſum explorant brachij habentem convenientiam cum corde, quod eſt principium vitæ, & fideliter reſeruat quid in eo inveniatur. Vita animæ eſt fides, quam comitetur charitas, quæ conſiſtit in corde, quod eſt principium vitæ. Et licèt verum ſit quòd *neſcit homo utrùm amore, an odio dignus ſit b*: tamen ex pulſu inferri poteſt ſanitas cordis; & ex manibus, ſi exerceantur in operibus charitatis, judicari num fides ſit animata. Sola manus poteſt oſtendere, an vivat fides; non oculi, hypocritæ enim eos in ſublime tollunt; neque lingua, *Populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me c.* Neque aures: hoc enim non ſufficit. Quinimò, *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud d. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur e.* E brachio igitur debet inferri judicium, cùm ex ipſo procedant bona opera; *Manus hominis ſub pennis eorum f.* Id eſt, *Virtus operis ſub volatu contemplationis g.* Deus quærit fructus, non flores, *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum h.* Niſi fides noſtra fructificet, non eſt fides viva, ſed mortua; ſatius nobis eſſet ut nullam haberemus fidem: non enim eſſemus tantis obnoxij ſupplicijs *i.* Fides mortua: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in Regnum cælorum k.*

b Eccl. 9. 1.
c Iſai. 29. 13.
d Luc. 11. 28.
e Rom. 2. 13.
f Ezech. 1. 8.
g D. Gregor lib. 1. in Ezech. homil. 3.
h Cant. 5. 1.
i Matth. 25. 41.
k Matth. 7. 21.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. ADVENTUS.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

UNum ex maximè neceſſarijs ad noſtram ſalutem, & ad vitã æternam conſequendam, eſt cognitio Dei, & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, ut ipſemet ait Patri ſuo: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum a.* Deus eſt ſummum hominis Bonum: *Ego oſtendam omne bonum tibi b.* Jeſus Chriſtus eſt unicum medium & unica via perveniendi ad ipſum Deum, dicens, *Nemo venit ad Patrem niſi per me c.* Non poteſt amari neque deſiderari id quod non cognoſcitur; ideòque principium noſtræ ſalutis & noſtræ fœlicitatis conſiſtit in cognoſcendo Deo, & Filio ejus Jeſu Chriſto ſaltem per fidem, ut exponit nobis Symbolum Apoſtolorum, quod nobis eſt utiliſſimum & maximè neceſſarium, cùm ſit id omne, quod debemus ſcire, & iſta ſcientia myſteriorum noſtrorum reddat nos omnium Philoſophorum Gentilium doctiſſimos & ſapientiſſimos; Chriſtianorum filijs, alijſque perſonis ignaris multò plura & ſublimiora callentibus quæ Deum ſpectant, quàm omnes Doctores infideles. Docet nos ipſa fides Dei Filium fuiſſe incarnatum in ſinu Virginis †, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

a Joan. 17. 3.
b Exod. 33. 19.
c Joan. 14. 6.
† Luc. 1. 28.

Apoſtoli ſancti, qui edocti fuerant ſcientiam ſuam, quæ erat Divina, in origine propriâ, inſtructi vel ſacro Verbi incarnati eloquio, interioribus Spiritus ſancti radijs illuminati, collectionem quandam præcipuorum fidei noſtræ capitum, & veluti appendicem articulorum, quibus ut fidei noſtræ regulâ uteremur infallibili, ac compendium, quod vulgò dicimus Symbolum Apoſtolorum, compoſuêre. Hinc poſſumus aſſignare cauſam fidei noſtræ, quæ eſt Authoritas Divina, quæ non poteſt mentiri in verbis ſuis *d*, quibus veluti fundamento fides noſtra fulcitur inconcuſſo. Hinc & diſtinguimus tres actus fidei, licèt in ſe fides ſit unica: aliud enim eſt credere Deum, aliud credere Deo, & aliud credere in Deum. Credere Deum, eſt credere illum eſſe *e*, eum eſſe Potentem *f*, Sapientem *g*, Bonum *h*, &c. eſt eum conſpicere ut ſubjectum fidei noſtræ materiale. Credere Deo, eſt ſtabilire fidem noſtram ſuper ipſius authoritatem, eumque conſiderare ut objectum ipſius formale, ſeu veluti *Authorem fidei i* noſtræ, & credere firmiter id omne, quod nobis ipſe revelavit. Credere in Deum, eſt illum conſiderare ut objectum finale noſtræ fidei, ſeu veluti finem credendorum, referendo actus fidei noſtræ ad amorem ejus, ut ad ultimum ipſius finem. Hæc autem fides fuit ſemper neceſſaria ad ſalutem omnium hominum, ut aſſerit Concilium Tridentinum *k*, neminem fuiſſe unquam juſtificatum ſine fide quæ eſt *initium* juſtitiæ Chriſtianæ, & veluti baſis & *fundamentum* noſtræ ſalutis.

d Joan. 14. 6.
e Exod. 3. 14.
f Pſ. 64. 7.
g Sap. 8. 1.
h Pſ. 118. 65.
i Hebr. 12. 2.
k Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8.

Hujus veritatis ratio in promptu eſt, quòd ſi creaturæ omnes non habeant integram ſuam perfectionem proprio motu, ſed alieno qui ipſis à cauſa imprimitur ſuperiore; ſicut cœli inferiores, qui proprio motu moventur ab Occidente in Orientem, & impreſſione à primo mobili accepta gyrant ab Oriente in Occidentem; & veluti aqua, quæ eſt corpus grave, ſecundùm ſuum motum proprium & naturalem deorſum tendit ut in ſuum centrum & in locum ſuum naturalem, ſed per motum à Luna impreſſum ſibi, libratur in centro per fluxum & refluxum: eodem modo dicendum eſt hominem movere ſe motu ſuo proprio & naturali ad ſuum finem naturalem; ſed etiam movere ſe debere ſupernaturali motu, qui vires humanæ excedat naturæ, quibus opitulantur ſupernaturalia fidei lumina, veluti medium adæquatum, & neceſſarium ad operandam ſalutem noſtram.

Hæc

Hæc fides docet nos Primò Deum eſſe unum: Secundò eum eſſe trinum in perſonis, ſuper his tribus articulis Symboli Apoſtolorum, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem*; *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Credo in Spiritum Sanctum.* Dum reſervo in dies ſequentes ſub reliquis articulis Symboli, loqui vobis de humanitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de operibus Dei ad extra. Videamus igitur Primò Deum eſſe unum in naturâ: Secundò trinum in perſonis.

Diviſio

I. Pars.

Veritas ita conſtans eſt unum eſſe Deum in naturâ, ut nihil ſit ea certius; & ideò hæc propoſitio probatione non indigeret, quod cauſa eſt cur in ea diu non ſim immoraturus enucleanda. Dico igitur paucis, quòd, licèt Philoſophi veteres crediderint eſſe Deum, & Numen aliquod eſſe non dubitaverint, habita ea rebus naturalibus cognitione, ſecundùm doctrinam D. Pauli; *Inviſibilia ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*: *l* attamen imaginati ſunt illum non fuiſſe omnipotentem, ſed eum duntaxat habuiſſe dominium, & poteſtate viguiſſe ſuper omnia, quæ ſecundùm ordinarium naturæ curſum videmus evenire, veluti ut jubeat Soli, ut oriatur; cælis, ut orbiculariter moveantur, ut ſuas nobis communicent influentias; terræ ut germinet, & fructus alendis nobis neceſſarios producat, frumentum, vinum, oleum, aliaſque fruges conſervationi vitæ noſtræ adminiculantes; tempeſtatibus anni ita certum ordinem præfigat, ut eodem tempore revertantur; & generationibus animalium talem ſeriem præſcribat, ut nunquam interrumpantur; uno verbo, ut faciat tantùm id quod ſolet agere natura, & non aliud. Sed fallebantur, dicit enim Pſalmographus *m* de eo: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terrâ; in mari, & in omnibus abyſſis.* Poteſtas ejus ita eſt infinita *n* ut non tantùm extendat ſe ſuper hunc mundum, ſed etiam ſuper millia millium orbium, quos in infinitum è nihilo poſſet educere eadem manu, qua iſtum gubernat, & omnes res conſervat humanas. Alii imaginati ſunt, eum, ſi eſſet Deus & ſolus, non cognoviſſe ea quæ ad nos ſpectant *o*; vel ſaltem eorum curam non ſuſcepiſſe multam, nec de noſtris rebus admodum fuiſſe ſolicitum, cùm perſæpè Boni & Juſti tentationibus & adverſitatibus concutiantur *p*; & improbi lætentur *q*, perfundantur gaudiis ac conſolationibus, cunctaque impiis ſuccedant ad deſiderium. Sed D. Petrus *r* reſpondet iſtis: *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Innitimini Divinæ Providentiæ: Patri enim non eſt major cura de filiis, Domino de ſubditis, & Regi de vaſſallis, quàm Deo de ſingulis hominibus; & ſi curam habet vel ſolii unius, quod non cadit ex arbore in terram, niſi priùs ipſe permiſerit, multò majorem de nobis exiſtimandus eſt habere ſolicitudinem. Alii determinatè crediderunt plures eſſe Deos, ut Ethnici & Idololatræ exhibentes lignis, lapidibus, & metallis ſcalpro inciſis, quæ ſunt *opera manuum hominum s*, ſupremos honores & adorationes ſummæ Dei Majeſtati, privativè excluſis aliis falſis nominibus, debita, cui idololatriæ contraria ſunt hæc verba; *Non habebis Deos alienos coram me t.* Alii dixerunt nos habere duo principia, alterum principium boni, principium mali alterum. Sed graviter hallucinantur iſti æquè ac alii; dicit enim Deus per Prophetam *u*: *Ego Dominus, & non eſt alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc.* Aſſerit Iſaias, Dominum, quem honoramus, eſſe illum qui lumen de ipſis eruit tenebris, quibus etiam ipſe dat eſſe privativum, quod habent, & inquantùm poſſunt habere, ut tenebræ ſunt; ipſum eſſe principium pacis, ut eſt etiam cauſa mali pœnæ & afflictionis, quod eſt flagellum, quo Juſtitia ipſius irata in noſtra corripienda invehitur ſcelera. Alii tandem ſibi perſuaſerunt Deum eſſe corporeum, & nobis ſimilem. Sed toto aberrant iſti cælo, totus enim *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare x.* Itaut verbum hoc, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, evertat omnes hæreſes, quæ negant Unitatem Dei, & omnia ejus attributa, putà Omnipotentiam, Providentiam, eſſe ipſius ſpirituale, Solitudinem ejus ſine ſocio, ſeu in multitudine, ſeu in duobus duntaxat, cùm ſit unicus in natura ſua & in ſubſtantia ſua, ſicut eſt trinus in perſonis, ut videbimus in ſecunda parte iſta.

II. Pars.

Credere debemus non ſolùm Unitatem Dei, quæ annotatur in principio Symboli, verùm etiam trinitatem perſonarum; & licèt ipſæ tres perſonæ ſe non immediatè ſequantur in articulis Symboli, attamen Pater & Filius duos primos faciunt articulos: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Ecce primus articulus. *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.* Ecce ſecundus, & ecce Pater & Filius. *Credo in Spiritum ſanctum.* Ecce Spiritus ſanctus, *qui à Patre Filioque procedit y.* Circa pluralitatem autem hanc perſonarum multi graviter hallucinati ſunt; Græci enim crediderunt quidem Spiritum ſanctum procedere à Patre, ſed non à Filio; Macedonius verò aſſerebat Spiritum ſanctum eſſe creaturam. Erraverunt alii circa Filium, dicentes eum non eſſe Patri ſimilem; Arius ajebat Filium eſſe creaturam, nec ejuſdem cùm Patre naturæ; Sabellius tandem volebat non eſſe tot perſonas, ſed ut una modò appellaretur Pater, poſteà alia Filius, & alia Spiritus ſanctus in eadem eſſentia ſine ulla diſtinctione perſonarum. Sed D. Joannes ait *z*: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.* Ita ut debeamus credere tres eſſe perſonas in eſſentia Divina, quæ ſunt una & eadem res, & æquales in omnibus; Pater ſiquidem non eſt ante Filium, nec iſte ante Spiritum Sanctum; & quod poteſt unus, poteſt etiam & alius.

In hac ſublimi Trinitate eſt cautiſſimè procedendum, nam, ut ait D. Auguſtinus *a*, *Ubicumque quæritur de unitate Trinitatis, nec periculoſiùs alicubi erratur, neque laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur*: Ad humilitatem & ſubmiſſionem animi, quæ fit per fidem, recurrere debemus; *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium*

l Rom. 1. 20.
m Pſ. 134. 6.
n Baruch, 3. 25.
o Job 22. 13. & 14.
p Job. 2. 1. &c.
q Jer. 12. 1. &c.
r 1 Petr. 5. 7.
s Pſ. 113. 12.
t Exod. 20. 3.
u Iſai. 45. 7.
x Joan. 4. 24.
y Eccleſia ex Joan. 15. 26.
z 1. Jo. 5. 7.
a D. Aug. Serm. 15. ad fratres in Eremo

quium Chriſti b. Sacra enim Scriptura eſt veluti mare ingens, in quo elephantes natant, & agni peditant. Probat ipſa veritatem hujus myſterii, cùm Moyſes *c* ait: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Textus Hebræus, *In principio*, ait, *Elohim*, quod eſt nomen plurale, *Judices*, quod indicat trinitatem perſonarum; & unitatem eſſentiæ per verbum ſingulare *creavit.* Moyſes uſus eſt hoc nomine plurali, ut nobis ſignificaret omnes & ſingulas tres perſonas Trinitatis concurriſſe ad productionem creaturarum; *In principio creavit Deus.* Id eſt, Pater. *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Id eſt, Spiritus ſanctus. Poſteà volens oſtendere Scriptura modum, quo Deus creavit, ſubjungit: *Dixit Deus, Fiat.* Quod indicat, hoc fuiſſe factum Verbo Divino, quod vocamus Filium Dei; *In principio, quod eſt Verbum Dei unigenitus Filius,* ait D. Auguſtinus *d*; Propterea vocatur Principium, *Principium, qui & loquor vobis e.* Sapientia, *Omnia in Sapientia feciſti f.* Per David *g* ait Pater de Filio, *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Et *h*, *Dixit Dominus Domino meo.* Ubi verſio fert, *Dixit Dominus Verbo ſuo. Ex utero ante Luciferum genui te.* Eſt igitur unus Pater qui generat ſuum Filium. *Ex utero*, oſtendit conſubſtantialitatem. *Ante Luciferum*, æternitatem. *Genui*, diſtinctionem perſonarum; quandoquidem nulla res à ſeipſa generatur.

b 1. Cor. 10. 5.
c Gen. 1. 1. &c.
d D. Aug. lib. 1 de Gen. ad litt. c. 2.
e Joan 8. 25.
f Pſ. 103. 24.
g Pſ. 44. 2
h Pſ. 109. 1 & 3.
i Prov. 8. 22.

Salomon *i* loquens in perſonâ Divinæ Sapientiæ, ait: *Dominus poſſedit me, in initio viarum ſuarum, antequàm quidquam faceret à principio.* Et Iſaias *k*; *Et nunc Dominus meus miſit me, & Spiritus ejus.* Deus miſſus, eſt Deus incarnatus Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Deus mittens & *Spiritus ejus*, eſt Deus Pater & Deus Spiritus ſanctus. Ubi videris ſanctiſſimam perſonarum trinitatem adminiculante fide, quæ nobis revelat has veritates, quas non poſſumus concipere propter nimiam intellectus noſtri imbecillitatem, quia, ut ait Philoſophus *l*, & ego dicebam vobis heſternâ die. *Quemadmodum veſpertilionum oculi ſe habent ad lumen diurnum, ita & anima noſtra mens ad ea, quæ naturâ ſunt omnium manifeſtiſſima.* Et D. Hieronymus *m*, *Grandes materias ingenia parva non ſuſtinent.* Attamen licèt ibi ſint maximæ difficultates, D. Paulus † vult ut per creaturas, & per rationes, innixi fidei, obſcurè & velut ænigmaticè perveniamus in cognitionem iſtius unitatis eſſentiæ, & trinitatis perſonarum, *Inviſibilia ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus Virtus, & Divinitas.*

k Iſai 48. 16.
l Ariſt. lib. 2. Metaph. c. 1. text. 5.
m Hier. Epiſt. 5. ad Heliodor. in princip.
† Rô. 1. 20

Infero igitur triplicem probationem è creaturis, ut certior appareat hujus veritatis authoritas. Primam deſumo è creaturis ratione præditis, quæ ſunt imagines Divinitatis & Trinitatis, & ſic argumentor. In creaturâ factâ *ad imaginem n* Dei, ut eſt homo, reperitur unitas in trinitate, & trinitas in unitate eſſentiæ, quia in ea eſt intellectus, in quo eſt veritas; in eâ eſt voluntas, in quâ eſt amor, in anima noſtrâ eſt memoria, quia illa eſt receptaculum rerum omnium, quas ipſa concepit: Si autem in perfectis creaturis *ad imaginem* Dei factis reperitur aliqua trinitas, oportet ut longè & infinitè excellentiori modo inveniatur Trinitas in Creatore, quia ex eo quod ipſæ ſunt una & tres, ipſæ dicuntur factæ *ad imaginem Dei*; & quidquid eſt in creaturâ, debet longè perfectiùs in Creatore repetiri; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Eſt igitur in Deo Trinitas perſonarum; in eâ enim eſt Pater, ut conſervans omnia; cùm omnia creaverit, gubernat & conſervat univerſa: in eâ eſt Filius, cùm ſit Veritas cognita, dicens de ſe: *Ego ſum via, & veritas, & vita o.* Eſt in eâ Spiritus ſanctus ut Amor, *Deus Charitas eſt p.* Sicut igitur unica eſt anima, & in eâ tres ſunt facultates, nempe memoria, intellectus, & voluntas, ita Deus unicus eſt, & in eo ſunt tres perſonæ, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Sufficit igitur ut reflectamus nos ſupra noſmetipſos, & videbimus in animâ noſtrâ expreſſam Trinitatis imaginem; & ſicut anima noſtra eſt tota in toto corpore, ita Deus eſt totus in toto mundo, cùm nulla ſit in eo pars, quâ ipſe non impleat *q*, cùmque ſit indiviſibilis, ubique eſt. Sicut anima noſtra tres habet facultates in ſe; memoriam, quæ rerum conſervat ſpecies præteritarum; intellectum, quo cognoſcimus præſentes; & voluntatem, quâ futuras deſideramus eo planè modo quo pauper ad divitias, & infirmus ad ſanitatem anhelat, iſtæque tres facultates ſunt unica tantùm anima; ſic in Divinitate tres ſunt perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quæ tres perſonæ ſunt unus Deus, & una eademque natura; *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me r.* Sicut potentiæ ſpirituales animæ noſtræ ſunt eadem res, ſic Deus unus eſt & trinus; cùm enim ſit Ens ſpirituale, debet agere ſpiritualiter, & cùm actiones ſpiritus noſtri conſiſtant in cognoſcendo, & in volendo; Deus ſemetipſum cognoſcens producit Verbum ſuum mentale; & quia quidquid eſt in Deo, eſt ſubſtantia, & in eo nulla valent accidentia reperiri, oportet ut hæc prima productio ſit Deus, ſicut ille qui ipſam producit intuitu infinitatum ſuarũ perfectionum per viam intellectus & cognitionis; & ſic generatur Filius, qui eſt coæqualis & conſubſtantialis Patri *s*; & iſte Pater & iſte Filius ſe cognoſcendo ita tenerè ſe mutuò diligunt ut oporteat ut amore mutuo in unitate principij ſpirent tertiam perſonam, quam vocamus *Spiritum t* ſanctum, qui eſt Amor, unio, & gaudium Patris & Filij. Sicut anima noſtra dat eſſe toti corpori, cujus curam ſuſcipit, quod moderatur ipſa & quod ipſa gubernat; eodem penitus modo Deus dat eſſe omnibus creaturis, illas creat, educendo eas è nihilo, illas regit, ijs alimenta præbet, ſicut & omnia ad ipſarum ſatisfactionem requiſita ipſis liberaliſſimè impendit, illarum curam ſuſcipit illas conſervat. Sicut anima videt omnia, & ipſa non videtur, quia cùm ſit omnino ſpiritualis, & à corporeæ concretionis mole immunis, ſenſuum materialium imperio non poteſt ſubjici; ita Deus omnia intuetur, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus u.* Et nihilominùs à nullo poteſt videri, *Non enim videbit me homo, & vivet x.* Sicut anima amat totum corpus ſuum, & ſingulas illius partes; ita Deus univerſas creaturas ſuas amore proſequitur, *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti y.* Propter has autem cauſas anima noſtra dicitur facta *ad imaginem & ſimilitudinem z* Dei, præ omnibus alijs creaturis, quæ ab hoc ſingulari excluduntur privilegio, ideòque *dixit Deus*, creans mundum, *Fiat lux*; *Fiant luminaria*; *Producat terra animam viventem.*

n Gen. 1. 26.
o Joan. 14. 6.
p 1. Joan. 4. 16.
q Jer. 23. 24.
r Deut. 32. 39.
s Joan. 17 22.
t Joan. 15. 26.
u Hebr. 4 13.
x Exod. 33. 20.
y Sap. 11. 25.
z Gen. 1. 26. &c.

Sed

Sed quando voluit formare homloem, non dixit, Fiat homo; ſed tota Trinitas veluti conſilium iniens, *ait: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Unde videmus, animam noſtram eſſe tranſumptum Trinitatis, quatenus eſt imago iſtius Divini & perfectiſſimi Prototypi.

Secundam probationem haurio è creaturis materialibus, in quibus eſt veſtigium Trinitatis; nam in Sole eſt quædam unitas & trinitas repræſentans unitatem & trinitatem Dei, ſicut veſtigium pedis impreſſum terræ, pedem ipſum repræſentat; in Sole v. g. eſt Solis ſubſtantia, ſicut Pater qui à nullo generatur; à quo generator radius ſplendoris, ſicut Dei Filius a Patre ſuo gignitur æterno; & ex his duobus procedit calor, ſcilicet Solis, & radii ipſius, ſicut Spiritus Sanctos procedit à Patre & Filio: & hæc tria ſunt eodem tempore, ſicut hi tres ſunt eadem æternitate; eodem enim tempore qoo fuit Sol, radii ipſius ab ipſo emanarunt, & è Sole & è radiis ipſius calor proceſſit; ſic ab omni æternitate Pater genuit Filium ſuum, & ab omni æternitate Spiritus ſanctus proceſſit à Patre & Filio. Et ſicut radius à Sole emanavit, & calor ab utroque ſine intermiſſione; eodem modo ſe res habet in proceſſionibus æternis: ab omni enim æternitate Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio. Et ſicut radius ſplendoris in Sole remanens, totum replet mundum
† Hebr. 1. 3. lumine, ita Filius Dei, *ſplendor gloriæ* †, in Patre manens, ubique eſt. Et ſicut calor à Sole procedens & à radiis ejus, totum calefacit mundum; ita Spiritus ſanctus procedens à Patre & Filio, univerſa hominum corda ſuo amo-
a Act. 2. 3 re inflammat, & ob id in formâ *ignis a* apparuit. Et ſicot Sol ſplendore ſuo univerſa illuminat; ita Deus per Filium ſuum, qui *erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venien-*
b Jo. 1. 9. *tem in hunc mundum b.* Et ſicut Sol lumine ſuo & calore ſuo operatur omnia; ita Deus per Filium ſuum & Spiritum ſanctum in mundo facit univerſa, ut ajunt Theologi, *Opera Trinitatis ad extrà ſunt indiviſa.* Alii Trinitatem fonti comparant, & dicunt fontem repræſentare Patrem, rivum Filium, & paludem Spiritum ſanctum.

Tertiam probationem delibo è ſatisfactione creaturarum, quæ procedit è ſocietate; homo enim ſolus permanens non poteſt habere perfectam ſatisfactionem, cùm ſit animal ſocietatis capax ſecundùm naturam ſuam, & amicum commercij, onde dicitur; *Non eſt bonum, hominem*
c Gen. 2. 18. *eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi c.* Ipſis animalibus tædium affert ſolitudo, ut cani vinculis alligato, & leoni catena circundato: atqui perfectio ſocietatis in tribus ſita eſt, putà in patre, in filio, & in ſponſa, cùm homo non poſſit eſſe beatus ſine conſortio, imò verò Reges ipſi ſint infelices in ſolijs ſuis, ubi nullum habent ſocium, & ex iis deſcendere cogantur ut ſocios ſibi comparent: cum igitur in Deo ſit integra ſatisfactio, & gaudium conſummatum, oportet ut in illo inveniatur perfecta ſocietas, nimirum Pater, Filius, & Amor ut Sponſa, cui Deus omne bonum deſiderat; quia ſi gaudium conſortii & ſocietatis reperitur in hominibus, & ſi iſta ſocietas perfectionem ſuam deſumit è tribus capitibus, oportet ut hoc gaudium, qood procedit è ſocietate, perfectiùs inveniatur in Deo, ſecundùm fundamentom quod conſtituimus, ſcilicet, omne, quod eſt in creaturis, inveniri debere eminentiſſimo modo in Creatore. Sic videtis Trinitatem reperiri in Deo, hoc eſt, in Deo eſſe tres perſonas adorandas, quæ ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus.

Quod ſic probo. Pater & Filius ſunt relativi; ideò probando Patrem eſſe, evidens eſt in bona conſequentia pariter eſſe Filium. Vbi ſciendum eſt, rem tunc temporis eſſe perfectam ac conſummatam, ſecundùm Philoſophiam, quando ipſa ſuam propriam habet operationem; atqui ſunt duo genera perfectionum; primum genus eſt, quando res eſt perfecta in ſuo eſſe; ſecundum verò quando eſt conſummata in ſua operatione: atqui in Deo ponenda eſt perfectio omnis generis; oportet igitur ut propria operatio in ipſo non deſideretur, ſed in eo neceſſariò inveniatur. Duplex autem admittitur à Philoſophis operatio; altera quæ in ſubjectum tranſit externus, quæ non perficit eum qui operatur, ut præcidere, ſecare, &c. & hæc dicitur operatio tranſiens, quæ operatio non eſt perfecta, cùm non ſit propria operantis operatio; altera eſt ea quæ nullo modo egreditur ex ipſo ſubjecto, & hæc dicitur operatio immanens, ut intelligere, & velle, & hæc eſt perfecta & propria operatio creaturæ ratione prædita & intellectualis, habentis intellectum ad cognoſcendam ipſam veritatem, quæ eſt objectum ipſius; & voluntatem ad bonum, quod eſt ipſius objectum, amore ſummo proſequendum. Cùm igitur Deo attribuere debeamus res optimas & perfectiſſimas, hæ duæ operationes ſolæ ſeu notiones erunt in Deo, nimirũ cognoſcere veritatem, & velle bonum per amorem; quælibet enim alia operatur Deus ſolo voluntatis ſuæ imperio, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt;* d Pſ. 148. 5.
ipſe mandavit, & creata ſunt d. Atqui hæ duæ operationes ſunt naturales Deo, quia conveniunt ei ſecundùm naturam ſuam, & ab eo non poſſunt ſeparari; ſi enim Deus eſt, oportet ut cognoſcat, & amet; atqui propria & perfecta operatio Patris quatenus Patris, eſt ut generet Filium ſibi omnino ſimilem: cùm igitur in Deo ſit perfecta ratio paternitatis, & paternitas perfecta, *Ex quo omnis* e Epheſ. 3. 15.
paternitas nominatur e: oportet ut Deus Pater generet ſuum Filium, ut ait per Iſaiam *f, Si ego qui* f Iſa. 66. 9.
generationem cæteris tribuo, ſterilis ero? Atqui oportet ut hæc generatio ſit ſpiritualis, nimirum per intellectum, & non carnalis; generatio enim carnalis tranſit in ſubjectum exterius, quod Deo non poteſt convenire; ita Deus ſe cognoſcens generat ſuum Filium, qui dicitur Verbum Patris, cùm res cognita ſit perfectio ejus qui ipſam cognoſcit; & cùm Deus ſit omnimoda perfectio *g*, g Matth. 5. 48.
oportet ut cognoſcat ſe ſolum, & omnia alia extra ſe in ſemetipſo. Idcircò hæc relatio, quæ eſt in Deo, inquantùm ſe cognoſcit, & res cognita, eſt paternitas, & filiatio: ideò Deus inquantùm ſemetipſum cognoſcit, eſt Deus Pater; inquantùm eſt cognitus ab ipſo, eſt Deus Filius. Inde evidens eſt Deum Patrem & Deum Filium eſſe unam & eandem naturam, unam & eandem eſſentiam; Deus eſt ejuſdem naturæ cognoſcens & cognitus, & ejuſdem eſſentiæ, *Ego & pa-* h Joan. 10. 30.
ter unum ſumus h? Et ſicut in Deo non poteſt eſſe accidens; vel enim corrumperet, ut febris; vel perficeret, ut ſcientia; quod eſt omnino impoſſibile

in

in Deo; ideò oportet ut hæc relatio, quæ eſt inter Patrem & Filium, ſit realiter in Deo: in Deo enim relationes non ſunt exteriùs alligatæ eſſentiæ Divinæ, ſicut relatio patris in Petro alligata eſt ipſi perſonæ Petri, ſed ipſæ ſunt Eſſentia ipſa Divina; ideoque relationes in Deo, ſcilicet Paternitas, Filiatio, & Spiratio ſemetipſis ſubſiſtunt, & ſunt perſonæ Divinæ; Pater enim & Filius ſunt duæ perſonæ ſubſiſtentes; & quia Pater Divinus ab æterno ſe cognoſcit, ab æterno etiam generat ſuum Filium intuitu Divinæ ſuæ eſſentiæ & ſuarum omnium infinitarum perfectionum: & ſicut in æternitate nullum eſt *prius aut poſterius i*; ita Deus Pater ſemper eſt generans, & iſte Filius genitus, eſt in omnibus coæqualis & conſubſtantialis Patri ſuo in Potentiâ, in Sapientiâ, in Bonitate, & in cæteris ſummis perfectionibus & Divinis attributis. Quia ſpectat ad omnimodam perfectionem Patris, qui producit & generat Filium ſuum, ut producat eum, & vitam largiatur filio, qui ſit ipſi in omnibus æqualis & conſubſtantialis: Pater enim ſummo amore proſequitur filium ſuum, imò verò eum diligit non ſecus ac ſemetipſum, eique largitur id omne quod ipſe habet, & quod ipſe eſt, cuncta quæ ab ipſo dependent, ejus ditioni ac diſpoſitioni ſubjiciendo. Pater igitur præditus exquiſitis & præclaris qualitatibus, facillimè tranſmitteret eas ad filium, & magna proculdubio foret in patre perfectio, poſſe id executioni mandare in favorem filij; inſignis verò defectus eſt, & non exiguæ imbecillitatis nota, non poſſe illud complere ac perficere: Cùm igitur Deus ſit ſummè & infinitè perfectus, & in eo nulla deprehendi poſſit imperfectio, cùm ſit ipſe prima perfectio, perfectio eſſentialis, & totius perfectionis quæ poſſit concipi, fontalis origo, oportet ut generet Filium, qui ſit in omnibus ipſi coæqualis & conſubſtantialis; & hoc eſt quod ipſe innuit per D. Joannem *k*, cùm ait *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt.* Ac ſi diceret Filius Dei; *Pater meus dedit mihi* id omne, quod ipſe habebat in ſe. Filius igitur eſt quidquid eſt Pater æternus: Immenſus eſt Filius ut Pater Immenſus eſt, Potens, Sapiens, Bonus per eſſentiam, Infinitus, Providens, & Immortalis, non ſecus ac Pater æternus.

i D. Athã. in Symbolo. v. 25.

k Joan. 10. 29.

Sed eſt etiam tertia perſona in Trinitate, quæ vocatur Spiritus ſanctus. Facile eſt hoc viſu, ſuppoſito eo quod jam diximus, omne quod eſt optimum & perfectiſſimum in creaturâ, reperiri debere eminenter in Creatore ut in causâ principali: Atqui amor in creaturis inter res perfectas & virtute præditas primum locum obtinet, inter Angelos ſiquidem ordo Seraphinorum eſt altiſſimus, cùm Seraphini tales dicantur propter eximium amorem ſuum; inter cœlos illud eſt omnium altiſſimum, quod nomen ſuum deſumit ex igne, amoris ſymbolo, utpurà cælum Empyreum; inter elementa ſublimiſſimum eſt illud, quod eſt amori ſimile, nempe ignis; inter virtutes amor locum principem obtinet, imò verò eſt omnium forma virtutum, omnibus dat eſſe virtutibus, & ſine amore virtutes univerſæ actionis expertes remanent ac meriti *l*. Amat aliquis honores, divitias, magnitudines, voluptates, hæc omnia ad agendum invitant, rebus ſingulis motum amor imprimit. Amant Deum aliqui ſuper omnia, & idcircò contemnunt id omne quod alii proſequuntur terrenum, caducum, & ſenſibus deditum, & nudi ſequuntur Chriſtum in altiſſimâ paupertate. Si igitur amor inveniatur tam vehemens in creaturis, qui in ipſis omnia moveat, ipſas ad agendum impellendo, oportet ut neceſſariò reperiatur in Deo amor modo eminentiſſimo. Ratio iſtius eſt, Quia quælibet res eò magis amatur, quò magis cognoſcitur; & quia Deus ſe cognoſcit ut bonum infinitum, imò verò ſe amat ſummè & infinitè, & quia Dei Filius eſt idem bonum infinitum ac Pater, imò verò Pater ſe amat eodem amore quo Filium ſuum, & Filius ſe amat eodem amore quo Patrem ſuum, & iſte amor eſt Deus Spiritus ſanctus, qui procedit à duobus, à Patre & Filio, ex amore Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, oportet neceſſariò ut iſte amor ſit tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis. Amor in nobis eſt *accidens quod adeſſe & abeſſe poteſt ſine ſubjecti corruptione*, ut definiunt Philoſophi; ſed in Deo inveniri non poſſunt accidentia; & ſic oportet ut quidquid eſt in Deo, ſubſiſtat ut Deus, quia quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus: Cùm igitur manifeſtum ſit, ut jam probatum eſt, in Deo amorem inveniri, oportet ut hic amor non ſit accidens, ſed ſubſtantiâ ſemetipſâ ſubſiſtens: Ut igitur aliqua res ſemetipſâ ſubſiſtens in creaturâ rationali & intellectuali accipit nomen perſonæ, quæ ſic definitur *Intellectualis naturæ individua ſubſtantia*; ipſa autem ſubſtantia individualis ſemetipſa ſubſiſtit; Spiritus ſanctus ſemetipſo ſubſiſtens in natura Divina, eſt tertia perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, & oportet ut hic Spiritus ſanctus ſit ejuſdem naturæ & ejuſdem eſſentiæ ac Pater & Filius.

l 1. Cor. 13. 1. &c.

Ratio autem, quæ probat, hanc veritatem fidei noſtræ, eſt evidens ac manifeſta, quandoquidem proprium & ſpeciale amori eſt unire & conjungere, eò quòd convertat amantem in rem amatam, & faciat ecſtaſim, ut ait D. Dionyſius *m* *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam qua amantur.* Si autem amor qui in nobis reperitur, tali virtute & facultate eſt præditus, potiori ratione Amor Divinus, qui eſt cauſa & origo fontalis amoris noſtri, & omnium amorum, quos videre eſt in creaturis participatos, eoſdem operabitur effectus. Amor igitur Dei Patris ad Deum Filium, & Dei Filii ad Deum Patrem, qui eſt Spiritus ſanctus, unit Patrem & Filium in eadem eſſentia & natura, & propter hoc Spiritus ſanctus qui procedit per viam voluntatis Patris & Filii in unitate principii, dicitur vinculum amoris, utputà Patris & Filij, cùm ſit ipſorum nexus & unio: & quia in eſſentia & natura Divina nihil eſt invenire quod non ſit Deus, cùm Spiritus ſanctus ſit in eadem eſſentia & natura, in qua eſt Pater & Filius, conſequens eſt ut ſit verus Deus veluti Pater & Filius. Sic fides perſuadet nobis credendum eſſe unum Deum in tribus perſonis. Debuerunt igitur homines omni tempore credere explicitè, id eſt, habere cognitionem explicitam, determinatam, & particularem ſaltem duorum horum fidei noſtræ principiorum, quæ omnia alia complectuntur, nimirum eſſe unum Deum in eſſentia & natura, & hunc Deum eſſe trinum in perſonis, cujus amabilis Providentia univerſim ſuper omnes diffunditur creaturas; ita ut non ſufficiat dicere ſimpliciter: Credo quidquid credit ſancta Mater Eccleſia, & quidquid et Deus revelavit; ſed fides noſtra determinanda eſt in ſpecie ad omne id, quod in particulari credere tenetur unuſ-

m D. Dio. l. de Div. Nom. c. 4

Digitized by Google

unuſquiſque Chriſtianus, vel ſaltem callere hæc duo debet principia, Deum eſſe, & Bonorum ſe remuneratorem exhibiturum eſſe: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* n Non eſt tamen dicendum, omnes homines debere in ſpeciali æqualem cognitionem habere myſteriorum noſtræ fidei; cùm enim D. Paulus o obliget Epiſcopos ad ſublimem cognitionem myſteriorum noſtrorum, ad inſtruendos ſimplices, & rudes catechizandos, eos illuminando in dubiis circa fidem, conſequens eſt non teneri nos omnes habere ſpecialem cognitionem myſteriorum noſtrorum, quam ſaltem habere debemus unitatis & Trinitatis Dei, quarum anima noſtra eſt imago perfectiſſima.

n Hebr. 11. 6.

o Tit. 1. 9.

Cùm igitur habeamus in nobis imaginem unitatis & Trinitatis Dei, quâ reverentia imaginem iſtam debemus excipere? quanta ſolicitudine eam in perfectione ipſius conſervare tenemur? Si verò honorem exhibemus imaginibus Ieſu Chriſti Domini noſtri, & Mariæ Matris ipſius ſanctiſſimæ; ſi eas in honeſtis collocamus locis; ſi ante illas cereos ac lampades accendimus; ſi illas ſuper altaribus noſtris reverenter deponimus; & ſacrilegium foret, ſi quis malitioſè eis dedecus inferret, & unumquemque *zelus?* p comederet ad talem injuriam ulciſcendam; quantò majori reverentia debemus excipere animas noſtras, quæ ſunt vivæ Divinitatis imagines, & excellentiores primis ob duplicem rationem; Prima eruitur è parte imaginis repræſentantis, quia ipſa eſt è ligno, aut è lapide, aut ex argento, aut ex auro, aliave pictura corruptibili, & ſenſus expers; at anima rationalis eſt immortalis, q & ſpiritualis, & Naturæ Divinæ conſors, ſine ulla comparatione rerum omnium corporearum excellentiſſima, & naturæ ita ſublimis ut nulla materia compoſitionem ipſius ſit ingreſſa; ſed à Deo fuit ipſa immediatè creata r ſine ulla materia; ita ut nihil ſit corporeum quod cum ea mereatur comparari; *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſuâ s?* Secunda ratio iſtius eſt, quia anima rationalis eſt omnium aliarum creaturarum excellentiſſima, ratione rei repræſentatæ; per imaginem quippe, aut figuram ligneam, ſive ex alia materia compactam repræſentatur tantùm Humanitas Ieſu Chriſti Domini noſtri, aut Beatiſſima Virgo Maria, vel quilibet alius Sanctus; ſed per animam repræſentatur unitas & trinitas ineffabilis t Divinitatis; quantò igitur majus ſacrilegium erit huic imagini injuriam irrogare? Alii eam dividunt, ut ſunt furioſi, contra id quod dicitur: *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus u.* Quod pejus eſt peccatum, quàm occidere; qui enim occidit, mortem infert corpori, & animæ x per accidens; ſed qui injuriam ulciſcitur, animam ſuam permit. Nunquid non inſignis amentia eſt, ſeipſum occidere, ut damnum alteri inferatur? *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Et ratio iſtius eſt, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo y.* Alii non dividunt, nec frangunt hanc imaginem, ſed in ignem eam projiciunt, ut avari, cùm avaritia ſit ignis, qui accenditur in corde avari ut divitias per fas perque nefas ſibi comparet. Alii eam inter ſtercora dehoneſtant, ut lubrici, cùm impuritas ſit fovea infectionis; *Fili ſerva in manſuetudine animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum; peccantem in animam ſuam quis juſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam z?* Quare hoc? Quia anima noſtra eſt imago Dei, capax gratiæ ipſius in hoc mundo, & gloriæ ipſiuſmet in altero.

p Pſ. 68. 10.

q Math. 25. 41. &c.

r Gen. 2. 7

s Math. 16. 26.

t Exod. 6. 3.

u Rom. 12. 19. & Hebr. 10. 30. ex Deut. 32. 35.

x Ezech. 18. 4. & 20.

y Gen. 9. 6

z Eccli. 10. 31. & 32.

IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo. Eccleſia.

SIcut illi qui habitant ſub polis, habent totum annum ſuum diviſum in diem ſex menſium, & in noctem æqualem; & poſt tranſactum tempus ita diuturnum & faſtidioſum ſuſtinendo privationem ſolis, ſi apparere videant auroram illius prænunciam, gaudio exultant immodico, eamque incomparabili ſalutant oblectamento: ita poſt noctem obſcuram legis antiquæ, ecce B. Virgo quæ elevat ſe in conceptione ſuâ ut vera aurora ſalutis noſtræ, præcedit, & annunciat Jeſum noſtrum unicum Solem; & ipſa eſt aurora & principium diei gratiæ, quæ illuminari debebat adventu ipſius, ipſa eſt primus ejus radius, quem apparere facit in mundo, radius bonitatis & miſericordiæ, qui tenebras diſſipare cœpit antiquas, *Progreditur quaſi aurora conſurgens*, ait Eccleſia poſt Salomonem a. Et de Ponte b, *Meritò vocatur aurora, quia ſignum eſt appropinquantis Solis, & ideò maximam ingerit lætitiam mæſtis, conſolationem afflictis, & ægris ſanitatem. Propter quod Conceptio Virginis, ſicut canit Eccleſia, gaudium attulit univerſo mundo: quoniam inſtar auroræ finis fuit præcedentis noctis, quæ univerſum orbem vexabat ex longâ abſentiâ Chriſti promiſſi c, & initium diei ſequentis, quem ſuo ipſe adventu allaturus erat mundo, ſumma eum luce perfundens, & lætitia. Patres antiqui, qui Solis ortum Meſſiæ, ſcilicet, adventum videre deſiderabant, etiam cupiebant videre ortum ſurgentis auroræ, nempe illius virginis, de qua naſciturus erat. Sed quamvis multis lacrymis & precibus poſtulaſſent, multi id non obtinuerunt, quia nondum venerat tempus præſtitutum: cùm autem advenit, orta eſt aurora quæ omnium deſideria cœpit explere.* Salutemus hanc auroram, quæ lætitiam affert mundo generalem, & dicamus ei reverenter, *Ave Maria.*

a Cant. 6. 9.

b De Pont. lib. 9. in Cant. 4. 9 exhort. 5. parag. 4

c ex Gen. 49. 18.

Conceptio aliorum filiorum Adæ digna eſt ut lacrymis defleamur, ſed lacrymis ſanguineis, quia concepti *in iniquitatibus, & in peccatis d*, quæ ſunt hæreditas infortunata, quam infœlix iſte Protoplaſtus, *in quo omnes peccaverunt e*, dereliquit poſteritati ſuæ pro ſtipendio, naſcimur omnes peccatores, *natura filij iræ* †, & mortis, æquè ac Pater ipſorum miſer, qui Divinæ Majeſtatis reus effectus inobedientiâ ſuâ, cùm vetito *de fructu comedit f*, generalem maledictionem

d Pſ. 50. 7 ex Job. 14. 4.

e Rō. 5 12

† Epheſ. 2. 3.

f Gen. 3. 6 &c.

invexit ſuper omnes poſteros ſuos, de quibus
g Job. 3. 2. omnibus dicebat Job *g*, in perſona ſua, *Pereat
dies, in quâ natus ſum: & nox, in quâ dictum eſt,*
h D. Bern. ſerm. 2. Pent. *Conceptus eſt homo.* Jure merito ſuam deplora-
bat Job miſeriam, cum D. Bernardus *h* aſſerat
nos damnatos priuſquàm natos, quia priùs amit-
timus lumen gratiæ, quàm fruamur lumine diei:
*In utero damnati antequam nati: quia de pecca-
to, & in peccato concepti.* Sed B. Virgo concipitur
hodie filia Dei ſtatim ac filia Adæ, ipſa eſt ſancta
priuſquàm nata, imò verò ab ipſo primo ſuæ Con-
ceptionis inſtanti; vivit ipſa Deo priuſquàm vivat
i Oſe 6, 3. ſibi; & in eâ gratia præcedit naturam: *Et ſicut de
Christo Domino prædixerat Oſeas i: Quaſi diluců-
lum (ſeu aurora) præparatus eſt egreſſus ejus:
quia in ortu ſuo novam erat allaturus lucem mun-*
k De Pont. lib. 9. in Cant. 6. 9. exhort. 5. parag. 4. *do*; dicit de Ponte *k*: *ita Mater ejus ab inſtanti
ſuæ Cõceptionis immaculatæ cœpit egredi, progredi,
& apparere tanquam aurora conſurgens, non qui-
dem expellens tenebras, quas vel unico momento*
l ex Malach. 4. 2. *habuerit, ſed quia à Sole juſtitiæ l poſteà ex ipſâ
naſcituro, in eo inſtanti illuminata eſt.* Sicut igi-
tur peccatum eſt deflendum, quia lacrymas me-
retur, & gratia Dei debet eſſe unicum moti-
vum gaudii noſtri, hæc Conceptio B. Virginis,
quæ fit in gratiâ, eſt ab omnibus celebranda præ
lætitiâ, cùm ſit tota pura, & immunis ab omni
peccato. Sed id quod ſubminiſtrabit nobis aliud
motivum gaudii, erit, ſi conſideremus, quòd
non ſolùm B. Virgo concipitur ſine peccato,
ſed inſuper concipitur pro peccatoribus: ſicut
m Jo. 1. 14. enim *Verbum caro factum eſt m*, ut ſuccurreret
n Luc. 19. 10. miſeriis noſtris: *Venit enim Filius hominis quæ-
rere & ſalvum facere quod perierat n*: ita B.
Virgo concipitur hodie ut ſit Mater ejus propter
eundem effectum: Ideò repræſentatur nobis
o Cant. 6. 9. *pulchra ut Luna, electa ut Sol o.* Sicut enim Sol
& Luna ſuper nos influunt: ita Maria ſuas favo-
Propoſitio. rabiles nobis communicat influentias. Quod in-
ducit me ad oſtendendum in progreſſu diſcurſus
iſtius, quòd, cùm beatiſſima Virgo concepta ſit
in gratiâ, hæc Conceptio præ gaudio celebrari
debet univerſali.

Sicut agnoſcere debemus tres gratias, gratiam
p Gen. 2. 27. Adæ in juſtitia originali *p*, ſeu gratiam legis na-
turæ; gratiam legis ſcriptæ, ſive Moſaicæ ante
q Gen. 49. 18. adventum Jeſu Chriſti, quæ non erat niſi in ex-
pectatione ejus *q*, *Quia Lex per Moyſen data*
r Jo. 1. 17. *eſt r*: Et gratiam Legis Evangelicæ, quæ eſt
s Ibid. *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta s*: B.
Virgo in Conceptione ſuâ ſuſcepit gratiam re-
paratricem gratiæ Adæ, id eſt, quæ tendebat ad
reparandam eam per Jeſum, & modo excellen-
tiori. Habuit ipſa plenitudinem totius gratiæ an-
tiquæ, cùm tota lex intueretur ipſam ut Ma-
trem Meſſiæ. Habuit & ipſa gratiam Evangeli-
cam non ſolùm inſtar unius è rivis & canalibus,
t Eccli. 43. 8. ſed ſicut prima concha, & vas capaciſſimum, &
u Hug. Card. in Eccli. 43. 2. proximum, & maximè unitum origini, capiti, &
principio gratiæ, nempe Chriſto Filio ſuo, quia
ipſa inſervivit ut organum & vas myſterio Incar-
nationis adimplendo, *Vas admirabile opus ex-*
x ex Gen. 6. 14. *celſi*, ait Eccleſiaſticus *t*, unus ex avis ejus. Et
y ex Hebr. 9. 4. Hugo Cardinalis *u*, *Vas admirabile, beata vir-
go, Arca Noë x, urna aurea plena manna y, Pera*
z ex 1. Reg. 17. 4. *David z, Thronus Salomonis, Fecit Rex Salomon*
a 3. Reg. 10. 18. *thronum de ebore grandem a. Opus excelſi. Et
qui creavit me, requievit in tabernaculo meo b.* Et
b Eccli. 24. 11. per relationem ad hanc eminentem qualitatem
Divinæ Maternitatis Jeſu, ipſa habuit in Conce-
ptione ſua omne genus gratiæ, *In me gratia omnis

vitæ & veritatis* †. Seu, ut legunt Manuſcripta, † Eccli. 24. 25.
via, loco *vitæ*, ipſa ſemper adhæſit viis Domini,
ſicut ipſamet proteſtatur alibi in eadem Scrip-
tura *c*, *Dominus poſſedit me in initio viarum* c Prov. 8. 22.
*ſuarum antequàm quidquam faceret à princi-
pio.* Vel, ut vertunt Septuaginta apud Salazar *d*, d Salaz. in Prov. 8. 22. expoſit. 5. de Virg. Deip. n. 159.
*Dominus creavit me initium viarum ſuarum ad
opera ſua. Id eſt, Dominus in decretis ſuis, ac
prædefinitionibus, quibus Sanctos ad gratiam, &
gloriam deſtinat, mihi primatum addixit, ac per
me capit inſtaurare, ac reficere opera ſua*, ſubdit
idem Salazar. Quod innuit nobis, quòd Deus ab
æternitate ſua diſponens per ordinem omnes
creaturas ſuas, poſuit Mariam primam, eam ele-
git, & dilexit præ omnibus creaturis; & ſic ipſa
eſt prima, non quantùm ad executionem; omnes
enim antiqui illam præceſſerunt, ſed in inten-
tione; ipſa non eſt prima ſecundùm tempus, ſed
per excellentiam, & per dignitatem: nam quan-
tùm ad Filium ejus Jeſum Chriſtum, non debe-
mus eum collocare in ordine creaturarum: ita
ut, ſicut cùm *in principio creavit Deus cælum
& terram*, ſuum præcipuum habebat idem Deus
intuitum erga *hominem e*, qui eſt parvus mun- e Gen. 1. 1. & 26.
dus, & compendium iſtius magni; ita diſponens
ſapientia ſua mundum naturæ, gratiæ, & gloriæ,
ſuam primam cogitationem injecerit ſuper Ma-
riam poſt Jeſum. *In me gratia omnis vitæ triplicis,
naturæ, gratiæ & gloriæ*, ait Hugo Cardinalis *f*, lo- f Hug. Card. in Eccli. 24. 25.
quens de Sapientia increata ſuper præfata verba
Eccleſiaſtici, & conſequenter de illius Genitrice,
ſecundùm communem expoſitionem Interpre-
tum qui Mariæ applicant ut plurimùm ea quæ di-
cuntur de Filio. Propterea D. Bernardus *g* Ma- g D. Bern. ſerm. 2. Pent.
riam vocat *Negotium ſæculorum.* Deus volebat
illam perficere ut opus eximium manuum ſua-
rum in natura, in gratia, & in gloria. Nonne de-
bemus nos eam intueri, cùm Deus illam fuerit
intuitus; diligere eam, cum Deus illam dilexerit;
honorare illam ut excellentiſſimam, perfectiſſi-
mam, & ſanctiſſimam omnium creaturarum; &
gaudere propter gratiam ſpecialem, quam ipſa
ſuſcepit in Immaculata Conceptione ſua, cùm h Eccli. 24. 5.
concepta fuerit ſine peccato orignali?

Sapientia attribuit ſibi creationem mundi,
*Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante o-
mnem creaturam h.* Seu, ut ait Hugo Cardinalis
in hunc locum, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi. Et* i Pſ. 148. 5.
*omnis creatura ex ore Altiſſimi prodiit, Quia ipſe
dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata
ſunt i univerſa. Cur ergo pro laude virginis po-
nitur quod omnibus eſt commune? Reſponſio. Quia
ipſa eſt principium Chriſti, eſt os Patris: & quia
de ipsâ ſpiritualiter dixit tota Trinitas, non eſt bo-* k Gen. 2. 18.
*num hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutoriũ
ſimile ſibi k. Primogenita ante omnem creaturam,
id eſt, dignior omni creaturâ.* Hæc igitur verba l ex Luc. 1. 28.
poſſunt attribui poſt Jeſum Chriſtum Matri ipſius,
non ſolùm quia eſt prima omnium creaturarũ, ſed m ex Jo. 1. 14.
quoniam ipſa fuit quaſi motivum & cauſa finalis
creationis mundi, *De hac, ob hanc, & propter
hanc omnis ſcriptura facta eſt, propter hanc* n D. Bern. ſerm. 1. in Salve Reginam.
*totus mundus factus eſt, & hæc gratia Dei
plena l eſt, & per hanc homo redemptus eſt.
Verbum Dei caro factum eſt m, Deus humilis, &* a Salaz. in Prov. 8. 22. expoſit. 2. de Virg. Deip. n. 201.
homo ſublimis, ait D. Bernardus *n*. Sicut
enim *plantaverat Dominus Deus paradiſum
voluptatis à principio, in quo poſuit ho-
minem, quem formaverat o*: id eſt propter
ſolos Adamum & Evam, qui in eo perita pau-
cum tempus habitare debebant, quia ſtatim o Gen. 2. 8.

ac uterque vetito *tulit de fructu, & comedit, emiſit Dominus de paradiſo voluptatis p* utrumque: ſic veriſimillimum eſt, ex verbis D. Bernardi, Deum produxiſſe cœlum & terram & omnes creaturas intuitu ſecundi noſtri Adæ, & ſecundæ Evæ, quæ eſt meliùs quàm prima, *Mater cunctorum viventium q*, qui huncmundum inhabitare debebant per totam æternitatem. *Hinc Eva typus fuit Mariæ, quæ Mater eſt viventium, non temporali, ſed ſpirituali & æternâ vitâ in cœlo. Ita S. Epiphanius. Melior ergo Mater eſt Maria quàm Eva. Eva enim tam morientium, quàm viventium cunctorum mater eſt, & vocari poteſt. Unde Lyranus & Abulenſis, Eva, inquiunt, ſignificat matrem omnium, non ſimpliciter; ſed ærumnosè & miſerè in hâc mortali vitâ viventium*, ait Cornelius *r*. Hoc autem dici poteſt, ſive adventus Filij Dei in mundum occaſionem peccatum primi hominis præbuerit, aut non: quia in executione Deus potuit res ordinare alias pro alijs, & omnes propter Jeſum & Mariam. Debemus igitur affici reverentia erga Mariam, cùm ſit objectum primi intuitus & primi conſilij Dei ad extrà, & cauſa finalis creationis mundi: propter hoc motivum debemus eſſe illi toti addicti, & gaudere propter gratiam, quam ipſa ſuſcepit in Immaculata Conceptione ſua. Sicut enim ipſa fuit objectum primi intuitus Dei; ita etiam ipſa tres habet aſpectus in Conceptione ſuâ. Primus eſt erga Deum. Secundus erga Chriſtum Filium ſuum. Tertius eſt erga creaturas, Angelos, & homines: omnes autem gaudent in Immaculatâ Conceptione ipſius. Primus intuitus ejus eſt erga Deum: ipſa enim tota concipitur propter Deum, & ſpecialiter pertinet ad ſanctiſſimam Trinitatem. Volens creare Deus hominem, quaſi conſilium iniit ſuper hoc eximium opus manuum ſuarum, *Et ait: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram s*. Sed propter amorem redemptionis noſtræ tria habuit veluti conſilia. Primum habuit ſuper B. Virginem, *Sicque interpretandus eſt Auguſtinus in ſermone de Annunciatione, ubi Mariam æterni conſilij opus eſſe dixit, id eſt, tale eſſe, ac tantum opus, ut ſi Deus conſilio, & meditatione previâ indigeret ad res agendas, ad illud efformandum æternam meditationem præmittere oporteret*, ait Salazar *t*. Secundum ſuper incarnationem Verbi *u*. Tertium ſuper crucem & mortem ejus *x*. Trinitas conſiliorum, quæ mutuam ad ſe invicem habent relationem; ſicut enim B. Virgo fuit tota ad ferendum Verbum incarnatum; *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens y*: *Id eſt, genui Chriſtum, qui eſt in cœlis lumen indeficiens*, ſubdit Hugo Cardinalis *z*: ita idem Verbum incarnatum ſe totum retulit & conſecravit holocauſto crucis, *Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationē & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis a*. Tria poſſumus ſimiliter agnoſcere conſilia admirabilia Dei ſuper B. Virginem, unde tres ineffabiles emanaverunt excellentiæ. Primum fuit ſuper momentum Conceptionis ejus, quod elevavit illam ad ſanctitatem ſingularem. Secundum ſuper momentum Incarnationis Verbi in illa perfectæ, quod fecit eam Dei Genitricem. Tertium ſuper momentum mortis ejus *b*, quod tribuit illi gratiam conſummatam. Primum & tertium referuntur ad ſecundum ut ad centrum ſuum, & ad cauſam omnium magnitudinum B. Virginis. Sed

p Gen. 3. 4. &c.
q Gen. 3. 20.
r Cornel. in Gen. 3. 20. citans D. Epiph. hæreſ. 78
s Gen. 1. 26.
t Salazar in Prov. 8. 23. de Virg. Deip. n. 291.
u Iſai. 6. 2. & 9.
x Pſ. 39. 7. &c.
y Eccli. 24. 6.
z Hug. Card. in Eccli. 24. 6.
a Epheſ. 5. 2.
b Cant. 8. 6.

quænam fuerunt cogitationes amoris, & conſilia ſpecialia ſanctificationis, & elevationis, quæ habuit ſuper B. Virginem, ipſo inſtanti Conceptionis ejus; ſuper omnia momenta ejus, & per illam ſuper animas? Ipſe ſolus ſcit qui eſt *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu c*. Ipſemet autem gaudet in hac ſolemnitate. Etiam, Auditores. Pater æternus gaudet: dicitur enim diem feſtum agere, cùm aliquod beneficium creaturis impertitur. Feſtum egit in memoriam creationis, *Deus requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat d*. Et præcepit omnibus ut idem feſtum celebrarent, *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices e*. Deinde, Inſtituit ſingulis annis celebrandum feſtum Paſchæ *f* propter exitum populi ſui è ſervitute Ægypti *g* & feſtum Pentecoſtes *h* pro eo quòd illi legem dediſſet *i*: atqui nunquam majus conceſſit beneficium beneficio Incarnationis; quod per Mariam erat conſummandum. Verum quidem eſt, quòd per creationem datur nobis eſſe naturale, per juſtificationem eſſe gratuitum *per gratiam k*. Sed per Incarnationem perſona Verbi communicata fuit naturæ humanæ in eſſe reali & perſonali, non per participationem, ſed eſſentialiter. Si autem dicatis, quòd hæc perſonæ communicatio non eſt communis omni homini, ſed ſolùm iſti naturæ creatæ à Deo pro Filio, qui eam aſſumpſit, cùm creatio extendatur ad bonos & ad malos, juſtificatio ad omnes Juſtos, & glorificatio ad omnes Beatos: Reſpondeo quòd iſtud eſt verum, ſi pura Incarnatio ſumatur in ſemetipſa: ſi autem addatis ei myſterium Euchariſtiæ, ubi quilibet fidelis fit particeps corporis Jeſu Chriſti, qui ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo l*; habebitis extenſionem Incarnationis ejuſdem Jeſu Chriſti, & B. Virginis ad omnes fideles, qui illud ſuſcipiunt: ſi enim Deus eſt natus *m* circumciſus *n*, *baptizatus o*, fecit miracula *p*, ſuſcitavit mortuos, *q*, & ipſemet à mortuis *ſurrexit*, *& aſſumptus eſt in cœlum r*; ideò quia conceptus & incarnatus eſt *in utero s* B. Virginis: hæc autem B. Virgo debebat eſſe tota pura momento Incarnationis ipſius: ſi enim non fuiſſet incarnatus, non fuiſſet natus, &c. & ſic nulli fuiſſent Martyres, Confeſſores, Virgines, &c. quia omnes homines hanc Incarnationem participant: nec ullus eſt Sanctus in cœlo, aut in terra, qui non gaudeat, aut qui non debeat gaudere, cùm ipſemet Pater æternus gaudeat in hac Immaculata B. Virginis Conceptione, quæ ordinatur ad Incarnationem Filii ipſius.

Spiritus ſanctus gaudet, quia factus eſt aliquo modo ſpecialiùs Sponſus B. Virginis. Omnes fideles ſunt illius Sponſi, & hoc Matrimonium contrahitur in Baptiſmo, in quo renaſcimur *ex aqua & Spiritu ſancto t*, & fides nobis infunditur, *Sponſabo te mihi in fide u*. Per quam Spiritus ſanctus promittit gloriam animæ, anima verò pollicetur ſe abrenunciaturam eſſe *Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus*, ſicut ab unoquoque fideli baptizando requirit Eccleſia, ſeque ſoli Deo ſervituram. B. Virgo facta eſt Sponſa Spiritus ſancti ſpecialiùs in actu Incarnationis: & hoc eſt quod *reſpondens Angelus dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, poſtquàm ipſamet eundem *dixit ad Angelum*, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco x*. Quaſi diceret ei Angelus, Spiritus ſanctus perfungetur vice Sponſi,

c Jer. 32. 19.
d Gen. 2. 2.
e Exod. 20. 8.
f Levit. 23. 5. &c.
g Exod. 12. 22.
h Levit. 23. 10.
i Exod. 34. 28.
k Rom. 3. 24.
l Joan. 6. 56.
m Luc. 2. 7.
n Luc. 2. 21.
o Matth. 3. 16.
p Matth. 8. 3. &c.
q Luc. 7. 14.
r Marc. 16. 6. & 19.
s Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
t Joan. 3. 5.
u Oſee 2. 20.
x Luc. 1. 34. & 35.

licèt non ſit verè pater Jeſu Chriſti, *Conceptus eſt de Spiritu ſancto.* Quia id omne, quod concurrit ad generationem infantis, non poteſt dici pater, cùm Sol & Planetæ ſuis influentiis concurrant ad generationem, nec tamen ſint patres: ſed oportet ut pater det partem ſubſtantiæ ſuæ, è quâ formetur corpus infantis; Spiritus autem ſanctus nihil tribuit corporale, quia *Spiritus eſt Deus y*, ſed ſolùm colligit ſanguinem puriſſimum B. Virginis, ex quo format corpus Jeſu Chriſto in ſinu ejuſdem Matris ejus; & licèt opera Dei ad extrà ſint communia tribus divinis perſonis: *Neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis*, ait D. Auguſtinus z: tamen hoc opus attribuitur Spiritui ſancto, cùm ſit maximæ ſanctitatis & dilectionis; ipſe Spiritus ſanctus ſit fœcundus in tempore, licèt ſit ſterilis in æternitate, ubi nihil producit, cùm ſit terminus omniũ productionum ad intrà.

Filius Dei gaudet: & hic eſt ſecundus intuitus Mariæ in Conceptione ſuâ erga Jeſum Chriſtum & ſacram ejus humanitatem. Et ſicut *plantaverat Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formaverat a*: ita plantavit hunc ſpiritualem *paradiſum voluptatis à principio*, nimirum B. Virginem ab inſtanti Conceptionis ipſius, ut in eo collocaret ſecundum Adamum Filium ſuum, qui formandus erat à Spiritu ſancto, *Quem peperit Sponſa cæleſtis Maria, quæ eſt cælum, templum, & thronus Divinitatis, inexplicabile paradiſi monile*, ait D. Epiphanius b. Quanam donatur Maria felicitate ut ſit deſtinata ad officium ſic illuſtre, *Sapientia ædificavit ſibi domum c*. Hoc inducit eundem D. Epiphanium ad dicendum ei præ congratulatione aliquantò antè, *Sancta Maria Virgo Deipara beata tu inter mulieres d, quæ genuiſti eum, qui olim in paradiſo formavit Adam è luto e*. Dei Filius igitur gaudet, quia in hoc templo ſancto uteri Matris ſuæ, novis induitur inſignibus, ſeu novo veſtimento, *Creavit Dominus novum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum*, dicit Jeremias f. Ait Propheta, *Creavit*, in præterito, licèt prædicat de futuro, quod ordinarium eſt Prophetis, quia illud quod annunciant, ita certum eſt ac ſi jam eveniſſet. *Fœmina circumdabit virum. Id eſt Chriſtum, quia licèt Chriſtus, quà homo, conceptus, & naſcens, ſtaturâ & ætate ſit Infans: eſt tamen a primo ſuæ conceptionis inſtanti vir, ſapientiâ, gratiâ, & gloria perfectus* ait Cornelius g. Seu, Perfectus fuit, ad differentiam aliorum hominum: cõceptus enim fuit cum omnibus organis ad ſuſcipiendam animam requiſitis, quod non invenitur in aliis: humanitas autem ejus fuit velut indumẽtum, ut ait Apoſtolus h, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. In quo invenitur convenientia inter veſtimentum & carnem quia veſtimentum reddit hominem viſibilẽ, & caro Deum viſibilem ſimiliter exhibuit, *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt i*. Veſtis operit corpus, & caro animam: ſed Jeſus Chriſtus duas habuit veſtes, Unam conformem gloriæ ſuæ, ut ait Propheta k, *Dominus regnavit, decorem indutus eſt*: Et in hac qualitate gaudet in Conceptione Mariæ, quatenus Deus. Alteram verò, alienam, quæ eſt humanitas ſua, quam ſuſcepit à B. Virgine, ut ait eidem Mariæ D. Bernardus l, *Veſtis enim ſubſtantia carnis.* Sicut Princeps qui perrecturus ad venandum, Regia deponit indumenta, & ſumit communia, *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Ego qui loquor juſtitiã, & propugnator ſum ad ſalvandũ m*. Id eſt, ad ſatisfaciendũ pro omnib' Deo.

y Joa. 4. 24.
z D. Aug. in Enchirid. c. 38.
a Gen. 2. 8
b D. Epiph. ſerm. de Deipar. Laud.
c Prov. 9. 1.
d ex Luc. 1. 42.
e ex Gen. 2. 7.
f Jer. 31. 22.
g Cornel. in Jer. 31. 22.
h Philipp. 2. 7.
i Baruch 3. 38.
k Pſ. 92. 1
l D. Bern. ſerm. de verb. Apoc. 12. Signum magnum
m Iſai. 63. 1

Tertius intuitus Mariæ in Conceptione ſuâ, eſt erga creaturas: ipſa enim concipitur hodie ut ſit *Regina Angelorum* æquè ac *Regina Sanctorum omnium*, ut concinit illi Eccleſia. Id eſt, ut exerceat imperium ſuum & potentiam ſuam ſuper omnem ſtatum Filii ſui, qui complectitur homines, & Angelos. Angeli igitur gaudent: cùm enim Domini feſtum aliquod celebrant, illud etiam miniſtri participant: membra participare debent commoda capitis: Jeſus Chriſtus eſt Caput omnium eorum qui ſunt in cœlo, & Angeli ſunt velut illius membra, *Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam. n.* Id eſt, ut ait Carthuſianus o, *Militantem, ac triumphantẽ*. Deus præceptum fecit eis ab inſtanti creationis ipſorum, ut adorarent Filium ſuum incarnandũ, *Adorate eũ omnes Angeli ejus p*. Illi antẽ qui illud fideliter obſervaverunt, pervenerunt ad gloriam; alii verò qui rebelles fuerunt, damnati ſunt: *Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cũ illo miſſi ſunt q*. Et quia ſancti Patres non erant habituri gratiam, & gloriam, niſi ratione fidei in Chriſtum venturum, *Protector noſter aſpice, Deus, & reſpice in faciẽ Chriſti tui*, ait Deo David r: *hoc enim directè exponitur de Chriſto Filio Virginis Mariæ, quia inter omnes Reges, vel Sacerdotes inunctos, Chriſtus dicitur per excellentiam, quia per ejus meritum omnes orationes Eccleſia habent effectum*, ait Incognitus s: *Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus*: Et, ut ait idem Incognitus, *Diligit miſericordiam, quia ex miſericordia promittit gloriã: Diligit veritatem, id eſt, juſtitiam: quia juſtè ex promiſſo præmium merentibus dabit: Et hoc eſt quod ſubdit: Gratiam & gloriam dabit Dominus; id eſt, miſericordia dabit gratiã, qua poſſimus mereri, & juſtitia meritis dabit gloriam: Hic enim Pſalmiſta jam Chriſtũ prævidebat, a quo omnibus daretur gratia, de quo dicitur, De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia t*: Sic utrumque non alio habuerunt Angeli modo: *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei u*. Quæ verba ſatis oſtendunt, Deum dediſſe eis alias idem mandatum: ſic illis eſt gaudium accidentale, videre ſedes Angelorum rebellium repletas ab hominibus, *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente x*.

Omnes homines gaudent: debemus enim intueri Mariam ut Mediatricem noſtræ ſalutis, ut inſtrumentum & canalem omnium emanationum gratiæ & dilectionis Jeſu Chriſti erga nos; *Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix quæ unionem naturaliter peregit*, ait D. Epiphanius y. Sicut enim humanitas ſacra Filii ejus eſt organum, & cauſa univerſalis, quæ eſt unita unitate ſuppoſiti, divinitati, omnium operationum quæ producentur in æternitate, ita Maria eſt inſtrumentum ſubordinatũ & intimè unitum huic humanitati media gratia Matris Dei, ita ut Deus operetur univerſa verbo ſuo, *Omnia per ipſum facta ſunt z*. Verbum iſtud cuncta faciat humanitate ſua; & hæc humanitas omnia peragat interventu Mariæ. Sic recurrimus ad Jeſum per Mariam, & per Jeſum ad Patrem;

n Epheſ. 1. 17 & 22.
o Dion. Carth. art. 1. in Epheſ. 1. 22.
p Pſ. 96. 8
q Apoc. 12. 7. &c.
r Pſ. 83. 10 & 12.
s Incogn. in Pſ. 83. 10. & 12.
t Joan. 1. 16.
u Hebr. 1. 6 ex Pſ. 96. 8.
x Luc. 15. 10.
y D. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
z Jo. 1. 3.

trem: *Ipſa enim eſt Mediatrix* noſtra erga Jeſum, ut intimam verba D. Epiphanij præfata, ſicut apud Patrem *Unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*, ait D. Paulus *a*. Et hoc eſt quod ſingulis nobis dicit D. Bernardus *b*, *Ad Patrem verebaris accedere ſolo auditu territus ad folia c fugiebas: Jeſum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentiâ ſua d. Pater enim diligit Filium e. An vero trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt & caro tua tentatus per omnia abſque peccato f, ut miſericors fieret g. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan & an in ipſo majeſtatem vereare divinam, quod licèt factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Mariâ: non modò pura ab omni contaminatione; ſed & pura ſingularitate natura. Nec dubius dixerim, Exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater.* Habemus ergo magnam occaſionem lætandi: Dicite enim mihi, Auditores: Si quis damnatus eſſet ad carcerem uſquedum ſolveret id quod ſolvere debet creditori ſuo, qui haberet ſchedulam, quâ declararet ipſe eſſe illius debitor; & interim aliqois miſericordiâ ductus ſolveret omne debitum creditori, & debitoris chirographum laceraret, qoo gaudio perfunderetur debitor ille, qui ſic priſtinam recuperaret libertatem? ſic Jeſus Chriſtus *delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipſum tulit de medio, affigens illud cruci h*, interventu Mariæ, quæ ſubminiſtravit illi unde pati poſſet, tribuens ei corpus. Si ſummus Pontifex, vel Rex Chriſtianiſſimus ingentem pecuniæ ſummam mitteret ad redimendos omnes captivos, quanta lætitia cumularentur univerſi illi qui detinentur in vinculis? Si Pater aliquis veniret ex India, & navis ejus eſſet tota theſauris onuſta, quantùm exultaret tota familia ejus? Sic Jeſus Chriſtus venit, & attulit nobis theſaurum infinitum meritorum ſuorum, & ſatisfactionum ſuarum, quæ ditant nos ſpiritualiter: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei i.*

Ipſa autem B. Virgo gaudet, cùm ipſa non concipiatur, niſi ut ſit Mater Dei, *Pete Mater mea: neque enim fas eſt ut avertam faciem tuam k.* Hæc enim verba dicta à Salomone matri ſuæ Bethſabee, nobis oſtendunt quanta ſit qualitas Matris Dei. Si autem velitis illam meliùs adhuc agnoſcere, ea vobis apparebit ex verbis iſtis Davidis, *l* quæ benè intellecta, ſupereminentem illius dignitatem vobis exhibebunt intuendam. Loquitur Pſalmiſta de B. Virgine, & ait, *Fundamenta ejus in montibus ſanctis; diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.* Sed præſertim tria. Primum quod dicitur de B. Virgine, eſt quòd ſit *civitas Dei.* Sicut enim Roma eſt civitas ſummi Pontificis, quia in eâ habitat; & Pariſii civitas Regis Chriſtianiſſimi, quoniam in eâ Curiam ſuam habet; ſic Maria eſt civitas Dei, quia Ieſus Chriſtus habitavit in ea corporaliter novem menſibus, & Deus ſemper ſpiritualiter, & ipſa nunquam ab eo fuit expulſa per peccatum mortale, nec elongata per peccatum veniale. Secundum, *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Per Sion, quæ erat arx benè munita. (*Cepit autem David arcem Sion, hæc eſt civitas David*) *m*, intelligitur B. Virgo: per Jacob, intelliguntur omnes Sancti: igitur *diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, id eſt, pluſquàm omnes alios Sanctos: ideò quia concipitur hodie ſine peccato originali, nedum ſit unquam contractura actuale. Tertium, *Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam Altiſſimus?* In quo aperitur myſterium qualitatis eminentis Maternitatis Dei: ſic enim eſt illud exponendum. Sed hoc myſterium poteritne ſic adimpleri in mundo, ut homo dicat, quòd Sion eſt talis civitas, ut ille qui poſuit ipſius fundamenta, ſit in eâ interiùs homo, & homo? Hoc factum eſt in ſinu Mariæ, & hoc habemus in Scripturâ, *Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & Principum.* Qui ſunt apices humiliumi, & filiorum Dei adoptivorum, & hæredum cœli.

Affectus devotionis noſtræ debet iſtod myſterium comitari per humillimas gratias, quas agere debemus toti Trinitati pro omnibus creaturis. Angeli ſe gratos debent exhibere Deo, quia ea quæ concipitur hodie, eſt ipſorum Regina: Patres antiqui, quoniam ipſa eſt egreſſa *virga de radice Ieſſe*, è quâ debebat oriri *flos n* omnis ſpei ipſorum: Juſti, & peccatores, eò quòd ipſa ſit mater vitæ, inventrix gratiæ, & noſtræ ſalutis mediatrix, ſicut illam ſalutat D. Baſilius Seleucienſis, *o Ave gratia plena p. Ave qua inter Deum & homines mediatrix intercedens efficis ne interjectus inimicitia paries tandem aliquando evertatur, terrenaque cœleſtibus conjungantur q*: Gratias agere debemus Patri æterno pro eo quòd fecit quòd B. Virgo conciperetur, & pro eo quòd illam reſpexit ut Filiam ſuam: Filio pro eo quòd elegit eam ut Matrem ſuam, & Spiritui ſancto pro eo quòd illam aſſumpſit ſibi in Sponſam, & pro eo quòd ſub iſtis omnibus titulis invigilat ipſa commodis noſtris: *Hæc enim cùm ſit Dei Patris Filia, Filii Dei Mater, Spiritus S. Sponſa, quidvis obtinet. Quid enim non impetret Filia à Patre, Mater à Filio, & Sponſa à Sponſo? r*

Appoſitè loquitur ad rem noſtram Joannes Geometra, *ſ* cùm B. Virginem ſic ſalutat,

Salve Ius dirimens lites.

Hoc autem verificatum eſt ſtatim ac Angelo *dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum t.* Et qui uſque ad illud tempus bella fuerant æquè ac diſſidia inter Deum & homines, inter homines & Angelos, ita ut quereretur Job *u*, *Non eſt qui utrumque valeat arguere, & manum ſuam ponere in ambobus:* Quaſi diceret, Poſſibilene eſt ut nemo inveniatur qui ſuſcipiat reconciliare hominem Deo? Angeli etiam disjuncti erant ab hominibus: ſicut enim videbant, quòd Deus ſuam faciem ſemper oſtenderet irritatam adversùs homines, videbantur ipſi complacere ſibi ut eſſent miniſtri juſtitiæ ejus exequendæ contra eos *x*: ed ſtatim ac *dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, omnia diſſidia, & univerſa bella finem ceperunt, & hoc innuunt verba præfata Joannis Geometræ. Sicut enim Jus docet peritos & ignaros, ita B. Virgo vocatur Jus, quia ipſa docet Cherubinos illuminatiſſimos: proptereà vocatur à D. Epiphanio *y*, *Cherubim trajcēdēs.* Immò & hoc ſonat ipſius nomē, ut ait aliquātò antè idē D. Epiphanius, *Rurſum itaq; præclara Puella Maria bea[...] nomē interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cūctos uſq; ad terminos terræ credētes Trinitati illuminaverit.*

a 1. Timoth. 2. 5.
b D. Bern ſerm. in Nat. vit. B. M.
c ex Gen. 3. 7.
d ex Heb. 5. 7.
e Joan. 5. 20.
f ex Hebr 4. 15.
g ex Hebr 2. 17.
h Coloſſ. 2. 14.
i Sap. 7. 14.
k 3. Reg. 2. 20.
l Pſ. 86. 1. &c.
m 2. Reg. 5. 7.
n Iſai. 11. 1.
o D. Baſil. Seleuc. conc. de V rb. Incarn.
p Luc. 1. 28.
q ex Epheſ. 2. 14. &c.
r Cornel. in Act. 1. 14.
ſ Joan. Geomet. Hymn. 4 in Deipar.
t Luc. 1. 38.
u Iob. 9. 33.
x Gen. 19. 13. &c.
y D. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.

z Heſych. ſerm. 2. de Laud. b. Deip.

Ideò etiam Heſychius z nuncupat illam, *Cathedram non inferiorem cathedrâ Cherubicâ.* Quæ nimirum methodum docet operando ſalutis ignaros, qui more beſtiarum ſunt in præſepi animalitatis ſuæ, propter quod idem D. Epiphanius aliquantò pòſt inſignit eam etiam titulo præſepis, *Virgo ſiquidem præſepe.* Tertullianus a vocat lacrymas, in quas erupit Salvator in nativitate ſuâ, & ſanguinem quem effudit in circumciſione ſuâ b, *Originalia inſtrumenta Chriſti. Id eſt, teſtimonia & loca quæ fidem faciebant ortus ac provectus*, exponit P. Georgius Ambianas Capucinus c. Cùm aliquis tenet poſſeſſionem quandam, & intenditur ipſi lis dicendo quòd eam injuſtè teneat, breviſſima via conciliando & conſervando juri ſuo opportuna, eſt ut recurrat ad copias ſacculares & inſtrumentarias originales, per quas oſtendit quomodo talem poſſeſſionem emerit, & ideò quòd illam jure merito teneat: in veteri Teſtamento videbatur Angelis, quòd magis Deo communicarent quàm homines; acquirebant ipſi tot poſſeſſiones quot poterant, & manna, quod erat figura Dei, vocaverunt *Panem Angelorum d.* Sed iſta lis perducta fuit ad victoriam in gratiam hominis in Incarnatione. Id autem, quod intendit Tertullianus, eſt, ut primæ lacrymæ, & primæ guttæ ſanguinis, quas effudit, illas in nativitate: *Lacrymatus eſt Jeſus in ſuâ nativitate, ſecundùm ſanctos Doctores*, ait Dionyſius Carthuſianus e: iſtas autem in circumciſione, ſint veluti *Originalia inſtrumenta*, ut occluderet os Angelis, ſi deinceps præſumerent aliam hominibus litem intendere. Cauſam præſtat Iſaias f iſtam cauſam, *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* Quaſi diceret, Suas deponant Angeli pretentiones, cùm Deus ſe incarnaverit pro hominibus in Mariâ. Quæ hodiernâ die concipitur propter hunc magnum effectum. Ad quod refertur iſtud D. Bernardi loquentis g de Salvatore, *Totus mihi datus, totus in meos uſus expenſus.* Ob eandem rationem B. Virgo nata eſt Autumno tempore vindemiarum, & mortua eſt menſe Auguſto tempeſtate meſſium; quia ſtatutum eſt à legibus h ut tempore meſſis & vindemiarum tribunalia juſtitiæ eſſent clauſa, ita ut tum nulla notitia poſſit alicujus rei, aut litis, quò collectio frumentorum & vinorum fiat opportuniùs: unde licet nobis dicere, quòd B. Virgo naſci voluit tempore vindemiarum, & aſſumi in cœlum tempeſtate meſſium, ut clauderet tribunal Juſtitiæ Divinæ, ne eadem Divina Juſtitia ſumeret aliquam notitiam criminum noſtrorum puniendorum, ideò meritò Maria vocatur *Jus dirimens lites.*

a Tert. lib. de Carne Chriſti c. 2

b Luc. 2. 7. & 21.

c Georg. Amb. Cap. Schol. in c. 5. in princ.

d Pſ. 77. 25.

e Dion. Carth art. 45. in Luc. 19. 42.

f Iſai. 9. 6.

g D. Bern. ſerm. 3. de Circumciſ.

h L. in princip. & L. Præſides D. de feriis.

Debemus conari facere die iſtâ ad honorandum hoc feſtum Conceptionis Immaculatæ B. Virginis, conceptionem ſpiritualem; ingredi debemus in renovationem noſtræ devotionis & pietatis erga illam; debemus eam enixè deprecari ut ipſa concipiatur in nobis, cùm myſteria iſtius ſacratiſſimæ Genitricis, æquè ac myſteria Filij ipſius debeant eſſe perpetua; & ſemper in nobis renoventur: & ſicut ipſa concipitur hodie ut ingrediatur vitam ſuam humanam, vitam miſeriarum & paſſionum nobiſcum; ita nos concipiamur ſpiritualiter, ut renaſcamur in novam vitam gratiæ & ſpiritus cum ipsâ, in adhæſionem vijs ipſius, in dependentiam à voluntatibus ipſius, & in communicationem gratiarum & miſericordiarum Dei ſuper ipſam. Debemus illi dilectionem, reverentiam, & gratitudinem pro agnoſcendis bonis, quæ ipſa nobis procurat.

Eccleſia non celebrat, niſi triplicem Conceptionem. Prima eſt Conceptio B. Virginis præſervatæ à peccato originali, & cui ideò eadem ſancta Eccleſia attribuit hæc verba, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te i.* Secunda, eſt Conceptio, ſeu, ut meliùs dicatur; ſanctificatio D. Joannis Baptiſtæ à peccato originali celebrata ſub titulo Viſitationis B. Mariæ: nam poſtquàm de illo *ait Angelus, Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ: exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum feſtinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth: factum eſt: ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus k.* Tertia, eſt Conceptio Jeſu Chriſti culta ſub titulo Annunciationis B. Virginis, cùm Angelo *dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, reſpondens præcedentibus verbis ejuſdem Angeli, *Ecce concipies in utero, & paries Filium l.* Tres Conceptiones quæ figurant nobis tres conceptiones aut regenerationes ſpirituales. Conceptio B. Virginis, quæ eſt initium redemptionis mundi, figurat nobis regenerationem Baptiſmi, qui eſt janua Sacramentorum, qui nos regenerat, & nos reddit filios Dei, quia in eo renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto m. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri n.* Conceptio, ſeu, meliùs loquendo, ſanctificatio D. Joannis Baptiſtæ à peccato originali ſexto menſe poſt conceptionem ipſius, qui deinceps *prædicans Pœnitentiam* agendam, verbis ſuis addidit exempla, eam exercens actu per totam vitam ſuam; *Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre o*; repræſentat nobis regenerationem Pœnitentiæ, quæ nos reſtituit in vitam gratiæ: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur: Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitiâ ſuâ quam operatus eſt vivet p.* Et Conceptio Jeſu Chriſti, qui nobis aperuit cœlum, repræſentat regenerationem ad gloriam, *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus q.* Si igitur amiſerimus per peccatum vitam gratiæ acquiſitam in prima regeneratione Baptiſmi, conemur eam recuperare per ſecundam regenerationem Pœnitentiæ, ut perveniamus ad tertiam regenerationem beatitudinis: & cùm imitari non potuerimus innocentiam & puritatem B. Virginis conceptæ ſine peccato originali, recurramus ſaltem ad pœnitentiam prædicatam à D. Joanne, & perveniemus ad participationem meritorum Jeſu Chriſti, ut lacrymis in hoc mundo regenerati, renaſcamur in æternum per gaudium in gloria.

i Cant. 4. 7.

k Luc. 1. 13.

l Luc. 1. 38. & 31. ex Iſai 7. 14.

m Joan 3 5.

n Joan. 1. 12.

o Matth. 3. 1. &c.

p Ezech 18. 21. & 22.

q Apoc. 3. 21.

* * *

DOMINI-

Digitized by Google

DOMINICA II. ADVENTUS

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te
Matth. 11. 10. &c. ex Malach. 3. 1.

ILlud quod eſt ſceptrum Regibus, hoc idem eſt immortalitas animæ. Eo utuntur Principes ut vaſſallis ſuis timorem imprimant, cùm ſit authoritatis ipſorum inſigne. Anima Chriſtiani eſt coronata, & ut ſic veluti Domina debet imperare, & omnes ipſius affectus tenentur ipſi morem gerere, & omnes ipſius potentiæ ipſi eſſe ſubditæ. Intellectum captivat penitus ipſa ſuum, & ſub obedientiæ jugum redigit, ut verè Chriſtiana appareat, ſicut eloquitur Apoſtolus *a*, Corinthijs ſcribens: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Si verò affectus & facultates ipſi morem gerere recuſant, rigore adversùs ea debet uti, & ob id virgam & baculum aſſumere, ut ea corripiat. In ſtatu innocentiæ obediebat corpus ſpiritui, & ſpiritus erat ſubditus rationi; ſed cùm rebelle per peccatum evaſiſſet corpus *b*, rigor adversùs illud fuit adhibendus. Filius Dei, cùm accepiſſet corpus *c*, quod ſecundùm ſpeciem exteriorem rebelle videbatur, illud veluti criminis conſcium excipit *d*, illud quaſi tale exhibet in monte Calvariâ, in hoc ſtatu apparenti, cruci ſuffixus. Et D. Joannes Baptiſta Præcurſor ipſius, licèt purus eſſet non ſecus ac Angelus, qualem Evangelium noſtrum ipſum vocat, cùm ſanctificatus fuerit in ventre matris ſuæ *e*, detinetur hodie in vinculis Herodis, *Joannes in vinculis*, involutus longè antè à vinculis peccati originalis *f*; patitur hodierna die, exemplo allectus Domini ſui, qui licèt eſſet Innocentia ipſa per eſſentiam, & *Sanctus Dei* †, pati cœpit attamen in viſceribus Matris ſuæ eo momento quo ſalutavit eam Angelus his verbis, *Ave Maria*.

a 2. Cor. 10. 5.
b Rom. 7. 17. &c.
c Joan. 1. 14.
d Joan. 19. 5. &c.
e Luc. 1. 41.
f Rom. 5. 12.
† Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.

Sic eximia eſt ars ut noſtrarum cauſa ſit admirationum; & homo, qui eam dirigit, ita induſtrius eſt, ut Divinus videatur, cùm mirabilia operetur. Arte utitur, artem perficit: in montes elevat plana per eminentiam aggerum, abyſſos & valles efficit per foveas quas fodit; aquam obligat ut ſurſum aſcendat per tubos, & ignem inducit ut comburat in hoc elemento non tolerabili. Deum parvum agit, & ingenio ſuo omnia Dei opera metiri videtur. Bruta ſuorum reddit capacia dogmatum: & ſtupida quodammodo arte efficiuntur rationabilia. Accipiter eſt omnium avium maximè ferox, attamen ſuper brachium ſalconarij revertitur induſtria ejuſdem accipitrarij: & nullum eſt animal quod homini non obediat, ſi velit illud homo cicurare. Homo Deum agit; & notate, quòd, ut judicet de operibus Dei, quæ examinare intendit, oportet ut illa cognoſcat ipſe. Ut enim judicium de re feratur aliqua, ea eſt cognoſcenda. Homo igitur qui vult de operibus Dei judicare, debet eorum notitiam habere; alioqnin de ijs judicium pronunciare non valeret ſolidum.

Sic nobiles viri noſtri altera circumvolvunt ſphæram manu, cœlum intuentur, & motus illius metiuntur; altera verò enſem ſtringunt. Sic arte aliquid magis facit homo, quàm natura. In ſphæra exhibet homo cœli motus, & in parvis punctis Provincias integras in tabulis maritimis delineatas. In Mathematica numeros oſtendit ſine materia, quod natura non poteſt agere; ita ut ſit independens quodammodo à loco, à tempore, & à materia, quod ſoli Deo competit: Imò verò cœlos, æquè ac Deus *g*, ipſe faceret, niſi ipſi inſtrumenta & materia deeſſent, more Archimedis qui globum fabricavit æneum motus cœleſtes repræſentantem. Bruta inſtinctu ducuntur, & omnia operantur eadem. Apis alveare ſuum tanta elaborat induſtria, ut ne vel ulla manus illud efformare queat delicatius. Alcyon domum ſuam fluctuantem ſuper aquarum fabricat decurſum, & hoc ſolo inſtinctu. Unumquodque agit idem; non verò id quod proprium eſt ſpeciebus: ſed homo poteſt facere id omne quod alij faciunt, omnium efficitur capax. Animus hominis Deum agit in terrâ; ſed inter omnes ſcientias & univerſas cognitiones fides (de quâ locutus ſum vobis hebdomadâ præcedenti) eſt omnium præcipua, cùm ipſa ſit quæ ipſum Chriſtianum efficiat, & ſit principium ſanctitatis & juſtitiæ, ad quam ut Chriſtianus tenetur aſpirare. Quia verò Evangelium noſtrum repræſentat nobis D. Joannem Baptiſtam ut Angelum, qui eſt ſpiritualis & immortalis, deſidero oſtendere vobis Primò, animam Chriſtiani parère ſpiritualem & immortalem, & ut rationalem, & ut Chriſtianam. Secundò verò, Quia D. *Joannes in vinculis* hodiernâ die patitur, demonſtrabo vobis, animam Chriſtiani nunquam magis videri immortalem æquè ac ſpiritualem, quatenus rationalem, & quatenus Chriſtianam, quàm corpus ſuum mortificando.

g Gen. 1. 1.
Diviſio.

Ignorantia & *mors h* ſunt ſtipendia corporis; ſcientia verò & immortalitas *i* ſunt ſtipendia animæ; & ſicut eſt peritis proprium, ut ignaros diſciplinis informent; ſic anima debet docere corpus. Sed licèt omne aurum ponderet, non tamen omne aurum præ ſe fert ſatis ponderis in ſtaterâ libratum. Omnes ſcientiæ ſunt ſcientiæ, ſed una eadem à diverſis Magiſtris qui nos eam docent, tot nobis varijs repræſentatur figuris; omnes illi varios præbent colores, & eùm ſit eadem, ipſam videntur facere diverſam: & homo qui eſt unus, & ſemper idem, repræſentatur nobis à Philoſophis ſub diverſis formis. Sed poſt ſeriam reflexionem invenio tria genera Philoſophorum, qui de eo varia ſenſerunt. Alij nobis eum repræſentant veluti militem cataphractum. Alij ut Regem pacificum in throno ſuo. Alij tandem ut Sacerdotem præ manibus thuribulum habentem, ut altaria thure perfundat. Primi credentes eum à ſe extollendum, illum deprimunt, cùm ipſum conſtituant militem inter pulverem & ſanguinem certaminibus ſine intermiſſione expoſitum, cùm hæc conditio non ſatis ipſius oſtendat propenſionem. Peripatetici verò & ipſorum Magiſter Ariſtoteles non ſatis honoris homini detulêre, cùm ipſum ſemper certaminibus expoſuerunt, ut indeſinenter prælia cum hoſtibus, à quibus obſidetur, & quos ipſe fovet in medio cordis ſui, committeret. Stoici meliùs ſenſerunt in favorem ejus, cùm illum repræſentatint veluti Regem pacificum in throno ſuo, qui legem præſcribat vaſſallis ſuis, qui ipſi in omnibus & ubique morem gerant. Ita Zeno in hoc ſtatu nobis exhibet eum velut pacificum *k* Salomonem in ſolio ipſius, & hoc magis con-

I. Pars.
h Rom. 6. 21.
i Matth. 25. 41 & Gen. 2. 17.
k 1. Paral. 22. 9.

convenit magnitudini ejus, quæ gubernat & regit proprias paſſiones, quibus præbet leges, quas eæ obſervent. Sed ſicut tota Politia ſine Religione nullam meretur gloriam, ij qui repræſentant nobis hominem ut Sacerdotem, vel ut Chriſtianum, tum ſuper hæc omnia evehunt, cùm illum deſtinent ad honorem altarium, & ad Religionis obſequium, ipſeque toti cœlo, quod eſt

l Prov. 16. 4. terminus omnium ipſius actionum *l*, laboret. Idcircò anima ipſius, quæ eſt edocta ea quæ ſpectant adoranda Religionis myſteria Chriſtianæ per fidem quæ non eſt contraria rationi, & quæ ratio nihilominùs non eſt neceſſaria ad cognoſcendum Deum, (eo modo quo utrumque explicui vobis in principio hujus Adventus) oſtendit ſe eſſe ſpiritualem & immortalem, & quatenus rationalis eſt, & quatenus Chriſtiana eſt.

Anima quæ eſt ejuſdem conditionis cum Angelis, qui acceperunt à Deo ſpecies, quibus vident omnia quæ fiunt, cùm corporeæ concretionis expers ſit æquè ac illi, accepit à Deo lumina quibus corpus dirigat, informet, doceat, & ad Deum ducat. Cùm enim Deus ſua lumina animæ noſtræ facultatibus infuderit *m*, ipſa anima communicat eadem corpori, quod alioquin foret opacum. Et cùm homo vocetur omnis creatura *n*, quia induſtriam habet omnium, & poſſidet id omne quod in alijs eſt invenire, cùm habeat veluti tres animas, vegetativam, ſenſitivam, & rationalem; ſeu potiùs unicam duas priores eminenter continentem, Deus etiam præbuit ipſi tria luminum genera: Vegetanti, quæ eſt veluti corpus, reſpondet lumen cœli. Senſitivæ & animali lumen cœli cryſtallini. Et rationali lumen cœli Empyrei. His luminibus, quibus anima corpus dirigit, ipſum docet ut ipſum ad Deum elevet; & inſtruit ijs quæ Religionem ſpectant adminiculo rationis, præſertim verò fidei. Et ſic quatenus rationalis, & quatenus Chriſtiana, exhibet ſe ſpiritualem æquè ac immortalem. In hoc ſolo invenire eſt differentiam eſſentialem hominis ab animalibus, quia ipſe ſolus ad Religionem feratur colendam. Animalia quàmvis aliqua hominis induſtria polleant, & ſint ſuo modo alicujus diſciplinæ capacia, licèt ſaltent conformiter ad ſonitum citharæ, aliorumve inſtrumentorum muſicorum, nullam tamen unquam Religionis habere potuerunt notitiam: & ſi verum ſit id quod de elephante narratur, illum ſalutare Lunam, certum eſt, hoc evenire potiùs ex quadam ſympathia quam habeat hoc animal cum iſto aſtro, quàm ex reverentia quam illi exhibeat. Anima noſtra igitur quæ corpus ſuum ad Deum, & ad cultum Religionis dirigit, oſtendit ſe eſſe ſpiritualem & immortalem, cùm nulla animalia in hoc unquam fuerint ipſi ſimilia. Anima igitur à Deo Magiſtro ſuo edocta, eadem documenta, quæ ab eo didicit, corpori communicat, eandemque ei lectionem tradit. In ſtatu innocentiæ corpus inſtruebat animam, illique loco pædagogi erat; ſed in ſtatu Chriſtiano oportet ut corpus diſcat, & anima diſciplinis informet ipſum corpus, illudque ad Deum dirigat, ſicut tunc temporis corpus ad Deum elevabat animam. In ſtatu innocentiæ nihil habebat corpus quod non eſſet innocuum & ſanctum, & ſatis erat ut quis illud intueretur, ut dirigeretur ad Deum: *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur o*. Tunc temporis omnes facies erant innocentes, ſed per peccatum ſunt veluti baſiliſci

m Pſ. 4.

n Marc. 16. 15.

o Rom. 1. 20.

qui ſolo occidunt intuitu. In ſtatu juſtitiæ originalis omnia ad Deum dirigebant, nulla erat cogitatio contraria, ſed in ſtatu peccati, heu! mutandus eſt nobis modus procedendi Job dicentis *p*: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*: pangendum nobis eſt fœdus cum affectibus noſtris, & dicendum eos nobis eſſe lapidem offenſionis. Sic Adam poſt peccatum ſe nudum deprehendit ſimul ac uxor ipſius *q*. Sed quid? Erantne cæci anteà? Non. Sed ratio iſtius eſt, Quia corpus nihil habebat criminis, ad Deum dirigebat, erat animæ pædagogi loco, eam ad Deum elevabat: Sed nunc oportet ut anima ſit magiſtra corporis, cui lectiones, quas à Deo didicit, communicet. Et hoc eſt, quod vos, parentes, veſtras edocere debetis filias, non verò vanitatem, & circulorum periculoſorum frequentationem, & conſortia.

p Job. 31. 1.

q Gen. 3. 7.

Machiavellus Politicus induſtrius, & ſummè Atheus; loquens de Religione, ait eam eſſe inventionem hominum, & à Principibus inſtitutam, ut populorum ſibi ſubditorum voluntates per obedientiam & reverentiam devincirent. Et Hiſtoriographus quidam maximam Ariſtoteli irrogavit injuriam, cùm aſſeruit Machiavellum nullas habuiſſe maximas, quas Ariſtoteles priùs in ſuis Politicorum libris non exaraſſet ſcriptis; ubi oſtendit Religionem eſſe opus hominum, & ob id ſupremas adorationes exhibuiſſe quoſdam homines alijs, quos in cœlis inter falſa collocaverant numina. Re verâ quid ſentiret Turca; imò verò ego quam exiſtimationem haberem de myſterijs noſtris, niſi mihi certò conſtaret de illorum veritate & ſanctitate, videndo exiguam religionem quæ inter Chriſtianos invenitur, cum Turca Meſquitam præ tantâ ingrediatur reverentiâ, ut de pedibus ſolvat calceamenta, & de vitâ agatur, ſi in eâ ſermo habeatur? Nos verò præ quo honore Eccleſias noſtras ingredimur, & in ijs commoramur? Eſtne illud profectò habere Religionem?

Tria ſunt genera hominum qui Religionem profitentur. Alij in apparentiâ duntaxat ſine realitate. Alij realiter & non apparenter. Ultimi tandem neutro ex iſtis duobus modo. Illi profitentur Religionem in apparentiâ ſolâ, non autem in veritate, qui veniunt in Eccleſiam, ne pro Hæreticis habeantur; qui incumbunt frequentationi Sacramentorum, quorum tamen non credunt ſanctitatem, quod eſt pura hypocriſis. Aman, infœlix ille Aulicus, hoc Curiæ monſtrum neſandum, hæc populi abominatio, hanc excogitavit inventionem, ut ſibi adorationem aſciſceret. Sciens Orientalem populum ſolitum fuiſſe adorare Solem, excudendum præcepit diſcum aureum, quem ante pectus deferebat, ſtatimque ac populus ille videbat imaginem Dei ſui, *genua r* flectebat, & ſic monſtrum illud commento hoc utebatur ut adorationes emendicaret. Heu! quàm multi ſunt qui Religione duntaxat utuntur, ut committant crimina, qui Religionem adhibent veluti pallium quod propria operiat ſcelera; videntur quaſi re verâ non ſint, alioquin ab ijs, ſicut à peſte, fugeretur. Alij habent quidem Religionem, ſed non in apparentiâ; & hi ſunt puſillanimi quidam qui converſantur cum ſceleratis, qui infinitis vacant diſſolutionibus, qui lacerant bonam innocentum famam, honorem hujus puellæ, iſtius honeſtæ mulieris, nullum verbum proferre audentes, & diſſimulan-

r Eſther. 3. 2.

do

dn adhærere videntur praxi infami horum impiorum. Animas puſillanimas, quas pudet intrepidâ fronte profiteri Religionem Chriſtianam, quam Salvator noſter proprio ſtabilivit *Sanguine s!* Offendimi aliqui in quaſdam occaſiones, in quibus dedecus Deo irrogatur, & proximo infertur injuria, & nihil ipſi dicunt exiſtimantes ſibi ſatis eſſe ſi interiùs diſſiteantur id, quod exteriùs ab aliis agitur. Hi habent Religionem ad intrà, ſed non ad extrà, ſimiles D. Petro, *Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire t.* Et tamen ancilla induxit illum ad jurandum & pejerandum, ſe non fuiſſe Galilæum, & nullam habuiſſe notitiam viri illius, de quo illa ij ſi loquebatur *u*. Sciebat quidem hoc interiùs, ſed id exteriùs confiteri non eſt auſus. Heu! *Eleazarus x* eodem non ſe geſſit modo, ſolicitabatur quippe ut *carnem* comederet prohibitam; Nequaquam; ait: nunquam enim Religionem meam ſimulatione ulla prodam, exteriùs id publicabo quod interius defero; Religionem Patrum ſequar meorum. Non me pudet, quandiu pudet Chriſtianos hujus Religionis, quam Chriſtus pallio ſui Sanguinis obtexit. Ultimi tandem inveniuntur; qui nec interiores ſunt, nec exteriores; & hi ſunt Athei qui nec Deo credunt, nec Diabolo, qui animas habent reprobationis *y* æternæ notatas charactêre. Religio Chriſtiana non provenit nobis ex hominum commento, nec ex populorum praxi, ſed è Deo ſolo; quod enim eſt commune toti ſpeciei, & unicuique naturale, eſt indicium certum & infallibile; v. g. quando vermes exeunt è terra ad ortum Solis, prognoſticum eſt venti; quando cornices cornicantur, ſignum eſt pluviæ; hoc eſt omnibus commune, idem peragitur ab omnibus. Religio eſt impreſſa cordi omnium hominum. Omnes ſuos ſequuntur Legiſlatores, Judæi Moyſen, Turcæ ſuum Mahumeten, Chriſtiani autem ſequi debent Dominum Jeſum Chriſtum.

f Apoc. 5. 9.
t Luc. 22. 33.
u Matth. 26. 71. &c.
x 2. Mach. 6. 18. &c.
y Rom. 1. 28.

Debemus igitur ſequi Religionem Jeſu Chriſti. Nihilominus dentibus laceratur illa mordicùs, & pedibus conculcatur: video enim quod proſanctum, ab aliis malè manu excipiatur, ab aliis linguâ proſcindatur, ab aliis proteratur pedibus, cùm hi offendant proximum, quem Deus amari præcipit *z*, cùm unuſquiſque propriis commodis invigilet, & ob id ea Religioni præferat *a*. Eſtne hoc eſſe Chriſtianum? Nequaquam, ſed profectò Politicum, cùm quis ſua tantùm ſua intueatur commoda, quæ ſuper altari collocat, ut ex iis conſtituatur idolum *b*, cui incenſum adoleatur in contemptum Religionis. Alii verò Religionem linguâ lacerant: Et cur tot ceremoniæ? Cui bono poſſunt eſſe ut illa tot Sacramenta? Heu miſeros homines! Jeſus Chriſtus ea inſtituit *c*, & illa proprio *Sanguine ſuo d* confirmavit. Martyres illa vitæ propriæ tutati ſunt expoſitione *e*. Alii tandem Sacramenta pedibus conculcant, cum ad altaria tantùm accedant, ut ea profanent; eòque pergant ad bellum Deo indicant in proprio ipſius Tabernaculo. Quò enim aſſignationes (obſecro) niſi ad una altarium, & fortaſſis die quo ſacratiſſimum Altaris Sacramentum palàm erit expoſitum? Ha ſceleratos homines! Nunquid non inveniuntur diverſoria, cauponæ, proſtibula, lupanaria, & alia loca infamia, nedum has afferant flammas impuras in Templum, in quo Deus reſidet? Eſtne hoc habere Religionem, & animam immortalem?

z Matth. 22. 39.
a Philipp. 2. 21.
b Ibid. 3. 18. & 19.
c Joan. 20. 21. &c.
d Act. 20. 28.
e Hebr. 11. 33. &c.

Sed ſicut eadem manus, quæ malum eſt operata, debet afferre remedium, infundendum eſt oleum ſuper aperturam vulnerum, ut hoc idem medeatur, & loco ſit medicinæ & remedii malo quod nobis intulit. Idcircò Divina Providentia *f*, quæ creavit omnia quæ univerſo *cæli ambitu* continentur *g*, quandam præbuit irrationalibus notitiam, qua omnibus ſuis medeantur malis. Sic videmus cervum vulneratum quærere dictamnum, ut ſagittam infixam excutiat; & canes eligere quaſdam herbas, quibus ſe purgent. Homo verò qui eſt nobiliſſimus, qui ingenium habet ſublime, & animam ſpiritualem & immortalem, quatenus rationalem, & quatenus Chriſtianam, inſignitus fuit præ omnibus hac cognitione, qua medeatur ſuis malis, ipſiuſque anima debet eſſe loco medici corpori per ſuam cognitionem. Et ſanè niſi ipſa foret peccati tenebris involuta, omnia ſciret, & re vera rerum omnium Adæ fuerat infuſa cognitio *h*. Imò verò tempore Salomonis, ſapientiſſimus *i* iſte Princeps librum compoſuerat, in quo ſimplicium omnium erant exaratæ ſcriptis herbarum proprietates, ſine ullo Medicorum auxilio adhibendo; ſed Ptolemæus Rex videns Deum deſertum, Medicos ſancto zelo ſibi devinciens, illum comburi juſſit. Idcircò ignarus eſt homo unius rei, cujus bruta, quæ nunquam Dei violavere Leges, habent cognitionem. Anima igitur in ſtatu gratiæ erat medica corporis; oportet autem nunc ut idem officium erga illud exerceat; nam unde quid egreditur, eò revertatur ipſum neceſſe eſt. Cognitio veniebat ad nos per gratiam, ad eandem nobis eſt revertendum; oportet autem ut anima ad eam nos dirigat conſequendam, ut ipſa ſit veluti medica corporis; obſervate enim (ſi placet) deſiderium vitæ quo ducimur, non eſſe notam immortalitatis, benè quidem timorem mortis. Anima verò noſtra, & quatenus rationalis, & quatenus Chriſtiana, edocta à ratione, & à fide ſibi moriendum eſſe, oſtendit ſe eſſe ſpiritualem, & immortalem. Deſiderium vitæ eſt bonum præſens, bruta illo ducuntur, quia feruntur ad res præſentes, ſed incapacia ſunt futurarum, & ſic nullo timent mortem modo; iſte enim timor quo angitur homo intuitu mortis, quatenus eſt rationalis, & prout eſt Chriſtianus, eſt nota manifeſta, & confeſſio publica immortalitatis animæ ipſius. Ponite, ſi placet, hominem & ovem in vinculis, clamat ovis quando ligatur, reſiſtit quando ad carnificinam ducitur, & magis clamat quando ſcamno applicatur jugulanda; ſed antea non timebat, quia metuendi erat incapax futuri, aut quæ reflecteret ſe ſupra præteritum. Sed Homo ſingulis momentis tremore concutitur; timetque ultimum vitæ ſuæ terminum, quod eſt nota infallibilis immortalitatis animæ ipſius. Sed dicetis mihi: Quæ tanta cauſa timendi? Ratio iſtius eſt, quia corpus debebat eſſe immortale; æquè ac anima eſt immortalis, & cùm mors hanc auſert diviſionem, efficit ut timeamus. Idcircò agonizantium obitui interſumus, reos in patibulo ſuſpendendos ut ſpectaculum viſu notabile in furcis demiramur. Boni timent non ſecus ac impij, videntes ſe eò deveniſſe ut non liceat ampliùs ipſis removere pedem, cùm jam jam ſint præſentandi coram eo *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum k*. Ha! vellent retrogredi, ſed ipſis regreſſus denegabitur, animam habent præ labiis jam jam e corpore exituram. Similes ſunt illi ſelibus, qui, ſe in aliquâ

f Sap. 8. 1.
g Eſther 13. 10.
h Gen. 2. 7.
i Eccl. 47. 16.
k Act. 10. 42.

qua excelſa collocentur fenestra, cæco ſe projiciunt impetu ſuper illos qui ipſos illuc extulerant. *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis l!* Iſtud ſanè eſt quod impijs tremorem incutit, quando moriendum eſt, cùm propria crimina ipſorum oculis tunc temporis ſe exhibeant inſpicienda. Boni enim timent, teſte D. Hilarione, qui cùm ſeptuaginta annis Deo ſerviſſet in ſolitudine, dicebat, animam ſuam alloquens: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſerviſti Christo, & mortem times?* Quare hoc: Ratio iſtius eſt, Quia ſciunt, Deum clariùs videre in ipſorum interiori, quàm videant ipſi, idcircò metuunt; & ob hanc cauſam dicebat D. Paulus m: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Ubi obſervandum eſt, conſiderandos eſſe Juſtos tripliciter. In vita ſua debent eſſe impudentes, in morte timidi, & poſt mortem ſecuri. In vita ſua debent eſſe inſolentes, ut audacter ſe opponant maximis mundi & carnis, innocentiæ contrarijs. In morte timidi, metuentes ne interiora ſua ſuis ſint clauſa oculis, cùm verum ſit id quod dicitur: *Septies cadet juſtus n.* Et poſt mortem ſecuri, cùm nihil ampliùs timendum ſit in cœlo, ubi ſemel illuc pervenerint. Boni igitur timent o, non ſecus ac mali; impij quieſcunt, cogitantes æternitatem: ſicut enim viderunt unam æternitatē ipſos præcedentem, & tempus intuentur ipſos ſequens, tunc temporis vident tempus quod ipſos anteceſſit, & infœlicem, quæ ipſos à parte pòſt inſequitur, æternitatem p. Anima igitur noſtra oſtenditur eſſe & ſpiritualis, & immortalis, & ut eſt rationalis, & ut eſt Chriſtiana, per timorem mortis, quam ratio naturalis & fides Chriſtiana ipſi ſuggerunt credendam.

l Eccli. 41. 1.
m 1. Cor. 4. 4.
n Prov. 24. 16.
o Pſ. 76. 6. &c.
p Math. 25. 41.

Medicus qui ægroto ſanitatem intendit reſtituere, debet ad radicem morbi pergere, non oportet ut rivum exiccet, ſed procedat priùs ad originem fontalem, ut deſtruat cauſam, antequàm ſit effectum ab eâ manantem ſuppreſſurus; infigenda eſt *ſecuris* radici q. Quis verò ignoret cauſam morborum corporis & animæ eſſe peccatum? *Per peccatum mors r.* Ut igitur ſupprimatur effectus, nimirum morbi, oportet ut auferatur cauſa, quæ non eſt alia niſi peccatum. Sicut enim corpus eſt veluti canalis, per quem morbi in animam fluunt; anima, licèt ſpiritualis, corporis prægravata infirmitatibus, & infirmata per hanc conjunctionem, per hanc unionem, cùm peccatum originale contrahatur hoc matrimonio, ipſa, inquam, anima eſt canalis per quem gratia corpori communicatur, vegetatio animæ eſt ſanitas corporis, idcircò anima debet eſſe medica corporis, & recurrere ad eum qui dat ſanitatem; & ſicut Deus ſolus eam poteſt impertiri, ut ait Evangelium noſtrum: *Euntes renunciate Joanni quæ vidiſtis, & audiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt:* oportet etiam ut anima eam petat, & ſe diſponat ad eam recipiendam, deſtruendo peccatum, quod eſt morbus. Idcircò Medici inviſentes aliàs ægrotum, petebant ab ipſo quænam eſſet ipſius maxima infirmitas, ut ei medelam apponerent; nimirum quænam eſſet ipſius paſſio vehementiſſima. Infirmitas animæ eſt peccatum, cujus remedium debent eſſe Sacramenta.

q Math. 3. 10.
r Rom. 5. 12.

Ad medendum tria requiruntur, ajunt Platonici, Medicina, Muſica, & Theologia: Homo ſiquidem coaleſcit ex tribus partibus; Corpore ſolido, idcircò neceſſaria ſunt ei Medicina, ſirupi, & medicamenta. Prætereà, Eſt animal rationale, quod dicit unionem corporis & ſpiritus, qui eſt naturâ ſuâ rectus, idcircò requiritur Muſica, quæ animum exhilarat, & pravas diſſipat omnes ipſius motiones, ſicut pſalterium Davidis diſſipabat illas Regis Saülis s, & cithara Angeli tædia Seraphici Patris noſtri D. Franciſci inter diuturnos morbi ipſius languores. Et ſicut homo eſt inſuper ſpiritualis, & habet animam immortalem, requiritur adhuc Theologia, oportet illi diſcurrere de Deo, de paradiſo; Deus enim ſolus eſt qui debeat & poſſit illum dare. Sed aliqui inveniuntur ita infœlices ut recurrant ad divinatores, imò verò conſulant ipſos dæmones. Alij nummis aureis non parcunt, quos Medicis largiantur, & quadrantem pauperi denegabunt. Nunquid non ipſe eſt Deus qui benedictionem ſuam operi Medici elargitur? Deſeritur Creator, & recurritur ad creaturas, quæ hanc violentiam patiuntur invitæ; *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens t.* Et, *Omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc u.* Quia ad malos inſumuntur uſus. Deus eas fecerat; ut adhiberentur ad honorem & gloriam ipſi procuranda; conſtituerat nobis oculos ſupereminentiâ hujus corporis, ut ijs contemplaremur cœlum, & ijs utimur tanquam fulminibus, ut occîdamus; iſtud os creaverat, ut laudibus ipſius inſerviret celebrandis, & tamen in ſermonibus indiſcretis totum occupatur proferendis; manus, ut aperirentur proximo indigenti, nihilominùs ſemper clauſæ remanent; & corpus, ut mortificaretur, cùm anima nunquam magis oſtendatur ſpiritualis, & immortalis, & quatenus rationalis, & quatenus Chriſtiana, quàm proprium corpus mortificando, quod videndum nobis ſupereſt in hâc ſecundâ parte.

s 1 Regũ 16. 23.
t Rom 8. 20.
u Rom. 8. 22.

II. Pars.

Virtus ratione eſt dirigenda, ipſaque tantùm eſt virtus, quantùm eſt rationabilis. *Rationabile obſequium veſtrum x.* Hâc adjutus homo machina, nihil eſt quod ipſe non poſſit; ædificia in aërem elevat, ignem in medijs accendit aquis; ipſique viderunt oculi noſtri hominem Oceano præſcripſiſſe terminos, quos prætcrire non potuit. Imò verò bruta ipſa rationis expertia, videntur ejuſdem capacia effici, cùm benè diriguntur, & exuunt quidquid ferocitates præ ſe ferunt. Virtus debet eſſe rationabilis. Sed quomodonam induemus illam? Nunquid non ut Reginam majeſtate & pompa fulgentem, cum vultu ſereno? Nunne conficiemus ei veſtem margaritis & lapidibus ornatam pretioſis, atque adamantibus prædivitem? Niſi malitis ut repræſentetur vobis in habitu lugubri, & luctum conciliante. Non poteſt quin debeat vobis repræſentari in hoc habitu humilitatis & depreſſionis, cùm virtus nunquam ſit virtus, quin mortificationi ſubjaceat.

x Rom. 12. 1.

Obſervandum eſt autem tria eſſe genera virtutum, Naturalis, Moralis, & Chriſtianæ. Naturalis virtus eſt illa quam natura oſtendit, ſed ſemper medijs in mortificationibus. Si terra producat aurum, quod maximo ſui poſſidendi hominum corda accendit deſiderio, illud generat eadem terra in locis arentibus & ſummè

ſterilibus, in quibus ipſa eſt magis macerata. Præterea, Ut habeatur illud aurum, & extrahantur ex illâ fructus ipſius, aperienda ſunt ipſi viſcera, laceranda ſunt ipſius magnis ictibus ilia, ac ſi mortificatio ipſi eſſet abſolutè neceſſaria. Frumentum, quod noſtrorum materiem facit alimentorum, corrumpitur; aſcendit cum ſpicâ calamo ſuo innixâ non ſecus ac haſtæ; ferro præciditur, poſt tolerata frigora, ardores Solis, & tempeſtates; flagellis cæditur; pedibus conculcatur; lapide molari, conteritur; & in clibano concoquitur. Virtus igitur naturalis eſt ſemper mortificata. Moralis, quæ profitetur moderari appetitus inferiores, & eos ad terminos debiti & rationis exigere, id non exequitur niſi maximo adhibito labore, ac mortificatione intermedia. Heu! quanta difficultas eſt ipſi exhaurienda, ut omnes ſuos affectus intra debitos coerceat limites, ne extrà evagentur. Chriſtiana verò virtus nunquam meliùs manifeſtatur, niſi ſit aculeis perforata, inter ſpinas & mortificationes. Omnes Sancti per hoc iter crucis à Chriſto ſtratum inceſſerunt, teſtis eſt D. *Joannes in vinculis.* Oportet igitur ut virtus ſit mortificata, quò verè ſit virtus, & ratione dirigatur, *Rationabile obſequium veſtrum.* Anima ergo Chriſtiani nunquam meliùs oſtenditur ſpiritualis, & immortalis, quatenus rationalis, & prout Chriſtiana, quàm corpus ſuum mortificando.

Subinde ſtrutur nobis occaſio mirandi, cur omnia animalia armis ſint munita defenſivis, homo verò totus omnium nobiliſſimus *nudus y* naſcatur, inermis, & omnibus obnoxius miſeris. (y Job 1. 21. &c.) Alia cum ſquamis ut cancer; alia cum tegmine ut teſtudo; alia cum aculeis ut herieius; alia cum unguibus ut aquilæ, alia cum cornibus ut tauri: homo verò totus nudus in lucem prodit. Hujus rei duæ proferuntur rationes, quæ perfectionem animæ ipſius & immortalitatem ipſius oſtendunt: Quarum prima eſt, Quia cùm anima brutorum educatur è potentia materiæ, armatur, contra id omne quod poteſt ipſam offendere: ſed cùm anima rationalis non dependeat à corpore, cùm conditionis ſit longè ſublimioris, natura huic curæ noluit ipſam ſubjicere, & videmus animam corpus excipere non ſecus ac captivum, & pœnas ei infligere. Proculdubio ſi ipſa foret ejuſdem conditionis cum eo, illud benigniùs exciperet ipſa, ſicut faciunt animalia, quæ nulli rei parcunt, ut conſervationi totius provideant compoſiti, *Omne animal diligit ſimilis ſibi z.* Martyres verò noſtri corpora ſua omni generi ſuppliciorum expoſuerunt *a*. (z Eccli. 13. 19. a Hebr. 11. 33. &c.) Anima igitur oſtendit ſe eſſe immortalem, & independentem; nam vel minimo impetu inſurgente pallеſcit corpus, tremore concutitur ad animæ motum minimum, quod eſt ſignum infallibile ipſum eſſe dependens.

Secunda ratio propter quam animalia ſint armis munita ad differentiam hominis, eſt, Quia animal non poteſt exire è circumferentia ſuæ actionis, præſcriptos habet operationibus & inclinationibus ſuis limites, idcircò eſt armatum ut eas ad exitum perducat: Sed homo, cujus actiones ſunt illimitatæ, non eſt ſicut bruta. Anima igitur eſt ſpiritualis, & immortalis. Ha! impij & delicati intelligant has veritates, illi qui ſemper delicijs diffluunt, qui ſine intermiſſione corpus oppiparè excipere geſtiunt. Eſtne id habere animam rationalem, & Chriſtianam? Eſtne credere omnibus his veritatibus? Vel ſi ijs creditur, idem dicendum eſt ac de Deo; Deus creditur, & *blaſphematur b*; & non creditur Deus niſi ut blaſphemetur. (b Iſai. 52. 5. & Roman. 2. 24.) Credit aliquis ſe habere animam immortalem, & eam non ſecus excipit ac ſi vellet eam morti tradere. Procul hinc hi affœminati qui nihil pati volunt, qui corpora ſua ut idola ſic venerantur, ut eis altaria erigant, & thus adoleant in diſpendium animæ quæ eſt coronata, & ſceptrum defert. Nulla eſt virtus, quæ non ſit mortificata, & anima nunquam magis videtur ſpiritualis, & immortalis, quàm corpus ſuum mortificando; *Licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is qui intùs eſt, renovatur de die in diem c.* (c 2. Cor. 4. 16.)

Tria ſunt genera virtutum, quæ appellantur Intellectualis, Moralis, & Chriſtiana. Intellectualis reſidet in intellectu, Moralis in appetitibus, & Chriſtiana in voluntate, ſeu, ſecundùm aliquos, in ipſâ animâ. Oportet ut hæ tres virtutes ſint mortificatæ. Intellectualis, alioquin enim intellectus ſuas non apprimè obit functiones, prævalet adversùs ipſum vis corporis. Ob hanc rationem refertur Philoſophus Socrates academias ſuas conſtituiſſe in locis paluſtribus & aquaticis, ut corpore infirmato, animus meliùs officio fungeretur ſuo: & D. Bernardus erigenda præcepiſſe Monaſteria in terris, in quibus non eſſet aër ſalubris, exiſtimans animum nunquam meliùs vicibus ſuis perfungi, quàm à corpore ſeparatum, ſeu, cùm corpus debilitatum eſt, ſecundum id: *Cùm infirmor, tunc potens ſum d.* Ipſo enim infirmato, juxta hanc ſententiam, anima meliùs in ſuis exercetur munijs. (d 2. Cor. 12. 10.) Moralis conſiſtit in appetitibus, in ijs moderandis; corpori autem infirmato appetitus meliùs ſubjiciuntur, ſicut & rationi. Chriſtiana ſita eſt in voluntate, majori facilitate ad bonum pergit, & thronum ſuum elevat ſuper debilitatem corporis. Et ſi Martyres noſtri amplexi ſunt cruces, id non aliter fecerunt, quàm corpus infirmando, mortificando *e*, & veluti captivum quaſi rebelle efficiendo. (e 1. Cor. 9. 27.) Et hæc eſt differentia in ratiocinatione naturali quæ fit, quod in ea ſemper affirmetur. Eſt unus Deus *f* qui curam mundi gerit; quia ſatius eſt ut unus ſit Deus, quàm ſi nullus eſſet; mundum regit, & gubernat: eſt igitur honorandus & colendus. (f Exod. 6. 4.) Sed in ratiocinatione Chriſtianâ contrarium prævalet: Anima eſt immortalis, corpus debet perire: Ergo non eſt ei indulgendum; quin imò eſt ipſum mortificandum, ita ut ſubditum poſſit illud anima in cœlum elevare, poſtquàm illud quaſi captivum depreſſerit. Unde videris animam eſſe ſpiritualem, & immortalem, ut rationalem, & ut Chriſtianam; & nunquam magis videri talem, quàm corpus ſuum mortificando.

Dei Filius noſtram aſſumpſit naturam *g*, paſſus eſt, flagellatus, *ſpinis h* coronatus, & cruci tandem ſuffixus. (g Joan. 1. 14. h Joan. 19. 1. &c.) Nos verò, quos non latet Dei Filium carne noſtrâ indutum, ſic durè fuiſſe exceptum, inde menſuras debemus deſumere noſtras, & omnia referre ad Deum hominem factum, & crucifixum, nos illi conformare *i*, & doloribus illius non efficere ſimiles, nam, ut ait Philoſophus, *Primum in unoquoque genere, eſt regula & menſura cæterorum.* (i Rom. 8. 20. k Ibid.) Chriſtus eſt Primus hominum *k*, primus patientium & morientium in cruce; oportet igitur ut omnes Chriſtiani imitentur eum in doloribus ipſius, cum dicat D. Auguſtinus *l*, (l D. Aug. citatus à S. Vinc. Ferr. Sermon. 5. fer. 2. Paſch.)

Non decet ſub ſpineo capite membrum fieri delicatum. Chriſtus pro nobis tanta paſſus eſt, totum ſuum ſudit Sanguinem, ſic ut tota ora videatur habere quot vulnera; hæ voces Chriſti vulneribus confoſſi tanquam ſint tot ora nunquid nos ad illius non animabunt ſeriam imitationem? Perfundemurne delicijs, quandiu Dei Filius ſupplicijs torquebitur? Nequaquam. Anima quatenus rationalis, & prout Chriſtiana, debet mortificare ſuum corpus; & in hoc oſtendit ſe eſſe ſpiritualem, & immortalem. Finis eſt ejuſdem naturæ cujus eſt principium; finis brutorum eſt ipſorum conſervatio, & ipſorum principium eductum eſt ex eodem corpore: non eſt cur miremur ſi bruta ferantur ad ſuam conſervationem, & ad quærendas ſatisfactiones corporum ſuorum: Sed anima quæ eſt ſpiritualis & immortalis, quæ pro ſuo fine Deum habet ut ſuum *principium m*, debet omnia ad eundemmet Deum referre, & in hoc oſtendit ſe eſſe ſpiritualem & immortalem, cùm ipſa corporis non inquirat voluptates, nec propriæ ſubſerviat ſatisfactioni: talis eſt finis quale eſt principium.

m Apoc. 1.8.

Mortificandum eſt igitur corpus, ut poſſit ad Deum pervenire. Non ſufficit ut anima ſola defleat ante pedes proprij Confeſſarij; oportet ut corpus quod fuit inſtrumentum, quo anima uſa fuit in patrandis ſceleribus ſuis, agat pariter pœnitentiam. Hæc ſolitudo D. Magdalenæ, hæc ſacra caverna quam habemus in noſtrâ Provinciâ, oſtendit re verâ hanc ſanctam Pœnitentem fœlices iſtas praxes executioni mandaſſe: hi oculi *n*, qui tot corda vulneraverant, lacrymis madent; iſtud os, quod homines tot profligaverat, oſculatur *pedes* Domini; hi capilli illos tergunt; totum hoc corpus pœnitentia maceratur, ſicut delicijs & voluptatibus totum diffluxerat illicitis. D. Catharina Senenſis repetitis ictibus atque ictû ter diebus ſingulis, flagellorû ictibus, & B. Fœlix à Cantalicio totidem, ſingulis noctibus, faciebant quaſi caminos amori ſuo totidem: Seraphicuſque Pater D. Franciſcus ita dirè ſuum excipiebat corpus, ut ab ipſo veniam petierit ante obitum ſuum. Audiſtiſne aliquando duas philomelas quaſi præ æmulatione concinentes alternatim; altera incipit, altera verò cantum proſequitur, ita ut videantur conveniſſe ut eundem concentum efficiant, ita ſunt inter ſe concordes? Catharina, Fœlix, & Franciſcus ſinguli vicibus ſuis vident Deum ſuum vulneratum; ipſi è parte ſuâ his vulneribus repetitis flagellorum reſpondent ictibus.

n Luc. 7. 38 & 37.

Anima noſtra conſiderari poſt in tribus ſtatibus: ſeu ut glorioſa, & tunc eſt in ſuo corpore ac in ſuo templo; ita animam ſuam, quæ fuit ſemper glorioſa *o*, cùm eſſet in ipſius corpore, vocat Chriſtus *templum* ſuum *p*. Seu ut innocens in ſtatu juſtitiæ originalis, in quo omnes creaturæ ipſi obedientiam exhibebant *q*. Seu ut in peccato, & in hoc ſtatu debet mortificari, ſeu velut criminibus obnoxia, ſeu velut innocens. Si conſideretur ut criminibus obnoxia, minus eſſet periculi carbonem accenſum præ manibus circumquaque ferre, & ſerpentem in ſinu fovere ſuo, ſine timore veneni contrahendi, quàm illi in hoc ſtatu criminis confidere. Quis enim confidat illi quæ toties nos prodidit? Illi quæ ruinam noſtram ſine intermiſſione molitur, quis credat ſemetipſum? Ita ut quomodocumque conſideretur, ipſa debeat ſemper mortificari, ſeu velut criminibus obnoxia, ſive ut ſceleris expers. Oportet igitur eam mortificare, excipere illam ut rebellem; crimen illius punitionem exigit. Mortificanda eſt igitur ob triplicem conſiderationem, juſtitiæ, amoris, & conformitatis. Juſtitiæ, quippe quæ ſceleribus onuſta. Amoris, cum Dei Filius qui erat Innocentia ipſa *r* tanta paſſus ſit ob amorem noſtrum. Et conformitatis, cum conformitas doloribus illius, ſit nota infallibilis, nos eſſe prædeſtinatos *s* ad gloriam Regni cœleſtis ſempiternam.

o Joan. 14. 10.
p Joan. 2. 21.
q Gen. 9. 2.
r 1 Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
s Rom. 8. 29.

FERIA II. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

DIcebam vobis nudiuſquartus, unum è maximè neceſſarijs ad operandam æternam noſtram ſalutem, eſſe cognitionem Dei ſolius, & unici Filij ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti *a*, quod Symbolum Apoſtolorum proponit nobis abſolutè credendum, veluti primos noſtræ fidei articulos, nobis ampliſſimam præbens contemplandi materiam; & contemplando, cum Deo familiariſſimè converſandi; & animabus noſtris timorem imprimens ſalutarem, quo veluti fræno coerceamur, ne in infauſtam ruant infinitorum peccatorum abyſſum, ad quam procul dubio magno & cæco pergeremus impetu, ſupernaturali hoc auxilio deſtituti, cùm Symbolum fidei noſtræ ſit veluti ſcutum impenetrabile, quod omnes tentationes eludat, omneſque adverſariorum noſtrorum impetus reddat irritos.

a Joan. 17. 3.

Verùm enim verò quicumque firmiter credit Deum eſſe *b*, & hunc Deum eſſe Omnipotentem *c*, non erit ſic inſolens ut criminibus laxet habenas, & diſſolutionibus vacet; quinimò maximam apponet ſolicitudinem ne præſcriptos ſibi à Divinâ Majeſtate mandatorum tranſgrediatur limites; & qui fortiter ſibi perſuaſerit Jeſum Chriſtum Filium ejus Dominum noſtrum pro ſalute ſua, & omnium hominum, totum ſuum Sanguinem pretioſum inter flagella, & ſpinas, & in ara crucis ſudiſſe *d*, evitare conabitur id, quod ipſi poteſt diſplicere, ne tanti videatur eſſe immemor beneficij, & ne ingrati animi labe notatus exiſtimetur. Qui verò crediderit eſſe vitam æternam, & reſurrectionem carnis (de quibus, Deo dante; loquar vobis craſtina die, qua tractabo vobis de operibus Dei ad extrà) & omnes in æternum beatos futuros in corpore & anima, qui benè vixerint *e*; impios verò in corpore & anima miſeros pariter efficiendos, is facilè bona con-

b Exod. 3. 14.
c Pſ. 64. 7.
d Joan. 19. 1. &c.
e Matth. 25. 31. &c.

contemnet præſentia, manebitque intrepidus inter omnia mala vitæ præſenti adverſantia, & ſic de tentationibus glorioſum referet triumphum. Ad hoc hortatur nos Apoſtolus D. Paulus *f*, *In omnibus ſumentes ſcutum fidei.* Cui concordat D. Joannes *g*; *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Fides Virginis *h* ſanctiſſimæ de Deo triumphans, qui eſt Author mundi *i*, Filium è ſinu Patris unicum extraxit, ut eum in ſuo concluderet, cùm ſalutavit ipſam Angelus his verbis, *Ave Maria.*

f Ephes. 6. 16.
g 1 Joan. 5. 4.
h Luc. 1. 38. &c.
i Gen. 1. 1. &c.

Non eſt diffitendum, quòd ſicut inter Angelos ille ordo conſtitutus eſt, ut Angeli ſecundæ hierarchiæ illuminentur ab Angelis primæ; ita inter homines, ſimplices & rerum Divinarum imperiti recipiant illuſtrationes atque lumina fidei noſtræ ab eruditis & Theologis viris, quibus clariores Deus infudit notitias, quas ipſi poſteà communicarent aliis, quos intelligentiam fidei & myſteriorum noſtrorum edocerent. Aliàs antequàm ſacroſanctum Jeſu Chriſti Domini noſtri Evangelium fuiſſet populis annunciatum, nullâ obligatione tenebatur quis credere Incarnationem Verbi explicitè, id eſt, habere cognitionem determinatam hujus myſterii. Licèt enim multi Prophetæ *k* Incarnationem prædixerint, ejuſque per conſequens claram notitiam habuerint, erat hoc privilegium ſpeciale non omnibus conceſſum, quia non neceſſarium. Sed modò tenemur determinatam illius habere fidem, & credere in particulari explicitè id, quod Patres noſtri tenebantur tantùm confuſè credere. In Lege veteri non erat neceſſarium credere determinatè myſterium ſacratiſſimæ Trinitatis, quia revelatum erat ſolis Prophetis *l*, Sacerdotibus, Legiſque Doctoribus duntaxat, qui ſoli tenebantur illius firmam fidem habere; ſed impræſentiarùm tenemur illud omnes credere, ſicut & myſterium Incarnationis quod illud ſupponit, & Baptiſmum, qui confertur *in nomine m* Trinitatis. Incarnationem hanc, ſeu humanitatem Filii Dei fides docet nos debere credere, ut videbimus in progreſſu hujus diſcurſus ſuper ſex articulis Symboli, in dies ſequentes reſervando tractare vobis de reliquis operibus Dei ad extrà, ſuper cæteris articulis ejuſdem Symboli. Videamus igitur quomodo fides nos inducat ad credendam Incarnationem, ſeu Humanitatem Filii Dei.

k Iſai. 9. 6.
l Iſa. 6. 1. & 5.
m Matth. 28. 19.

Propoſitio.

Conſideratâ à nobis Divinitate, quæ eſt Una *n* in naturâ & in eſſentiâ, & trina *o* in perſonis, oportet ut eam perpendamus modò in operationibus ipſius ad extrà, quarum præcipua, & omnium caput aliarum eſt Incarnatio Verbi Divini *ubi venit plenitudo temporis p* executioni mandata; & ſciamus quid ſit Humanitas Domini noſtri Jeſu Chriſti, de quâ ſex habemus in Symbolo articulos, ſicut & ſex habemus de Divinitate, reſervantes vobis reliquos diebus ſequentibus explicare. Primus igitur articulorum, qui ſacram iſtam ſpectant Humanitatem, eſt ille qui ait: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Mariâ Virgine q.* Adventus Filii Dei ſuper terram ita mirabilis eſt, ut quidquid in adorandâ Trinitate peragitur, non ſit mirabilius, nimirum quòd ſit Deus & homo ſimul, & unica ſit tantùm perſona; quòd in conceptionem ipſius temporalem quatenus hominis nemo concurrerit præter Spiritum ſanctum, qui Virginem obumbravit; & quòd exierit è viſceribus puellæ, Virginis poſt partum unà cum qualitate Maternâ permanentis, quod videtur omnino impoſſibile, quod tamen non obſtat quin hoc ſit myſterium noſtræ fidei, quod credere debemus, & ſine cujus cognitione nihil prodeſſe nobis poteſt in hâc vitâ, nec unquam æternæ gloriæ poſſeſſione nos beandos in alterâ ſpes aliqua nobis ſupereſſet.

n Deut. 6. 4.
o Matth. 28. 19.
p Galat. 4. 4.
q Eccleſia ex Matth. 1. 20. & 25.

Sic credere debemus in Jeſu Chriſto eſſe unicam tantùm perſonam, quæ eſt perſona Verbi, contra Neſtorium Hæreſiarcham, qui credebat duas perſonas, alteram hominis, alteram Dei; & dicebat Virginem ſanctiſſimam eſſe quidem hominis matrem, ſed Dei negabat eſſe Genitricem, ut ait D. Damaſcenus *r*: *Chriſtiparam nequaquam dicimus ſanctam Virginem: quia ad renuendum vocabulum, Theotocos, id eſt, Deipara, & Dei Genitrix, ſceleſtus, & odibilis, & cum Judæis ſapiens Neſtorius id adinvenit.* Sed longè hallucinatur: Angelus enim hanc veritatem confirmavit, dicens ei: *Quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei s.* Et ſic unionem oſtendit perſonalem Dei & hominis, & Divinam Mariæ Maternitatem, quæ ad Filium Dei dirigitur, per cujus perſonam homo in Jeſu Chriſto ſuam habebat ſubſiſtentiam. Præterea, Debemus confiteri in Jeſu Chriſto duas naturas diſtinctas, naturam Divinam, & naturam humanam, contra errorem cujus conſcius erat Eutyches, qui dicebat Jeſum Chriſtum unicam tantùm habuiſſe naturam, quæ duas illas complecteretur; quam doctrinam evertit D. Paulus *t*, dicens de Chriſto; *Qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Quod diſtinctionem facit duarum naturarum verarum & realium in eâdem perſona unitarum. Tandem, Debemus credere, eum, quatenus Deum, fuiſſe ante Matrem ſuam; *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula u.* Illumque, quatenus hominem, ab ea initium cepiſſe, & ex illius carne Virginali ſumpſiſſe Corpus verum, non autem phantaſticum, ſeu ex aëre formatum, nec quod fuerit in perſonam Verbi transformatum; ſed *Verbum caro factum eſt x*, induens noſtram naturam humanam, nec ſuam Divinam naturam deſerens, habens per conſequens Corpus noſtris corporibus ſimile, & Animam noſtris animabus non diſſimilem; neque Verbum fuit loco animæ huic Corpori in iſta adoranda unione, ſed cùm eſſet homo verus, excluſis imperfectionibus peccati *y*, & ignorantiæ *z*, quæ in ipſum ut ſanctitatis *a*, & veritatis *b* Authorem cadere non poterant, per unionem Divinæ iſtius perſonæ, Anima ipſius fœlicitate gloriæ fruebatur *c*, licèt ipſius Corpus doloribus & pœnis ordinariè impeteretur *d*. Quod nobis non erit difficile creditu, ſi conſideremus hæc omnia eſſe opera Spiritus ſancti; *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto.* Matremque ipſius ſanctiſſimam nullum alium habuiſſe maritum, ſicut nullum habuit alium Filium, conſervans ſuam puritatem illibatam, licèt ipſa foret Genitrix Dei, *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Mariâ Virgine.*

r D. Damaſc. l. 3. de fide Orth. c. 12.
s Luc. 1. 35.
t Philipp. 2. 6. & 7.
u Rom. 9. 5.
x Joan. 1. 14.
y Pſ. 5. 5.
z Joan. 21. 17.
a Marc. 1. 24.
b Joan. 1. 17.
c Joan. 14. 10.
d 1. Petr. 2. 21. &c.

Triplicem Chriſtus habuiſſe perhibetur Matrē, primam Virginem Mariam, ſecundam Gratiam: tertiam Sapientiam Divinam ſeu Verbum. Hæ omnes tres Matres ſibi ſimiles ſunt in officiis & miniſteriis ſuis, eum unaquæque illarum Chriſtum operire conetur & transfigurare, ut ei major afferatur honor. A Mariâ Matre *pannis e* fuit involutus infans in ſacra ſua Nativitate. A Matre Gratia ſpeciebus ſacramentalibus pretioſi Corporis ipſius *f* obvolvitur veritas, necnon & Sanguinis ſacri realitas ſub duplo panis & vini ſymbolo, in auguſtiſſimo altarium noſtrorum Sacramento. A Matre Sapientia figuris & ænigmatibus *g* abſcondita Verbi æterni Majeſtas contegitur; Mater ipſius Sapientia eo ſe gerit modo erga Verbum Divinum, ut cùm ſit intellectu difficilius, ænigmatibus & figuris veluti quibuſdam involucris obtectum, majoris ſit apud homines æſtimationis, & ideò majorem ab eis exigere valeat reverentiam. Iſtud eſt, quod ait Abbas Guerricus in ſermone quinto de Nativitate Domini *Mater Maria quibuſdam aſſumentis pannorum involuit Infantem. Sic Mater Gratia diſpenſatoriis ſpeciebus rerum ejuſdem ſacri corporis nobis obtegit veritatem. Sic etiam Mater Sapientia ænigmatibus & figuris arcanam divini verbi contegit veritatem.* Unde colligo honorem, qui deferri debet Verbo Dei, ſeu Sapientiæ Evangelicæ, cum ipſa ſit Mater Verbi Divini, per quam generatur in animabus noſtris eodem planè modo, quo conceptus fuit in ſinu Virginis Matris Filius Dei, quæ conſenſum præbuit verbo Angeli Verbum Divinum ſibi annunciantis incarnandum in viſceribus ſuis *h*. Minorem non debemus exhibere reverentiam Matri Gratiæ, quæ in Euchariſtiæ elucet Sacramento, cùm D. Auguſtinus *i* dicat, non minorem deberi honorem Verbo Divino, quam Verbo incarnato in Euchariſtia; *Quòd non minus ſit Dei Verbum, quàm Chriſti Corpus; & ideò quanta ſolicitudine obſervamus, quando Chriſti Corpus nobis miniſtratur, ut nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat; tanta ſolicitudine obſervemus, ne Verbum Domini, quod nobis erogatur, de corde noſtro pereat quia non minus reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui ſua negligentia Corpus Chriſti in terram cadere permiſerit.*

e Luc. 2. 7.
f 1. Cor. 11. 24. & 25.
g Matth. 13. 3. &c.
h Luc. 1. 38. &c.
i D. Aug. homil. 26. in Joã.

Quale peccatum non obedire præ reverentia Verbo Dei? Ubi obſervate, quæſo, ad noſtram confuſionem, Judam ſolemnem illum Collegij Apoſtolici deſertorem Dominum ſuum triginta tantùm vendidiſſe argenteis, *Conſtituerunt ei triginta argenteos k*. Petitur; Quale conſilium eſſe poterat illorum qui Jeſum Chriſtum his triginta emerunt argenteis; & qualis intentio ſceleratiſſimi illius proditoris, ſuum Dominum tam vili pretio vendentis. Reſpondetur, Judam qui Chriſtum vendidit, & Judæos qui eum emerunt, contempſiſſe eum, & minoris illum æſtimaſſe, quàm aliàs aliquis fecerit, cùm tali pretio venditus & emptus fuerit. Chriſtus in mundo annos transegerat triginta tres, & pro triginta annis iij qui eum emerunt, triginta dederunt argenteos, ita ut quilibet argenteus cuilibet anno Chriſti reſponderet tranſacto, ſignificantes Jeſu Chriſti vitam ita parvi ducendam, ut ſingulis ipſius annis ſinguli ſufficerent denarij aſſignandi, immò vero credebant illius vitam tanti non fuiſſe valoris. Sed quare Judæi non ſolverunt tres annos reſiduos vitæ Chriſti, nullumque eis impoſuerunt pretium? Hoc evenit, quia Chriſtus inſumpſit hos tres annos ultimos ad Verbum Dei prædicandum, quod animæ malignæ Judæ proditoris & Judæorum obſtinatorum ſatis non poterant æſtimare.

k Matth. 26. 15.

Aod intendens occidere Regem Eglon ſedentem in ſolio ſuo, ait ei: *Verbum Dei habeo ad te l.* Princeps, Sermonem Divinum habeo tibi nunciandum. Sed vix Rex audivit hunc terminum, *Verbum Dei*, cùm ſtatim *ſurrexit de throno*, & ſtetit. Toſtatus *m* quærit quare iſte Monarcha tam citò *Surrexit de throno.* Et ipſe reſpondet: *In reverentiam Verbi Dei, ut non audiret illud ſedendo.* Indecorum eſtimavit, ſi audiret Verbum Dei ſolio inſidens; & ideò *ſurrexit.* Si Rex Gentilis tantum honorem exhibuit Verbo Dei, potiori ratione Chriſtiani debent illud revereri, cùm ipſum ſit Mater Sapientia, quæ gratiam affert, & eam in noſtris producit animabus, ut ait D. Jacobus *n*. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Cum Virgo Maria conceperit illud Verbum Divinum in ſinu ſuo, per operationem Spiritus Sancti interiorem.

l Judic. 3. 21.
m Toſtat. q. 22. in Judic. 3. 21.
n Jacob. 1. 18.

Secundus articulus, quem credere debemus circa humanitatem Jeſu Chriſti, eſt Paſſio ipſius, & Mors, quas aliquanto prædixerat tempore antequàm evenirent, cùm dicebat Diſcipulis ſuis: *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum o.* Manichæi qui imaginati fuerant Chriſti Corpus fuiſſe phantaſticum, dolores illius fuiſſe etiam fuiſſe imaginarios; ſed confundit eos Propheta *p*, cùm ait: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Ita ut non poſſimus ſine infidelitate dubitare de verâ ipſius morte, cùm ſciamus eum fuiſſe verum hominem, & Corpus ſuum tradidiſſe non ſolùm omnibus doloribus juvenilibus, ſed etiam ſe expoſuiſſe diſpoſitioni inimicorum, qui mortem ipſi intulerunt crucis omnium maximè ignominioſam, quam tamen ipſe gloriam ſuam vocat.

o Matth. 20. 18.
p Iſai. 53. 4.

Anaſtaſius Sinayta *q* explicans hæc verba, *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus r*, per verbum hoc *glorificatus*, intelligit crucifixum, & dicit: *Gloriam hic vocat mortem per crucem inflictam.* D. Chryſoſtomus aſſerit idem pluribus in locis: *Vides crucis intuitu perceptam lætitiam? In cruce enim immolatus eſt Chriſtus, & ubi immolatio, amputatio peccatorum: ubi reconciliatio Domini, ibi feſtivitas & omnis gratulatio. Paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus s.* Idem ipſe dicit alibi *t*, D. Cyrillus Jeroſolymitanus *u* cùm crucem auguſto hoc inſignivevit titulo, *Gloriatio gloriationum eſt crux*, ſubjungit: *Vides quomodo gloriam propriam ſciebat eſſe crucem.* D. Hilarius *x* aliquid magis dicere videtur; Scribens enim ſuper hæc verba, *Pater venit hora, clarifica Filium tuum y*, per hanc clarificationem, ſeu glorificationem, quam Chriſtus petit à ſuo Patre, intelligit totam Paſſionis illius. Omnem ſuam trau-

q Anaſt. Sinayt. de Rectis Fidei Dogm. lib. 4 &c. Paſſ. & Impaſſibilit Chriſti
r Joan. 7. 39.
s D. Chryſoſt. hõ. de Cruce & Latrone. ex 1. Cor. 5. 7.
t Idẽ hõ. 4. in c. 2. Epiſt. ad Hebr.
u D. Cyril Catech. 13.
x D. Hilar lib. 3. de Trinit.
y Joan. 17 1.

Digitized by Google

tranſegerat Chriſtus vitam in miſerijs & afflictionibus *z*, calumnijs & injurijs impetitus *a*, fame *b* ſitique *c* oppreſſus, itinerationibus noſtræ ſalutis promovendæ gratiâ ſuſceptis *fatigatus d*, lacrymarum imbribus in deflendis impietatibus noſtris perfuſus *e*; his omnibus difficultatibus non ſine magno labore hauſtis, *Clarificat Pater Filium? Quomodo tandem? ſuffigitur cruci*, quam gloriam ſuam eſſe exiſtimat. Statim namque ſubjungit D. Hilarius: *Deinde quid ſequitur? Sol non occidit f, ſed refugit. Sed quid refugiſſe dico? Non receptus in nube eſt, ſed de curſu operis defecit, & interitum ſuum cum eo reliqua mundi elementa g ſenſerunt: & ne huic facinori illæ cœleſtes operationes intereſſent, intercesſionis hujus neceſſitate quâdam ſui abolitione caruerunt.*

z Pſ. 87. 16. a Joan. 8. 48. b Matth. 4. 2. c Joan. 4. 7. d Joan. 4. 6. e Luc. 19. 41. f Ex Luc. 23. 45. g Ex Matth. 27. 51. &c.

Sed ſuper hos omnes Authores Tertullianus *i* ait, Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum duobus baptiſmis ablutum fuiſſe, altero aquæ, ſanguinis altero; illo in fluvio Jordane, ubi *baptizatus k* fuit à D. Joanne Baptiſtâ; iſto in prætorio Pilati, & in monte Calvariæ, ubi baptizatus fuit proprio Sanguine *l*: illo, ut ablueretur exteriùs, licèt in ipſo nullæ eſſent ſordes externæ, nec ullæ internæ, quæ extergerentur, cùm ipſe eſſet *Sanctus Dei m* per eſſentiam, recipiendo aquam elementarem ſuper caput ſuum; iſto, effundendo proprium Sanguinem in ara crucis ſuper monte Calvaria, ut publicè ante omnes gentes gloriam ſibi compararet, *Ut aquâ tingueretur, Sanguine glorificaretur.* At poſt tot graves Authores, ſinite, quæſo, ut meam promam ſententiam, dicendo bonum Latronem Dimam ingreſſum eſſe paradiſum cum Salvatore ſuo Jeſu Chriſto, juxta verbum ipſi ab eodem in cruce pendenti, die obitus ipſis communi, nunciatum, *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiſo n*, non ſolùm poſt mortem, per viſionem *o* Divinæ eſſentiæ in gloria Beatorum in cœlo Empyreo regnantium, imò etiam ante mortem, cruci ſuffixum cum Domino ſuo ipſa Paraſceues die. Licèt enim ob varia ſcelera, quorum erat conſcius, cruci fuiſſet affixus, antequàm agnoſceret Chriſtum juxta ſe patibulo ſuſpenſum, crux ipſi non minùs erat quàm infernus, quem pariter experiuntur licèt inviti ſſimo animo impij & ſcelerati homines, impatientes ob anguſtias & varias hujus mundi, quibus impetuntur, miſerias, quas tolerare coguntur, etiamſi ex ijs nullum meritorum fructum referant; ſed ſtatim ac converſus fuit, Chriſtum agnoſcendo *p*, crux ipſi in paradiſum verſa eſt, & ex illo tempore Chriſtum libentiſſimè ſecutus in cruce, patibulum ſuſtinuit alacriter & meritoriè, cùm eſſet jam beatus, audito hoc Chriſti verbo, quod fecit ipſius gloriam: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

i Tert. lib. de Baptiſm. c. 16. k Matth. 3. 16. l Joan. 19. 1. &c. m Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34. n Luc. 23. 43. o Joan. 17. 3. p Luc. 23. 42.

Ut autem oſtendatur amor, quo nos proſequebatur Chriſtus, fuiſſe cauſa cur gloriam ſuam ac ſatisfactionem in doloribus inveniret; in monte Thabor, ubi diſcipulis exhibuit ipſe gloriæ Beatorum ſpecimen, *Moyſes & Elias dicebant exceſſum ejus, quē completurus erat in Jeruſalem q*. Sed videbantur Moyſes & Elias parùm urbani, loquentes de paſſione tempore gloriæ, quis *muſica in luctu importuna narratio r*. Quin imò nullam majorem voluptatem & gloriam Chriſto afferre poterant, quàm loquendo de paſſione & cruce: iſtud colloquium gloriam Thabor extollebat, nihil autem æquè amat Chriſtus ac tales ſermones, cùm oporteat ut locis atque perſonis aptentur diſcurſus; *Dicebant exceſſum ejus.* Id eſt, gloriam, ait D. Chryſoſtomus *s* his verbis; *Loquebantur de gloriâ, quam completurus erat in Jeruſalem, de cruce videlicet ac Paſſione ſuâ.* Gloriæ enim ducit Chriſtus, & dies videtur feſtos agere, cùm pro noſtrâ ſalute toleraret paſſiones.

q Luc. 9. 31. &c. r Eccli. 22. 6. s D. Chryſoſt. homil. 57. in c. 17. Matth.

Quæritur cur Matronæ Romanæ ſacrificantes aliàs Deæ Floræ, haberent capita ſua ſertis ex omni florum genere compactis, excluſis duntaxat coronis myrteis, redimita. Et reſpondetur, quia Dea Flora à viro ſuo virgis cæſa fuiſſe perhibetur myrteis, & ideò ne cōfuſione operiretur Dea illa, illuſtres illæ Dominæ nec lacrymarum illius, nec verberum, quibus à viro excepta fuit, ullam faciunt mentionem. At contrarium accidit Chriſto in auguſtiſſimo Altaris Sacrificio: ibi enim jubet ut quotidie memoria ſuæ renovetur Paſſionis ab Eccleſiâ. *Hæc quotieſcumque feceritis, in meî memoriam facietis t. Hoc facite in meam commemorationem. Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem: quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. u*

t Eccleſia. u 1. Cor. 11, 24. &c.

Prætereà, Quæritur etiam quare Jeſus Chriſtus, cùm exactum obſervaſſet ſilentium in totâ Paſſione ſuâ, ut teſtatur Propheta *x*, *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*: tamen quando flagellatus eſt jubente Præſide Pilato, *ſpinis* coronatus malitiâ ſatellitum, & cruci tandem affixus *y*, nullum verbum protulit; ſed cùm accepiſſet *alapam* à miniſtro Pontificis Malchu ſibi inflictam, hæc actio ſacrilega ipſum impulit ut diceret ei per modum inculpatæ querelæ. *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, quid me cadis z?* Quare violavit hîc ſilentium, & non alibi? Ratio iſtius eſt, Quia aliàs ſervi, dum libertate donabantur, alapam accipiebant; inflictus ſervis colaphus, erat nota libertatis ipſorum, quibus conſequenter expediabantur literæ libertatem ipſis præſtitam præſe ferentes. Sacrilegus ille miniſter ſe ſervus, qui alapam impegit vultui Chriſti, *in quem deſiderant Angeli proſpicere a*, quaſi ſignificare velle intendebat, non multi faciendum hominem, qui ſic Pontificem alloqueretur, quaſi inſanum & mente captum reputandum, & ut talem dimittendum, & pro notâ libertatis, colaphum ei inflixit. Sed Chriſtus audiens fieri mentionem libertatis indulgendæ, ob ingens deſiderium patiendi pro nobis, quo ducebatur, ſilentium violat, & tali ſermone ſibi atrocem autumat injuriam irrogari, & paſſiones amaras præfert libertati creditæ, vitæque mortem penitus antepoint. Cùm eſſet in morte Calvariâ cruci affixus, queritur de inimicis ſuis per Prophetam *b*: *Quoniam ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Quibus verbis ſubjungit Hugo Cardinalis *c*: *Addiderunt non fomentum olei, vel emplaſtri, ſed dolorem alterius vulneris, addentes afflictionem afflicto.* Hoc aliam conceptionem elucidat. Datur illi acetum *d*; ſed illud acetum erat ne omnium tormentorum ipſius maximum? Propinabatur jam jam morituris, ut ſenſus ipſorum quodammodo ſopirentur, citiùs morerentur ipſi, & ſic dolor ceſſaret eorum, qui morte violenta è vivis erant auferendi. Quare igitur queritur Chriſtus? Ratio iſtius eſt, Quis per hanc potionem minùs paſſus eſſet pro homine, hoc ipſius amori adverſabatur,

x Iſai. 53. 7. y Joan. 19. 1. &c. z Joan. 18. 22. & 23. a 1. Petr. 1. 12. b Pſ. 68. 27. c Hugo Card. in Pſ. 68. 27. d Joan. 19. 29.

magiſ-

magiſque ipſum affligebat, quàm ſupplicia ipſum torquerent; & ideò ait: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Quid igitur agere debemus, ut huic amori pares rependamus vices? Nunquid non alacriter pati debemus pro illo, qui *eſt paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus?* Et, ſecundùm D. Petrum *e*, *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt.*

e 1 Pet. 3. 18.

Tertius articulus, qui reſpicit humanitatem Chriſti, eſt deſcenſus ejus ad inferos, putà ad limbum, ubi ſancti Patres à longo tempore eum videre deſiderabant, *Deſcendit ad inferos.* Et D. Paulus *f* ait: *Deſcendit in inferiores partes terræ.* Deſcendit voluntariè & liberè, non autem coactè & violenter, ut Dominus, & non ut captivus in hæc divinæ Juſtitiæ deſcendit ergaſtula, non ut ibi maneret, ſed ut illinc extraheret ſanctos Patres qui ad ipſius anhelabant adventum, ut ipſorum locorum ſubterraneorum ſeras aperiret; *Ut diceres his qui vincti ſunt, Exite; & his, qui in tenebris, Revelamini g.* Non autem ut in hoc centro terræ includeretur, in quod deſcendit ut triumpharet de pœnis, non autem ut eis ſubjiceretur, cùm non poſſet perferre pœnas damnatorum, eò quòd anima ipſius ab inſtanti conceptionis ipſius, viſione Dei fruebatur beatâ *h*; cùm præcipua damnatorum miſeria conſiſtat in hâc privatione viſionis Dei *i*; quæ dicitur pœna damni, quam reprobi experiuntur; eò quòd perſeveraverint, & mortui ſint in perverſis conſuetudinibus ſuis, quarum infernus eſt imago.

f Epheſ. 4. 9.
g Iſai. 49. 9.
h Joan. 14. 10.
i Matth. 25. 12. &c.

Salomon ait *k*: *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quàm ſtatus iſte eſt miſer! Sed quid eſt hoc, *in profundum peccatorum venire?* D. Chryſoſtomus *l* ait hoc eſſe peccatis aſſueſcere, & habenas laxare pravo habitui Deum offendendi, qui pravus habitus viam pandit ad infernum, qui eſt centrum terræ: *Grave enim, grave eſt, dilecti, capi laqueis diaboli. Anima enim poſteà quaſi in retibus comprehenſa trahitur. & ſicut ſus in luti volutabro † oblectatur, ſic & iſta à mala conſuetudine obruta, ne ſentit quidem peccatorum fœtorem. Ideò opus eſt ut ſobrii & vigiles ſimus *. ne ab initio diabolo ingreſſum concedamus, ut ne dum obtenebrata fuerit noſtra ratio, & excæcata mentis perſpicacia, faciat quaſi privatos hujus Solis lumine, ne valeas in radios Solis juſtitiæ m contueri, & ita in præceps feraris: id quod & illis tunc accidit.* Idcircò ſunt quidam Doctores qui vertunt: *Impius cùm in centrum peccatorum venerit, contemnit*, timorem amittit, ac pudorem. Habitus peccandi vocatur centrum. Sed quid habere poteſt res aliqua in centro? Quietem, conſervationem, & unionem. Peccator eſt in peccato pravi habitus, cum quiete, quia peccata contra Deum nihil amplius pœnæ & doloris afferunt impio, qui *contemnit ſe, quia pro quolibet vili dat ſe*, ait Hugo Cardinalis ‡. Vel, *Contemnit omnem correctionem, & pœnæ comminationem*, ut exponit Lyranus *. Unde ſequitur conſervatio; ſemper eſt in peccato, in culpâ perſeverat ſemper, quoadusque perveniat ad pœnam ſibi debitam, quæ eſt pœna inferni; & è conſervatione ſequitur unio; fœdus init peccator cum deformitate culpæ, & ſic *contemnit omnem correctionem*, pœnitentiam, & remedium; quia per pravum habitum, quem non poteſt ampliùs vincere, eſt veluti in centro cum quiete, unitus ſuis horroribus & infectionibus, quæ aliàs deteſtaretur.

k Prov. 18. 3.
l D. Chryſoſt. homil. 22. in Gen. 6. 4.
† Ex 2. Petr. 2. 22.
* Ex 1. Petr. 5. 8.
m Ex Malach. 4. 2.
‡ Hug. Card. in Prov. 18. 3.
* Lyran. in Prov. 18. 3.

D. Ambroſius *n* loquens de D. Joanne Baptiſtâ, quem impius Rex Herodes tenebat in vinculis *o*, dicit: *Mirari non debemus, quòd ab Herode miſſus in carcerem, clauſus Chriſtum ſuis diſcipulis intimaret; cùm clauſus in utero eundem Dominum geſtibus prædicarit p.* Ut innuat habitus ſemper manere, pravos, æquè ac laudabiles: illi non facilè amittuntur, cùm ſit *habitus qualitas difficilè mobilis à ſubjecto.* Imò verò pravi habitus nos poſt mortem noſtram ſequuntur. Dives Epulo *q* in flammis inferni vindicatricis cruciabatur, & videns Lazarum gaudio perfuſum in ſinu Abrahæ, deprecabatur hunc pium Patriarcham ut ad ſe mitteret Lazarum, qui intingens extremum digitum ſuum in aquam, horrendos inferni ardores, quos in linguâ patiebatur ipſe, tantillùm vel ille mitigaret: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.* D. Chryſologus *r* ſubtiliter obſervat modum loquendi hujus divitis, *Mitte Lazarum* ad me, ut aliquod refrigerium afferat ardoribus incomprehenſibilibus, quibus uror in his Juſtitiæ Divinæ, in quibus jure meritò detineor, ergaſtulis. Non petit epulo ſe deferri, aut duci ad locum, ubi eſt Lazarus, ſed è contrà vult ut Lazarus veniat ad ſe: & ideò impudentiam reprehendit epulonis D. Chryſologus his verbis, *Adhuc divitem malitia non deſerit, quem jam poſſederat pœna, qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat, ſed ad ſe Lazarum vult deduci.* Non potuit obitus evellere malitiam infœlicis hujus epulonis, cùm ſemper perſeveret in ſuperbiâ ſuâ; non ait ut deferatur ipſe in ſinum Abrahæ, in quo requieſcit Lazarus, ſed præcipit cum arrogantiâ intolerabili, ut Lazarus veniat ad ſe. Sed quid? Arrogantia & ſuperbia hujus divitis epulonis poteſtne adhuc durare in pœnis inferni æternalibus? Poſſibilene eſt ut in tormentis, quibus exagitatur, præcipiat ut Lazarus veniat ad ſe, & ipſe nolit adire Lazarum, licèt in locum eſſet quietis perrecturus? *Mitte Lazarum.* Hæ flammæ, quibus aduritur, nunquid ſatis hanc non depreſſerunt ſuperbiam? Minùs quidem ſanè: pravi ſiquidem habitus nunquam amittuntur; dives hic epulo Lazarum ſolitus erat contemnere, cùm adhuc vitam ageret, & poſt mortem adhuc injuriis eum non deſinit laceſſere; *Mitte Lazarum*, &c. Pœnæ & flammæ inferni vindices non ſunt ſatis quæ ipſius reprimant ſuperbiam, pravamque hanc & inveteratam conſuetudinem ad nihilum redigant, quoniam habitus ſemper remanent. Quod agnoſcens Clemens Alexandrinus *s*, ait: *Fugiamus conſuetudinem, tanquam ſcopulum difficilem: eſt barathrum conſuetudo.* Declinemus à pravis habitibus, qui ſunt veluti ſcopuli, & abyſſi, in quæ impinguntur infinitæ animæ, ut in Scyllas & Charybdes, & quæ veluti Sirenes fabuloſæ ſubmergunt homines, eos ſeparant er à veritate, & illos perimentes; quia ipſi habitus ſunt infernus; *Eſt barathrum conſuetudo.* Sicut enim inferni facilis eſt aditus *t*, exitus verò impoſſibilis *u*; ita conſuetudo inveterata in corde hominis eſt barathrum & infernus, cùm ipſa non poſſit illud deſerere, nec ab eo exire.

n D. Ambr. ſerm. 1 de D. J. Bapt. 1.
o Marc 6. 17. & Matth. 14. 3. &c.
p Ex Luc. 1. 41.
q Luc. 16. 23. &c.
r D. Chryſol. ſerm. 122.
s Clem. Alex. orat. adhortator. ad Gentes.
t Matth. 7. 13.
u Matth. 25. 41.

Maria Magdalena ita tenero Salvatorem mundi proſequebatur amore, ut reſpirare non poſſet quin eum videret: idcircò hæc Amans facta tantâ ſolicitudine animæ ſuæ Sponſum dilectum quærebat, poſtquàm Judæi inimici illius infeſtiſ-

ſimi

Digitized by Google

ſimi eum patibulo crucis affigi feciſſent, & in [x Joan. 19. 41. &c.] ſepulchro condidiſſent eum amici ipſius x: Sed Chriſtus à mortuis reſurgens, & videns dolorem quo dilecta ſua in corde ſuo angebatur, eò quòd Divinâ ipſius præſentiâ eſſet privata, exhibuit ſe illi intuendum in habitu hortulani, & voce propria cognoſcendum, vocans illam proprio nomine. Magdalena cognoſcens hunc hortulanum fuiſſe Jeſum Chriſtum recenter reſuſcitatum, voluit ſe ante pedes Domini ſui præ non exigua projicere reverentia; & ideò dixit ei [y Jo. 20. 17. &c.] Chriſtus: *Noli me tangere y.* Sed quare hæc Amans ſacra voluit potiùs pedes Domini, quàm [z Luc. 7. 38. & Jo. 12. 3.] manus, aut quamlibet aliam corporis ejus partem tangere? Ratio iſtius eſt, quia ipſa conſueverat tangere *pedes* z Chriſti, eos oſculari, & ungere; & habitus non niſi vel maxima difficultate pereunt.

Quartus articulus, quem fides Chriſtiana proponit nobis credendum circa Jeſum Chriſtum, eſt Reſurrectio Salvatoris noſtri; *Tertiâ die reſurrexit à mortuis.* Ille enim qui mortuus eſt ut homo, debebat reſurgere, ut teſtimonium præberet ſe non ſolùm hominem, ſed etiam Deum eſſe, reddendo carnem ſuam dotis immortalitatis participem, ſicut anima ipſius illa jam prædita erat à tempore unionis perſonalis cum Verbo Divino.

Quintus articulus, quem credere tenemur circa humanitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, eſt, eum tranſactis poſt Reſurrectionem ſuam [† Act. 1. 3. &c.] diebus *quadraginta* ſuper terra †, cum ſuis interdum converſando diſcipulis, aſcendiſſe in cælum Empyreum, ibique ſediſſe ad Dei Patris ſui dexteram; *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.*

Sextus tandem & ultimus articulus circa humanitatem Chriſti, quem credere debemus, eſt reditus ipſius extremis temporibus ad judicium [a Matth. 25. 35] finale a; *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Et quia illuc debemus omnes convenire perſonaliter, illic cogitatione defixos vos deſero, ut vivatis veluti obligati ad reddendam rationem Judici illi ſupremo, qui tunc temporis nihil præter fulgura, tonitrua, & fulmina præ manibus geſtabit, quibus omnes illos qui in vita ſua Divina non ſervaverint præcepta, exterminet, & in profundos inferorum vortices detrudat cruciandos.

[b Iſai. 42. 6 / c Matth. 11. 29] Sed quia per Prophetam b loquens Pater æternus de Meſſia, & de qualitatibus ejus auguſtis, ait: *Dedi eum Præceptorem Gentibus*; & Jeſus Chriſtus in ſua humanitate commendavit nobis actionibus ſuis humilitatem c, & modeſtiam, quæ fundamentum eſt juſtitiæ Chriſtianæ, & fidei, quam profitemur, debemus obſervare in actionibus noſtris virtute præditis id, quod ipſe fecit in [d Sap. 18. 14. & 15.] progreſſu vitæ ſuæ humanæ. In nativitate ipſius [e D. Bern. ſerm. 3 in Natali Dom.] qualem demiramur humilitatem contra ſuperbiam? Naſci poterat media luce cum pompa & majeſtate ſibi debitis, attamen ad abſcondendam gloriam ſuam, *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo exiliens de cælo à regalibus ſedibus, in mediam terram proſilivit d.* Quid? ait D. Bernardus e; Chriſtus abſcondit gloriam ſuam? *Jam verò nocte naſci voluit; ubi ergo ſunt qui tam impudenter geſtiunt oſtentare ſemetipſos?* Qui omnes poſſibiles adhibent induſtrias ut majores appareant quàm ſint, & conditionem ſuam magis quàm ſit par commendent; Chriſtum contemplentur; qui cùm poſſet Angelos è paradiſo in terram deducere, tam humilis apparere dignatus eſt. Non ſolùm in Nativitate ſua, ſed per totam ſuam vitam ſua abſcondit miracula, ne propriam gloriam ventilarent: cùm ſanavit paralyticum, non dixit ei, ſe dediſſe ipſi ſanitatem, ſed ſanitatem ipſum accepiſſe; *Ecce ſanus factus es f.* [f Joan. 5. 14.] Cur non dicit Dominus, ſe hoc miraculum, quod Judæorum ſuſpendit animos, perpetraſſe? Videamus ipſius humilitatem; non dixit; Sanavi te, ſed, *Sanus factus es.* Ut oſtenderet nobis fugiendum eſſe à vana gloria.

In cruce moriturus eandem nos docet lectionem: D. Marcus g enim ait, milites abſtuliſſe [g Marc. 15. 24.] ab eo veſtem purpuream; *Et crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus.* Peto cur Chriſtus permiſit ut ſe exuerent veſtimentis Regijs, quibus indutus erat, cùm ipſe *Rex regum, & Dominus dominantium h* ſit. Reſpondet D. Ambroſius i, permittentem Chriſtum ſe exui Regijs [h 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.] veſtimentis, quando pro nobis mortuus eſt in cruce, voluiſſe nos hoc ultimo vitæ ſuæ momento docere humilitatem, mundique vanitatem fu- [i D. Amb. l. 10. in Luc. 23. 33.] giendam: *Refert verò conſiderare (quia, ſecundùm Marcum, crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus) qualis crucem aſcendat. Nudus aſcendit. Nudum ecce video. Talis ergo aſcendat, qui ſeculum vincere parat, ut ſæculi adjumenta non quærat.* Humilitas ipſius non minùs commendatur per deſcenſum ipſius ad inferos, & per Reſurrectionem. In monte Calvariæ ulciſci poterat de inimicis ſuis injurias, quibus fuerat ab eis affectus, & eas non ulciſcitur; imò in gloria Reſurrectionis ſuæ non deſinit docere nos humilitatem, cùm in ea crucis ſuæ faciat mentionem, *Jeſum quæritis Nazarenum, crucifixum: ſurrexit, non eſt hic k.*

[k Marc. 16. 6.] Eandem pariter oſtendit nobis in Aſcenſione ſua humilitatem, ut ait D. Hilarius l: *Ut cùm idem atque unus ſit deſcendens & aſcendens m, unuſquiſque nobis Jeſus Chriſtus ſit & Dei Filius & hominis Filius, & Verbum Deus & homo caro, & paſſus, & mortuus, & ſepultus, & reſurgens, & in cœlos receptus, & ſedens ad dexteram Dei.* D. [l D. Hilar. lib. 10 de Trinit. / m Ex Eph. 4. 9. & 10.] Lucas n ille eo cum tanta loquitur modeſtia, ut [n Luca 24. 51.] videatur Chriſtus magis prædicare ſuam humilitatem, quàm ſuam gloriam; *Receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Et, *Aſſumptus eſt o.* D. Marcus p de eodem aſſerit, *Poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt.* Sed ſi aſcendit propria virtute, cur [o Act. 1. 2. / p Marc. 16. 19.] *aſſumptus?* Quare Evangeliſtæ in ſcriptis ſuis humiliant Potentiam Jeſu Chriſti in ipſius Aſcenſione? Cur non dicunt eum propria virtute aſcendiſſe? Profectò ut exhiberetur nobis exemplum humilitatis. In ſanctiſſimo Sacramento abſcondit ſe oculis noſtris, ne gloriam ſuam manifeſtet; *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator q.* Quia non unam tantùm rem abſcondit [q Iſa. 45. 15.] ibi, ſed multas, nimirum perſonam ſuam, opus, ac modum; ſicut tria operit ſub accidentibus ſenſibilibus panis & vini, perſonam ſuam, opus, & modum; debemus etiam nos operire mundo perſonas noſtras, opera noſtra, & bonas noſtras intentiones. In judicio univerſali conſpicietur ut Filius hominis, *Cum venerit Filius hominis r,* ut [r Matth. 25. 31.] humiliter de nobis ſentire doceat nos exemplo ſuo, cùm humilitas ſit diſpoſitio recipiendæ gratiæ ipſius in hoc ſæculo conſona, & gloriæ ipſius in altero delibandæ congruens.

FERIA III. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

INcepturus Spiritus ſanctus inſtitutionem fidei Chriſtianæ, quam profitemur, & quæ eſt initium juſtitiæ noſtræ conditioni convenientis, in flumine Jordane *a*, eamque conſummaturus die ſacra *Pentecoſtes b*, apparuit illic in forma columbæ, quæ eſt expreſſa ſimplicitatis imago; nec ſine myſterio obſervatur Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti, paſtorum coronæ ſeu multitudini innocenti, ab Angelo fuiſſe annunciata *c*, ut innuatur ſimplicitas, quæ eſt libera & ſincera animæ diſpoſitio ad conſentiendum omnibus veritatibus, eſſe neceſſaria omni fideli Chriſtiano, qui incipit ſanctitatis exercitio vacare, cum eas agnovit, eò quòd è ſacro Dei Verbo proceſſerint *d*; & denudatio illa, qua voluntariè ſuis orbatur luminibus, ut cedat Authoritati Divinæ, conſtituit primum fœlicitatis ipſius greſſum. E contra verò ſubtilia illa, ſeu potiùs ſuperba qualia eſſe poterant Scribarum & Phariſæorum Evangelij noſtri ingenia, illos reddunt infelices, eo ipſo quo ipſorum induſtria magis imaginaria quàm realis impedit ne ſimpliciter Religionis acquieſcant veritatibus. Unde fit ut Jeſus Chriſtus Patri ſuo æterno gratias egerit pro eo quòd revelaſſet myſteria Evangelij ſui non ſuperbis & ſcientia inflatis, ſoli vanitati ſuæ inſervientibus, ſed ſimplicibus & humilibus *e*, ut confirmat Evangelium noſtrum *f*, *Beati pauperes ſpiritu*. Idcircò humilitas fuit diſpoſitio Virgini Sacratiſſimæ ad concipiendum in ſinu ſuo Verbum Divinum, cùm reſpondit, *Ecce ancilla Domini*, Angelo dicenti ſibi, *Ave g Maria*.

a Math. 3. 16, &c.
b Act. 2. 1, &c.
c Luc. 2. 10, &c.
d Joan. 1. 27.
e Luc. 10. 21
f Matth. 5. 3.
g Luc. 1. 38. & 28.

Oſtendi vobis his diebus nuperrimè elapſis, fidem, quæ eſt primum principium & fundamentum totius vitæ Chriſtianæ & juſtitiæ, cujus poſſumus eſſe participes, quatenus viri fideles, inducere nos ad credendum Deum eſſe noſtrum Redemptorem, noſtrum primum principium, & ultimum finem noſtrum ad quem tendere debemus; eſſe Unum in eſſentia, & Trinum in perſonis; Filium ejus unicum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum amoris noſtri cauſa in puris beatiſſimæ Virginis Mariæ viſceribus Spiritus ſancti obumbrantis operatione fuiſſe conceptum interiori, & ut nos è ſervitute dæmonis eriperet, & vincula noſtra ſolveret, ipſum vinculis ligatum; injurijs, contumelijs, ſicut & verberibus laceſſitum; & morte tandem crucis omnium maximè ignominioſâ & immani peremptum; ſepultum; deſcendiſſe ad inferos; tertiâ die à mortuis reſurrexiſſe; in cœlos aſcendiſſe, tranſactis in terrâ poſt Reſurrectionem ſuam diebus quadraginta; & tandem in fine ſæculorum venturum ut Judicem ſupremum viventium & defunctorum, qui Juſtis præmia retribuat æterna bonis ipſorum operibus ex decentiâ debita, & impijs ſupplicia ad tormenta decernat ſempiterna. Cùm igitur tractaverim vobis de Unitate Divinitatis in eſſentia, & de Trinitate perſonarum, & inceperim vobis diſſerere de operibus Dei ad extrà, quæ nullus præter Deum poteſt producere, ut nemo de hoc ambigit, & initium duxerim ab Incarnationis Verbi Divini myſterio, quod, cùm ſit omnium operationum Dei ad extrà caput, non ſine cauſa omnium rerum creationi præpoſui; habeo vobis loquendum de reliquis ipſius operibus ad extrà, quorum primum eſt creatio omnium rerum *h*, quæ eſt primus articulus Symboli, *Creatorem cœli & terræ*. Secundus articulus eſt diſtributio gratiæ. Tertius articulus eſt reſurrectio mortuorum. Quartus verò articulus eſt vita æterna, quæ noſtra coronabit merita. Sed quia diſtributio gratiæ continet omnem materiam Sacramentorum, & includit duo Eccleſiæ præcepta, nimirum Confeſſionem, & Communionem, quæ omnia reduci poſſunt ad articulos nonum, *Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem i*, & decimum, *Remiſſionem peccatorum k*; ipſam gratiæ diſtributionem reſervo vobis die craſtina, Deo dante, explicandam; locuturus vobis hodierna die de operibus Dei ad extrà ſupradictis modò articulis enumeratis, quæ materiem veſtris ſubminiſtrabunt attentionibus exercendis.

h Gen. 2. 1. &c.
i Ex Act. 2. 42 &c.
k Ex Joan 20 23 Propoſitio.

Primum igitur operum Dei ad extrà, & quod Symbolum proponit nobis credendum, eſt creatio omnium rerum; non enim ea cæcitate, qua Epicurus perculſus eſt, debemus commoveri: imaginatus quippe fuerat antiquus ille Philoſophus mundum ſorte, ſeu fortunæ caſu fuiſſe productum, atomis & corporibus inſecabilibus, ut rerum omnium principijs, inter ſe unitis & cohæreſcentibus: nec eorum ſequi errorem, qui dixerunt hæc omnia, quæ videmus, è ſinu materiæ jam præjacentis exiſſe: neque illorum imitari ſententiam, qui aſſeruere Deum eſſe Creatorem inviſibilium, viſibilium autem dæmonem: nec aliorum inhærere opinioni, qui crediderunt Angelos omnium rerum fuiſſe opifices: Sed certa fide nobis tenendum eſt univerſa quæ cœlorum concluduntur ambitu, Divini Sermonis imperio è nihilo exiiſſe, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt l*: cùm incepiſſet ipſo temporis principio, omnia è nihilo educens, alioquin enim nó eſſet creatio: non caſu & fortuna, ſed conſideratione magna, & gravi pondere cùm omnia exierint è manu illius, qui agit univerſa ſapientia infinita, *Omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua m*. Nec ob id ſocius fuit ei adhibendus, vel Angeli, aut Dæmones coadjutores illi fuerunt ſubminiſtrandi: ſiquidem creaturæ omnes viſibiles & corporales ſecundùm ideam, quam earum ab æterno inviſibiliter in ſuo intellectu habuerat, ſicut & omnes ſpiritus boni & mali, ab eo dependent quatenus Creatore; alioquin enim non eſſent creaturæ ac nos & cætera, quæ per orbem diffunduntur univerſũ; ita ut nihil ſit in cœlo, & in terra ſpecioſum & laude dignum, quod Divino non ſit productum Verbo, ut aſſerit Pſalmographus; *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum n*.

l Pſ. 148. 5.
m Pſ. 103 6.
n Pſ. 32. 6

Advertiſtiſne aliquando quædam vitra aut cryſtalla triangulariter acuta, inventa ad levamen & recreationem hominum humore aliquo melancholico affectorum, quæ hac polleant proprietate, ut omnia quæ ex ipſis tranſverſis inſpiciuntur, extraordinaria pulchritudine & decôre ſingulari inſignita eſſe videantur, ita ut objecta, quæ extra cryſtallum inſpecta, parent eo modo quo ſunt in ſe & in ſua natura, hoc cryſtal-

cryſtallo mediante multò ſpecioſiora appareant oculis inſpicientibus, etiamſi ipſis nihil fuerit additum? Homines ordinariè ſimile cryſtallum ante mentis oculos præ ſe ferre videntur in conſiderandis operibus Dei, in inſpiciendis creaturis, quæ è manibus ejus ſunt egreſſæ, quæque in mundo videntur; iſtud cryſtallum eſt affectio, qua ducuntur, ipſæ ſunt in ſe creaturæ tales, quales Deus eas produxit, ſpecioſæ, & bonæ, ſingulæ in ſuis ſpeciebus, & omni ſua perfectione naturali conſummatæ; ſed ſtatim ac ex tranſverſo violenti alicujus affectus inſpiciuntur ipſæ, in illis eſt videre alterationem necnon & mutationem ſubitaneam. Prima mulier antè quidem videtat fructum arboris *ſcientiæ boni & mali o*, ſed non eodem modo; eum inſpexerat diſcoopertum, & in ipſius natura; ſed poſtea illum reſpexit ex tranſverſo trianguli cryſtalli, ſeu paſſionis, qua ducebatur ipſa, ſeu ambitionis, ſeu gulæ; & aliter quàm eſſet anteà, ipſi apparuit; anteà erat pulcher & bonus, ſed non bonus ad comedendum *p*, nec digeſtu facilis; ipſa imaginata eſt quòd ſic, & hac imaginatione ſuaſa, illum accepit, *& comedit q*, ſtatimque hauſit mendacium & vanitatem. Ideò dicebat Deo David *r*: *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Obſecro, Domine, ne permittas ut videam mundana intuitu qui ipſis vanitatem imprimat ac mendacium. Videte, quæſo, Auditores, quomodo Propheta vocet ſtatum, quem rebus hujus mundi tribuit phantaſia noſtra; *Vanitatem* eum nominat; quaſi diceret, illum apparentiam aliam ſanè præ ſe ferre quàm ſit ipſa res in ſua natura. Nonne verò nos aſſerere poſſumus hominem violenta aliqua paſſione affectum invenire has transfigurationes? Cùm ab ipſis principiis omnia videantur ipſi jucunda; cùm aliquo affectu ductus eſt, contrarium deprehendit; & quod videbatur ipſi eſſe utiliſſimum, in detrimentū ipſius ſuccedit, ac in cōfuſionem, & in dedecus. Virtus videtur amara, faſtidioſa, & inſipida primo intuitu; ſed ſtatim ac quis eam guſtavit, ipſam dulcem experitur ac jucundam. *Virtus radices amariſſimas, fructus verò dulciſſimos habet*, dicebat quidam Philoſophus. Interrogabat alias Jeremiam Deus; *Quid tu vides Jeremia? Et dixi, Virgam vigilantem ego video s.* Quædam verſio dicit: *Virgam amygdalinam ego video.* Advertiſtis ſanè naturam providiſſe amygdalæ corticem viridem, aſperum, & inſipidum, & ſub eo incluſiſſe teſtam firmam & duram, quam nemo poſſit mandere, minùs autem digerere; aliam prætereà pelliculam flavam, ſub quâ invenitur fructus albus, dulcis, & humanæ ſanitati admodum proficuus: eodem planè modo multis eſt virtus implicata difficultatibus, operta corticibus guſtui ſatisfacere non valentibus; ſed ſi quis interius pervadat, & expectet ut aperiatur, invenietur ibi conſolatio & voluptas inæſtimabilis. Sed advertite obiter quòd licèt hic cortex ſit aſper & rudis, eſt nihilominùs viridis, ſub quo ſit aliquid melius & dulcius expectandum. Manifeſta eſt hæc veritas in noſtro Evangelio *t*. Conſiderate, quæſo, quoties Dei Filius propoſuit diſcipulis ſuis, & in eorum perſona omnibus Chriſtianis opera pœnalia & laborioſa, & deprehendetis ea viriditate ſemper circumdata. Si paupertatem ſectandam ob oculos poſuit, ſtatim ſubjunxit viride retributionis æternæ; *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Si manſuetudinem, illicò mercedem junxit; *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Si lacrymas laudavit, mox eis conſolationem aſſignavit, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Et ſic de cæteris. Similiter David *u* virtutem commendans illius, qui pravis conſortijs, & peccati occaſionibus renunciat, ait ipſum futurum veluti pulchram arborem plantatam juxta aquas, quæ fructus ſuos opportuno reddat tempore: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Et Jeremias *x* pariter; *Et erit folium ejus viride, nec aliquando deſinet fructum facere.* Et hæc eſt differentia, quæ datur inter amygdalam & alios fructus, quòd ſtatim ac amygdala naſcitur, & formatur, ſit ſapida, & poſſit comedi, cùm racemi ſint acerbi, & eorum morſibus dentes obſtupeſcant; ſed amygdalæ ſunt dulces à principio, & quò majus acquirunt incrementum, eò novas ſemper ac differentes ſibi comparant bonitates ac ſuavitates.

Non immeritò comparari poteſt virtus racemo, malo Punico ſeu granato, & alijs fructibus quæ ſunt aſpera in ſuis principijs, & dulcia in ſuis finibus. Sed meliùs, meâ ſententiâ, cum amygdala ipſa virtus convenict; omni ſiquidem tempore ſi conſideretur virtus ut par eſt, habet ipſa unde plenè appetitui faciat ſatis prælibanti; è contrà verò ſi vitium ſeriò examinetur, nihil præter faſtidium & amaritudinem gignet: Sed hominum imaginatio tribuit illi in principio aliquod ſpecimen dulcedinis, & apparentiā quandam bonitatis, quæ nihilominùs tandem moleſtiam producunt atque tædium; *Omnibus in rebus voluptatibus maximis finitimum eſt faſtidium*, ajebat Cicero *y*. Si noſcenda eſt ciborum voluptas, eorundem eſt expectandus exitus. Sed deſideratiſne videre quænam ſit vis hujus imaginationis, & vitij transfiguratio? In mentem revocate, fructum arboris *ſcientiæ boni & mali z*, fuiſſe bonum ad comedendum, ſpecioſum aſpectu, & apparenter delectabilem, *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile* †. Scriptura ſacra nihil aliud commemorat: ſiquidem fructus ille bonus erat ad omnia. Fruetur aliquis conſortio & familiaritate perſonæ præſentis, quam ſummo proſequitur amore; oculi ipſius in ea demirantur omnem pulchritudinem appetendam; guſtus, licèt ipſe non comedat, in ea invenit ciborum exquiſitiſſimorum delicias; auditus concentuum obliviſcitur muſicorum; odoratus balſama reſpuit aromatica; tactus exigui facit Zephyros ſe refrigerantes inter immodicos Solis & tempeſtatis importunè urentis ardores; intellectus ideis & ſpeciebus illius paſcitur; memoria in ea occupatur tota; & voluntas cunctorum deſideriorum ſuorum in ea figit anchoram, nihil aliud præter ipſam amores ſuos promereri ratus. Uno verbo ſicut dicitur, quòd in cœleſti beatitudine Deus futurus ſit Beatis id omne quod ipſi imaginabuntur ſibi futurum eſſe jucundum, & ipſis ſit Idemmet Deus habiturus locum totius oblectamenti, *Ut ſit Deus omnia in omnibus* *: eodem planè modo affectio, qua creaturam ali-

o Gen. 2. 17.
p Gen. 2. 17.
q Gen. 3. 6. &c.
r Pſ. 118. 37.
s Jer. 1. 11.
t Matth. 5. 3. &c.
u Pſ. 1. 1. & 3.
x Jer. 17. 8.
y Cic. Lib. de orat.
z Gen. 2. 17.
† Gen. 3. 6.
* 1. Cor. 15. 28.

aliquam proſequimini, efficit ut eam loco Dei collocetis, & ſic in ea invenitis unde ſenſibus & affectibus veſtris fiat ſatis. *Spargit odores ſuos voluptas, quia Chriſti odorem non habet*, ait D. Ambroſius †, *theſauros demonſtrat, regna promittit, amores ſpondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, ſine pædagogo diſciplinas, ſine monitore ſermones, vitam ſine ſolicitudine, mollem ſomnum, inexplebilem cupiditatem.* Verum quidem eſt. Hæc omnia promittuntur ſermone ita jucundo, ita dulci melodiâ, verbis ita ſuavibus, perſuaſionibus ita validis, deliciis ita attrahentibus, ut qui ea audit, non poſſit quin ea amore proſequatur. Sed ſicut Sirenes, quas antiqui fingebant, erant mulieres quæ ſuo cantu, dulcique vocis ſuæ modulatione efficiebant ut nautæ in medio mari ſiſterent, unde poſtea in ſcopulos impingebant, illiſque certa ſuccedebat ruina, & naufragium inevitabile: Sic generaliter loquendo, omnes mundi voluptates delicias in ore præ ſe ferunt; omnes homines affectus ſunt veluti tot Sirenes, loquentes, & ſic ejus aures & phantaſiam ſuis modulatis vocibus allicientes ut ipſum faciant ſiſtere, retineantque ipſum in mediis negotiis graviſſimis: nullus ipſis relinquitur progrediendi locus, omne virtutis exercitium ceſſat, ut cedat locum ei quod placet, omnia vertuntur ipſi in tædium ac faſtidium eo ipſo quo cor ipſius ſiſtit, & anchoram amoris fixit in aliqua creaturâ paſſionibus ipſius inſerviente: Sed cùm cor ipſius deliciis illis & voluptatibus ineſcatur, deprehendit ſe inſenſibiliter implicatum laqueis & infælicitatibus, quæ ipſi exitium inſeruut proculdubio atque ruinam. Et unde hoc? Sanè quia ipſe deceptus eſt. Cantu Sirenis oblectabatur, voluptatis illecebris demulcebatur, amore proſequebatur objectum quod affectus ipſius mereri videbatur, ſed profectò quod non erat amabile. Oportuit tandem ut ipſe aperuerit oculos, & aſpexerit ſtatum miſerandum, in quem ipſe redactus fuerat; & deprehendit funeſto ſucceſſu objectum illud non fuiſſe tale, quale fuerat ipſe imaginatus; *Spiritus fornicationem decepit eos*, ait Deus per Prophetam *a* de iis qui idolis ſummos detulerant honores. Baculum, inquit, & lignum allocuti ſunt, ac ſi fuiſſet Oraculum, fidem juraverunt, & obſequia ſua obtulerunt rei mortuæ & inſenſibili quaſi Oraculo veritatis credito; & ut oportuit reſponſum expectare, ſicut & executionem ſupplicationum, quas ipſi obtulerant, invenerunt ſanè fuiſſe lignum & figmentum, quod ipſos non poterat exaudire, imò nec ipſorum preces auſcultare. Sed quænam fuit cauſa iſtius eventus? *Spiritus fornicationum*, ait Deus, nimirum Spiritus idololatriæ, qui decepit eos. Cultum Creatoris deſerere intendebant, ut creaturæ ſummos deferrent honores, qui ſoli ſunt exhibendi Divinæ Majeſtati *b*; invenerunt arborem quandam, eradicatam, emortuam, manibus hominum & induſtria elaboratam, & ſtatim exiſtimaverunt hanc ipſis meliùs comperiviſſe, & ſuos honores promeritam eſſe. Et hoc eſt quod ordinariè & ut plurimum decipit eos, quibus res ſpirituales incipiunt eſſe tædio, quibus faſtidioſa videtur ſanctitatis exercitatio, & juſtitiæ Chriſtianæ fidelium omnium conditioni convenientis proſecutio: non poſſunt eſſe longo tempore quin alicui objecto caduco & corruptibili adhæreant: ſicut enim intellectus noſter non poteſt eſſe otioſus & ſine exercitio, voluntas debet neceſſariò agere & amare; & quæ Creatorem non ampliùs amore proſequitur, ad creaturam facilè amorem ſuum & affectum ſuum convertit, illius obſequio ſe penitus mancipando, illam loco Dei conſtituendo, & eam veluti Deam agnoſcendo, ſibi perſuadens, in conſortio ſeu in poſſeſſione illius conſiſtere totum ſtatum, & cumulum ſuæ felicitatis. Sed cùm agitur ut recipiat ipſa ab iſta falſa divinitate prærogativas, quæ ipſi perfectum conferant oblectamentum, & felicitatem perpetuam, qualia ipſa ſperare poſſet à Deo verò, videt ipſa illam eſſe tantùm lignum, quod radices ſuas in terra ſumit, & quod ſtercoribus nutritur, & idcircò inſanam fuiſſe ſuam cogitationem, cùm in eo adorando ſiſtit, ſuoſque illi amores incaſſum conſecravit.

(† D. Ambr. l. 1. de Abel & Cain. c. 4.)
(*a* Oſee 4. 12.)
(*b* Exod. 20. 3. &c.)

Tertius effectus ad extrà, qui egreditur è manibus Dei (omiſſo ſecundo, qui eſt diſtributio gratiæ, de qua tractabo vobis, Deo dante, die craſtinâ; & nulla facta mentione Incarnationis, aut humanitatis Chriſti, de quâ heſternâ luce locutus ſum) eſt credere reſurrectionem mortuorum *c*; non enim vivendum eſt more belluarum, quæ habent animam, quæ cùm educatur è potentia materiæ, moritur æquè ac corpus, & quæ mortuæ non poſſunt ampliùs ad vitam revocari. Debemus omnes reſurgere in corpore & in animâ iiſdem quæ habemus nunc, ut recipere poſſimus mercedem bonorum, quæ egerimus, vel punitionem malorum, quibus fuerimus obnoxii; & Symbolum Apoſtolorum ait debere nos credere *carnis reſurrectionem*, quæ eſt articulus qui multum terrorem imprimit impiis, qui vellent, ſi poſſent, poſt vitam ſuam ſceleribus repletam effugere manus ultrices Divinæ Juſtitiæ; ut ait Salomon *d*, *Fugit impius nemine perſequente.* Quibus verbis addit Lyranus †, *Homo malus nunquam eſt ſecurus, quia ſemper timet ſibi inſidiari ab illis, quibus intulit mala, licèt ita non ſit*; niſi perſequatur ipſum prava conſcientia propria, quæ ſtimulis ſuis indeſinenter eum laceſſit; cùm conſcientia mala grave præ ſe ferat pondus, ideò *fugit impius nemine perſequente*, excepta conſcientia propria profligata.

(*c* 1. Theſſal. 4. 16. &c.)
(*d* Prov. 28. 1.)
(† Lyran. in Prov. 28. 1.)

Qui onere prægravatus eſt, velociùs quàm poteſt, incedit, etiamſi nemo ipſum perſequatur, ut tandem ſe onere humeris ſuis impoſito ſublevatum ſentiat. Conſcientia hominis peccati reatu onuſti, pondus graviſſimum eſt; quid mirum igitur ſi fugiat peccator, & ſi ex omni ſocietate, & ex omnium oculis ſe eripiat? exonerare quippe ſe deſiderat. D. Ambroſius *e* id clariùs explicat, comparans peccatum creditori, qui exigit debitum ſuum, nulla habita ratione miſeriæ debitoris, *Nobis error noſter tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conveniens debitorem.* Vidiſtiſne aliquando hominem debitis & ære alieno onuſtum, qui tamen eſt pauper, nec eſt ſolvendo? adverti ſtis eum ſe ſubtrahere ab omni conſortio, ne fortè in creditorum ſuorum offendat occurſum, & apprehendatur à Juſtitiæ ſæcularis miniſtris. Si verò ſe ex imprudentia ſentiat apprehenſum, ignorat in quam ſe vertat partem, timore percellitur, ad excuſationes recurrit, & ad proteſtationes, videtur ipſius anima ad ipſum non pertinere, & nihil ampliùs agendum habere quàm de ipſius exire corpore. Unicum peccatum mortale reddit nos Deo debitores, ſed ita debitores ut vel totus non ſuffi-

(*e* D. Ambr. in Pſ. 31. 1.)

ciat

ciat mundus ut noſtra ad æqualitatē ſolvat debita; & veluti ſi Deus procurationem providiſſet eidem peccato quod commiſimus, ut exigere poſſet ſolutionem atque ſatisfactionem debitam, culpa, quæ ea eum in nobis remanet, ſtatim ſe nobis exhibet, nullâ nobis conceſſâ morâ, vel exiguâ dilatione, ut exigat à nobis ſanguinem & vitam ipſam, anſam nobis præbens in inſtanti mortis oppetendæ, vivè & ſeriò conſiderantibus Juſtitiam Dei vindicem, eò quòd meliorem non poſſimus facere ſatisfactionem, *Nobis error noſter tanquam malus exactor occurrit.*

f Pſ. 50. 4. Unde fit ut Propheta *f* deplorandum deflens ſtatum, in quem per peccatum fuerat redactus ipſe, dicat; *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Eo ipſo quo ſeriò concepi criminis mei enormitatem, videor mihi præ oculis meis ſemper ferre peccatum; ac ſi diceret David: Peccatum ſeſe mihi obtulerat cum vultu transfigurato, cum apparentiâ dulcedinis, cum ſimilitudine voluptatis, cum ſpecie delectabili, cum ingreſſu deliciarum plenitudinem præ ſe ferente: Quia verò ei non aperuiſſem? Illud ego recepi, licèt illud non cognoſcerem; ipſum benigniſſimè admiſi, ratus ipſum realiter tantam habuiſſe pulchritudinem, quantam exteriùs mihi videbatur exhibere; ſed curioſitate ductus, ut volui faciem ejus attentiùs inſpicere, ementitum ab eo vultum abſtuli, & ſtatim apparuit mihi figura ejus ita horribilis, ut ſpectrum illud illico meos oculos offenderit, & lædat ſine intermiſſione intuitum meum; illius ideam delere è phantaſiâ meâ nequeo, noctuque dieque illud mihi videor inſpicere ſic ut hac & illac me ſequatur, mihi ſingula intimet momenta ut me præſentem ante Juſtitiam Dei, ut recipiam punitionem magnæ meæ temeritatis, & liberi ingreſſus quem apud me ipſi exhibui, *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.*

g Gen. 4. 14. &c. Audiſtiſne aliquando querelam *g*, quam formavit Deo Cain, poſtquàm maledictionem audiviſſet adversùs ſe vibratam ab eodem Deo ob fratricidium, quod ipſe commiſerat in perſonâ innocentis Abel fratris ſui? *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abſcondar, & ero vagus & profugus in terrâ.* De quo, quæſo, queri poteſt Cain? quandonam Deus eum è terra expellit? quandonam recuſavit ei id quod commune eſt omnibus animantibus? Fortaſſe queritur ex eo quòd audiviſſet hæc verba? *Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tuâ*: conſcientiam ipſum ſtimulis agitare, & jam ſe exiſtimare terram ſibi deſuturam, & lapides iſtius terræ, in qua ſanguinem fratris ſui fuderat, in faciem ſuam inſurrecturos eſſe. Seriò imaginatur Cain maledictionem hanc prolatam non fuiſſe contra terram, quæ potiùs irrigata ſanguine hominis juſti, remanſit inde ſanctificata, ſed contra ſe qui indignè eam tereret; & iſtam terram impoſterùm nihil ampliùs germinaturam eſſe præter inſtrumenta ſupplicii & vindictæ contra ſe: & ideò ait Deo, timore judiciorum ipſius percitus; *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abſcondar, & ero vagus, & profugus in terrâ.* Per faciem

h Cornel. in hunc locum. *terræ* intelligit homines Cornelius *h*; *Quaſi diceret: Facis me odium omnium hominum, ut nec ego illos aſpicere auſim, nec illi me aſpicere dignentur*;

i Pſ. 103. 30. ſecundùm quòd ait Deo Propheta *i*. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terra.* Cain verò intendit Deo dicere: Domine *ejicis me* è præſentia tua; expellis me igitur è ſocietate & conſortio hominum, maledicis greſſibus meis ſuper terra, in qua incedo; quid autem agetur de me? Oportebat ut ſine intermiſſione ſim *vagus*, & in motu nunquam interrupto, quærens aliquem locum, in quem me intromittam; quem cùm non poſſim reperire ſecurum, quidnam mihi ſupereſt inferendum, niſi me à quolibet obvio interimendum? *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Sed quomodo? Cain qui tanto erat animo talique præcellens generoſitate ut occiderit fratrem ſuum, debetne aliquem alium formidare? *Omnis*, inquit. Videntur ipſi creaturæ, omnes vindictam debere ſumere de injuria & morte fratri ſuo ab ipſo irrogatis, & quòd ipſe animum deſpondebit ut vel unius creaturæ adversùm ſe irruentis impetus retundat, & irritos reddat; *Qui invenerit me.* Et quis illum quærat? Sic enim fortis occîdit fratrem ſuum, *cùm eſſent in agro*, nemo ipſum vidit, hoc homicidium operire poteſt terra, & in ea nemo eũ criminis inſimulabit ab ipſo patrati. Hæc eſt infœlicitas animæ conſcientiæ ſtimulis agitatæ, quæ nullam poteſt invenire ſecuritatem, & credit quòd circumquaque perſecutio contra ſe excitetur. Pater ipſius non quærit eum; mater ejus nihil ab illo petit; nullus aſt alius qui eum perſequatur ſecundùm juſtitiæ rigorem, vel qui de eo vindictam exigat, & tamen ipſe timet, & nihil eſt quod ipſe non vereatur, etſi nemo ei aliquid minitetur. Conſcientia ipſius eum exagitat, & præ oculis mentis ipſi ponit, terram aperiri ut ipſum deglutiat, lapides in faciem ipſius inſurgere, feras oſtendere ipſi dentes & cornua, ut ipſum devorent, vel in fruſta concîdant; ſerpentes & viperas cruribus ipſius inhærere, ut ſanguinem ipſius ebibant; ſentes ac tribulos magis ac magis creſcere, ut ipſum lacerent; aquas fontium, fluminum, & maris velle ipſum concludere in abyſſis ſuis; cete & omnia monſtra marina bellum apertum ipſi declarare; aërem videri ipſi eripere reſpirationem ordinariam; & aves ſuis cantibus ſe mutuò provocare ut peccatum ipſius puniant. Si in nubes aſcendat, illic invenit lanceas, fulgura, & tonitrua adversùs ipſum apparenter perſonantia; ſi ad elementum fugiat ignis, totum ipſum repetit inflammatum ut ipſum vivum abſumat, & in cineres redigat; & ſi ſe ad ſeipſum convertat, nullum alium offendit inimicum, præter propriam conſcientiam, quæ ipſi minatur infauſta, quæ ipſum cum rigore excipit, quæ ipſius quietem interturbat, quæ ipſum ſtimulis & agitationibus percellit, & quæ mortem ipſi infert (dum vitam ducit ipſe languoribus redundantem) faciens ipſum vitam inter mortis imagines, & inter Divinorum judiciorum timores, agere infœlicem; *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me.*

Hæc eſt infœlicitas impiorum, *cauteriatam habentium ſuam conſcientiam* † aliquo crimine, † 1 Tim. 4. 2.
ut nunquam ſint ſecuri, qualemcumque apparentiam foris exhibeant. Conſpicite latronem; ſolo vel intuitu veſtro palleſcet; ecce imago mortis. Videte peremptorem, ſi fixis eum aſpiciatis oculis, tremorē ei incutietis; ecce mortis anguſtiæ. Interrogate tantiſper ſeriò hominem pravum aliquod conſiliū machinantem, videbitis ſtatim illū in infinitas ruentem contradictiones; in quam ſe poſſit vertere partem, & quid prius, quid poſterius reſpondere debeat, ignorabit, ecce deliramenta

& ineptiæ mortis. Diſcurrite eum furioſe & ita petito ob injuriam ipſi illatam, nullam promet vobis rationem; ecce mortis phreneſes. Tandem, Hæc omnia ſunt ſigna mortis; peccatum enim mortem trahit, & mortem ſequitur infernus pro anima & corpore poſt *carnis reſurrectionem*, poſt judicium extremum. Teſtes ſunt tres illi equi, quos vidit D. Joannes *k*. Ita, dicit Cornelius *l*, *ut hi tres equi ſignificent tres hoſtes equi albi, id eſt, Eccleſiæ & Chriſti, ſcilicet rufus ſignificet mundum, niger dæmonem, pallidus carnem.* Significat *equus niger dæmonem*, ſeu peccatum. *Magnus enim dæmon peccatum eſt*, ait D. Chryſoſtomus *m*. *Pallidus carnem*, *& qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.* Et ſi ſit aliquis in iſto conſortio qui cogitet ſe eximere è teſtimonijs mortis inter peccata quæ committit, dicat mihi, utrùm animo non deficiat, num verum non ſit, ſe loca tenebroſa & abdita quærere, ut peccatum, qualecumque ſit, perpetret; & num eodem tempore, quo ſcelere ſe inquinat, ſtimulos conſcientiam percellentes non experiatur; & an timor, quo angitur ne deprehendatur in flagranti delicto, maximam voluptatis ab ipſo non auferat partem, & nunquid non timeat ne eâdem fronte, quâ anteà cum viris honeſtis inibat ſocietatem, cum iiſdem non poſſit iterùm converſari; & nonne cum obvium habet aliquem, quem offenderat ipſe ſive in bonis fortunæ, ſive in famâ, aut aliter, nõ vereatur improperium, aut verecundiam, ſeu diſſenſiones, ac ſi videret circum ſe gladios minitantes, & ſuper ipſum jam jam irruituros? ut ait Job *n*. *Non credit quòd reverti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans undique gladium.*

k Apoc. 6. 5. &c.
l Cornel. in Apoc. 6. 8.
m D. Chryſoſt. homil. 93 ex Matth. 6. 9.
n Job. 15. 22.

Pro quarto & ultimo effectu, qui egreditur de manu Dei ad extrà, & qui dependet à reſurrectione *carnis*, Symbolum fidei inducit nos ad credendam, ut mercedem bonorum operum, *vitam æternam. Amen.* Hæc eſt gloria, quæ non eſt conſtituta tantùm ſecundùm Juſtitiam Dei, ſed etiam ſecundùm Bonitatem & miſericordiam ipſius; ſicut enim ipſe eſt *Principium* omnium rerum, debet pariter eſſe *Finis o* præcipuè creaturarum ratione prædıtarum, quas fecit *ad imaginem ſuam p*, & quæ characteribus ſimilitudinis ipſius ſunt inſignitæ. Potuiſſet nobis repræſentari mors, quam timere debent impij, ſicut vita quæ bonis eſt præparata *q*, & quam debent expectare, cùm utrumque æquè proficiat; ſed quia Lex Gratiæ eſt Lex amoris, ait Cardinalis Richeleus *r*, inducere nos voluerunt Apoſtoli ad bonum, intuitu boni, & non conſideratione pœnarum.

o Apoc. 1. 8.
p Gen. 1. 27.
q Matth. 25. 34.
r Card. Rich. in Inſtruct. Chriſtiã. in hunc articul.

Scriptura ſacra figuram nobis hujus vitæ exhibet æternæ, quam Symbolum Apoſtolorum nobis credendam proponit, in terrâ *lacte & melle s* manante Iſraëlitico populo aliàs à Deo promiſsâ. Conſiderate, quæſo, quanta fuerit exhaurienda difficultas ut attingeretur illa terra promiſſa, & cogitate ſeriò quanta ſit etiam perpetienda anguſtia ut poſſit quis pervenire ad cœlum, quod eſt terra vivorum, de qua David *t* dicit: *Credo videre bona Domini in terrâ viventium.* Credebat populus Iſraëliticus ſe intra tres dies ad terram perventurum promiſſam; *Eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro u.* Et tamen permanſerunt in deſerto *quadraginta annis x*. Et ex ipſis pauci tantùm eam ſunt ingreſſi *y*. Vix autem de arripienda in eam loquuntur via, cùm Pharao non eſt eſt ipſos dimiſſurus *z*. Vix ex Ægypto egrediuntur, cùm impius Rex iſte cum exercitu ſuo ipſos inſequitur *a*. Vix mare rubrum tranſierunt, cùm ipſis modò panis *b*, modò aqua deficit *c*. Et cùm magis proceſſiſſent in via, non habebant omnia requiſita, quorum interventu neceſſitatibus ſuis & alijs ad vitæ ſuſtentationem conducentibus ſatisfacerent.

s Exod. 3. 17.
t Pſ. 26. 13.
u Exod. 5. 3.
x Deut. 29. 5.
y Joſue 14. 23.
z Exod. 5. 17. &c.
a Exod. 14. 22. & 23.
b Exod. 16. 2. &c.
c Exod. 17. 2. &c.

Non debemus credere minoris nobis æſtimandum, & emendum cœlum, & *vitam æternam*: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, prædicabat S. Paulus in Actibus Apoſtolorum *d*. Et D. Joannes *e* de multis indutis veſtimentis albis interrogantus his verbis: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & unde venerunt?* audivit dici ſibi, *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in Sanguine Agni.* Ratio illius eſt, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Id eſt, invitâ *æternam*. Ideò idem D. Paulus *f* advertens aliquos animo excidiſſe, nec viva ſatis fide præceditos, ſed ſemimortua duntaxat animatos, dicebat eis: *Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis.* Ea, quæ uſque nunc paſſi eſtis, quaſi deliciæ ſunt; quid faceretis autem, ſi profundendus eſſet vobis ſanguis, & vita tradenda? Nondum generoſi veſtri animi ſpecimina exhibuiſtis in effundendo pro amore Chriſti veſtro ſanguine.

d Act. 14. 21.
e Apoc. 7. 13. & 14.
f Hebr. 12. 4.

Dixit aliàs Salvator filijs Zebedæi, qui petebant ſeſſiones primas in gloria ipſius; *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Dicunt ei: *Poſſumus. At illis, Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo g.* Licèt pro fide moreremini, non daretur vobis cœlum ob veſtra merita, ſed ex Miſericordia Divina. Si verò dicatis non eſſe nunc neceſſe ut martyrium quis patiatur. Reſpondeo verum quidem eſſe, ſed ſaltem debere nos habere voluntatem illius ſuſtinendi, cùm ſeſe offerret occaſio, ad confirmandam quam profitemur, fidem, noſtroque ſignandam ſanguine. Sed Deus non ita durum exigit à nobis martyrium, ſatis ipſi videtur fieri, ſi ſuſtineamus martyrium ordinarium conſiſtens in obſervantia mandatorum ipſius; longum ſanè martyrium, cùm quilibet ex nobis dicere poſſit, *Quotidie morior h*; ſingulis horis offerri nos Deo ut victimas, per tribulationes noſtras; per violentias, quas exercemus adversùs nos; & per reſiſtentias domandis affectibus noſtris inordinatis adhibitas, quod docuit nos Chriſtus, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me i.* Et hodie in Evangelio noſtro *k*; *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

g Matth. 20. 21. &c.
h 1. Cor. 15. 31.
i Luc. 9. 23.
k Matth. 5. 11.

Mercatores in principio nundinarum pretium petunt altiſſimum pro mercibus ſuis, in fine verò mediocre, & perſæpè infimum: ita Jeſus Chriſtus in principio naſcentis Eccleſiæ, ab ipſius incunabulis exigebat à fidelibus ſuis ſanguinē, ſed nunc ſatis ipſi videtur, ſi duntaxat aliquid exigui à nobis ipſi offeratur. Quicũq; autẽ in Scriptura ſacra habuêre cruces, hoc myſteriũ apprimè repræſentavêre. Civitas ſancta primò vocata fuit

Jebus

Digitized by Google

l Apoc. 21. 10.

Jebus, id eſt, conculcatio: poſteà verò *Jeruſalem l.* Id eſt, viſio pacis. Filius Iſaac primùm dictus fuit *Jacob*. Id eſt, ſupplantatio, aut ſupplantator. Poſteà *Iſrael m.* Id eſt, videns Deum, *Statuit illud Jacob in præceptum, & Iſraël in teſtamentum æternum n.* Vocatus fuit *Jacob* in obſervantia præcepti, *Iſraël* autem in fruitione gloriæ. Alter è filijs Rachelis primùm dictus fuit *Ben-oni, id eſt, filius doloris*. Sed poſteà, *Beniamin, id eſt filius dextræ o.* Princeps Apoſtolorum primò *Simon*. Id eſt, obediens. Poſteà verò *Petrus*, ſive *Cephas p.* Id eſt, Caput. Sponſa autem ait: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me r.* Per lævam intelligendæ ſunt tribulationes vitæ præſentis, per dexteram verò gaudia vitæ æternæ. Hinc autem nobis inferendum, futuros nos beatos in altera vita, ſi patiamur æquo animo in iſta, juxta D. Pauli *s* pronunciatum: *Si compatimur, ut & conglorificemur.* Hìc pœnæ ſunt, illic autem mercedes futuræ; hìc cruces, illic verò gloriæ; hìc deſponſanda nobis eſt *Lia*, quæ eſt *lippis oculis*, antequàm ſpecioſam Rachelem poſſideamus; *Non eſt conſuetudinis cœli ut minores natu antè ad nuptias t* tradantur quàm primogenitæ; deſpondenda eſt nobis Lia, quæ eſt primogenita, nimirum ſocianda nobis ſunt mala hujus vitæ, & deinde nobis deſponſabimus Rachelem natu minorem, putà delicias æternæ vitæ in gloria paradiſi.

m Gen. 32. 28. n Pſ. 104. 10. o Gen. 35. 28. p Joan. 1. 42. r Cant. 2. 6. s Rom. 8. 17. t Gen. 29. 26. &c.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

a D. Chryſol. ſerm. 176. b Joan. 9. 6. & 7.

Divus Chryſologus *a* obſervationem facit ingenio ſuo dignam circa ſanitatem miraculoſam, quam Filius Dei cæco nato eſt impertitus *b*; Divinum iſtum ſcilicet Medicum compoſuiſſe unctionem non minùs infelicis iſtius viri luminibus orbati animæ ſalutarem, quàm corpori ipſius proficuam; cùm ſanitatem alteri, putà corpori; melioremque diſpoſitionem alteri, nimirum animæ, hæc unctio ſit dilargita, aperiens oculos corporis ad videndum, & illuminans eodem momento oculos animæ ſpirituales. Quod autem fecit aliàs Chriſtus per ſemetipſum immediatè, hodiernâ die ac ſingulis diebus per ſuos exequitur hoc Miniſtros, qui ſunt Prælati & Sacerdotes, unctionibus ſacris & Sacramentis, quæ ſunt res ſenſibiles, quæ perſæpè medentur corporibus, cùm priſtinam animæ reſtituunt ſanitatem. Fides, quæ eſt indiviſibilis, quæque ſe debet ſuper omnia myſteria noſtra extendere credenda, docet nos eſſe quædam Sacramenta, quæ ſunt canales per quos fluit ad nos gratia, quæ Mariam jã repleverat, antequàm dixiſſet ei Angelus, *Ave Maria*.

c Gen. 6. 5. &c. d 1. Petr. 3. 20. ex Gen. 7. 13. e Gen. 19. 21. &c.

Summa Dei Sapientia providit cunctis temporibus peccatori loca refugij tam quoad corpus, quàm quoad animam. Sub finem primæ ætatis ſubmerſurus *c* totum idem Deus mundum aquis diluvij interfectricibus, ob enormitatem horrendam criminum primorum hominum, providit ſecuritati corporis opportuna, præcipiens Noë Patriarchæ ut fabricaret *arcam*, in quam ſe poſſent omnes recipere; ſed eâ perculſi ſunt cæcitate intolerandâ, ut Noe ſolus cum familiâ ipſius, octo ſcilicet numero perſonæ, in eâ ſalvarentur, ut aſſerit D. Petrus *d*; *In quâ pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Ipſi verò aquis immerſi ſunt cataclyſmi. Cùm voluit Sodomam *e* incendere ac Gomorrham, aliaſque finitimas civitates propter ſcelera incolarum earundem, aſſignavit ipſemet Deus parvam refugij civitatem, nomine *Segor*, præcipientibus interim Angelis duobus vices Dei agentibus, Lot & uxori ipſius ut illam adirent civitatem, & quamvis Lot, Angelis ipſum urgentibus, in eandem velociter pergeret civitatem, maluerunt alij reſidere in civitatibus illis, ut illius devaſtantis, victimæ efficerentur, incendij. Cùm populus Iſraëliticus terram fuiſſet ingreſſus promiſſam, Deus aſſignavit Joſue exercituum ſuorum Generali Præpoſito ſex refugij civitates, in quibus ſecurus effici poſſet, qui ad illarum quamlibet confugiſſet patrati alicujus fortè criminis conſcius; *Tres erunt trans Jordanem, & tres in terrâ Chanaan f.* Si verò è Lege naturæ, & è Lege ſcriptâ tranſeamus ad Legem gratiæ, inveniemus ſanè templa noſtra conſtituta peccatoribus, ſeu malefactoribus aſyla. Imò verò Pagani Romam inſtituerant ſceleratis refugij locum. Quoad verò id quod animam ſpectat, nonne Deus in Lege veteri *g* præceperat victimas & ſacrificia offerenda pro peccato quolibet expiando; ita ut quicumque Deum offenderant, oblaturi eſſent vel agnum, vel arietem, vel hircum, aut vitulum, aut bovem, aut aves, vel ſimilia pro qualitate crimina ab ipſis patrati diluendi; ſi verò non haberent unde poſſent offerre munera, venientes ad Tabernaculum, & ſuorum ſe pœnitere ſcelerum proteſtantes, ſecuri erant. Sed in Lege gratiæ eſt invenire aliquid mirabilius, cùm in eâ Deus inſtituerit Sacramenta, quæ ſunt refugij locus peccatoribus omnibus per gratiam, quam ipſis impertitur; ipſaque fides inducat nos ad credendam gratiæ diſtributionem, & delictorum indulgentiam ſuper duobus his Symboli articulis; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem h: remiſſionem peccatorum i.* Ideò oſtendam vobis diſtributionem hujus gratiæ in juſtificatione peccatoris per cauſas ad eam concurrentes in remittendis peccatis: & ſicut unus ex his articulis credendam proponit *Eccleſiam Catholicam*, & præcepta hujus Eccleſiæ reduci poſſunt ad Sacramenta, tangam obiter prædicta mandata Eccleſiæ, tractando de Sacramentis, ad quæ referri poterunt; inter alia verò docebo vos practicè in fine, brevem modum bonæ Confeſſionis peragendæ, ac Communionis, quas ipſa Eccleſia præcipit. Incipio hæc omnia, dum veſtræ attentionis erit laborem meum in his deducendis ſublevare.

f Num. 35. 14. g Levit. 1. 2. &c. h Ex Act. 2. 42. &c. i Joan. 20. 23. Propoſitio.

Unus igitur è præcipuis effectibus, quos credere debemus è manibus Dei egreſſus, eſt Divina gratia, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt k.* Ipſa eſt vita Eccleſiæ, & ſine eâ impoſſibile planè eſt ut vivat quis ſpiritualiter; & ſicut omnia dependent à Deo *l*, in ipſorum eſſe, in ipſorum vitâ, & in ipſorum conſervatione; ſic

k Joan. 1. 17. l Act. 17. 24. &c.

ſic etiam omnes gratias è manibus Dei emanare, debemus credere, *ſine m* qua gratia ſubſiſtere non poſſemus quatenus veri Eccleſiæ filij, aut aliquid operari. Hæc autem gratia nobis verè datur à Deo, qui eſt cauſa efficiens & principalis juſtificationis *n* peccatoris ſine ullis prævijs noſtris meritis, nulla habita ratione bonorum operum; ſed per Sacramenta, quæ ſunt canales & inſtrumenta; per quæ diffunditur & diffluit ad nos gratia, quæ eſt remedium infirmitatem noſtrarum; cùm Medici & eorum pharmaca non ſint inſtituta niſi propter ægros ſanandos, & propter ægritudines curandas; ſi verò nulli eſſent infirmi, nec ullæ ſolicitandæ infirmitates, non requirerentur profectò Medici, nec ideò pharmaca eſſent neceſſaria. Cùm Prælati, Sacerdotes, & Sacramenta non ſint ordinata niſi propter peccatores, & propter peccata; ſi nulli eſſent peccatores, nec ulla peccata, non eſſent neceſſarij noſtrorum Miniſtri Sacramentorum, qui hæc remedia applicarent ſalutaria. Inſignis autem eſt effectus ſummæ Dei Bonitatis, qui præ tanta miſerias noſtras ſublevavit facilitate, videnſque infirmitatem noſtram, remedia ita inſtituit proficua, qualia ſunt Sacramenta, ut venientes in mundum, hac cœleſti indigeremus irrigatione *o*, ſine qua in morte, in qua ut filij Adæ *p* naſcimur, miſerandum deſiceremur in modum.

m Joan. 15. 5.
n Rom. 3. 24. &c.
o Joan. 3. 5.
p Rom. 5. 12.

Et quia fortaſſe ignoratis quid ſint Sacramenta, præ oculis veſtris exhibeo deſcriptionem, quam Doctores afferunt Sacramentorum, quæ vobis eorum naturam explicet: *Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ſpiritualis ſanctificationis animæ, ad cultum veri Dei, à Chriſto Domino inſtitutum.* In hac definitione, ſeu potiùs deſcriptione aliqua occurrunt nobis ſeriò conſideranda. Primum eſt, *Signum*, vocamus autem in Philoſophia illud ſignum, quod ultra notitiam, quam ſui ingerit, in aliarum rerum nobis incognitarum deducit cognitionem. Tria autem ſunt ſignorum genera. Primum eſt rememorativum. Secundum demonſtrativum, Tertium verò prognoſticum. Primum, ut cùm quis filum digito alligat, ne rei alicujus obliviſcatur, filum illud eſt ſignum rememorativum. Secundum exhibet præſens id, quod abſconditum eſt, v.g. hedera, vel ramus appenſus ante feneſtram, ſive præ valvis domus eſt ſignum demonſtrativum venditionis vini. Tertium præbet anſam judicandi de futuro, ſicut iris eſt ſignum prognoſticum futuræ pluviæ. *Sacramentum eſt ſignum* his tribus modis. *Signum* paſſionis rememorativum *q*, gratiæ demonſtrativum *r*, & gloriæ prognoſticum *s*. Eccleſia ſancta id aſſerit his verbis Euchariſtiæ: *O Sacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur! recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Secundum obſervandum, eſt, *ſignum ſenſibile*, nimirum omnia quæ ſenſibus percipiuntur externis: res enim ſpirituales ſub ſenſus non cadunt externos, & hoc *ſignum ſenſibile* aperit nobis aliquid abſconditum. Tertium eſt, *Spiritualis ſanctificationis animæ. Sacramentum eſt* igitur aliquid *ſenſibile* oſtendens hominis animam interiùs ſanctificari per gratiam; ubi cognoſcitur cujus rei hoc *Sacramentum ſignum* ſit: cùm enim aliquis baptizat; hæc verba; *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti* †; & hæc aqua * quæ ſuper caput baptizandi infunditur, ſunt verè actus ſenſibiles, qui ſignificant animam interiùs ſanctificari; idcircò Sacramenta appellantur ſigna gratiæ. Quartum eſt, *ad cultum veri Dei à Chriſto Domino inſtitutum.* Jeſus Chriſtus non ſolùm eſt Redemptor *t* noſter, ſed etiam Doctor *u* noſter, & Dux *x* noſter qui viam nobis ad cœlum pandat. Quatenus Redemptor non ſolùm nobis debebat remedia præſcribere peccatorum noſtrorum purgativa; ſed quatenus Doctor nos etiam docere modum ceremoniarum cultus ſui, ut Deo noſtro honores & adorationes redderemus. Hæc duo invenimus in Sacramentis, quæ non ſolùm ſunt remedia adversùs peccata, verùm etiam cultus & ceremoniæ, quibus Chriſtiani Deo famulentur. Dictum eſt, *à Chriſto Domino.* Sciendum namque nobis eſt, omnes particulas præcedentes hujus deſcriptionis convenire etiam Sacramentis Legis veteris: Circumciſio *y* enim erat ſignum ſenſibile: illa Sacramenta erant ſigna gratiæ, inſtituta *ob cultum veri Dei*, ſed hæc particula, *à Chriſto Domino*, conſtituit differentiam Legis Evangelicæ, quam Dei Filius prædicat hodiernâ die diſcipulis ſuis, à Lege antiqua. Vetera quidem Sacramenta in Lege Moyſis inſtituta fuerant à Deo, ſed noſtra in Lege novâ inſtituta ſunt à Deo per Jeſum Chriſtum: Filius enim Dei incarnatus inſtituit omnia noſtra Sacramenta, & eorum eſt Author. Datur etiam hæc differentia inter Sacramenta noſtra & antiqua, quòd noſtra operentur gratiam, quam ſignificant: ſunt enim inſtrumenta gratiæ effectiva: antiqua verò gratiam non producebant, ſed illorum interventu gratia conferebant per fidem in Meſſiam *z* futurum. Sacramentum, quaſi ſacrum ſecretum; magnum re verâ ſecretum, quòd res ſenſibilis purificet interiùs animam à peccatis & imperfectionibus ipſius.

q 1. Cor. 11. 24 &c.
r Joan. 6 10.
s Joan 6 51.
† Eccleſia ex Matth 28 19
* Joan. 3. 5.
t Philipp 3. 20.
u Matth. 11 29.
x 1. Petr. 2 21.
y Levit. 12. 3.
z Pſ. 83. 10.

Sacramenta ſunt inſtrumenta cauſæ efficientis principalis juſtificationis peccatoris, quæ eſt Deus, qui per ſuam gratiam & miſericordiam parcit peccatis, ſine quo hæc Sacramenta non poſſent operari. D. Auguſtinus *a* ſuper hæc Chriſti verba apud D. Joannem *b*, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*, ait: *Prorſus majus hoc eſſe dixerim, ut ex impio juſtus fiat, quàm eſt cœlum & terra.* Quod debet intelligi, non quoad modum faciendi, ſed quoad rem factam duntaxat; nam, ut ait D. Thomas *c*, opus aliquod poteſt dici bonum duobus modis. Primò, ſecundùm modum agendi, & ſic opus creationis eſt maximum, cùm ex nihilo Deus aliquid producat *d*; imò verò majus opere juſtificationis. Ratio iſtius eſt, Quia in creatione nihil potuit cooperari cum Agente creante, cùm nihil eſſet, quia creatio fit ex nihilo; ſed in juſtificatione peccatoris liberum hominis arbitrium concurrit cum Deo. Primò fides, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur e.* Secundò charitas in adultis, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm f.* Unde D. Auguſtinus *g* ait; *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te.* Id eſt, non juſtificabit te, niſi concurras ad tuam juſtificationem. Ubi obſervare debetis quatuor requiri ad juſtificationem peccatoris, duo è parte hominis, & duo è parte Dei. E parte hominis exigitur motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & in peccatum ut odio habeatur. E parte Dei requiritur gratiæ infuſio, & culpæ remiſſio, ait D. Thomas *h*, contra eos qui expectant, ut moveantur à Deo, nihilque ipſi efficiunt, quod eſt error maximus: oportat

a D. Aug. tract. 72. in Joan.
b Joan. 14 12.
c D. Th. 1. 2. q. 113. a. 9. in corp.
d Gen. 1. 1 &c.
e Marc 16 16.
f Luc. 7. 47.
g D Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſtol. c. 11.
h D Th. 1. 2. q 113 a. 6. in corp.

i Zach. 1. 3.

poſſet enim cum Deo operari, *Convertimini ad me, & convertar ad vos i.* Si pharmacum maneat ſuper abaco, & ab ægro non hauriatur, ſine dubio morietur infirmus; inſtituit Deus media requiſita & neceſſaria ad finem attingendum, & remedia naturalia ad conſervandam, ſeu recuperandam ſanitatem corporalem, ſpiritualem verò per Sacramenta. Secundò, Poteſt vocari opus magnum propter magnitudinem rei quæ fit; & ſecundùm hoc juſtificatio peccatoris eſt opus proculdubio majus creatione orbis univerſi, cœli & terræ, & eorum quæ in ijs ſunt. Ratio iſtius eſt evidens, Quia juſtificatio peccatoris terminatur ad bonum æternum, quod conſiſtit in participatione, viſione *k*, & fruitione Dei, cùm creatio reſpiciat duntaxat bonum naturæ mutabilis; ideòque D. Auguſtinus cùm dixiſſet *Majus* eſt opus juſtificari peccatorem, *quàm eſt cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo & in terrâ*, id eſt, eorum creatio, ſubjunxit ſtatim: *Et cœlum enim & terra tranſibit l: Prædeſtinatorum autem, id eſt, eorum quos præſcit m, ſalus & juſtificatio permanebit.* Inſuper, Quia in creatione mundi, cœli & terræ, Deus nullam reſiſtentiam invenit; ſed in ipsâ juſtificatione peccatoris voluntas hominis reſiſtit: licèt enim ſæpè Deus multas adhibeat curas ut peccatorem convertat, tamen utplurimùm hæc omnia ſunt irrita, cùm maneat homo obſtinatus *n*. Idcircò juſtificatio hoc ſecundo modo ſumpta, major eſt creatione; *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas o. Miſerationes ejus &c. p.*

k Joan. 17. 3.

l Ex Matth. 24. 35.

m Ex Roman. 8. 29.

n Matth. 23. 37. ex 4. Eſd. 1. 30.

o Eccleſia

p Pſ. 144. 9.

Prætereà, Juſtificatio peccatoris eſt major creatione. In creatione Deus nihil ſuî poſuit, ſed in juſtificatione peccatoris pretioſum ſuum tradit Sanguinem, quia, ut ait Apoſtolus *q*, *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Quod non eſt neceſſarium in creatione, ubi unicum Domini Verbum ſufficit, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt r.* Unde ſic argumentor: Qui non poteſt facere minus, non faciet majus: atqui operatio juſtificationis eſt major opere creationis: cum ergo nulla creatura poteſtatem habeat creandi, ſed hæc potentiâ ſit purum Dei opus (ut dicebam vobis heſternâ die) multò minùs creatura poterit juſtificare, ut cauſa principalis; ita verum eſt ſolum Deum eſſe, qui ut cauſa principalis juſtificet peccatorem; *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me s. Ego Dominus qui ſanctifico vos t. Juſtificati gratis per gratiam ipſius u. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus x?* Deus igitur juſtificat tanquam cauſa efficiens principalis, ſed per Sacramenta, quæ ſunt inſtrumenta, quibus utitur ad operandam ſalutem noſtram.

q Hebr. 9. 22.

r Pſ. 148. 5.

s Iſai. 43. 25.

t Levit. 20. 8.

u Rom. 3. 24.

x Marc. 2. 7.

Cauſa inſtrumentalis cooperatrix eſt duplex, ſecundùm duo inſtrumenta quæ concurrunt ad juſtificationem peccatoris. Alterum eſt inſtrumentum quod eſt animatum. Alterum quod non eſt animatum. Inſtrumentum animatum eſt Sacerdos, ad quem ſolum ſpectat Sacramentorum adminiſtratio, licèt non deſint eſſe aliqua quæ requirant in Miniſtro Ordinem Epiſcopalem, ut ſunt Sacramenta Confirmationis, & Ordinis. Inſtrumentum inanimatum eſt Sacramentum. Ubi obſervare debetis quinque eſſe abſolutè neceſſaria in Sacramento, nimirum materiam, formam, intentionem illius qui Sacramentum adminiſtrat, intentionem ejus qui Sacramentum ſuſcipit, & effectum Sacramenti, qui effectus non eſt ſemper de neceſſitate Sacramenti, ſed quatuor prima, quorum vel unico deficiente non eſt Sacramentum. In omni igitur Sacramento conſideranda ſunt & res & verba, putà materia & forma; v. g. in baptiſmo res aqua, & verba. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* In Pœnitentiâ res aut materia ſunt peccata, & forma ſunt verba, *Ego te abſolvo à peccatis tuis.* Res ſunt materia, & verba ſunt forma; & ambo ſunt abſolutè neceſſaria, & ſic de alijs.

Sacramentum duos operatur effectus, alterum communem & generalem omnibus; alterum particularem & ſpecialem quibuſdam. Generalis effectus eſt gratia: omnia enim Sacramenta gratiam conferunt, cùm dignè ſuſcipiuntur, & hoc ex opere operato, id eſt, virtute Sacramenti; ſed duplicem gratiam. Prior gratia eſt illa quæ confertur ei qui eſt in peccato, & ut ſic Dei inimicus. Poſterior verò eſt ea, quam largitur Deus illi qui jam erat in gratia, quæ tunc temporis incrementum accipit. Effectus particularis eſt character, qui eſt poteſtas ſpiritualis quæ imprimitur animæ rationali, & potentiæ ipſius intellectuali ita ut nunquam ab ea deleatur. In Sacramento ſiquidem triplex confertur potentia ſpiritualis. Una ad adminiſtrandas res ſpirituales, & hæc datur in Sacramento Ordinis *y*. Secunda ad ſuſcipiendum res ſpirituales & Sacramenta, & hanc largitur nobis Deus in Sacramento Baptiſmi *z*: Baptiſma ſiquidem eſt janua aliorum Sacramentorum. Tertia eſt ad pugnandum cum magna conſtantia adversùs hoſtes Chriſti, mundum, diabolum, & carnem, & hanc habemus in Confirmatione *a*, per quam homo accipit ſignum militiæ Chriſtianæ, & ad generosè pugnandum ſe addicit. Et ſicut ſunt tres potentiæ ſpirituales, ita etiam ſunt tria Sacramenta quæ imprimunt charactêrem, nimirum Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis; hic verò character nunquam deletur, imò neque morte interveniente, nec ullo alio modo, ideòque nunquam reiterantur in aliquo, etiamſi à mortuis reſurgeret: & quatuor ſunt quæ non imprimunt charactêrem, & ideò reiterantur, aut poſſunt reiterari, nimirum Pœnitentia *b*, Euchariſtia *c*, Extrema Unctio *d*, & Matrimonium *e*. Sic ſunt ſeptem numero Sacramenta, putà Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

y Joan. 20. 22. & 23.

z Joan. 3. 5.

a Act. 8. 17.

b Luc. 13. 3.

c Joan. 6. 50. &c.

d Jacob. 5. 14.

e Matth. 19. 5.

Horum Sacramentorum numerum & ſufficientiam deſumo è perfectione vitæ corporalis, ad cujus ſimilitudinem procedit vita ſpiritualis. In vita autem corporali homo perficitur duobus modis. Priori, in ſe, quatenus eſt perſona particularis. Poſteriori, per reſpectum ad alios, quatenus eſt Reipublicæ pars: homo ſiquidem eſt animal civile, ſocietatis capax ac commiſſe j. In ſe primò perficitur generatione, per quam recipit eſſe; Secundò augmentatione, per quam ad terminum magnitudinis naturæ ſuæ conſonæ pervenit. Tertiò nutritione, per quam in ſuo conſervatur robore, ſicut & in ſuo eſſe. Quartò, Si in aliquam cadat infirmitatem, Medicinæ aut pharmacorum beneficio in ſtatum ſanitatis reſtituitur priſtinæ. Quintò, Poſt acquiſitam ſanitatem, diætam, ſeu vitæ regimen ſervans, reliquias expellit infirmitatis. Sextò, Perficitur per relationem ad alios, quos gubernat, dignitate, quæ præ cæteris, quos regit, ipſum elevat; & per quem Septi-

mò Reſpublica in ſuâ multitudine conſervatur. Omnes homines cùm ſint compoſiti ex corpore & è ſpiritu, hoc eſt ex parte corporali & ſenſibili & ex altera ſpirituali & inſenſibili, non poſſunt cognoſcere res ſpirituales niſi per corporales; ideòque eſt impoſſibile ut perfectam vitæ ſpiritualis habeant cognitionem, quæ reperitur in vita Juſtorum, & eorum omnium qui gratiam Dei poſſident, quin recurrant ad vitam corporalem; unde ſequitur nobis argumentandum eſſe eodem modo de vita animæ ac de vita corporis, quæ eandem habet convenientiam, & eodem modo procedit; & dicendum. Primò, quòd ſicut homo in vita corporali recipit eſſe corporale per generationem; ita in vita ſpirituali recipit eſſe ſpirituale per Baptiſmum, quo eſſe anteà privatus erat, ut ingrediatur hoc modo in gremium Eccleſiæ, & ex filio diaboli, fiat filius Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ ſanctæ, in qua denuò ſpiritu naſcitur. Secundò, quòd ſicut creſcit, & vires recipit in eſſe corporali; ita in eſſe ſpirituali, indiget fortitudine gratiæ ſuſceptæ, quod fit per Confirmationem, quæ nos confirmat in hac gratia, cùm progredimur in ſtatum rationis & perfectæ cognitionis;
f Rom 7. 23. quia cùm peccatum non deſerat nos in ſuo fermento *f*, indigemus armis, quibus inimicorum noſtrorum eludamus impetus. Tertiò, quòd ſicut conſervatur & creſcit uſque ad perfectionem congruam per alimenta, quibus nutritur; ſic etiam indiget cibo ſpirituali, quo ordinatè alatur, ut anima conſervetur in gratia ſpiritus,
g 3. Reg. 19. 8. quod fit per Eucharistiam, quæ vocatur Viaticum *g*, quod ipſum tandem debet perducere ad perfectionem gloriæ ſempiternæ. Quartò, Si homo eſſet impaſſibilis in vita naturali, hi tres effectus ſufficerent conſervationi ipſius; ſed quia eſt paſſibilis, & infirmitatibus obnoxius corporeis, remedijs indiget quæ morbis ipſius ſubſerviant curandis; ſic ſi homo eſſet impeccabilis in vitâ ſpirituali, hæc tria Sacramenta ipſi ſufficerent; ſed quia poteſt ex hâc cœleſti &
h Ezech. 18. 4. & 20. Divinâ vitâ excidere, & in infirmitatem peccati & in mortem tandem criminis ruere *h*, Deus providit illi Pœnitentiam, quæ ipſi remedium eſt ità proficuum ut poſſit ei reddere ſpiritualem vitam, licèt jam extinctam & penitus amiſſam, quod omnia remedia corporalia non poſſunt operari, ita ut lapſis neceſſaria ſit Pœnitentia ad reſurgendum: anima noſtra indiget medicinâ quæ ipſam ſanet in peccatum lapſam, & hæc medicina eſt Pœnitentia. Per Sacramentum Baptiſmi regeneramur, ut vivamus vitâ novâ ſecundùm Chriſtum, quem induti-
i Galat. 3. 27. mus, *Quicumque baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis.* Hanc verò vitam novam aggredimur, non ut otio vacemus, & deſidiæ indulgeamus; ſed ut generosè pugnemus adversùs mundum, diabolum, & carnem irreconciliabiles naturæ noſtræ hoſtes; idcircò præbentur nobis arma in Confirmatione, & cibus in auguſtiſſimo Eucharistiæ Sacramentu.

Sed ſicut in bello varij ſunt occurſus, & perſæpè accidit ut in conflictu cum hoſtibus ineundo quis vulneribus ſaucietur, ſive morte
k 2 Cor. 1. 3. perimatur; *Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis k*; qui non vult *mortem impij, ſed*
l Ezech. 33. 11. *ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat l*, qui in pedes erigit eos qui jam ceciderant, & ad vitam revocat eos qui eam amiſerant, inſtituit hoc remedium Pœnitentiæ, quo adjuti poſſimus reſurgere, cùm in peccatum inciderimus, & vitam amiſſam recuperare, cùm per peccatum mortui fuerimus. Ita ut Baptiſmus ſit pro iis qui nomen ſuum dant militiæ Chriſti; Confirmatio pro illis qui ſub vexillis ejus militant; Eucharistia ad eos conducat reficiendos; Pœnitentia verò ad curandos vulneribus confoſſos, & reſuſcitandos mortuos. Hoc Sacramentum Pœnitentiæ eſt ita neceſſarium ut vocet illud
Tertullianus *m* ſecundam poſt naufragium tabulam, *Ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem*, poſt naufragium, inquam, deplorandum gratiæ, quam acceperamus in Baptiſmo, qui eſt prima tabula, quia Baptiſma delet peccatum originale; ipſumque medium eſt unicum congruum recuperandæ vitæ & ſanitati animæ peccato actuali emortuæ, Pœnitentiæ Sacramentum quaſi ſecunda tabula. m Tertul. lib. de Pœnit. c. 4. Quod eſt modus loquendi deſumptus ex eo quod accidit perſæpè, cùm navis aperitur in mari, procellis agitata, aut cùm in ſcopulos impingitur: tunc enim ſinguli qui in eâ inveniuntur nautæ, aut cæteri, arripiunt, ſi ipſis libet, aliquem aſſerem, aut aliquam tabulam, cui firmiter adhærentes conantur aliquem refugij locum quærere, omnes vires ſuas intuentes ut tandem ad optatum portum mediante tali aſſere aut tabula pervenire poſſint: ita cum navis gratiæ in Baptiſmo nobis inſulæ, peccati actualis tempeſtate concuſſa confringitur, nullum aliud medium nobis ſupereſt opportunius evitando naufragio damnationis & mortis æternæ, quàm Pœnitentia, quæ *ſecunda poſt naufragium tabula eſt* †, quam Chriſtus inſtituit pro noſtra ſalute, & nullum habemus † D. Hier. Epiſt. 47. n. 6.
Sacramentum magis eo neceſſarium poſt Baptiſmum, cùm finis principalis Pœnitentiæ & inſtitutionis ipſius ſit juſtificatio peccatoris baptizati, ipſius reſurrectio ſpiritualis, & reconciliatio cum Deo; idcircò vocatur reſurrectio mortuorum, ſicut & Baptiſmus, quia reddit vitam gratiæ & charitatis peccatoribus meliorem vita naturali, & ita elevatam ſuper illam, ſicut ſpiritus corpus ſuperat, & gratia naturæ limites ſupergreditur. Quintò, Sicut homo poſt recuperatam ſanitatem, reliquias infirmitatis diæta aut vitæ regimine expellit; ita in vita ſpirituali indiget ut propulſet reliquias peccatorum, quæ remanent in fine conflictus: Homo enim præ deſidia non affligitur, nec triſtatur, ut decet, ob peccata ſua commiſſa, ideò indiget Sacramento Extremæ Unctionis, quæ conferiur ipſi in mortis articulo; tunc enim temporis anima debet omnino purgari, cùm jam ſit præſentanda ante tribunal illius, *qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum n.* Sex- n Act. 10. 42.
tò, Sicut homo perficitur per relationem ad alios, dignitate, quæ ipſum cæteris anteponit; ita in vita ſpirituali perficitur Sacramento Ordinis, à quo recipit poteſtatem Sacramentorum alijs adminiſtrandorum. Septimò tandem, Sicut in vita civili homo conſervat ſpeciem ſuam propagatione, & ſic hominum multitudo ſubſiſtit jugiter; ſic Eccleſia ſancta, quæ eſt congregatio omnium fidelium Chriſtianorum unitorum ſub Chriſto Capite *o*, cujus illi ſunt membra, ſemper perſeverat & conſervatur in ſua o Epheſ. 1. 22. & 23.
multitudine per Sacramentum Matrimonij,

quod

quod novos ſemper ipſi ſubminiſtrat milites. Præterquàm quòd iſtud Sacramentum fuit etiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto inſtitutum in gratiam illorum qui non omnino ipſius ſe mancipant obſequio, ſed qui inclinantur ad naturæ infirmitatem, nipurà frequentiores carnis rebellionis impetus non valentes retundere, ideòque ducentes latius & *melius nubere, quàm uri p.* [p 1. Cor. 7. 9.] Baptiſmus & Pœnitentia ſunt abſolutè neceſſaria aut in re, aut in voto; Pœnitentia poſt peccatum actuale commiſſum, & poſt ſuſceptum Baptiſmi Sacramentum.

Sunt igitur ſeptem Sacramenta à Christo inſtituta. Et hunc numerum prætereà colligo ſecundùm ſeptem mala, in quæ per peccatum incurrimus. Sacramenta enim, ut jam dixi, ſunt inſtituta à Chriſto ut remedia noſtris infirmitatibus curandis inſervientia; *Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum q.* [q Pſ. 106. 20.] Ideò oportuit inſtitui tot Sacramenta, quot erant mala, in quæ incurrebamus per peccatum; atqui incurrimus in ſeptem infirmitates, tres culpæ, & quatuor pœnæ. Prima infirmitas culpæ, eſt peccatum originale, contra quod habemus Baptiſmum. Secunda infirmitas culpæ, eſt peccatum mortale, & contra hoc habemus Pœnitentiam. Tertia infirmitas culpæ, eſt peccatum veniale, adverſùs quod habemus Extremam Unctionem; licèt D. Thomas *r* dicat, [r D. Thom. in 4. ſent. diſt. 26. q. 1. a. 3. ad 3.] nullum Sacramentum fuiſſe inſtitutum pro peccato veniali, ut ſuo effectu principali. Prima infirmitas pœnæ, eſt fragilitas ſeu impotentia ad bonum, & contra hanc eſt ſanctum Chriſma, ſeu Confirmatio. Secunda infirmitas eſt ignorantia, contra quam habemus Sacramentum Ordinis. Tertia infirmitas eſt malitia, & contra illam habemus Euchariſtiam, quæ eſt fons & origo totius bonitatis *s*, [s Zach. 9. 17.] quam continet ipſa realiter. Quarta infirmitas eſt concupiſcentia, quæ nos inclinat ad malum, *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ t.* [t Gen. 8. 21.] Contra quam habemus Sacramentum Matrimonij, virtute cujus perſonæ conjugatæ gratiam recipiunt, quâ concupiſcentiæ impetus retundant.

Hæc igitur Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales juſtificationis hominum, ſine quibus nec ipſe Papa poteſt culpam peccatorum remittere, quia conferre effectum principalem Sacramentorum ſine Sacramentis, non pertinet niſi ad poteſtatem excellentiæ, quæ non eſt niſi in Chriſto, *Remittuntur tibi peccata tua u.* [u Matth. 9. 2.] Sed cauſa meritoria quæ inducit Deum ad juſtificationem peccatoris, eſt Paſſio ejuſdem Chriſti, quæ inclinat Deum ad parcendum peccatis, & ad ſanctificandum hominem, *Juſtificati gratis per gratiam ipſius x.* [x Rom. 3. 24. & 25.] Et hæc eſt cauſa principalis: *Per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem in ſanguine ipſius.* Ecce cauſa meritoria. Virgo enim ſanctiſſima ſuum precatur Filium. Quòd ſi ille recuſet, exhibet ipſa illi ſinum ſuum apertum; victus Filius Patrem ſuum adit, & ſua oſtendit ei vulnera; ſic Pater inclinatur ad veniam & ad miſericordiam; *Securum acceſſum jam habet homo ad Deum, ubi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera; Maria Chriſto pectus & ubera; nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni linguâ diſertiùs, hæc clementiæ monumenta & charitatis inſignia*, ait Arnoldus Carnotenſis *y*. [y Arnold. Carn. tract. de Laudib. Deiparæ. z 1. Joan. 2. 1.] Ideò D. Joannes *z* dicebat: *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.*

Secunda cauſa meritoria, quæ inducit Deum ad juſtificandum peccatorem, eſt oratio Eccleſiæ, quæ ſemper orat pro converſione peccatorum, veluti bona Mater pro filijs ſuis. Hujus figura eſt Vidua Naim, cujus filium reſuſcitavit Chriſtus, quem rogabat mater pro filio quo privata erat *a*; [a Luc. 7. 12. &c.] Eccleſia viduata ſuo Sponſo ab Aſcenſione *b*, [b Marc. 16. 19.] *facta eſt quaſi vidua Domina gentium c.* [c Thren. 1. 1.] Filius mortuus eſt peccator per peccatum, quod occidit animam *d*, [d Ezech. 18. 4. & 20.] Deus eum reſuſcitat miſertus lacrymarum Matris. Cùm fides proponat nobis credendam *ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem; remiſſionem peccatorum*; fidelibus omnibus, qui ſimul faciunt Eccleſiæ corpus, ſibi invicem mutuò ſuccurrentibus, cùm ipſorum bona ſpiritualia ſint communia, hoc eſt *Sanctorum* communio. Et quia Eccleſia inſtituit præcepta, ea reduco ad mandata Dei, vel ad Sacramenta. Præceptum de Feſtis celebrandis refero ad mandatum Dei de Sabbatho ſanctificando *e*, [e Exod. 20. 8. &c.] ut docet Cardinalis Richeleus *f*. [f Card. Rich. in Inſtr. Chriſtia. in hæc loca.] Mandatum de non celebrandis nuptijs temporibus Adventus & Quadrageſimæ, non eſt Textui inſertum, ait idem Cardinalis; ſufficit ut Parochi id ſciant. Illud de ſolvendis decimis, habetur ſub illo, *Non furtum facies.* Præceptum jejunij refertur ad iſtud, *Non mœchaberis*, aut ad hoc, *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Quæ omnia vobis explicabo in tertiâ parte Adventus, cùm jejunium corpus ſpiritui ſubjiciat, illud caſtigando.

Præcepta confitendi peccata ſua ſaltem ſemel intra annum, & communicandi tempore Paſchatis, reduco ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Ut autem ſtem promiſſis meis, duobus volo verbis, antequàm diſcurſum concludam meum, docere vos practicè modum brevem bonæ Confeſſionis peragendæ, ac devotæ Communionis. Ut igitur quis faciat bonam Confeſſionem, poſtquàm ſuam ſeriò diſcuſſerit examine conſcientiam, debet formare actum contritionis intuitu peccatorum ſuorum, qui conſiſtit in dolore concepto ob Deum offenſum *g*, [g Pſ. 50. 6.] & in deteſtatione peccati, quatenus illud eſt Divinæ Bonitati oppoſitum; vel ſaltem actum attritionis, qui ſitus eſt in dolore propter Deum læſum, & in horrore criminis, prout illud privat nos gloriæ bonis, & gehennæ nos addicit pœnis *h*. [h Matth. 25. 41. &c.] Poſt hæc incipiat ſua accuſare peccata, non autem ea excuſare, & eorum culpam in alios refundere; non ſe accuſare, conditione interpoſitâ, v. g. Si Deum offendi tali, & tali modo, ab eo peto veniam, ſicut multi faciunt, quod maximus eſt ſane abuſus; minùs etiam per quandam formulam ordinariam, per quam ferè ſemper eadem in Confeſſione reperiuntur, & eadem canitur cantilena ab ijs præſertim, qui ſæpiùs confitentur, ob quandam fortaſſe formulam, quam ex aliquo decerpſerunt libro, quâ veluti regulâ in conficiendis ſuis utplurimùm abutuntur Confeſſionibus. Secundò, Aperiendus eſt numerus peccatorum

mortalium, ſaltem eorum, quorum poterit eſſe Act. 5. 3. memoria, ne quis mentiatur *Spiritui ſancto i*, qui omnia interiora conſcientiæ noſtræ rimatur penetralia, qui eſt *ſcrutans cor, & probans re-* k Jer. 17. 10. *nes k*; neve quis ſacrilegij ſe efficiat reum, reticendo voluntate determinata aliquod mortale peccatum, & fortè graviſſimum. Sincerè dicenda ſunt ea quæ commiſſa ſunt, præcipuè verò circumſtantiæ ſpeciem peccati mutantes, ſeu eam multiplicantes, utpura qualitas perſonæ criminis patrati conſciæ ac complicis; & locus, in quo fuit illud commiſſum; aliæque circumſtantiæ quæ fuerunt illud comitatæ. Non eſt dividenda Confeſſio, ita ut illius media pars alteri Confeſſario, reliqua verò pars media alteri aperiatur: ambæ ſiquidem dimidiatæ Confeſſiones illæ nihil valerent, imò verò ſacrilegij inſimularentur execrandi. Non minùs ſincerè explicanda eſt peccatorum enormitas, quam quidam diminuunt in Confeſſione peragenda, quam idcircò Hiſtorijs & narrationibus inutilibus veluti quibuſdam obtegunt involucris, ita ut quæ ſibi dicantur, non concipiat Confeſſarius; idcircò omnia ſunt ſimpliciter referenda, ut fuêre geſta, & fundendum ante pedes Sacerdotis cor non ſecus ac aqua, ut l Thren. 2. 19. nobis Propheta *l* conſulit: *Effunde ſicut aquam cor tuum*, ita ut nihil in eo remaneat, dicendo omnia cum numero præfiſo, ſi juvet memoria, vel circùm circà, cum debitis circumſtantiis quæ peccata fuerunt comitatæ.

Quoad verò Communionem ſacram tria ſunt obſervanda. Quid faciendum ante Communionem. Quid in communione. Et quid poſt Communionem. Ante Communionem firmiter apprehendendus eſt & vivè conſiderandus ille, qui venturus eſt & ingreſſurus ad nos; quomodo ſit venturus; & tandem ob quem finem ſit nos viſitaturus. Conſiderandum eſt, hunc ipſum eſſe Dei Filium, qui tali nos eſt affecturus honore, verbo Sacerdotis ad nos venturus, & gratiis nos cumulaturus innumeris. In Communione, cùm nobis exhibetur Hoſtia ſacratiſſima adoranda æquè ac intuenda, producendi ſunt actus vivæ fidei, credendo firmiter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in corpore & in anima cum ſua pariter Divinitate, unà cum Patre & Spiritu ſancto per concomitantiam in hoc auguſtiſſimo verè & realiter cōtineri Sacramento; adorationis, adorando eū ibi omni reverentia poſſibili; gratiarū actionis, eò quòd noſtrî causâ ſe in tali collocaverit ſtatu; amoris & deſiderij unionis, deſiderando uniri illi unione perfecta & intima. Poſt Communionem, res momenti maximi in tota vita ſpirituali eſt ſcire apprimè uti tempore ſacram ſequenti Communionem, ut ex ea fructus, propter quos fuit ipſa à Domino noſtro inſtituta, referantur à nobis ad utilitatem animæ noſtræ. Curandum præſertim tunc temporis eſt ut cum ipſo familiariter converſemur, & ſacram ſocietatem ineamur, caventes ſedulò ne eum deſeramus, quia cùm per præſentiam ſuam nobis gratiam fuerit largitus, gloriam nobis tandem impertietur ſempiternam.

FERIA V. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

II. PARS ADVENTUS.

Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Orantes autem, nolite multùm loqui, ſicut Ethnici: putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiatur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequàm petatis eum. Sic ergo vos orabitis, Pater noſter qui es in cælis. Matth. 6. 1. &c.

Etiamſi fides ſit fundamentum, cui totum innititur Chriſtiani ædificium, & quo fulcienda eſt conditioni ipſius conveniens ac conſona juſtitia; attamen non debemus ſiſtere in ijs, quæ tenemur credere, ſed ad ea pergere, quæ ſperare debemus: cùm a 1. Cor. 13. 12. enim fides ſit cognitio imperfecta, tùm per illam credamus id, quod non videmus *a*, oportet ut in nobis remaneat deſideriū quoddam perveniendi ad id, quod ſperamus; proſecutionis eorum, quæ in eo adipiſcendo nobis poſſunt eſſe auxilio; & averſionis ſeu horroris ab ijs, quæ ei obtinendo poſſunt eſſe obſtaculo. Hæc conſideratio ſervit virtuti ſpei, quæ eſt affectio noſtræ voluntatis, quæ originem & radicem ſumit in intellectu, *Quæcumque ſcripta ſunt, ad* b Rom. 15. 4. *noſtram doctrinam ſcripta ſunt ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus b.* Et quia fide concepimus Deum habere Providentiam ſingularem eorum omnium quæ ad nos ſpectant, ſuper hoc eſt ſtabilita ſpes noſtra ut c Sap. 8. 1. poſſit obtinere ejus adminiculo id, quod ſupernaturaliter æquè ac naturaliter cupimus, cùm ejus Providentia *c* nullam rem fecerit, quin ei dederit media fini proprio adipiſcendo conſona.

Sicut autem videmus, quòd cùm homines indigent auxilio alicujus perſonæ in dignitate conſtitutæ, illam illuſtrem perſonam orant, ut ipſius authoritate fulti, id quod ſibiipſis agnoſcunt eſſe neceſſarium, obtinere queant, idcircò oratio in Deum nobis fuit inſtituta à Chriſto, ut impetremus ab eo illud, quod ſpes noſtra, quæ eſt ſecundus paſſus, quem gradimur in juſtitiâ Chriſtianâ, nobis in hoc mundo reddit obtentu facile. Cùm enim ſit ipſe Author fidei noſtræ ac Conſervator, ut aſſerit Apoſtolus *d*; *Aſpicientes in Authorem fidei, & Conſummatorē Jeſum*, nō d Hebr. 12. 2.

minùs

minùs debet eſſe Author & Conſervator noſtræ ſpei. Illam ſiquidem vivere faciens in cordibus noſtris per orationem, quam nobis inſtituit, eo pacto nos ad ſeipſum elevat, cùm nos docet ipſemet quid ab ipſo debeamus expoſcere. Excitans verò nos ad juſtitiam, id eſt, ad exercitium bonorum operum, orationis, eleemoſynæ, & jejunij in hoc Evangelio noſtro ſpecificatorum, in quibus eſt major vaoæ gloriæ aucupandæ occaſio, ut ait D. Chryſoſtomus *e* docet ipſe nos ut dirigamus intentiones noſtras in exercitio bonorum operum pœnalium, quò juſtitiæ incrementum mereamur Chriſtianæ, mediante ſpe, & oratione, præcipuè verò iſta Angelica, *Ave Maria.*

e S. Chryſoſt. citatus à Cornel. in hunc locum.

Fruitio Divina, propriè loquendo, non invenitur in hac valle miſeriis & infortuniis redundanti, ubi appetitus noſtræ carnis animales miſerandum in mundum nos legi peccati, licèt non invitos, ſed ſemper ultroneè & voluntariè ſubjiciunt, ut querebatur Apoſtolus *f*; *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*; ubi mundus per vanam gloriam nos meminiſſe noſtri non ſinit; ubi Poteſtates inviſibiles noſtræ fœlicitati adverſantes, nos multis impetunt ſuggeſtionibus. Si verò aſſeramus nos à peccato eſſe immunes, profectò hallucinamur, & veritatem in noſtris non eſt verbis deprehendere; *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt g.* Sic, cùm multis ſimus obnoxii criminibus, & inter nos & Deum infinitam conſtituat peccatum ſeparationem, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum h*; non poſſumus eo frui. Ultrà quòd cùm beatitudo pro objecto habeat Divinam Eſſentiam clarè viſam *i*; & perfectè amatam; ſicut ipſa eſt ordinis ſuperioris intellectu noſtro, ac voluntate noſtra, ſic non poſſumus, quandiu ſumus in hoc mundo, frui Divino hoc objecto, quod conſtituit gloriam Angelorum *k*, & Sanctorum felicitatem. Nihilominùs non ſine causâ Magiſter ſententiarum *l*, ut dicebam vobis nuper, loquens de fide, aſſerit, quòd *fecit Deus rationalem creaturam, quæ ſummum Bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando poſſideret, ac poſſidendo frueretur.* Loquitur igitur de fruitione proportionem habente cum ſtatu naturæ noſtræ, quæ non excedat vires intellectus noſtri; & hæc fruitio eſt illa ſola, quam invenimus in oratione. Oratio ergo eſt elevatio mentis noſtræ in Deum, per quam intellectus noſter conſiderans immenſas perfectiones hujus objecti infiniti *m*, eaſque proponens voluntati, illam inflammat amore ipſius; & ſicut amor ad unionem tendit, anima hujus Divini amoris igne ſuccenſa omnes vires ſuas colligit, ut poſſit uniri objecto huic adorando. Cùm ſiſtit ipſa duntaxat in ſpeculationibus intellectus, & in motibus interioribus voluntatis, tunc temporis vocatur oratio mentalis; cùm verò vehementia Divini hujus ignis perrita prorumpit in aliquam querelam, aut in ſupplicationem aliquam exteriorem, tunc dicitur oratio vocalis: & hoc modo orabat David, cùm ſacro Divini hujus amoris muſto ebrius, in has cœleſtes erumpebat orationes, quæ quotidie in noſtris Templis ab Eccleſiaſticis concinuntur & perſonant. Et quia Sancti in cœlo, ſublimi huic officio vacant cum perfectione maximâ, videntes non *per ſpeculum in ænigmate*, ſed *facie ad faciem n* Divinam Eſſentiam, & intimè Deo uniti amore excunte ex iſtâ cognitione fœlici, ſacrum ſine ullâ intermiſſione concinunt triſagion, cujus meminit Propheta *o*, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*: nos in via per orationem habentes parvam imaginem eorum, quæ in cælis peraguntur à Beatis, poſſumus ſecundùm vires noſtras ipſi Deo uniri eodemmet modo. Curramus igitur ad orationem exemplo Moyſis *p*, Abrahæ *q*, & Jacob *r* allecti, qui viribus orationis de Deo ipſo triumphabant. Incumbamus orationi, veſtigiis adhærentes D. Pauli Apoſtoli dicentis *s*; *Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me*; armati humilitate, fide, ſpe, & charitate, & glorioſum de vitiis referemus profectò triumphum, ac exercitio bonorum operum, quæ Chriſtus nobis in Evangelio noſtro proponit, vacabimus. Tradamus nos orationi, more Apoſtolorum *t*, & diabolum animarum ſaluti noſtratum infenſiſſimum mediis oratione è mundo procul amandabimus *u*. D. Antonius Abbas & D. Catharina Senenſis inter quotidianos, quos cum dæmonibus inibant, conflictus, nullo opportuniori auxilio, quo inimicorum frangerent impetus ſuorum, quàm oratione, utebantur; cùm verò à dæmonibus flagellis cæſi querebantur de Dilecto, à quo ſe derelictos credebant, Chriſtus ipſis poſt pugnam immediatè apparens, proteſtabatur victoriam ab ipſis in dæmones relatam, effectum fuiſſe orationis ipſorum, quæ ipſum ſpectatorem effecerat triumphorum, quos ipſi retuliſſent de inimicis ſuis.

f Rom. 7. 23.
g 1. Joan. 1. 8.
h Iſai. 49. 2.
i Joan. 17. 3.
k 1. Petr. 1. 12.
l Magiſt. ſent. lib. 2. diſt. 1.
m Baruch. 3. 25.
n 1. Cor. 13. 12.
o Iſai. 6. 3.
p Exod. 32. 11. &c.
q Gen. 18. 22. &c.
r Gen. 32. 26. & Oſee 12. 3. & 4.
s 2. Cor. 12. 8.
t Act. 1. 14.
u Marc. 9. 29.

Sit igitur omnis recurſus noſter ad orationem. Oratio autem perfectiſſima illarum omnium, quæ fuerint unquam pronunciatæ, eſt illa, quam Dei Filius hodierna die in Evangelio propoſito docet Apoſtolos, oſtendens eis modum, quo Deo orantur per orationem; præſcribit ipſis formam orandi, in qua continetur id omne, quod poſſumus deſiderare & ſperare; nimirum inſtruit illos circa Orationem Dominicam, quam intendo vobis explicare in hac ſecunda Adventus hujus parte, ſecundùm progreſſum, quem tenetur Chriſtianus facere in juſtitia, hoc eſt, in exercitio bonorum operum, adminiculante ſpe, quæ eſt virtus ſupernaturalis nobis à Deo infuſa, per quam cum fiducia filiali æternæ vitæ bona expectamus, quorum acquiſitio difficilis eſt per bona opera, quorum exercitium ſuadetur nobis in Evangelio præſenti. Intendo igitur hodierna die oſtendere vobis; ſpem noſtram in Deo totam debere conſtitui. Hæc eſt ſummatim totius iſtius diſcurſus ſeges.

Propoſitio.

Eſt igitur oratio, quam Chriſtus nobis dereliquit, fundamentum, cui tota ſpes noſtra innititur. Sed antequam eam exponamus, ſciendum nobis eſt, Deum debere orari alio planè modo quàm orentur homines. Cùm enim aliquid petimus ab hominibus, debemus illis exprimere noſtrum deſiderium, noſtramque eis propalare neceſſitatem, ut ille qui oratur, inclinetur ad id, quod nobis eſt neceſſarium, nobis concedendum. Deus neutro ex his indiget, ut aſſerit Evangelii noſtri textus,

Scit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Cùm perfectè ſciat id omne, quod apud nos eſt aut deſideratum, aut neceſſarium; & cùm voluntas ejus ſit immutabilis *x* æquè ac ejus eſſentia, verbis noſtris
x Malach. 3. 6. non indiget ut inclinetur ad id, quod nollet antea; ſed oratio noſtra neceſſaria eſt, ut inde pandamus nobis aditum ad cognitionem imperfectionum & defectuum noſtrorum; & ut qui orat, per deſiderium, quod exhibet orando, ſe diſponat ad recipiendum id, quod ipſe ſperat, ut teſtatur ipſemet per orationem ſuam. Eſt & altera etiam differentia inter orationem, quæ ad homines dirigitur, & illam, quam Deo offerimus, & hæc eſt, ut ſi quis intendit obtinere ab aliquo id quod ab eo poſtulat, debeat illi eſſe familiaris; cùm oratio, quam ad Deum dirigimus, è contrà nos reddat ipſi familiares, cùm ſic eum agnoſcamus pro eo quod eſt, adorantes eum *in ſpiritu & veritate*, eo modo quo vult adorari, quia ipſe *Spiritus eſt*
y Joan 4. 24. *Deus y.* Ideò hæc oratio, quæ eſt oratio orationum, incipit ab hoc nomine,

Pater, quod omnem ſpem noſtram erigit præ omnibus aliis nominibus, & quod nos ipſi efficit familiares. Amabilem Patris qualitatem, quam vult Deus præ ſe ferre erga nos! Nondum aliquid poſtulavimus, & ecce jam repleti ſumus vel ab initio orationis noſtræ; divites efficimur ultra id omne quod ſperare poſſemus, & poſtulare. Maxima profectò eſt hæc excellentia, quâ Deus permittat ut cum ipſo de noſtris tractemus negotiis, & liberum ad ipſum habeamus acceſſum, quoties auxilio ipſius indigenemus, nullamque ab ipſo, niſi per nos ſteterit, feramus repulſam; & patiatur vermes terrenos & luteos ad thronum ipſius infinitè purum & glorioſum accedere. Quòd verò ipſis fiduciam præbeat, imò quòd illis firmiter præcipiat ut ſe ipſum Patrem appellent, id amor eſt, quem Angeli demirantur, ob quem cæli obſtupeſcunt, & quem tota natura non audet plenè inſpicere. Re autem verâ nemo præter Dei Filium hanc nobis poterat dilargiri fiduciam; mutat enim nomen Judicis in nomen Patris, ut mutemus timorem noſtrum in amorem, Amorem tenerum, amorem miſericordiâ redundantem, amorem puræ benevolentiæ, non verò concupiſcentiæ! cùm Pater amet ut largiatur, non autem ut recipiat.

Hoc nomen Patris neceſſariam invehit ad nomen filii relationem, quod docet nos, ut, cùm oculos noſtros extulerimus, ut videamus in corde Dei amorem Patris erga nos, deinde eos ſuprà nos deprimamus, ut nos conſideremus quatenus filios Dei, autumantes hunc glorioſum titulum non eſſe vanum, ſed qualitatem realem intimis animæ noſtræ penetralibus inditam, quæ nos elevet ad participationem Divinitatis, & reddat nos objecta Divini Amoris; ratos id eſſe privilegium ſanctæ libertatis, quæ nos extollat ſuper omnes creaturas, quæ nunquam potuit in ſervitutem redigi timore, nec blanditiis, neque tormentis, neque deliciis deluſoriis & falſis in ſanctis Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, & aliis Dei amicis, qui in ſeipſis hanc experiebantur veritatem, quod *ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei. Si autem filij: & heredes; heredes quidem Dei, coheredes*
z Rom 8 16. & 17. *autem Chriſti z.* Ita ut debeamus recipere è manu ipſius duntaxat portionem & hæreditatem noſtram. Potuiſſemus quidem fiducia excidere, & nunquam nos operaturos eſſe aliquid hac cœleſti gloriâ dignum ſperare; ſi Deus hanc decreviſſet nobis dare ut mercedem duntaxat noſtris operibus bonis ex quâdam decentiâ congruentem; ſed cùm etiam aſſignetur nobis prout filiis adoptivis ut hæreditas, qualem majorem deſiderare poſſemus ſecuritatem? Ipſa eſt hæreditas nobis aſſignata ut ſervis, ſi autem *ſervi inutiles a* a Luc. 17. 10.
agnoſcamur à nobis ipſis, aſſignatur ſemper hæreditas iſta nobis ut filiis; ſufficit autem ut ſimus filii, quò ad eam aſpirare poſſimus per ſpem, quæ Deum intuita, ineoncuſſis innititur fundamentis. Poteſt eripi nobis vita; ſpoliari poſſumus iis omnibus quæ eam comitantur, ſed nos *non rapiet quiſquam de manu b* Dei, nec auferet teſtamentum quod ipſe in ſavorem noſtrî condidit, ipſum dictans ore proprio Filij ſui, per b Joan. 10. 28.
quod hæredes nos ipſe conſtituit Regni cœleſtis, & cohæredes illius, qui *habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium c*; & cui jure merito debetur univerſa cæli Empyrei gloria. Intendit c Apoc. 19. 16.
enim ut ſeipſum Patrem appellemus, & nos ſui ipſius filios, & hæredes agnoſcamus. Quidquid corrumpit hoc teſtamentum, eudis noſtri dignum non eſt affectibus, & vota noſtra ac amores pectoris noſtri nullo meretur modo; quia hæreditas, quam *Pater noſter* cæleſtis nobis conſervat, eſt incorruptibilis, ſine macula, nullos agnoſcit limites, nec terminatur niſi in æternitate, ad quam debemus aſpirare; *Regeneravit nos in ſpem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſervatam in cælis in vobis d*; ad quam erigere debemus ſpes noſtras, quæ efficient ut gloriemur d 1. Petr. 1. 4.
in paupertate ſpiritus *e*, quam Dei Filius in monte e Matth. 5. 3.
diſcipulis ſuis, & nobis prædicat, ut ad eam minori terum terrenarum pergamus ſolicitudine. Cùm igitur ſimus *filij Dei*†, & ipſi ſit *Pater noſter*, † Rom. 8 16.
certò nos ipſe ſperare facit ſuum Regnum cœleſte quatenus hæreditatem noſtram; cùm enim effecti fuerimus filij adoptivi Dei à Spiritu ſancto in regeneratione Chriſtianiſmi, poſſumus juxta D. Pauli pronunciatum eum omni fiduciâ dicere Deo, more infantium, *Abba, Pater.* Dicit autem D. Paulus *f*, *Quoniam eſtis filij, miſit* f Galat. 4 6.
Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem; Abba, Pater. Poſſumus, inquam, Deo dicere, Tu es *Pater noſter*, & aſpirare ad poſſeſſionem omnium bonorum ipſius, ut hæredes. g Gen. 1. 27.
Si autem *Pater noſter* eſt, & per creationem ratione imaginis, quam nobis dedit ſuî ipſius *g*, & per gubernationem, hoc eſt, per educationem, qui curam noſtri præ omnibus ſuſcipit creaturis, cùm omnia alia creata ſint ipſi ſervorum loco, & nos ſimus *filij* ipſius; melius etiam *Pater* eſt per adoptionem, cùm nos reddiderit filios ſuos adoptivos per Filij ſui naturalis Sanguinem in ara crucis fuſum. Quatenus *filij*, tria debemus illi rependere, magnum honorem, imitationem continuam, & obedientiam perfectam. Honorem, illum laudando non tantum ore, ſed etiam corde; conſervando corpora noſtra in puritate, quoad ea quæ ad ipſum ſpectant, & in juſtitia quoad ea quæ proximum reſpiciunt. Debemus etiam illi quatenus Patri imitationem continuam, illum amando, ſicut ipſe nos *dilexit h*, compatiendo cum illo iis qui nobiſcum h Joan. 3. 16.
ſunt, nos quotidie perficiendo, & progrediendo in juſtitia Chriſtiana; *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt i.* i Matth. 5. 45.
Deb-

Debemos illi obedire quatenus Patri; habet enim poteſtatem ſuper nos, & Filius ejus ita exquiſitum obedientiæ *k* reliquit exemplum, ut vitæ propriæ non pepercerit. Præterea, Propter commoda, quæ nobis ſubminiſtrat hæc obedientia; nihil enim magis veris filiis congruit, quàm ut benè obediant, & honorent illos, quos intuentur ut Parentes, & eos perfectiſſima, qua poterunt, ratione imitentur. Sed ſicut imitatio Dei ſit in charitate, *Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione l*; dilectio verò Dei non eſt particularis & privata, ſed veluti communis; idcircò habemus unam orationem, quæ eſt communis, & omnium; ita ut non oremus tantùm pro uno, ſed pro omnibus; cùm enim oramus pro nobis, neceſſitas nos ad orandum impellit, ſed charitas inducit nos ut oremus pro aliis. Ideòque non credimus nobis ſufficere, ſi oremus tantùm pro nobis, & dicamus, *Pater*, vel, *Pater* meus, ſed præterea dicimus, *Pater noſter*; ut ſignificemus omnia nobis, quatenus Chriſtianis, eſſe communia; præſertim verò in iis quæ ſpem noſtram tangunt; ſi enim ſpes omnes noſtræ ad ſolum Deum dirigantur, ipſique ſoli ſint innixæ, & in eo fundatæ, ut nemini hoc dubium eſſe debet, debemus dirigere omnes ſimul orationem noſtram, ut faciliùs impetremus id, quod petimus, communibus orationibus adjuti; *Orate pro invicem, ut ſalvemini m.* Vultiſne, ait D. Jacobus, obtinere ſalutem vobis neceſſariam? Mutuas alij pro alijs Deo orationes præſentate. Et ſicut decem homines uniti faciliùs aliquod onus deferunt, quàm illud portet ſolus, eodem modo impoſſibile eſt quin oratio plurium priùs exaudiatur, quàm ſupplicatio unius: idcircò oramus omnes in communi, & libentiùs dicimus, *Pater noſter*, quàm *Pater* meus. Nomen quod facit etiam differentiam inter Jeſum Chriſtum & nos: ille enim ſolus præ omnibus prædeſtinatis, quorum eſt *ipſe primogenitus n*, poteſt dicere cum veritate, Deum eſſe Patrem ſuum, cùm ipſum ab æterno Pater generet *o* naturaliter; nos verò *ſumus filij* † ejus per gratiam & adoptionem tantùm, & ideò æqualiter eo ſumus modo omnes illius filij, & ipſe eſt æquè *Pater* omnium, ac cujuslibet in particulari. Inde verò ſpes extollimus noſtras; dicentes enim, *Pater noſter*, confitemur Jeſum Chriſtum eſſe ejus Filium naturalem; ſi verò nos ſimus filii ipſius adoptivi; hoc fieri per mortem & ſanguinem hujus Filij unici, qui nos adoptavit omnes, quique nos tandem ſui Regni cæleſtis efficiet participes.

In hoc autem verbo, quod Filius Dei pronunciat, cùm nobis formulam præſcribit orandi, ipſe nobiſcum Jeſus Chriſtus init ſocietatem ad orandum nobiſcum, ut ſimul nos cum ipſo oremus. Filius Dei igitur noſmetipſos ſibi applicat, ſuis prærogativis, communicationi pariter & participationi eorum omnium, quæ ipſe habet, & ideò factus eſt noſter Frater, ut poſſimus dicere glorioſè cum illo, quotieſcumque voluerimus, *Pater noſter, qui es in cælis.* Idem amor, quo erga ipſum *Pater* ducitur, nobis eſt acquiſitus; ſed mediante tali amore, nos veluti manu arripit, & in cœleſtis Patris ſecretum conclave nos introducit, quò liberum habet acceſſum; docet nos quomodo loqui debeamus, ſuis nos induit meritis, gratiis nos ditat ſuis, nos ut fratres confitetur ſuos, ut cum ipſo, qui nulla alia ſuper nos vult gaudere prærogativa, quàm ut ſit *Primogenitus* noſter, non ut rapiat ſibi totam hæreditatem nobis ex condecentia quadam debitam, ſed ut nobis largiatur illam, quam nullo poteramus nobis polliceri modo; poſſimus dicere præ veritate, *Pater noſter qui es in cælis.* Quæ verba profert etiam, quò doceat nos, non ſolùm ut nos uniamus cum ipſo, ſed etiam ut nos uniamus omnes invicem. Idem vinculum, quo nos amoris ſuo alligat, quo nos ad gloriam Patris ſui cæleſtis evehit, illud ipſe denuò ſumit, & eo utitur ut formet unionem fœderis in omnium hominum cordibus adinvicem. Quomodo enim poſſimus dicere nos habere unicum tantùm Patrem, niſi nos omnes ut fratres adinvicem pariter agnoſcamus?

Inventionem amoris viventis! Admirabiles & proficuas nobis cogitationes Dei noſtri, unionis artifices! Bonitatem Dei infinitam, univerſalem commoditatem in propriam noſtram utilitatem concludentem! Si verò gloriari velimus nos habere Deum Patrem in intimis cordis noſtri penetralibus, ipſe vult ut amplectamur & agnoſcamus gloriam iſtam in omnibus; & ſicut eſt unicus tantùm *Pater*, ita & ſit in omnibus & ſingulis unicus filiorum ſpiritus, & ut dicamus cum conſenſu unanimi, & ſine ulla diviſione, *Pater noſter, qui es in cælis.* Nulla eſt affectuum diſſonantia quantùmvis magna, quæ non extinguatur in hoc amore ita mutuò neceſſario. Si verò imperfectiones naturales nos afficiunt faſtidio, qualitas hæc eminens filiorum Dei, quam intuebimur in reconditis pectoris noſtri penetralibus, & cujus Spiritus ſanctus infallibilia nobis præbet teſtimonia, ut aſſerit Apoſtolus *p*; *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei*, nobis majorem largitur amorem, & jucundi erimus adinvicem; cùm nullæ ſint imperfectiones in filijs, quas conſideratio Patris tolerantu non efficiat faciles. Chriſtus ipſe ſuam nobis impertietur gratiam, qua poſſimus perfectè Legem, quam ipſe inſtituit, adimplere, invicem ſupportantes imperfectiones mutuas cum manſuetudine *q*. Hæc eſt lex filiorum, hæc eſt lex fratrum, ſed hæc etiam eſt lex Jeſu Chriſti; cùm non venerit in hunc mundum, niſi ut fieremus filij *Dei, r*, & fratres adinvicem, ut dicere poſſimus unanimiter, *Pater noſter, qui es in cælis.*

Sed quare dicendum eſt, quòd ſit *in cælis*? Quid? Nonne etiam invenitur in terra! *Non quod per comprehenſionem, ſed quòd per poteſtatem ſuam, quæ nulla oratione explicari poteſt, operibus ſuis adſit*, ait D. Chryſoſtomus *s*. Non ideò ſic loquimur ut velimus illum alligare & includere in hoc loco, aut eum excludere ex quolibet alio, cùm illa ſit ubique *t*, & omnia comprehendat in ſinu immenſitatis ſuæ; ſed ita oramus ut extollamus mentem noſtram terræ alligatam, per orationem, quæ habet pro eſſentiali & inſeparabili à natura ſua, ut erigat animas noſtras rerum terrenarũ pondere aggravatas, & eas converſatione Divina dignas efficiat. Et quia nõ debemus duntaxat conſtituere id, quod ſperamus, ſuper bona voluntate illius, qui nobis eſt largiturus id, quod petimus, ita in hac oratione poſtquam diximus Deum eſſe Patrem, & Patrem noſtrum, id eſt, omnium, proteſtamur eum eſſe in cælis, ut ſimus ſecuri non ſecus

deilius

k Philipp. 2. 8.
l Ephel. 5. 1.
m Jacob. 5. 16.
n Rom. 8 29.
o Pſ. 2. 7
† Rom. 8 16.
p Rom 8 16.
q Tit 3. 2.
r Jo. 1. 12.
s D. Chryſoſt. homil. in Pſ. 105.
t Jer. 23. 24.

u 1. Tim. 6. 17. de illius immortalitate *u*, Providentia, *poten-*
x Pſ. 64. 7. *tiâ x*, ſapientia *y*, ac de ejus amore *z*. Si enim
verum eſt, ut nemo prorſus de hoc ambigit, il-
y Sap. 8. 1. lum comprehendere omnia corpora cœleſtia
z Pſ. 118. 68. virtute ſua Divina, imò verò ipſam excedere
omnia creata, *Elevata eſt magnificentia tua ſu-*
per cœlos a: conſtituimus ſpei noſtræ ancho-
a Pſ. 8. 2. ram in his verbis infallibilibus, & proteſtamur
eum qui ſuſtinet cœlos *b*, imò verò qui excedit
b Iſai. 40. 12. &c. eos immenſitate ſua illimitata, debere eſſe infi-
nitum in ſua immortalitate, in ſua providentia, in
ſua potentia, & in ſua ſapientia, ſicut amoris ſui
nullos agnoſcit limites. Cùm enim id omne
quod in terra eſt, nullam habeat vitam niſi ten-
dentem ad mortem; illa, quam è parentibus no-
ſtris haurimus, debet tandem diſſolvi per cor-
c Gen. 3. 19. ruptionem; & in cineres redigi *c*. Nullum in
terris parentem agnoſcimus, à quo tria magna
non hauriamus infortunia, miſerias, peccatum,
d Rom. 5. 12. &c. & mortem *d*; ſed in cœlis habemus Patrem, qui
ingentes has reparat ruinas per ſuam miſericor-
diam, per ſuam gratiam, & per ſuam gloriam; eò
e Pſ. 90. 15. quòd nos ſuſtineat & ſublevet in miſeriis noſtris *e*,
nos purificet à peccatis *f*, & è morte nos trans-
f Iſai. 43. 25. ferat ad immortalitatem *g*. Quali gloria beabi-
tur terra, cùm ſe videbit ſupra cœlos exaltatam;
g 1 Joan. 3. 14. &c. & ſuper elementorum portiones iſtorum non
ampliùs ſe temporum mutationibus obnoxiam
futuram, ſed regnaturam ſupra tempus & mor-
tem? Unde verò procedunt tot mirabilia? Niſi
ex eo quia Patrem habemus, qui eſt ſupra om-
nes cœlos. Et licèt videremus vitam noſtram
ſingulis momentis decidere, annos noſtros flue-
re, vires noſtras amitti, dolores noſtros augeri,
imò verò decumbentes nos languore; qualis
foret conſolatio nobis intuentibus perire cor-
pus, cùm ſciamus nos habere Patrem *qui eſt in*
h Dan. 13. 42. *cœlis*, ubi nihil perit propter æternitatem *h*, ad
quam ſuſpiramus, & quam ſperamus. Quòd id,
quod ab Adamo proceſſit, terræ reddatur, quid
noſtrâ intereſt? cùm habeamus *in cœlis* Patrem
qui nos regeneret. Sinamus Judæos progeniem
ſuam ſummis extollentes laudibus, eamque ven-
tilantes, gloriari ſe Patrem habere Abraha-
i Joan. 8. 53. mum, qui *mortuus eſt i*, nos verò dicamus &
feliciùs & glorioſiùs, nos Patrem habere Regem
omnium *ſæculorum k* immortalem, & inviſibi-
k 1. Tim. 1. 17. lem, qui regnat in æternitate ſempiternùm bea-
tus. Pro certo tenemus ac infallibili, domo iſta
terrena & lutea *l*, in qua in hoc mundo commo-
l Job 4. 19. ramur, tandem diſſoluta, recuperaturos nos al-
teram *æternam in cœlis*, non hominum manibus
fabricatam, ſed Patris noſtri bonitate nobis in
Empyreo conſtructam *m*. Ibi Deus, qui eſt *Pa-*
m 2. Cor. 5. 1. *ter noſter*, thronum ſuæ majeſtatis collocavit, ut
oſtendat nobis ſe habere Providentiam, & ocu-
lum ſine intermiſſione apertum, ut inde contem-
pletur, gubernet, & provideat ea quæ ſunt neceſ-
ſaria omnibus quæ ſub cœlis ſunt. Parentes no-
ſtri in terra perſæpè obliviſcuntur noſtri, cum ſui
ipſorum obliviſcantur aliquando. Quàm limita-
ta eſt eorum ſolicitudo! Tandem, Omnis homo
dormitare cogitur in hac vita; ſed *ecce non dor-*
mitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael n.
n Pſ. 120. 4. Somnus enim non invenitur in cœlis, omnia ſub-
jiciuntur curæ Divinæ ipſius Providentiæ; univer-
ſæ creaturæ recipiunt quæ ſibi ſunt neceſſaria,
ab ipſa, quæ liberalis eſt erga omnes; ſed quan-
tò magis liberalis eſt adversùs proprios filios?
Aves & lilia ſenſim ſine ſenſu diriguntur ad ſuum
finem manu Divinæ Providentiæ, quantò magis
nos, qui hoc gloriamur jure, ut poſſimus Deum
vocare Patrem noſtrum. Amor illius ipſum in-
ducit ut noſtros numeret capillos, ſicut ipſe hu-
jus rei teſtimonia nobis profert infallibilia ſuo
verbo quod eſt ipſa *veritas o*, dicendo; *Veſtri* o Joan. 14. 6.
capilli capitis omnes numerati ſunt p. Quam non p Matth. 10. 30.
habebit curam eorum, quæ nobis erunt chario-
ra? Qualis ſecuritas nobis incedentibus, & il-
luminatis radiis oculorum ipſius millies & mil-
lies ipſo Sole clarioribus! Qualis requies com-
mittendo nos gubernationi ita generali Patris
ſic nos amantis! Qualem lectum ſuaviorem pa-
cis habere poſſumus, quàm ſcire in iis omnibus,
quæ nobis accedunt, elucere Divinam Patris no-
ſtri Providentiam! Diſponat Deus quomodo-
cumque ipſe voluerit illa omnia, quæ ad nos
ſpectant, ſatis eſt ut filiorum ipſius inſcripti ſi-
mus catalogo. Præcipiat ſervis quidquid ipſi
placuerit; nec eos intuentes, nec id, quod noſtris
repugnat ſenſibus, perpendentes, pace perfrue-
mur, quiete, & conſolatione, hâc freti fiduciâ
ipſum eſſe Patrem noſtrum, diſponentem om-
nia *in cœlis*, ut commodis noſtris atque utilita-
tibus copioſè faveat.

Ubi repræſentatur etiam nobis potentia ipſius
in nobis protegendis, ſicut & ipſius exhibetur
nobis Providentia in nobis gubernandis. Quid-
quid nobis obeſſe poteſt, ſub ipſis continetur
cœlis; aër æ Poteſtates, ipſe mundus in ſua mali-
tiâ, ſæculum, corruptio, mors, & omnes inimici
noſtri; & ideò hæc omnia ſubjiciuntur imperio
illius qui regnat *in cœlis*. Sicut ipſe providus eſt
ut largiatur nobis bona, ita etiam potens eſt ut
defendat nos à malis. Idcircò honorem illi de-
ferimus, illum adoramus, Patrem noſtrum eum
vocamus, potentem, ac *in cœlis* imperantem, &
in eo conſtruimus omnem ſpem noſtram. *Si*
ambulemus in medio umbræ mortis q, ſi homi-
nes adverſum nos infortunia machinentur, *ſi* q Pſ. 22. 4.
conſiſtant caſtra ac exercitus, ut noſtram præbent
conſtantiam, ſi dæmones circumquaque ſibilent,
non timebit cor r noſtrum: cùm *Dominus omnium*†,
ſit *lux s* noſtra, *ſalus* noſtra, *protector vitæ* r Pſ. 26. 1.
noſtræ, *à quo t* trepidabimus? Imò verò ipſe † Eſth. 13. 11.
aliquid aliud inſuper eſt: ipſe enim eſt *Pater no-*
ſter omnipotens *in cœlis*, ideòque ſolicitudinem s Joan. 1. 9.
ſuſcipit maximam eorum omnium quæ ad nos t Pſ. 26. 1.
pertinent. Sublimitas naturæ ipſius, & fortitu-
do virtutis ipſius mirabiliter elucet in imperio,
quod habet ſuper omnia corpora cœleſtia, &
patet per ſedem, quam deſurſum elegit, quæ o-
ſtendit nobis excellentiam poteſtatis ipſius nobis
utiliter profuturæ.

Utilitates noſtras veluti proprias ipſe reputat,
commodis noſtris inhiat eo planè modo quo
ſuæ zelo trahitur gloriæ, nec obliviſci poteſt
quin tueatur id omne quod ad nos ſpectat, non
ſecus ac ſui non poteſt non meminiſſe (ſi me-
moria, de quâ loquimur noſtro concipiendi mo-
do, in Deo ſit admittenda.) Ne quis erret, quæſo,
potentia eſt propria ipſius eſſentia; & ſi non eſ-
ſet potens, ceſſaret id eſſe quod eſt, cùm defe-
ctus potentiæ naturam ipſius deſtrueret ac Divini-
tatem. Fieri non poteſt quin ſit potens, & reg-
nans *in cœlis*, & præcipiens abſolutè authorita-
te ſupremâ omnibus, quæ ſub cœlis inveniuntur,
creaturis. Si verò poteſtate polleat omnia com-
moda noſtra ac utilitates noſtras protegendi,
fierine poteſt quin commoveatur, noſtrîque mi-
ſereatur intuitu miſeriarum & neceſſitatum, qui-
bus premimur? præſertim cùm in ipſo vigeat

cor Patris, ſed Patris amore tenero filios ſuos proſequentis. Scutum eſt hoc profectò quibuslibet occurſibus obvijs impenetrabile; fortitudo eſt invincibilis, corda noſtra inexpugnabiliter defendens, opponere omnibus ac ſingulis eventibus importunis nos infeſtantibus, vel nobis obſuturis, niſi per ipſos ſtaret, nos habere Patrem *in cœlis*, qui noſtri non obliviſcatur, & poſſit defendere nos ac protegere quibuſcumque ſeſe oblatuiis occaſionibus, in quibus ipſius indiguerimus auxilio, cùm ipſe infallibilia nobis promat ſuæ protectionis teſtimonia, ſi ſcientes quòd ipſe ſit *in cœlis*, omnes ſpes noſtras in ipſo collocaverimus. Vel ſi malius, dicamus me-

u D. Aug. ſerm. 5. in Append. de Divers. lius cum D. Auguſtino *u*, *Quid eſt in cœlis? In cœlis illis, de quibus dictum eſt, Cœli enarrant gloriam Dei x.* Quæ verba ipſemet exponit de

x Pſ. 18. 2. y Idem in Pſ. 18. 2. Juſtis *y*, & de Sanctis. Si enim verum eſt, eos, qui ſunt filij Dei, debere eſſe habitationem ipſius Dei per gratiam; ſic etiam illi, qui non ſunt filij Dei, æquè diſtant ab eo ſpiritualiter, ac cœlum eſt remotum corporaliter à terrâ. Ita ut verbum hoc magnam præbeat orationibus noſtris fiduciam ob tres rationes. Propter potentiam Dei, cujus illud nobis profert infallibilitates. Propter familiaritatem, qua cum illo converſamur. Et propter convenientiam, quam ipſum teſtatur admitti inter orationes noſtras & res cœleſtes Potentia manifeſtatur & evidens fit eo planè modo, quem jam expoſui, ſi per hoc nomen cœlorum intelligimus eos, quos oculis noſtris expoſitos intuemur. Si verò per hæc verba intelligamus, illum eſſe *in cœlis*, hoc eſt, in Sanctis, in Juſtis, in hominibus probis in ſtatu gratiæ conſtitutis, quos

z Joan. 10. 14. ut ſuos omnino cognoſcit *z*, Deus ac conſiderat; qualis major familiaritas poteſt ampliùs ſperari, quàm ut valeamus aperire omnes & ſingulas neceſſitates noſtras ei, cujus nos præſentia nunquam deſerit? Tandem, Si hæc verba ſignificent bona, quæ ſunt æterna, & omnino ſpiritualia, quid convenientius orationibus noſtris? Cùm inde habeamus deſiderium, & vitam cœleſtem. Debemus enim deſiderare, & ſuſpirare ad locum, obi *Pater noſter* habitat, cùm ibi ſit hæreditas noſtra. Sed ut illuc perveniamus, hoc fieri debet imitatione, id eſt, oportet ut vita noſtra non ſit terrena, ſed omnino cœleſtis; *Qualis cœleſtis,*

a 1. Cor. 15. 48. *tales & cœleſtes a.*

Vultiſne igitur capaces effici Orationis Dominicæ apprimè ac proficuè pronunciandæ? Derelinquite terram, & omnia terrena à vobis procul amandate, ſi non corpore, ſaltem ſpiritu & mente; ne curatis poſt voluptates, honores flocci facite, & divitias pedibus proterite. Hæc omnia poſſunt vos quidem facere terreſtres, & impertiri vobis qualitatem filiorum Adæ; ſed ut poſſitis præ vobis ferre auguſtum filiorum Dei characterem, oportet ut ſitis omnino alij, ut corde terram deſeratis iſtam, ut à vobis omnium abdicetis affectum temporaneorum: alioquin incapaces eſtis qui poſſitis dicere, *Pater noſter.* Nullam habetis prorſus ſpem reſpectu eorum, quæ præcisè ſunt neceſſaria ad operandam ſalutem veſtram. Deſerite igitur id omne, quod uſque nunc eſtis proſecuti tanto affectu, & tam ingenti ſolicitudine; fugite, inquam, has omnes infames voluptates, affectus hos pravos, qui auro, argento, frumento, vino, oleo, & cæteris terræ bonis vos tenent alligatos; extinguite has cogitationes ventum & fumum præ ſe ferentes, deſinite ab aucupandis vanis honoribus, ſicut & à voluptatibus ſectandis, ut è terrenis mutemini in cæleſtes. Ad majora quippe nati ſumus & deſtinati, quàm ut ſimus hujus ſeculi mancipia; noſtrum non eſt elementis inſervire, cùm ſimus liberi libertate, quæ nos ſuper cælos evehit univerſos.

Deus bone, obſecro, ſolve corda noſtra ab amore rerum omnium terrenarum, & effice ut nunquam affectus noſtros in aliquo objecto corruptibili, ſed in te ſolo, qui eos totos mereris, collocemus; omnia deſideria noſtra purifica, univerſas intentiones noſtras dirige, & dignos nos effice glorioſo, quem præ nobis ferimus, filiorum tuorum charactere. Cùm ipſe ſis *Pater noſter* per gratiam, per eandem gratiam ſatage ut & converſatione, & actione, digni inveniamur ſublimi adoptivorum filiorum qualitate, quam amoroſè nobis es impertitus. Quid nobis utilius Auditores, quàm ut Deus ſit in nobis per gratiam? Pereant omnia quæ totius orbis concludunt ambitu, nihil nobis perit, poſſidemus univerſa. Deus *in-*

extinguibile eſt lumen b: obſcurentur omnia b Sap. 7. 10.

tenebris, non poſſumus in viâ cæli, ad quod pergimus, errare. Deus eſt nobis omnia; quid c Pſ. 72. 25.

igitur deſiderare poſſumus *in cælo c*, aut in terrâ? d Rom. 8. 16. & 17.

Nos *ſumus filij Dei* in hoc mundo per gratiam & *cohæredes d* gloriæ, quam ipſe largietur nobis in altero ſempiternam.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Sic ergo vos orabitis; Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum: Adveniat Regnum tuum. Matth. 6. 9. &c.

a Jo. 1. 14. b Sap. 7. 24. c Jer. 31. 3. JEſus Chriſtus qui *Verbum caro factum eſt a*, & *Sapientia b* Patris, cùm ſit Author orationis, quæ facit ut ſpem noſtram in Deo conſtituamus totam; & qui perfectè callebat immenſum, quo Pater cæleſtis ab æterno nos proſequebatur, amorem *c*; fiduciam cum ipſo tractandi nobis ſubminiſtrat, quod omnes non poterant Angeli efficere, Orationem Dominicam inſtituens. Quoties hanc Orationem Dominicam recitamus, toties verba Dei proprio ore conſecrata pronunciamus, ſocietatem cum eo inimus; elevat nos ipſe in ſinum ſuum, communicat nobis cor ſuum & cogitationes ſuas, noſtram facit ſapientiam ſuam propriam, ſicut ſua fecit noſtra propria commoda. Undenam majora hauriemus lumina? Quid dicere poſſumus cum minori horrore, & cum majori ſecuritate ad tractandum cum Deo, cùm Deus homo nobis illius colloquii modum oſtendat? Quo igitur affectu recipere debemus impreſſiones harum Divinarum inſtructionum, quæ omnem ſapientiam humanam, imò & Angelicam infinitè antecellunt? Deus bone præbe mihi, obſecro, cor quo cum hanc Divinam orandi inſtituiſti formu-

lam

lam, effice ut in æternum cordi tuo uniam cor meum, meos affectus jungam affectibus tuis, ut pronunciem impoſterùm hanc orationem cum affectu & cum reverentia, quæ habeant aliquam conformitatem & conſonantiam cum illa, quam obtulit Angelus Mariæ, dicens ei, *Ave Maria.*

Deus nihil vehementiùs concupiſcit (ſi deſiderium in Deo ſit admittendum à nobis noſtro loquentibus modo) quàm ut nobis aliquid det, cùm ipſe nobis aperiat petendi modum. Breviter nos docet, ne ſola petitionis prolixitas, ipſius retardet effectum ſupplicationis. Rex noſter ſe conſtituit Advocatum noſtrum in tribunali ſui amoris, dictans ipſe ſupplicationem, cui debeat ipſemet annuere. Intendit ut eodem momento, quo ad ipſum orationem noſtram dirigimus, oſtendamus ipſi ſchedulam, per quam ad nos ſe planè addixit exaudiendos, & quam non poſſit ipſe denegare. Imò præcipit ut cum magnâ fiduciâ petitiones ipſi præſentemus, & noſtras proponamus ipſi neceſſitates. Sufficit autem ut tam amplam nobis aperiat viam ad magnificam ſui ipſius bonitatem, ut non ampliùs agamus cum timiditate, & cum quadam exceptione adverſùs ipſum; ut ſubitò confugiamus, & *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ* †: *ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno d*; cum ille foret miſerrimus, in cujus manibus Deus tantum theſaurum collocaſſet, quo tamen ipſe, cùm ſeſe ipſi eſſet occaſio oblatura, non uteretur.

† M. S. addunt, cum I. d Hebr. 4. 16

In hoc autem oſtendit manifeſtè Deus ſe non ignorare, ſed potiùs perfectè callere omnes neceſſitates noſtras, docens nos ea, quæ debeamus ab ipſo expoſcere. Ipſe non intendit ut ipſum oremus, & ad ipſum noſtra dirigamus vota, ipſique noſtras præſentemus ſupplicationes eo fine ut notitiam præbeamus ipſi neceſſitatum noſtrarum, quas omnes habet præſentes, cùm *omnia ſciat e* ac cognoſcat, ſed ut inveniat locum in animabus noſtris, Divinis ſuis liberalitatibus. Si nunquam Sol intuetur ſpeculum, quin ipſi ſit expoſitum, radios illi non communicabit ſuos, eoſque non ſuſcipiet ſpeculum, niſi Soli exponatur: ſic niſi animus noſter convertatur ad Deum, qui eſt Sol incomparabiliter ſole materiali ſplendidior, cùm ſit *Sol intelligentiæ f*, nunquam luminibus ab eo ipſi neceſſariis illuſtrabitur. Hoc ideò efficit ut appropiemus ipſi; quò nobis ſuos radios imprimat, ut in ipſum penitus transformemur, & ut omnino reddamur alij ipſe. Ea profectò eſt ipſius intentio ut in profundam ingrediamur conſiderationem omnium miſeriarum noſtrarum, ut illas ad ipſum extollamus, ut effundamus *ſicut aquam cor* noſtrum *ante conſpectum g* ipſius, ut ipſe illud Divinâ ſuâ gratiâ repleat, quod eſt commercium nobis ſalutare, & negotiatio utiliſſima. Hodiernâ verò die docet nos quid debeamus ab ipſo poſtulare duabus primis petitionibus Orationis Dominicæ: & hoc eſt quod intendo vobis explicare in hoc diſcurſu in duas partes diviſo.

e Jo. 21. 17

f Sap. 5. 6.

g Thren. 2. 19

Diviſio.

I. Pars.

Conſtituta in Deo ſpe noſtra, ſciendum nobis eſt quidnam ſit nobis ab illo ſpectandum, & ob id non erit abs te meminiſſe, omne ſpei genus imprimere nobis quoddam deſiderium, deſiderium verò rerum poſſibilium; ſed licèt aliquo modo poſſibilium; attamen obtentu difficilium. Idcircò in hâc Oratione ſeptem facimus petitiones, quæ in unam coincidunt, hoc eſt, in poſſeſſionem vitæ æternæ. Prima directè ad Deum tendit, quod eſt gloria ſanctiſſimi Nominis ipſius. Tres ſequentes non ſunt nobis impoſſibiles. Et tres ultimæ, difficultates, quas in ijs experimur ordinatiè, exprimunt. Et licèt D. Auguſtinus *h*, & omnes Theologi poſt illum diſtinguant hanc Orationem in ſeptem petitiones, quarum tres primæ reſpiciant honorem Dei, quatuor verò reliquæ noſtrum ſpectent utilitatem, eò quòd in omnibus quærere debeamus honorem Dei, qui eſt finis noſter, ſicut & omnium creaturarum *i*; quique noſtram includit beatitudinem, & media illi conſequendæ congruentia, hoc tamen non impedit quin dici poſſit poſt magnos hos Doctores, ſecundam & tertiam petitiones, ad noſtras etiam utilitates conducere. Et ſecundùm hanc opinionem, licèt hæc prima petitio, *Sanctificetur nomen tuum*, directè ad Deum tendat, debemus nihilominùs meminiſſe nihil illi novi poſſe accidere, quod non habuerit ipſe ab omni æternitate, quia Deus non mutatur, *Ego enim Dominus, & non mutor k*. Sed his petimus verbis ut ipſius *ſanctificetur nomen* ſanctum in opinione hominum, ſit ut eſt ſanctum in ſeipſo ordinatiè: cùm enim ob aliud non fuerit creatus homo *l*, quàm ut ipſum cognoſcat, & tali feratur naturaliter deſiderio, in vanum videretur illud deſiderium ipſi conceſſum, niſi Deum cognoſceret; idcircò nemo invenitur ita cæcitate percuſſus, qui non habeat aliquam Dei notitiam, licèt hæc cognitio ſit maximè difficilis, & ad hanc requiratur lumen gratiæ in hoc mundo *m*, ſicut & lumen gloriæ in altero *n*. Ideò Deum nemo cognoſcit, quin Deus ſe exhibeat ipſi intuendum vel lumine naturali rationis, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine o*; & per creaturas *p*, quæ ſunt notæ bonitatis ipſius, ſicut & ſapientiæ ipſiuſmet inſignia; ſed hæc cognitio imperfecta cùm homines primorum ſæculorum confuſione repleviſſet, eò quòd *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*; utendo propria ratione, & ijs, quæ ob oculos habebant, & credendo Deum eſſe ſicut homines, in hunc errorem prolapſi ſunt ut adorarent aves, quadrupedes, atque ſerpentes, ea omnia veluti vera reputantes numina. Idcircò commotus Deus hanc ab hominum phantaſia vanitatem, notitiam ſuî per legem ſuam dedit filijs Iſraël, lumen nihilominùs tenebris, figuris *q*, & umbris obſcuratum, quod unicam duntaxat Judææ *r* regionem pervadebat: & ſic, ut hæc cognitio circumquaque diffunderetur, Deus Pater miſit ad nos Filium ſuum, ut per ejus adventum totus illuminaretur mundus, quod cum vita ſua dignatus eſt incipere, dicens ei, *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo t*, cùm collegiſſet aliquos *diſcipulos u* eo tempore quo *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt x*: Hiſque diſcipulis commiſit ut hanc notitiam per totum diffunderent mundum, ut fecerunt, & fit adhuc in perſona eorum qui ipſis ſucceſſerunt. Ut autem id, quod ita benè inceptum eſt, ſuam poſſit attingere perfectionem, poſtulamus per hanc petitionem ut Dei *ſanctificetur nomen*, hoc eſt, ut æſtimetur ſanctum ante homines, & Deus ita agnoſcatur in univerſa terra, ut nihil illo ſanctius & glorioſius cogitari poſſit. Et cùm nihil ſit quod oſtendat magis ſanctitatem Dei, quàm ſanctitas hominum, quia per ſanctitatem, quæ eſt in nobis, Deus in nobis reſidet, per hæc verba deſidera-

h D. Auguſt. Epiſt. 121. & lib. 2. de Verb. Dom. in monte.

i Prov. 16 4.

k Malach. 3. 6.

l Gen. 1. 26. & 27.

m 1. Cor. 13. 12.

n Pſ. 35. 10.

o Pſ. 4. 7.

p Rom. 1. 21. &c.

q 1. Cor. 10. 11.

r Pſ. 75. 2.

t Joan 17 6.

u Luc. 6. 13

x Baruch. 3. 38.

deramus ut ſanctum ipſius *ſanctificetur nomen* in nobis. Et quia Deus nobis ait, *Sancti eſtote,*
y Levit. 11. 44. *quia ego ſanctus ſum y*, petimus per hæc verba,
z Jo. 3. 5. ut ſicut per Baptiſmum z, & per fidem incepimus ſanctitatem, in ea progrediamur, ſicut & in juſtitia Chriſtiana per ſpem, & in ea toto vitæ noſtræ perſeveremus curriculo.

Hoc planè modo ſanctificamus & glorificamus *nomen* ejus, cùm gloria illius debeat eſſe univerſarum noſtrarum prima cogitationum, omnium actionum noſtrarum finis ultimus, & cunctarum intentionum noſtrarum objectum; & quidquid fit propter hunc finem, nullum unquam ſit ſortiturum finem; cùm hic intuitus ſit ipſum immortalitatis elementum, extra quod nihil ſubſiſtit; cùm ſit vita actionum noſtrarum, & vitæ noſtra anima, ſine qua quidquid eſt in illa ſpecioſius, reputatur ut fumus, qui ſe elevando evaneſcit, & ſe extendendo moritur. Hoc eſt propriè petere, ut omnes perfectiones, quas in Deo cognoſcere poſſumus, verè glorificentur & ſanctificentur à nobis. Sicut enim nomen eſt id, quod exteriùs cognoſcendam exhibet perſonam, ita *nomen* Dei ſumitur pro eo omni, quod nobis aliquam ingerere poteſt notitiam eorum, quæ in illo ſunt, ut bonitatis, miſericordiæ, &c. *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis a.*
a Rom. 1. 21. Inſignis condemnatio! ſi quis eum cognoſcat, illumque non ſanctificet. Hoc planè eſt renunciate omni hæreditati, quæ ab eo ſperari poteſt in æterna beatitudine *b*.

b Pſ. 15. 5 c Pſ. 118. 137. Hoc eſt verè eum ſanctificare, ſi quis illum ſanctificet in omnibus, tam in juſtitia *c* ipſius,
d Pſ. 22. 6 quàm in ipſius miſericordia *d*; tam in judiciis ipſius æquitate plenis, quàm in effectibus Divinarum miſerationum ipſius; in tentationibus *e*,
e Job. 1. 21. f Pſ. 93. 19 ſicut in ſuavitatibus *f*, cùm ſit æqualiter *Pater*, & cùm nos corripit, & cùm benignè nos excipit, in iis omnibus, quæ agit. Licèt diverſas habeat operationes, unicum tamen *nomen* nimirum Patris, ſortitur. Ita ut, quacumque percellamur adverſitate, nullum debeamus habere remedium præſentius, quàm ut ad Deum convertamur, ipſum agnoſcamus ut Patrem, intromittamus nos in amorem, quo operatur omnia, quæ ad nos ſpectant; & elevantes nos ſupra nos ipſos & ſupra ſenſus noſtros, debeamus illum benedicere & glorificare tam in effectibus Divinæ juſtitiæ, quàm in operationibus miſericordiæ ipſius, ut dicere poſſimus corde puriori & fideliori, ut gloria ipſius manifeſtetur in omnibus, & ſanctum *nomen* ejus benedicatur & glorificetur *in omnibus ſæculis g*, ſupra omnia,
g Dan. 3. 52. quæ ad nos pertinent.

Præterea, Honoramus & glorificamus Deum pro omnibus creaturis inanimatis & inſenſibilibus, pro cælo, pro terra, pro elementis, & pro iis omnibus, quæ in illis inveniuntur rationis expertia, cùm ipſæ ſint creaturæ, quæ ex ſe ipſis ſint incapaces, quæ illum honorent & glorifi-
h Rom. 8. 16. cent; & illæ ſolæ, quæ ad auguſtam filiorum *Dei h* adoptivorum conditionem ſunt evectæ, id poſſint, & à quibus hoc gratitudinis officium exigatur, & homo, qui eſt in medio earum omnium, ſit ille, qui hanc ſapientiam edoceatur. Ita ut, cum Deo hanc præſentamus ſupplicationem, *Sanctificetur nomen tuum*, poſſimus imaginari nos eſſe veluti vocem cæli, & terræ, Solis, Lunæ, & cæterorum aſtrorum, ſimul & omnium rerum viſibilium, & dicere pro omnibus & ſingulis ſummæ Dei majeſtati, ut ſacrum ipſius *ſanctificetur nomen*, honoretur, & exaltetur in æternum pro omnibus, quæ ipſe operatus eſt; ut *ſanctificetur* in hoc lumine Solis quotidiano, qui illuminat oculos noſtros, & greſſus noſtros dirigit die; ſicut & in lumine Lunæ, & aſtrorum, quæ nocte idem munus erga nos obeunt; in hac terra, quæ nos ſuſtinet, & eſt ſcabellum pedum noſtrorum; in hac aqua, quæ nos refrigerat; in hoc aëre, quem reſpiramus; in hoc igne, qui nos calefacit; in omnibus tandem creaturis, in quibus elucet potentia Creatoris. Nullus enim eſt greſſus, in quo projicientes oculos noſtros ſuper creaturas, & ſuper earum formas & pulchritudines, non poſſimus adverſus cælum cogitationem noſtram elevare, & dicere præ amore filiali: Hæc omnia ad Patrem meum pertinent cæleſtem, idcircò *ſanctificetur nomen* ejus. Ultrà quòd magna animæ noſtræ gloria comparatur, quoties huic glorificationi Patri cæleſti reddendæ ex animo ſe applicat. Hæc eſt ſumma gratiarum actio pro ſingulis beneficiis, quibus nos cumulat ſumma ipſius bonitas, ut ad ipſum hanc dirigamus petitionem. Hoc eſt liberè & voluntariè nos ſpoliare noſtris omnibus commodis, ipſum intuentes ſupra omnia, cùm ei dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Non dixit, Glorificetur, ſed potiùs, *Sanctificetur nomen tuum*, modum verbo hoc exprimens ſpecialem, quo debeamus eum glorificare, proprium duntaxat creaturis ratione præditis; & convenientem iis præcipuè & in particulari, qui gloriantur inſigni titulo filiorum ejus, hoc eſt, per ipſorum ſanctificationem, vivendo in ſanctitate tali Patre digna, & enitendo magnos facere progreſſus in juſtitia Chriſtiana, adminiculante ſpe, in exercitio bonorum operum, ut modò dicebam vobis. Ubi obſervare debetis ſanctitatem duo includere; Primum, puritatem vitæ integræ, & ſemotæ ab eo omni, quod natura corrupta poteſt nobis ſuggerere: Secundum verò, adhæſionem principio totius puritatis ſpiritualis, quod eſt Deus; ita ut illi hoc ſacrum non ſanctificent *nomen*, qui ſenſibus ſuis & pravis habitibus ha- i Rom. 1. 28.
benas laxant, *ut faciant ea quæ non conveniunt i*; delentes diebus ſingulis characteres hujus nominis ſacri animabus noſtris inditi, cùm facti fuerimus *ad imaginem Dei, & ſimilitudinem k*, ra- k Gen. 9. 6. & 1. 27
tione cujus nihil aliud debemus agere, imò verò vel ipſam felicitatem noſtram intueri, conari *eum in ſpiritu & veritate*, ſicut par eſt, & ipſe meretur, glorificare & *adorare l*; cùm nihil ſit a- l Jo. 4. 24
liud, quod poſſit eripere nobis hanc excellentiam, præter peccatum, quod ſolum poteſt hoc ſanctum nomen obſcurare, & quod efficit ut imaginem hanc peccatis & ſceleribus noſtris ex anima noſtra deletam Deus non poſſit renovare toto tempore, quo peccati labe inquinati fuerimus; & in hoc ſtatu infelici non poſſumus experiri effectus Orationis, quam Chriſtus ad Patrem ſuum dirigit pro nobis; *Pro eis ego ſanctifico meipſum; ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate m.* Cùm non poſſimus eum ſanctifi- m Jo. 17. 19.
care, inquantùm inimici ejus, putà criminibus obnoxii.

Et ratio iſtius eſt, Quia cùm inveniantur tria genera perſonarum, in quibus hoc ſacrum Dei *nomen* non ſanctificatur, nimirum in damnatis, in infidelibus, & in malis Chriſtianis; Filius Dei docet nos petitionem hanc in Oratione,

quam præcipit nobis ut offeramus Patri ſuo; & ori noſtro imponit hoc verbum, ut excitet noſtra corda, ſi ſimus in charitate, & veri ipſius filij per adoptionem, per gratiam, & per juſtitiam, ad expugnandas deteſtabiles *blaſphemias* †, quibus damnati in infernis impetunt eum, qui ipſos caſtigat in juſtitia, & punit *in æquitate & in veritate ſuâ u.* Quis enim eſt Chriſtianus, qui conatur progreſſus facere in ſanctitate & juſtitia Chriſtiana, qui rabiem & furorem infœlicium iſtorum reproborum conſiderans, non ſe zelo animatum ſentiat, ut ſuppleat, quantùm ipſi poſſibile eſt, ex parte ſua id, quod impij illi debent Deo, & in æternum deberent pro tot beneficijs & gratijs ab eo ſuſceptis, & quod nunquam exhibebunt, & benedicat illum in æternum, cùm ſcelerati illi furoribus agitabuntur ſempiternis? Fœlix & ſalutare ſupplementum, quod ſibi rapiet coronam illis deſtinatam, ſi benè vixiſſent, ut ſuæ detur incrementum! Cor verè filiale; quod vehementi ſuccenſum amore ac flammis ſacræ dilectionis, tot benedictiones circum cœlum ſuſpirabit, quot flammæ æternæ producunt maledictiones!

† Apoc. 13. 5. & 6.
u Pſ. 55. 13.

Quis enim filius qui non nitatur amore filiali honorem patris depreſſum relevare, quantùm ipſi poſſibile eſt, & qui auditis injurijs & contumelijs adversùs eum vibratis, non reſpondeat per glorias & benedictiones? Cùm igitur Deus nos huc inſigni ſit proſecutus honore, & ſpeciali hac decoraverit nos prærogativa, ut nos conſtituerit in numero filiorum per gratiam ſuam adoptatorum, ut ſimus *hæredes* gloriæ cœleſtis, & *cohæredes Chriſti* * Jeſu Filij ipſius unici Domini noſtri, debemus nos vires noſtras omnes inſumere, ut, quantùm in nobis erit, promoveamus, vel ſaltem manifeſtemus gloriam ipſius; imò verò diſcere ab inferno aſſiduum laborem, amorem, & zelum qui ad gloriam ipſi procurandam, ſeu ad honorem ipſius propalandum ſunt adhibendi. Sic gloria Dei principium noſtræ præbet orationi. Æquum enim eſt ut qui orationem ſuam ad Deum dirigit, petat primò gloriam Patris cœleſtis, & laus ipſius præcedat aliam quamcumque rem; poſteà propriæ invigilet utilitati, quæ eſt fructus paradiſi, per hæc verba, *Adveniat Regnum tuum*, quæ ſecundæ meæ parti materiam ſubminiſtrabunt.

* Rom. 8. 17.

II. Pars. Tria ſunt genera Regnorum Dei, in nobis, in Eccleſiâ, & in cœlo; vel potiùs, eſt ſolum & unicum Regnum, quod initium ſuum deſumit in quâlibet animarum noſtrarum, extenſionem & progreſſum in conſortiu Sanctorum, & perfectionem ſuam in gloriâ. Sed quomodo poſſumus petere ut hoc *adveniat Regnum* Dei, cùm ſit ab æterno *o*, & nunquam inceperit, & ſit æternum, cùm ſit ipſius Dei Regnum, &, ut ait Boëtius *p*, ſit *æternitas interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*? Hoc poteſt intelligi tribus modis: nam ſicut videmus Reges pollere jure præcipiendi, & nihilominùs advertimus omnes vaſſallos non reddere eis perſæpè omnes obedientias debitas, idem planè dicendum eſt de Deo intuitu noſtrî in hâc vitâ. Nam licèt Deus ſit *Dominus omnium q*, & Jeſus Chriſtus etiam, quatenus eſt Deus & homo ſimul; peccatores & Juſti nihilominùs non ſunt illi integrè ſubditi, & ſic *Regnum* ipſius nondum advenit. Proptereà debemus inde deſiderare ut *adveniat*, hoc eſt, ut Juſti omnino convertantur, & peccatores obſtinati puniantur; quod non poteſt fieri niſi extremo univerſalis judicij die, quando is *qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum r*, diſcretionem faciet operum omnium & ſingulorum hominum, & *reddet unicuique ſecundùm opera ejus s*. Poſtulantes igitur adventum hujus Regni in nos, petimus ut omnes motus & affectus animæ noſtræ, Divinæ Voluntatis beneplacito ſubjiciantur, cùm Deus non poſſit perfectè regnare ibi, ubi non habeat abſolutam authoritatem. Ille verò petit à Deo ſanctificationem, nolens ut *adveniat Regnum* ipſius, qui dividit cor ſuum, qui eodem amore Deum vult amplecti & mundum, qui ſimul vult conjungere cœlum & terram, indui Deo, non ſpolians ſemetipſo. Quò *Regnum* Dei advenit, ibi deſtruit omne aliud regnum; non poteſt pati ſocium ſine injuſtitiâ; nec injuſtitiam, quin deſerat eum, qui fecit illud, ut non regnet in ipſo. Qualem autem ſufficientiam poſſumus nos invenire extra ipſum? Omnes creaturæ ſunt veluti ciſternæ diſſipatæ, *quæ continere non valent aquas t*, quæ corda noſtra ſemper arida deſerunt, quoties in ijs ſuam ſitim concupiſcunt extinguere. Et ſicut Deus eſt unicus & ſolus amor noſtri cordis, ſicut eſt ſolum & unicum ejus *bonum u*; ſic præcipit nobis ut ab ipſo petamus, ut *adveniat regnum* ipſius in corda noſtra, ut ibi deſtruat omnem motum pravum, & affectum extraneum, ita ut dicere poſſimus cum Prophetâ *x*. *Diem hominis non deſideravi*, nec ſplendorem pomparum hujus ſæculi: Vel cum Salvatore, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium y*; *Regnum meum non eſt de hoc mundo z*, ut *adveniat Regnum* ipſius in animas noſtras, ut in eis conſtituat pacem; & annihilationem noſtri ipſorum, humilitatem, & perfectam ſubmiſſionem exactæ obedientiæ producat.

o Dan. 7. 14. & 27.
p Boet. l. 5. de Cōſolat. Philoſ. proſâ 6.
q Eſth. 13 11.
r Act. 10. 42.
s Rom. 2. 6.
t Jer. 2. 13.
u Exod. 33. 19.
x Jer. 17. 16.
y 1 Tim. 6 15. & Apoc. 19. 16.
z Joan. 18. 36.

Prætereà, Poſſumus inde petere à Deo, ut infœlix peccati regnum, ad quod cum tanta properamus ſolicitudine, nos deſerat *a*; & ut *Regnum* gratiæ nobis detur, hoc eſt, ut magis ac magis inclinemur ad obſervantiam Divinorum mandatorum inviolatè ſatagendam, & ad præbendam ipſis obedientiam conſummatam, quàm ut reddamus nos captivos dæmonis per pravos ſenſus & affectus noſtros immoderatos, per cogitationes noſtri *cordis*, quæ omnia *in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ b* noſtrâ. Sic quandiu numerus Electorum non erit perfectus, *Regnum* Dei non poteſt eſſe conſummatum: idcircò adhuc ſæcula perſeverant. Cùm Deus ſit Oceanus immenſus infinitarum perfectionum *c*, quæ ratio ut quis velit ipſum in unicum reducere ſubjectum? Ideò ſecundùm varietatem infinitarum harum perfectionum, ſaltem juxta noſtrum concipiendi modum, deſtinavit eas communicare diverſimodè infinitis Prædeſtinatorum millibus, ut regnet in ſingulis eorum, & conſtituat *Regnum* ſuum in medio eorum omnium. Nullum eſt Regnum ſine ingenti numero miniſtrorum, in diverſis munijs conformibus qualitati, quam poſſident, occupatorum: *Regnum* Dei conſiſtit in hoc magno numero, in iſtâ multitudine Sanctorum, qui in Eccleſiâ ipſius, gratijs differunt & meritis. Cùm igitur

a Rom. 6. 12.
b Gen. 8. 21.
c Baruch 3 25.

igitur petimus ut *adveniat Regnum* Dei, teſtamur nos deſiderare & poſtulare ut hic compleatur numerus, ut hoc *Regnum* conſummetur in univerſis hominum cordibus, ut mundus repleatur totus cognitione ipſius, Eccleſia ſanctitate & juſtitiâ Chriſtianâ, & omnes fideles perficiantur charitate, ut illuminandorum tempus infidelium, & annihilandarum omnium hæreſeon fœliciter noſtris adveniat diebus; ut ipſius *adveniat Regnum* in omnes ſtatus, & in omnes conditiones, ut ipſis gratias magis communicet neceſſarias ad ipſum glorificandum. Eximiam Dei charitatem, quæ vult ut objectum amoris ipſius ubique regnet! Ipſa in illo regnat, & ſibi propria efficit omnia commoda, quæ Deus alicui contulit. Invidiam Regno Dei indignam, quæ bonitati ipſius, gloriæque ejus velit præſcribere limites, & *Regnum* ipſius in ſtrictiſſimo cordis maligni ſpatio concludere! Hoc eſt profectò quod debemus à Deo petere, ut *Regnum* ipſius repleat omnes animas noſtras, & ut id, quod noſtra præ ſe ferre non poteſt inſufficientia ut ipſum glorificet, ſuppleatur ab iis, qui meritis infinito nos antecedunt modo. Gloria nobis ex eo proveniet, ſi prætereà procuremus ut *Regnum* hoc ubique ſtabiliatur, inquantùm erit in nobis; & ſi ab eo hanc expoſtulemus gratiam: & ſic petemus ab illo ut *adveniat Regnum* ipſius.

Deinde, Sicut præcipuæ pugnæ contra Dæmones *d*, & adversùs mortem *e* datæ ſunt & reportatæ à Christo Domino, ſed perfectus earum triumphus differtur; ita relinquit adhuc debiles aliquas vires hoſtibus ſuis, & aliquas reliquias ipſorum inter ſuos, veluti notas & inſignia victoriarum ſuarum, ut ipſe dicebat ſuis, *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum f.* Mundum vicit, ſed memoriam illius nondum extinxit; vires dæmonum confregit, ſed illos nondum in ipſorum relegavit locum; mortis aculeum diruptit, ſed nondum illius delevit imagines. Veniet tandem dies, cùm ultimam imponet conſummationem Regno ſuo in gloriâ, ubi ne vel minima hoſtium umbra ampliùs videbitur inter ipſius ſubditos *g*. Sed quandonam ventura eſt hæc dies fortunata? quandonam acceſſurum eſt hoc *Regnum*, in beatitudine conſummandum? Si ille, qui non deſiderat hoc *Regnum*, nec ad illud aſpirat, ipſum ſanè non merebitur; quid non petimus ſine intermiſſione ex totis cordis noſtri viribus ut *adveniat Regnum* ipſius? Qui fieri poteſt ut quis adhæreat huic ſæculo belli continui, inter hoſtes converſetur implacabiles in furoribus ſuis, & eorum ſubjaceat inſultationibus, cùm videat à longè *Regnum* hoc libertatis, quod Deus nobis offert? Poſſibilene eſt ut petamus aliud ab ipſius bonitate, præterquàm quòd corda noſtra à terra diſtrahat, & ut *adveniat Regnum* ipſius?

d 1. Joan. 3. 8.
e Oſee 13. 14.
f Joan. 16. 33.
g Apoc. 21. 4.

Eſt igitur hoc præcipuum *Regnum*, quod his poſtulamus verbis, nimirum *Regnum* gloriæ, in illud ſiquidem tendere debent omnes ſpes noſtræ, & deſideria noſtra ad ipſum aſpirare univerſa, ut ibi tandem ſiſtant. Non loquor de Regno generali, quod ſibi Deus vendicat ſuper omnes creaturas, de quo loquitur eidem Deo David *h*, *Regnum tuum Regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione*: quod poteſt conſtituere quartum Regnum Dei, aut primum ex quatuor enumeratis hic, ut ait Cornelius *i*, explicans hanc petitionem; ſed de Regno gloriæ. Si verò hic Doctor aſſerat poſt D. Auguſtinum, ut dicebam vobis in principio, tres primas petitiones Orationis Dominicæ reſpicere directè honorem Dei, non autem gloriam noſtram, niſi per ſequelam neceſſariam; *Hæ tres petitiones per ſe & directè tantùm Dei honorem ſpectant* (ut adhibeam proprios terminos ejuſdem Interpretis Cornelij à Lapide jam citati) Hoc coincidit ad illud, quod jam dixi modò, nos petere ut *adveniat Regnum* Dei propter noſtram utilitatem. *Inde tamen conſequenter poſtulamus, ut citò ex hoc mundo, veluti è gravi peregrinatione, & periculosâ militiâ transferamur ad Regnum gloriæ & fœlicitatis æternæ, ut cum Chriſto, & Sanctis ejus in æternum regnemus.* Eſt igitur hoc *Regnum* quod debemus petere tot titulis, quos longius eſſet vobis univerſos recenſere, & explicare: ibi enim juſtitia, id eſt, omnis ſanctitas decore ſuo illuſtratur. In terra Boni cum impiis paſſim admiſti ſunt, ſed in illo Regno nullus poteſt peccator inveniri. Ibi invenitur libertas in ſua origine: & ſicut illud habemus proprium & ſpeciale ex natura noſtra, ut vivamus in ſumma libertate, ubinam poſſumus eam meliùs deſiderare, aut poſſidere, quàm ibi, ubi omnes incolæ ſunt reges eo modo quo ille, qui ibi præcipit? *Feciſti nos Deo noſtro regnum k.* Deus enim planè regnabit in nobis, & nos regnabimus in Deo. Omnes Beati cùm in eandem cum Deo voluntatem concurrant, & voluntas ipſorum ſit Voluntati Divinæ conformis, oportet ut ipſi perfecta potiantur libertate. Hoc tandem *Regnum* eſt deſiderabile propter abundantiam omnium rerum: perſæpè enim in terra divitias concupiſcimus, nec eas poſſumus obtinere; aliàs voluptates deſideramus, & illæ nos ſatiant; aliquando honores ambimus & aucupamur, & ipſi nihil ſunt; ibi autem totum deſiderium noſtrum erit completum, *Qui replet in bonis deſiderium tuum l.* Habebimus enim illum, qui eſt officina omnium bonorum, quippe qui ſit *omne Bonum m.* Deſideria igitur omnia poſſidendorum quorumlibet terrenorum remineantur in nobis, pereant hæc omnia in cordibus noſtris, vel ſola memoria & ſpe infallibili bonorum ipſius infinitorum, quæ noſtris limites imponant votis. Nam anima quæ ſe elongat à Deo, quærit extra Deum id, quod ipſa non poteſt invenire niſi in tumultu & confuſione rerum temporanearum, quoadusque revertatur ipſa ad eum, qui eſt *principium & finis n*, cumulus & perfectio illius omnis, quod in gloria poſſumus poſſidere ad delicias uſque ineffabiles.

h Pſ. 144. 13.
i Corn. in Matth. 6. 10.
k Apoc. 5. 10.
l Pſ. 102. 5.
m Exod. 33. 19.
n Apoc. 1. 8.

Sed cur etiam vult Deus ut petamus adventum Regni ſui? Ratio iſtus eſt, Quia ille cujus adventus non dependet niſi ab ipſius potentia, cujus *Regnum* non conſtituitur, non extenditur, & non conſervatur niſi in propria virtute, noſtram devotionem petit, noſtra deſideria requirit, & noſtra etiam vota exigit, ut ad hoc concurrant. Videtur autem ipſe, audita hac petitione, quam nos ipſemet docet, maximè noſtri indigere, ut regnet, quaſi verò ſupplicationibus noſtris ſtabilienda foret ipſius corona. Hoc profectò ipſius non cedit utilitati, ſed in noſtrum vergit commodum. Cùm ab eo petimus ut *adveniat Regnum* ipſius, illud in nobis ſtabilimus. Deſiderantes ut regnet Deus,

cum illo regnare tunc temporis merentur. Orantes pro adventu imperij illius, ipſum comparamus nobis. Eximiam liberalitatem! Non poſſumus concurrere niſi deſiderijs & votis; & veluti ſi nos illud fuiſſemus adepti, vult illud ille nobis integrum titulo mercedis abundè reſtituere.

Videtur quòd in iſtâ petitione, quam Deo præſentamus, cùm ei dicimus, ut *adveniat Regnum* ſuum, omnia ſint pro illo, & pro ejus gloriâ, nihil autem detur, quod poſſit utilitati noſtræ & commodis noſtris inſervire: ſed Divina ejus bonitas, quæ eſt magnifica, & cui proprium eſt ut ſe diffundat infinitè; quia *Bonum eſt diffuſivum ſui o*, ſicut ipſa eſt infinita *p* æquè ac ejus eſſentia, efficit ut omnia in manus noſtras incidant commoda. Fœlicem oblivionem, quam creatura ſuî facit, petens adventum Regni Dei, cùm ipſa ſuper ſe trahat plenitudinem memoriæ Dei! (ſi memoria in Deo ſit admittenda.) Quàm fœlix eſt ille, qui ante omnia, & pro omnibus quærit *Regnum Dei, & juſtitiam ejus*; cùm hoc ſit ipſi omnium rerum acquiſitio, *& hæc omnia adjicientur* † ei! Quoties enim cum affectu hæc verba Deo proferemus; *Adveniat Regnum tuum*, tot diſponentur nobis gradus, per quos ad excelſum illius nos elevabimus thronum. Quid ampliùs igitur agere poſſumus *ſervi inutiles q*, quàm ut conſummemus vota & deſiderija noſtra, & ut corda noſtra ſuî oblita, ſicut & eorum omnium, quæ utilitates noſtras ſpectant ac noſtra commoda, rei nullius reminiſcantur, niſi gloriæ Dei, nihil aliud reſpirent præter *Regnum* cœleſte, non ſicut ipſorum, ſed ſicut illius; ut ipſorum utilitates & commoda ad nihilum omninò redigantur, cùm ita copioſè in gloriâ Dei compenſentur?

o D. Dio. lib. de Divin. Nom. c. 4

p Baruch 3. 25.

† Matth. 6. 33.

q Luc. 17. 10.

Non poſtulamus hac petitione, ut *Regnum* Dei ſtabiliatur. Nequaquam: ſed duntaxat ut veniat, *Adveniat Regnum tuum*. Hoc eſt, ut evidenter appareat ac manifeſtetur. Jeſus Chriſtus, etiamſi eſſet ante Pilatum, qui erat Judex ipſius, eò quòd damnatus eſſet (licèt præ maxima injuſtitia) ad mortem omnium maximè infamem & ignominioſam æquè ac crudelem *r*, ut ſcilicet patibulo doloris & opprobrij ſuffigeretur; nò deſivit proptereà eſſe *Rex*, & ut talis declarari ab ipſomet Judice, qui ſententiam, contra ipſius innocentiam, definitivam tulit. Regnat Deus invitis malitia & conatibus omnium inimicorum ſuorum. Attamen quandiu *hora* impiorum fluit, *& poteſtas tenebrarum s* perſeverat in mundo, Regnum ipſius eſt abſconditum, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt t*. Qui operantur, & regnant faventibus tenebris, de quibus dicitur, *Omnis qui malè agit, odit lucem u*, non poſſunt dicere Deo ex toto ſuo corde, ut *adveniat Regnum* ipſius, cùm ſit regnum luminis, tenebris & obſcuritatibus abſconditum.

r Joan. 19. 16. &c.

s Luc. 22. 53.

t Joan. 1. 5.

u Joan. 3. 20.

Sed quandiu *regnum* Dei eſt abſconditum, poſſibilene erit ut velimus revelari & videri? Jucundam ſolitudinem, in qua regnat Rex cordium! Amabiles tenebras; quæ repræſentant nobis Regem noſtrum in vita ipſius abſcondita *x*, & in ſtatu præſenti Regni ipſius! Vitam obſcuram oculis Dei magis ſplendentem, quàm omnes mundi vanitates! Hæc docet nos regnare, per contemptum cujuſlibet alius regni, ſecluſo illo, quod petimus à Deo, cùm ei dicimus, ut *adveniat Regnum* ipſius. Hæc nullos format ambitus, nec ulla conſilia, nec aliqua deſideria; nec carioribus potitur alloquijs, quàm cùm cogitationes ſuas convertit ad veritates Regni, quod debet advenire. Hæc cordibus noſtris vires addit, animoſque noſtras adventum Domini præſtolantes confirmat, quoadúſque *adveniat Regnum* ipſius; ipſa illud dicit, ipſa hæc pronunciat verba, nunquam fatigata, præ amore, non præ impatientia. Faxit Deus ut vita noſtra ſit abſcondita in vita ipſius, ut gloria noſtra obveletur gloria ipſius, & regnum noſtrum in Regno ipſius in æternum includatur, ne impoſterùm gaudeamus ſplendoribus his, qui diſſipantur, ne nobis complaceamus, ſervientes poteſtatibus *tenebrarum*; ſed ea re duntaxat contenti ſimus, ſi renunciantes vanitati, ſtudeamus placere Divinæ Majeſtati, cujus mereamur intuitus nobis aciſcere. Et hæc ſit tota incolatus noſtri conſolatio, magnitudo, & gloria in his verbis ſicut in illarum ſemine, cùm dicimus Deo, *Adveniat Regnum tuum*.

x Isai. 45. 15.

Dicimus etiam ut *adveniat Regnum* Dei, quia oportet ut illud veniat ad nos: non enim Deum ipſum poſſumus adire: oportet ergo ut veniat ille in hunc mundum, ſed aliunde quàm è mundo, ne regnet ſecundùm leges, quæ ſunt in mundo, & quæ utplurimùm ſanctitati & juſtitiæ Chriſtianæ adverſantur, & plurimùm ei officiunt. Quale regnum, quæſo, poteſt eſſe ibi, ubi maxima eſt ſubditorum vexatio? Dæmon non regnat, ſed tyrannidem exercet. Caro non regnat, ipſa nos *aggravat y*. Mundus non regnat, imò nos opprimit. Mors non regnat, ipſa nos deſtruit *z*. Peccatum non regnat, ſed nos lacerat. Quòcumque oculos intendamus, ubique videmus oppreſſiones, & nullum penitus ſolatium. Deus bone! Qualem neceſſitatem præ nobis ferimus, ut in profunditate miſeriarum, in quas nos intuemur redactos, ad te clamemus, ut *adveniat Regnum tuum*. Hæc eſt profectò conſolatio omnium maxima earum, quas in noſtris percipere poſſimus anguſtijs, ut *adveniat Regnum* ipſius: Hoc ſanè nos in perfectam evehit liberationem, ut dicamus Deo Patri noſtro unico, *Adveniat Regnum tuum*. Si diabolus ſuis nos inſectetur tentationibus, ſi caro inſurgat adverſùs animam noſtram, ſi mundus nos laceſſat inſidijs atque proditionibus, quis impedire nos poſſit ne cum affectu queramur apud Patrem noſtrum cœleſtem: Uſquequò non dabis integram conſummationem ſanctæ huic petitioni, quam filij tui quotidie ad te dirigunt tædio affecti, videntes impios ſuper ipſos prævaluiſſe, dicentes tibi ut ipſis *adveniat Regnum tuum*, in hoc mundo per tuam gratiam, & in altero per gloriam ſempiternam à te ipſis indulgendum?

y Sap. 9. 15.

z Gen. 19.

* * *

IN OCTA-

IN OCTAVA IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit univerſo mundo. Eccleſia.

GAudium quod capeſſi ſolet in nativitate alicujus, attenditur ordinariè ſecundùm qualitatem ejus qui naſcitur, & ſecundùm favores qui expectari poſſunt ab eo: v. g. Si petatis à me quare fiunt tot pompæ & magnificentiæ in nativitate alicujus Principis, aut Delphini Franciæ; qui debet aliquando præ manu ſceptrum habere, coronam in capite Regiam gerere, & indui purpurâ ut legitimus ſucceſſor ſtatuum patris ſui. Reſpondeo vobis hanc lætitiam univerſalem totius Regni provenire ex qualitate & magnitudine perſonæ naſcentis, & ex favoribus ſingularibus, quos Regnum expectat ſe ſuſcepturum à bonitate & è protectione ejus: atqui Eccleſia ſancta in Conceptione B. Virginis hæc lætitiæ verba ei concinit, *Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo.* Sanè ratio quæ eam excitat ad iſtum ſuavem cantum, debet eſſe qualitas perſonæ Mariæ, & intuitus beneficiorum, quæ unuſquiſque ſperat ſe ſuſcepturum ab hâc ſanctâ puellâ. Cùm ergo res graviſſimi ſit momenti, non ampliùs immorabor ad oſtendendam vobis Primò qualitatem illius excellentem: Secundò ad monſtrandos vobis favores qui expectari poſſunt interventu ejus, quàm opus fuerit temporis ad præſentandam ei ſalutationem Angelicam, *Ave Maria.*

Diviſio.

I. Pars.

Non poſſum meliùs extollere qualitatem excellentem Mariæ, nec majora tribuere ei elogia, quàm dicendo, quòd hodie concipitur cum titulo & qualitate Matris Dei, repleta & nobilitata omnibus gratiis, & omnibus prærogativis, quarum ſuſcipiendarum poteſt eſſe capax pura creatura, *Nata eſt nobis hodie Mater nova*, ait Guerricus *a*, loquens de nativitate ejus. Hìc autem videre poſſumus differentiam, quæ eſt inter B. Virginem & cæteras filias Adæ, quòd iſtæ concipiuntur ut filiæ, ſed B. Virgo concipitur ut Mater Dei, quæ qualitas eſt titulus omnium magnitudinum ejus, cùm titulus iſte ſignificet Matrem omnium gratiarum, Genitricem Authoris gratiæ, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt b.* Quæ influere debet in nos aliquando numero abſque numero gratiarum & benedictionem, qui titulus, ſeu quæ qualitas dicit magis quàm concipere omnes mentes Angelorum, & univerſæ linguæ hominum enumerare poſſint ad extollendas magnitudines ejus. Sed quare datur illi titulus iſte potius quàm alius? Ratio iſtius eſt, quia non eſt alter eo nobilior, titulus eſſe debet quaſi Sol totius operis, *Titulus quaſi Titan.* Titulus autem iſte Matris Dei, magnificat & extollit omnes magnitudines Mariæ, quæ nihil eſt, & nihil habet niſi interventu iſtius tituli, & ſupereminentis hujus qualitatis.

a Guerric. ſerm. 1. de Nativit. B. M. V.

b Joan. 1. 17.

Huic veritati conciliat Salomon e authoritatem, cùm illam ſic introducit loquentem, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequàm terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, &c.* Quæ verba licèt literaliter dicantur de ſapientiâ incarnatâ, tamen à Doctoribus & ab Eccleſiâ applicantur B. Virgini; unde dicit Salazar *d*, *Suprà monuimus, nomine viarum Dei creaturas ſignificari ſecundùm illud Job e. Ipſe principium viarum Dei. Et juxta eam ſignificationem locum iſtum de Chriſto Domino expoſuimus. Reliquum eſt ut ſecundùm eandem Virgini quoque accommodemus. Dominus, inquit, poſſedit me in initio viarum ſuarum. Sanè illud verbum, poſſedit, ad mentem Divinam referendum eſt, ut ſenſus ſit, Tunc cùm res moliri, mundū ſcilicet, atque omnes creaturas condere orſus eſt, me ſanè poſſedit, id eſt, mente concepit, atque præſentem contemplatus eſt. Sed quorſum, inquies, Deus mundum conditurus in Mariam inſpexit? Occurram libenter ratione. Deus mundum, & creaturas moliri aggreſſus, Mariam mente volvebat, quia ſcilicet jam tunc in creaturis cogitatione ſollicitâ veſtigabat, quid in unaquaque excelleret, ut omnibus creaturarum omnium præſtantiſſimis facultatibus & excellentiis Mariam unam cumularet: ſicque evaderet, nova, non fabuloſa Pandora ex cunctis creaturarum omnium perfectionibus conflata. Ad id ſpectaſſe crediderim D. Epiphanium in ſermone de Laudibus Virginis, ubi Mariam, cœli terræque myſterium appellavit. Quia nimirum quidquid cœlum, vel terra cohibet boni, & perfecti, id totum compendio quodam mirabili collegit in Mariam.* Sed expendamus, ſi placet, hæc verba, quæ exprimunt & antiquitatem ejus, & Conceptionem illius. *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram.* Quid ſignificant iſta verba? Moyſes *f* vocat abyſſum id omne quod erat in creatione tenebris opertum, *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Unde educta ſunt elementa, & cæteræ creaturæ, ſed homo præcipuè, *Omnis homo licèt ſanctus, licèt juſtus, licèt in multis proficiens, abyſſus eſt. & abyſſum invocat*, ait D. Auguſtinus *g*. Quis ſcrutari poteſt cor humanum, & intimas ejus pervadere cogitationes? *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud h?* Sanè abyſſus eſt, & ſecundum ſenſum iſtum B. Virgo concepta erat ante abyſſos, *Id eſt*, (ut exponit Salazar *i*, qui eam introducit ſic loquentem) *Ad partum inſtabam, urgebamque. Quaſi dicat, Tunc cùm aliæ creaturæ haud ſtimulabant Dei mentem, ut illas crearet, jam ego creaturarum omnium eximia pulchritudine meâ urgebam, ut me ab æterno conceptam, pareret, formaretque. Quapropter ut conditioni meæ tempus idoneum accommodaret, molitionem mundi multis ſæculis antevertit.* Secundam interpretationem, quæ exprimit, & antiquitatem ejus, & Conceptionem illius, deſumo ex præfato D. Auguſtino *k*, qui per abyſſos intelligit peccata, cùm ait, *Sed ſi malè hic vixerint homines, abyſſus abyſſum invocat, quia de pœnâ in pœnam tranſeunt, & de profunditate ad profunditatem, & de ſupplicio ad ſupplicium, & de ardore cupiditatis ad flammas gehennarum.* Et ſecundum intelligentiam iſtam dicere; quòd B. Virgo concepta eſt ante abyſſos, idem eſt ac aſſerere, quòd concepta eſt ante peccatum, quod fatemur per celebrationem Conceptionis ejus Immaculatæ, cùm deberet eſſe Mater Dei, qui eſt Puritas per eſſentiam, *Sanctus ſanctorum l.*

c Prov. 8. 22. &c.

d Salazar in Prov. 8. 22. expoſit. 2. de Virg. Deip. n. 160. & 162

e Job. 40 14.

f Gen. 1. 2. &c.

g D. Aug. in Pſ. 41. 8

h Jer. 17. 9.

i Salaz. in Prov. 8. 24 de Virg. Deip. n. 317.

k D. Aug. in Pſ. 41. 8.

l Dan. 9. 24.

Propte-

Proptereà fuit ipſa ante Conceptionem ſuam deſignata ut futura Dei Genitrix, ſicut D. Bernardus *m* nobis eam repræſentat *ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, à Patribus præſignatam, à Prophetis promiſſam.* Et ſtatim ſubdit, *Scrutare Scripturas, & proba quæ dico. Quid rubus ille quondam Moſaicus portendebat, flammas quidem emittens, ſed non ardens n, niſi Mariam parientem, & dolorem non ſentientem? Quid rogo, virga Aaron florida, nec humectata o, niſi ipſam concipientem, quamvis virum non cognoſcentem †? Hujus magni miraculi majus myſterium Iſaias p edisſerit, dicens, Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Virgam Virginem; florem, Virginis partum intelligens.* Ubi eſt obſervandum, quòd hæc ſupereminens dignitas Matris Dei non deſumit fundamentum ſuum ab executione operis, ſed ſuam trahit originem è meritis glorioſæ Virginis, ſicut ipſius Filius vocatus eſt Jeſus, *Vocabis nomen ejus Jeſum.* Quod ſignificat Salvatorem & Redemptorē, *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum q.* Si autem miremini pro eo quòd, antequam generis humani redemptionem peragat, imponatur illi nomen iſtud; dicetur vobis, quòd non eſt attendenda operis executio; ſed cauſa illius deſumitur ex dignitate & magnitudine meritorum ejus. Et hoc eſt quòd D. Joannes *r* voluit nobis innuere, cùm repræſentavit nobis Dei Filium exeuntem è cœlo cum intentione expugnandorum ſuorū omnium potentium inimicorum, quiboſcum erat decertaturus in mundo: & tamen Pater æternus tribuit ei coronam antequàm acciperet bravîum victoriæ. Ratio hujus eſt, quia non attendebat certamen actuale, & executionem operis, ſed ſolùm conſiderabat quòd victoria eſſet certa, propter merita Filij ſui, *Et data eſt ei corona. & exivit vincens ut vinceret.* Seu, ut ait Dionyſius Carthuſianus *s*, *Et data eſt ei, videlicet Chriſto ſecundum quòd homo eſt, à Deo, ſeu à totâ Trinitate corona, id eſt, dignitas Regia, poteſtas dominativa, beatitudo completa. Et exivit à Patre, & venit in mundum t. Exivit itaque vincens diabolum ſuâ profundiſſimâ humilitate, mundum ſuâ paupertate, carnem ſuâ caſtimoniâ, ut vinceret: nam adverſarios ſuos ſuæ poteſtati ſubjecit, quoſdam convertendo ad fidem & obedientiam, alios deſerendo & abjiciendo damnationi per propria æquitatis ſententiam. Propter quod ait Propheta, Sagitta tua acuta (populi ſub te cadent) in corda inimicorum Regis u. Et item, Dominare in medio inimicorum tuorum x.* Ratiocinemur eodem modo de B. Virgine, & dicamus quòd cùm Guerricus, ut ſuprà, ait, loquens de nativitate ejus, *Nata eſt nobis hodie Mater nova,* dicere poſſumus & nos poſt illum, quòd ipſa concipitur hodie ſub qualitate Matris Dei, & quòd non debemus attendere factum & executionem operis Incarnationis, ſed conſiderare merita ejuſdem B. Virginis ita magna & ſublimia ut eam dignam redderent hac ſublimi qualitate, quandiu ipſa erat in viſceribus matris ſuæ D. Annæ, in quibus hodie concipitur.

Et hoc eſt quod innuere videtur Salazar † ſuper præfata verba Salomonis, loquens de eximijs Mariæ meritis, *Cæterùm ut ſingulas partes de Virgine expendamus. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant. Poſſunt quidem iſta verba, ſecundùm Hugonis interpretationem, de Virgine expendi, ita ſcilicet ut ante abyſſos concepta dicatur, id eſt, ab Annâ parente ſuâ concipi præcognita à Deo. Sed quid ſibi vult hoc? Subjicio, Mariæ Conceptio ex Matre Annâ ante abyſſos, & fontes à Deo prævìſa dicitur, hoc eſt mente, ac judicio Dei, abyſſis, ac fontibus antepoſita: nam cùm magnos, ac minores fontes imitetur, perennitate, ac claritate eoſdem ſuperat. Nam ſicut in fontibus accidit, ut quò propius ad caput venitur, eò puriores, ac clariores ſint aquæ: ſic planè accidit in Maria. Cùm enim vulgò alij homines, etiamſi aliàs valdè impuri non ſint, nihilominùs tamen cùm ad eorum originem, caputque redimus, ſordidi, atque impuri apparent ob radicis culpam, & ſordes: Mariæ Conceptio limpidiſſimos fontes imitatur, quæ cùm ſemper pura fuerit, tamen cùm ad caput, initiumque recurrimus, neſcio quâ ratione purior, atque limpidior apparet. Alij quidem cum ex fonte ſuo impuri manent, ſordes fortaſſe in decurſu deponunt. At Virgo Maria pura ſemper, & Immaculata ab ſcaturigine ſuâ. Dixi autem Mariæ Conceptionem Immaculatam maximas aquæ ſcaturigines, quæ abyſſorum nomine notantur, & minores etiam meatus, qui fontes hic dicuntur; imitari: minimus quidem, ſi naturalem originem ſpectes (parvulus enim fœtus, atque ſimilis alijs erat in parentis utero) ſi verò ſpiritualem originem attendas, jam inde tunc à ſuâ Conceptione; tanquam abyſſus gratiarum exorta eſt, ab ipſo enim conceptus inſtanti Virginem maximos quoſque Sanctos ſuperaſſe gratiâ multi piè hactenus docuerunt.*

Sed immoremur hìc paulliſper, & conſideremus quòd ipſa concipitur à parentibus ſterilibus, ſupplicationibus impetratur, fit præ miraculo manu Dei ipſius, ut ait D. Epiphanius *y*, cùm dicit poſt Prophetam Iſaiam *z*, *Exurget virga de radice Jeſſe, & flos de radice aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus timoris Dei. De radice Jeſſe ortus eſt Rex David †, & de tribu Regis Davidis ſancta Virgo: ſancta, inquam, & ſanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim & Anna, qui quidem in vitâ ſuâ Deo placuerunt, atque etiam fructum ejuſmodi germinarunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul & Matrem Dei. Joachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam ſacrificium laudis a offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum ſit templum Domini nempe Virgo. Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, proptereà quòd Joachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti. Joachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo.* Pater æternus fuit veluti brachium, Verbum increatum quaſi manus, & Spiritus ſanctus tanquam digiti, organizando corpus iſtud ſacrum in utero B. Annæ.

Dicetis mihi fortaſſis, quòd cùm Deus ſit Author omnium rerum per creationem, quippe qui fecit *cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium b*; eſt etiam Creator B. Virginis, & conſequenter quòd nihil ſit rarum circa hoc. Verum quidem eſt, Auditores, Deum eſſe Authorem omnium creaturarum, & B. Virginis, ſed non eodem modo: cæteræ enim creaturæ ſunt effectus potentiæ ejus. Maria verò eſt opus eximium manuum ejus: effectus iſti ſunt veluti veſtigia Dei: *Inviſibilia enim ipſius, à crea-*

m D. Bernard. hom. 2. ſup. Miſſus eſt.
n Ex Exod. 3. 2.
o Ex Numer. 17. 2.
† Ex Luc. 1. 34.
p Iſai. 11. 1.
q Matth. 1. 21.
r Apoc. 6. 2.
s Dion. Carth. art. 7. in Apoc. 6. 2.
t Ex Joan. 16. 28.
u Pſ. 44. 6.
x Pſ. 109. 2.
† Salaz. in Prov. 8. 24. de Virg. Dei p. nu. 318.
y D. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
z Ex Iſai. 11. 1. &c.
† Ex Matth. 1. 6. &c.
a Ex Pſ. 49. 23.
b Eſth. 13. 10. & 11.

Digitized by Google

à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas c. Maria verò eſt imago puriſſima perfectionum ipſius ob excellentes qualitates ſuas, & eximia merita ſua: quia, ut ait Salazar d, *Mundum producens Deus, Mariam ſibi contemplandam ideò propoſuit, quia ex omnibus purè creatis operibus Dei præſtantiſſimum erat Maria. Quapropter tunc cùm creationem ordiri voluit, in abſolutiſſimam illam unè meris omnibus creaturam oculos defixit, ut tempus illi & locum accommodatiſſimum in mundo decerneret. Sicut enim pictor eximius in tabulà quàpiam alicujus Divæ effigiem perfectiſſimè adumbrare volens, hinc inde lucos, Maria, animalia, aliquando etiam homines alios expingit per omnem tabulæ ambitum. Id tamen intereſt, quòd lucos, animalia, & homines alios temerè, & levi (ut ajunt) penicillo deſcribit: at verò in præcipuà illâ effigie, quam ſibi ab initio adumbrandam propoſuit, depingenda incumbit, totus hæret, & artis ſuæ conatum, & vim omnem expromit. Quin etiam ab initio tabulam metitur, atque metatur; ut eo in loco delineet præcipuum illud ſimulacbrum unde ſplendeat magis, ita ut reliqua hinc inde pictura illi inſerviat, & pulchrum magis, & ſpectabile reddat. Ad eundem modum Artifex ille rerum omnium Deus latiſſimam, ampliſſimamque hujus mundi tabulam creaturis omnibus pingens, & diſtinguens terras, maria, lucos, animalia, homines, & reliqua omnia, ut ita dicam, temerè, & levi brachio condidit. In illa verò omnium creaturarum perfectiſſima Maria, quam ſibi ab initio creandam propoſuit, totus incubuit, totus hæſit, & ſuæ potentiæ vim magnam oſtentavit. Unde non immeritò Virgini Deiparæ accommodari ſolent illa verba ſapientiæ, Speculum ſine macula Dei operationis, & imago bonitatis illius e. Græcè habetur, Dei energia: quia nimirum in hac ſua bonitatis præſtantiſſima imagine elaboranda ſuæ energiæ vim proderet. Atque adeò ab exordio creationis totum mundum metiri, & ſæcula omnia partiri cœpit, ut ſcilicet Mariam in optimo loco, & tempore formaret, ita ut reliqua, quæ vel antè, vel poſteà hinc inde condere decreverat, creata, Virgini inſervirent, illamque pulchram magis, adſpectabilemque omnibus redderent. Itaque alia creatura, terra, maria, luci, animalia, & cœli cum reliquis quodammodo pro ſpatio Virginis addita ſunt.* Creaturæ non habent nomen nobilius nomine creationis ſuæ, ſed glorioſa Virgo incomparabiliter altiùs aſcendit, *Cùm ſit Dei Patris Filia, Filij Dei Mater, Spiritus ſancti Sponſa,* ut ait Cornelius f. Proptereà Doctores attribuunt ei hæc verba Eccleſiaſtici g, *Vas admirabile, opus excelſi.* Unde Hugo Cardinalis h ait, *Vas admirabile beata Virgo, Arca Noë i, Urna aurea plena manna k, Pera David l, Thronus Salomonis, Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem m. Opus Excelſi. Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo n.* D. Ignatius o Apoſtolis tempore ſuppar, hoc inſignit eam titulo *Cœleſtis prodigij, & ſacratiſſimi ſpectaculi.* Et, *S. Ephrem p eam vocat præſtantiſſimum orbis miraculum: Alij vocant eam ſacratiſſimum monſtrum, cœleſte prodigium, miraculum miraculorum. Quin & S. Joannes q vocat eam Signum magnum quod apparuit in cœlo. Quocirca Damaſcenus r Deiparam vocat Miraculorum officinam, imo abyſſum,* ait Cornelius.

c Rom. 1. 20.
d Salaz. in Prov. 8. 22. expoſit. 2. de Deip. n. 275 & 276.
e Ex Sap. 7. 26.
f Cornel. in Act. 1. 14.
g Eccli. 43. 2.
h Hug. Card. in Eccl. 43. 2.
i Ex Gen. 6. 14.
k Ex Heb. 9. 4.
l Ex 1. Reg. 17. 40.
m 3 Reg. 10. 18.
n Eccli. 24. 12.
o D. Ign. Epiſt. 1.
p D. Ephrem orat. de Laud. B. V. citatus à Cornelio in Jer. 31. 22.
q Ex Apoc. 12. 1.
r D. Damaſc. ſerm 1. de Nat. Deipar. citat. ibid. à Cornel.

lius. Non pertinebat igitur niſi ad Deum, & ad manum ejus omnipotentem & omniſapientem ita nobilem & ſic excellentem producere creaturam, quæ cæteras omnes dignitate antecellit.

Nullos imponeremus unquam limites iſti primæ parti, ſi vellemus afferre omnes titulos honoris, quos SS. Patres & Doctores attribuunt dignitati excellenti B. Virginis, ſed ut illam concludamus, ſiſto in verbis iſtis eximijs Petri Damiani s, quæ complectuntur omnia quæ dici poſſunt de Virgine Deiparâ commendandâ. *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis: primo modo eſſentialiter; ſecundo modo operatione; ineſt & illuminatione: quarto modo ineſt & uni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa.* Quæ *Virgo ſancta Lucis æternæ Mater* vocatur à D. Epiphanio t propter ingenia merita ſua.

Confirmari poteſt hæc doctrina obſervatione myſterioſâ quæ fit ſuper hæc verba Angeli ſic Virginem Deiparam mox futuram alloquentis, *Ecce concipies in utero u.* Videtur tribui locus admirationi, quare Angelus addat hæc verba, *in utero,* quæ videntur ſuperflua, & ſine neceſſitate: videbatur enim totum dici, ac cùm dixit, *Ecce concipies,* nedum adderet, *in utero.* Tamen myſterium eſt iſtud, quòd Angelus addit, *in utero,* ut oſtenderetur quòd B. Virgo jam conceperat Verbum Divinum in anima ſuâ ab ipſo inſtanti Conceptionis ſuæ Immaculatæ, quo gratiæ conceſſæ ſunt ipſi ſic elevatæ, quo favoribus ſic inſignibus fuit ipſa cumolata, & tantis donis Spiritus ſancti perfuſa, ut eodem modo, quo tunc ipſa concepit Verbum Divinum in animâ ſuâ, eſſet ipſa digna quæ conciperet ipſum corporaliter in viſceribus ſuis, ſi mediâ conceptione ſuâ glorioſâ habuiſſet tempus congruum, & ætatem incarnando eidem Verbo corporaliter in ſinu ſuo accommodum. Unde ritè dixit D. Auguſtinus x, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti y, quàm concipiendo carnem Chriſti z.* Quod etiam præbet intelligentiam huic loco Canticorum a, *Ego murus, & ubera mea ſicut turris ex quo facta ſum.* Qui ſignificat nobis dignitatem eminentem Matris Dei, unde occaſionem accepit Guerricus dicendi, ut ſuprà, loquens de nativitate ejus, *Nata eſt nobis hodie Mater nova.* Nos autem dicere poſſumus poſt eum, Concepta eſt nobis hodie Mater nova. *Sed quomodo cum hâc humilitate cohærent verba quæ ſtatim ſubjungit, Ego murus, & ubera mea velut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens?* Petit De Ponte b, poſtquàm locutus eſt de humilitate, quâ *dixit* Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum c.* Et reſpondet, *At non ex jactantiâ hæc inquit humillima Virgo, ſed eo ſpiritu quo præſente Elizabeth dixit, Magnificat anima mea Dominum, &c. Quia fecit mihi magna qui potens eſt d. Agnovit enim ex ſolâ Dei benignitate proceſſiſſe magnum illud opus, quo aſſumpta eſt in Dei Matrem; quia gratis coram eo pacem reperit, ſicut teſtatur Gabriel Angelus, cùm dixit: Invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero e, &c. Ad hoc autem tam ingens Dei Genitricis munus, alia etiam magna præceſſerunt & quædam ſecuta ſunt, & utraque deſignantur per hæc verba, Ego murus, & ubera mea ſicut turris ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. Cùm ait, quaſi, non diminutionem ſignificat, ſed vera pacis explicationem, ut*

s Petr. Damian. ſerm 5. de Nat. B. M. ex Jer. 23. 24.
t D. Epiph. ſerm. de laud. Deip.
u Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
x D. Aug. lib. de S. Virginit. c. 3.
y Ex Luc. 1. 45.
z Ex Luc. 1. 38.
a Cant. 8. 10.
b De Pont. lib. 10. in Cant. 8. 50. exhort. 17. parag. 2. & 3.
c Luc. 1. 38.
d Ex Luc. 1. 46. &c.
e Luc. 1. 30 & 31. ex Iſai. 7. 14.

ſuperiùs diximus. Cùm verò inquit, ex quo, ad primum ſua puriſſima Conceptionis inſtans referendum eſt. Tunc enim ſingulari quodam privilegio pacem reperit coram Deo; tunc invênit gratiam coram ipſo, & aſſumpſit eam in Sponſam; tunc debellatum, imò impeditum eſt peccatum originis, quod inimicitiam & diſcordiam inter

f Ex Iſai. 59. 2.

nos & Deum f ingerit, tunc ablatus eſt ab illâ peccati fomes, & concupiſcentia ardor, ac paſſionum rebellio, unde oritur inteſtinum bellum &

g Ex Gal. 5. 17.

lucta inter carnem & ſpiritum g. Tunc denique omnimodam reperit pacem, & cum Deo, & cum ſeipſâ, & cum Angelis, atque cum Patribus ſuis Patriarchis & Prophetis, atque omnibus Juſtis, quibus facta eſt tanquam pacifica pacifici Salomonis futura Mater. Et hoc oſtendit nobis favores, quos debemus interventu illius expectare, qui nobis ſunt examinandi in hâc ſecundâ parte.

II. Pars.

Omnes favores, quos Deus nobis contulit, & univerſæ miſericordiæ, quas erga nos exercuit, nullum aliud habuerunt motivum niſi cognationem & affinitatem quæ eſt inter nos & Mariam: & verum eſt quòd Deus creavit Lunam ut illuminet abſente Sole, *Fecitque Deus duo luminaria*

h Gen. 1. 16.

magna: luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti h. Cùm enim Sol ſuum perficit curſum quotidianum, &

i Malach. 4. 2.

nos privat luce ſuâ, Luna incipit apparere, & illuminare totum orbem: ita cùm *Sol juſtitiæ i* recedit à peccatoribus, & privat eos lumine gra-

k Cant. 6. 9.

tiarum ſuarum, confeſtim Maria *progreditur pulchra ut Luna k,* tenens locum myſtici illius Solis, confortans & illuminans animas derelictas in tenebris peccatorum ſuorum; & benignis influentijs ſuis innumeros favores omnibus hominibus, bonis & malis, juſtis & peccatoribus impertitur, *Unde progreſſa eſt ut Luna plena peccatoribus veniam & gratiam impetrans, juſtis etiam*

l De Pont. lib. 9. in Cant. 6. 9. exhort. 1. parag. 4

augens lætitiam, ſapientiam, & charitatis ardorem, ait de Ponte *l.* Et D. Bernardus *m* repræſentat nobis eam ut *Advocatam, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater Miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit;*

m D. Bernard ſermon. 1 in Aſſumpt. B. M.

ut fœlici amicitiarum fœdere copulentur humana Divinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis. Virgo beata quidas daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cœlorum eſt: miſericors eſt: denique Mater eſt unigeniti Filij Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus, ſeu pietatis magnitudinem commendare: niſi forte aut non credatur Dei Filius honorare Matrem aut dubitare quis poteſt omnino in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa quæ ex Deo

n Ex 1. Joan. 4 7.

eſt Charitas n, novem menſibus corporaliter requievit.

In ea invenîmus auxilium quodcumque, cùm ipſa Deum nobis reddiderit miſericordiorem quàm ipſis Angelis. Sed quare Deus non fuit ita miſericors erga Angelos, ſicut erga homines, parcens æquè peccatis illorum, ac iſtorum, cùm natura Angelica ſit multò nobilior & ſublimior natura humana? Si enim intueamur illorum æquè ac iſtorum peccatum, inveniemus illud fuiſſe ſuperbiam: iſti quippe ſicut illi præſumpſerunt uſurpare Divinitatem. Suo dicebat *Lucifer in corde, In cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti,*

o Iſai 14. 12 &c.

in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo o. Sed & ſerpens dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier, De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: de fructu verò ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit p.

p Gen. 3. 1 &c.

Et tamen Angelos punivit Deus immiſericorditer, ut ſubſannat illos Iſaias *q* in perſona Luciferi, *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

q Iſa. 14. 15.

Hominibus verò largitus eſt miſericordiam, *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem r.*

r Gen. 3. 8.

Puta, inclinante die, quando aſpirare ſolent lenes zephyri, & aura ab hominibus diurno æſtu fatigatis captari, ſubdit Cornelius *s.*

s Cornel in Gen. 3. 8.

Quod ſignificat miſericordiam, *Et ecce Dominus ſibilus auræ tenuis,* ait Scriptura *t.*

t 3. Reg 19. 11. & 12

Et Hugo Cardinalis *u*, *In quo Dominus ſibilum facit hominis in corde, quando Dominus voluntatem volandi ad frugem melioris vitæ inſpirat. Unde Zacharias x, Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos, & multiplicabo eos. Iſaias y, In die illâ ſibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api quæ eſt in terrâ Aſſur, & venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & cavernis petrarum. Sibilus igitur auræ tenuis, eſt inſpiratio bonæ voluntatis quæ dicitur ſibilus, quia ignem charitatis ardere facit. Sibilus auræ dicitur, quia pulverem terrenitatis exſufflat. Tenuis dicitur, quia leniter venit, & lenem conſcientiam facit.*

u Hug Card. in 3. Reg 19 11. & 12.

x Zach. 10. 8.

y Iſai. 7. 18. & 19

Ratio autem propter quam Deus pepercit hominibus, & nō Angelis, eſt, quia B. Virgo continebatur in lumbis Adæ. Propter eam igitur Deus ignovit hominibus, & miſericordiam eſt illis impertitus, quam denegavit Angelis apoſtatis.

Huc videtur accedere Salazar *z*, dum ait, *Dei omnia condentis menti objectam Mariam fuiſſe dicimus: quia nimirum cùm Deus omnia modulatiſſimè conformaret, ordinaretque, prævidebat quidem futurum, ut homine, cuius omnia obſequio addixerat, pactum violante, cuncta à ſuo ordine deſciſcerent, & cum ipſo pariter ruerent. Quapropter ne ipſe propterea à propoſito mundi creandi deſciſceret, voluntatemque mutaret, Virgo Maria in causâ fuit, per quam etiam tunc prænoverat omnium creaturarum ruinas tandem aliquando inſtaurandas, & reficiendas. Et ſanè per unam Mariam creaturas omnes ad unum inſtauratas, & refectas fuiſſe, plurimorum Patrum calculis comprobatur. Ita docent Bernardus in ſermone de Nativitate, Bonaventura in Speculo, Andreas Jeroſolymitanus in ſermone de Annunciatione, Anſelmus de Excellentiâ Virginis, Damaſcenus Oratione primâ de Nativitate Virginis. Sed tamen quâ ratione reparatio iſta, ſeu inſtauratio creaturarum, quam Deus tunc prævidit, à Virgine tunc demum perfecta eſt, præmiſſi Patres eleganter ſcripſerunt. D. Damaſcenus ad hunc modum ſcribit, Per illam (ſcilicet Mariam) naturam omnem Creator, interjecta humanitatis beneficio, commutavit, & innovavit. Nam cùm homo mediâ quadam inter mentem & materiam ſede conſtitutus re-*

z Salaz in Prov. 8. 22. expoſit. 2. de Virg. Deip. n. 161.

rum

Digitized by Google

rum omnium conditarum, tam quæ in aſpectum cadunt, quàm quæ oculorum aciem fugiunt, nodus ac vinculum ſit: profectò artifex Dei Verbum naturæ humanæ copulatum per hanc cum univerſis rebus conditum unitum eſt. Quænam, obſecro, inſtaurandarum rerum aptior ratio excogitari poſſet? Profectò nulla. Hanc verò Mariæ beneficio acceptam refert Damaſcenus. Proptereà enim omnes omnium creaturarum perfectiones in unam illam collegit, ut ab illâ humanitatem aſſumens, in quâ erat omnium creaturarum compendium, omnes ſibi Deus arctiſſimè ſociaret, & cum omnibus cognationem contraheret, ut eâ ratione omnes nobilitaret, & priſtinæ dignitati reſtitueret. Omnes, inquam, ad unam, quia humanitas quam ſibi agglutinavit, cum omnibus cognationem habebat.

Sed favores quos ſperamus nos ſuſcepturos ex B. Virgine non ſolùm ſiti ſunt in eo, quòd ipſa curam habet ſpecialem ſalutis animarum noſtrarum; ſed etiam in eo quòd inſuper (quod eſt admiratione dignum) præ diligentiâ miſericordi ſuccurrit ipſa nobis in temporalibus, quæ nobis delicias afferunt inter alimenta quæ ſumimus. Quatuor invenio obſervatu digna quæ peracta ſunt cùm *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat Mater Jeſu ibi a*, quæ manifeſtant nobis deſiderium ſingulare, quod inclinat B. Virginem ad favendum nobis. Primum quod obſervo, eſt, quòd Evangeliſta ait, *Vocatus eſt Jeſus & diſcipuli ejus, ad nuptias.* Non dicit tamen quòd B. Virgo fuerit ad eas invitata, quæ tamen prævidens, quòd ibi interfutura eſſet aliqua neceſſitas, illis adfuit: ut innuatur nobis, quòd cùm illius nullam memoriam habemus, ipſa ductâ miſericordiâ nos quærit, & currit poſt nos, ut noſtras ſublevet indigentias. Ideò vocatur à D. Epiphanio *b Cherubim tranſcendens.* Quia ſcientiâ ſublimiori quàm ſit ſcientia Cherubinorum ipſa videt, cognoſcit, & pervadit intimas miſerias noſtras, ut ab illis nos eripiat ope ſuâ. Secundum, quod conſidero in nuptijs iſtis notatu dignum, eſt, quòd omnia miracula, quæ peregit Dei Filius, tendebant ad communicandam nobis gratiam c, aut ad tribuendam nobis ſanitatem d, aut ad ſuſcitandos mortuos e: Solum hoc miraculum quòd factum eſt in iſtis nuptijs, dirigebatur ad reddendas iſtas epulas meliores & delicioſiores: ideò dicebat quidam, *Deus uſq; ad delicias paſcit nos.* Et videtur non fuiſſe multùm neceſſarium, ut mutaretur aqua in vinum ibi, cùm omnes convivæ ſufficienter eſſent jam refecti: hoc tamen miraculum peregit Chriſtus, ut oſtenderet magnificentiam B. Virginis ergà nos, quæ tanta eſt ut non videatur ipſi ſatis ſi ſolùm tribuat nobis neceſſaria, ſed etiam aliquo modo induxit Filium ſuum ad patrandum miraculum, ut deguſtare ſuaviùs nos faciat id quod in cibum capeſſimus, & in potum. Sic idem D. Epiphanius f dicebat, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa.* Id eſt, ad benefaciendum nobis, quia hæc extenditur ad tribuenda nobis temporalia, æquè ac ſpiritualia; ad dandum nobis alimentum corporis, æquè ac cibum animæ. Vel, ſi vultis, ipſa voluit ut hoc miraculum fieret, ne ille qui convivas invitaverat, contemneretur, & inhonoraretur: neve in nuptijs ob defectum vini aliquis moleſtiâ afficeretur, & aliquo murmure interturbaret hilaritatem convivij. Quod oſtendit, nullum eſſe defectum, nullamque indigentiam, cùi non velit ipſa ſubvenire. Tertium, quod ibi obſervo, eſt, quòd Salvator dixit, quòd necdum tempus ſuorum veniſſet patrandorum miraculorum, *Nondum venit hora mea.* Sic dicendum eſt, miraculum peractum in nuptijs iſtis, fuiſſe miraculum anticipatum & ſupererogatorium, factum ad ſupplicationem Matris ipſius, ad oſtendendum, quòd deſiderium, quo ipſa ducitur, benefaciendi nobis, tantum eſt ut propter hunc effectum ipſa ſit inductura aliquo modo Deum ad peragenda miracula ante tempus, ſi ita loqui fas eſt. Ubi, ſi placet, obſervate quòd B. Virgo erat Galilæa: ſic D. Lucas g ait, *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ.* Galilæa, idem eſt ac volubilis, ſignificatque rem quæ volvitur & vadit magnâ velocitate, & ingenti impetu, ſicut cùm ex apice montis videtis deſcendere magnum torrentem aquæ ad fœcundandas omnes valles vicinas: ſic B. Virgo, ſpecioſa iſta Galilæa deſcendit cum ſuavi impetu è faſtigio montium cœli ad fœcundandam hanc vallem miſeriarum & lacrymarum; & ſublevando neceſſitates ejus, ad ditandam illam omnibus bonis imaginabilibus. Quartum obſervatu dignum, eſt, quòd Salvator vocavit in nuptijs illis Mariam, mulierem, & non Matrem, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Ut innuatur nobis, quòd ſi intuitu minimæ qualitatis B. Virginis, quæ eſt, ut ſit mulier, *hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Canâ Galilææ*; quid non faciet Deus, cum ipſa præ hac qualitate ita ſublimi & eminenti Matris ejus deprecabitur illum, & pro nobis apud ipſum intercedet? quia, ut ait D. Bernardinus h, *Maius eſt hoc donum, quòd ſit Mater Dei, quàm quòd ſit Domina creaturarum.* Ecce favores, quos expectare & polliceri nobis debemus à qualitate excellenti B. Virginis; & en motivum propter quod Eccleſia celebrat triumphum Immaculatæ Conceptionis ejus, *Conceptio tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo.* Vult igitur Deus ut omnes favores ab ipſo ſuſceptos, B. Virgini Matri ſuæ habeamus acceptos, cùm illos ipſe nobis conceſſerit propter excellentem illius dignitatem: *Intuemini quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari*, ait D. Bernardus i, *qui totius boni plenitudinem poſuit in Mariâ; ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab eâ noverimus redundare. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidem & per omnia providens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere ſolo auditu territus ad folia k fugiebas: Jeſum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſuâ l. Pater enim diligit Filium †. An verò trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato m, ut miſericors fieret n. Hunc tibi Fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo majeſtatem vereare Divinam, quod licet factus ſit homo manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ.*

a Joan. 2. &c.

b D. Epiph. ſerm. de Laudib. Deipar.

c Luc. 7. 47.

d Luc. 4. 39.

e Luc. 7. 14.

f D. Epiph. ſerm. de Laudib. Deipar.

g Luc. 1. 26.

h D. Bernard ſermon 7. de Salut. Angel. a. 3. c. 3.

i D. Bern. ſerm. Sa nat. B. M. V.

k Ex Gen. 3. 7.

l Ex Heb. 5. 7.

† Joan 5. 20.

m Ex Hebr. 4. 15.

n Hebr. 2. 17.

Nec dubius dixerim, Exaudietur ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater.

Præterea, Gaudium univerſale Eccleſiæ nos obſtringit ad congratulandum huic B. Virgini pro eo quòd Deus ipſam præſervavit hodie à peccato originali, quod omnes inficit creaturas rationales. Iſtud eſt exercitium quod ipſi maximè placet, & ad quod ipſa nos hortatur verbis iſtis, *Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cùm eſſem parvula, placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui Deum & hominem.* Vultiſne, Auditores, ſcire modum ritè colendorum Feſtorum? Gaudete propter favores & chariſmata quæ Sancti ſuſceperunt è manu Dei. Hoc exercitium peragitur in cœlo. Cùm Eccleſia militans colit Immaculatam Conceptionem B. Virginis, Eccleſia triumphans celebrat idem feſtum, & hæc celebritas non eſt alia niſi laudes, lætitiæ, & congratulationes, quas animæ glorioſæ & Sancti, æquè ac Angeli, magnitudinibus & ſummis perfectionibus glorioſæ Virginis exhibent: tantâ teſtantur ſatisfactione, imò majus oblectamentum quàm ſi iiſdem illius prærogativis fruerentur. Sint igitur, Auditores, iſtæ praxes veſtræ; & in terra peragitis id, quod in cœlo exercent Sancti: rectæ rationi congruum eſt ut liberi gaudeant de divitijs quas acquirunt matres ſuæ: B. Virgo eſt Mater noſtra; ipſa nos omnes adoptavit in filios *juxta crucem o* in perſona D. Joannis Evangeliſtæ: gaudeamus igitur ob eminentes qualitates ejus. *o Joan. 19. 25. & 26.*

Inſuper, Humilitas, quam deſideramus, & quam ita parùm diligimus, eſt virtus Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, ut audiſtis ſuprà, cujus ipſa vult eſſe nobis exemplum: hæc virtus ſplendet eminenter in iſta ſolemnitate, & ſuperbiam noſtram operit pudore & opprobrio. Hæc auguſta Regina paradiſi humiliat ſe, licèt habeat anſam ſui ipſius extollendæ, quandiu aſcendimus ſupra noſipſos per præſumptionem, cùm teneamur ſubjicere nos omnibus creaturis intuitu miſeriarum & depreſſionum noſtrarum: æſtimemus nos tamen tanti quanti voluerimus, tandem fateri cogemur, quòd conceptio noſtra ſociata eſt culpæ, facta *in iniquitatibus p.* Quòd nativitas noſtra eſt commota, *Nos omnes eramus natura filij iræ q.* Vita noſtra deploranda, & mors noſtra horribilis: & quòd è contrà Conceptio B. Virginis eſt immunis à peccato, nativitas ejus fœlix, vita illius miraculoſa, & mors ipſius glorioſa. Humiliet nos igitur hæc cogitatio, & inducat nos ad cognoſcendum nihilum noſtrum: admiremur abyſſum humilitatis beatiſſimæ Virginis inter eminentiſſimas ipſius dignitates, ut adhærentes exemplis ejus, conciliare nobis poſſimus gratiam, & gloriam. *p Pſ. 50. 7. ex Job 14. 4. q Epheſ. 2. 3.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Joan. 1. 19.

NAtura noſtra non priùs poſſeſſionem alicujus ſibi comparavit rei, cùm ejuſdem fruitio vertitur ipſi in faſtidium, ita in mutatione ſibi ipſa complacet. Principes Synagogæ mittunt *Sacerdotes & Levitas ad* D. Joannem Baptiſtam in deſertum, ubi vivebat more Angeli, ut ſcirent ab eo *quis* eſſet ipſe. Evangelium Dominicæ præcedentis exhibuit eum vobis noviſſimè veluti Angelum, ibique oſtendit animam Chriſtiani ſpiritualem eſſe æquè ac immortalem, & quatenus rationalem, & quatenus Chriſtianam. Sed in progreſſu ſuo non minùs videri debet ſpiritualis, quàm Angeli. Deus univit duo ſimul, conjunxit animal cum homine, ſpiritum cùm corpore, & hominem cum Angelo in unâ eâdemque naturâ; ita ut naturam humanam, quæ ante incarnationem Verbi Divini erat debilis, & nullius conſiderationis, quam Angeli deſpiciunt à ſua longè diſtantem conditione, videant modò elevatam ab eodemmet Verbo Divino ſic ut ipſorum ſocia facta fuerit; & in hoc ſtatu non ampliùs eam contemnunt; quin imò affectus illius ſibi æmulantur aſciſcere, & ſe beatos autumant ſi poſſint illos ſibi comparare; idcircò mittunt *a* ad illam individuum totius ſpeciei Angelicæ quod dicat ſacratiſſimæ Virgini, *Ave Maria.*

a Luc. 1. 26. &c.

Anima noſtra quæ creata fuerat ad thronos occupandos, deſtinata ad regimen exercendum ſub cujus imperio omnia flecterent; per peccatum infœlix & miſera efficitur. Nefandus iſte inferni fœtus abortivus ipſam è ſolio dejicit, ipſamque in ſtatum redigit deplorandum, ſi nobis darentur oculi ſatis perſpicaces, quibus ipſius intueremur vulnera. Unde quæritur, Utrùm ſatius ſit ſemper fuiſſe miſerum, aut poſt guſtatam aliquandiu fœlicitatem, in miſeriam aliquo infortunio, aut crimine intermedio, ſeu meliùs Divina ſic diſponente Providentia *b*, redigi. Opiniones hinc & utrimque pugnant, diſcutiamus eas. Alij dicunt ſatius eſſe ſemper fuiſſe miſerum in depreſſione & in paupertate, quàm poſt guſtatam ſemper fœlicitatem, ea deinde excidere ſeu infortunio, ſive patrato aliquo ſcelere, vel ſupremæ Sapientiæ diſpoſitione. Ruſticus qui nunquam aërem Curiæ reſpiravit, nulla ducitur ambitione, exiguè ducit honores, nemo ambit ea quæ vidit nunquam; contentus eſt humi plebejus in ſuo tuguriolo, cùm ſatisfactione comedit; & quando diem tranſegit, ſe fœlicem exiſtimat, cruſtam panis induratam juxta fontem defluentem rodit; concinit & exultat, cum ſuis incumbit operibus. Quid mirum? Ad alia non eſt natus, nunquam majores expertus eſt voluptates. Sed Princeps aliquis, quem vel imprudentia, aut infortunium aliquod infœlicem effecerit, depreſſionem ſuam intuitus, Heu! ſemper ſuſpirat, proſperitas aliorum ipſum ſtimulat, illorum fortuna ipſum deprimit, rodit eum ambitio, & exiccat invidia; videns enim eos fruentes fœlicitate, ſtatim meminit illius è qua decidit ipſe; & privatio boni æquè eſt ipſi ſenſibilis, ac ipſum bonum amiſſum; nec miſer ipſe foret, niſi priùs fuiſſet beatus. Pauper in luto conſtitutus, ignorat in quânam re conſiſtat fœlicitas; ſemper eſt ſe intuitus depreſſum, nunquam ſe vidit elevatum: & ſicut ruſticus & plebejus homo ſe magnum aliquo modo exiſtimat, ſi in pago ſuo officium aliquod publicum, putà Conſulis, aliudve hujus generis ſibi compararet; ita ſe credit benè habitare & ſplendidè verſari in ſuo tuguriolo, quia nunquam domos magnificas vidit civitatum, nec palatia Magnatum. His non obſtantibus ſatius videtur mihi ſtare ex partibus & opinione ultimorum, & dicere cum illis, magis deſiderandum

b Sap. 1. 1.

ſe

ſe fuiſſe magnum per naturam & conditionem, quàm fieri talem, etiamſi hæc magnitudo aliquando ſit amittenda; quàm naſci miſerum inter lutum & paleas: illi enim qui aliquandiu fuêre magni, vel jure nativitatis, aliove modo, ſublimes ſemper volvunt cogitationes, imò verò dormientes Supremorum vices agunt, ipſorumque excitatio eſt ipſis ſtimulus ut redeant illuc, unde ſorte aut infortunio exciderant, ipſos incitans. Contrà verò illi qui ſemper fuerunt depreſſi, nullam ſublimem efformant cogitationem, ipſorum deſiderium intra limites præſcribitur, nunquam cupiendo majora; dum alij quærunt quomodo meliùs ſuam ſtabiliant fortunam, memores privationis ejuſdem, quam patiuntur. Videte prodigum, quomodo ipſe anxietur hâc memoriâ: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hìc fame pereo c.* (c Luc. 15. 17. & 18) Nobilis erat ſanè: ſi enim fuiſſet filius alicujus ruſtici, has non efformaſſet cogitationes, ſorte ſuâ contentus fuiſſet, ſed hoc propoſitum ſtatuit: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Ita anima Chriſtiani, quæ aliquandiu magna fuit ante peccatum, & ad ſceptra ac imperia deſtinata, videns ſe poſteà peccato depravatam, memoriâ priſtinæ ſuæ fœlicitatis, gloriâ ducitur, in priorem ſuum redire cupit ſtatum, & reverti ad ſuum Patrem cœleſtem; *Pater noſter qui es in cœlis d.* (d Matth. 6. 9.) Et in hoc oſtendit ſe eſſe ſpiritualem more Angelorum. (Diviſio.) Ego verò volo vobis oſtendere animam Chriſtiani in ſuo progreſſu, ſpiritualem & immortalem eſſe eo modo quo ſunt Angeli. Deinde, eam illos imitari in ipſorum ſolitudine. Poſteà, illam in eorundem libertate ſe ipſis conformem efficere. Tandem & ultimò, eam illis ſe exhibere ſimilem quoad reflexionem ipſorum ſupra ſemetipſos.

(I. Pars.) Conformitas quam habet anima noſtra cum Angelis, ſanctam in ipſâ producit æmulationem, ut ipſis uniatur, & eis ſimilis in fœlicitate efficiatur. Angeli ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, immortales, corporeæ concretionis expertes. Quòd verò ſint Angeli, ratio, & fides *e* (e Apoc. 12. 7.) id ſatis nobis perſuadent. Ratio quidem; Sicut enim in naturâ alia ſunt entia purè corporalia, & alia corporalia & ſpiritualia; ita & eſſe debent alia purè ſpiritualia, quæ appellamus Angelos. Præterea, Licèt homo ut ſpiritualis magnos conatus efficiat ut uniatur Deo ſuo, ut ei ſerviat, cùm ſit corporalis, ipſius conatus gravitate corporis retunduntur, non ſatis rationabile obſequium Deo exhibetur ab ipſo; cùm hominis ſervitium ſit interruptum: oportebat igitur ut eſſent ſpiritus, qui ſine interruptione adorationes *f* (f Iſai. 6. 3.) ſuas huic ſummæ rependerent Majeſtati. Sunt igitur Angeli. Ratio & fides id perſuadent, & animæ noſtræ ejuſdem ſunt conditionis ac illi. Hæc autem admittitur differentia inter corpora & ſpiritus, quòd corpora limitentur in locis, & tempore retineantur; ſpiritus autem è contrà, cùm ſit ſpiritualis, neque loco, neq; tempori alligetur, omnia pervadat, tempus anticipet, illud conſideret ut futurum, ad æternitatem uſque pergat, loco non circumſcribatur, cœlos penetret, ad ſpatia uſque imaginaria ultra cœlos pertingat. Et cùm v.g. formatis hanc propoſitionem. Virtus eſt diligenda: non dicitis, Hodiernâ die, hâc horâ oportet illius exercitio vacare; hæc, & ſimiles ſunt propoſitiones univerſales, quæ non dependent à particularitatibus materiæ; abſtractiones metaphyſicæ, & mathematicæ. Unde inferre poſſumus, illas animas quæ ſiſtunt in tempore, & in loco concluduntur, videri quaſi corporales, & non ſpirituales, nunquam fœlicitatem æternitatis cogitantes, ſine intermiſſione materiæ immerſas.

Tria inveniuntur genera corporum, ſicut & ſpirituum. Datur corpus animale, elementare, & cœleſte. Spiritus admittitur animalis, ſpiritus humanus, & ſpiritus Angelicus. Corpus animale corrumpitur ſecundùm partem, & ſecundùm totum. Corpus animale corrumpitur ſecundùm partem, & ſecundùm totum; corpus cœleſte non corrumpitur ſecundùm partem, neque ſecundùm totum corpus elementare corrumpitur ſecundùm partem, & non ſecundùm totum. Corpus animale, quia eſt compoſitũ ex limo, totum corrumpitur, ut quotidianâ nobis licet experientiâ comprobare; corpora noſtra v.g. in morte tota abeunt in corruptionem: corpora elementaria corrumpuntur ſecundùm partem, totũ ſiquidẽ permanet, ſed tot motus, quibus moventur, diſſipantur; corpora cœleſtia, ut ſunt alterationis incapacia, ita & corruptionis. Idem planè eſt dicendum de tribus ſpirituũ generibus: Alij enim corrumpuntur ſecundùm partem & ſecundùm totũ; & hi ſunt ſpiritus animales qui ſemper in luto volutantur, qui nihil habent immortalis. Spiritus humani corrumpuntur ſecundùm partem, corrumpuntur diviſione, mundo æquè ac Deo ſervientes, Dagon & Arcam Fœderis *g* (g 1. Reg. 5. 2.) honorantes; hæc omnia ſimul unientes; ſpiritus ſemimortales. Mulier orans in Eccleſiâ, immortalis videtur, ac ſtabilis more Angeli ſine ullo motu, devotionem in oculis excitat intuentium; ſed ſtatim ac domum reverſa eſt, ipſa clamat, ſtrepitum edit, & ancillam percutit, & ut plurimùm ſine cauſa prævia, quæ ipſam ad id inducat. Aliæ totæ ſpirituales & immortales, quæ non corrumpuntur, ſolida virtute prædiæ; ipſæ ſunt verè ſpirituales, non autem illæ quæ volunt quidem Deo ſervire, ſed cùm ſenio fuerint confectæ, & jam capulo vicinæ, quæ volunt conciliare Dagon cum Chriſto, Veritatem *h* (h Joan. 14. 6.) cum vanitate *i* (i Pſ. 4. 3.), adinſtar illius Cynici, in cujus pera inventa fuere diſcus ſeu ſcutella, ludus alearum, & imago mulieris: ita ſi ſpiritualium noſtrarum modernarum inviſerentur peræ, proculdubio in ijs reperirentur folia luſoria, & procorum ſeu amaſiorũ imagines. Deo mundoque ſimul velle ſervire, eſt agere ultra id quod ait Chriſtus: *Nemo ſervus poteſt duobus dominis ſervire k.* (k Luc. 16. 13.) Et imitari Nicodemum *l* (l Joan. 3. 1. & 2.), ut dici poteſt de ijs qui *nocte* ſequebantur Chriſtum ut illum audirent, die verò illuceſcente adibant Phariſæos. Hæ ſpirituales modernæ horas matutinas in Eccleſia, ſeu in Templo, pomeridianas verò in ludo tranſigunt, ac in circulo. Eſtne hoc eſſe ſpirituales, & ſervire Deo *in ſpiritu & veritate m?* (m Joan. 4. 23. & 24.) Servire Deo in ſpiritu, eſt ei ſervire in omni loco, & omni tempore, ut Angeli qui non dependent à loco, nec à tempore; & non ut corpora, quæ his duobus alligantur. Dicebat Propheta *n*: (n Pſ. 33. 2.) *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo.* Et hìc, & alibi, & hodierna die, & craſtina: nullos tempori, locove præſcribit limites Propheta, ubique, ſine ulla intermiſſione; non ſicut Cain qui dividebat oblata ſua *o* (o Gen. 4. 3.), & quod in eis erat peſſimum Deo præſentabat; neque ſicut Saül qui *p pepercit Regi Agag, & optimis gregibus ovium* (p 1. Reg. 15. 9. & 3.) ipſius, contra expreſſam Dei voluntatẽ ipſi manifeſtatã. Nõ eſt hoc ſanè Deo ſervire, ſed proprijs invigilare commodis, & in prædicamento collocare corporũ circumſcriptorum, non autẽ ſpirituum. Coarctatio eſt ſtipendium corporis, & materia prima ipſius eſt principium; extenſio verò ſeu potiùs illimitatio ſtipendium eſt ſpirituum. Certum eſt igitur illos eſſe corporales, qui ad quoddam tempus limitibus circumſcriptum coarctan-

tur; ſicut è contrà illos ſpiritnales, qui non coarctantur, ſed dilatantur. Illi ſpiritus ſunt Angelici, qui non corrumpuntur, ſemper integri in bonis propoſitis ſuis, & in ſanctitate vitæ ſuæ. Videmus omnia pergere ad ſuum centrum, ut illi uniantur, & eò eſſe puriora, quò magis ab eo diſcedunt, & magis communicant corporibus, quibus approximant. In elementis, v.g. aër qui magis diſcedit, & qui eſt altiſſimus, eſt totus ignis; aër aquæ proximus eſt totus aqua; aquæ infimum eſt lutum; ita homo, quò magis elevatur, eò magis communicat qualitatibus Angeli, totus ſpiritualis efficitur, ſtipendia ſpirituum ſibi comparat; ſi verò è contrà ſe in terram miſerandum deprimat in modum, efficitur ſtatim totus lutū, totus corruptibilis, totus corpus, totus beſtia.

Anima igitur Chriſtiani in progreſſu ſuo, eſt tota ſpiritualis & immortalis, & quatenus rationalis, & præcipuè quatenus Chriſtiana. Ipſa eſt dupliciter ſpiritualis; creatione, ut conemit Deo Pſalmographus q: *Emittes Spiritum tuum, &*
q Pſ. 103 30. *creabuntur*. Deinde Baptiſmo, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introi-*
r Jo. 3. 5. *re in regnum Dei r*. Debet igitur in actionibus ſuis eſſe ſpiritualis in triplici vita, œconomica, politicâ, & Chriſtianâ. In œconomiâ quoad ea quæ bonum & ordinem domus ſpectant; Parentes puellam in matrimonio collocare intendit, neſcitis cui eam deſponſetis, totus mundus eſt transfiguratus, adoleſcentes magna vobis videntur præditi induſtria, omnia decipiunt, quid facietis? Hæc intenta vobis eſt lis, quæritis ſtatim quisnam ſit illius Commiſſarius, quis ipſi ſit familiaris & amicus, quis poſſit ipſum ſibi devincire, Judices veſtros conſulitis æquè ac Cauſidicos; ad Deum verò, qui lumina debet & induſtrias veſtris infundere Judicibus, non recurritis, ut petatis ab ipſo ut ea diſponat ſecundùm beneplacitum ſuum. In vita politica, illi, quibus incumbit regimen aliorum, qui ſunt arbitri vitæ æquè ac bonorum & fortunæ ipſorum, lumina poſtulare tenentur cæleſtia, quibus in rerum momenti pertractanda illuſtrentur, ne fortaſſe decipiantur in gubernandis aliis. Oportet eſſe ſpiritualem in vita Chriſtiana & devota. Sed quot homines ſe autumant eſſe devotos, qui tamen nullam præ ſe veram ferunt devotionem? Hæc mulier quæ devotionem videtur profiteri, vult ducere Jeſum Chriſtum, non autem duci à Jeſu Chriſto; vult facere propriam voluntatem ſuam, de ea dicitur: Ipſa ducit vitam ſpiritualem, vitam devotam. Oportet à vita ſpirituali & devota eam duci, non autem ut ipſa ducat vitā ſpiritualem & devotam, & propriam adimpleat voluntatem.

Anima igitur noſtra debet eſſe ſpiritualis ſicut
II. Para. Angeli, & eos in ipſorum ſolitudine imitari. Et licèt homo ſit animal ſocietatis capax, & conſortium ipſi propriè competat; nihilominùs quia hoc conſortium eſt ipſi perſæpè contagioſum, illud tenetur ipſe evitare, ut ſe recipiat in ſolitudinem, in qua more Angeli vivat, & adinſtar illius Principis, qui ſalutem animæ ſuæ amiſerat in
ſ 2. Reg. 11. 4. conſortio s, eandem recuperet in ſolitudine, dicendo cum eo t: *Ecce elongavi fugiens, & manſi*
t Pſ. 54. 8. *in ſolitudine*. Etſi Adam peccat, culpam ſuam ſociæ mulieris prætexit conſortio, dicens Deo: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de*
u Gen. 3. 6. & 12. *ligno, & comedi u*. Colenda eſt à nobis ſolitudo, ut imitemur Angelos; *Sedebit ſolitarius & tace-*
x Thren. 3. 28. *bit, quia levavit ſe ſuper ſe x*. Solitarius, ait Propheta, elevat ſe ſuper ſe, extra materiam, in cælum aſcendit, in quo anima noſtra oſtendit ſe eſſe ſpiritualem, imitando Angelorum ſolitudinem. In qualibet re, ut cognoſcatur ipſius perfectio, tria debent attendi, principium, ſubjectum, & objectum. In ſolitudine principium eſt Deus qui eſt ipſius Author; ſubjectū eſt cor hominis quod ipſam recipit; objectum verò ad quod ipſa tendit, eſt ipſamet virtus. Deus eſt totus ſolitarius †, & † Deut. 32. 39.
eminentiſſima perfectionum quas poſſidet, eſt ipſius ſolitudo; quando appellatur Sapiens in ſua
gubernatione y; quando vocatur Providens in iis y Sap. 8. 1.
quæ mundum ſpectant z; hæc omnia ſunt tan- z Sap. 12. 18.
tùm perfectiones relativæ ad creaturas, quæ non oſtendunt quid ipſe ſit; hoc eſt planè derogare magnitudini ipſius; nunquam meliùs Deus cognoſcitur quàm per ſuam ſimplicitatem; & in unitate quam poſſidet, omnes ipſius perfectiones reſulgent; *Deus unus eſt, a*, indiviſus in ſe, mul- a Deut. 6. 4.
titudinis expers, beatus in ſua ſolitudine. Atqui Angeli beati in cælo ſunt ſolitarij, quia, ſecundùm
D. Thomam b, unuſquiſque ibi ſolus eſt in ſua b D. Thom. 1. p. q. 50. a. 4. ad 4.
ſpecie, & ibi eſt ac ſi nullus alius eſſet præter ipſum, licèt numeroſ ferè ſit infinitus Angelorum: dicitur ſolus, ſicut paſtor ovium dicitur ſolus, etiam ſi ſit cum mille ovibus: præterquam quòd Angeli totaliter Deo adhærentes, ſolum Deum intuentur, ſunt ſolitarij, occupati duntaxat in hac Divina contemplatione. Anima igitur noſtra ſecedens è commercio creaturarum per Orationem Dominicam, & per ſpem quam gloriæ concipit, oſtendit ſe eſſe ſpiritualē & immortalem, cùm in ſua ſolitudine eodem pacto quo Angeli, ſolum Deum contempletur.

Duæ inter homines inveniuntur ſolitudines. Alij fugiunt conſortia, quia non habent ſatis animi ut cum ſucceſſu converſentur, tardioris ſunt ingenij, ac malentes labi pedibus quam capite, efficiuntur eo pacto ſolitarij. Alij verò cùm perſpicacioris ſint intellectus, magnaque polleant induſtria, ut applauſus in quolibet conſortio ſibi concilient, ſocietatem fugiunt, ut Deo famulentur, videntes mundi vanitatem, ubi unuſquiſque vivit ſecundùm ipſius ſeculi maximas ut plurimū innocentiæ & juſtitiæ Chriſtianæ contrarias, ubi nullus eſt qui ſe non transfiguret, ubi quiſquis ſe exhibet id quod ipſe non eſt, ut perveniat ad id quod ipſe eſſe vult. Ut igitur hi ſe expediant à ſtrepitu creaturarum, recipiunt ſe in ſolitudinem; & hi ſunt Angeli ſolitarij, *Levavit ſe ſuper ſe*, ut hi beati Spiritus; ibique ſuam operantur ſalutem; *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*. Ibi Deum contemplantur, nec non & gloriæ ipſius dulcedinem.

Aſſeruere Philoſophi veteres, cælos formare dulcem concentum, ſed homines ob ſtrepitum creaturarum non poſſe illum audire, qui ſine dubio audiretur, ſecundùm hanc opinionem. Sed meliùs dicamus dulcem cæli concentum audiri in ſolitudine, in quam idcircò ſpirituales homines ſe recipiunt, & in quibus videre eſt quonam pacto ipſorum anima Chriſtiana in progreſſu ſuo, appareat ſpiritualis & immortalis in ſolitudine. Principium eſt Deus, objectum virtus; & ipſa non eſt virtus quin ſit ſolitaria. In principio ſuavitate alliciebat homines, ſed hodierna die criminibus videtur obnoxia; ſi ipſa ſe manifeſtet, calumniis impetitur, unuſquiſque ipſam reſpuit, oportet ut ipſa ſe velatam exhibeat & abſconditam. Terra ſinum ſuum ſine ſtrepitu aperit, frumentum germinat, elevat illud ſuaviter ſub calamo qui ſpicam defert. Sol generat aurum & adamantem

in lucia

in locis ſ motis. Natura omnia abſcondit. Virtus autem non eſt amplius virtus, quando eſt publica. Cor hominis debet eſſe ſubjectum & theatrum in quo ipſa debet exhiberi, & in hoc ipſa imitatur Angelos, qui ſunt ab omni re ſeparati, agios ſine terra, ſanctus ſignificat perſonam ab omni commiſtione immunem.

[c D. Tho. p. q. 112. a. 2.] [d Dan. 10. 13.] [e Tob. 12. 15.] Obſervat D. Thomas *c* duo eſſe genera Angelorum, alteros quos vocat miſſos, alteros verò aſſiſtentes. Miſſi, ſunt ii, qui curam habent Regnorum & Provinciarum *d*. Alteri verò, ſunt ij qui ſemper aſſiſtunt *ante Dominum e*. Et ait minores eſſe miſſos, ſuperiores verò aſſiſtentes; ſicut Reges habent viros nobiles, alteros miſſos ut ſunt legati, alteros verò qui Majeſtati ipſorum alternis ſerviant vicibus. Licèt autem Angeli ſint miſſi, & videatur mundi tumultus ipſorum requiem & ſolitudinem interturbare, hoc non impedit quin ſint [f 1 Petr. 1. 12.] ſolitarij, cùm ſolo intuitu *f* ad Deum dirigantur, huicque objecto ſelicitatis ſuę ſemper adhæreant. Ita vos eſtis vel miſſi, vel aſſiſtentes; debetis igitur ſemper Deo adhærere. Vos Sacerdotes eſtis aſſiſtentes, cogitate quanta ſit ſanctitas miniſterii veſtri. Vos ſæculares ad negotia miſſi, Deum ſemper præ oculis habere conſtituitum veſtris; attamen inter negotia eſtote ſemper ſolitarii.

Fiebant aliàs judicia, & collocabantur Judicum tribunalia extra civitatum portas *g*. Alii aſſerunt [g Deut. 22. 19.] hujus rationem rei fuiſſe, ut pax continua fuiſſet in civitate, & nunquam litigantium interrupta ſtrepitu. Alij contendunt id fuiſſe ſic ordinatum, ne litigantes allecti intuendarum curioſitate civitatum nimium in iis fuiſſent immorati, & ſic ab expediendis negotiis ſuis retardari. Ego autem dico, id fuiſſe effectum propter majorem ſimplicitatem: major autem ſimplicitas reperitur in agro, quàm in civitatibus, in quibus nihil eſt præter dolum & fraudes invenire: ubi enim majora patrantur crimina quàm in civitatibus? In ſolitudine autem horum omnium datur exemptio. Præbetur igitur mihi anſa reddendi vos ſolitarios, ſed non Anachoritas; hæc ſolitudo, quàm à vobis exigo, nihil eſt aliud niſi oratio aliqua jaculatoria à vobis interdum ad cælos dirigenda. Eo modo procedere debet Chriſtianus qui profitetur progreſſum in viâ virtutis, aliquoties ſpiritum in cælum elevare. Quid hoc facilius imò mediis in convivia & epulis? Heu! Deus meus, quot amici tui fame pereunt, in luto jacentes? Ego verò d licus & abundantia copiosè diffluo. Bonam & ſanctam ſolitudinem! In circulis impii blaſphemant; Heu! Deus meus, honoraris in cælo, & offenderis in terris; Angeli tibi benedicunt, & homines in te [h Dan. 3. 13.] maledicta congerunt, tis *benedictus in ſecula h* univerſa. Quid facilius? Veſpertinis horis conſcientiæ examen exercere; bonam ſolitudinem! Quis pudor Chriſtianis, cùm aliqui Ethnici diebus ſingulis ab anima ſua actionum omnium ſuarum per diem tranſactarum ſeriam exegerint rationẽ? Sed vir meus, frater meus, & ſoror mea forte deridebunt me. Vir tuus, frater tuus, & ſoror tua ſunt igitur impij & athei. An pudet illos agere id, quod vel ipſi exercuerunt Pagani, & quod facere tenentur omnes boni Chriſtiani? In ſolitudine igitur oſtendit Chriſtianus in progreſſu, ſe habere animam ſpiritualem & immortalem, more Angelorum, qui ſunt ſolitarij, & liberi, cùm per hanc etiam libertatem, quam imitatur anima ipſius in Angelis, videatur ſpiritualis & immortalis æquè ac ipſi, qui ſunt liberi.

[III. Pars.] Veritas conſiſtit in ratione, error verò in experientiâ; quia veritas ſita eſt in ratione quæ omnia dirigit, error verò in ſenſibus qui decipiunt, & efficiunt ut judicium feramus de rebus aliter quàm ipſæ ſint in ſeipſis. Libertas eſt porrò ſpirituum qui ſunt fratres Angelorum, ſicut ſervitus eſt ſtipendium corporum. Corpus coarctatur ſemper per materiam quæ eſt principium coarctationis, limitatur in actionibus ſuis quæ non excedunt ſphæram ipſius, agit ſecundùm appetitus ſuos neceſſariò, idcirco non eſt liberum. Oppoſitum aſſerendum eſt de ſpiritibus, quorum intuitus, deſideria, immò verò eſſe, ſunt infinita, quod brutis non conceditur. Infiniti ſunt in ſuo eſſe, cùm ſit immortale; in ſuo intuitu, cùm illum circumquaque deferant, in tempus, in æternitatem, in præteritum, in præſens, & in futurum; & in ſuis deſiderijs, cùm ij omnium ſint capaces deſiderandorum, quorum deſideriorum extenſio poteſt omnia comprehendere. Hæc autem extenſio ſeu illimitatio eſt probatio libertatis ipſorum, quæ nullo dependet modo à tempore, nec à loco, nec ab objectis, ſicut dependent bruta, quæ determinata ſunt in operationibus ſuis ab objectis, ab affectibus, & ab appetitibus ſuis; ab objectis, porrigite v.g. fœnum bovi, ad illud venit neceſſariò hoc objectum ipſum potenter attrahit, non autem leonem, benè quidem ciro, ad quam velociter currit ipſe vorandam. Affectus eſt in iis quæ eadem bruta amant; & appetitus in iis quæ ipſa deſiderant, vel formidant, ut approximatio ad ea quæ placent & alliciunt, ſicut remotio ab ipſis quæ ipſa timent (ut canis à baculo & à lapidibus) fugiunt enim naturaliter. Spiritus verò ad nullam rem eſt determinatus amore, aut timore. Vanitatem, voluptates, divitias, hæc omnia quæ me poſſent allicere, pedibus conculco & contemno, ſicuti fecerunt tot ſpirituales Religioſæ vitæ cultores. Quoad timorem, ha! Martyres noſtri non timuerunt ſupplicia *i*, imò nec ipſam [i Hebr. 11. 33.] mortem. Quare? Quia liberi ſunt & immortales ut Angeli; acceptare poſſunt aut renuere ipſis oblata, quod eſt nota libertatis ipſorum. Bruta eò pergunt quò à ſuis diriguntur paſſionibus neceſſariò, nec poſſunt retinere. Idcircò dicimus homines qui paſſionibus ſuis habenas laxãt, tales eſſe facie duntaxat, & non realiter quandiu ſequuntur ſuos appetitus. Horum omnium nihil habet anima, ipſa continet, dirigit, & frænat quodcumque eſt contrarium rationi, & quidquid appetitus poſſet deſiderare minùs æquitati conſonum, & contrarium fidelitati, quam Deo debet ipſa exhibere inviolatam. Si enim lex contrariorum vigeat, cùm propria corporibus ſit coarctatio, brutaque naturaliter ferantur ad ſua objecta quæ ipſa amant, vel fugiant ab eis quæ ipſa timent, ſequentia appetitus ſuos: & anima rationalis in his rebus non immoretur, ſed agat contrarium, per eandem contrariorum legem probat ipſa ſe eſſe immortalem, ſpiritualem, & liberam, more Angelorum.

[k D. Tho. p. q. 53. a. 1. ad 3.] [l Apoc. 11. 17.] D. Thomas *k* ait, libertatẽ conſiſtere in dependentia, & in independentia; in dependentia à Deo tanquam primo *l*, & in independentia ab omnibus creaturis, ſuper quas dominium habemus ac imperium, & idcircò ſumus liberi, quia non ſumus ſubjecti: & licèt ſimus ſubditi Deo, non ſecus ac Angeli ipſi ſubditi ſunt, non minùs ſumus liberi quàm ipſi, & hoc eſt quod libertatem noſtram conſtituit; *Servire Deo, regnare eſt*. Ecce hæc duo; *Servire* dependentiam ait; *regnare*, innuit independentiã; Sicut Dux Generalis exercitus eſt dependens, & independens, dependens à ſuo

Prin-

Principes, & independẽs ab omnibus militibus & ducibus ſubalternis, quibus imperat; & in hoc ſita eſt vera libertas, quam habemus à Deo ut hac potẽtia utamur ad ſtabiliendã quaſi gloriam ipſius ac honorem; nõ enim foret quis liber, ſi ea uteretur ad offendendũ Deum; ſicut Dux eſt independens à militibus ſuis, liber eſt, ſed ſanè ad inducendos milites ad præſtandam Principi obedientiam; ſi enim ea uti vellet contra voluntatem Principis, tunc non habere libertatem; in hoc quippe occurſu eſt dependens. Sic libertas ſita eſt in faciendo bono, & non malo; & Deus non fecit nos liberos ad ſectandum vitium, ſed ad virtutem proſequendam; & in hoc conſiſtit libertas. Id reſolvit Salomon, cùm ait *m. Appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* In hoc ſita eſt libertas noſtra; peccare enim non eſt eſſe liberum, eſt defectus, eſt impotentia; idcircò Deus non poteſt peccare; non negabitur tamen illum eſſe liberum; & quia eſt liber, non poteſt peccare *n*, cùm peccatum ſit defectus, & non effectus. Dependentia igitur, & independentia; cùm nihil nobis poſſit vim inferre, & agamus quidquid volumus, & ob id debetur nobis merces ex quadam condecentia *o*. Si autem nobis vis inferretur, & coacti ageremus, nullus eſſet meriti locus, cùm neceſſitas nos ad agendum impelleret. Independentia extra omnem ſubjectionem, imperium ſuper omnia. Et in hoc Virgo ſanctiſſima fuit perfectè libera, quia nunquam obedivit alicui peccato, vel imperfectioni; independens ab omnibus, & perfectè dependens à Deo in iis, quæ Divinam ipſius ſpectabant voluntatem, quam exequebatur; cùm ſemper fuerit independens ab omni creatura, & ab omni vitio; peccare enim & poſſe patrare crimina, hoc eſt eſſe ſervum *p*. Vera autem libertas, ait D. Auguſtinus *q* eſt, ut quis benè Deo ſerviat; idcircò Martyres in vinculis, & Boni potiuntur libertate; dum impii voluptatum, & divitiarum ſuarum ſunt ſervi, paſſiones ipſorum ipſis imperant, & circumquaque ipſos violenter trahunt, quod eſt ſervitutis nota.

m Eccli. 15. 17. & 18.

n Pſ. 5. 5.

o Rom. 4. 4.

p Jo. 8. 34

q D. Aug. lib. 1. de quantitate Animæ c. 34.

Ubi obſervandum eſt tria eſſe genera ſervitutis, commodi, timoris, & amoris, quæ ſunt tres validæ catenæ. Commoda; divitiæ, quæ nos alligant; avaritia, quæ nos comburit, efficiunt ut pauperes ſimus, licèt undequaque bonis affluamus: Hæc avaritia impedit ne manus feramus in peram ut inde exeramus vel minimum quadrantem pauperi erogandum; tot ſunt captivi in luto jacentes, tot ægroti febribus æſtuantes, qui fame pereunt, & nihilominùs nemo liber invenitur qui ipſis neceſſaria ſubminiſtret. Heu quantum numerum captivorum! Timor; Aliquis officio fungitur publico, ſed ne benevolentiam alterius amittat, æquitatis & juſtitiæ leges non dubitabit infringere, unuſquiſque *amicus* eſſe debet *uſque ad aras*, nedum conſcientiæ transgrediatur maximas. Imperator quidam integritatem veritus alicujus Senatoris die quodam, quo unum ex negotiis ipſius erat in Senatu pertractandum, miſit ad illum ut eo die à Senatu adeundo abſtineret. Cui Senator magna reſpondit conſtantia: Poteſt Imperator mihi vitam eripere; ſed quandiu vita fruar, eò pergam quò me vocat officium meum. Imperator remiſit ad eum, ut ſaltem in Senatu nihil diceret. Si non conſulat, inquit ille, nihil dicam; alioquin enim ſecundùm Deum, & conſcientiæ dictamen loquar. Non eſt eſſe liberum, ſi quis animam timore profliget. Amor; Heu gravem catenam! Lineæ inveniuntur catenæ, ferreæ, & igneæ: lineæ præcidi poſſunt; ferreæ malleo contundi; ſed igneæ miracula requirunt, & potentem Dei manum qua conterantur. Statim enim ac aliquis ſeſe impuritati proſtituit flammarum ignis concupiſcentiæ; ſtatim ac mulier honeſta prodidit fidelitatem, quam viro ſuo debebat inviolatam ſervare, & progeniei ſuæ famam eripuit; Heu quantam difficultatem! Miracula tunc temporis requiruntur. Anima noſtra nata eſt libera; cur igitur eam vilem & captivam reddere, & illam veluti bruta terræ alligare? Quin imò eſt illa Deo alliganda; oportet ut ſit illa dependens à Deo ſicut Angeli, & independens à creaturis, ut oſtendat ſe ſpiritualem & immortalem more ipſorum, quos ipſa imitetur in ipſorum ſolitudine, in ipſorum libertate, & in ipſorum reflexione, cum ipſa ſe reflectat ſupra ſeipſam, eo modo quo Spiritus hi beati ſunt in ſe reflexi.

IV. Pars.

Immiſcuit ſe quidam Author ut de animæ loqueretur immortalitate; ſed ſi audiatis rationes illius impertinentes, judicium profectò conforme meæ ſententiæ pronunciabitis; nimirum non debere aliquem de re ſibi ignotâ diſſerere, & quòd *ne ſutor extra crepidam*. Ait ergo ad probandam animæ immortalitatem primò, quod cùm anima ſit immortalis, homo cùm deberet Deo benedicere, teneretur os contra cœlum per imprecationes levare, videns ſe tot malis & tot miſeriis implicatum, & loco gratiarum actiones, murmurationes rependere. Quin immò, etiamſi hoc eſſet, auſim aſſerere hominem teneri Deo benedicere, eique gratias agere; & licèt ipſi unicum duntaxat ſupereſſet vitæ momentum, illud ipſum debiturum inſumere ad benedicendum Deo, eò quòd ipſum creaſſet *r*, cùm bruta quæ non ſunt immortalia, ipſi ſuo benedicant modo *s*. Omnes creaturæ Deum laudant; homo verò potiori ratione deberet illum laudibus extollere. Ratio ſine ratione. Deinde, Dicit id eſſe per voluntatem Dei: & hoc detrimentum animæ infert. Hoc facilè poteſt dici in omnibus quæſtionibus, quæ ſtatim reſolventur; ſufficit enim dicere, id fieri pro voluntatem Dei. Verum eſt quidem, ſi Deus ſuum vellet denegare concurſum, & animam ad nihilum eſſe redigendam, & omnes beatos Spiritus ad non ens ſuum priſtinum eſſe reverſuros. Sed dicamus rationem in eo ſitam eſſe, quòd cùm anima ſit ſpiritualis ſicut Angeli, immortalis eſt æquè ac illi, cùm in ſe nullum habeat corruptionis ſemen. Præterea, Ipſa eſt ſpiritualis & immortalis, quia ipſa ſe reflectit in ſe, quod proprium eſt omnibus ſpiritibus.

r Gen. 2. 7

s Dan. 3. 57. &c.

Alii referunt hanc reflexionem, quatenus eam homo trahit è parte creaturarum, & poſtea in ſeſe revertitur, ut ſe earum reddat judicem, eáſque conſideret, elevans ſe ſuper omnia terreſtria & humana ſacro motivo, & conſideratione infirmitatum earundem, agnoſcens ſe creaturis omnibus ſublunaribus ſuperiorem, cùm illæ creatæ fuerint *t* ut ipſi ſerviant, & morem gerant. Sed iſtud non ſufficit, ſed oportet ut anima conatus exerat generoſiores. Idcircò dicunt alii, & meliùs, mea quidem ſententia, animam noſtram habere ſemina veritatis, ideas Dei, eamque debere aſcendere à creaturis in ſe, ſe reflectere, & ex ſe reverti ad Deum, & deſcendere in ſe per

t Gen. 1. 28. &c.

reflexio-

reflexionem; ita ut duo ſint admittenda reflexionum genera. Prior reflexio eſt creaturarum ad ſe. Poſterior verò reflexio ſui ad Deum, revertendo ad ſeipſam. Prior videntes nos ſuper omnes creaturas ſublunares longè elevatos, ſuperbos efficit ac tumidos. Poſterior conſiderantes nos in Deo, humiliat, videntes nos penitus ab illo dependere, & verum eſſe id quod ipſe ait: *Sine me nihil poteſtis facere u.* Hæc reflexio docet animas noſtras veritatem, eaſque peritas reddit; alioquin enim non haberemus veram ſcientiam; & opinio quæ maximam hominum decipit partem, nobis dominaretur. Quis enim modus v.g. judicandi de Sole, quem bipedalem credit eſſe ruſticus, etiamſi magnitudine longè totam antecedat terram? Oportet hæc cum Deo concordare, eaque ad illum elevare, ut ſciatur, utrùm ea ſint veritati conformia, & an ei repugnent. Senſus qui decipiunt, ſunt animabus noſtris nuncij, objecta ad animam deferunt, debetque anima ſemetipſam reflectere in ſe, ut de iis judicet. Corpus recipit objecta quæ offeruntur, & illa capit; ſpiritus ſe reflectit, de iis judicat, ea examinat, & ſic de iis certus eſt, ea elevando ad Deum. Hodiernа die nulla eſt vera ſcientia in mundo, quia nemo ſeſe reflectit in ſe; *Deſolatione deſolata eſt omnis terra; quia nullus eſt qui recogitet corde x.*

u Jo. 15. 5.
x Jer. 12. 11.

Duplex eſt genus hominum. Quorum alteri defectu reflexionis vadunt ultra debitum. Alteri verò ſupra debitum. Quidam ultra debitum: hæc mulier, quæ cupit novas veſtium formas, pomposè ſemper indui, quæ non ſolvit debita mercatoribus, qui coguntur tandem bonorum facere ceſſionem, ſicut ipſa ſuæ famæ, id agit præ defectu reflexionis. Alij ſupra debitum, ut ij qui recuſant jejunare præ teneritudine, debilitate ſtomachi, & difficultate dormiendi: Si verò occurrat aliquod negotium, quod ſpeciem quandam commodi præ ſe ferat ac lucri, diem integrum à mane ad veſperam uſque ſine cibo, potuue tranſigent; & introitu cæli, & ſalutis animæ non poſſunt expectare, ajunt illi, donec audiatur hora undecima, vel pulſetur ſaltem decima ad capiendum cibum. Ab hac muliere petitur quadrans, ut ſubveniatur extremæ mendici miſeriæ; recuſat ipſa, dicens: Heu! amice mi, miſeram tranſigimus tempeſtatem, patitur unuſquiſque, Deus tibi ſit præſto; & pauperem non aget, cum de projiciendis ſuper folia luſoria agetur nummis; & id præ defectu reflexionis. Hæc reflexio eſt neceſſaria præcipuè ſcientiæ ſalutis, & anima oſtendit ſe ſpiritualem & immortalem, quatenus Chriſtiana eſt, per hanc reflexionem. Imitandi ſunt igitur Angeli, qui toti ſunt in ſe reflexi, imò Deus ipſe qui in æternitate ſe ſemper in ſe reflectit, & ipſius in hoc eſt ſita felicitas & dato quòd nullæ unquam fuiſſent creaturæ, nonminùs eſſet ipſe beatus: hac enim reflexione ſeipſum cognoſcit, reflectens ſe ſupra ſe, & conſequenter producit ſuum *Verbum y*: & amore mutuo cum eodem Verbo in unitate principij ſeu voluntatis ſpirat *Spiritum z* ſanctum. Anima Deum imitatur in reflexione, & producit eundem Deum, quem Pater æternus. Concipite (ſi placet) cogitationem meam.

y Pſ. 44. 2.
z Jo. 15. 26.

In Chriſto ſunt tres Nativitates. Prima vitæ ad vitam. Secunda vitæ ad mortem. Tertia verò mortis ad vitam. Vitæ ad vitam, quando Pater æternus eum ut Deum generat: *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo a*, ipſique eam dat cognitionem. Vitæ ad mortem, in ſinu Virginis *b*; ſed tranſit ad mortem, quia virgo facit illum mortalem. Mortis ad vitam, in anima peccatoris pœnitentis, *Donec formetur Chriſtus in vobis c.* Peccator verò pœnitens producit eundem Deum, quem Pater generat; Pater cognitione, peccator etiam pœnitens ſe cognoſcendo; Pater ſe reflectens in ſe, ita etiam peccator pœnitens reflexione ſeria in ſe facta. Sed quæ proportio? Deus puritatis Author, peccator inquinamenti artifex; Deus ſe cognoſcens originem ſanctitatis, quippe qui *Sanctus d*, peccator verò malitiæ opifex ac ſordium *e*; in hoc quidem differunt, ſed tamen in cognitione conveniunt. Pater enim æternus in cognitione ſuæ magnitudinis, cognitionem habuit peccatorum, cùm ab æterno omnia ipſi eſſent præſentia *f*: & ſic eadem cognitione Deum producit in ſe; & ex hoc igne Dei, & ipſius, procedit Spiritus Sanctus qui eſt Sanctificator *g*, principium ſanctificationis. Magdalena pœnitens *ut cognovit* ſuum interius, vitam ſuam criminibus repletam, inquirit Medicum ſuum, & ſtatim *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm h.* Prodigus etiam ſtatim ac eſt *in ſe reverſus i*, ſenſit quòd hæc reflexio cauſa fuit ſalutis ſuæ. Peccator revertere in te ipſum, & vitam tuam emendabis. Sed nunquid non eſt maximus pudor, ut tot homines annos tranſigant integros, quibus tamen non ingrediantur ſemetipſos? Ha! obſecro, vacate tantiſper veſtræ conſcientiæ examinandæ, præſertim ante Confeſſionem, metu ſacrilegij alicujus perpetrandi. Ut bona peragatur Confeſſio, ſciendа ſunt peccata, ea ſunt inquirenda medio examine. Oportet ut unuſquiſque ſe colligat, & ſe reflectat, quæ ſunt media ad obtinendam gratiam, & gloriam.

a Jo. 5. 26
b Jo. 1. 14
c Galat. 4. 19.
d Dan. 9. 24.
e Jo. 8. 44.
f Hebr. 4. 13.
g Rom. 1. 4.
h Luc. 7. 37 & 47
i Luc. 15. 17.

FERIA II. POST DOMINICAM III. ADVENTUS

Sic ergo vos orabitis Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra. Matth. 6. 9. &c.

TRansferri poſſet anima noſtra extra terminos ac limites juſtæ & rationi conſonæ conformitatis in ardore deſideriorum ſuorum, quæ poſſet ipſa formare majori fortè quàm par eſſet, affectu, & nimio intuitu utilitatis ſuæ, & propriorum commodorum, verſus *Regnum* cælorum, cùm (ut dicebam vobis nudiusquartus) hæ tres petitiones Orationis Dominicæ non tam reſpiciant honorem & gloriam Dei, quin etiam tendant per neceſſariam conſecutionem ad utilitatem noſtram ſatagendam. Ecce continetur ipſa in vehementiſſimo ardore deſideriorum ſuorum, per hanc petitionem, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terrâ.* Quæ ſequitur immediа è illam, per quam petivit ipſa adventum Regni ipſius; cùm expectanti hunc *Regnum* detur ipſi occaſio regnandi ſuper omnes creaturas, voluntatem ſuam Divinæ

Voluntati conformando; nihilque ſit certius illum eſſe verè Regem, qui habeat idem velle & idem nolle cum Deo; ſicut beatiſſima Virgo nunquam magis Regina viſa eſt, niſi cum voluntatem ſuam Divinæ ſubjecit Voluntati, ipſum Deum concipiens in ſacris viſceribus ſuis, ſtatim ac reſpondiſſet Angelo ab eo ad ſe miſſo; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum a*, eodem momento quo dixit ipſi, *Ave Maria*.

a Luc. 1. 38.

Angeli ſancti, qui ſunt ſpiritus beati, ſempiternâ cœleſtis gloriæ fœlicitate fruentes *b*, hâc ſupra nos potiuntur prærogativâ, quâ nos in omnibus antecellant: nos autem privilegio gaudemus, quod nobis eſt commune cum illis, & quod in hâc parte nos illis efficit æquales, nimirum, ut poſſimus perficere voluntatem Dei *in terrâ*, ſicut ipſi *in cœlo* hanc Divinam exequuntur Voluntatem. Privilegium ſingulare hujus petitionis, per quam terra redditur tota cœleſtis, tempus bonum æternitatis poſſidet, & homines Angelis ſimiles efficiuntur! Spiritus iſti omnis concretionis corporeæ ac molis expertes, ſunt ſpirituales, immortales, glorioſi, & omni poſſibili cumulati fœlicitate; Sed adorantes *ſedentem in throno, & viventem in ſæcula ſæculorum, coronas ſuas ante thronum c* ipſius projiciunt, ut ſignificent, mittentes ante eum hæc authoritatis ſuæ inſignia, potentiam ſuam abſolutè dependêre è ſupremo dominio illius, *per* quem *reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*; per quem *principes imperant; & potentes decernunt juſtitiam d*; qui diſtribuit diademata Monarchis, qui ſunt imagines & charactêres viventes poteſtates ipſius, ut teſtentur his proſtrationibus, nihil in ſe ipſis æquè appretiabile eſſe & glorioſum, ac ſe ſubjicere & unire Divinæ voluntati illius, qui cùm dederit ipſis eſſe, quod inſuper ipſis conſervat, eſt infinitè magis quàm quidquid ipſi ſint. Nos verò in corpore conſtituti ſumus mortali & paſſibili, extranei ſumus in hoc mundo, in quo multis agitamur calamitatibus, quibus non obſtantibus, ad excelſam eorum poſſumus elevari magnitudinem, facientes *in terrâ* voluntatem Dei, ſicut ab illis fit *in cœlo*. Ubi enim, quæſo, voluntas noſtra poſſet eſſe glorioſior, quàm in manibus conſtituta illius, qui eſt tota cœlorum *gloria e*? Hoc eſt profectò ſuper omnes ſe elevare inconſtantias, deridere omnes inſtabilitates, parvi facere univerſas mutationes, ſubjicere ſibi cunctos eventus importunos, & extollere ſe ſuper omnes ac ſingulas contradictiones ſibi oppoſitas & adverſantes: Hoc eſt efficere ut omnia pro nobis pugnent; hoc eſt ſedere in throno inconcuſſo, adhærendo inviolatè Divinæ Voluntati exequendæ; Hoc eſt divites fieri, quibuſcumque ſe offerentibus occurſibus; Hoc eſt eventus nobis fœlices omnes reddere, pronunciando perfectâ, integrâ, & pacificâ ex toto corde reſignatione hæc verba, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*. Et hoc eſt quod Dei Filius docet nos, & quod intendo vobis explicare in progreſſu hujus diſcurſus, nimirum, quidnam debeamus intelligere per hanc tertiam petitionem Orationis Dominicæ.

b Iſai. 6. 3.
c Apoc. 4. 10.
d Prov. 8. 15. & 16.
e Pſ. 16. 15

Propoſitio.

Divina Voluntas, quæ eſt ſimpliciter una, poteſt conſiderari vel ſecundùm ſuam eſſentiam, vel ſecundùm ſuam potentiam, vel ſecundùm ordinem, quem ipſa conſtituit. Inde triplex in Deo poteſt voluntas colligi, juxta noſtrum concipiendi modum, voluntas eſſentiæ, voluntas potentiæ, & voluntas ordinis. Ubi obſervare deberis, quòd, ſi hæc tertia petitio poteſt applicari voluntati eſſentiæ, quæ non eſt alia niſi voluntas Dei glorioſa, in qua ipſe eſt infinitè glorioſus, imò verò eſt ſupra omnem gloriam in æternitate, hoc non poteſt eſſe niſi per jubilationem cordis, qua anima, quæ Deum amabit, elevabitur in illum, ut ſibi complaceat ex eo quòd Deus ipſe infinitè & ubique in cœlo & in terra diligatur à ſeipſo amore tanto, quanto ab ipſomet poteſt ipſe diligi *f*. Si verò hæc petitio applicetur voluntati potentiæ, quæ non eſt alia niſi illa, qua abſolutè ipſe voluit omnia, quæ noſtræ non ſunt ſubjecta voluntati, diſponere, & de qua dicitur; *Voluntati ejus quis reſiſtit g? Omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo, & in terra; in mari, & in omnibus abyſſis h*: non petimus ut illa fiat in terra, ſi ut in cœlo, ac ſi aliquid poſſet impedire quin efficeretur: ſed eùm ſemper & ubique fiat æqualiter, teſtamur nos velle ad eam concurrere vel per patientiam, vel per conformitatem noſtram.

f Joan. 13. 26.
g Rom. 9. 19.
h Pſ. 134. 6.

Patientia efficit ut ſubjiciamus ei motus omnes, qui in contrarium adverſùs eam poſſent inſurgere. Conformitas aliquid aliud ulterius agit; efficit enim ut ipſi motus noſtri ſequantur hanc Divinam voluntatem eò uſque ut nullam aliam præ ſe ferant propenſionem præter illam, quam ab ipſâ recipiant. Prophetia exhibet nobis voluntatem Dei veluti neceſſariam (loquor ſemper de voluntate Dei ſecundo modo ſumptâ, ſeu potentiæ, quam Theologi aliter vocant abſolutam, ſeu beneplacitum, qua Deus vult abſolutè aliquid fieri, quæ ſuum ſemper ſortitur effectum, & quæ nullo poteſt impediri modo, vel retardari) ut ait Deus per Prophetam, *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Conformitas aliquid magis efficit: ipſam nobis quippe jucundam reddit; altera in nobis tolerantiam cauſat, altera verò jucunditate nos afficit. Cùm non poſſimus impedire importunos tempeſtatum anni ſucceſſus, faſtidioſos eventus, occurſus inopinatos nobis adverſantes, propinquorum mortem, amiſſionem charorum, familiarium jacturam, temporalium diſpendium, calamitates publicas æquè ac privatas, & infinita alia pœnæ mala, quibus ordinariè vita noſtra percellitur; quid aliud nobis agendum, niſi ut conſiderantes in iis omnibus voluntatem Dei abſolutam, producamus in nobis hanc ſanctam conformitatem cum generoſâ reſignatione decretis Divinæ Providentiæ exhibita, ut ipſius *fiat voluntas ſicut in cœlo, & in terra*?

i Iſa. 46. 10.

Tenebræ & lumen, fœlix aut infœlix ſucceſſus, mors æquè ac immortalitas, gaudia & triſtitiæ ſunt ſubjecta, in quibus invenitur hæc Divina Voluntas, cui cum magna ſubjicimur incunditate, ſi ea omnia æquo ſuſtineamus animo, imò verò potiùs ſi ea occurrentia ſummo amplectamur amore, & perfecta conformitate Divinæ Voluntati reddita; ſi ea omnia conſideremus ut cauſas inſtrumentales, quibus principalis, quæ eſt hæc Divina Voluntas, utitur ſumma ſua Providentia ad operandam ſalutem noſtram; ſi conſtituamus irrevocabili conſtantia voluntatem noſtram in manibus ipſius, cùm nihil ſit rationi & æquitati conformius, quàm ut voluntas noſtra non ſit alia à Voluntate Patris noſtri commodis

modis noſtris ſic favente, ut ſuam nobis largiri velit gloriam, hæreditatem communicare, noſque cæleſtis Regni in æternum participes efficiat *k*. Confundantur igitur omnes voluntates noſtræ in voluntate Dei, quæ ſit regula & finis omnium actionum noſtrarum; ad illam reducamus omnes regulas & leges, quas debeamus ſequi, quidquid egerimus, aut paſſi fuerimus, ut ubique & ſemper dicamus Deo corde conformi, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terrâ.* Si autem faciamus hanc voluntatem Dei ſecundùm id quòd vocavimus eam voluntatem ordinis, & quam Theologi appellant aliter voluntatem ſigni, ſeu voluntatem optativam aut imperativam; ad illam poſſumus concurrere per complementum. Omnes autem Patres hanc intelligunt petitionem de voluntate ſigni, ut obſervavit Cornelius *l*. Ac ſi vellemus dicere; Largire nobis Domine gratiam tuam copioſam, qui præ jucunditate, & magnâ cordis alacritate, ſive agendo, ſive tolerando, perfectam præceptis tuis Divinis exhibere poſſimus obedientiam, & tuis velut deſideriis omnino ſatisfacere, eodem modo quo Angeli *in cælo* tuam perficiunt voluntatem. Ita id exponunt D. Hieronymus, D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & D. Auguſtinus *m*; Cornelius autem ſubjungit Deum videri ad id alludere, quando ait per Prophetam *n*, *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus; benedicite Domino omnes virtutes ejus, miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Promptitudinem igitur, celeritatem, & perfectionem Angelorũ in exequendâ Divinâ Voluntate imitari debemus, ut eam revereamur & honoremus, & ex ea conſequenter commoda & utilitates hauriamus eo modo, quem jam vobis expoſui, cùm dicimus Deo ex toto corde noſtro, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.*

k 1. Tim. 2. 4.

l Cornel. in Matth. 6. 10.

m D. Auguſt. lib. 2 de ſermon. Dom. in monte, apud Cornel. citatus cum cæteris.

n Pſ. 102. 21. & 22.

Poſſumus intelligere per hoc cœlum, & per hanc terram, ſpiritum & carnem, & per hanc petitionem dicimus Deo ut reducamur in priſtinum ſtatum, in quo primi Parentes noſtri Adam & Eva fuerunt formati *o*, hoc eſt in juſtitia originali: & ſic ſpiritus ſuper carnem prævalet, & juſti efficimur ſecundùm Dei voluntatem, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra p.* Sed ſicut hæc perfecta ſanctificatio non poteſt accidere niſi poſt extremum Dei judicium, & reſurrectionem generalem, cum induet *hoc corruptibile incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem q*; idcircò explicatis myſticè hoc cœlo & hac terra juxta ſententiam D. Auguſtini & Tertulliani à Cornelio citatorum, per ſpiritum & per carnem, idem eſt ac ſi Deo dicamus, Quia continuè *caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem r* pugnat, effice, Domine, ut caro ſpiritui ſubjiciatur; & ſicut ſpiritus legi tuæ ſubjacet; ita caro, non ampliùs *legi peccati*, ſed *Legi* † tuæ ſerviat.

o Gen. 2. 7.

p 1. Theſſ. 4. 3.

q 1. Cor. 15. 53. &c.

r Galat. 5. 17.

† Rom. 7. 25.

D. Cyprianus *s* per hoc cœlum & per hanc terram intelligit Juſtos & peccatores; ſicut enim Juſti ſunt in continua executione voluntatis Dei; impij verò, qui eum offendunt, mandata illius tranſgredientes, hanc Divinam violant Voluntatem; debemus petere à Deo, ut illi, qui non obſervant Divina ipſius præcepta, & conſequenter non faciunt ipſius voluntatem, eam exequantur ſicut & illi, qui ei in omnibus ſe conformant. Per hoc autem verbum, *Fiat*, novimus oportere ut voluntas hominis concurrat cum gratia Divina ad operandum bonum, quod nobis neceſſarium eſt ad conſecutionem gloriæ ſempiternæ, cùm non dicatur, Fac, ut faciamus, ſed, *Fiat*, quod reſpondet ambobus, Deo & homini; Deo ſuam gratiam providenti, & homini vires ſui liberi arbitrij cum gratia, unienti. Idem D. Auguſtinus *t* intelligit etiam per hoc cœlum Jeſum Chriſtum, qui deſcendit de cœlo in terram, ut ſibi terram, hoc eſt, Eccleſiam ſanctam matrimonio Incarnationis ſibi deſponſaret *u*. Ac ſi vellemus Deo dicere hac petitione: Effice Domine, ut, ſicut Jeſus Chriſtus facit in omnibus ſanctam voluntatem tuam; eodem modo Eccleſia, quæ eſt illius Sponſa, eam integrè & perfectè exequatur in perſona omnium fidelium, qui ſunt filij ipſius. Explicemus tandem hæc verba pro Angelis, & pro Beatis, & dicamus, quòd *ſicut in cœlo* ſunt in continua executione voluntatis Dei, & iſtud eſt quod efficit ut fruantur ipſi bonorum omnium maximo, quod eſt Deus ipſe bonorum omnium fontalis origo; ita nos qui ſumus *in terra*, ut illuc perveniamus, debemus ardentes deſiderare ut hæc voluntas ordinis, aut ſigni in nobis cum gratia ipſius concurrentibus compleatur, ut tandem cœleſti fruamur illa beatitudine.

s D. Cypr. tract. de Orat. Domin. n. 36. &c.

t D. Aug. loco ubi ſuprà.

u Epheſ. 5. 25. &c.

Cùm voluntas ejus ſit ut nos ſanctificemus, ut amplectamur juſtitiam Chriſtianam, ut amemus veritatem, ut ſequamur virtutem, hæc profectò eſt voluntas, quam ſuppliciter à Deo petimus fieri à nobis, & ab univerſo mundo, *in terra* à Juſtis & à peccatoribus, uno verbo à tota Eccleſia, quæ omnes complectitur fideles, quemadmodum fit *in cœlo* ab Angelis & à Beatis eidem ſe Divinæ Voluntati penitus conformantibus. Illam petimus, nunquam enim poteſt fieri niſi conjunctim cum gratijs, quas Deus nobis offert, ad opus concurramus ſalutis noſtræ, imo verò niſi eædem concedantur nobis eo fine ut eodem ſimul incedant greſſu & gratia Divina & liberum hominis arbitrium *x*, ut cœlum & terra conſpirent ad illam in nobis perficiendam; ita ut unione duorum iſtorum principiorum, gratiæ, quæ conatibus noſtris vires adjicit, & voluntatis noſtræ, quæ libertatem merito neceſſarium ſubminiſtrat adipiſcendo, elevemur *y* ad poſſidendum juſtitiæ titulo bonum infinitum, ratione cujus infinitas miſericordijs *z* ejus debeamus gratias rependere.

x 1. Cor. 15. 10.

y 2. Tim. 4. 7. & 8.

z Tit. 3. 5.

Gratia Divina, tali occurſu ſe nobis offerente, nunquam nobis renuitur *a*; nihil aliud ſupereſt niſi ut *libertas* humana, ipſius non reſpuat auxilium, ut perficiatur hæc petitio, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.* Cœli Dominus vult ut præ magna audeamus illam exequi fiducia, promittens nobis ſuam gratiam, cum ipſe docet nos ac ſuadet nobis ut eam ab ipſo poſtulemus. Sed ſicut in noſtra ſitum eſt libertate Divinâ gratiâ adjuta huic ſanctæ Voluntati adhærere, & eam complere, ita eidem noſtro relinquitur arbitrio libero ut ab eadem per propriam malitiam ſe diſtrahat exequenda, eamque contemnat. Miſerandam hominis cæcitatem! Abutitur ille ſua libertate in contemptum Dei, qui ſingulari hoc privilegio cum Angelo nobis communi, ipſum inſignivit *b*, ut ei ſe opponat, cui nemo poteſt reſiſtere: unde fit ut qui majus de-

a Hebr. 12. 25.

b Eccli. 15. 14. &c.

ber, minus reddat, qui majori pollet induſtriâ, magis deviet; qui pluribus juvatur medijs, majorem opponat reſiſtentiam. Quòd libertate conceſsâ ad attingendum Deum, utatur homo ad pugnandum cum Deo, eique reſiſtendum, infortuniorum eſt iſtud omnium ultimum, & ſatius eſſet millies & millies confundi, quàm delere è corde ſuo deſiderium ut Dei *fiat voluntas ſicut in cœlo, & in terra.* Quid autem noſtrâ intereſt ut ſimus parvi aut magni, dummodò ſimus, quandiu in hoc mundo vivimus, intra terminos Divinæ Voluntatis, quod eſt omnis noſtra fœlicitas? Satius eſſet ut ſi in centro terræ cõſtituti, Divini Amoris ſubjiceremur obtutibus, quàm ſi in cœlo degentes, vel unicum indignationis Dei pateremur aſpectum. Caſus
c Iſai. 14. 12. &c. d Ezech. 18, 21. &c. Angeli *c*, & exauditio hominis *d*, apertè oſtendunt parùm eſſe conſiderandum utrumque, ſi comparetur cum voluntate illius, qui momento vel unico omne genus ſtatus mutat, cùm ipſe ſemper immutabilis in ſua eſſentia perſeve-
e Hebr. 1. 18. & 12 ret *e*. Tandem, Cùm tota cœli beatitudo in hac unione cum iſta ſancta Voluntate conſiſtat, fœlicitas terræ poteritne alibi quàm in ejuſdem Divinæ Voluntatis executione inveniri?

Nulla revera reperiri poteſt fœlicitas, neque pax aliqua in corde humano, niſi formando in eo aliquam ſtabilitatem, qua omnes ipſius motus & affectus firmiter conſiſtant. Cor noſtrum eſt, non ſecus ac navis, mille incertis agitatum eventibus: quæ anchora poſſit illud retinere, & firmum reddere, niſi anchora Divinæ Voluntatis his duobus harpagonibus formata, ut nimirum hæc *fiat voluntas ſicut in cœlo, & in terra?* Cor noſtrum eſt veluti mare, in quo fluctus timorum & deſideriorum, gaudiorum & triſtitiarũ ſemper inſurgunt; quis maris hujus tempeſtates & procellas retundat? Quis ſcopulos illius eludat, & ab illius declinet perpetiendis naufragijs? quis tranquillitatem & ſerenitatem ipſi afferat, niſi radius Divinæ gratiæ, quo ſubitò nos elevamus, cùm dicimus ut Dei *fiat voluntas ſicut in cœlo, & in terra?* Huc igitur tendere debet pondus animæ noſtræ, hîc debet eſſe noſtrarum ſtabilitas inconſtantiarum, noſtrorum reſolutio dubiorum, ſecuritas timorum, tranquillitas tentationum, ſerenitas animarum, & pax cordium, ſed pax non ſimilis ei, quam homines largiuntur; ſed pax, quæ omnes antecellit contentiones, & quæ conſervatur etiam inter bella ſine ulla alteratione.

Diviſi vobis voluntatem Dei, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, in voluntatem eſſentiæ, in voluntatem potentiæ, & in voluntatem ordinis; & dixi vobis voluntatem potentiæ vocari aliter à Theologis voluntatem beneplaciti, ſeu voluntatem abſolutam, quæ eſt illa, de qua Deo dicitur, *Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere volunta-*
f Eph. 13. 9. *ti f.* Seu, ut jam dixi, eadem, de qua loquitur
g Rom. 9. 19. Apoſtolus *g*, *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Illam Cornelius è lapide loco ubi ſuprà vocat abſo-
h Becan. 1. part. ſumm. Theol. Schol. tract. 1. c. 11. q. 1. lutam, & Becanus *h* item pariter nominat abſolutam & efficacem, quia ſuum ſemper ſortitur effectum; & ut authoritatem ſuæ conciliet ſententiæ, eadem citat Scripturæ ſacræ loca, quæ affert Cornelius. Voluntatem verò ordinis dixi eſſe illam, quam ijdem Theologi appellabant voluntatem ſigni, aut voluntatem optativam ſeu imperativam, de quâ loquitur idem Cornelius, de quâ Patres Eccleſiæ hanc tertiam intelligunt petitionem: & hanc poſſum adhuc cum eodem Becano vocare conditionatam, quæ non ſemper completur, & quam vocat ipſe aliter inefficacem, quæ duas habet facies. Alteram, per quam Deus vult ut omnes homines benè vivant, & mandata ſua obſervent, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata i.* Alteram verò, i Matth. 19. 17.
per quam vult ut ſalventur univerſi, *Omnes* k 1. Tim. 2. 4.
homines vult ſalvos fieri k. Prior habet hanc annexam conditionem; Deus vult ut omnes homines ſervent ſua mandata, ſi velint ſervari. Poſterior verò iſtam præ ſe fert circumſtantiam; Deus vult ut ſalventur, ſi velint, & nullum operandæ ſaluti ſuæ opponant obſtaculum.

Non obſtante hâc diviſione ſolemni allatâ à famoſis iſtis duobus Theologis, alij intelligunt hanc voluntatem ordinis, quam vocavi, ſigni, tribus modis, eo pacto, inquiunt, quo aſſignatur à D. Paulo *l*, cùm ait; *Nolite conformari* l Rom. 12. 2.
huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri; ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Triplicem igitur in Deo agnoſcunt voluntatem, nimirum voluntatem bonitatis, voluntatem beneplaciti, & voluntatem perfectionis. Sed opinio iſtorum non differt à ſententiâ eorum, quos jam citavi, præſertim verò Becani, qui ait per voluntatem beneplaciti Theologos intelligere actum internum Divinæ Voluntatis, per quem vult aliquid; & per voluntatem ſigni non actum internum, ſed externum Divinæ Voluntatis, per quem ſignificat ſe aliquid velle. Propter hunc effectum aſſignant quinque ſigna Voluntatis Divinæ, præceptum, prohibitionem, permiſſionem, conſilium, & operationem, hoc verſu comprehenſa,

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

Super quæ proponitur hæc quæſtio. Utrùm hæc ſigna externe ſignificent ſemper voluntatem Dei internam, aut beneplacitum Dei. Alij dicunt, quòd ſic: alioquin enim eſſent ſigna falſa, ob rationes, quas allegat Becanus, & quas obmitto, cùm longius eſſet eas recenſitu. Alij aſſerunt, quòd non, Quia, inquiunt, voluntas ſigni & voluntas beneplaciti ſunt inter ſe oppoſitæ: Atqui ſi ſigna externa Voluntatis Divinæ ſemper eſſent unita cum actu voluntatis beneplaciti, qui eſt internus, non eſſent inter ſe oppoſita, nam Deus præcepit Abrahæ ut ſibi immolaret *filium ſuum Iſaac m*, & ta- m Gen. 22. 2. &c.
men non erat voluntas Dei ut immolaretur I- † Chriſtian. Adrichom. in Theat. Terræ S. & Biblic. Hiſtor. citans Joſeph. lib. 1. Antiq. Judaic. c. 22.
ſaac. Nam, ut ait Chriſtianus Adrichomius †, *Deus fidem Abrahæ probans, jubet Iſaac ſibi in monte offerri in holocauſtum; cùm jam eſſet, juxta Joſephum, 25. annorum. Itaque Abraham de nocte conſurgens, aſſumpto Iſaac cum duobus ſervis, pergit ad locum deſignatum, quò die tertia, nempe 25. Martij, perveniens, relictis ſervis, ipſe ignem & gladium ferens cum Iſaac ligna holocauſti portante aſcendit montem Moria, ubi cùm Iſaac ligatum altari lignisque impoſuiſſet, extendit manu gladium, ut ipſum mactaret, inque holocauſtum combureret.* Nec tamen ſacrificavit illum niſi voluntate, ut voluntati Dei obediret.

Has conciliat Becanus iſtorum Theologorum opiniones, cùm ait, Deum per hæc ſigna oſtendere atque ſignificare, quidem ſe velle aliquid, ſed tamen non indicare ſemper ſe velle ſpecialiter & præcisè talem rem, quam prima fronte concipimus eum velle; quod exemplo ſuprà allegato explicat Abrahæ, cui juſſit Deus ut ſibi ſacrificaret filium ſuum Iſaac, cùm dixit ei: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Significabat illi quidem Deus ſe voluiſſe ut ſibi obediens foret ad immolandum filium ſuum, non tamen ut illum ac vera ſacrificaret. Unde concludit, totam voluntatem ſigni eſſe etiam voluntatem beneplaciti, non ſemper reſpectu actûs, quem primo concipimus intuitu, ſed tamen reſpectu illius, quod Deus verè intendit. Ita ut illi Theologi & Doctores, qui collocant voluntatem beneplaciti ſub voluntate ordinis aut ſigni, effectivè in ſuis concordent opinionibus, ſed ſola duntaxat indigeant explicatione, ſeu conciliatione.

Conſtituunt igitur primò ſub hac voluntate ordinis illam, quam appellant bonitatis, quam aſſerunt à D. Paulo aſſignari, & eſt illa, qua non adimpleta homo nunquam poteſt eſſe bonus moraliter. Illa eſt quæ inſtituit præcepta conformia ordini, quem Deus in cœlo conſtituit. Hæc mandata facta ſunt diſpoſitiones ad elevandam terram ad vitam cœleſtem, aut ad formandam aliquam umbram operationum Beatorum in ſinu eorum, qui ſunt adhuc viatores. Tota eorum perfectio ad id reducitur duntaxat ut benè ament; & ſicut vita immortalitatis perficitur in amore conſummato in patria *n*; ita vita noſtra mortalis in via ſit in amore *o* incepto. Quicumque non inciplet in hoc mundo, proculdubio nunquam perficiet in altero. Quis enim meſſem colligat, niſi priùs ſemen in terram projecerit? Deus præcipit, ſed ſine intuitu proprij commodi; id agit ut nos præparet, & nos cœlo dignos efficiat, largitur hìc nobis unde per gratiam incipiamus; ut perficiamus tandem in gloria. Mandata ipſius nimis nos devinciunt, ut ea non amemus; faciliora ſunt, nedum ea non exequamur, & nimis neceſſaria ut ea non amplectamur. Cùm ea perficimus, quid utilitatis ex ea Deo advenit obſervantia, niſi in quantùm noſtra veluti ſua reputat commoda? Nobis ſolis cedit in detrimentum, ſi cœlo renunciemus, ut curramus poſt umbram terræ, & populares captemus auras. Ut igitur ad nihilum redigatur hæc infœlicitas, deſiderare debemus ut Dei *fiat voluntas ſicut in cœlo, & in terra.*

n Iſai. 35. 10.
o Pſ. 72. 28.

Voluntas beneplaciti, quæ aſſignatur à D. Pauſo ſecundùm hos Theologos, eſt illa, quam Deus oſtendit in conſilijs ſuis, inquiunt illi. Ipſe aſt *Pater*, qui potius deſiderat in nobis invenire corda filiorum, quàm ſervorum, ut magis faciamus amore ducti, quàm neceſſitate. Poſtquàm dedit nobis regulas benè agendi, alias nobis exhibet, ad quarum tamen executionem non obligat nos. Nullum eſt re vera mandatum, quod aliquod in perfectione ſua non includat conſilium. Si præceptum diligendi Dei *p* obligat me ut nihil appretiem intuitu Dei ſuper omnia amandi, pro conſilio mihi derelinquit & ſuadet ut reddam, quantùm in me erit, hunc amorem actualem in anima mea magis ac magis. Si mandatum non ſumendi ſancti Nominis ipſius *in vanum q*, præcisè exigit à me ut nunquam illud profanem; præcipit mihi ut illud ſanctificem omnibus, quibus potero, modis optimis. Si verò illud, quod injungit honorem & obedientiam parentibus rependenda, exigit hoc debitum & has ſubmiſſiones à nobis exhibenda omni generi Superiorum ſpiritualium, aut temporalium, à quibus dependemus ſeu quoad ſpiritualia, ſeu quoad politica, *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo r*; Ita oſtendit conſilium me ſubmittendi omnibus creaturis ob amorem Dei. Mandatum, quod prohibet ne manus injiciam violentas in perſonam fratris mei proximi; ſeu ad illum occidendum, aliudve notabile damnum illi inferendum, relinquit mihi conſilium benè faciendi. Præceptum vetans odia, vindictas, inimicitias, rixas, diſſidia, pravaſque cogitationes, ſenſim ſine ſenſu inſpirat mihi conſilium continendi cordis mei in charitate, illiuſque, quantùm in me erit, conſervandi in caſtis & cœleſtibus motibus & affectibus. Mandatum de non furando, aut non concupiſcendo bono alieno, viam mihi pandit ad ſpoliandum cor meum penitus affectibus terrenis, & ad vivendum impoſterùm in paupertate ſpiritus *s*.

p Matth. 22. 37.
q Exod. 20. 7. &c.
r Rom. 13. 1.
s Matth. 5. 3.

Quod cùm ita ſit, ſicut & de omnibus alijs mandatis ſimile conſilium poteſt colligi nobis utiliſſimum; quid mihi eſt dicendum, aut faciendum erga Patrem, qui tantâ utitur ſuavitate, & providentiâ, ut relinquat amori meo id, quod jure merito & titulo debiti à meis potuiſſet exigere obedientijs? Conſilia Patris, *qui dives eſt in miſericordia t*, niſi ſint catenæ, quæ me alligent & devinciant, ſunt ſaltem blandimenta, quæ me alliciunt, & mihi cor rapiunt majori efficaciâ. Idcircò non deſinit nobis Deus gratias impertiri; ut amplectamur omnem perfectionem, quam agnoſcere poterimus in Divinis ipſius mandatis, ſatiſque nobis eſt ut ſciamus ipſius beneplacitum eſſe unitum rei, ut nos inducat impoſterùm ad eam exequendam, ut teſtemur actionibus magis quàm verbis deſiderium, quo ferimur ut ipſius *fiat voluntas ſicut in cœlo, & in terrâ.*

t Epheſ. 2. 4.

Voluntas perfectionis eſt illa, quæ non exprimitur conſilio, neque mandato aliquo expreſſo, ſed omnibus eſt applicanda eventibus, quibus nos Deus ad majorem ſine intermiſſione vocat perfectionem. Quidquid igitur nobis accidat, non debemus ſolam duntaxat habere conformitatem interiorem ad illud è manu Dei paternâ ſuſcipiendum, ſed etiam oculum cordis noſtri tenere apertum ad intuendam ibi majorem perfectionem, quam à nobis Deus exigit; & hoc eſt regulæ Divinæ Voluntatis adhærere. Non nobis debet ſufficere, ut Divinæ nos ſubjiciamus Voluntati, in amiſſione bonorum noſtrorum; debemus inſuper in eâ videre denudationem ſpiritus, ad quam nos vocat. Deperditam ſanitatem noſtram non ſolùm ſuſtinere debemus cum reſignatione Divinæ Voluntati exhibitâ, ſed præterea debemus in illâ intueri privationem ſenſibilium conſolationum: ſicut Deus nos invitat ad commercium ſpiritus interius, ita,

quæcumque nobis fuerint obvia exteriora, oculos aperire debemus ſuavitatibus gratiæ interioris, quarum hæc ſenſibilia ſunt notæ, ut poſſimus facere, *ſicut in cœlo, & in terra* ſanctam ipſius voluntatem.

Non intendimus propterea hâc petitione facere voluntatem Patris cœleſtis cum totâ & eâdem perfectione, qua ipſa fit *in cœlo*. Beati in cœlo tribus potiuntur privilegijs non communibus terræ noſtræ incolis. Quorum primum eſt, ut nunquam diſcedant ab hac ſancta voluntate per aliquam vel leviſſimam imperfectionem. Secundum eſt, ut continuam habeant attentionem circa illam, nec ab ea ullo unquam divertantur modo. Tertium eſt, ut cognoſcant illam perfectiſſimè in eo quòd illa ipſus tangat ſine obſcuritate, & ſine ulla perplexitate. Hæc tria privilegia non poſſunt ſociari miſerijs terræ, in qua vel ipſi Sancti (ſi excludamus ſanctiſſi-
n Cant. 4. 7. mam Virginem Mariam *n*) vitam ducunt imperfectionibus & obſcuritatibus hujus noſtræ mortalitatis obnoxiam. Tres alias nihilominùs habent conditiones, quas imitari poſſint ij qui in terra habitant. Quarum prima eſt, ut nullam patiantur unquam in cordibus ſuis mutationem, qua convertantur ad aliud objectum, in diſpendium & deſertionem Divinæ Voluntatis. Secunda eſt, ut ipſum intueantur Deum veluti centrum omnium deſideriorum ſuorum, in quo ſuas omnes uniant affectiones. Tertia verò eſt, ut fervent deſiderio, ſitique inſatiabili ad ipſum ſerantur, ſic ut nunquam dicant, Satis eſt. Illos in his tribus imitari poſſumus capitibus; & in hac ſancta petitione, quam facimus, oramus Patrem noſtrum cœleſtem ut eam nobis largiatur gratiam, qua nunquam ſanctam deſeramus ipſius voluntatem, ſed uniamus ipſi omnes intentiones noſtras, & creſcamus uſque in finem in adimpletione ejuſdem ſanctæ voluntatis, ut eædem conditiones incolarum cœli inveniantur in habitatoribus terræ.

Hæc Divina Voluntas fit in cœlis à Beatis præ omni libertatis genere, ſine ulla reſiſtentia; in omni ſuavitate, ſine ulla repugnantia; & in omni ardore amoris, ſine ulla penitus negligentia. Hic eſt modus, quo Divina hæc *Voluntas in cœlo* perficitur, ut eodem pacto eam poſſimus nos *in terra* adimplere. Sed in terra impij & ſcelerati homines ei reſiſtunt, imperfecti ei repugnant, & quis eſt qui eam exequatur cum toto amore poſſibili, ſine tepore alicujus negligentiæ? Si ei libertatem noſtram non recuſamus, perſæpè in ea ceſſamus, ut totam ſuavitatem non afferamus debitam. Quantam experimur in noſtro corde, & in noſtris ſenſibus repugnantiam, quando videmus & proſequimur illud, quod optimum judicamus? Pars inferior pugnans contra rationem & ſpiritum, reddit ipſorum motus tardiores; ideircò petimus ut Divina *fiat Voluntas ſicut in cœlo, & in terra*. Hoc eſt, ſublata omni reſiſtentia, quæ à nobis poſſit afferri contra hanc ſanctam Voluntatem, poſſimus abundantia gratiæ coproſè perfuſi guſtare eandem Divinam Voluntatem, &
x Pſ. 118. 32. currere cum jucunditate *viam mandatorum x* ipſius.

In cœlo inter hanc multitudinem ferè infinitam tot incolarum ordo ita admirabilis invenitur, ut contenti ſuo ſtatu, occupentur generaliter in laudanda, benedicenda, & adimplenda Dei voluntate. Hæc dependentia, quæ eſt in ordinibus Angelorum, quorum inferiores purgantur, & illuminantur à Superioribus, ita generaliter & tranquillè exercetur ab omnibus illis Spiritibus beatis, concretionis ac molis corporeæ expertibus, ut ſolam Divinam Voluntatem intuiti, incomprehenſibilem faciant harmoniam, & concentum forment admirabilem, cùm unuſquiſque ſuam agat partem in gradu fœlicitatis beatificæ, in quo placuit Deo ipſum conſtituere, ubi nullam planè eſt advertere confuſionem. Hoc nos docet, quòd, cùm omnes homines debeant invenire ſatisfactionem & fœlicitatem ſuam in ſorte conditionis, quæ ipſis obtigit, nullum etiam conſilium formare intendant aliud ſibi utilius quàm iſtud, ut Dei voluntatem adimpleant *in terrâ*, ſicut ipſa perficitur in Empyreo; quòd nemo unquam debeat anticipare, & admovere pedem ſuum ſuper conditionem proximi ſui; quòd ſocietas pacis ubique regnare debeat; quòd nunquam ſeparari debeamus ab hac ſanctâ Voluntate, ſed illam aſpicere ut finem omnium affectuum noſtrorum; & illam perficiendo, nunquam retro reſpicere, ſed potiùs progredi ad id, quod ſupra nos eſt, ut nunquam ſimus, præ deſiderio perficiendæ ſanctiſſimæ voluntatis Dei *ſicut in cœlo, & in terrâ*.

Heu! uſquequò erit in nobis aliquid, quod repugnet & obedire nolit ſanctæ Dei voluntati? Uſquequò caro rebellis elevabitur contra ſpiritum, & ſpiritus contra ipſam pugnabit carnem? Uſquequò prœlium hoc inteſtinum & formatum durabit inter has duas noſtri ipſorum portiones? Ha! nunquam ceſſare debemus, quoadusque videamus gratiam Divinam omnium motuum noſtrorum moderatricem, & affectuum noſtrorum dominam attollere vocem noſtram adversùs Deum, ut impetremos ab eo hanc liberam, ſuavem, & ardentem voluntatem, quâ ipſius ſanctiſſimam perficiamus voluntatem, & dicamus ei ſine intermiſſione ut hæc ipſius *fiat voluntas ſicut in cœlo, & in terra*. Libertate omnino ſanctâ debemus animari ad ſequendas ipſius vias, unctione ſuavitatis ad illas amplexandas, & amore non interrupto in exercendo eo, quod à nobis ipſe requirit, ut, quantùm in nobis erit, poſſimus perficere ipſius voluntatem *ſicut in cœlo, & in terra*.

Deus bone, largire nobis indifferentiam perfectam & completam ad omnia & ſingula, quæ poſſint nobis advenire. Effice, obſecramus, ut ſuſcipiamus à nobis omnes eventus importuni cum generoſa reſignatione exhibita decretis Divinæ tuæ providentiæ; ut nunquam intueamur tribulationes & anguſtias ordinarias huic vitæ adverſantes, niſi ut cauſas inſtrumentales, quibus ſumma tua *Sapientia y* utitur ad y Sap. 24.
nos probandos; ut omnia ſint nobis indifferentia, vita æquè ac mors, honor æquè ac contemptus, divitiæ non ſecus atque paupertas, depreſſiones ſicut & magnitudines, cœlum non minùs ac terra; & quòd ſingulæ vices, quibus tibi dicturi ſumus, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, ſint tot actus, quibus ſtabiles efficiamur ac firmi in hac indifferentia; ut nullam nobis unquam intueamur congruentem beatitudinem niſi in adimplenda hac ſanctiſſima voluntate tua.

Largire

Largire nobis exactam & inviolatam fidelitatem in uſu gratiarum tuarum legitimo, obedientiam perfectam tuis ſanctis inſpirationibus exhibendam. Inſpira nobis id, quod tibi jucundiſſimum viſum fuerit; ſed concede nobis eodem tempore gratiam adeò efficacem, ut nullam ei reſiſtentiam opponamus. *Compelle z* etiam, Deus bone, ſi Divinæ majeſtati tuæ placuerit, rebellem hanc voluntatem, cui renunciare penitus ex toto animo intendo quosd quemlibet alium effectum, ut illius exercitio utar duntaxat ad exequendam ſanctiſſimam voluntatem tuam in hoc mundo, ſicut perficitur ab Angelis, & à Beatis in æterno in gloriâ cœleſti.

z Luc. 14. 23.

FERIA III. POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

Sic ergo vos orabitis; Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et dimitte vobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Matth. 6. 9. &c.

TRes præcedentes petitiones inſtruxerunt nos circa ea, quæ petere debeamus à Deo, intuitu Dei ipſius, cum illæ præcisè inſtitutæ ſint pro ipſius gloriâ, deinde pro noſtrâ utilitate, eo modo quo id explicui vobis his diebus præteritis. Quatuor ſequentes docent nos ea quæ deſiderare & petere debeamus pro nobis ipſis. Cùm habeamus in terrâ relationem ad quatuor genera perſonarum, ad Deum, nos ipſos, amicus noſtros, & inimicos noſtros; copiosè habemus in hâc cœleſti Oratione unde ſatisfaciamus omnibus, edocti debita noſtra erga Deum, curam noſtrî ipſorum, tolerationem amicorum noſtrorum, & defenſionem noſtrî reſpectu inimicorum noſtrorum. Quoad ea, quæ nos ſpectant, duas habemus vitas, alteram naturalem, ſupernaturalem alteram; priorem ſitam in unione animæ cum corpore, poſteriorem conſiſtentem in adhæſione animæ cum Deo; utraque alimentis indiget quibus conſervetur in terra, & ea petimus nobis dari hac Oratione.

Non eſt cur miremur ſi vita noſtra ſenſibilis quotidie decidens per conſumptionem humoris vitalis, qui paulatim à calore innato abſumitur, reparatione indigeat: multò minor nobis debet eſſe occaſio mirandi, ſi calore concupiſcentiæ in natura corrupta paulatim aggravante animam noſtram, eamque infirmante in vita ſupernaturali, continuâ indiget ope ipſa anima, ut reparetur; & in hoc caſu debemus deſumere regulam è vita corporis pro conſervatione vitæ animæ, contra eos qui cùm dies totos alteri tribuant, vix alteri vel momenta aſſignent. Par eſſet profectò ut contrarium fieret à nobis: ſed ſicut ita ſenſibus noſtris adhæreſcimus, deſumamus ſaltem è vita noſtra ſenſibili anſam dicendi æqualiter Deo ſingulis diebus; *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*; tantam inſumentes ſolicitudinem ad conſervandam in nobis vitam, quæ nullum finem eſt habitura, quantam adhibemus ad conſervationem vitæ perituræ non obſtantibus curis noſtris omnibus; & diſcamus tractare cum Deo in Oratione, ut recipiamus ab eo alimentum cordium æquè & magis ac corporum. Hoc alimentum non eſt aliud niſi gratia *a*, aut Verbum Divinum, quibus Maria repleta fuit, cùm ſalutavit ipſam Angelus his verbis, *Ave Maria*.

a Luc. 1. 28. & 38.

Hæc admittitur differentia inter alimenta corporis & ſpiritus, quòd corpora nutriantur ſubſtantiis ſeipſis inferioribus, homo animalibus, animalia plantis, & plantæ ſucco & pinguedine terræ, in quam tandem omnia corpora viventia reducuntur ut in proprium centrum: ſpiritus è contrà alantur ſubſtantiâ ſuperiori, in quam ſe transformant ſicut in centrum gloriæ ſuæ. Secundùm autem diverſitatem vitæ, quâ fruimur, petimus pariter diverſitatem panis: nulla autem eſt ſubſtantia ſuperior, quæ poſſit ſatiare animam noſtram præter Deum ſolum: idcircò docet nos Filius Dei, ut petamus à Patre cœleſti *panem noſtrum ſuperſubſtantialem*. Hic eſt, qui eſt ſuper omnem ſubſtantiam: ſed quis poteſt panis hic eſſe ſuperſubſtantialis, niſi ſolus Deus? Oportet ut alimentum conſervationi vitæ ſerviens, ſit ejuſdem ordinis ac vita conſervanda. Quænam eſt vita animæ noſtræ, niſi Deus ipſe? Vitæ ſupernaturalis, excedentis omnẽ creaturam in cœlo & in terrâ, quodnam debebat eſſe alimentum, niſi Deus? Audax eſt hæc petitio, quâ quis poſtulet à Deo *panẽ ſuperſubſtantialem*. Nemo poterat eam dictare niſi ille, qui cum ſit Deus, ſe nobis exhibuit ut panem *vitæ b*, ut alimentum ad reparandas vires noſtras, & ut cibum omnium aliarum ſubſtantiarum excellentiſſimum. Opus eſt ut inſtanter petamus ab illo ut nobis præbeat hunc panem, cùm ipſe ſolus poſſit eum largiri, & velit præ ſummo, quo nos proſequitur, amore; & cùm ipſe factus fuerit noſter cibus, ob hunc finem nos invitet ut petamus ab ipſo cum libertate filiali; *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Intendo igitur explicare vobis Primò, quis ſit iſte panis, quem poſtulamus à Deo ut alimentum noſtrum, per hanc quartam petitionem. Secundò, Sicut remediis egemus æquè ac alimentis, videbimus ſuper his verbis quintæ petitionis; *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: qualis ſit recuperatio noſtræ ſanitatis. Et hæ partes duæ erunt hujus diſcurſus explicationes.

b Joan. 6. 48.

Diviſio.

Panis ſuperſubſtantialis, quem nobis dat, & quo nos alit Deus, triplex eſt. Verbum ipſius c. Gratia Divina. Et Corpus Chriſti ſacratiſſimum in auguſtiſſimo Altaris Sacramento nobis exhibendũ; ita ut Deo dicentes; *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*; prorſus ſit ac ſi ei diceremus, *Da nobis* hodiernâ die Verbum tuum Divinum, cibs animas noſtras hoc *pane vitæ & intellectus & hâc aquâ ſapientiæ ſalutaris d.* Hæ veritates ſunt alimenta ſpirituum noſtrorum, & vires noſtris addunt animis, ut *viam mandatorum tuorum currant e.*

1 Pars.

c Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3.

d Eccli. 15. 3. & ex Joan. 10. &c.

e Pſ. 118, 32.

Seu,

Seo, quaſi diceremus ei : Releva Deus meus gravitatem & libiamenta naturæ noſtræ corruptæ, eam reparans per renovationem gratiæ tuæ in nobis, ut voluntates noſtræ cupiditate infirmitatæ, in vires ſuas revocentur priſtinas, & priori vigori ſuo, quem poſteà tuo Divino mancipent obſequio, reſtituantur. Seu tandem, ac ſi ita loqueremur; Nullam habemus in nobis vitam, Domine, ſine hoc pane cœleſti vivificante *f*, quem miſiſti in mundum pro vitâ mundi; *Da nobis* eum hodiernâ die, ne moriamur, ſed potiùs ut vivamus tibi, qui es cœleſtis *Pater noſter*, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.*

f Joan. 6. 51. & 52.

Hæc verba deferunt ſingula in ſe plures maximi momenti veritates; ſive ea uſurpemus ut ijs petamus *panem* materialem, pro vita naturali; ſive ea applicemus pani ſpirituali, pro vita gratiæ. Si ea pronunciemus eo fine ut ijs petamus *panem* ſpiritualem, in ijs videbimus originem omnium liberalitatum, & omnium gratiarum, quæ in nos ſuſceptæ non potuerunt emanare niſi è pura liberalitate Dei. Ingenuè namque fatemur, nihil poſſe nos mereri *g*, niſi id nobis detur deſuper *deſcendens à Patre luminum h:* Verbum ipſius Divinum nos illuminare, & gratiam ejus nobis vires addere, cùm ex nobis nihil præter obſcuritates habeamus ac debilitates, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis : ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* *i*. Nullum enim ſpei motivum habemus niſi in pura & liberali ipſius miſericordia *k*, ſimul ac in omnibus donis & gratijs ab eo promanantibus, cum ſine illo nec vitam habemus, nec ejuſdem vitæ conſervationem, nec aliud quidpiam. Præterea, Si dirigamus hæc verba ad Deum eum intentione ut petamus ab eo *panem noſtrum* materialem, confitemur, *in vanum l* laborare eum, qui ſine ipſius benedictione ædificat : parùm ſiquidem proficit æquè ac nihil; ſudoreſque, vigilias, & curas illius futura inutilia, niſi Divina Bonitas fœlicem eis largiatur ſucceſſum. Laboramus nos ut fortunas ſtabiliamus noſtras, ut bona noſtra augeamus, ut pacem noſtram firmam reddamus; ſed quid proficimus, niſi manum ſuam operi Deus admoveat noſtro? Ibi perſæpè ruinam invenimus, unde fauſtum expectabamus eventum. Quod ſecurius exiſtimamus, hoc ſæpè è manibus noſtris labitur. Unde magnum ſperatur lucrum, inde non exiguum refertur diſpendium. Cùm aliquid magis nobis promiſimus ab induſtrijs noſtris, invenimus nos à nobis ipſis proditos; & ſcalam ad aſcenſum erectam ac paratam, nobis occaſionem fuiſſe in præceps labendi. Idcircò debemus agnoſcere quòd oporteat ut ſemper Deum adeamus non obſtantibus omnibus curis & laboribus noſtris, & petamus ab ipſo *panem* ipſius, & ut labores noſtros benedictionibus ſuis cumulet.

g Joan. 15. 5.
h Jacob. 1. 17.
i 2. Cor. 3. 5.
k Tit. 3. 4.
l Pſ. 126. 1.

Poſtulamus hunc *panem hodie*, hodierna die hujus vitæ mortalis; poſt quam cùm Sacramenta non amplius in uſu ſint futura, & Deus ſit manifeſtaturus ſuas veritates, & ſuam gloriam Beatis, nulla tunc relinquetur petendi neceſſitas, cùm tunc ſint futuræ jubilationes, exultationes *m*, & gratiarum actiones per æternitatem in poſſeſſione infinitorum bonorum. Sed cùm petimus hunc *panem*, non tantùm verbum hoc certos nos reddit de Divina Providentia pro rebus ſpiritualibus, ſed etiam pro corporalibus : licèt enim poſſint explicari de ſanctiſſimo Altaris Sacramento, juxta id quod ait Chriſtus de ſe, *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi* †; quem petere debemus ut perveniamus in vitam æternam; ſeu de ſancto ipſius Verbo, quod eſt panis animarum noſtrarum, *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei n*; qui panis cauſat in nobis appetentiam, id eſt, deſiderium vitæ æternæ ubi ſatiabimus *o* per ſæcula ſempiterna; ſeu tandem de gratia, ut jam ſuprà vobis dixeram? Attamen per hanc quartam petitionem omnes ferè Patres intelligunt id omne, quo indigemus quoad corpus. Æquum enim erat ut in Oratione noſtra aliquid peteremus neceſſarium, quod omnino & integrè poſſemus in hac vita impetrare. Quidquid tribus præcedentibus poſtulatur petitionibus, eſt ſpirituale, & conſequenter tantùm incipit ut ſic, nec poteſt in iſta vita conſummari, ſed duntaxat in cœlo : cùm enim Deo dicimus; *Sanctificetur nomen tuum*, petimus ut Dei ſanctitas cognoſcatur : *Adveniat Regnum tuum*, ut gloriæ ipſius efficiamur participes : *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, ut hæc perficiatur in nobis integrè. Omne autem illud poteſt quidem incipere in hac vita, ſed non poteſt conſummari & perfici niſi in æterna. Idcircò oportuit ut doceret nos Deus Orationem, qua ab ipſo peteremus aliquid nobis neceſſarium, & quod poſſemus integrè in hac vita præſenti obtinere.

† Joan. 6. 51.
n Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3.
o Pſ. 16. 15.

Et hoc eſt panis iſte materialis, ut explicant D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & D. Cyrillus apud Cornelium in hunc locum; & quem D. Cyprianus, D. Ambroſius, & D. Auguſtinus ibidem *quotidianum* vocant conformiter ad S. Lucam †, & ad uſum Eccleſiæ; qui panis ordinarias omnes noſtras complectitur neceſſitates. Inde autem declinare debemus à peccatis, quæ nobis ut pluriṁum accidunt ex immoderata rerum temporalium cupiditate, ſi enim totam fiduciam noſtram, ut par eſt, in Divinam refundamus Providentiam, poſtquàm petierimus ab eâ hunc *panem*, & id, quod nobis eſt præcipuè neceſſarium ad conſervationem vitæ, non inquiremus id, quod noſtram excedit conditionem, hoc eſt, ſufficient nobis frumentum, vinum, oleum, & alia alimenta, ſicut & veſtimenta, quibus indigemus ut hanc miſeram tranſigamus vitam, ut ait Apoſtolus *p*, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Poſtquàm acceperimus è manu Dei, unde nutriamur, & induamur, ne ampliùs progrediamur, ſiſtant ibi cupiditates noſtræ & deſideria noſtra : Difficile quippe eſt, ne dicam impoſſibile, poſſidere, aut deſiderare pluſquàm oporteat, quin auferatur aliquid eorum qui nobiſcum ſunt. Idcircò petendus eſt panis noſter, non autem panis proximi noſtri; ſi enim divites efficiamini bono alieno, ſcitote vos nunquam verâ cordis fruituros eſſe pace, quoadusque illud reſtitueritis. Quicumque verò bona per fas perque nefas ſibi comparat, diebus ſingulis Orationem pronunciat Dominicam contra veritatem : petit enim, imò abripit alienum panem, licèt ipſi ſit duntaxat conceſſum petere & poſſidere ſuum, ſi dignè velit auguſto fidelis & Chriſtiani nomine gloriari, *Panem noſtrum quotidianum.* Hoc innuit, non debere nos petere pluſquàm indigeamus toto peregrinationis noſtræ tempore, ut hoc nobis ad ſalutem noſtram operandam ſerviat. Petere enim bona temporalia ad moliendam

† Luc. 11. 3.
p 1. Tim. 6. 8.

ruinam

ruinam noſtram, hoc proprium eſt illis, qui nullam habent ſpem vitæ futuræ æquè ac fidem. Idcircò Deo dicitur, *Da nobis hodie.*

Si velimus igitur intelligere hoc verbum, *hodie*, de pane materiali, & de alijs neceſſitatibus vitæ ſub hoc pane contentis quotidiano (ut vobis jam dixi) edocemur petere illum duntaxat ad unam diem, ne ei majori affectu, quàm par ſit, adhærere videamur. Illum petimus ad unicum diem, ut rem in tranſitu conſtitutam, & nullo conſiſtentem modo; quid enim eſt vita noſtra niſi dies reiteratus? Illum poſtulamus ad diem tantùm unicum, ne poſt curas abeamus ſuperfluas, poſt inquietudines avaritiæ anxias, poſt inutiles ad longos annos coacervationes, meditantes in ijs per longum tempus noſtram conſtituere requiem, more infœlicis illius divitis dicentis, *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare q*; quandiu agitur ſtatim declinante die de eripiẽda nobis vita, & de conſilijs noſtris penitus deſtruendis, ſicut & illorum, qui *cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire r.* Hunc *panem quotidianum* poſtulamus ad diem unicum, ut diebus noſtræ vitæ ſingulis dependeamus à Patre noſtro cœleſti; & neceſſitate ducti diebus pariter ſingulis ſatagendas ei noſtras exhibeamus humiliter indigentias.

q Luc. 12. 20.

r Pſal. 32.

Si autem accipiamus hoc nomen panis pro vita ſpirituali, edocemur nos non debere petere gratias, ut in ijs requieſcamus, ut in ſuavitatibus nobis complaceamus, & ſimpliciter delectemur in conſolatione s interiori; ſed omnes iſtas gratias ſuſcipiendas eſſe veluti *panem*, qui nobis vires addat ad obſequia Domino exhibenda, quippe qui nobis illum largitur, ut cum majori firmitate progreſſum faciamus in virtutibus ſolidis, & generoſiùs pro gloriâ Divinâ pugnemus manifeſtandâ. Si verò hoc verbum dicamus pro vitâ materiali, docet nos non debere expectare ex ipſius manu paternâ omne genus deliciarum. *Pater* iſte cœleſtis non ita blanditur ſuis filijs ut illos delicijs ſinat diffluere; ſufficit ut illis neceſſaria ad ſuſtentationem conditioni ipſorum congruentem provideat. Iſte queritur, Deum ſibi non dediſſe unde cupiditatibus ſatisfaceret immoderatis; cui Deus oſtendet aliquando ipſius injuſtitiam, eò quòd non citiùs modum ſuis impoſuerit effrænibus deſiderijs, nedum ipſi ſatisfieret ijs, quæ ipſi copioſè juxta neceſſitatem ipſemet providebat. *Pater* eſt Deus qui ſatisfaciat neceſſitatibus, non verò exceſſibus indulgeat immodicis. Tandem, Utrumque *panem quotidianum* vocat, oſtendens per hæc verba ſe eſſe diſpoſitum ad eum nobis largiendum omni tempore, & ſingulis momentis, ut dicamus ipſi fiducialiter ſemper, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.*

s Pſ. 93. 19.

II. Pars.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hæc eſt quinta petitio, quam ad Deum dirigimus, quâ ſpes noſtra oſtendit nobis, poſſidendæ vitæ æternæ, ad quam gloria Dei nos ducit, & terrena veluti ſcalæ nobis viam pandunt, imperfectiones & peccata impedimento eſſe ac obſtaculo; & ſic ipſa eſt fundata ſuper difficultates graviſſimi momenti. Licèt enim cœlum ſit acquiſitu poſſibile, nihil tamen habemus quod efficiat ut ſiſtamus in viâ, niſi peccata, quæ patramus. Idcircò deſideramus & petimus ut illa remittantur *nobis ſicut* delicta *dimittimus* ijs, qui nobis injurias intulerunt. Ubi obſervare debetis, nos in hac vitâ ferè æquè indigere remedijs ac alimentis; & ſicut petitio præcedens nos elevat ad dependentiam à Patre cœleſti, hæc nos dirigit in officinam miſericordiarum ejus, ut in ea ſe nobis præbeat obviàm noſtræ recuperatio ſanitatis. Si peccata noſtra, in quæ quotidie fragilitate labimur, ſint vulnera, ecce ligamina; ſi febres, ecce purgationes; ſi defectus cordis ac debilitates, ecce remedium cordiale, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et ſicut hæc peccata venialia, in quæ labimur, cauſant languores, hi languores debilitates, hæ debilitates graviores caſus, hi caſus conſuetudines, & hæ conſuetudines deſperationes; quam neceſſitatem non habemus occurrendi principio mali, & quotidie reſurgentes ex his imperfectionibus ordinarijs, recurrendi ad vera remedia, quæ nobis offeruntur in iſta petitione? Si aqua præ negligentia è ſentina non hauriatur, ipſa tandem navim replet, & eam in triſte demergit naufragium; ſi verò evacuetur, navis ſecurè tramitem proſequitur inceptum. Cauſa ruinarum noſtrarum ſæpè procedit ex eo, quòd curam non interpoſuerimus utendi remedio facili, & quòd ad illud tantùm recurrerimus, cùm malum erat inſanabile. Sanè gaudium eſt inauditum, & facilitas non exigua ad agendum ei, qui diebus ſingulis hac benè utitur petitione, & qui vera contritione ductus diſcit pronunciare Deo hæc verba, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Vocat in hoc loco peccata noſtra nomine debiti. Debita veniunt & contrahuntur alia poſt alia, ſed in fine tandem ſimul catervatim coacervantur, ut conjunctim obligationum in unum congerantur cumulum. Debita nunquam fiunt à nobis niſi aliquam ſublevandam noſtram prætexentibus neceſſitatem, ut poſteà nos in majores immergant; ſi tempore præſenti nos videantur ſublevare, tempeſtate futura aggravabunt nos implacabiliter: accedunt ad nos præ ſe faciem ſerentia amicorum ſerenam, nec nos niſi cum rigore deſerunt inimicorum: Idem planè dicendum eſt de peccatis noſtris, quæ quantùmvis exilia ſint, venientia tamen alia poſt alia, non deſinunt propterea exercitum formare inexpugnabilem. Cogitamus parcere labori, quem ſuſumeremus ad reſiſtendum alicui affectui pravo, ad retinendas ſenſibus noſtris habenas, & ad moderandum cor noſtrum circa paſſiones ipſius; & ignoramus quantus ſit labor, & quàm ingens pœna, quibus peccatum, quo inquinamur, nos ſubjicit. Guttæ aquæ replent flumina, & arenæ grana montes formant horribiles, & ſpatia circum ipſum maris litus immenſa. Peccata minora non deſinunt quin ſint metuenda in ipſorum numero, licèt non ita formidari debeant ac majora ob ipſorum gravitatem ac enormitatem. Nunquam peccamus quin pœnæ nos ſubjiciamus; Divina Patientia illam ſuſpendit ad aliquantum tempus, ſed Divina Juſtitia ei ſemper præfigit terminum, ni pondus ipſius grave experiamur, ut ait ipſi Salomon t, *Diſſimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.* Sed tandem rebelliones noſtras caſtigat u. Hæc autem maturâ conſideratione perpendentes quid agere debeamus, & quodnam conſilium aſſumere, niſi ut ea, in quantùm in nobis erit, evitemus? Quoad verò ea, à quibus

t Sap. 11. 24.

u Jon. 3. &c.

bus ob ordinarias conditiones noſtræ debilitates vix poſſumus liberari, debemus dicere ſingulis diebus præ maxima humilitate, intuiti pravitatem noſtram, qua perſæpe Patrem offendimus ſic mitem, ut ipſe dimittat *nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Hæc igitur Oratio æqua lance offertur, quia vivere debemus omnes in timore, æquè ac in ſpe, quatenus peccatores & criminibus obnoxij. Excluſo quippe Jeſu Chriſto Domino noſtro impeccabili *x* per naturam, & excepta ſanctiſſima
x Marc. 1. 24.
ejus Matre tali effecta *y* per privilegium ſingulare, quis gloriari poteſt ſe nunquam peccatum
y Cant. 4. 7.
commiſiſſe? *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt z.* Valdè hallucinamur, & impudenter
z 1. Joan. 1. 8.
mentimur, ſtatim ac imaginati fuerimus nos à peccato eſſe immunes; ita ut quatenus peccatoribus ad timorem & ad humilitatem nobis ſit confugiendum; quod tamen non efficiat ut ſpem amittamus veniæ, ne in majora prolabamur perpetranda peccata. Unde fit ut per hæc verba ſpes noſtra ſtabiliatur, quòd, ſi Deum offenderimus, ipſe ſit nobis indulgentiam largiturus, ſi poſt læſam Divinam ipſius majeſtatem, perfectam, quantùm in nobis erit, ob peccata patrata contritionem concipiamus. Nullum autem aliud medium agnoſcimus ut debita noſtra Deo ſolvamus, niſi orando ſupremam Patris noſtri cœleſtis bonitatem, ut nobis ea dimittat miſericordia ſua. *Si enim noſtras obſervaverit iniquitates, quis ſuſtinebit a?* Si exactum nobiſcum intret *in judicium, non juſtificabitur in conſpectu* ejus *omnis vivens b?*
a Pſ. 129. 3.
b Pſ. 142. 2.
Quis poſſit eum inducere ut peccatorum noſtrorum aliquam recipiat ſolutionem? Aut quid poſſumus ei offerre, quod ipſi ſatisfaciat? Quæ bona, quas divitias, quæ commoda ex nobis habeamus? Si miſericordia ei non aperiat ſinum, ut remittat nobis omnia; quæ ſpes nobis ut ab hoc debito liberemur? Infirmitates noſtræ æquè ſunt graviores, ut illi ſimus ſolvendo. Idcircò hac Oratione excluditur omnis præſumptio, annihilatur omnis ſuperbia, deprimitur omnis cogitatio, ita ut nulla alia ſpes miſerijs noſtris, & veniæ fundamenta relinquantur, niſi ut recurrentes ad Dei bonitatem, dicamus ei cum Filio ipſius Jeſu Chriſto, corde contrito & humiliato *c*,
c Pſ. 50. 19.
quod conſtituerit ſuam in miſericordia Patris cœleſtis fiduciam, ut dimittat *nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

In hac ipſe Oratione ſe profectò Deum exhibet bonitatis & juſtitiæ, non ſecus ac Deum pacis & unionis. Vult ut reconciliatio noſtra ſecum facta fundetur ſicut in conditione abſolutè neceſſaria in reconciliatione mutua noſtrî cum alijs. Frater ſeu proximus noſter non poteſt à nobis exigere dimiſſionem debitorum ſuorum, quin nobis eodem momento dimittat ea, quibus ipſi obligamur. Nobis igitur aliquid emolumenti ex tali oritur commercio, ſaltem ad æqualitatem illius, quod dimittimus; & quidquid à Patre cœleſti nobis dimittitur, eſt veluti gratuitò, & ultra id, quod ſperare potuiſſemus. Omnes ſumptus à Deo providentur; ipſe ſolus facit noſtræ impenſas reconciliationis. Cùm parcimus nobis alij alijs invicem mutuò æquali ferè compenſatione, ipſe manet ſolus abſque ulla ſatisfactione, niſi fortè quia miſericordiam & gratiam ſuam nobis ipſe ſit largitus, pacem in medio noſtrî plantaverit, amorem mutuum nobis dederit ut nos ad ſuum amorem extolleret, & nos tandem ab innumeris exemerit curis, inquietudinibus, & timoribus, quæ producunt in nobis utplurimùm deſideria ſumendi vindictam de injurijs nobis illatis, & affectus immoderatos ulciſcendi nos de opprobrijs nobis irrogatis.

Hæc Oratio ſufficiens eſt ut gaudium nobis afferat in ijs, quæ à proximo noſtro poſſimus ſuſtinere, eo ſemper excluſo, quod Divinam lædit Majeſtatem. Non exigua nobis, imò verò ſenſibilis eſt conſolatio videntibus bona noſtra ſenſim ſine ſenſu augeri; maximam autem Dei benedictionem id exiſtimamus, cùm incrementa accipiunt theſauri noſtri, quia, ut ait Salomon *d*, d Prov. 10. 22.
Benedictio Domini divites facit. Quid autem ſunt hæ dimiſſiones & tolerantiæ niſi theſauri, quibus mediantibus Divinæ ſatisfacimus Juſtitiæ? Sanè quotieſcunque hanc attentè pronunciamus Orationem, quam ſumus edocti à Domino noſtro, nobis deberet eſſe in votis ut aliquid haberemus dimittendum, & gaudere oporteret ut poſſemus Deo dicere majori præ fiduciâ, Dimitto, & ideò verbo ſatiſfacturus tuo tenetis mihi dimittere. Judicia Dei formidamus *e*, ſed in hâc Oratione firmam ab ijs e Pſ. 118. 120.
providet nobis ipſemet ſecuritatem, conſtituens in noſtrâ poteſtate ut ea talia reddamus, qualia nobis eſſe cere viſum fuerit. Qualiſcumque ſit obligatio, quâ juſtitiæ ipſius alligamur, illa noſtris eſt concredita manibus, nobis relinquitur aut ut eam deleamus, ſeu ut illam in ſuâ deſeramus integritate; diſcretioni noſtræ relinquitur menſura veniæ; indulgetur nobis ut diffundamus, quantùm voluerimus, miſericordiam, vel illam obſeremus: arbitri conſtituimur Juris & Legis, ut ea abrogemus in noſtrum favorem, ſi velimus, ſeu ut eis vigorem impendamus adverſùm nos, ſi nolimus dimittere.

Si verò vertamus folium, & ſumamus hæc verba, quæ ori noſtro imponuntur, pro pacto inito inter Deum & nos, ſicut iſtud eſt ex parte ipſius utiliſſimum, poteſt etiam è parte noſtrâ eſſici infœliciſſimum. Sicut enim in eo legimus abſolutionem noſtram è bonitate Dei manantem, ibi etiam pariter pronunciamus condemnationem noſtram intuitu obſtinationis noſtræ. Et ſanè res eſt horribilis cogitatu in tribunali Dei hominem nullum aliud crimen habiturum, quod ipſum ſit citius condemnaturum, quàm propria ipſius oratio; nec alium accuſatorem, quàm proprium os; nec alium judicem, quàm proprium cor, cùm ipſi repræſentabuntur hæc verba toties iterata, hoc pactum ita ſolemni ritu initum, & toties confirmatum quoties prolata fuerit hæc cœleſtis Oratio, per quam proteſtatus eſt ſe veniam noluiſſe, niſi priùs eam ipſe indulſiſſet, miſericordiam, niſi eam fuiſſet largitus; dimiſſionem ſuorum debitorum, niſi dimiſiſſet ea *debitoribus* ſuis: & ſicut excepit ſimilem ſibi omni rigore, convênit etiam cum Deo virtute hujus pacti, ſe noluiſſe ſibi parcí in rigore juſtitiæ Dei exacto, quod teſtatur ipſe, dicens ei, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Sed quàm formidanda ſunt hæc verba, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis f.* Nunquid non debemus o- f Hebr. 10. 31.
culos aperire, ut agnoſcamus hanc veritatem, & conciliemus nobis bonitatem & miſericordiam Dei, ne in barathrum demergamur impietatis, & ut dicamus Deo præ veritate ſpiritus ut dimittat *nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?*

Verba

Verba profectò quæ inſignem præ ſe ferunt comparationem, per quam Deus oſtendit magnam, qua ducitur, propenſionem, ut ſuam nobis impertiatur miſericordiam, medeaturque noſtris infirmitatibus, ſic ut omnem excedat fidem. Non eſt diffitendum, nullum nos habere aliud veniæ fundamentum præter ipſius miſericordiam; ſed ut eam magis ſtabiliat ipſe ac magis, amor ipſius inquirit etiam omnia mediorum genera, per quæ huic commercio juſtitiam ſuam immiſceat, non ſolùm è parte Filij ipſius, *qui tradidit ſemetipſum* ſine mora *pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis g*; ſed etiam è parte noſtrî omnium ipſorum; ipſum inducit, imò verò obligat ad omnia dimittenda *nobis debita noſtra*, dummodò dimittamus ea, quibus proximi noſtri nobis ſunt addicti. Hæc eſt tota juſtitia, & tota ſolutio, quam ex parte noſtrî exigit. Sed quænam, quæſo, comparatio noſtrî cum Deo? illius, quod poteſt à nobis dimitti & illius quod Deus dimittit nobis? Quid indulgemus proximis noſtris? Intuitum ſeveriorem? apparentiam frigidiorem? vultum plùs quàm par ſit auſterum? geſtum aliquem, contemptum præ ſe ferentem? verba aliqua indiſcreta? malum aliquem adversùs nos affectum ac aliquam pravam voluntatem? Hoc eſt omne malum quod ordinariè patrare poſſumus. Si verò non deſit nobis poteſtas perveniendi ad effectus aliquos injurioſos, in nobis tunc recipimus partem pœnæ, quam in alijs producimus, dummodò etiam integra è parte noſtra non inveniatur, quandiu virtus, patientia, & benedictio Dei in altera invenitur. Sed quid eſt hoc, quod Deus nobis dimittit? Indignationem ſuam, & infinitas pœnas & miſerias in hoc mundo, & ſupplicia in altero æquè horribilia in ipſorum magnitudine, ac incomprehenſibilia in æternitate durationis ſuæ *h*. Quæ comparatio offenſæ ad offenſam? verbi, aut injuriæ imaginariæ, vel realis, cum criminibus & peccatis contra Dei bonitatem eſſentialem patratis? Quæ collatio perſonæ ad perſonam? Hominis, qui eſt *putredo, & vermis i* terræ, cum Deo qui eſt infinitè *glorioſus in ſæcula k* ſempiterna; cujus *in ditione cuncta ſunt poſita l* in cœlo & in terra? Amorem immenſum! miſericordiam infinitam, quæ juſtitiam inveniat in ſubjectis ita remotis, & ſic parum proportionis ſecum habentibus! Quanta diligentia debemus nos Deum prævenire, uſurpantes hæc verba in favorem noſtrum, & offerentes ipſi ſolutionem noſtrorum debitorum eo pacto, quo ſibi ſatisfieri poſſe à nobis aſſeverat, ipſi dicere ut dimittat *nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*?

g Epheſ. 5. 2.
h Matth. 25. 41.
i Job 25. 6.
k Dan. 3. 56.
l Eſth. 13. 9.

Profectò ſi pauper aliquis ære oppreſſus alieno jacêret in carcere, qui vilia tantùm ſecum haberet veſtimenta, & pro unica conſolatione, ſolam facultatem miſerandam ex eo nunquam exeundi; quo oblectamento perfunderetur, ſi videret ingredientem illam anguſtiæ domum perſonam aliquam venerabilem, quæ ipſi ſpem daret ſe ipſius debita ſoluturam, promitteret ſe ipſi induſtriam ſubminiſtraturam facillimam, qua poſſet ipſe non ſolùm priſtinæ libertati reſtitui, ſed etiam priorem ſuam fortunam augere, dummodò uni rei ſoli vellet manum dare? Quid non promitteret miſerandus ille? quâ cum alacritate omnia conſilia, quæ ſibi darentur, non ſuſciperet, ac impleret? Licèt enim ex hypotheſi exigeretur ab ipſo media pars ſanguinis ipſius, imò etiam fortè vita, non dubitaret quaſi utrumque profundere, cùm viveret ferè mortuus in hoc tenebrarum loco, quaſi in tumulo. Sed ſi duntaxat ab ipſo inquireretur ut hæc vilia, quibus eſſet opertus, indumenta deponeret, veluti triſtia ignominiæ & miſeriæ ipſius inſignia, nonne infœliciſſimus eſſet, ſi vel unicum interponendum exiſtimaret momentum antequàm ijs ſpoliaretur? Ingreditur Chriſtus miſeriarum carcerem noſtrarum, certos nos efficit de benignâ Dei Patris ſui miſericordiâ, prædicat nobis exemptionem ac libertatem, *captivis indulgentiam, & clauſis apertionem m*; promittit nobis dimiſſionem debitorum noſtrorum, nobis pollicetur omnes Patris ſui divitias, & poſſeſſionem æternitatis, eâ conditione ut ſpoliemus nos his infamibus indumentis vanæ gloriæ, honoris imaginarij, commodi phantaſtici, quæ nos in paupertatem redigunt, nedum ditiores efficiant; quæque magis nobis opprobrium, quàm commendationem conciliant. Nunquid non hoc intolerandæ eſt aſcribendum cæcitati hominum, qui ſe exiſtimant aliquâ etiam vigere ratione, quâ iſtud non exequantur?

m Iſai. 61. 1.

Jeſus Chriſtus in his verbis, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, mundo publicat jubilæum *n* admirabilem, generaliſſimum, univerſaliſſimum, frequentiſſimum, & facillimum eorum omnium quibus gaudere poſſimus, & quos unquam in univerſo orbe lucrari valeamus. Dico generaliſſimū; & univerſaliſſimū: per totū quippe mundum diffuſus eſt: Sani, ægroti, extranei, diœceſani, peregrini, domeſtici, eo potiri poſſunt, nemo ab eo excluditur ſibi comparando. Frequentiſſimum aſſero, cùm unuſquiſque eum horis lucrari queat ſingulis, imò & ſingulis momentis; & ferè eodem inſtanti, quo debitum contrahimus, poſſumus efficere ut nobis illud dimittatur, & recuperemus animarum ſalutem noſtrarum. Facillimum ajo, non enim eſt jejunandum, neque magnæ ſuſcipiendæ ſunt peregrinationes; ſufficit ut cor ingrediamur noſtrum, veluti *templum Dei o*, & ibi pro omnibus orationibus & ſatisfactionibus pronunciemus vel unicum verbum, *Dimittimus*; & eodem inſtanti Divina Bonitas largietur nobis indulgentiam plenariam, & noſtrorum omnium remiſſionem peccatorum. Multis vires deſunt ac animus, quibus jejunent, & vitam ducant macerationibus refertam: pluribus etiam minus ineſt pecuniarum, quibus liberalitates exerceant ac eleemoſynas; peregrinationes à quibuſdam non poſſunt exerceri temperamentis, neque rigores abſtinentiarum ab alijs, niſi vix, aut nunquam, peragi; ſed nemo eſt qui faciliimè non poſſit hanc pecuniam præſentem, quam Deus exigit à nobis, recuperare: ſufficit tantùm ut dicamus, *Dimittimus*, & nullam aliam Deus præterea ſatisfactionem requirit. Nemo eſt qui non habeat aliquid ſufferendum ab alio: ſubminiſtramus nobis alij alijs adinvicem exercitium mutuum per debilitates & caſus, per colliſiones & congreſſus, quæ nobis ex utraque communicamus parte: idcircò cum non poſſimus invenire medium opportunius ſolvendis Deo debitis noſtris, cùm detur nobis immediatè à ſummo Pontifice noſtræ ſalutis certior indulgentia, debemus conari eam lucrari ſingulis diebus vitæ noſtræ, dicentes ei, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*.

n Levit. 25. 10. &c.
o 1 Cor. 3. 17.

Si verò velitis etiam ſcire medium ordinarium, quo Divina hæc perficitur Petitio. Reſpondebo id fieri per contritionem cordium noſtrorum, & per confeſſionem ore factam omnium peccatorum, quorum fuerimus conſcij. Oportet enim meminiſſe in peccato eſſe duo, culpam, & pœnam quam ipſa meretur culpa. Culpa, quæ eſt morbus animæ noſtræ, deletur in nobis per contritionem *p*, & per confeſſionem *q*, quæ amiſſam ſanitatem illi reſtituunt, dantes ei gratiam, quæ eſt ipſius vita *r*; ſed pœna, quæ debebat eſſe infinita, & æterna ratione objecti infiniti *s*, & æterni *t* offenſi, quod non eſt aliud niſi Deus ipſe, mutatur in pœnam temporalem, per abſolutionem Sacerdotis *u* Vicarij in hoc tribunali juſtitiæ Jeſu Chriſti Domini noſtri ſummi Pontificis *x*. Succeſſores Apoſtolorum invenerunt etiam alium modum delendæ hujus pœnæ jubilæis & indulgentijs, quæ ſunt *infinitus theſaurus hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei y*, meritis Jeſu Chriſti, beatiſſimæ Virginis Matris illius, & Sanctorum, quorum ſummi Pontifices ſunt diſtributores, quibuſcumque ipſis placet. Imprimis autem ſi deſideretis ſcire quid vobis agendum ſit ad complementum hujus petitionis ex parte veſtrâ; oportet ut ignoſcatis fratribus veſtris, ſi vultis ut vobis Deus ignoſcat, cùm ipſi dicitis, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

p Luc. 7. 47.
q Luc 53. 3.
r Ezech. 33. 11.
s Baruch, 3 25.
t Dan, 13. 42
u Joan, 20. 23.
x Hebr, 6 20.
ex Gen, 14 18. & ex Ps. 109 4.
y Sap. 7. 14.

Obſervate autem, quæſo, huic ſoli petitioni impoſitum fuiſſe à Chriſto Domino conditionem, *ſicut & nos*, ut ſignificetur, deficiente hac conditione, vana futura Confeſſio, & inutilis Pœnitentia. Niſi ignoſcatis eis, à quibus læſi eſtis, planè impoſſibile eſt ut vobis ignoſcat Deus, *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam z?* Ac ſi dicat Salomon, Hoc non poteſt fieri. Similis eſt homo iratus alii qui emplaſtrum à Chirurgo peteret ut illud applicaret vulneri, quod haberet in manu, qui tamen altera manu te vulneraret lethaliter, pugionem cordi infigens ſuo; ſic agit ille, qui non vult ignoſcere. Oportet igitur ut dimittatis, ſi velitis ut Deus vobis dimittat; hanc à vobis exigit conditionem, hoc pactum ſtatuit cum peccatore Deus, qui dimittit, ſi peccator dimittat, ſed qui non dimittit, niſi peccator dimittat, ut ait D. Auguſtinus *a*. D. Cyprianus *b* autem dicit: *Addidit legem, certâ nos conditione & ſponſione conſtringens, ut ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quòd & ipſi debitoribus noſtris dimittimus; ſcientes impetrari non poſſe, quod pro peccatis petimus, niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus.* Non alia nobis ad gloriam via panditur. Et ſicut peccata, niſi nobis dimittantur, ſupplicijs nos addicunt ſempiternis *c*; voſmetipſos condemnabitis, niſi ignoſcatis ijs, qui vobis injurias, aut damnum aliquod intulerunt, & qui ſunt fratres veſtri, Deus exigit tantùm à vobis ut dimittatis. Admirabilem inventionem Amoris Divini erga nos dignam! Sed quid? tantamne Deus ſuſcipiet promovendi boni noſtri curam, ut nos illud negligamus ſatagere? Pater æterne, ne permittas illud, obſecramus, ſed *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Cum ſit hoc medium congruum reſumendæ in hoc mundo ſanitatis animarum noſtrarum per gratiam, ut poſſideamus tandem in altero gloriam ſempiternam.

z Eccli. 28 3.
a D. Auguſt. in Enchir. c. 73. & 74.
b D. Cipr. de Orat. Dominic. num. 12.
c Matth. 25. 41. &c.

FERIA IV. POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

Sic ergo vos orabitis: Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Matth. 6. 9. &c.

NOn ſufficit nobis petijſſe peccatorum noſtrorum præteritorum veniam, & recuperaſſe animarum ſalutem noſtrarum media Divinæ Miſericordiæ indulgentia, quæ dimiſit *nobis debita noſtra, ſicut & nos* debita dimiſimus eis, qui nobis aliquo etiam obligati modo, & eodem quo nos Divinæ ſubjiciebamur Juſtitiæ: ſed prætereà magna ſollicitudine curandum eſt ne in relapſum incidamus, ne fortè relapſus ſit ipſo malo pejor. Idcircò tenemur, inquantùm eſt in nobis, declinare ab occaſionibus, quæ nobis offeruntur diebus ſingulis à tentationibus ordinarijs. Filius Dei docet nos orare Patrem ſuum *ne nos in tentationem* inducat, non quòd Deus nos inclinet ad tentationes, niſi ſaltem permiſſivè; ſed ipſo permittente, tentamur ab inimicis ordinarijs naturæ noſtræ infenſiſſimis, putà mundo, diabolo, & carne, à quibus per ſuum amorem, & per ſuum lumen ſacrum poteſt ipſe nos eximere, ſi conemur ipſum orare cum fervore, ne in hoc luctamine cum hoſtibus ſuſcepto auxilium ſuum nobis neceſſarium deneget, cùm diabolus nihil poſſit ſuper nos, cùm nos tentat, niſi priùs id permiſerit illi Deus, ut videre eſt in perſonâ Job, quem ſine expreſsâ Dei licentiâ aggredi non eſt auſus *a*; nos verò nullam è tentationibus reportare poſſimus victoriam ſine auxilio & gratiâ Dei; quia, ut ait D. Chryſologus *b*, *in tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.* Recurrendum eſt igitur nobis ad orationem, ut impetremus è cœlo gratiam, quâ Maria erat repleta, antequàm diceret ipſi Angelus, *Ave Maria.*

a Job. 1. 12. &c.
b D. Chryſol. ſer. 43.

Nihil eſt aliud tentatio niſi probatio perſonæ alicujus, ſive ad faciendum bonum, ſive ad patrandum malum. Priori tentare poteſt nos Deus modo, ut aliàs ſanctum Patriarcham *tentavit Abraham c*, per quam tentationem oſtendit illi ipſum fuiſſe patrem omnium fidelium, & verum prototypon obedientium, cùm ſe diſponeret ad ſacrificandum & holocauſto conſumendum filium ſuum unicum Iſaac, omnium affectuum ſuorum dilectiſſimum, ut ſatisface-

c Gen. 22 1. &c.

ret

rei præcepto Domini ſui, qui volebat inde duntaxat teſtimonium externis & authenticum deſumere virtutis ipſius excellentiſſimæ. Sed tentatio quæ noſtram intendit probare virtutem, ut nos inducat ad malum, non poteſt à Deo emanare, nec è ſuavi manu Divinæ Providentiæ ipſius procedere, cùm dicat D. Jacobus *d*, *Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat. Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, & illectus.* Primus autem hoſtis, qui nos aggreditur per tentationem, eſt iſte domeſticus, nimirum caro noſtra: nulla enim peſtis fortior eſt ad nocendum nobis, quàm inimicus, qui nobis eſt familiaris, ſemperque nobiſcum converſatur.

d Jacob. 1. 13. & 14.

Ideircò dicebat Chriſtus diſcipulis ſuis, & in eorum perſonâ omnibus fidelibus Chriſtianis; *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem e.* Vigilandum eſt igitur ſine ulla intermiſſione, ne quis ſuccumbat ſob armis iſtius hoſtis domeſtici, qui nunquam ſolus eſt in operatione ſua, cùm *tentator f*, qui eſt diabolus, in ruinam noſtram molientium impendat illi manum ſuam libentiſſimè, huic operi ſemper vacans, & veluti aſtutus Dux exercitus aggrediatur animarum noſtrarum arcem à debiliori parte, ut eam ſibi ſubjiciat. Poſtquàm autem nos in caſum præcipites dedit, continet nos intra peccati laqueos, in quibus nos per ſuas conſtitutiones verſutiar. Sed mundus minores tentationes non habet tentationibus carnis, & diaboli, ut ſunt cupiditas rerum temporalium, perſecutiones, & afflictiones hujus vitæ. Dei Filius docet nos ut à Patre cœleſti petamus, *ne* inducamur *in tentationem*. Et ut ab ea liberemur per gratiam ipſius: & hoc eſt, quod cupio vobis oſtendere in duabus partibus hujus diſcurſus, in quibus explicabo vobis, quomodo ſint intelligendæ hæ duæ ultimæ petitiones Orationis Dominicæ.

e Matth. 26. 41.

f Matth. 4. 3.

Diviſio.

I. Pars.

Iſta ſexta petitio inſtruit nos in militiâ cœleſti, cui numen dedimus, & docet nos quonam debeamus vigilare modo ad evitandas inimicorum noſtrorum communium inſidias, quorum conſilia non poſſunt eſſe nobis niſi maximè noxia, cùm ordinariè ſanctitati repugnent, & juſtitiæ adverſentur Chriſtianæ; ſicut & præparare nos ad pugnam, ad ſuperandam inſultationum illorum inſolentiam atque temeritatem. Non ait Chriſtus in hâc Oratione ut petamus à Patre cœleſti, ne tentemur, ne omnino & integrè à tentationibus ſimus immunes: hoc ſiquidem eſt planè impoſſibile, cùm expoſiti in terra ad pugnandum, ad ſubeunda certamina, in quibus ſunt arma ſemper præ manibus tractanda, & gladius ſtringendus; & quia, ut ait Job, *Militia eſt vita hominis ſuper terram g*, & tentatio continua, nec ullo interpoſito fœdere interrupta; non poſſimus in ea converſari, quin experiamur in ea inſultationes continuas, & aggreſſiones ſine ulla intermiſſione.

g Job 7. 1.

Vita igitur hominis eſt tentatio, ſeu potiùs pugna, cùm hæc ſit unica differentia inter hæc duo verba, quòd tentatio exprimat in ſpecie & in particulari id, quod pugna facit in genere & univerſim. Scitiſne verò quale genus conflictus & pugnæ ſit vobis ineundum, & à vobis ſuſtinendum, & ubi exhibere debeatis auguſta generoſi animi veſtri ſpecimina, per ſplendida facinora, quæ authentica præbeant magnanimitatis veſtræ teſtimonia? Arripienda vobis ſunt arma adverſùs tentationem, in quam poſtulatis ne inducamini. Hæc autem verba, *induci in tentationem*, debent intelligi de conſenſu, quem diverſis ut plurimùm præbemus inſultationibus adverſariorum noſtrorum, qui ſunt mundus, caro, & diabolus, qui noſtram machinantur infœlicitatem, nihilque aliud requirunt niſi jacturam noſtram; *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana h*, conſilium iſtud præbet nobis D. Paulus Apoſtolus. Eſt enim res naturalis ut quis tentetur, cùm vita noſtra ſit tentatio continua; ſed tentat om noſtrum præbere conſenſum, res eſt protſus diabolica. Ita ut per hanc petitionem poſtulemus à Patre noſtro cœleſti, ut impediat ne labamur in id, ad quod vellent nos inducere patiandum mundus, diabolus, & caro, hoſtes naturæ noſtræ infenſiſſimi, contra ſanctitatem Divinarum ipſius legum, & adverſùs ſalutis noſtræ peragendæ commoda, quorum jacturam nobis machinantur. Si enim violentiam impetuum ſuperaverimus illorum, non poteſt nobis deeſſe corona & vera merces debita laboribus, quos ſuſtinuerimus, pugnando contra tentationes à vita humana inſeparabiles *i*.

h 1. Cor. 10. 13.

Re enim vera velle vivere ſine tentatione, æquè parùm poſſibile eſt ac fieri valet ut ſubſiſtat homo deſtitutus humanitate, quæ ipſum in eſſe hominis eſſentialiter conſtituit; ſeu ut quis intendat aërem reſpirare extraordinarium, à nullo alio homine unquam cognitum; vel ſervare vitæ regulam ſpecialem, quam nondum aliquis ſimiliter ſecutus. Hoc eſt renunciare penitùs principiis ordinariis communis legis, & ſtatui veluti eſſentiali, vel ſaltem à conditione naturæ noſtræ inſeparabili, quæ tentationi nos ſubjicit ſubeundæ. Maximam verò omnium tunc temporis experimur tentationem, cùm à tentatione omnino nos eſſe immunes autumamus. Non ſunt in bello plùs ſecuri ii, qui ſe magis ſecuros eſſe credunt; & greſſus, quos prope aliquod collocamus præcipitium, eò ſunt periculoſiores, quò eos magis firmos ponimus, & cum majori fiducia, & ſine ullo periculi timore. Idcircò Dominus noſter oſtendens nobis neceſſitatem tentationis, docet nos, debere nos ad eam præparari: ad tentationem autem meliùs non poſſumus nos diſponere expectendam, quàm circa cuſtodiam noſtri vigilando ſolicitè, ne inimici noſtri nos incautos invadant, & imparatos ſuis nos impetant inſultationibus; & ut dicamus præſtimma humilitate, & verè diffidentes nobis ipſis, ſine ulla intermiſſione Patri noſtro cæleſti ut dignetur nos *ſub umbrâ alarum k* ſuarum protegere, & *ne nos in tentationem* inducat.

i 2. Tim. 2. 5.

k Pſ. 16. 9.

Tentatio eſt rete ſecretum, laqueus eſt clam tenſus, eſt fovea ſub herbâ præparata eo fine ut in eam incidamus. Falſa eſt boni apparentia, quæ ſenſim ſine ſenſu ducit nos in malum verum & reale. Incaſſùm tenduntur retia ante aves, ut fert Proverbium *l* commune; *Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum*. Nec foret tentatio periculoſa, ſi facie aperta & non abſcondita veniret ad nos, ſi ſeipſam manifeſtaret, & ſi cùm dæmon vult nos ad peccandum inducere patrandum, ipſe oſtenderet ſe eſſe ipſum qui nos ſolicitet ad peccandum. Magna ſiquidem caveremus ſolicitudine ne manum & conſenſum præberemus ſuggeſtionibus illius, quæ non niſi maximum nobis inferre poſſunt detrimentum.

l Prov. 1. 17.

Videtur diabolus ita fatigatus, &, ut ita dicam, quaſi brachia ſic habere contracta ab adventu Filii Dei in terram *m*, ut non audeat, nec poſſit nos ampliùs aggredi, provocare nos ad certamen, & pugnare nobiſcum apertè & manifeſtè. Oportet ut veniat ipſe ad nos velatâ facie, obſcuritatibus & tenebris circumvolutus. Sicut in eo nihil eſt generoſitatis, ita in eo plurimum eſt invenire artificii & aſtutiæ, unde appellatur non pugnans, ſed *Tentator*, ut ait noſter Evangeliſta *n*, qui eo nomine appellat dæmonem, cùm eò pervênit impudentiæ ut Filium Dei in deſerto fuerit aggreſſus, *Et accedens tentator*. Nihil habet in toto ſuo agendi modo præter aſtutias ac fraudes, quibus quemcumque tentat ſecundùm ipſius affectus, & juxta id, ad quod videt & agnoſcit ipſum habere majorem propenſionem, & magis eum proclivem eſſe. Sicut autem venatores præſentant avibus id, quod eſt conformius appetitui ipſarum, quod ipſas magis ſolet attrahere, & quod magis eſt idoneum ut ipſas in laqueos, quos ipſis paraverunt, inducat; ſic eundẽ procedendi modũ obſervat diabolus, delicias offert & cibos exquiſitos guloſis, & iis, *quorum Deus venter eſt o*, ſicut lapides in panem convertendos obtulit Chriſto, qui eſuriebat in deſerto *p*, qui tamen non erat è numero illorum, qui opipparè vivere geſtiunt, cùm nihil omnino ibi comederit *quadraginta diebus & quadraginta noctibus*. Offert iis, quorum venter eſt jam cibis repletus, otium, ſomnum, & deſidiam; honores ſuperbis & ambitioſis; contentiones, rixas, & diſſidia elatis ac iracundis; uſuras, rapinas, fraudes, & falſos contractus avaris; ſortilegia, magiam, vanas obſervationes necnon & ſuperſtitiones curioſis, ut obſervavit D. Gregorius Papa *q*.

m 1. Jo. 3. 24. — n Matth. 4. 3. — o Philipp. 3. 19. — p Matth. 4. 3. & 2. — q D. Greg. l. 14. Mor. c. 7. & l. 3. c. 19.

Quæ ſcientia poſſit reſiſtere ſcientiæ dæmonis? quis valeat omnibus ipſius aſtutiis occurrere? quis aperire queat conſilia illius? Perſæpè in nobis concupiſcentiam ſuſcitat, repræſentans phantaſiæ noſtræ objecta concupiſcibilia, & appetitum noſtrum accendens ſenſualem ad ea concupiſcenda. Mundum inſtigat, hoc eſt, homines mundanos & ſuis addictos ſenſibus ut nos tentent, noſque ad ſeculi pertrahant vanitates. Quicumque de ſua propria præſumit prudentia, qui propriis innititur inventionibus, ſuoque judicio adhæret, facilè ab aſtutiori decipitur. Stultitiam ſapientiæ humanæ! tenebras cognitionum noſtrarum! inſtabilitatem judiciorum noſtrorum! Si duntaxat opponamus ei arma ipſius armis æqualia, tunc temporis illa arma invenientur æqualia nullo modo. Cognitioni jungit ille artem & malitiam, arti praxim atque exercitium tot ſæculorum ab orbe condito elapſorum. Quis poſſit habere aliquid ei comparabile *r*, ſive in naturalibus, ſive in acquiſitis? ſed omnino caret humilitate. Profectò eſt illum planè vincere, ac eum aggredi è latere hujus virtutis eminentis, qua privatus eſt, & quæ ipſi totaliter eſt oppoſita, quia *Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ s*. Docemur igitur orare *ne in tentationem* inducamur ad excitandam in nobis hanc ſublimem virtutem. Hæc ergo ſunt arma, quibus muniti diffidamus nobis ipſis, & confidamus Deo, quæ ponuntur præ manibus noſtris; in quibus tota vis conſiſtit noſtra, & quibus uti debemus ad debellandum hunc noſtræ naturæ hoſtem; & quidquid dictet nobis proprium judicium, illud pro ſuſpecto ſemper habere debemus, & efficere ut quoties Deo dixerimus, *Et ne nos inducas in tentationem*, toties noſtro proprio diffidamus judicio.

r Job. 41. 24. — s Job. 41. 25.

Si verò deſideretis etiam majorem confirmationem hujus veritatis, melius ve ſcire quid ſit tentatio, in quam poſtulamus à Deo, ne inducamur; obſervandum eſt, ſi placet, Deum quidem nos tentare, ſed modo omnino contrario & directè oppoſito tentationi, quâ tentat nos diabolus. Tentare nos dicitur Deus, cùm malum nobis exhibet, & bonum nobis abſcondit, nimirum cùm nobis proponit laborem & pœnam, & nobis celat mercedem & præmium, quæ coronare debent opera noſtra bona, & merita, quæ fuerimus conſecuti in praxi ac exercitio bonorum operum, & conando progreſſus facere in juſtitiâ Chriſtianâ. Ipſe nos tentat, cùm videtur velle nos opprimere afflictionibus, adverſitatibus, & infortuniis; & abſcondit conſilium, quod formavit ab æterno, quo tandem nos benedictionibus & gratiis perfundat ſuis. Ipſe nos tentat, cùm videtur à nobis recedere tempore tribulationis, licèt tunc ipſe ſit nobis propior, cùm tunc temporis ſit nobiſcum, ut ipſemet ait per Prophetam *t*, *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*; ut ab ea nos eripiat; *Non enim delectatur in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundit u*. Ipſe nos tentat, auſterum ſe exhibens ſenſibus, ut ſe miſericordiorem ſpiritui oſtendat. Ipſe nos tentat, quaſi verò dubitare videatur de noſtra fidelitate, quam tamen vult ſuis coronare liberalitatibus. Ipſe tandem nos tentat, ut puriores nos efficiat, ut confirmet nos in virtute, ut nobis ſuas largiatur gratias, ut accreſcat in nobis benedictionum ipſius abundantia copioſa, & ſua nos tandem repleat ipſe gloria. Ita ut tentatio dæmonum incipiat à bono ſenſibili, ut finiatur & terminetur ad malum animæ, cùm tentatio Dei incipiat à malo ſenſuum, ut nos elevet ad bona ſpiritus. Sic tentavit Abraham, Job, ſicut audiviſtis ſuprà, Tobiam *x*, & omnes familiares ſuos amicos. Quo docemur, nos debere ſuſpectos habere omnes ſucceſſus hujus mortalis vitæ, ne iis nimiùm confidamus, & teneri nos reputare veluti probationes Patris noſtri cœleſtis alios eventus contrarios, elevantes ſpem & fiduciam noſtrã in iſtis, & pro aliis in timore permanentes, dicentes ſine intermiſſione Deo, ne illis adhæreamus, *ne* aſpirantes ad hæreditatem cœleſtem, quatenus filios *y* adoptivos, *nos* inducat *in tentationem* horum bonorum corruptibilium; cùm nullæ ſint in mundo creaturæ, quæ non poſſint nobis non eſſe tentatio, juxta id, quod ait Salomon *z*, *Creaturæ Dei factæ ſunt in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*. Nullæ ſunt creaturæ in hac vita mortali, quæ non habeant veluti duas anſas: noſtrâ autem intereſt videre ex utra anſa debeamus eas aſſumere. Et ſicut *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum a*; ita impiis & malè viventibus omnia cooperantur in malum. Si omnes greſſus noſtri conſtituti ſunt ſuper laqueis ad noſtram ruinam paratis; ſi omnes noſtri paſſus ſint inter retia abſcondita comprehenſi; ſi inimici noſtri jugiter vigilent ut nos imparatos deprehendant, ac debellent; quamnam neceſſitatem non habemus recurrendi ad Deum, eum conſulendi omni tempore, & petendi ab eo humiliter in omnibus negotiis noſtris *ne nos in tentationem* inducat?

t Pſ. 90. 15. — u Tob. 3. 22. — x Tob. 2. 12. & 12. 13. — y Rom. 8. 17. — z Sap. 14. 11. — a Rom. 8. 28.

Omnia

Omnia objecta nobis obvia poſſunt nobis eſſe tentatio, cùm plures ſint tentationes, quæ originem ſuam deſumunt è propria noſtra carne, & è noſtra concupiſcentia, quam ſemper in nobis circumferimus, licèt inviti *b*. Aliæ principium ſuũ trahunt è mundo, id eſt, ex hominibus, qui vivunt ſecundum leges ſenſuum contrarias innocentiæ & ſanctitati Chriſtianæ. Et ſic recurrendũ eſt nobis ad cæli lumina, quibus irradientur oculi noſtri, ne ſomnum capiamus in morte, juxta deſiderium Prophetæ *c*, *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Et quia neſcimus an benè greſſus noſtros collocemus in loco ſecuro, recurramus pariter ad Verbum Dei, quod greſſus eoſdem dirigat: *Lucerna pedibus meis Verbum tuum d. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum e.* Cùm prævisiones noſtræ ſint incertæ, & neſciamus quo debeant tendere, ipſum ducat nos in terram *viventium f*, cùm nihil videamus in cordibus hominum, minùs etiam in conſiliis inimicorum noſtrorum.

Si induci *in tentationem*, nihil eſt aliud quàm deſertio, quam Deus noſtri facit in propriis adinventionibus noſtris, & cùm removens ſuam ſuavem diſpoſitionem *g*, relinquit nos *in manu conſilij h* noſtri, fieri non poteſt ut in laqueum non incidamus. Si horribilis eſt Dei reprobatio, qua quis tradatur ad vota ſua conſummanda, quis non diffidat, & non petat, in maximis deſideriis, quæ eſt formaturus, *ne in tentationem* inducatur? ne accidat i, ſi id quod ait Apoſtolus †, *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Si eſt exauditio Dei, quæ poteſt eſſe ſine gratia ejuſdem Dei, quomodo non poſſimus dicere in iis, quæ ardentius proſequimur, *ne nos in tentationem* inducat Deus? Accidit aliquando ut Deus nos exaudiat, licèt juſtè ſit iratus; & perſæpè contingit ut inexorabilis reddatur inter ſuavitates Divinæ ſuæ miſericordiæ. Exaudivit orationem & ſupplicationem dæmonum, ſpirituum illorum immundorum & rebellium, quando petierunt ab ipſo, ut ſibi liceret corpora porcorum ingredi *i*. Heu quàm horribilem exauditionem! qualem probationem ſupplicationum ipſorum, quæ non erat niſi ad ſupplicium ipſorum & confuſionem! qualem ignominiam! qualem infamiam! Quomodo fieri potuit, ut domicilium horum animalium immundorum, quæ ordinariè in luto & cæno volutantur, & inter ſtercora degunt & aluntur, requiratur à ſpiritibus corporeæ concretionis expertibus, qui aliàs ſedes gloriæ cœleſtis recuſavere *k*? Si igitur plures perſonæ exaudiuntur à Deo per dereſictionem, quis deſideriis ſuis limites non imponat? quis ſuis omnibus petitionibus, quæ bona, commoda, & ſucceſſus terræ felices reſpiciunt, rationabilem non præfigat terminum? quis non in compendium reducat hos vaſtos affectus ac extenſas iſtas propenſiones ad omnia objecta ſenſibilia, ut tendant in hanc Orationem, *ne in tentationem* inducat ipſe Deus?

Tandem, Chriſtus in hac petitione non docet nos petere à Patre cæleſti ut nobis largiatur gratiam non incidendi in tentationem, aut eam agnoſcendi, cùm nunquam deſit, quantùm in ipſo eſt, eam nobis impertiri *l*: Sed vult ut petamus *ne nos in tentationem* inducat; id eſt, ne propter noſtras infidelitates nos deſerat; ne ob omnes ingrati animi noſtri labes à nobis eam removeat; ne ad deſiderandum aliquid Divinæ Legi oppoſitum, nobis laxet habenas; ne conſequenter ſanctiſſimæ ipſius voluntati, libertate noſtrâ abutentes, nos opponamus; ut doceamur nullum debere nos permittere animæ noſtræ deſiderium niſi cum maximâ moderatione; ut conſiliis noſtris, quantùmvis bona nobis videantur, diffidamus; ne adhæreamus propriis judiciis noſtris, quantamlibet rationis, & conformitatis æquitatis ſpeciem præ ſe ferant; ut muniamur in omnibus contra aſtutias inimicorum noſtrorum, adversùs inſidias mundi, & noſtros proprios affectus, hac Oratione cœleſti, qua petere debemus à Deo, *ne nos inducat in tentationem; ſed liberet nos a malo.* Quod poſterius reſtat mihi explicandum in hac ſecunda parte.

b Rom. 7, 23. *c* Pſ. 12, 5. *d* Pſ. 118, 105. *e* Pſ. 118, 133. *f* Pſ. 141, 6. *g* Sap. 8, 1. *h* Eccli. 15, 14. † Rom. 1, 24. *i* Marc. 5, 12. *k* Hebr. 1, 6. *l* Hebr. 12, 15.

II Pars.

Hæc ultima petitio Orationis Dominicæ neceſſariam habet relationem ad præcedentem, cum qua conjuncta eſt per hanc particulam, *Sed*. Duo concurrunt ad tentationem, malitia dæmonis, & objectum creaturæ, quo utitur ut nos tentet; idcircò hæc ultima petitio poteſt intelligi de utroque: & ideò debemus nos illam Deo præſentare eo fine ut liberemur à malitia diaboli, vel *a malo*, quod committere poſſimus in uſu pravo & illicito creaturæ. Ubi obiter obſervare debemus tot eſſe genera malorum, quibus univerſus diffluit orbis, & nihilominus nos non petere liberationem niſi ab uno malo. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*, ait Job *m*. Homo parum vivit temporis, & multa patitur. Re vera eſt unicum principium omnium aliorum malorum, ſufficit ut origo deficiat ad hoc ut ſtatim rivi ſiccentur univerſi; ſeu potiùs, eſt unicum tantùm malum, quia omnia alia non ſunt niſi pro uno tempore, & non pro alio; pro ſenſibus, & non pro ratione; pro terra, & non pro cœlo; mala apparent & videntur, ſed mox faciem mutant; nec ſunt mala niſi in imaginatione & phantaſia, non autem realiter & verè. Mors non eſt malum, ſed tranſitus ad veram vitam; innocentia calumniis oppreſſa, eſt incrementum gloriæ, ſimul ac eſt agnita; amiſſio bonorum temporalium, majorem nobis acquirit libertatem, qua æterna nobis conciliemus; contemptus injuſtus manifeſtat id, quod ſumus, vel oſtendit qualis ſit is, qui contemnit; afflictio producit patientiam, patientia generat ſpem, quia non confundimur in expectatione noſtra, ut ait Apoſtolus *n*, *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Tandem, Nulla ſunt vulnera, languores, & deformitates quæ non ſint reparabilia in reſurrectione *o*. Unicum eſt peccatum, quod nullum invenit locum, nec ullum ordinem in tempore, nec in æternitate; in ſenſibus, nec in ratione, in terra *p*, nec in cœlo *q*; à quo præcipuè edocemur à Chriſto petere liberationem. Rem ſanè cogitatu mirabilem! ut homines concipiant timores infinitos pro tot malis quæ imaginantur, cùm tamen unicum ſit duntaxat metuendum malum: formidant illi id omne, quod ab ipſis foret contemnendum, & deſpiciunt ut plurimùm malum, quod ſolum eſt nocendum: mirum laborant in modum ut è ſuis eruantur miſeriis, & nunquam verum ex iis exitum inveniant, quem ſanè ſibi apertum reperirent, ſi ſua ingrederentur corda, & perfectè converſi ad Deum, dicerent ei, ut ſe *a malo* liberaret: nituntur curſum pœnarum continere ſuarum, & earum continuè diebus ſingulis augent originem: extinguere volunt flammas ipſos circumdantes, dum in eas projiciunt oleum & lignum, quæ illas foveant. Ve-

m Job. 14, 1. *n* Rom. 5, 3. &c. *o* 1. Cor. 15, 53. *p* Gen. 19, 24. &c. *q* Iſa. 14, 12. &c.

Verum quidem eſt, quòd cùm hæc petitio intelligatur etiam de afflictionibus, ut ait D. Auguſtinus *r*, per eam debemus petere à Deo, ut ab iis, ſicut & ab omni miſeriarum genere per gloriam felicitatis æternæ nos eximat; *Cùm dicimus, Libera nos à malo, nos admonemur cogitare nondum nos eſſe in eo bono, ubi nullum patiemur malum s. Et hoc quidem ultimum, quod in Dominica Oratione poſitum eſt, tam latè, tamque evidenter & manifeſtè patet, ut homo Chriſtianus in quâlibet tribulatione conſtitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem.* Ita Deus nos ab iis liberat quatuor modis. Primò, Efficiendo ne afflictiones & mala hujus vitæ nobis eveniant, ſed hoc raro; Juſti enim & probatæ vitæ homines ſemper vel ut plurimùm affliguntur in hac vita; nihilominùs intuitus nos Deus debiliores ad ea ſufferenda, nos ab illis liberat, ſeu potiùs nos iis privat, eo pacto quo Medicus conſiderans infirmitatem ægroti ac debilitatem, remedium violentum non audet ei decernere porrigendum ac hauriendum. Secundò, Liberat nos à tentationibus Deus, cùm nos conſolatur, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam t:* nobis tantùm præbendo conſolationem, quanta opus eſt ad vincendos penitus omnium dolorum ſenſus. Tertiò, Quia æqualem nobis largitur ſatisfactionem pœnæ, quam perpeſſi ſumus. Tandem, Nos ab iis eruit, quia tentatio convertitur in bonum, ideòque non dicitur ei, Libera nos à tribulationibus, *Sed libera nos à malo.* Animabus enim juſtis afflictiones idoneæ ſunt ad conciliandam ipſis coronam; & hoc eſt ſpeciale patientiæ, per quam hæc fit transfiguratio, ut omnes aliæ virtutes utantur bonis in ſui ipſarum exercitium; hæc verò ſola adhibeat mala, & per hæc maximum honorum omnium, id eſt, *omne bonum u* in hac vita per gratiam, & in altera per gloriam obtineat.

r D. Aug. Epiſt. 121 c. 11.
s ex Iſai. 25. 8. & ex Apoc. 21. 4.
t Pſ. 93. 19.
u Exod. 33. 19.

Sed heu duritiem cordis humani! quàm neceſſarium erat ut Dei Filius ipſum doceret, ille unicum tantùm malum, à quo ſe liberari petere debeat, ut ab omnibus aliis eximatur. Sed nonne debet dicere Deo, ſe quoad omnia mala, quæ non ſunt mala niſi in propria apprehenſione, & quæ potentia ipſius poteſt mutare in maxima bona, nihil aliud ab ipſo petiturum, niſi ut Divina ipſius *fiat voluntas ſicut in cælo, & in terrâ?* Quoad verò peccatum, quod eſt unicum malum, quod ipſe nunquam approbare poſſit, cùm non poſſit illud ingredi ordinem Divinæ ipſius voluntatis *x*, ſe ab ipſo petiturum ut ſe liberet *à malo.*

x Pſ. 5. 5.

Si autem velimus interpretari hanc petitionem de liberatione ab hoſte nobis infenſiſſimo, putà diabolo, qui eſt artifex tentationis, quæ nos aggreditur, ut dicunt D. Chryſoſtomus & Tertullianus citati à Cornelio à Lapide ſuper hanc petitionem; & qui vocatur malignus in duobus locis D. Joannis, *Malignus non tangit eum y: Viciſtis malignum z:* cùm diabolus homines tentet per alios improbos homines, per mundum, & per carnem, ſtatim tres educemus veritates. Quarum prima eſt, nihil poſſe nos liberare ſine Patre noſtro cæleſti, qui eſt ſola defenſio, quam Chriſtus nos docet eſſe ſic neceſſariam adversùs aſtutiam inimici noſtri, ut ſine tali auxilio debellare non poſſimus hujus adverſarii fortitudinem, cum qua nulla alia res creata comparari queat, ut ait Job *a*, *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret.* Qui ſemper vigilat, & quærit ut aliquem imparatum offendat, & velut prædam abripiat, juxta D. Petrum *b* dicentem; *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Quod indicat neceſſitatem, quam habemus, recurrendi ad arma, quæ ſola poſſint nos defendere; & mittendi ad Patrem cæleſtem hanc piam legationem, nullam nos habere ſpem evadendi niſi in ipſo, cùm ille qui ab ipſo miſſus fuit ut ſalutem noſtram operaretur *c*, nullam aliam nobis ſubminiſtraverit defenſionem, niſi recurſum ad ſuum Patrem cæleſtem per naturam *d*, & noſtrum per adoptionem, petendo ab ipſo ut liberet *nos à malo.*

y 1. Jo. 5. 18.
z 1. Jo. 2. 15.
a Job. 41. 24.
b 1. Petr. 5. 8.
c Galat. 4. 4. & 5.
d Pſ. 2. 7.

Secunda veritas, quam diſcimus in his verbis, eſt, Deum verè à partibus noſtris ſtare, & diſponere ſe ut vires ſuas omnes in favorem noſtri inſumat; ſed expectare duntaxat ut id ab ipſo poſtulemus, cùm Filius ipſius unicus invitet nos ut ipſi talem exhibeamus ſupplicationem; quod ſanè nobis maximæ eſt ſecuritatis fundamentum. Habemus quidem unde timeamus adverſarium noſtrum propter vires ipſius; ſed & anſam contemnendi eum, intuitu Divini auxilii, nam *ſi Deus pro nobis, quis contra nos e?* Si millia millium Angelorum ſequuntur, comitantur & exequuntur conſilia ejus; illi qui ſunt pro nobis, excedunt ſine ulla comparatione numerum eorum, qui ſunt adverſùm nos; amor validiùs ipſorum benevolentiam ad noſtrum bonum accendit, quàm operetur malitia in prava dæmonum voluntate ad noſtram ruinam. Felicem Orationem! petitionem cæleſtem, quæ ſubitò evehit nos in arcem inviſibilem & invincibilem Domini ſupremi omnium poteſtatem *f*, qui nos trahit ad commercium Angelorum, qui unico momento erigit tot legiones cæleſtium militum! Qualem poteſtatem regis hanc ſimilem, quæ totum armat cælum ad defenſionem noſtram! Quanta igitur ratione dicere debemus Patri noſtro cæleſti? *Sed libera nos à malo.*

e Rom. 8. 31.
f 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.

Tertia veritas, quam edocemur in hac petitione, eſt eorum, quæ debeamus agere ex parte noſtra, nimirum velle liberationem noſtram, & eam petere, hoc eſt, velle, & orare. Oportet eam velle: qui enim eam non vult, quomodo poteſt hanc Orationem ad Deum dirigere? Excitamur autem ad illam volendam, cùm implacabilis ſit inimicus noſter, à quo nullum bonum ſperare poſſumus, cùm ſit totus malus in ſua voluntate. Poſt hanc ſeriam attentionem, quam habere debemus ad noſtrum bonum, nihil ſupereſt niſi ut petamus liberationem à tanto malo, quale eſt tradi poteſtati illius. Re vera *Pater noſter* inimicorum noſtrorum rabiem cognoſcit; ſcit & condemnat injuſtitiam invidiæ illorum adversùm nos; amorem habet ad noſtram defenſionem omnino paratum; ſed ſaltem requirit à nobis ut vigilemus, & oremus; idcircò docet nos per Filium ſuum, ut ad ipſum ex toto recurramus noſtro corde, his verbis, *Libera nos à malo.* Homines infelices, magis dæmones ſibi ipſis, quàm ſint vel ipſi dæmones; qui poſſint vel duobus verbis totam inferni poteſtatem deſtruere, & nolent! Deus, Angeli, & dæmones, continuè vigilant pro nobis, aut adversùm nos, & tamen nos dormiemus, cùm tot oculi ſint aperti ad operandam ſalutem noſtram, aut ad ruinam noſtram machi-

machinandam? Habebimuſne ſoli noſtros clauſos? Fierine poterit, ut, cùm de ſolis noſtris agatur commodis, ita parùm de illis debeamus eſſe ſoliciti?

Concludamus igitur ſublimem hanc Orationem Dominicam. Non diffitemur, Domine: In te Patre noſtro cœleſti omnes ſpes noſtras conſtituimus; & agnoſcimus obſtinationem cordis noſtri marmoribus ipſis durioris ac adamantibus, cùm quærat alibi ſuorum remedia malorum, & miſeriarum reparationem ſuarum. Effice ut in neceſſitatibus noſtris ad tuas liberalitates confugientes, liberemur. Quò ibimus, niſi te adeamus? Sed quàm infinita nobis ſunt motiva à te veniam & indulgentiam poſtulandi, eò quòd ſæpè oculos illuc iſtucque intenderimus, brachio innixi humano, & noſtris confiſi induſtrijs. *Pater noſter qui es in cælis*, ubi ſedem tuam collocaſti, ut tuam des nobis gloriam poſt peregrinationem noſtram, præcipis nobis ut petamus à te, ut gloria tua circumquaque diffundatur: hæc ſunt tota vota noſtra. O gloria, ſis in æternum noſtrarum gloria cogitationum! Quid poſſumus deſiderare ſingulis vitæ noſtræ momentis ad eorum finem coronandum, niſi ut omnia impoſterùm ad tuam gloriam dirigantur? O gloria! ô vita animarum noſtrarum! ô exinanitio omnium rerum, quæ non ſunt in iſta gloria! Proteſtamur Domine nos impoſterùm ſanctam hanc petitionem, *Sanctificetur nomen tuum*, ita cordi noſtro impreſſuros, ut quamlibet aliam ſit ſemper præceſſura. Omnem petitionem in iſta minimè fundatam diffitemur. Deſideramus ut omnes actiones noſtræ, verba noſtra, conſilia noſtra, & cogitationes noſtræ impreſſam circùm circà præ ſe ferant eam; ut incipiant, progrediantur, & terminentur ad id deſiderium, quod didicimus à Filio tuo Jeſu Chriſto, ut *Sanctificetur nomen tuum*. Impetas ut petamus à te, ut *Adveniat Regnum tuum*, & nobis detur; hoc eſt, quò ſuſpiramus, ut tua *in terrâ* adimpleta voluntate, *ſicut* perficitur in cœlis, eam poſſimus ſine fine exequi cum Beatis. Da nobis generalem ad omnia indifferentiam; ad vitam, ſeu ad mortem; ad bonam famam, aut ad contemptum; ad divitias, vel ad paupertatem; ad humiliationes, ſive ad exaltationes; ad cœlum, ſive ad terram, & ut quoties tibi dixerimus, *Fiat voluntas tua*, toties in hac ſtabiliamur indifferentiâ, ut nullam unquam aliam intueamur fœlicitatem niſi in facienda voluntate tua conſtitutam. Largire nobis exactiſſimam fidelitatem gratijs tuis, perfectam obedientiam Divinis inſpirationibus tuis, ut *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.* Inſpira nobis quidquid jucundiſſimum tibi videbitur. Sed concede nobis eodem momento gratiam ita efficacem, ut illi nunquam reſiſtamus; imò verò, ſi neceſſe ſit, hanc rebellem *compello g* libertatem, cui renunciare deſideramus non ad quemlibet alium effectum, niſi ut à nobis *fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.* Sed ne deneges nobis neceſſaria vitæ ſpiritus, ſicut neque vitæ corporis ſervientia, ut facilem poſſimus noſtræ curſum peragere peregrinationis, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Effice ut loco illius zeli amari, vel ſpiritûs illius indignationis & contemptus, quem natura corrupta nobis indidit ac ſuggerit, caſum aliorum in ijs, quæ nos ſpectant, intuendo, induamus nos ſpiritu miſericordiæ & charitatis, ut illis compatiamur, & eos veluti fratres *ſupportantes h*, dimittentes illis, ſicut deſideramus ut nobis dimittas. Vires nobis adde, ne ſuccumbamus inimicorum noſtrorum inſultationibus. *Et ne nos inducas in tentationem. ſed libera nos à malo.* Id eſt, à malis pœnæ, non re vera; ſed ea nobis largiendo, præſta ut per patientiam in vera bona transformentur. Effice ut attentè conſideratis curis tuis nobis impenſis, perfectè eis reſpondeamus ac integrè; ut ſeriò vigilemus ad reſiſtendum inimicis noſtris, & ad recurrendum momentis ſingulis ad tuum auxilium cœleſte, quod Divina bonitas tua dignatur nobis offerre præ tanta miſericordia, ut hoc ſupernaturali auxilio adjuti, nihil aliud deinceps niſi peccatum timeamus, & de tua protectioni ſecuri, poſſimus omnes inimicos noſtros deſpicere, & opponere eis validum hoc ſcutum, quod Filius tuus poſuit in manibus noſtris: *Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos à malo. Amen.* *Fiat*, vertunt Septuaginta. Hoc ita ſit; ſuſcepta gratia tua in hoc mundo, frui poſſimus gloria tua in altero.

g Luc. 14. 23.

h Ephes. 4. 2.

FERIA V. POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

III. PARS ADVENTUS.

Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Matth. 7. 12. &c.

HÆc eſt concluſio ex ijs omnibus, quæ diximus hactenus, inferenda. Ac ſi vellet Evangeliſta dicere: Ut igitur obtinere poſſitis à Patre veſtro cœleſti bona quæ ab eo petitis in Oratione Dominica, oportet ut non deneges proximo veſtro ea quæ à benignitate & à charitate veſtra ſperavit ſibi concedenda, cùm ipſum ad menſuram deſiderij veſtri proximum debeatis excipere. Hæc eſt, inquam, conſequentia; quæ eruitur ex omnibus jam dictis in capitibus quinto & ſexto præcedentibus, imò verò in principio hujus ſeptimi, ubi Filius Dei edocet nos juſtitiam, ad quam debeamus aſpirare conſequendam, quatenus inſigni verorum Chriſtianorum titulo gloriamur; proponens nobis virtutis praxim, Divinorum

ſuorum obſervantiam mandatorum, amorem inimicorum, injuriarum veniam, bonorum exercitium operum, jejunij, eleemoſynæ, & orationis; & cætera in his tribus capitibus exarata, quæ originem ſuam trahunt ex hoc primo principio Philoſophiæ Moralis, & huic juſtitiæ innituntur fundamento, ut fiat, vel non fiat alteri, quod quis vellet ſibi fieri, aut non fieri: & hæc ſunt ultima verba ferè, quæ ſanctus Tobias moriturus ſuo filio dereliquit, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias a. Hac eſt enim Lex, & Prophetæ.* Ex hoc enim primo principio faciendi alteri, quod quis vellet ſibi ipſi fieri, vel non fieri, infertur hæc conſequentia infallibilis. Non vultis ut eripiantur vobis vita, bona fama, uxor, bona temporalia; & deſideratis ut vobis honor & reverentia ab alijs exhibeantur: Oportet igitur ut honorem & reverentiam exhibeatis alijs, qui ſunt vobis carnis cognatione conjuncti, & non eripiatis cæteris hominibus vitam, neque ipſorum bonam famam, neque uxores, neque bona temporalia. Sed iſta non ſufficiunt; ibi enim non eſt ſita tota Lex, quæ præterea præcipit charitatem, quam debeamus habere erga Deum b. Sed quia amor proximi includit amorem Dei, & ab eo procedit, non ſecus ac ramus è radice emanat, cùm non ametur proximus niſi propter Deum, qui amari debet propter ſeipſum, & ſecundùm hæc dicat D. Paulus, *Omnis Lex in uno ſermone impletur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum c:* Et, *Qui diligit proximum, Legem implevit d:* Verbis Textus mei utar ut regulâ, quâ excitem vos ad perfectionem juſtitiæ conſummatæ, quam debetis vobis comparare, quantum erit in vobis, quatenus veri Chriſtiani eſtis, per amorem Dei & proximi, opitulante vobis gratiâ Divinâ, quâ repleta jam erat Maria eo momento, quo dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

a Tob. 4. 16. &c.

b Matth. 22. 37. & 39.

c Galat. 5. 14.

d Rom. 13. 8.

Examinatis seriò in principio hujus Adventus varijs conatibus intellectus noſtri ut perveniret ad cognitionem ſummi Boni, undique cum tot mirabilibus è manu Dei procedentibus, & tantis perfectionibus inſignitis; impoſſibile eſt ut contineatur voluntas, quæ nulla habet arma, quibus ſe defendat adverſùs arridentes ſibi boni delicias, quin feratur in ipſum: ſicut enim bonum eſt ipſius objectum, oportet neceſſariò ut illud cognitum amore proſequatur ipſa voluntas, & inde patet hujus veritas proverbij, quo dicitur vulgò, cognoſcendum eſſe, priuſquàm amandum. Cùm igitur evidens ſit, nos debere non exiguas magnis meritis exhibere reverentias; Deus, qui infinitè univerſa antecellit creata, præ alijs omnibus honores noſtros requirit jure meritiſſimo, ſicut & amores noſtros ex profundiſſimis cordium noſtrorum penetralibus, ut ipſe nobis innuit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ e.* Præcipit nobis Deus ut ipſum amemus ex tota capacitate omnium potentiarum noſtrarum ſpiritualium; & proximum noſtrum ſicut nos ipſos.

e Matth. 22. 37. &c.

Si verò examinare velimus finem, propter quem omnes aliæ creaturæ ſenſibiles & viſibiles fuerunt productæ f; videntibus illas hominis ſolius duntaxat gratia è nihilo, Potentiæ Divinæ imperio, exiſſe, nobis erunt ipſæ majora motiva, quæ nos inducant ad amandam manum hanc liberalem, quæ nobis cum profuſione ita copioſa providet ſpeciei noſtræ conſervandæ neceſſaria, quæ ab ipſius petebamus benignitate in ſecunda parte hujus Adventus. Sed ob quem finem crederetis creatum fuiſſe hunc Solem ſpecioſum, cujus fœcundi luminis beneficio plantæ omnes conſervantur, & cætera generantur in univerſo terrarum orbe? Nunquid fortè ut cœlum illuminaret Empyreum? Nequaquam. *Lucerna ejus eſt Agnus g.* Beatiſſimi paradiſi incolæ materiali hoc non indigent lumine, Agnus immaculatus eſt lampas Divina, quæ ipſos illuminat, *Civitas non eget Sole, neque Lunâ, nam claritas Dei illuminavit eam.* Creatum fuit tantùm iſtud *luminare majus* †, ut oculos noſtros illuſtraret. Si conſideremus omnes alias creaturas, obſervabimus illas in unum totas ad exhibenda nobis obſequia, & ſatisfactiones, & ad serviendum chariſſimis delicijs noſtris. Terra nobis plantas, flores, & fructus germinat; è viſceribus ſuis omnia metalla radicitùs evellit, ut noſtris accommodentur uſibus. Mare elementum iſtud implicabile nunquid non ſubminiſtrat nobis tot neceſſaria? Hunc infinitum piſcium, quibus alimur, numerum; & tot mirabilia, quæ noſtros in admirationem rapiunt animos? Tandem, Deus noſter ut amores ſibi devinciret noſtros, dedit nobis quidquid in hoc mundo deſiderare poſſumus. Cùm autem invenerit ille modum rapiendorum ad ſe cordium, qui inventionem offerendorum commentus eſt munerum; nunquid non inſigni ingrati animi inureremur nota (quod eſt univerſitas omnium improperiorum, quæ bonæ famæ, probatæque vitæ viris, qui maximi ducunt honorem & æſtimationem, fieri poſſunt, ſi vocentur ingrati) niſi hunc Divinum Amorē, qui nos gratijs ſuis perfundit ac benedictionibus, mutuo amore proſequeremur? Si verò ſpecioſas has creaturas ad malos inſumimus uſus, ut ad vanitatem, non ad ſanitatem, aut ad alias neceſſitates, nonne indigni reddimur ſublimi prærogativâ Chriſtianorum, & filiorum Dei adoptivorum, qui tenentur aſpirare ad perfectionem juſtitiæ conſummatæ per charitatem, quâ debent eſſe animati, cùm juſtitia ipſorum incipere debeat per fidem, progredi per ſpem, & perfici tandem per charitatem?

f Gen. 1. 1. &c.

g Apoc. 21. 23.

† Gen. 1. 16.

Sed dicet mihi fortaſſis aliquis. Quomodonam tot beneficia in nos collata condignâ gratiarum actione compenſabimus? Qualia poterimus Deo noſtro exhibere amoris noſtri erga ipſum teſtimonia, nos qui miſerandæ ſumus creaturæ, tot malis tantiſque imperfectionibus obnoxiæ? Huic petitioni ſatisfacio, reſpondens, nunquam nos majores ijs, quos diligimus, exhibere amoris probationes noſtri, quàm cùm executioni mandamus id, quod ab ipſis nobis præceptum fuerit, ut videtur innuere D. Gregorius h, dicens, *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* Si velimus exhibere Deo fidelitatem noſtram, obſervemus mandata ipſius; efficiamus ut illa ſint regula actionum noſtrarum, ac voluntatum noſtrarum, exempla vitæ noſtræ; totumque noſtrum exercitium eò dirigatur ut perfectè cuſtodiamus ea, quæ nobis ſunt præcepta, cùm ea omnia in noſtrum cedant bonum, & in ijs conſiſtat tota perfectio adimplendis, ut ait Salomon i, *Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo.* In hâc igitur praxi exerceri tenemur, & cum

h D. Gregor. homil. 30. in Evang.

i Eccl. 12. 13.

cum Davide exercere in ſtudio divinorum mandatorum, *In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas k*. Et quia omnia mandata Divina fundantur in duplici amore, Dei nimirum, & proximi; deſidero diſcutere vobis hodiernâ die de hoc amore Dei, & de iſtu amore proximi in genere, in duabus partibus hujus diſcurſus; de utroque vobis impoſterùm locuturus in reſiduo hujus Adventus, ubi explicabo vobis Divina mandata, tam ea quæ Deum immediatè ſpectant, quàm ea quæ ad proximum præciſè diriguntur. Videamus igitur Primò amorem Dei in genere: Secundò amorem proximi univerſim.

k Pſ. 118. 15.

Diviſio.

1. Pars.

Debemus amare Deum, quia ipſe eſt, à quo abſolutè dependemus, & qui nimiâ liberalitate largitur nobis omnia neceſſaria tam quoad corporalia, quàm quoad ſpiritualia; Deum, qui in ſe in æternitate continet quidquid invenitur perfectionum in reſiduis creaturis diffuſarum; Deum, quia eſt totus abſolutus, & *omnipotens* †, *Diliges Dominum Deum tuum* *. Idcircò debemus eum amare, quia eſt Deus noſter; deinde, quia eſt Dominus noſter; ſuper nos habet poteſtatem, ſervi ipſius ſumus, ab illo dependemus, & illius ſubſiſtimus mediâ bonitate. Ipſe nos *creavit l*, nos redemit pretio ſui Sanguinis inæſtimabili *m*, nos conſervat *n*, nobiſque paradiſum parat, ſi per bona opera noſtra illius meteamur ingreſſum *o*. Tandem, illum debemus amare, quia ipſe eſt noſter. Ha in profundum demergor! Ha quàm exquiſitiores intellectos meo ſubtilior hic efformaret conceptiones, & ſe altiùs extolleret! Amare *Deum*, *Dominum* noſtrum, quia noſter eſt. Ha! tanto piuſ quimur amore quæ noſtra ſunt, tanto ardore noſtris inhiamus commodis ac incumbimus; & Deum, qui totus noſter eſt, non amabimus? Cor humanum, hæc verba nunquid non duritiem diſſulvent glaciei tuæ? Nonne te Divini ſuccendent Amoris flammis, cùm tibi ſit totus? Creaturæ rationis compotes huicne opprobrio efficiemini obnoxiæ, ut nolitis amare Deum veſtrum, qui vos ſuis ita honoravit ac inſignivetit chariſſimis amoribus, ut veſtros eo ſibi devinciens pacto, jure merito conſequenter eos exigeret?

† Eſth. 13. 9.
* Deut. 6. 5. & Matth. 22. 37. & Marc. 12. 30. & Luc. 10. 27.
l Gen. 1. 27.
m Apoc. 1. 5.
n Matth. 6. 26. & 27.
o Matth. 19. 17.

Creatus fuit homo ultimus poſt omnes creaturas, quas jam Deus ſuis collocaverat in locis, Angelos in cœlo, aves in aëre, animantia in terra, piſces in mari, ita ut nihil amplius ſupereſſe videatur homini, cùm omnia jam occuparint hæ primæ creaturæ. Si enim cœlum ſibi velit homo adſciſcere, oppoſitionem ipſi formabunt Angeli, cùm ipſis in portionem ceciderit; ſi aërem, dicent aves illum ad ſemetipſas pertinere; ſi terram, illa eſt habitaculum animantium; ſi mare, illud eſt domicilium piſcium; omnia ſunt occupata. Heu! Domine nunquid non ſupererit aliquid homini? Huic nobili creaturæ, huic præcipuo mundi incolæ, huic vivæ magnitudinis tuæ imagini nonne aliquid fuerit à te reſervatum? ut dicere poſſit verè, Hoc meum eſt. Sic eſt, Auditores, ait Deus: eum præ cæteris creaturis duco maximi, quia volo eſſe ipſius portio, idcircò illum creavi, ut, cùm non habeat Dominum, ad me veniat, meque ut ſuum poſſideat, & dicat cum magno Viro *p* ſimul & cum magno Rege Davide, *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum q*. Nihil amplius ambio præter Deum, & quidquid Deus non eſt, nihil mihi eſt: paradiſus ipſe ſine Deo mihi foret infernus, & gloria ipſius, ſupplicium: cum Deo totum habeo, & ſine illo totum deficit, *Pars mea Deus in æternum*. Et more Seraphici Patris D. Franciſci; *Deus meus & omnia*. Ipſum poſſidenti mihi nihil deeſt; ipſe eſt *portio mea* *, theſaurus meus, hæreditas mea. Cor humanum dilige igitur *Dominum Deum tuum*. Quia tibi totus eſt, & tibi magis totus quàm ſis totum tu tibi; & quomodo non eum diligeres? Sed oportet ut diligas eum *ex omnibus viribus tuis r*, & ex omnibus potentijs animæ tuæ, cùm Deus omnem diviſionem reſpuat, & ab univerſis abhorreat exceptionibus.

p 2. Reg. 13. 14.
Tom. III.
q Pſ. 72. 25. & 26.
* Pſ. 141. 6.
r Luc. 10. 27.

Deus exigit totum cor, illudque dividere, eſt ipſum offendere, rivalem non patitur Deus; totum vult, aut nihil: *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*, ait D. Auguſtinus *s*, Deum alloquens. Non eſt eum diligere, ſi diligatur ſimul cum creatura, non quòd amor Dei excludat quemlibet alium amorem; quinimò ipſe poteſt ſubſiſtere cum amore quo alia proſequi poſſumus objecta, dummodò illa non ſint ſanctitati hujus amoris oppoſita. Poteſtis diligere filios veſtros, ſed in Deo, & propter Deum; hic amor licitus eſt. Duos admittit Theologia amores, alterum pretij, ſenſus alterum; amorem appretiativum, & amorem ſenſibilem. Deus non obligat nos ad hunc poſteriorem, ſed ad priorem, ita ut diligendus ſit Deus ſuper omnia, & omnibus rebus præferendus creatis: & hoc pacto ſi agetetur de marito, uxore, liberis, parentibus, honore, ſanitate, amicis, bonis temporalibus, alijſve amittendis, potiùs profliganda eſſent hæc omnia, quàm Deus offendendus: hic eſt amor appretiativus, ad quem nos Deus obligat, quemque nobis præcipit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* †. Cor humanum denegabiſne ei debitum iſtud, ad quod tam varijs obligatum es titulis? Tanta fecit pro te, ita te amavit; nonne hoſce omnes favores amore compenſabis reciproco? Deus exigit à te, homo, tantùm cor, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi t*. Itane ingrati animi ſoſiciteris labe ut deneges ipſi minimam tui partem? Dives, non petit à te Deus divitias, ſed earum duntaxat particulam pauperibus erogandam *u*: ex omnibus temporibus petit ſolas feſtucas *x*, noſtrorum bonorum operum ſibi glutiam tantùm vult aſſumere *y*. Nobis relinquit omnia, cor petit, & totum vult, cùm nihil in mundo poſſit illud mereri. Cor humanum eſt tanti pretij, ut ſolus Deus eo ſit dignus, illudque mereatur. Quidquid eſt creatum, inferius eſt illo; idcircò illud ſolus vult Deus, quia ſolus meretur illud; & nunquam patietur ut dividatur; aut totum vult, aut nihil.

s D. Aug. l. 10. Cõfeſſ. c. 29.
† Matth. 22. 37.
t Prov. 23. 26.
u Luc. 18. 41.
x Ezech. 18. 21. &c.
y Joan. 15. 5.

Obſervate autem Deum, qui prodigus fuit in diſtributione beneficiorum ſuorum, nos ſemper devinciens ſibi, cùm *redemptionem ſemetipſum* † dediſſet ſuper crucis patibulo, ſe præbeat in cibum ſub ſpeciebus Sacramentalibus in Euchariſtia *z*, donec ſit ſe largiturus Electis ſuis in beatitudine *a*; cùm jam, inquam, tribuiſſet ſeipſum, & omnia quæ extra ipſum ſunt; cœlum Angelis, terram animalibus, mare piſcibus, aërem avibus; omnia dediſſe extra ſe, & in ſe, ſic

† 1. Tim. 2. 6.
z Matth. 26. 26.
a Pſ. 16. 15.

ipſe eſt magnificus: Quoad verò cor hominis, ipſe ſibi illud reſervat, vult ut totum ſit ſuum, & niſi invitus non patitur ut alium agnoſcat Dominum: injuria ipſi infertur, & injuſtitia adverſùs eum exercetur ab eo, qui ipſi hanc eripit partem, quam ipſe ſic ardenter ſibi aſciſcit. Sicut enim conſueverunt Magnates jubere imprimenda ſigilla ſua iis quæ ſua ſunt, ut nemo in ea manum mittat, & ſciat unuſquiſque, eorum Dominum eſſe N. Deus eodem ſe gerit modo, ſigillum ſuum cordi imprimit, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, quia fortis eſt ut mors dilectio b.*
b Cantic. 8. 6.
Amore & zelo erga cor humanum moritur, & ipſum ſanè offenderetis, qui frui eo vellet, ſigillum eſt ei applicatum; injuſtitia eſſet; & ſanè zelotypiâ duceretur ipſe ad talem injuriam ulciſcendam. Elstè publicat Deus totum eſſe ſuum cor humanum, illud creavit pro ſe, illud elegit pro habitaculo proprio, idcircò ſigillum ei impreſſit ſuū, ut ſciat unuſquiſque illud ad ipſum pertinere. Cur autē creditis quòd Dominus diſcipulis apparens,
c Luc. 24 36.
Stetit in medio eorum c? Si naſcatur; *In medio duorum animalium innoteſcet d.* Si moriatur;
d Eccleſia in Offic. Paraſe. ex Habac. 3. 2.
Crucifixerunt eum et alios duos, hinc & hinc, medium autem Jeſum e. Si D. Joannes Baptiſta prædicet; *Medius autem veſtrûm ſtetit f.* Quare Chriſtus invenitur ſemper in medio? Ratio illius eſt, Quia ſciens cor ſitum eſſe in medio hominis, illud circumquaque vult, illud ſibi quærit, amore ejus capitur; idcircò eſt ſemper in medio. Cor humanum quàm fœlix es! Deus amore tuî rapitur; nunquid non hunc amorem amore compenſabis & amabis eū, qui tanto te amoris exceſſu diligit?
e Joan. 19 18.
f Joan. 1. 26.

Ratio, propter quam *creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam g*, hæc eſt, ut illum induceret ad ipſum amandum, cùm videret in ſe notam & imaginem Dei. Si enim ſimilitudo eſt cauſa amoris, homo videns per ſanctam reflexionem, & veluti per ſpeculum in anima ſua ſimilitudinem Dei, quomodo eum non diligeret? Nonne alioquin ingrati animi ipſius labes hoc favore ſtatim ipſum indignum redderet? Ha! cor humanum cave ne hoc eveniat; amemus ex tota latitudine virium & potentiarum noſtrarum hoc objectum infinitum †, quod meretur omnes amores noſtros; amemus, cùm amando, certam noſtram conſtituamus ſalutem; amemus, cū amor ſit Legis complementum, *Qui diligit, Legem implevit*, dicebat ſuprà Apoſtolus *. Et noſter Textus, *Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.* Amemus, cùm amando, mereamur vitam æternam, *Hoc fac, & vives h*, præcipiebat aliàs Chriſtus Legiſperito. Deus indidit nobis propenſionem hanc ad ſalutem noſtram operandam, ſequamur hunc appetitum interiorem, hunc motum, qui nos ad eam ducit, ſicut & ad media illi conſequendæ conſona. Unuſquiſque ſalvari deſiderat: ſed unde fit, ut, cùm Deus deſiderium nobis indiderit beatitudinis, & rationē ad cognoſcenda media, quæ viam nobis poſſunt ad cœlum pandere, nihilominùs tam pauci illud ingrediantur? Spiritus ſanctus hujus rei nos edocet cauſam, *Corpus, quod corrūpitur, aggravat animam s.* Dum motum illum ſiſtit, efficit, ut in terra detineatur, nec progrediatur in via virtutis & cœli; corpus contrarium eſt animæ in hâc cœleſti itineratione, eique eſt obſtaculo in hac Regia via: anima eſt tota cœleſtis: vellet enim ferri in locū ſuæ originis, in cœlū ſe extollere; ſed corpus, quod eſt totū terreſtre, ipſā detinet; amor corporis, cura corporis, hæc pars ignobilior totius compoſiti eſt cauſa totius infœlicitatis noſtræ.
g Gen. 1. 27.
† Baruch 3. 25.
* Rom. 13 8.
h Luc. 10 28.
s Sap. 9. 15.

Recenſentur quatuor Reges potentiſſimi in ſplendore armorum ſuorum paradiſum terreſtrē invenire conati. Quorum primus dicitur fuiſſe Xerxes, Magnus ille Dux, ſub quo militabant innumeri ferè bellatores viri, Perſarum Rex erat iſte Princeps, ſed cùm arma ſua longiùs protraxiſſet, & plures nationes, ac Provincias, & omnes ferè gentes ſuæ ditioni & magnitudini ſubjeciſſet, hoc ductus fuit ingrediendi paradiſi deſiderio, ſed fame repulſus fuit: ipſe ſiquidem, totuſque ipſius exercitus fame peribant. Secundus Rex fuit Cambyſes Medorum Monarcha, nec iſte ſuum potuit executioni mandare conſilium propter copioſiſſimas paludum aquas, quas invênit propoſito ſuo adverſantes. Tertius fuit Alexander Magnus; ſcitis cujuſnam fuerit iſte Princeps animi; cùm anno vel trigeſimo ætatis ſuæ totum referatur deviciſſe mundum, & fleviſſe, cùm dictum fuiſſet ipſi, fuiſſe ſecundum mundum: quippe qui æmulatione percitus eſſet ob progreſſus Patris ſui Philippi Macedoniæ Regis; ſed prohibitus eſt ab ingreſſu in hunc locum, propter immodicum zonæ torridæ ardorem, quo aliqui veluti valido munimento aſſerunt eum eſſe circumvallatum. Quartus fuit Nero; ſcitis quanta fuerit immanis hujus Principis crudelitas, cùm poſt perpetratam erga alios immanitatem, omnium hominum, quos terra tulit, crudeliſſimus propriam matrem Agrippinam internecione delendam præceperit. Per hos quatuor Reges intelligere poſſumus quadruplex genus hominum, qui licèt ferantur deſiderio naturali & propenſione ſpeciali perveniendi ad paradiſum, nihilominùs impediuntur ne illum attingant. Alij fame & ſiti, & qui ſunt illi? niſi avari, divites pravi, qui fabricant ſibi catenas ex ſuis divitijs, quæ ſunt veluti vincula, quæ greſſus ipſorum retinent, *Quia dives difficilè intrabit in Regnum cœlorum; & facilius eſt camelum per foramen acus tranſire k.* Sed quod difficile eſt hominibus, poſſibile eſt & facile Deo. Quomodo autem hi divites auro, beatitudinem poſſiderent, cùm Deus ipſam conſtituat in auri contemptu fœlicitatem? *Beatus dives, qui poſt aurum non abijt, nec ſperavit in pecunia & theſauris l.* Oportet eſſe pauperem, ſaltem voluntate, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum m.* Secundi impediuntur aquis, & locis paluſtribus, & hi ſunt lubrici, qui omnibus impuritatibus conſpurcantur, & veluti ſues in cœno volutantur omnis impudicitiæ; hi ſanè nunquam iſtud Regnum puritatis ingredientur. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo n?* Petit à Deo David. Et ſtatim ipſemet reſpondet: *Qui ingreditur ſine macula.* Et de cœleſti Jeruſalem dicitur, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum o.* Senſuales, voluptuoſi *nolite errare p*, nunquam intrabitis ut ſic in Regnum cœleſtis fœlicitatis, *Neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; molles, neq; maſculorū concubitores, Regnū Dei poſſidebunt.* Tertij impediuntur ne ingrediantur paradiſum ob calores immodicos, & hi ſunt immites & furioſi, qui non loquuntur niſi ut tormenta bellica & tonitrua, unicuique minitantes, qui proximum torvis & gorgoneis intuentur oculis, vultu ſeverō & iracundo ut alij Caini q, hi volunt reddere fratrem ſuum victimam infœlicem furoris ſui. Quomodo autem ingredientur cœlum quod non debetur niſi pacificis r, utpote à veris filijs Dei per manſuetudinem? Non ſunt pacifici, non ſunt filij, ideò nunquam intrabunt in hunc ſtatum beatitudinis, *Ignis devorabit tabernacula eorum s.*
k Matth. 19. 23 & 24.
l Eccli. 31. 8.
m Matth. 5. 3.
n Pſ. 14. 1.
o Apoc. 21. 27.
p 1. Cor. 6 9.
q Gen. 4. 8.
r Matth. 5. 9.
s Job 15 34.

Quia

Quia homo iratus eſt veluti domus, quæ urit ur cum eo qui in ipsâ invenîtur. Quarti ſunt ſimiles Neroni in crudelitate. Heu quantam rabiem! quantum furorem! arma adversùs proprium ſanguinem ſumere, & matrem ſuam è vivis tollere; ſed quantò majorem, animam ſuam occidere! *Homo occidit per malitiam animam ſuam t.* Quare? Pro nihilo, pro voluptate, quæ nec unicum durat momentum; ob lapſum linguæ tantillum. Quam crudelitatem, cùm ipſa ſit adversùs animam noſtram, quam ſpiritualiter occidimus! Idcircò impoſſibile eſt ut in hoc unquam ſtatu paradiſum ingrediamur, ab eo proculdubio repellimur; & hæc inclinatio & hic appetitus, quæ Deus nobis indiderat ut ad noſtram tenderemus beatitudinem, & hæc notitia, quà præditi eramus privilegio ſingulari ſuper animantia, non ducunt nos ad beatum finem. Sed quare hoc? Heu! quia non amamus. Sed nonne ſufficiebat ut amorem nobis Dominus permitteret, nedum eum præciperet? Nunquid ſatis non erat ut eum nobis imperaret, nedum minas æternæ damnationis adjungeret *u*? Nonne tota gloria noſtra in eo ſita eſt, ut amemus Deum? Poſſemuſne illud officium recuſare, quin ſtatim infœlicitatis noſtræ evaderemus artifices? Heu! invenietur ne aliquis qui nolit amare objectum amabiliſſimum omniũ eorũ quæ ſunt in cœlo, quod omnes eminenter continet perfectiones *x*? Si autem fortaſſis aliquem deprehenderetis ut ſic, nunquid cum magno non afficeretis opprobrio? Pari modo, obſecro, ne vituperetis zelum meum; Apoſtoli veſtigiis in exceſſu meo adhæreo, unumquemque diligo, ſed non poſſum continere me quin anathema, maledictionem, & infortunium omnis generis pronunciem contra hæc corda immitia, quæ objecto ſic amabili affectus ſuos conſecrare renuunt, ideòque dico cum eodem Apoſtolo, eodem zelo quo ille percitus; *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema y.* Sit maledictus à cœlo & à terrâ, ab Angelis & ab hominibus; omnis infœlicitas illi accidat ut perſonæ omnium creaturarum rationis compotum longè peſſimæ. Sed finiamus hanc priorem partem.

t Sap. 16. 14.

u 1 Joan. 3. 14.

x Matth. 5. 48.

y 1. Cor. 16. 22.

D. Auguſtinus audivit aliàs vocem è cœlo, quæ ipſum veluti aliàs alterum D. Petrum *z* examinabat in amore: Jeſus ipſum interrogans ſuavi vexabat torturâ, ut hanc fateretur veritatem; Auguſtine amas me? Reſpondebat Auguſtinus; Domine tu ſcis quòd amem te. Sed dic mihi Auguſtine, Quantùm amas me? Iſte reſpondebat, Tantùm te amo, ut ſi omnia oſſa corporis mei eſſent candelabra aurea, & totus ſanguis venarum meatum, omneſque humores mei forent balſamum pretioſiſſimum, hæc omnia inſumerem, ut magnitudini tuæ honorem debitum, & *ſacrificium laudis a* tibi offerrem. Chriſtus inſtat, Auguſtine nonne aliquid magis ageres? Siſtitne ibi curſum ſuum amor tuus? Domine, ait Auguſtinus, ſi omnes venæ, arteriæ, & nervi corporis mei eſſent tot faſciæ, & ligamina, totidem tibi vinculis ſtrictiſſimè adhæreſcerem, ut à te nunquam ſepararer, & dicerem cum Sponsâ, *Tenui eum, nec dimittam b.* Auguſtine, eſtne hoc totum? Ha! exclamavit hic Seraphinus incarnatus; Si poſſibile foret ut fieret aliqua inter nos mutatio, & tu fores Auguſtinus, & Auguſtinus eſſet Deus; deſinerem eſſe Deus, ut tu eſſes Deus, ſicut totus es majeſtate plenus *c*. Ha qualem amorem! Quàm verè hoc eſt adimplere præceptum dilectionis, & amare ex toto corde! Imitemur D. Auguſtinum, amemus Deum ex toto corde noſtro; adimpleamus hoc præceptum, quod nos beatos efficiet; & ut teſtemur ei bonas voluntates noſtras, dicamus illi cum eodem D. Auguſtino,

z Joan. 21. 15, &c.

a Pſ. 49. 14.

b Cant. 3. 4.

c Pſ. 47. 2.

Amo te Deus meus d. Deus noſter amamus te, & proteſtamur tibi, nos non velle amare aliud præter te; tibi totum conſecramus cor noſtrum abſque ulla diviſione. *Amo te Deus meus.* Nolumus ampliùs tibi comparare rivales, tu ſolus eris Dominus cordis noſtri, & poſſeſſor ejus pacificus; hoc cor impoſterùm nõ ardebit niſi tuis flammis, cùm omnis alius ignis illud profanet. Amamus te Domine, quòd ſi hoc non ſufficit, fortiùs amemus te, *Deus meus* noſtris adjice vires animis, debilitates noſtras releva, noſtras confirma voluntates, quæ nolunt ampliùs reſpirare, neq; aſpirare niſi ad te, & pro te. Omnes iſtius cordis noſtri flammæ erunt caſtæ, cùm ex iſto vel momento tibi ſint conſecrandæ. Quòd ſi fortaſſis eſſet aliquis etiam ignis extraneus in corde noſtro; ſi idolum Dagon inveniretur ſimul in altari cum Arcâ Fœderis *e*; ſi aliquem etiam præ ſe ferret affectum, quo proſequeretur creaturas, quarum amor eſt impurus, purga illud integrè & plenè ab omnibus impuritatibus ipſius, *Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos, & cor meum f.* Mitte foras id omne, quod tuis diſplicere poſſet oculis; ut nihil in eo ſit ampliùs niſi ſacrum, innocens, atque purum: remove ab eo, obſecramus, omnem terrenum affectum, amorem illicitum creaturarum, ita ut amans te ſuper omnia, diligat nihilominùs proximum ſicut ſeipſum.

d D. Aug. in Manual. c. 10.

e 1. Reg. 5. 2.

f Pſ. 25. 2.

II. Pars.

Amor proximi eſt idem habitus virtutis, cum amore Dei; hi ſunt veluti duo annuli qui eandem catenam conficiunt, duo rami ejuſdem trunci, duo rivi ejuſdem fontis, & duæ flammæ ejuſdemmet ignis. Unde ſequitur hos duos amores eſſe inſeparabiles, ita ut qui Deum diligit, diligere debeat etiam ſuum proximum; & qui ſuum amat proximum, debeat etiam amare Deũ. Ratio iſtius eſt, Quia ſi Deus amatur, obedientia exhibetur præcepto; quod jubet amare proximum; & ſi amatur proximus, ut decet, nihil in illo amatur niſi Deus. Quod effecit ut dixerit D. Joannes *g*, *Si quis dixerit, quoniã diligo Deum, & fratrum oderit, mendax eſt; qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrum ſuum.* Si ametur proximus vero amore charitatis Chriſtianæ, quæ eſt conſummatio juſtitiæ, comprehenſo in eo amore Dei, ſeu quia proximus conditus eſt ad obſequium Dei, ſeu ob manifeſtationem honoris & gloriæ ipſius ſicut amatur ſervus propter amorem Domini, quia ipſi utilis eſt; vel quia proximus eſt imago Dei, in quo Deus invenitur, & ipſum in eo videmus; vel quia Deus ipſum diligit, & fit eadem res amantis & rei amatæ; vel quia eſt pretioſum Chriſti ſpolium, ipſius palma & corona; vel quia qualitates habet naturales, & alias ſupernaturales amore dignas, quæ ſunt tot bona Dei, & radii hujus magni Solis *h*; hi duo amores ſunt veluti duo rami ejuſdem arboris, quorum alter non poteſt creſcere, niſi eodem momento alter proficiat. Et ſicut amor Dei exigit à nobis ut ipſum amemus *ex toto corde* noſtro, ut ſuprà: Ita amor proximi neminem debet excludere. Scribæ & Phariſæi malè explicabant præceptum amoris, intelligentes, per verbum proximi, amicum; unde inferebant potuiſſe odio haberi inimicum; verbum

g 1. Jo. 4. 20. & 21.

h Malach. 4. 2.

enim Hebræum, & Græcum, ſignificat proximum, & amicum, ait Maldonatus †; imò verò illum, qui eſt alius à nobis; amicus autem & inimicus, domeſticus & extraneus, fidelis & infidelis ſunt proximi noſtri, & alij à nobis, ſed homines ac nos. Et quia amor fundatur in communicatione bonorum ſuſceptorum, & in ſimilitudine, omnes homines, cujuſvis ſint qualitatis, nationis, vocationis, & fidei, ſunt conjuncti ſimul per creationem, cùm omnes facti fuerint à Deo, & deſcendant ab eadem Adami origine; per redemptionem, cùm Chriſtus eos omnes redemerit ſufficienter; per vocationem ad gloriam, cùm omnes ſint capaces paradiſi; per eadem Sacramenta & gratias, quæ omnibus ſunt oblata. Et ut major auctoritas afferatur huic veritati, hunc amorem debere ſe extendere ſuper omnes cum latitudine, quam David aſſignat illi, dicens Deo, *Latum mandatum tuum nimis i*. Obſervare debetis, ſi placet, non licere occidere, furari, concupiſcere uxorem, aut bonum proximi *k*, quicumque ſit ille, fidelis, aut infidelis, aut aliter. Hoc tamen nõ impedit quin poſſint amari alij magis quam alij, cùm Deus qui eſt principium & motivum, quod inducit nos ad amandum proximum, præ donis ſuis & gratijs ſpecialiter magis in iſtis inveniatur, quàm in alijs; ſicut Probi magis amari debent quàm improbi, & Sancti cæli magis quàm Sancti terræ. Sed illi qui non amant proximum ſuum, & qui illum odio habent, maxima reprehenſione ſunt digni, propter magnas, quas inferunt, injurias. Primò communitati hominum, intellige, omni naturæ humanæ; nomen quippe hominis, ſicut & nomen ipſum humanitatis, quod ab ipſo educitur (homo ab humo, & inde humanitas) ipſos inducit ad hoc officium amoris & humanitatis exolvendum. Homo venit in mundum, nihil in eum afferens præter arma ſua offenſiva & defenſiva; humanitatem & dilectionem, per quas omnium ſibi devincit corda, & ſic unuſquiſque ipſum protegit & defendit. Omnis communitas humana eſt veluti magnum corpus, quilibet homo eſt membrum hujus corporis: & ſi offendere unum membrum, eſt offendere totum corpus; ita non diligere proximum ſuum, eſt offendere totam naturam humanam, cujus proximus noſter eſt membrum æquè ac nos. Secundò, Injuria Verbo irrogatur incarnato: amore namque hoc non adimpleto, negatur niſi ore, ſaltem operibus myſterium Incarnationis, & adventus Filij Dei, cùm ad principalem probationem ſuæ Incarnationis petierit à Patre, nocte Paſſionem præcedente, amorem inter Chriſtianos ac unionem reciprocam, *Rogo Pater pro eis, qui credituri ſunt in me, ut omnes ſint unum, ut credat mundus quia tu me miſiſti l*. Ac ſi dixiſſet, Neque miracula *m*, neque Prophetias antiquas, neque prædicationes Apoſtolorum, neque ſanguinem tot Martyrum *n* ita efficaciter hoc myſterium perſuaſura credendum, ſicut faceret pax, amor, & unio inter Chriſtianos. Sicut enim Deus *non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis o*; & *Charitas eſt p* & Amor per eſſentiam; ſic docere debuit pacem & amorem. Illi igitur qui vivunt ſine pace & ſine amore, teſtantur aut ipſum non veniſſe in hunc mundum, aut non eſſe Deum, quia cùm velint haberi diſcipuli ipſius, non habent hanc eximiam virtutem. Incarnatio eſt myſterium amoris; Pater dedit nobis Filium ſuum per amorem; Spiritus ſanctus, qui eſt Amor Patris & Filij *q*, formavit ſacram humanitatem Chriſti *r*, & gloria hujus myſterij ipſi attribuitur: ſicut autem nihil æquè contrarium eſt Soli ac tenebræ; vel melli, quod eſt totum dulcedo, ac amaritudo; ita nihil æquè contrarium eſt Soli ac tenebræ; vel melli, quod eſt totum dulcedo, ac amaritudo; ita nihil eſt magis oppoſitum Verbo incarnato, quod eſt totum amor, quàm odium, aut defectus amoris. Verbum Incarnatum *in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli s*, qui eſt diſcordiarum pater ac diviſionum, quas circumquaque diſperſerat; illi autem, qui non amant, ſeu qui oderunt alios, vel qui ſunt diviſi ab illis, fovent conſilia diaboli, & evertunt illa Chriſti. Verbum incarnatum habet omnes homines ut fratres, & omnes Chriſtianos ut membra corporis ſui myſtici; ſibi, & contra ſe factum reputat quidquid fit alijs, & adversùs alios; *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis t*, dicet ipſum die judicij. *Saule, Saule quid me perſequeris u?* dicebat Saulo ante converſionem ſuam perſequenti Chriſtianos, qui Chriſtiani erant ipſius membra myſtica. Id improperium objiciet ijs, qui oderunt proximum ſuum; quia *ſicut corpus unum, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus x*. Eccleſia eſt ipſius corpus myſticum, quod ipſe Chriſtus tantùm amat, quantùm corpus ſuum naturale; cùm ad dandam illi vitam, illudque ſalvandum, vitam huic eripuerit. Vellentne autem offendere, aut non amare aliquod membrum hujus corporis naturalis? Quare autem læderent, aut dedignarentur Chriſtianum, qualiſcumque ſit ille, cùm ſit membrum corporis ipſius myſtici? Tertiò, Magnam Spiritui ſancto inferunt offenſam, quippe qui non cognoſcitur niſi per hunc amorem, quia quatenus eſt Deus, & prout eſt tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, eſt totus amor; & cùm in Trinitate nullam perſonam Divinam producat, non poteſt cognoſci per talem productionem activam in Deo, quam non habet; & ſic debet agnoſci per amorem creatum, quem producit in cordibus hominum, qui eſt participatio Amoris increati, qui eſt in Deo, per quem amamus Deum propter amorem ipſius, & proximum propter amorem Dei. Et ſicut effectus ſuam manifeſtat cauſam, ita per hanc charitatem agnoſcimus Spiritum ſanctum, qui, cùm ſit Deus, & non poſſit producere Deum, ut ipſum producunt Pater & Filius, producit rem totam Divinam, quæ eſt amor Dei, in animabus noſtris; *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis y*. Illi igitur qui privati hoc amore oderunt, aut non amant alios, incognitum reddent hunc Divinum Spiritum quantùm in ipſis erit, aut quaſi dicent, non poſſe ipſum illum producere, aut præ invidia nolle eum communicare, quæ ſunt horribiles blaſphemiæ. Odium, aut defectus amoris, licèt offendat totam Trinitatem, ſpecialiter tamen Spiritum ſanctum, qui propriè vocatur Amor, potiùs quàm Pater, aut Filius, quatenus per amorẽ utriuſque producitur *z*. Idcircò nemo dicat; Cùm non amo fratrem meum, unicum tantùm offendo hominem. Nunquid enim non peccatis contra Deum, quando offenditis charitatem? Cùm Deus ſit Charitas, qui ſic offendit amorem Dei, quomodo poteſt ſperare veniã, quæ non conceditur niſi per amorem, & ad quam nemo diſponitur niſi per actum amoris, quem ſequitur gratia in hoc mundo, ut ipſum ſequatur tandem gloria in altero?

† Maldonat. in Matth. 5. 43.
i Pſ. 118. 96
k Exod. 20. 53 &c.
l Joan. 17. 20. & 21.
m Act. 5. 4. &c.
n Hebr. 11. 35. &c.
o 1. Cor. 14. 33.
p 1. Joan. 4. 16.
q Joan. 15. 26.
r Matth. 1. 1. & 20.
s 1. Joan. 3. 8.
t Matth. 25. 40. &c.
u Act. 9. 4.
x 1. Cor. 12. 12.
y Rom. 5. 5.
z Joan. 15. 26.

FERIA VI. POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Matth. 7. 12. &c.

JUſtitia & perſectio Chriſtiani opera ita pura exigit & ſic ſancta, ut niſi gratia Dei ſuum provideret nobis auxilium, ad illam pervenire planè nobis eſſet impoſſibile. Nec enim vos veros exiſtimetis Chriſtianos, ſi ea, quæ vobis fides credenda, aut ſpes veſtra expectanda proponit duntaxat, vobis autumetis ſufficere. Ut reſpondeatis & conformeris vos iis omnibus quæ tanquam media fini veſtro ſupernaturali attingendo ſunt adæquata, requiritur à vobis præcipuè charitas; Hoc eſt, non ſufficit nobis ut intellectus noſter ſit benè illuminatus, imò verò nec ut voluntas noſtra ſit apprimè inflammata, præter hæc omnia manus inſuper eſt operi admovenda. Fides quidem providet nobis ea, quæ ſunt inſtruendis nobis neceſſaria; ſpes ea, quæ noſtræ accenſioni ſunt accommoda; ſed ſine charitate impoſſibile eſt ut aliquid boni fiat. Idcircò dicebat nobis Chriſtus in principio hujus Adventus; *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum a.* [a Matth. 5. 20.] Eandem, quam nos habemus, Legem profitebantur Scribæ & Phariſæi, purâ præcepta decalogi, Deum adorabant eundem, quem nos credimus; & eundem ſperabant finem, ad quem ſuſpiramus. Attamen illius non adimplebant præcepta Legis, cùm ipſorum opera non eſſent Legi conformia, ſed ſucata; & licèt in opinione hominum, probatæ vitæ reputarentur viri, longè tamen à vera ſemoti erant juſtitia, quia ſoli apparentiæ incumbebant exteriori, Legi ſenſum veritati aſſignabant non conſonum, & magis exteriorum ambiebant exercitium ceremoniarum b, [b Matth. 5, 2.] quàm veræ ſanctitatis interiori ſpiritu indui. Idcircò ipſorum actiones erant ſine charitate & ſine amore, ita ut non poſſent niſi commoda ſperare temporalia. Si verò nos ſupremam æternæ gloriæ velimus nobis comparare mercedem, non eſt nobis in iis exterioribus immorandum; non ſufficit nobis credere & ſperare, ſi deſideremus juſtitiæ Chriſtianæ perfectionem attingere, & juſtitiam Scribarum & Phariſæorum antecellere; ſed prætereà operibus eſt incumbendum bonis, ſicut docuit nos idemmet Chriſtus in principio hujus Adventus, ubi nobis aliqua proponebat decalogi præcepta, ſub hoc contenta Textu, quo utor hac in tertia parte. Conſummatio juſtitiæ Chriſtianæ hanc à nobis requirit obligationem, ſed antequàm ultrà progrediamur, exigit etiam ut dicamus ſacratiſſimæ Virgini, *Ave Maria.*

Nemo eſt qui ambigat omnes noſtras non poſſe eſſe bonas actiones, neque attingere perfectionem, quam ipſæ exigunt, quatenus ſunt actiones Chriſtianæ, niſi Lex Divina eiſdem modum præſcribat & regulam. Videmus ſiquidem fabrum lignarium facturum aliquid induſtrij in arte ſuâ, uti regula, qua dirigit omnia opera ſua, & ſine qua quidquid agit, quidquid ſuſcipit, imperfectioni proculdubio ſubjiceretur. Eodem planè modo oportet ut verus Chriſtianus ſemper habeat præ manibus ſuis Dei regulam, quatenus bonus artifex, ut omnes actiones ipſius inſigni bonarum & perfectarum glorientur titulo. Lex igitur nobis à Deo data eſt, ut ea veluti regula dirigendarum utamur vitæ noſtræ actionum. Idcircò præbuit nobis idem Deus Legem triplicem, tres Leges, quæ nobis ſervierunt, & ſerviunt adhuc in hunc finem veluti regula ordinaria, qua dirigamus omnes intentiones & actiones noſtras, ut poſſint ad debitam deduci perfectionem. Prima, fuit Lex rationis, ſeu potiùs naturæ, quæ eſt lumen datum à Deo intellectui hominis, quo illuſtratus bonum poterat agere, & à malo declinare, & de hac Lege loquebatur Deo Propheta c, [c Pſ. 4. 7.] ſicut & ego recenſui vobis in principio hujus Adventus, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quia medio hoc lumine agnoſcimus quid faciendum, aut non faciendum ſit alteri; faciendum alteri, quod nobis vellemus fieri; & non faciendum ei, quod nobis non vellemus *fieri d,* [d Tob. 4. 16.] ut dicebam vobis heſterna die, conformiter ad Textum noſtrum. Hæc eſt prima regula à Deo data, quam diabolus conatus eſt confringere in manibus primorum noſtrorum parentum conſtitutam; & per ſuggeſtionem ipſius iſtud ipſi ſic ſucceſſit, ut eis regulam illi contrariam reliquerit, quam vocamus legem concupiſcentiæ, per quam ſemper ad malum inclinamur, & adversùs Deum, & contra proximum, in omnibus noſtra propria intuentes commoda; & de hac loquitur D. Paulus e, cùm ait, *Video aliam legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* [e Rom. 7. 23.] Ipſa enim eſt quæ directè Legi adverſatur naturæ, pervertens noſtram rationem, & quidquid placuit Deo nobis impertiri luminis. Huic ſuccurſurus deordinationi Deus, præbuit ipſis hominibus ſecundam regulam, qua eorum reſcinderet vitia, eoſque in viam virtutis denuò introduceret ſectandam, quæ eſt Scripturæ f regula, quam appellamus Decalogum verbis Textus ſupradicti contentum. [f Exod. 20. 1. &c.] Hæc autem Lex obſervari poteſt vel timore, vel amore; idcircò in veteri Teſtamento appellata fuit timoris g regula; [g Rom. 8. 15.] in Chriſtianiſmo verò, qui eſt tertia regula, eſt Lex amoris h. [h Joan. 13. 34.] Obſervamus enim eandem Legem, quam cuſtodire inviolatè tenebantur Scribæ & Phariſæi, ſed præ differentia nihilominùs motivorum, quæ nos ad illius inducunt praxim; cùm illi obſervarent eam duntaxat timore perculſi, nos autem debeamus eam adimplere amore allecti.

Amore igitur operi manus eſt admovenda, & faciendæ ſunt omnes & ſingulæ actiones noſtræ, ſi velimus eſſe filii Jeſu Chriſti; veri & perfecti Chriſtiani, conſummati in vera juſtitia, & cæleſtis mercedis conſortes effici. Idcircò Magiſter noſter Jeſus Chriſtus hanc primam exponens regulam, quæ in decem ſita eſt præceptis, vocat eam Legem amoris, Legem dilectionis, Legem charitatis; quia quidquid in hac continetur Lege, præ amore debet adimpleri ſeu erga Deum, ſeu circa proximum, cùm perfecta charitas ex nobis ipſis exire debeat, ut manifeſtetur his duobus objectis, in quibus tota perfectio Legis Chriſtianæ, & juſtitiæ noſtræ cōſũmatæ fundatur,

& ſta-

& ſtabilitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ut dicebam vobis die heſterna. *In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ i.* Et ſicut apprimè ait D. Paulus *k*, *Plenitudo Legis eſt dilectio.* Tota perfectio hujus Legis conſiſtit in dilectione Dei, & proximi.

i Matth. 22.37. & 39.
k Rom. 13.10.

Atqui ad benè amandum Deum tria ſunt peragenda. Nullum alium oportet habere Deum præter ipſum. Ecce primum præceptum Legis, *Non habebis Deos alienos coram me l.* Secundum, Ipſe eſt honorandus, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium, Oportet ut qui benè Deum amat, in illo libenter requieſcat, & hoc eſt obligatio ſervandi Sabbathi, *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.* Ecce prior ramus amoris, juxta quem actiones noſtræ ſunt dirigendæ circa Deum. Poſterior, qui proximum ſpectat, conſiſtit in exhibendo ei amore, quem erga illum habemus. Primò, honorem deferendo iis, qui nobis carnis cognatione ſunt conjuncti, ſub quibus comprehenduntur omnes Superiores tum Eccleſiaſtici, tum Politici; & hoc eſt præceptum honorandum parentum, *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Secunda nota amoris eſt, nullum ei inferre malum ſeu facto, ſeu verbo, ſeu cogitatione. Facto, *Non occides*, & hoc propriæ perſonæ. *Non mœchaberis*, & id perſonæ conjunctæ. *Non furtum facies*, & iſtud bonis exterioribus. Verbo, *Non loquêris contra proximum tuum, falſum teſtimonium.* Cogitatione, *Non concupiſces domum proximi tui: nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* Ecce plenitudo hujus Legis amoris, in qua conſiſtit perfectio & tota conſummatio juſtitiæ, quam profitemur; quatenus veri Chriſtiani ſumus, & quam vobis habeo explicandam in reſiduo hujus Adventus, quoad ea quæ Deum ſpectant, ac proximum noſtrum. Incipio igitur hodierna die, & intendo vobis explicare duo prima præcepta decalogi, quæ ſunt, adorandum eſſe unicum & ſolum Deum; & non ſumendum in vanum ſacrum ipſius nomen.

l Exod. 20.3. &c.

Diviſio.

I. Pars.

Ecce primus paſſus peragendus, ut perveniamus ad perfectionem & conſummationem juſtitiæ Chriſtianæ; *Non habebis Deos alienos coram me*; Si noſtras exhibeamus adorationes Deo ſoli, & non aliis diis, cùm ipſe ſit *ſolus, & non ſit alius Deus præter m* ipſum. Nulli ſunt dii alieni, ſed unicus eſt tantùm Deus verus, qui cùm Deus communis ſit omnibus, nulli poteſt eſſe alienus. Vocantur igitur hi dii alieni, non quod re vera & effectivè ſint dii, ſed quia alieni, hoc eſt, Gentiles, qui erant alieni à cultu ſacro veræ Religionis, quæ agnoſcit & adorat Deum ſupremum, qui *creavit cælum & terram n*, & eſt *Dominus omnium o*, à quo omnes creaturæ dependent; exhibebant ſummos cultus, & adorationes ſoli Divinæ Majeſtati debitas, idolis lapideis, ligneis, & metallicis operâ *manuum p* ſuarum ut plurimùm fabricatis. Prohibet igitur Deus hoc primo Decalogi præcepto, ne ullus alius agnoſcatur Deus præter ſe; & præcipit ut ſibi interiores reverentiæ cum magno affectu, & exteriores per adorationes & per ſacrificia exhibeantur. Vetat ergo Deus ne reddantur illis adorationes, *Non habebis Deos alienos coram me.* Quaſi diceret, non eſſe adorandos falſos Deos, quia cùm ipſe intueatur *abyſſos q*, *ſcrutans cor, & probans renes r*, intima penetrando noſtra, Divinis ipſius non poſſumus eripi obtutibus. Unde alioquin magna foret ipſi irroganda injuria, cùm omnia ſint ipſi manifeſta, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus s*, Si ſupremos cultus ac ſummas adorationes exhiberemus falſis divinitatibus, numinibus imaginariis, ut faciebant Antiqui, qui adorabant modò dæmones, modò corpora cæleſtia, Solem, Lunam, & Stellas; aliàs elementa, beſtias, animalia, ligna, lapides, & metalla, ut jam dixi. Et licèt gratiâ Dei nobis opitulante, liberi ſimus ab omnibus iſtis cæcitatibus, hoc nihilominùs tranſgredi præceptum poſſumus, ſi utamur ſortilegiis, veneficiis, incantationibus, & divinationibus, quæ fieri non poſſunt niſi cum pacto aliquo expreſsè vel tacitè cum dæmone inito. Hæc enim eſt maxima in Philoſophiâ univerſim admiſſa, Cauſam debere ſemper effectui ſuo converti, id eſt, producere effectum ſecundùm ſuam potentiam, v. g. ignis producit calorem, calefacit, quare? Quia virtutem habet id operandi. Medicina morbum propulſat, & ratio iſtius eſt, Quia hoc eſt ipſi proprium, infirmitatibus medelam apponere. Peto autem à vobis: Quam potentiam, aut virtutem habent hæc verba, quæ pronunciatis; aut id, quod applicatis; aut ceremoniæ illæ ſuperſtitioſæ & ridiculæ, quas ita ſeriò obſervatis; aut actio, quam facitis, ut dolori capitis, alive cuicunque medeamini infirmitati? Si dicatis ille ipſum Deum, qui iſta operatur; falſum hoc eſt, quia Deus nulla miracula ſine aliquâ peragit neceſſitate *t*. Præterea, Angeli non dederunt illis hanc virtutem extraordinariam; non enim veſtris ſeſe impiis immiſcent. Si autem Deus, aut Angeli ſancti has non operantur curationes; & hæc verba à ſeipſis nullam talium effectuum ſupernaturalium producendorum habent virtutem; quid vobis reſtat inferendum, niſi dæmonem harum operationum eſſe artificem eodem momento, quo hæc inania profertis verba, & hoc eſſe ſortilegium?

m Deut. 32.39.
n Gen. 1.1.
o Eſth. 13. 11.
p Pſ. 113. 12.
q Dan. 3. 55.
r Ier. 17. 10.
s Hebr. 4. 13.
t 3. Reg. 12. 38. &c.

Sed licèt Deus prohibeat adorationes ſupremas, ac cultus ſibi ſoli debitos exhiberi diis alienis, qui ſunt *opera manuum hominum*; permittit nobis tamen ut honoremus Sanctos, qui ſunt amici ipſius ac familiares; & reddamus illis cultum duliæ, ſeu honorarium infinitè inferiorem cultu latriæ, ſeu ſupremo, quem ipſi ſoli exhibemus; & ut noſtras ad eos preces ac ſupplicationes dirigamus. Et licèt Calvinus multùm anxietur, nunquam tamen hunc Scripturæ ſacræ locum corrumpet, depravabitne, in quo expreſſam videre eſt Sanctorum invocationem, cùm Jacob Patriarcha moriturus preces ſuas ac ſupplicationes Deo offerebat; *Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. Et invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac u.* Ut quis, ait ſanctus iſte Patriarcha, poſſit intuitu illorum invocare nomen meum, ſicut & nomina ſanctorum Patriarcharum Majorum meorum Abrahæ & Iſaac; qui vixerant, & mortui erant in juſtitia & in ſanctitate *x*. Aſſerit impius hic hæreſiarcha interceſſionem Jeſu Chriſti profanam effici, quando miſcetur cum interceſſione Sanctorum defunctorum. Eſſet igitur, doctrinæ ipſius adhærendo, dicendum, etiam Prophetam Baruch ſuas ad Deum directas effeciſſe profanas preces, cùm aiebat *y*, *Omnipotens Deus Iſraël, audi nunc orationem mortuo-*

u Gen. 48. 15. & 16.
x Gen. 18. 17. &c. & 25. 8. & 26. 6. &c. & 28. 5. &c.
y Baruch. 3. 4.

mortuorum filiorum Iſrael. Nunquid non promittebat D. Petrus iis, quos edocuerat, futurum ut ipſorum præ ſingulari privilegio recordaretur poſt obitum ſuum? Idcircò ſcribebat illis morti ac capulo vicinus; *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis z.* [z 1. Petr. 1. 15.] Hanc Hæretici debent acceptare expoſitionem, quam intelligimus de precibus, quas D. Petrus facere potuiſſet poſt mortem ſuam, ad conſervandam in Chriſtianis doctrinæ à ſe illis traditæ memoriam; & orare Deum pro illis ad hunc finem, ut ipſis promittebat D. Petrus, eſſe notam poſſe nos honorare Sanctos, orationes noſtras eis commendare, & has illis offerre, ut inducantur ipſi ad intercedendum pro nobis. D. Joannes † [† Apoc. 5, 8.] autem dicens ſe vidiſſe *phialas aureas plenas odoramentorum*, interpretatur eas de Sanctorum interceſſionibus, *quæ ſunt orationes Sanctorum.* Adimplent in cœlo Sancti exercitium, quod ipſis præſcribit David *a* [a Pſ. 83. 5.], Deum alloquens, *Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Nec minus laudatur Deus precibus quàm canticis. Hæc ſunt ſacrificia, quæ ſuſcipit ab illis, quos gloriæ ſuæ conſortes effecit, noſtri gratiâ; illi ſiquidem in cœlis pro nobis ſacrificia offerunt, & pro populo preces fundunt, neque enim ita nos reliquerunt, ut penitus nos deſeruerint. Atqui ſi Sancti poſſunt orare pro nobis, & talibus precibus honorare Deum; quare non dirigemus ad eos neceſſitates noſtras, cùm eas Deo offerant unà cum orationibus noſtris, quæ per ipſorum manus tranſeunt, ut turpitudo noſtrarum miſeriarum, & infectio noſtrorum peccatorum, ſuavi odore incenſorum, & orationum ipſorum perfundantur, antequàm Deo præſententur, ne Dei ejuſdem fortè nares offendant?

Non eſt igitur hoc præceptum violare, ac Sanctos honorare. Sed illi qui credunt, aſtra aliquam habere potentiam ſuper animas noſtras & voluntates, directè adverſantur huic præcepto, cùm Deus ſolus ſit noſter Dominus & Moderator; aſtra verò & reliquæ creaturæ ad hoc duntaxat ſint producta ut ſoli homini ſerviant. Tandem, illi qui malè utuntur divitiis, bonis, voluptatibus, honoribus, iiſque corda ſua alligant, pejores ſunt infidelibus; agnoſcentes enim unum Deum ſolum, quem miſerandi iſti Pagani non potuerunt perfectè cognoſcere; ſuas tamen exhibent adorationes, & puriſſimos ſuos affectus vilibus & corruptibilibus creaturis. Adoremus igitur Deum, & non pecuniam *b* [b Coloſſ. 3. 5.]; nec ventrem *c* [c Philipp. 3. 19.], nec ſpeciolam hanc formam, hoc eſt enim primum mandatorum, *Non habebis deos alienos coram me.* Nec alicui creaturæ amorem noſtrum poſſumus conſecrare, quin ſtatim tranſgreſſores efficiamur hujus præcepti amoris, quod eſt aliorum baſis & fundamentum.

Deus etiam debet adorari propter dignitatem ſuam, ob liberalitatem ſuam, quibus ſumus addicti, & propter mercedem, quam nobis præparat. Dignitates ſius noſtras exigit reverentias, ſicut videmus in terris Reges & Principes honorari ſecundùm dignitatem, & qualitatem, quam poſſident; illos verò qui eis hunc honorem eripiunt, ut reos læſæ haberi Majeſtatis. Deus nemini gloriam præbere poteſt ſuam, ut ipſemet teſtatur per Prophetam ſuum *d* [d Iſai. 42. 8.], *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Et ſic ſolus eſt adorandus, ſicut ſolus adorationes meretur ſupremas. Præterea, Magnificentiæ ipſius ſunt grave motivum ad hoc; quidquid enim poſſidemus, ex ipſius liberalitate procedit *e* [e 1 Cor. 4. 7.], & corpus, & anima, & bona, & propinqui, & divitiæ, & dona naturæ, & gratiæ, & tandem gloriæ: & ſic cùm ab eo habeamus omnia, in illum omnia debemus refundere, niſi infami ingrati animi labe & nota velimus inuri, poſt tot ſuſcepta ab ipſo beneficia. Sed demus, hæc omnia motiva fuiſſe nulla; cùm in ſacro Baptiſmate *f* [f Joan. 3. 5] ſolemniter dæmoni renunciaverimus, ſolique Deo fidem noſtram alligaverimus † [† Oſee 2. 20.], tenemur eam illi ſervare. Promiſſa illius propter hanc adorationẽ & hunc amorem, quæ ei debemus, ſunt maxima, nec qualia Judæis facta; ſiquidem iſtis terrâ promiſſionis *quæ fluit lacte & melle g* [g Exod 3. 8.], propoſitâ, Deus nihilominus promittit nobis quàm gloriam Angelorum, *Erunt ſicut Angeli Dei in cœlo h* [h Matth. 22. 30.]. Deus igitur ſolus eſt adorandus. Et nomen ejus in vanum non eſt ſumendum.

II. Pars.

Non ſufficit ut teſtemur amorem, quem Deo debemus, ſi illum ſolum ſine ullo ſocio adoremus; ſed oportet ſecundò non aſſumere ſacrum nomen ipſius fruſtrà; & hic eſt ſecundus Legis gratiæ greſſus: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ubi obſervandum eſt, ſi placet, hoc nomen *in vanum*, poſſe diverſimodè uſurpari, vel jurando propter res inutiles, vel propter peccata, vel propter falſitatem. Tres exigit Deus in juramento conditiones, quibus excluſis illud efficitur illicitum, nec ullo poteſt modo honeſtari: *Et jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitiâ i.* [i Jer. 4. 2.] Hæ ſunt tres conditiones, quas juramentum debet præ ſe ferre, ut debito fiat modo; nimirum ut fiat cum *veritate*, enuncietur cum *judicio*, & proferatur cum *juſtitiâ*. Jurare poteris ſine ullo peccato, ait Deus, cùm hæc tria occurrent; veritas; judicium, hoc eſt, prudentia & diſcretio, quæ in juramento non debet adhiberi niſi in neceſſitate magni ponderis; & juſtitia.

Diſcurrentes Theologi de veritate, aſſerunt illã debere eſſe æternam; quia cùm res eſt neceſſaria, ipſa eſt in Deo, & fieri non poteſt quin fuerit. Impedire poterat Deus ne fortè, antequàm exiſtentiam ſortiretur; v. g. hoc templum materiale, fuit, & verum eſt quòd de illo pro ſemper dicetur, quòd ab æterno deberet eſſe; quia Deus prævidit illud, quod eſt in tempore, futurum eſſe debere in æternitate, & pro ſemper erit verum illud fuiſſe. Juramenta noſtra debent eſſe in veritate earum rerum, quæ ſunt, aut quæ fuerunt. Præterea, Ut res ſit vera, debet eſſe conformis actui intellectus, idcircò Verbum Divinum vocatur *Veritas k* [k Joan. 14. 6] æterna, quia ipſum eſt omnino conforme intellectui Patris ſui; & ſicut Pater æternus ab æterno ſe cognoſcit *l* [l Pſ. 2. 7.], hac cognitione producit hoc Verbum, quod ut ſic eſt Veritas æterna: & ſic ut dicatur homo verax, & non doloſus, dicitur homo Regius, qui cor ſuum præ manibus defert, cujus verba actui intellectus ipſius ſunt conformia; è contrà de doloſo, de mendace, qui profert aliquid ore quod non eſt cogitationi internæ conſonum, cujus lingua cum corde non concurrit, dicitur ipſum non eſſe veracem. Filius Dei igitur eſt Veritas æterna Patris, quia illi eſt conformis, quippe qui ab æterno ſe cognoſcit.

Hoc planè noſtrum fieri debet juramentum modo cum veritate; qui enim aſſumunt *nomen Dei*, ut falſitatem teſtificentur, eique nomine Dei ſacro concilient authoritatẽ, magnam

Deo irrogant injuriam, ſicut & ſibi, necnon & omnibus hominibus. Injuriam Deo gravem inferunt, quia ipſius uſurpant teſtimonium, & falſum jurantes, ipſum ignorantiæ inſimulant, ac ſi neſciret veritatem; aut impotentiæ & infirmitatis, quaſi verò non poſſet teſtis adhiberi, & de hoc crimine vindictam & pœnam adversùs nos referre. Hæc juramenta non ſunt in veritate; *Homines per majorem ſui jurant m*, ut verbis ipſorum addatur authoritas, quippe quibus non crederetur, niſi majoris adhiberetur teſtimonium, ſicut per ſuum Jovem aliàs jurabant Antiqui: Atqui nihil eſt majus ipſo Deo, illum invocamus teſtem eorum quæ dicimus, & volumus ut, quatenus *Veritas* æterna, authoritatem noſtris impertiatur verbis. Juramentum ad Deum directum, eſt actus religionis: ſi autem mentiamur, efficimus ut Deus, qui eſt prima *Veritas*, mendacio noſtro ſerviat *n*; illum aſſumimus ut mendacium confirmet. Qualem injuriam! qualem injuſtitiam! quantum ſacrilegium! Illum facimus non veritatis authorem, ſed mendacij aſſertorem. Si hominem aſſumeremus, ut illum perfidiæ noſtræ & proditionis noſtræ authorem ac promotorem propalaremus, nonne maximam illi inferremus injuriam? Idem planè, imò verò potiori ratione de Deo dicendum eſt: volumus enim velut deſtruere & annihilare Dei naturam & eſſentiam, quæ ſita eſt in ipſius veritate; & illum mendacem, & mendacij aſſertorem reddere, & è Deo illum diabolum efficere, qui *loquitur mendacium, quia mendax eſt, & pater ejus o*. Quale ſacrilegium! Iſtud eſt juramentum, cui deficit conditio requiſita ad hoc ut ſit licitum, & poſſit honeſtari, & fieri eo pacto quo decet: debet enim veritatem habere ſociam ac inſeparabilem.

m Hebr. 6.16.
n Iſai. 43. 24.
o Joan. 8. 44.

Reges & Principes ſunt regula & exemplum inferiorum, primi eorum qui ſequuntur. Deus eſt *Primus p* omnium, prima *Veritas* †, *Verbum Dei q*. Omnes igitur homines debent illi ſe conformare in juramentis ſuis, quæ fieri debent *in veritate*. Præterquàm quòd nihil eſt majus ipſo Deo, quod efficit ut ipſe per ſemetipſum juret, *Per memetipſum juravi, dicit Dominus r*. Ut id, quod in pulpitis prædicamus, aliquid habeat ponderis, ut authoritatem noſtræ conciliemus doctrinæ, citamus D. Thomam, D. Bonaventuram, & alios: & ut addant fidem homines ijs, quæ dicimus, Deum teſtem invocamus, ſed oportet ut hoc fiat *in veritate*. Qui verò id non faciunt, magnam ſibi injuriam irrogant, quia ipſi ſemetipſos ante Deum condemnant: alijs etiam officiunt plurimùm, quia ea hominum ſocietate eliminant veritatem, ſine quâ nemo alijs poſſet fidere; veluti mercatores qui ſe horrendis execrationibus addicunt diabolo, jurantes aliquas tanti eſſe merces valoris, vendendo & emendo in ſuis negotiationibus ac commercijs.

p Apoc. 1. 17.
† Joan. 14. 6.
q Apoc. 19. 13.
r Gen. 22. 16.

Secunda conditio juramenti eſt, ut fiat *in judicio*, id eſt, cum ſeria conſideratione, & cum prudentia, maturè perpenſis ijs, quæ fieri debent, & non leviter, & ſine prævio agendorum examine. Obſervatur D. Paulus in Actibus Apoſtolorum nunquam juraſſe; non invenitur in ſcriptis de ipſo à D. Luca, quòd unquam jusjurandum interpoſuerit. Multas regiones peragraverat, multa itinera confecerat, ubique prædicaverat cum magno fervore ac zelo incomparabili *s*; ſed tamen nunquam juraſſe perhibetur. At in Epiſtolis ſuis legimus ipſum multoties juramento uſum; ſcribens enim Corinthijs, eos ſic alloquitur *t*; *Quare? Quia non diligo vos? Deus ſcit. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcit quia non mentior.* Deum teſtem adhibet Apoſtolus, ſed propter quam rationem? Ecce ipſa in promptu eſt: *Hic Gentium Apoſtolus u* in Actibus Apoſtolorum à D. Luca ſcriptis exaratis conſideratur ut Prædicator; in Epiſtolis verò ſuis ut Scriptor: Atqui loquendo poteſt quis zelo duci nimio, nec benè conſiderare quæ profert, tanta eſt humana fragilitas; & ſicut vita & mors poteſtati linguæ ſunt commiſſæ, *Mors & vita in manibus linguæ x*: Exiguum hoc organum ita facilè movetur, & ita parùm ſiſtit, ut David Deo diceret, *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis y*: D. Paulus igitur prædicans, nunquam jurat; benè autem ſcribens Epiſtolas ſuas; quod enim ſcribitur; ſeriò perpenditur; vel ſaltem perpendi debet; digeritur antequàm calamo chartæ commendetur, vel in ipſa papyro ſcriptis exaratum reformetur. Hoc innuit, jusjurandum fieri debere *in judicio*, & cum matura conſideratione ac ſeria attentione ad ea, quæ ſunt agenda, non autem ex habitu pravo, & fluxu linguæ intolerabili.

s Act. 9. 20. &c.
t 2. Cor. 11. 11. & 31.
u Rom. 11. 13.
x Prov. 18. 21.
y Pſ. 140. 3.

Terminaturus Iſaac Patriarcha & juraturus pacem cum Rege Abimelech, ut fœdus iniret cum hoc Principe, noluit ut hoc fieret poſt cœnam, expleto magnifico convivio, quod excipiendo huic Principi opiparè erigendum præceperat: Sed ne ciborum vapores ipſorum lumina obtenebrarent, & ipſis perfectè ratiocinandi & apprimè omnia conſiderandi modum adimerent, dixit ei ſe craſtina die mutuò de ſuis tractaturos eſſe negotijs: *Fecit ergo eis convivium, & poſt cibum & potum ſurgentes manè, juraverunt ſibi mutuò z*. Lyranus ſubjungit, *ſcilicet, ſalvâ ſeiunâ, propter reverentiam juramenti*, cùm ſpiritus puriores ſunt, minùſque turbati. Oportet igitur ut juramentum fiat *in judicio*. Illi autem qui ſtultè & impudenter hoc ſanctiſſimum Nomen pronunciant nullum alium ob finem, niſi ut pravo ſuo habitui, aut iræ ſuæ ſatisfaciant, maximam committunt enormitatem, cùm in terra jam incipiant praxim exercere, cui dæmones incumbunt in inferno, & ipſorum lingua jam ſit aſſuefacta ad loquendum contra Deum, ut teſtentur ſe nulli alii exercitio in inferno, quò procul dubio deſcendent, niſi ad bonam ſe receperint frugem, vacaturos. Nobilis quilibet ferè adoleſcens eodem die, quo gladio accingitur, inſolens efficitur, juramentum ſingulis quaſi intermiſcet verbis, ſed caveat: *Nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà**.

z Gen. 26. 30. & 31.
* Exod. 20. 7.

Obſervant Doctores aliqui terram tremuiſſe, Solem obſcuratum fuiſſe, & totam naturam concuſſam eſſe, ſtatim ac Moyſes hæc verba modò dicta protuliſſet; interim petulantes adoleſcentes noſtri jurant ſine ullo timore, Dei Nomen, quod reverentur Angeli boni, & quo audito dæmones contremiſcunt. Hæ! faxit Deus ut hunc ipſe non moveat eorum linguam. Cùm Helvetij aut ſervi ſtant ante valvas domus nobilis alicujus Viri, ſtatim dicitur, Dominus N. eſt domi,

ecce

ecce inſigne geſtamen, quo induti ſunt ſervi ipſius. Verba, quæ egrediuntur ex ore veſtro, indicant quis habitet in vobis; non Deus per gratiam, *Nam & loquela tua manifeſtum te facit a*: ſed peccatum, ſed diabolus, qui efficit ut ita loquamini. Sed quis affectus erga noſtram Religionem, ut quis juret ita frequenter & pro nihilo nomen Dei? Turcæ palo inducere dicuntur eos, qui contra falſum ipſorum Prophetam Mahumetem juraverint; ſed qui Dei nomen jurant, nonne gravius merentur ſupplicium? Similes ſunt ij Dionyſio Siciliæ Tyranno, qui cùm aſcendiſſet Olympum, & vidiſſet ibi Jovem pallio aureo, pietate, charitate, & liberalitate devotorum ipſi Paganorum ſabrefacto opertum, oravit eum, deriſoriè dicens, tempeſtatem fuiſſe frigidam, ideòque pallium laneum ipſi fore utilius, ut ab ipſo frigus arceret. Idem dicendum de ijs, qui Dei nomen jurant deriſoriè. Sacrilegium enorme! Deus ſeverè illos puniet propter abuſum ſacri nominis ſui, quod profanant; nec illud impoſterùm nominare poterunt niſi inter rabies, deſperationes, & ubi *erit fletus & ſtridor dentium b* in conſortio dæmonum apud inferos.

a Math. 26. 73.

b Math. 8. 12.

Tertia conditio juramenti eſt ut fiat *in juſtitia*. Redux Jephte victoriâ reportatâ de Moabitis, palmis & lauru coronatus, prædaque & ſpolijs onuſtus, pergens domum ſuam, gratias acturus Deo ob beneficia ab ipſo ſuſcepta, promiſit in gratiarum actionem ſe ſacrificaturum Divinæ ipſius majeſtati quidquid domus ſuæ ſibi primò obvium futurum. Idcircò dum ipſius ſubditi ſe diſponunt ad ipſum magnificè excipiendum, & ad arcus triumphales ipſi erigendos, filia ipſius unica prima egreditur obvia Patri triumphanti ob inſignem victoriam ab hoſtibus reportatam congratulatura; ſed ipſam Pater ſic alloquitur, *Heu me filia mi, decepiſti me, & ipſa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero c.* Petunt Theologi utrùm Jephte ad ſervandum teneretur jusjurandum; & an benè feciſſet. Et reſpondent quòd non. Hoc juramentum non erat factum *in juſtitia*. Pater non habet authoritatem ſuper filium quoad vitam; poteſt quidem eum corripere, ſed non eum occidere; non tenebatur ad illud juramentum, cùm eſſet contra juſtitiam. Juſtitia ſiquidem eſt appendix omnium virtutum. Homo juſtus eſt, qui omnibus virtutibus præditus eſt; ſicut impius, qui univerſis eſt inquinatus vitijs. Fides eſt juſtum debitum, ſubmiſſio reddita veritatibus revelatis in Scriptura ſacra. Spes eſt juſta fiducia, quæ nos ad cœlum elevat. Charitas eſt juſtus reſpectus & amor, quem Deo exhibemus. Prudentia eſt juſta vitæ noſtræ directio. Temperantia eſt noſtrorum juſta moderatio appetituum. Fortitudo eſt juſta in arduis ſuſcipiendis firmitas. Juſtitia verò eſt hæc omnia.

c Judic. 11. 35. &c.

Oportet igitur ut jusjurandum ſit alicujus rei bonæ, gravis, & non vanæ & inutilis, exiguive momenti. Sola humana ratio ſufficit; *Sit ſermo autem veſter, eſt, eſt: non, non d.* Nequaquam eſt adhibendum juramentum pro rebus parvis, quod eſt adversùs eos, qui loquendo, ludendo, ridendo, pro nihilo Deum jurant. Illi verò qui jurant ſe facturos eſſe aliquod malum, v.g. nolle ſe reconciliare inimicis ſuis, nec ijs injuriam ab ipſis ſuſceptam & ſibi irrogatam dimittere; Pater qui jurat ſe acturum eſſe aliquid adversùs filium, filius verò contra Patrem; hi pejus agunt quàm alij, & ſimiles videntur Regi Herodi, cùm juraverat ſe juſſurum occidendum D. Joannem Baptiſtam e. Hæc juramenta non ſunt obſervanda; illicitum eſt ea facere, majus autem crimen ea obſervare, ſicut magna eſt virtus ea non facere. Hæc omnia ſunt juramenta contra juſtitiam, quæ omnes virtutes complectitur; Theologicas, ut Fidem, Spem, & Charitatem; & Morales ſeu Cardinales, purà Prudentiam, Temperantiam, & Fortitudinem; Juſtitia autem has omnes continet, ut jam prælibavi.

d Math. 5. 37.

e Marc. 6. 27.

Tandem, Non eſt jurandum ſanctum Nomen Dei ob falſitatem, neque ob imprudentiam, neque ob injuſtitiam. Aſſumere enim *nomen Dei in vanum*, id eſt, in forma juramenti, adverſatur præcepto ſuprà allegato. Si jureris contra veritatem, juramentum veſtrum erit falſum; ſi contra juſtitiam, erit iniquum; ſi contra judicium & prudentiam in occaſionibus inutilibus & parvi momenti, erit vanum & temerarium: & in his tribus caſibus erit peccatum. Si jurens pro re falſa, perjurium eſt: ſi pro re illicita, injuſtitia; ſi pro re vana, irreverentia. Jurare pro re falſa, de qua ſcitur, aut creditur contrarium illi quod dicitur, eſt ſemper peccatum mortale in qualibet materia ſive magna, ſive parva. Communis eſt opinio Doctorum, cùm ſit maximum crimen, appellare Deum, qui eſt ipſa *Veritas* †, in Teſtem falſitatis. Jurare rem dubiam, & quæ ſcitur eſſe dubia, pro certa & vera, eſt etiam peccatum mortale. Jurare ſe facturum eſſe rem injuſtam & illicitam, eſt etiam peccatum mortale in re gravi. Jurare pro re parvi momenti, ſed vera, & non illicita, eſt ſemper peccatum veniale. Imò verò quando is qui jurat, ordinariè mentitur, & falſum jurat conſequenter, ipſius conſuetudo jurandi in materijs levibus licèt veris & non illicitis, imputatur ipſi ad peccatum mortale. Communis eſt Doctorum ſententia. Quia ſemper verſatur in occaſione proxima & voluntaria peccandi mortaliter, ob mendacia & falſa juramenta, quæ ſunt ipſi familiaria. Ideò tenetur ſub peccato mortali conari deſerere hanc conſuetudinem pravam, quæ ipſum ſic frequenter in peccatum lethale præcipitat, cùm jurandi conſuetudo ſit lethifera.

† Joan. 14. 6.

Idcircò remedium præſentiſſimum ad evitanda infinita perjuria, in quæ labuntur ordinariè ij, qui ſæpè jurant, eſt formare in ſuo corde firmum propoſitum nunquam jurandi, imò verò pro rebus juſtis & veris niſi in magna neceſſitate. Sed non ſolùm non debemus uti veri Chriſtiani jurare *nomen Dei*, ſed nec aliam rem quamcumque aut corporalem, aut ſpiritualem; id enim omne ad Deum dirigitur. *Nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum f.* Et, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino; neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum g.* Nihil omnino eſt jurandum, nec fides, nec anima, nec brachium, nec caput, nec corpus, nec alia creatura qualibet; hæc omnia juramenta diriguntur ad illum, qui fecit hæc univerſa.

f Jacob. 5. 12.

g Math. 5. 34. &c.

Vult igitur Dei Filius ut hinc diſcamus, ut obſervant D. Auguſtinus & D. Chryſoſtomus h, plu-

h D. Aug. & D. Chryſoſt. citati à Corn. el. in Math. 5. 34.

propenſionem & inclinationem, quâ quis ducitur ad jurandum, eſſe malam; & juramentum, licèt ſit bonum in ſe, deſumere nihilominùs originem ſuam è malo, & ex ſe non oportere illud deſiderari, nec conſequenter jurare, niſi ad jurandum inducat gravis aliqua neceſſitas; idque Primò, ne è conſuetudine jurandi cadat quis in perjurium, ſicut perſæpè, & ſæpiùs quàm ſit par accidit. Eſt hæc communis Patrum opinio, ſicut & Salomonis dicentis, *Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illâ. Vir multùm jurans, implebitur iniquitate i.* Secundò, Quia reverentia nominis Dei hoc exigit. Tertiò tandem, Quoniam Chriſtiani, qui praxim profitentur virtutis, & tenentur aſpirare ad apicem juſtitiæ & ſanctitatis ipſorum conditioni congruentis, deberent eſſe ita veraces ut mererentur ut quis cum magnâ ſimplicitate ipſorum verbis crederet, nedum ea juramentis ipſi confirmarent. Filius Dei igitur ait, *non jurare omnino.* Quia, ut ait D. Auguſtinus *k*, *Falſa juratio exitioſa eſt; vera juratio periculoſa eſt; nulla juratio ſecura eſt.* Filius autem Dei Dominus noſter dicit, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Id eſt, ait idem D. Auguſtinus *l*, *Ut, quantùm in te eſt, non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliquâ delectatione appetas jusjurandum.* Hic eſt profectò modus comparandæ gratiæ Dei in hoc mundo, & tandem ipſius gloriæ in altero conſequendæ.

i Eccli. 23. 9. & 12.

k D. Aug. ferm. 28. de Verb. Apoſt. c. 4.

l D. Aug. lib. de Mendac. c. 15.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joan. 20. 27. &c.

Poſtquàm ſe Dei Filius diſcipulis ſuis exhibuiſſet tamquam à mortuis ad vivos ſuſcitatum, *Thomas unus ex duodecim non erat cum eis quando venit Jeſus. Dixerunt ei alij diſcipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et poſt dies octo, iterùm erant diſcipuli ejus intùs; & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus,* credens eum verè reſuſcitatum, qui conceptus fuerat in ſinu B. Virginis *a*, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

a Luc. 1. 38. & 28.

Hæc eſt maxima in Theologia univerſim admiſſa, quòd corpora non ſolùm Beatorum, ſed etiam reproborum, baptizatorum, & eorum qui *ex aquâ & Spiritu ſancto b* non fuerint renati, reſurgent perfecta in magnitudine & in integritate ſuorum membrorum, & quòd claudi non claudicabunt ampliùs, gibboſi ſuſcitabuntur recti, ſurdi audient, cæci videbunt, monſtroſi qui in lucem editi fuerant cum duobus capitibus, tribus brachijs, & quatuor cruribus, has monſtrifcas & ſuperfluas amiſerint partes; & infantes biennes aut triennes cubitale præ ſe ferentes aliàs corpus, habebunt tunc illud perfectum, quale erat corpus Chriſti, cum *ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta c*, aut triginta trium *d* cùm *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt e*; ut aſſerit D. Paulus *f*, *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Id eſt, in eâ ætate occurremus & reſurgemus, quâ Chriſtus conſummatus atque occiſus eſt, ſcilicet in anno triceſimo tertio. Non ait in menſuram corporis, vel ſtaturæ, quoniam unuſquiſque proprij corporis menſuram recipiet, quam vel in juventute habuit, licèt ſenuerit, vel fuerat habiturus, niſi priùs obijſſet,* ut exponit Dionyſius Carthuſianus *g*. Elementa materiam ſubminiſtrabunt ſupplendo defectui juſtæ & naturalis magnitudinis illorum accommodam. Hæc propoſitio Theologica eſt certa, cùm fulciatur ſolido & inconcuſſo Scripturæ ſacræ fundamento, & innitatur Sapientiæ & Potentiæ Dei, cui ſoli competit mortuos ſuſcitare. Et ſicut *Dei perfecta ſunt opera h*; ſic in reſurrectione omnia corpora in plena & integra conſtituet ipſorum perfectione. Ideò *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem, quâ etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia i. Id eſt, de ſingulis ordinare & facere quod ſibi placuerit, hoc eſt, ſecundùm Divinam potentiam, per quam reformatio iſta complebitur. Subeſt enim Deo, cùm voluerit, poſſe, ut dicit Sapientia k,* ſicut exponit idem Dionyſius Carthuſianus *l*.

b Joan. 3. 5.

c Luc. 3. 23.

d Joan. 19. 30.

e Baruch 3. 38.

f Ephes. 4. 13.

g Dion. Carth. art. 4. in Epheſ. 4. 13.

h Deut. 32. 4.

i Philip. 3. 20. & 21.

k Ex Sap. 12. 18.

l Dion. Carth. art. 3. in Philip. 3. 21.

Quòd ſi hoc verum eſt, quare, dicet aliquis, Chriſtus reſurgens à morte ad vitam, retinuit vulnera manuum, pedum, & lateris, quæ non ſunt naturalia corporis humani? Antequàm hanc reſolvam quæſtionem, reſpondere volo alteri, Utrùm Dominus noſter retinuerit verè ſua vulnera aperta, aut ſolas cicatrices & notas plagarum. Aliqui ſentiunt, quòd Chriſtus non cuſtodierit foramina, ſed ſolas vulnerum notas externas. Sed D. Thomas *m* & maxima pars Theologorum ſentiunt, *Quòd conveniens fuit, Animam Chriſti in reſurrectione Corpus cum cicatricibus reſumere.* Quas cicatrices ipſemet D. Thomas intelligit de *apertura vulnerum.* Alioquin Chriſtus non dixiſſet D. *Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Sed inde ſequeretur, diceris etiam, quòd Chriſtus pateretur adhuc dolorem in corpore ſuo glorioſo, quod eſſet maximè abſurdum; nam ſicut, ex Philoſophia, *dolor eſt diviſio continui*, & procedit ex eo quòd partes corporis, quæ debent eſſe continuæ, ſunt disjunctæ; ipſis aperturis manentibus in corpore ejus, in latere, in manibus, & in pedibus, nervi, venæ & caro manebant extra ſuum ſitum naturalem,

m D. Th. 3. p. q. 54. a. 4.

lem, & ſic in corpore Chriſti eſſet adhuc dolor, ſi vulnera ejus aperta eſſent. Reſpondet D. Thomas, *Quòd illa apertura vulnerum, quamvis ſit cum quadam ſolutione continuitatis, totum tamen hoc recompenſatur per majorem decôrem gloriæ, ut corpus non ſit minùs integrum, ſed magis perfectum.* Adde, quòd Deus, qui eſt ſupra naturam, poteſt retinere ſua vulnera aperta, & nihilominùs miraculosè dolorem impedire. Impedit, cùm vult, ut ignis comburat, ſicut cum *Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem; & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit n.* Impedit ne mola in profundum aquæ demergatur; & innumeros alios operatur effectus omnipotentiæ ſuæ qui prætergrediuntur ordinem naturæ communem. Videamus igitur rationes, propter quas Dei Filius ſua retinere voluerit vulnera, quæ diſcurſus iſtius ſeriem texent.

n Dan. 3. 49. & 50.

Propoſitio.

Patres multas afferunt rationes, veſtris dignas omnes attentionibus, Quarum aliæ deſumuntur ex parte Filij, aliæ ex parte Patris. Aliæ verò ſpectāt homines. Quoad rationes, quæ pertinent ad Filiū, *Dicit Beda ſuper Lucam, quòd non ex impotentiâ curandi, cicatrices ſervavit, ſed ut in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum,* ait D. Thomas o. Suas retinuit ergo Chriſtus plagas ut trophæa, & ut ſuarum notas victoriarum, inſtar Victorum Antiquorum, qui plantabant trophæa ad demonſtrandas victorias, quas glorioſè de ſuis reportaverant hoſtibus. Dominus noſter in monomachia, ſeu in certamine ſingulari, quòd ipſe inivit in Cruce cum communi naturæ noſtræ hoſte, victoriam retulit maximè inſignem de illo, de quo ſcriptum eſt, *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ p.* Cum generoſitate ſua effecit *ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum; & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſervituti q.* Idcircò penes ſe retinere voluit illius victoriæ inſignia & trophæa plantata in manibus ſuis, in pedibus ſuis, & in latere ſuo, veluti de generoſitate ſua teſtimonium perhibentia. Sic *Scæva fortiſſimus quidam Cæſaris miles, qui apud Dyrrachium magnâ Pompejanorum vi oppugnatus, multiſque vulneribus acceptis, adduci tamen non potuit ut caſtelli ſibi commiſſi cuſtodiam deſereret,* ut ait Calepinus r, qui addit poſt Suetonium in Cæſare, quòd ubi *Scæva excuſſo oculo, transfixus femore & humero, centum & viginti ictibus ſcuto perforato cuſtodiam commiſſi caſtelli obtinuit,* Honori magno ducebat præ ſe ferre oculum effoſſum, & totum corpus vulneribus ſauciatum æquè ac ſcutum ſuum more cribri terebratum. Ita Chriſtus retinere voluit foramina ſeu aperturas vulnerum, quibus confoſſus eſt, prælians pro nobis, ut notas amoris ſui erga naturam humanam, veluti ſigna magnanimitatis ſuæ, & ad confundendos quoſdam Hæreticos, inter quos eſt Calvinus, qui falsè docuerunt, quòd Deus deſtinaſſet aliquos homines, quidquid agant, ad mortem, alios verò ad vitam æternam. Si dogma iſtud eſſet verum, paſſuſne fuiſſet Chriſtus id omne quod ipſe ſuſtinuit? Ipſe omnes nos vocat, *Venite ad me omnes s.* Id eſt, *ſpiritualî acceſſu, ſeu mentis converſione,* ait Dionyſius Carthuſianus t. Omnes nos vult ſalvare, *Omnes homines vult ſalvos fieri u.* Scilicet, *Quantùm in ſe eſt, ita ut ex parte ejus non ſit defectus, neminemque ad ſe venientem repellat, & ſingulis gratiam dare paratus ſit, ſi fecerint quod in ſe eſt,* dicit idem Dionyſius Carthuſianus x. Si verò hæretici noſtri intuerentur vulnera manuum, pedum, & lateris Chriſti, caverent ſanè nè blaſphemarent contra Divinam ejus Majeſtatē. Refert Joſephus y, quòd infidelitatis adversùs Imperatorē, inſimulatus Antipater ab Antigono, hâc uſus eſt induſtriâ ut ab impoſitâ ſibi calumniâ ſe purgaret. Imperatorem adiuit, coram quo abſque Cauſidico ſuā cauſam diſcuſſit, & ſuam litem perduxit ad victoriam. Sed quomodo? Aperiendo pectus ſuum, & demonſtrando ictus quibus fuerat in bello ipſe perforatus ob obſequium Cæſareæ Majeſtati impendendum; quod effecit ut ipſum dilexerit Cæſar magis, quàm ipſum amaſſet anteà; magiſque ſit ipſi confiſus, quàm priùs; & ipſum ab omni perfidiæ ſuſpicione abſolutum dimiſerit, *Antigonus Antipatrum criminabatur. Ad hæc Antipater veſte projectâ, multitudinem vulnerum demonſtrabat; & quâ fide Cæſarem coluiſſet, verbis non eſſe opus dixit: nam corpus etiam, ſe tacente, clamare.* Si igitur hæretici noſtri ambigunt, utrùm Deus ipſos ſalvare velit, intueantur vulnera quæ Chriſtus ſuſcepit in Corpus ſuum. Per hæc quaſi per *quinque ſiclos z,* ipſos *redemit a,* cùm ipſos *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo b.* Hæc *elegit ſibi* veluti *quinque limpidiſſimos lapides de torrente c* (quando *de torrente in viâ bibit, dum hic eſſet in viâ, quando calicem amarum ſuæ paſſionis potavit,* ut Incognitus *d) & miſit in peram paſtoralem quam habebat ſecum,* quod ſic explicat Gloſſa Ordinaria, *Adjunxit ſcilicet gratiæ, quæ per lac ſignificatur, quod in vaſe paſtorali mulgetur; & proceſſit adversùs Philiſthæum. Et ſtetit ſuper Philiſthæum diabolum, & tulit gladium ejus, eos ſcilicet quos diabolus in manu habebat, per quos alios trucidabat; & eduxit eum de vagina ſua, & interfecit cum proprio gladio, præcidit que caput ejus.* Hæc ſunt quinque urbes ad noſtri *fugitivorum ſubſidia e* ſeparatæ, inter quas ex quinque *Magalianus f docet Contritionem, Dei gratiam, Sacramentaque,* quæ ſuam omnem vim deſumunt ex vulneribus & meritis Chriſti, eſſe repoſita veluti aſylum ſacrum & myſticum iis, quos ſuorum pœnituerit peccatorum. Has autem refugij civitates nobis aperuit, ut in eas confugeremus, cùm inſecuturi nos eſſent ad mortem inimici noſtri. Hæc dedit nobis veluti *quinque panes g* ad alendos nos & roborandos ſpiritualiter memoriâ ipſorum adversùs infirmitatem naturæ noſtræ, & contra noſtrorum violentiam inimicorum. Suntne hæc ſigna, quòd præ ſe tulerit voluntatem machinandæ ruinæ noſtræ? Quin immò nonne potius argumenta ſunt bonæ voluntatis, quâ erga noſtram operandam afficitur ſalutem?

o D. Tho. loco ubi ſuprà referens Bedam c. 37. in Luc. c. 24. v. 40.

p Job 41. 24. & 25.

q Hebr. 2. 14. & 15.

r Calepin. in Dict. V. Scæva.

s Matth. 11. 28.

t Dion. Carth. art. 22. in Matth. 11. 28.

u 1. Timoth. 2. 4.

x Dion. Carth. art. 2. in 1. Timoth. 2. 4.

y Joſeph. lib. 1. de Bell. Judaic. c. 8.

z Num. 3. 47.

a Galat. 3. 13.

b Apoc. 1. 5.

c 1. Reg. 17. 40. &c.

d Incognit. in Pſ. 109. 7.

e Num. 35. 13. & 14.

f Magalian. citat à Cornel. in Num. 35. 6.

g Joan. 6. 9.

Quoad rationes, quas SS. Patres eduerunt ex parte Patris æterni, propter quas ſuus Filius in ſuo Corpore ſua retinuerit vulnera, aſſerunt hi ſacri Doctores, quòd ea cuſtodierit ut illa monſtrans Patri ſuo, induceret illum ad miſerendum generis humani, pro quo paſſus eſt, ipſi *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. h* Hanc veritatem diſertè eloquitur D. Ambroſius i, *Dominus vulnera ſuſcepta pro nobis cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri noſtra* pre-

h Philipp. 2. 8.

i D. Ambroſ. l. 10. in Luc. 24. 40.

pretia libertatis aſtenderet. Sic mater volens aliquid à filio ſuo impetrare, oſtendit ei ubera ſua, & ſimul proponit ei labores, quos propter ipſum ipſa ſuſtinuit. Sic apprimè Junius nos commendati, *Mater oſtendit Filio pectus & ubera: Filius oſtendit Patri latus & vulnera. Nulla ergo poterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis inſignia,* ait D. Bernardus *k*. Et Arnoldus Carnotenſis *l* iſtud miro extollit eloquio, *Securum acceſſum jam habet homo ad Deum, ubi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem. & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera. Maria Chriſto pectus & ubera: nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni lingua diſertius, hæc clementiæ monumenta & charitatis inſignia. Dividunt coram Patre inter ſe Mater & Filius pietatis officia; & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inviolabile teſtamentum. Maria Chriſto ſe ſpiritu immolat, & pro mundi ſalute obſecrat, Filius impetrat, Pater condonat.* Hæc erat ipſius D. Auguſtini, qui repræſentatur nobis conſtitutus inter geminas imagines, Jeſu Chriſti Crucifixi, & Beatiſſimæ Genitricis, præ hâc inſcriptione, *Poſitus in medio, quò me vertam neſcio. Hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab ubere.* Reſervavit igitur Chriſtus ſua vulnera, ut ea Patri ſuo oſtenderet, *Ut ſemper reſervata in Corpore plagæ, ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientia donativum requirant,* ut D. Cyprianus *m*. Si enim quidam Eques Romanus nomine Sergius innumeras refertur ſibi conciliaſſe coronas, eò quòd amiſiſſet manum dexteram, prælian do in gratiam Reipublicæ contra Annibalem nationi Romanæ infenſiſſimum, & deinde lævâ pugnans, plura deviciſſet caſtra hoſtilia; quam mercedem, quam gloriam, & quam coronam non merebitur Dominus noſter, qui imò non debuerit ſuſcipere à Patre ſuo, pro cujus honore aſſumpſit ipſe & manum ſiniſtram æquè ac dexteram, latus non ſecus ac pedes, & caput ſicut atque totum Corpus? quo præmio non eſt munerandus talis amor? & quonam donativo cumulanda non eſt tanta obedientia?

k D. Bern ci; at à D. Bernardin. ſerm. 6 de ſalut. Angelic c. 3.
l Arnold. tract. de Laudib. Mariæ.
m D. Cyp ſerm de Baptiſm. Chriſti. num. 4

E parte animarum plures ſunt eximiæ rationes, quæ illum induxerunt ad retinenda vulnera, quibus ipſe confoſſus fuit illarum redimendarum ergo: *Ut nos per exquiſitam fidem ipſius,* id eſt, D. Thomæ, *carnem Chriſti, quæ de Cruce pependit, à Patre per Filium in vitam fuiſſe revocatam credamus,* ait D. Cyrillus Alexandrinus *n*. Ad confirmandos nos in fide Reſurrectionis Corporis ſui, & ejuſdem Corporis Cruci ſuffixi, è carne & oſſibus concinnati, qualia ſunt noſtra, contra errorem quorundam hæreticorum, qui illud negaverunt, & præſertim Carpocratis, qui dicebat, quòd anima Chriſti aſcendiſſet quidem in cælum, ſed quòd corpus ejus ſemper remanſiſſet in terrâ, ut refert D. Ireneus *o*; *Carpocrates & qui ab eo, dicunt; Anima ejus firma & munda cum eſſet, propter hoc à Deo miſſam eſſe ei virtutem, ut in mundi fabricatoribus effugere poſſet, & per omnes tranſgreſſa, & in omnibus liberata, aſcenderet ad eum, & ad ea quæ ſimilia ei amplecteretur ſimiliter.* Et contra Eutycheten Conſtantinopolitanum, qui, ut recenſet Calepinus *p*, *negabat Chriſti carnem noſtræ ſimilem, nec duas in eodem ſuppoſito naturas eſſe. Sed de cælo corpus deſcendiſſe dictitabat, ac in Virginis uterum tanquam Solis radios penetraſſe.* Et ſic credebat quidem reſurrectionem corporum, ſed ſubtilium & aëreorum: Atqui vulnera, quæ retinuit Chriſtus, monſtrabant Corpus ipſius verè fuiſſe Corpus carneum, & non aëreum, *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere q.* Super quæ D. Ambroſius *r* ait, *Non ergo per incorpoream naturam, ſed per reſurrectionis qualitatem, impervia, uſu clauſa penetravit. Nam quod tangitur corpus eſt, quod palpatur corpus eſt: in corpore autem reſurgemus s.*

n D. Cyrill lib. 12. c. 17. in Joan. 20, 21.
o D. Iren. lib. 1. adverſ. hæreſ. c. 24
p Calep. in dict. V. Eutyches
q Luc. 24 39.
r D. Amb l. 10. in Luc. 24. 39.
s ex 1. Cor 15. 1. &c.

Cùm aperuiſſet aliàs Darius Perſarum Rex ingens malum granatum, petitum eſt ab eo quaſnam res tot vellet habere, quot erant in illo malogranato grana: Cui curioſè interroganti, appoſitè reſpondit Darius, Zopyros. *Zopyrus hic quum Darius Babylonem vigeſimum jam menſem fruſtrà obſideret, naſum ſibi, aures, & labia amputavit, & ita ad Babylonios transfugit, multa de Darii injuriâ conquerens, quem ſibi immerenti ita faciem mutilaſſe ſimulabat. Receptus itaque à Babyloniis, levibuſque aliquot præliis re ſatis feliciter geſtâ, univerſæ urbis Dux conſtitutus, urbem Dario tradidit. Quam tamen victoriam ſibi nimis magno conſtare ſæpe conqueſtus eſt, unum ſeſe Zopyrum integrum malle aſſerens, quàm viginti capere Babylones,* ait Calepinus *t*. Vulnera, quæ ſibi Zopyrus ultrò inflixerat ob amorem Darij, ita amabilem eundem Dario ipſum effecerant, ut ipſum majoris duceret Darius, quàm viginti civitates, & omnes earum incolas ſimul ſumptos. *Dominus noſter u, Rex gloriæ x, oblatus eſt quia ipſe voluit y. A plantâ pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas z,* qui totum ſuum Corpus lacerandum permiſit ob amorem noſtrî, ut nos redimeret, & reſtitueret nobis jus, quod amiſeramus, comparandæ nobis gloriæ cæleſtis. Nunquid non amabimus eum magis quàm unam civitatem? Sic eſt, Auditores; imò plùs quàm centum urbes, & centum millia civitatum, licèt ex tot eſſent, & tales qualis eſt univerſa iſtius mundi Babylon; quin etiam & magis quàm quidquid eſt creatum.

t Calep. in dict. V. Zopyrus. ctiã Herodot lib. 3.
u Pl. 8. 2.
x Pl. 23. 7. &c.
y Iſa. 53. r
z Iſai. 1. 6

Ita ſentit D. Thomas *a*, dicens, *Quòd conveniens fuit Animam Chriſti in reſurrectione Corpus cum cicatricibus reſumere, ut Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, ſemper oſtendat;* & conſequenter nos ad amorem ſuum alliciat videntes quanta pro nobis ſuſtinuerit in omnibus Corporis ſui partibus, ut ad ſimilia perpetienda propter amorem ipſius invocamur. Et ſi aliquando accidat ut aliquo dolore capitis, pedum, manuum, aut lateris angamur, recordemur tunc dolorum ejus, ponamus præ oculis mentis noſtræ vulnera illius, & malum noſtrum minuetur ſtatim ac patientia & conſolatio tali conſideratione augebitur, ita ut dicere poſſimus Deo, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam b.* Et D. Bernardus *c* ait, eum ita retinuiſſe vulnera, ut ea forent nobis aſyla myſtica & receptus ſecuri, quò confugeremus tempore tentationis, *Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Alius hunc locum ita expoſuit. foramina petræ vulnera Chriſti interpretans. Rectè omnino. Nam petra Chriſtus d. Bona foramina, quæ fidem adſtruunt reſurrectionis & Chriſti divinitatis. Dominus meus, inquit, & Deus meus. In his ſe columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideò ait; Columba mea in fo-*

a D. Tho loco ubi ſuprà.
b Pſ. 93. 19
c D. Bern ſerm. 61. in Cant. 2. 14.
d ex 1. Cor. 10. 4

in foraminibus petræ. Vox columbæ. In petrâ exaltavit me e. Et item. Statuit, inquit, ſupra petram pedes meos f. Quid non bonus in petrâ? In petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto. Securus ab hoſte, fortis à caſu, & hoc quoniam exaltatus à terra. Et re vera ubiſtuta firmaque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Salvatoris? — e Pſ. 26. 6. f ex Pſ. 39. 3.

Si tempus, quo *collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium g* adversùs Jeſum, ut eum morti traderent, ſanguineis eſt deflendum lacrymis & lamentationibus, & meretur, ut Concionatores, qui in cathedram ſacram ſunt aſcenſuri, ut hujuſmodi pravi & iniqui conſilii deteſtentur auctores & infames opifices, & injuriam Christo illatam plangant, fletus fundant, non autem loquelas pruriant: & ſi hora infortunata, quâ inſtigantium hujuſmodi Judæorum *Pilatus cùm audiſſet ſermones, tradidit eis illum, ut crucifigeretur h*, ferendo ſententiam capitis adversùs eum, qui eſt *Sanctus Dei i, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus k*; deteſtabilis eſt: quas lacrymas non deberemus effundere? in qualnam non deberemus erumpere abjurationes contra hos infames Deicidas, qui eam ſunt executi, fodientes clavis, illius *manus & pedes l, & lancea latus ejus m* aperiendo? Profectò Concionatores tacere deberent hoc in occurſu, cùm ipſis incumbit annoneiare mortem Domini ſui, fletus edere, & ſuis uti oculis veluti duobus interpretibus, ut lacrymis diffluentes, ſuorum poſſent Aud totum corda demulcere, oſtendere *Jeſum Chriſtum Crucifixum n*, conſiderare clavos ejus, plangere illius opprobria, & pudorem ipſius meditari præ amaræ paſſionis ejuſdem recordatione. Sed poſſibilene eſt ut nemo à tam iniquâ appellaverit ſententiâ adversùs ipſammat Innocentiam prolatâ? Fierine poteſt ut nullus infames & iniquos iſtos recuſaverit Judices? Sed cùm à nemine appellatum fuerit de tali injuſto decreto, nunquid non deteſtandi ſunt homines veluti ſic deteſtabilis Deicidii conſcii: qui prætereà meminiſſe nolunt fructus, quem iſta mors, quam ipſi intulerunt Domino ſuo, ipſis cauſavit? *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem o. Id eſt, via ad templum, quod erat in monte Sion, lugent metaphoricè, id eſt, deſerta ſunt & deſolata, ſicut prata rident, cùm florent. Cives enim civitatis & turbæ viarum ſunt quaſi anima & vita, nudæ iſtis ſubmotis videntur lugere & emori*, ait Cornelius p. Conſideratio vulnerum Chriſti patientis ob amorem noſtrum, meditatio clavorum & lanceæ quibus perforatus eſt, vice fungitur vocis animatæ, quâ Divinus hic Legiſlator, qui *venit quærere, & ſalvum facere quod perierat q*, utitur ad publicandam Legem ſuam, & ad declarandas voluntates ſuas, non ſuper theatro, ſed ſuper cruce ſicut ſuper throno, aut ſuper cathedrâ, *Tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis r*. Mitigemus ſaltem lævitiam noſtram intuitu hujus ſpectaculi; memores vulnerum ejus, quæ ei propter peccata noſtra inflicta ſunt, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum s*. Jeſus Chriſtus eſt objectum rigoris Patris ſui, & ait cum Samſone, *Moriatur anima mea cum Philiſthiim t*. Nunquid non, Auditores, *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus? ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit t*. Nonne mortis ſuæ notas præ ſe fert

g Joan. 11. 47. h Joan. 19. 33. & 16. i Marc. 1. 24. k 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9. l Pſ. 21. 17. m Joan. 19. 34. n 1. Cor. 2. 2. o Thren. 1. 4. p Cornel. in Thren. 1. 4. q Luc. 19. 10. r D. Aug. tract. 119. in Joan. 19. 27. s Iſai. 53. 7. t Jud. c. 16. 30. t 2. Cor. 5. 15.

manibus ſuis, ac pedibus, & latere impreſſas? Si autem *pro omnibus mortuus eſt, Chriſtus* vobis, poteſtiſne perpeti, quin mortis illius ſitis conſcii, ut peccatis, per quæ *rurſum Filium Dei in vobiſmetipſis crucifigitis*, adhuc vivant? Intuemini hæc ſacra vulnera, & conſiderate in Chriſto doo, quæ vos ad lacrymas movere debent effundendas, amorem in corde, & dolorem in corpore. Hinc *dixit, Conſummatum eſt x*. Quaſi diceret, Nulla eſt pars in corpore meo quæ ſuo non fuerit affecta ſupplicio ſpeciali, *Nihil reſtat implendum: jam non eſt quod expectem*, ait ipſe per D. Bernardus *y. Quia nihil remanſerat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret*, dicit D. Auguſtinus *z*. Ponite præ oculis mentis veſtræ *Jeſum Chriſtum Crucifixum a*, qui non patitur niſi præ amore ampliùs, & conſiderate, quòd cùm vita non habeat ampliùs cui adhæreat, ſacris ejus unitur vulneribus, & mortem propriis ipſius expugnat armis. Mirabile uiſu! Vivus permanebat, ut majorem tormentis ſuis vim daret. Intuere eum Cruci infixum, Anima Chriſtiana, *Et inclinato capite, tradidit ſpiritum b*. Sed quare caput inclinat? Ut dilectos ſuos oſculetur. *Hinc multa miſeriæ corporis, hinc multa miſericordiæ cordis. Miſericordia Domini multa c, ſed & miſeria Domini multa. Vincentne miſeria, miſericordias, an miſericordiæ miſerias ſuperabunt: Vincant miſericordiæ tua antiqua Domine d: vincat ſapientia malitiam*, ait D. Bernardus e. Et Jeſus per S. Chryſologum *f. Crux hæc, non mea eſt, ſed mortis eſt aculeus g. Clavi iſti non mihi infigunt dolorem, ſed veſtram mihi infigunt altiùs charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos, ſed magis vos mets viſceribus introducunt. Extenſio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam creſcit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, ſed veſtrum prerogatur in pretium h*. Videtur unicum fieri poſſe amori Salvatoris improperium, nimirum quòd clavi ipſius debebant eſſe aurei, non verò ferrei, ut meliùs nobis oſtenderet, ſe præ amore crucifixum ad ſalvandas animas noſtras.

Tandem, D. Auguſtinus *i* ait, Chriſtum ſua retinuiſſe vulnera, *Ut videant in quem pupugerunt k, & cognoſcant Judæi quem negaverunt*. Ad confuſionem ſcilicet Judæorum, qui intuebuntur hæc ipſius vulnera Sole ipſo ſplendidora, quæ efficient veluti ſagittam compoſitam è quinque ſtellis lucentibus quæ oculos eorum & mentes tanto horrore & pudore ſuffundet, ut procoldubio pavore perirent, niſi Juſtitia Divina eos vivos conſervaret, ut meliùs patiantur & in æternum confundantur. *Non ut eis dicat ſicut Thomæ, Quia vidiſti, credidiſti: ſed ut convincens eos Veritas l, dicat, Ecce hominem quem crucifixiſtis, ecce Deum & hominem in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera, quæ infixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis; quoniam & per vos & propter vos apertum eſt: nec tamen intrare voluiſtis*. Hal quonam pudore ſuffundentur, cùm Deus Pater petiturus eſt à Filio ſuo, *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet* Filius, *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me m*. Quaſi diceret: Illi, quos aliàs ſic dilexiſti; quos *eduxiſti de terrâ Ægypti per turmas ſuas n*, quos *Angelorum eſcâ nutriſti, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem o*, & quos introduxiſti *in terram quam pollicitus p eis es*, & quam tradidiſti eis

u Hebr. 6. 6. x Joan. 19. 30. y D. Bern. ſerm. in Fer. 4. Hebd. Pœnos. z D. Aug. tract. 119 in Joan. 19. 30. a 1. Cor. 2. 2. b Joan. 19. 30. c ex Pſ. 85. 5. d ex Pſ. 88. 50. e D. Bern. loco ubi ſuprà. f Chryſol. ſerm. 108. g ex Oſee 13. 14. h ex 1. Petr. 1. 19. i D. Aug. lib. 2. de Symbol. ad Catech. c. 8. k ex Zach. 12. 10. & ex Joan. 19. 37. l ex Joan. 14. 6. m Zach. 13. 6. n Exod. 12. 51. o Sap. 16. 20. ex Exod. 16. 14. p Deut. 31. 21.

eis *in poſſeſſionem ſecundùm partes & tribus ſuis q* poſt tantas victorias, & qui aliquandiu te amaverunt, & tibi fideliter ſervierunt; adorationem ſuam verterunt in idololatriam; & cùm interfeciſſent Prophetas *r*, irruerunt in me, qui ſum Filius tuus, & me mulctandum morte ac ignominioſa petierunt; ecce notas barbariei eorum manibus meis, pedibus, ac lateri impreſſas.

q Joſue 21, 23, &c
r 2. Paral. 24. 22.

Vulnera etiam Chriſtus ſervavit ſua ad ſuffundendos pudore impios æquè ac Hebræos, qui videbunt in his plagis amorem, quo Deus ipſos fuerit proſecutus, cùm illa æquè pro ipſis ſuſceperit atque pertulerit ac pro Bonis. *Videbit enim populus Hebræorum illum in figurâ humanâ, quemadmodum illis ex S. Virgine per carnem apparuit, & ſicuti crucifixerunt eum: ac oſtendet eis manuum pedumque clavos, latus ſuum lanceâ perforatum, caput coronatum ſpinis, ac pretioſam crucem*, ait D. Hippolytus *s*. Et cùm prorſus gratias ejus non adhibuerint, juſti majorem incurrent damnationem, *& Tyro & Sidoni remiſſius erit in die judicii quam* t illis. Quin è contrà hæc eadem vulnera gaudio & conſolatione cumulabunt Juſtos & Bonos, ut aſſerit D. Cæſarius Arelatenſis *u*, *Illa clavorum ſigna Probis ſalutaria, malis terribilia, quæ uſque ad diem judicii non delentur*, conſolabuntur Juſtos, quandiu terrebunt impios, eò quòd utilitatem ex eorum recordatione non deſumpſerint.

s D. Hippolyt. orat. de Conſummat. Mundi & Antichr.
t Matth. 11. 22.
u D. Cæſar. hom. 27.

Euge igitur Animæ fortunatæ, quæ jacetis in lecto, vulnerum & dolorum multitudine laceratæ, veſtros reſumite ſpiritus; cicatrices veſtræ nullam præ ſe ferunt ignominiam, plagæ veſtræ aliquid habent glorioſum, nedum vobis concilient contemptum; hæ aperturæ ſunt nobiles, eum excelſiſſimum faciant apicem perfectionis Corporis glorioſi Jeſu; eæ ſunt deſiderabiles, cùm iis perforari voluerit Chriſtus, & ipſæ coronas præbeant immortalitatis & gloriæ, *Si cõpatimur, ut & conglorificemur x*. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *y*, *Si compatimur, id eſt, Chriſti paſſionibus configuremur, bajulando crucem noſtram, & ſequendo veſtigia ejus. Ad hunc finem ut & ſimul glorificemur, id eſt, glorioſi efficiamur cum Chriſto glorificato, quemadmodum ipſe profitetur, Pater, quos dediſti mihi volo ut ubi ſum ego & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam z*. Ne intueamini has plagas præ faſtidio, vobis eæ ſunt cauſa honoris; minoris æſtimate cætera quæ videntur in terra, quàm vulnera veſtra, & infirmitates veſtras; veſtram eruite gloriam ex debilitatibus veſtris, inſtar D. Pauli *a* dicentis, *Cum infirmor, tunc potens ſum*. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus *b*, *Cùm infirmor, id eſt affligor, vel corpore langueo, tunc potens ſum in anima, per gratiam patienter ferendo adverſa*. Si inſultatio alicujus perſecutionis, aut calumniæ vos impetat, aut vos moleſtet, ne deſpondeatis animum, intuemini hæc vulnera Jeſu, quæ vos roborabunt, memores quòd Chriſtus tantum pertulerit ac plus quàm vos, & quia ipſa ſunt cauſa gloriæ ejus, & conſolationis veſtræ. Si aliquod infortunium paupertatis aut contemptus opprimat vos, vulnera illius vos ſecuros efficient, quia effecerunt illum Judæi *deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus: & cum ſceleratis reputatus eſt c* ab illis. Sua cuſtodit vulnera, ut conſervet memoriam, ſe paſſum eſſe pro vobis; fovere etiam charè plagas, quas Deus in vos immittit, ſuper veſtra bona, & ſuper ea quæ ad vos pertinent; id eſt æquo ſuſcipite animo adverſitates & infortunia, tum vobis non ſint ſatis animi ut illis procedatis obviàm, & tunc cælitùs lætitiæ & conſolationis imbres ſubminiſtrabuntur vobis capeſſendæ.

x Rom. 8. 17.
y Dion. Carth. art. 13. in Rom. 8. 17.
z Joan. 17. 24.
a 2. Cor. 12. 10.
b Dion. Carth. art. 12. in 2. Cor. 12. 10.
c Iſai. 53. 3. & 12.

Sed ſi hæc vulnera ſunt cauſa lætitiæ Juſtis, eadem ſunt etiam cauſa fletuum & lacrymarum impiis & peccatoribus, qui tamen nullo afficiuntur doloris ſenſu ob jacturam animarum ſuarum. Mundani, qui vivunt ſecundùm mundi maximas innocentiæ & juſtitiæ Chriſtianæ oppoſitas, plorant, ſed inutiliter, deflet *profanus Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua: Scitote enim quoniam & poſteà cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt; non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam d*. Samſoni *Dalila cùm moleſta eſſet, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt e* præ fletibus ad decipiendum eundem Samſonem, eumque manibus Philiſthæorum tradendum. Lacrymatur Saul, *& ait Peccavi, revertere fili mi David*, qui tulerat *ſcyphum aquæ qui erat ad caput* ipſius *Saul*, qui jacturam hujus ſcyphi aquæ *f* deflevit. Invidens felicitati Mardochæi *Aman feſtinavit ire in domum ſuam lugens, & operto capite g*. In domo *Domini ecce mulieres ſedebant plangentes Adonidem h*. Super quæ ait D. Hieronymus *i*, *Nos quoque eos qui ad ſæculi mala & bona vel contriſtantur vel exultant, mulieres appellemus, molli & effœminato animo, dicamuſque plangere eos ea quæ in rebus mundi putantur eſſe pulcherrima*. Deſolata *Jephtæ filia flebat virginitatem ſuam in montibus k*, eò quòd poſt expletos duos menſes ſacrificanda eſſet à patre ſuo, & moritura foret virgo. Peccator autem nunquid pluribus non habet animam deflendi? Nemo eſt qui de hoc ambigat. Sed fletus ejus ſimiles ſunt lacrymis crocodili, qui *conſpecto homine emittit lacrymas, mox appropinquantem devorat. Unde factum eſt locus proverbio, Crocodili lacrymæ, quod de iis dici ſolet, qui ſub ſpecie pietatis alios fallunt*, dicit Ambroſius Calepinus *l*. Ignis adhæſit villæ tuæ, quam incendio cremat, & lacrymas fundis. Heu! infelix, ardet anima tua igne concupiſcentiæ, cui extinguendo vulnera Salvatoris tui nihil proſunt, nunquid in fletus ìmmodicos non debes erumpere? Si verò jus commune, debitum juſtitiæ, obligatio quâ illi devinctus es, & inſtinctus naturæ nullo movere poſſint modo cor iſtud tuum impenetrabile; ſaltem Jeſus Chriſtus patibulo crucis ignominioſè æquè ac doloroſè pro te ſuſfixus, in eaque plagis in manibus, in pedibus, & in latere, clavis & lanceæ crudelis perforatione ſauciatus, nonne tuum demulcere poterit animum? *Exivit à Patre & in mundum m* venit propter amorem tuum; Mortem obivit pro te: *Ipſe te dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo n*. *Pater o, & Deus p* tuus eſt, ut talem agnoſcit eum hodiè una cum D. Thoma. *Centurio & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè Filius Dei erat iſte q. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur z*. Et tamen nullo commoveris tu modo. Heu! hominum immaniſſime, ubi eſt ſana mens tua? Vis ut denuò mortem oppetat crucis? In eâ iterum ſe collo-

d Hebr. 12. 16. & 17. ex Gen. 25. 33. & ex Gen. 27. 38.
e Judic. 16. 15. &c
f 1. Reg. 26. 21. & 12.
g Eſther 6. 12.
h Ezech. 8. 14.
i D. Hier. lib. 3. in Ezech. 8. 14.
k Judic. 11. 38.
l Calep. in dictione Crocodilus.
m Joan. 16. 28.
n Apoc. 1. 5.
o Matth. 6. 9.
p Joan. 20. 28.
q Matth. 27. 54.
r Luc. 23. 48.

collocandum ſineret, ſi iſtud expediret. Diebus ſingulis mortem ſuam *s* renovat in adorando Miſſæ ſacrificio ſuper Altaribus noſtris ad mitigandam iracundiam Patris ſui juſtè irati adverſùs hominum peccata, quæ exacerbant ſuavitatem ejus, & naturam illius eſſentialiter & infinitè mansuetam, *Quoniam tu Domine ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te t.* Hanc veritatem teſtatur Oſee *u*, *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum ſuum.* Juſtum eſt ut Samariæ ruina adveniat, cùm horror peccatorum illius, excitaverit indignationem Dei, eumque commoverit qui ex naturâ ſua *bonus x* eſt, criminibus ſuis ac facinoribus compellens ad capeſſendam vindictam Deum, qui majorem ſuſcipit gloriam, cùm creditur *Miſericors & Miſerator Dominus y*, quàm dicitur, aut honoretur, cùm formidatur ut *Iuſtus z*, & ſicut *Deus ultimum a* timetur. *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus ſuis b.* Id eſt, *deſeruit me Ephraim, imò ad iracundiam provocavit, & amaritudine ſua amarum fecit eſſe qui dulcis eram*, ait Deus per S. Hieronymum *c*. Idcircò *Domus Iſrael, domus exaſperans d* dicitur. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio e.* Et Salvianus *f* id diſertiſſimè eloquitur, *Exacerbamus Deum impietatibus noſtris, & ad puniendos nos trahimus invitum. Cumque ejus natura ſit mens Dei atque Majeſtas, ut nulla iracundiæ paſſione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio eſt, ut per nos cogatur iraſci. Vim, ut ita dixerim facimus pietati ſuæ, ac manus quodammodo afferimus miſericordiæ ſuæ.* Mitigemus nam ejus per emendationem vitæ, & ſi meminerimus vulnerum Salvatoris, communicabunt nobis ea fructum Paſſionis ipſius, gratiam, & deinde gloriam.

s 1. Cor. 11. 26. — t Pſ. 85. 5. — u Oſee. 14. 1. — x Pſ. 118. 68. — y Pſ. 110. 4. — z Pſ. 118. 137. — a Pſ. 93. 1. — b Oſee 12. 14. — c D. Hier. lib. 3. in Oſee 12. 14. — d Ezech. 12. 9. — e Thren. 3. 15. — f Salvian. lib. 4. de Provid.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto: & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum. Luc. 3. 2. & 3.

NEmo eſt qui ampliùs ambigat, animam rationalem Chriſtiani ſimilem eſſe Angelis, ut dixi vobis his duobus Dominicis præcedentibus, cùm ipſa repleat eorum loca. Verum quidem eſt in naturâ fuiſſe Angelum homine ſuperiorem; ſerviebat quippe Angelus homini ad hoc ut ad Deum elevaretur, præbebat illi manum, mediatorem ſe exhibebat inter Deum & nos. De iis ſic eloquitur D. Paulus *a*: *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus.* Sed in gratiâ Angelus non eſt ſuperior homine; homo non eſt inferior Angelo, ſed ſupra illum ſe elevat, & Deo ipſi ſe unit. In naturâ homo humiliabat ſe Deo; quando videbat Angelum, genua flectebat *b*; ſed ſtatim ac Deus in gratiâ hominem ad ſolium ſuum elevavit, Angeli reverentiam homini exhibent, ſeque ante eum proſternunt. Teſtis eſt ille *Angelus* qui proſtravit *c* ſe ante Virginem ſanctiſſimam, quæ Authorem gratiæ *d* in ſinu ſuo conceptura erat. D. Joannes Baptiſta, quem Evangelium *e* glorioſo Angeli titulo honorat, vitam agens in deſerto Angelicam, mittitur ut prædicet, & pergit juxta Jordanem ut annunciet pœnitentiam *& remiſſionem peccatorum*, exercet miniſterium ipſorum Angelorum majori præ utilitate quoad ea quæ nos ſpectant, quàm illi beati agant Spiritus, cùm procuret animabus noſtris ſanctificationem mediante gratia, quæ efficit ut illæ ament Deum, quæ illas reddit opera, imagines, & filias Dei per adoptionem, ſpirituales & immortales more Angelorum, illaſque elevat ad gloriam altiſſimam, non per reſpectum ad res quas ipſæ conculcant, nec ad corpus cui dominantur, nec ad Angelos quos imitantur, ſed ad Deum ipſum per eandem gratiam, qua Maria erat jam repleta, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

a Hebr. 1. 14. — b Apoc. 19. 10. — c Luc. 1. 26. &c. — d Joan. 1. 17. — e Matth. 11. 10. & Malach. 3. 1.

Si matrem non honoraret filius, aperiretur terra ſub eo, cælumque illum ſuis impeteret ſanè fulminibus. Quare non amabimus amorem illum, qui naſcens in nobis, efficit ut amemus noſmetipſos, amorem rependentes eidem ſinui qui illum produxit? Felicem neceſſitatem! Fortunatam conditionem, cùm ipſa efficiat ut operi admoveamus manum intuitu propriæ utilitatis, & amemus nos propter bonum noſtrum, commodis invigilantes noſtris! Tria ſunt genera amorum, quorum ſinguli propriis ſtudent commodis, licèt ſint ipſi perfecti; naturalis & neceſſarius, liber & electivus, Divinus & meritorius. Naturalis & neceſſarius eſt amor entium inanimatorum, & brutorum; entia inanimata feruntur ad ſuum centrum, & in hoc ſita eſt ipſorum felicitas. Animalia ſequuntur propenſiones ſuas, quæ ipſis viã ad debitas pandunt perfectiones, illiq; impetus ſunt veluti manus quæ ipſa capiunt ut ipſa in propriis collocent thronis, evehuntq; ipſa ad altiſſimã ipſorum gloriam; ipſa operi incumbunt pro cõſervatione ſua, pro ſpeciei propagatione, pro inquirendis cõmodis, & pro fugiendo quolibet malo ſibi noxio. Amor liber & electivus eſt amor humanus, ſuis ſemper invigilans commodis, cùm amor proprius ſit *primum vivens, & ultimum moriens*; fertur ad ea quæ ipſum ſpectant, & quæ poſſunt ipſius inſervire utilitatibus ac oblectamentis. Amor verò Divinus nunquid non etiam propriis vacat cõmmodis? Charitas enim ſancta nonne intuetur felicitatis ſpem ut ſuum objectum? nunquid amando non intendit unionẽ ſanctam? nonne quærit propriũ bonum? nunquid non eſt amor cõmodis ſtudens, qui reperitur in ipſis Angelis qui *deſiderant f* ſemper videre & cõtẽplari Deum? Theologia non approbat amorem concupiſcentiæ, quia amatum debet amator propter ſe ſine utilitate; & licèt mercedẽ nunquam deberemus conſequi, deberemus nihilominùs amare Deũ. Verum eſt. At duo ſunt diſtinguenda, amans quod amat ſine utilitate, purè pro re amata; & amor propter quem amat, veluti finis & media per quæ amat, amando rem amatã ſine utilitate; ſed amor habet mercedem pro objecto; & ſic in amore concupiſcentiæ invenitur commodum & utilitas; imò verò Deus ipſe nobis bona ſua præbens vult ut ipſum diligamus *g*. Anima igitur Chriſtiani in perfectione, amans Deum ſuum, oſtendit Primò ſe eſſe ſpiritualem & immortalem more Angelorũ. Secundò ipſa idem exhibet, quatenus ipſa eſt opus Dei. Tertiò, prout eſt ipſius imago. Quartò tandè, inquantùm eſt filia ipſius, qui erga ipſam omnia exercet boni Patris officia.

f 1. Petr. 1. 12. — g Matth. 7. 22. — Diviſio.

I. Pars. Exigui eſt hominem ducere, & parui æſtimare ejus excellentiam, præſcribere illi limites intra ſphæram ipſius, quos præterire non poſſit, cùm videamus omnia Entia ſupra naturam ſuam conatus exerere. Terra generoſâ ambitione veluti ſtimulata montes format, ut ſupra ſuum elevetur elementum; flores ſuos duntaxat ad ortum Solis aperiunt oculos, quaſi verò non inquirentes delicias noſtras, illi ſoli nobiliſſimæ creaturæ placere geſtiant; homo verò qui eſt omnium creaturarum generoſiſſimus, quomodo non ſe versùs cælum conabitur elevare, ut ad ſuum ſe protendat domicilium? Oculus inquirit colores, quos non habet in ſe, auris ſonos, & odoratus unguenta; homo igitur, quatenus Chriſtianus in perfectione, oſtendit ſe habere animam ſpiritualem & immortalem more Angelorum, quando è terra elevatur, & in cælum ſuſpirat præ generoſo contemptu omnium inferiorum. Idcircò debet ei ſubminiſtrari objectum infinitum, quod univerſis ſatisfaciat ipſius deſideriis, quæ extenſiones immenſas habent ac infinitas, quæque ſolo repleri poſſunt Deo; *Satiabor, cum apparuerit gloria tua h.*

h Pſ. 16. 15.

Quemadmodum Deus indidit omnibus Entibus inclinationem qua ſuo uniantur centro, ut ſuæ quietis loco; lapidi tendendi deorſum in terram, in qua quieſcit; igni aſcendendi ſurſum ſub Lunæ concavum, quod Deus aſſignavit ipſi centrum ipſius, alibi autem eſt inquietus, & omnia repellit obſtacula, ut in centrum ſuum elevetur; aër carceres infringit ſuos, & totam concutit naturam in viſceribus terræ concluſus, ut exeat. Anima igitur Chriſtiani in perfectione, quæ ubique eſt inquieta, cùm nullam poſſit invenire requiem extra Deum, quem intuetur ut objectum, in quo ipſa ſiſtit, oſtendit ſe eſſe ſpiritualem & immortalem, & requiri ab ipſa objectum infinitum i, quod ſiſtat ipſius inquietudines, ut ait Deo D. Auguſtinus k, *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Ecſtaſis etiam, quam homo patitur, eſt cõfeſſio, animam Chriſtiani in perfectione, eſſe ſpiritualem & immortalem more Angelorum, quia anima delectata aliqua re cœleſti, Deo nimirum, videtur corpus deſerere, illud relinquẽs ſine motu. Si anima inveniret in corpore unde ſibi ſatisficeret, ſi ipſa eſſet materialis, quare ex eo exiret, & his languoribus illud oppreſſum deſereret? Ratio iſtius eſt, Quia habet aliud objectum, ad quod ipſa tendit, & cùm non poſſit omnino illud attingere, oſtendit deſiderio ſe tendere ad immortalitatem.

i Baruch. 3.25.
k D. Aug. lib. 1. Conf. c. 1

Sed invenio tria eſſe genera ecſtaſis, quæ veritatis hujus ſunt probationes. Datur ecſtaſis animalis, humana, & Divina. Animalis, quando homo amans creaturam, ad illam fertur magno ardore, ſummoque affectu illi unitur, & ea potitur, ſed ſuſpirando & flendo, anima præ deſiderio deficit, non inveniens in ea ſatisfactionem, quã crediderat, & ſibi fuerat pollicita capere in ea, quod innuit, his terrenis non poſſe ipſi ſatisfieri, ideòq; ab ipſa requiri alias delicias, & objectum infinitum: ſi enim voluptates ejuſdem eſſent cum ipſa naturæ, ipſa non ſuſpiraret, ipſi non fieret ſatis, nõ ſecus ac animalibus & brutis, quæ nunquam pœnitet voluptati indulſiſſe, quia in hoc ſita eſt ipſorum perfectio, putà in fruitione, quæ ſemper eſt expers pœnitudinis. Secunda ecſtaſis eſt humana; obſervati ſunt autem aliquando homines ita adhærentes alicui contemplationi, ut viderentur ſenſus expertes, neilumq; de cibando corpore ullo modo cogitarent. Spiritus alia obit exercitia, quibus non incumbit corpus, & in hoc videtur immortalis. Tertia ecſtaſis eſt Divina. Ita quàm ſingularis hauritur ex hâc voluptas! Sancti ab ecſtaſi in ſe redentes ſuſpirabant; hâc elevantur homines in Deum, jamque ipſomet potiuntur Deo, quod innuit, animam eſſe immortalem & ſpirituale more Angelorum, cùm corpus ſit ipſi velut obſtaculum functionibus ejuſdem obeũdis, quas nunquam magis ipſa exercet, quàm cùm corpus eſt ſenſus expers, ipſaque videtur omnino ab eo egreſſa, ut ſoli Deo uniatur. Ubi obſervanda eſt hæc differentia inter ſpiritum & voluntatẽ, quòd ſpiritus non extrà ſe ipſo, ſed vocat, & trahit objecta ad ſe, eaque ſibi ſimilia efficit, & ſic Deum cogitans, ad Deum ſe elevans, illum veluti coarctat, cùm illum intellectus ſui captui accommodet; tunc ille qui eſt infinitus, videtur finitus, cùm intellectus finitus ſuo modo illum comprehendat, & ſic Deum deprimit: Sed comprehendens creaturas, & alia entia, illa nobilitat, cùm ea ſibi reddat ſimilia, quaſi ſpiritualis: ſed voluntas è ſe ipſa egreditur, & pergit ad objectum, & efficitur talis quale ipſum eſt; ſi limus, terrena; ſi cælũ, cæleſtis; ſi Deus, Divina; *Qui autẽ adhæret Domino, unus ſpiritus eſt l.* Anima igitur ad Deum amore ſe elevans, efficitur tota ſpiritualis & immortalis, ſpoliatur planè omnibus excepto ſolo Deo. Ut uniatur quis Deo, ſpoliari debet omnibus, & induere formam, quam non habet; & idcircò oportet ut omnia deſerat: atqui hæc admittitur differentia inter corpora & ſpiritus, quòd oporteat corpora repleri, ut propagentur; ſpiritus verò è contrà ſpoliari omnibus, & evacuari penitus: animalibus v. g. neceſſaria eſt repletio; ſubminiſtrandi ſunt igitur cibi corpori, quibus conſerventur; ſed ſpiritus qui eſt totus cæleſtis & immortalis, evacuandus eſt & ſpoliãdus omnibus terrenis, ut meliùs ſurſum ad Deum elevetur. Natura humana conſiderari poteſt tripliciter, ſeu ut integra, ſeu ut lapſa, ſeu ut reparata. Ut lapſa, rendit ſemper deorſum in terram, peccati onere prægravata. Ut integra, tendebat & versùs cælum & versùs terram, ſpiritum habens ſemper Deo adhærentem, & corpus ad terram inclinatum, deliciiſque eſſ... etiamſi non prætergrederetur voluntatem Dei, cùm id efficeret ut conſervaret corpus; affectus ipſius non erant criminibus obnoxii. Ut reparata verò, nihil aliud intueri debet præter Deum, & nullo modo terram, ſoli Deo adhærendo.

l 1. Cor. 6.17.

Peritur quare *Deus* in formatione hominis, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ m.* Cur potiùs inſpiraverit hunc vitæ ſpiritum in faciem ejus, quàm in quamlibet aliam partem; quare non in cor, cùm ſit *primum vivens, & ultimum moriens?* Reſpondetur, Omnes corporis humani partes naturaliter terram reſpicere, ſolum autem caput ſurſum intueri: ut igitur induceret Deus hominem ad ſublevandum caput in cælum, inſpiravit in caput ejus hunc ſpiritum, *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ,* ut uniretur Deo, qui propterea, ut ait Poëta,

m Gen. 2.7.

Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quantam beatitudinem hominis qui poſſit uniri Deo! Filii hominum uſquequò hanc animam cœleſtem deprimetis ad terrena? quouſque degeneri converſatione in tantã vilitatem deſcẽdetis?

Inſu-

Inſumite hunc ſpiritum totum cæleſtem ad contemplandas res Divinas, quæ ſunt propria ipſius objecta; nec eum ita deiicite ut alligetis eum objectis terrenis, quæ ipſius non merentur affectus, cùm ipſa ſint incapacia quæ immenſas animæ veſtræ replere poſſint extenſiones.

Io hoc concordat Religio cum Juriſprudentiâ, quòd *acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis n*. Quòd terræ fructus debeant aſſignari illi, ad quem ſolum pertinet; quòd uxor ad virum ſpectet, *Quoniam vir caput eſt mulieris o*, & ſuperior, *Mulier nupta cogitat, quomodo placeat viro p*. Ipſa debet inquirere, quomodo ei placere valeat in omnibus, illi obedire ut ſubdita; & uxor virtute prædita debet prudenter decipi in eo quòd credere teneatur nullum ex aliis viris eſſe magis ſpecioſum, & magis amabilem quàm ſit ſuus; poteſt quidem credere alios revera inveniri ſapientiores, doctiores, & ditiores viro ſuo, ſed non ſpecioſiores. Ratio hujus differentiæ eſt, quia ſapientia, ſcientia, & divitiæ inducunt ad reverentiam, quam ipſa poteſt aliis exhibere; ſed ſpecies & decor alliciunt ad amorem, quem ipſa nulli alii niſi viro ſuo licitè poteſt conſecrare. Quibus ſuppoſitis, dico, Cù Chriſtus nos omnes redemerit pretioſiſſimi Sanguinis ſui effuſione *r*, ea ratione nos ad illum pertinere, & ſic cogitationes omnes noſtras ad illum debere dirigi, omneſque labores noſtros & curas noſtras pro illo ſuſcipienda eſſe; *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt s*. Mortui eſſe debemus nobis, ut vivamus Chriſto qui nos redemit inferno addictos. Hæc eſt obligatio vera Chriſtiani in perfectione. Sed heu quantus eſt numerus Chriſtianorum qui pretioſiſſimum hunc *Sanguinem pollutum t* ducunt, & conculcant, qui *Filium Dei* pedibus proterunt, qui videntur inſenſibiles quoad ea omnia quæ ſpectant Chriſtum, qui derident eius Sacramenta, quique Chriſtiani ſecundùm apparentiam duntaxat exteriorem dici poſſunt! Vivendum eſſet prorſus ſolâ Chriſti vitâ, & moriendum rebus omnibus caducis. Sed contrarium accidit, & quare? Quia non amatur Deus, nec toto affectu diligitur ille qui omnes hus affectus noſtros exigit. Oportet igitur ut propter Deum, qui nos ſic amavit ut proprium Sanguinem pro nubis effuderit, ſpoliemus nos rebus omnibus quæ non ſunt ipſe Deus.

n L. Cùm Principalis. de Diverſ. Reg. Iuris. Et cap. Acceſſoriũ. eod. tit. lib. 6.

o Epheſ. 5. 23.

p 1 Cor. 7. 34.

r Apoc. 1. 5.

s 2. Cor. 5. 15.

t Hebr. 10. 29.

Tres autem exercendæ ſunt denudationes, bonorum fortunæ, vitæ, & amoris proprij. Bonorum propter amorem Dei, diſtribuendo ea pauperibus, quorum manus dirigat nos in beatam æternitatem; *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula u*. Quomodu verò quis poſſit amare Deum, ſi non amet pauperes, ſi eos perire ſinat fame, quandiu immundorum domûs animalium curam ſuſcipit ipſe exactam? Emenda eſt hæc immortalitas bonis terræ. Heu tantùm laboratorut compareiur infernus, & infortunata pœnarum æternitas! *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus x*. Secunda denudatio, vitæ, ut Martyres noſtri, qui dederunt bona, uitam, & omnia alacriter, ridentes inter cacabos & ollas ardentes, rotas gladiis aculeatas, enſes, & ſupplicia *y*. Ratio iſtius eſt, Quia verè amabant, & flocci facienda eſt vita, ſi ſit tolerantiæ & perpeſſionis expers. Dicendũ eſt igitur cum fervidâ D. Tereſia: *Aut pati, aut mori*. Tertia denudatio, eſt amoris proprij, quæ major eſt denudatione bonorum, & vitæ. Oportet eſſe aliquo modo inſenſibiles. Dicunt Medici, corde hominis vulnerato, corpus manere inſenſibile; cor enim vulneratum eſſe, idem eſt ac eſſe mortuum. Martyres habebant cor vulneratum, Dilectio ſacra ictum infixerat; quid mirum ſi inſenſibiles erant, quoad ea quæ corpus ſpectabant? Dicebat Amans ſacra *z*: *Amore langueo*. Seu, juxta Septuaginta, *Vulnerata charitatis ego ſum*. Inſenſibiles igitur erant Martyres quoad corpus, *Non murmur reſonat, non querimonia a*. Oportet ergo ut nos denudemus omnibus, & nos Deo repleamus, ut oſtendamus animam noſtram eſſe ſpiritualem & immortalem ut Cælites.

u Luc. 16. 9.

x Sap. 5. 7.

y Hebr. 12. 23. &c.

z Cant. 2. 5.

a Eccleſia

Anima noſtra prætereà hujus veritatis probationes exhibet, quatenus ipſa eſt opus Dei. Cognitio originis animæ, principij ipſius & cauſæ, non minùs eſt difficilis, quàm ſit notitia originis ventorum, de quibus ſciri vix poſſit quid ſint, & unde procedant. D. Auguſtinus *b* hanc inquirens originem, non ſine multo labore poteſt eam aſſignare; ego verò qui non polleo acie ingenij D. Auguſtini, quid de ea poſſim enunciare? Licèt ipſa ſit effectus Dei, opus quod immediatè procedit è manibus ipſius; nihilominùs fides & ratio huic ſancto Doctori contrarium perſuadere videntur; dicitur enim: *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, ſexaginta tres c*. Fides igitur videtur oſtendere, animam exire ex homine æquè ac corpus, & ex eodem canali & principio deſcendere. Prætereà, Ratio videtur hoc innuere; nulla quippe videtur eſſe differentia, animam hominis æquè ac bruti extrahi è potentia materiæ, cùm anima omnibus communicet corporis commodis æquè ac incommodis, gaudeat, exultet, triſtetur & affligatur cum corpore, omnibus aliis tandem corpori propriis ducatur affectibus. Poſt quæ, licèt ingenium meum longè ſit inferius ingenio D. Auguſtini, auſim aſſerere; hunc locum Geneſeos, & alia ex eodem libro extracta, debere intelligi de compoſito integro, de toto homine, non autem de anima in ſpecie; ipſa enim non extrahitur è potentia materiæ, ſicut omnes animæ brutorum, ſed creatur immediatè à Deo qui eſt ipſius Author & Opifex, & ideò dico eam ut ſic, quatenus opus Dei, eſſe ſpiritualem & immortalem.

b D. Aug. lib. 7. de Gen. ad lit. c. 1. &c.

c Gen. 46. 29.

Unde ſic argumentor. Cauſa non agit niſi per formam, quæ præbet effectui characteres illius quod ipſa eſt: Atqui forma Dei eſt Deus ipſe: Ipſa igitur debet imprimere animæ, quæ eſt ipſius effectus, characterem ſuum, ut effectus habeat relationem ad ſuam cauſam: Et ſicut Deus eſt immortalis *d*, oportet ut anima ſit immortalis. Anima brutorum eſt mortalis, quia cauſa ipſorum eſt mortalis, anima & corpus ipſorũ fluunt per eundem canalem, cùm anima extrahatur ex eadem ſubſtantia parentum brutorum, qua ipſum corpus; ideircò omnia ſimilia ſunt ſibi invicem animalia ejuſdem ſpeciei, cùm ipſorum parentes ipſa in omnibus ſibi æqualia producant; ſed homo ſolam duntaxat materiam ſubminiſtrat, tota verò forma à Deo procedit; unde fit ut videamus parentes generoſos, & alios Martes producere filios Therſites & puſillanimos.

d 1. Timoth. 1. 17.

Quare hoc? Ratio iſtius eſt, quia non ſubminiſtrant formam ſicut bruta, quæ productiones ſuas ſibi omnino conformes efficiunt, illiſque eaſdem communicant induſtrias. Re enim verâ videmus animal imitari in omnibus parentem ſuum, quia cum corpore fluit anima, quæ ſunt pars corporis & animæ patris ipſius: idcircò animalia habent eaſdem inclinationes, & iiſdem ducuntur inſtinctibus, cùm aſſeratur contrarium de hominibus. Anima igitur cùm non ſit ejuſdem naturæ cum corpore, eſt immortalis, deferens charactêres Authoris ſui, qui informat ipſam in embrione jam organis inſtructo, indeque per hanc communionem contrahitur peccatum originale *e*: ſicut enim in Baptiſmo anima tangens corpus, purificatur *f*, æquum erat ut anima inficeretur per commercium cum corpore, quod procedit ex origine infecta, & carne criminoſa. Si verò anima extraheretur è corpore, Adam evigilans, & videns Evam, non dixiſſet: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ g:* ſed addidiſſet, Anima de anima; fuit enim poſt Chriſtum *h* omnium hominum doctiſſimus. Si verò bruta generent ſibi ſimilia & quoad corpus & quoad animam, hoc eſt, quia effici volunt perpetua in ſuis ſpecibus, & ſi, ut ipſa moriuntur, & præda mortis efficiuntur, alia relinquunt quæ ipſorum ruinæ ſupervivant: anima verò hominis, quæ eſt immortalis, non indiget ut perpetuetur, ſemper enim vivit; *Et anima mea illi vivet i.* In brutis hoc eſt effectus infirmitatis ipſorum; ſed in anima rationali id eſt effectus immortalitatis ipſius; Angeli enim (quod eſt de fide) ſunt immortales & ſpirituales *k*; nihilominùs ſteriles ſunt; cœli incorruptibiles ſunt & pariter ſteriles. Ubi obſervate, id omne, quod creavit Deus immediatè ſine interventu creaturam, eſſe ſtabile, & corruptionis expers, ut cœli, terra; *Generatio præterit, & generatio advenit; terra autem in æternum ſtat l.* Omne reſiduum quod dependet à creaturis, totum corruptibile, corpus, materia. Anima eſt igitur immortalis ſicut Angeli, cùm ſit effectus & opus Dei immortalis: eſt immortalis, quia ipſa eſt opus Dei mortalis, ſed patientis *m*, cruci ſuffixi, & in ea mortui.

e Rom. 5. 12.
f Joan. 3. 5.
g Gen. 2. 23.
h Coloſſ. 2. 3.
i Pſ. 23. 53.
k Tob. 12. 19. &c.
l Eccl. 1. 4.
m Joan. 19. 1. &c.

Produxerat nos Deus immortales, *Deus creavit hominem inexterminabilem n.* Sed heu! Homo per peccatum hanc citò amiſit immortalitatem; Hanc iterùm Deus nobis præbet per Baptiſma, quod meritum deſumit ex ipſius Sanguine, qui renovat animas noſtras, & reſuſcitat eas ad immortalitatem; *Conſepulti ei in Baptiſmo in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis o.* Illæ igitur ſunt opus Dei morientis; *Empti enim eſtis pretio magno p. Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti q.* Ad obtinendum finem propoſitum requiruntur media ad illum attingendum neceſſaria, finis autem eſt ejuſdem pretij cujus ſunt media. Finis, quem ſibi propoſuit Dei Filius veniens in hunc mundum, eſt ſalus animarum *r*; media quæ aſſumit ad hunc finem conſequendum, ſunt perpeſſiones ſuæ, effuſio ſui Sanguinis, & mors; & eſt de fide Sanguinem ipſius eſſe meriti infiniti, quia perſona eſt infinita; cùm autem media ſint ejuſdem valoris, & pretij cujus finis, & anima, ſeu ſalus animæ ſit finis Chriſti, & Sanguis ipſius medium, ſequitur animam debere eſſe infinitam non in intenſione, cujus incapax eſt creatura, ſed in extenſione, ſeu in duratione à parte poſt.

n Sap. 2. 23. ex Gen. 1. 27.
o Coloſſ. 2. 12.
p 1. Cor. 6. 20.
q 1. Petr. 1. 18. & 19.
r Luc. 19. 10.

Unde videtis pretium animæ, quam non æſtimat Deus minoris quàm ſuum Sanguinem, quem dat pro ipſius redemptione, ſicut cùm apud mercatorem emitur aliquid, conſideratur quanti ſit valoris. Excellentiam animæ quæ Sanguinem Dei promeretur! Cùm Deus ſe det ut eam habeat, quanti debemus nos eam ducere? Tria concurrunt ad decôrem domus, materia, forma, & ornamentum. Deus fecit hoc pulchrum opus animæ ut ſit ipſi domus; inſignivit eam materiâ, formâ, & ornamento; materia ſunt bona fortunæ; forma ſunt bona naturæ; ornamentum verò ſunt bona gratiæ. Interea deſtruimus totum hoc ædificium diſſolutionibus noſtris, in terram projicimus ſpecioſam hanc domum, hoc opus præcipuum manuum Dei. Ad quid enim bona fortunæ ut plurimùm conducunt, niſi ut melius crimen & diſſolutionem in proprio ſolio conſtituant ac ſtabiliant? Non ſerviunt ampliùs ad meliùs Deo benedicendum, illumque laudandum, ut tempore innocentiæ. Ad quid bona naturæ, pulchritudo, &c. niſi ad conflandum idolum, cui in altari collocato thus adoleatur? Ad quid bona gratiæ, niſi ut advertentur gratiæ, & beneficijs, quæ ſuſcepimus ab eo, cujus anima noſtra eſt non ſolùm opus, ſed etiâ imago, quæ eſt alia ratio immortalitatis ipſius?

Perfectiones hominis è ſpiritu ipſius, & ex ejuſdem operationibus deſumere poſſumus. E ſpiritu ipſius qui eum Deo adſimulet, eò quòd præteritum revocat, futurum antecedit, & ad Deum uſque ſe elevat, ut illi quaſi ſimilis efficiatur. III. Pars.
Re enim verâ videntes operationes ipſius, crederetis eum eſſe Deum. Præcipit ut Princeps ſupremus, quaſi miracula in ſuis operatur productionibus, & ferè Deum agit in terrâ, ubi ſaltem ejuſdem Dei vices agit, cùm deferat in ſe imaginem Divinitatis: Deus enim debet vacuum replere, deſiderium autem quo ducitur homo ut ſimilis Deo efficiatur, eſt vacuum quod repleri debet: videmus enim naturam, ne vacuum vel unico patiatur momento, armare omnia elementa, & incredibiles conatus efficere ut illud impediat: Cùm igitur homo Divinitati aſſimilari deſideret, & omne deſiderium ſupponat vacuum, Deus debet illud replere; idcircò fecit illum ut Deum *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam s.* Homo agit ut Deus, quem repræſentat veluti radius ſuum Solem, unde emanat; ut cera ſigillum quod impreſſit ipſi figuram ſuam. Deus quoſdam præfixit rebus omnibus limites, & earum terminavit ambitionem, quæ vellet ſemper creſcere, & ex parvis principijs magnam efficere gloriæ comparationem, more ſcintillæ quæ magna cauſaret incendia; & ſine dubio ignis omnia ad nihilum redigeret, ſi Deus ei non præſcripſiſſet limites; aër eodem tempore noſtrâ replet præcipitia; & mare, quod fluctus ſuos elevat, totam terram operiret, ſed Deus præſcripſit ei terminos, & ut venit cum impetu & furore, videns digitum Dei impreſſiſſe arenis ſuis terminum ſuæ agitationis, oſculatur hos limites qui ipſi præfixi ſunt digitis Dei ſummi, cujus adorandam reveretur poteſtatem: *Uſque huc venies, & non procedes ampliùs; & hic confringes tumentes fluctus tuos t.* Sed Deus hominis ambitioni non præſcripſit limites, ita ut per deſideria noſtra abeamus in infinitũ, & feramur uſque ad Deum, quem imitari deſideramus. Deus autem nobis ſatisfacit, imprimens ſuã nobis imaginẽ. Re enim vera inter

s Gen. 1. 27.
t Job 38. 11.

omnes

omnes creaturas ſolus homo glorioſo hoc decoratur titulo, qui facit ut imitetur Deum in ipſius ſpiritualitate *u*, æternitate *x*, & immortalitate *y*, ut Angeli. Aliæ creaturæ ut corporales, & ideò temporales, ſunt tantùm ipſius veſtigia; ſed homo eſt ipſius imago, deferens in ſe charactêres Divinitatis, cùm ſit infinitus in deſiderijs ſuis.

u Joan. 4. 24. *x* Dan. 13. 42. *y* 1 Tim. 6. 17.

Ubi obſervare debetis omnem opificem operantem in aliquam rem, intendere eam efficere ſibi ſimilem; ipſiuſque formam tribus rebus; ideis ſuis, debet enim concipere id quod ſibi agendum eſt; ipſis inſtrumentis, unde procedit forma; & ſubjecto, quod eſt eam recepturum: ideæ ſeu imagini, inſtrumento, & ſubjecto. Deus, qui eſt Agens ſupremus, volens Deum producere in æternitate *z*, producit ipſum ſibi ſimilem, ipſum producit per imaginem, quæ imago eſt in ipſius ideâ; cœlum eſt veluti inſtrumentum unde gratiæ emanant, quando alium velut Deum producit in tempore, cor autem humanum ſeu ſpiritus hominis eſt ſubjectum quod recipit hanc formam, quæ ipſum repræſentat, *In eandem imaginem transformamur a*, ſeu ideam. Anima noſtra defert inſignia Dei ſui qui eſt Author ipſius, repræſentat ejus charactêres, eſt immortalis ſicut ille. Sed ſciendum eſt dari æternitatem, æviternitatem, & tempus; æternitas propria eſt Deo, æviternitas animabus & ſpiritibus, tempus verò congruit corporibus. Corpora, & bruta, quæ ſunt corporalia, finem ſunt habitura; ſicut enim corpora principium habuerunt ex materiâ, debent mori, & habent ſolum tempus; animæ & ſpiritus habent æviternitatem, quia cùm inceperint, non magis finientur quàm Deus, qui non eſt finiendus *b*, Deus habet æternitatem, cùm nunquam habuerit initium, nec unquam finem ſit habiturus. Anima igitur eſt immortalis ut Deus, cùm ſit imago ipſius, quæ debet eam repræſentare, cùm tranſumptum referri debeat ad originale, & imago ad protypon; & in ipſius productione quæ fit à Deo, invenitur idea, inſtrumentum, & ſubjectum, cùm ſibi ipſam reddit Deus ſimilem.

z Pſ. 2. 7. *a* 2. Cor. 3. 18. *b* Baruch 3. 25.

Scriptura oſtendit, cùm ait, Deum eſſe ignem, *Deus tuus ignis conſumens eſt c*. Ignis vult omnia ſibi ſimilia reddere, quando ſubjectum eſt diſpoſitum ad recipiendam formam ipſius; ſicut autem ſunt diverſa ſubjecta, ita diverſus operatur effectus. Proprium igni eſt cauſare ardorem, ſplendorem, & ſubtilitatem. Adhærens terræ, quæ ſolida eſt, eam ardentem efficit, & illam calefacit, in eâ ponit ardorem, ſed non ſplendorem; illa enim non reddit lumen: adhærens ferro, quod eſt grave, in eo producit ardorem, & ſplendorem, cùm tunc ſplendeat ferrum ut ignis ipſe, relinquens ipſum ſemper grave; & adhærens ſtoppæ, aut papyro tenetræ & ſubtili, in ea ponit ardorem, ſplendorem, & ſubtilitatem, eam ad ſphæram ſuam attrahendo. Deus igitur, qui eſt ignis ardens, diverſimodè eoſdem producit effectus: corporibus ſenſus expertibus, & plantis imponit ardorem, qui ipſis dat vitam; animalibus præter ardorem, imponit ſplendorem & lumen, & ipſorum imaginatio quæ ipſa dirigit ad quærenda quæ ipſis ſunt neceſſaria, eſt quædam ſpecies luminis, quod Deus poſuit in ipſis; habent igitur ardorem, & ſplendorem: Sed homo præter ardorem, & ſplendorem, habet inſuper ſubtilitatem; illum Deus elevat ad ſe, ipſum ſibi efficit ſimilem, & ſui imaginem, ut ſincerè repræſentet ipſius magnitudines. Hinc nobis eſt inferendum, quantam debeamus huic imagini exhibere reverentiam. Debemus hanc honorare propter noſtrum proximum, propter nos ipſos, & propter Deum. Propter proximum, cùm eam impreſſam animæ ſuæ deferat; noſter proximus Divinitatis defert imaginem, & nos crimini erimus obnoxij, ſi eam laceremus. Tela quæ contemnebatur, forcipi ſubdita, ſtatim ac depictam in ſeſe defert Regis imaginem, venerationes ſibi aſciſcit, nec ampliùs deſpectui ſubjacet: Anima proximi noſtri deferens imaginem Dei, omnes requirit reverentias noſtras. Propter nos ipſos, & in nobis ipſis; utilitates noſtræ ad id nos inducunt; ſi enim eam conſpurcemus, hoc in noſtrum vergit detrimentum, hæc anima ardebit nobiſcum æternùm in inferis *d*, quod erit cauſa novarum pœnarum, videre imaginem Dei in inferis deriſum dæmonum, qui cachinnantes inquirent, *Cujus eſt imago hæc e?* Propter Deum, contra eos qui peccatis ſuis hanc deformem efficiunt imaginem. Hanc accepimus imaginem in Baptiſmo; ad imaginem Dei ſumus per creationem, & ad ſimilitudinem ejus per recreationem, quæ fit in Baptiſmo. Per prius habemus intellectum, memoriam, & voluntatem, quæ repræſentant tres perſonas Trinitatis; per poſterius datur nobis *fides, ſpes, charitas; tria hæc f* nobis dantur; prius nos facit homines, poſterius verò nos efficit Chriſtianos. Oſtendi autem vobis in hoc Adventu Chriſtianum in principio per fidem, in progreſſu per ſpē, & in perfectione per charitatem; ita ut quatenus homines & rationales, & quatenus Chriſtiani, oſtendamus noſtram animam eſſe ſpiritualem & immortalem. Cùm igitur anima noſtra ſic facta fuerit ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ipſa eſt in hâc qualitate filia ipſius, qui erga ipſam exercet omnia boni Patris officia, ipſamque conſtituit in viâ, quæ ipſam ducit infallibiliter ad fœlicitatem æternam, quæ eſt nova & alia ratio, quæ oſtendit ipſam eſſe ſpiritualem ac immortalem, quæque diſcurſui iſti fines imponet extremos.

c Deut. 4. 24. *d* Matth. 25. 41. *e* Matth. 22. 20. *f* 1. Cor. 13. 13.

IV. Pars.

Nihil fortius amore parentum erga ſuos filios: ſemper enim ſubſiſtit: contemptus, ingrati animi labes, hæc omnia illum magis accendunt ac magis, nedum eum extinguant; cor iſtud eſt ſemper ardens; ideircò dicitur amor potiùs deſcendere, quàm aſcendere. Pater ſemper amat, & ubique, & æquè patrìm poteſt amittere affectum, quo ſuum proſequitur filium, ac qualitatem quam ſibi vendicat patris. Et hoc eſt quod animos cuidam nequam addebat ac nebuloni: Si amiſi, ajebat filiùs prodigus, qualitatem filij, ob mea demerita, & propter diſſolutiones, quibus indulſi, patrem habeo qui eadem erga me ſemper habet patris viſcera, ut ipſum induxit loquentem Ravennatum Antiſtes D. Chryſologus *g*: *Ego perdidi quod erat filij: ille quod patris eſt non amiſit.* Videte, quæſo, hunc prodigum; ipſe recedit, & pater procedit ei obviàm, illum ſtrictè amplectitur, & amor patris cæcus eſt ne videat miſerandam infœlicis filij ſui ſortem, aperit illi ſua viſcera; currit ad illum, quando ille fugit; eum vocat, quando profligatæ vitæ filius iſte aures ſuas fortiter obturat, quia parentum amor eſt omnium maximus. Cùm igitur anima Chriſtiani ſit filia Dei, ipſius dilecta, Deus erga illam exercet omnia boni Patris officia,

g D. Chryſol. ſerm. 1. de Prodig.

cia, eamque ſtatuit in via, quæ ipſam dirigit in æternam beatitudinem. Et in hoc ipſa oſtendit ſe eſſe ſpiritualem more Angelorum. Hæc cogitatio admirationem peperit mihi perpendenti ſeria reflexione Deum non agentem propter has rationes & motiva, quæ homines inducunt ad producendos filios, in quibus perpetuentur ipſi, & in quibus ſpecies conſervetur humana, vivendo in illis, ſæculis futuris, cùm liberi debeant ipſis eſſe fulcro, deferendo ipſorum imaginem, quæ proprium repræſentet prototypon: Deum, inquam, qui habens ſuum eſſe, quod eſt æternum, Filium ſuum *qui eſt imago Dei inviſibilis h* [h Coloſſ. 1.15.] perfecta, quæ omnes ipſius exprimit perfectiones, nullamque timens in fœlicitate ſua alterationem, attamen vult habere filios, quorum poſſit vocari Pater. Hic amor inducit cœlum ad reverentiam, terram ad adorationem, & infernum ad admirationem, videntia illum velle eſſe Patrem omnium creaturarum Cæleſtium & terreſtrium, Angelorum & hominum, Bonorum & malorum, Juſtorum & impiorum. Sic dicere poſſumus in terra, ſicut Angeli in cœlo, imò verò & damnati ipſi in inferno: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & ſimus* †. [† 1 Joan. 3.1.] Proprium eſt omnibus cauſis velle ſe communicare & quoad ſuam eſſentiam, & quoad ſuas proprietates. Quoad ſuam eſſentiam, Sol v. g. primò communicat ſuum ſplendorem, quia natura ſua lucidus eſt; poſteà communicat ſuam proprietatem, quæ eſt calor, per radios ſuos. Deus agit per ſuum intellectum *i*, [i Pſa. 7.] & per ſuam voluntatem *k*; [k Joan. 15.26.] per ſuum intellectum communicat naturam ſuam Verbo ſuo, quod eſt ipſi æquale, & in Verbo omnes creaturæ comprehenduntur, ut producantur in tempore, & exeant extra hoc principium per creationem *l*; [l Joan. 1. 4.] veluti roſarium quod hyberno tempore continet formaliter in ſuâ eſſentiâ roſas, quas vernâ tempeſtate actu producit inter ſpinas; ita Filius Dei in æternitate continebat omnes creaturas, & in plenitudine temporum eas produxit extra ſe per creationem, *Sanguine ſuo m* [m Apoc. 1.5.] purpuratas in monte Calvariæ, cùm omnes homines exierint ex eodem Patre, & Verbum Divinum Incarnatum, id eſt, Jeſus Chriſtus *ſit Primogenitus in multis fratribus n*, [n Rom. 8. 29.] cui Deus communicavit totam naturam ſuam, in quâ continebantur omnes creaturæ.

Nolo autem hîc diſputare utrùm Deus in ſe realiter haberet omnes Sanctos, ſeu objectivè. Dico eum habuiſſe illos formaliter in ſe ſecundùm ſuam eſſentiam. Idcircò Dei Filius vocatur *Primogenitus omnis creaturæ o*, [o Coloſſ. 1.15.] cùm procedat ex hoc principio primus, & in ipſo ſint omnes alij, ut dicebat mox Apoſtolus: *Primogenitus in multis fratribus.* Id eſt, omnium hominum. Nos omnes ſumus illius fratres, cùm eundem omnes habeamus Patrem; *Primogenitus mortuorum p.* [p Apoc. 1.5.] Ubi eſt obſervandum, Deum ter genuiſſe Filium ſuum, per naturam in æternitate; per gratiam in Virgine Mariâ *q*; [q Joan. 1. & 14.] & per gloriam, illum educendo è tumulo *r*; [r Marc. 16.6.] præbentem illi tria eſſe, naturæ, gratiæ, & gloriæ; naturæ, in cœlo, ſibi æqualis; gratiæ, in ſinu Virginis in Incarnatione, cùm natura humana acceperit gratiam per Divinitatem, ſed gratiam hypoſtaticæ unionis; gloriæ, eum vocando è ſepulchro. Sic Pater dedit illi eſſe, benè eſſe, & fulcrum amborum; eſſe per naturam, benè eſſe per gratiam in ſinu Matris ipſius, cùm omnes ipſius, prout hominis, affectus eſſent ei ſubditi *s*; [s Luc. 2. 51.] fulcrum amborum, per gloriam. Deus eſt Pater noſter; præbet nobis eſſe per creationem; benè eſſe per juſtificationem, quæ fit per gratiam; & fulcrum amborum, per glorificationem, per gloriam, quam vult nobis dare, cùm nos creaverit propter hunc finem veluti bonus Pater, qui omnes amores Patris in ſe erga nos continet, & extertùs nobis exhibet. Nos verò veluti filij debemus imaginem ipſius deferre; *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt t.* [t 1. Joan. 3 2.] Cùm dederit nobis eſſe per creationem, fecerit nos opera ſua, imagines ſuas, & filios ſuos per gratiam, & deſtinet nos ad gloriam, id innuit, animam noſtram ſpiritualem eſſe, ac immortalem.

Concludo autem dicendo: Si Deus Pater dans eſſe, dat benè eſſe Filio ſuo, dat illi hæreditatem; *Quòd ſi Filius, & hæres u*; [u Galat. 4.7.] cùm exierimus ab eo per creationem, faciendus eſt nobis circulus per gratiam, & revertendum eſt nobis ad illum per gloriam. Vult Deus nobis dare benè eſſe, & cùm oporteat ut illum poſſideamus in gloria, non valentes illo frui in hoc mundo, idcircò vult omnes nos ſalvare, ut ait Apoſtolus *x*: [x 1. Timoth. 2. 4.] *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Si enim pater terrenus filij ſui commodis ſic ardenter invigilat; *Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe y?* [y Matth. 7.11.] Nolite dubitare, Deus dat eſſe per creationem, benè eſſe per gratiam, & fulcrum amborum per gloriam æternam. Oportet ergo ut oſtendat homo ſe eſſe Chriſtianum in perfectione, amando Deum ſuum, cùm inde monſtraturus ſit animam ſuam eſſe opus, imaginem, & filiam Dei, eſſe ſpiritualem, & immortalem more Angelorum, & ut ſic capacem gratiæ in hoc mundo, & gloriæ in altero conſequendæ, quippe cui idem *gratiam, & gloriam dabit Dominus z.* [z Pſ. 83. 12.]

FERIA II. POST DOMINICAM
IV. ADVENTUS.

Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, Prophetæ. Matth. 7. 12. &c.

MAndatum amoris Dei terminatur ad mandatum ſanctificandi Sabbathi. Poſtquàm enim amorem noſtrum ei corde conſecravimus, adorando eum ſolum; ore, exhibendo ei reverentias noſtras, *non* aſſumendo illius *nomen in vanum* verbo, nec illud profanândo in uſibus parùm rationi & juſtitiæ Chriſtianæ conſonis; æquum eſt ut offeramus ei

opera

opera noſtra, quæ tenemur illi præſentare titulo gratitudinis, ſeu gratiarum actionis ob ſingularia ipſius beneficia in nos collata, conando amorem ipſius amore compenſare reciproco, *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices a.* Præcipit nobis Deus ut ſanctificemus Sabbathum, ut tranſigamus hos dies Divino ipſius obſequio conſecratos, in praxi ſanctitatis & juſtitiæ, quæ eſt diſpoſitio ad recipiendas ipſius gratias, quibus Maria erat jam repleta, cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

a Exod. 20. 8. &c.

Vix atrocior inveniri queat ingrati labes animi ingratitudine Judæorum, qui cùm gratias agere deberent Chriſto, qui ipſis verbum annunciabat Divinum, ipſoſque ad virtutis hortabatur exercitium, eò tamen pervenerunt ingratitudinis, ut veluti beneficijs ejus læſi, ſicut rebelles adversùs ipſum elevati ſint, & lapides arripuerint ut eum illorum obruerent ictibus *b.* D. Hieronymus *c* ait, quòd *Joſephus d refert auditam vocem in templo Angelorum & fortitudinum cæleſtium, quæ priùs in præſidio urbis erant, Abeamus ex his ſedibus.* Quia ingratitudo Judæorum eò eſſet aliquando perventura ut contra ſuum Creatorem inſurgeret, & vitam illi eripere conaretur lapidibus. Hauſerat iſtud vitium cum lacte perfida & ingrata hæc progenies, ipſaque peccato ſucceſſerat æquè ac patrimonio majorum ſuorum. Cùm enim Deus eos *in deſerto quadraginta annis e* aluiſſet non ſecus ac ſi fruiti eſſent beatitudine, ſine ullis factis impenſis in victu, & in veſtitu, & abſque ullo incommodo, aut labore, uſi tamen ſunt hoc beneficio ut Deum ſua magis ac magis irritarent ingratitudine. Deus excepit illos ac ſi æterna potiti eſſent felicitate, & nihilominùs hi ingrati ex iis beneficijs occaſiones vitij deſumpſerunt, quo Deum ad iracundiam provocavêre. Populus hic ingratus ita reſtitit omnibus ſuavitatibus Dei, ut victoriam de omnibus ipſius prælijs amabilibus retulerit; cùm tamen ipſius rebelliones ſolis duntaxat Deus ſuperare voluerit beneficiis. Mihi autem non ſufficiunt verba, nec cogitationes ſatis expreſſæ ad explicandam inhumanitatem peccatorum, qui Dei beneficiis rependunt ingratitudines. Expectavit Judas Chriſti proditionem machinari, quoad uſque *intinctum panem* ab eo ſibi porrectum in cœna accepiſſet, ut maximè infamis omnium proditio inniteretur ſolis beneficiorum ſusceptorum fundamentis; ut ex tanto beneficio in ipſum collato oriretur traditio, ut obſervavit D. Auguſtinus *f.* Populum Judaicum præſtantiſſimis cumulabat Deus gratiæ ſuæ donis, nitens ipſos convertere miraculis, & oculos ipſorum aperire concionibus; & in gratiarum actionem pro tantis beneficijs progenies hæc perfida in ipſum lapidibus impetendum inſurrexit; at ipſe *tanquam homo à lapidibus fugit; ſed væ illis, à quorum lapideis cordibus Deus fugit,* ait idem D. Auguſtinus *g.* Et Job *h* loquens de illis peccatoribus, qui ex beneficiis ſuſceptis invitantur ad majora vitia ſectanda, & è gratiis Dei hauriunt occaſionem graviorum facinorum patrandorum, dicit, *Cor ejus indurabitur tanquam lapis.* Creſcunt lapides per juxtà poſitionem, res verò animatæ & vegetativæ per intùs ſuſceptionem; ita ut lapides creſcant in eſſe lapidum beneficiis cœli, Solis, aſtrorum, aëris, pluviæ, & roris, hiſque favoribus indurentur. Sic intelligimus verba D. Auguſtini contra eorum ingratitudinem, qui compellunt Deum ut ab ipſis recedat. Sic etiam manifeſtus eſt locus Job quoad homines, quos cœli beneficia, rores gratiæ, & Divinæ inſpirationes effecerunt creſcere in eſſe lapidum, & qui è tot favoribus, loco gratiarum actionis, deſumpſerunt indurationem in vitio. Quale crimen ingratitudinibus beneficia Dei expugnare! Idcircò præcipit nobis ipſemet Deus ut ſanctificemus Sabbathum, ſeu dies feſtos, in gratiarum actionem pro beneficiis ab ipſo ſuſceptis. Ego autem deſidero vobis oſtendere in priori parte hujus diſcurſus, quare Sabbathum ſeu feſta inſtituta fuerint; In poſteriori verò modum eorundem ritè obſervandorum deducere.

b Jo. 8. 59. &c.
c D. Hier. l. 2. in Ezech. c. 11.
d ex Joſeph. lib. 7. de Bell. Judaic. c. 12.
e Pſ. 94. 8.
f D. Aug. tract. 62. in Jo. 13. 28. &c.
g D. Aug. tract. 43. in Jo. 8. 59.
h Job. 41. 15.

Diviſio

I. Pars.

Certum eſt igitur Deum omni tempore dignum eſſe ut ipſi ſerviamus, & ipſum adoremus. Sed quoniam tanta eſt infirmitas noſtra, ut non poſſimus ſemper habere animum huic uni exercitio intentum, purà uni Deo ſoli adorando, impediente iſto corpore, quod vel propter neceſſitatem, vel ex pravâ inclinatione pertrahit ad terrena; ſoliqu: poſſint Angeli *i*, vel animæ hoc onere ſublevatæ, cœleſti viſione Dei in gloria fruentes, hanc amare & adorare Divinitatem; Deus noſtro ſe voluit accommodare captui, & diſtinguere tempora, quibus præcepit nobis ut expreſſiùs vacaremus ſervitio ſuo; & hoc eſt quod vocabatur aliàs Sabbathum in Lege veteri, & quod communiter in Lege nova appellamus dies Dominicos & feſtos. Si autem deſideretis ſcire, quare Deus præceptum hoc inſtituerit. Prima hujus ratio innititur memoriæ creationis, Scriptura quippe ſacra *k* nobis fidem facit, Deum, cùm operi admovisset manum ſex diebus Hebdomades ad producendas omnes creaturas, requieviſſe *die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat.* Quapropter Judæi diem feſtum agebant Sabbathum in memoriam quietis Domini in creatione. Attamen Dei Filius, *Verbum caro factum l,* mutavit hoc feſtum in Lege gratiæ; cùm enim reſurrexiſſet *m* die Dominica, & feciſſet ſecundam creationem *n* omnino cœleſtem, majoris momenti erga omnes quàm eſſet prior, præcepit nobis ut celebraremus Sabbathum die Dominica, cùm eadem die è morte ad vitam redierit. Secunda ratio fundatur in promiſſis quietis æternæ: feſtum enim diei Dominicæ poſt totius Hebdomades laborem, docet nos in cœlo, poſt tranſactam in terra medios inter labores vitam noſtram, quiete fruituros eſſe continua, ut ait Deus per Iſaiam *o, Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta.* Requieſcemus à laboribus vitæ præſentis, à tentationibus ordinariis, & à perturbationibus dæmonis, qui nos momentis aggreditur ſingulis. Atqui ſicut Deus prima præcepta in Lege Moyſis inſtituit, & in eadem populo ſuo certa loca deſignavit *p*, in quibus volebat ipſe agnoſci & adorari ſacrificiis exterioribus, precibus, ſupplicationibuſque: ita inſtituit quædam anni tempora, quibus homines ipſum ſpecialiter adorare deberent meliùs quàm qualibet alia tempeſtate. Iſtorum autem feſtorum aut ſolemnitatum alia debebant pluries in anno iterari; ut erat Sabbathum ſeu dies ſeptimus & ultimus hebdomades; alia quæ non celebrarentur niſi ſemel in anno; & hæc erant quinq; præcipua expreſsè à Deo inſtituta nimirū ſolemnitas Azymorum conjuncta feſto Paſchæ, feſtum Hebdomadum ſeu Pentecoſtes, ſolemnitas Tubarū, ſolemnitas Propitiationis, & feſtum Tabernaculorum ſeu Scenophegiæ;

i Iſai 6. 3.
k Gen. 2. 3. &c.
l Joan. 1. 14.
m Marc. 16. 6.
n Iſai. 26. 19.
o Iſai. 32. 18.
p Deut. 12. 5. & 6.

phegiæ;

Digitized by Google

phegiæ; de quibus omnibus loquitur Scriptura ſacta *q*. Præter illas autem ſolemnitates aliæ multæ à Judæis ſucceſſu temporis fuerunt introductæ.

q Levit. 23. 1. &c. & Num. c. 28. & 29.

Intentio autem Dei præcipua in iſtis feſtis celebrandis erat ut induceret homines ad exercendum actum Religionis, ut ipſum agnoſcerent, & adorarent ut primum omnium bonorum ſuorum Authorem. Sed licèt hæc bona, ſeu beneficia à Deo ſuſcepta, ſint ferè infinita, hæc nihilominùs ad ſex præcipua ut inſigniora redegit, ad quorum imitationem alia deinde feſta ab hominibus fuerunt introducta, & id ob duplicem utilitatem inde reſultantem. Prior utilitas ipſis proveniens, eſt ut Deo ſervirent cum majori ardore & pietate, excitati ſuſceptorum memoria beneficiorum, quæ aliquam ſemper exercet poteſtatem ſuper voluntates noſtras, ut ipſis affectum imprimat erga illum, qui ipſis talibus ac tantis ſibi devinxit beneficijs. Sive hoc fieret ratione temporis, quo ſolemnitates celebrabantur, quod erat conforme tempori beneficii ſuſcepti; ſive ratione diverſarum ceremoniarum, quæ talibus obſervabantur feſtis, quæ licèt non eſſent præcisè tempore talium beneficiorum, habebant nihilominùs vim ea repræſentandi, aut exprimendi. Secunda verò utilitas, quæ provenit ex feſtorum inſtitutione, vergit ad gloriam Dei manifeſtandam; poſtquàm enim illi gratias egimus ob ipſius beneficia, quoad ea, quæ nos ſpectant, excitamur ad laudandum eum ac glorificandum, cùm hæc omnia noſtri gratiâ fuerit operatus mirabilia.

Feſtum igitus ſeu ſolemnitas Azymorum, quæ erat conjuncta Paſchæ, quod vocabatur Phaſe, *Menſe primo, quartâ decimâ die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt; & die quintâdecimâ ſolemnitas eſt Azymorum r*, diverſis reſpondebat finibus; Paſcha enim ſeu *Phaſe* fiebat in memoriam liberationis populi Iſraëlitici è manibus & ſervitute Pharaonis, & egreſſus ipſius ex Ægypto. Cùm enim vellet Deus populum ſuum ex Ægypto educere, præcepit ut in ſingulis domibus agnus immolaretur, & in valvarum earundem domorum poſtibus aliquid ſanguinis agni immolati poneretur, ut veniens nocte Angelus à Domino ſuo miſſus ad occidendos omnes Ægypti primogenitos, ſingulas pervadens domos, eas, in quibus ſanguinem poſtibus adhærentem adverteret, velociter pertranſiret, & alias quæreret, in quibus primogenitos internecione deleret. Et quia hic Angelus velociter tranſibat ſine ulla læſione per domos iſtas ſanguine tinctas, feſtum inſtitutum ad celebrandum hoc beneficium, vocatum fuit Phaſe, quod ſignificat tranſitum; *Eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus Domini s.*

r Levit. 23. 5.

s Exod. 12. 11. &c.

Feſtum Azymorum, quod incipiebat *die quintâdecimâ* primi menſis, & durabat ſeptem dies integros, in hoc erat ſitum, quòd Judæi per ſeptem dies continuos deberent comedere panem ſine fermento, & hic panis vocabatur Panis Anguſtiæ, ſeu afflictionis *Septem diebus azyma comedetis t.* Quod ſignificat panem afflictionis, erat enim panis ille aſper, inſipidus, & digeſtu difficilis. Feſtum, quod repræſentabat fugam & velocem exitum ex Ægypto. Rex enim Pharao iracundia percitus ob inſignem ſtragem, quam patrarat Angelus primogenitos omnes interficiens, media *ſurrexit nocte*, & coegit omnes filios Iſraël eadem met hora ex Ægypto diſcedere; & quia jam veſpere præcedente maſſam ex farina compoſuerant ut providerent panem itinerationi ſuſcipiendæ neceſſarium, non potuit tam citò fermentari maſſa, & ſic coacti ſunt illam involvere meliori modo ipſis poſſibili, ſicque eam auferre, & in via paulatim panem faciebant non fermentatum, & vocabatur panis hic azymus. In memoriam ergo hujus exitus ita præcipitis, celebrabant Judæi annis ſingulis per dies ſeptem continuos Azymorum hoc feſtum, *Septem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem; quoniam in pavore egreſſus es de Ægypto, ut memineris diei egreſſionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ u.*

t Levit. 23. 6.

u Deut. 16. 3.

Secundum feſtum, quod erat ſolemnitas Pentecoſtes, celebrabatur quinquageſima die poſt Paſcha, ſeu Phaſe, aut tranſitum Angeli Domini. Vocabatur autem eo modo Pentecoſtes, à pente, id eſt, quinque; & coſte, hoc eſt, decem, quinquies decies, quæ faciunt in ſumma quinquaginta. Hoc feſtum vocabatur etiam ſolemnitas Hebdomadarum, quia erant ſeptem hebdomadæ à die, quo offerebatur manipulus frumenti viridis, qui erat dies tertius Azymorum, & poſt ſeptem hebdomadas celebrabatur Pentecoſte, quod unico tantùm durabat die, & illo die offerebantur primitiæ frumenti novi *x*. Idcircò appellabatur etiam feſtum Primitiarum, & ob id præcipuè fuerat inſtitutum: illo quippe die è ſingulis domibus offerebantur duo magni panes è frumento novo confecti *y*.

x Levit. c. 23.

y Num. c. 24.

Tertium, erat feſtum Tubarum, quod celebrabatur die prima Septembris, & concurrebat cum feſto novæ Lunæ, quod appellabatur Neomenia, inſtitutum in memoriam liberationis è ſervitute, quæ fiebat inter Judæos; ſingulis enim ſeptimis annis celebrabatur annus remiſſionis, & ſi Judæus aliquis ſervituti ſubjiceretur alterius, libertate tunc donabatur, niſi ob alias rationes mallet in ſervitute remanere uſque ad annum Jubilei, qui celebrabatur annis quinquageſimis ſingulis: dimittebantur etiam debitoribus debita, quæ nondum fuerant creditoribus perſoluta, hoc eodem anno ſeptimo *z*. In memoriam igitur, & in gratiarum actionem pro his omnibus beneficiis, quibus cumulati fuerant Judæi, Deo perſolvendarum, celebrabant iidem Judæi annis ſingulis feſtum, quod appellabant ſolemnitatem Azymorum; anno quippe ſeptimo remiſſionis, & quinquageſimo Jubilei, tubæ & buccinæ circumquaque clangentes perſonabant, ut populo ſignificaretur hæc remiſſio, & libertas univerſalis; & ſingulis annis die prædicto feſtum celebrabatur in memoriam hujus beneficij cum clangore tubarum.

z Exod. c. 21. & Deut. c. 15.

Quartum, quod erat feſtum Expiationis, celebrabatur die decimâ Septembris, qua omnes Judæi affligebantur jejuniis, & flagellationibus, & abſtinentiâ macerabantur univerſali cujuslibet rei jocundæ & delectabilis; & vocabatur Expiatio, quia die illa Judæi purgabantur ab omni genere culparum & peccatorum. Hujus autem feſti ſolemnitas in hoc erat poſita, ut populus duos offerret hircos, quorum alter ſacrificabatur pro peccatis populi, alter verò vocabatur emiſſarius. Summus enim Sacerdos altâ voce confitebatur peccata populi, manum imponens capiti hujus animalis, quod poſt à emittebatur, & quod ducebatur ab homine ad id officium ſpecialiter deſtinato; & dicebatur hic hircus portare omnes iniquitates populi; quaſi vellent Judæi per

hanc

hanc cæremoniam exprimere gratiam, quâ à Deo donabantur, ut ſibi dimitterentur peccata, non virtute hujus animalis, ſed contritionis, quam de iis conceperant, quod erat figura noſtræ Confeſſionis *a* Sacramentalis in Lege gratiæ.

a Luc. 13. 3.

Quintum tandem erat feſtum Tabernaculorum, vel Scenopegiæ; ita enim vocabatur, quia die illa conſtruebant Judæi extra domos ſuas parvula quædam tecta è ramis & foliis arborum cõpacta. Nomen hoc venit à σκηνὴ, id eſt, umbra, & phagin, hoc eſt, comedere, veluti comedentes ſub umbra, & ſub his tectis è foliis & ramis arborũ confectis, & hoc in memoriã ejus, quòd, cùm per deſerta deducerentur, perſæpè ſub ſimilibus habitarent tectis eodem modo fabrefactis; & per hanc cæremoniam recordabantur omnium beneficiorum ſibi collatorum per quadraginta annos, quæ erant ferè infinita. Horum omnium meminit Scriptura ſacra *b*.

b Levit. c. 16. & 23. & Num. 28. & 29.

Hæc omnia feſta erant maximè ſolemnia; ſed ſingula unica duntaxat anni celebrabantur vice. Feſtum verò magis ordinarium, & omnium frequentiſſimum erat Sabbathum, quod agebatur una vice ſingulis Hebdomadibus, ut dicitur in locis jam citatis ex Exodo, ubi unum è præcipuis Decalogi mandatis eſt illud, quo Deus nobis ſanctificationem Sabbathi præcipit, *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*, in memoriam illius quod Deus ſex dies primos inſumpſerit ad creationem mundi, ſeptimo verò die ab omni requieverit opere, *Deus requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum: quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo quod creavit Deus ut faceret c.* Cùm Sabbathum nihil aliud ſignificet niſi requiem: illo quippe die Judæi ita debebant requieſcere, ut ne ipſis quidem liceret ignem accendere, nec coquenda vitæ conſervandæ curare ac ſatagere neceſſaria.

c Gen. 2. 2. & 3.

Præceptum, quod erat partim morale, partim verò cæremoniale. Morale, quatenus ſerviebat ædificationi & correctioni morum. Cæremoniale, in quantùm in eo erat aliquid quod à ſola dependebat voluntate. Eligere enim aliquod tempus, vel aliquam horam, quæ inſumatur expreſsè ad obſequium Deo exhibendum, eſt res naturalis, & primum debitum, quod nullo modo dependet à voluntatibus & electionibus noſtris: quòd autem hoc debitum exhibeatur quarto, vel ſeptimo die, cæremonia eſt arbitraria: naturaliter enim loquendo, æquè valebat ut redderetur uno die ac altero. Prima conſideratio eſt ita naturalis, ut quælibet natio aliquam ſemper agnoverit Divinitatem, licet multi erraverint in cognitione veri Dei, cùm ad illam naturæ legibus inducerentur cognitionem *d*. Ab his nec poteſt ipſe Deus diſpenſare; ſed quòd hoc fieret die Sabbathi potiùs quàm alio, hoc dependebat vel è voluntate Dei, vel ex inſtitutione hominum, & non eſt generaliter ab omnibus receptum. Unde fit ut Pagani conſiderantes Judæorum Sabbathum, dicerent, illos ſeptimam vitæ ſuæ partem inutiliter tranſegiſſe, quia die ſeptimo hebdomades ab omni planè occupatione abſtinebant; & hunc ritum cum tanto rigore obſervabant, & cum religioſitate ita exacta, ſeu potiùs ſuperſtitioſa, ut ex iis multi non poſſent induci ad credendum ſibi licuiſſe exercere opera, quæ ex ſe ſunt bona & meritoria, qualia ſunt opera charitatis & miſericordiæ erga proximum. Et hæ ſunt rationes, propter quas Sabbathum & feſta inſtituta ſunt. Supereſt nobis modus eorundem ritè obſervandorum inquirendus in hac ſecunda parte noſtri diſcurſus.

d Rom. 1. 20 & 21.

II Pars.

Modus igitur feſtorum apprimè colendorum, eſt ea in gratiarum actionibus, & in agnoſcendis beneficiis à Divina Benignitate ſuſceptis tranſigere. Cur enim credatis quòd Deus vocetur à D. Joanne, *Principium & Finis e*; Niſi ut intelligamus, quòd, ſicut ex illo habemus omne bonum noſtrum, ita etiam ad illum redire debemus per laudem & gratiarum actionem ei exhibendam? Sed cur etiam putetis bonitatem Dei immenſæ maris *f* abyſſo æquiparari? Niſi quia mare terræ ſuæ viciniæ multos fontes, & fluvios ad ipſios nutritionem & refrigerium ſubminiſtrat; & hi fontes & fluvij omnes ad mare, quod eſt ipſorum & parens & origo, *revertuntur*. Deus autem largitur hominibus ad alimentum & conſervationem ipſorum tam quoad ea quæ corpus, quàm quoad ea quæ animam ſpectant, mille benedictiones & liberalitates, quæ cùm curſum ſuum perfecerint, & aſperſerint & lætificaverint homines, debent ad Deum reverti cùm eâdem inclinatione, quâ ab eo exierant. Sed ibi invenio aliquid magis quàm in mari; ſi enim terra præ grandi gratiarum actione *omnia flumina in mare* remittit, mare non deſiſtit ea in eâdem quantitate producere, & ea denuò ad terram remittere ſicut prima vice: Deus autem noſter intuitus gratias, quas nobis occultè dedit, & inſpirationes, quibus cor noſtrum aperuerat, in lucem prodire, & currere cum tanta rapiditate & tanto impetu ac flumina, & ad ipſum redire per gratiarum actionem, & per grati animi exhibitionem voluntariam ad laudandam Divinam ipſius bonitatem; denuò in corda noſtra mittit per novos & reconditos canales, recentes gratias prioribus copioſiores, quæ nos iterùm inducunt ad multiplicandas ipſius laudes ob mirabile hoc incrementum, & ad exhibendas ipſi novas gratiarum actiones propter novos hos favores, quibus nos copioſè cumulavit.

e Apoc. 1. 8.

f Eccl. 1. 7.

Verùm enim verò Rex Propheta expertus ſe de novo gratiis & favoribus Divinis perfuſum, concludit, ſe nihil amplius Deo habere offerendum, niſi continuam admirationem, & largitatum ipſius Divinarum enarrationem; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & Nomen Domini invocabo g.* Non eſt diffitendum; Deus eſt Mare, multùmque ipſum mare præ liberalitate antecellit; ſed ne cogitetis ipſius aquas eſſe veluti aquas maris, quæ ſunt amaræ & inſipidæ; & licèt flumina ſint dulcia & ſapida, attamen cùm mare ingrediuntur, ipſorum aquæ hãc, quam habebant, dulcedinem mutant in amaritudinem; Contrarium ſiquidem de Deo eſt aſſeverandum; Deus eſt totus dulcedo & bonitas, *Dulcis & rectus Dominus; propter hoc legem dabit h.* Lex ipſius dulcis eſt & ſapida; opera verò noſtra ſunt amara & inſipida: ſed ſi pergant ad mare Bonitatis Divinæ per directionẽ, quam ipſis illuc imprimamus; ſi revertantur ad hanc originem inexhauſtam per gratiarum actionem, & per ingenuam confeſſionem, nos omnia à Deo ſuſcepiſſe, recipiunt mox dulcedinem & qualitatem omninò Divinam. Si enim attentè conſideretis infinitam Dei bonitatem, ſi ſeriò perpendatis immenſam atque illimitatam liberalitatem, quâ ipſe ſuis nos beneficiis & gratiæ donis perfundit & cumulat uberrimis, procul dubio infereтis illum

g Pſ. 115. 3 & 4.

h Pſ. 24. 8.

illum eſſe Mare & Oceanum. Sed ſi benè obſervetis dulcedinem harum aquarum, oportebit ut confiteamini mihi, ipſum eſſe Fontem; hic enim eſt titulus, quem ipſe ſibi attribuit, cum ait, *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam i.* Sed quare, obſecro, vocat ſe Fontem aquæ vivæ? Eſtne aliquis fons, qui non ſit vivus? Si enim fons eſt ille qui ſemper fluit, & omnis fons, ut ſit fons verè, debet ſine intermiſſione fluere, alioquin non eſt amplius fons, ſed potiùs ſtagnum, aut palus, nullus igitur eſt fons, qui non ſit vivus, cujus aquæ non ſint vivæ & ſine intermiſſione fluentes. Quid igitur habet in ſe ſpeciale & proprium, ratione cujus ſe vocet Fontem aquæ vivæ? *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Vultiſne ſcire rationem hujus myſterij? Placet mihi. Sed antequàm vobis illud aperiam, obſervate, quæſo, id, quod recenſent curioſi rerum naturalium & mirabilium Indagatores.

i Joan. 4.14.

Referunt illi inveniri in rerum natura alicubi quendam fontem ita exquiſita qualitate prædium, ut ſi ad oras ipſius concinatur aliqua grata ac jucunda muſica, ſtatim magis, quàm ſoleat, bullet, & bullans & ſcaturiens extra originem ſuam, præ gaudio ſaltare & exultare videatur & præ ſe ferre ſenſibilem voluptatem, qua veluti perfundatur in ſuavi hac & jucunda audienda muſica. Si huic fonti, & omnibus aliis æquali proprietate præditis præbere velimus nomen fontis vivi, quoniam videtur aliquo modo fons iſte ſenſus compos in audienda harum vocum harmonia cum quadam lætitiæ ſpecie, apprimè vocare poterimus cum Pſalmographo *Deum noſtrum Fontem vivum k.* Quia audit voces noſtras, & actiones gratiarum, quas ipſi concinimus, cùm nobis ipſe ſuas communicat aquas. Ideircò advertitis ſanctam Matrem Eccleſiam, quæ eſt magna concha, cui infunduntur aquæ gratiarum & benedictionum Dei, ut earum diſtributionem generalem faciat omnibus fidelibus juxta ſitim aut neceſſitatem, qua ipſi premuntur, ut dicitur in Miſſ. Sabbathi immediatè ante Dominicam Paſſionis, in principio introitus, *Omnes ſitientes venite ad aquas l*; agnoſcentem modum qui efficiet ut hæc origo ſemper fluat, & nunquam areſcat, fieri unum cantum continuum circum fontem; ſicut ipſa videtur deſiderare, dicens per os Sponſi, *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis m:* & ſcientem ſuaviſſimam & maximè harmonicam omnium melodiarum, quæ poſſint illi concini, fore laudes & benedictiones, admirando ipſius fœcunditatem, hortari fideles ſuos ad exhibendas illi has benedictiones in fine omnium Officiorum ſuorum, & Precum præcipuarum, quas Ipſa peragit, ſingulis diebus, dicendo: *Benedicamus Domino.* Ad quæ verba benedictionum ijdem fideles Chriſtiani non æſtumant ſe meliùs poſſe reſpondere, niſi voce communi ac unanimi dicentes; *Deo gratias.* Quaſi dicant, omnes laudes quas ipſi poſſint Deo rependere, in ſumma & compendioſè reperiri in actione gratiarum, quam ipſi exhibent pro univerſis beneficiis à Divina

k Pſ. 41.3

l Eccleſia & Iſai. 55.1.

m Cant. 2.14.

ipſius liberalitate ſuſcepiis. Sicut enim ea omnia, quæ in eo poſſemus ſummis extollere laudibus, quàlia ſunt ipſius Bonitas n, Juſtitia o, Magnitudo p, Æternitas q, Providentia r, & omnia ſuprema illius attributa, quæ eminenter in eſſentiâ ſuâ Divinâ ipſe continet, videntur inſumpta ut noſtris ſerviant commodis ac emolumentis; non poſſumus nec debemus admirari has Divinas perfectiones & ſuprema hæc attributa, niſi ipſi gratias agendo pro utilitatibus quæ ex iis nobis proveniunt; quod exprimitur per hæc duo verba, *Deo gratias.*

n Pſ. 118. 68

o Pſ. 118. 137.

p Pſ. 47. 2

q Dan. 13. 42

r Sap. 8. 1

Si autem deſideretis ſcire quomodo id ſufficiat ad excitandum hunc ſacrum *Fontem vivum*, ut ſuper nos effundat cum majori abundantia novos liquores benedictionum atque gratiarum ſuarum: Ecce in promptu eſt modus, quem obſervare debebimus, cùm Deo noſtro oblaturi ſumus ac immolaturi *Sacrificium laudis, & Altiſſimo vota s* noſtra, ſeu gratiarum actiones reddituri pro univerſis beneficiis, quæ ab ipſius immenſa bonitate atque infinita t liberalitate ſuſcepimus ad ſublevandas noſtras infirmitates ac miſerias, nimirum dicendo duntaxat, *Deo gratias.* Quamnam meliorem namque rem, obſecro, poſſumus formare in ideis & intellectibus noſtris, in animis noſtris gerere, ore noſtro promere vel lingua noſtra exprimere, calamo noſtro in charta exarare, aut ſcriptis mandare, jucundis his verbis gratiarum actionem præ ſe ferentibus, *Deo gratias?* Nihil poteſt magis abbreviatum pronunciari, nihil jucundius audiri, & quod majorem largiatur ſatisfactionem, nihil utilius & majoris meriti fieri, quàm ut à nobis Deo continuæ pro omnibus agantur gratiæ. Hoc autem modo videmur omnem Dei erga nos benevolentiam lucrari, & ipſum inducere ut nobis omnia, quæ deſideramus, præbeat, gratias illi duntaxat agendo pro iis, quæ à Divina ipſius ſuſcepimus liberalitate.

s Pſ. 49. 14.

t Baruch 3. 25.

Videtur autem quòd, ſicut ſecundùm mundi maximas omnia poteſt pecunia, & quòd qui pecuniâ dives eſt, ſe omnipotentem exiſtimat in mari & in terra, in pace & in bello, in agro & in civitate, in negotiis & in commerciis, in palatio & in curia; tandem ſi eſt vobis pecunia, deſiderate quidquid voletis, legibus mundi fertur, nihil fore, quod vobis non concedendum ſit: Eodem planè imò & meliori modo, lege cœli & maximis noſtræ ſalutis fertur, pecuniam acceptabiliſſimam, maximique pretii eſſe hoc verbum, *Deo gratias*, id eſt, actiones gratiarum, quas rependamus Deo pro ſingularibus beneficiis ab ipſo nobis collatis. Habeamus igitur ſemper in corde, & jugiter in ore hæc ſpecioſa & dulcia verba, & deſideremus quidquid voluerimus, illudque infallibiliter impetrabimus.

Non ignoratis in fontibus domeſticis eſſe quaſdam ſeras, quibus tantiſper motis ac volutis, ſtatim aqua diffluit, ac ſi ſera fontis eſſet clavis iſtius theſauri, qui aperitur: Nonne diximus Deum noſtrum eſſe *Fontem vivum?* Scitote autem clavem gratiarum iſtius, & aquarum hujus Fontis vivi non eſſe aliam quàm grati animi exhibitionem, ſeu gratiarum actionem, quam illi exhibemus, & ſecundùm

motum

motum hujus ſeræ vel clavis aquæ diffluunt, & gratiæ Dei in corda noſtra ubertim effunduntur. Hoc autem eſt id omne, quod à nobis exigit Deus; ſcit enim quòd, ſi vellemus ipſi ſolvere favores, quibus nos devinxit ipſe ſibi, & ipſum divitem efficere iis, quæ habemus, turpiter hallucinaremur; omnia ſiquidem ipſius dominio ac poteſtati ſubjacent, cùm ſit *Dominus omnium u*; nulliuſque rei indigeat, cùm ab ipſo dependeant univerſa; *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eget x*; Et quia nihil habemus præter id, quod ab ipſo ſuſcepimus, ſi vellemus ei aliquid dare, oporteret ut eſſet aliquid ex eis, quæ ab illo habemus; vult autem ipſe ut omnia noſtra noſtras inſumantur ad utilitates, & noſtris inſerviant commodis, nec ea ullo modo ſibi vult arrogare; & pro omni gratiarum actione nihil aliud à nobis exigit vice compenſationis, niſi grati animi exhibitionem pro beneficiis, quæ ab ipſo ſuſcepimus.

u Eſth. 13. 11.

x Pſ. 15. 2.

Salutare nobis iſtud ſuggerit hoc in occurſu conſilium Oſee, cùm ait y; *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Conſulo vobis, ait ſanctus iſte Propheta, alloquens unumquemque noſtrûm, ut adeatis ſummam Dei noſtri majeſtatem, & convertamini ad eum per emendationem vitæ veſtræ præteritæ, recipientes vos in meliorem frugem, vivendi modum rationi conſonum obſervantes; & portetis in ore veſtro verba, quibus poſſitis iram ejuſdem Dei placare, & illius indignationem & iracundiam mitigare. Sed quænam vult Propheta ut Divinæ Majeſtati propter hunc effectum offeramus? Dicetis ei, ait Oſee, Obſecramus te, Domine, ex toto corde noſtro, ne malitiæ & iniquitates noſtræ, quibus iram tuam irritavimus, & quæ omnia Divinæ juſtitiæ tuæ merentur fulmina, impediant quominùs amorem tuum nobis conciliemus, & benevolentiam tuam poſſideamus. Afferimus tibi aliquid boni, *Accipe bonum.* Quid autem poſſumus illi boni offerre pro debita ſatisfactione peccatorum & criminum, quorum ſumus conſcii? Acceptabitne vitulos, aut arietes, aut boves, aut agnos, aliave quævis animalia, quæ ipſi immolare & ſacrificare valeamus? Sic eſt; *Vitulos* enim vult & exigit à nobis, ſed vitulos, qui non offerantur manibus noſtris, ſed labiis noſtris duntaxat; *Et reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Promittamus illi, nos ipſi præſentaturos eſſe ſacrificia laudum, & gratiarum actiones, & tunc poterimus ab illo polliceri nobis omne genus gratiarum & benedictionum, quibus nos ipſius Divina bonitas eſt perfuſura, *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei z.* Eſt igitur *ſacrificium laudis*, quod Deus exigit à nobis.

y Oſee 14. 3.

z Pſ. 49. 23.

Foretne fortaſſis ob hanc cauſam quòd Antiqui referuntur conſueviſſe extrahere priùs linguam animalis, quod erant ſacrificaturi, eamque tradidiſſe præconi, qui buccinâ ſacrificium publicaturus erat mox peragendum, rati linguam fuiſſe indignam quæ diis eſſet offerenda, cùm ipſis videretur portio animalis peſſima, ideòque tradebant eam illi, qui ſuam venalem exhibuerat ac mercenariam? Ego verò, licèt hanc non improbem opinionem, exiſtimo quòd ſicùt finis ſacrificiorum erat ad impetrandum à Deo aliquod beneficium novum, volebant illi promittere ſe ei gratiarum & laudis actiones relaturos, quarum pignora interim præbebant certiſſima, collocantes linguam animalis in manibus præconis, ut ſignificarent ſibi ſuperfuiſſe adhuc linguam, quæ non erat combuſta, nec ſacrificio conſumpta, ſed integra conſervata, ut Dei perſonaret laudibus, à quo hanc expectabant gratiam. Et veluti ſi Propheta vellet nobis oſtendere, Deum delectari magis his laudibus, quàm quolibet alio ſacrificio, ait vice illius, *Sacrificium laudis honorificabit me.* Quod idem eſt quod Oſee conſuluit nobis, dicens, *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.*

Sed ſi petatis magis in ſpecie obſervandi diei Sabbathi modum; nihil amplius vobis dicam quàm id quod in Lege ſcriptum eſt; *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.* Oportet illum facere ſanctum. Hoc autem verbum duobus poteſt intelligi modis. Aliqua enim res eſt ſancta, cùm eſt omnino pura, *Sed abluti eſtis ſed ſanctificati eſtis*, ait D. Paulus *a*. Ubi verbum hoc, ſanctum, uſurpatur pro eo omni, quod eſt Deo conſecratum, ſicut loca, veſtimenta, & vaſa, quæ ſunt Deo conſecrata, ſunt ſancta; ita dicendum eſt de tempore; oportet enim ut diebus Dominicis & Feſtis ſimus puri, ſimus ſancti, noſque totos Deo integrè conſecremus. Idcircò ad benè celebranda Feſta, ſciendum eſt à quibus vobis ſit abſtinendum, quæ hanc impediant puritatem, & quid agere debeatis, ut apprimè huic Divinæ vos conſecretis Majeſtati. Primum igitur, à quo vobis eſt abſtinendum, eſt ne alicui operi ſervili, hoc eſt, corporali vacetis, quia actiones ſpiritus ſunt actiones libertatis. Poteſtis nihilominùs labori incumbere corporali diebus Dominicis & Feſtis, cùm neceſſitas eſt manifeſta, quando Eccleſia veſtro indiget labore, aut proximus operam veſtram deſiderat; & qui poteſtatem ſuper vos habet ſpiritualem, laborem vobis præcipit, aut permittit. Qui enim Domini ſervis & famulis ſuis præcipiunt ut operi incumbant manuali ſine ulla neceſſitate diebus Dominicis & Feſtis, hoc tranſgrediuntur mandatum; ſicut & ſervi & famuli, qui illis gerunt morem. Secundò, Debemus nos abſtinere à peccato præcipuè his diebus ſacris, quia peccatum eſt maximè ſervile omnium operum quæ peragi poſſint. *Quia omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati b.* Qui verò peccat lethaliter die Feſto, magis peccat quàm ſi alio peccaret; quia magis tenetur ſe ſanctificare die illo, quàm aliis. Oportet enim ut feſta inſumantur tantùm ad ſtudia ſanctarum Literarum, ad ſacrificia, & ad exercitia rerum Divinarum. Sacrificium veſtrum debet eſſe præcipuè, ut veniam petatis à Deo omnium peccatorum per hebdomadæ decurſum commiſſorum, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus non deſpicies c.* Exercendus eſt de iis actus contritionis; hæc Deus his à nobis diebus exigit, quæ ſunt gaudia animarum noſtrarum. Si per commoditatem veſtra, debetis bona ſacrificare veſtra in gratiam pauperum magis his diebus quàm aliis, quia hi ſunt dies gaudii univerſi. Studium bonarum Literarum conſiſtit in audiendo Dei verbo; Officiis, quæ canuntur in Templo vel in

a 1. Cor. 6. 11.

b Joan. 8. 34.

c Pſ. 50. 19.

Eccleſia, Miſſæ, Veſperis, benedictioni ſanctiſſimi Sacramenti præſentes vos præbendo. Idcircò debetis eſſe liberi diebus illis ab omni inquietudine peccatorum, & concupiſcentiæ, & occupationum hujus mundi; nec exiſtimetis vos ritè obſervare hoc mandatum, niſi præfatis negotia Dei rebus domeſticis, ſtudium ſanctarum Literarum deſideriis inordinatis, & peccatum deſeratis, dolentes de præteritis, eorumque veniam à Deo poſtulantes. Eo pacto incipietis Sabbathum gratiæ in hoc mundo, ut fruamini tandem Sabbatho gloriæ in requie ſempiterna.

FERIA III. POST DOMINICAM IV. ADVENTUS.

Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.
Matth. 7. 12. &c.

VEra regula amoris erga proximum deſumenda eſt ex amore, quem Deus, & Filius ipſius Jeſus Chriſtus exhibuerunt, & adhuc exhibent hominibus, qui eſt univerſalis reſpectu omnium, cùm neminem excludat, nulluſque ſit numerus, qui immenſis Divinæ Charitatis extenſionibus præſcribat limites, ut teſtatur Salomon *a*, Deum
a Sap. 11. 25. alloquens, *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Deus omnes amat homines, qui ſunt opera manuum ſuarum, qui ſunt veræ ipſius imagines, & qui glorioſis ſimilitudinis *b* ipſius characteribus inſigniti ſunt,
b Gen. 1. 27. capaces gratiæ, & ad gloriam vocati, cùm ſint *redempti pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati c, qui Solem*
c 1. Petr. 1. 16. & 19. *ſuum oriri facit ſuper bonos & malos d*, cùm generatim omnes diligat. Chriſtus verò Filius
d Matth. 5. 45. ipſius ac Magiſter noſter inſtituit nobis præceptum amoris exemplis ſuis non ſecus ac verbis ſuis erga proximum, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos e.* Cum tanto nos amavit exceſſu ut vi-
e Joan. 13. 34. tam ſuam profundere non timuerit, ut noſtræ
f Joan. 10. 11. conſuleret *f*; illuminat nos gratiis ſuis, quas copioſiſſimè effudit in animã ſacratiſſimæ Virginis Mariæ Matris ſuæ, cùm ſe incluſit in ſinu illius cum omnibus gratiis ſuis eo momento, quo dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

Dicebam vobis nuperrimè, defectum amoris proximi maximam irrogare injuriam communitati hominum, Verbo incarnato, & Spiritui ſancto, propter rationes tunc temporis allegatis. Hodierna verò dicam ideo, grave inferri Eccleſiæ detrimentum, cùm non amatur proximus, qui eſt illius membrum. Cùm Eccleſia ſit *corpus* myſticum compoſitum ex omnibus fidelibus ſub uno Capite quod eſt Jeſus Chriſtus *g*, veluti tot membris, hoc eſt honorem e-
g Epheſ. 1. 22. & 23. jus lædere, & impedire ne infideles ad gremium ejus confugiant. Sicut autem Circumciſio *h*
h Levit. 12. 3. erat Judaiſmi nota, & quicumque Circumciſionem annihilaſſet, Judaiſmum quodammodo ad nihilum redegiſſet; ita Chriſtianiſmi nota eſt amor mutuus Chriſtianorum ad invicem, & quicumque annihilat hunc amorem, redigit, quantùm in ipſo eſt, Chriſtianiſmum ad ni-
i Joan. 13. 35. hilum; *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem i*, dicebat Author Chriſtianiſmi. Si igitur mutuo vos non proſequimini amore, mei non eſtis diſcipuli, nec ego conſequenter ſum Magiſter veſter, cùm Magiſter & diſcipuli correlativa ſint ab invicem inſeparabilia. Schola autem prorſus deſtruitur, in qua nec Magiſter nec diſcipuli inveniuntur.

Eccleſia Chriſtiana eſt portus ſalutis; In eam ingrediendum eſt, ſi acceſſus ad paradiſum requiratur. *Mons* eſt ab Iſaia *k* prædictus, *& fluent ad eum omnes gentes.* Et univerſi populi illuc convenire debent: Eſt ille *k* Iſai. 2. 2.
parvus *lapis*, qui ita magnus evaſurus eſt ut impleturus ſit *univerſam terram l.* Eſt parvum granum *ſinapis, quod fit arbor, ita ut volucres* *l* Dan. 2. 35.
cœli veniant, & habitent in ramis eius m. *m* Matth. 13. 31. & 32.
Quod autem impedit extenſionem hujus Eccleſiæ ac incrementum, eſt defectus amoris mutui: ſicut è contrà id quod invitat infideles ut in eam ingrediantur, & inducit eos ut eam pluris æſtiment, eſt pax & unio quæ inveniuntur inter Chriſtianos, qui ſunt illius membra myſtica. Eam miracula nunquam ſic ſtabiliverunt, ac illam ſtabilit amor, & nihil æquè impedit Paganos ne convertantur, ac cùm vident defectum hujus amoris in Eccleſia, *quæ eſt terribilis ut caſtrorum acies ordinata n*, ac
invincibilis, quando milites ipſius ſunt benè *n* Cant. 6. 9.
ordinati & uniti amore, qui operatur hoc in ipſa. Cùmque ſacratiſſimum Altaris Sacramentum ſit ditiſſimus hujus Eccleſiæ decor, fueritque inſtitutum ut cauſaret amorem inter Chriſtianos *o*, ſi deficiat hic amor, privatur ipſum fine ſuo. Deus igitur præcipit nobis *o* 1. Cor. 10. 17.
amare proximum noſtrum, Primò, honorando parentes noſtros: Secundò, nullum *Diviſio.*
malum illi inferendo in propria perſona, in bonis, in fama opere, verbo, aut cogitatione; quod videbimus in duabus partibus hujus diſcurſus complectentibus quinque præcepta Dei intuitu proximi: reſervantes craſtinâ die tractare de malo quod irrogatur perſonæ ipſi conjunctæ, opere, vel cogitatione, ſuper reliquis duobus præceptis, quibus finietur Adventus.

Amorem Dei igitur ſequitur amor proximi, quem debemus obſervare primò in per- *I. Pars.*
ſona parentum noſtrorum, quibus magis alligati ſumus & addicti, *Honora patrem tuum, & matrem*

p Exod. 20, 12. *matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram p.* Honor iſte fundatur ſuper tribus favoribus, quos à noſtris ſuſcepimus parentibus; ipſi enim dederunt nobis eſſe, alimenta, & diſciplinam ſeu inſtitutionem; id eſt, ipſi docuerunt nos, vel nos docendos curaverunt ea, quæ ſcire tenebamur ſecundùm ſtatum, quem ſumus in hoc mundo ſortiti. Hæc eſt doctrina D. Thomæ q citati à Cornelio, nimirum, q D. Th. Opuſc. 7. apud Cornel. in Deut. 5, 16. inter alia, poſt Deum præcipi nobis ſtatim ut honoremus parentes, ob convenientiam, quam habent cum Deo. Primò enim ſtabilunt nos quoad eſſe, *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris; memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes r.* r Eccli. 7. 29. Secundò, Subminiſtrant nobis alimenta, victum, & veſtitum. Tertiò, Præbent nobis educationem, quâ timeamus Deum, & abſtineamus ab omni peccato s; s Tob. 4. 6. &c. omnibus quæ ad fidei noſtræ myſteria, Chriſtianæ Religionis noſtræ munia, & bonos mores ſpectant, nos informantes.

Quoad eſſe, quod præbuerunt nobis, majorem debemus illis honorem, quàm ſervi & famuli ſuis exhibeant Dominis; ita ut debeamus illos ſine intermiſſione venerari ut Dominos noſtros, velut Reges noſtros, & eos, coram quibus tremere debeamus; cùm, poſt Deum, eſſe noſtrum & vitam noſtram è parentibus noſtris hauſerimus. Poſtquàm præbuerunt nobis eſſe, nos in ſuis inſtruxerunt domibus cùm magno ac incredibili affectu, nec minori ſolicitudine; ratione cujus, inquantùm erit in nobis, tenemur eis alimenta ſubminiſtrare, ſi iis fortaſſis indiguerint, maximè verò in ſenectute. D. Thomas t ait filios t D. Tho citat. loco ubi ſuprà. recipere vitam à parentibus eo planè modo quo milites recipiunt feudum à bonitate Principis, ea ſcilicet conditione interpoſitâ, quòd ſi fideles ſint in obſequio ipſi exhibendo, pacifici futuri ſint illius poſſeſſores, & conſervatores; ſin autem, tali beneficio Regio privari & ſpoliari debeant. Huic conſonat exemplum ciconiarum; inſientes enim hæ aves parentes ſuos nimis confectos ſenectute, & pennis præ ſenio deſtitutos, ſuis eos operiunt plumis, & circumquaque pervolant ut inquirant alimenta, quæ ipſis porrigant ac ſubminiſtrent, & ſic reddant illis id, quod ab iis in ſua receperant juventute, conantes illorum juventutem renovare, ſuis ſatagentes curis præbere illis vitam, quam anteà ab iis acceperant. Et tamen non pudet filios hominum videre parentes ſuos magna oppreſſos neceſſitate, dum ipſi copioſa rerum omnium accommodatarum abundant ſupellectile ac diteſcunt. Non eſt hoc ſanè eus honorare; honor enim iſte, quem Deus nobis præcipit erga illos, complectitur primò amorem; ſecundò reverentiam interiorem & exteriorem; tertiò obedientiam, de quâ loquar vobis modò; quartò auxilium in ipſorum neceſſitate. Hæc omnia continentur ſub hoc verbo, *Honora*, ut ait idem Cornelius u.

u Cornel. loco ſuprà. Sicut nos docuerunt, aut curarunt edocendos ea, quæ ſcire tenebamur, debemus illis obedientiam filialem, hoc eſt, in omnibus, quæ non ſunt contra Deum, nec adverſùs animam noſtram; *Filij, obedite parentibus per omnia*, ait D. Paulus x, qui nullam x Coloſſ. 3. 20. profert exceptionem. Ita ut qui non facit patris ſui voluntatem, modò non præcipiatur ipſi ab eo aliquid contra conſcientiam, lethali ſe obſtringat peccato, ſi res præcepta & contempta, ſit gravis momenti; & tranſgreditur hoc præceptum, quod non ſolùm exigit obedientiam, ſed præterea auxilium corporis, amorem, & reverentiam, ut jam vobis dixi, eo planè modo quo hæc Regibus & Dominis noſtris exhiberemus temporalibus; ipſi enim ſunt viſibiles hujus mundi divinitates. Honorandi ſunt igitur à nobis parentes noſtri, ut longinquam in terra tranſigamus vitam, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Quam D. Hieronymus y explicat y D. Hier. in Epiſt. ad Epheſ. 6. citat. à Cornel. loco ubi ſuprà. de *terrâ viventium z.* z Pſ. 141. 6. Id eſt, de cælo. Hæc terra viventium, & non morientium, non poteſt quin præbeatur bonis filiis. Certum quippe eſt, eam denegandam eſſe illis, qui non ſunt tales quales eſſe debent, ut ritè nomen repleant filiorum.

II. Pars. Ut benè proximum amemus noſtrum, non ſolùm tenemur ei bonum procurare, aut ſaltem velle; ſed prætereà prohibetur nobis expreſsè ne ullum ei inferamus malum, ſive perſonæ ipſius, ſive bonis, ſive famæ, opere, verbo, aut cogitatione. Malum autem, quod perſonæ ipſius inferre poſſumus, omnium graviſſimum, eſt ei vitam eripere, & illum occidere; ideoque prohibet Deus ne morti tradatur à nobis proximus noſter, *Non occidet a.* a Exod. 20. 13. Hoc multis accidere poteſt modis, vel manu, ut faciunt gladiatores, & quicumque occidunt homines; illi enim omnes non ſolùm peccant contra charitatem, per quam tenentur amare proximum ſuum, hoc Dei tranſgredientes mandatum; ſed etiam contra naturam, quæ exigit ut omne animal amore proſequatur illud, quod eandem habet cum ipſo naturam, ut ait Eccleſiaſticus b, *Omne animal diligit ſimile ſibi; ſic & omnis homo proximum ſibi.* b Eccl. 13. 19. Et in hoc pejores efficiuntur lupis, qui recenſentur ordinariè non comedere ſemetipſos ad invicem, cùm homines perſæpè fraterno lætentur ſanguine.

Secundus occidendi modus, linguâ peragitur, cùm præbetur alicui conſilium ad mortem alteri inferendam; vel provocatur quis ad exercendam tetram hanc actionem adverſùs proximum; aut cùm hic proximus accuſatur. Prætereà, Accidit occiſio vel auxilio, vel conſenſu, cùm quis poteſt eam impedire, nec illam impedit. Iſti ſolum interimunt corpus. Qui verò in peccatum faciunt incidere, occidunt animam c. c Ezech. 18. 4 & 20. Quæ verò matres inhumanæ fœtum ſuum adhuc in utero inclauſum perimunt, corpori ſimul ac animæ vitam eripiunt. Imò verò ij qui ſeipſos occidunt, tranſgrediuntur hoc mandatum, quod prohibet ne quis occidat alium, aut ſemetipſum, cùm nulli liceat authoritate privatâ mortem alij, vel ſibi inferre, quod ultimum nec publicæ conceditur. Sed prætereà non ſolùm, quatenus Chriſtiani, cavere debemus à quâlibet occiſione patrandâ; ſed inſuper reſcindendæ ſunt nobis omnes percuſſiones, rixæ, diſſenſiones, & iracundiæ quæ eò tendunt, & ſunt diſpoſitiones pravæ ad patrandum homicidium. Ita ut hoc præcepto prohibeatur nobis conſervare odium internus in corde adverſùs noſtrum fratrem, etiamſi nobis injuriam irrogaverit; nam, ut ait D. Joannes d, d 1. Joan. 3. 15. *omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt;* hoc

hoc eſt patrare homicidium, & tranſgredi hoc mandatum Decalogi. Nec verò duntaxat ſufficit iram è corde averruncare, ſed nec etiam eam ore debemus promere injuriis, & verbis aſperis, rudibus, & indignationem præ ſe ferentibus, quæ nullo queant modo charitati ſociari, & cum eâ ſubſiſtere.

Hic complector verba acria, contemptus, deviſiones, & contumelias, quæ projiciuntur in medium, ut derideatur quis propter defectus aliquos gravis momenti, quod eſt contra charitatem. Præcepto enim amandi proximi, tenemur eum diligere ſicut nos ipſos, & hanc regulam obſervare, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Nemo autem talibus vellet excipi verbis, quæ ex iracundia procedunt, bilemque accendunt ac provocant, ſicut & verbis rixæ, aut contentionis; quia *charitas non irritatur e.* Verus Chriſtianus, qui profitetur ſe [e 1.Cor.13 4. & 5.] aſpirare ad conſummationem juſtitiæ Chriſtianæ, non debet rixari, nec verbis cum aliquo contendere, ſed debet eſſe mitis & manſuetus erga omnes, ut ipſi conſulit Apoſtolus *f*, dicens, *Servum Domini non oportet litigare,* [f 2. Tim. 2. 24.] *ſed manſuetum eſſe ad omnes.* Perſæpè autem id, unde naſcitur formandæ diſſenſionis occaſio, res exigui deprehenditur eſſe momenti. Reſcindenda ſunt igitur hæc omnia verba acria, & adhærendum eſt conſulenti nobis Apoſtolo *g*, *Sermo veſter ſemper in gratiâ ſale ſit* [g Coloſſ. 4. 6.] *conditus: ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.* Tandem, Per effecta nunc eſt hæc ira manifeſtanda; ita quippe eſt contra miſericordiam & juſtitiam: Chriſtus verò Dominus noſter veluti bonus Medicus non ſolùm intendit ſanitatem nobis impertiri; ſed etiam impedire ne in morbum incidamus; idcircò dicebat in monte, in quo perfectionem diſcipulis ſuis prædicabat Evangelicam: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides: Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio h.* Id eſt, pœnæ à Lege latæ iratum efficietur obnoxius.

[h Matth 5.21. & 22]

Prohibita injuriâ propriæ perſonæ proximi irrogandâ, prohibet Deus malum bonis ipſius inferendum medio furto, *Non furtum facies i.* [Exod. 20. 14.] Quod poteſt diverſimodè peragi; veluti clàm, ut faciunt latrones, qui nocte furantur; aut per violentiam, ut fit à militibus circumquaque extorquentibus; & à Principibus, cùm tributa imponunt, quæ non ſunt ſecundùm juſtitiam; & à Dominis, cùm non ſolvunt ſervis & famulis eas, quas debent illis impendere, mercedes ob ipſorum operas. Præterea, Furtum committitur exercendo aliquem dolum & aliquam fraudem in venditione & emptione mercium, ſicut fit ab iis, qui juſtis non utuntur ponderibus, & qui menſuras habent abbreviatas. Caupones furti efficiuntur conſcij, cùm cibos hoſpitibus apponunt ementitos, vinumque miſtum eis propinant, aut depravatum; ſicut & illi qui ſuam tradunt pecuniam ad uſuram, vel frumentum, aut aliud ſimile. A furto non excuſantur qui dignitates & officia contra Jus retinent publica. Eidem obnoxii ſunt ſceleri famuli & ancillæ, qui nullam ſuſcipiunt bonorum Dominorum ſuorum curam, ſic ut diſſipentur ferè omnia; quibus per conſequens non debetur merces, ſi eam exigant. Hoc peccato ſe inquinant operarij, qui operas perfunctoriè obeunt ſuas, & tres circa eas inſumunt dies, circa quas duo tantùm ſufficerent. Latrocinij rei ſunt juſtitiæ Præfecti, qui exigunt mercedes ipſis indebitas, qui, veluti hirudines, ſanguinem ſugunt, nec tamen unquam ſatiantur, qui apprimè excoriant ovem ſine multo ſtrepitu, pauperemque devorant, ita ut ſi ipſorum veſtimenta ſicut & uxorum ſuarum torculari ſupponerentur, ex iis exprimeretur ſanguis egenorum, ut ait eis Propheta *k*, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum* [k Jer.2. 34.] *pauperum, & innocentum.* Et de quibus poſſet etiam dici id, quod dixiſſe refertur Xenocrates quodam in occurſu; de eo ſiquidem narratur, quòd cùm videret reum quendam duci ad furcas, in riſum eruperit; & interrogatus, quare hoc? apprimè reſpondit: Nunquid non juſtâ rideo ratione? quia magni fures parvos ducunt, ut eos ſuffigant patibulo.

Omnes illi ſunt latrones, nulla factâ mentione plurium aliarum conditionum perſonarum, inter quas eſt videre hoc malum, *A minore uſque ad majorem omnes ſtudent avaritiæ l.* [l Jer. 6 13.] Ita ut hi omnes faciant contra hoc præceptum Dei. Si autē deſideretis ſcire quid ſit furtum, vultis veſtris annuo, cùm dico, furtum non eſſe aliud niſi ablationem bonorum proximi contra ipſius voluntatem, *Furtum eſt ablatio rei alienæ invito Domino.* Atqui cùm aliquis clàm ſurripit alteri rem aliquam contra ipſius Domini ignorantis voluntatem, hoc dicitur furtum. Si intervenit vis aliqua, ſeu violentia, illud dicitur rapina. Cùm verò fur accepit in Eccleſia materiali, aut alibi rem obſequio Dei conſecratam, id appellatur ſacrilegium. Furtum igitur eſt ablatio facta contra juſtitiam; non enim eſt furtum accipere id, quod ad ſe pertinet, ubicumque reperiatur, vel id quod juſtitiæ decreto, ratione alicujus criminis, fiſco addictum fuit. Sic filii Iſraël eripientes divitias Ægyptijs *m*, & volentes accipere re- [m Exod. 12.35. & 36.] liqua quæ Ægyptij iidem habebant, nullum commiſerunt furtum; quia ſic Deus id ſtatuerat *n*, ut nimirum iidem Ægyptij propter cri- [n Exod. 3. 21. & 22. &c.] mina ſua punirentur.

Eſt igitur *furtum ablatio rei alienæ invito Domino.* Quod magnam indicat ipſius gravitatem & malitiam. Primò enim adverſatur omnibus Legibus: Eccleſia v.g. præcipit vobis ut jejunetis vigiliis, quatuor temporibus, & Quadrageſimâ: non jejunatis; contra legem agitis, ita ut peccatum ſit actio contra Legem Dei. Unde ait S. Auguſtinus *o*, *Peccatum eſt dictum, factum, vel* [o D. Aug. l. 22. adverſus Fauſt. c. 27.] *concupitum aliquid contra Legem Dei æternam.* Hoc ſuppoſito, ſi actio quæ tranſgreditur unam Legem, eſt peccatum; actio quæ plures tranſgreditur Leges, erit majus peccatum: Atqui furtum non ſolum Legem Divinam, ſed etiam humanas Leges tranſgreditur: Sequitur igitur, illud eſſe magnum peccatum. Divinam lædit Legem, quâ fertur, *Non furtum facies.* Naturæ Legem violat, quæ ait, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias p.* Legem offendit ſcrip- [p Tob. 4 16.] tam, quæ eſt eadem Lex Dei. Legem gratiæ infringit ſeu Evangelicam, quæ eſt eadem, cùm pluribus in locis æquè ac utraq; furta prohibeat *q*. [q Matth. 19. 18. & Luc. 18. 20.] Contrarium eſt Legi Civili, quæ illud ſub gravibus vetat pœnis, & ſuſpendio pœnaque capitali illud multat. Legi tandem adverſatur Canonicæ, quæ hujus convictos criminis, infames penitus eſſe declarat.

Semiramis uxor Nini Aſſyriorum Regis, ſepulchro, quod adhuc vivens ſibi conſtruendum præceperat, hanc addi ſategit inſcriptionem, ut refert Calepinus *r* *Quicumque Rex pecuniis indiguerit, patefacto monumento, quod voluerit accipito. Quâ ſpe adductus Darius, ſublato lapide pecuniarum nihil invênit, ſed alias reperit literas, in hanc ſententiam; Niſi malus vir eſſes, ac nummis inſatiabilis, cadaverum loculos non moveres.* Eò pervenit hodie avaritia Chriſtianorum inexhauſta, qui omnes excogitant modos poſſibiles ut rem familiarem augeant, ut diteſcant etiamſi per fas aut per nefas, ita ut etiam mortuorum monumenta perſcrutentur non ſecus ac Darius, qui aliquando Babylonem veniens, & pergens ad ſepulchrum ſupradictæ Reginæ, quæ eandem Babylonem muro cinxerat literitio, cùm eſſet ditiſſima theſauros illinc auferre ſibi fuerat pollicitus: violantes ipſorum requiem defunctorum, ut eorum bona & hæreditates injuſta ſibi vendicent uſurpatione, tranſgredientes hoc pacto omnes Leges Divinas & humanas, ut parum auri ac argenti in detrimentum & ruinam proximi ſui ſibi comparent.

r Calepin in Dictiõ. v. Semiramis, ex Plutarch, in Apophteg.

Tempore conditionis fortunatæ juſtitiæ originalis, ſeculo illo aureo innocentiæ primorum Parentum *s*, quo peccatum nullum ſibi in mundum patefecerat aditum, nec ibi obtinebat imperium, hæc duo pronomina, meum, & tuum, nullâ indigebant Lege quæ furtum prohiberet; quia cùm omnia eſſent communia, nulla erat diſcordiæ cauſa: unuſquiſque habebat quod ipſi erat ſatis, nec plus deſiderabat. Non quòd omnes homines debuiſſent eſſe æquales in omnibus, cùm tunc fuiſſent futuri & Domini & famuli; nec omnes æquales in ſcientia; non fuiſſent omnes ſimiles in potentia & in authoritate: Sapientiſſimus alios gubernaſſet eodem modo, quo inter Angelos intervenit aliquis ordo, & aliqua eſt differentia authoritatis, ſcientiæ, & cognitionis. Sed quoad poſſeſſiones, agros, animalia ferocia æquè ac domeſtica, hæc univerſa fuiſſent omnibus communia, unuſquiſque ſufficientia ſibi credidiſſet ea, quæ propriis ſerviiſſent uſibus. Idcircò non ignoramus, quòd in primitivâ Eccleſiâ, quæ receperat aliquid primæ innocentiæ, *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat t*; & ut meliùs diſponerentur ad fugiendas perſecutiones, quas ipſis Tyranni machinabantur, *vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum u*, illa magis indigentibus, conformiter ad ipſorum neceſſitatem, diſtribuentium cum inviolata fidelitate, inſtar verorum patrum familias. Attamen hæc prima ſanctitas, ad quam omnes Chriſtiani aſpirare tenentur, hodiernâ die ſic eſt infirmata, ut unuſquiſque commoda ſua in alienæ utilitatis diſpendium promovere ſtudeat. Sed parùm eſſet etiam, ſi non dando quod ſuum eſt, non retineretur, aut non ſurriperetur injuſtè id quod ad alios pertinet; & niſi per hunc agendi modum à rationis Lege devium omne genus Legum infringeretur furto, quod eſt crimen graviſſimum.

s Gen. 2. 7. &c.

t Act. 2. 44. & 45.

u Act. 4. 34.

Quia pro ſecunda ratione contrarium eſt charitati, quæ eſt virtutum omnium longè maxima. Ut autem concipiatur hæc ratio, Sciendum eſt, peccatum eſſe eò gravius quò majori virtuti eſt oppoſitum, v. g. infidelitas eſt magnum peccatum, quia eſt oppoſita fidei, quæ eſt prima virtus Theologica: Atqui peccatum furti eſt oppoſitum virtuti maximæ, & omnium virtutum nobiliſſimæ, nimirum charitati, quæ imprimis Deum reſpicit, & poſteà dirigitur ad proximum. Unde facilè concludere poteſtis, quàm magna debeat eſſe gravitas & malitia hujus peccati. Virtute charitatis Chriſtianæ tenemur diligere proximum noſtrum, deſiderare illi bonum, imò verò ei facere, cùm neceſſitas id à nobis exegerit, & ad id noſtræ ſuppetiverint vires ac facultates, ut illius ſublevemus miſerias: Sed furtum omnino contrarium peragit, detrimentum quippe proximo irrogat in bonis, &, ſi poſſet, omnia ei eriperet, & univerſa ab eo auferret, nihilque præter illius ruinam machinatur, dummodò diteſcat. Et ſicut magnitudo Chriſtianæ perfectionis ſita eſt in compaſſione alienæ miſeriæ, ſeu in miſericordia ſicut Dei Filius dicet electis, *cùm venerit in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo x:* ita malitia furti conſiſtit in opprimendis aliis ſine compaſſione miſeriæ ipſorum, & abſque ullâ miſericordiâ.

x Matth. 25. 31. &c.

Tertia ratio, quam affero ut oſtendam, furtum eſſe omnium peccatorum, quæ unquam committi poſſunt, maximum, eſt, Quòd, cùm magis extendatur quàm cætera, cùm inveniatur in omnibus conditionibus, ſit etiam dimiſſu difficilius; auſimque dicere hoc peccatum non eſſe minus peccato homicidij; imò verò ulteriùs progredior, & aſſero illud eſſe periculoſius, quia omnibus alijs peccatis ſatisfieri poteſt per *pœnitentiam y*, ſed iſti difficillimè, ne dicam impoſſibiliter, quia fur agendæ reſtitutioni eſt addictus. Præterea, Quod latrocinio comparatum eſt, nunquam, aut raro latroni prodeſt; imò verò ſæpè id cauſa eſt, ob quam ea quæ anteà habebat, diſſipentur, cùm vulgò dicatur, *Malè parta, malè dilabuntur.* Pater verò qui fuit latro, obligat ſuos filios ad agendam reſtitutionem eorum, quæ furatus eſt ipſe in vitâ ſuâ. Eſt igitur reſtituendum. Si verò dicatis vos Confeſſione veſtra expiaturos eſſe furta. Reſpondeo, hæc omnia nihil vobis eſſe profutura; Confeſſiones enim veſtræ erunt ſacrilegæ, niſi reddatis id quod rapuiſtis, aut quod retinetis jam à longo tempore. Confitemini quantùmcumque volueritis, veniam à Deo poſtulate, nulla vobis concedetur indulgentia, niſi reſtitutionem agatis, ſuppoſito quòd in vobis ſit ut eam peragatis. Si ſacrum Dei nomen juraviſtis; ſi contra Deum & Sanctos ejus blaſphemaviſtis, & ſimilia crimina patraſtis; ſi confiteamini cum dolore & contritione, hæc omnia vobis dimittentur: Sed latrocinij, & injuriæ à vobis proximi veſtri bonis illatæ abſolutionem nunquam accipietis, quin ea reparetis per reſtitutionem, *Quoniam regula eſt Theologorum & etiam Legiſtarum, quod non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, ait D. Vincentius Ferrerius *z*.

y Ezech. 33. 21. &c.

z D. Vincẽt. Ferr. Serm. 2. infra Oct. Epiph ex 14. q. 6. Si res.

Sian-

Si autem ſcire velitis quid ſit reſtitutio; D. Thomas *a* ait, eam eſſe actum juſtitiæ commutativæ, per quam alij redditur id quod ad ipſum pertinet; ubi compenſatur injuria, quæ ipſi irrogata fuit. Sic cùm redditis id, quod furati eſtis, aut malè vobis comparaſtis, aut retinetis; tunc reſtitutionem facitis; & niſi eam faciatis, nunquam ſalvabimini, quia quicumque bona aliena injuſto detinet modo, veram non poteſt agere pœnitentiam, virtute cujus æternam ſperare poſſit vitam, niſi priùs bona, quæ injuſtè rapuit, reſtituerit. Sed poſtquàm dixit D. Thomas, *Quod reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quàm iteratò aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ*; Si petatis à me quid ſit agere reſtitutionem: Reſpondeo quòd, cùm ſint quatuor bonorum genera, animæ, corporis, famæ, & fortunæ; ſatisfieri debet proximo pro iis omnibus bonis, ſi aliquod ex illis læſum fuerit. Primò, Obligatur quis reſtituere alteri bonum animæ, ſi ipſe cauſa fuit cur alter peccaverit lethaliter, malo exemplo, conſilio, ſollicitatione, reparare debet hoc damnum, quantùm in ipſo eſt, orando Deum pro illo ut ei parcat idem Deus, præbendo illi ſanum conſilium, & bonum dando ei exemplum. Secundò, Reſtituere debet aliquis bona corporis proximo ſuo, ſi ipſum vulneraverit, & tenetur compenſare omnia damna ſubſecuta, & ſumptus adhibitos ad eum curandum, judicio viri probi. Tertiò. Quoad bona famæ, quomodo reſtituendum poſt ablatam puellæ, aut mulieri famam? In hoc ſita eſt difficultas, quæ integrum diſcurſum exigeret. Dicam modò, de illis eſſe loquendum in bonam partem. Quartò, Quoad bona fortunæ, reddenda ſunt domino, aut hæredibus; vel pauperibus, ſi non ſit dominus.

a D. Th. 2. 2. q. 62. a. 1.

Non ſolùm autem Deus prohibet nobis factum & verbum contra proximum, imò verò vult ut nec ipſa cogitatio noſtra aut voluntas noſtra ſit hoc infecta vitio: idcircò prohibet nobis ne concupiſcamus bonum alienum; *Non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt b.* Et ſanè cum maxima ratione: *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas c.* Ipſa eſt cupiditas quæ charitatem occidit, ſiquidem quantò major in aliquo deprehenditur cupiditas, tantò minor charitas invenitur; ea eſt oppoſita charitati & juſtitiæ; ea eſt abyſſus impenetrabilis; & ſi eam ſequamur, nunquam noſtrarum quiete fruemur animarum. Cupiditas igitur alienorum prohibetur nobis bonorum præcepto ſpeciali, ſicut & concupiſcentia uxoris proximi alio mandato particulari, de quo loquar vobis die craſtinâ, contra eos qui dicebant hæc duo præcepta non diſtinguenda, quæ furtum prohibent, ac luxuriam.

b Exod. 20, 16. & 17.
c 1. Tim. 6, 10.

Ecce prohibitiones detrimenti, quod irrogatur proximo, effectu, vel cogitatione, imò & aliquando verbo per neceſſariam conſequentiam. Sed Deus expreſſum facit mandatum in particulari pro verbo, & hoc eſt, quo falſum teſtimonium adversùs proximum noſtrum prohibetur ferri; *Non loquèris contra proximum tuum falſum teſtimonium d.* In quod labuntur ordinariè detractores, quia detrahunt bonæ famæ proximi ſui. Suſurrones qui ſerunt diſſenſiones inter fratres, referentes ea quæ dicta ſunt, & quæ poſſunt iram excitare, præſertim cùm nominatur is qui ea protulit, etiamſi non ſint gravis momenti; attamen ſi hæc faſtidij eſſe debeant cauſa contrahendi, præ charitate ſunt ſupprimenda, quia hoc eſt ſeminare diſcordias, quod Deus præ omnibus abominatur, *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus, eum qui ſeminat inter fratres diſcordias e.* Adulatores, quia faciunt omnia quæ poſſunt ut decipiant, & ſimplicibus verba dent. Et murmuratores, quando verbum aliquod damnoſum ac magni momenti proferunt.

d Exod. 20, 15.
e Sap. 6. 16. & 19.

Sed hoc peccatum committitur ſpeciatim in judicio ab accuſatoribus falſis, & ab iis qui teſtificantur contra propriam ipſorum conſcientiam. Illud enim omne debet puniri juxta malum, cujus accuſaverunt proximum, & de quo teſtimonium tulerunt adversùs eum, nulla facta mentione perjurii, quod commiſerunt juratores *f* contra veritatem; *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu pedem pro pede exiges g.* Judices verò qui dant ſententias, & publicant decreta ſeu areſta proferunt contra juſtitiam, majus etiam crimen committunt. Hoc præcepto tandem prohibentur mendacia. Illa quæ dicuntur contra fidem, & contra bonum proximi, ſi ſint magni momenti, ſunt lethalia. Sed illa quæ noſtras duntaxat tangunt perſonas, ſicut eſſet mentiri ſindendo ad impetrandum aliquem favorem, vel ex animi levitate, aut ex joco, ſeu nos excuſando, ſive pro bono pacis, aliave ex aliqua conſideratione quæ nobis eſſe poteſt utilis, aut alteri, imò verò licèt ex humilitate proferentur. Ideoò pronuncianda eſt ſemper veritas, cùm mendaces ſint filij diaboli *h*, & illi qui verè Chriſtiani ſunt, ſemper debeant eſſe veraces, & ut tales cenſeri.

f Exod. 20, 7.
g Deut. 19, 21.
h Joan. 8. 44.

Sub hac prohibitione falſi teſtimonii comprehenduntur (ut jam dixi) detractio, ut ait Cornelius *i*, contumelia, irriſio, ſubſannationes, & quælibet alia injuria, quæ proximo irrogatur, verbo; tandem omne genus abuſus linguæ; & aſſerit hanc eſſe opinionem D. Thomæ *k*. Si verò dixi aliquos ex his defectibus linguæ reduci ad præceptum, quod prohibet occidere, ut ſunt verba acria & aſpera, hoc eſt intelligendum, quatenus cum ira proferuntur, & ſic ſunt viæ ad patrandum homicidium. Unus igitur ex præcipuis linguæ abuſibus, eſt ipſa detractio contenta ſub hoc verbo falſi teſtimonij, quæ in judicijs committitur aliquando & in tribunalibus. Auſcultate, obſecro, quomodo loqueretur Propheta Jeremias *l*, defendens cauſam populi coram Dei tribunali, ſed populi qui tantam ſibi compararet æſtimationem, ut Deus ipſe non dubitaverit illum titulo glorioſo paradiſi, ſeu ſpecioſæ olivæ nomine inſignire, *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen meum.* Ac ſi dixiſſet, Non erat mihi difficile hunc juſtificare populum, cùm jam ſit bonæ famæ; ſed velut ſi partem offendiſſet adverſariam, quæ nimiùm vocem extulit ut illum diffamaret, & bonam, quæ de eo fuerat concepta, opinionem minueret, ait ignem ipſi adhæſiſſe, & omnem paradiſi hujus fructum combuſtum fuiſſe, & ad cineres redactum, *Ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in eâ, & combuſta ſunt fruteta ejus:* Diabolus qui eſt infenſiſſimus naturæ noſtræ inimicus pravas aliquas ſuſcitavit linguas, quæ voce ita alta ac rudi contra hunc ſunt locutæ populum, ut ſtatim magnus ignis in eo exarſerit, & omnia incendio fuerint concremata, hoc eſt, maxima ſit ipſe perculſus deſolatione. Idem

i Cornel. in Deut. 5, 10.
k D. Tho. 2. 2 q. 72. a. 6. in corp. ad 3. cita à Cornel.
l Jer. 11. 16.

plaudè

planè accidit diebus ſingulis non ſolùm in Curiis & in tribunalibus; ſed & quolibet in alio conſortio. Sunt enim & viri & mulieres qui fortaſſe meliori famâ vigent quam bonâ vitâ, & de quibus poteſt expectari fructus & emendatio; ſive ad debitum rationis inducantur ipſis conſcientiæ propriæ regulis, ſive maximis & conſiderationibus famæ mediis: ſed ſi ſit aliqua vox, quæ imperfectiones ipſorum concinat; ſi correctione utentes erga eos, qui vobis ſunt ſubditi, corripiatis eos æquo altiùs & indiſcretiùs, ea manifeſtantes omnibus vicinis quæ in ipſorum vergent dedecus; ſi vel ad minimum verbulum, quo cum veſtris æqualibus contenderitis, incognita velitis publicare palam crimina; & ne reſponſiones vobis videantur deficere, nullo dubitetis modo aperire, proclamare, imò & exaggerare id quod erat ſilentio prætereundum; heu! *ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in eâ.* Erant veluti ſpecioſæ arbores, ſed immoderatus veſter affectus ita in eis accendit ignem, ut nullus ex ipſis ſit colligendus fructus. Videntes enim ſe famâ excidiſſe, animum deſpondebunt ſe corrigendos. Fortaſſe jam timorem Domini excuſſerant, ſoliſque famæ adhærebant extremis finibus; efficitis ut hâc famâ excidant, dum defectus propalatis ipſorum, & ipſos operitis injuriis. Heu! de ipſis actum eſt, radix arboris, quæ eſt bona conſcientia, interiùs putreſcit; truncus & rami, qui ſunt apparentia exterior bonæ opinionis, concuſſi ſunt à voce diffamante, quæ eſt ventus calidus & peſtilens; nullum ampliùs fructum ſperetis ex iſto paradiſo colligere: totus enim igne conflagrabit; totum quod in eo eſt, redigetur in diſſenſiones, in homicidia, in ſcandala, in cineres, in perditionem; nihil ampliùs producet, cùm nulla ſuperſit ipſi radix timoris Dei, nec ullus truncus, nec aliqui ſuperſint rami bonæ opinionis, quæ ipſum retineat, *Ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in eâ, & combuſta ſunt fruteta ejus.*

Sed ſi miramini ventum violentiorem poſſe totam evertere arborem, imò totum paradiſum, & in eo ignem accendere, & vocem, & verbum injurioſum depravare & conſumere quidquid eſt
m Pſ. 56. boni in eo quem offendit, audite Pſalmiſtam *m*, dicentem, *Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Peto à vobis evertendæ modum arboris procéræ, & fructibus onuſtæ. Sufficit ad hoc tantùm præ vobis ferre bonos dentes ad comedendos fructus, & licèt forent ipſi nuces, ſi in vobis fortes vigeant dentes, eos facilè contereretis; & poſtquàm eos comederitis, tunc ſumenda à vobis eſt ſecuris, vel capiendus gladius qui hanc arborem in fruſta concîdet ſic ut in ignem mox conjiciatur. Propheta igitur, ait, hos homines furioſos habere dentes fortes quaſi ferrum, & acutos veluti ſagittas, & ad quid? Ad devorandos fructus arboris, ad mordendas virtutes, & ad molenda bona opera proximorum ſuorum. Si quid boni in ipſis ſit, hi furioſi illud mandunt, & inter dentes illud abſcondunt, non expuentes illud, nec illud manifeſtantes, nec illius ullam facientes mentionem; & cùm hos fructus devoraverint, lingua ipſorum ſuum obit munus, *Et lingua eorum gladius acutus.* Ecce ictus gladii qui truncum excutit arboris, qui ramos præcîdit, & eos in terram proſternit. Injuria ex altera parte, ex alterâ calumnia; uno verbo tanta exurgit perſecutio, ut neceſſe ſit ut eam arbor non ſuſtinens, in terram cadat. Illico currit unuſquiſque ad ramos, ut ex iis aliquod deſumat fruſtum. Hæc autem arbor quæ modò fructus habebat bonæ famæ, fructus ſuos videt devoratos, & ramos ſuos ad focum delatos vicinorum ſuorum, ut ardeant tot ignibus, quot ſunt perverſæ linguæ de ipsâ diſcurſuræ, ipſamque circumquaque per compita propalaturæ.

Ecce quantus ignis, quàm magnam ſylvam incendit! Et lingua ignis eſt univerſitas iniquitatis; inquietum malum; plena veneno mortifero;
exclamat D. Jacobus *n*. Ha! non eſt cur mire- n Jacob. 3. 4. & 8.
mur ſi Spiritus ſanctus *o* in hunc mundum veniens o Act. 2. à & 3.
delaturus linguas ſuper Apoſtolos, eas igne miſcuit. Ha! perfectè ſciebat linguam circumquaque ignem ventilare; linguæ autem, quas ipſe tulit, accenderunt ignem charitatis; veſtræ autem linguæ accendunt ignem diviſionis. Sanè dives epulo in inferno queritur tantùm de linguâ, quæ igne ardebat, dicens, *Crucior in hâc flammâ p.* Et Christus p Luc. 16. 24.
ait, *Qui dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit gehennæ ignis q.* Dives ille debebat fuiſſe rudis in re- q Matth. 5. 22.
pulſandis mendiciis, in inferendis injuriis & contumeliis proximis ſuis. Declinemus ab hâc infelicitate, quæ cauſatur à malâ linguâ. Verba noſtra utilia ſint famæ proximi, & ſuam nobis *gratiam &* r 2. Pſ. 83. 12.
gloriam dabit Dominus r.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. ADVENTUS.

Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex & Prophetæ. Matth. 7. 12. &c.

a Gen. 2. 24. POſt prohibitionem nobis factam ne ullum diſpendium proximo noſtro quoad ea quæ propriâ ſpectant perſonam, inferamus; prohibetur inſuper nobis ne malum irrogemus perſonæ ei conjunctæ, & re verâ juſtè: ſiquidem vir & uxor ſunt una res & idem corpus, *Et erunt duo in carne una a.* Ideò poſt illatam injuriam perſonæ, non eſt alia major eâ quæ irrogatur perſonæ conjunctæ, & ſic prohibet Deus adulterium, *Non mœchaberis b:* adul- b Exod. 20. 14.
terium, quod eſt peccatum deteſtabile, quod ita profundas fixit in terrâ radices, ratione ſcandali, quod producit, ut ferè ſit impoſſibile illud è cordibus hominum averruncari; & ob hanc rationem reſervavi illi diſcurſum hunc integrum. Sed quis credat quòd poſtquàm ignis totam terram in cumulum redegerit cinerum, non proptereà ab eâ totum avulſerit ſcandalum, ſed futu-

cùm ſit neceſſarium ut mittat Deus ipſe Angelus ſuos ad hunc effectum executioni mandandum? *Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno ejus omnia ſcandala c.* Si autem Angeli ſunt inſumendi ad tollendum ſcandalum, poſtquàm ignis totam purgaverit naturam; judicate utrùm homo infirmus (qualis ſum ego) poſſit illud vel unico deſtruere diſcurſu. Sed ſi illud non poſſim penitus evellere, ſaltem ipſum oppugnabo validiſſimè, & non ſolùm conabor deſtruere adulterium, quod eſt peccatum ſcandaloſum; ſed inſuper concupiſcentiam & deſiderium illius patrandi, quod prohibetur nobis ultimo Decalogi præcepto, *Non deſiderabis uxorem proximi tui d.* Virgo puriſſima futura eſt mihi propina hoc in occurſu, ſi dixero ei cum Archangelo, *Ave Maria.*

c Matth. 13.41. &c.

d Exod. 20.17.

Non ſine ſpeciali Dei efficitur providentiâ (cùm corporalia magis tangant ac afficiant quàm ipſa vel ſpiritualia ordinariè) ut poſteriora ſint priorum figura. Siquidem non ſolum in Lege veteri Deus dereliquit totius imaginem gratiæ, ſecundum hoc verbum D. Pauli e, *Cum eſſent qui offerent ſecundùm legem munera, qui exemplari & umbræ deſerviunt cœleſtium;* Hæc omnia ſervierunt imagini rerum ſpiritualium: Imò verò in omnibus rebus corporalibus poſuit Deus omnium veſtigia ſupernaturalium rerum; & quia adulterium eſt inter peccata id, quod eſt peſtis inter morbos, cùm adulterium ſit peccatum generale, ita ut poſſemus ferè dicere his temporibus quibus vivimus, id, quod refert Scriptura ſacra f de primis naſcentis mundi ſæculis, *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram;* eo modo quo peſtis morbus eſt univerſus; peccata occulta concupiſcentiæ, quam Deus nobis prohibet æquè ac adulterium, non ſunt ſcandaloſa, licèt non deſinant utraque multum diſpendium ſubjecto, in quo inveniuntur, inferre. Idcircò illa totis meis intendo oppugnare viribus.

e Heb. 8. 4. & 5.

f Gen. 6. 12.

Cùm autem mente recogito horribilem numerum hominum, quos adulterium effectu, aut concupiſcentia cogitatione in profundiſſimos inferorum præcipitant abyſſos, memini illius quod ait D. Auguſtinus g, *Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria.* Hoc peccatum eſt periculoſiſſimum, quia cùm magis lædit, tunc minùs ſentitur. Imò verò fuerunt quidam homines tantâ veſaniâ percuſſi ac cæcitate, ut ipſos non puduerit aſſerere, hanc infamem actionem non eſſe illicitam, nec ita magnum malum ſi illi indulgeretur, & ita ſecundùm ſenſum ſuum corruptum *corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis h.* Oportet igitur aperire mentis oculos his infamibus; & ſanè felix mihi viderer, ſi extinguere poſſem ignem hunc infernalem, qui maximam comburit hominum partem, eoſque inducere ad ſectandam puritatem inſigni Chriſtianorum, quo decorantur, titulo conſonam. Deſidero igitur vobis oſtendere ſuper his duobus Decalogi præceptis; *Non mœchaberis: Non deſiderabis uxorem proximi tui;* Primò, luxuriam facto, vel cogitatione, majorem irrogare Jeſu Chriſto injuriam, quàm aliud peccatum: Secundò, eam majus inferre detrimentum illi, qui eâ ſe inquinat, quàm quodlibet aliud crimen.

g D. Aug. ſerm. 250 de Temp. c. 2.

h Pſ. 13.1.

Diviſio.

I. Pars.

Prima ratio, quam affero ut hanc probem veritatem, eſt, Quia Jeſus Chriſtus eſt Caput noſtrum. Quòd autem Chriſtus ſit Caput noſtrum, ex ſacris conſtat Literis, præſertim ex D. Paulo qui in pluribus locis vocat illum Eccleſiæ Caput, *Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius i.* Theologia verò Dei Filium appellat non ſolùm Caput hominum, imò verò Angelorum, *Ipſe eſt Caput Angelorum.* Hoc igitur ſuppoſito ut veriſſimo, Chriſtum eſſe Caput noſtrum, Dico Chriſtianos committentes hoc vitium impuritatis vel facto, vel ſaltem cogitatione, maximam Chriſto injuriam irrogare, quia illum oſtendunt velut Authorem obſcœnitatum hujuſmodi impudicitiarum, in quibus volutantur non ſecus ac ſues infames, vel ſaltem in quibus commorantur per voluntariam & moroſam delectationem. Ita planè eſt: hanc Chriſto irrogant injuriam. Quod ut magis pateat, nonne verum eſt in corpore humano caput debere dirigere omnes aliorum membrorum actiones? Caput debet dirigere pedes, ut gradiantur illuc quò oportet; caput dirigere debet manus ad opera, quibus ipſæ incumbant ſecundùm ordinem ſibi à capite conſtitutum. Cùm verò pedes, manus, brachia, ſive aliæ corporis partes defectum aliquem committunt, cuinam attribuitur iſte defectus? His membris? minimè, quia judicii & rationis carent organis, quibus dirigantur. Sed cui? Profectò capiti attribuitur hic defectus, quia ratio reſidet in capite utpote omnium membrorum nobiliſſimo, quodque debeat ea dirigere omnia. Idem prorſus eſt dicendum in noſtro propoſito, Chriſtus eſt Caput noſtrum, ipſe eſt Caput omnium hominum, nos *membra ſumus* † ipſius myſtica; cùm verò Chriſtianus conſpurcat ſe peccato impuritatis, facto, vel cogitatione, eòque pervenit ut illud reverâ committat, magnam irrogat tunc Chriſto injuriam, quia ipſi attribuitur hic actus infamis, quem præ omnibus aliis deteſtatur, ipſe qui eſt Puritas prima, Puritas per eſſentiam k; ita ut cùm permiſiſſet diabolo in deſerto ut ſe aggrederetur l tentationibus ambitionis, avaritiæ, & gulæ, nunquam tamen ei facultatem præbuerit ſui aggrediendi tentatione impuritatis. Re autem verâ infidelis ſciens, nos credere Jeſum Chriſtum eſſe Caput noſtrum, inſimularet eum hujus peccati, eumque faceret authorem harum omnium impuritatum quas Chriſtiani committunt, aut in quibus moroſè delectantur, quod foret blaſphemia, quia Dei Filius non eſt author peccati m, minùs autem impuritatis, cùm fuerit Virgo, Virgines amaverit n, & ex virgine natus fuerit o. Inde fit ut hoc peccatum facto, vel cogitatione, maximam omnium ei irroget injuriarum.

i Ephes. 1. 17. &c.

† Eph. 5. 30.

k Marc. 1. 24.

l Matth. 4.

m ...

n Jo. 21. 20.

o Matth. 1. 25.

Secundam deſumo rationem ex perfecto fœdere, quod cum eo contraximus. Nam prætérquàm quòd ipſe eſt Caput noſtrum, eſt etiam Frater noſter, & Primogenitus inter plures, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus p.* Atqui cùm filiusfamilias ex honeſta oriundus progenie, committit crimen aliquod grave, ratione cujus capitali pœnâ ex Juſtitiæ decreto mulctatur, nunquid non infamiæ notam toti domui & omnibus propinquis ſuis inurit? Parentes magnâ triſtitiâ afficiuntur, ſuſpirant propinqui ob hoc dedecus, & amici mœrore tanguntur non exiguo. Sed præſertim redundabit in fratres hæc ignominia, magiſque quàm in alios propinquos, quia cum ex

p Rom. 8. 29.

eâdem

Digitized by Google

eâdem exiverint alvo, unuſquiſque facilè crediderit eos iiſdem duci affectibus; & vulgò dicitur, Si ille commiſit hoc crimen, alii nihil perpetrabunt minus; habent omnes eandem inclinationem à naturâ inſitam, & nihil prorſus valent. Vides quomodo unius crimen fratris in frontem aliorum dedecus injiciat fratrum. Chriſtiani, qui habenas laxant his ſpurcitiis ſive cogitatione, ſive verbo, vel opere, magnum dedecus omnibus irrogant Chriſtianis qui ſunt fratres ipſorum, imprimis verò Jeſu Chriſto, qui eſt ipſorum omnium *Primogenitus*. Infidelis autem, qui non eſt edoctus arcana fidei noſtræ myſteria, neque apprimè callet ſanctitatem & puritatem Capitis noſtri Jeſu Chriſti, poſſet aſſerere velut aliquantulo innixus fundamento, illum iiſdem duci inclinationibus atque affectibus, quibus rapiuntur hi infames qui in iſtarum cœno volutantur ſpurcitiarum, quas iſtud noſtrum abominatur Caput; quod ſanè foret maxima contra Filii Dei innocentiam blaſphemia.

Tertia ratio, quæ oſtendit veritatem propoſitionis meæ, eſt, Quia Jeſus Chriſtus eſt Sanctificator noſter, ut ait D. Joannes *q*, *Lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo.* Et deinde de Beatis loquens, ſubjungit, *Laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in Sanguine Agni r.* Hâc veritate ſtabilitâ, Chriſtum laviſſe nos, purgaſſe, & ſanctificaſſe, conſiderate, obſecro, qualem injuriam eidem Chriſto impudicus irroget Chriſtianus. Hanc ſpurcitiis ſuis ſanctificationem profanat, hunc pretioſum pedibus protterit *Sanguinem* † quo Chriſtus ipſum abluerat, hæc omnia merita, quæ Dei Filius ipſi cum tanto labore & ſudore comparaverat, contemnit. Dicite mihi, amabo, Si accepiſſet ex vobis aliquis à Rege vas aliquod graviſſimi pretii, in teſtimonium affectus Regii erga ipſum, hic verò ingratus illud parvi pendens, profanis applicaret ipſum uſibus, nunquid non Regi ſe maximè injurioſum exhiberet? Hoc planè faciunt impudici: acceperunt enim à Deo animam & corpus, hæc ſunt vaſa ſacra, & inæſtimabilis pretii, quæ ipſe Dei Filius proprio lavit vel ſanguine ac purgavit: & tamen hi infames hæc ita ducunt exigui, ut ea foveam efficiant omnium impuritatum. Heu! quis criminis iſtius concipere poſſit atrocitatem?

q Apoc. 1. 5.
r Apoc. 7. 14.
† Hebr. 10. 29.

Si enim conſideremus gravitatem illius, deprehendemus illud eſſe omnium maximum, quia per corporis impuritatem violat quis templum Dei, quod eſt corpus, ut ait Apoſtolus *s*, *An neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* Templum, quod Deus ita benè ornaverat ſuis gratiis, ita ritè laverat & purgaverat pretioſo Filii ſui Sanguine, ita apprimè ſanctificaverat per Spiritum ſanctum, illud eligens Divinæ majeſtatis ſuæ habitaculum. Nec ſine ratione vitium iſtud inter omnia, quæ committi poſſunt maxima & peſſima, enumeratur, quia non ſolùm animam inficit, imò etiam corpus; *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat t.* Hoc corpus, quod Deus tantâ *formavit u* induſtriâ; hoc corpus, quod Chriſtus ingreditur cum ſuo Corpore, cum ſuo Sanguine, cum ſuâ Animâ; & cum ſuâ Divinitate *x*; hoc corpus in quo tota cœleſtis reperitur Curia, cùm *Rex gloriæ y* in hunc intrat ſtomachum; & illud ſic profanare, illicitis uſibus applicare, & in ſtabulum mutare porcorum? Heu quantam injuriam hoc crimine, Chriſto irrogatam! Sed quid dicam de animâ quæ eſt ſpiritualis, formata *ad imaginem & ſimilitudinem z* Dei, redempta pretio inæſtimabili, ſoror Angelorum, hæres paradiſi, cohæres *Chriſti a*, & ut ſic ad gloriam deſtinata? Creaturam ita ſpecioſam hoc infami peccato efficere omnium Dei productionum maximè deformem & infamem? Quid mihi autem poſt hæc dicendum ſuperſit, neſcio; ſiquidem mihi non ſuppetunt verba, quibus peccati enormitatem iſtius ac gravitatem valeam exprimere, quippe quæ maxima ſit omnium quæ injuriam irrogare poſſint Chriſto quatenus Capiti, Fratri, & Sanctificatori noſtro, propter tres iſtas rationes, quibus ad nos refertur.

s 1. Cor. 6. 19.
t 1. Cor. 6. 18.
u Gen. 2. 7.
x Joan. 6. 56.
y Pſ. 23. 10.
z Gen. 1. 27.
a Rom. 8. 17.

Quidquid in hoc allegare potero occurſu, erunt verba D. Leonis *b*, quæ dirigam ad ſingulos hos infames Chriſtianos: *Agnoſce ò Chriſtiane dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Chriſtiane abominabilis, qui volutaris in hoc cœno porcorum, ha! deprecor, paululùm oculos in terram depreſſos erige, corde recogita eminentem dignitatem tuam, quæ te Naturæ participem effecit Divinæ; memento te non eſſe beſtiam immundam, ſed filium Dei, fratrem Jeſu Chriſti, Sanguine ipſius pretioſo lotum, & templum Spiritus ſancti, gratiæ ipſius ſanctificatum donis, veluti mediis quibus pervenias ad conſummationem juſtitiæ profeſſioni tuæ congruentis; perpende hæc omnia ſeriò, conſidera id totum quod es: quibus exactè diſcuſſis, poteriſne ita parvi corpus tuum ac animam tuam ducere, ut ea illicitis profanes uſibus? *Agnoſce ò Chriſtiane dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Cave ne redeas ad priorem vitam infamem ſectandam, alioquin non valens Deus ampliùs injuriam à te ſibi irrogatam perpeti, detrudet te *in ignem æternum c*, ut eo ardeas per ſecula infinita; cùm non volueris extinguere in corde tuo flammas voluptatum tuarum, habenas animali tuæ laxando concupiſcentiæ.

b D. Leo Serm. 1. de Nativ. Dom c. 3. ex 2. Petr. 1. 4.
c Matth. 25. 41.

II. Pars.

Peccatum impuritatis majus diſpendium infert ei quid illud committit, quàm quodlibet aliud peccatum. Si omnia enumerare vellem, quæ homini ex hoc proveniunt vitio, detrimenta, quæ tamen ab aliis non cauſantur vitiis, abirent illa in infinitum; eorum tamen aliquid tangam obiter & perfunctoriè. Ut autem aliquem obſervem ordinem, Sciendum eſt, bona quæ poſſidet homo, ad tria reduci capita, ad bona fortunæ, ad bona corporis, & ad bona animæ, quæ admittit Philoſophia, recenſens *triplex bonum*; *bonum animæ, bonum corporis, bonum extrinſecùs adveniens.* Hoc ſuppoſito, Dico impuritatem eſſe peccatum ita infame, ut deſtruat hæc tria bonorum genera, quæ poſſidet homo in hoc mundo. Primò autem quoad bona temporalia, Nihil eſt evidentius ex hoc peccato abſumi, quod non

contingit hoc modo in aliis peccatis; quia, ut videre eſt ordinariè, impudicus nihil, aut parum lucratur; negotia ipſius nullum felicem ſortiuntur eventum, ipſius animus ſemper eſt abſtractus; & cùm ſuis debeat invigilare negotiis, torpet otio, & in ſolis volutat ſe impudicitiis. Si aliquid lucratus ſit, aut ipſi pater ſuus hæreditariâ reliquerit ſucceſſione, illud diſſipat mediis in diſſolutionibus; in veſtibus & muneribus ſcorto offerendis, ut pravos illius erga ſe affectus foveat, & cœptam impuritatis ſequatur viam, *Qui nutrit ſcortum, perdit ſubſtantiam d.* Et D. Lucas *e* ait de prodigo quòd *diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè.* Ignis eſt impuritas devorans & conſumens omnia, *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans f.* Et vulgò dicitur, quòd

d Prov. 29. 3.
e Luc. 15. 13.
f Job 31. 12.

Qui ſequitur Bacchum, taxillos & meretrices:
Infamis ſemper, ſemper egenus erit.

Secundum detrimentum eſt amiſſio bonorum corporalium, quæ ſunt ſanitas, vires, pulchritudo, &c. *Ab irâ & veneris cupiditate, & quibuſdam ejus generis non ſolùm animi perturbantur, ſed etiam corpora. Nonnulli etiam ad inſaniam adiguntur*, ait Ariſtoteles *g*. Qui ſubjungit: *Voluptas impedit conſilium, eóque magis, quo major ſit, ut Veneris h.* Cùm concupiſcentia corpus ſoleat immutare, & conſequenter aliquando ſanâ mente impudicitiis deditum privare; vitam breviet; deſtruat omnes animæ virtutes æquè ac corporis facultates; viam aperiat ad omnia alia perpetranda peccata; Legem contemnat, & hominem prorſus effœminatum efficiat. Hinc ait Seneca *i*, hominem, poſtquàm voluptatibus ſuis, quæ unico duntaxat duraverunt momento, indulſit, experiri citò incommoda, quæ ex ipſarum oritur deliciis, *Ipſæ voluptates in tormenta vertuntur.*

g Ariſt. l. 7. Ethic. c. 3. apud Tol. verb. v. voluntas
h Ariſt. l. 4. Ethic. c. 11. citat. Ibid.
i Senec. Epiſt. 24.

Diſcutientes autem magis in ſpecie Medici quales ſint hi morbi, quos producit impuritas, dicunt eos eſſe tres præcipuè, nullâ habita ratione aliorum, qui *nec nominari debent in vobis, ſicut decet ſanctos k.* Putà dolorem ſtomachi, debilitatem viſus, & infirmitatem cerebri. Inter alia verò incommoda, quæ ferè ſunt infinita (cùm intolerabiles & anxios corporibus inferre ſoleat dolores voluptas corporea) præcipuum eſt ut vitam abbreviet, & impudico dies relinquat pauciores, ita ut verificetur iſtud commune proloquium, *Plures occidit voluptas, quàm gladius.* Quamnam igitur rationem eſt redditurus Deo impudicus vitæ, ſanitatis, pulchritudinis, virium, & omnium aliorum donorum, quibus ab ipſomet Deo fuerat inſignitus eo fine ut ea Divino ſuo manciparet ipſe obſequio, & pro iis ſibi ipſi gratiarum actiones rependeret immortales, cùm ea omnia inter ſectandas adhibuerit diſſolutiones, & voluptatibus ac deliciis indulgendo illa diſſipaverit? Quidnam reſpondebit Deo? Se ad id à diabolo fuiſſe incitatum? Ha! eximiam cantilenam! Hoc ipſum non eximet ab incendio ignis æterni ſubeundo: non enim poteſt ignorare ſe voluntate præditum, & quòd licèt totus infernus adversùs ipſum inſurgeret, ad malum ipſum ſolicitans, tota infernorum poteſtas nullo modo poſſit ipſum ad patrandum compellere peccatum. Nonne ipſe ſcit ſe liberum eſſe *l* ad agendum bonum, vel malum, vereque ſe poſſe ſolicitari ad malum, ſed tamen nunquam cogi? Idcircò exactiſſimè reſpondere tenebitur Deo circa uſum profanum, quem fecerit bonorum corporis, quæ diſſipaverit ſectando infamia impuritatis exercitia; eorum rationem reddet Deo, qui aliquando dicet ipſi, *Redde rationem villicationis tuæ m.*

k Epheſ. 5. 3.
l Eccl. 14. &c.
m Luc. 16. 2.

Tertium damnum eſt, Quia hoc peccatum eripit bona animæ. Bona naturalia poſſidet anima, qualia ſunt potentiæ & virtutes naturales; & bona ſupernaturalia, ut ſunt gratia, & virtutes à gratia inſeparabiles. Cùm verò homo impuritati habenas laxat, hoc vitium ſtatim illum privat his omnibus bonis; eripit illi theſaurorum omnium, quos unquam poſſidere poſſit, qualis eſt gratia, maximum; theſaurum ita magnum, ut vel unicus gratiæ gradus debeat majoris æſtimari quàm totus mundus. Gratia eſt lumen, quædam claritas ſpiritualis procedens à Deo qui eſt *Sol juſtitiæ n*, qui animam illuminat, purgat, jucundamque ſic efficit ut ſit Sponſa Chriſti; cùm verò ſe impuritate afficit, perdit ſuum decorem, & manet inquinata iis ſordibus, in quas ſe demergit, non ſecus ac ſi nobilis quædam mulier ſplendidis induta veſtibus caderet in foveam ſordibus repletam; *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt o*, dixit Deus ab ipſius mundi incunabulis. *Spiritus meus*, id eſt, gratia Spiritus ſancti nunquam requieſcet *in homine, quia caro eſt*. Id eſt, deditus lubrico, ita ut hoc peccatum privet ipſum gratiâ, & conſequenter omnibus virtutibus, charitate, & aliis ab illa inſeparabilibus.

n Malac. 4. 2.
o Gen. 6. 3.

Quoad bona naturalia quæ ſunt potentiæ, maledictum hoc peccatum eas corrumpit & depravat; intellectus enim qui in animâ tale exercet officium, quale Sol in toto mundo, manet obſcuritate circumfuſus, & ſuis orbatus luminibus ignorat quò ſe vertat, & ad quid debeat ſe determinare, *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem p.* Peccatum ergo iſtud infame rationem perturbat, intellectum confuſione replet, in errorem & in ignorantiam eum præcipitat, & hominem brutis ſimilem efficit. Nemo eſt qui neſciat quò miſeriæ & infelicitatis impudicus amor mulierum reduxerit Salomonem Regum omnium ſapientiſſimum, qui quàmvis dixiſſet de ſe verè, *Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Jeruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici q*; tamen amore profano ductus *adamavit mulieres alienigenas multas, & averterunt mulieres cor ejus. Cùmque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur deos alienos r.* Ita ut dicere tunc poſſet veriſſimè, *Stultiſſimus ſum virorum s.*

p Pſ. 57. 9.
q Eccl. 1. 16.
r 3. Reg. 11. 3. &c.
s Prov. 30. 2.

Hoc peccatum non ſolùm intellectum tenebris involuit, ſed etiam voluntatem indurat. Hæc potentia quæ eſt totius ſuppoſiti Regina, & quæ præcipit omnibus aliis ut earum Domina, ut docent Theologi Morales, ita infælix efficitur, & obſtinata in malo, medio hoc peccato, ut nullus ipſi ad reſurgendû relinquatur

Digitized by Google

tur modus. Mulieres ſunt veluti gluten ſeu pix ad capiendas animas; Sicut enim glutine ut artificio ad aucupandas aves utuntur venatores efficaciſſimo, ita adhibet diabolus mulierum artificium ad decipiendam partem hominum maximam. Et veluti difficile eſt avibus avolatu, cùm ſemel aut pennis aut pedibus adhæſerunt glutini; ita difficile eſt, ne dicam impoſſibile homini, qui vitio huic deditus eſt, ut ab eo recedat; glutini fortiter adhæret, & ſic ei tenet ipſum alligatum diabolus, ut vix diſcedat. Clamet Concionator, quantùmcumque voluerit, admoneant illum propinqui, inſpiret ei bonus Angelus, motibus ſacris & internis cor ejus moveat Spiritus ſanctus, ita impudicus iſte delectatur eo peccato, & induratus eſt in illo vitio, ut hæc omnia irrideat ſalutaria monita. Tonet cœlum adversùs illum, eique ſua tonitrua minitetur & fulmina; videatur illum mare in undis ſuis ſepelire, dum procellis agitatur; & terra hians in ſuis abyſſis eum concludere; aggrediantur eum morbi, imperant eum perſecutiones, concutiant eum, quantùm Divina permiſerit Providentia *t*, amiſſiones bonorum, litium, parentum, filiorum, propinquorum, familiarium, &c. forſitan ſalutare aliquod concipiet deſiderium recipiendi ſe in bonam frugem; ſed ſimul ac hæ minæ deſiterint, obliviſcetur boni ſui propoſiti. Ita ut ferè omnes impudici tradantur in reprobum ſenſum; unde difficilè, niſi gratiæ ſpecialis auxilio, reſurgunt, & cavendum ne ſint illis applicanda hæc verba Apoſtoli *u*, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Cui conformiter D. Thomas *x* ait, *Diabolus dicitur maximè gaudere de peccato Luxuriæ, quia eſt maxima adhærentiæ, & difficilè ab eo homo poteſt eripi. Inſatiabilis eſt enim delectabilis appetitus, ut Philoſophus dicit 3. Ethic. c. 12.*

t Sap. 8. 1

u Rom. 1. 28.

x D. Tho 1. 2. q. 73. a. 5. ad 2.

Si autem anima tot vulneribus confoditur in his duabus potentiis, in intellectu, & in voluntate, non minùs ſauciatur ipſa in memoriâ; ipſa enim permanet medio hoc peccato ſic vulnerata ut nullis perſungi poſſit munijs. Auſcultate quomodo Propheta Daniel *y* loquatur adversùs impudicos illos ſenes, qui conſtantiam Suſannæ, quæ erat virtutis prodigium, præcipuè verò puritatis miraculum, labefactare conati ſunt, *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum: erant ergo ambo vulnerati amore ejus.* Peccatum hoc infame ita evertit cerebrum ſenum illorum, ut, cùm deberent meminiſſe Dei, obliti ſint judiciorum illius, qui ipſos ambos erat ſeverè caſtigaturus. Et ſanè experientia oſtendit, Chriſtianos huic vitio deditos parvi facere ſalutem ſuam, contemnere mandata Dei, & Eccleſiæ, non meminiſſe ampliùs mortis, obliviſci inferorum, & paradiſi, amittere pudorem, nihili ducere ea quæ mundus, id eſt, homines de ipſis dicturi ſunt: uno verbo, ne longiùs diſcurſum protraham, dummodò ſuis poſſint immodicis ſatisfacere deſideriis, & infamibus his indulgere voluptatibus, exigui exiſtimant amiſſionem bonæ famæ, honoris ruinam, animæ æquè ac corporis jacturam; *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt z.*

y Dan. 13. 9. &c. 1

z Job 21. 13.

Tom. III.

Heu quantâ percutiuntur hi impudici cæcitate, ita fortiter adhærentes voluptati, quæ intra momentum tranſit! Quare diligunt delicias brutis ſolis proprias, quæ ſic officiunt animabus ipſorum æquè ac corporibus, & famæ? Cur non aperiunt oculos, conſiderantes incommoda è praxi infami hujus vitij ſibimetipſis provenientia? Quid non cogitant, in inferis, niſi ſe in bonam receperint frugem, vitamque diſſolutam in caſtam emendaverint, ſe ſupplicis æternis in omnibus ſuis membris infallibiliter cruciandos; & ſicut ea deliciis applicaverunt captandis, ita in mercedem talium deliciarum eademmet membra tormentis eſſe vexanda ſempiternis? Quid non has pœnas recognant, ita ut *deſcendant in infernum viventes a.* Et quid non dicunt intra ſemetipſos? Heu! ſi pro oblectamento momentaneo æternùm paſſuri ſumus; quomodo flammas ſuſtinebimus nullum unquam finem habituras? Et qui fieri poterit ut ſempiternis cruciemur ignibus, cùm ne vel unico momento tantillum ignis in candelâ accenſâ illuminantis ardorem perpeti valeamus? *a* Pſ. 54. 16.

Quod cùm ita ſit, nimirum quòd peccatum hoc impuritatis inferat nobis tot detrimenta, ſanitatem corporis deſtruat ſicut & fortitudinē formā & omnia aliæ naturæ depopuletur dona; exhauriat omnia fortunæ bona, & ferè nos ad mēdicitatem redigat; omnia intellectus noſtri lumina obtenebret, & rationem obſcuritatibus ſuffundat; voluntatem obduret, ob maximam difficultatem, ita ut vix ab eo, cui ſemel adhæſit, poſſit recedere; memoriam confundat, ita ut obliviſcatur finium noviſſimorum *& judiciorum juſtorum* Dei; tandem quòd nos privet gratiâ, & omnibus donis ſupernaturalibus: quid juſtius quàm ut vitetur hoc idemmet vitium, quod Deus prohibet, cùm ait, *Non mœchaberis*, præſertim verò à mulieribus? quia in hoc magis videntur delinquere quàm peccent viri, irridentes aliquo modo Deum, quem teſtem aſſumpſerunt in Sacramento Matrimonij, in quo promiſerunt ſe inviolabilem ſoli viro ſervaturas eſſe fidem, ita ut ſacrilegæ reputari poſſint, deridentes Deum, Legem ipſius, ac ejus Sacramentum, & proditrices fidei viris ſuis debitæ, cùm illos deſerant, ut ad alios thoros accedant. Et ſicut Dux alicujus exercitus, Principi in expeditionibus militaribus ac bellicis ſubſerviens, ſi è partibus hoſtium ſtet, proditor & puſillanimus æſtimatur; eo planè modo uxor quæ adulterium perpetrat, infidelis eſt, & inſignem committit proditionem, quia ipſa *ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir b*, in cujus dominium ſe totam tranſtulit. Ipſa tandem committit furtum, miſcens fillos adulterinos inter bona propria mariti, ad quem productiones ipſius adulterinæ ab eſtrinſeco provenientes in nocumentum fidei mutuæ in Sacramento Matrimonii promiſſæ adinvicem, nullo jure valeant pertinere. *b* 1. Cor. 7. 4.

Si autem mulieres ſolo hoc peccato demerguntur in profundum tantarum infœlicitatum, ſcire debent viri ſe non minus malum committere peccato uxorum, ſi Deum eodem modo quo illæ offenderint; nec enim minùs tenentur ipſi ad fidem ſervandam; imò verò magis ad eam teneri videntur ob majores, quibus

pollent, vires ad reſiſtendum carni, cùm concupiſcentia videatur propria mulieribus affectio. Non ſolùm autem perſonæ Matrimonio alligatæ tenentur ſervare puritatem, ſed & quælibet aliæ perſonæ; ſub hoc enim præcepto, *Non mœchaberis*, quolibet aliud carnis

c 1. Cor. 6. 9. peccatum committitur. Idcircò aiebat D. Paulus *c*, *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores Regnũ Dei poſſidebunt.* Illi enim omnes, ſuas occidunt animas, vitâ ſe privant, propriam diſſipant ſubſtantiã, valedicunt famæ, quã chariſſimè cuſtodire deberent præ aliis omnibus, præſertim

d Eccli. 9. 10. mulieres; *Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in viâ conculcabitur d.* Mulieres

e Pſ. 48. 13. & 21. ſiquidem quæ his inquinãtur ſordibus, contemnentur non ſecus ac ſtercora quæ omnium proteruntur pedibus, contemnentes enim verbum Dei, in prædicamentum brutorum irrationalium tranſierunt *e*.

Non prohibet Deus tantùm hoc peccatum quoad actionem, ſed etiam quoad cogitationem. Idcircò ultimum Decalogi præceptum prohibet

f Exod. 20. 17. concupiſcentiam carnis, *Non deſiderabis uxorem proximi tui f.* Concupiſcentia eſt à nobis inſeparabilis, ſed poſſumus ei non conſentire, neque noſtras ei præbere voluntates, & efficere ut noſtro *non regnet peccatum in mortali*

g Rom. 6. 12. *corpore ut concupiſcentiis eius g* obediamus. Scire autem debemus illud poſſe regnare, Primò, Conſenſu interiori, *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt*

h Matth. 5. 28. *eam in corde ſuo h.* Sola cogitatio illius eſt peccatum mortale, ſi ei conſenſus præbeatur. Secundò, Ore, cùm verbis impuris & inhoneſtis exprimitur. Tertiò, Effectu, cùm conſequenter culpæ committuntur carnales, quæ ſunt peccata ſcandali, ut dicebam ſuprà. Idcircò reſcindendum eſt à nobis id omne, quod ad hoc peccatum nos poteſt inducere, & illius committendi eſſe occaſio. Proptereà dicebat aliàs Dei Filius, *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum*

i Matth. 5. 30. & 31. *membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam i.* Ubi videtis, unum membrum inficere poſſe cæteras partes corporis, ſecundùm doctrinam Filij Dei. Et hoc intelligi poteſt de omnibus partibus corporis, & de facultatibus animæ univerſis.

Si autem hoc ſit, id dico ſpeciatim de oculo, malum ſic eſt univerſale, ut videretur deſiderandum omnes homines eſſe cæcitate

k Thren. 3. 51. percutiendos, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ k.* Eri-

l D. Greg. homil. 6. in Evang. puit mihi omnia bona ſupernaturalia animi mei, quia, ut apprimè ait D. Gregorius *l*, *Fe-*

m D. Hier. de Caſtitate. *neſtræ noſtri ſunt oculi: quia per ipſos anima reſpicit quod interiùs concupiſcit.* Sunt veluti præcones in abſcondito clamantes, dicit D. Hieronymus *m*, *Taciti oculi, cordis fatentur arcana.* Omnes affectus noſtros intimos manifeſtant; intuendo enim oculum alicujus, videmus ferè omnia quæ in ipſius recondita ſunt animâ. Ex oculis exit anima; fallor, ſed convenientiùs dixero, omnes affectus in eam intrare per oculos, *Aſcendit mors per feneſtras noſtras*

n. Super quæ D. Gregorius *o* ſic loquitur; *Mors* n Ier. 9. 21.
quippe per feneſtras aſcendit, & domum ingreditur, cùm per ſenſus corporis concupiſcentia veniens habitaculum intrat mentis. Sed quid dico, o D. Greg. lib. 21. Moral. c. 2. in Job 31. 1.
cùm aſſero, animam exire per oculos? Quin imò per oculos objecta ingrediuntur animas, cùm ipſi ſint janua, per quam plura mala in animam acceſſum habent, & cùm anima in oculis ſuum habere videatur domicilium, & dicat D. Chryſoſtomus *p*, oculum eſſe veluti organum animæ, p D. Chryſoſt. hom. 55. in c. Joan.
quandoquidem anima per oculos loquitur, agit, manifeſtat quod concepit; nullum tandem eſt membrum, quo anima magis utatur quàm oculis; *Corporis lucerna non tantùm oculus eſt, ſed animæ potiùs.* Atqui ſi oculi ſint porta malorum, multò magis & præſertim concupiſcentiæ, & verum eſt iſtud quòd

Oculi ſunt in amore duces.

Cùm ſint libidinis incitatores. Ideò Dei Filius, ut dicebam modò, aiebat, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Non dicit, non oportere reſpicere, ſed non oportere ut ex viſu ſequatur concupiſcentia. Sunt enim oculi aliqui, qui vocantur ſimplices, & illi oculi recta vident. Sed cùm ſiſtunt oculi in objectis, quæ tangi non poſſint ſine crimine, & ſine tranſgreſſione mandatorum Dei, qui prohibet concupiſcentiam, & omnem effectum pravum qui ex eâ inde ſequitur, hoc ſanè magnâ reprehenſione eſt dignum. Quod innuit, fugiendas nobis eſſe occaſiones, quæ ad hoc peccatum poſſint nos inducere. Sed mihi non eſt voluntas Deum offendendi, dices mihi. Sed ignoraſne, neminem diu fortem eſſe? Pugnaſti unâ vice, idcircò pugnæ aſſueſti; ſed nonne ſcis nos tandem in fine eſſe fatigandos? Eſne fortior Davide? Propter ſolum intuitum in mulierem ſe mundam ab ipſo projectum, amore proſtratus eſt profano *q*. Putaſne te eſſe q 2. Reg. 11. 2. &c.
marmor prædurum ad inſtar rupis, aut ferri? Nunquid non ex carne compactus es? Caro mihi eſt niſi fœnum, *Omnis caro fœnum r*, Et minima ſcintilla totum accendit hominem. Et ſi homo à r Iſa. 40. 6.
Deo electus, qui erat *juxta cor s* ipſius, qui dixit, s 1 Reg. 13. 14.
Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax t, t Pſ. 115. 2.
perdidit tamen cos Dei per peccatum, putaſne te fortiorem eſſe eo ad reſiſtendum?

Concupiſcentia eſt peccatum quod eſt magis naturale, à quo per conſequens magis cavere debemus ſicut ab hoſte domeſtico; quem tamen facilè ſuperare poterimus, ſi primò fugiamus occaſiones ad malum inducentes; ſi expellamus ſubitò cogitationes moleſtas & importunas per voluntariam carnis noſtræ caſtigationem; ſi operibus pietatis, & orationis vacemus; quia *hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem, & jejunium u.* Si enim duos videretis milites u Matth. 17. 20.
adinvicem pugnantes, & deſideraretis ut alter contra alterum prævaleret, aggredi conaremini illum quem vinci velletis ab altero; Atqui caro & ſpiritus ſunt apud nos veluti duo milites continuè inter ſe pugnantes; ſi arma præbeatis alteri, efficietis ut vincatur alter; Arma igitur carnis noſtræ ſunt voluptates, occaſiones, converſationes, deliciæ corporis noſtri; ſed arma ſpiritus noſtri ordinaria ſunt oratio & jejunium, *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem & jejunium.*

Con-

Concludamus igitur totum hunc Adventum,& dicamus, quòd,ut ſimus veri Chriſtiani, credendum nobis eſt id, quod continetur in ſymbolo Apoſtolorum: Unum eſt Deum: hunc Deum eſſe Trinum in perſonis; & ex tribus illis perſonis ſecundam fuiſſe incarnatam. Secundò, Speranda nobis eſt beatitudo infallibilis, ut Oratio Dominica nos docet. Tertiò, Amandus eſt Deus *ex toto corde*, adorando eum ſolum; *Et in tota anima x*, non proferendo ipſius *Nomen in vanum y. Et in tota mente*, requieſcendo eùm ipſo diebus Dominicis & Feſtis. Sed ut ſimus verè homines Chriſtiani, & converſemur ut oportet cum fratribus noſtris, neceſſe eſt ut eos amemus *ſicut z* noſmetipſos; hoc eſt, ut honoremus parentes noſtros; Ut non occidamus proximum noſtrum facto, nec voluntate. Ut nullam committamus impuritatem opere, nec ullam cogitatione. Ut nihil capiamus eorum quæ illius ſunt, nec deſideremus, imò nec uxorem ejus concupiſcamus. Ut nihil dicamus falſi in judicio, nec alibi. Sed ut vivamus in ſimplicitate, in innocentiâ, & in puritate toto vitæ noſtræ decurſu. Sic dies tranſigemus noſtros in viâ ſanctorum mandatorum Legis Divinæ, & expectare poterimus mercedem laborum noſtrorum cum magno gaudio ac ingenti ſatisfactione, dicentes Deo cum Prophetâ *, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Domine, cùm dilataveris cor noſtrum, effeciſti ut ſtadium tuorum curreremus præceptorum; unde polliceri poſſumus nobis gratiam tuam, ut *filij* tui adoptivi; & ut *cohæredes Chriſti* † Jeſu Filii tui, gloriam tuam in cœſti beatitudine.

x Matth. 22.37
y Exod. 20.7.&c.
z Matth. 22.39.
* Pſ. 118. 32.
† Rom. 8.17.

IN NATIVITATE DOMINI.

Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritatis.
Ioan. 1. 14.

EXiens *à Patre, & in mundum a* veniens Dei Filius, ut ſatisfaceret debito, quod contraxeramus propter peccata noſtra, & quod nõ poteramus ſolvere juſtitiæ Patris ipſius meritò exacerbati adversùs hæc eadem noſtra ſceleta, & quæreret & ſalvaret *quod perierat b*, noſtramque ſatageret reparare naturam, tempore ſilentij naſci voluit; *Cum enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Sermo exiliens de cœlo à Regalibus ſedibus, durus debellatur in mediam exterminij terram proſilivit c*, ad expugnandos naturæ noſtræ hoſtes. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli d.* Ut diſcamus, quòd debemus eſſe muti, & ſilentium inviolatè cuſtodire, cùm agitur de annunciandâ Nativitate Domini noſtri, cùm Propheta *e* dixerit, *Generationem eius quis enarrabit?* Virgo ipſa Deipara modum præ ſe ferebat, nec ullum audebat proferre ſermonem, tantum intuita miraculum, *Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo f.* Soli Angeli qui ſunt illius legati, Nativitatem ipſius annunciant temporaneam, *Quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David g.* Quomodo igitur audebo vobis de câ loqui? Oportet ut Angeli denuò deſcendant. Sed cùm iſtud non ſit poſſibile, & expediat ut loquar, ſi perficere non poſſim more Angeli, incipiam tamen ut Angelus, dicens, *Ave Maria.*

a Joan. 16.28.
b Luc. 19. 10.
c Sap. 18. 14. & 15.
d 1. Joan. 3.8.
e Iſai. 53. 8.
f Luc. 2. 19.
g Luc. 2. 10.

Hæc eſt differentia inter affectionem amicitiam & dilectionem, quòd affectio eſt quidam motus naturalis, per quem adhæremus ſubjecto amato. Nemo eſt in mundo ſic impius qui non ducatur aliquo erga Deum affectu, nam conſiderans quòd ille eſt ſummè *bonus h*, imò verò *omne Bonum i*, impedire non poteſt quin voluntas ſua naturaliter feratur ad ipſum amandum. Quin etiam audeo dicere, quòd ſi diaboli haberent poſſent Deum pro objecto ſimpliciter ut Deum, non autem prout *vindex eſt Dominus de k* ſuperbiâ ipſorum, affectione veluti ducerentur erga eum. Ideò cùm motus iſtos ſenſibiles affectionis præ nobis ferimus, hoc ferè nihil eſt. Amicitia eſt aliquid plusquàm ſit affectio, & ſita eſt in converſatione & mutuâ familiaritate habitá cum eo quod amatur. Nullus autem eſt Turca, Barbaros, aut Ethnicus qui non habeat amicitiam, & qui non complaceat ſibi converſari cum eo quod ipſe amat. Dilectio idem eſt ac prælectio; v.g. duo objecta amabilia ſeſe meæ voluntati offerunt amanda; ſi ipſa amet illud quod exiſtimat amore ſuo dignum, iſte amor vocatur dilectio. Sic cùm Deus & mundus noſtris ſeſe exhibent oculis aut voluntatibus ut duo objecta differentia, eligere poſſumus utrum ex ambobus voluerimus. Si Deum amamus præ deſpectu terræ, ecce dilectio; & hoc ſenſu intelligitur prius iſtud præceptum Dei, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. l*

h Pſ. 118. 68.
i Exod. 33.19.
k 1. Theſſal. 4.6.
l Matth. 22.37.

Sed non ſufficit habere dilectionem, habendus eſt præterea amor. *Atque hoc amoris verbum vim habet faciendi unum, & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi, quæ in pulchro & bono propter pulchrũ ac bonum antè conſtituit, atque ex bono ac pulchro, pulchri boniq́, cauſa manat, continetq́, paria communi inter ſe coniunctione, & ſuperiora ad inferiorum procurationem impellit, inferiorumque cum ſuperioribus converſione corroborat*, ait D. Dionyſius *m*. Amor eſt ſtricta unio, ſeu conformitas voluntatis cum voluntate Dei. Et licèt idem D. Dionyſius *n* dicat, quòd *illorum qui rectè Divina accipiunt, pro eodẽ ponuntur à ſanctis Theologis* agapis *&* erotos, *id eſt, charitatis & amoris nomina, ex Divinis interpretationibus:* tamen ipſemet alibi *o* aſſerit, quòd *prima quidem mentis ad Divina motio & contentio, Dei ſit charitas. Sanctæ autẽ charitatis progreſſus, qui principatũ obtinet ad Divina perficienda præcepta, eſt Divinus in nobis ſtatus, quæ verbis exprimi non poteſt, effectio.*

m D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4
n Idem ibid.
o Idem lib. de Eccleſ. Hier. c. 2.

Secùndum hæc, charitas prævalet adversùs amorem, amor ſupra dilectionem, dilectio præponitur amicitiæ, amicitia verò præcedit affectionem. Charitas eſt teneritudo cordis erga ſubjectum amatum, ſeu teneritas voluntatis ita forti-

furtiter ſubjecto amato adhærentis, ut ab eo disjungi nequeat. Quicumque iſtam præ ſe fert charitatem perfectam, nihil diligit niſi Deum, aut in Deo, vel propter Deum. Talis fuit charitas Sanctorum, qui reliquerunt propter Deum *omnia*, *& ſecuti p* ſunt ejus Filium, qui exit *a Patre*, *& in mundum q* venit ad ſumendam carnem humanam, & reparandam noſtram naturam præ charitate. Videbimus igitur in progreſſu diſcurſus iſtius, exceſſum hujus Divinæ Charitatis erga homines.

p Matth. 19.27.
q Joan. 16.28.
Propoſitio.

Admirabile ſanè eſt hodiernum myſterium, in quo *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum r*. Ille qui *in principio creavit cœlum & terram s*, hodie recipit eſſe. Ipſe vitam ſuſcipit, qui vitam omnibus, quæ vivunt, impertitur; *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus t*. In omnibus alijs myſterijs Deus ſemper fecit, ſed in iſto *Verbum caro factum eſt*. Præ amore *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis u*. Poterat Deus incarnari extra uterum B. Virginis, & formare ſecundum Adamum æquè magnum & perfectum ac illum, quem idem *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem x*. Coſtam ſumere poterat è B. Virgine, & ex eâ formare hominem Deum, ſicut Adæ *tulit unam de coſtis, & ædificavit coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem y*. Et noluit; ſed naſci voluit è Matre, ſicut cæteri homines (ſine patre tamen.) Quia ſi aliter natus eſſet, Nativitas ipſius non fuiſſet ita glorioſa, nec nobis ſic proficua. Naſci vult Infans ſicut nos, habere Matrem more noſtrî, concipi, inſtar noſtrûm, in ſinu Matris, & formari ex ſubſtantiâ ejus, videri *in terris, & cum hominibus z* converſari. Ideòque deſcendit è cœlo præ exceſſu charitatis, ut aſcendamus nos è terrâ in cœlum, quò fœdus ineamus cum ipſo. Corpus ipſe ſumit, & oculos quibus videat, & aures quibus audiat, non ſecus ac nos; & cor, quo cogitet, & diligat eo modo quo nos; & nos debemus videre, audire, cogitare, & diligere ſicut ille, ut cũ eo inviolatam pangamus ſocietatem.

r Joan. 3. 16. & 17.
s Gen. 1. 1. &c.
t Act. 17. 28.
u Jſai. 9. 6.
x Gen. 2. 7.
y Gen. 2. 21. & 22.
z Baruch 3.38.

Mirabile viſu, quòd B. Virgo *peperit Filium ſuum primogenitum a* Deum. Hoc æquè admirabile eſt ac inauditum: *Quis audivit unquam tale: & quis vidit huic ſimile b?* At quid plus obſervatur in generatione temporanea Filii Dei, quàm in ejus æterna nativitate. In æterna, Deus Pater dicens, *Filius meus es tu, Ego hodie genui te c*, Filium producit infinitum, ſicut ipſe *non habet finem d*. In temporali verò, Creatura, cujus potentia eſt limitibus circumſcripta, & finita, dat eſſe Deo infinito & immenſo, quem *cœlum & cœli cœlorum capere non poſſunt e*. In æterna, Deus Filium ſuum producit neceſſariò; ſed in temporanea voluntariè producitur idem Dei Filius à B. Virgine, ideò conſenſum ejus requiſivit, nec priùs ipſe in ea fuit conceptus, quàm fuerit conſenſus iſte ab illa traditus Angelo, myſterij Incarnationis nuncio, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum f*. Quandiu *miſſus eſt, Angelus Gabriel à Deo ad Virginem*, cœli clauſi ſunt, Deus è ſuo non deſcendit throno. *Fiat g* Patris æterni ſolas producit creaturas, Sed ſtatim ac ſuum protulit *Maria Fiat*, confeſtim producit ipſa Creatorem ſuum, & hominem Deum. *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, h* ab eodem Patre ſemper generator, *Eructavit cor meum Verbum bonum i*. Sed iſtud non ſufficit nobis, quòd *ſemel locutus eſt Deus k* hunc Sermonem Divinum, *in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum l* gignens eum, id eſt, in æternitatis ſuæ, quæ eſt, indiviſibilis & tota ſimul, beatâ fœlicitate; ſed præterea requiritur, ut, *ubi venit plenitudo temporis m*, naſcatur è ſinu Genitricis ſuæ, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo n*. Prior enim nativitas ſine poſteriori nihil nobis profuiſſet. Oportet igitur ut naſcatur è ſinu Virginis, & appareat ut homo viſibilis & mortalis ſicut nos, in ſtabulo.

a Matth. 1.25. & Luc. 2.7.
b Jſai. 66. 8.
c Pſ. 2. 7.
d Baruch 3.25.
e 3 Reg. 8.27.
f Luc. 1. 38. &c.
g Gen. 1. 3. &c.
h Joan. 1. 18.
i Pſ. 44. 2
k Pſ. 61. 12.
l Pſ. 109. 3.
m Galat. 4. 4.
n Philip. 2. 7.

Ex iſto ſtabulo mira confici poteſt dedicatio, & Eccleſia. Stabulum eſt veluti templũ, præſepe altare, Joſeph ſanctitas, paſtores ſunt Subdiaconi, & Diaconi, Angeli Sacerdotes & Muſici, Dominus noſter eſt Pontifex, & B. Virgo Maria eſt thronus Dei quieſcentis inter brachia ipſius donec requieſcat aliquando inter brachia Crucis. D. Bernardus o hanc proponit quæſtionem, utrùm major ſit amor, quod Deus ſe fecerit hominem, aut quòd fecerit hominem. *Nihil enim Deo ſublimius, nihil vilius limo, & tamen tantâ dignatione Deus deſcendit in limum, tantâque dignitate limus aſcendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur: quidquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur, tam ineffabili quam incomprehenſibili ſacramento*. Hoc eſt ſecretum æqualiter comprehenſu & explicatu difficile. Et hoc, fortaſſe eſt deſiderium & oratio D. Pauli p, *Ut poſſitis comprehendere cũ omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundũ, ſcire etiã ſupereminentẽ ſcientiæ charitatẽ Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*. Id eſt, *charitatem Chriſti*, quæ in exceſſum ſe protendit. Nam *quæ latitudo*, ſi placet, *in præſepio q? Quæ longitudo* in infante diei unius? *Quæ ſublimitas* in ſtabulo? Solum ibi invenitur *profundum*, cùm videamus ibidem Deum redactum ad centrum omnis depreſſionis, quem *bos & aſinus r* ſuo calefaciunt halitu nudatum hyemali tempore frigidiſſimo. *Ergone credendũ eſt, quòd iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantium neceſſitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in ſepulchro, & inter duos lapides concluditur s excelſus & immenſus t?* ait D. Bernardus u.

o D. Bern ſerm. 3. in Vigil. Nat Dñi.
p Epheſ. 3.18. & 19.
q Luc. 2. 7. & 16.
r Jſai 1.3

Ecce magnus exceſſus charitatis Dei. Ideò is apprimè locutus eſt, qui dixit, *Ille omnium potentiſſimus eſt, qui maximum in minimo poſuit*. Et hoc eſt quod innuere voluit D. Joannes, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre) plenum gratia & veritatis*. Sed ad quem finem proponit nobis D. Paulus has menſuras latitudinis, & longitudinis, & ſublimitatis, & profunditatis deſumendas, niſi ut intuentes & tangentes hunc Divinum Infantem, qui eſt *balſamum aromatizans, odorem x* dans cæleſtem, odore illius omnino perfundamur? Templum refertur in Græciâ è tali fuiſſe lapide conſtructum, ut omnes qui ſe eo fricarent, flaveſcerent inſtar auri: Metimini, ait D. Paulus, tangite, pertractate hunc parvulum Jeſum, ut inauremini auro charitatis,

s ex Joan. 19.1. &c.
t Baruch 3.25.
u D. Bern loco ubi ſuprà.
x Eccli. 24.20.

ritatis, eoque pret'oſi evadatis. Narratur, quòd Apelles pingens Dominam quandam decore æquè ac oob.litate ioſignem, tanto illius amore ductus fuerit, ut Aleſander Magnus eam illi in uxorem tradiderit; intendit D. Paulus ot intuentes & metientes hanc ſanctam humanitatem Sponſam Verbi æterni, ita puto illius ardeamus amore, ut Deus Pater miſertus noſtri, eam nobis tradat ad ſponſandas ſibi *in fide y* aoimas noſtras.

y Oſee 2. 20.

Stupore miraculorum opprimor, & quò magis conor aperire myſteria, eò magis illa complicantur, & mihi magis ſunt incognita. Illi qui Solem fixis intuiti ſunt oculis, viſum amittunt; aut ſi vident, non videntur ſibi intueri niſi Soles & fulgura: Sic caligine ſum ſuffuſus, & quaſi extra me raptus, intuitus quòd *gloria Domini apparuit in nube z*, nimirum quòd *Sol a* iſte Divinus obtegatur nube præſepis; fulgur abripit mihi mentē, & viſum, & ſermonem, linguam facit elinguem, memoriam immemorem, & ſenſum inſenſibilem: *Et quis poterit cogitare diem adventus eius b?* Eloquentia fit muta, memoria oblivioni immergitur, mens obſcuratur, omnes torrentes eloquentiæ ſiccantur, omnes homines & Angeli ne ullum quidem verbum hàc magnitudine proferre poſſunt dignum, *Generationem eius quis enarrabit c* æternam, æquè ac temporalem? Sed quàm eloquenter locutus eſt D. Chryſologus *d*, *Amor ignorat judicium, ratione caret, modum neſcit.* Sicut dixerunt Alij, *Amare & ſapere vix Deo conceditur.* Quænam ſapientia in Deo, involuere Divinitatem Filii ſui, humanitate & luto? & Corpus iſtud Divinum præſepio? & præſepe iſtud ſtabulo? & ſtabulum iſtud ventis omnibus circumquaque flatibus exponere? Quænam ſapiētia, Parentes ſic pauperes ligere, nationem ſic barbaram, homines ita ingratos, tempus ſic rude, & horam omnium peſſimam?

z Exod. 16. 10.
a Malach. 4. 2.
b Malach. 3. 2.
c Iſai. 53. 8.
d D. Chryſol. ſerm. 147.

Aliàs *Deus ait*, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt e.* Illud reverà adimpletur hodie; ſiquidem homo evadit Deus. Videte exceſſum amoris. Deus eſt Adam: Adam eſt Deus; unus ex hominibus eſt Deus; una è Perſonis Divinis eſt homo; & hæc humanitas ſic ſe divinizavit unico inſtanti quo Deus ſe humanizavit, ut non ſit niſi unica Perſona ſuſtinens duas naturas, quæ non ſunt ferè niſi una res, *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt f. Et attende, quia ſicut in illâ ſingulari Divinitate Trinitas eſt in Perſonis, unitas in ſubſtantiâ: ſic in iſtâ ſpeciali commixtione Trinitas eſt in ſubſtantijs, in perſona unitas: & ſicut ibi perſonæ non ſcindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem: ita hic perſona non confundit ſubſtantias, nec ſubſtantia ipſa perſonæ diſſipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus ſingulare inter omnia & ſuper omnia opera ſua. Verbum enim & Anima & Caro in unam convenere perſonam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ*, ait D. Bernardus *g*. Sed dicamus cum Tertulliano *h*, *Inclamat Deus, Adam ubi es i? ſcilicet ignorans ubi eſſet, & cauſa tonuditatis pudore, an de arbore guſtaſſet, interrogat, ſcilicet incertus. Imo nec incertus admiſſi, nec ignorans loci.* Deridebat Deus Adam nudatum, & latentem, nedum eſſe cum ipſomet Deo, & cum Angelis Sed dicamus Deo præ admiratione & ſtupore, *Adam ubi es?* Tu *Domine Deus magne k*, reclinatus es *in præſepio l? Ergone Deus eſt iſte? Deus certè in templo ſancto ſuo. Deus in cælo ſedes eius*, exclamat D. Bernardus *m*, cùm meditatur eum *in vili ſtabulo*, *in Matris gremio* reſidentem. Exceſſus hujus Divinæ Charitatis manifeſtatur adhuc clarius. Sicut in ſpeculo videtur Sol quandiu eclypſim patitur, meliùs quàm in ſeipſo, juxta tritum proloquium, *Sol niſi cùm deficit non habet ſpectatorem*; & oportet ut ſuum abſcondat ſplendorem, quò videri poſſit, & fixis oculis aſpici in eſſe illi ſpeculi cryſtallini atomo: ſic Dei Filius circumdatus *claritate, quam priùs quàm mundus eſſet, apud n* Patrem ſuum habebat, videri non poteſt meliùs quàm *in præſepio* reclinatus, & viliſſimis pannis obtectus; ſic ipſum *vidimus plenum gratiæ & veritatis.*

e Gen. 3. 5. & 22.
f 1. Cor. 6. 17.
g D. Bern. ſerm. 3. in Vigil. Nat. Dñi.
h ex Symbol. D. Athan.
h Tert. lib. 2. adverſ. Marcion. c. 25.
i ex Gen. 3. 9. &c.
k Dan. 9. 4.
l Luc. c. 2.
m D. Bern. ſerm. 1. de Epiph. ex Pſ 10. 5.
n Joan. 17. 5.

Cùm præliaretur aliàs Alexander Magnus, & oppugnaret viculum quendam, & deridetetur, eò quòd ſua converteret arma ad expugnandum vilem locum, ipſe qui natus erat ad edomandos mundos, ad referendas glorioſas victorias, & ad redigendos homines omnes ad ſubeundas leges ſuas, & ad ſubmittendos eos dominio ſuæ; Hunc viculum, inquit, reddam celebertimum, & efficiam ut impoſterùm de eo magis locuturi ſint homines, quàm de regnis ingentis, & de monarchiis flurentiſſimis. Videtur, quòd Pater æternus loquens de hoc vili ſtabulo, dicat, Efficiam illud celeberrimum eorum omnium quæ futura ſint unquam in terrâ. Auſcultate quomodo id oſtendat D. Bernardus *o* ſuper hæc verba. *Oleum effuſum nomen tuum. Ecce Chriſtus, ecce Jeſus, utrumque effuſum in homines quemadmodum multiplicavit miſericordiam ſuam Deus p. Quàm carum quàm vile. Vile, ſed ſalubre. Si vile non eſſet, non mihi effunderetur. Si ſalubre non eſſet, non me lucraretur. Et quid mirum ſi Sponſi effuſum eſt nomen, cùm ipſe quoque effuſus ſit? Nam ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens q. Denique ait, Sicut aqua effuſus ſum r. Effuſa eſt plenitudo Divinitatis, habitans ſuper terram corporaliter s, ut de illâ plenitudine omnes t, qui corpus mortis u geſtamus, caperemus.* Deus autem Pater ſuam non tantùm effudit Divinitatem in Chriſtum, ſed ſuos veluti theſauros exinanivit, ut iſtam ditaret humanitatem. Ut autem iſtum meliùs explicem conceptum, hanc humanitatem ſacram comparare volo palatio Regis Javæ Majoris, quod eſt magnificentiſſimum & ditiſſimum omnium palatiorum totius Orbis, ut dicitur. In illud ſcanditur per gradus, quorum primus eſt aureus, ſecundus argenteus, tertius aureus, quartus argenteus, & ſic conſequenter uſque ad faſtigium. Parietes aularum operti ſunt à latere dextro magnis laminis aureis, & à latere ſiniſtro laminis argenteis, loco aulæorum ſeu tapetum. Laquear ex eodem metallo fabrefactum miro artificio. Videtur ibi ingens numerus ſtatuarum aurearum, quæ ſuis habent impoſita capitibus diademata è gemmis concinnata. Nihil ſic prædives in univerſo Orbe. Aperite iſtud exiguum corpus, ingredimini aulam Divinitatis auream, illius efficite anatomen; in eo invenietis omnes pulchritudines Javæ Majoris, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter x.* Et ipſum videbitis *plenum gratiæ & veritatis.* Sed non poſſum meliùs exprimere amorem Dei, & exceſſum Divinæ charitatis

o D. Bern. ſerm. 15. in Cant. 1. 2.
p ex Pſ. 35. 8.
q ex Philipp. 2. 7.
r Pſ. 21. 15.
s. t ex Coloſſ 2. 9.
t ex Joan. 1. 16.
u ex Rô. 7. 24.
x Coloſſ. 2. 3. & 9.

ritatis ejus, quàm per Hiſtoriam ſanctæ Virginis Theodoræ & Adoleſcentis Didymi qui cum advit in carcerem, ut illam inde liberaret †. Ipſi ſiquidem ſeſe induit veſtimentis hujus equitis Paradiſi; & iſte veſtivit ſe indumentis illius puellæ cœleſtis, & ſic ambo hoc innocente ſtratagemate è carcere evaſerunt. Verbum Divinum ſalvaturum humanam naturam, deſcendit in carcerem hujus mundi, ſuam dedit homini Divinitatem, & Deus humanitatem ſuſcepit hominis, & ambo evaſerunt ex hoc ergaſtulo, ut ad celſiſſima cœli aſcenderent faſtigia.

† Martyrol. Rom. 28 April.

Ut autem videamus plenitudinem omnium pulchritudinum in hoc exiguo Corpore, & conſequenter exceſſum charitatis ejus, Obſervandum eſt, quòd quinque fuerunt res omnium exquiſitiſſimæ, ſingulæ in loco ſuo. Prima, Quantùm ad viſum, pulchritudo templi Salomonis, & throni illius, *Non eſt factum tale opus in universis regnis y.* Secunda, Quoad auditum, muſica ab Angelis hodie concenta, *Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis z.* Tertia, Odoratum reſpiciens, odoramenta, quæ Regina Saba attulit Salomoni, *Non ſunt allata ultrà aromata tam multa, quàm ea quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni a.* Quarta, Pertinens ad guſtum, potio ex unionibus liquefactis propinata à Cleopatrâ Ægypti Regina Marco Antonio amaſio ſuo, Imperatori. Quinta, Spectans tactum, ſtatua quædam aurea Romanorum, quam qui tangebat & poſſidebat, narratur multis potitus privilegiis. Sed ad majorem omnium rerum ponite, quòd Deus Pater omnes theſauros Divinitatis ſuæ in hanc effudit humanitatem aſſumptam à Filio ſuo, propter exceſſum Divinæ charitatis, quâ erga nos fertur. De hoc igitur dicere poſſumus Corpore id, quod hiſtorici referunt de aulâ Imperatoris Neronis, in quâ ut narratur, videbatur laquear æneum, in quo apparebant Sol, Luna, Stellæ, & curſus aſtrorum, & infrà res, & ſpecioſiſſimorum florum decor, uno verbo id omne quod decus & ornamentum inferre mundo poterat. In hoc parvo amphitheatro Divinitatis omnia inveniuntur, pulchritudo Angelorum, Archangelorum, & Virtutum; potentia Principatuum, Poteſtatum, Dominationum, & Thronorum; notitiæ & lumina Cherubinorum; & ardores Seraphinorum, ipſum *vidimus plenum gratiæ & veritatis.* Totus paradiſus in eo reperitur, totum eſt ibi amor, illic charitas immenſas habet extenſiones, & ad infinitum uſque ſeſe protendit exceſſum.

y 3 Reg. 10. 20.
z Luc. 2. 14.
a 3 Reg. 10. 10.

Anima eſt horizon temporis & æternitatis. Horizon noſtrum dividit Hemiſphærium ab Hemiſphærio Antipodum. Talis autem Horizon communicat utrique Hemiſphærio; pedem enim unum habet collocatum in Hemiſphærio Antipodum, alterum verò in noſtro: Sic anima noſtra dicitur Horizon temporis & æternitatis, quia utrique communicat. Creata fuit illa in tempore à parte antè *ad imaginem & ſimilitudinem b* Dei; ſed à parte pòſt ipſa eſt abſque fine *c*, & valoris infiniti *d*, & ſic empta eſt *pretio magno e*, ut ipſa non minus quàm ipſum videatur valere Deum. Cùm exoramur æſtimare aliquid, conſueti ſumus pretium illius dicere ac valorem. Atqui ſi peteretur à me, Quantum valet anima? Reſponderem, Non minus quàm vitam Chriſti, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo f.* Cùm re verâ non veniat hodie Dei Filius in mundum niſi ut eam redimat præ exceſſu charitatis. Si enim expoſitus eſt brumali frigori ſuſtinendo, ſi lacrymas edit & vagitus, *in præſepio g* reclinatus, ideò ut exhiberat, exceſſum charitatis ſuæ erga hanc animam, quam venit liberatum à tyrannide Satanæ, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli h.*

b Gen. 1. 27.
c Matth. 25. 34.
d Matth. 16. 26.
e 1 Cor. 6. 20.
f Apoc. 5. 5.
g Luc. 2. 7.
h 1. Joan. 3. 8.

Concupivi ſæpè ſæpiùs edoceri rationem uniuſcujuſque captui & intelligentiæ accommodam, quæ oſtendat, ut quid Deus animam tanto redimat pretio, & quare tot & tanta operetur in favorem illius, & tandem cur propter eam è cœlo deſcendit in terram, & vilibus naturæ noſtræ ſeſe induit veſtimentis. Ecce in promptu ratio, quæ videtur mihi clariſſima, Nimirum, quòd Dominus noſter emens & diligens animam, videtur emere & diligere ſemetipſum. Sicut enim adoratio, quam exhibemus Crucifixo, non ſiſtit in ipſâ imagine externâ, ſed refertur ad prototypon, ſcilicet ad Chriſtum, qui *ſedet à dextris Dei i* Patris ſui; ſic ſolicitudo & charitas quam impendit ad ſatagendam animæ ſalutem, non ſiſtit in ipſâ animâ, ſed redundat *ad imaginem & ſimilitudinem k* Dei ipſius, quæ eſt eadem anima: Quapropter cùm Divinam ſuam ipſe Majeſtatem diligit, hinc ideò agit ne videat *imaginem ſuam* ſuſtinere *ignem æternum l.* Idcircò jam fletus emittit, & omnes curas ſuas & labores ſuos debet inſumere ad ſalvandam hanc animam, toto ſiquidem vitæ ſuæ tempore *pauper, & in laboribus à juventute m* ſuâ: quia *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus n.*

i Marc. 16. 19.
k Gen. 1. 27.
l Matth. 25. 41.
m Pſ. 87. 16.
n Prov. 16. 4.

Sed exceſſus Divinæ charitatis ejus manifeſtatur eminenter in eo, quòd in mundū veniens, antiquā abolet Legem, quæ erat Lex rigoris & ſeveritatis, exigens *animam pro animâ, oculū pro oculo, dentē pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionē pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorē pro livore o*, ut ſuccedere faciat ei Legem gratiæ, quæ *jugum ſuave eſt, & onus leve p.* Si autem videre velitis extenſiones hujus Divinæ charitatis, Obſervanda eſt differentia quæ admittitur inter Legem antiquam, quam abrogat, & Legem novam, quam inſtituit Adventu ſuo, & notandum, quòd D. Paulus *q* nuncupat Legem veterem, & Legiſlatorem ejus Moyſen, pædagogum, *Itaque Lex pædagogus noſter fuit.* Atqui hæc datur differentia inter Magiſtrum & pædagogum, Quòd pædagogus eſt ille qui gubernat pueritiam, & multa permittit innumeris actionibus puerilibus; Magiſter verò dirigit adoleſcentiam, quamdiu adoleſcens addiſcendæ capax eſt ſcientiæ, cui conſequenter non permittuntur ampliùs actiones puerîles. Vocatur igitur ab Apoſtolo *Lex pædagogus*, quia multas indecoras permittebat imperfectiones Judæis, cùm enim ad tria proclives eſſent vitia, ad luxuriam, ad avaritiam, & ad odium; amore adhærebant mulieribus alienigenis, etiamſi amor ille ipſis eſſet damnoſus, & earum converſatio ipſos induceret in errorem fidei, ſicut accidit Salomoni, qui *adamavit mulieres alienigenas multas; cùmque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur deos alienos r.* Idcircò præcepit eis Deus ut *omnes viri uxores de tribu & cognatione ſuâ s* ducerent, quibus Moyſes permittebat ſcribere *libellum repudij, & de domo ſuâ t* eas dimittere, veritus ne illas occiderent; & ſic non erat illud præceptum, ſed licentia; ſicut deinde dixit Jeſus Judæis, *Moyſes ad duritiā cordis,*

o Exod. 21. 23. &c.
p Matth. 11. 30.
q Galat. 3. 24.
r 3. Reg. 11. 1. &c.
s Num. 36. 7.
t Deut. 24. 1.

cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras u. Et quia avari erant & lucri cupidi, permiſit eis ut ad uſuram mutuam pecuniam darent alienigenis, ſed non concivibus ſuis, *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; ſed alieno x.* Ad vindictam maximè inclinabantur eapeſſendam, ſed vetuit eis ne illam exercerent adverſus cives ſuos, *Ne quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum y.* Sed permiſit eis ut eam ſumerent de Gentibus infidelibus, & percuterent *eas uſque ad internecionem z.* Hæc omnia permiſſa ſunt illis ut pueris: ſed ex quo Dei Filius noſtram induit naturam, & dedit *eum Ducem ac Præceptorem a* nobis, Pater æternus has noluit ampliùs ineptias permittere populo ſuo, quia excipit eum ut juvenem, & ætatis jam virilis, & quem ut ſic excelſa docet: ideò ait D. Paulus *b* in perſonâ Chriſti, *Reprobatio fit præcedentis mandati.* Lex Evangelica has omnes reſecuit libertates, damnavit odia, & uſuras, *Diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes c.* Luxuriam vetuit, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo d.* Quare? *Propter infirmitatem & inutilitatem ejus e.* Id eſt, *Pro tempore gratiæ*, ait Dionyſius Carthuſianus *f.* Quia Lex illa vetus non accedebat ad notitiam Dei, & myſteriorum ejus. *Tunc læſis ultio ſuppetebat, nunc patientia; tunc iraſcentibus Lex miniſtra erat, nunc adverſaria; tunc accuſatori gladium porrigebat, nunc charitatem*, dicit Salvianus *g.*

Sed ſanè S. Chryſologus † eſt admirabilis, qui differentiam præbens Legis Evangelicæ & Legis Moſaicæ, hæc aurea eloquitur verba, *Dulcis eſt epiſtola, ſed uſque dum veniat ipſe qui miſit: Neceſſarium chirographum, ſed uſque ad debiti redditionem: Grati flores, ſed uſq; dum veniatur ad poma.* Lex gratiæ ſeu Evangelij & Lex ſcripta differunt non ſecus ac literæ & ſecretarius, ſicut ſcheda obligatoria & debitor, inſtar florum & fructuum. Vir, quem longus maris aut terræ tractus ab uxore ſeparaverit, conſolaturus eam tempore abſentiæ ſuæ, ſcribet ei epiſtolam quam ſponſa hæc, quæ ſponſum ſincero diligit affectu, curâ cuſtodiet ſpeciali, eâque utetur ut remedio præſenti ad leniendos abſentiæ viri ſui rigores, abſcondens eam in ſinu ſuo, ut frequenter iſto fruatur ipſa oblectamento. Si verò proſperè revertatur Sponſus domum ſuam, adventus ejus potentiam minuit hujuſmodi literarum, & præſentia illius, lætitiam producens efficacē, deprimit voluptatem epiſtolæ imperfectā, *Dulcis eſt epiſtola, ſed uſque dum veniat ipſe qui miſit. Sed præſentia epiſtolam delet.* Homo, cui per contractum publicū debebuntur mille nummi, tanti æſtimabit ſchedam obligatoriam, quanti numeratam pecuniam, & ita ſollicitè hujuſmodi cuſtodiet ſchedulam, ac mille illos conſervaret nummos; ideò eam clave obſeratam conſtituit in loco ſecuro; ſed cùm tempus eſt elapſum quo debitor ſuo debet ſatisfacere creditori, & emergere ære alieno, & acceptam facit pecuniā creditor, & dat debitori apocham, ſeu altero chirographo fatetur ſolutā pecuniæ ſummā, tunc obligatoria prior ſcheda nulla redditur, & ad nihil utilis ampliùs eſt niſi ad faciendos cineres, *Neceſſarium chirographum, ſed uſq; ad debiti redditionē, ſed rumpit ſolutio cautionem.* Illi qui amant fructus, amantes ſunt etiam florū; ſed cùm tempeſtas opportuna mutavit flores in fructus,

u Matth. 19.8.
x Deut. 23.19.
y Levit. 19.18.
z Deut. 7. 2. &c.
a Iſai 55. 4.
b Hebr. 7.18.
c Luc. 6. 35.
d Matth. 5.19.
e Hebr. 7. 18.
f Dion. Carth. art. 7. in Heb. 7.18.
g Salvian lib. 2. ad Eccleſ. Catholic.
† S. Chryſol. ſerm. 82. ante med.

ſapor iſtorum oblivionem inducit pulchritudinis illorum: *Grati flores, ſed uſque dum veniatur ad poma, ſed flores conſumuntur à pomis.* Eadem differentia invenitur inter Legem antiquam & Legem novam. Lex antiqua erat inſtar epiſtolæ ſcriptæ à Domino noſtro Sponſæ ſuæ naturæ humanæ, per quam mittebat ad eam, quòd propter amorem ipſius eſſet ipſe incarnandus, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel h*, ad cumulandam ipſam omnibus bonis. Per abſentiam Incarnationis, Lex Moyſis *i* æſtimabatur, ſed cùm deſcendit Filius Dei ſuper terram *tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo, à ſummo cœlo k*, Hæ literæ ſuam amiſerunt authoritatē, & rejectæ ſunt, *Dulcis eſt epiſtola, ſed uſque dum veniat ipſe qui miſit.* Lex vetus erat ſcheda obligatoria, per quam Deus, ſecundùm *jusjurandum quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis l*, ſicut per illā promiſit Danieli *m*, quòd *poſt Hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*, debebat nobis hunc Filium ſuum, & Sanguinem ejus ad redimendas animas noſtras; nunc quandiu hic Dei Filius venit in mundum ſolutū hoc debitum per paſſionem & mortem ſuam, Lex Moſaica abrogatur, & irrita efficitur, *Neceſſarium chirographum, ſed uſque ad debiti redditionem.* Ceremoniæ Legis antiquæ non erant niſi flores, qui pollicebantur nobis myſterioſos & ſolidos fructus Sacramentorum, quos degustamus; nunc cùm flores mutati ſunt in fructus, & *venit plenitudo temporum n*, tradamus oblivioni & contemptui flores veteris Legis, *Grati flores, ſed uſq; dum veniatur ad poma.* Sic concludit Apoſtolus *o*, *Introductio melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Unde videtur differentia Legis antiquæ & Legis novæ, & deprehenduntur diverſa objecta ſpei utriuſque Legis. Spes Legis Moſaicæ fulciebatur incertitudine futuri, & erat valdè remota præ expectatione temporis venturi: ſed ſpes Legis Evangelicæ eſt ſpes Chriſtiana, cujus effectus eſt præſens, & in poſſeſſione illius qui aliquid concupiſcit. Ideò D. Epiphanius *p* Conſtantiæ Antiſtes ait, *Mariam interpretari ſolemus Spem; peperit enim Dominum, qui eſt Spes totius mundi, nempe Chriſtum.* Spes Chriſtiana ſua poſſidet deſideria. Lex igitur antiqua permittebat imperfectum, Lex verò nova nihil præcipit niſi perfectum, id eſt, amorem inimicorum æquè ac amicorum, *Audiſtis quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum q. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos r.*

Concludamus totum hunc diſcurſum, & dicamus, quòd, cùm duplex ſit Nativitas in Chriſto, prior *in ſinu Patris s* ſui, poſterior in ſinu Virginis Deiparæ *t*, & prior ſine poſteriori nobis inutilis eſſet; ita renati ſumus nos in ſinu Eccleſiæ, quæ eſt Mater noſtra, *ex aquâ & Spiritu ſancto u* per Baptiſmum. Sed iſtud non ſufficit, oportet ut renaſcamur in ſinu ejuſdem Eccleſiæ per lacrymas, per bona opera, & per vitam exemplarem. Nihil poterat nobis dare *poteſtatem filios Dei fieri x*, niſi Incarnatio. Ut enim eſſemus filij Patris æterni, oportebat ut foremus fratres Filij ejus, qui eſt *Primogenitus in multis fratribus y.* Atqui non poteramus eſſe fratres Filij illius in generatione æternâ; non enim producimur ab æterno ſicut *unigeni-*

h Iſai. 7. 14.
i Deut. 5. 1. & ſeqq.
k Pſ. 18. 6. & 7.
l Luc. 1. 73. et Gen. 28. 16. & 17.
m Dan. 9. 26.
n Galat. 4. 4.
o Hebr. 7. 19.
p D. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
q ex Deut. 11. 7.
r Matth. 5. 43 & 44.
s Joan. 1. 18.
t Matth. 1. 23.
u Joan. 3. 5.
x Joan. 1. 12.
y Rom. 8. 29.

z Joan. 1.18. *tus Filius qui eſt in ſinu Patris z*. Oportebat igitur ut Filius Dei incarnaretur in ſinu Virginis, quò evadere poſſemus filij Dei. Mortalis agitur factus eſt, ut diſceremus pati, exemplo illius allecti. Frater noſter evaſit, & ſic efficimur conſequenter filij Dei. Filius Dei naſcitur in
a Luc. 2. 6. & 7. natione peregrinâ a: Oportet etiam ut naſcamur in terrâ alienâ, peccatum enim nobis eſt hodie quaſi naturale, & gratia aliena. Seu, ut melius dicam, Expedit ut deſeramus terram, quæ eſt patria noſtra, ut anhelemus ad gloriam, quæ nobis eſt extranea, & dicamus cum D. Paulo,
b Hebr. 4. 11. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem b*;
c D. Anſelm. in Hebr. 4. 11. *nec in terrenis, quæ nos impediunt, immoremur*, ſubdit D. Anſelmus c.

Convenienter ad hoc propoſitum, hanc movere volo quæſtionem. Quare Deus vocari voluit *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Ja-*
d Exod. 3. 6. *cob d*? Videtur quòd fuiſſet ipſi honorabilius, ſi nomen Dei cœli & terræ ſibi vendicaſſet, aut ſibi ſpecioſos iſtos aſciviſſet honoris titulos, Solis, Lunæ & Stellarum. Quare igitur ſe ita nuncu-
e Hebr. 11. 9. &c. ex Gen. 13. 12. pandum juſſit? In D. Pauli e eo ſententiam, *Fide Abraham demoratus eſt in terrâ promiſſionis, tanquam in alienâ*, quaſi extraneus & peregrinus *in caſulis habitando cum Iſaac & Jacob cohæredibus repromiſſionis ejuſdem*. Et ratio iſtius eſt: *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus Artifex & Conditor Deus*; Nolens ſe dicere civem loci illius, licet ejus eſſet Dominus, mentem & cogitationem ſemper intentam ad gloriam: Sic ille, cujus ſpes bonis innititur æternis, poſſeſſiones contemnit terrenas. Concludit tandem Apoſtolus, *Ideò non confunditur Deus, vocari Deus eorum*. Poſtquàm *Judas projectis argenteis in templo, receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit, Principes Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt, Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum f*. D. Maximus g verò ait f Matth. 27. 3. &c.
ſuper hæc, *Peregrinis, qui erant ſine domo, ſine patriâ, & toto orbe exules jactabantur, requies Chriſti Sanguine providetur, ut quibus non eſt in mundo poſſeſſio, iis in Chriſto ſit ſepultura. Iſtos autem peregrinos quos eſſe dicimus, niſi devotiſſimos Chriſtianos, qui renunciantes ſæculo, & nihil poſſidentes in mundo, in Chriſti Sanguine requieſcunt? Ubi creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum, benedixit* g D. Maxim. Taurin. Homil. de Juda prodit.
eis h. Non legitur quòd Deus benedixerit herbis. Quare? Ratio iſtius eſt, Quia interventu fibrarũ & radicum ſuarum, terræ fortiter adhærent, cùm creaturæ quæ ita arctâ unione terram amplectuntur, indignæ ſint benedictione Dei. Hoc tacitè minatur Deus hominibus, qui ſuos alligant affectus rebus temporaneis, & caducis innitentes commodis, bonorum obliviſcuntur æternorum. Ideò D. Gregorius i ait, *Quaſi firmâ radice ſtultus in terrâ figitur, qui totis deſideriis in terreno amore ſolidatur. Unde & primus Cain civitatem in terrâ conſtruxiſſe dicitur k: ut apertè monſtraretur, quia ipſe in terrâ fundamentũ poſuit qui à ſoliditate cœleſtis patriæ alienus fuit. Quaſi firmâ radice ſtultus attollitur, quando hic temporali proſperitate fulcitur, ut omne quod appetit, aſſequatur, adverſa nulla ſuſtineat, contra infirmos ſine repugnatione prævaleat, benè agentibus ex authoritate contradicat, ad majora commoda ex pejori ſemper actione perveniat, ut unde viam vitæ deſerit, inde ad tempus fœlicior vivat.* Diſſolvamus affectus noſtros à terrâ, ut Filius Dei, qui naſcitur in terrâ alienâ, & conciliabimus nobis gratiam ejus, & gloriam illius.

h Gen. 1. 21.
i D. Greg lib. 6. mor. c. 4. in Iob. 5. 3.
k ex Gen. 4. 17.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Act. 7. 60. &c.

QUi rerum veterum notitiæ ſunt periti, ſcire debent, quod Antiqui ſolennem nativitatis ſuæ celebrantes diem, abſtinere ſoliti erant ab armis, à gladio, & ab omnigenâ violentiâ. Ratio hujus conſuetudinis recenſetur ab illis, qui eam obſervaverunt, & ſcriptis illam in chartâ exaraverunt, dicentes, *Ne die ipſa, quâ ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.* Ideò jure merito vituperare poſſumus Herodem cæco quòd *cùm dies opportunus accidiſſet natalis ſui, caput Joannis Baptiſtæ, miſſo ſpeculatore præcepit afferri in diſco, & decol-*
a Marc. 6. 21. &c. *lavit eum in carcere a*. Quia tractare de morte inferendâ, cùm celebratur dies anniverſarius ſeu principium vitæ, non decet homines aliquantulam præ ſe ferentes humanitatem. Contrarium tamen invenio aliquo modo peragi, Auditores, quoad Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem heſternâ die adoravimus recli-
b Luc. 2. 7. natum *in præſepio b*, quippe quam comitata eſt cædes Innocentium, quam machinatus eſt & edendam juſſit alter *Herodes, & mittens occidit*
c Matth. 2. 16. *omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà c*. Quin imò ipſemet Salvator ait de ſe, *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam d.*

Hinc quidam inconcinnè arguebat Pictorem d Matth. 10. 34. & 35.
illum qui Nativitatem Domini noſtri pinxerat in clypeo, dicens, quòd *Princeps pacis e* non eſ- e Iſai. 9. 6
ſet in armis pingendus. Nam præterquàm quod Nativitas illius eſt noſtra defenſio & tutela adverſus tentationes, ipſa præ noſtris ponit arma manibus, quibus noſtros oppugnemus & expugnemus hoſtes. Idcircò vobis non videbor injurioſus, aut inhumanus, ſi die iſtâ, quæ Nativitatem ejus immediatè pòſt ſequitur, afferam vobis gladium & arma, quorum interventu vindictam capeſſatis, & glorioſum referatis triumphum de inimicis veſtris, inſtar D. Stephani, cujus nunc honoramus coronas, ut ſatisfaciamus, nedum tamen Deus offendatur, deſiderio naturali nos ulciſcendi. Sed ut conſilium iſtud ſuccedat nobis ad votum, efflagitemus intelligentiam illius à Spiritu ſancto per merita illius

quæ

f Gen 3. 15.

quæ contrivit caput *f* ſerpentis, Principis malitiæ æquè ac militiæ infernalis, dum *factum eſt prælium magnum in cœlo g*, & dicamus ei cum Angelo qui eſt fortitudo Dei, *Ave Maria.*

g Apoc. 12. 7. &c.

Veritas eſt compertiſſima in Scripturâ ſacrâ, quòd Deus tam in antiquo Fœdere, quàm in novo Teſtamento reſervavit ſibi vindictam & punitionem de inimicis capeſſere. In Lege veteri *h*, *Mea eſt ultio, & ego retribuam.* In Lege verò Evangelicâ *i*, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Quæ verba ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *k*, *Mihi vindictam committite, & ego retribuam, dicit Dominus, qui facio judicium omnibus injuriam patientibus l. Noſtra tranſlatio eſt : Mea eſt ultio, & ego retribuam eis in tempore.* Vel *m*, *Mihi reſervate vindictam, id eſt, mihi, vel Vicariis meis, putà Judicibus, & ego retribuam juſtam ultionem per me, vel meos miniſtros. Hoc Dominus, quantùm ad ſenſum, loquitur in Deuteronomio, Mea eſt ultio, & ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum. Secundùm quoſdam habetur in propriâ formâ apud Ezechielem n, ſecundùm tranſlationem LXX. Interpretum.* Atqui horum caſuum reſervatorum Juſtitiæ Dei, videntur dari poſſe quatuor [illegible]ones præcipuæ. Prima, Quia Deus eſt immunis à paſſione, & conſequenter à ſævitiâ. Heu! ſi ſtandum eſſet hominibus ad capeſſendam vindictam de inimicis ſuis, quaſnam non committerent crudelitates! *Fecit Idumæa ultionem, ut ſe vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, & vindictam expetivit de eis o*, Super quæ Pintus *p* ait, *Idumæi poſteri Eſau Iſraëlitas à Jacob originem ducentes, odio proſequebantur. Et in ultionem primogenituræ q, & benedictionis r inſultarunt Hebræorum calamitatibus, eoſque oppugnarunt, & opprobriis affecerunt. Quam ob cauſam evertit Deus Idumæos : nam ipſe ait, Mihi vindictam, & ego retribuam.* Cùm juſtum ſit ut Deus gladiũ eripiat è manu hominũ iratorũ.

h Deut. 32. 35.
i Rom. 12. 19. & Hebr. 10. 30.
k Dion. Carth. in 12. in Rom. 12. 19.
l ex Pſ. 102. 6.
m Idem art. 10. in Hebr. 10. 30.
n ex Ezech. 25. 12. &c.
o Ezech. 25. 12. &c.
p Pintus in Ezech. 25. 12. &c.
q ex Gen. 25. 33.
r ex Gen. 27. 27. &c.

Secunda ratio eſt, Quia Deus qui totus *bonus s* eſt, perfectam habet notitiam veritatis & enormitatis noſtrorum ſcelerum, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus t.* Nos verò perſæpè cæco judicamus impetu & temerario, & confeſtim ac furore ſumus perciti, oculi noſtri, ſenſus, animi, ac intellectus ſic ſunt interturbati, ut actiones inimicorum noſtrorum vel ſanctiſſimæ appareant nobis veluti crimina, ſic torvis intuemur eas oculis, & ſiniſtris interpretamur judiciis. Heu! quantâ afficeremur afflictione, ſi oporteret ut ſubjaceremus arbitrio Hominis ignari, & impii. Ut ignarus, maximas quaſque virtutes noſtras inſimularet injuſtitiæ; & ut improbus, judicaret nos etiam eſſe malos; quia ſicut vix ſuſpicatur quis malum, qui probus eſt; ita vix ſuſpicatur quis juſtum, qui impius eſt. Et ideò cùm Deus ſit totus bonus, & totus cognoſcens, *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum u*; reſervavit ſibi ultionem, *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

s Pſ. 118. 68.
t Hebr. 4. 13.
u Jer. 17. 10.

Tertia ratio eruitur ex eo, quòd Deus perfectè novit menſuram & pondus pœnæ, quam merentur peccata noſtra; quaſi ſtateram habet, in quâ noſtra pōderat demerita æquè ac pœnas nobis infligendas, ſicut ponderavit ſacrilegia Baltaſſar Regis Babyloniorum, *Appenſus es in ſtaterâ, & inventus es minus habens x.* Quantùm ad homines, ea neſciunt ponderare, & ſermo Davidis *y* quotidie invenitur verus, *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Conveniebat igitur hominibus ut Deo vindicta reſervaretur.

x Dan. 5. 27.
y Pſ. 61. 10.

Quarta ratio eſt, Quia Deus *eſt Judex vivorum & mortuorum z.* Ad omnes non ſpectat homines damnare reus, minùs autem de eis pœnas ſumere; Hoc pertinet ad Juſtitiam : ſic vindicta non eſt penes nos qui ſumus rei, ſed penes Deum, qui eſt *Judex juſtus a.* Propterea *date locum iræ b.* Sed cui? Nimirum Dei, ut commentatur Oecumenius apud Cornelium *c*, *Date locum ac ſpatium ut ira Dei veniat.* Quia ſi juſtitiam vosmetipſi exerceatis, cum veniet ira Dei ad puniendos eos, qui vobis injurias irrogaverunt, nihil inveniet in eis plectendum, quia jam peregeritis id quod ſpectat ad officium Jeſu, *Qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum.* Sed ſi ita ſe habet res, quomodo igitur poterimus ſatisfacere deſiderio ſumendæ de inimicis noſtris vindictæ, quo ita ardenter afficimur? Hoc non impedit quominùs eam capiamus, quin è contrà iſtud inducit nos ad eam ſumendam; nam cùm poſſimus imitari Deum, & vindicta ad eum ſpectet, poſſumus etiam ultionem capeſſere eo modo quo Deus illam ſumit, & quo eam D. Stephanus erga ſuos exercuit inimicos. Et hoc eſt quod intendo vobis probare in duplici parte diſcurſus iſtius, Cujus Prior oſtendet vobis, quòd detur ſancta vindicta in Chriſtianiſmo; Poſterior verò monſtrabit vobis modos illius ritè exercendæ.

z Act. 10. 42.
a Pſ. 7. 12.
b Rom. 12. 19.
c Cornel. in Rom. 12. 19.
Diviſio.

Dico igitur dari inter Chriſtianos vindictam ſanctam, laudabilem, & licitam : ſic enim ratiocinari poſſumus. Omne malum verum, quatenus tale, meretur pœnam, cùm omne bonum, quatenus bonum, mereatur mercedem. Iſta eſt lex contrariorum, & ſicut *contrariorum contrariæ ſunt cauſæ d*; ſic & contrariæ ſunt conſequentiæ. Vindicta igitur cùm nihil aliud ſit niſi punitio mali, concludendum eſt, quòd ex ſeſe eſt bona, juſta, & rationi conſona. Dico, ex ſe, quia ſola corruptio noſtra depravat, & in malum convertit uſum res optimas, perfectiſſimas, & ſanctiſſimas.

I. Pars.
d Ariſt. lib. 2. de Gener. & Corrupt. c. 10. text. 56.

Inſuper. Omnis virtus eſt bona, & licita Chriſtiano, cùm vita non perficiatur niſi in praxi virtutum : Atqui vindicta eſt talis, & ſic à D. Thoma *e* definitur, *Vindicatio eſt quædam ſpecialis virtus, per quam in unoquoque perficitur naturalis inclinatio repellendi nociva.* Huic autem *vindicationi opponuntur duo vitia. Unum quidem per exceſſum, ſcilicet peccatum crudelitatis vel ſævitiæ, quæ excedit menſuram in puniendo. Aliud autem eſt vitium quod conſiſtit in defectu; ſicut cùm aliquis eſt nimis remiſſus in puniendo.* Pater, qui præ exceſſu corripit filium ſuum qui deliquit, non rectè agit, ſævitia eſt. Pater, qui præ nimiâ indulgentiâ efficit ut filius ſuus diebus ſingulis pejor evadat, non ritè ſe gerit, puſillanimites eſt damnata in Heli *f* à Deo; ſed filios punire mediocriter, virtus eſt digna quæ exerceatur inter Chriſtianos.

e D. Thō. 2. 2. q. 108. a. 2. in concl. & ad 3.
f 1. Reg. 2. 22. &c.

Prætereà, Quidquid permittitur Sanctis, non poteſt eſſe niſi ſanctum & bonum : Vindicta conceditur illis in Scripturâ ſacrâ : Ergo: eruite vos ipſi concluſionem. Sed quomodonam vindicta indulgetur eis? Videte quomodo. In primo ſacrorum Bibliorum libro, ſanguis innocentis Abelis vindictam clamabat ad Deum adversùs Cain, qui *interfecit eum, & ait Dominus ad Cain, Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra g.* In ultimo verò, D. Joannes Evangeliſta audivit *ſubtus altare animas interfectorũ propter verbũ Dei,*

g Gen. 4. 8. &c.

& propter teſtimonium quod habebant; & clamabant voce magnâ, dicentes, Uſquequo Domine (Sanctus & Verus) non judicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terris h? Et ipſa Eccleſia concinit, *Sub throno Dei omnes Sancti clamant, Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter.* Sic David i repræſentat eos habentes præ manibus gladios utrâque parte acutos, *Et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Sic *latabitur juſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris k.* Quæ ſic explicat D. Auguſtinus l, *Non illam futuram*, quæ fiet ipſo judicii extremi die, ſed eam ultionem quæ fit nunc. *Sed quid eſt, in ſanguine peccatoris lavabit manus ſuas? Juſtus quando videt pœnam peccatoris, proficit ipſe, & mors alterius valet ad vitam alterius. Si enim ſpiritualiter ſanguis currit de his qui intrinſecùs moriuntur, tu videns talem vindictã, lava illic manus tuas: de cætero mũdiùs vive.*

h Apoc. 6. 9 & 10.
i Pſ. 149. 6. &c.
k Pſ. 57. 11
l D. Aug. in Pſ. 57. 11.

Verum igitur eſt, quòd detur in Chriſtianiſmo vindicta licita, quæ noſtræ ſatisfacere poteſt inclinationi. Sed non eſt ignorandum, quòd, cùm vindicta ſit punitio mali inimicorum, ſicut multiplex eſt mali genus, ſic varia ſunt genera inimicorum, & conſequenter diverſæ admittuntur vindictæ. Primò, Habemus inimicos Dei atheos, impios, æquo liberiores, Hæreticos, blaſphematores, & alios hujuſmodi farinæ homines. De talibus æquum eſt ut vindictam ſumamus inimicis, quia omnes homines eſſe debent milites ad complectendam & tuendam cauſam Dei. Sic D. Chryſoſtomus invectus in cõcione quâdam m adversùs blaſphematores, ſancto percitus zelo, orabat Auditores ſuos, ut quibuſcumque blaſphemantibus obviis alapas impingerent, *Si quempiam in bivio & foro Deum blaſphemantem audieris, accede, increpa: & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes: ipſius faciem alapâ percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica.* Ha! Auditores, nolite unquam ſinere ut in domibus veſtris, coram vobis offendatur Deus; ferte præ vobis zelum ad amplectendam cauſam Dei, à quo eſt gloriæ æternæ *paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi n*, ſi fortiter reſiſtitis inimicis ipſius in tempore; corripite authoritate, quam præbuit vobis Deus ſimul cum gratiâ, impudentem eum, qui præ vobis verba proferre audet obſcœna. Si verò non placet ei correctio veſtra; nihil intereſt; inimicus Dei eſt.

m D. Chryſoſt. hom. 1. ad Popul.
n Matth. 25. 34.

Secundò, Habemus inimicos ſalutis noſtræ, mundum o, carnem p, & diabolum q. Contra iſtos autem inimicos vindictas tot inſumite quot volueritis. Contemnite mundum, affligite carnem veſtram, odio proſequimini diabolos, bellum indicite inferis, & rem gratam Deo peragetis. Declinate à pravis conſortiis, quæ vobis ad ſectandum vitium pandunt viam; ne familiari unquam utamini converſatione hominum, qui Deum non timent; nec ullo adhæreatis modo corruptis ſæculi maximis quæ oppoſitæ ſunt innocentiæ & ſanctitati Chriſtianæ; nec veſtrum mundo alligetis affectum, juxta conſilium quod præbet vobis diſcipulus, *quem diligebat Jeſus r*, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt s.* Cujus conſilii tradens rationem D. Jacobus t, ait, *Quicumque voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* Eſt igitur odio proſequendus mundus nobis, quantum in nobis erit, ut Deus nos diligat, & excipiendus à nobis ut inimicus irreconciliabilis, cùm affectet nobis adverſari. Quoad id quod carnem ſpectat, *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram u.* Macerate eam carnem continuis jejuniis atque vigiliis, & dicite cum illo ſancto viro, qui rudibus ſe exercebat auſteritatibus, *Vexo eum qui me vexat.* Re autem verâ *debitores ſumus, non carni ut ſecundùm carnem vivamus*, & juxta appetitus ejus aut paſſiones, ait D. Paulus. *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu, facta carnis mortificaveritis, vivetis x.* Id eſt, *Vitâ charitatis & gratiæ in Eccleſiâ militante, vitâ quoque fruitionis & gloriæ in Eccleſia triumphante*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus y. Si verò debemus odiſſe mundum, & carnem propriam, ſicut eodem tenemur excipere modo diabolum, qui inducit nos ad peccata, quæ *diviſerunt inter* nos *& Deum z* noſtrum; contra hunc inimicum Dei noſtros adhibere debemus deſpectus, vindictas noſtras, odia noſtra, & omne id quod rabiem illius ciere poteſt; cum hoc crudeli nullum unquam debemus inire fœdus; adversùs hunc *ſerpentem*, qui *maledictus a* eſt à Deo, armare debemus paſſiones noſtras, zelum noſtrum, indignationes noſtras, eique bellum indicere perpetuum, ut ſatisfaciamus deſiderio noſtro rectæ rationi conſono.

o Jo. 15. 18
p Matth. 20. 30.
q Luc. 22. 31.
r Jo. 21. 20.
s 1. Joan. 2. 15.
t Jacob. 4. 4.
u Coloſſ. 3. 5.
x Rom. 8. 12. & 13.
y Dion. Carth. art. 11. in Rō. 8. 13
z Iſai. 59. 2.
a Gen. 3. 14.

Tertiò, Habemus inimicos noſtros, quos autumamus tales, quia malè de nobis loquuntur, opprobriis nos onerant, injuriis nos opprimunt, ruinam noſtram moliuntur, & poſſibilia nobis omnia inferunt mala. De iſtis autem ſumenda eſt vindicta æquè ac de aliis, ſed bona, laudabilis & licita vindicatio, & talis, quam vobis ſum repræſentaturus in hâc poſteriori parte, & delineaturus vivis coloribus eximiarum virtutum D. Stephani.

II. Pars

Cum Sancti *vindictam b* ſument de inimicis ſuis, illam capient cum Deo, ſicut cum eo apoſtatas *Angelos c* judicabunt, æquè ac homines peccatores *d*: ſic nos ut ritè ultionem ſuper noſtros exerceamus inimicos, debemus imitari Dominum noſtrum, & hanc ſimul cum illo ultionem peragere, ſicut eam exercuit D. Stephanus. Maxima vindicta præ omnibus illis quas de noſtris ſumere poſſumus inimicis, eſt injurias ab eis nobis irrogatas, illis condonare. Nolite autem cogitare hoc eſſe contrarium ſenſui communi: licèt enim iſtud ſit paradoxum, eſt tamen veritas, ſed quæ adverſatur ſenſui vulgi, qui nihil intuetur niſi oculis carneis: quoad enim homines ingenioſos, ratio ibi eſt formalis. Primò, Conſilium inimicorum noſtrorum in eo eſt ſitum ut nobis moleſtiam & injuriam inferant; nos autem induamus nos patientiâ ſic validâ ut pravis eorum omnibus voluntatibus ſuſtinendis ſit accommodata, ſic nullo poterunt nocere nobis modo. Hic effectus eſſe debet ſanctæ Nativitatis, & ſi Deus aliquâ affici poteſt lætitiâ, majori nequit perfundi, quàm cùm ſic naſcimur ſpiritualiter, ut in actibus noſtris Divinam generoſitatem ejus prædicemus, quæ generoſitas manifeſtatur præcipuè in veniâ injuriarum, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam*, ait illi Salomon *e*. Et Eccleſia ſic ei concinit, *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* Inimici veſtri volunt

b Pſ. 149. 6.
c 1. Cor. 6. 3.
d Matth. 19. 28.
e Sap. 11. 24.

volunt vos contemnere, & uſque ad confuſionis centrum vos deprimere, veſtram oſtendite eis generoſitatem, parcentes eis injurias, quas vobis irrogant, & glorioſum de illis referetis triumphum: Quid agere potuerunt inimici D. Stephani, huic S. Protomartyri, niſi meliorem ei procurare vitam, liberantes eum è vitâ miſeriis repletâ?

Secundò, Intendunt inimici noſtri malefacere nobis. Nonne verum eſt hoc? Atqui ſi illis ignoſcimus, nullum nobis inferent malum, quin ſtatim majus nobis afferant bonum, quo præmiabitur nos Deus. Cùm è contrà, ſi illis non parcamus, majus nobis ſimus nos ipſi illaturi malum quàm ipſi forſan velint; noſtram enim addicemus animam ad damnationem æternam per inobedientiam exhibitam huic præcepto, *Diligite inimicos veſtros f.* Auſcultemus ergo conſilium D. Chryſoſtomi *g*, *Primùm quidem diſcamus vincere proximum charitate*, quæ erat armatura, quâ inductus erat D. Stephanus, qui de ſuis victoriam jugiter referebat inimicis, ut teſtatur D. Fulgentius *h*, *Charitatem pro armis habebat, & per ipſum ubique vincebat.*

f Matth. 5. 44.
g D. Chryſoſt. hom. 4. in Gen. 1.
h D. Fulgent. Ruſp. ſerm. de S. Steph.

Tertiò, Inimici noſtri prævalere vellent adversùs nos; ſed ignoſcentes eis, adversùs illos prævalemus. D. Lucas loquens de perſecutione, quæ D. Stephanum lapidaverat, myſtico Scripturam *i* ſacram loqui facit modo. Nedum enim ſcripſerit, ut ordinariè legitur, Talis mortuus eſt ſub Nerone, ſub Domitiano, ſub Diocletiano, ſub Juliano Apoſtatâ, &c. è contrà ait, fideles fuiſſe diſperſos in perſecutione peractâ ſub D. Stephano, *Et illi quidem qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano.* Videbatur ſcribendum, quæ peracta fuerat ſub Judæis, qui illius fuerunt authores, carnifices, & tyranni, non autem dicendum, *quæ facta fuerat ſub Stephano*, qui illius fuit Martyr, quippe qui à Judæis contritus & obrutus fuit lapidibus. Sed appoſitè Scriptor ſacer locutus eſt, quia D. Stephanus prævaluit adversùs Judæos, & de ſuis victoriam retulit inimicis, ſuſtinendo eos patienter, ignoſcendo eis generoſè, & charitativè orando pro eorum converſione. Sic, Auditores, prævaleamus adversùs inimicos noſtros, ut noſtro ſatisfaciamus deſiderio naturali. Ut autem illud impetremus, procedamus in eo tribus viis facilibus, quas oſtendam vobis in reliquo diſcurſûs iſtius.

i Act. 11. 19.

Deus adversùs ſuos prævalet inimicos tribus modis, quos D. Stephanus obſervavit, & quibus nos inhærere debemus ad ſubjiciendos nobis noſtros; ut, ſicut D. Stephanus ſecutus eſt Jeſum in triumphis ipſius, ita nos imitemur D. Stephanum in ipſius victoriis. Prima iſtarum maximarum in hoc eſt ſita, ut iniquitate illorum utamur ad deſtruendam ipſorum malitiam. Proprium eſt Deo adhibere arma inimicorum ſuorum ad eos expugnandos. Poſtquàm *prævaluit David adversùs Philiſthæum, tulit gladium ejus, & eduxit eum de vaginâ ſuâ, & interfecit eum, præciditque caput ejus k* proprio ipſius gladio. Mitiſſimus *Jeſus cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis l*, quibus utebantur Judæi in exercendis ſacrilegiis ſuis, eoſdem mercatores iiſdem funibus exiguis in modum flagelli compactis excepit. Hic eſt modus procedendi Juſtitiæ Dei, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur m.* Salvator vicit diabolum, peccatum, mortem, & infernum, ſicut ipſe teſtatur, *Ero mors tua, ô mors; morſus tuus ero, inferne n*, per flagella, ſpinas, clavos, lanceam, & cætera inſtrumenta Paſſionis ſuæ, quæ Judæi aut carnifices in umpſerunt ad ipſum interimendum *o*. Sed *illi qui perſequebantur Dominum, ſemetipſos non ſentientes verberabant, non Domino interim, ſed ſibi noxii*, ait D. Athanaſius *p*. Qui ſubdit ſtatim: *Ut enim, ſi quis lapidem manu ſecare velit, lapidem quidem non ſcindit, ſed manum vulnerat; eâdem ratione contra Dominum agentes, utpote contra incorruptibilem q, pernitiem ſuam moliebantur, & immortali r mortē intentantes ipſi in mortē rapiebantur.*

k 1. Reg. 17. 50. & 51.
l Jo. 2. 15.
m Sap. 11. 17.
n Oſee 13. 14.
o Joan. 19. 1. &c.
p D. Athã. de Paſſ. & Cruce Dom.
q ex Rō. 1. 23.
r ex 1. Timoth. 1. 17.

Generoſus Protomartyr D. Stephanus inviolatâ fidelitate ſecutus eſt Dominum ſuum; & tormentis ſuis patienter toleratis, fortiter ſibilans, & charitativâ ſtipatis oratione fusâ ab ipſo in gratiam perſecutorum & carnificum ſuorum, majora intulit mala inimicis Jeſu Chriſti, quàm ſi lapidibus non fuiſſet obrutus, in hoc ſimilis athletæ induſtrio, qui captâ occaſione præcipuum ſuum peragit ictum, cùm vel ab adverſario ſuo humi tenetur proſtratus. Unde Lorinus *s* ait, *Nicænus ſic de eo ſcribit, Benignâ precatione ſanguinarios compenſaſſe, rogans, ne in contrarios eventus facinus, quod in ipſo perpetrabatur, divideretur, ut ſibi quidem vitam, adverſariis autem exitium adferret; ſed quibus ipſe dignus judicatus eſſet ab iis ne hoſtes quidem, quaſi bonorum ſibi aliqui ex parte authores, excluderentur.* Et poſtquàm addidit Lorinus, *Subdit conſpectum Jeſu imitationis ejus memoriam ſuggeſſiſſe:* denuò citat Nicænū: *Sic is, qui Chriſtum cernit adversùs hoſtes ſeſe gerere novit. Quoniam enim lenitatis Præceptorem t videbat, recordatus eſt Legum ab eo latarum u, inimicos diligere jubentium, & beneſacere odio proſequentibus, & pro hoſtilia facientibus orare.* Imitemur, Auditores, hunc glorioſum Ducem Martyrum, qui datur nobis ut prototypon, cui adhærere debemus; & utamur malis, quibus nos opprimunt inimici noſtri, ut eos expugnemus, vincamus, puniamus iiſdem, & vindictam de illis ſumamus rectæ rationi conſonam. Scitiſne autem quomodonam in hoc genere debeatis vos occurſu? Reflectite vos ſupra proprias actiones veſtras, & agnoſcite modum capeſſendæ ſanctæ de illis vindictæ.

s Lorin. in Act. 7. 60. citans D. Greg. Nic. orat. de S. Steph.
t ex Matt. 11. 29.
u ex Matt. 5. 44.

Quidnam ergo punire deſideratis in inimico veſtro? Non bonum, quod videtis in eo: alioquin injuſti eſſetis vos; ſed ſolum malum, quo illum auguratis inquinatum. Re autem verâ ſi malum, quod in illo advertitis, ab eo eſſet ſemotum, illum diligeretis. Iſtud igitur malum eſt aut imaginarium, aut reale. Si hoc malum eſt phantaſticum, oportet ut inſurgatis in voſmetipſos potiùs quàm in eum, quem habetis ſicut inimicum, quia mens aut phantaſia veſtra læditur aſpectu rei quæ eſt bona. Si malum eſt reale, illud eſt deſtruendum, in veſtram coincido ſententiam, ſed quomodo eliminandum? Non alio malo, quia iſtud eſſet imitari eos qui ſe ab aliquo ſortilegio liberant medio alio veneficio, quod expreſsè prohibitum eſt à Lege *x*; *Et ſicut ajunt quidam, Faciamus mala, ut veniant bona, quorū damnatio juſta eſt y. Quia mortaliter peccant z.* Eſt igitur deſtruendū malum propter bonum, volendo bonum inimicis, & eis benefaciendo. Ratio iſtius evidens eſt, Quia verus modus deſtruendæ rei alicujus, eſt contrariū illius in exercitiū redigere. Vultiſne deſtruere malum quod eſt in inimico veſtro? Opponite ei bonū, laudes vituperiis ejus, actiones gratiarū injuriis illius, honores contemptibus ipſius, & charitatem odio ejuſdem. Efficite ut malitiæ, quas adhibet adversùm vos, vobis ſint occaſio convertendi illius,

x Exod. 20. 3 & 4.
y Rom. 3. 8.
z Dion. Cart. art. 6 ultom. 3. 8.

& con-

& conamini plantare præ immodicis beneficiis virtutem in animâ ejus; oſtendite vos meliores eſſe erga eum, quàm ipſe ſit malus adverſùm vos; & ſperare quòd Dei auxilio ſuffulti illum ſuperabitis & lucrabimini, ſicut D. Stephanus vicit & lucratus eſt eos *a*, qui mortem ipſi intulerant, aut ei ipſi inferendæ conſenſerant. Certiſſimum enim eſt, quòd, ſecundùm D. Athanaſiam *b*, *Vbi injuriam, ſicut Dominus fecit c, toleramus, & conviciatoribus patientiam opponimus, & minantibus impavidum pectus, & morti ſpem immortalitatis, prorſus iſtiuſmodi rebus diſcruciamus inimicum, ſub iſtiuſmodi panoplia ſuccumbentem, quo genere armorum Paulus d nos communiens, inquit, Induite armaturā Dei, ut poſſitis reſiſtere diaboli inſidiis. Panoplia* eſt integra armatura. Sed non ſufficit ad prævalendum ſuper inimicos noſtros ut deſtruamus infortunium inimicorum noſtrorum per bonum noſtrum, utentes malitiâ & iniquitate eorum ut occaſione ad eliminandam impietatem eorum, ſed præterea requiritur ut inde eruamus bonum & emolumentum. Et hic eſt ſecundus modus triumphandi de adverſarijs noſtris, quem edocemur à Deo, à Jeſu Chriſto, & à D. Stephano.

Suam Deus manifeſtat gloriam, potentiam, bonitatem, juſtitiam erga maximos ſuos inimicos. Gloriam, cùm *illuminat e* eos lumine gratiarum ſuarum ad illos convertendos. Potentiam, illos actu convertendo, mutando eos è ſimilibus *jumentis inſipientibus f* in homines, è dæmonibus in Angelos, è vaſi. *in contumeliam g*. in vaſa *electionis h*. Bonitatem ſuam, diſſimulando *peccata hominum propter pœnitentiam*. Diligit *enim omnia quæ ſunt, & nihil eorum, quæ i* fecit, odit; ſuſtinendo *in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum ut divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam k*. oſtendat. Juſtitiam ſuam, cum *judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate l*, damnando vitia eorum, & arguendo *in furore* ſuo, & confuſiones illorum *in ira m* ſuâ corripiendo, & addicendo *in ignem æternum n* præſentéiâ indignatione æquè ac ratione, repletâ. Peccator indurate, inimice Dei, multiplica ſcelera tua quantùmcumque volueris, ratus te caligine offuſurum eſſe gloriam Creatoris tui; Turpiter hallucinaris; peccata tua erunt veluti pabulum quo ſoveatur in æternum ignis inferni, ut inde ardeat ira Dei, & juſtitia ejus evadat ſplendidior medias inter tenebras tuæ damnationis. Impietates tuæ elaborant gradus tribunalis, ſuper quo judicaturus eſt ipſe animas criminoſis, quando videbit ſuus *inimicos ſcabellum pedum o* ſuorum. Fabricas Salvatoris *ſupra dorſum, iniquitatem p* tuam prologando, quandiu ipſe ſuas tibi continuat gratias; *Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicij Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera eius q* Ita verum eſt quòd Deus *omnipotens r* utitur inimicis ſuis ad manifeſtandam gloriam ſuam omnibus creaturis.

Illius *Filius dilectus in quo bene s* ſibi complacuit, eundem fecit uſum eorum, qui oppoſiti ipſi, abutebantur gratijs ipſius. Cum jam jam videndus eſſet *in terris, & cum hominibus t* converſandus, proximante Nativitate ipſius, Judæi recuſant domicilium Parentibus ipſius, qui coguntur divertere in ſtabulum, in quo Maria ipſum *peperit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio u*. Ipſe verò hoc utitur deſpectu ad convertendos Gentiles in perſonâ Magorum *x*: *Cùm ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis Regis*, confeſtum quærit hic *Herodes Puerum ad perdendum eum*. Et ipſe utitur hoc inimico ob ſalutem Innocentium, cùm idem *Herodes iratus valdè, mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà*. Furor Regis iſtius effecit ut Joſeph acceperit *Puerum, & Matrem eius nocte. & in Ægyptum* ſeceſſerit. Et hâc fugâ ipſe utitur ad ſanctificandam eandem Ægyptum, ut prædixerat Iſaias *y*, *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus*. Denique, Tota vita ejus nihil aliud enunciat in concionibus *z*, in miraculis *a*, & in converſationibus *b* ipſius: Sicut è Paſſione & Morte ſuâ cauſatâ ab inimicis ſuis honorem & gloriam conciliavit ſibi coram hominibus, & Angelis, *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum c*.

Idem dicite de glorioſo S. Stephano, & cogitate mecum, cum utum fuiſſe proficuè lapidibus infectis veneno rabiei inimicorum ſuorum, ad elevandum ſe in gloriam, & ad concinnandam ſibi ex iis ponendam ſuo *in capite coronam de lapide pretioſo d* omnium virtutum; ita ut dicere poſſet, *In petrâ exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos e*. vel cum Poëtâ Chriſtiano,

Lapides vertuntur in aſtra.

Obſervant curioſi rerum naturalium Indagatores, inveniri in quâdam regione Hiſpaniæ quoſdā lapides, qui contriti intuendas exhibent in radicibus aut fibris ſuis figuras palmarum, quæ ſunt victoriarum ſymbola. Ha! ſi infringeretis lapides D. Stephani, quotnam deprehenderetis in iis palmas, quot merita, quot victorias, quantam gloriam, quàm ingentem honorem? *Lapides torrentis illi dulces fuerunt, ipſum ſequuntur omnes animæ juſtæ f*. Sequamur eum & imitemur illum, ut triumphemus ſecundùm maximam inclinationem noſtram de inimicis noſtris, in noſtram vertamus utilitatem odia eorum, injurias, invidias, detractiones, & omnia mala, quæ ipſi conantur nobis irrogare. Si velimus, ex iis efficiemur humiliores, patientiores, ſapientiores, generoſiores, perfectiores, & conſequenter glorioſiores coram Deo, & palam hominibus. Salvatori *tentator dixit, Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant g*. Sed Chriſtus iſtud noluit facere miraculum, quod reſervabat ſuis, qui convertunt lapides in panem, & ſilices in cibum toties quoties intuitu inimicorum ſuorum evadunt meliores, perficientes ſe & ſe alentes injuriis, vituperiis, opprobriis, detractionibus, crucibus, & tolerantiis. Hic eſt ſecundus modus vincendorum inimicorum noſtrorum, & vindictæ ſumendæ de illis qui nobis ſunt infenſi.

Tertius autem conſiſtit in eo, ut non ſolùm utilitatem ex inimicis noſtris concilemus nobis; ſed etiam ut ex illis emolumentum procuremus aliis, imò verò omnibus hominibus. Verum quidem

eſt.

a Act. 7. 60. *b* D. Athan. loco ubi ſupra. *c* ex Luc. 23. 34. *d* ex Epheſ. 6. 11. *e* Joan. 1. 9. *f* Pſ. 48. 13 & 21. *g* Rom. 9. 21. *h* Act. 9. 15. *i* Sap. 11. 24. & 27. *k* Rom. 9. 22. & 23. *l* Pſ. 97. 9. *m* Pſ. 37. 2. *n* Matth. 25. 41. *o* Pſ. 109. 1. *p* Pſ. 128. 3. *q* Rom. 2. 5. & 6. *r* Eſth. 13. 9. *s* Matth. 17. 5. *t* Baruch. 3. 38. *u* Luc. 2. 7. *x* Matth. 2. 1. &c. *y* Iſai. 19. 1. *z* Joan. 7. 46. *a* Marc. 7. 37. *b* Joan. 4. 7. &c. *c* Philipp. 2. 9. & 10. *d* Pſ. 20. 4. *e* Pſ. 26. 6. *f* Eccleſia. *g* Matth. 4. 3. & 4.

eſt, Deum ſinere ut vivant impii, & ſuſtinere præ patientiâ quæ non poteſt eſſe niſi Divina, eorum impietates, blaſphemias, & omnes culpas, ſed ex his malis particularibus ipſe bonum totius eruit Orbis, ut aſſerit Origines *h*, *Malitiam Deus non fecit: tamen eùm ab aliis inventam poſſit prohibere, non prohibet: ſed cum ipſis, à quibus habetur, utitur eâ ad neceſſarias cauſas. Per ipſos enim, in quibus eſt malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam ſi perimeretur malitia, non eſſet utique qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens aliquid contrarium, non clareſceret, nec ſplendidior & examinatior fieret. Non probata verò nec examinata virtus, nec virtus eſt.*

h Orig. hom 14. in c. 23. Num. 1. ex Pſ. 5. 5

Hoc igitur eſt pro comperto, quòd Divina Bonitas utitur hominibus improbis ad perficiendum mundum virtute Bonorum. Ideò appoſitè elocutus eſt D. Chryſoſtomus *k*, cùm hæc aurea effatus eſt verba, *Rex quidem Ptolemæus, in conquirendis libris admodum ſtudioſus, operæpretium putavit ut & hos libros colligeret: eâque de cauſâ quoſdam Judæorum Jeroſolymitanorum vocavit, qui eos in linguam Græcam verterent. Hoc modo ſe habent omnia, quæ à Domino noſtro diſpenſantur, ut per adverſarios ſemper creſcant veritatis præcepta.* Cùm ipſe Deus uſus fuerit Ptolemæo, & idololatris veræ Religioni infenſis ad peragendam verſionem ſacrorum Bibliorum à LXX. Interpretibus Hebræis in idioma Græcum, ſic ordinando ut ipſæ veritates illuſtrandæ ſatagerentur ab illis, qui ipſis eſſent inſenſiſſimi. Sed ubi, quæſo, iſtud meliùs apparet quàm in Paſſione Jeſu Chriſti, ubi videmus, quòd inſtrumenta ſuppliciorum & ignominiarum ejus Divinitùs adhibita ſunt ad peragendam univerſorum hominum ſalutem? Idcircò jucundus eſt hoc in occurſu conceptus illius, qui conſiderans, quòd ſeculo ſuo ſcriberentur laudes Jeſu Chriſti arundinibus loco calamorum aut pennarum, & memor, quòd *milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, poſuerunt arundinem in dextera ejus; & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave Rex Judæorum; & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus l*, ait præ exclamatione, *O ſpectaculum benè conſiderantibus glorioſum! Arundine currente cœleſtia verba deſcribuntur, ut unde diabolus in Paſſione Caput fecit percuti, inde ejus calliditas poſſit extingui.* Sic D. Stephanus ignoſcens ex toto corde ſuo inimicis ſuis, & orans pro eorum converſione, iis uſus eſt ad cauſanda innumera bona toti Eccleſiæ Dei. Hujus veritatis teſtis fidelis eſt D. Paulus Apoſtolus, ait D. Auguſtinus *m*, *Si S. Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Si Eccleſia non habuiſſet D. Paulum, non prædicaſſet hic Apoſtolus Jeſum Chriſtum Gentibus; niſi prædicaſſet Jeſum Chriſtum Gentilibus, Gentiles non fuiſſent converſi; ſi Gentiles non fuiſſent converſi, Eccleſia iſtos non poſſediſſet populos; ſi verò Eccleſia hos ſibi non conciliaſſet populos, Paradiſus non fuiſſet ornatus tot Sanctis, qui ruinas ipſius reparant; Divina enim Providentia, quæ ſaluti hominum ſollicitè invigilat, ſic illud præ ſummâ diſpoſuerat Sapientiâ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter o.*

k D. Chryſoſt. hō. 4. in Gen. 8.

l Matth. 27. 29 & 30.

m D. Aug. ſerm. 1. de S. Steph. c. 4.

o Sap 8, 1

Quantam igitur D. Stephanus deſumpſit utilitatem ex inimicis ſuis, non ſolùm propter gloriam ſuam ſpecialem, ſed etiam ob fœlicitatem generalem univerſi orbis, & pro conſummatâ perfectione terræ, & cæli totius. Sed quidnam impedit quominùs ex iiſdem inimicis idem capiamus emolumentum? cùm nihil ſit ita ſplendens, aut quod plures producat effectus in animis hominum, aut quod tantam conciliet æſtimationem, aut quod majorem cauſet ædificationem hominum circulis ſeu ſocietatibus, aut quod magis convertat animas imò vel ipſorum inimicorum, ac ſuſtinere præ patientiâ & longanimitate injurias nobis ab inimicis noſtris irrogatas, ac ſerenum exhibere vultum intuendum illis, qui nos torvis inſpiciunt oculis, ac amare eos qui nos oderunt, ac benefacere illis qui nobis malefaciunt, ac denique teſtari nos eſſe filios Patris æterni, & fratres Jeſu Filii ejus, exactè cuſtodientes hoc præceptum, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt l.* Hinc, Auditores, meum concludo diſcurſum; ſatagamus in praxim redigere hos modos faciles, quos ſuprà recenſui vobis; & ſatisfaciamus inclinationi naturali, quâ ducimur, prævalendi adversùs inimicos noſtros, & triumphandi de illis, ſi velimus ut ignoſcat nobis Deus, & copiam nobis indulgeat triumphandi in hoc mundo per gratiam ſuam, & in altero ſeculo per gloriam ſuam.

p Matth. 5. 44 & 45.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

Converſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus. Joan. 21. 20.

Nihil eſt magis naturale quàm amare, nec aliquid quod concupiſcatur magis quàm amari. Natura nos inclinat ad prius. Philautia verò vel amor proprius, quo noſmetipſos proſequimur, nos inducit ad poſterius. Subminiſtrare volo vobis modum impetrandi complementi deſideriorum iſtorum, quæ ſunt licita quando objectum ipſorum eſt honeſtum. Sed cùm loquendum habeamus de amore, eamus hauſtum illum in propriâ ipſius origine. Spiritus ſanctus qui fœcundum eſt illius principium *a*, ſuos nobis communicabit ardores æquè ac lumina ſua, poſtquàm noſtras exhibuerimus reverentias S. Virgini quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis b*, ſimul cum verbis quibus ſalutavit illam ſpiritus lucis, dicens ei, *Ave Maria.*

a Jo. 15. 26.

b Eccl. 24. 24.

Ille qui denegaret homini deſiderium amoris, aut non haberet cor, aut ſi illud haberet, eripiendum illud ei eſſet præ immodicâ violentiâ è viſceribus, & vulturibus projiciendum; nihil enim ſic eſt naturale homanitati, nihil ita eſſentiale cordi, nec aliquid quod tantam præ ſeſe conformitatem ferat cum creaturâ rationali, ſicut amor. Idcircò quæſtio non eſt ſita in eo probando, cùm hæc ſit propoſitio omnino conſtans, & ipsâ luce clarior meridianâ; ſed difficultas in hoc conſiſtit (ſi tamen amor ſuſtinere poteſt difficultatis nomen) nimirum in complendo deſiderio amoris, quod noſtras poſſidet animas, quod deſiderium non eſt ſolum, ut videtur mihi, quia amor non eſt infœcundus & ſterilis, cùm deſideremus amare, & concupiſcamus amari. Atqui ad amandum ut decet, requiritur neceſſariò objectum quod omnibus ſit conſummatum conditionibus amabilibus; ut autem amemur, oportet ut univerſis ſimus inſigniti qualitatibus, quæ inducere poſſint cor aliquod ad nos amandos. Quod ajo, eò quòd ipſum cor, quod abſque ullâ conſideratione fertur eò, quò ipſum paſſio præcipitat, cæcus eſt, profanus, & indignus vel ipſo amoris nomine deferendo, niſi fortè nomine effœminato. Sed amor generoſus, rationabilis, maſculus, & ſanctus ſuos nunquam alligat affectus niſi ſubjectis, quæ eos ſibi conciliare merentur. Ideò appoſitè ait D. Chryſologus *c*, *Amor non accipit de difficultate remedium, non recipit de impoſſibilitate ſolatium*, ubi invenit aliquod ſubjectum ſuis dignum affectibus. Et licèt S. iſte Antiſtes Ravennas immediatè antè dixerit, *Amor ignorat judicium, ratione caret, modum neſcit*, quia nihil efflagitat niſi miſericordiam, & in exceſſum uſque ſeſe protendit, hoc tamen non impedit quin (bona veniâ iſtius S. Doctoris dixerim) ratione vigeat æquè ac judicio, licèt utplurimùm ſit expers modi, cùm exceſſus in amore ſolo laudabiliter ſit admittendus, quia in amando non procedit niſi præ intuitu & deliberatione; ſic iſte eſt amor ſolidus & verus, quem D. Dionyſius *d* nuncupat Divinum, *Cùm autem diſſimiles ſimilitudines rebus iis, quæ ſolâ ratione intelliguntur, attribuentes, cupiditatem eis affingimus, ipſa Amor Divinus eſſe intelligenda eſt, materia vacuitatis ſive ſimplicitatis tanta, quanta nec ratione, nec animo comprehendi poteſt: appetitusque conſtans præſtantis modo caſta, omnique perturbatione carentis contemplationis, ac ſempiterna, & quæ ſolâ ratione intelligitur, cùm puro illo ſummoque ſplendore, pulchritudineque ac ſpecie omnis erroris experte, & pulchritudinis effectrice, ſocietate.* Et qui amor vocatur à Theologis dilectio, quæ ſuperaddit amori electionem præviam. Quod cùm ita ſit, invenio quòd conditiones, quas objectum debet habere ut ametur à nobis, & quas poſſidere debemus ut amemur ab aliis, ut perficiatur inclinatio noſtra duobus illis modis, redigi poſſunt Primò ad pulchritudinem, Secundò ad bonitatem, Tertiò ad ſimilitudinem. Has tres conditiones invênit D. Joannes in Deo, quem amavit; ipſeque eas ſic poſſedit, ut dilectus Domini diſcipulus effectus fuerit.

c D. Chryſol. ſerm. 147.

d D. Dion. lib. de cœl. Hier. c. 2.

Diviſio.

I. Pars.

Incipientes à pulchritudine, Auditores, ut rectum cuſtodiamus ordinem, ubinam inveniemus illam, ut noſtra vovere poſſimus ei omnino corda? Autumatiſne inventuros eſſe vos illam medias inter creaturas? Hallucinamini graviter, idcircò errorem deponite, ibi nunquam eam habebitis obviam, dico veram, perfectam, eamque quæ noſtras ſibi devincire poſſit animas, & noſtras jure merito conciliare & ſuæ ditioni ſubjicere voluntates. Creaturæ ſunt aut corporales, aut ſpirituales. Creaturæ corporeæ quamnam præ ſe ferunt pulchritudinem, quæ non ſit imperfecta per admixtionem alicujus deformitatis, nedum in medium producantur vanitates, falſitates, & fraudes, quas Vir pulchritudinum præ omnibus hominibus amantiſſimus, id eſt, Salomon in eis deprehendit? Licèt enim Scriptura ſacra dicat de eo, quòd *adamavit mulieres alienigenas multas; & his copulatus eſt ardentiſſimo amore; fueruntque ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ e*: tamen ipſemet fatetur, quòd *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo f. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas g.* Creaturæ ſpirituales, nûquid non defectus utplurimùm ſecum invehunt magis, quàm perfectiones? quot levitates & debilitates animi? quot inanes cogitationes, & judicia præcipitata? quot ratiocinationes malè fultas? quot conceptus inuſitatos & inauditos? & quot phantaſias indignas creaturâ, quæ ſibi glorioſum ſpiritualis aſciſcit nomen? Quàm faſtidioſus æquè ac prolixus foret diſcurſus, ſi enumerandi nobis hîc eſſent earum defectus, qui caligine offundunt ſplendorem decôris illarum! Si verò aliquæ exiliis ſive è numero corporearum, ſeu è cathegoriâ ſpiritualium, aliqua præ ſe ferunt lineamenta pulchritudinis, quá ſanctè inquirimus, hujuſmodi non ſunt niſi tranſumptæ ex Divinâ Origine imagines. Sic David *h* aſſerit quòd *in imagine pertranſit homo.* Super quæ D. Auguſtinus *i* ait, *In quâ imagine, niſi illius, qui dixit, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram k? Quànquam in imagine ambulet homo. Ideò enim quànquam, quia magnum aliquid imago hæc. Et hoc quànquam, ſecutum eſt tamen, ut illud quod audiſtis, quànquam ultra Solem ſit, hoc autem quod ſequitur, tamen ſub ſole ſit: & illud pertineat ad veritatem, hoc ad vanitatem.* Et ideò ne ſiſtamus in imagine, prætereundæ ſunt creaturæ, & extollendæ ſunt mentes noſtræ uſque ad Creatorem: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* †. Vera pulchritudo, dixerunt antiqui Philoſophi, ea eſt, *quæ ſemper eſt, nec interit, nec creſcit, & cujus participatione omnia ſunt pulchra.* Sed ubinam inveniri poteſt hæc pulchritudo, niſi in Deo, *qui eſt l*, ſempiternus, *qui ſolus habet immortalitatem m*, & immutabilitatem: *Ego enim Dominus, & non mutor n*; Cujuſque communicatione univerſa formoſa efficiuntur, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminû, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio o.* Cùm res ex ſemetipſa loquatur, amplioribus non indiget probationibus. Hæc pulchritudo eſt Deus, *Superbonum, pulchrum, ens, vivificans, anguſtiſſima Divinitas*, ait S. Antiochus *p*. Hi termini ſunt convertibiles, dicit D. Dionyſius *q*, *Itaque pulchrum idem eſt quod bonum,* quia

e 3. Reg. 11. 1. &c.

f Prov. 31. 30.

g Eccl. 1. 2.

h Pſ. 38. 7.

i D. Aug. in Pſ. 38.

k Gen. 1. 26.

† Sap. 7. 26.

l Exod. 3. 14.

m 1 Timoth. 1. 16.

n Malach. 3. 6.

o Jacob. 1. 17.

p D. Antioch. hom. 1. de Fide.

q D. Dion. lib. de Div. Nô. c. 4.

quia pulchrum & bonum quâvis de causâ omnia expetunt : nec quicquam eſt eorum quæ ſunt, quod boni, & ejus quod pulchrum eſt, non ſit particeps.

Aperiamus igitur, Auditores, pectora noſtra & corda noſtra ad eam ſuſcipiendam, extendamus brachia affectuum noſtrorum ad illam amanter amplectandam; dilatemus voluntates noſtras ad poſſidendum ardorem amoris ejus, & dicamus ei cum D. Auguſtino *r. Serò te amavi Pulchritudo tam antiqua & tam nova; ſerò te amavi.* Hæc pulchritudo *antiqua* eſt, ſed non veteraſcit; ipſa eſt *nova*, ſed non tranſit. Ipſa eſt *antiqua & nova*, quia ſemper eſt æqualis; ipſa æqualis eſt, quia eſt immutabilis; & immutabilis eſt, quia eſt æterna; & æterna eſt, quia eſt Divina & perfecta; Interventu hujus Pulchritudinis D. Joannes & omnes Juſti ſuo poſſunt ſatisfacere amandi deſiderio.

r D. Aug. l. 10. Conf. c. 27.

Si autem vultis etiam amari ab illo, oportet ut præ veſtrâ feratis pulchritudinem animâ, quantùm vobis erit poſſibile, inſtar D. Joannis, quem propterea Chriſtus homo Deus dilexit præ cæteris diſcipulis ſuis, ut ipſemet D. Joannes teſtatur, dicens, *Converſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuit in cœnâ ſuper pectus ejus.* Super quæ verba ait Dionyſius Carthuſianus *s*, *Per hanc circumlocutionem ſignificat beatiſſimus Evangeliſta ſeipſum, non enim ad ſui ipſius jactantiam toties commemorat ſe ſpecialiter dilectum à Jeſu, ſed ut tanto beneficio gratus conſiſtat, & quia dulciſſimum ſibi fuit recolere quàm affectuosè ac familiariter ſe habuit Jeſus ad eum. Inferioribus quippe magnum eſt à Superiori ſpecialiter diligi.* Pulchritudo animæ, in quâ Deus ſibi complacet, debet attendi penes gratiam ſanctificantem, quæ hominem reddit gratum Deo; Chriſtus dilexit D. Joannem, ſed dilexit eum affectu ſpeciali; & licèt nos non ſimus cauſa propter quam nos Deus diligat, cùm non poſſimus habere aliquid amabile niſi interventu favorum & liberalitatum ejus; tamen medio amore quo ipſe dilexit D. Joannem, hic Apoſtolus amabilis evaſit per poſſeſſionem gratiæ, quam ſuſceperat ab amore, quem Dei Filius ipſi primùm fuerat teſtatus. Quoad exterius, illius deferebat nomen, nam Joannes idem eſt ac gratia. Quoad interius verò, illius poſſidebat veritatem.

s Dion. Carth. art. 10. in Jo. 21. 20

Ha! quàm beata eſt anima illa, cui Spiritus ſanctus dicit ut Sponſæ, *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es t!* Non ſine myſterio bis repetit eam eſſe pulchram; quia ſpecioſa eſt in animâ ſuâ, & formoſa in corpore ſuo. In animâ ſuâ per gratiam: & in corpore ſuo per puritatem. In animâ ſuâ per virtutes, quæ ſunt illius ornamenta; & in corpore ſuo per moderationem paſſionum, quæ in eo perſæpè tempeſtates excitant. In animâ per ſupernaturalem perfectionem facultatum ejus; in corpore per mortificationem ſenſuum exteriorum. Et paulò poſt ait ei, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te u.* Super quæ Gillebertus *x* dicit, *An non æſtuantis deſiderij vota deſignat vocatio trina? Vehementis affectus argumentum eſt quod tertiò vocat. Percurre animo præcedentia Cantici hujus, unſquam reperies vel tam crebrò vocatam, vel tam expreſsè commendatam pulchritudinem Sponſæ. Ter vocat, & totam pulchram dicit. Denique, In præcedentibus ſic habes: Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra y. Et iterùm alibi: O quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Hoc autem tertio in loco totam pulchram diffinit. Tota pulchra es, amica mea Quomodo non tota pulchra pulchritudini, & tota pulchritudini collaterata ex toto? Quomodo non tota pulchra, in quam Lucis æternæ candor immenſus emanat?* Eſtote tales, Animæ chariſſimæ, & Jeſus vos amabit; & vos amabitis Jeſum intuitu pulchritudinis. Hic eſt flos, ecce fructus.

t Cant. 4. 1.

u Cant. 4. 7.

x Gillebert. ſerm. 20. in Cant. 4. 7

y Cant. 1. 15.

Ut objectum replere poſſit vaſtas extenſiones & aviditates deſiderii amoris, ſummo debet poſſidere modo bonitatem quæ eſt fructus, magis quàm pulchritudinem, quæ non eſt niſi flos, cùm bonitas ſit magis eſſentialis, & perfectior pulchritudine. Concupiſcitiſne, Mortales, bonitatem? Aſpiratiſne ad eam ut faciatis ei oblationem generalem affectuum veſtrorum, & conſecretis ei corda veſtra? Nolite ſiſtere in intuendis creaturis: non enim habent illæ id quod vos inquiritis tantâ curâ & ſolicitudine, cùm nulla ſit in univerſo orbe, quæ non ſit inquinata malo alicujus defectus, & alicujus imperfectionis, cui veſtrum non debetis, nec vultus amorem præbere. Sinite ut mens veſtra aſcendat uſque ad Deum ipſum, ut inveniat bonitatem in propriâ ſuâ origine, & efficite ut animum veſtrum ſequatur voluntas veſtra, quæ eam bonitatem amplectatur ex totâ affectuum ſuorum extenſione, quia ipſe eſt *omne bonum*, quod videre poterat Moyſes; cùm dicebat Deo, *Oſtende mihi gloriam tuam, reſpondit, Ego oſtendam omne Bonum tibi a.* Super quæ verba Cornelius *b* ait, *Deus hic concedit Moſi id quod ipſe petierat, dicens, Oſtende mihi gloriam tuam. Hanc enim hic vocat Bonum Dei, vel, omne Bonum. Bonum ergo hic idem eſt quod præſtantia, excellentia, & pulchritudo, hoc eſt gloria Dei apparens in corpore aſſumpto, quæ Dei maieſtatem aliquo modo referat, quæque ſit tanta, quantam capere poſſit mortalis Moſis oculus.* Si autem iſtius bonitatis notas & probationes vultis authenticas, interrogate omnes creaturas, & univerſæ manifeſta illius vobis exhibebunt indicia: cùm enim judiceotis eas præditas aliquâ qualitate demulcente, quæ corda attrahat & affectus abripiat, ab effectis tranſite ad eorum cauſam primam, eamque agnoſcetis eò meliorem, quò effectus, quos videos, quique ſub veſtros labuntur ſenſus, ſunt meliores; & pro certo teneo, quòd dicturi eſtis cùm D. Auguſtino *c*, *Deus nullo indiget bono, & ipſe eſt ſummum Bonum, & ab ipſo eſt omne bonum. Ut ergo boni ſimus, Deo indigemus: ut bonus ſit Deus, nobis non indiget. Nec nobis tantùm, ſed uſque ad altiſſima quæ fecit magnalia: nec ipſis cæleſtibus, nec ſupercæleſtibus, nec cœlo cœli d quod dicitur, indiget Deus, ut aut melior ſit, aut potentior, aut beatior.* Nunne hoc verum eſt? Auditores, Habenſne aliquid dicendum contra iſtud? Nunquid non Deus vobis ſatis eſt bonus? Annon bonitas ejus perfectiſſima replere poteſt *in bonis deſiderium e* veſtrum? Sed audi, peccator quid

a Exod. 33. 19.

a Exod. 33. 18. & 19.

b Cornel. in Exod. 33. 19.

c D. Aug. conc. 2. in Pſ. 70. 19.

d ex Pſ. 113. 24.

e Pſ. 102. 5.

quid *dicit tibi Deus, Si recedis à me, & benè tibi eſt. ego non ſum bonum tuum*: apud eundem D. Auguſtinum *f*. Qui ſubjungit: *Proinde ſi ille bonus & ſummè bonus, & de ſe ſibi bonus, & nullo alieno bono bonus, & ipſe ſummum noſtrum Bonum: recedendo inde quid eris niſi malus? Item, Si ipſe eſt beatitudo noſtra, quid erit recedenti niſi miſeria?* Quare igitur per plurima vagaris, tantâ inquirens curâ ac ſolicitudine bona fortunæ temporanea, corporis, & animæ? Dilige unum Bonum, quod eſt omne Bonum, & iſtud tibi ſufficit. Nonne pudere te debet inhærere iſtis bonis, eò quòd bona ſint, & non diligere eum, è quo ipſa bona ſunt? cùm ames creaturas, in ijs chariſſimos tuos colloces affectus, & ſerias tuas dedices illis cogitationes, quia illas aliquam præ ſe ferre bonitatem, nunquid confuſio tuam non operire debet faciem, non diligere *ex toto corde tuo g* Bonum, per quod ipſæ ſunt bonæ? ſincero non proſequi affectu eum, è quo omnes bonitates ad nos uſque perveniunt, & derivantur ſuper reliqua entia creata, & ſine quo nihil eſſet bonum, ſed omnia mala eſſent?

f D. Aug. loco ubi ſuprà.

g Matth. 22. 37.

Diſſolvite igitur, Auditores, corda veſtra à creaturis, & alligate ea Deo; ſeparate vos à mundo præ affectu, & unite vos Authori ejus, *Et mundus per ipſum factus eſt h*. Infringite affectum veſtrum, qui veſtrum retardat progreſſum ad virtutem, & nectite corda veſtra funiculo ſanctæ charitatis objecto infinitè amabili, in quod ſuas D. Joannes retulit cogitationes, cui ſuos alligavit affectus, & ſuum dicavit cor, quod ipſius ſanctificavit amores, & plenè ſatisfecit omnibus deſiderijs ejus, quodque replebit deſiderium, quo concupiſcitis amare, & amari, cùm, ut verum fatear, res aliqua eò ſit amabilior, quò melior eſt. Amor maximus, quo Dei Filius D. Joannem proſequebatur, eſt teſtimonium authenticum bonitatis, quæ erat in hoc diſcipulo, *quem diligebat Ieſus* ipſemet. Vultiſne, Animæ chariſſimæ, attrahere Jeſum ad vos? ut ſibi complaceat habitare in vobis? ut cor ſuum cordi veſtro uniat? Satagite ut ſitis bonæ, & è bonis efficiamini meliores, & è melioribus evadatis perfectæ; ut perfectio inducat illum ad amandas vos perfectè per ſimilitudinem Divinarum ſuarum qualitatum, quas vobis eſt impreſſurus.

h Joan. 1. 10.

III. Pars.

Hæc ſimilitudo eſt tertia conditio, quâ objectum debet inſigniri, ut inducat voluntates ad ſe amandum. *Similitudo eſt cauſa amoris*, ajunt Philoſophi. Quia cùm amor ſit unio duarum rerum, & unio non fiat niſi per ſympathiam & occurſum qualitatum ſimilium, oportet ut abſolutâ neceſſitate detur convenientia & ſimilitudo inter rem amatam & rem quæ amat. Hierotheus apud D. Dionyſium *i* relatus, recenſens amoris laudes, ait, *Amorem, ſive Divinum, ſive Angelicum, ſive ſpiritualem, ſive, ut ita dicam, animalem, ſive naturalem, vim quandam conjungentem miſcentemque intelligamus, quæ ſuperiora quidem impellit, ut inferioribus proſpiciant & conſulant, paria autem, ut ſocietate inter ſe jungantur, inferiora verò ut ſe convertant ad ſuperiora*. Ubi obſervabitis, ſi placet, partitionem ejus; totum enim diſtribuit in tres partes. Res ſuperiores intuentur inferiores. Æquales & ſimiles ſtrictâ ſeſe conjungunt unione. Inferiores autẽ extollunt ſe ad ſuperiores uſq; Sed hæc œconomia ita diſpoſita eſt, ut inter res ſuperiores & inferiores, ſimiles & æquales, quæ ſe uniunt, inveniantur in medio; ut innuatur, quòd res ſuperiores non ſe conjungant amore rebus inferioribus, nec inferiores ſuperioribus niſi per ſimilitudinem quæ eſt in medio, in quo ipſæ occurrunt, ad peragendam unionem perfectam amoris conſummati. Ideò volens Deus conciliare ſibi amorem hominis, ſimilem ſe fecit ei, induens formam Dei formâ hominis, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo k*. Quæ verba ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *l*, *Formam ſervi accipiens, id eſt, naturam humanam atque ſervilem in unitate perſonali aſſumens, ita quòd natura ſumpta unita eſt verbo immediatè atque in ipſo ſuppoſitata, ſeu eſſe perſonali Verbi immediatè conjuncta, ſicut caro conjungitur animæ. In ſimilitudinem hominum factus, id eſt, cæteris hominibus aſſimilatus ſeu ſimilis factus, aſſumendo indetrahibiles defectus, videlicet pœnalitates, non vitia. Fuit enim mortalis atque paſſibilis. Unde dicit Apoſtolus m, Debuit per omnia fratribus aſſimilari. Et habitu, id eſt, converſationis ſuæ habitudine inventus eſt, id eſt, verè innotuit ut homo. Bibit enim, comedit n, ſedit o, dormivit p ut cæteri. Per quæ patuit, quòd verè fuerit homo. Propterea ſcriptum eſt q, Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Idcircò ait D. Auguſtinus *r*, *Ut familiarius diligeretur ab homine Deus, in ſimilitudine hominis apparuit*.

i D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4. citans Hieroth. ex lib. de Amor. Laudib.

k Philipp. 2. 7.

l Dion. Carth. art. 2. in Philipp. 2. 7.

m ex Hebr. 2. 17.

n ex Matth. 11. 19.

o ex Joan. 4. 6.

p ex Matth. 8. 24.

q Baruch 3. 38.

r D. Aug. in Manual. c. 26.

Penes quidnam igitur ſtabit ut non implcamus ad perfectum uſque cumulum hanc noſtram inclinationem naturalem amandi, cùm potiamur, ſi velimus, objecto, quod habet omnes conditiones requiſitas ut ametur Divinitùs & perfectiſſimè? Sequamur, Auditores, ſequamur *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus*, in hâc viâ Regiâ amoris; diligamus id quod ille dilexit; diligamus ſicut ille dilexit; diligamus ex totâ extenſione voluntatum noſtrarum, Pulchritudinem Divinam, cùm ipſa ſit conſummata, ſicut Deus *perfectus eſt s*. Diligamus *ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & ex omni mente t* bonitatem Dei, cùm perfecta ſit. Diligamus eum, qui, ut diligeretur à nobis, ſimilem ſe nobis effecit, deprimens magnitudinem ſuam ad noſtram uſque parvitatem, & adorandam majeſtatem ſuam humilians ad miſeriarum noſtrarum indignitatem uſque. Sed ut nos diligat, ita elaboremus hanc ſimilitudinem, quam impreſſit animæ noſtræ, cùm *creavit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam u*, ut perfectam præ ſe ferat hæc ſimilitudo noſtra convenientiam inter ſe & prototypon ſuum, ut opus hoc nobis facile fiat.

s Matth. 5. 48.

t Luc. 10. 27.

u Gen. 1. 27.

Sumamus in exemplum tranſumptam hujus Divinæ Originis imaginem in perſonâ D. Joannis, qui qualitatem præ ſe tulit Diſcipuli dilecti præ omnibus Coapoſtolis ſuis, eò quòd prærogativis ſpecialibus ſimilior fuerit Jeſu quàm fuerint cæteri diſcipuli; & ideò obſervemus perfectas convenientias quæ inter eũ & Dei Filiũ inveniuntur, quas ad numerum reduco ſenarium. Prima eſt filiatio, Jeſus eſt Filius B. Mariæ Virginis, *Peperit Filium ſuum primogenitũ; & vocavit nomen eius Ieſum x*. D. Joannes etiam eſt Filius S. Mariæ Virginis, *Cùm vidiſſet Ieſus Matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit*

x Matth. 1. 25.

Matri

Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce Mater tua. Et ex illâ horâ, accepit eam diſcipulus in ſuam y. Id eſt, ait Dionyſius Carthuſianus z, *Ecce Filius tuus: quaſi diceret, Hucuſque me habuiſti præſentem, & de meo aſpectu jugiter conſolationem ſortita es, fuiſque ad obſequium tuum intentus: nunc ſubtrahor tibi, nunc unico dilectoque Nato orbaris, nec tecum ero ut fui mortalis, humanam tecum converſationem efficiens: ideò ne penitus deſolata remaneas, conſtituo tibi filium, qui ſit loco mei, tibi obſequioſus, conſolativus, familiaris, chariſſimus, ut Virgini virgo cohæreat atque deſerviat.* In quo videtur mihi Dei Filius egiſſe more phœnicis, qui in morte ſuâ producit alterum ſemetipſum, cùm Jeſus in Paſſione ſuâ, & inter amariſſimas ſuas tolerantias conſtituerit D. Joannem filium B. Mariæ Virginis, & alterum Jeſum Chriſtum, ut ita dicam, quantùm conditiu ipſius permittere poterat.

y Joan. 19.26. & 27.
z Dion. Carth. art. 46. i Joan. 19. 20.

Secunda ſimilitudo eſt ſita in fraternitate, quæ neceſſariò procedit è primâ. Cùm enim habeant eamdem Matrem B. Virginem, oportet ut neceſſariò ſint fratres. Hâc autem ratiocinatione Petrus Damianus a Cardinalis probat excellentiam meritorum D. Joannis præ cæteris ipſius Collegis, *Nemo jure videtur major meritis eo, qui ſpeciali gratiâ frater eſt Salvatoris.*

a Damia. ſerm 1. de S. Joan. Evangel.

Tertia Convenientia D. Joannis cum Jeſu videtur in virginitate. Jeſus Chriſtus ſemper fuit Virgo; & D. Joannes perpetuam coluit virginitatem. Ideò Angelus Apocalypſis b dixit D. Joanni, qui ipſum volebat adorare, *Vide ne feceris; conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.* Id eſt, ut explicat Dionyſius Carthuſianus c, *Cōſervus tuus ſū & fratrum tuorum, ſpiritualium, ſcilicet Chriſtianorum habentium teſtimonium Ieſu, id eſt, dona gratiæ, per quæ oſtenduntur eſſe famuli Chriſti, ſeu opera virtuoſa eorum quoque qui verbo & opere teſtimonium perhibent Chriſto. Sed nonne Ioannes benè fecit procidendo, & venerari volendo? Cur ergo prohibitus fuit? Et reſpondendum, quòd utique benè fecit: Angelus tamen propter majus bonum id fieri non permiſit, putà ex humilitate, & propter eminentiam dignitatis ac ſanctitatis tanti Apoſtoli.* Sed ſupradictus Cardinalis Petrus Damianus d intuitu iſtius humilitatis Angeli, excellentiæ D. Joannis rationem attribuit merito æquè ac virtuti virginitatis ipſius, quâ extollebatur ſupra homines, & ipſis erat ſimilis Angelis; ita enim loquitur, *Refugit obſequium ab illo ſuſcipere, quem noverat apud communem Iudicem locum gratiæ familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem diſcernebat æqualem. Fratrem recognovit, ſocium judicavit, ſubjectionis obedientiam non accepit. Quamvis enim in omnibus Sanctis ſemper ſit Angelicæ munditiæ contubernalis & cognata virginitas; Beatus tamen Ioannes tantò reliquos Virgines ſuperat, quantò virginitati Beatæ Mariæ perſeverantis ac perpetua cuſtodia meritum appropinquat.* Nimirum per lacrum depoſitum, quod Jeſus Chriſtus extremum jam jam vitæ efflaturus halitum ipſi reliquit ſanctiſſimæ Matris ſuæ Mariæ magis Virginis, & purioris quàm ſint univerſi Beatorum ſpirituum ordines.

b Apoc. 19.10.
c Dion. Carth. art. 20. in Apoc. ſup. 50.
d Damiā. loco ubi ſuprà, ex Apoc. 19. 10.

Quarta Similitudo obſervatur in ſcientiâ. Jeſus Chriſtus eſt ille, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi; Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter e.* Quæ ſic exponit Dionyſius Carthuſianus f, *In Chriſto ſunt omnes theſauri, id eſt, copioſiſſima plenitudo ſapientiæ Divinorum, & ſcientiæ creaturarum abſconditi, id eſt, incomprehenſibiliter exiſtentes. Chriſtus namque ſecundùm Divinitatem eſt ipſa Paterna atque immenſa Sapientia, cujus non eſt numerus g, eſtque increata ſcientia, cui convenit illud, O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei h. Secundùm humanitatem quoque aſſumptam, replens eſt ſapientiâ in contemplatione Divinorum, & ſcientiâ in ſpeculatione creaturarum, præſertim cùm Anima Chriſti præ univerſis Beatis, Divinitatem ac Trinitatem ab exordio ſuæ creationis clariùs videt, & omnia illa cognoſcit, quæ cognoſcit & Verbum ſcientiâ viſionis, id eſt, cuncta quæ unquam fuerunt, aut erunt.* D. verò Joannes tantis fuit illuſtratus Divinis revelationibus, tantis illuminatus cœleſtibus irradiationibus, & ſic immodicâ cumulatus ſcientiâ & cognitione, ut omnes creaturæ, quæ ſuſcipiendæ capaces erant notitiæ, didicerint ab eo id quod ignorabant; & ſubtiliſſimi quicumque Viri hauſerint è fonte vivo ſplendentium luminum illius, intelligentiam, quam ſibi comparaverunt, ſecretiſſimorum Religionis noſtræ myſteriorum: ita ut ſancti Patres Eccleſiæ ad rependendas ei mutuas gratiarum actiones & vices pro beneficiis, quæ ab ipſo ſuſceperunt, certatim contenderint illius præconia celebrare, eminentes qualitates & ſublimes prærogativas mentis ejus extollere coram omnibus. Inter alios autem, Theologi præexcellentiâ titulo inſignitur à DD. Cyrillo Ieroſolymitano i, & Chryſoſtomo k, imò & ab Origene l, qui ait, *Supervolat B. Ioannes Theologus non ſolùm quæ intelligi ac dici poſſunt, verùm etiam ea quæ ſuperant omnem intellectum & ſignificationem ſupervehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium Principij exaltatur, incomprehenſibilemque in ipſius Principij & Verbi, hoc eſt, Patris & Filij unicam ſuperſubſtantialitatem purè dignoſcens, Evangelium inchoat, dicens: In Principio erat Verbum n. Animadverte Angelum Divinum ſuper Filium hominis aſcendentem, nobis videlicet annunciantem ipſum eſſe ante omnia in Principio Verbum, ac mox deſcendentem ſuper eundem Filium hominis, clamantemque: Et Verbum caro factum eſt.* Ita ut iſte qui Theologi, & Angeli Divini nomine nuncupatur, vocetur à D. Auguſtino o *Joannes Apoſtolus in Evangeliſtis quatuor eminentiſſimus;* & organi Deitatis inſigniatur titulo à Petro Damiano p, *Redemptor noſter dilectum ſibi ſpeciali prærogativa diſcipulum ad declarandam ſuæ Divinitatis eſſentiam quoddam quaſi organum fecit.*

e Coloſſ. 2.3. & 9.
f Dion. Carth. art. 2. in Coloſſ. 2.3.
g ex Pſ. 146.5.
h Rom. 11.33.
i D. Cyrill. Ier. Catech. 2.
k D. Chryſoſt. in Pſ 39.
l Orig. hom 2. in divers.
m ex Iſa. 32.19.
n Joan. 1.5. & 14.
o D. Aug. lib. 2. de Conſenſu Evangeliſt. c. 6
p Damiā. loco ubi ſuprà.

Addo pro quintâ convenientiâ Martyrium. Jeſus Chriſtus & D. Joannes eidem calici hauriendo labia applicuerunt, ſicut Dei Filius huic prædixerat Apoſtolo, & fratri ejus Jacobo, *Calicem quidem meum bibetis q.* Nam cùm Chriſto Judæi *dederunt vinum bibere cum felle mixtum r,* ipſius diſcipulus bibebat amaritudinem ejus: & verum eſt quòd dolores, quos ſuſtinuit Chriſtus in Paſſione ſuâ, in Carne ſuâ s, eoſdem pertulit D. Joannes in mente ſuâ, præ violentia amoris, *Quia fortis eſt ut mors dilectio t,* quæ interno animam ipſius angebat martyrio, eodem tempore, quo omni ipſius Corpus tormentis cruciabatur inſolitis ab eodem amore, quo præventus, mortem oppeteret

q Matth. 20.23.
r Matth. 27.34.
s Joan. c. 18. & 19.
t Cant. 8. 6.

voluntariam, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit u.* Hinc jure merito vocari poteſt D. Joannes pluſquàm Martyr, quia dolores interni animæ fortiores ſunt doloribus externis, quibus corpus impetitur; ſicque S. hic Evangeliſta dici poteſt pluribus mortibus mortuus, quarum primam, id eſt, præcipuam pertulit ad ima Crucis Domini ſui, communicando calici Paſſionis ejus.

u Iſai. 53. 7.

Perficio tabellam convenientiarum ſimilitudinis D. Joannis Evangeliſtæ cum Jeſu Chriſto, per conſonantiam quæ reperitur inter utriuſque mortem & reſurrectionem, eò quòd Magiſter & diſcipulus, amans & amatus, Jeſus & D. Joannes ambo mortui fuerunt, & ambo reſurrexerunt, ſaltem juxta opinionem Nicephori x innixi D. Auguſtino y, & relati à Maldonato z dicente, eum *mortuum fuiſſe, ſed eodem ſurrexiſſe die, & in cœlum tranſlatum fuiſſe, quemadmodum B. Virginem Chriſti Matrem mortuam fuiſſe legimus, atque tranſlatam. Quam opinionem Nicephorus ſequitur, eo, ut arbitror, argumento, quod in apocryphis, ut hoc loco ait Auguſtinus, libris legerit, cùm ſe vivum in ſepulchrum, quod ipſe ſibi paraverat, intuliſſet, ejus poſteà corpus repertum non fuiſſe.* Sic autem loquitur Nicephorus, introducens Jeſum Petro de Joannis obitu curioſè inquirenti reſpondentem, *De Joanne non tibi, ſed mihi curæ erit. Atque inde fama increbuit, diſcipulum illum mortem non viſurum. Quam quidem multorum opinionem tanquam importunam minùſque verum ipſe corrigens, Non dixi ei, inquit Ieſus, quod moriturus non ſit: moriturus eſt enim eo, quo Dei Genitrix modo: confeſtim verò reviviſcet ac reſurget, incorruptibili ſcilicet corpore alterum Magiſtri expectaturus Adventum.*

x Niceph. lib. 2. Eccleſ. Hiſt. c. 25.
y D. Aug. tract. 124. in Joan.
z Maldonat. in Joan. 21. 22.

Poſt hæc, Auditores, nihil nobis ſupereſt niſi ut adhærentes huic imagini à Divinâ Origine tranſumptæ, efformetis in vobis imaginem Divino Prototypo perfectè conformem, ut inclinatio quâ naturaliter concupiſcitis amari, & amare, omnino compleatur in vobis. Simus igitur filij Mariæ, & ſicut magno ducimus honori, eam habere Matrem, caveamus ne aliquid peragamus, quod detrahere poſſit perfectionibus, quas poſſidere debent ij, qui hac auguſtâ honorantur filiorum Matris ita divinæ qualitate. Dicimus ei perſæpè medios inter precum noſtrarum ardores, *Monſtra te eſſe Matrem*, cum Eccleſiâ. Sed non ambigamus, quòd ipſa nobis non ſit reſponſura, Monſtrate vos eſſe filios. Ne renunciemus qualitati tam eminenti, quam poſſidemus fratrum Jeſu, ſed eam exiſtimantes ut maximum honorum omnium, quibus unquam cumulari poſſimus, attendamus nobis ne ſimus de illis *falſis fratribus a*, qui eum diebus ſingulis præ intolerandâ ingratitudine offendunt, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes b.* Incumbamus perfectioni puritatis, ut accedamus ad divinam virginitatem, in quibus ſic ſibi complacuerunt Jeſus, Maria c, & D. Joannes; cùm virginitas præ ſe ferat colores & viva lineamenta ſanctitatis Jeſu Chriſti, qui eſt *Sanctus Dei d*, & ipſa Sanctitas eſſentialis. Lucem affectamus huic perfectæ imagini divinæ ſimilitudinis per lumina ſplendentia ſcientiæ & cognitionis. Non maneamus ampliùs involuti denſis ignorantiæ, & peccati tenebris. Non agamus ampliùs more beſtiarum, cùm præ nobis feramus mentem rationis capacem, & non ſinamus nos abripi impetu & furore paſſionis immodicæ, cùm ſit *ſignatum ſuper nos lumen vultus e* divini *ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis f. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua g.* Plenis ſumamus manibus, & alacriter accipiamus *calicem ſalutaris h*, id eſt, Jeſu, communicantes tolerantiis & amaritudini pœnarum & dolorum ejus, compatientes ſenſibiliter Paſſioni & Morti illius, ut ingredi poſſimus glorificationem animæ æquè ac corporis, ut aſſerit Apoſtolus, *Si compatimur, ut & conglorificemur i. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus k*, in pulchritudine, & in bonitate, & conſequenter gratiſſimi & amabiliſſimi divinæ ejus Majeſtati, quæ cùm in gratiâ repleverit inclinationem naturalem, qua deſideramus ipſam amare, & amari ab ipſa, præ amore, quo ipſa nos diligit, & amore, quo ipſam diligimus, æternis nos eſt ſuis cumulatura bonis in gloria ſempiterna.

a 2. Cor. 11. 26.
b Hebr. 6. 6.
c Luc. 1. 34.
d Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
e Pſ. 4. 7.
f Luc. 1. 79.
g Gen. 8. 21.
h Pſ. 115. 4. & 13.
i Rom. 8. 17.
k 1. Joan. 3. 2.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multarum. Luc. 2. 34.

NOn ampliùs agito celebrem illam quæſtionem aliàs diſceptatam, quænam res mundi eſſet omnium fortiſſima, cùm hæc non ſuſtineat minùs diverſas ſententias quàm reperiantur homines differentes qui de eâ ſuas in medium adducunt opiniones, æquè ac tempore Darij Regis, quo *tres juvenes corporis cuſtodes, qui cuſtodiebant corpus Regis, dixerunt alter alteri, Dicamus unuſquiſque noſtrum ſermonem qui præcellat. Tunc ſcribentes ſinguli ſuum verbum ſignaverunt: Vnus ſcripſit, Forte eſt vinum: Alius ſcripſit, Fortior eſt Rex: Tertius ſcripſit, Fortiores ſunt mulieres: ſuper omnia autem vincit veritas a.* Sed mihi ſufficit ut dicam cum Scripturâ b, quòd amor non ſit minùs violentus quàm violenta ſit mors, *Quia fortis eſt ut mors dilectio.* Cùm nihil producat mors, quod amor non operetur cum prærogativâ. Mors proſternit Poteſtates; amor autem deſcendere facit eas è throno ſuo: mors eſt oculis deſtituta, ipſa eſt inſolens, nedum metiri conſideret hominum; amor autem cæcus eſt, & ignarus eſt reverentiæ, *Amor reverentiam neſcit*, ait D. Bernardus c. Mors de omnibus triumphat, *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram quæ non revertuntur d.* Et amor victoriam vel de ipſo Deo refert, *Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non viole-*

a 3. Eſdr. 3. 4. &c.
b Cant. 8. 6.
c D. Bern. ſerm. 83. in Cant.
d 2. Reg. 14. 14.

e D.Bern. ſerm.64. in Cant.
f 1. Tim. 6.15.& 16.
g Rom.6 10.
h Joan.3. 16.
i Ephes. 5 2.
k Joan.1 18.
l Luc.1. 28.&c.

violentum? Amor eſt, ait idem D.Bernardus *e*. Et ſi ſi mors privat vitâ, nunquid non amor mortalem reddit? & nonne *Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem f, mortuus eſt g* præ amore? *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret h. Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis i*. Et ac neſcirit quòd Archangelus qui viderat eum beatum & immortalem *in ſinu Patris k*. vidit eum miſerum & mortalem *in utero* B.Virginis? cùm *ingreſſus, ad eam dixit, Ave l Maria*.

Verba quæ poſui in frontiſpicio diſcurſus iſtius, inducere poſſent doctos in admirationem, & ignaros in ſtuporem, & iſtos æquè ac illos in timorem, niſi ea uſurparem alio ſenſu, quàm vulgus illa poſſit comprehendere. Dicere enim quòd incarnatio Filij Dei, ſit propter lapſum aliquorum, & ob reſurrectionem aliorum, hoc eſt homines terricare, & inducere eos ad metuendum ne venenum hauriant ex origine, quæ non fluit niſi nectare & ambroſiâ: quaſi verò

m D.Bern ſerm 64. in Cant.
n Philipp 2 7.
o Philipp 2 7.
p 1.Timoth.2. 4.
q Matth. 18.14
r 2. Petr. 3 9.
s Ezech. 18.23.

Dei Filius, qui, ut ait D. Bernardus *m*, unumquemque noſtrûm alloquens poſt Apoſtolum, *Denique ſemetipſum exinanivit n, ut ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt*; non fecisset ſe fratrem noſtrum, ſumendo naturam noſtram, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, dicit idem Apoſtolus *o*, niſi ad perdendos aliquos, & ad ſalvandus alios: iſte conceptus eſt criminoſus; & blaſphemia eſt ac illum proferre poſt certitudinem, quas nobis tribuit idem D.Paulus *p* voluntatis vehementis quâ Deus univerſalem vult omnium ſalutem, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Quam ori voluntatem ardentem tota Scriptura conclamat, *Non eſt voluntas ante Patrem veſtram, qui in cœlis eſt ut pereat unus de puſillis iſtis q*. Et, *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti r*. Et, *Nunquid voluntatis mea eſt mors impij, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat s*? Cùm fides nos obſtringat ad credendum, quòd, ſi quis labatur, opus non eſt caſus illius cauſa, ſed eſt principium reſurrectionis illius; & quòd, ſi aliquis jacturam ſuam incurrat, ruina ejus non eſt imputanda Deo, qui non eſt Author niſi noſtræ ſalutis operandæ, ſicut ait illi Eccleſia,

Memento ſalutis Author.

t Oſee 13. 9.
u Cornel in Oſee 13.9.
x Joan. 12.46.

Unde dicit ipſe per Prophetam ſuum Oſee *t*, *Perditio tua Iſraël: tantummodò in me auxilium tuum*. Et per Cornelium *u*, *Tua, id eſt, ex te, tuiſque peccatis & demeritis tibi obvenit: quia in me non eſt perditio, ſed auxilium tuum: nullus enim eſt qui tibi auxiliari poſſit & velit niſi ego. Tu vadis te perditum, ego non niſi tibi auxiliari, teque ſalvare opto & conor. Unde ſequitur, perditionem, reprobationem, obdurationem, & damnationem, non eſſe propriè & per ſe ex Deo perdente, obdurante, & damnante, ſed ex homine peccante ſeque in peccatis uſque ad finem vitæ obdurante*. Ipſe venit in mundum ad illuſtrandos omnes homines luminibus ſuis, ſicut ipſemet ait, *Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat x*. Quòd ſi reperiantur aliqui qui ſuos claudant oculos, ne

y Prov. 1.24.& 25.

ſuſcipiant hujuſmodi lumina, conſcij ſunt recuſationis iſtius, quam idem Deus ipſis exprobrat, dicens, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis y*. Et ſi Deus poſſet eſſe reprehenſibilis alicujus rei, ideò duntaxat, quia ſuas gratias profanaſſet, offerendo eas ingratis, quos ſibi devincire volebat favoribus, quibus erant indigni. Ex ſe ipſe non habet niſi coronas, quia bonus eſt; quòd ſi inducatur ad nobis infligenda ſupplicia, crimina noſtra ponunt ei virgas præ manibus, quia juſtus eſt, *Uſque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus; exinde Iudex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt, ſævus*,

z Tert. lib.2 adverſ. Marcion c.15
a D.Bern ſerm 5 in Nat. Dõ.
b ex Pſ. 100,1.
c ex Rom 9.18.
d ex Ezech 18. 23.
e ex 2. Cor 1. 3.
f ex Pſ. 102 13.
g Hebr. 6.10.
h Jacob. 1 17.
i Pſ 5.5.
k D. Aug lib. de Grat & Lib. Arb. c 6.
l 1. Cor. 12,3.

ait Tertullianus *z*. Et D.Bernardus *a*, *Non minùs juſtus quàm miſericors eſt, cus miſericordia & judicium decantatur b. Verum id quidem, cui vult miſeretur, & quem vult indurat c: ſed quòd miſeretur proprium illi eſt: ex ſe enim ſumit materiam & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quòd judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus; ut longè aliter de corde ipſius miſeratio quàm animadverſio procedere videatur. Ipſum audi dicentem, Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus: & non magis ut convertatur, & vivat d? Rectè igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur: ſed Pater miſericordiarum e, non modò quòd Pater videatur miſereri potiùs quàm indignari: & quemadmodum Pater filiorum miſeretur timentium ſe f. ſed eò magis quod miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro*. Quatenus juſtus, ipſe reddit malum pro malo: prout bonus, ipſe retribuit bonum pro bono, ſed nunquam malum pro bono: *Non enim injuſtus Deus g*. Quòd ſi ſit in nobis aliquid boni, & ipſe illud remuneret, ideò quia coronam impendit ipſe ſuis operibus, cùm ipſe ſit in nobis principium meriti, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum h*, nedum ſit nunquam ipſe cauſa peccati. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, ait illi Pſalmiſta *i*. Unde dicit D. Auguſtinus *k*, *Non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua*. Sed quomodo id, dicetis mihi, cùm Deus æquè concurrere videtur ad malum, quàm ad bonum, eò quòd noſtra voluntas indigeat illius auxilio ad executionem utriuſque? Reſpondeo, quòd voluntas noſtra ſe potiùs inclinat ad volendum malum, quàm provocetur & inducatur ad illud patrandum adjuta auxilio divino: & propter hoc Deus non eſt cauſa peccati; ſed è contrà virtutis, & actionum ſanctarum & meritoriarum, ad quas idem Deus inducit voluntatem antequàm vel ipſa earum operandarum conceperit cogitationem. D.Paulus *l* eandem præſtat hanc veritatem, cùm ait, *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu*. Ubi nos edocet, quòd nunquam Spiritus Dei nos inducit ad blaſphemandum contra Jeſum Chriſtum; ſed quòd ſi blaſphememus, hæc blaſphemia, eſt fructus malitiæ noſtræ. E contrà cùm loquitur de bonis operibus, ipſe fatetur ſtatim, & immediatè pòſt, quòd idem Spiritus Dei eſt illorum principium, *Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*. Si facimus bonum, Spiritus ſanctus eſt principium nobis illud inſpirans; ſi curramus ad malum, ipſi ſumus authores operum noſtrorum malorum. Propte-

tea

m Rom. 9.22. & 23. reà idem D. Paulus *m* vocat impios & reprobos, *vaſa iræ apta ad interitum*, Juſtos autem & Prædeſtinatos, *vaſa miſericordiæ, quæ præparavit Deus in gloriam.* Videte differentiam: Impii ſibimetipſis procurant perditionem ſuam, quandiu Deus eſt principium & cauſa ſalutis Prædeſtinatorum, ſicut ipſe dixit ſuprà per O-
n Oſee 13. 9. ſee *n*, *Perditio tua, Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum.* Unde dicit D. Auguſtinus *o*,
o D. Aug. lib. Sent. ex D. Proſp. ſent. 312. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ nō Deus facit ut faciat homo.* Ne dicamus igitur, quòd incarnatio Verbi Divini ſerviat multis loco lapſus, ſed
p Orig. hom. 17. in Luc. 2. 34. potiùs aſſeramus cū Origene *p*, quòd Jeſus Chriſtus non eſt in mundo niſi ad deſtructionem & ruinam peccatorum, & ad reſurrectionem virtutum: *Me oportet primùm cadere, & cùm cecidero, poſtea benè reſurgere, ne Salvator cauſa fuerit mala ruinæ. Sed propterea cadere me fecit, ut conſurgam, & multò mihi ruina utilior fuerit, quàm illud tempus quo videbar ſtare. Stabam enim in peccato eo tempore quo peccato vivebam. & quia peccato ſtabam, prima mihi utilitas fuit ut caderem, & peccato morerer.* Ecce ſenſus quem cum Origene tribuo verbis Textus mei, *Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurre-*
Diviſio. *ctionem multorum.* Et iſtud eſt etiam quod volo vobis oſtendere in progreſſu diſcurſus iſtius: Primò, quòd Filius Dei non venit in mundum niſi propter deſtructionem & ruinam peccatorum: Secundò, propter inſtitutionem & reſurrectionem virtutum.

I. Pars. Sicut non agimus niſi intuitu finis, quem nobis propoſuimus, ita bonitas ejuſdem finis inflammat ardores noſtros, & noſtras animat proſecutiones ad illius acquiſitionem: ſed ſicut finem præcedere debent media, quæ ipſi conſequendo ſunt opportuna, dicimus quòd illud quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione. Princeps aliquis v.g. juſtâ percitus iracundiâ, ſtatuit inire bellum, ut ulciſcatur injuriam, quam ſupponit ſibi fuiſſe irrogatam, & eruere è manibus injuſti uſurpatoris id, quod ſuum eſt: ecce finis, quem ipſe ſibi proponit: oportet igitur ad hunc finem obtinendum ut media ipſum præcedant, nimirum, ut cogat milites, & diſponat id omne quod neceſſarium eſt ad executionem conſiliorum ipſius, & ad acquiſitionem finis, quem ſibi propoſuit, qui eùm ſemper primus ſit in intentione, eſt ordinariè ultimus in executione, juxta iſtud axioma Philoſophicum, *Quod primum eſt in intentione, ultimū eſt in executione.* Hoc fundamento poſito, dico quòd Dei Filius exiens *a Patre, & in mundum*
q Joan. 16. 28. *q* veniens ad manifeſtandam gloriam Dei, & ad afferendam pacem hominibus, ſecundum iſtud Canticum Angelorum, *Gloria in altiſſimis Deo,*
† Luc. 2. 14. *& in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* †, debebat facere præcedere media quæ erant neceſſaria ad conſequendum iſtum finem, qui animabat ardores ipſius, ad hoc ut haberet illius fruitionem, & faciebat ipſum vincere omnes difficultates & univerſa obſtacula, quæ ſe opponebant ſanctitati conſiliorum ipſius: atqui nullum reperio majus obſtaculum quàm ſit peccatum, quod diſputabat ipſi ſceptrum, & intendebat ipſi eripere imperium ipſius, agens veluti perſonam ſupremi Domini in mundo, in quo tot habebat ſubditos, quot homines qui ipſum
r Joan. 8. 34. committunt, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, ait D. Joannes *r*. Et Petrus Cellenſis *s*, *Servus namque peccati, ſervus eſt* s Cellenſ. lib. de Panib. c. 15.
tot Dominorum, quot vitiorum. Illud expugnare debebat *Verbum caro factum t*. Ut per victoriam t Joan. 5. 54.
de illo relatam, manifeſtaretur gloria Dei videndo hoſtem ſuum proſtratum, & quòd homo frueretur pace, quam Tyrannus iſte ipſi eripuerat. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera* u 1. Joan. 3. 8.
diaboli, dicit idem D. Joannes *u*. *Quaſi diceret, Adeò qui peccat, eſt ex diabolo, non ex Deo, ut ad peccatum quaſi hoſtem ſuum abolendum, Chriſtus carnem aſſumere, in eâq; apparere voluerit,* x Cornel. in 1. Joan. 3. 8.
ſubdit Cornelius *x*. Propter hoc igitur, nimirum ad manifeſtandam gloriam Patris ſui, & ad ſtabiliendam pacem in mundo, ipſe deſcendit è cœlo in terram, *Poſitus eſt hic in ruinam.* Id eſt, ad deſtruendum peccatum, juxta quod Angelus Danieli declaravit, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur* y Dan. 9. 24.
iniquitas y. Cùm ingreſſus Jeſu Chriſti in mundum, deberet eſſe egreſſus peccati, & ruina illius, & manifeſtatio gloriæ Divinæ ipſius: & quia debebat de illo triūphare, ideò præcedere facit certamen, ut victoriam reddat inſigniorem.

z D. Aug. in Pſ. 9. 7 D. Auguſtinus *z* ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates eorum deſtruxiſti*, dicit, impios eſſe veluti totidem civitates, ubi ſuum dæmon exercet dominium, ubi leges præſcribit, & ubi ipſi obeditur: *Civitates autem in quibus diabolus regnat, ubi doloſa & fraudulenta conſilia tanquam curia locum obtinent, cui principatui quaſi ſatellites & miniſtri aſſunt officia quorumque membrorum, oculi ad curioſitatem, aures ad laſciviam, vel ſi quid eſt aliud quod in malam partem libenter auditur, manus ad rapinam, vel quodlibet aliud facinus aut flagitium, & membra cætera in hunc modum tyrannico principatui, id eſt, perverſis conſiliis militantia. Hujus civitatis quaſi plebs eſt omnes delicatæ affectiones & turbulenti motus animi, quotidianas ſeditiones in homine agitantes. Ergo ubi Rex, ubi curia, ubi miniſtri, ubi plebs invenitur, civitas eſt. Neque enim talia eſſent in malis civitatibus, niſi priùs eſſent in ſingulis hominibus, qui ſunt tanquam elementa & ſemina civitatum. Has civitates deſtruit, cùm excluſo inde Principe, de quo dictum eſt, Princeps hujus ſæ-* a ex Joan. 12. 31.
culi miſſus eſt foras a, vaſtantur hæc regna verbo veritatis, ſopiuntur maligna conſilia, turpes affectiones edomantur, membrorum & ſenſuum miniſteria captivantur, & ad juſtitiæ & bonorum operum militiam transferuntur: ut jam, ſicut A-
b ex Rō. 6. 12. *poſtolus b dicit, non regnet peccatum in noſtro mortali corpore, & cætera hujus loci. Tunc pacatur anima, & ordinatur homo ad quietem & ad beatitudinem capeſſendam.* Unde videtis, quòd D. Paulus facit corpus è peccato, & quòd omnia vitia in particulari, ſunt membra quæ illud componunt: Filius Dei autem venit in mundum ad deſtruendum corpus iſtud, ad evertendas potentias ejus, & ad glorioſè triumphandum de univerſis conatibus ejus, & omnes labores ipſius, ſudores, & ſanguis nullum alium habebunt ſcopum, quàm illius deſtructionem, *Ut deſtrua-*
e Rom *tur corpus peccati e*. Ecce id totum quod Jeſus Chriſtus intendit, incarnatio ipſius non dirigitur niſi eò, cùm è deſtructione iſtius monſtri pendeat fælix ſucceſſus omnium conſiliorum ipſius. Cùm Alexander Magnus dimicaret alàs ardore immodico adversùs vilem quendam vicum, ſicut dicebam vobis nuper, inde arripuerūt aliqui anſam deridendi ipſius, & arguendi con-

filij ipſius, videndo quod magnanimitatem ſuã còverteret ad expugnandum pagum depreſſum, cùm ipſe natus eſſet ad domandos mundos, ad ſubjugandas nationes, & ad ſuperandos populos, eoſque dinoni ſuæ ſubjiciendos. Alexander autem, qui nobilem præ ſeferebat animũ, quique nihil habebat depreſſum in ſuo procedendi modu. ſatisfacere volens admirationi eorum, qui arripiebant occaſionem vituperandorum conſiliorum ipſius, quorũ fines ipſi non agnoſcebant, reſpondit, quòd ipſe intendebat ex deſtructione vilis hujuſmodi pagi ſibi pandere viam & veluti gradum facere, per quem aſcenderet ad res maximas, ita ut inde ſibi conciliaret ingentem gloriam : Jeſus Chriſtus, qui nihil habet inferius Alexandro Magno, conatus ſuos & ardores ſuos inſumit univerſos ad expugnandum peccatum, *Ut deſtruatur corpus peccati.* Sed ideò ut meliùs ſtabiliat gloriam ſuam ſuper ruinas ejus, & confirmet pacem hominum per remotionem omnium obſtaculorum, quæ poſſent illam interrũpere. Ecce finis univerſorum certaminum ipſius, & omnes curæ, pœnæ, & paſſiones ipſius non ſunt niſi media quæ ipſe inſumit ad illam obtinendam, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum d.*

d Dan. 9. 24.
e Rom. 6 12.

Apoſtolus *e* ſuprà nobis deſcripſit peccatum more Regis regnantis in mundo, & habentis tot ſubditos, quot peccatores qui ipſi obediunt. Ha! quàm potens eſt hujuſmodi Rex, & quàm ingens eſt ejus curia; cùm pauci ſint homines in mundo, qui non reddant ei obſequia ſua ſicut ſupremo Domino ſuo. Imperat, & obeditur ipſi. Sed interim conſiderate, quòd, in ſenſu Apoſtoli, peccatum regnat ut Rex, non autem ut Tyrannus, *Non regnet*, inquit, non autem tyrannizet. Hæc admittitur differentia inter regnare inſtar Regis & regnare more Tyranni, quòd Regi obediatur præ amore, quandiu Tyrannus noſtra non requirit obſequia niſi præ violentiâ, nec ea nos exhibemus ei, niſi inviti & coacti : peccatum non regnat ut Tyrannus, ait D. Paulus; non compellimur ad illud patrandum, voluntariè in illud ferimur, &, ut ait D. Auguſtinus *f*, *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium.* Regnat ut Rex, cui nimirum non obediunt homines, niſi præ amore, ſibi complacentes in hujuſmodi ſubjectione, amantes vincula ſua, & gratam reperientes ſervitutem, cui ſubjacent. Regnat hujuſmodi Rex in corpore peccatoris, ibi præcipuè cõſtituit thronum ſuum, cùm omnia membra ipſius ſint veluti totidem arma, quibus utitur ad extendendum longiùs imperium ſuum : manibus percutit, oculis concupiſcit, ore blaſphemat, tandem, toto corpore offendit : iſtud, eſt armamentarium, è quo educit arma ſua ad patrandum omne genus criminum. Quàm potens eſt hujuſmodi Rex! Deſideratiſne ipſum videre in apparatu ſuo pompatico? Contemplamini ipſum in throno iniquitatis, gloriâ & majeſtate ſplendidum cum coronâ ſuperbiæ & vanitatis in capite, cum ſceptro ambitionis in manu, cum pallio luxus in dorſo, cum concupiſcentiâ in oculis, cum inſolentiâ & impudentiâ in facie, cũ gulâ in ore, & cum rabie in corde quæ ipſum ciet, cum avaritiâ quæ ipſum torquet, cum invidiâ quæ ipſum excæcat, cum luxuriâ quæ ipſum conſumit, tandem cum omnibus vitiis quæ ipſum ſequuntur, & inſeparabilia ſunt ab ipſius throno. Ecce Rex, cujus jugum ut excutiamus

f D Aug. lib. de Verâ Relig. c. 14.

consulit nobis Apoſtolus *g*, *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* En Princeps ad cujus ruinam moliendam Dei Filius in hunc mundum venit, cùm videretur hujuſmodi Rex inſurgere in cœlũ, & ei bellum indicere, ſic inſolens erat in temeritate ſuâ, judicans quòd cœlum obediturum eſſet legibus ipſius, poſtquàm confirmaſſet imperium ſuum ſuper terram interventu generalis obedientiæ, quam ſuſcipiebat ab omnibus hominibus, cùm tot haberet in mundo vaſſallus quot erant in eo peccatores : omnes erant peccatores, *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum h.* Sed macti animo, Auditores. Dei Filius non venit in mundum niſi propter deſtructionem uſurpatoris hujuſmodi, *Poſitus eſt hic in ruinam multorum.* Et quia ſecundùm leges certaminis oportet ut quis ſit Rex ad hoc ut congrediatur cum Rege, Jeſus Chriſtus eſt Monarcha, *Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium i.* Vidimus apparatum illius, videamus inſignia iſtius. Jeſus Chriſtus eſt Rex, intueamur eum ſuper throno ipſius Regio, *Dominus regnavit à ligno k.* Iſte thronus, crux ipſius eſt, ſed thronus infamiæ. Ipſe eſt Rex, cùm deferat diadema, ſed doloris, ſeu *coronam de ſpinis l.* Ipſe Rex eſt. cùm gerat ſceptrum, ſed derſionis, *& arundinẽ in dexterâ m.* Ipſe eſt Rex, cum portet *chlamydem coccineam n*, ſed pallium contemptus. Intuemini pudorem ſuper frõte ejus, mortificationem in oculis illius, modeſtiam ſuper toto vultu ipſius, manſuetudinem in corde ejus, quæ facit illum pati ſine querelâ, quemadmodum re verâ *tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt : & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum o.* Liberalitatem in manibus illius, quæ totum ipſum dant, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis p.* Paſſionem in toto corpore ipſius, cum Iſaias *q* nobis repræſentet eum, *virum dolorum & ſcientem infirmitatem, quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum.* Fel & acetum in ore illius, *Et dederunt in eſcam meã fel: & in ſiti meâ potaverunt me aceto r.* Clavos in manibus, & in pedibus ejus, *Foderunt manus meas, & pedes meos s.* Et lanceam in latere illius, *Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit t.* Ipſe eſt Rex doloris, qui venit inſurrectum in Regem deliciarum : Rex contemptus, qui venit impugnatum & expugnatum Regem ſuperbiâ tumidũ: Ipſe, eſt alter David qui in infirmitate ſuâ venit triumphatum de Goliath, & de totâ illius vanitate *u*: Ipſe, eſt alter Samſon, qui moriendo mortẽ inferr omnibus inimicis ſuis †, ita ut dicere poſſit præ tanta veritate peccato, præ quo ora dixit aliàs morti, & inferno, *Ero mors tua, ò mors : morſus tuus ero inferne x.* Propterea illa ultima vitæ ſuæ periodo quæ ipſi ſupererat, conatum fecit *clamans voce magna y*, ad publicandam palàm victoriam, quam referebat de peccato, *Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo*, dicit D. Paulus *z*. Et, juxta D. Chryſoſtomum *a*, *Magnus dæmon peccatum eſt.* Unde dixit, *Conſummatum eſt b.* Quaſi diceret, Peccatum deſtructum eſt, imperium ejus diſſolutum eſt, ad victoriam perduxi univerſa conſilia mea, quæ non tendebant niſi ad ruinam peccati, *Ut conſummetur prævaricatio. & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas c.*

g Rom. 6 12.
h Pſ 13. 1
i Apoc 19 16.
k D Aug. in Pſ 95. 10. D. Cypr. de Mont Sina & Siõ. n. 45. Et Tert lib. 3 contra Marcion, c. 19.
l Jo. 19. 2
m Matth. 27. 29.
n Matth. 27 28.
o Act. 8. 32. ex Iſai 53. 7. & ex Matth. 26 63 & 27 14.
p Epheſ. 5. 2.
q Iſai 53 3. & 4.
r Pſ. 68. 22
s Pſ. 21. 17.
t Jo 19. 34.
u 1. Reg. 17 49. &c.
† Judic. 16 30.
x Oſee 13 14
y Luc. 23 46
z Coloſſ. 2 15.
a D. Chryſoſt hom 31. ex c. 9 Matth
b Jo. 19. 30.
c Dan. 9. 24.

Ideòq; miſer ego fui in ingreſſu meo in mundū,
d Luc. 2. 7 *in præſepio d* reclinatus, & in exitu meo è mun-
do: in nativitate meâ, & in morte meâ, & per to-
tum tempus vitæ meæ *pauper, & in laboribus à*
e Pſ. 87. 16. *juventute mea e.* Cùm medium participare de-
beat extrema. En intelligentia verborum iſtorū,
Poſitus eſt hic in ruinam multorum. Incarnatio
Verbi Divini non fuit niſi propter deſtructionē
vitij, medio ſtratagemate bellico, quod ipſi fæli-
citer ſucceſſit. Iſte Filius Dei, homo factus, cepit
arma cōtraria armis hoſtis ſui; fortitudini ejus nō
oppoſuit niſi infirmitates ſuas, delicijs illius nō-
niſi paſſiones ſuas, vanitatibus ejus nonniſi con-
temptus ſuos, divitijs illius nonniſi paupertatem
ſuam, gloriæ ejus nonniſi confuſiones ſuas, abū-
dantiæ illius nonniſi penuriam ſuam: & in hoc
ſtatu glorioſè de illo triumphavit, ita ut dicere
poſſimus, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra*
f Luc. 2. 14. *pax hominibus bonæ voluntatis f.* Solum pecca-
tum inſurgebat in gloriam Dei, & deordinatio-
nem cauſabat inter homines: peccatum non eſt
ampliùs, Jeſus Chriſtus ipſum deſtruxit, *Poſitus
eſt hic in ruinā multorum.* Inde gloria Dei ma-
nifeſtatur, & pace fruuntur homines, *Gloria*, &c.

Cùm igitur, Auditores, Dei Filius è cœlo in ter-
ram deſcenderit, ſe fecerit hominē, & vitam ſu-
am tranſegerit inter tot tolerantias, quæ ipſum
impetiverunt ab ipſo ſuæ conceptionis & nativi-
tatis inſtāti, nec ipſum dereliquerint niſi ultimo
g Jo. 19. 30. momēto, quo cruci ſuffixus *inclinato capite tra-
didit ſpiritum g*, factus objectum omnium rigo-
rū, & ſubjectum univerſarum inſolentiarum ho-
minum: ſi, inquā, tantum laborem exhauſit, ſi tā-
ta pertulit eò uſq; ut ſanguinem ſuum tradide-
rit, & vitam ſuam amiſerit in certamine; ſi hæc
omnia peregit propter deſtructionem peccati,
ſicut diximus, ad deturbandum è throno hujuſ-
modi Regem, cujus imperium exercebatur in
magnum diſpendium ſubditorum ipſius; ſi con-
ſilium hoc fœliciter ipſe perduxit ad exitum, &
deſtruxit regnum ejus, cùm non egerit in omni-
bus niſi in favorē noſtrum ad diſrumpenda *vin-*
h Pſ. 115. 8. *cula h* noſtra, & ad reſtituendos nos in jura pri-
ſtinæ noſtræ libertatis, & *qua libertate nos libe-*
i Gal. 4. 31. *ravit i* reverâ; nunquid nunc non dominari co-
ram muriſti Regi proſtrato, reſtitutio liberta-
tē, quam Jeſus nobis acquiſivit, nedum exhibea-
mus unquam ampliùs obſequia peccato, cùm nō
regnet in nobis niſi ad molendam jacturam no-
ſtram? Iſtud eſt conſilium, quod nobis tradit A-
k Rom. 6. 12. poſtolus *k*, *Non regnet peccatum in veſtro mor-
tali corpore.* Et quomodo non erubeſceremus in
contemptum ſanguinis Dei, omnium laborum
illius, & victoriæ quam ipſe retulit de hoſte ſuo,
elevare thronum peccati poſtquàm Deus ipſum
deſtruxit, abire in partes illius, explicare vexilla
ejus, ipſumq; agnoſcere ut ſupremum Dominū,
reddendo ei obedientias? Nonne pudore nos
ſuffunderet hæc cogitatio? & nunquid nō hæc
ingratitudo nos conſcios criminis efficeret, &
conſequenter ſuſtinēdis omnibus ſupplicijs dig-
nos nos redderet? Nihilominùs, *& flens dico l*, eò
l Philipp. 3. 18. pervenimus, & cum tanto peccatum regnat im-
perio, ac ſi nunquam Dei Filius incarnatus eſſet,
ac ſi nunquā paſſus fuiſſet, & labores ſuos nō in-
ſumpſiſſet ad deſtructione ejus, omittens ipſemet
vitam ſuam, ut ei mortem inferret. Et viſane ſunt
unquā ſæculis quæ nos præceſſerunt, plura crimi-
na quàm ſeculo quo vivimus? Nunquid non vi-
demus peccata, abominationes, & nequitias,
quæ ſibi mutuā dant invicem manum per ſeque-
lam fatalem, & catenam, quæ ipſa alligat inſepa-
rabiliter? *Sanguis ſanguinem tetigit*, ait Oſee *m*. m Oſee 4. 2.
Ha! peccatum mortuum eſt, exulat à terrâ, re-
gnum ejus finem cepit per Regnum crucis:
poſthæc nonne nos pudet explicare vexilla ejus
in contemptum Dei, qui de illo triumphavit?
Nunquid non iſtud eſt inutilem reddere incar-
nationem ejus, invalida reddere omnia conſi-
lia ejus; & efficere nos inimicos gloriæ Patris ip-
ſius, quam veniebat ſtabilitum, & pacis hominum
quam veniebat confirmatum per deſtructionem
iſtius monſtri, quod eſt univerſarum cauſa deor-
dinationum? Nonne metuimus ne ille qui non
venerat niſi propter ſalutem noſtram, quique non
habebat niſi ſuavitates & coronas, convertatur
in Judicem armatum fulminibus, quippe exacer-
batum ob exceſſum ingratitudinis noſtræ, &
propter temeritatem auſorum noſtrorum? Nun-
quid non dicere poſſumus, *Poſitus eſt hic in rui-
nam multorum?* Ha! contemptus favorum &
miſericordiæ ejus nos faciet experiri rigores ju-
ſtitiæ ipſius. Ipſe exinaniverat vitia, & hæc anni-
hilatio criminum, niſi ad eam attendamus, erit
occaſio ruinæ noſtræ, eò quòd eâ noluerimus uti
ad peragendam ſalutem noſtram, & ad coope-
randum conſiliis quæ Dei Filius ſtatuerat deſcen-
dens è cœlo in terram propter reparationem no-
ſtram. Inſurgimus igitur in Deum, & volentes
amplecti cauſam peccati, nos opponimus glo-
riæ ejuſdem Dei, non concurrendo ad annihila-
tionem peccati; & deſtruimus felicitatem pro-
ximi noſtri, cùm peccatum ſit cauſa totius de-
ordinationis quæ eſt in mundo, licèt illud Dei
Filius deſtruxerit, *Poſitus eſt hic in ruinam mul-
torum.* En primus effectus Incarnationis. Sed
ecce ſecundus, *Et in reſurrectionem multorum.*
Id eſt, omnium virtutum. II. Pars.

Philoſophia nos edocet, quòd corruptio uni-
us, eſt reſurrectio alterius, *Corruptio unius, eſt ge-
neratio alterius.* Mors vitij, debet eſſe vita virtu-
tis; lapſus unius, debet eſſe ſuſcitatio alterius. Iſtud
eſt conſilium, quod certos nos reddit, quòd ſi
Deus occîdit, ideò ut vitam conferat; & quòd
vulnera non infligat, niſi ad illa ſananda, ſicut ait
Scriptura, *Dominus mortificat, & vivificat n.* n 1 Reg. 2. 6.
Et ipſemet inquit, *Ego occidam, & ego vivere* o Deut.
faciam: percutiam, & ego ſanabo o. Occîdit 32. 39.
peccatorem, ut vivere faciat Juſtum, quod in-
telligi debet intuitu ejuſdem perſonæ: nam, juxta
Apoſtolum, in ſingulis nobis eſt duplex homo,
unus exterior, & alter interior, *Licèt is qui foris
eſt noſter homo, corrumpatur: tamen is qui in-
tus eſt, renovatur de die in diem p.* Unus ſecun- p 2 Cor.
dùm veterem Adamum, alter ſecundùm novum 4. 16.
Adam, qui non eſt alius niſi Dominus noſter Je-
ſus Chriſtus. *Primus homo de terrâ, terrenus:
ſecundus homo de cœlo, cœleſtis q.* Et è duobus q. 1 Cor.
iſtis unus eſt peccator, & alter juſtus; cùm unus 15. 47.
cadit, alter reſurgit; cùm unus moritur, alter
reſuſcitatur: quia cùm ita ſint contrarij, gene-
ratio unius ſupponit ſemper corruptionem alte-
rius, & unus moritur cùm alter incipit vivere.
Deus igitur venit in mundum propter lapſum
veteris Adæ, & propter reparationem novi ho-
minis, ut caro moriatur in nobis, & ſpiritus in no-
bis reſurgat; ut proſternantur vitia, & reſurgant
virtutes, *Ut conſummetur prævaricatio, & ad-* r Dan. 9. 24.
ducatur juſtitia ſempiterna r, dixit Angelus Da- s Cornel.
niel. Et Cornelius *s*, *Nota. Licèt poſt Chriſtum* in Dan. 9.
multa committantur peccata, hic tamen dici- 24. citās
tur ea finem accepiſſe, Primò, quia Chriſtus pro D. Cypr.
omnibus ſatisfecit, & ſic omnibus noſtris debitis lib. 2. E-
quaſi finem impoſuit, eaque quantùm eſt piſt.
epiſt. 2.

ex parte

ex parte ſuâ abolevit. Secundò, quia Chriſtus nobis cælum aperuit, ſuſtulit idololatriam, diabolum ſuperavit, tamque efficacem gratiam & Sacramenta nobis contulit, ut, ſi velimus, facillime omne peccatum ſuperare poſſimus, uti viri ſancti, omneſque veri Chriſtiani illud ſuperant. Eſt enim Chriſtianiſmus mors criminum, vita virtutum ut ait Cyprianus. Et adducatur juſtitia ſempiterna, Hebraicè eſt juſtitia ſeculorum, id eſt, Chriſtus, qui quaſi Sol juſtitiæ t ſua radios in omnium ſæculorum, tam ante quàm poſt ſe, homines diffundit, & Eccleſiam quaſi Regnum æternum juſtitiæ, id eſt, juſtè & piè viventium, inſtituit. Secundò, Juſtitia ſæculorum, id eſt, æterna, eſt noſtra juſtificatio & juſtitia per Chriſtum accepta: Chriſtus enim factus eſt nobis juſtitia †. Hæc enim juſtitia in genere directè opponitur iniquitati, quam delevit: hæc juſtitia dicitur æterna; quia hic inchoatur per gratiam, & in cœlo perficietur à Chriſto per gloriam æternam.

t ex Malach 4. 2.
† ex 1. Cor. 1. 30.

Quòd ſi veſtra mens reperiat adhuc aliquam difficultatem ſuper hæc verba, *Poſitus eſt hic,* &c. ad ea dilucidanda obſervare differentiam quæ datur inter cauſam & occaſionem: nam occaſio nihil eſt aliud niſi infirma diſpoſitio ad aliquem effectum, ſicut rotunditas globi, eſt occaſio motus ipſius; ſed cauſa eſt principiũ rei cauſatæ. Hoc ſuppoſito, dico ad finiendum diſcurſum iſtũ, quòd Jeſus Chriſtus eſt occaſio innocens ruinæ multorũ, & cauſa reſurrectionis aliorũ, ſicut Sol qui eſt cauſa luminis ijs qui habent oculos firmos, eſt occaſio cæcitatis illis qui oculos præ ſe ferunt ægros; ita ut hæc ruina multorum, quæ ſumit occaſionem à Jeſu Chriſto, teneat cauſam ſuam & præcipuũ effectum ſuum ab ipſiſmet qui deſtructionẽ ſuam ſunt moliti: nam, ut ait Philoſophia, *Actus activorũ ſunt in patiente benè diſpoſito.* Agens imprimit formã ſuam materiæ juxta diſpoſitionem, quã in illâ reperit: Sic Sol indurat lutum, & emollit ceram, & radij ipſius tranſeuntes per vitra diverſi coloris, apparent diverſi ſecundùm varietatẽ picturarum: Idem cibus alit ſtomachum ſanum, & onerat eum, qui pravis eſt humoribus repletus: Odor vitis, ſuavis eſt hominibus, & peſtilens ſerpentibus: Aqua zelotypiæ in Lege *u* antiquâ putreſcere faciebat uterũ mulierum adulterarũ, & fœcundabat viſcera earum quæ erant caſtæ: Quin & ipſa Lex erat occaſio ruinæ & maledictionis ijs qui ipſam tranſgrediebantur *x*; & cauſa benedictionis illis qui ipſã adimplebant *y*: Imò Euchariſtia, *mors eſt malis, vita Bonis z.* Et *ecce* quomodo Jeſus Chriſtus *poſitus eſt in ruinã, & in reſurrectionem multorũ.* Primò, *In ruinã*, propter indiſpoſitionem eorum qui *fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus a.* Deinde, *Et in reſurrectionem multorum.* Quia ſunt cauſa formalis & poſitiva reſurrectionis & ſalutis eorum, qui ſuſceperunt gratiam ipſius.

u Num. 5. 27. & 28.
x Deut. 27. 26.
y Deut. 28. 1. &c.
z Eccleſia ex D. Thom & ex 1 Cor. 11. 29.
a Job 24. 13.

Cùm igitur peccatum mortuum ſit, cùm ſit proſtratum, cùm regnum ipſius ſit exinanitum, ducamus, Auditores, vitam ſanctam, innocentẽ, & virtuoſam. Mortui ſumus peccato, & peccatum mortuum eſt in nobis, vivamus in Deo, & ſatagamus ut Deus vivat in nobis: *Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jã non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit b.* Ducamus vitam prorſus Divinam, ſic ut non videantur ampliùs niſi virtutes in Chriſtianiſmo, cùm Jeſus venerit ad eas inſtituendas, & ad faciendum illas vivere in eodem Chriſtianiſmo, *In reſurrectionem multorũ.* Univerſos adhibeamus conatus noſtros ad hoc ut actiones noſtræ demonſtrent, quòd verè Chriſtiani ſumus. *Imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi c.* Efficiamus ut ſanctitas ſit elementũ noſtrum, ut virtutes ſint noſtræ productiones ordinariæ: nam ſuſcitati à lapſibus noſtris, nõ debemus ampliùs cadere, & reſurrectio ſupponit vitam novã; & hæc vita non debet eſſe alia niſi vita Jeſu Chriſti, ut dicere poſſimus cum Apoſtolo *d*, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Non ſum ampliùs id quod eram, non dico ampliùs vitam ſervilem peccati, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati e.* Sed vitam cœleſtem, & Divinam. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianũ *f*, *Vivo autem jam non ego, id eſt, poſtquàm confixus ſum cruci, vivo & non vivo. Vivo enim non ſolùm vitâ naturæ, ſed gratiæ: non vitâ humanâ, ſed Divinâ: non vita carnali, mundana & conſueta, ſed ſpiritnali, cæliformi ac nova. Ideò ſubditur, vivit verò in me Chriſtus, id eſt, non ſecundũ meipſum vivo ſeu ago, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationẽ, voluntatem, atque doctrinam. Chriſtus ergo vivit in me, id eſt, regnat in anima mea, & poſſidet me, facitq; me in ſe vivere. Vivere autem eſt actum vitalem habere. Amor verò tranſponit & mutat amantẽ in amatũ g. Dũ ergo homo in Chriſti amore ſuccenditur, creſcit, & perficitur, moritur in ſemetipſo, quia non agit ſecundùm propriã voluntatem, ſecundùm naturalẽ inclinationẽ, ſecundùm privatum amorem, ſed ſecundùm Divinæ Charitatis inſtinctũ, & Chriſti juſſionem atq; conſilium.* Peccato mortuo, non ſumus ampliùs obnoxij imperio ejus; ſolæ virtutes regnare debent in nobis, & illis ſolis noſtras exhibere debemus obedientias, ſinentes nos dirigi motu ipſarũ, cùm ipſæ ſemper nos deducturæ ſint ad Deũ cui ſervimus, quique ipſas ſuſcitavit ab ipſarum depreſſione, per deſtructionẽ vitij ipſis contrarij, *in ruinam, & in reſurrectionem multorũ.* Vivamus igitur in praxi omnium virtutum, ſatagamus ut hæ regnent in nobis & abſolutè imperent, & noſtras ſibi concilient obedientias, *Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi*, id eſt, Deo, *in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo omnibus noſtris h.* Liberati à peccato, & mortui peccatu, non debemus ampliùs vivere niſi gratiæ, *Ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus i.* Non debeamus ampliùs producere niſi opera vitæ, actiones ſanctitatis, cùm iſtarum operationum principium habeamus in nobis. Mortui peccato, non tenemur ampliùs ei obedire; mors liberos nos reddit à legibus ejus: & ſicut Dominus non habet actionem ſuper ſervum ſuum, niſi quandiu vivit, ſed ſtatim ac moritur ipſe Dominus, non pendet ampliùs ſervus ab ipſius obedientiâ, *Liberata eſt*, ait Apoſtolus *k*, loquens de muliere conjugatâ, quæ non eſt ampliùs alligata legi viri ſui, quem è medio ſuſtulit interitus: ſic ſtatim ac peccatum mortuum eſt in nobis, & nos peccato mortui ſumus, non debemus ampliùs vivere ſecundùm leges ejus. Ideòque imitari debemus hunc adoleſcentem, qui ſuſcitatus à Filio Dei è morte ad vitam, mutavit etiam vitam, & deinceps vitam duxit omnino novam, *Et reſedit, qui erat mortuus l.* Glorioſè reſurrexit è lapſibus ſuis, ne dum denuò recideret. Cùm igitur virtutes vitam receperint per

b 2. Cor. 4. 14. & 15.
c Epheſ. 5. 1.
d Galat. 2. 20.
e Joan. 8. 34.
f Dion. Carth. art. 2. in Gal. 2. 20.
g ex D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
h Luc. 1. 74 & 75.
i 1. Petr. 2. 24.
k 1. Cor. 7. 39.
l Luc. 7. 15.

Incarnationem, non debent ampliùs mori, ſed eſſe ſemper in exercitio ſanctitatis: alioquin eorum poſſemus inferre mortem virtutibus, quas Jeſus Chriſtus venit ſuſcitatum, dans eis vitam, ornans eas ſplendore quem non habebant propter contemptum hominum, qui ipſas deſpiciebant. Cooperemur igitur conſilijs Jeſu Chriſti, & cùm venerit *in reſurrectionem multorum*, ſatagamus ut ſimus ex iſtorum numero, ut ſuſcitati à morte ad vitam, à peccato ad gratiã, poſſimus eam ſervare toto decurſu vitæ noſtræ, incipientes in tempore, ut fœliciter continuemus in æternitate.

IN CIRCUNCISIONE DOMINI.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circunciderетur Puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.

[a Cant. 5. 10.] Dilecta Sponſa Canticorum *a* poſtquàm Sponſum ſuum multis ... buſcópatavit, ſingulares admirata perfectiones illius, concludit pro ſynopſi elogiorum ipſius, eum eſſe candidum, & rubicundum, *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Amans ſacra... diletat Divinum Sponſum ſuum in duobus ſtatibus, prout Deum, & quatenus hominem; & ſecundùm naturam Divinam, & ſecundùm naturam humanam, cui ſe univit, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo b.* [b Philipp. 2. 6. & 7.] Quatenus Deus & ſecundùm naturam divinã, candidus eſt; Quatenus homo & ſecundùm naturam humanam, rubicundus eſt. Eſt candidus ob puritatem ſuam, *Ego flos campi, & lilium convallium c.* [c Cant. 2. 1.] Et rubicundus ob peccata hominũ quæ ipſe tulit ſuper ſe, *Et ipſe peccata multorum tulit d.* [d Jſai. 53. 12] Eſt candidus, cùm ſit è cœlo: & rubicundus, cùm ſit è terrâ: candidus eſt in conceptione ſuâ *in utero e* Genitricis ſuæ ſanctiſſimæ; [e Luc. 1. 31. ex Jſai. 7. 54] & rubicundus in nativitate ſuâ, reclinatus *in præſepio f & in laboribus g*, ad quos eſt deſtinatus. [f Luc 2. 7 g Pſ. 87. 16] Sed præſertim candidus eſt in ſe, & propter innocentiam ſuã; & rubicundus hodiernâ die, quia incipit effundere ſanguinem ſuum per Circunciſionem. Beata Virgo Maria quanto dolore afficeris! Mater incomparabilis, gaudia tua ſuntne ita brevia, & ita citò moleſtijs ſeparata, videndo jã fluere ſanguinem è corpore innocente chariſſimi Filij tui? Præclarus iſte, qui *ex te ortus eſt Sol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter h*, qui à diebus paucis tãtum lumen effuderat, eſtne jam ſuffuſus eclypſi? [h Eccleſia ex Malach 4. 2. & Luc. 2. 7.] Speciosus iſte *Flos campi i*, aruitne jam? Oportetne ut iſtæ guttæ ſanguinis, quæ exeunt è corpore Filij tui, interrumpant oblectamentũ, quod ſusceperas ex ipſius nativitate? [i Cant. 2. 1.] Parce mihi, ſi dicam quòd ipſa mater es cauſa paſſionum ipſius. Verum eſt: ipſe erat Deus immortalis, *Qui ſolus habet immortalitatem k*. [k 1 Tim. 3. 16] Et impaſſibilis in æternitate, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo l.* [l Pſ. 90. 10.] Tu verò reddidiſti eũ mortalem, & paſſibilem in tempore, faciens eum hominem in ſinu tuo ad iſtud verbum Angeli, *Ave Maria.*

[m Sap. 7. 26.] Salomon *m* loquens de Sapientiâ Dei increatâ, dicit, *Eſt ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis.* Id quod Sapiens dicit de Sapientiâ Dei increatâ, nos ſimiliter dicere poſſumus de eâdem Dei Sapientiâ incarnata à *Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo n.* [n 1. Cor 1 30.] Cùm non ſolùm ſit ſpeculum in quo Pater æternus Divinas ſuas contemplatur perfectiones in æternitate, ſed etiam ſit ſpeculum in quo nos intueri debemus, ut detegamus omnes imperfectiones noſtras. Vidimus jã à diebus octo hunc Filium Dei incarnatum, frigore algentem in ſtabulo, ventis & tempeſtatibus expoſitum tempore totius anni frigidiſſimo, noſtris oculis ſubijcientem intuendas, inſtar ſpeculi, in paſſionibus ſuis delicias noſtras criminoſas, & oſtendentem nobis, quòd labores ſui condemnant voluptates noſtras, moleſtiæ ſuæ gaudia noſtra, paupertas ſua abundantiam noſtrã, & abjectio ſua vanitatem noſtram: aſpeximus eum pati, & effundere lacrymas: *Lacrymatus eſt Ieſus in ſuâ nativitate, ſecundùm ſanctos Doctores,* ait Dionyſius Carthuſianus *o*. [o Dion. Carth. art. 42. in Luc. 19 41.] Hodiernâ verò die videmus eum effundere ſanguinem ſuum in Circunciſione ſuâ doloroſâ; ut videamus illum intra tempus aliquantũ ignominioſæ crucis patibulo ſuffixũ *p*, & vulneratum propter amorẽ noſtrũ. [p Joan 19. 18. &c]

Non eſt conſilium meum nunc agitandæ celebris & famoſæ quæſtionis illius, quã petebatur aliàs, quænam mundi res eſſet omnium fortiſſima, ſicut dicebam vobis nuper. Opiniones hominum circa quæſitum iſtud, non minùs differunt, quàm vultus ipſorum, cùm inter homines vix duæ facies inveniri poſſint ſimiles. Tempore Regis Darij *tres juvenes corporis cuſtodes, qui cuſtodiebant corpus Regis dixerunt alter alteri: Dicamus unuſquiſq; noſtrum ſermonem qui præcellat. Tunc ſcribentes ſinguli ſuum verbum ſignaverunt. Vnus ſcripſit, Forte eſt vinum. Alius ſcripſit, Fortior eſt Rex. Tertius ſcripſit, Fortiores ſunt mulieres: ſuper omnia autẽ vincit veritas q.* [q 3. Eſdr 3 4 &c.] Ego verò dico, fortior eſt amor, cùm triumphet de morte. Mors eſt finis omnium miſeriarum, deſideratur ab omnibus miſeris, qui intuentur ipſam ut terminum infortuniorum ſuorum: ſed amor eſt principium omnium malorum, & vix incipit quis amare, cum incipit eſſe miſer. Quod inducit me ad oſtendendum vobis in progreſſu diſcurſus iſtius rationes, propter quas Dei Filius ita deſideravit pati pro nobis. [Propoſitio.]

Prima ratio propter quam Dei Filius tanto ducebatur deſiderio patiẽdi pro nobis, eſt, quòd filij totâ vitâ ſuâ propenſione naturali feruntur & inclinantur ad id, quod patres ſui plùs habebant in cogitatione, cùm præbuerunt ipſis eſſe: ratio ergo propter quam Jeſus Chriſtus ſic fuit proclivis ad effundendum ſanguinem ſuum, & ad ſalvandos homines, eſt, quòd, cùm Pater ſuus *in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum r* gignebat ipſum ab æternitate, idem Pater ſuus habebat hanc cogitationem: [r Pſ. 109 3.] & ſimiliter quòd, cùm Mater ſua ipſum concepit *ubi venit plenitudo temporis s*, operante Spiritu ſancto: [s Galat 4 4.] *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt t.* [t Matth 1. 20.] ipſa conſiderabat quòd Filius ſuus ſalvaturus eſſet homines, juxta id quod deinceps ipſius Sponſo D. Joſeph dixit Angelus Domini, *Ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis*

eorum

u Matth. 20. & 21.

eorum u. Propterea Filius Dei & Filius Mariæ ſimul, virtute generationis æternæ, & vi generationis temporalis inclinabantur ad benefaciendum, & ad effundendum Sanguinem ſuum pro omnibus hominibus. Locus Scripturæ x ſervit loco fundamenti huic conceptui, *Tollens Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis ex parte decorticavit eas: detractiſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt ut in ipſo calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diverſo colore reſperſa. Diviſitque gregem Jacob, & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba & nigra quæque, Laban: cætera verò, Jacob, ſeparatis inter ſe gregibus.*

x Gen. 30. 37. &c.

y Toſtat. in Gen. 30, 37 &c.

Toſtatus y ſuper hunc locum ait, *Aliqui autem dicunt, quòd hoc fecit monitione Angeli inſtruentis eum in ſomniis.* Sic ut conſideratio in hoc actu tantam vim habeat, ut illi aſſimilentur infantes quando naſcuntur, & eò inclinentur. Hoc ſuppoſito, dico quòd ita ſe res habet de Filio Dei, ſicut Pater ſuus ipſum generans ab æternitate, cogitaret de redemptione generis humani, & quòd in tempore Filius iſte ſuus effuſurus eſſet Sanguinem ſuum. Beata Virgo Maria Mater ſua ipſum concepit etiam, cogitans de ſalute hominum. Iſtud probo de generatione æterna, & conſequenter de generatione temporali. Quòd Pater æternus cogitaret de ſalvatione animarum, & quòd eas haberet præſentes ut ſic ſalvandas, in generatione æternâ Verbi ſui, & quòd ex illo tunc beato æternitatis ſuæ indiviſibilis intueretur id quod Jeſus Chriſtus erat paſſurus pro illis, iſtud eſt quod innuunt hæc verba quidem Patris Filium ſuum per Pſalmiſtam z ſic alloquentis, *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te.* Lorinus a legit ex Hebræo, *Tecum principatus & imperium in die virtutis tuæ.* Et poſteà ſubdit, *Chryſoſtomus iſtum principatum Chriſto inſitum eſſe, non adventitium confirmat Iſaiæ b verbis, Cujus imperium ſeu principatus ſuper humerum ejus; hoc eſt, inquit, in ipſo, in ſubſtantia ejus, in natura ejus, ut qui non acceperit, poſtquam fuit genitus. Quanquam locum illum Iſaiæ de cruce plures explicent.* Quaſi diceret ei Pater æternus, Fili mi, cùm tribui tibi eſſe à tota æternitate, habebam principatum tuum, qui eſt Eccleſia tua, præſentem; & fideles tuos, pro quibus eras mortem perpeſſurus, æquè ac ſanguinem tuum effuſurus, præſentes coram me. Quòd ſi quis Theologus inveniat, quòd hæc Theologia ſibi non arrideat, quia cùm Pater æternus Filium ſuum genuit à totâ æternitate, contemplabatur eſſentiam ſuam, & omnia divina ſua attributa, & ſic genuit ipſum æqualem ſibi, ſicut ipſemet Filius deinceps incarnatus, dixit, *Ego & Pater unum ſumus c: Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius d:* ſicut non differat ab ipſo, niſi quoad perſonam: reſpondeo quòd iſtud eſt verum primariò, ſed quòd ſecundariò non implicat, quòd haberet animas præſentes coram ſe, ſicut & præſentem Sanguinem quem Jeſus Chriſtus erat effuſurus pro ſalute hujuſmodi animarum. Hæc

z Pſ. 109. 3.

a Lorin. in Pſ. 109. 3.

b ex Iſai. 9. 6.

c Joan. 10.

d Sap. 7. 26.

eſt opinio Theologorum, cui favet D. Thomas e, dicens, *Cùm Deus intelligendo ſe in productione Verbi, intelligat creaturas, in Verbi nomine intelligitur reſpectus ad creaturas.* Et ſtatim ſubdit illius rationem: *Deus enim cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam: Verbum igitur in mente conceptum, eſt repræſentativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Unde in nobis ſunt diverſa verba ſecundùm diverſa genera quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu & ſe & omnia intelligit, unicum Verbum ejus eſt expreſſivũ non ſolùm Patris, ſed etiam creaturarum.* Et poſt eum Cajetanus ipſius Commentator, conformiter ad reſponſionem noſtram, *Verbum principaliter exprimit eſſentiam, & ſecundariò creaturas, ſicut & Deus Pater principaliter intelligit eſſentiam ſuam, & ſecundariò creaturas: ita quòd principaliter & ſecundariò nihil aliud ſignificant, niſi in ſe, & in alio. Creatura enim in eſſentia divina, ipſa autem eſſentia in ſe intelligitur & exprimitur.* Et ante utrumque D. Auguſtinus f, *Novit omnia Deus Pater in ſeipſo, novit in Filio. Sed in ſeipſo tanquam ſeipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de his omnibus quæ ſunt in ſeipſo. Omnia ſimiliter novit & Filius in ſe, ſcilicet, tanquam in ea quæ nata ſunt de iis quæ Pater novit in ſeipſo. In Patre autem tanquam ad ea de quibus nata ſunt, quæ ipſe Filius novit in ſeipſo. Sciunt ergo invicem Pater & Filius, ſed ille gignendo, iſte naſcendo. Et omnia quæ ſunt in eorum Scientia, in eorum Sapientia, in eorum eſſentia, unuſquiſque eorum ſimul videt: non particulatim, aut ſingillatim, velut alternante conſpectu, hinc illuc & inde huc, & rurſus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non poſſit, niſi non videns alia: ſed ſimul omnia videt, quorum nullum eſt quod non ſemper videt.* Cùm ergo Pater æternus generans Filium ſuum formâ qua diximus, contemplabatur & habebat coram ſe præſente, homines, pro quibus Filius ſuus paſſurus erat mortem, & effuſurus Sanguinem ſuum, inde idem Filius ſuus vi generationis æternæ inducebatur ad benefaciendum hominibus.

e D. Thom. 1. p. q. 34. a. 3. in corp.

f D. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 13 & 14.

Invenio duo loca Scripturæ, quæ huic veritati lucem afferunt. Primus locus eſt Job g, qui deſiderans ardenter incarnationem Verbi, dixit, *Quis dimiſit lapidem angularem ejus?* Quaſi diceret, O ſi Pater æternus nobis daret hunc lapidem angularem, qui eſt Verbum ſuum! Obſervate, ſi placet, quòd vocat Verbum lapidem: hoc enim dicens, monſtrat inclinationem quam ſemper habuit veniendi in mundum. Supponamus quòd lapis aliquis poſitus in loco elevato, haberet intellectum; ſi peteremus ab eo, Lapis, quid eſt quod plurimùm deſideras? certum eſt quòd reſponderet, Illud quod præ omnibus concupiſco, eſt ut eam ad centrum meum: atqui Job vocat Filium Dei lapidem, quia à totâ æternitate habuit hanc propenſionem deſcendendi in terram, ut mederetur damno naturæ humanæ, & moreretur pro illâ: hoc eſt enim quod ipſe habuit pro centro ſuo, & pro maximâ quiete ſuâ. Et D. Gregorius h obſervat rem ſubtilem, quòd Job non ait, *Quis emiſit lapidem angularem ejus?* Sed, *Quis dimiſit lapidem angularem ejus?* Et poſteà Sanctus ille Papa ſubdit: *Jam per divinam gratiam omnibus liquet, quem Scriptura Sacra angularem lapidem vocet: illum profectò, qui dum in ſe Judaicum, illinc Gentilem populum ſuſcipit, in una Eccleſiæ fabrica quaſi duos parietes jungit: illum de quo ſcriptum eſt, Fecit utraque unum i.*

g Job 38. 6.

h D. Gr. lib. 28. Mor. c. 6. in Iob. 38. 6.

i Epheſ. 2. 4.

Non dixit ergo Job, *emiſit*, ſed *dimiſit*. Quia verbum, emitto, ſignificat mittere cum imperio, cùm verbum, dimitto, ſignificet ſolvere, ſinere abire eum qui erat quaſi captivus & velut in ſtatu violento: ipſius enim Filii Dei inclinatio erat deſcendendi in terram, ut moreretur pro hominibus. Sed unde proveniebat ei tanta inclinatio? Ex hoc nimirum, quòd Pater ſuus, cùm dedit ipſi eſſe ſuum, conſiderabat ſalutem hominum, & ſic vi generationis æternæ Verbum divinum inclinabatur ad veniendum in mundum.

k Ioan. 1. 11.

Secundus locus eſt D. Joannis k dicentis de Filio Dei, *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Quòd veniens in hanc vallem miſeriarum, vocavit illam patriam ſuam, cùm mundus eſſet tantâ repletus perfidiâ & proditione adverſùs ipſum. Unde dicit Dionyſius Carthuſianus l, *In propria venit, hoc eſt, in hunc mundum inferiorem à ſe creatum, vel in Judæam, & populum Iſraeliticum ſibi olim peculiarem, per incarnationem deſcendit, quemadmodum Iſaias m oravit, dicendo, Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes. A ſummo etenim cœlo egreſſio ejus n. Et ſui, hoc eſt, Judæi ad cultum Dei ſpecialiter deputati, de quorum ſemine natus eſt Chriſtus, eum non receperant per fidem: pauciſſimi enim Judæorum crediderunt in Chriſtum, comparatione incredulorum*. Amor immodicus erga homines qui induxit Salvatorem ad præferendas hujus vallis lacrymarum miſerias quieti æternæ cœli, vi generationis æternæ, quæ ipſum inclinat ad benefaciendum hominibus.

l Dion. Carth. art 4. in Ioan 1. 11
m Iſai 64. 1
n ex Pſ 18. 7.

Hanc eandem probo veritatem per temporalem ejuſdem Filii Dei generationem. B. Virgini ait *Angelus, Maria, ecce concipies in utero o, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet iſtud: quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit ei, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* p. B. Virgo Maria cogitabat apud ſe & meditabatur attentè, quòd Filius, quem conceptura ipſa erat, futurus eſſet Salvator mundi, & Redemptor hominum: ipſa contemplabatur res iſtas: quia illo tempore & in tanto myſterio ipſa, Deipara mox futura, non convertiſſet cogitationes ſuas ad alias res: *dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum* q. Et ſtatim *Verbum caro factum eſt* r in viſceribus ipſius. Atqui quemadmodum B. Virgo cùm concepit Filium ſuum, cogitabat de ſalvatione animarum, & quòd Filius ſuus erat moriturus pro illis: inde proceſſit ut Jeſus Chriſtus venerit cum tanto deſiderio effundendi ſanguinis ſui, & patiendi pro ſalute hominum: ſic ut conſummatis octo diebus poſt nativitatem ſuam induceat ipſum inclinatio ſua ad veniendum effuſum ſanguinem ſuum: & cùm poſſet juſtitiæ Patris ſui pro peccatis hominum omnino ſatisfacere interventu primæ guttæ ſanguinis, quam effudit in Circumciſione, huic modum voluit imponere, ut poſteà mori poſſet in cruce s, & in ea abundanter effundere ſanguinem ſuum: & cùm vixiſſet ab æternitate tota cum magnis iſtis deſideriis, ut ait Iſaias t, *Expectat Dominus ut miſereatur veſtri*: ſtatim ac *Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi uſque dum dicam tibi: futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum: qui conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte; & receſſit in Ægyptum* u: ipſe fugit, non à morte, ſed duntaxat à tempore mortis, ſicut ait D. Chryſologus x, *Chriſtus fugit, ut cedat tempori, non Herodi: neque enim mortem timet, qui venerat de hoſte reportare victoriam*. Quia videbatur ipſi, quòd tunc haberet ipſe exiguum ſanguinem effundendum, licèt illius guttæ ſingulæ eſſent valoris inæſtimabilis & pretii infiniti, ſicut ipſe *non habet finem* y: expectare vult donec pervenerit ad ſtatum perfectum, ad ætatem virilem triginta trium annorum, ut copioſè effundat illum, *Quia copioſa apud eum redemptio* z. Sic ut ipſe ſuæ poſſit inclinationi penitus ſatisfacere: propterea præ ſe tantum tulit ardorem patiendi, dicens, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur* a. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum b, *Baptiſmo habeo baptizari, hoc eſt, mihi incumbit & reſtat ex præordinatione Divinâ, ut Baptiſmo ſanguinis, ſcilicet, proprii cruoris effuſione, inſtar aquæ perfundar atque intingar in cruce pro totius mundi redemptione: & quomodo coarctor, id eſt, ſecundùm judicium rationis ad paſſionem hanc vehementer afficior, tum ex amore Divino, quo Patris honorem inſtaurari peropto, ut ejus cœleſte Regnum adimpleatur: tum ex amore hominum, quo eorum ſalutem exopto. Hinc Chriſtus in noviſſima profeſſus eſt cœnâ, Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar* c. *Et Petro paſſionem diſſuadenti dixit, Vade retro me Satana, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt* d. *Uſque dum perficiatur, hoc eſt, quouſque mea paſſio conſummetur, & dicam, Conſummatum eſt* e. *Chriſtus enim inceſſabiliter fuit in actu interiori dilectionis*.

s Joan. 19. 18 &c
t Iſai 30. 18.
u Matth. 2. 13. & 14
x D. Chryſologus
y Baruch 3. 25.
z Pſ. 129. 7.
a Luc 12. 50.
b Dion. Carth. art 34. in Luc. 12. 50.
c Luc. 22. 15.
d ex Matt 8. 33.
e Ioan. 19. 30.

Hæc inclinatio fecit mori ter Filium Dei. Mortuus eſt, antequàm moreretur. Secundâ vice mortuus eſt moriendo. Tertiâ vice mortuus eſt, poſtquàm ſpiritum exhalavit. Primò, Mortuus eſt, antequàm moreretur, in ſacrificiis & figuris antiquis f: propterea Scriptura g loquitur de eo ſub nomine *Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi*. Secundò, Mortuus eſt moriendo, cùm in cruce *emiſit Spiritum* h. Tertiò, Moritur poſt mortem ſuam in ſancto Sacrificio altaris, in quo moritur quotidiè myſticè: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, ait D. Paulus i. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus k, *Mortem Domini, id eſt, Chriſti paſſionem annunciabitis, prædicando, commemorando, vel repræſentando, donec veniat judicare vivos & mortuos. Conſtat ergo quòd uſque ad finem mundi durabit celebratio hujus Sacramenti*. Sic Dominus noſter Jeſus Chriſtus inſtituit ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro conſolatione duarum mortium, prout ſacrificium pro conſolatione mortis ſuæ, & prout Sacramentum pro conſolatione mortis noſtræ. In hoc ſacrificio jugiter ipſe moritur myſticè: nam Sacerdos verbis Sacramentalibus l veluti gladio quotidie quaſi excoriat hunc Agnum immaculatum m, ſeparans carnem ipſius ſacram ab ipſius ſanguine pretioſo, offerens illam & hunc ſub accidentibus panis & vini: propterea Ægeæ Proconſuli Achaïæ dicebat *D. Andreas: Ego omnipotenti Deo, qui unus* † *& verus* * *eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in altari: cujus carnem poſteaquàm omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat & vivus*, canit Eccleſia

f Exod. 12. 3. &c.
g Apoc. 13. 8.
h Ioan. 19. 30.
i 1. Cor. 11. 26.
k Dion. Carth. art. 11. in 1 Cor. 11. 26.
l 1. Cor. 11. 24. & 25.
m 1. Petr. 1. 19.
† ex Deut 6. 4.
* ex Ioan. 17. 3.

in ipſius Legendâ. Et Filius Dei mortuus eſt contentus in cruce, videns quòd ſemper continuaturus eſſet mori in ſancto ſacrificio miſſæ, ſatisfaciendo inclinationi ſuæ, & deſiderio ſuo: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi n.* *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia per ſacramentalem præſentiam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus o. Et hoc eſt quod ait D. Bernardus p, *Totus mihi datus & totus in meos uſus expenſus eſt.* Et ſi jugiter ipſe mori vult, ideò ut ſemper ſim vivens, & fruar beneficio vitæ. Quin imò in cœlo ipſo Filius Dei conſervat hoc deſiderium, quod habet patiendi: & quia non poteſt pati in ſuo corpore naturali, patitur in corpore ſuo myſtico quod eſt Eccleſia, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus q.* *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ r.* Et effundit ſanguinem ſuum in hoc corpore per applicationem quotidianam quam facit illius. Quod probat hanc primam rationem, quòd filii totâ vitâ ſuâ inclinantur & feruntur ad id de quo cogitabant parentes ſui, cùm tribuerunt ipſis eſſe: atqui Pater æternus, & B. Virgo Maria cogitabant de ſalvatione hominum cùm produxerunt Filium ſuum: ergo Filius Dei venit in mundum cum tanto deſiderio patiendi pro hominibus, quos vult ſalvare. Sed eſt altera ratio.

n Matth. 28.20.
o Dion. Carth. art. 45 in Matth. 28. 20.
p D. Bern. ſerm. 3 in Circunc. Dom.
q Ephes. 5. 30.
r Coloſſ. 1. 18.

Tres fuerunt Legiſlatores ab initio mundi in tribus Legibus, in quas tempus diviſum eſt, ſeu in quas diverſæ ætates iſtius temporis ſunt diviſæ. In Lege naturæ primus Legiſlator fuit Adam: & principia ipſius erant è terrâ, *Primus homo de terra, terrenus s.* Et cùm principia ſua habuerit è terrâ, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ t*: propterea homines qui vivebant tempore Legis naturalis, erant ferè omnes terreni, ſicut ſuus Legiſlator: *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra. Et præcavens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ u.* *Factumque eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram.* *Et delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, x &c.* Secundus Legiſlator in Lege ſcriptâ fuit Moyſes, *Quia Lex per Moyſen data eſt y.* Iſte habuit principia ſua ex aqua: propterea *filia Pharaonis vocavit nomen ejus Moyſes, dicens, Quia de aqua tuli eum z.* Et ſicut aquæ ſunt ita inconſtantes & leves; videtis enim quòd minimus venti flatus, commovet ipſas propter levitatem ſuam: ſic homines iſtius Legis fuerunt inconſtantes & leves: *Et rememorati ſunt quia Deus adjutor eſt eorum; & Deus excelſus Redemptor eorum eſt. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus. Quoties exacerbaverunt eum in deſerto, in iram concitaverūt eum in inaquoſo? Et cōverſi ſunt, & tentaverunt Deum: & Sanctū Iſrael exacerbaverunt a.* Tertius Legiſlator in Lege gratiæ eſt Jeſus Chriſtus, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt b.* Principia ipſius fuerunt è puriſſimo ſanguine Mariæ: ideòque cùm talia principia habuerit, ſic proclivis fuit ad effundendum ſanguinem ſuum: tenemur igitur nos omnes qui vivimus in iſta Lege, ſi Legiſlatori noſtro velimus aſſimilari, effundere ſanguinem noſtrum, mortificare nos: ſaltem ſatagere debemus ne per malam vitam noſtram reddamus nos indignos hoc quo ſumus *empti pretio magno c*: ſedè contrà ritè inſumamus hunc pretioſum ſanguinem, & per praxim virtutum, Salvatoris amorem amore compenſemus.

s 1 Cor. 15. 47.
t Gen. 2. 7.
u Gen. 6. 3. &c.
x Gen. 7. 19. &c.
y Joan. 1. 17.
z Exod. 2. 9. & 10.
a Pſ. 77. 35. &c.
b Joan. 1. 17.
c 1 Cor. 6. 20.

Verum quidem eſt, quòd mihi poſſet aliquis dicere: Si mihi daretur id quod fuit conceſſum Jeſu Chriſto, multum & libenter paterer. Tres obſervamus in Jeſu Chriſto res, quæ ipſum adjuverunt ad patiendum uſque ad extrema. Prima res, eſt, quòd humanitas ſua erat unita divinitati, *Verbum caro factum eſt d.* Secunda eſt, quòd corpus ſuum habebat animam quæ jugiter fruebatur viſione beatificâ, & erat in gloria: *Anima Chriſti in primo inſtante ſuæ creationis ac unionis cum Verbo erat verè ac fruitivè beata*, dicit Dionyſius Carthuſianus e. Tertia eſt, quòd ipſo ſuæ conceptionis inſtanti ſuſcepit gratiam infinitam, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis plenum gratiæ f.* Si igitur haberem tres omnes iſtas ad adjuvādas infirmitates meas, multa quidem pro Deo paterer. Atqui ſcire debetis, Auditores, quòd Deus tantī æſtimat ut patiamini propter amorem ſuum, & hoc ſic ardenter deſiderat, ut det vobis tres res ſimiles iſtis tribus, ut pati poſſitis, & ne ullā puſillanimitates veſtras prætexere poſſitis excuſatione. Quænam res data fuit Jeſu Chriſto? Hæc admirabilis unio humanitatis Verbo divino: atqui quoniam non poteſtis uniri Verbo unione perſonali, Deus inſtituit Euchariſtiam, ut nos uniat ſibi unione gratiæ affectivâ & reali, & ut inter corpus Jeſu Chriſti & corpus noſtrum ſit unio phyſica, realis, ſubſtantialis, & Sacramentalis, ſicut illam vocant Patres. Inter quos ait Maldonatus g, quòd *S. Ambroſius refert, dixiſſe B. Agnetem, cùm jam moritura Chriſti corpus accepiſſet, Nunc (inquit) corpus Domini mei corpori meo aſſociatum eſt, & ſanguis illius ornavit genas meas.* Videte an non tali opefulti, ſitis deinceps valituri perpeti miſerias & anguſtias vitæ quaslibet vobis occurſuras libentiſſimè. Secunda res quæ Chriſto data fuit, eſt, quòd ipſius anima ſemper erat in gloria: Deus præbet vobis iſtud auxilium: quia ſi per aliquantum tempus manere velitis in oratione, anima veſtra erit aliquo modo in gloria. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, ait David h: Et paulò poſt ſubdit, *Ut inhabitet gloria in terra noſtra.* Gloria inclinatur & deſcendit in terram noſtram versùs eos qui orant, qui incipiunt ingredi poſſeſſionem hæreditatis Dei quæ eſt gloria. Videte ergo num cum hoc ſubſidio futuri ſitis ſic delicati ut pati non poſſitis pro Deo. Tertia res, quæ data fuit Jeſu Chriſto, eſt gratia infinita: Deus autem frequenter largitur vobis jubileos, & indulgentias: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus i.* *Quia apud Dominum miſericordia; & copioſa apud eum redemptio k.* Et his præſidiis æquè ac frequenti uſu Sacramentorum adjutus homo poſſidere poteſt magnam gratiam, quâ fultus multa pati poſſet: ſic ut illi qui pati nolunt pro Deo, puſillanimitatem ſuam nullâ prætexere poſſint excuſatione.

d Joan. 1. 14.
e Dion. Carth. art. 30 in Matth. 17. 2.
f Joan. 1. 14.
g Maldonat. in Jo. 6. 56. citans D. Ambr. ſerm. 90 de S. Agnete.
h Pſ. 84. 9. & 10.
i Sap. 7. 14.
k Pſ. 129. 7.

Non erat poſſibile ut Deus ſolus pateretur mortem, *Non accedet ad te malum. & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo l*: vel ut ſolus homo vinceret illam: ſed homo eam tulit, & Deus illam vicit, *Ero mors tua, ô mors m.*

l Pſ. 90. 10.
m Oſee 13. 14.

Quan-

Quantùm ad qualitatem pœnarum, ſufficit ut dicamus, quòd ſi de magnitudine gigantum judicatur ex unico è veſtigiis ipſorum impreſſo arenæ, & ſi ſumitur menſura ſolis è parvo filo umbræ, aliquantula capeſſi poterit cognitio ſic alti myſterii è figuris quæ ipſum præ ſtulerunt: atqui omnia ſacrificia legis n Moſaicæ, & tot labores & paſſiones antiquorum Patriarcharum, & Virorū illuſtrium o, non erant niſi rudis adumbratio laborum, quos Jeſus Chriſtus erat paſſurus. Unde poſſit quis æſtimare qualefuerit Prototypon, cùm tranſumpta fuerint ſic numeroſa & ita differentia in curſu omnium ſeculorum. Et obſervabitis, ſi vobis placet, obiter, quòd crux ordinariè ſuperponitur nomini Jeſu, quia paſſiones & cruces ab ipſo ſunt inſeparabiles.

n Levit. 1. & ſeqq.
o Hebr. 11. 7. &c.

Hoc ſacrificium quod in tabernaculo Moyſis offerebatur Deo *per ſingulos dies jugiter manè, & veſpere* p: & has, quas in templo ſuo *mactavit Salomon hoſtias pacificas Domino, boum viginti duo millia, & ovium centū viginti millia* q: ſcimus non fuiſſe ad aliud conſilium, quàm ad figurandum pretioſum ſanguinem *quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati* r, & cruorem omnium membrorum ipſius, id eſt, fidelium, qui paſſi ſunt poſt ipſum: *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus,* ait nobis D. Petrus s. Quòd ſi tantus neceſſarius fuit apparatus, & tàm ingens profuſio requiſita eſt ad faciendam vel tenuem umbram paſſionis ipſius, quid conjicere poſſumus de corpore, & de re figurata?

p Exod. 29. 38. & 39.
q 3 Reg 8. 63.
r 1. Petr 1. 19.
s 1. Petr 2. 21.

Præterea, Si omnes illi magni Patriarchæ qui ſic perſecutionibus fuerunt impetiti ſeculis præteritis; & univerſi Martyres qui à morte Domini noſtri pertulerunt tormenta numero ferè infinita, & qualitate prodigioſa, duntaxat adumbraverunt dolores iſtius Regis afflictorum, quid æſtimabimus de pœnis ipſius, quæ æquè noſtris voluntatibus eſſe debent adorabiles, ac mentibus noſtris ſunt incomprehenſibiles? quid dicemus de ſuppliciis *Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi* t? Sanè quod interfectus eſt in Abel u: agitatus fluctibus in Noë x: vagus in Abraham y: ſacrificatus in Iſaac z: perſecutionibus impetitus in Jacob a: proditus in Joſeph b: excæcatus in Samſone c: vulneratus in Job d: ſectus in Iſaia e: excoriatus deinceps in D. Bartholomæo: aſſatus in D. Laurentio: ad leones projectus in D. Ignatio: & paſſus labores infinitos in perſonâ omnium aliorum ſuorum Martyrum f. Unde venit ut hæc paſſio Jeſu Chriſti vocetur ab Iſaia g *Conſummatio abbreviata*, juxta interpretationem D. Hieronymi h dicentis, *Et quia dixerat reliquias eſſe ſalvandas, tranſit ad poſteriora tempora: & plenam ſalvationem futuram dicit eſſe ſub Chriſto. Quod & Apoſtolus Paulus i intelligens, ſcribit ad Romanos: Iſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient. Verbum enim conſummans & brevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram. Et ſicut dixit Iſaias* k: *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & Gomorrha ſimiles fuiſſemus. Ubi ergo tanti viri præcedit authoritas, ceſſet alia omnis interpretatio.* Hoc & alibi l confirmat idem Apoſtolus: *Unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos. Quaſi diceret*, ſubdit Cornelius m, *Chriſtus unicâ ſuî oblatione in cruce conſummavit, id eſt, dedit conſummatam oblationem, conſummatum & perfectum pretium redemptionis & ſanctificationis noſtræ, quo quaſi fonte immenſo & inexhauſto, ſemper, & uſque ad finem mundi imò in omnem æternitatem valituro; ſanctificatos, id eſt, eos qui ſanctificantur, conſummet & perficiat; id eſt perfectè ſanctificet, & quaſi Deo conſecret.*

t Apoc 13. 9.
u Gen 4. 8.
x Gen. 7. 17.
y Gen 12. 4. &c.
z Gen. 22. 3. &c.
a Gen. 27. 41. &c.
b Gen. 37. 18. &c.
c Jud. 16. 21.
d Job. 2. 7. & 8.
e Hebr. 11. 37.
f Hebr. 11. 32. &c.
g Iſai. 10. 22.
h D. Hier lib. 4. in Iſai. 10. 22.
i ex Rom 9. 27. &c.
k ex Iſai. 1. 9.
l Hebr. 10. 14.
m Corn in Hebr. 10. 14.

Jeſus Chriſtus deſiderans adimplere hoc magnum ſacramentum ſuæ mortis, tranſivit per omnes dolores imaginabiles, qui ſimul veluti fuſi & liquefacti fuerant, ut ex ipſis fieret veluti conſummatio prodigioſa. Quare hoc? Sanè quia erat Jeſus, & quoniam, ut haberet effectum nominis quod hodie ipſi imponitur, pati debebat.

Jeſus eſt abyſſus amoris, miſericordiæ, dolorum, ignominiarum, ſanguinis, depreſſionis, exceſſus, admirationiſque; & ubi omnes pennas ſiſtit, cunctas linguas facit elingues, & ſubtiliſſimos quoſque conceptus obtundit. Jeſus in Nativitate ſua *in ſimilitudinem hominum factus* n eſt, id eſt, Infans, humilis, infirmus, impotens, & captivus præ amore: ſed in Circuncifione ſua ſe plùs etiam depreſſit, miſſus à Patre ſuo *in ſimilitudinem carnis peccati* o. Hoc eſt, voluit inſigniri charactêre peccatoris, quod eſt major depreſſio; & velut peccator apparens ſubjicere ſe huic Legi p, quæ non erat inſtituta niſi pro peccatoribus, quod eſt exceſſus charitatis. Cadimus nos in nihilum peccati, *Quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant*, ait D. Auguſtinus q. Et ipſe deſcendere voluit uſque ad hoc nihilum, ut deinceps in illud cadentes, inveniremus in eo Deum ipſum, qui nos ab illo citò liberaret. Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd inter omnes humiliationes vitæ Jeſu duæ ſunt magnæ, aut duo effectus immodicæ depreſſionis ipſius, nimirum, Circuncifio & Crux. In prima æſtimatus fuit ut peccator inter filios Adæ. In ſecunda verò velut malefactor inter ſceleſtos habitus eſt, *Et cum iniquis reputatus eſt* r. Et ego audeo dicere aliquo modo quod Circuncifio fuit magis humilians quàm Crux: erat enim remedium inſtitutum à Deo, & quod nunquam fuerat applicatum, nec ordinariè poterat applicari niſi peccatoribus: ſed ſupplicium crucis poterat imponi innocentibus per malitiam vel ignorantiam hominum, ſicut interdum contigit, & conſequenter non erat nota infallibilis peccati. Crux erat ſolùm pœna peccati; ſed Circuncifio erat illius pœna & remedium ſimul. Per primam humiliationem Jeſus tulit ſimilitudinem peccatoris coram Deo Patre ſuo, & coram Angelis; per ſecundam verò ſpecialiter palam hominibus: nam circuncîſus fuit ex voluntate & mandato Patris ſui, & ſic humiliatus manu ipſius, & coram ipſo: ſed homines *crucifixerunt eum* s tantùm ex permiſſione Divina. Et in hoc ſenſu ſolùm fuit humiliatus exteriùs ab hominibus, & coram eis manus quæ ipſum circuncîdit, erat ſancta, & meruit in hâc actione; ſed manus quæ ipſum crucifixit, erat nequam, & peccatum deteſtabile patravit, infligendo ipſi mortem. Sed hæc humiliatio exaltata eſt per impoſitionem ſacri nominis Jeſu, quod frontibus noſtris imprimere debemus ut charactêrem noſtri Chriſtianiſmi, & ſecuritatem noſtræ ſalutis adverſus omnes hoſtilitates: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen* t. Nomen ſactum, quod magnus Pontifex

n Philipp 2. 7.
o Rom 8. 3.
p Levit. 12. 3.
q D. Aug tract. 1. in Joan. 1. 3.
r Marc. 15. 28. ex Iſai. 53. 12.
s Joan. 19. 18.
t Philipp. 2. 8. & 9.

u Exod. 28. 36. & 37.

f. x Hebræorum deferebat in tiarâ ſuâ, *Sanctum Domino, erat ſuper tiarã, imminẽs fronti Põtificis u.* Ad cujus intuitum Alexander Magnus cũ ibat devaſtatum Jeruſalem, è leone feroci factus eſt agnus manſuetus, compeſcens totam iram ſuam ad pedes ſummi Sacerdotis Jaddi, ſicut fluctus confringuntur contra rupes, ut ait Joſephus x.

x Joſeph. lib. 11. Antiq. Judaic. c. 8.

Jeſus igitur elegit propter amorem noſtrum æquè citò miſer eſſe ac homo, *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati eſtis*, ait nobis D. Petrus y. Et D. Paulus z; *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Deus incarnatus fecit veluti cumulum omnium peccatorum; hæc ſuper ſe tulit, & pro eis ſpopondit ſe ſatisfacturum in toto rigore juſtitiæ Patris ſui, ot, poſtquàm ſolverit & penitus ſatisfecerit ei, efficiamur in ipſo, & per ipſius merita, non ſolùm juſti, ſed ipſamet juſtitia. Quaſnam non requirit igitur amor iſte reverentias à nobis? quaſnam actiones gratiarum non debemus illi rependere pro eo quòd *langnores noſtros, ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & oblatus eſt, quia ipſe voluit a?* Propterea vult ipſe deferre nomen ſupplicii ſui, nomen Jeſu, quod eſt illius expreſſio, quippe quod ſignificat Salvatorem mundi; ut edoceat nos, quòd, ſi ipſe patitur, & dat ſangiuinem ſuum, hoc agit, & illud ſoſtinet non propter demerita ſua, ſed ob peccata hominum, quos veniebat liberatum, prout Jeſus, id eſt, Salvator: *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit b.* Amor igitur inducit ipſum ad has paſſiones. Sicut conſuetudinis eſt, ut, cùm aliquis reus morte plectendus eſt, præco præcedat, & palàm publicet qualitatem criminis; & cauſam propter quam extremo ſupplicio perimendus ille eſt: ſic hodie Dei Filius plectitur quaſi reus; ab ipſo ſanguis educitur, gladio; ipſe circunciditur; Evangeliſta velut præco præcedens, nos edocet, quòd peccatum populi ſui ipſum inducit ad hanc paſſionem ex amore: proptereà ait, *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Et quia Jeſus eſt, oportet ut patiatur, cùm debeat eſſe Salvator: *O ſuavitatem, ô gratiam, ô amoris vim! Itane ſummus omnium unus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam! Denique, Semetipſum exinanivit c, ut ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt*, exclamat D. Bernardus d. Diligamus, patiamur, cùm ille qui nos diligit, ſit in tolerantiis: patiamur ad imitationem ejus, & propter amorem illius: conemur circuncidere nos in omnibus paſſionibus noſtris, quæ non ſunt Chriſtianæ.

y 1. Petr. 2. 24.
z 2. Cor. 5. 21.
a Iſai. 53. 4. & 7.
b Galat. 4. 31.
c Philipp. 2. 7.
d D. Bern ſerm 64. in Cant. 2. 11.

Dicunt Naturales, quòd nullus eſt lapis qui non emolliatur, quantùmlibet durus, licèt eſſet adamas, ſi infundatur ſanguini hirci, *Sanguine hircino adamas frangi dicitur. Sed heu! ſanguine Chriſti cor tuum non frangitur*, exclamat D. Bonaventura e. Et poſteà ſubdit ex D. Bernardo, *O duri & obdurati Adam filij, quos non mollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris!* Deus patitur pro creaturis ſuis: creaturæ verò nolunt pati voluit pro Deo ſuo? Quis audivit unquam talem ingratitudinem? Juſtitia requirit ut agnoſcamus beneficia, & Theologia aſſerit, quòd amor non niſi reciproco amore compenſatur: Jeſus Chriſtus circuncidi voluit pro nobis: & ego dico, quòd circuncidere debemus nos ipſos propter illius amorem: *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*, dixit jam nobis ſuprà D. Petrus f. *Id eſt, ejus intuitu & amore ſuſtineatis libenter adverſa, quoniam ſervi & membra ſuo Capiti & Domino debent ſe conformare*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus g. Si iſtud agamus, nobis hic *gratiam, & gloriam dabit Dominus h* in cælo.

e D. Bon. ſerm. 4. in Paraſc.
f 1. Petr. 2. 21.
g Dion. Carth ar. 4. in 1. Petr. 2. 21
h Pſ. 83. 12.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum, Matth. 2. 2. &c.

OMnes captivi non trahunt catenas ſuas; & omnes Reges non merentur coronas? omnes peccatores ſunt ſervi peccatorum ſuorum, quibus ipſi obediunt, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati a*, dicebat alias Dei Filius Judæis. *Servus namque peccati, ſervus eſt tot Dominorum, quot vitiorum*, dixit deinceps Petrus Cellenſis b. Solus ſapiens meretur deferre ſceptra, cùm ſe gerat ſemper ut Rex, nedum faciat unquam aliquid indignum majeſtate ſuâ Regiâ, & animum ſuum deprimat ad viles actiones. Jeſus Chriſtus eſt dupliciter Rex; ipſe talis eſt à tota æternitate in ſinu Patris ſui, qui dat ipſi ſceptrum eodem inſtanti indiviſibili quo ipſum producit, cum eſſe tribuens ei coronam: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te c.* Ipſe eſt Rex cœli & terræ, & utſic adoratus ab Angelis. In tempore ipſe eſt Rex in ſinu Matris ſuæ, & Reges terræ veniunt ipſum adoratum in hac qualitate. Hæc eſt autem differentia inter hos duos ſtatus & iſtas duas qualitates, quòd in cœlo ipſe colebatur ab Angelis, gloria beatâ renitens: in ſinu verò Virginis ipſe mortalis eſt & paſſibilis, patiens *in præſepio d*, in conſortio beſtiarum, quæ componunt curiam ipſius; non habens pro toro apparatu niſi naturæ noſtræ miſerias. Sed eſt & hæc prærogativa, quòd in cœlo ipſe multum ſplendoris habet, multumque potentiæ; in præſepi verò minus ſplendoris, & plus miſeriæ: ſed in hoc ſtatu utilior eſt, meliùs magnificat potentiam ſuam, cùm incepertt eam manifeſtare in ſinu Matris ſuæ ipſo momento ſuæ conceptionis, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave e Maria.*

a Joan. 8. 34.
b Cellenſ lib. de Panib. c. 15.
c Pſ. 2. 6. & 7.
d Luc. 2. 7. & 12.
e Luc. 1. 28 &c.

Pſalmiſta f loquitur de quadam magiâ quæ meretur fulmina cœli, poſtquàm fuit motivum infortuniorum terræ, *Venefici incantantis ſapienter.* Hæ præſtigiæ ſunt ita potentes, & ſic periculoſæ, ut Principes armare ſe debeant ri-

f Pſ. 57. 6.

gore, & Curiæ zelo ad videndum earum finem: & tamen mihi videor intueri hodie Salvatorem meum, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus g*, convictum quaſi criminis iſtius: ipſe eſt veluti veneficus, eduque præſtigias; debet igitur, ut videtur, puniri, & cœlum vibrare debet fulmina ſua ſuper ipſum ad ulciſcendum crimen iſtud. Magi ſeu venefici tria faciunt in incantationibus ſuis. Faciunt homines fieri ſtultos. Deinde, Turbant ſenſus, & viſum, facientes res apparere aliter quàm ſint in ſe. Tandem, Mutant objecta ex una natura in alteram. Deus noſter eſt primò ſanctè conſcius iſtius innocentis magiæ, quæ facit fieri ſtultum. Videte ineptias quas patrant ſacri amantes Dei. Sponſus petit à Sponſa ſua, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum: ut ſignaculum ſuper brachium tuum* †. Quænam ſtultitia! Et Jeſus veluti captus iſta magia, vi faſcinationum iſtarum, nunquid non ait, alloquens Patrem ſuum per Pſalmiſtam *h*: *Deus tu ſcis inſipientiam meam*. Et per Dionyſium Carthuſianum *i*, *Deus tu ſcis per approbationem inſipientiam meam, id eſt, ſapientiam meam, quæ à Judæis inſipientia reputatur*. Actiones ipſius depreſſæ ſapiunt ſtultitiam: cùm eſſet ita glorioſus in cœlo, miſerum ſe reddidit in terra. Præterea, Hæc magia turbat ſenſus, & viſum, & facit ut unum objectum ſumatur pro altero. Videte, ſi placet, quomodo Dei Filius relinquat gloriam beatam, & veluti ſinum Patris ſui, ſicuti ipſemet ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum k*, ad ſumendam crucem ignominioſam, *factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno l*. Quidnam eſt, niſi confuſio in paſſionibus? Ipſe reſpicit eas ut objecta voluptatum & deliciarum; ipſe habet viſum turbatum hac magiâ, quæ decorem tribuit objectis, ad quorum amorem pertrahere intendit, licèt in illis non ſit aliud præter horrorem. Tandem, Hæc magia facit mutari naturam rerum. Invenimus in Jeſu gloriam *m* mutatam in depreſſionem *n*, potentiā *o* in infirmitatem *p*, ſapientiam *q* in ſtultitiam *r*, æternitatem *s* in tempus *t*, & felicitatem in infortunium *u*. *Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique, Semetipſum exinanivit x, ut ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt*, ait D. Bernardus *y*. Fecit igitur iſtud dilectio, hæc innocens magia, contra quam cœli ſe debent armare fulminibus. Sed ne proceſſum faciamus Filio Dei priuſquàm vocaverimus eum, & ne damnemus illum inauditum, videamus quid ipſe reſpondebit. Politici dicunt, quòd ad benè gubernandum Regnum tres qualitates neceſſariæ ſunt Monarchæ, Potentia ad incutiendum terrorem hoſtibus ſuis, qui vellent invadere Provincias ipſius. Juſtitia ad continendum unumquemque in timore, puniendo reos, æquo liberiores, & ſeditioſos. Et amor, qui tantam ſibi conciliat reverentiam, quantum potentia & juſtitia terrorem & timorem. Jeſus, prout *Rex regum, & Dominus dominantium z*, poſſidet omnes iſtas qualitates, ſed modo inuſitato. Potentia ſua nonquam meliùs apparet quàm in infirmitate: juſtitia ſua quàm in injuſtitia: & amor ſuus quàm in rigore ſicut videbimus in prima parte diſcurſus iſtius. In ſecunda tractabo vobis de rationibus, quæ induxerunt aliàs Dei Filium ad recuſandum Regnum temporale, quod homines ipſi offerebant. In tertiâ verò monſtrabo vobis, quòd ipſius Regia dignitas valdè differebat à regiâ dignitate hominum.

g 1. Pet. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
† Cant. 8. 6.
h Pſ. 68. 6.
i Dion. Carth. in hunc locum.
k Jo. 16. 28.
l Gal. 3. 13. ex Deut. 21. 23.
m Pſ. 111. 3.
n Philipp. 2. 7.
o Pſ. 64. 7.
p Luc. 2. 7.
q Pſ. 103. 24.
r 1. Cor. 1. 21. &c.
s Dan. 7. 42.
t Gal. 4. 4.
u 2. Cor. 5. 9.
x Philipp. 2. 7.
y D. Bern. ſerm. 64. in Cant. 2. 15.
z 1. Tim. 1. 15. & Apoc. 19. 16.

Diviſio.

Impius & æquo liberior invehitur in Religionem Chriſtianam pro eo quòd hæc obſtringens Chriſtianum ad patientiam, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei a*, reddit illum (ait ipſe) puſillanimum. Sed non videt, quòd in hoc conſiſtit & manifeſtatur ipſius maxima fortitudo, cùm depreſſio unius ſit ſublevatio multorum, ſicut dixit Lorinus *b*, *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*. Et ante illum D. Paulus *c*, *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. Apoſtolus conſiderat Deum in duobus ſtatibus, in æternitate felicitatis ſuæ glorioſum in cœlo, & in tempore infirmum factum hominem. Cùm erat glorioſus in cœlo, ipſe velut irâ fumabat, totum orbem inundabat, *Factumque eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram. Et delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram ab homine uſque ad pecus d*. Ipſe minas intentabat, & puniebat, ſed invanùm: ipſe nihil proficiebat. Videte num Pharao convertatur per hos effectus potentiæ ipſius. E contrà rebelles ipſe facit potiùs minis & ſuppliciis ſuis: *Introierunt Moyſes & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei, Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Uſquequò non vis ſubjici mihi? dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi. Si autem reſiſtis & non vis dimittere eū: ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos: quæ operiet ſuperficiem terræ, ne quicquam ejus appareat, ſed comedatur quod reſiduum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. Et extendit Moyſes virgam ſuper terram Ægypti: & Dominus induxit ventum urentem tota die illa, & nocte: & manè facto, ventus urens levavit locuſtas. Quæ aſcenderunt ſuper univerſam terram Ægypti: & ſederunt in cunctis finibus Ægyptiorū innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec poſteà futuræ ſunt. Operueruntque univerſam ſuperficiē terræ, vaſtantes omnia. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſrael e*. Venit ne Deus per amorem, *in ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo f, in terris viſus, & cum hominibus converſatus g*? Depoſuitne arma? In hoc ſtatu ipſe ſibi conciliat unumquemque, & de omnibus triumphat, *Quia quod infirmū eſt Dei, fortius eſt hominibus h*. Cùm eſſet Deus homo, operabatur actiones Divinas & humanas, fortitudinis & potentiæ: ſed per iſtas actiones pōpæ & ſplendoris ipſe nihil lucrabatur, irritabat homines inimicos ſuos, à quibus vocabatur ipſe *Samaritanus, & dæmonium i* habens. Sed per actiones depreſſionis attrahit unumquemque. Si ipſe eſt reclinatus *in præſepio k*, Angeli & paſtores veniunt ipſum agnitum, *Et ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo. Et factū eſt ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, paſtores venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de Puero hoc. Et reverſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos*. Et Reges veniunt ipſum adoratum, *Et intrantes*

1. Pars.
a Act. 14. 21.
b Lorin. in Pſ. 125. 3.
c 1. Cor. 1. 25.
d Gen. 7. 17. &c.
e Exod. 10. 3. &c.
f Philipp. 2. 7.
g Baruch. 3. 38.
h 1. Cor. 1. 25.
i Jo. 8. 48.
k Luc. 2. 7. &c.

tes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus : & procidentes adoraverunt eum. Si ipſe agit agonem ſuper cruce, vel ipſi Pagani, qui viderant ipſius miracula, & effectus potentiæ ipſius, agnuſcunt ipſius potentiam in hâc infirmitate, *Centurio autem & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes, Verè Filius Dei erat iſte* l. *Quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus* m. Lacrymæ ſuæ faciunt ipſum magis metui, quàm potentia ſua. Ipſe eſt in præſepi, ubi pro tota curia non habet niſi beſtias; pro pallio Regio niſi faſcias & pannos infantiles, & in hoc ſtatu agnoſcitur : cœlum mittit ad ipſum ſtellam, & habetur ipſe ut Rex. Super cruce totus diſcerptus, talis publicatur à Pilato, *Scripſit autem & titulum Pilatus : & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* n. Et è tempore ipſe educit immortalitatem, è ſepulchro vitam, ex infirmitate maximam fortitudinem ſuam, & ex impotentiâ potentiam ſuam.

Si potentia apparet in debilitate, & infirmitas Dei nobis oſtendit ipſius fortitudinem maximam : juſtitia apparet in injuſtitia; ſicut potentia, quæ eſt fulcrum illius, manifeſtatur in infirmitate. *Aperuit Job os ſuum, & locutus eſt. Nonne diſſimulavi? nonne ſilui? nonne quievi? & venit ſuper me indignatio* o. Non latet vos, quòd *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus, qui teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Dixit autem illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere* p. Non ignoratis quòd magnus iſte vir eſſet innocens, ſicut eundem *dixit Dominus ad Satan, Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam* q? Et tamẽ tantis ſubjacet paſſionibus. Quid eſt hoc? D. Gregorius r ait, quòd in hac injuſtitia apparente juſtitia apparet, cùm Deus puniens Innocentes in iſto mundo, intendat facere formidari *ſupplicium æternum* s, quo caſtigaturus eſt impius in altero. Sic autem loquitur magnus ille Papa, *Quomodo percuſſurus eſt, quibus juſtum judicium exhibet : ſi etiam ſic cruciat, quos piè redarguens fovet?* Si videmus in monte Calvariâ *Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum* t, quid ipſe fecit? Ipſe eſt *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* u. Videtur in hoc injuſtitia apparens : ſed ideò *ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* x, ut oſtenderet quàm enormia ſint crimina noſtra, & id quod hæc merentur. Ecce juſtitia quæ apparet in injuſtitia. Martyres tranſiverunt per tranſverſa ſupplicia, ſicut ipſimet ajunt per Pſalmiſtam y, *Tranſivimus per ignem & aquam.* Sed quid fecerant? ha! Deus opponere vult id quod Innocentes patiuntur in hoc mundo, ut oſtendat id quod iniqui ſuſtinere debent in altero per oppoſitionem. Videte Jeſum Chriſtum in cruce dicentem, *Et dederunt in eſcam meam fel : & in ſiti meâ potaverunt me aceto* z. Non propter gulam ſuam, ſed propter te, *animalis homo* a, qui quæris cibos delicatos, & vina exquiſita. Audite eum querentẽ, *Foderunt manus meas* b. Non quòd ipſe furatus fuerit, *Quæ non rapui, tunc exolvebam* c : Sed ut oſtendat id quod harpyiæ vo-

l Matth. 27. 54.
m 1. Cor. 1. 25.
n Joan. 19. 19. &c.
o Job. 3. 26.
o Job. 2. 7. &c.
p Job. 2. 9.
q Job. 2. 3.
r D. Greg. lib. 5. Mor. c. 10.
s Matth. 25. 46.
t 1. Cor. 2. 2.
u Hebr. 7. 26.
x Iſai. 53. 5.
y Pſ. 65. 12.
z Pſ. 68. 22.
a 1. Cor. 2. 14.
b Pſ. 21. 18.
c Pſ. 68. 5.

lunt, id eſt, illi quibus ſingulis dicitur, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* d. Juſtitia in injuſtitiâ apparente.

Amor ſuus apparet in rigore. Hunc exercet ipſe rigorem erga Apoſtolos ſuos, quos ipſe vocat *amicos* e. *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati* f. Deus Pater generans Filium ſuum in æternitate *ex utero ante Luciferum* g, producit ipſum totum glorioſum; & videt eum patientem in tempore. Ipſe amat eum, *Pater enim diligit Filium* i. Et tamen exponit illum ſupplicio crucis ſuſtinendo, non exercens ſuper eum niſi genus omne rigoris. Et ſi, cùm *venit Jeſus in villam quæ dicitur Gethſemani, progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu : & iterùm ſecundo abiit, & oravit, dicens, Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum : fiat voluntas tua* k. D. Leo l dicit, *Prima petitio infirmitatis eſt, ſecunda virtutis.* Quaſi diceret, quòd natura noſtra locuta eſt juxta deſideria ſua. Nos fuimus primi qui afferre voluimus impedimentum noſtræ ſaluti : hanc autem debemus attribuere miſericordiæ & dilectioni Dei, quæ ſe intuendam exhibet ſub rigore. Noſtra natura apparuit inimica noſtræ ſalutis in hâc petitione : *Unde ipſa vox non exauditi, magni eſt expoſitio ſacramenti, quòd nihil humano generi conferret Redemptoris poteſtas, ſi quod petebat, noſtra obtineret infirmitas*, ait idem D. Leo m. Salvator noſter præliatur in favorem noſtræ ſalutis adverſùs ingratam & inſipientem naturam noſtram, quæ non vult remedium quod ipſi offertur : *In nobis ergo Dominus noſtro pavore trepidabat* n : *ut ſuſceptionem noſtræ infirmitatis indueret, & noſtram inconſtantiam ſuæ virtutis ſoliditate veſtiret*, dicit idem D. Leo o.

Tres obſervantur in Evangelio p cruces. Prima eſt crux mali latronis, qui maledicit & blaſphemat, quæ eſt crux rabiei. Secunda eſt crux juſtitiæ, qualis eſt crux Dimæ, ſeu boni Latronis, qui patitur pro peccatis ſuis. Tertia eſt crux amoris, quæ eſt crux Jeſu Chriſti, qui voluntariè patitur, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* q. Et cùm poſſet ab eâ deſcendere, quemadmodum ſic ad hoc ſollicitabatur ab inimicis ſuis, *Si Filius Dei es, deſcende de cruce* r, noluit tamen ab illâ deſcendere. Imò verò ſermones ſui ordinarij erant de cruce, *Amantes in his verſantur multùm ſermonibus, qui recordationem refricant rerum amatarum*, ut dicitur. Sic Jeſus Chriſtus ſæpè loquebatur de cruce : *Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis : Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* s. Et in Cœna ait illis, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar* t. Quòd ſi ipſe contriſtandus erat in horto Olivarum, & affligendus in cruce, ideò ut nobis auferret hanc opinionem, quâ potuiſſemus exiſtimare, quòd,

d Jer. 2. 34.
e Jo. 15. 15.
f Act. 5. 41.
g Pſ. 109. 3.
i Joan. 5. 20.
k Matth. 26. 39. &c.
l D. Leo ſerm. 5. de Paſſ. c. 2.
m D. Leo ſerm. 16. de Paſſ. c. 7.
n Marc. 14. 33.
o D. Leo ſerm. 3. de Paſſ. c. 4.
p Luc. 23. 39. &c.
q Iſai. 53. 7.
r Matth. 27. 40.
s Matth. 20. 18. & 19.
t Luc. 22. 15.

cum ipſe Deus eſſet æquè ac homo, immunis eſſet à paſſionibus. *Dicendum itaque quòd Chriſtus triſtabatur, & metuebat, loquendo de triſtitiâ & timore naturali, prout ſunt naturales affectiones & paſſiones, vel potius propaſſiones (ſecundum Hieronymum) appetitus ſenſitivi. Aliter tamen fuerunt in Chriſto, quàm in aliis, quia in ipſo non prævenerunt, ſed ſequebantur rationem, & voluntatis imperium, ita quòd Chriſtus ſponte & rationabiliter aſſumpſit has paſſiones. Primò, ad oſtendendum veritatem humanæ naturæ in ſe. Secundò, ad ſubveniendum nobis, quia per harum affectionum pænalitatem, maximam gratiam meruit nobis. Tertiò, ad conſolationem noſtram, videlicet, ne viri virtuoſi puſillanimes fiant, cùm ſentiunt ſe mortem inſtantem timere, quando & Chriſtus eam expavit. Inſuper, Triſtabatur, atque dolebat anima Chriſti, loquendo de triſtitiâ, prout eſt actus virtutis ſeu charitatis, propter infirma membra ſua, & eos in quibus videt fructum paſſionis ſuæ perire*, ait Carthuſianus u.

u Dion. Carth. ar. 41. in Matth 26 81.

Quod eſt ſignum manifeſtum, quòd ipſe voluntariè pro nobis patiebatur, & paſſurus erat in finem. Tres iſtæ cruces reperiuntur in mundo. Prima, crux rabiei, id eſt, illorum qui blaſphemant adversùs Deum, cùm accidit ipſis aliquod infortunium, *Poſuerunt in cælum os ſuum* x.

x Pſ 72.9

Secunda, crux juſtitiæ, ſcilicet, illorum qui æquo patiuntur animo, cum Deus offert ipſis occaſiones tolerantiarum, ſed non voluntariè: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio* y. dicebant fratres Joſeph.

y Gen 42 21.

Solæ autem animæ elevatæ, voluntariè & hilariter patiuntur, & dicunt Deo quemadmodum D. Tereſia, *Domine, aut pati, aut mori.* Et procedunt obviàm crucibus ad exemplum Jeſu Chriſti patientis præ amore; & ducunt vitam morientem, ſtipatam doloribus. Cùm igitur Jeſus Chriſtus ſit noſter Rex, exhibeamus nos ei ſubditos ipſius, & caveamus ne ſimus è numero infelicium illorum qui dicebant, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* z.

z Luc.19 14.

Et cùm ſciamus quod *ſervire Deo, regnare eſt*, ut dicitur: ut ſic offeramus ei obſequia noſtra, ſicut Reges noſtri *procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

14. Pars.

Non ſine causâ Jeſus renuit acceptare Regiam dignitatem ſibi aliàs à Judæis oblatam: *Jeſus cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus* a.

a Jo.6.15

Primò, Quia non pertinet ad homines Regna diſponere: ipſe eſt qui ea diſpergit, ſicut ſibi placet; illa ſunt effectus liberalitatis ſuæ, quos ipſe producit unà cum Patre ſuo, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* b.

b Jo.5.17

Et ſanè quis non admiraretur videre, quòd eximius iſte Rex qui diſtribuit juxta beneplacitum ſuum coronas Principibus terræ, deſpiciat haberi ut Monarcha in mente hominum? Sed quomodo potentia Dei, quæ eduxit omnia è nihilo, *requievit ab univerſo opere, quod patrarat* c? Pater æternus conſervat ſtatum Monarchiarum & Regnorum, nedum amittat ipſe quid infinitatis ſuæ: Propterea Filius ipſius,

c Gen.2 2

quem audivimus modò loquentem apud D. Joannem, ſic loquitur apud Dionyſium Carthuſianum d, *Pater meus cœleſtis & naturalis, uſque modò operatur, id eſt, à principio mundi uſque in præſens, imò & uſque in ſempiternum indeſinenter agit in rebus, totum univerſum in eſſe conſervando, gubernando, corrupta reſtaurando. Quod verò in Geneſi legitur, Requievit Deus ab omni opere, quod patravit, intelligendum eſt quantum ad productionem novarum ſpecierum entis. Et ego operor, ſicut & Pater, imò eadem qua Pater, quia indiviſus ab illo in naturâ e, & opere.*

d Dion. Carth. art.13. in Ioan. 5. 17.

Pertinet igitur ad Deum diſtribuere ſceptra & coronas, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant* f.

e ex Io. 10.30.
f Prov 8. 15. & 16.

Electio quæ facta eſt Davidis è parvo paſtore qualis erat, ad Regiam dignitatem, cautam præſtat veritatem illam: *Dixit Dominus ad Samuelem, Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Iſai Bethleemitidem: providi enim in filiis ejus mihi Regem. Fecit ergo Samuel ſicut locutus eſt ei Dominus, venitque in Bethleem. Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai, Non elegit Dominus ex iſtis. Dixitque Samuel ad Iſai, Nunquid jam completi ſunt filii? Qui reſpondit, Adhuc reliquus eſt parvulus, & paſcit oves. Et ait Samuel ad Iſai, Mitte, & adduc eum: nec enim diſcumbemus priuſquam huc ille veniat. Miſit ergo, & adduxit eum. Erat autem ruſus, & pulcher aſpectu, decoràque facie, & ait Dominus, Surge, & unge eum: ipſe eſt enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus: & directus eſt Spiritus Domini a die illâ in David, & deinceps* g. Et ecce quomodo *non eſt poteſtas niſi a Deo* h.

g 1. Reg. 16 1. &c.
h Rom. 13.1.

Præterea, Non eſt aliquid ſic tractatu difficile ac homo: non invenitur aliquid quod poſſit eum circuire, illumque cuſtodire cum firmitate in ſtatu immutabili: non eſt aliquid inconſtantius eo: & unica vanitatis umbra ſufficit ad hoc ut amittere poſſit ipſe recordationem ſuæ conditionis & nativitatis. Ferè omnes illi qui elevati ſunt ſuper alios, ſe reddunt criminoſos, & non ſequuntur niſi leges propriarum voluntatum ſuarum, ut imperent aliis, *Sit pro ratione voluntas.* Obliviſcuntur imperare ſibimetipſis: ipſorum propriæ voluntates ſunt regulæ actionum ſuarum. *Erat Saul electus & bonus, & non erat vir de filiis Iſrael melior illo: ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum* i.

i 1. Reg. 9.2.

Quod non tantùm eſt intelligendum de ſtaturâ corporis, ſed etiam de eminentia virtutis. Sed ex quo *tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & ait, Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem* k: ex quo, inquam, Saul deſiſtit eſſe ſubditus, ceſſat eſſe bonus, ut exerceat ſævitiam tigridis, *Locutus eſt autem Saul ad Jonathan filium ſuum, & ad omnes ſervos ſuos, ut occiderent David* l.

k 1. Reg. 10.1.
l 1. Reg. 19. 1.

Licèt aliquis ſit ſupra alios, non eſt minùs homo è numero hominum: & tamen honores vehunt ſecum hoc infortunium, ut mutent eos qui ipſos poſſident, ſicut communi ventilatur proloquio, *Honores mutant mores.*

Verum

Verum quidem eſt, quòd coronæ ſunt ornamenta corporum magnificentiſſima; ſed hoc non impedit quin ipſa ſint animis maxima tormenta: ipſæ projiciunt ſplendores in oculos eorum qui ipſas admirantur; ſed ipſæ producunt etiam ſpinas & curas quæ lacerant animos. Principes qui ferunt coronas, teſtes ſunt hujus veritatis. Et ſi è thronis Regum deſcendam ad tribunalia Juſtitiæ, & ad dignitates ad quas homines ſunt evecti, ne vel unum ex illis inveniam ſine miraculo, qui fruatur magnitudinibus ſuis cum quiete, & ſine curis, quæ ſunt ab eis inſeparabiles. Et hæc eſt ſecunda ratio quæ induxit aliàs Jeſum Chriſtum ad recuſandam Regiam dignitatem.

Pro tertiâ ratione, Jeſus Chriſtus meritò renuit accipere Regiam dignitatem, cùm ſit Rex in nativitate ſua temporali, *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Rex in nativitate ſua æterna, *Deus autem Rex noſter ante ſecula: operatus eſt ſalutem in medio terræ* m. Etiam: ipſe eſt Rex in nativitate ſua æterna, & in nativitate ſua temporanea, ſed modo mirabili. Sed ſi ipſe Rex eſt, dicetis mihi, ubi ſunt cuſtodes ipſius? ubi eſt comitatus Monarchæ? ubi eſt gloria ſummi Principis? Iſtis ipſe non deficit, Auditores: ſed apparatus ſuus eſt abſconditus, æquè ac Regnum ſuum latet. De ipſo aliàs dixit, æquè ac *ſcripſit Pilatus, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* n. Sed poſtquàm *dixit ei, Tu es Rex Judæorum? Reſpondit Jeſus, Regnum meum non eſt de hoc mundo* o.

m Pſ. 73. 12.
n Io. 19. 19.
o Io. 18. 33. & 36.

Duplex obſervo Regnum. Primum, eſt cor Juſti: *Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt* p, dicebat aliàs Dei Filius Phariſæis. Deus regnat in corde Magdalenæ, & producit in eo effectus inuſitatos, *Hæc mutatio dexteræ Excelſi* q. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrũ unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata* r. Cor impiorum eſt ſecundum Regnum, in quo ſe diabolus collocat per languorem, per avaritiam, & cætera vitia. Heu! quàm multi Chriſtiani ſerviunt huic Tyranno, & crudelitatem Regni ejus præferunt dulcedini amabilis jugi Jeſu Chriſti, qui clamat, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve* s. Promiſſa Salvatoris attrahere non poſſunt corda, in quibus dæmon agit triumphum ſuum: Regnum iſtius eſt magis extenſum, quàm ſit Regnum Jeſu Chriſti: ſed Salvator ſtabilit Regnum ſuum per maximas oppoſitas & contrarias maximis, quarum interventu diabolus, qui faſcinat animas, firmat dominium ſuum in cordibus, quæ ſe ſinunt abripi ſuggeſtionibus ipſius. Nam ſi Jeſus Chriſtus ponit humilitatem pro fundamento Monarchiæ ſuæ ſuper animas, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde* t: diabolus opponit ei ſuperbiam; *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ* u. Si Filius Dei ponit ibi charitatem; *Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes* x: dæmon è contrà opponit illi invidiam; *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* y: *imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius* z. Et ſic de reliquis. Sed videamus quomodo Regia dignitas Jeſu Chriſti valdè differt à Regia dignitate hominum. Et hoc eſt quod diſcutiendum nobis ſupereſt.

p Luc. 17. 21.
q Pſ. 76. 11.
r Luc. 7. 37. &c.
s Matth. 11. 30.
t Matth. 11. 29.
u Job. 41. 25.
x 1 Petr. 4. 8.
y ex Gen. 3. 1. &c.
z Sap. 2. 24. & 25.

III. Pars.

Ad hoc ut quis ſit verè ſummus Dominus, nullum debet agnoſcere Superiorem, nullum debet habere æqualem, & debet eſſe independens. Tres iſtæ qualitates oſtendunt, quòd nemo verè ſupremus Dominus eſt præter Jeſum Chriſtum qui eſt Rex, & valdè differens in dignitate ſua Regia à Regibus terræ. Primò, Quia ipſe eſt Rex naturaliter, cùm Reges terræ non ſint tales niſi per electionem, vel per violentiam. Primus Cæſar fuit talis per violentiam; propterea pugione confoſſus fuit in Senatu: ſecundus autem Cæſar fuit talis per electionem, ideòque feliciter regnavit: atqui Jeſus Chriſtus eſt Rex naturaliter, & ſua Regia dignitas non dependet ab electione vaſſallorum ſuorum, nec à violentiâ: & nos ſumus naturaliter ſervi ipſius. Secundò, Quia eſt Rex infinitus, *Magnus eſt & non habet finem* a. Reges autem terræ habent potentiam ſuam limitatam: non enim habent juriſdictionem niſi in terris Regni ſui; & non habent poteſtatem niſi ſuper corpora & bona hominum, quandiu Regnum Jeſu Chriſti eſt extenſum ſuper Regna aliena; & non ſolùm habet poteſtatem ſuper corpora & ſuper bona hominum, ſed etiam ſuper corda & animos eorum: unde procedit ut puniat malas cogitationes, *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum* b. Quod eſt ipſi prorſus ſingulare, cùm Reges terræ non poſſint impedire earum uſum, nec illas punire: & ſi aliquando Reges terræ habent poteſtatem ſuper animos, hanc habent non per Regiam dignitatem ſuam, ſed per dulcedinem & liberalitatem ſuam. Tertiò, Quia Jeſus Chriſtus eſt Rex omnium creaturarum, & omnes obediunt ei, excepto ſolo homine, *Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat majeſtati tuæ* c. Reges autem terræ non habent poteſtatem niſi ſuper exiguum populum, qui eſt Regnum ipſorum: non enim elementa obediunt voluntatibus eorum, cùm perſæpè inferant illis mortem: & quidam Imperator præcipiens vento ut ſibi afferret chartas ſuas, quas ſibi abſtulerat, monitus fuit à puero ſuo honorario, ne inſurgeret in ventum, nec illi imperaret, cùm ille non obediret niſi Deo ſupremo, *Quia venti obediunt ei* d. Quartò, Regnum Jeſu Chriſti eſt æternum, *Regni ejus non erit finis* e. Et mors ſua, nedum illud minuat, illud auget: mors enim ſua dat ipſi poteſtatem ſuper mortuos: *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorũ dominetur* f. Cùm Reges terræ ſolis imperent viventibus. Mors ſua dat ipſi poteſtatẽ ſuper omnes dæmones, quam nõ habebat anteà: iſti enim maligni ſpiritus habebant jus ſuper nos; & cùm dediſſemus nos ipſos eis per peccatum, poteſtas eorum erat legitima aliquo modo, & eramus plùs ipſorum, quàm Jeſu Chriſti: inde procedit ut ipſe moriatur ſuper cruce, & per mortem referens victoriam de hoſtibus ſuis, eripiat eis poteſtatem quam habebant ſuper nos, & acquirens eam ſibi, ſit eodem tempore Rex victor dæmonũ, æquè ac hominũ, *delens quod adverſùs nos erat,*

a Baruch. 3. 25.
b Jer. 17. 10.
c Eſth. 13. 11.
d Matth. 8. 27.
e Luc. 1. 33.
f Rom. 14. 9.

Digitized by Google

chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo g. Non finitur igitur Regnum ſuum per mortem ſuam; ſed ille qui damnavit eum ad mortem, reddit ſe protectorem Regiæ dignitatis ipſius, *Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* h. Quintò, Quia Regia dignitas hominum tendit ad nihilum, & finitur per mortem; cùm Jeſu Chriſti Regia dignitas augeatur per mortem ſuam, & maneat in æternum. Nihilum non eſt niſi privatio entis: atqui cùm ſingulis momentis ſentiamus hanc privationem, & ens noſtrum minuatur, videmus quòd Regia dignitas hominum non tendit niſi ad nihilum. Sed non eſt cur miremur, quia cùm nihilum ſit origo noſtra, in illud redire debemus, *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris* i. Et propter hanc rationem Regia dignitas hominum tranſit, & deletur. Et licèt natura noſtra non habeat majus bonum quàm conſervationem ſuam, habet tamen ipſa eodem tempore inclinationem contrariam, quæ ipſam diſponit ad deſtructionem ſuam, & ad exinanitionem omnium magnitudinum, quæ ipſam comitantur: ſed Regia dignitas Jeſu Chriſti eſt æterna; & licèt ipſe moriatur, hæc augetur, nedum illam amittat ipſe: & hoc imperium extenditur ſuper omnes Martyres, qui ſe reddunt ſervos Dei, patiendo in honorem paſſionum Jeſu Chriſti; ſic ut, niſi ipſe eſſet mortuus, ipſe non haberet illud dominium ſupremum ſuper tot Martyres. Tandem, Regia dignitas hominum eſt extranea; Regia verò dignitas Jeſu Chriſti eſt naturalis: ſi enim conſideretur poteſtas hominum, hæc partim pendet à militibus, & ab aliis qui eidem poteſtati miniſtrant. Ipſe eſt igitur Rex ſupremus & independens, ſicut dicebam modò: quia cùm ſit Filius Dei, conſequenter eſt hæres omnium ſtatuum ipſius. *Quem conſtituit hæredem univerſorum* k. Pater æternus ſeipſum cognoſcens, generat Filium ſuum l, & hac cognitione ſeipſum exhaurit; producens Verbum ſuum, communicat ei omnes perfectiones & magnitudines ſuas, ſicut canit Eccleſia m,

In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.

Admirabilis tranſfuſio! Filius communicat omni illi quod Pater poſſidet: debemus igitur ire ad pedes iſtius Filii Dei, more Magorum, ut inveniamus ibi veras magnitudines. Si enim ad hoc ut habeatur aqua pura, haurienda hæc eſt è propria origine: ſic ſi velimus habere veras magnitudines, debemus ire quæſitum illas ad pedes Jeſu Chriſti, *Humiliamini ſub potenti manu Dei*, dicit nobis D. Petrus n, loquens de Filio Dei incarnato, qui diſtribuit ſceptra, & largitur coronas, dicens, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant* o.

Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd omnes illi qui eas quæſiverunt alibi, miſerè ceciderunt, nec invenerunt niſi confuſionem, deſtituti omni honore, *Dicit Dominus, Qui contemnunt me, erunt ignobiles* p. Quæritur cur Deus pepercit homini q, & non Angelo r poſt caſum utriuſque. Et reſpondetur Primò, propter magnam cognitionem Angeli: apprehendit enim ſimul objectum ſine ratiocinatione: homo verò paulatim progreditur ad cognitionem rerum. Secundò, Angelus eſt obſtinatus in malo, & inflexibilis ad bonum, ex quo ſemel ivit ad malum: ſed homo non eſt hujuſmodi. Tertiò, Quia Angelus noluit ſe ſubmittere pedibus Verbi incarnandi, agnoſcere naturam humanam uniendam naturæ Divinæ, dicens, *In cælum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* s. Quid ſecutum eſt inde? Ipſe noluit quærere magnitudinem ſuam ad pedes Jeſu Chriſti, ubi ſunt veræ magnitudines: ideò miſer evaſit, & effectus eſt ludus omnium, *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei* t. *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum* u. Angeli noluerunt ſe ſubmittere Infanti, Jeſu Chriſto in præſepi: nunc ſubditi ſunt puero. Sic eſt, Auditores: ad ejiciendos dæmones è corporibus, non requiritur niſi puer. Quatuor minores Ordines conferuntur pueris, & iidem, quibus incumbit ex officio ejicere canes ex Eccleſia, prout ſunt Oſtiarii; habent poteſtatem, quatenus Exorciſtæ, ejiciendorum dæmonum è corporibus. Qualis contemptus ſpiritibus ſic nobilibus! Sicut in Curiis Regum, ſi quis illuc nimis progreditur, ſi ſit vir nobilis, rogatur ut recedat; ſed ſi ſit homo ignobilis, excipitur à cuſtodibus cum contemptu: ſic excipiuntur dæmones verbis contemptus, & minarum, *Dicit Dominus, Qui contemnunt me, erunt ignobiles* x. Videte Herodem: ipſe venire non vult agnitum hunc Infantem, & flexum genua coram illo, more Magorum, qui repererunt ad pedes ejus veras magnitudines. Palatium Principis iſtius immanis ſit carnificina, & occîdi ipſe jubet filium ſuum. Unde quidam dicebat, quòd maluiſſet ipſe eſſe porcus Herodis, quàm filius ejus: & ratio illius erat, quia Judæi non occidebant porcos, *Horum carnibus non veſcemini* y, juſſerat eis Deus. Iſte verò mori facit filium ſuum,

Non parcit proprio patris inclementia nato,
Parcit ubi ſentibus populi indulgentia porcis.

Seductor erat Herodes, *Ite, & interrogate diligenter de Puero: & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Sed ideò dicebat iſtud ipſe Magis ut Filium Dei occideret: ſicut reverâ *videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè: & mittens occîdit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infrà, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.* Maledictus Politicus! *Dicit Dominus, Qui contemnunt me, erunt ignobiles* z. Sic Julianus Apoſtata, moriens rabie, dicebat, ut refert Theodoritus a, *Viciſti Galilæe.*

Quærendæ ſunt igitur veræ magnitudines ad pedes Jeſu. D. Petrus quærit eas ibi, & illas ibidem reperit, *Procidit ad genua Jeſu* †. Volens crucifigi capite deorſum, ut haberet caput ibi, ubi Dominus ſuus habebat pedes, elevatur à Jeſu ad primam dignitatem mundi, quæ eſt ſummus Pontificatus b: & Principes oſculantur pedes ipſius, prout Vicarii Jeſu Chriſti in terra. *Non tibi, ſed Petro*, dixit quidam Imperator aliàs ſummo Pontifici. Cui Papa reſpondit appoſitè, *Et mihi, & Petro*, ut refert Lorinus c. D. Joannes Baptiſta ſe deprimit uſque ad corrigias Domini ſui, *Cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorũ ejus* d. Poſitus adhuc in ventre matris ſuæ, inclinat ſe, *Exultavit infans in utero ejus* e.

Jeſus

g Col. 2. 14. & 15
h Joan. 19. 16. & 19.
i Gen. 3. 19.
k Hebr. 1. 2.
l Pſ. 2. 7.
m Eccleſia ex Jo. 14. 10.
n 1. Petr. 5. 6.
o Prov. 8. 15. & 16.
p 1. Reg. 2. 30.
q Gen. 3. 9.
r Apoc. 12. 9.
s Iſai. 14. 13. &c.
t Pſ. 103. 26.
u Pſ. 63. 8.
x 1. Reg. 2. 30.
y Lev. 11. 8.
z 1. Reg. 2. 30.
a Theodorit. lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 20.
† Luc. 5. 8.
b Matth. 16. 18. & 19.
c Lorin. in Pſ. 90. 13.
d Luc. 3. 16.
e Luc. 1. 41.

Jeſus ipſum ſiblevat, & vult ab eo baptizari, non autem à D. Petro, *Venit Jeſus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo* f. Ipſe vult ut hæc manus quæ non ſe reputat dignam quæ ſolvat corrigias ſuas, ſit ſuper caput ſuum. Omnes magnitudines ſunt ad pedes Jeſu. Magdalena quidem *dilexit multùm* g. Sed ad pedes Jeſu, ad quos ipſa ſe proſtravit: *Oſculabatur pedes ejus* h. Ipſa detinet eum ut Sponſa, *Tenui eum, nec dimittam* i. Educere debemus Chriſtianiſmi magnitudines è depreſſione, potentiam ex infirmitate, juſtitiam ex injuſtitia, & amorem ex rigore quem exercebimus adversùs nos, nedum agamus Politicos, ſed agnoſcamus Jeſum prout Regem noſtrum, ut det nobis gratiam, & gloriam.

f Matth. 3. 13. — g Luc. 7. 47. — h Luc. 7. 38 — i Cant. 3. 4.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ DOMINI.

Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus. Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium a. *Hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias* b. *Hodie in Jordane à Joanne Chriſtus baptizari voluit* c, *ut ſalvaret nos.* Eccleſia.

a ex Matth. 2. 9. &c. — b ex Io. 2. 9. &c. — c ex Matth. 3. 13. &c.

NON miror ſi D. Joannes conatur nobis exhibere probationes & fidelia teſtimonia Divinitatis & humanitatis Jeſu Chriſti, cùm utriuſque notitia d & fides e ſit fundamentum noſtræ ſalutis, nec res ſic extraordinaria, & infinitè ſuperans captum mentis humanæ & Angelicæ credi poſſet æquè facilè ac neceſſarium eſt, quin teſtimonium ſuſciperet authenticum à Teſtibus omni exceptione majoribus, & omni fide dignis, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt* f. Si ſint, inquit, Angeli in cœlo, qui fortè velint ambigere de Divinitate Salvatoris, hanc veritatem diſcent à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, qui ipſis revelabunt & dicent, ſe concurriſſe tres ſimul ad miſſionem Verbi g, & ad unionem quæ facta eſt naturæ ejus Divinæ in perſona ipſius cum natura humana h. Et ſi inter homines dubitare præſumant aliqui de humanitate ejus, hanc fateri cogentur auditâ depoſitione trium teſtium in homine ſolo reſidentium, putà, ſpiritus, aquæ, & ſanguinis. Sic vidimus nuper quòd horâ nativitatis ejus, edocti in hoc æterno conſiſtorio ea quæ peragerentur in terra de eo, tum matim deſcenderunt ut eum agnoſcerent, dicendo, *Gloria in altiſſimis Deo. Et paſtores* ab his edocti tria teſtimonia cœli, voluerunt ire viſum, num reperire poſſent in terra aliquod aliud humanitatis ejus teſtimonium. *Videntes autem* eum moveri, & apparere, judicaverunt eum habuiſſe animam, aut ſpiritum: intuentes illum tremere *in præſepio* i, intulerunt quòd haberet ſanguinem, qui recedebat ad cor, pulſus & expugnatus à frigore & à vento: & advertentes ipſum flere inter brachia Matris ſuæ, concluſerunt quòd haberet corpus ſimile noſtris, cùm aqua exiret ex oculis ejus: & ex hac anima, & ex hoc ſanguine, & ex aqua iſta intulerunt, quòd ille, quem ipſis Angeli annunciaverant, fuiſſe Deum, erat etiam homo ſicut nos: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Sed ſicut hæc tria teſtimonia non ſpectabant niſi conditionem naturalem iſtius Dei incarnati, & hujus exigui corporis hypoſtaticè uniti Divinitati, ſciri non potuit finis iſtius incarnationis, donec viſæ ſunt notæ, quæ demonſtrabant quòd iſte Deus incarnatus non ſolùm eſſet homo, ſed homo electus ut eſſet *Mediator Dei & hominum* k. Id eſt, fœderis inter Deum & homines, quorum cautam præſtiterat cauſam, *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Et ipſe peccata multorum tulit* l. Atqui eadem teſtimonia, quæ ſervierunt quantùm ad primum, ſervierunt etiam quantùm ad ſecundum: ut enim perfungeretur officio Mediatoris, oportebat ut eſſet in gratia, & haberet ſpiritum Dei: *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus* m. Prætereà, Requirebatur ut effunderet ſanguinem, quo juſtitiæ Dei ſatisfaceret, & ſic ab eo generalem ſuſciperet ablutionem & abolitionem criminum hominum: *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio* n. Audiſtis quomodo diebus nuper elapſis, *poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus* o. Id eſt, data eſt illi qualitas Salvatoris & Mediatoris: ſed ad oſtendendum, quòd qualitatis iſtius notas præ ſe ferret, primam illius vobis exhibuit intuendam in ſanguine quem effudit in ſua Circumciſione. Sed ut hæc veritas præ tota luce ſua veſtris manifeſtetur oculis, exhibere vobis volo hodie duo alia teſtimonia celeberrima, nempe, aquam, & ſpiritum. Spiritum, aut gratiam Dei ita abundantem in eo, ut Pater æternus declaret illum Filium ſuum die Baptiſmi ipſius, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et aqua, quam ſuſcepit in hoc Baptiſmo, teſtatur ablutionem & abolitionem peccatorum omnium hominum: unde verificatur per vocem Patris ſui, & per *Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe* p, & per exhibitionem perſonæ ſuæ, verus Deus: per gratiam, per ſanguinem, & per aquam, verus homo; & per hæc omnia ſex teſtimonia unita & relata adinvicem, verus Deus, Deus & homo, verus *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus* q. Vidiſtis nuper ſanguinem, videamus hodie aquam, & primò examinemus cauſas præcipuas, ob quas Dei Filius Baptiſmum ſuſcipere voluit à D. Joanne, ubi videbimus differentiam utriuſque Baptiſmi, Jeſu Chriſti, & D. Joannis. Secundo, Videbimus fructus, quos nobis affert Baptiſmus Filii Dei, id eſt, ab eo inſtitutus, quem ſuſcipimus, poſtquàm ſanctæ Genitrici ejus reverenter dixerimus, *Ave Maria.*

d Joan 17. 3. — e Hebr. 11. 6. — f 1. Io. 5. 7. & 8. — g Iſai. 6. 8. & 9. — h Joan. 1. 14. — i Luc. 2. 7 &c. — k 1. Tim. 2. 5. — l Iſai. 53. 6 & 12. — m Hebr. 7. 26. — n Hebr. 9. 22. — o Luc. 2. 21. ex Lev. 12. 3 — p Matth. 3. 17. & 16. — q 1 Tim. 2. 5. — Diviſio.

Æquum

Æquum erat, ut, cùm die Epiphaniæ diſſe-
q. Pars. ruerimus de primo miraculo exarato in Textu no-
ſtro, & Dominicâ ſequenti loqui debeamus de
ſecundo, diſcurramus hodie de tertio, cùm, juxta
traditionem Eccleſiæ, hæc tria eodem die fuerint
peracta, licèt non eodem anno. Cùm igitur D.
Joannes diceret diſcipulis ſuis, quando illos bap-
tizabat, *Ego quidem baptizo vos in aqua: qui au-
tem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in*
r Matth. 3. 11. *Spiritu ſancto* r: unde teſtari videtur, quòd du-
plex eſt Baptiſmus: ille quem ipſe dabat in aqua:
s Joan. 3. 5. & alter, quem Magiſter ſuus poſt ipſum daturus
eſſet, *ex aqua & Spiritu ſancto* s: convenit ut
ſciamus in quo differant iſti duo Baptiſmi. D.
t D. Thō 3. p. q. 38 a. 3 in corp. Thomas t ait, *Sicut miniſtri & inferioris arti-
ficis eſt præparare materiam ad formam, quam
inducit principalis artifex, gratia autem confe-
renda erat hominibus per Chriſtum, ſecundùm il-
lud, Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta*
u Joan. 1. 17. *eſt* u. *Et ideò baptiſmus Joannis gratiam non
conferebat, ſed ſolùm ad gratiam præparabat tri-
pliciter. Uno quidem modo per doctrinam Jo-
annis inducentem homines ad fidem Chriſti. Alio
modo aſſuefaciendo homines ad ritum Baptiſmi
Chriſti. Tertio modo per pœnitentiam præparan-
do homines ad ſuſcipiendum effectum Baptiſmi
Chriſti.* Ex iſtis verbis D. Thomæ ſequitur, quòd
D. Joannis baptiſmus non erat Sacramentum,
cùm non conferret gratiam Spiritus ſancti: ſed
ſemper verum eſt, quòd Patres & Doctores Eccle-
ſiæ illum maximi æſtimaverunt, & præclaros tri-
x D. Cyril. Alex lib 2 c 47 in Io. 3. 23 buerunt ei titulos. D. Cyrillus Alexandrinus x
vocat illum *Introductionem ad perfectionem.* D.
y D. Juſtin in reſp. ad quæſt. 37 ad Orth Juſtinus Martyr y ait, *Baptiſmus Joannis prælu-
dium ſeu proœmium fuit Evangelij gratiæ.* D.
z D. Thō 3. p q. 38. a 1. ad 1. Thomas z dicit, *Baptiſmus Joannis erat quaſi
quoddam ſacramentale diſponens ad Baptiſmum
Chriſti.* Et Origenes a, *Joannis baptiſma vi-
a Orig hom 24. in Luc. 3 16. *debatur, Chriſti Baptiſmus inviſibilis erat.* Qui
omnes tituli demonſtrant baptiſmum D. Joannis
fuiſſe diſpoſitionem ad Baptiſmum Jeſu Chriſti:
*Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ popu-
lum, dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt
ipſum, ut crederent* b. Et cùm in iſtis verbis ſita
b Act. 19 4. ſit forma baptiſmi ejus, & dicat Philoſophia,
Forma dat eſſe rei, cùm non baptizaret niſi ſub
nomine & fide Jeſu Chriſti venturi, in hoc oſten-
debat, quòd baptiſmus ſuus eſſentialiter conſide-
ratus, non eſſet niſi diſpoſitivus aut præparativus
ad ſuſcipiendum alterum dandum à meliori ma-
nu, cùm finis prætenſus ſit ſemper excellentioris
naturæ quàm ſint diſpoſitiones, quæ dirigunt aut
præparant ad talem finem. Quidquid ſit, bap-
tiſmus D. Joannis erat balneum aut lavacrum pro
iis qui deſiderabant ſe diſponere ad adventum Fi-
lii Dei, quique ab eo volebant ablui à ſordibus
peccatorum ſuorum. Quomodo ergo, dicetis
mihi, Dei Filius hunc ſuſcipere voluit baptiſmum?
Nunquid ipſe non Author eſt gratiæ, & ſanctita-
tis? Ut quid igitur pergit ad D. Joannem, ut ab
illo baptizetur, cùm Joannes indigeret iſtâ gratiâ,
nec poſſet illam conferre per hunc baptiſmum,
quem tribuebat? Si aqua, quam D. Joannes ef-
fundit ſuper caput hominum, habet aliquam vim
lavandi aut purgandi animas, nonne Dei Filius il-
lam ei tribuit? quomodo ergo vadit ad illam a-
quam, ut quaſi illâ mundetur? Sed cur ſuſcipere
vult baptiſmum, qui non tribuitur niſi peccatori-
c 1. Petr. 2. 22. ex Is. 53 9 bus, ipſe *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt
dolus in ore ejus* c? Nec poterat peccare, *Quoni-
d Pſ. 5. 5. am non Deus volens iniquitatem tu es* d. Alio-
quin dici oporteret, quòd Deus ſibimetipſi poſſit
contradicere, aut aliquid agere contra id quod
juſſit, aut vetuit, *Declina à malo, & fac bonum* e. e Pſ. 36. 27.
Quod impoſſibile eſt. Sed ſi conſideremus, Au-
ditores, quòd baptiſmus D. Joannis non erat niſi
figura & apparentia veri & efficacis Baptiſmi, qui
erat inſtituendus & dandus à Jeſu Chriſto, inve-
niemus quòd ipſe Jeſus præcipuè, imò verò ipſe
ſolus debebat illum ſuſcipere: ſicut enim non erat
verè peccator, ſed ſolam peccatoris præ ſe ferebat
repræſentationem, *In ſimilitudinem carnis pecca-
ti* d; ſic non opus ei erat ut ſuſciperet verum d Rom. 8. 3.
Baptiſmum, ſed ſolum illum qui habebat illius
apparentiam ac figuram: & ſicut, ipſo excepto,
omnes homines peccatores erant, *Et eramus na-
turâ filij iræ ſicut & cæteri* e: ita & indigent ab- e Epheſ. 2 3.
lui Baptiſmo ejus, & renaſci *ex aqua & Spiritu* f Io. 3. 5.
ſancto f. Sed ſicut in incarnatione ſua jam ever-
terat ordinem naturæ, quaſi concludens perſo-
nam divinam infinitam g intra limites corporis g Baruch 3. 25
humani h: ſic in Baptiſmo ſuo invertere voluit or- h Io. 1. 14
dinem gratiæ, adiens virum peccatorem, quaſi
mundandus & ſanctificandus ab eo, ipſe qui eſt
Dominus ſanctificans eos i. Id eſt, peccatores. Ibi i Ezech. 20. 12.
deſcendere fecit magnitudinem Dei pleni felici-
tate k, uſque ad conditionem hominis pleni mi- k Pſ. 118 1
ſeriis, ut aſcendere faceret hominem infirmum
uſque ad conditionem Dei l omnipotentis: hîc l Pſ. 81. 6.
autem deſcendere fecit hanc perſonam Divinam m Marc. 1 24.
totam ſanctam m ad pedes peccatoris, *Ut bapti-
zaretur ab eo.* Ut faceret aſcendere peccatores
uſque ad fruitionem faciei ipſiuſmet Dei n. n Pſ. 16. 15.

Præterea, Si volebat ut uteremur aquâ ad
mundandas animas noſtras; aquâ quæ eſt ma-
terialis, ad purgandas animas noſtras, quæ ſunt
ſpirituales; aquâ quæ eſt depravata & corrupta,
æquè ac omnes creaturæ, peccato hominum,
quod illas omnes pervertit & deordinavit, & ad
abluéda peccata noſtra, quæ in mundum invexe-
runt hanc deordinationem generalem; oporte-
bat ſanè, ut daret huic aquæ aliquam ſpeciem ſan-
ctitatis, ut evaderet ipſa inſtrumentum huic ſan-
ctificationi & lotioni ſpirituali congruum: eam
non poterat illi meliùs dare, quàm illam applican-
dam corpori ſuo præcipiens: debebat igitur
iſtum baptiſmum ſuſcipere: ſicut enim fortior
abripit infirmiorem, licèt aqua depravata eſſet,
ipſe qui erat *Sanctus Dei* o, nullum poterat inde o Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34
ſuſcipere damnum, vel inquinamentum; ſed po-
tiùs certus erat, quòd illam tactu ſuo eſſet ſancti-
ficaturus: ſicut enim cùm *tulit Moyſes Iſraël de
Mari rubro, & venerunt in Mara, nec poterant
bibere aquas de Mara, eò quod eſſent amaræ; at
ille clamavit ad Dominum; qui oſtendit ei lig-
num; quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem
verſa ſunt* p: & ſicut unicornis tactu cornu ſui p Exod. 15 22. &c
pellit omne venenum, quod inveniri poteſt in a-
liquo corpore: ita Filius Dei tactu ſuæ carnis in-
nocentiſſimæ ſic purificavit aquas, & tantam præ-
buit illis virtutem, ut omnes peccatores, quan-
tùmvis deformes, quorum quippe *denigrata ſu-
per carbones facies* erat, efficiantur mediis aquis
iſtis *candidiores nive, nitidiores lacte* q. *Midas* q Thren. 4. 8. & 7.
*Rex Phrygum (ut eſt in fabulis) propter Bacchũ
hoſpitio ſuſceptum, optavit ut quidquid corpore
contigiſſet, in aurum verteretur: quod annuente
Bacchofactum eſt*, ait Calepinus r. At verum r Calep. in dict. V Midas.
eſt, quòd Filius Dei impetravit à Patre ſuo majo-
rem virtutem, cùm tactu ſuo tribuerit aquæ po-
teſtatem ſanctificandi animas, & convertendi in
aurum gratiæ peccata carbonibus atriora. Et

quem-

quemadmodum fons qui tranſit per foſſilia, & per loca ſubterranea, conſervat ſaporem & colorem locorū & foſſilium, per quæ tranſit; ſi tranſeat per ſulphur, habebit odorem & ſaporem ſulphuris; ſi per foſſilia auri, aut argenti, cuſtodit qualitates & colores auri, aut argenti: ſic omnes aquæ, in quibus aliàs ſe lavabant homines, ſive per curioſitatem naturalē, ſive præ ſuperſtitione, aut religione fictâ & ſuppoſitâ, non poterant eſſe niſi maximè infectæ, quia tranſibant per corpora inquinata peccato: imò verò aquæ diluvii univerſalis, licet abundantes eſſent, & effuſæ miraculosè s, aliquas contraxerant ſordes ex hâc inundatione generali, quia tetigerant corpora quæ erant depravata & corrupta: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuā ſuper terram* t. Quandiu enim aquæ iſtæ totam terrā operiebant, nunquam Noë & filii ejus egredi voluerunt ex arca, ut lavarent ſe in aquis hujuſmodi, nec permittere ut ingrederētur in arcam, ut illis uterentur, aut ex illis biberēt: è contrà aqua tranſiens per corpus Jeſu Chriſti quod erat foſſile aureum, *Caput ejus aurum optimum* u, per iſtud caput, quod *vidimus plenū gratia* x, ſic evaſit inde gratioſa, & tantam deſumpſit virtutem, ut abſque ullâ comparatione totū mundum meliùs lavare poſſit, quàm aqua diluvii univerſalis: illi enim qui ſunt in arcâ, quæ eſt Eccleſia, tantum abeſt ut eam reſpuant, aut ſeſe nolint in illam immergere, quin potiùs non poſſunt eſſe ſecuri, nec ſe conſervare in arcâ, niſi in eam ſinant intrare hanc aquam, & niſi ſe lavent in iſta aquâ ſacramentali Baptiſmi.

s Gen. 7. 17. &c.
t Gen. 6. 12.
u Cant. 5. 11.
x Joan. 1. 14.

De hoc fonte loquebatur Zacharias y, *Erit fons patens domui David in ablutionē peccatoris.* Non me latet eſſe multos fontes celeberrimos in Scripturâ: ſed nullus ex illis comparari poteſt fonti Baptiſmatis. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita* z. *Cùmque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſa ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet, & jumenta* a. *Et de petrâ, melle ſaturavit eos* b. *Aperuit Dominus molarem dentem in maxillâ aſini, & egreſſa ſunt ex eo aquæ: quibus hauſtis refocillavit ſpiritum, & vires recepit* Samſon, qui priùs eandem *inventam maxillam, quæ jacebat, arripiens, in eâ mille viros* c interfecerat Philiſthæos. Et Cornelius d ſuper verba præfata Zachariæ dicit: *Myſticè, S. Hieronymus, domus David eſt Eccleſia. In ablutionem peccatoris. Cyzici extat fons, qui Cupidinis vocatur, ex quo potantes, amorem deponere credit Mutianus ait Plinius. Et Iſidorus, Cyzici, ait, fons amorem Veneris tollit. Ut hoc ſit, certè nullus eſt fons qui peccata abluat, & ab iis peccatores emundet, niſi Chriſtus, qui fonte Baptiſmatis ea extergit, ac gratiâ ſua non tantùm ea abolet, ſed & eorum ſcaturigines, putà cupiditates terrenas, fomitemque libidinis, gulæ, &c. ſopit, & reſtinguit mentemque ſacro igne & cœleſti amore inflammat.* Effectus omnes prædicti ſunt quidem inuſitati, & excedunt rationes naturales, & experientias communes, & ſubtilitatem mentium noſtrarum: ſed ſanè cedunt fonti Baptiſmi, & iſti ſoli ejus effectui convertendi animas, quæ erant corruptæ per peccatum, & traditæ poteſtati dæmonum *in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam* e. Hæc autem virtus ei collata eſt ex attactu carnis Filii Dei. *Hodie ergo baptizatur Dominus in Jordane. Quale eſt hoc Baptiſmum, ubi purior eſt fonte ille qui mergitur, ubi dum ſuſceptum aqua diluit, non ſordibus inficitur, ſed benedictionibus honoratur? Quale, inquam, Salvatoris eſt baptiſmum, in quo purgantur potiùs fluenta quàm purgant? Novo enim ſanctificationis genere Chriſtum non tam lavit unda, quàm lota eſt. Nam ex quo Salvator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorūque fontiū venas myſterio Baptiſmatis conſecravit. Et quiſquis ibi in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluit, quàm Chriſti unda purificat. Salvator autem ideò baptizari voluit, non ut ſibi munditiam acquireret, ſed ut nobis fluenta mundaret,* ait D. Auguſtinus f.

y Zach. 13. 1.
z Gen. 2. 10.
a Num. 20. 11.
b Pſ. 80. 17.
c Judic. 15. 15. & 19.
d Cornel. in Zach. 13. 1. citās Plinium, lib. 31. c. 11. Et Iſid. lib. 13 Orig. c. 13
e Rom. 9. 23.
f D. Aug. ſerm. 1. infra Oct. Epiph. qui eſt 36 de Temp.

Altera poteſt afferri ratio propter quam baptizari voluit Filius Dei, nimirū, Ut deciperet diabolū, ut intuitu actionis iſtius imaginaretur diabolus fuiſſe Chriſtū hominem peccatorē, & ideò indiguiſſe lavari & mundari: ſicut aliàs Samuel dixit populo, qui ipſum interrogabat de advētu ipſius, ſe veniſſe ad ſacrificandū, ut lateret populū conſilium ipſius, quod tendebat ad inungendū David in Regē, *Pacificuſne eſt ingreſſus tuus? Et ait, Pacificus: ad immolandum Domino veni. Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus* g.

g 1 Reg. 16. 4. &c.

Sed & alia ſubdi poteſt ratio, nēpe, Quòd baptiſmus D. Joannis erat ceremonia quæ faciebat apparatus & diſpoſitiones Baptiſmi Filii Dei: ceremoniæ enim ſunt utiliſſimæ, & maximè neceſſariæ in Eccleſia: ſunt ſiquidē veluti cortices & folia arboris comparatione fructus: videtis autē quòd natura dedit ficui folia grandia, rudia, & firma, quia fructus ejus eſt delicatiſſimus: è contrà verò amygdala, quæ habet corticem firmum & durū, habet folia tenuia: in hoc eſt ſita naturæ providentia, ut tribuat fructibus cortices aut frondes tales, quales exigunt ad acquirendam dulcedinem & perfectionem ſpeciei ſuæ: ſimiliter Deus voluit ut eſſent in Eccleſia ſua ceremoniæ in ſuſceptione Sacramentorū, & in exercitio Orationum, & Sacrificiorum, ut fructus, qui ex illis eruuntur, ſint dulciores, eò quòd conſervati fuerint mediis iſtis corticibus & foliis frigorum & irreverentiarum, quæ in illis committi poterant.

Sed optima & efficaciſſima ratio hujus baptiſmatis eſt ea, quam Dei Filius allegat, quamque reſervavi vobis in hanc poſteriorē partē. Sicut enim D. Joannes vidit ſe ſollicitatū inſtanter à Filio Dei ad ipſum baptizandū, tantâ ſe correptū expertus eſt humilitate, ut vix poſſet firmiter ſtatuerē hujuſmodi actionē exercere. *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Domine, ſi velles iſti me fluvio immergere, inde maximâ perfunderer ego voluptate: expectarē enim me purificandū eſſe, ſtatim ac opus iſtud aggreſſus eſſes, ſed quòd ego qui dicebā modò, quòd tua *nō ſum dignus calceamētā portare,* deferā manū mea ſuper caput tuū? Neque caput tuum indiget lavari, neque manus meæ ſunt ſatis puræ, ut lavēt tibi caput, ſuppoſito quòd lavari indigeret. Ha! Auditores, humilitas D. Joannis eſt immodica, ſed humilitas Jeſu Chriſti illā ſuperat: urbanitas ejus nō poteſt eſſe niſi laudabiliſſima, ſed ſi intueamini arcana Divinæ Providentiæ, ea eſt ſuperflua: Theologia D. Joannis eſt vera, cùm ait Dei Filio, ipſum eſſe juſtū & innocētē, nec indigere lavari; & quòd ipſe baptizari debeat à Jeſu Chriſto: ſed ſi D. Joannes paulò ulteriùs & profundiùs pervadat, inveniet ſub hac actione fructus inæſtimabiles, qui inde reſultabunt ad gloriam Patris, ad exaltationem Filii ejus, ad purificationem animarum noſtrarum, & ad univerſalem Eccleſiæ reſtaurationem:

II. Pars.

Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.

Si autem ritè velitis intelligere, quomodo per hunc baptiſmom debeant D. Joannes & Jeſus Chriſtus *implere omnem juſtitiam*, obſervandum (h D. Gr. Naz. Orat. in S. Baptiſ.) eſt id quod ait D. Gregorius Nazianzenus h, quòd Dei Filius vult baptizari, *Ut totum veterem Adam immergat aquis, & peccatum aquâ obrutum ſepeliatur.* Sicut enim voluit Deus ut transirent ſalvi *filij Iſrael per medium ſicci maris, perſequenteſque Ægyptij ingreſſi poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites per medium maris, in profundum* i ferrentur: (i Exod. 14. 22. &c.) ſic Filius Dei, quem perſequebantur hominũ peccata, *Et poſuit Dominus in eo iniquitatẽ omniũ noſtrûm* k, (k Iſai. 53. 6.) ſe projicere voluit in hunc fluvium, ſciens, quòd nocere non poſſet ſibi, qui erat *innocens* l, (l Hebr. 7. 26.) & juſtior filiis Iſraël, ſed tantùm quòd *in profundum* ſuum traheret peccata quæ ipſum perſequebantur, quæque intelliguntur per veterem pellem Adam. Sed neſcio quomodo debeamus hæc intelligere, *Sic decet nos*, &c. niſi dicam, quòd hæc ſubmerſio veteris hominis poterat, & debebat fieri, quia cùm eſſet homo, erat Deus. Videntur autem ambo ſuſcepiſſe negotium redemptionis noſtræ: & ſicut videbat Dei Filius quòd juſtitia & ſanctitas D. Joannis non ſufficeret ad agendum opus hoc eximium, *dixit ei, Sine modò.* Quaſi diceret, *Siſte modo: ſic enim decet*, &c. Oportet ut ambo manũ huic applicemus operi, licèt diverſimodè: tu incipies illud, ego vero ipſum perficiam, ut videantur defectus qui obſervarentur in hâc juſtitiâ, ſi fieret ab homine puro qualis tu es; & advertatur exceſſus juſtitiæ & ſatisfactionis quæ erit in ipſa, ſi eam aggrediar, ut opus hoc eximium peragam: *Sine modò*, vel *Siſte modò.* Urbanitas enim, quâ uſus es, te confitens indignum qui me baptizares, demonſtrabit mundo quòd, cùm ita ſanctus qualis es, non poſſis hanc implere juſtitiam, nec agere ſatisfactionem requiſitam, peccata debebant eſſe immodica, & quòd cùm ipſe repletus *Spiritu ſancto adhuc ex utero matris* m tuæ, non valeas pro illis ſatisfactionem peragere, (m Luc 1. 15.) propterea requiratur ad eam faciendam alter, qui ſit major te, & is non poteſt eſſe niſi Filius Dei: filii enim hominũ ſunt ſemper minores te: nam *non ſurrexit inter natos mulierum major* n te. (n Matth. 11. 11.) (Hoc autem expreſſit, Auditores, iſta Patris *vox de cœlis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quaſi diceret, quòd eodem modo quo verum eſt, quòd ſolus Filius Dei poterit hoc opus eximium redemptionis hominum complere; ita veriſſimum eſt, quòd ille qui erit Filius Dei, erit plus quàm D. Joannes, ſoluſque poterit hoc opus adimplere, quippe qui Deus & homo ſimul.) *Sine modò.* Si ergo crederes, quòd ſi baptizareris à me, tu immergeres in te veterem Adamum, juſtitia tua deficeret; ſed ſi baptizer à te, ſepeliam in aquis iſtis omnem nequitiam, quæ reperitur in mundo: eam enim totam meis humeris impoſui, & in me implebo *omnem juſtitiam*, quam Deus ab omnibus prætẽdere poteſt ſimul hominibus. Verum quidem eſt, quòd ſi aliquis homo hanc poſſet complere, ipſe eam impleres, ſed quia hoc opus requirit perſonã alicujus qui ſit Deus & homo ſimul, oportet ut ego hoc opus peragam. At licèt, Auditores, D. Joannes baptizati non poſſit in nomine Adæ, & omniũ hominũ, cùm non factus ſit caput univerſale generis humani, ſed Jeſus Chriſtus ſolus *eſt Caput corporis Eccleſiæ* o, (o Coloſſ. 1. 18.) qui ut ſic lavando ſe, lavat totam pellem Adæ, eò quòd meritum præ ſe ferat infinitum: tamen dicere poſſumus, quòd D. Joannes fuit præcipuus miniſter poſt Deum liberationis populi ejus, more alterius Moyſis, & juſtitiæ quæ exercita eſt ſuper inimicos populi hujus. Nam ſicut cùm *ingreſſi ſunt filij Iſrael per mediũ ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextrâ eorũ & lævâ: perſequenteſque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus, & equites ejus per medium maris: & ait Dominus ad Moyſen, Extende manũ tuam ſuper mare, ut revertatur aqua ad Ægyptios ſuper currus, & equites eorũ: cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reverſum eſt ad priorem locum ſuũ: fugientibuſque Ægyptijs occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus: reverſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequẽtes ingreſſi fuerant mare: nec unus quidẽ ſuperfuit ex eis* p: (p Exod. 14. 22. &c.) ſic aquæ fluvii Jordanis nunquã fuiſſent auſæ accedere ad Jeſum Chriſtũ, nec cadere ſuper caput ejus, ut ipſis immergerentur peccata noſtra, quæ vicem obeunt inimicorum noſtrorũ, quibus ipſe Dei Filius ſe oneraverat, *Et ipſe peccata multorum tulit* q: (q Iſai. 53. 12.) niſi ipſemet dixiſſet D. Joanni, *Extende manum tuam ſuper* caput meũ, & utere poteſtate quam tibi trado, ut ſuper illud fluere facias aquas iſtius fluminis, quibus immergas peccata omniũ hominum, quæ me uſque nunc perſecuta ſunt, & noli metuere ne iis immergar; ſed ex illis exibo.

Non me latet, Auditores, quòd Salvator dixerit ore Jonæ r, *Abyſſus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* (r Jon. 2. 6 &c.) Quod aquæ quidem pertranſierint caput ipſius, ſed non quòd aquis baptiſmi ſui fuerit ſubmerſus, quin imò ex iis honorem retulit: ſicut enim omnes miſeriæ & afflictiones quæ inundaverant ſuper Jonam, nunquam ſubmerſerunt patientiam ejus, nec potuerunt impedire, quin ipſe eſſet firmus & inconcuſſus in corde ſuo: ſic aquæ iſtæ Jordanis, quæ repræſentant punitionem, quam Deus infligere debebat toti generi humano, ſubmergendo omnia peccata hominum, licèt effuſæ fuerint ſuper caput Jeſu Chriſti à D. Joanne, non demerſerunt tamen innocentiam ejus, nec impediverunt quin ipſe eſſet æquè ſpecioſus & gratus ſuo Patri æterno, ac anteà, *Et ecce vox de cœlis dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et conformiter ad hoc, nonne meminiſtis, quòd ubi natus eſt Moyſes, mater ejus *ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & linivit eam bitumine ac pice: poſuitque intùs infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis: ecce autem deſcendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine, quem illa adoptavit in locum filij* s? (s Exod. 2. 3. &c.) Non fuit Moyſes aquis perfuſus, ſed tantùm corbula, cui ſuperpoſitus erat, madefacta eſt: idem ferè videmus in perſona Jeſu Chriſti, cùm ecce ſit in flumine delatus in corbe humanitatis ſuæ, quæ quidem madefacta eſt, ſed perſona Divina, quæ erat intùs, non fuit aquis perfuſa: ſi enim hæc aqua erat balneum & lavacrum, Divinitas ejus non indigebat lavari, cùm eſſet ipſa Puritas: ſi erat punitio, hæc perſona Divina non erat ei obnoxia, quia non peccaverat: ſola ejus humanitas, quæ *peccata multorũ tulit* t, (t Iſai. 53. 12.) quæque repræſentabat in individuo ſuo neceſſitates totius ſpeciei, madefieri & lavari debebat aquis iſtis: ſed perſona permãſit ſemper in ſtatu ſuo: nam ubi *baptizatus Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua, ecce aperti ſunt ei cœli: & vidit Spiritũ Dei deſcendentem*

tem ſicut columbam, & venientē ſuper ſe: & ecce vox de cœlis, dicens: &c. Pater æternus declarat eum Filium ſuum, non quòd lotus fuerit more hominum, quibus per hoc lavacrum *dedit poteſtatem filios Dei fieri* u; id eſt, adoptivos, ſed ab u Joan. 1. 12. æternitate talem eſſe illum proclamat.

Sic decet nos, &c. Sed omne ſcitis, Auditores, quòd in hoc eſt ſita juſtitia, ut unicuique quod ſuum eſt, tribuat, & non amplius? oportebat igitur ut D. Joannes & Salvator haberent id quod ipſis debitum erat, & non amplius: atqui baptiſmus, quem D. Joannes conſerebat, tantam conciliaverat jam illi famam apud populum, ut nemo crederetur illi potuiſſe æquiparari, quod cauſat æmulationes inter diſcipulos utriuſque; *Venit Jeſus & diſcipuli ejus in Judæā terram: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ænon juxta Salim: quia aquæ multa erant illic, & veniebant, & baptizabantur. Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Joannis cum Judæis de purificatione. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Jordanē, cui tu teſtimoniū perhibuiſti, ecce* x Joan. 3. 22. &c. *hic baptizat, & omnes veniunt ad eum* x. Fieri ne poteſt, ait Filius Dei, ut major addatur fides baptiſmo Joannis, qui non eſt niſi diſpoſitio ad meū, qui eſt verus, & ſolidus? Ha! nolo ut talis regnet injuſtitia: oportet ut ego & Joannes laboremus ad hoc ut obſervetur juſtitia: ideò requiritur ut ego baptiſmū ſuſcipiam à Joanne, & ambo ſimul in publicum prodeamus, ut videat unuſquiſque, uter ex nobis majoribus ſit præditus meritis; & ſi opus eſt, ut cauſa diſcutiatur præ tribunali Patris mei, ubi clarè meum jus innoteſcet: declaratio enim quæ ibidem fiet, non poteſt niſi in meum honorem vergere: volo ut Joannes ſuſcipiat totam gloriam, quam poteſt prætendere ex exercitio officii ſui ſiti in baptizando me, in quo videbitur excedere me ſanctitate, cùm illū adeam ut ab eo baptizer, ſed in cumulo gloriæ ipſius, quandiu ſe præparabunt homines ad dandam ei palmam victoriæ, vox Patris mei faciet ut errorem ſuum deponant, & litem perducet ad victoriam in favorem meū, *Et ecce vox de nube, dicens*, &c. Sic eſt, Auditores: neceſſaria erat vox & authoritas Patris æterni ad terminandam hanc quæſtionem inter populum, & ad dandas Jeſu Chriſto primas ſedes, quæ diſceptabantur non inter Jeſum & Joannem, ſed inter diſcipulos utriuſque: & ſicut Manaſſes & Ephraim mutaverunt conditionē: y Gen. 48. 18. &c. licèt enim Manaſſes eſſet *primogenitus* y, tamen cùm ageretur de ſuſcipiēda benedictione à patre patris ſui, Ephraim qui erat minor natu, ſuſcepit illum prior fratre ſuo: quia ſic fuerat decretum in conclavi Divino: ſimili modo quàmvis D. Joannes Jeſu Chriſto natu major eſſet ætate ſex menz Luc. 1. 36. ſium, *Et hic menſis, ſextus eſt illi* z: tamen cùm actum fuit de ſuſcipiendâ benedictione à Patre æterno, Jeſus Chriſtus optimam ſibi partem illius vendicavit: declaravit enim Pater æternus eum tanquam Filium ſuum natu majorem.

Hæc exprimitur appoſitè à Jeremia a differ- a Jer. 31. 9. entia, *Factus ſum Iſraeli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt*. Per Iſraëlem hic intelligere volo D. Joannem, & per Ephraim Filium Dei. Pater æternus igitur ait, *Factus ſum pater* Joanni: effectus eſt enim filius meus adoptivus, reple- b Luc. 1. 15. tus *Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ* b. *Et primogenitus meus, eſt* Jeſus Chriſtus: hanc enim qualitatē poſſidet naturaliter: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Hæc declaratio erat neceſſaria ob magnam conformitatem & ſimilitudinē quæ erat inter utrumque: ſi enim V. g. Deus faceret nunc novum Solem ſimilē ei quem intuemur, & ſimul eos poneret, diſcernere non poſſemus uter ex eis eſſet antiquior, & uter recentior, & oporteret ut Deus id declararet, alioquin unū pro altero indifferenter ſumeremus: ſic iſti duo viri ſecundùm exercitia exteriora ita ſibi erāt conformes & concordes adinvicem, ut diſcipuli amborum imaginari non poſſent, uter ex iis eſſet Meſſias, & uter præcurſor; uter Dominus, & uter miniſter: & ſic oportuit ut Pater æternus illorum dubia reſolveret, declarans quòd ille qui venerat ultimus, erat Filius ſuus naturalis & legitimus, alter autem nō eſſet niſi miniſter & præcurſor ejus. Nunquā duos iſtos Soles experientiâ comprobavimus; ſed poſſibile non eſt quin aliquādo viderimus, quomodo cùm Sol eſt benè clarus, & fixè ſuos immittit radios in aliquam pelvim aquâ clarâ repletam, producit in hác aquá velut alterum Solē æquè ſpecioſum, æquè clarum, & æquè ſplendentem ac ipſum qui apparet in cœlo; & niſi vidiſſemus poni hanc aquā in pelvi, & niſi ſciremus quomodo fiat iſtud, hunc Solem qui apparet in pelvi, ſumeremus pro vero Sole. & tamen non eſt ille niſi reflexio & imago veri Solis, & veræ lucis, non autem verus Sol, nec vera lux: ſic Evangeli- c Joan. 1. 8. & 9. ſta D. Joannes c videns ſplendorē D. Joannis Baptiſtæ fuiſſe tantū præ omni genere virtutis, quandiu baptizabat & immorabatur in iſtis aquis Jordanis, ut jam reputaretur à multis ut verus Deus, aut Meſſias, ait, *Non erat ille Lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de Lumine. Erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Nimirū, eum fuiſſe duntaxat reflexionem veræ Lucis, non autem veram Lucem; & ſplendorem cauſatum reflexivè ab eo qui *eſt Sol* d Eccleſ. ex Mal. 4. 2. *juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* d, à quo derivatur omne lumen quod invenîtur inter homines: ſic ut D. Joannes eſſet ſicut Sol in aqua. Re autem verâ videte differentiā quæ invenîtur inter utrumque: iſte enim Sol qui eſt in aqua, nullam poteſt habere actionem, aut influentiam erga arbores, aut animalia, & ſi quis ad eum accedat, ut aliquod ab eo ſuſcipiat beneficium, non invenit niſi aquam; eſt ibi quidem aliquis exiguus ſplendor, ſed cauſatur ex reflexione aſpectûs veri Solis qui eſt in cœlo, qui habet actiones & influentias veras ſuper corpora inferiora, lumine ſuo, calore ſuo, & aliis qualitatibus ſuis occultis: ſimiliter D. Joannes erat ita Sol formatus in aqua, ut baptiſmus ejus nihil aliud poſſet dare; & ſi quis ad eū accedebat, non recipiebat niſi aquam: erat qui lē aliquis ſplendor in eo cauſatus ex doctrina & converſatione ipſius, ſed non erat niſi lux de umpta ex reflexione veri Solis: ſed Baptiſmus Filii Dei cum aquā dat calorē, qui eſt gratia Spiritus ſancti, & innumeras alias virtutes, & influentias ſupernaturales, ut verus Sol: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua,* e Joan. 3. 5. *& Spiritu ſancto* e, *&c.* Et, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* f. *Baptizatus autem Jeſus, vidit* f Rom. 5. 5. *Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbā, & venientem ſuper ſe*. Spiritus ſanctus ſub forma columbæ requieſcit ſuper capite Jeſu Chriſti, non autem ſuper capite D. Joannis: non enim D. Ioannes poterat illum dare baptiſmo ſuo: & ſi Dei Filius recipere voluit baptiſmum ejus, non ideò ut ab illo ſuſciperet gratiam, cùm eſſet *Verbum plenum gratia* g: ſed tantùm ut hæc ſpe- g Joan. 1. 14. cioſa columba inveniens aquā ſuper hoc ſancto

capite, ipſum calefaceret igne amoris ſui, & inveniens ſedem conditioni ſuæ convenientẽ, putà caput humiliatũ actione viri criminoſi, verificaret iſtud, *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu* h? Et, *Manſuetis dabit gratiam* i. Sic eſt, Auditores; ſi unquam aliquis in mundo meruit portare ſuper capite ſuo hunc fidelem characterem Divinitatis, is fuit Salvator, non ſolum quia erat Filius Dei, ſed etiam præcipue eò quòd fuerit humillimus omniũ hominũ: ſi enim diebus nuper elapſis multùm mirati ſumus, cùm vidimus illum ſe voluiſſe ſubmittere adimplendæ Legi circumciſionis k, & in diſpendium proprii ſanguinis ſui ſe reddere ſic perfectum obſervatorem omnium ceremoniarum, quod eſt magnum ſignum zeli & humilitatis ipſius; invenio tamen in hoc myſterio baptiſmi quem Jeſu Chriſto confert D. Joannes in fluvio Jordane, duas novas rationes, quæ celebriorem Salvatoris mei reddunt humilitatem. Circumciſio enim fuerat obſervata toto tempore Legis antiquæ, nec homo probus dici poterat, qui non erat circumciſus: Lex enim erat generalis, & generaliter recepta; ſed baptiſmus non dabatur niſi à D. Joanne, & pauci credebant in eum: Dei Filius qui Legem totam profitebatur obſervare, *Legem non veni ſolvere, ſed adimplere* l, debebat hunc articulum cuſtodire circumciſionis, qui erat unus è præcipuis; ſed baptiſmus qui non erat publicatus, nec præceptus in iſta Lege, ſed ſolùm exercitus ab aliquibus, qui ibant poſt D. Joannem, non obligabat Salvatorem ad receptionem ipſius; unde humilitas ejus erat eò inſignior. Præterea, Ab ipſis teneris annis ſuis voluit hominibus tribuere pignora certa ſui amoris, exhibitione ſanguinis ſui, quo tanquam pecuniâ, & *pretio magno* m ſoluturus erat omnia debita noſtra: & licèt ibi pateretur dolorem, inde tamen ſibi gloriam conciliabat, nam ſanguinem ſuum dabat, & *beatius eſt magis dare quàm accipere* n. Sed in baptiſmo ſuſcipit aquam, & ſe gerit more hominis miſeri & indigentis lavari, cùm tamen ipſe ſit loturus *nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* o. Heu! in hoc nullus invenitur honos, ſed infamia; & cùm voluntariè illam patiatur, inde commendabilior exhibetur ipſius humilitas: oportebat igitur ut hæc columba veniret requietum ſuper eum, cùm ſit Spiritus ſuavitatis & humilitatis, *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus* p!

h Iſai 66. 2.
i Prov. 3. 34.
k Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.
l Matth. 5. 17.
m 1 Cor. 6. 20.
n Act. 20. 35.
o Apoc. 1. 5.
p Sap. 12. 1.

Nos autem, Auditores, poſſumuſne polliceri nobis talem viſitationem, & talem Spiritum? Etiam poſſemus, ſi poſſemus audire pronunciari in favorem noſtrum eadem verba quæ pronunciata fuerunt in gratiam Jeſu Chriſti, *Hic eſt filius meus*, &c. Nunquam enim unus eſt abſque altero, nec Filius Dei poteſt eſſe Filius Dei, niſi habeat Spiritum Dei: & nemo poteſt habere Spiritum Dei, quin ſit Filius Dei: Salvator noſter qui erat Filius Dei naturaliter & ſubſtantialiter, poſſidebat etiam Spiritum ſanctum perſonaliter & ſubſtantialiter, ſed nos qui non ſumus niſi filii adoptivi & per gratiam, habemus hunc Spiritum per effectus & gratiam ipſius: hanc autem qualitatem filiorum Dei acquiſivimus omnes in Baptiſmo, ibi renati *ex aqua & Spiritu ſancto* q. Acquiſivimus igitur eodem tempore hanc gratiam Dei, quæ eſt ſpiritus, aut anima, cujus beneficio reſpirant omnes illi qui regenerati ſunt hâc ſecundâ nativitate quæ fit in baptiſmo. Sed quis ex nobis dicere poteſt, ſe vitam iſtam uſque nunc conſervaſſe? Heu! ſi examinarentur omnes illi, qui loti ſunt in Baptiſmate, utrùm æquè mundi ſint ac erant die quo *abluti, ſed ſanctificati, ſed juſtificati in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* r fuerunt, quàm multos inveniremus, quorum, cùm priùs eſſent ipſi *candidiores nive, nitidiores lacte, denigrata eſt ſuper carbones facies* s: & qui ſunt atriores quàm eſſent priuſquam baptizarentur: tunc enim non habebant niſi peccatum originale, quod contraxerant à communibus Protoplaſtis; nunc autem habent peccata perſonalia, quorum ipſi ſoli ſunt authores: tunc erant in ſtatu propter quem non merebantur experiri flammas æternas; nunc autem ſunt in ſtatu qui meretur *ſupplicium æternum* t. Tunc non habebant niſi unicum peccatum, quod ſolâ mundari poterat aquæ lotione; nunc autem habent alia quæ deleri non poſſunt niſi violentis contritionibus u, & *lacrymis* y amaris, quæ tamen non poſſunt eſſe calidæ, nec illa delere, niſi calor Spiritus ſancti tribuat ipſis hanc poteſtatem z. Quomodo autem volunt ut iſte Spiritus exhibeat ipſis hoc officium, cùm expulerint illum ingratitudine ſuâ? Nunquid non habebatis hunc Spiritum Dei, cùm baptizati eſtis? Dicetis mihi, quòd ſic: eſt enim character eſſentialis hujus regenerationis: ſed ſi deſeruit vos, ideò quia priùs illum deſeruiſtis: & hæc eſt ratio propter quam nunquam dereliquit Filium Dei, & ſtatim ac hæc columba dimiſſa fuit *ex arcâ* a SS. Trinitatis, ut volaret ſuper fluvium Jordanem, qui erat veluti *diluvium* b, cui immergenda erãt omnia hominum peccata, videns hanc olivam ſacram humanitatis Jeſu Chriſti, requievit in illa, nec inde receſſit unquam, quia ſemper vidit illam florentem: vos autem qui eſtis arbores ſteriles & arentes, non habentes fructus ad paſcendam columbam iſtam, nec flores qui promittere poſſint aliquid boni de vobis, non debetis mirari ſi hæc columba receſſit à vobis. Heu! non alitis niſi corvos, non habetis niſi corpora fœtida, nec fovere vultis niſi peccata & corruptiones corvorum dæmonum, quæ Deo vos reddunt abominabiles. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis* c. Gemere facitis hanc columbam, expellentes eam è tecto veſtro, ubi nidum ſuum collocaverat: ſed maledictio, quam gemitus ejus præſagiunt, cadet ſuper vos, niſi citò memineritis felicitatis quâ fruebamini cùm primâ vice loti fuiſtis, & præ dolore dicatis ei, *Ampliùs lava me ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me* d. Et revocare ſatagatis hanc columbam, quæ ſuam vobis *gratiam & gloriam dabit* e.

q Joan. 3. 5.
r 1. Cor. 6. 11.
s Thren. 4. 7. 8.
t Matth. 25. 46.
u Ezech. 18. 21. &c.
y Luc. 7. 38. &c.
z Joan. 20. 22. &c.
a Gen. 8. 10. &c.
b Gen. 7. 17. &c.
c Epheſ. 4. 30.
d Pſal. 50. 4.
e Pſal. 83. 12.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Joan. 2. 10.

NUnquam cogito de cæcitate mortalium quin afficiar dolore intuitu infortunii eorum, cùm videam illos ſibi fabricare catenas inde, unde ſatagere debebant ſibi diademata concinnare. Deus qui nobis providet omnia media operandæ noſtræ ſaluti opportuna, cùm dederit nobis univerſa momenta vitæ noſtræ propter hunc magnum effectum, jure merito habet unde iraſcatur adversùs ſtultitiam noſtram, cùm inſipienter amittamus tempus, quod deberet nobis eſſe res totius orbis pretioſiſſima, quippe quod deferebat occaſiones gloriæ noſtræ, & felicitatis noſtræ, eò quòd perſeverare nolimus in bono. Vinum Jeſu Chriſti eſt bonum uſque ad finem, & ultimum bibitum; ſed vina hominum valent quidem aliquid in principio propter fervorem ſuum, ſed poſteà incipiunt corrumpi. *cùm inebriati fuerint illi.* Incipiunt enim fervore in obſequio Dei, ſed conſequenter tepeſcunt, & tandem prorſus frigeſcunt, malum facientes ultimi temporis. *In his verbis magnum etiam inter Dei ac dæmonis calicem diſcrimen deſignatur, cujus ignorantiâ maxima generis humani pars in peſtem & exitium ruit. Dæmon enim tanquam ſubdolus mercator, ſi quid in ſuggeſtionibus ſuis habet dulce, aut pretioſum, id ſtatim initio conſpiciendum, atque deguſtandum proponit: quod verò acerbum & amarum eſt ſervat in poſterum: atque hâc fallendi arte parùm providos & incautos illaqueat. Sic meretrix illa Proverbiorum* a, *Aſperſi cubile meum myrrha, &c.* Et, *Venite fruamur bonis* b. *Ex quibus omnibus liquidò apparet, non minùs homines a dæmone, quàm piſces a piſcatore illaqueari, ac falli. Ideò dicitur etiam, Fili, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*c. *Deus autem contrà omnino ſe habet*, ait de Trugillo d. Ideòque acquieſcere debemus ei, ducti cogitatione iſtâ, quòd licèt revocare non poſſimus tempus quod ampliùs non eſt, poſſumus tamen reparare præteritum per adventum futuri. Proficiamus tempore, cùm deducere nos debeat in æternitatem, caventes ne imitemur virgines illas fatuas, quarum *lampades*e inventæ fuerunt vacuæ; ſed potiùs conformantes nos illi ſapienti Virgini, quæ viſitata ab Angelo, reperta eſt ab eo gratia repleta, ſicut ſonant hæc verba, *Ave Maria.*

a Prov. 7. 17.
b Sap. 2. 6.
c Prov. 1. 10.
d de Trugil. lib. 6. Theſaur. Concionat. Dô. 1. poſt Oct. Epiph.
e Matth. 25. 8.

Illud, ſanè ſacrilegium foret, quod veniam non mereretur, ae dicere, quòd, cùm Deus nos creaverit propter cœlum, non tribuat nobis media eidem conſequendo accommoda: ſolus vel conceptus iſte criminoſus eſſet: amor ipſius, nimis fœcundus fuit adinventionibus ad hoc ut ſibi corda conciliaret, eaque traheret ad ſe ut ad unicum centrum omnium affectuum ipſorum. Ipſe nos poſuit in mundo velut in officina ad operandam ſalutem noſtram, & gratiæ ipſius ſunt inſtrumenta eidem peragendæ conſona: ipſe nobis tribuit totum tempus vitæ noſtræ, ut, ſi illud fideliter inſumamus perſeverando in bono, ipſe poſſit illud æternâ mercede donare. Sed quàm inſenſati ſumus: ut inimici noſtræ ſalutis, ſatagimus ut tempus iſtud ſequatur æternitas infelicitatis, quæ poterit quidem nos punire, ſed nunquam nos purgare. Non accuſemus igitur Deum, quia cùm ſit principium totius boni, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* f, non poteſt eſſe cauſa ruinæ noſtræ: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut eſſent omnia: & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non eſt in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra*, dicit Sapiens g. Et poſt illum D. Bonaventura h, *Dicendum quòd hic loquitur de morte culpæ: vel ſi de morte naturæ, loquitur quantùm ad privationem, non quantùm ad ſenſum doloris. De morte etiam gehennæ verum eſt, quod hic dicitur, Deus mortem non fecit. Nec lætatur in perditione vivorum, ſcilicet futurâ. Creavit enim Deus omnia, ut eſſent, Gloſſa, non ut perirent. Et ſanabiles, id eſt, in ſpirituali ſanitate creatas per innocentiam, & ad ſanitatem reducibiles per pœnitentiam, ne perirent: non enim vult mortem peccatoris* i, *&c. Sanabiles, inquam, fecit nationes orbis terrarum, id eſt, omnes quotquot naſcuntur in orbe terrarum. Inſanabilitas ergo earum, ex ipſis eſt, non ex Deo: Inſanabilis eſt fractura tua, peſſima plaga tua* k. Ipſe nobis dederat id omne quod erat neceſſarium ad hoc ut perveniremus in cœlum, quò habebamus aſſignationem noſtram, nimirum, gratiam, libertatem, & tempus, tres res quæ nobis illuc pandunt viam. Renuimus gratiam, abuſi ſumus libertate, & profligavimus tempus, eò quòd perſeverare noluerimus in bono, ad quod tamen nos invitat textus Evangelii noſtri, *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.* Super quod ait de Trugillo l, *Diſcrimen eſt inter Deum & mundum, quòd mundus initio det vinum bonum delectationum & jucunditatum, in fine verò det malum, nempe ſupplicia & tormenta. Deus autem initio dat labores & calamitates, & tandem bonum vinum beatitudinis & gloriæ.* Prætatis tribus rebus aut mediis amiſſis pervenire non poſſumus ad finem: ſed cùm ſimus adhuc in ſtatu, qui nobis ſpem tribuit reparandi pœnitentiâ illud quod amiſimus per peccata noſtra, intendo vobis monſtrare Primò in progreſſu diſcurſus iſtius, quòd Deus nobis adhuc viatoribus dat omne tempus vitæ ad illud inſumendum ad ſalutem noſtram: Secundò, quod cùm tempus iſtud ſit finitum, ſociam habebit æternitatem pœnæ & infelicitatis, aut æternitatem gloriæ & felicitatis.

f Jac. 1. 17.
g Sap. 1. 13. & 14.
h D. Bon. in Sap. 1. 13. & 14.
i ex Ez. 33. 11.
k Jer. 30. 12.
l de Trugil. lib. 6. Theſaur. Concion. Dom. 1. poſt Oct. Epiph.
Diviſio.

Incipio per tempus. Sed quomodo loqui potero de tempore, cùm ſit res imperceptibilis, quam D. Auguſtinus m fatetur ſe non poſſe explicare? *Quid enim eſt tempus? Quis hoc facilè breviterque explicaverit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius & notius in loquendo commemoramus quàm tempus? Et intelligimus utique cùm id loquimur, intelligimus etiam cùm alio loquente id audimus. Quid eſt ergo tempus? Si nemo ex me quærat ſcio, ſi quærenti*

I. Pars.
m D. Aug. lib. 11. Confeſſ. c. 14.

venti explicare velim neſcio. Si autem eximius iſte Doctor non poteſt explicare quid ſit tempus, quomodo poteritis vos illud tenere ſub poteſtate veſtrâ? Tempus eſt inſtar fluminis, quod non venit niſi ut tranſeat, & quod non fluit niſi ut effluat: omnes homines, magni & parvi ſunt juxta ripam fluminis iſtius ad piſcandum tempus, ſed cribro, in quo nihil remanet: unus piſcatus eſt decem annos, alius viginti, alius triginta, alius quadraginta, alius quinquaginta, & ſic de cæteris: ſed heu! totum iſtud tranſivit per cribrum & nihil totius iſtius temporis ipſis manet: unicum duntaxat nobis ſupereſt momentum, quod jugiter elabitur, & nos fugit; eſt autem humanitùs impoſſibile ut recuperemus illius jacturam. Ponderate flammam, menſurare ventum, & revocare diem præteritam, ſunt tres effectus ejuſdem impoſſibilitatis quantùm ad vires humanas, non autem quantùm ad potentiam Dei quæ nullos habet limites niſi Divinam voluntatem, quâ *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terrâ; in mari*

n Pſ. 134 6.

& in omnibus abyſſis n, ſicut Prophetæ Eſdræ *Angelus Vrieldixit, Vade, pondera mihi ignis pondus, aut menſura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præteriit. Et reſpondi, & dixi*, id eſt, ego Propheta Eſdras, *Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his o?*

o 4. Eſdr. 4. v. 5. &c.

Maximi quilibet Philoſophi mentem ſuam torturæ ſubjecerunt voluntariæ ad hoc ut ſcirent quid eſſet tempus, & illud concipere, vel explicare non valuerunt. Pythagorici dicebant quòd eſſet anima mundi: & Peripapetici aſſerebant quòd eſſet motus, vel ſaltem menſura motus. Sed hoc eſt pervenire ad atomos Democriti: nam, ut ait Calepinus, *p*, *Democritus dixit omnia ex atomis fieri.* Cùm motus ſit rebus temporaneis id, quod punctum eſt rebus Geometricis. Diſtinctio illius eſt communiſſima, & differentiæ ejus ſunt maximè notoriæ, præteriti, præſentis, & futuri. Concipimus præteritū memoriâ, præſens apprehenſione, & futurū ſpe habendi illius: *Nec propriè dicitur, Tempora ſunt tria, præteritum, præſens, & futurum, ſed fortaſſe propriè diceretur, Tempora ſunt tria, præſens de præteritis, præſens de præſentibus, præſens de futuris. Sunt enim hæc in animâ tria quædam, & alibi ea non video: præſens de præteritis memoria, præſens de præſentibus contuitus, præſens de futuris expectatio*, dicit D. Auguſtinus *q*. Præteritum dare debemus oblivioni, præſens ſanctitati, & futurum Divinæ Providentiæ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter r.*

p Calep. in Dict. ō v. Democritus.

q D. Aug. lib. 11. Conf. c. 20.

r Sap. 8. 1.

Non eſt aliquid in mundo pretioſius tempore, nec quòd ſit majoris æſtimandum quàm illud: attamen, infortunium ſanguineis lacrymis deflendum! de nullâ re minùs cogitant homines quàm de tempore: queruntur ipſi de quâlibet aliâ re, ſed nullas unquam de tempore formant querelas, quod tamen nobis deberet eſſe chariſſimum. Queruntur homines ordinariè de neceſſitatibus vitæ communibus: unus dicit ſe indigere ſanitate, alius libertate, alius pecuniâ, & cæteris hujuſmodi quorum adminiculo vitam fovere valeat: Nihilominùs, ô ingens mortalium cæcitas! nemo queritur ſe indigere tempore, quod eſt pretioſiſſimum omnium, & maximè neceſſarium: *Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat? qui intelligat ſe quotidie mori?* petit Seneca *s*. Non

s Senec. Epiſt. 1.

eſt tamen aliquid quo magis homines indigeant, quàm tempore, cùm ſemel amiſſum, nunquam recuperetur. Si laceretur indumentum, ipſum reficitur; ſi amittatur monile, ipſum reperitur; ſi comburatur domus, ipſa reædificatur, & ſæpè multò pulchrior quàm eſſet anteà; ſolum tempus nunquam revertitur: invenietur potiùs lapis philoſophicus, aut quadratura circuli, quàm reperiatur tempus amiſſum. Non eſt latro pejor eo qui ſibimetipſi mercem ſic prædivitem ſuffuratur, aut malefaciendo, aut nihil agendo. Et nunquid non eſt crimen quod abit in exceſſum, ac ordinariè vacare ineptijs & vanitatibus mundi, nec unquam reverti in ſemetipſum? Nonne facinus eſt, ac tanto labore curas ſuas terrenis applicare, & in ea totum tempus diu noctuque inſumere, nec ullum unquam momentum Deo conſecrare? Heu! jugiter ſunt homines dediti vanis occupationibus (faxit autem Deus ne perſæpè ſint iſtæ criminoſæ) nunquam cogitantes de præcipuo & maximè neceſſario omnium negotiorum ſuorum, quod eſt ipſorum propria ſalus. Quàm inſani ſunt illi! Labores ſuos inſumunt ad principale, quaſi verò non eſſet niſi acceſſorium; & deinde ſumunt acceſſorium, quaſi eſſet principale. Quælibet res, imò verò minutiſſimæ totius naturæ, habent ſua tempora, quorum interventu neceſſitatibus ſuis occurrunt, aut neceſſaria ſibi provident, *Omnia tempus habent t*. Et nonne negotium noſtræ ſalutis habebit tempus ſuum? † Eccl. 3. 1. Omnis avaritia vituperabilis eſt, ſi excipiamus avaritiam temporis cùm illud habemus, cùm ſciamus è tempore pendêre æternitatem, juxta iſtud, *Momentum unde pendet æternitas.* Incumbemuſne ſic ardenter terrenis rebus in contemptum rerum cœleſtium? Heu imitabimurne araneam? diſcindemuſne viſcera noſtra, ut tandem præ dolore cogamur inviti intueri opera noſtra deſtructa, & univerſas expectationes noſtras penitus profligatas? Heu nihil habemus magis neceſſarium quàm ſit tempus!

Tempus malè inſumitur à triplici genere hominum. Alij illud adhibent ad malefaciendum. Alij ad nihil agendum. Alij ad nimis faciendum. Ad malefaciendum vitioſi. Ad nihil agendum otioſi. Ad nimis faciendum vani. Omnes ferè ſunt æquales in amittendo tempore, licèt inæquales in modo amittendi illius, & in mercede quam ſibi conciliant pro eo amiſſo, *Labor ſtultorum affliget eos qui neſciunt in urbem pergere*, dicit Eccleſiaſtes *t*. Non ſecus ac t Eccl. 10 15. mures qui valdè ſunt ſoliciti de deferendâ nuce putridâ in foramen ſuum; aut inſtar formicarum, quarum continuum exercitium ſitum eſt in aſcendendo & deſcendendo. Alij vacant ineptiis & puerilitatibus: Imperator Domitianus recenſetur ſibi reſervaſſe quaſdam horas diei, quibus muſcas ſtylo perforabat, & vacabat huic ineptiæ non ſecus ac negotio maximè ſerio præ omnibus negotijs ſtatus ſui: Hartabus Rex Hyrcanorum dicitur incubuiſſe capiendis talpis, Biantes Rex Lydiorum filo trajiciendis ranis, & Æropus Rex Macedonum conficiendis laternis. Egregias Regum occupationes! Et nunquid non idem exercetur hodiernâ die inter Chriſtianos? Nonne multi ſunt; qui ſuos annos tranſigunt in cicurandis aut domandis equis, in habendis ſpecioſis enſibus, in non pronunciandis unquam ullis verbis ſeriis, quaſi verò renunciaſſent omni rationi, & in non dicendo bono quàm cùm

cogi-

cogitant ſe dicere malum ? Innumeræ ſunt mulieres, quæ nulli alii vacant arti, quàm ut cogitent de recentibus indumentorum modis, quàm ut emant pannos, è quibus conficiendis ſibi veſtes ſatagant, quàm ut centies per diem ſemetipſas agant ad ſpeculum, quàm ut agant conſultationem vel ſuper unum capillum capitis, quàm ut delicatas agant domi, ibique forment diſſidia, ut blandiantur impatientiæ ſuæ, quàm ut circumquaque gyrent per domos puerperarum, quàm ut loquantur de rebus omnibus, nihil tamen ſcientes, & obtundant aures audientium, & quàm ut inſumant quartam partem vitæ ſuæ ad ſe induendum, aliam ad garriendum, aliam ad ludendum, & aliam ad comedendum, bibendum, & dormiendum. Ecce quomodo inſumuntur divitiæ & theſauri Dei, & tempus quod eſt ita pretioſum.

Quàm ſapienter loquebatur Antigonus Rex Macedonum, de quo recenſetur quòd militiam ſuam vocabat militiam temporis ! iſtud eſt etiam totum bellum noſtrum Chriſtianum; tota militia noſtra, univerſa præclara noſtra facinora bellica ſita ſunt in bene inſumendo tempore : exiguum tempus ritè impenſum quod reperietur in manibus noſtris ipſa die noſtræ mortis, poſſeſſionem conciliare nobis poteſt æternæ felicitatis. Si non habetis tempus, dato quòd haberetis fluvios plenos auro, & officinas margaritis repletas, cœlum nunquam erit pars veſtra. Vita præſens eſt velut emporium omnibus apertum, & in quo habentur nundinæ, ubi mercatores, ſi induſtrii ſunt, & artis ſuæ periti, mutare poſſunt vallem lacrymarum cum paradiſo deliciarum, terram cum cœlo, momentum cum æternitate : & totum iſtud negotium, quod ſic eſt nobis neceſſarium, non conſiſtit niſi in benè inſumendo tempore, quod eſt ſola merx, quæ admittitur in altera vitâ, ubi non eſt niſi unica æternitas. Inferte igitur, Auditores, an, cùm tempus ſit ita pretioſum, & ſic neceſſarium ſaluti noſtræ, non debeamus illud jure merito plurimi æſtimare : & nunquid non intolerabile ſit illud profligatis circa ineptias, quæ non merentur niſi contemptum. Non loquor de illis qui illud impendunt ad offendendum Deum. Heu ! cogitatio iſta me cier ad fundendas lacrymas ſanguineas, cùm deflere non poſſim ſatis eorum cæcitatem. Heu ! prodigitis tempus : & tempus vobis deerit, *Quia tempus non erit amplius u.* Id eſt, benefaciendi, peragendæ ſalutis veſtræ, conciliandi vobis paradiſi. Noluiſtis uti tempore quando Deus vobis illud offerebat, & illud vobis deerit cùm ipſum requiretis : tranſivit, non eſt amplius, *Venit nox quando nemo poteſt operari x.* Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum *y*, *Venit, id eſt, inceſſabiliter appropinquat nox, id eſt, finis vitæ præſentis, vel hora judicij, quando nemo poteſt operari, id eſt, meritoriè agere, quoniam via finita eſt ſtatus. Cùm ergo hæc vita ſit via, & curſus ad aliam vitam, nemo poteſt poſt hanc vitam mereri vel pœnitere. In horâ quoque judicij erit tempus præmiorum, non meritorum.* Heu quotnam annis manebitis in ignibus, quos univerſa maria extinguere non poſſunt, eò quòd tempus contempſeritis ! Ha quis indulgeret reprobis unicum vel momentum ſpecioſorum dierum illorum quos ſic funeſtè prodegerunt ! Per quos enſes & gladios, per quæ patibula, per quas torturas & rotas novaculis armatas nollent tranſire ad expiandas culpas præteritæ vitæ ſuæ, & ad redimendos ſe ab ardoribus ignis inextinguibilis ? *Et ignis eorum non extinguetur z.* Sed heu ! *Tempus non erit amplius* pœnitentiæ, & conſequenter veniæ, ſed non erit amplius niſi infelicitas æterna. Ha quibuſnam ſceptris & diadematibus non ſe deſtituerent voluntariè ad redimendam horam vel unicam temporis, & ad eam inſumendam medios inter rigores ſeveræ pœnitentiæ ! Nulla ſunt ſupplicia quæ ipſi æquo non pati vellent animo, carbones ipſorum converterentur in roſas propter delicias quas in illis invenirent. Heu quotnam lacrymas funderent, & gemitus ac ſuſpiria emitterent ! Sed in vanum, *Quia tempus non erit amplius.* Et quotnam putatis, Auditores, hac ipſa hora qua vos alloquor, animas exeuntes è corporibus ſuis, & præſentatas tribunali Dei, damnari in *ſupplicium æternum a*, eò quòd malè tempus inſumpſerint ? Iterum ſimiles vos eſtis limacibus qui concinunt quamdiu domus ipſorum ardet. Ecce quomodo inſumitur tempus, en qua ratione diſponitur de divitiis & theſauris Dei noſtri : & poſthæc mirabimini ne ſi tempus iſtud malè impenſum ſequatur æternitas infelicitatis; ſicut benè inſumptum in profectum animarum ſequitur æternitas felicitatis ?

Æternitas, quàm formidabilis eſt memoria tua ! Non poſſum loqui de duratione tua, niſi inſumendo ſermonem Simonidis de Divinitate : quò enim plus de te cogito, eò plus in te conſiderandum reperio : & quis terminus reperiri poteſt ejus, cujus nullus eſt finis, ſicut nec ullus progreſſus, nec ullum principium ? Hæc æternitas, Auditores, eſt circulus, cujus centrum, eſt continuum præſens, & cujus circunferentia illimitata, complectitur in ambitu ſuo totum præteritum, & futurum : quomodo igitur de illa loqui potero, niſi more Geographorum, qui in exigua tabula deſcribunt orbis terram; & inſtar Aſtrologorum, qui in parva ſphæra nobis repræſentant omnes cœlorum motus ? Obſervate igitur quòd omnes res tam naturales quàm ſupernaturales, ſunt in tribus ordinibus. Aliæ non habent initium nec finem. Aliæ habent principium ſine fine. Aliæ verò habent principium & finem. Deus ſolus eſt primæ claſſis, *Dixit Dominus ad Moyſen : Ego ſum qui ſum b.* Unde *Thales, teſte Laertio in ejus vitâ, rogatus quid eſſet Deus ? reſpondit : Quod principio & fine caret,* ſubdit Cornelius *c*. Angeli, animæ, & corpora quæ reſurgent, ſunt in ſecunda claſſe. In tertia verò collocantur res creatæ, corruptioni obnoxiæ. Ens Dei eſt ſemper præſens; nam in æternitate non eſt præteritum, nec futurum : *Hac de cauſâ*, proſequitur idem Cornelius immediatè poſt, *apud Ægyptios Hieroglyphicum Dei erat circulus : quia hic non habet principium, nec finem, inquit Pierius. De nobis dicitur : Dies mei ſicut umbra declinaverunt d : Omnes tanquam aqua dilabimur e. De Deo verò : Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient : tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem f. In quem locum S. Auguſtinus, Æternitas (inquit) eſt Dei ſubſtantia, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi jam non ſit : nihil eſt futurum quaſi nondum ſit : quia non eſt ibi, niſi eſt g. Deus eſt de quo dicitur : Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis h. Theologi diſtinguunt hæc tria : æternitatem, ævum, & tempus hoc modo. Primò, Quòd tempus ſit menſura durationis hominum, & re-*

u Apoc. 10. 6.
x Jo. 9. 4.
y Dion. Carth. ar. 24 in Jo. 9. 4.
z Iſai. 66. 24.
a Matth. 25. 46.
II. Pars
b Exod. 3. 14.
c Cornel. in Exod. 3. 14 citans Pierium Hieroglyph. 39.
d Pſ. 101. 12.
e ex 2. Reg. 14. 14.
f Pſ. 101. 28. & 13.
g ex D. Aug. conc 3. in Pſ. 101. 13.
h Pſ. 75. 5.

& rerum corruptibilium : ævum ſit menſura durationis Angelorum : æternitas autem ſit duratio propria Deo. Secundo, Quod tempus habeat principium & finem : ævum habeat principium, ſed non finem : æternitas nec principium nec finem habeat. Tertiò, Quod tempus ſit menſura rerum earum quæ actu corrumpuntur, & intereunt: ævum ſit menſura rerum incorruptibilium, quæ tamen abſolute deſinere & interire poſſunt: æternitas autem ſit Dei, qui deſinere, variari, aut mutari nequit. Quartò, Quod tempus habeat ſucceſſionem : æternitas permanentiam : ævum partim ſucceſſionem, partim permanentiam. Licèt enim Angelus naturaliter in ſuo ævo ſemper ſit ſtabilis, ſuique ſimilis : tamen continuò à Deo pendet, & influxu jugiter continuato à Deo ſuſtentatur, quem Deus ſingulis momentis ſubtrahere poteſt : & ſi eum ſubtraheret, Angelus, æquè ac creatura quævis alia ſtatim evaneſceret, & in nihilum, ex quo venit, relaberetur. Deus ergo eſt aſcenſor & Dominus æternitatis, temporum, & ævorum omnium; atque hujus beatæ æternitatis ſuæ tam Angelos, quam homines ſanctos participes efficit. Iſta ſecundum Boëtium, *Æternitas, eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio* i. Et, *Non eſt aliud quod æquè perficere beatitudinem poſſit, quam copioſus bonorum omnium ſtatus, nec alieni egens, ſed ſibi ipſi ſufficiens* k. Item, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum.* Per æternitatem, ſecundum Boëtium, concipimus perfectam & conſummatam poſſeſſionem vitæ, quæ nullis concludi poteſt limitibus, quæ non eſt aliquid fluens, nec habet ullam ſequelam partium, quarum una ſuccedat alii; quæ non habet aliquid prius, nec aliquid quid poſterius, ſed totum ſimul & ſine ulla mutatione. Super quod dicit D. Thomas m, *Quòd æternitas dicitur tota, non quia habet partes, ſed inquantum nihil ei deeſt. Quòd in tempore eſt duo conſiderari, ſcilicet ipſum tempus, quod eſt ſucceſſivum : & nunc temporis, quod eſt imperfectum. Dicit ergo, tota ſimul, ad removendum tempus : & perfecta, ad excludendum nunc temporis. Quòd illud quod poſſidetur, firmiter & quiete habetur. Ad deſignandam ergo immutabilitatem & indeficientiam æternitatis, uſus eſt nomine poſſeſſionis.* Hanc autem durationem firmam, conſtantem, & invariabilem quæ ſemper durat, & ad infinitum uſque ſe protendit, ſic innuit Scriptura n, *Dominus regnabit in æternum, & ultrà.* Repræſentate vobis centum millia annorum, & totidem millia ſeculorum quot ſunt guttæ aquæ in mari, granæ arenæ in litore ejus, ſtellæ in firmamento, folia ſuper arboribus, & capilli ſuper capitibus univerſorum hominum qui vivunt, æquè ac illorum qui mortui ſunt, & illorum qui naſcentur impoſterum, & tot quot mentes humanæ & Angelicæ concipere poſſunt; æternitas hæc omnia abſque ulla comparatione ſupergreditur ita ut pergat ulteriùs, & omnibus illis elapſis maneat ipſa tota, nec ullum habeat terminum. Viſus meus obſcuratur, oculi mei offunduntur caligine ad intuitum iſtius æternitatis infinitæ, vertigine meum caput afficitur in hoc præcipitio. Hoc eſt velle concludere totum Oceanum in cochleâ, aſcendere altum mare in exigua navi, metiri cœlum palea, ac aggredi explicare naturam æternitatis, infirmitate ſermonum noſtrorum, & conceptione mentium noſtrarum : finitum non poteſt includere infinitum, & acies noſtræ mentis in hoc occurſu ſe habet inſtar pupillæ nycticoracis ad radios Solis, quos ſuſtinere non poteſt; & ſicut rotunditas rotæ, quæ in nullum terminatur locum. Sic Ægyptii repræſentant æternitatem Deorum ſuorum per ſerpentem recurvantem caudam ſuam in caput ſuum, volentes inde nobis innuere, quòd illi nativitatem non haberent, nec interitum. Ecce differentia quam Theologi conſtituunt inter tempus & æternitatem: Dicunt enim quòd homo in ſtatu innocentiæ habebat poſſe mori, & poſſe non mori: deinde quòd ipſe cum tota poſteritate ſua habuit poſſe mori, & non poſſe non mori o: quòd Beati habent poſſe non mori, & non poſſe mori : & quòd damnati habent non poſſe mori, & non poſſe non mori. Quæ obſervatio dignè conſideranda eſt. Tandé, Sola æternitatis iſtius recordatio conſtringere poteſt inſtar glaciei ſanguinem in venis hominũ conſciorum criminis, æquè ac ipſa converſiones cauſavit innumeras in illis, qui ſuſcipientes gratiam, ſibi repræſentabant ſempiternam felicitatem, ad quam Sponſus ipſorum ſuaviter ipſos invitabat in perſona Sponſæ, dicens, *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum* p. *Sed quoniam ſermones morales circa ſingularia ſunt utiliores,* ſubdit his de Ponte q, *Hanc vocationem explicemus in qualibet ſanctâ animâ, cùm in horâ mortis vocatur ad palmam. Per trinam autem repetitionem verbi, veni, tres partes hujus vocationis poſſunt intelligi. Prima, quâ animâ ex Dei gratia vocatur ad plenitudinem, & conſummationem meritorum, & virtutum, ad quam prælecta erat, cujus menſuram per varios progreſſus invita paulatim factos implere conabatur, ſed prope mortem feſtinantiùs implet, & in ipſa morte menſura per perſeverãtiam omnino expletur. Secunda verò vocatio, eſt in ipſo egreſſu animæ à corpore, quâ, ſi plenè purgata ſit, invitatur ut præmium beatitudinis eſſentialis, & coronam gloriæ per claram Dei viſionem recipiat. Tertia tandem erit in generali reſurrectione, cùm vocatur etiam ad reſumendum corpus glorioſum, ſumma gloria & honore coronatum. In prima autem, & ſecunda dicitur, Veni de Libano, non in tertia; quia ad illas pervenitur per dealbationem in hoc mundo conquiſitam, tum per Sacramenta, tum per bona opera, ſicut de Juſtis bis dicitur, quod laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni* r. *Tertia verò pars, eſt complementum beatitudinis eſſentialis, ut anima, quia ſancta fuit corpore, & ſpiritu, in utroque etiam ſit glorioſa & gloria dotibus coronata.*

Hac præventus æternitatis cogitatione Pſalmiſta s, dicebat, *Et dixi, Nunc cœpi.* Quaſi dixiſſet, Cognoſcens negotium meæ ſalutis ſic eſſe neceſſarium tantique momenti ut vergat ad felicitatem, vel ad infelicitatem, quæ nullum eſt unquam finem habitura, irrevocabiliter ſtatui incipere vitam novam, declinare *à malo, & bonum* t facere. Iſta cogitatio nos inducere deberet ad eadem conſilia formanda; hinc igitur jugiter & ſeriò mente volvamus cogitationem, rati quòd nunquam poſſumus afferre nimiam curam vel cautelam ad rem, in qua agitur de æternitate; & ipſa nobis planas faciet omnes

i Boet. lib. 5. de Conſol. Phil. proſ. 6.
k Boet. lib. 3. de Conſol. Phil. proſ. 2.
l Idem ibid.
m D. Th. 1. p. q. 10. a. 1. ad 5. & 6.
n Exod. 15. 18.
o ex Mag. Sent. lib. 2. diſt. 19. ex Gen. 3. 47.
p Cant. 4. 8.
q De Ponte lib. 7. de Cant. 4. exhort. 22. parag. 1.
r ex Apoc. 7. 14.
s Pſ. 76. 11.
t Pſ. 36. 27.

nes difficultates,& univerſa removebit obſtacula,ut nobis viam pandat ad virtutem, & ad ſanctitatem noſtræ conditioni congruentem. Nullus eſt impudicus,nullus avarus, nec ullus ambitioſus quilibet ille ſit, qui, ſi hæc exactè perpendat,velit habere in iſtâ vitâ complementum omnium deſideriorum ſuorum, cùm poſt hæc adimpleta ſciat ſe damnandum per æternitatem infœlicem. Meditatio igitur æternitatis vincere nos facit omnes obices quos habemus obuios in proſecutione virtutis, & inducit nos ad dicendum Deo cum eodem Davide *u*, [u Pſ. 118. 112.] *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*. Et D. Tereſia confitetur ſe gaudio perfuſam immodico & lætitia inenarrabili cumulatam quotieſcumque audiret concini in ſacrificio Miſſæ hæc verba ab Eccleſia poſt Evangeliſtam *x*, [x ex Luc. 1.33.] & poſt Concilium Nycenum, *Cujus Regni non erit finis*. Et D. Joannes *y* [y Apoc. 21.3. &c. ex Jſai. 25.8.] poſt Jſaiam dicit, *Et ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt*. Quia cœleſtis Jeruſalem immunis eſt à miſeriis univerſis: & filii ipſius fruuntur æternitate fælicitatis. Hæc beatitudo eſt vita vivens, aqua quæ nunquam exhauritur, & lux nunquam deficiens; *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, ait Pſalmiſta *z*, [z Pſ. 35. 10.] Deum alloquens. Iſta fœlicitas eſt ſpecioſa laurus, arbor triumphans, ſemper virens, nedum ſit unquam obnoxia fulmini, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo a*. [a Pſ. 90. 10.] Ibi ignoratur tempus, nulla fit ibidē mentio annorum, menſium, dierum, [b Pſ. 23. 7. &c.] horarum, aut momentorum: ibi Angeli qui ſunt Aulici cœli & Regis *gloriæ b*, ſemper ſunt juvenes, quia nunquam ſeneſcunt, cùm ſemper ſint in eodem & permanenti ſtatu fœlicitatis. Et nunquid non Pater æternus loquens de generatione æterna Filii ſui, ait illi *Filius meus es tu, ego hodie genui te c*. [c Pſ. 2. 7.] Quod innuit, quòd jugiter eum producit; & ſicut nunquam incepit in tempore, ſic nunquam finiet in æternitate. Fœlix beatitudo, poſſibile ne eſt, ut momentum dierum noſtrorum poſſit acquirere tuæ durationis æternitatem? Ha quare mortales non habent veritatis iſtius notitiam, ad hoc ut impendant utiliter iſtud momentum vitæ, quod indulget ipſis miſericordia Dei ad operandam fructuoſè ſalutem ſuam? Eja ergo, Auditores, *Dum tempus habemus, operemur bonum d*. [d Galat. 6. 10.] Niſi velimus ut iſtud momentum vitæ noſtræ malè inſumptum ſequatur infœlicitas æterna. Æternitas pœnæ quis te non formidabit? Tremore concutior, Auditores, ſanguis meus more glaciei conſtringitur in venis meis, ſermo me deſerit, cor mihi deficit, cogitando quòd unus è maximis amicis Dei, putà David, memor iſtius durationis æternæ, turbatione commotus neſcit quid de ea dicat, *Turbatus ſum, & non ſum locutus. Cogitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui e*. [e Pſ. 76. 5. & 6.] Ha quis deinceps auderet offendere Deum, ſi cogitaret de hac æternitate pœnarum, ad quam damnantur peccatores reprobati, qui noluerunt uti tempore, quod erat ipſis datum ad operandam ſalutem ſuam? *Sepulchra eorum domus illorum in æternum f*. [f Pſ. 48. 12.] Ignis, cujus *effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta novem; & erupit, & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis g* [g Dā. 3. 47.] Babylone, & nunquam pervēnit ad cubitum quinquageſimum figuram jubilei *h* [h Levit. 25. 58.] & veniæ, nos edocet quòd ignis inferni erit in æternum accenſus ad comburendos damnatos, eoſque puniendos pro criminibus ipſorum, quorum nunquam ſuſcipient remiſſionem: *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: vox tonitrui tui in rota*, ait David *i*, [i Pſ. 76. 19.] Deum alloquens Quaſi diceret, Omnia jacula infirmitatum, jacturarum, & afflictionum, quæ vibrantur à te in vita iſta adversùs nos, tranſeunt, & hujuſmodi ſagittarum videmus finem; ſed vox tonitrui tui contra peccatores ſemper durabit, & erit ſicut motus perpetuus rotæ, qui incipitur inde quò finitur, & finitur illuc unde incipitur. Idem Propheta *k* [k Pſ. 48. 15.] loquens de peccatoribus iiſdem, dicit, *Sicut oves in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos*. Reprobi ſunt in inferis inſtar ovium, & ut ſic ſervire debent loco victimarum juſtitiæ Dei; & quemadmodum oves cùm herbam comedunt, non ſumunt niſi exterius, & derelinquunt radicem, quæ denuò creſcens providet ipſis pabulum quod ſemper rodant; ſic ignis infernalis cōburet quidem ſubſtantiam damnatorum, ſed eam non deſtruet ad finienda ſupplicia illorum, quia non conſumet perſonas ipſorum, quæ ſunt eorum radices: ſic tormenta illorum erunt æterna, æquè ac æterna ipſorum peccata. Heu quàm ingens eſt hæc infœlicitas! Quis poſſet eam concipere?

Heu! Auditores, ſi incommoda vitæ hujus tanto nos afficiunt dolore, licèt tranſitoria ſint, ut perſæpè nos redigant in extremæ deſperationis anguſtias, & vellemus nunquam fuiſſe in mundo, cùm in eo nobis perpetiendæ ſint tot miſeriæ, *Pereat dies in quâ natus ſum, & nox in quâ dictum eſt, Conceptus eſt homo*, dicebat Job *l*. [l Job. 3. 3. & 3.] Heu quidnam eſt illud omne comparatione æternitatis pœnarum? *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis m*? [m Jſai. 33. 14.] Damnati ſemper habebunt Deum inimicum, & vindicem iniquitatum ipſorum, ſimiles doliis Danaidum ſemper obrutatum & cumulatarum doloribus, nedum unquam finem reperiant in miſeriis ſuis. Corpora eorum aſſimilabuntur verè cordi fabuloſo Promethei, ſemper excſa, & ſemper renaſcentia, mortua ad omne bonum, & viva ad omne malum ſuſtinendum: talpæ æterni & incombuſtibiles in centro terræ, accenſi igne ſulphureo iræ Dei, qui durabit in æternum, *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda n*. [n Apoc. 21. 8.] Salamandræ doloroſè viventes in his incendiis fluvii ignei & rapidi egredientis *à facie o* [o Dan. 7. 10.] Dei. Jugiter ſolvent proventus & fœnora culparum ſuarum, nedum unquam ſe poſſint redimere, & ſortem ſolvere principalem. Heu! Auditores, deliquium patior animi. Æternitas! Hæc eſt totum quod dici poteſt, poſt hanc nihil amplius habeo dicendum: unica lacryma effuſa ſingulis ſeculis, repleret potiùs univerſum mundum, quàm infælices iſti viderent finem ſine fine omnium paſſionum ſuarum: & potiùs avis ſiccaſſet totum elementum aquæ, deſumendo vel unicam illius guttam ſingulis annis millenis, quàm videretur finis iſtius infinitatis. *Quia in inferno nulla eſt redemptio*, canit Eccleſia. Et Pſalmiſta *p* [p Pſ. 48. 12.] dixit ſuprà, *Et ſepulchra eorum, domus illorū in æternū*. Tantū reprobi cruciabuntur in his ergaſtulis inferorum, quantū Electi lætabuntur in his campis Elyſiis gloriæ; & tandiu continuabunt illi in iſtis ſuppliciis, quādiu permanebit Deus in felicitate ſuâ, *in æternum, & ultra q*. [q Exod. 15. 18.] Vita mortalis reproborum, Mors immortalis quomodo

modo te qualificabo? mortem, vel vitam? Si vita es, quomodo mori facis? Si mors es, quomodo ſic diu duras? Heu! video equidem, tu non es vita, neque mors, cùm utraque habeat aliquid boni: vita habet quietem, & mors præ ſe fert finem pœnarum, & tu non es terminus, nec requies; ipſa es id omne quod vita & mors habent mali: è morte enim deſumis gehennam, & è vitâ educis illius duratioñe. *Obſecro Domine Deus magne & terribilis r*, utquid homines non habent hanc ſuis impreſſam cordibus cogitationem, quòd pro voluptate momentaneâ ſuſtinenda ſit æterna pœna? Heu! intueor equidem, non habemus fidem ad concipiendas iſtas veritates, inſipientes ſumus, phrenetici, noſtræ ſalutis inimici. *O inſenſati, quis vos faſcinavit non obedire veritati s?* Quare non cogitatis, quòd tempus quod inſumitis in res vanas, ſit aliquando convertendum in æternitatem? Momenta vitæ noſtræ, quæ nobis à Deo conceduntur ad elaborandam ſalutem noſtram, ſequetur æterna duratio. Felices ſi fideliter negotiati fuerimus *t*, cùm gloria Dei ſit nobis danda pro mercede; ſicut è contrà infelicitas æterna, erit portio noſtra, ſi puſillanimi fuerimus, *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum u*. Conſideremus quòd *porrò unum eſt neceſſarium x*. Mutemus hoc momentum in æternitatem: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis y*.

r Dan. 9. 4.
s Gal. 3. 1.
t Luc. 19. 13. &c.
u D. Aug. in Symbol. et Matth. 25. 46
x Luc. 10. 42
y 2 Cor. 4. 17.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Acceſſit ad eum Centurio. Matth. 8. 6. &c.

ANnima privata cognitione Dei, eſt veluti navis deſtituta pilo, æquè ac gubernaculo, & conſequenter perpetiendi naufragii expoſita periculo continuo; aut tanquam cæcus derelictus à duce, qui tot obnoxius eſt caſibus, quot peracturus eſt greſſus: & ſicut ille qui nō intelligit unitatem, numeros formare non poteſt repetitarum ſemel ac iterùm earundem unitatum multiplicatione; quemadmodum ille qui neſcit quid ſit color, de diverſis non poteſt loqui coloribus, nec illorum differentias enunciare; & non ſecus ac ille qui non cognoſcit aliquem vultum, judicare non poteſt inter plures tabellas depictas eum, qui illum meliùs repræſentet: ita ſine cognitione Dei, qui eſt *omne Bonum a, Principium & Finis b; Veritas c* prima, & tandem ille *Qui eſt, d*, nimirum primum entium, impoſſibile eſt ut ſciamus quid res naturales aut actiones noſtræ poſſideant boni, quod conſiſtit in communicatione ſimilitudinis ejus, *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam e*. Conemur igitur nobis comparare notitiam Dei, qui eſt *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum f*. Et Sapientia, quæ immobilis in ſe permanens, æquè ac immutabilis: *Ego enim Dominus, & non mutor g*, motum debet omnibus facultatibus noſtris imprimere: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia h*. Accedamus ad Deum cognitione, more Centurionis noſtri, *Sapientia autem Centurionis patet in hoc, quod Chriſti Divinitatem cognovit, eumque ſolo verbo, vel Angelorum miniſterio poſſe dare ſoſpitatem penſavit*, ait Dionyſius Carthuſianus *i*, loquens de ſervo ejuſdem Centurionis ſanando ab eodem Filio Dei. Hæc cognitio eſt principium juſtificationis noſtræ: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit k*. Et hæc habetur per gratiam, quâ plenam invênit Archangelus Mariam, cùm ſic illam ſalutavit, *Ave Maria*.

a Exod. 33. 19.
b Apoc. 1. 8.
c Jo. 14. 6.
d Exod. 3. 14.
e Gen. 1. 27.
f Jo. 1. 9.
g Malach. 3. 6.
h Sap. 7. 24.
i Dion. Carth. a. 26. in Matth. 8. 6. &c.
k Hebr. 11. 6.

Cùm Deus ratione ſuæ infinitatis, & immenſitatis, quia *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus l*, comprehendi non poſſit à loco: illum *enim cælum, & cæli cælorum capere non poſſunt m*, nec limitari à tempore, *Dominus regnabit in æternum, & ultrà n*: nec ab intellectu creato cognoſci, nec amari à voluntate creatâ in gradu quo cognoſci poteſt, ac diligi; incomprehenſibilis eſt cuilibet creaturæ, quantùmvis ſublimine volet ad conciliandam ſibi ipſius notitiam, *Incomprehenſibilis cogitatu*, dicit Jeremias *o*. Si ad hoc ut cognoſcatur res aliqua, eſt ipſa cognoſcenda ad extremam uſque periodum, quâ cognoſcibilis eſt; & ſi perfectio cognitionis debet adæquare perfectionem rei cognitæ; quomodo credibile eſt, quod Deus qui in gloriâ ſua eſt objectum infinitum, cognoſci poſſit à mente finitâ? Ut intelligatur iſte conceptus, obſervare debemus, quòd in curſu rerum naturalium ordinario id, quod eſt ſpecialiter alicui naturæ ſuperiori proprium, inveniri poteſt in inferiori tribus diverſis modis. Primo, Conformitate proprietatis quæ adeſt jam ſecundùm eſſe ſuum infirmius & imperfectius. Secundò, Juxta eſſe perfectius, quod cauſatur à motu cauſæ ſuperioris. Tertio, Secundùm eſſe perfectiſſimum, quod non poteſt aliter acquiri quàm mutatione naturæ. v. g. aër habet quidem ex ſe aliquem calorem, ſed infirmum & temperatum: virtus hæc virtute ignis augetur, & ardentior efficitur; ſed ad ſupremum caloris iſtius virtus pervenire nunquam poſſet gradum, niſi mutaretur aër in ipſummet ignem: idem ferè dicendum eſt de intellectu noſtro, qui naturaliter habet aliquam cognitionem Dei, ſed valdè imperfectam, quæ nimirum conſiſtit in ſciendo quòd ſit Deus: Hæc autem cognitio naturalis, vocatur ignorantia, & hanc figuravit nobis illa *nubes denſiſſima*, intra quam *deſcendit Dominus ſuper montē Sinai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in cacumen ejus p*. Et illud latibulū tenebroſum, de ait David *q*, loquens de Deo, *Poſuit tenebras latibulum ſuum*. Hæc cognitio augetur revelatione, *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti r*. Interventu revelationis hujus *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate* majeſtatem Dei, quam *facie ad faciem s* contemplabimur, cùm *in lumine* ejus *videbimus lumen t*. Sed ad comprehendendam omnino magnitudinem Dei, & infinitatem gloriæ ejus, oporteret ut eſſemus Dij; & ſicut impoſſibile eſt ut illud ſit, ita impoſſibile eſt ut Deus perfectè poſſit à nobis cognoſci.

l Baruch. 3. 25.
m 3. Reg. 8. 27.
n Exod. 15. 18.
o Jer. 32. 19.
p Exod. 19. 18 & 20.
q Ps. 17. 12.
r Rom. 10. 17.
s 1. Cor. 13. 12.
t Ps. 35. 10.

Vidit aliàs Iſaias *u* in templo *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: & plena erat domus à majeſtate ejus: & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Et inde

u Iſai. 6. &c.

ſeſe-

nobis voluit innuere, quòd homines nullos habent pedes, quibus incedant ſuper hunc Oceanum infinitum gloriæ Dei; nec alas ſatis validas quibus voleot ad comprehendendas uſque magnitudines illius ineffabiles. Eſſe illius ſic eſt ſupremum, & ſubſtantia ejus ita remota à regulis aliarum ſubſtantiarum, ut cognoſci non potuerit à primo Angelo, licèt perfectiſſimus eſſet præ omnibus entibus quantùm ad cognitionem; ſic ut ſoo diceret *Lucifer in corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo x.* Nullus eſt qui ſcire poſſit qualis ſit magnitudo gloriæ iſtius, præter Deum ipſum; & ſicut cogitationes hominis non ſunt cognitæ niſi ſpiritui hominis, qui eas producit; ita myſteria Dei non cognoſcuntur niſi à Deo, à Divino Spiritu ipſius, qui totam habet in ſe Divinitatis plenitudinem: *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit niſi Spiritus Dei y.* Sic eminens eſt Deus ut excedat omnem ſcientiam noſtram; notitia humana nimis eſt abbreviata ad illum comprehendendum; vires noſtræ ſunt nimis infirmæ nedum eamus ad illum; ca ani noſtri ſunt æquo tardiores nedum illum delineent; & pennæ noſtræ ſatis præpetem non habent volatum ut ad thronum illius uſque nos ſublevent intuendum.

x Iſai 14. 12 &c.
y 1. Cor. 2. 10. & 11.

Licèt infirmitas corporum noſtrorum, & obſcuritates animæ noſtræ perfectam nobis impediant notitiam gloriæ Dei, bonitas tamen ejus non derelinquit nos ſemper torpere in his deſideriis invalidis ipſius agnoſcendi, nedum illis non ſatisfaciat, nec videre poteſt in animabus noſtris vacuum, quod ipſe non permittit in naturâ, quin diſponas ſubjecta replendo ei contuna. Præterquàm quòd ipſe proteſtatur Judæis, quòd ſi fortè ipſum non cognoverunt quandiu *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt z, manducans, & bibens a* inter ipſos, & multa peragens prodigia, & miracula (quia *in propria venit, & ſui eum non receperunt b*, &, ut ait Dionyſius Carthuſianus *c, In propria venit, hoc eſt, in Judæam, & populum Iſraeliticum ſibi olim peculiarem per incarnationem deſcendit; quemadmodum Iſaias oravit, dicendo, Utinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes d: à ſummo etenim cœlo egreſſio ejus e: & ſui, hoc eſt, Judæi ad cultum Dei ſpecialiter deputati, de quorum ſemine natus eſt Chriſtus, eum non receperunt, per fidem: pauciſſimi enim Judæorum crediderunt in Chriſtum, comparatione incredulorum*) ipſum cognoſcent ſtatim ac ipſum ſuffixerint cruci; cujus lumina diſſipabunt tenebras, quibus erant involuti, & ipſis detegent mirabilia Divinitatis ſuæ; ſicut reverâ deinceps manifeſtaverunt ea Centurioni exclamanti in monte Calvariâ, *Verò Filius Dei erat iſte †*. Et hoc eſt quod ipſe ait eis per D. Joannem *f, Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Et per Commentatorem illius Dionyſium Carthuſianū *g* clariùs, *Cùm exaltaveritis Filium hominis, id eſt, poſtquàm erexeritis & confixeritis me in patibulo crucis, tunc cognoſcetis quia ego ſum Chriſtus Filius Dei.* Subdit autem immediatè pòſt idem Carthuſianus: *Mox enim dum Chriſtus ſpiritum tradidiſſet, viſis miraculis, quæ tempore ſuæ ſuſpen-*

z Baruch. 3. 38.
a Matth. 11. 19 &c
b Jo. 1. 11
c Dion. Carthu. 4. in Jo. 1 11
d ex Iſai. 64. 1.
e ex Pſ. 18 7
† Matth. 27 54
f Jo. 8. 28
g Dion. Carth ar. 22. in Jo. 8. 28.

ſionis fiebant in cœlo & in terrâ ab horâ ſextâ uſque nonam, multi compuncti ſunt corde, & confitebantur Jeſum fuiſſe verum & ſanctum. Unde legitur, Omnis turba eorum qui aderant viſo terræ motu, & his quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur h. Similiter in die Pentecoſtes, & poſteà multa millia Judæorum per prædicationem Apoſtolorum converſa ſunt i, intantùm quòd etiam multa turba Sacerdotum obediebat fidei k. Concupiſcens igitur hodiernâ die cognoſcendum vobis exhibere ſummum *Bonum l* veſtrum, intendo ut in priori parte diſcurſus iſtius aſcendatis ſuper crucem, quæ tulit *Lignum vitæ m*. Id eſt, Jeſum Chriſtum, ut ait Dionyſius Carthuſianus *n, Per lignum vitæ intelligitur Chriſtus Sapientia Dei Patris, ſecundùm quod de Sapientiâ Salomon faſſus eſt, Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehēdentibus eam o.* Et hoc, *Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam p.* Et ſic in hâc priori parte per crucem contemplabimini incomparabiles divitias Divinitatis. In poſteriori verò cognoſcendus vobis exhibebitur hic *Deus dilectionis q* interventu omniū creaturarum *r*, quæ eum æquè perfectè repræſentant, ac ſpeculum repræſentat vobis faciem veſtrā.

h ex Luc. 23. 44. &c.
i ex Act. 2 41. &c.
k ex Act. 6. 7.
l Exod. 18 19.
m Apoc. 22. 2.
n Dion. Carth ar. 23. in Apoc. 22. 2
o Prov. 3. 18.
p Rom 9 23
q 2 Cor. 13. 11.
r Rom 1 20.

Inutile eſt allegatu, quòd Deus *non habet finem s*. Et quòd finiti ad infinitum nulla datur proportio, cùm cognoſcere poſſimus Deū generoſo conatu mentis noſtræ, quæ inquirens cauſam omnium objectorum, quorum concipit ideam, ad primam fertur uſque, & nititur agnoſcere id quod ditiſſimum eſt in theſauris Divinitatis ejus. Quòd ſi natura collocavit in opalo diverſos colores, & omnem ſplendorem margaritarum, *Opalus, gēma eſt in Indiâ tantùm naſcens, colore quidem candida, ita tamen ut in ea vario modo & carbunculi tenuior ignis, & amethyſti fulgens purpura, & ſmaragdi virens mare, incredibili pariter miſtura prælluceant*, ait Calepinus *t*: gratia poſuit etiam in cruce, ut cognoſcendum exhibeat *Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixū u*, totam gloriam Dei, omnes divitias Salvatoris, & univerſas Divinitatis perfectiones. Illa eſt paxillus prædictus ab Iſaia, in quo ſuſpenſa eſt tota gloria domus Dei, æternitas *x*. immenſitas, infinitas *y*, potentia *z*, ſapientia, providentia *a*, bonitas *b*, miſericordia & juſtitia *c*. *Et figam illum paxillū in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ domus Patris ſui. Et ſuſpendent ſuper eum omnem gloriā domus Patris ejus d.* Super quod ait Hugo Cardinalis *e, Et figā illum paxillū in loco fideli, id eſt, in Eccleſia. ubi eſt conventus fidelium. Hoc fuit quando Chriſtus erectus fuit in cruce. Beatus qui requieſcit juxta domū illius; & in parietibus ejus figens palū f. Figere ibi palum, eſt habere jugem memoriam Crucifixi. Et erit in ſolium gloriæ domus Patris ſui. Id eſt, Caput erit Eccleſiæ. Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius g. Et ſuſpendam ſuper eū omnem gloriam domus Patris ejus. Id eſt, omnes Electos qui ſunt in gloria Eccleſiæ, attendere faciam ad doctrinam, & imitationem ejus. Sedit Jeſus, & omniū in Synagogâ oculi erant intendentes in eum h. Item, Omnis populus ſuſpenſus erat audiens illum i.*

Diviſio. I. Pars.
s Baruch. 3. 25.
t Calep. in Dictiō. V. Opalus.
u 1 Cor. 2. 2.
x Dan. 13 42.
y Baruch 3. 25.
z Pſ 64. 7
a Sap 8 1
b Pſ. 118. 68.
c Pſ. 114. 15.
d Iſai. 22 23. & 24.
e Hug Card. in Iſai 22. 23 & 24.
f ex Eccl. 14. 22. & 25.
g ex Epheſ. 1. 22. & 23.
h ex Luc. 4. 20.
i Luc. 19. 48.

Præfatæ Salvatoris divitiæ, & univerſæ Divinitatis perfectiones ſunt flores iſtius arboris ſanctæ, qui incipiunt jam apparere, & effundere odorem ſuum, ut illum prædelicиs reſpiremus. *Flores apparuerunt in terra noſtra k.* Super quod ait de Ponte *l, Etenim cum Chriſto Domino*

k Cant. 2 12.
l De Pont lib 1. in Cant. 2. 12 Exhort. 18. parag. 1.

apparuerunt in terra noſtra trigens flores, qui ipſi-
us pulchritudinem & fragrantiam oſtendebant:
nimirum flores ſapientiæ & doctrinæ cœleſtis,
quam denſa nubes legis veteris, in ſuo hyemali
tempore ſectam & occluſam ſub variis figuris re-
tinuerat. Et tamen Unigenitus qui eſt in ſinu
m ex Io. 1. 18. Patris m, eam foras propalavit, revelans diſtinctè
n ex Tit. 1. 2 & 3 myſteria abſcondita ante tempora ſecularia n: per
ipſum enim apparuerunt nobis tanquam novi flo-
res myſterium Trinitatis perſonarum in unâ Dei-
o ex 1. Io. 5. 7. tatis eſſentiâ o, adventus Filii Dei in carne p, Spi-
p ex Rō. 8. 3. ritus ſancti ab utraque proceſſio & miſſio q, & alia
hujuſmodi myſteria: tota enim Evangelica do-
q ex Ioan. 15. 26 ctrina, pratum eſt amaniſſimum, tot veſtitum flo-
r Iſai. 11. 9 ribus, quot habet ſententias: propter quas, juxta
vaticinium Iſaiæ r, Repleta eſt terra ſcientiâ
Domini ſicut aquæ maris operientes. Hinc fit ut
ſimul etiam in terra noſtra apparuerint novi ac
pulcherrimi flores virtutum, quos fere nunquam
mundus viderat: nempe, perpetua virginitas, pau-
pertas ſpiritus, uſque ad renunciationem omnium
quæ poſſidentur, ut pauperibus diſtribuantur: Re-
s ex Matt. 10. 27. &c. ligioſa obedientia ſub unius Prælati diſciplinâ s,
inimicorum flagrans dilectio t, profuſio ſanguinis
t ex Matt 5. 44 pro fide tuendâ, & alia conſimiles u quæ velut flo-
res intra gemmas latuerant, & in Lege antiqua e-
u ex Ioan 15. 13 rumpere cœperant x: ſed in Lege nova longè la-
x ex Hebr 11. 4 &c teque diffuſi ſunt, & apparuerunt in univerſo or-
be, indicantes advenisse florem campi y Jeſum, cu-
y ex Cant 2. 1. jus ſunt virtute procreati. Sed adhuc in ejus ad-
ventu apparuerunt etiam flores miraculorum, &
gratiarum, quas vocant gratis datas, admirabilia
patranda opera, quæ tam venuſtâ varietate orna-
runt terram noſtram, ut illam diceres cœlum:
nam à cœlo deſcendebat virtus quæ ornavit eam.
z ex Act. 9. 40 Flores erant ſuſcitatio mortuorum z, infirmorum
repentina curatio a, donum linguarum, ſpiritus
a ex Act. 3. 7. prophetia, interpretatio ſermonum b, dæmonum
expulſio c, & alia ejuſmodi. Licèt enim cùm
b ex 1. Cor 12. 10 &c primitiva Hebræorum Eccleſia, ex Ægypto edu-
cta eſt d, & per deſertum progrediebatur e, vel
c ex Matt 10 1. terram promiſſionis intrabat f, flores ſtupendorum
miraculorum apparuerunt: erant tamen flores
d ex Exo. 14 21. &c quaſi hyemalis temporis, nam terram hominibus
denudabant, & maximo mœrore ac dolore veſtie-
e ex Exo. 15 25. bant, cùm per miracula illa innumera hominum,
f ex Ioſue 6, 20. &c & animalium multitudo periret: at per Chri-
ſtum Dominum flores novi, graciles & jucundi
apparuerunt in terra noſtra, qui miris modis eam
ornabant, & hominibus virtute florentibus ple-
nam reddebant. Et licèt in Deo nulla ſit diffe-
rentia perfectionum, ſed ipſemet ſit unica & ſola
perfectio, quia omne quod eſt in Deo, Deus eſt, &
omnes excellentiæ quæ ſunt in eo innumeræ, ſint
puriſſima & ſimpliciſſima unitas, Audi Iſrael,
g Deut. 6 4. Dominus Deus noſter Deus unus eſt g: tamen ſe-
cundùm varietatem operum ejus, magnam at-
tribuimus illi perfectionem diverſitatem: &
quia mentem habemus nimis infirmam ad for-
mandum conceptum, qui repræſentare poſſit ex-
cellentiam ſic infinitam, compellimur, ut loqua-
mur de Deo ſicut debemus, uti multis nomini-
bus, ſecundùm diverſitatem effectuum, quos
producit ſuper nos, & in nobis. Sic ob diverſas
conſiderationes, quaſi differentes haberet perfe-
ctiones, vocamus illum indifferenter, modò æ-
ternum, quatenus non menſuratur tempore; in-
finitum & immenſum, eò quòd ſit ubique, nec
ullis limitibus ſit circumſcriptus; bonum, cùm
ſuas nobis communicet gratias; providentem,
quia curam noſtri agit; ſapientem, quia omnia in
menſura, & numero, & pondere h diſponit; ſci- h Sap. 11. 21.
entem, quoniam non eſt ulla creatura inviſibilis
in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta
ſunt oculis ejus i. Potentem & miſericordem i Heb. 4. 13.
ſecundùm id quod ait illi Sapiens k, Misereris o- k Sap. 11. 24.
mnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata
hominum propter pœnitentiam. Et mox juſtum,
quia ipſe decernit ut veniat tribulatio & anguſtia
in omnem animam hominis operantis malum l. l Rom. 2. 9.
Ecce quomodo loquimur de Deo, & varia tribui-
mus illi nomina, ut ad aliquam perveniamus noti-
tiam magnitudinis ejus, quia non ſolùm eſt id
quod dicimus, ſed eſt amplius quàm id omne, de
quo loqui poſſumus. Atqui Deus ut ſui notitiam
præberet mundo, collocavit in cruce totam glo-
riam omnium perfectionum ſuarum, quas illi at-
tribuimus: & ſicut D. Stephanus in medio mar-
tyrii ſui, intendens in cœlum vidit gloriam Dei m: m Act. 7. 55.
ſic è medio arboris crucis, ſuper quam aſcendi-
mus, videmus gloriam omnium perfectionum
Dei. Videmus ibi magnitudinem juſtitiæ, quæ
tantam exegit de peccato noſtro pœnam, ut o-
portuerit ad ipſi plenè ſatisfaciendum, ut Dei Fi-
lius humiliaverit ſemetipſum uſque ad mortem,
mortem autem crucis n. Intuemur ibi arcanum n Philip. 2. 8.
ſapientiæ, quæ in caſu ſic difficili adinvênit hunc
admirabilem modum ſalvando homini conſo-
num, Pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive
quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt o. Contem- o Coloſ. 1. 20.
plamur ibi excellentiam potentiæ, quæ per lig-
num vile & abjectum, ſecundùm ſententiam ſa-
pientum mundi, dedit ampliorem gloriam Deo,
quàm totus mundus, Propter quod & Deus ex-
altavit illum p: &c. Et, Videmus Jeſum propter p Philip. 2. 9. &c.
paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum q.
Ibi diſcimus exceſſum amoris, qui tradidit Crea- q Hebr. 2. 9
torem pro creatura, eum qui continet totam Eſ-
ſentiam Divinam, pro illo qui ſolâ ipſius eſt inſig-
nitus imagine, Ad imaginem quippe Dei factus
eſt homo r. Sic enim Deus dilexit mundum ut r Gen. 9. 6
Filium ſuum unigenitum daret s: &c. Illum, s Io. 3. 16
inquam, qui eſt idem cum Deo, ſicut ipſe ait, Ego
& Pater unum ſumus t, pro eo qui malitiâ ſuâ ſe t Ioan. 10. 30.
ſeparavit à Deo, Sed iniquitates veſtræ diviſerunt
inter vos & Deum veſtrum u. Tetendit enim u Iſai. 59. 2.
adverſus Deum manum ſuam, & contra Omni-
potentem roboratus eſt x. Ibi reperimus profun- x Iob. 15. 25.
ditatem miſericordiæ, quæ videns quòd peccator
ad hunc venerat gradum malitiæ, ut voluiſſet de-
ſtruere Divinitatem, ſi potuiſſet, ut non ampliùs
ab ipſa dependêret, noluit parcere huic peccato-
ri, ſciens quòd tanta injuria tantâ indigebat mi-
ſericordiâ. Obſervamus ibi immodicam boni-
tatem Dei, qui non contentus eo quòd homini
dederit perſonam Divinam in incarnatione Ver-
bi y, Corpus & Sanguinem Jeſu Chriſti in inſti- y Ioan. 1. 14.
tutione SS. Euchariſtiæ z; tribuit ei etiam vitam z 1. Cor. 11. 24. &c.
& merita ejuſdē Jeſu Chriſti pro pretio magno a a 1. Cor. 6. 20.
redemptionis noſtræ. Ibi demiramur etiam mi-
racula, quæ Salvator eſt operatus in illa: A ſexta
autem hora, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam
terram uſque ad horam nonam. Et ecce velum
templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque
deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,
& monumenta aperta ſunt: & multa corpora
Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt b. Et b Matt. 27. 45. &c.
obſcuratus eſt Sol. Videns autem Centurio quod
factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Verè
hic homo juſtus erat. Et omnis turba eorum qui
ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant
ea quæ fiebant, percutientes pectora ſua, reverte-
bantur.

c Luc. 23. 44. &c.

bantur c. Et *Dionyſius Athenienſis, unus ex Areopagitis Judicibus, vir omni doctrina genere inſtructus, cùm adhuc in Gentilitatis errore verſaretur, eo die quo Chriſtus Dominus cruci affixus eſt, Solem præter naturam defeciſſe animadvertens, exclamaſſe traditur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur*, ait Eccleſia in Legendâ illius.

d Dan. 9. 24.

e Zach. 4. 2.

f Corn. in Zach. 4. 6.

g Luc. 23. 34. &c.

h 1. Cor. 1. 23. & 24.

Ideò *velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum*, ut intuenda nobis exhiberet mirabilia Divinitatis, quæ crux operata eſt in monte Calvariâ. *Sanctus Sanctorum* d, in quo Synagogæ magnitudines incluſæ erant, licèt velatus & abſconditus, cruci ſuffixus intuendum ſe exhibet ut illud, quod vidit Zacharias *candelabrum aureum totum*, docetque nos, quòd crux illuminavit mentes noſtras, & præbuit nobis notitiam Divinitatis Jeſu latentis ſub velo humanitatis noſtræ: *Chriſtus ergo eſt candelabrum illuminans Eccleſiæ templum*, ait Cornelius f. Bonus Latro qui videt Salvatorem ſuum patibulo infamiæ confixum, & Centurio qui contemplatur eum morientem, & orantem pro inimicis ſuis g, intuentur ambo ſub ſcandalo & ſtultitiâ crucis, *Dei virtutem, & Dei ſapientiam* h, potentiam ſub infirmitate, divitias ſub paupertate, gloriam ſub contemptu, & Divinitatem ſub formâ humanâ, *Latro Dei Filium in patibulo, Centurio verò vitam agnovit in morte*, dicit D. Bernardus i.

i D. Bern. ſerm. 2. in Epiph.

Si *velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum*, pars illius una permanet Judæis, altera verò Gentibus idololatris: ſed optimum illius, ſcilicet, apertura, permanet Chriſtianis, per quam intimè pervadunt id, quod eſt in templo Divinitatis, & cognoſcunt perfectiones Dei ſui crucifixi. Judæus qui tenet unam partem iſtius veli, dicit, quòd crux Salvatoris eſt orbis ſcandalum, *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum*. Gentilis verò qui tenet alteram partem, ait, quòd ſtultum ſit creditu, quòd Deus quem homines adorant, crucifixus ſit ab hominibus, *Gentibus autem ſtultitiam* k. Ille dicit, quòd Deus ſuus eſt *verè Deus abſconditus* l, & quòd ipſe eum non cognoſcit. Iſte verò ſe convertit ad *aram, in quâ ſcriptum erat, Ignoto Deo* m. Et ambo ſuam profitentur ignorantiam, & quòd in tenebris tenent gloriam Dei ſui. Sed Chriſtiani, qui ſalvi fiunt fide tanti myſterii, quique adorant in infirmitatibus & in ignominiis crucis, potentiam, & gloriam Jeſu crucifixi, oculos habent apertos, ut ab ipſis agnoſcatur virtus & Sapientia Divina ſub ſcandalo & ſtultitiâ patibuli: *Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam* n.

k 1. Cor. 1. 23.

l Iſai. 45. 15.

m Act. 17. 23.

n 1. Cor. 1. 24.

Recenſetur Imperator Adrianus aliàs ſategiſſe repræſentandum Deum cum facie quadruplici, & Cæſar Auguſtus cudendum numiſma templi Pacis, in quo erat exarata imago Dei præ quadruplici vultu, cujus unus intuebatur cælum, alter infernum, iſte mare, & ille terram, quaſi ad innuendum id, quod docuit nos Apoſtolus o, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Sed non eſt aliò pergendum quàm in montem Calvariam, ut diſcamus quanta ſit iſta notitia, cùm videamus ibi crucem, quæ ſuis quatuor dimenſionibus intuens quatuor orbis regiones, docet nos, quòd Jeſus qui in brachiis ipſius ſuſpenſus eſt, cognoſcit id omne quod in cælo, in terrâ, in mari, & in inferis invenitur. Accede igitur homo ad iſtam arborem ſacram, & dicam tibi id, quod dicebat aliàs Deus Moyſi, *Ego oſtendam omne bonum tibi* p. Exhibebo tibi intuendam ſuper cruce Divinitatem in humanitate Jeſu, quæ eſt bonum omnis boni. Ibi videbis omnia mirabilia cœli & terræ, ibi diſces omnia ſecreta deſiderabilia, & univerſas ſcientias imaginabiles. Ibi edoceberis Logicam multò ſubtiliorem incomparabiliter eâ, quam docent homines, quia ibi videmus duas propoſitiones contradictorias, quæ verificantur eodem tempore de eodem ſubjecto, nempe Deus *vivens, &, Deus mortuus* q. Deus *pauper* r, *ſeu egenus*, &, Deus *dives* s. *Deus gloria* t, &, Deus *opprobrium hominum, & abjectio plebis* u. Si vis ad Philoſophiam elevari, non eſt eâ ſublimior, nec melior, quàm *ſcire Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum* x. Vis ne eſſe magnus Aſtrologus? Diſces ſuper cruce funeſtam eclypſim Solis, *Et obſcuratus eſt Sol* y. Invenies ibi contra regulas Aſtronomiæ, quòd Jeſus cœlum myſticum, & primum mobile: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia* z, clavis adhærens patibulo, ſiſtit, & tamen mundus non perit, ſed reformatur, ſtabilitur, & renovatur, *Et dixit qui ſedebat in throno, Ecce nova facio omnia* a. Si arridet tibi Medicina, videbis hunc cœleſtem Medicum: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* b, qui non ampliùs è ſuâ ſalivâ lutum facit, ſicut eùm ſanaturus *hominem cæcum à nativitate expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur, Miſſus:) Abiit ergo, & lavit; & venit videns* c: ſed ipſemet miſſus à Deo, *Exivi à Patre, & veni in mundum* d: parat nobis balneum Sanguinis ſui, quo noſtras abſtergat ſordes, & ſanet nos ab omnibus morbis noſtris ſpiritualibus, *Lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* e. Si vis eſſe Geometres induſtrius, veni ad crucem, & ipſa docebit te menſurare terram quatuor ſuis dimenſionibus, quæ pertingunt quatuor illius regiones habitabiles, *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* f. Si ſcire concupiſcis Arithmeticam, intuere Jeſum Chriſtum cruci ſuffixum, *& in foraminibus petræ* g, *Petra autem erat Chriſtus* h, diſces, quòd numerus quinque vulnerum eſt perfectiſſimus omnium. Si placet tibi Muſica, quæ harmonia ſuavior illâ quæ peragitur in monte Calvariâ, ubi Deus & homo mutuam ineunt concordiam, cœlum & terra uniuntur, & omnia ſuper tonum crucis conciliantur? *Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* i. Tandem, Theologia ſacra convenit ne ibi præ cæteris aliis ſcientiis? Ecce crux, quæ eſt cathedra Theologica peritiſſimorum virorum, in quâ non ſolum diſcunt omne genus ſcientiarum, ſed etiam virtutes univerſas quæ poſſunt ipſos exhibere commendabiles. *Moralis igitur inſinuatur locus, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruxit Præceptor bonus: tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis*, ait D. Auguſtinus k. Accede ergo Chriſtiane, appropinqua ad iſtam cathedram myſticam crucis, ſi vis eſſe perfectus cognitione Dei tui. Contem-

o Hebr. 4. 13.

p Exod. 33. 19.

q Apoc. 1. 18.

r Pſ. 87. 16.

s 2. Cor. 8. 9.

t Act. 7. 2.

u Pſ. 21. 7.

x 1. Cor. 2. 2.

y Luc. 23. 45.

z Sap. 7. 24.

a Apoc. 21. 5. ex Iſa. 43. 19.

b Luc. 19. 10.

c Joan. 9. 1. &c.

d Jo. 16. 28.

e Apoc. 1. 5.

f Eph. 3. 18. & 19.

g Cant. 2. 14.

h 1. Cor. 10. 4.

i Coloſſ. 1. 19. & 20.

k D. Aug. tract. 119. in Joan. 19. 25. &c.

plare hunc Divinum Jeſum huic arbori ſacræ confixum, & diſce, *quia mitis & humilis corde* l eſt, & ex eo quòd *inclinato capite tradidit ſpiritum* m, humilitatem: Liberalitatem, videndo *manus* n ejus extenſas, id eſt, *in cruce*, ait Cornelius o poſt Theodoretum & Forerium, quos citat: Charitatem intuendo quomodo *unus militum lanceâ latus ejus aperuit: & continuo exivit ſanguis & aqua* p: Paupertatem, conſiderando nuditatem ejus, *Milites poſtquam crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus ſortem mittentes* q: Abſtinentiam, contemplando eum dicentem, *Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti meâ potaverunt me aceto* r: Pœnitentiam, meditando quâ ſævitiâ *milites Præſidis plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus* s: Perſeverantiam, aſpiciendo qua ratione fixas habeat *manus, & pedes* t confixos: Pietatem, memorando quòd *cùm vidiſſet Jeſus Matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus: deinde dicit diſcipulo, Ecce Mater tua* u: Benignitatē, advertendo quòd idem *Jeſus dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* x: Sanctitatem, credendo, *Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis* y. Et ſcito, quòd ſicut eruitur aurum ex induratæ terræ viſceribus, uniones extrahuntur è mari periculoſo, roſæ è pungentibus educantur ſpinis, frumentum educitur è paleâ contritâ, nuclei de ſuis teſtis aut cochleis amaris extrahuntur, & ignis eruitur è ſilicibus ferro percuſſis; ita aliquantulus inſumendus eſt labor ad educendam è cruce perfectam notitiam Jeſu Chriſti crucifixi.

l Matth. 11. 29.
m Jo. 19. 30.
n Iſai. 65. 2.
o Cornel. in Iſai. 62.
p Jo. 19. 34.
q Matth. 27. 35. & 35. ex Pſ. 21. 19.
r Pſ. 68. 22.
s Matth. 27. 27. & 29.
t Pſ. 21. 17.
u Jo. 19. 26. & 27.
x Luc. 23. 34.
y 1. Petr. 3. 18.

II. Pars.

Præter auxilium quod ſuſcipimus à luminibus crucis, ordinem Deus inſtituit ſic admirabilem in orbe, ut in eo nulla ſit creatura, quæ non repræſentet nobis aliquam è perfectionibus ipſius, invitans hoc modo noſtras animas inſenſibiliter, videndo creaturas eas, ad admiranda jugiter illarum mirabilia: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* z. O cura amantiſſima Divinæ Providentiæ, quæ effecit ut orbis appareat oculis noſtris more pellucidi ſpeculi repræſentantis eis dignitatem incomparabilem Creatoris! Hanc habet ſpeculum proprietatem repræſentandi imaginem rerum ſibi oppoſitarum, non ſolum cùm plenum eſt & integrum, ſed etiam quando eſt in diverſas partes diviſum, cùm nulla ſit ipſius pars, quantùmvis exigua, quæ illarum non exhibeat intuendam figuram: ſic omnes diverſæ creaturæ, è quibus eſt orbis compoſitus, non ſolùm habent poteſtatem repræſentandæ nobis gloriæ Eſſentiæ Divinæ, quando conſideramus illas unitas ut partes ſolius corporis; ſed etiam nulla eſt ex ipſis, quæ illius non exhibeat nobis teſtimonium ſpeciale, quæque proprietatibus ſuis impreſſum non deferat illius aliquem præclarum charactêrem. Una propalat fortitudinem potentiæ ejus, alia prædicat bonitatem illius, & alia probat ſapientiam ipſius, & ſic nullam ex illis inveniemus, quæ non annunciet nobis perfectiones illius ineffabiles. Illarum idioma differt à loquela hominum, quæ non intelligitur ordinariè niſi in quâdam regione: ſicut enim illæ ipſæ factæ ſunt ad præbendam doctrinam omnibus nationibus, Authoris mundi, loquela ipſarū muta ubique poteſt intelligi; & ſi adverteremus, videremus quòd invehuntur continuo vituperio adversùs eos qui ſuas non præbent attentiones teſtimoniis, quæ illis dant gloriæ Divinæ illius. Si autem iſtius rei rationem ſcire velimus, ecce præſto eſt, quia ipſæ loquuntur oculis, & non auribus: auris comprehendere non poteſt omne loquelæ genus, & ſicut quilibet populus ſuum habet idioma ſpeciale, & ſermo Galli non poteſt intelligi à Germano, nec Italus concipit diſcurſum coram ſe habitum à Turcâ; non ita ſe res habet de viſu, qui è contrà poteſt comprehendere quidquid ipſum edocent objecta, quæ intuetur, cùm non fuerit poſita confuſio in coloribus, qui ſunt objecta viſus, ſicut collocata eſt in linguis, quæ audiuntur ab auribus; ita ut mirandum non ſit ſi creaturæ quæ oculis, & non auribus *enarrant gloriam Dei* a Creatoris ſui, per totum mundum loquelam ſuam intelligibilem exhibeant. Atqui cùm nulla ſit, quæ non faciat hinc reſonare vocem coram homine, ubicumque inveniatur, ſufficit ut idem homo ſuos aperiat oculos, & res omnes quæ ſunt in mundo, intuendas ipſi exhibebunt, ſi ad illas velit advertere, imagines quas Author naturæ impreſſit ipſis magnificentiæ ſuæ. Nunquid non ipſæ ſunt totidem teſtimonia bonitatis ejus, cùm ipſæ ſint bona, quæ fluunt ſuper nos ex origine infinita eſſentiæ ejus? totidem notæ potentiæ illius, cùm eis dederit eſſe? totidem probationes amoris ejus, cùm propter utilitatem, aut voluptatem noſtram illas eduxerit è nihilo? totidem indicia ſapientiæ ipſius, cùm ipſe illas conſervet, eaſque diſponat in ordine congruo, & in ſymmetriâ, ubi illas intuemur? & totidem effectus miſericordiæ illius, cùm illas fecerit ad ſublevandos nos è miſeriis noſtris, & ad eximendos nos à variis incommodis? Si id quod videmus, eſt pulchrum, inducit nos ad cogitandum eximium Dei *Decôrem* b, ſicut pictura præbet nobis memoriam illius, quem ipſa repræſentat. Si ea, quæ intuemur, ſunt divitiæ, propalant nobis theſauros immenſos majeſtatis ejus. Si ſit objectum, quod habeat magnitudinem, repræſentat nobis celſitudinem ejus. Si id, quod nobis apparet, eſt in congrua diſpoſitione, illud non poſſumus advertere quin obſervemus quòd ſit effectus ſapientiæ illius. Firmitas inconcuſſa terræ, proprio pondere ſupportata, *Terra autem in æternum ſtat* c, eſt veluti imago viva eſſe illius immutabilis, *Ego enim Dominus, & non mutor* d. Fœcunditas iſtius elementi ad producendos flores & fructus diverſos, æquè ac uberes, repræſentat fœcunditatem Divinarum perſonarum, Patris ad generandum Filium ſuum e; Patris & Filii ad ſpirandū *Spiritum* f ſanctum; & trium ſimul ad producendum illud omne, quod naſci videmus in mundo. Sed quàm appoſitè iſtæ vaſtæ planities, in quibus oculi noſtri ſibi complacent eximiam mirati diverſitatem operum naturæ, ſunt imago perfecta immenſitatis ejus! Quam ritè montes repræſentant nobis ſublimitatem juſtitiæ ejus, & abyſſi profunditatem judiciorum illius! *Juſtitia tua ſicut montes Dei; judicia tua abyſſus multa* g. Mare, cujus non videmus fundum, neque litus, nunquid non eſt viva pictura providentiæ illius? Aër qui oculis non poteſt percipi, meminiſſe nos facit, quòd Eſſentia Divina eſt inviſibilis. Spiſſitas nubium nobis indicat obſcuritatem, quæ impedit ne illam comprehendamus. *Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebroſa aqua in nubibus aëris* h. Tonitrua ſunt imagines mi-

z Rom. 1. 20.
a Pſ. 18. 1.
b Pſ. 92.
c Eccl. 1. 4.
d Malach. 3. 6.
e Pſ. 2.
f Jo. 15. 26.
g Pſ. 35. 7.
h Pſ. 17. 12.

narum

narum ejus, *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum*
vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum;
Pſ. 7. 13 & 14. *& in eo paravit vaſa mortis* i. Fulgura ſunt
ſymbola Angelorum ejus, qui ſunt nuncii
Imperii illius: *Nonne omnes ſunt adminiſtra-*
torii ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos
k Hebr. 1. 14. *qui hæreditatem capient ſalutis* k? Et fulmi-
na ſunt indicia miniſtrorum juſtitiæ ejus, *Ve-*
nit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris
l 4. Reg. 19. 35. *Aſſyriorum centum octoginta quinque millia* l.
Ignis nobis enarrat ardores dilectionis illius,
m Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* m.
Primum mobile, quod poſt ſe trahit omnes
alios cœlos, invitat nos ultra prædicta ad de-
mirandam ſapientiam ejus, quæ motum ac
directionem omnibus imprimit: *Omnibus*
n Sap. 7. 24. *enim mobilibus mobilior eſt Sapientia* n. Sol
luce ſui teſtimonium perhibet autheoticum
o Hebr. 1. quòd Deus *ſit ſplendor gloriæ* o. Alia aſtra
quæ ſerviunt ut exhibeant nobis intuendam
aliquam imaginem ſplendentis diei medias in-
ter noctis tenebras, inducunt nos ad agen-
das gratias immortales miſericordiæ Dei pro
eo quòd intuitu miſeriarum, quibus imp. ti-
mur per noctem afflictionum, ab illis ſub-
levare nos dignatur: *Clamavit ad me, &*
ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribu-
p Pſ. 90. 15. *latione: eripiam eum, & glorificabo eum* p.
Flos vel minimus alicujus horti nobis annun-
ciat mirabilia potentiæ ejus, quæ præbuit ipſi
eſſe, quod omnes ſimul creaturæ non poſſent
ipſi dare. Quid dicam de minimis & com-
muniſſimis plantis? Videmus quòd ſemen
terræ mandatum putreſit, deinde adjutum
radiis Solis, exit è terra paulatim, ſenſim
ſine ſenſu alitur, & creſcit in caulem vali-
dum, unde naſci videmus flores & fructus:
intuerine poſſumus effectus ſic eximios, quin
meminerimus illius qui eorum eſt Author,
quique producit illos propter amorem no-
ſtrum? Si conſideremus mirabilia ſpeciei no-
ſtræ, magis vivam deprehendemus ibi ima-
ginem Dei, quàm in reſiduo cæterarum cre-
aturarum ſenſibilium. Tres animæ noſtræ
potentiæ ſunt imago Trinitatis adorandæ, vel
illius veſtigium, *Quoniam tres ſunt qui teſti-*
monium dant in cœlo, Pater, Verbum, &
Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt, ait
q 1. Joan. 5. 7. D. Joannes q. Et D. Auguſtinus r dicit, *Hæc*
r D. Aug. lib. 10. de Trinit. c. 11. *tria, memoria, intelligentia, voluntas, quo-*
niam non ſunt tres vitæ, ſed una vita; nec
tres mentes, ſed una mens, conſequenter uti-
que nec tres ſubſtantiæ ſunt, ſed una ſubſtan-
tia. Memoria quippe quod vita, & mens, &
ſubſtantia dicitur, ad ſeipſam dicitur. Quod
verò memoria dicitur, ad aliquid relativè di-
citur. Hoc de intelligentia quoque & de vo-
luntate dixerim. Et intelligentia quippe &
voluntas ad aliquid dicuntur. Vita eſt au-
tem unaquæque ad ſeipſam, & mens, & eſ-
ſentia. Quocircà tria hæc eo ſunt unum, quo
una vita, una mens, una eſſentia. Et quid-
quid aliud ad ſeipſa ſingula dicuntur, etiam ſi-
mul, non pluraliter, ſed ſingulariter dicun-
tur. Eo verò tria, quo ad ſe invicem refe-
runtur: quæ ſi æqualia non eſſent, non ſolùm
ſingula ſingulis, ſed etiam omnibus ſingula:
non utique ſe invicem caperent. Neque enim
tantùm à ſingulis ſingula, verùm etiam à ſin-
gulis omnia capiuntur. Memini enim me
habere memoriam, & intelligentiam, & vo-
luntatem: & intelligo me intelligere, & vel-
le, atque meminiſſe: & volo me velle, &
meminiſſe, & intelligere: totamque meam
memoriam, & intelligentiam, & volunta-
tem ſimul memini. Libertas noſtra figurat
ſcientiam ejus; extenſio noſtræ voluntatis o-
mnipotentiam illius; ratio noſtra ſapientiam
ipſius; & deliciæ, quibus perfruimur ex ſe-
rio receptu in noſmetipſos, ſunt imago uni-
tatis ſupremæ, quæ continet in ſe omnia bo-
na, & omnes felicitates imaginabiles. Sic o-
mnia objecta oculorum meorum, & mentis
meæ, mihi veſtigia ſunt aut imagines Dei, quò-
cumque meos intuitus convertam, intueor ubi-
que nutas potentiæ, ſapientiæ, bonitatis ejus, &c.
Res parœ oculares & univerſales, magnæ ſicut par-
væ, cœli & terra, aſtra & plantæ, tandem quid-
quid eſt intueri in univerſitate creaturarum, ſunt
voces quæ ubique propalant Divinitatem, ut er-
ga illam jugiter afficiantur corda noſtra recolen-
dam. Atqui ſi omnes creaturæ nobis hoc re-
præſentant modo ſummas perfectiones Eſſentiæ
Divinæ, quare noſtras non præbebimus attentio-
nes audiendis vocibus illarum? & cur noſtras
non convertemus cogitationes ad ſeriò perpen-
dendum id, quod ipſæ noſtris proponunt oculis,
circa quod ordinariè deberent occupari mentes
noſtræ? Sanè ſi hoc non agimus, ſaltem fateri
debemus nos inauditâ perfuſos eſſe caligine, &
prodigioſo ignorantiæ ſomno demerſos, eò quòd
præ noſtris oculis habentes tot effectus qui nobis
annunciant gloriam Dei, in iis cogitandis non
immoremur. Si verò, Auditores, ſic immodico
ducimur affectu erga res pulchras & delectabi-
les, ad illarum intuitum, tranſeat quòd ſatisfacia-
mus curioſitati noſtræ, &, ſi fieri poteſt, explea-
mus hunc appetitum inſatiabilem intuitu diver-
ſarum creaturarum, quibus Altiſſimus univerſum
decoravit orbem, ut nos elevaret hâc conſidera-
tione pulchritudinum illarum, ad contemplatio-
nem Magnitudinum & perfectionum ipſius:
propter hunc enim finem nobis tribuit oculos,
non autem ut profanemus illos aſpectibus im-
puris. Et ſi antiqui Philoſophi ſolo lumine na-
turali rationis illuſtrati, hoc ſplendore contem-
plationis creaturarum irradiati, ad aliquam per-
venerunt notitiam licèt obſcuram Creatoris, cùm
dixerunt, mundum nihil aliud eſſe niſi Deum ex-
plicatum, cùm illum vobis explicare conatus ſim
per crucem, & per creaturas, adverſaremur regu-
lis naturæ & rationis, ſi contenti eſſemus ſolâ
cognitione illius, niſi ex hâc cognitione tranſire-
mus ad dilectionem ejus. Diligamus illum er-
go in hoc mundo, ut cognoſcere, & dili-
gere poſſimus illum in æternum
in altero.

DO-

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, Matth. 8, 23. &c.

a Job. 7. 1.

APpoſitè locutus eſt Job a, cùm dixit, vitam noſtram eſſe bellum non intermiſſum, & nos tanquam milites præ manibus ſemper arma geſtare debere, *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Hoc autem bellum quod eſt nobis ſuſtinendum, eſt maximè ſitum in miſeriis, quæ excipientes nos quandiu prodimus in lucem, & circumcingentes cunabula noſtra, ſunt inſeparabiles à reſiduo vitæ noſtræ, quæ continuis impetitur viciſſitudinibus, & inter juges tranſigitur luctas ac tentationes, ut ait idem Job b, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Propterea D. Bonaventura c loquens de Eccleſia tentationibus impetitâ ſub figurâ naviculæ Apoſtolorum procellis perculſæ, ſic eloquitur, *Navicula eſt Eccleſia, quæ tempeſtatibus & fluctibus tribulationum frequenter quaſſatur. Conſiderandum, quòd quatuor genera hominum navibus utuntur: videlicet, piſcatores, bellatores, negotiatores, viatores. Sic eſt Eccleſia navis piſcatorum in prædicatione, navis bellatorum in tentatione, negotiatorum in operatione, viatorum in peregrinatione. Ideò Chriſtus meritò aſcendit in naviculam.* Quia ſub iſtis verbis præfatis continetur omne genus hominum, qui ordinariè tribulationibus impetuntur, quibuſque ipſe ſe pollicetur comitem adfuturum, ſi in ipſo collocent ſpes ſuas, ipſumque invocent, *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum* d. Sed videntes hodiernâ die *diſcipuli ejus*, quòd quandiu *& ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe dormiebat: acceſſerunt ad eum, & ſuſcitaverunt eum, dicentes, Domine, ſalva nos, perimus.* Sed cùm Apoſtoli periculis tentationum expoſiti recurrant ad orationem, illos imitari debemus: gratiſſima autem oratio, cui vacare poſſimus, eſt hæc, quam offerre debemus B. Virgini Deiparæ, dicentes ei, *Ave Maria.*

b Job 14. 1. & 2.

c D. Bon. ſerm. 2. Dom. 3. post Oct. Epip.

d Pſ. 90. 14. & 15.

e Jer. 12. 1

Mirari videtur Jeremias e, cur impiis omnia ſuccedant ad deſiderium, & omnia illorum conſilia proſperos ſortiantur effectus, *Quare via impiorum proſperatur: benè eſt omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt?* Sanè Divinam Propheta non vult accuſare Providentiam in diſtributione bonorum, quam ipſa peragit, aut in permiſſione malorum pœnæ, quæ ipſa ſinit nobis accidere, cùm ipſemet Propheta immediatè præmittat, Deum alloquens, *Juſtus quidem tu es, Domine, ſi diſputem tecum.* Sed ſcire debetis, hoc errore præcipuè fuiſſe deluſos Paganos, ut non crederent in Deo providentiam, nec ſcirent diſcernere & diſtinguere mala, quæ ſunt verè mala, à malis quæ non ſunt mala niſi apparenter. Iſtam non erant edocti Theologiam, à qua diſcimus, duo eſſe genera malorum, alia culpæ, alia verò pœnæ. Mala culpæ ſunt mala abſque ullâ reſtrictione, & licèt Deus illa permittat propter rationes ſoli ſuæ Divinæ notas Providentiæ, cujus arcana rimari non poſſumus abſque ſcelere, *Sic qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria* f: illa tamen mala nunquam facit: *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum* g. Mala pœnæ non vocantur propriè mala, cùm Deus illorum Author ſit, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* h? Deus enim illa mittit ad nos propter majus bonum, *Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. De bono natura vitiatum ipſe Deus benefacit reformando, aut puniendo vitiatum: ac per hoc ergo malum nec vitium erit, quia nihil eſt cùm evacuatur*, ait D. Auguſtinus i. Propterea Pſalmiſta k Deum alloquens, profert verbum, quòd edocet nos, quòd Providentia Dei æquè eſt adoranda in malis quæ nos impetunt, ac amabilis eſt in beneficiis, quibus nos cumulat, cùm æqualiter influat in illa, ac in iſta, *Omnia in ſapientia feciſti.* Ratio iſtius eſt, quia ſapientia Dei comitatur omnium ipſius, cùm mittit ad nos mala, & illa ad fines ordinat excellentes, cùm eorundem malorum ſit principium. Sed cùm dico quòd Sapientia Dei ſit principium malorum, illud intelligo modo præfato: nec enim loquor de malo culpæ, quia nolo cadere in præcipitium, in quod lapſus eſt Calvinus cum ſectatoribus ſuis, dicendo, quòd Deus ſit author & cauſa peccati. Peccatum eſt inordinatio voluntatis, quæ non poteſt inveniri in Deo, qui eſt regula infallibilis boni, juſtitiæ, & veritatis, cùm ſit ipſamet Veritas per eſſentiam, *Ego ſum Veritas* l. Præterea, ut ait Theologia, *Peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam.* Juxta id, quod ait Jeremias 10, *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſa? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Sed dici non poteſt, quòd Deus ſit à ſe averſus, ſibique inimicus, ac malus, cùm dicat Eccleſiaſticus n, *Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit?* Quânam enim ratione ſuis eſſet bonus creaturis, ſi ſibi malus eſſet? Inſuper, Peccatum committitur adverſando voluntatibus ſuperioris legitimi: Deus autem ſupremum poſſidet totius orbis dominium, nec ullam agnoſcit poteſtatem authoritate ſuâ ſuperiorem, ſicut illi *Mardocheus dixit, Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita: & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus*

f Prov. 25. 27.

g Habac. 1. 13.

h Amos. 3. 6.

i D. Aug. in Ench. c. 11.

k Pſ. 103. 24.

l Joan. 14. 6.

m Jer. 8. 5. & 6.

n Eccl. 14. 5.

omnium

omnium es, nec eſt qui reſiſtat majeſtati tuæ o.
o Eſth. 13, 8. &c.
Deus igitur non poteſt eſſe cauſa malorum noſtrorum culpæ, ſed ſolum eſt principium malorum noſtrorum pœnæ, quibus juſtitia ipſius exacerbata punit crimina noſtra, aut noſtras examinat patientias. *Ego Dominus creans malum,* ait ipſe per Iſaiam p. Super quem Cornelius q dicit, *Malum eſt rerum turbatio, inopia, peſtis, fames, bellum ſervitus, captivitas, & quidquid hominem affligit, & miſerum facit. Deus ergo hoc malum pœnæ creat, non autem malum culpæ.* Sic eſt, Auditores: nullas videmus hodie procellas ſuper mari, nec ulla interdum naufragia ſuper hoc elemento implacabili, nulla latrocinia in ſylvis, nulla fulmina ſuper terra, nullas ſeditiones in civitatibus, nullas profanationes in templis ſacris, nullas mortes propinquorum, aut amicorum noſtrorum, nec alia ſimilia infortunia, quibus affligimur, quin hæc omnia ſint opera ſapientiæ Dei, quæ comitatur manum ipſius: non enim cæco nos percutit impetu, malum non permittit ſine ratione, ſceptra non infringit, nec diademata evertit, nec ſpoliat nos iis quæ nobis ſatisfaciunt, niſi conſilio æterno, quod ſupponit diſcretionem: nos autem adoraremus modum procedendi illius, nedum de eo quereremur, ſi cognoſceremus *incomprehenſibilia judicia ejus r.*
p Iſai. 45, 6 & 7.
q Cornel. in Iſai. 45, 7.
r Rom. 11, 33.

Non ſolùm Filius Dei, qui vocatus *eſt fabri filius s*, formam noſtris tribuit crucibus ſapientiâ ſuâ, ſed etiam illas ordinat ad fines excellentes eâdem ſapientiâ ſuâ, *Quæ ſunt, à Deo ordinata ſunt*, ait Apoſtolus t. Et Philoſophus dicit, *Sapientis eſt ordinare.*. Deus eſt hoc in occurſu ſimilis architecto. Advertiſtis aliquando quomodo circa fabricam magnifici alicujus ædificii laborent multi operarii mechanici, alii præcidendo & quadrando lapides, alii findendo ligna longitudinis, alii congregando lapides, cæmenta, ligna, & cætera, alii verò eadem miniſtrando & porrigendo fabris cæmentariis & lignariis, ita ut unuſquiſque ſuis perfungatur muniis; architectus verò ordinet laborem omnium iſtorum operariorum ad perfectionem operis, cujus ipſe in mente ſuâ concepit ideam, ſecundùm quam dirigit id omne quod peragitur: ita ut videatur hic ſapiens opifex eſſe otioſus, minimè omnium operari, & totum ipſius exercitium ſitum eſſe duntaxat in aſpiciendis operariis: intereà ipſe tantum agit, quantum omnes ſimul: dirigit enim ad eundem finem omnes actiones ſingulorum operariorum circa differentia occupatorum, & habet pro fine totū, cujus alii non cognoſcunt niſi partes, quæ debent illud componere: Deus eodem ſe modo gerit ac iſte ſapiens architectus; innectit contrarietates quæ nobis adverſantur inter creaturas ſuas, illas oppoſitiones ordinat ſapientiâ ſuâ ad fines ſublimes: ego autem tres educo ex Evangelio noſtro, in quo navis Apoſtolorum tempeſtate & procellis concutitur. Primus finis eſt, quòd Deus in afflictionibus noſtris vult nos probare. Secundus eſt, quòd ſibi vult nos acquirere per eas. Tertius eſt, quòd illarum interventu nobis tribuere vult victoriam ſuper inimicos noſtros. Tres iſti fines excellentes triplicem conſtituent diſcurſus iſtius partem.
s Matth. 13, 55.
t Rom. 13, 1.
Diviſio.

Etiamſi Dei *judicia abyſſus multa u ſint*, & illorum notitia nos lateat: *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit x?* Satis ampla tamen habemus Providentiæ ejus teſtimonia, ut credamus illum univerſa agere appoſitiſſimè, *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter y.* Et bonitatis ejus, ut certi ſimus, illū non quærere malū noſtrū: Deus nimis diligit nos, nedum ſibi complaceat in ruina creaturarū ſuarum, quas emit *pretio magno z. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum a.* Pignora habemus nimis certa benevolentiæ ejus erga nos, nedū interpretemur miſerias noſtras ut effectus odii ejus: non intēdit nos obruere ſub pedibus crucis: quicumque hoc præſumeret aſſerere; adverſaretur doctrinæ D. Pauli dicentis: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui b.* Inſurgeret in Apoſtolos, *Et illi quidē ibāt gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliā pati c.* Et omnibus injuriā faceret Martyribus, qui *ludibria & verbera experti inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti d.* Deus igitur mortificando nos, & efficiēdo nos Filio ſuo conformes: *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exēplum, ut ſequamini veſtigia ejus,* ait nobis D. Petrus e: habet aliud conſilium, id eſt, probandi nos, & cognoſcendi quales ſimus, *Et hi omnes teſtimonio fidei probati f.* Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus g, *Id eſt, actione procedente ex fide, vel paſſione propter fidem ſuſceptâ, dante teſtimoniū eis quod verè fideles fuerunt, probati, id eſt, divinitùs approbati, commendabileſque effecti.*
I. Pars.
u Pſ. 35, 7.
x Rom. 11, 34. ex Iſa. 40, 13.
y Sap. 8, 1.
z 1. Cor. 6, 20.
a Sap. 1, 13.
b Rom. 8, 29.
c Act. 5, 41.
d Hebr. 11, 36 &c.
e 1. Petr. 2, 21.
f Hebr. 11, 39.
g Dion. Carth. art. 11 in Hebr. 11, 39.

Veritatis iſtius figuram præ noſtræ mentis oculis ponit Scriptura h, *Senuit Iſaac, & caligaverūt oculi ejus, & videre non poterat, vocavitque Eſau filiū ſuum majorē, & dixit ei: Fili mi, vides quòd ſenuerim, & ignorem diē mortis meæ. Sume arma tua, pharetrā & arcū, & egredere foras. Cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentū, ſicut velle me noſti, & affer ut comedā: & benedicat tibi anima mea antequàm moriar. Quod cùm audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrū, ut juſſionē patris impleret, dixit filio ſuo Jacob: Audivi patrē tuū loquentē cum Eſau fratre tuo, & dicentē ei: Affer mihi de venatione tuâ, & fac cibos ut comedam, & benedicā tibi corā Domino antequàm moriar. Nunc ergo, fili mi, acquieſce conſiliis meis, & pergens ad gregē affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libēter veſcitur: quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priuſquam moriatur. Abiit, & attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, ſicut velle noverat patrē illius. Et veſtibus Eſau valdè bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum: pelliculaſque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentū, & panes quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille reſpondit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitque Jacob: Ego ſum primogenitus tuus Eſau: feci ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione mea ut benedicat mihi anima tua. Dixitque Iſaac: Accede ad me, ut tangā te, fili mi, & probem utrùm tu ſis filius meus Eſau, an non.* Eodē modo ſe gerit Deus ad probandos homines, quinam ſint fideles, quinā ipſum verè diligant, & ſint de numero filiorum ſuorum: tangit illos aliquâ adverſitate. Hoc modo excepit Abrahamum i, Eliam k, & omnes alios Sanctos Legis veteris, æquè ac novæ l. Propterea Archangelus Raphaël dicebat Tobiæ; *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te m.* Et, ut ait D. Jacobus n, *Beatus vir, qui ſuffert*
h Gen. 27, 1. &c.
i Gen. 22, 1. &c.
k 3. Reg. 19. &c.
l Hebr. 11, 1. &c.
m Tob. 12, 13.
n Jac. 1, 12.

tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Ut autem nobis proſint infortunia vitæ, audiendus eſt Eccleſiaſticus o, *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Et auſcultandus eſt Job p, dicens, *Manus Domini tetigit me.* Quaſi moneat nos, quòd non debemus intueri mala, quæ nos impetunt, in ipſis, nec ut venientia è creaturis, ſed ut procedentia originaliter è manu Dei, qui ritè ſibi complacet in examinanda patientia ſervorum ſuorum. Sic in adverſitatibus noſtris dicere debemus ſinguli, *Manus Domini tetigit me.* Si creaturæ concurrant ad perſecutiones meas, illæ non ſunt niſi earum cauſæ inſtrumentales, & non cauſa principalis: ipſæ quippe ſerviunt Deo ad exequendos ordines ſuæ providentiæ.

o Eccl. 2. 1.
p Job. 19. 21.

Sed dicetis mihi, Deus cui nihil eſt abſconditum; *Vivus eſt enim Sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* q: quique videt effectus antequàm cauſæ illos oculis noſtris exhibeant intuendos, non indiget talibus probationibus ad nos cognoſcendos. Nemo eſt qui de hoc ambigat. Sed ſaltem Deus, qui non vult ut merita ſervorum ſuorum ſemper lateant, vult illa manifeſtare oculis hominum exteriùs, ut illa ſibi nota ſunt interiùs. Præterea, Vult Deus, ut probationibus iſtis diſcernere diſcamus bonus à puſillanimis. Iſta duo operatur tactus Dei: Intuendam exhibet ſicut ſuper honorabili theatro virtutem hominis juſti, qui torpebat quaſi ſepult⁹ defectu materiæ, quæ illum manifeſtaret: ſic virtus ejus erat quaſi theſaurus abſconditus, qui nunquam prodiiſſet in lucem, niſi objecta tribulationis foras exeundi præbuiſſent ipſi occaſionem. Re autem verâ induſtria ſapientis & periti Naoclen non manifeſtatur niſi medias inter tempeſtates & irati maris ſævientes procellas, non autem in tranquillitate ejuſdem maris. Miles ſuam non manifeſtat magnanimitatem, niſi inter periculoſas certaminum aggreſſiones, non autem in pace: Cithara nullam reddit harmoniam, niſi cùm pulſatur in fidibus ſuis, non autem cùm incluſa eſt in theca: Idem dicendum eſt de conſtantia hominis Chriſtiani, quæ nunquam ſplendet niſi inter adverſitates & anguſtias. Thus nullum exhalat odorem, niſi projectum in ignem: nec unquam virtus emicat, niſi quando contradictiones ſuſtinet, ac oppoſitiones.

q Hebr. 4. 12. & 13.

Recenſent Naturales inveniri in Æthiopiâ quendam lapidem, qui diu apparet totus candidus, noctu verò emittit ſplendorem inſtar coloris ignei: huic lapidi comparari poteſt ſerenitas animæ virtuoſæ hominis juſti: per diem claram proſperitatum hujus mundi apparet ipſa languens & pallida; ſed nocte adverſitatum ſuperveniente ipſa ſtatim incipit emicare, & emittere ſplendorem ſuum inter animas populares, ſicut ignis lucidus inter tenebras. *Vir erat in terra Hus nomine Job: & erat vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Natique ſunt ei ſeptem filij & tres filiæ. Et fuit poſſeſſio ejus ſeptem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingenta aſinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales* r. Ecce virtus Job pallens & languens medias inter claritates proſperitatis. *Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce, in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerva. Egreſſus igitur Satan a facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, a planta pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Dixit autem illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua: benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam, Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus? In omnibus his non peccavit Job labijs ſuis* s. Ecce virtus Job emicans medias inter adverſitatum tenebras. Præterea, Vult Deus probationibus ſuis oſtendere differentiam virtuoſorum à flagitioſis, qui præ gaudio ſuſcipere nolunt ictus cœli, eoſque repellunt præ impatientiâ. Non me latet, quòd Deus mala pœnæ communia reddiderit malis hominibus, æquè ac bonis, non ſolùm, ut boni non deſiderarent nimis ardenter bona, quorum fruitio eſt ipſis communis cum malis, nec mali nimio timore fugerent mala, quibus impetuntur perſæpè Juſti; ſed etiam ut, quemadmodum diſtinguuntur Boni per bonum uſum quem faciunt bonorum; ſic etiam diſcerni poſſent per patientiam, quam exercent in tolerandis malis: quia ſi mali ſunt inſtar illarum arborum, quæ propter minimum ventum, aut ob gelu mediocre ceſtituuntur floribus, & fructibus ſuis; Boni vice verſâ ſunt arbores meliùs reſiſtentes, nec ſuos permittunt arere aut decidere flores, nec fructus ſuos ſinunt depravari, ſed illos invitis tempeſtatibus injurioſis ad perfectam uſque perducunt maturitatem, quia perſeverantiâ vigent. Tandem, Concludamus cum Eccleſiaſtico t, *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.* Poſt quem liceat mihi adhuc dicere, Sicut torcular exprimit vinum, ſic anguſtia eſt examinatio quæ oſtendit quinam ſint veri filii Dei.

r Job 1. 2. &c.
s Job 2. 6 &c.
t Eccl. 27 6.

Non eſt Deus more hominum, qui ſibi volunt acquirere creaturas blanditiis: acquirit enim ſibi Sanctos interventu crucis, & objectorum, quæ elongant ab ipſo ſapientes mundi. Lege Exodi u ferebatur, *Si emeris ſervū Hebræum ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis. Quòd ſi dixerit ſervus, Diligo Dominū meū, non egrediar liber: dominus perforabit aurem ejus ſubulâ, & erit ei ſervus in ſeculum.* Hæc autem ſervitus ſignificata per auris perforationem, licèt foret perpetua, erat eò minùs probroſa, quò erat voluntaria. Deus ab iſto non recedit procedēdi modo, quia quando vult alligare homines obſequio ſuo, ita ut non poſſint ampliùs ſe retractare, nec ſuam reſumere libertatem, duobus utitur modis, cruce, & votis. Et de his loquitur D. Bonaventura x, *Quot ſunt ſtatus bonorum in Eccleſia militantium, tot ſunt naves bellicæ Chriſti. Status ergo conjugalis vidualis virginalis naves ſunt. Item, Ordo Franciſci, Benedicti, Dominici, & alij: in quibus contra diabolum, mundum, & carnem, & vitia bellandum eſt.* Utitur ergo cruce quantùm ad homines ſeculares: votis y verò quoad homines Regulares: & omnes ſuis inſignit characteribus, ut ſciant, quòd ad ipſum pertineant. Propterea D. Paulus z dicebat, *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. Stigmata enim,* ſubdit D. Thomas a, *propriè ſunt quædam notæ impreſſæ alicui cum ferro candenti, ſicut cùm ſervus ab aliquo domino ſignatur*

II. Pars.
u Exod. 21. 2. &c.
x D. Bon. ſerm. 2. Dom. 3 poſt Oct. Epiph.
y Matth. 19. 27. &c.
z Gal. 6. 17.
a D. Th. lect. 3 in Gal. 6 17

in

in ſæcio, ut amplius eum vendicet, ſed quietè dimittat Domino ſuo. Hoc etiam modo Apoſtolus dicit, ſe ſtigmata Domini portare, quaſi inſignitus ſit ut ſervus Chriſti. Et hoc quia portabat inſignia paſſionis Chriſti, patiens pro eo multas tribulationes in corpore ſuo. Quaſi diceret D. Paulus, Mea non exigant impoſterùm Reges aut Magnates obſequia, ſed unuſquiſque liberè me ſinat invigilare manifeſtationi gloriæ Domini mei, cujus charactêres corpori meo impreſſos defero, cùm dignatus fuerit, deſtinans me ad portandum ipſius *nomen coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael* b, notare omnia membra mea ſtigmatibus ſuis, & imprimere carni meæ glorioſos paſſionis ſuæ charactêres: ita ut dicere poſſit mihi, Paule tu meus es, nec ullum mundus jus habet ſuper te, quia obſignavi te ſigillo meo, & ſtigmatibus meis inter *perſecutiones* c, injurias, conſpirationes, incarcerationes, naufragia, catenas, & flagella d. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt, Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis* e. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro* f.

b Act. 9. 15.
c 2. Tim. 3. 11.
d 2. Cor. 11. 23. &c.
e Pſ. 43. 22.
f Rom. 8. 35. &c.

Admiramini mecum, ſi placet, induſtriam, quâ Patriarcha Joſeph uſus eſt aliàs ad retinendû penes ſe fratrem ſuum Benjamin. Scitis, ut opinor, quòd *Iſrael diligebat Joſeph ſuper omnes filios. Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plùs cunctis filiis amaretur, oderant eum. Invidebant ei igitur fratres ſui. Et vendiderunt eum Iſmahelitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum* g. *Igitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus ſui, vir Ægyptius, de manu Iſmahelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſperè agens. Invenitque Joſeph gratiam coram Domino ſuo, & miniſtrabat ei* h. *Dixitque Pharao ad Joſeph: Ecce, conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti. Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Venitque fertilitas ſeptem annorũ: & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Ægypti. Igitur tranſactis ſeptem ubertatis annis qui fuerant in Ægypto, cœperunt venire ſeptem anni inopiæ, quos prædixerat Joſeph: & in univerſo orbe fames prævaluit. Aperuitque Joſeph univerſa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppreſſerat fames. Omneſque Provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent* i. *Audiens autem Jacob, quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis ſuis: Deſcendite, & emite nobis neceſſaria, ut poſſimus vivere, & non conſumamur inopiâ. Deſcendentes igitur fratres Joſeph decem, ut emerent frumenta in Ægypto, Benjamin domi retento à Jacob ingreſſi ſunt terram Ægypti. Et Joſeph erat Princeps Ægypti. Cùmque adoraſſent eum fratres ſui, & agnoviſſet eos, quaſi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos. Et tamen fratres ipſe cognoſcens non eſt cognitus ab eis. Duodecim, inquiunt, ſervi tui, fratres ſumus, filii viri unius in terra Chanaan: minimus cum patre noſtro eſt, alius non eſt ſuper. Joſeph juſſit miniſtris ut implerent eorum ſacros ſaccos tritico* k. *Conſumptiſque cibis quos ex Ægypto detulerant, tulerunt & Benjamin: deſcenderuntque in Ægyptũ, & ſteterunt corã Joſeph* l. *Præcepit autem Joſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Imple ſaccos eorũ frumento, quantum poſſunt capere: & pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci. Scyphum autẽ meũ argenteũ, & pretiũ quod dedit tritici, pone in ore ſacci junioris. Factùmque eſt ita. Et orto manè dimiſſi ſunt cum aſinis ſuis. Jamque urbẽ exierãt, & proceſſerãt paululum. Tunc Joſeph accerſito diſpenſatore domus, Surge, inquit, & perſequere viros, & apprehẽſis dicito: Quare reddidiſtis malũ pro bono: Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus: peſſimam rem feciſtis. Fecit ille ut juſſerat. Et apprehenſis per ordinẽ locutus eſt. Qui reſponderunt: Apud quemcumque fuerit inventum ſervorũ tuorum quod quæris, moriatur, & nos erimus ſervi domini noſtri. Qui dixit eis, Fiat juxta veſtram ſententiã: apud quemcumque fuerit inventum, ipſe ſit ſervus meus. Itaque feſtinatò deponẽtes in terra ſaccos, aperuerunt ſinguli, quos ſcrutatus, incipiens à majore uſque ad minimum, invenit ſcyphum in ſacco Benjamin. Reſpondítque Joſeph, Qui furatus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſervus meus* m. En igitur Benjamin ſervus effectus Joſephi, quia habebat ſcyphũ. Audiſtis hiſtoriã, auſcultate illius applicationẽ. Dei Filius habet ſcyphum, in quo ipſe bibit, *Calicẽ, quẽ dedit mihi Pater* n, inquit ipſe. Scyphus iſte non eſt alius niſi calix paſſionis ipſius: ipſe vult ut illi qui acceperint hunc ſcyphũ, id eſt, qui biberint in calice Paſſionis ipſius, amaritudinem, fel, & aquam doloris, ſint ſervi ſui, & propè ipſum maneant, illos conſiderat ut domeſticos ſuos, illos protegit adversùs inimicos ipſorum, eoſque ſibi appropriat ut hæreditatem ſuam, *Hæreditas mea Iſrael* o. Macti animo, vos qui eſtis afflicti, *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* p, ait vobis Salvator. Quaſi diceret, Mundus perſequitur vos, quia nihil habet ampliùs ſperandum à vobis, eò quòd in Divinam meam poteſtatem tranſiiſtis, & deditionem meam ſubiiſtis: & ideò, quoniam liberati eſtis à ſervitute ejus, *quâ libertate* q ego vos liberavi, ruinam veſtram machinatur; & conatur humiliare vos ad hoc, ut unuſquiſque vos abhorreat, quandoquidem ipſum contemnitis, ut amplectamini crucem meam.

g Gen. 37. 3. &c.
h Gen. 39. 1. &c.
i Gen. 41. 41. &c.
k Gen. 42. 1. &c.
l Gen. 43. 2. &c.
m Gen. 44. 1. &c.
n Jo. 18. 11.
o Iſai. 19. 25.
p Jo. 15. 19.
q Gal. 4. 31.

Sed quàm dilucidè demonſtrat Pſalmiſta r, quòd Deus utatur tribulatione ad alligandos Juſtos obſequio ſuo, cùm ait ei, *Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras: ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor.* Super quod dicit Lorinus s, *Cajetanus interpretatur hoc loco videri à Deo laborem humilium, & reſpici indignationem impiorũ adversùs illos.* Et D. Bernardus t ait ſuper præfata verba ejuſdem Pſalmiſtæ ſic Deo loquentis, *Quoniam tu laborem & dolorem conſideras. Labor in actionibus, dolor in paſſionibus eſt. Proindeque ſe noverat hominem, ad utrumque paratus ſupplici confeſſione dicebat: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* u. *Et geminam hanc præparationem evidentiùs exprimens: de actione quidem, Paratus ſum (ait) & non ſum turbatus: ut cuſtodiam mandata tua* x. *De paſſione verò, Ego, inquit, in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſem-*

r Pſ. 9. 35.
s Lorin. in Pſ. 9. 35.
t D. Bern. ſerm. de Obedier. Patient. & Sapiẽt.
u Pſ. 56. 8.
x Pſ. 118. 60.

per

per y. Propterea *Jeſus dixit, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* z. Cùm infirmitate laboramus, *Dominus ſupponit manum ſuam* a. Cùm detractor vult noſtram denigrare famam, & delere nos ex hominum memoriâ, Deus *in manibus* b ſuis deſcriptos nos defert: & inde maxima nobis oritur felicitas, cùm ibi ſimus tanquam in loco aſyli, *Et non eſt, qui de manu eruat* c nos illius, qui ſic vult ſibi nos acquirere, nobiſque tribuere occaſionem triumphandi de inimicis noſtris.

y Pſ. 32. 18
z Matth. 11. 25. & 28.
a Pſ. 16. 24.
b Iſai. 49 16.
c Iſai. 43. 13.

III. Pars.

Dicebat aliàs Filius Dei, *Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* d. *Id eſt, à cordibus hominum expelletur, quia in toto mundo innumerabiles qui ſervierunt peccatis, idolis, ſive dæmonibus, convertentur ad me, & fient templum Spiritus ſancti in quibus paulò antè habitavit diabolus* e. Quaſi diceret, Principem hujus mundi, id eſt, diabolum, in ſtatu mortis ſuæ, virtute Crucis ſuæ deſtruendum, eò quòd ipſe per ſuam paſſionem indicturus eſſet ei bellum, & triumphaturus de omnibus viribus illius. Propterea D. Paulus f ait: *Delens quod adversùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Et D. Thomas g: *Conſuetudo enim erat, quòd ſolvens omnia, ad quæ quis tenebatur, ſcindebatur chirographum. Homo autem erat in peccato, ſed Chriſtus ſolvit pro nobis patiendo: Quæ non rapui, tunc exolvebam* h. *Et ideò ſimul cum morte Chriſti, hoc chirographum eſt deſtructum, & ideo dicit, Tulit de medio, id eſt, ſuſtulit de rerum natura, & hoc affigens illud cruci, per quam ſatisfaciens Deo, tulit peccatum noſtrum.* Atqui dicamus, ſi placet, quòd Deus ordinat tribulationes hominum ad eundem finem, ad quem ſuas, *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* i. Ut membra habeant convenientiam cum Capite ſuo, *Quia membra ſumus corporis ejus* k. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* l. Et ideò nos alligando cruci, non aliud intendit niſi providere nobis medium referendæ de inimico generis humani victoriæ opportunũ. Propterea dicit Origenes m appoſitè ad rem noſtram, *Crux Domini noſtri Jeſu gemina fuit; hoc eſt, geminâ ratione conſtat & duplici. Quia viſibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus eſt: inviſibiliter verò in eâ cruce diabolus cum Principatibus ſuis, & Poteſtatibus affixus eſt cruci.* Non igitur immeritò vocat Origenes crucem geminum lignum, quia cùm uni parti illius affixi ſumus, Deus parti ejus alteri dæmonem alligat; in illâ ſimus triumphantes, æquè ac victores, ſi volumus, & diabolus ibi eſt victus, & vinculis conſtrictus poſt currum triumphi noſtri. Ideò dicebat Apoſtolus n, *Libẽter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virt⁹ Chriſti.* Quaſi diceret, Quia Redẽptor meus communicat mihi virtutẽ ſuam ad deſtruendã fortitudinẽ Tyrannorũ, ut dicere videtur D. Thomas o, mentẽ illius explicans, *Ut ſcilicet, per infirmitates inhabitet & conſummetur in me gratia Chriſti, qui dat laſſo virtutem* p, &c. Et cùm mihi maximè videor infirmari, tunc tantis polleo viribus, ut de dæmone triumphem per virtutem Jeſu Chriſti cruci ſuffixi: *Cùm enim infirmor, tunc potens ſum* q. *In prædictis ergo placeo mihi,* concludit pro D. Paulo Dionyſius Carthuſianus r, & ſubdit cum eo. *Cùm enim infirmor, id eſt, affligor, vel corpore langueo, tunc potens ſum in anima, per gratiam ferendo adverſa.*

d Jo. 12, 31.
e Dion. Carth. art. 31. in Jo. 12. 31.
f Coloſſ. 2. 14. & 15.
g D. Th Lect. 3 in Coloſſ. 2 14
h Pſ. 63 5
i 1. Petr. 2 21.
k Epheſ. 5 30.
l Coloſſ. 1 18.
m Orig hom. 8. in Joſue. c. 8.
n 2. Cor. 12. 9.
o D. Th. lect. 3 in 2. Cor. 12 9.
p Iſai. 40 29.
q 2. Cor. 12. 10.
r Dion. Carth. art. 12. in 2. Cor. 12 10.

Obſecro itaque vos, Fratres, per miſericordiam Dei s, ne ſimiles ſitis iis hominibus, qui vivũt ſecundùm regulas & maximas mundi contrarias innocentiæ, de quibus ſic loquitur Apoſtolus h, *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: quorũ finis, interitus: quorũ Deus, vẽter eſt: & gloria in confuſione ipſorũ, qui terrena ſapiunt.* Cùm enim Deus plantat crucẽ ſuã apud illos, & ſummâ ſapientiâ ſuâ, quâ *omnia in mẽſura, & numero, & pōdere* i diſponit, permittit ut illis accidat aliquod infortuniũ; omnes ſuas inſumunt vires, & univerſos ſuos adhibent conatus ut ab illo ſe eximant, nec illã intuentur crucẽ, aut tribulationẽ, niſi ut maximã infelicitatẽ, contra quam armãt ſe quàm poſſunt citiſſimè, & conantur ei remedium afferre interventu alicujus objecti delectabilis, quod avertat ipſorum mentes & cogitationes à tribulatione, quâ ſunt impetiti, vel quam metuunt ingruentem. Sed hallucinantur ipſi turpiter, & paululùm ſuam duntaxat decipiunt triſtitiam, ſuumque fallũt tædium; ſuum fovent dolorem, nedum illum prorſus ceſſare faciant: & ſicut ad evitandum unum incommodum, aliud ſibi procurant, ita & moleſtiæ ſuæ nonniſi brevem afferunt intermiſſionem. Heu! Domine, ad mitigandam triſtitiam, quâ laboras, deambulabis in horto aliquo ritè ordinato, & omni genere florum ſpecioſorum ornato, alicui intereris convivio, in quo lautiſſima apponentur tibi fercula, tibique vina miniſtrabuntur exquiſitiſſima; & concentum audies muſicum, qui tuas demulcebit aures: Heu! perpetieris malum, cujus renovatio & idea erit eò moleſtior, quò oblectamentum tuum ibi fuerit gratius: exiguas pangis inducias cum inimico præparante ſe ad indicendum tibi citò crudelius bellum; ſorbes potionem, quæ exacerbabit malum tuum, nec illud ſuperabit, tantum adeſt ut illud ſanet: & ſanè riſu dignus es, qui ſumere non vis remedium patientiæ, quod tibi eſſet opportunum.

s Rom. 12. 1.
h Phil. 3. 18. & 19.
i Sap. 11. 21.

Alii imaginantur, quòd fuga & receſſus ab objecto doloris, eſt remedium ſanando eidem peraccommodum. Heu! infelices illi amittunt præſentiam crucis, ſed non perdunt illius poſſeſſionem, & uſum: inde læditur ipſorum imaginatio: quod enim cauſãt ipſis amaritudinem, hoc idem eſt aliis dulcedinem mutando locum, non mutant propterea naturam; dolor qui ipſorum invaſit animas, comitatur ipſos quoquò divertant, eodem prorſus modo, quo febris non deſerit infirmum, quantùmvis ex uno cubili tranſeat ad aliud; & cervus vitam ſuam non ſalvam facit fugâ, cum ſecum deferet jaculum, quo eſt intimè confoſſus. Dicamus, quòd illi qui fugiunt crucem, non ſunt propterea minùs miſeri, recedendo ab objecto appetituum ſuorum, cùm pœnæ ipſorum oriantur ex ipſorum paſſionibus immoderatis, quæ ipſos interturbant diverſimodè pluribus affectibus, qui ipſos angunt, modò ſævitiâ mali, modò deſperatione: malum ſuum ſanare poſſent, ſi fugere valerent à ſemetipſis, & non à tribolatione, quæ ipſis afferret, ſi vellent, tantam requiem, quantas ipſi ſibi procurant inquietudines.

Tan-

Tandem, Alii autumant quòd communicatio cum amicis ſuis, quibus ſuas enarrant moleſtias, aliquod afferre poteſt ſolamen miſeriis ipſorum: ſed iſtæ querelæ, æquè ac enarrationes iſtæ non faciunt inimicos ipſorum hujuſmodi verbis enarratoriis evaneſcere. Non eſt afflictio ſimilis oneri, quod diſtributum multis, eſt portatu facilius illi qui ipſum deferebat integrum: Cura mentis non eſt minùs gravis ei, qui ipsâ ſe vult exonerare, eò quòd multis ipſam communicaverit hominibus; nec ille ſuoa reddit amicos participes oneris ſui, ſed peritos duntaxat notitiæ mali ſui: Homo qui peſte laborat, à ſuo propterea non ſublevatur morbo lethifero, nec minùs infirmus eſt, eò quòd eadem ſua infirmitate peſtifera alios infecerit: Alius qui immergitur aquis, non eſt melioris conditionis, etiamſi in profundum aquarum trahat eos, qui ipſi volunt auxiliari. Sed dicetis mihi, Amicus vices obit Medici ergà afflictos: poteſt igitur illos ſanare. Reſpondeo, quòd præſentia Medici non ſanat infirmum, niſi decernat ei remedium morbo ipſius curando accommodum; homines autem qui vivunt ſecundùm maximas mundi, nolunt experiri remedia, quæ recta ratio, aut virtus ipſis ſuggereret. *Animalis autem homo non percipit*

k 1 Cor. 2. 14.

ea, quæ ſunt Spiritus Dei k. Id eſt, ſpiritualia bona. Sermo enim juſtitiæ, myſticus intellectus, cætera quoque Divina ei non ſapiunt, nec delectatur in eis, propter ſui interioris guſtus infectionem, ſicut febricitans non guſtat mellis dulcedinem propter exterioris ſui guſtus corruptionem. Imò etiam quàmvis ſit homo in gratia, tamen ſi nondum profecit in bonis, ſed adhuc partim inclinatur ad iſta terrena, non ſapit quæ Dei ſunt, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *l*. Sed, dicens etiam, Amicus, eſt comes itineris, qui demulcet laborem, & decipit laſſitudinem illius qui viam peragit. Tranſeat, ſed iſte ſocius non abbreviat longitudinem itineris: ſic amicus aliquem poteſt quidem modum imponere acerbitati mali, ſed illud non aufert, è contrà illud renovat, quod facilè poſſet expungi oblivione. Hinc videtis, quàm differentes præ ſe ferat effectus tribulatio, propter inæquales, quæ inveniuntur in hominibus, diſpoſitiones; & quòd, ſi affligat minùs virtuoſos, æquè ac flagitioſus, ipſæ conſoletur generoſos & magnanimos: cùm igitur vehemens eſt tribulatio quæ nos impetit, ne laxemus habenas paſſionibus noſtris, quæ nobis malum majus irrogarent quàm ipſa crux, pacem tribuamus animæ noſtræ, inveniamus quietem noſtram, non excitemus malum noſtrum, ſed hauriamus ab illo ſuaviſſima noſtra commoda, proficiamus ex eo, nedum quæramus ab illo liberari. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur m.* Quia tribulationes ſunt notæ prædeſtinationis noſtræ ad gloriam.

l Dion. Carth. art. 2. in 1 Cor. 2. 14.

m Rom. 8. 17.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ.

Ecce gloria Domini apparuit in nube. Exod. 16. 10.

IN admirationem fuerunt aliàs rapti Iſraelitæ, & facto terrore æquè ac ſtupore immodico perciti, cùm viderunt gloriam Domini inveſtitam nube, in qua nimirum ſumma Dei Majeſtas ſe exhibebat ipſis intuendam in medio caſtrorum ipſorum more ſplendoris mirabiliter emicantis, *Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Et, ut ait Cornelius *a*, *Gloria hæc*

a Cornel. in Exod. 16. 10.

Domini erat ſplendor & auguſtum radianſque jubar, quo ſe quaſi ſpectandam per Angelum exhibebat Majeſtas Divina: ſplendor hic erat in nube, id eſt, in columna nubis, quæ in medio caſtrorum quieſcebat, ſed juſta ex cauſa ſubinde motitabat ſe Angelo impellente. Iſaias *b* Propheta medias inter

b Iſai. 19. 1.

revelationes & ecſtaſes ſuas non minori ſtupore correptus eſt, prævidens Dominum aſcenſurum ſuper nubem levem, *Ecce, Dominus aſcendet ſuper nubem levem.* Intelligere poſſem per iſtam nubem levem, corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ingreditur hodie templum Jeroſolymitanum, ut offeratur ſuo Patri æterno, ſecundùm Legem Numerorum *c* præcipientem,

c Num. 18. 15.

Quidquid primum erumpit è vulva cunctæ carnis, Domino offerendum, & juxta quod recenſet Evangelium *d* hodiernum de

d Luc. 2. 22.

Parentibus ejuſdem Jeſu, *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino*: nedum hujuſmodi corpus ipſius ſit aliquo pondere peccati gravatum, ſicut exponit Pintus *e*, *Per nubem*

e Pintus in Jſai. 19. 1.

levem, Chriſti corpus ſacratiſſimum ſine ullo peccatorum pondere interpretatur. Sed explicare malo nubem iſtam levem in gratiam B. Virginis cum D. Ambroſio *f* mentem Prophetæ

f D. Amb in Exhort. ad Virg.

ſic exponente *Nubem Mariam dixit, quia carnem gerebat: levem, quia Virgo erat nullis oneribus gravata conjugii.* Cujus interpretationem appoſitè applico propoſito meo, cùm Maria instar nubis levis deferat hodiernâ die Filium Dei & ſuum, hominem factum in templum Jeruſalem: levis, inquam, quippe quæ exonerata omni ſubſtantiâ alienâ in formatione ſacræ humanitatis illius in puriſſimis viſceribus ſuis, *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt g*: & utì e immunis à pondere obligationis Legis *h* purificationis, cui ſubjacebant omnes aliæ mulieres immundæ; cui tamen ipſa ſe ſubmittit præ humilitate, *Ingreſſo Filio Dei in mundum, in nube levi, hoc eſt, in utero ſacratiſſimo puriſſimæ Virginis, nullo virili ſemine gravato*, ait paulo poſt idem Pintus ſecundo conceptu.

g Matth. 1. 20.

h Levit. 12. 5. &c.

D. *Simeon i* vidit aliàs tali die qualis eſt hodiernus, hanc Virginem ſanctiſſimam ingredi templum Salomonis, opertam radiis & ſplendoribus qui circundabant hanc nubem ſplendentem, quæ deferebat inter brachia ſua carnem, ſeu corpus dilectiſſimi Filii ſui ut ipſum offerret in templo Patri ipſius æterno; & cognovit quòd Filius ejus eſſet Deus, Meſſias incarnatus ob ſalutem mundi, ſicut iſtam nobis fideliter recitat Timotheus *k* Sacerdos Jeroſolymitanus veritatem, cùm ait, *Cùm fuiſſet in templo Simeon, vidit quidem multas matres cum ſuis filiis in templum ingredientes, ad peragendum ſacrificium purificationis: in medio autem erat ea quæ portabat venerandum Filium, & nullis ſordibus contaminatum. Juſtus autem Simeon*

i Luc 2. 25. &c.

k Timoth. Jer. Orat. de Simeone Dei ſuſceptore citat. à Trugill. in Feſto Purificat. in Theſaur. Côcionat.

hunc & illuc oculos circumferens, poſtquàm vidit multas matres in privato habitu humanitatis, ſolam autem Virginem Divino lumine circundatam, ſeparavit reliquas matres, clamans & dicens coram omnibus, Date mihi locum ut teneam eum qui deſideratur l. *Vidi eum qui me prævidit: vidi, & meus germinavit ſpiritus. Cur quæ eſtis ancillæ, cum liberâ & Dominâ concertatis?* Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus m, *Hoc ſalutare Simeon corporaliter ac intellectualiter vidit: Chriſtus namque in una perſona eſt Deus & homo; ideò dum homo videbatur oculo corporeo, eodem oculo videbatur & Deus, quamvis non ſecundùm Divinitatem ipſius. Inſuper, Oculo interiori vidit Simeon Salvatorem, quia per fidem cognovit ipſius Divinitatem: ejus quoque humanitatem intellectualiter conſideravit, & quòd à Verbo eſſet aſſumpta, penſavit.* Ego autem nunc mente revideo B. Virginem Mariam ſub aſpectu nubis lucidæ & ſplendentis, quæ *geſtans lucem in ulnis* n, defert Filium ſuum in templum Jeroſolymitanum ad diſſipandas umbras figurarum antiquarum interventu ejuſdem Filii ſui, qui eſt Author gratiæ, *Quia gratia per Jeſum Chriſtũ facta eſt* o, & quâ ipſa repleta erat, cùm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* p *Maria.*

l ex Agg. 2. 8.
m Dion. Carth. ar. 7. in Luc. 2. 30.
n D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
o Jo. 1. 17
p Luc. 1. 28.

Appoſitè quidem loquebatur ille, neſcio num fabulosè, qui aſſerebat, quòd roſa eſt candida ab initio ſuæ formationis, poſteà quòd fit rubicunda, habens intra tympanum ſuum exigua grana aurea, quæ miro modo ſplendorem illius æquè ac decorem magnificant; fortaſſis innixus iis, quæ dicit Calepinus q, *Roſa, flos è ſpinâ naſcens, qui propter pulchritudinem, & ſuavem odorem Veneri ſacer eſt. Quo pacto autem roſa, quæ priùs candida fuit, cruore Veneris infecta, purpureum colorem traxerit, ex Aphtonÿ fabellâ cognoſces.* Hæc roſa eſt figura & imago Sapientiæ incarnatæ, quæ eſt *quaſi plantatio roſæ* r, *quaſi flos roſarum* s. Hæc roſa eſt egreſſa è radice Divinitatis quantùm ad generationem æternam, ſicut ait Pater æternus, Filium ſuum alloquens, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te* t. Et è radice Virginis quoad generationem temporaneam, ſicut prædixerat Iſaias u, *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Quæ tamen radix, ſeu B. Virgo fuit abſque ſpinis. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias* x, ait Sponſus ſacer. Et D. Epiphanius y, *Virgo eſt lilium immaculatum, quæ roſam immarceſſibilem genuit Chriſtum.* Propterea Sponſa ſacra duas iſtas uniens generationes, ait de Dilecto ſuo, *Dilectus meus candidus, & rubicundus* z. Fuit candidus in nativitate ſuâ, egreſſus è viſceribus Matris ſuæ nullâ virginitati ejus injuriâ irrogatâ, *Vocavit te hortum concluſum, & fontem ſignatum is, qui ex te ortus eſt Sponſus, prædixit in Canticis* a. *Hortum concluſum ob id quod falx corruptionis, aut vindemia te non attigit: florem autem, qui ex radice Jeſſe hominum generi purè exhibetur, excultus tibi à puro intemerato Spiritu* b. *Fontem concluſum, quia flumen vitæ* c *ex te prodiens replevit terram, alioqui ramus nuptialis fontem unum nequaquam exhauſit*, ait Heſychius † alloquens B. Virginem. Fuit rubicundus in ſuâ circumciſione, *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer* d. Ubi proprio ſanguine purpuratus fuit. Hodiernâ verò die habet grana aurea ſupereminentis charitatis, ſinens ſe redimi *ſiclis argenti quinque, pondere ſanctuarÿ* e, ut nos redimeret à captivitate Satanæ, (*quâ libertate nos liberavit* f *reverâ*) & inſpirans Matri ſuæ ut ipſum deferat in templum, ubi ipſum conſecret Patri ſuo, & adimpleat ipſa Legem purificationis, *Perfecta quippe obedientia*, inquit Dionyſius Carthuſianus g, *plus peragit quàm tenetur, dicente Bernardo: Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, nec contenta anguſtiis profeſſionis, largiore voluntate fertur ſecundùm latitudinem charitatis.*

q Calep. in Dictiõ. V. Roſa.
r Eccl. 24. 18
s Eccli. 50. 8.
t Pſ. 109. 3.
u Iſai. 11. 1.
x Cant. 2. 2.
y D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
z Cant. 5. 10.
a ex Cant. 4. 12.
b ex Matt. 1. 18. & 20
c ex Eccl. 24. 41.
† Heſych. ſerm. 2. de Laud. Deip.
d Luc. 2. 20.
e Num. 18. 16.
f Galat. 4. 31.
g Dion. Carth. ar. 7. in Luc. 2. 24.

D. Leo h conſiderans quomodo res ita diverſæ reperiantur in eodem ſubjecto, Divinitas & humanitas, Eſſe & non eſſe, Creator & creatura, Majeſtas & vilitas, Potentia & infirmitas, ſtupore percitus inclamat voce contentâ, *Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis.* Quòd Pater æternus dicat à totâ æternitate, Filium ſuum alloquens, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* i: *unum coruſcat miraculis.* Quòd Mater Jeſu dicat illi in tempore, *Fili, quid feciſti nobis ſic* k? *aliud ſuccumbit injuriis.* Quòd Scriptura nobis repræſentet eum *viventem in ſæcula ſæculorum* l: *unum coruſcat miraculis.* Sed quòd illum contineat *plenitudo temporis* m: *aliud ſuccumbit injuriis.* Quòd generetur *in ſinu Patris* n: *unum coruſcat miraculis.* Sed quòd ille, quem *cœlum & cœli cœlorum capere non poſſunt* o; exeat è ſinu puriſſimæ Virginis, & contineatur *in præſepio* p: *aliud ſuccumbit injuriis.* Ita ut, ſicut, juxta axioma Philoſophicum, *Operatio ſequitur eſſe*, dici poſſit in omnibus actionibus & factis ejus, *Unũ horũm coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis.* Et ſi audiatur à nobis *vox Jacob, manus Eſau* q ſentiatur. Si fugit *in Ægyptum* r; ibi deſtruit idola, ut ait Pinus s, *Ingreſſo Filio Dei in Ægyptum, in nube levi, ceciderunt idola, contremuerunt dæmones, Chriſti præſentiam ferre non valentes.* Si *factus annorum duodecim, puer* t adhuc videbatur; confundebat tamen Phariſæos. Et ſi hodie *ſiclis quinque* u redimitur à Matre ſuâ, agnoſcit ipſum *Simeon Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis Iſrael* x. Quod inducit me ad repræſentandum vobis in priori parte diſcurſus iſtius, B. Virginem ut lucem ſuſceptam in nubem humiliationum ſuarum voluntariarum in ſolemnitate Purificationis ſuæ. In poſteriori verò, Filium ejus factum ſicut alteram Lucem ſuſceptam in nubem humiliationum ſuarum voluntariarum in feſto ſuæ Præſentationis ſuo Patri æterno.

h D. Leo ſerm. 3. de Paſſ. c. 1. & 2.
i Pſ. 2. 7.
k Luc. 2. 48
l Apoc. 5. 14
m Galat. 4. 4.
n Jo. 1. 18
o 3. Reg. 8. 27.
p Luc. 2. 7. & 16.
q Gen. 27. 22.
r Matth. 2. 14. & 15.
s Pint. in Iſai. 19. 1
t Luc. 2. 42. &c.
u Num. 18. 16.
x Luc. 2. 25. & 32.
Diviſio.

Lux ſuſcepta in nubes, innumeras producit eximias pulchritudines, & infinita rara meteora, quæ ſtupore percellunt aſpectus noſtros, & mirificâ novitate ſuâ facultates noſtras in ecſtaſim rapiunt: lux noſtra Virginea non priùs ſuſcipitur in nubem humiliationum ſuarum voluntariarum, & unitur umbræ ceremoniarum legalium Purificationis, cùm illam micare ſtatim facit exemplo innumerarum virtutum, per complementum infinitarum figurarum antiquarum, per formam diverſorum meteororum, & per charactêres perfectionis, quæ nobis omnia repræſentat ipſa in iſtâ ſolemnitate. Propterea D. Epiphanius y ſic eam ſalutat poſt Angelum, *Ave gratiâ plena* z, *multis virtutibus exornata Virgo, in lampade geſtans Lucem inextinguibilem* a, *Sole ſplendidiorem.* Cùm intueor hunc chariſſimum Filium, hunc Alumnum cœleſtem, qui *viſitavit nos, Oriens ex alto* b, recumbentem in ſinu, ſeu in ulnis beatiſſimæ Virginis,

I. Pars.
y S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
z Luc. 1. 28
a ex Sap. 7. 30.
b Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12

ginis, nunquid non video ſtatim ſpecioſam nubem ſpecularem, quæ cum luce defert imaginem Solis, imò verò ſubſtantiam ejus, quæ non eſt alia niſi *Verbum caro factum* c, *Sol oriens in altiſſimis Dei* d.

Admiramini præterea novam Iridem, quam lux iſta Virginea nobis format in nube depreſſionum ſuarum voluntariarum, *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum: valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo* e. Habemus quidem anſam benedicendi Dei, cùm ſit Iris iſta facta in ſignum fœderis inter nos & Divinitatem, ſicut ipſemet dixit Deus *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram* f. Quantæ raritates in iſto meteoro. Et quia, ut ait Cornelius g inter alias expoſitiones, *Allegoricè, Iris eſt Verbum incarnatum, & carne velatum, ſive eſt ipſa caro Verbi: primò, quia ſicut Sol in nube irradians facit iridem; ita Verbum in carne irradians fecit Chriſtum: ſecundò, quia ſicut iris pacis fuit ſymbolum tempore Noë; ita & incarnatio Chriſti fuit reconciliatio mundi* h: ſic quia primò *una eſt Mariæ & Chriſti caro*, dicit Arnoldus Carnotenſis i: & D. Bernardus k eandem B. Virginem alloquens, *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quam intima fieri meruiſti: veſtis eum ſubſtantiâ carnis, veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris*: ſecundò, quia ſanctiſſima Virgo Deum habitantem in cœlis concepit in terrâ, ut hâc ratione exercitus Angelorum traheret in terram; & verſaretur cum hominibus l: *ipſa eſt enim cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit*, ait D. Epiphanius m. Ipſa æquè eſt iris iſta ac Filius ſuus. Iris in natura non eſt aliud niſi lux recepta in nubem roridã, quæ format tres jucundos colores, rubicundum, cæruleum, & viridem. *Vide arcum.* In hac nube B. Virginis lux iſtius Solis Divini format colores trium exquiſitarum perfectionũ. Rubicundũ dilectionis, in oblatione, quã facit ipſa Filii ſui Patri æterno, *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino* n. Cæruleum, ſeu cœleſtem, per elevationem cogitationum ſuarum, & per aciem intentionum ſuarum humilium, quæ cœlum pervadit, *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit* o. Et viridem ſacræ fiduciæ, quam nobis ipſa præbet ut *Mater ſanctæ ſpei* p, non ſolùm ut ſimplex præſagium ſerenitatis, ſed etiam ſicut actualiter diſtributrix gratiarum, quarum tenet ipſa theſauros præ manibus ſuis: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt theſaurus diſpenſationis plane arcanus*, ut D. Epiphanius q. Nobis præſagit gratiarum imbres ipſa in ſacrificio matutino, quod ipſa peragit Filii ſui Patri ejus æterno in templo Jeroſolymitano: & portendit nobis ſerenitatem in ſacrificio veſpertino, quod ipſa offeret ejuſdem Filii ſui unà cum ipſo, eidem Patri æterno, cùm ſtabit *juxta crucem Jeſu* [illegible] qui dicet, *Conſummatum eſt* r: *pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* s: ſicut deinceps dixit Arnoldus Carnotenſis t, *Omnino tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis.* Cùm dicat Cornelius u, *Julius Scaliger exercitatione 80 docet iridem matutinam portendere pluvias, veſpertinam verò ſerenitatem.*

c Joan. 1.14.
d Eccli. 26.21.
e Eccl. 43.12.
f Gen. 9. 12. & 13.
g Cornel. in Gen. 9.13.
h ex Cornel. 1.29.
i Arnol. Carnot. tract. de Laud. B. M.
k D. Bern. ſerm. de Verbis Apoc. 12. Signum magnum &c.
l ex Baruch 3.38.
m D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
n Luc. 2. 22.
o Eccli. 35.21.
p Eccli. 24.24.
q D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
r Joan. 19. 25. & 30.
s Coloſſ. 1.20.
t Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.
u Cornel. in Gen. 9.13.

Ut autem habeatis hanc veritatem ſenſibilem, Imaginamini videre hanc B. Virginem in interiori templi proſtratam ante pedes Simeonis, immodico Dei amore ductam, ſic Patrem æternum verbis his amoroſis alloquentem: Ecce, Pater æterne, fructus, quem tibi placuit colligere *de petrâ deſerti* x: *Sol oriens* y inter tenebras, quas diſſipare debet: *Lux, quæ in tenebris lucet: Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* z. En, inquam, *ipſa ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* a *ſuſcipiens, etiam manipulum* b germinavit tibi: ego veluti *terra maledicta, ſpinas & tribulos* c germinare debebam, & *in tenebris, & in umbra mortis* d inimicitiæ æternæ ſedere: & tamen, ô *quàm bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus* e! ô communicatio bonitatis ineffabilis ſubjecto tot favoribus indigno! emiſiſti Florem è ſpinis, Lucem è tenebris, ſed Lucem *mundi* f, *quæ dixit, Ego Lux in mundum veni* g: *quæ aſſumpta eſt, & illuminavit cuncta quæ ſunt in cœlis & in terra* h. Præventa enim *in benedictionibus dulcedinis* i, *ego feci in cœlis ut oriretur Lumen indeficiens* k. *Id eſt genui Chriſtum, qui eſt in cœlis Lumen indeficiens* l. Et creaturæ imperfectiſſimæ communicaſti theſauros gratiarum tuarum. Ha, ſumne digna quæ ſim *urna aurea continens manna cœleſte* m: *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* n? cùm ſit hoc *Verbum caro factum* o in me, ſecundùm Divinitatem ſuam ipſamet *Sapientia* p æterna; & ſecundùm humanitatem ſuam à me aſſumptam, ſit repletum *Sapientia* q per contemplationem rerum Divinarum, & ſcientiâ in contemplatione creaturarum. Effice, Pater æterne, ut radius redeat ad principium ſuum, id eſt, ad Solem ſuum per humilem gratitudinem; acceptam habe oblationem quam tibi facit hodierna die humilis ancilla: agnoſce eum qui eſt *unigenitus Filius* r tuus, æquè ac meus, quippe quem peperi *Filium primogenitum* s. Accepta meritum ejus, & cùm ſit infinitum, ſicut ipſe *non habet finem* t, ſuſcipe illud ut ſatisfactorium pro offenſis infinitis, quippe quæ ſunt contra objectum infinitum: effice ut iſta Lux illuminet, diſſipando tenebras infidelitatis; ut calefaciat ardoribus amoris ſui; ut influat abundantia gratiarum ſuarum, & ex ea plus ipſa ſuſcipiam ut inde me videam obſtrictam ad reddendas tibi majores gratiarum actiones.

Aliàs cum templum Salomonis eſſet ceremoniis legalibus perfectè conſecratum, *Factum eſt, cùm exiſſent Sacerdotes de ſanctuario, nebula implevit domum Domini, & non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini* u. Illud erat figura, ecce veritas illius. Cùm noſtra nubes lucida deferens in ſemetipſa gloriam cœli, & Divinitatem, repleat hoc templum majori gloria, ut verificetur effatum Propheticum Aggæi x, quòd illud templum reædificatum à Zorobabele, foret glorioſius per præſentiam veritatis, quàm fuerat myſterioſum per antiquarum repræſentationem figurarum, *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plusquàm primæ*: ſic iſta lucida nubes excedit in multis circumſtantiis nebulam, quæ in prima dedicatione templi Salomonici, magis replevit illud tenebris quam lumine, *Ita ut impleretur Domus Dei nube, nec poſſent Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter caliginem. Compleverat enim gloria*

x Iſai. 16. 1.
y Eccli. 26.21.
z Joan. 1. 5. & 9.
a ex Joan. 12.24.
b D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
c Gen. 3. 17. & 18.
d Luc. 1. 79.
e Sap. 12. 1.
f Joan. 8. 12.
g Joan. 12. 46.
h D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
i Pſ. 20. 4.
k Eccli. 24. 6.
l Hug. Card. in Eccli. 24. 6.
m D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Heb. 9. 4.
n Coloſſ. 2. 3. & 9.
o Joan. 1. 14.
p Sap. 9. 24.
q Luc. 2. 52.
r Joan. 1. 18.
s Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
t Baruch. 3. 25.
u 3. Reg. 8. 10. & 11.
x Agg. 2. 10.

Domini

Domini domum Dei y. Et ratio iſtius eſt, quia Deus illo tempore ſibi complacebat in umbris & figuris, *Dominus pollicitus eſt, ut habitaret in caligine* z. Nunc autem ſibi complacet in evidentiâ veritatis, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum* a. Non eſt nebula tenebroſa, *Dominus dixit, ut habitaret in nebula* b. Sed *nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandum mundum* deduxit *Chriſtum. Nubes cœleſtis, quæ tonitruum Spiritus ſancti in ſeipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus ſancti in univerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demiſit*, ait D. Epiphanius c. *Et ecce nubem candidam* d. Imò verò ipſa eſt velut alter Sol, *Quæ eſt iſta quæ progreditur, electa ut Sol* e. Et, *Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, Mulier amicta Sole* f. *Stupendum miraculum in cœlis, Mulier geſtans Lucem in ulnis*, ait D. Epiphanius g. Ipſa non eſt majeſtas, quæ nos terrore percellat; ipſa nos provocat ad ſanctam fiduciam ſuavitatibus ſuis extraordinariis: Ipſa non eſt nubes quæ immoretur in templo, & nobis illius aditum prohibeat, ſed eſt nubes mobilis, quæ nos deducit, & nobis aperiri facit fores templi gloriæ. Eò uſque felices fuerunt aliàs Iſraëlitæ ut habuerint nubem quæ ipſos dirigeret per deſertum peregrinantes, *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columnâ nubis* h. *Et deduxit eos in nube diei* i. Favor eſt totus noſter, & figura illorum, cùm nubes iſta ſit glorioſa Virgo, quæ nobis eſt dux, directio, & auxilium, *Pulchrè dixit, diei: nubes enim illa non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce*, ſubdit D. Hieronymus k, loquens de Virgine eâdem Deiparâ ſuper hæc verba Pſalmiſtæ. Ipſa eſt nubes ad temperandos ardores Solis; nubes lucida, ad diſſipandas ignorantiæ noſtræ tenebras; nubes fœcunda, ad ſtillandum rorem cœleſtem; nubes mobilis ut nos dirigat. Sub umbrâ nubis iſtius, animæ devotæ manent ſecuræ; ipſa eſt aſylum, quod Deus pollicetur iis qui confugiunt ad protectionem ejus, *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in umbra Omnipotentis commorabitur* l. Qualis eſt hæc umbra? *Deus Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ulla* m. Hæc umbra cauſatur à nube B. Virginis, quæ recipit Lucem Divinam; ſub hâc quieti erimus umbrâ: ipſa enim *ſanctiſſima Virgo, quæ velut rubus intellectualis abſque combuſtione Divinitatis ignem* n tenet, ait nobis, *Venite, & ſub umbrâ meâ requieſcite* o. Ipſa eſt velut infirmos obumbrans D. Petri *umbra, & omnes ab infirmitatibus ſuis* p liberans, ita *ut de plenitudine ejus accipiant univerſi* q, *captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam* r. Requieſcamus tantiſper ſub hâc umbrâ delicioſâ, & poſteà tranſibimus ad poſteriorem partem.

y 2. Par. 5. 13. & 14.
z 2. Par. 6. 1.
a Pſ. 18. 6.
b 3. Reg. 8. 12.
c D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
d Apoc. 14. 14.
e Cant. 6. 9.
f ex Apoc. 12. 1.
g D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
h Exod. 13. 21.
i Pſ. 77. 14.
k D. Hier. in Pſ. 77. 14.
l Pſ. 91. 1. juxta lit. Hebr.
m 1. Jo. 1. 5.
n D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Exod. 3. 2.
o Judic. 9. 15.
p Act. 5. 15.
q ex Jo. 1. 16.
r D. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1. Signum magnû &c.

II. Pars.

Eccleſiaſticus s loquens de Filio Dei, ait, *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Arcus eſt inſtrumentum ejaculandis ſagittis idoneum; ſed tendendus & extendendus eſt ad hoc ut vibrentur ſagittæ: Dei Filius eſt verè arcus, ſed depreſſus humiliationibus ſuis voluntariis in feſto ſuæ Præſentationis Patri ſuo æterno in templo Jeroſolymitano. *Hic arcus* quidem, ut ait Hugo Cardinalis t, *tenſus fuit in cruce: Extendam mihi Judam quaſi arcum* u. Æquè ac in brachiis Matris ſuæ, quæ fuit altera crux; *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas, Dominum portavit*, ait D. Epiphanius x. Sed ſi tenditur in hoc ſacrificio matutino, æquè ac tenderur in illo ſacrificio veſpertino Calvariæ, non ideò ut vibret ſuper nos tela iracundiæ ſuæ; ſed ſtatim deprimitur hîc, æquè ac deprimetur illic, ut ejaculetur in nos ſagittas amoris ſui mediis humiliationibus ſuis voluntariis: quàmvis enim arcus ſit compactus è ligno duro & ſicco, ſe tamen retrahit, ſe deprimit, & ſe incurvat interventu funis: ſic quàmvis Dei Filius ab æterno fuiſſet in excellentiâ magnitudinis ſuæ, *Dominus excelſus, terribilis* y, *Deus altiſſimus* z, ut patet in decreto lato adversùs Protoplaſtum, *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in ſudore vultus tui veſcêris pane tuo, donec revertaris in terram, de quâ ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris: ejecitque Adam* a: æquè ac contra primum Angelum, *Ad infernum detraheris in profundum laci* b: tamen beneficio funiculi dulciſſimæ miſericordiæ ſuæ, ſe depreſſit & incurvavit per myſterium incarnationis, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* c. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum* d. Hodiernâ verò die iſte Dei Filius ſe deprimit in templo, ubi redimitur *ſiclis quinque* e, ut nos liberaret à captivitate Diaboli, cui eramus addicti, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* f. Sicut enim arcus, quem perſæpè videmus apparere in aëre, videtur deſcendere de cœlo in terram, & unire illud iſti adinvicem; ſic verè Dei Filius videtur deſcendiſſe de cœlo in terram mirabili modo, id eſt, ex excellentiâ ſuæ Divinitatis uſque ad infirmitatem noſtræ humanitatis terreſtris, ſicut ipſemet ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum* g: & conjunxiſſe ſimul cœlum & terram in ſemetipſo, micare faciens radios ſuos ex tranſverſis mortalitatis noſtræ nubibus *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Vultiſne videre radios iſtius Divini Solis? *Quandiu ſum in mundo, Lux ſum mundi* h, inquit ipſe. Deſideratiſne ut illum vobis repræſentem in nube aut in opacitate gloriæ ſuæ? *Verbum caro factum eſt* i. Et inter multos radios quos emittit, & quos recenſet Hugo Cardinalis k, *Primus eſt radius humilitatis, quam emiſit in nativitate: Parvulus enim natus eſt nobis* l. *Secundus eſt radius vilitatis, quem emiſit, cùm voluit involvi pannis vilibus, & in præſepio reclinari, Peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio* m. Prædictis addo alium radium, omiſſis cæteris, qui eſt radius depreſſionis in Præſentatione ſuâ Patri æterno ſuo, quæ peragitur hodie inter brachia B. Virginis Matris ipſius, aut D. Simeonis, *Tulerunt illum in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino. Et Simeon accepit eum in ulnas ſuas* n. Nubes fit è vaporibus & ex exhalationibus eductis è terrâ, *Nubes eſt vapor humidus, in ſublime elatus è terra per æſtum*, dicit Calepinus o. Sic nubes humanitatis Jeſu Chriſti educta eſt è terrâ, ita ut aliquo modo dici poſſit ei, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* p. Id eſt, mediis humiliationibus ſuis voluntariis.

s Eccl. 50. 8.
t Hug. Card. in Eccl. 50. 8.
u Zach. 9. 13.
x D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
y Pſ. 46. 3.
z Pſ. 92. 1.
a Gen. 3. 17. &c.
b Iſai. 14. 15.
c Oſee 11. 4.
d Jo. 3. 16. & 17.
e Num. 18. 16.
f Galat. 4. 31.
g Jo. 16. 28.
h Jo. 9. 5.
i Jo. 1. 14.
k Hug. Card. in Eccl. 50. 6.
l Iſai. 9. 6.
m Luc. 2. 7.
n Luc. 2. 22. &c.
o Calepin. in Dictiõ. V. Nubes.
p Gen. 3. 19.

tur is. Arcus admirabilis compoſitus è luce & è nebula aut opacitate miſtis adinvicem, id eſt, Divinitate & humanitate unitis ſimul in perſona Verbi, quod eſt *Lux vera* q recepta in nubem noſtræ carnis, & illuminans hodierna die in templo in Præſentatione ſua, ad diſſipandas nebulas ignorantiarum noſtrarum, & errorum noſtrorũ. Arcus eximius; ſicut enim oportet ut lux deſcendat & aſcẽdat aliquo modo: ſic Verbum æternũ *ſemetipſum exinanivit, formã ſervi accipiens* r. Hodie redemptum *ſiclis quinque* s, ut mereretur nobis libertatem, & elevaret naturam noſtram ad inendam ſocietatem cum Divinitate ipſius. Arcus inſignis, cujus duæ extremitates ſunt Divinitas & humanitas, & funiculus qui illas ſimul unit, eſt perſona Verbi, quod illuminat ex tranſverſa nube humanitatis ſuæ. Ideò exclamabat D. Leo t, *Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus Naturæ* u, *noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento cujus Capitis & cujus corporis ſis membrum* x. *Reminiſcere quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & Regnum* y. Arcus mirabiliter micans; ſicut enim arcus reſultat ex impreſſione radiorum Solis ſuſceptorum in nubem roridam, ita ut omnes colores rerum inferiorum in ipſo appareant; ſic ex impreſſione Spiritus ſancti, qui ſaltem ſecundùm noſtrum modum concipiendi videtur duplex radius procedens z à Sole æterno, qui eſt Deus Pater, & Deus Filius; ſuſcepti in nubem roridam ſinus B. Virginis; *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* a: ut, ſi vultis, juxta myſterium, inter brachia ejuſdem Deiparæ, quæ præſentat hodie Filium ſuum Patri æterno; reſultavit hic arcus, id eſt, iſte *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus* b. Nimirum, ſicut ait Dionyſius Carthuſianus c, *Cum utroque extremo conveniens, cum Deo ſecundùm naturam Divinam, & cum hominibus ſecundùm aſſumptam humanitatem. Eſtque Mediator Dei ac hominum, propriè loquendo, nec ut Deus, neque ut homo, ſed ut Deus homo, ſeu Deus incarnatus.* In quo viſi ſunt ut in arcu myſtico micare colores omnium virtutum modo prorſus mirabili. Ubi obſervate, ſi placet, quòd in arcu ſeu in iride quatuor videmus apparenter colores præcipuos, qui reſpondent quatuor elementis. Admiramur ibi colorem viridem, qui convenientiam habet cum terra; colorem candidum, qui aſſimilatur aëri; colorem cæruleum, qui accedit ad aquam; & colorem rubicundum, qui ſimilis eſt igni; contemplor in hoc arcu myſtico colorem viridem qui præ ſe fert conſonantiam cum terra, qui eluxit in Filio Dei, per conſiderationem quam fecit ipſe mortis ſuæ, quam veniebat perpeſſum pro hominibus, unde reſultavit color viridis innocentiæ vitæ ejus: *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* d. Colorem candidum, qui affinitatem habet cum aëre, unde proceſſit puritas ipſius cœleſtis, *Primus homo de terrâ, terrenus; ſecundus homo de cœlo, cœleſtis* e. Colorem cæruleum, qui habet quandam cum aquâ ſimilitudinem, & qui ſignificat miſericordiam, quâ *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* f. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus g, *Quantũ in ſe eſt, ita ut ex parte ejus nõ ſit defectus, neminemq́; ad ſe venientem repellas, & ſingulis gratiam dare paratus ſit, ſi fecerint quod in ſe eſt.* Tandem, Colorem rubicundum ſimilem igni, id eſt, ardentiſſimam ejus charitatem, quæ ipſum induxit nuper ad fundendum pretioſum ſanguinem ſuum, *poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer* h, ad hoc ut nos faceret expertes flammas amoris ſui, dans arrhas ſolutionis conſummatæ, quam peracturus erat omnium debitorum noſtrorum, obi effuſurus eſſet totum eundem ſanguinem ſuum, ut ſatisfaceret juſtitiæ Patris ſui, cui ſe præſentat hodie in templo more captivi, ut ſervitute ſua nobis libertatem mereatur, *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, ait D. Paulus i. *Sic quippe competit ei & ſatisfacere ſeu reconciliare, & idoneitas vel efficacia reconciliandi. Quorum primum convenit ei ratione aſſumpta naturæ, ſecundum verò ratione Deitatis unitæ, ex quâ opera & pœna Chriſti hominis infinitam quodammodo dignitatem & efficaciam ſortiuntur, intantùm ut minima gutta ſanguinis ejus fuiſſet ſufficientiſſima ad totius humani generis liberationẽ. Qui Chriſtus dedit, id eſt, ſponte & charitativè obtulit redemptionẽ, id eſt, in cunsũ & pretiũ noſtræ redẽptionis, ſemetipſũ pro omnibus tãquãad ſufficientiam*, inquit poſt Apoſtolũ Dionyſius Carthuſianus k. Et ideò Jſaias l ſtupore percitus intuitu charitatis iſtius immodicæ, petit ab eo; *Quare rubrum eſt indumentũ tuũ?*

Arcus iſte myſticus in exceſſu charitatis ſuæ intuendam exhibuit aliquando opacitatem, cùm in exceſſu paſſionum ipſius, *Obſcuratus eſt Sol* m. Aliàs fuit totus inveſtitus lumine in transfiguratione ſua. *Transfiguratus eſt, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol* n. Sed unde procedere poterat iſta gloria? petet à me aliquis. *Sicùm deſcenderet Moyſes de monte Sinai, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini; videntes Aaron & filii Jſrael cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere; & poſuit velamen ſuper faciem ſuam* o idem Moyses: qualem gloriam & quantam lucem præ ſe ferre non debebat ille, qui erat unitus perſonaliter eidem Deo? *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol.* Cùm Sol intuetur directè ſpeculum, videtur potiùs eſſe in ſpeculo quàm in cœlo: ſic cùm Sol Divinitatis intuetur ſpeculum pellucidum humanitatis, *Speculum ſine maculâ Dei majeſtatis* p; Lux iſta Divina ſuſcepta in ſpeculum noſtræ naturæ, ſplendentes ibi producit radios. Illi qui vacant exercitio orationis, interdum virtute ejuſdem orationis ita ſuas facies immutant, ut ſplendorem Solis imitari videantur. Hoc patet in Annâ matre Samuelis, de qua narrat Scriptura, quòd *cùm illa multiplicaret preces coram Domino*, poſtquàm *abiit in viam ſuam, vultus illius non ſunt ampliùs in diverſa mutati* q. Et de D. Stephano recenſet, *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli* r. In eadem Scripturâ s, fumo comparatur oratio, *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum.* Atqui quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd ſi candela quæ eſt extincta, & quæ adhuc fumat, admoveatur igni, ſtatim reaccenditur: *Deus noſter ignis conſumens eſt* t. Si ergo oratio eſt fumus, & procedit à nobis, ſi accedamus ad Deum, qui *ignis eſt*, ſicut & *Lux eſt* u, illuminabimur, & accendemur, ſicut nobis Propheta x conſulit, *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtra non confundentur.*

q Joan. 1. 9.
r Philipp. 2. 7.
s Num. 18. 16.
t D. Leo ſerm. 1. de Nativ. Dom. c. 3.
u ex 2. Petr. 1. 4.
x ex Epheſ. 2. 22 & 23. 1
y ex Coloſſ. 1. 13.
z Joan. 15. 26.
a Matth. 1. 20.
b 1. Timoth. 2. 5.
c Dion. Carth. art. 2. in 1. Tit. 2. 5.
d Hebr. 7. 26.
e 1. Cor. 15. 47.
f 1. Timoth. 2. 4.
g Dion. Carth. art. 2. in 1. Tim. 2. 4.
h Luc. 2. 21 ex Levit. 12. 3.
i 1. Timoth. 2. 6.
k Dion. Carth. art. 2. in 1. Timoth. 2. & 6.
l Jſai. 63. 2.
m Luc. 23. 45.
n Matth. 17. 1. & 2.
o Exod. 34. 29. &c.
p Sap. 7. 26.
q 1. Reg. 1. 12 & 18
r Act. 6. 15
s Apoc. 8. 4.
t Hebr. 12. 29 ex Deut. 4. 24
u 1. Joan. 1. 5
x Pſ. 33. 6.

y Luc. 18. 13. & 14.

-betur. Teſtis iſtius veritatis eſt publicanus Evangelicus y, qui erat veluti candela extincta, *Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare*, *Sed* interventu orationis iſtius, quandiu *percutiebas pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori*, medio fumo orationis hujus accedens ad Deum, qui eſt verus ignis, & vera lux, illuſtratus eſt luminibus ejus, & accenſus flammis illius, *deſcendit juſtificatus in domum ſuam.*

z Bercor. in Repert. V. Arcus.

Recenſent Naturales, quòd ſunt inſulæ in mari Erythreo, in quibuſdam cavernis ubi reperitur lapis, qui cùm priùs ex ſe maximè ſit obſcurus, tactus tamen radiis Solis, ita ſplendens efficitur ut videatur potiùs alter Sol, quàm lapis; & inde procedit iris. Ego autem neſcio num ad illorum ſenſum terminatus ſit conceptus Bercorii z, cùm loquens de arcu, de quo hîc habetur ſermo, dicit quod fuit *ſimilis cuidam lapidi pretioſo, qui dicitur Iris, qui ſecundùm Dioſcor. & Iſidor. ſic dicitur, eò quòd Solis radio percuſſus, iridem facit in proximis parietibus apparere.* Dicere poſſumus Jeſum Chriſtum eſſe hunc *lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum* a. *Petra autem erat Chriſtus* b. Lapis iſte priùs fuit obſcurus in cavernâ noſtræ humanitatis, exteriùs, id eſt, quantùm ad naturam paſſibilem: ſed confeſtim ac Sol Divinitatis illuminavit hunc lapidem, lux ſe diffundens in nubem, formavit iridem, ſeu arcum. Illum intueor hodiernâ die apparete in templo in Præſentatione ſuâ ſuo Patri æterno, ut nos illi reconcilier, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram* c.

a 1. Petr. 2. 6. ex Iſai. 28. 16.
b 1. Cor. 10. 4.
c Gen. 9. 13.

Quid nobis ſupereſt ex toto iſto diſcurſu, niſi ut accedentes ad hanc duplicem lucem, Matris, & Filii, ſuſceptam in nubem humiliationum ſuarum voluntariarum; unam in Purificatione ſuâ, & alteram in Præſentatione ſuâ, imitari conemur illorum humilitatem, illuminati radiis eorum, & accendi flammis ipſorum? *Voluit autem Maria digniſſima ſubjici Legi, & quaſi purgari in templo*, dicit Dionyſius Carthuſianus d, *ad dandum obedientiæ ac humilitatis exemplum, ad vitandum ſcandalum Judæorum, ad conformandum ſe aliis mulieribus in licitis ac honeſtis, & quoniam Filium ſuum vidit Legi circumciſionis ſubjectum* e. Videntur autem Mater & Filius nobis oſtendere quomodo conformare nos debeamus ipſorum virtutibus & agendi modis, ut vulnerati ſagittis quæ clàm & amoroſè vibrantur ab hoc duplici arcu myſtico Matris & Filii, dicere poſſimus ſinguli more Sponſæ ſacræ, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo* f. Vel, juxta LXX. *quia vulnerata charitatis ego ſum.*

d Dion. Carth. a. 9. in Luc. 2. 22.
e ex Levit. 12. 2. &c.
e ex Luc. 2. 21. & ex Levit. 12. 6.
f Cant. 2. 5.

Conſiderare poſſumus B. Virginem eodem modo, quo Filium ejus hoc in occurſu, velut lapidem, de quo modò locutus ſum vobis juxta Bercorium, qui illum ei applicat, & ideò ſubdit conſequenter, *Et iſte lapis dicitur juvare mulieres parituras. Sic verò, Chariſſimi, fuit beata Virgo: nam quando verus radius Solis, id eſt, Dei Patris, iſtum lapidem intrinſecùs illuminavit, quando ſcilicet Spiritus ſanctus ſupervenit in illam, & obumbravit ſibi virtus Altiſſimi* g, *tunc verè arcus cœleſtis, id eſt, Dei Filius in circumſtantibus parietibus, id eſt, in ſuis puriſſimis viſceribus per beatam incarnationem apparuit, & reluxit, juxta illud, Apparebit arcus meus in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & terram* h. *Et ideò iſte lapis, ſcilicet B. Virgo mulieres parientes, id eſt, perſonas laborantes, periclitantes, & patientes creditur ſuis precibus mirabiliter adjuvare: quia verè nulla eſt tribulatio, miſeria, vel deſolatio, triſtitia, ſeu tentatio, ſi Maria ſuffragium devotè imploretur, quin ipſius miſericordia ſuffragetur. Ideò dicit beatus Bernardus* i *in quodam ſermone, Si criminum immanitate turbatus, ſi conſcientiæ fœditate confuſus, horrore judicii perterritus, ſi barathro deſperationis abſorptus, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedas ab ore, non recedat à corde: ipſam enim cogitans non erras, ipſam rogans non deſperas, ipſam ſequens non devias, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſâ duce non fatigaris, ipſâ propitiâ non damnaris; & ſic in teipſo poteris experiri, quàm meritò ſit dictum nomen Virginis, Maria, id eſt, Maris Stella. Iſta eſt igitur lapis pretioſus, quæ adjuvat parturientes, & quæ cœleſtem iridem repræſentat. Et ideò fuit figurata Apoc.* 10. 1. *Ubi Joannes vidit Angelum amictum nube, & iris erat in capite ejus. Quia re verâ beata Virgo, quæ propter puriſſimam virginitatem poterat Angelus appellari, fuit amicta nube, id eſt, caſtiſſimâ puritate, quia ſcilicet ſecundùm Hieronymum, ſemper eſt Angelis cognata virginitas: & coronata, ornata, & honorata fuit iride, id eſt, incarnati Filii Divinitate.*

g ex Luc. 1. 35.
h Gen. 9. 14. & 13.
i ex D. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

Præterea, Conſiderantes Dei Filium inter brachia Matris ſuæ ſicut Lucem ſplendentem in nube, velut iridem cœleſtem, dicere debemus ei ſinguli cum Samuele, *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus* k. Et cum Pſalmiſta, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* l. Id eſt ad obſervanda mandata tua. *Portio mea, Domine, dixi cuſtodire legem tuam* m. Et cum Apoſtolo *Domine, quid me vis facere* n? Doces me exemplo tuo ut efficiar arcus myſticus, & repræſentem in me ſpiritualiter colores qui ab arcu cœleſti ſunt inſeparabiles, & *quòd* ſicut *iſti quatuor colores ſignificant quatuor virtutes Cardinales: color enim rubeus & igneus ſignat aſperitatem rigoris & juſtitiæ: color candidus & aëreus ſignat puritatem & claritatem prudentiæ: color autem viridis & terreus ſignat ſtabilitatem conſtantiæ: color verò cæruleus & aqueus ſignat moderamentum temperantiæ: iſtos igitur colores, iſtas virtutes & perfectiones debet quilibet vir perfectus habere, & ipſis coram Deo & hominibus colorari, & ornari* o. Et hoc eſt quod concupiſcimus, & quod conabimur adipiſci, ut poſtquàm tibi ſimiles fuerimus in hac vita, *ſimiles* p tibi eſſe poſſimus in gloriâ.

k 1. Reg. 3. 9.
l Pſ. 56. 8.
m Pſ. 118. 57.
n Act. 9. 6.
o Bercor. in Repert. V. Arcus.
p 1. Jo. 3. 2.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem. Matth. 13. 30.

Miſericordia Omnipotentis tantùm eſt inexplicabilis, quantùm eſt infinita, ſicut ipſemet Deus *non habet finem* a. Ipſa non expectat ſemper ut ipſam quæramus, nec ut de ipſâ cogitemus, cùm ipſa nos præveniat *in benedictionibus dulcedinis* b, & ſua nobis offerat momentis ſingulis ſubſidia, teſtante Pſalmiſtâ c, ſic eundem Deum alloquente, *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et videntur perſæpè magni peccatores, qui moriuntur innocentes, qui reſederunt in crimine uſque ad ultimum vitæ ſuæ agonem. Hæc miſericordia eſt expoſita & oblata omnibus in univerſis orbis regionibus, exceptis quibuſdam peccatoribus, qui mori volunt impii, id eſt, *in peccato* d ſuo, quique ideò ipſum contemnunt: nemo eâ privatus eſt: Deus qui in parabolâ noſtrâ Evangelicâ præcipit ut zizanium conſervetur cum tritico donec meſſis advenerit, *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem,* voluit vocari *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* e. Conſtantia patentiæ ipſius, ſemper eodem incedit greſſu quo charitas ipſius Divina, ſicut ait illi Salomō †, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt.* Et ſicut amor ipſius erga omnes homines, eſt incomparabilis; ita verū eſt quòd ipſius patientia ad ſuſtinenda eorum peccata, nullam patitur comparationem, *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti,* dicit nobis D. Petrus f. Anima noſtra, eſt opus eximiū potentiæ Dei, & excellens tabella, quam ipſe non vult infringere; & ſicut ipſe ſtatuit imprimere ei imaginem ſuam, *Et ait, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* g: quippe æſtimans eam perfectiſſimam creaturarum ſuarum; ſic nec illam relinquere vult ſine curis & ſubſidiis ſuis quotieſcumque illa labitur: & ſicut ipſe prævidit miſerias & infelicitates, quibus eramus addicti propter diſſolutiones noſtras; ita prævenire vult hodie malitiam noſtram, & largiri nobis gratiam, quâ Maria repleta erat, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria.*

a Baruch. 3. 25.
b Pſ. 20. 4.
c Pſ. 22. 6.
d Jo. 8. 21.
e 2. Cor. 1. 3.
† Sap. 11. 24. & 25.
f 2. Petr. 3. 9.
g Gen. 1. 26.
h Luc. 1. 28.

Nunquam judicandum eſt de ſalute hominis, quantùncumque ſit inſignis peccator, flagitioſus, & nequam, quandiu ipſe vitâ fruitur, & ſanæ mentis compos remanet. Eccleſia quæ eſt bona Mater, tota repleta dulcedine & charitate, *Ipſa quoque & Mater & Virgo eſt,* ait D. Auguſtinus i: *Mater viſceribus charitatis, Virgo integritate fidei;* ſuſcipit ad pœnitentiam omnes ſacrilegos, & blaſphematores, æquè ac diſſolutos quoſcumque, æquo libetiores, atque parricidas. Nullæ ſunt culpæ, quantùncumque ſint ipſæ horribiles, quarum non obtineat quis indulgentiam, cùm ipſum pœnitet peccaſſe: & illi qui earum numero ſunt onerati ferè infinito, juſtiſſimi poſſunt effici, nuntium remittendo vitiis, & in bonam emendatæ vitæ frugem ſe recipiendo, & virtuti proſequendæ incumbendo: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatū ejus quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitiâ ſuâ quam operatus eſt, vivet. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat* k? Damnabiliſſimus eſt omniū errorū ac aſſerere hominibus infirmis, quòd crimina dentur irremiſſibilia per iſtam vitam: miſericordia Dei nullos habet limites intuitu peccatorum converſorum; & ille ſolus jure merito deſperare poteſt, qui quærit ſe reddere æquè malum ac Deus ſuus eſt *bonus* l. Omni tempore, quâlibet ætate, ſingulis horis Deus non denegat gratiā ſuam peccatori, quē ſuorum pœnitet ſcelerum, & qui nomen ipſius invocat. Ipſo mortis articulo, & cùm æger paratus eſt ad emittendum extremum vitæ ſuæ halitum, infinita bonitas Dei non contemnit illius pœnitentiam: nunquam eſt hora indebita cōvertendi ſe Deo cùm pœnitentia eſt vera, & magnos producit effectus: & ſecundùm ſapientes, quos vocamus Patres noſtros, nulla ſunt crimina irremiſſibilia, niſi poſtquā mortui fuerimus, quādo corda noſtra ſunt ritè cōtrita, & omnino pœnitentia. Ipſi ſuſtinent unanimiter, quòd miſericordia Dei nunquā nobis eſt clauſa, quàmvis nos inducat neceſſitas ad eam requirēdam: & veriſſimum eſt, quòd ita bonus eſt Deus, ut nec nimius peccatorum noſtrorum numerus, nec exiguum tempus quod nobis vitæ ſupereſt, excludat nos ab amore ejus, ſi gratiæ illius conſentiamus.

i D. Aug. ſerm. 10. de Temp. c. 2.
k Ezech. 18. 21. &c.
l Matth. 19. 17.

Secundùm juſtitiam humanam oportet ut moriatur homo, cùm accuſatur homicidii, cujus intuetur ipſe ſe convictum proprio ore ſuo: ſed nō ita ſe res habet quantùm ad Juſtitiam Divinam: quàmvis enim peccator ſit conſcius omnium criminum poſſibilium, & univerſorum ſcelerū imaginabilium, Deus ipſum penitus juſtificat eodem inſtanti quo ea confitetur, & quo ipſum illorum verè pœnitet: & certum eſt quòd Filius Dei tanti æſtimat pœnitentiā peccatoris, & lacrymas illius, ut putet effuſionem ſui ſanguinis benè inſumptā quando hæc inducit hominē flagitioſum ad mutationem vitæ ſuæ, & ad deſerenda vitia ſua, quibus ſcatebat. *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* m, *& lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* n.

m Epheſ. 5. 2.
n Apoc. 1. 5.

Non cogitur ad hoc homo ut ſequatur vitium, aut ut adhæreat virtuti: nos omnes conſtituti ſumus in medio boni & mali, ut eamus ad utrum ex illis quod nobis magis arriſerit, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi* o. Et ut ſimus boni aut mali, hoc dependet à voluntate noſtrâ: ſed poſtquàm elegimus unum ex iſtis, & deſudavimus inſumendo tempus noſtrū ſtando è partibus ejus, juſtitia requirit ut nobis ſatisfiat ſecundùm merita noſtra: & omnes ſciunt aliquo modo id quod debent habere, cùm gloria ſempiterna promiſſa ſit iis qui amplexati ſunt & coluerunt virtutem, & pœna gehennæ interminabilis reſervetur illis qui vitiis vacaverint, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: Juſti autem, in vitam æternam* p.

o Eccli. 15. 14. &c.
p Matth. 25. 46.

Quemadmodum politia ſibi proponit pro fine ſuo ultimo felicitatem populi, & tamen ipſa tranſgreſſores legum ſuarum punit & caſtigat jactura bonorum ipſorum, & ultimis ſuppliciis: ſic Deus ita bonus eſt & ſic miſericors ut velit univerſorum hominum ſalutem: cùm per ipſum non ſtet quin omnes ſalventur, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & agnitionem veritatis venire* q. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* r. Si tamen per malitiam ſuam, & per contemptum virtutis abutuntur libertate ſua, æquè ac gratiis ipſius & beneficiis, ſi diligunt id quod Deus ipſis prohibet, ſi violant leges ejus, ſi profanant altaria illius, & ſi ludos faciunt ſacroſancta ipſius myſteria; nunquid non rectæ rationi conſonum eſt in hoc occurſu ut juſtitia ipſius interſit ibi, ubi adeſt Divina ipſius miſericordia; & ut, ſi ipſe coronat Bonos, qui perſeveraverunt in virtute, puniat etiam malos qui tripudiaverunt in vitio. Propterea volo vobis oſtendere in prima parte diſcurſus iſtius infinitatem miſericordiæ Dei erga omnes homines in hac vita. In ſecunda verò videbimus infinitatem juſtitiæ ejus poſt interitum.

q 1. Tim. 2. 4.
r Sap. c. 13
Diviſio.

1. Pars.

Ut propriè ſermo fiat de miſericordia ſecundùm id quod ipſi convenit eſſentialiter, ſciendū eſt, quòd ipſa eſt qualitas, virtus, ſeu perfectio, per quā quis inducitur ad benefaciendum alieni, ut illum liberet à miſeria: atqui Deus benefacit univerſis creaturis, ut eas liberet à defectu, & educat illas ex aliqua miſeria, unde ipſæ non poſſent exire ſine ipſius auxilio. *Sed conſiderandum eſt, quòd elargiri perfectiones rebus pertinet quidem, & ad bonitatem Divinam, & ad juſtitiam, & ad liberalitatem, & miſericordiam: tamen ſecundùm aliam & aliam rationem. Communicatio enim perfectionum abſolutè conſiderata, pertinet ad bonitatem. Sed inquantùm perfectiones rebus à Deo dantur ſecundùm earum proportionem, pertinet ad juſtitiam. In quantùm verò non attribuit rebus perfectiones propter utilitatem ſuam, ſed ſolùm propter ſuam bonitatem, pertinet ad liberalitatem. Inquantùm verò perfectiones datæ rebus à Deo, omnem defectum expellunt, pertinet ad miſericordiam*, ait D. Thomas ſ. Ideòque Deus appellatur miſericors, & habet verè perfectionem miſericordiæ, licèt in ſe non expetiatur ullam miſeriam per veram & realem compaſſionem, quia benefacit univerſis creaturis, ut liberet eas à miſeriis, *Miſericordia eſt Deo maximè attribuenda, tamen ſecundùm effectum, non ſecundùm paſſionis affectum. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quòd miſericors dicitur aliquis, quaſi habens miſerum cor: quia ſcilicet afficitur ex miſeria alterius per triſtitiam, ac ſi eſſet eius propria miſeria. Et ex hoc ſequitur quod operetur ad depellendam miſeriam alterius, ſicut miſeriam propriam, & hic eſt miſericordiæ effectus. Triſtari ergo de miſeriâ alterius non competit Deo, ſed repellere miſeriam alterius hoc maximè ei competit, ut per miſeriam quemcumque effectum intelligamus. Defectus autem non tolluntur, niſi per alicujus bonitatis perfectionem: prima autem origo bonitatis Deus eſt*, ait immediatè antè idem D. Thomas. Deus igitur benefecit omnibus creaturis, ut eas liberaret ab ipſarum miſeriis: & hoc egit in creatione mundi t, quando uſus eſt miſericordiâ erga eaſdem univerſas creaturas, quibus hoc bonum fecit ut daret eis eſſe cum proprietatibus, & potentiis naturalibus, quarum interventu in illo ſe conſervarent, quantùm conditio ipſarum id requirebat: ſic enim eduxit eas ex abyſſo nihili, & ſeparavit illas à maſſa rerum poſſibilium, & hoc modo liberavit eas à maxima miſeriarum omnium quæ cogitari poſſint, quæ eſt eſſe nihil. Non contentus iſtâ miſericordiâ, videns quòd ſtatus naturalis, erat parùm ſublimis intuitu ſtatus ſupernaturalis gratiæ, & ſtatus gloriæ, comparatione quorum non erat ille niſi depreſſio, & quædam ſpecies miſeriæ; Deus bonum hoc Angelis fecit, & hominibus, ut crearet illos in ſtatu ſupernaturali gratiæ, per quem progredi poſſent ad gloriam, ut liberaret eos ab omni genere miſeriarum: *Ille eos cum bonâ voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam. Unde ſine bonâ voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe, credendum eſt. Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt, malâ propriâ voluntate: quam bona natura non fecit, niſi cùm à bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono*, ait D. Auguſtinus u de Angelis. Et Cornelius x de hominibus ſic, *In homine eſt imago Dei ſcilicet ſupernaturalis, quæ ſita eſt in gratia & juſtificatione hominis, qua ipſe Divinæ ſit conſors Naturæ y, quæq; in gloria & vita æterna firmabitur, & perficietur. Gratia enim eſt anima animæ, ait S. Auguſtinus z. In hac gratia conditum eſſe Adamum, eamque hîc etiam ad literam intelligi imaginem Dei patet ad Coloſſ 3. 10. Epheſ. 4. 24. Ita paſſim Patres. Ubi nota. Adam in primo inſtanti creationis ſuæ, cum gratia infuſas fuiſſe ſimul omnes virtutes Theologicas & Morales: item datam ei eſſe juſtitiam originalem, quæ præter habitus virtutum jam dictos, erat aſſiſtentia & manutenentia Dei aſſidua; qua fiebat, ut motus omnes appetitus inordinati, ſive concupiſcentiæ, rationem prævenientes, impedirentur, utq; appetitus rationi, ratio Deo in omnibus ſubderetur: itaque homo in omnibus interna pace, rectitudine & ſanctitate frueretur: unde de nulla re inordinatam triſtitiam, iram, concupiſcentiā, aliamve turbidam paſſionem concepiſſet: atque hanc juſtitiam & integritatem Adam, ſi non peccaſſet, in poſteros transfudiſſet.* Pro cumulo igitur omnium bonorum præfatorum iſtorum, quia, ſi creatura potenter non conſervaretur ab ipſo, rediret ex ſemetipſa ad nihilum ſuum, & amitteret in abyſſo ſua id omne quod ipſa poſſidet, & hoc totum quod ipſa eſt, propterea ipſe cuſtodit eam per ſemetipſum in eſſe ipſius ſecundùm quod requirit ipſius natura, juxta id quod ait D. Dionyſius a, *Quòd ea, quæ ſunt, omnia pro ſuâ conſervatrice omnium benignitate à bonorum ſuorum amiſſione redimat, quatenus uniuſcujuſque eorum quæ ſervantur, natura fert. Itaque redemptionem eam Theologi appellant, quatenus ea quæ verè ſunt, in nihilum recidere non patitur.*

ſ D. Tho 1. p. q. 21. ag. 3. in corp.
t Gen. 1. 1, &c.
u D. Aug lib. 12. de Civit. Dei. c. 9.
x Cornel. in Gen. 1. 26.
y ex 2. Petr. 1. 4.
z ex D. Aug c. 6. 2. in Pſ. 70.
a D. Dio. lib. de Div. Nō. c. 8.

Præterea, Conſideranda nobis eſt miſericordia Dei, quatenus intuetur ipſa Juſtos & Sanctos, quos D. Paulus b vocat *Vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*. Et Dionyſius Carthuſianus c poſt eum, *Vaſa miſericordiæ, id eſt, homines miſericorditer prædeſtinatos, quæ præparavit in gloriam, id eſt, præordinavit, & condidit ad conquirendam beatitudinem ſempiternam*. Hæc miſericordia, eſt protectio ſpecialis, per

b Rom. 9. 23.
c Dion. Carth. art. 13 in Rom. 9. 23.

quam

quam defendit Juſtos, & dat eis gratias ſuas, ut tueatur illos contra potentes conatus inferni, & impedit ne relabantur in peccatum. Ipſa eſt af- d Prov. 8 31. fabilitas, per quam familiariter nobiſcum converſatur, dicens, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* d. *Quaſi dicat, Ego Sapientia, quæ prout in Deo ſum, tanta, & tam magna melior, tantâ, tamque ſuavi voluptate deliniar: poſt Deum nullibi vel alacriorem, vel jucundiorem me eſſe experior, quàm in homine, dum illum ad ſanctè, pieque vivendum rego, & confirmo. Accommodatiſſimè autem dixit: Deliciæ meæ. Quia ſapientia, quæ eſt cognitio animum ad operandum ſecundùm virtutem inſtruens, fortaſſe in Angelis nobilitatem, & gloriam ſuam magis oſtendat, quàm in homine, non tamen delicias ſuas. Angelos enim nihil à bonis operibus retardat: imò potiùs ea omnia, quibus conſtat, virtutem, & vitam ſecundùm rationem illis ſuadent.* e ex Gen. 8.21. *At in homine, in quo rationi ſemper adverſatur appetitio, in quo omnia ad vitium prona* e *& proclivia ſunt: in homine, inquam, ſapientia, & virtus delicias ſuas maximè prodit, quandoquidem illum adeò delinire ſolet, ut ſponte, & maximâ cum voluptate ſu-* f Salaz. in Prov. 8. 31 num. 416. *peratis tot difficultatibus ſecundùm virtutem vivat, atque operetur,* ſubdit Salazar f. Sicut Deus interiùs alloquatur Juſtos per illuminationes ſuas & inſpirationes, & permittat eis ut ſibi reſpondeant per colloquia ſpiritualia, familiaria, & amoroſa, quæ ipſe illis ſuggerit, *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Anima mea liquefacta eſt, ut Dilectus locutus eſt. Adjuro vos, filiæ Jeruſa-* g Cant 5. 2. &c. *lem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo* g. Hæc miſericordia, eſt ſuavitas, per quam punit in iſtâ vitâ pœnis levibus h Apoc. 3 19. & humanis culpas eorùm veniales, ut illos liberet à ſuppliciis graviſſimis alterius vitæ. *Ego quos a-* i Dion. Carth. art. 4. in Apoc 3, 19. *mo, arguo & caſtigo* h. Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum i, *Ego quos amo, putà Electos & Bonos, arguo per me, & meos Vicarios verbis, & caſtigo verberibus, ſeu adverſis, ne quid mali in eis remaneat.* Ipſa, eſt dulcedo, per quam dat eis conſolationes internas, tranquillitates conſci- k Pſ. 93 19. entiæ, & prægustus cœli, ſuperantes omnem dulcedinem oblectamentorum terræ: unde dicebat Deo David k, internis dulcedinibus iſtis perfuſus, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Conſideremus etiam miſericordiam Dei, prout intuetur ipſa ſpeciatim peccatores: hæc enim miſericordia æquè parùm eis deeſt ac lumen Soli, & aqua mari. Hæc miſericordia, eſt erga eos manſuetudo, patientia, benignitas, & clementia. Primò, Eſt manſuetudo, quatenus, l 2. Reg. 12. 1. &c. cùm homo commiſit peccatum ſuum, Deus propterea non turbatur, nec iraſcitur, ſicut patet ex parabola Scripturæ l, cùm ipſemet *miſit Do-* m Sap. 11 24. *minus Nathan ad David,* qui peccaverat. Secundò, Eſt patientia, prout Deus diu peccatores expectat ad pœnitentiam, nec illos punit extemplò, ſicut ait illi Salomon m, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Tertiò Eſt benignitas, inquantùm ipſa ſemper eſt diſpoſita ad ſuſcipiendum peccatorem, ſi pœnitentiam agat criminum n Rom 2 4. ſuorum ex toto corde ſuo, & conſenſum ſuum præbeat emendatæ vitæ impoſterùm ſectandæ, *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* ait D. Paulus n, eundem peccatorem alloquens. Nam licèt ejus peccata numeroſiora eſſent quàm ſint capilli capitis ipſius, dato quòd eſſent rubicundiora coccino, vel teteriora carbone, & quòd eſſent impietates, ſacrilegia, & abominationes, pro quibus mereretur ſuſtinere ſupplicia atrociſſima: tamen ſtatim ac proponit vitam ſuam pravam deſerere, ſuſcipitur cum blanditiis amoroſis & dulcedinibus deliniendis gratiæ, quæ datur ipſi ſtatim, & ipſe confeſtim reponitur in numero fortunato eorum qui deſtinati ſunt ad paradiſum, prout *filii Dei: ſi au-* o Rom. 8 16 & 17. *tem filii; & heredes: heredes quidem Dei; coheredes autem Chriſti* o. Et hoc eſt quod Deus o Iſai. 1. 16 &c. ipſemet ait, peccatores alloquens per Iſaiam p, *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſè, diſcite benefacere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus velut lana alba erunt.* Quartò, Eſt clementia, quâ Deus puniens peccatorem, qui non q Job 41 15. vult agere pœnitentiam, cujus eſt induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* q ſtri- r Rom 2 5. ctum, & cui ideò ſic D. Paulus r loquitur, *Se-* s Joan 8. 21. *cundùm duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram,* & qui moritur obſtinatus *in* t Exod. 9 12. *peccato* s, ſicut Pharao, de quo Scriptura ſic ediſſerit, *Induratum eſt cor Pharaonis* t: non inſumit tantum rigorem, quantum jure merito adhibere poſſet adversùs eum puniendum: juſtè ſiquidem poſſet augere pœnas damnatorum: ſed per clementiam in violentiſſimâ executione juſtitiæ ſuæ, aliquam ſtillare facit guttam miſericordiæ ad moderandum ardorem flammarum æternarum, cùm dicant Theologi, quòd Deus u Apoc. 8 10. reprobos punit citra condignum. Propterea iidem reprobi vocant eum nomine *Agni* u. Quia mitiùs ipſos excipit quàm meruerint.

Admiror præ ſtupore hanc miſericordiam x Job. 24 13. infinitam: quid enim reperis, Deus mi, in peccatore abominabili, rebelli *luminis* x gratiarum tuarum, & conſcio omnis generis criminum, ad hoc ut ei tot favores largiaris, illumque tot cumules chariſmatibus & beneficiis? Quinam Rex, quantùmvis clemens pepercit unquam ſubditis ſuis ter criminis læſæ majeſtatis? Tu verò, Domine, præ y Prov. 1. 24. miſericordia incomparabili, extendis ſemper *manum* y tuam ad peccatorem: & interim ille tibi reſiſtit, aggravans peccatum ſuum non obſtante hâc Divinâ miſericordiâ tuâ. Quales tenebræ in mente ejus? quale venenum in corde illius? & qualis faſcinatio in oculis ejus? Sanè pudore ſuffundor intuitus quòd à peccatore præ tanto contemptu excipiaris. Eja ergo, peccator, expergiſcere: dormiviſti ſatis, diſpone te ad agendam pœnitentiam peccatorum tuorum, deſere pravas omnes conſuetudines quas contraxeras in peccato; aperi oſtium animæ tuæ Deo iſti z Apoc. 3 20. bonitatis, qui te quæſivit à decem, viginti, triginta, quadraginta, & quinquaginta annis: dicens, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* z, ad uniendum ſe tibi, a Pſ. 118. 64. & ad te cumulandum gratiis ſuis, ut dicere poſſis ei cum Davide a, *Miſericordiâ tuâ, Domine, plena eſt terra.* Et quòd hæc effunditur ubertim ſuper omnia. Sic eſt, Deus mi: nullæ ſunt miſericordiæ ſic latè & ſic affluenter extenſæ ac miſericordia tua: Sol non retrahit homines, niſi è tenebris noctis, & lumen illius non prodeſt niſi

linu-

animalibus, & cæteris rebus ſublunaribus: ſed quàm exiguū eſt iſtud. Domine, intuitu effectuum innumerorum infinitæ miſericordiæ tuæ: Nullum eſt aſtrum quod tot effundere potuerit unquam influentias: Nulla terra quæ unquam ſic abundanter fructificare valuerit: Nec ullus fons qui unquam ſe cum tantâ profuſione communicaverit: Illumina, Domine, mentem meam, ut diutiùs tua contempler mirabilia: inflamma affectum meum, ut, poſtquàm à me fueris agnitus *dives in miſericordia* b, manifeſteris à me infinitus *in juſtitia* c in hâc ſecundâ meâ parte.

b Epheſ. 2. 4.
c Pſ. 67. 9. II. Par.

Deus eſt *juſtus* d apud ſe, & talis ſemper erit in ſeipſo, dato etiam ex ſuppoſitione quòd nulla eſſet creatura in mundo, bona, aut mala. Juſtitia, eſt temperamentum perfectum, & punctum conſummatum æqualitatis: æqualitas fundatur ſuper concordiam, concordia ſuper ſocietatem, ſocietas ſuper amorem, amor ſuper ſimilitudinem, ſimilitudo ſuper unionem, unio ſuper unitatem, & unitas ſuper eſſentiam ſimpliciſſimam, totam plenam amore, ſimilitudine, æqualitate, & concordiâ, *Spiritus eſt Deus. Id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata: eſt tamen honoratiſſimus intellectus*, ait Dionyſius Carthuſianus e poſt D. Joannem. Nunquid non iſtud eſt evidenter concludere, quòd Deus poſſidet juſtitiam modo longè excellentiori quàm quis poſſit concipere? Nonne hoc eſt oſtendere, quòd æqualitas, quæ invenitur inter naturam perſonas & attributa Divinitatis, eſt primum & nobiliſſimum officium ſublimis iſtius juſtitiæ? Dei Filius, eſt juſtus erga Patrem ſuum, nolens ei eripere qualitatem Patris, per quam Pater iſte dicit ipſi, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* f. Pater, eſt juſtus erga Filium ſuum, reddens eum æqualem ſibimetipſi, producendo cum eo in unitate principii ſeu ejuſdem voluntatis, *Spiritum veritatis* g. Et Spiritus ſanctus eſt juſtus intuitu Patris & Filii, cùm ſit contentus eo quod ipſe poſſidet, & modo quo ipſe ſubſiſtit in Trinitate. Totæ tres perſonæ ſe cognoſcunt & ſe diligunt cum æqualitate juſtitiæ, quia ſunt æqualiter infinitæ, & infinitè æquales, *Totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales* h.

d Pſ. 118. 137.
e Dion. Carth. art. 11 in Ioan. 4. 24.
f Pſ. 2. 7.
g Io. 15. 26.
h D. Ath. in ſuo Symbol.

Deus non ſolùm juſtus eſt apud ſe, ſed eſt etiam infinitè juſtus extra ſe. Ut autem concipiatur hæc veritas, admittenda eſt in Deo juſtitia diſtributiva, quam ipſe cuſtodit omnibus creaturis mundi, quibus dedit & dat quotidie id quod eis debetur, & quod eſt congruum naturæ & conditioni ipſarum. Hæc juſtitia vocatur diſtributiva: quia ſicut in magna domo ſapiens œconomus dat unicuique id quod ipſi congruit, ipſûque decet intuitu boni regiminis domus: ſic Deus per ſimilem juſtitiam, cùm mundum creaverit i, illumque gubernet k, & univerſa ordinaverit in bonum finem, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* l; dat cuilibet creaturæ partes, proprietates, & perfectiones ipſi cōvenientes intuitu finis ad quem eſt ipſa deſtinata à ſapientia & bonitate ipſius. Sic, cùm anima creata fuerit ad videndum, & diligendum ipſum, ipſe dedit illi intellectum, & voluntatem: Cùm corpus hominis formatum fuerit ad laborandum in hoc mundo, ipſe dedit ei manus æquè ac brachia: Cùm Sol productus fuerit ad illuminandum mundum, ipſe tribuit ei vim illuminandi quæ durat jugiter: Cùm ipſe produxerit animalia propter ſervitium ab eis homini impendendum, ideò tribuit eis fortitudinem: Illis verò quæ ipſe creavit ad nutriendum eundum hominem, ipſe largitus eſt earnem teneram & delicatam: Unaquæque planta, quælibet arbor, tandem id omne quod eſt in mundo, habet virtutem ſuam propriam, cujus adminiculo poſſit attingere finem, propter quem venit in mundum. Propterea Scriptura m dicit, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Quia omnes creaturæ erant inſtructæ iis omnibus quibus indigebant ad hoc ut attingerent finem ob quem creatæ erant.

i Gen. 1. 1. &c.
k Sap. 8. 1
l Prov. 16. 4.
m Gen. 1. 31.

D. Dionyſius n hanc agnoſcit in Deo juſtitiam diſtributivam, & ait, *Juſtitiâ Deus laudatur, quòd ſua cuique pro dignitate tribuat, quod modum, pulchritudinem, ordinem, ornatum, omneſque diſtinctiones & ordines terminò, qui verè æquiſſimus eſt, unicuique definiat; & omnibus ſuæ cujuſque actionis Author ſit. Divina enim Juſtitia omnia diſponit* o *& determinat. Quæ ſi rectè dicimus, omnes qui Divinam Juſtitiam reprehendunt, ſemetipſos injuſtitiæ planè condemnare ignorant.*

n D. Dioñ. lib. de Div. Nom. c. 8
o ex Sap. 11. 21.

Deus habet etiam juſtitiam intuitu Bonorum & Juſtorum, quæ eſt juſtitia remunerativa, per quam remunerat multis beneficiis eos, qui ipſi ſerviunt, quique fideliter ipſum diligunt per iſtius vitæ decurſum. Quamvis enim Deus conſideratus in ſeipſo, nulli quid debeat, cùm creatura in omnibus juribus ſuis tota ſit ipſi addicta millies plùs quàm ſervus ſit Domino ſuo ſubditus, nec ipſa ſit ullo modo ſuî, ſic ut ipſa nihil poſſit dare aut offerre Deo, quod non ſit totum Divinæ ipſius majeſtati ſubjectum, eò quòd Deus ipſam creaverit, & ipſam conſervet, & propter innumeras alias rationes, nedum ſit ipſe obſtrictus propter id ad dandam ipſi mercedem: attamen alligavit ipſe verbum ſuum ad remunerandа bona opera, quæ propter honorem & gloriam ipſius fierent, gloriâ æternâ. *Debitorem Dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo. Non ei dicitur, Redde quod accepiſti: ſed, Redde, quod promiſiſti*, ait D. Auguſtinus p. Ad quod ipſe fuit inductus bonitate ſuâ naturali, & decentiâ quæ aderat, ut animæ virtuoſæ ſuſciperent ab ipſo bona, prærogativas, & oblectamenta: iſtæ enim animæ fortunatæ conatæ ſunt ei placere, ſatisfacere voluntati illius, manifeſtare gloriam ipſius, & niſi ipſe eſſet immutabilis, *Dicit Dominus exercituum, Ego Dominus, & non mutor* q: ſi ipſis fuiſſet poſſibile, ipſæ feciſſent illum creſcere in gloriâ, bonis, & perfectionibus. Deus hic eſt invincibilis, nec ſuperari ſe ſinit bonâ voluntate ab ullâ creaturâ: propterea conſtanter ait, *Ego ſum merces tua magna nimis* r, Et, *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum* s. Ipſe ſe obſtrinxit ad dandum honores, bona, & gaudia æterna Bonis & Juſtis qui ipſum honoraverunt, ipſique ſervierunt interventu generoſarum actionum ſuarum. Et in hoc conſiſtit juſtitia remunerativa poſt interitum, æquè ac ante diſceſſum ex iſta vita ipſa ſita eſt in honoribus, quibus Deus afficit eos qui ipſi famulantur, ut ait D. Gregorius t ſuper hæc eadem verba Scripturæ: *Jam quippe glorificantes gloriam cernimus: quia Prædicatores ſanctæ Eccleſiæ magno ſplendore vitæ omnipotentis Dei laudes concinunt, atque in univerſali orbis prælatione gratulantur. Ecce jam Sacerdotum veſtigiis Gentilitas univerſa ſubſternitur, & eos, quibus ſe gaudet obediendo ſubjicere, Patronos gloriatur in cæleſtibus poſſidere.*

p D. Aug. in Pſ. 83.
q Malach. 3. 5. & 6.
r Gen. 15. 1.
s 1. Reg. 2. 30.
t D. Greg. lib. 2 c. 2. in 1. Reg. 2. 30.

dere. Glorificantem ſe ergo Dominus glorificat: quia à quibus devotè quotidie laudes accipit, ad univerſi orbis honorem ſuſtollit. Annon glorificatis gloria eſt, in terra manere, & cœlum claudere? Vitam communiter homines vivere, atque ſupernas cœlorum ſedes ſubditis authoritate poteſtatis exhibere? Glorificabat quippe Dominum qui dicebat: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi u. (u Matth. 16. 16.) *Sed glorificantem ſe Dominus glorificavit: quia ei reſpondit, dicens: Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* x. (x Matth. 16. 19.)

Inſuper, Eſt in Deo conſideranda tertia juſtitia intuitu peccatorum & malorum, quæ eſt juſtitia vindicativa, per quam facit illos pati pœnas & ſupplicia quæ peccatis & demeritis illorum ſunt debita: quia homo flagitioſus æquo liberior, & nequam, magnam irrogat injuriam ſummæ majeſtati Dei, vivens contra voluntatem ejus, & contra ordinem ab ipſo inſtitutum, & capeſſens oblectamentum ſuum in rebus, quæ ipſi ſunt prohibitæ à ſupremo Principe ſuo: propterea peccatoris intereſt, ut ingenter humilietur, ut ſuſcipiat pœnas & moleſtias, quæ ſint contra ipſius voluntatem, & ſit in ſtatu qui adverſetur inclinationibus ipſius perverſis, & qui ſit ſecundùm voluntatem Dei. Nam hoc modo perſona offenſa reparationem ſuſcipit injuriæ ſibi illatæ, cùm perſona quæ ipſam offendit & contempſit, potiùs ipſamet immodicè deprimitur; & pro oblectamento & gaudio quibus perfundebatur, pœnas inde ſuſcipit & dolores invita, & cogitur ſubire leges, & ſubjici voluntati contrà quam inſurgebat anteà: pertinet igitur ad peccatorem ut vehementer humilietur, ut patiatur contra voluntatem ſuam, & compellatur ad ſuſtinendas flammas æternas ſecundùm voluntatem Dei. Et hoc eſt quod Deus agit per ſuam juſtitiam vindicativam, & quod incipit ex hac vita, & quod perficit ipſâ mortis horâ, & ipſo judicii extremi die, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum*, ait Scriptura z (z Matth. 25. 46.) de impiis. In quo Deus vituperandus non eſt, nec accuſandus: nam ſi Lex eſt juſta quæ reo & prævaricatori decretorum ipſius infligit jure merito ſupplicium quod meretur; & ſi Judex eſt integer & æquus, qui ultionem & pœnas expetit de criminibus & flagitiis quæ patrantur ab impiis; qui enim punit improbos juſtâ præ ſeveritate, conſervat Bonos: ita Deus æquus eſt & juſtus, qui moleſtias infert malis, nec parcit eis exceſſus ipſorum, ne majores inferant injurias Juſtis, qui vivunt ſecundùm regulas rationis, & juxta maximas probitatis. Eodem modo ſe res habet ac in domo illuſtri, in qua ſervus aliquis furaretur bonum Domini ſui, eumque contemneret, nedum ſatageret exhibere illi ullam reverentiam, aut aliquod obſequium ſubmiſſionis & obedientiæ; vel qui non contentus his exceſſibus, occideret domeſticos & liberos, violaret uxorem Domini ſui, & tandem domum ejus incenderet; ſi poſt hæc omnia ſcelera patrata, Dominus non commoveretur adverſùs hunc ſervum, non deberet vocari clemens & miſericors, ſed potiùs inhumanus & immitis, quippe qui nullam expeteret de hujuſmodi facinoribus ultionem: ſic non eſſet virtus, ſeu potiùs perfectio in Deo, ſi videret malos ſervos in domo ſanctâ ſuâ, quæ eſt univerſus orbis, qui contemnerent Divinas ipſius leges, qui conculcarent ſancta ipſius decreta & mandata, qui ſacrum nomen ipſius jugiter negarent; qui abſque intermiſſione blaſphemias vomerent execrabiles adverſùs ipſius Divinam Majeſtatem; qui adorabili voluntati ipſius in omnibus adverſarentur, & qui patrarent omnia ſcelera imaginabilia: & poſthæc non puniret eos: & ideò admittitur in Deo virtus ſeu perfectio formidabilis impiis; eſt in eo juſtitia vindicativa ad puniendà præ rigore incomparabili peccata malorum, nedum quis diſpenſare ſe poſſit ab experiendis effectibus juſtæ iræ ipſius.

Declinari poteſt à facie Principum, & ab eorum irâ per aliquot annos; ſed nemo poteſt effugere faciem Dei: ipſe ſcit cogitationes noſtras antequàm à nobis concipiantur: *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum. & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* a. (a Hebr. 4. 12. & 13.) Et ſi oculi ejus intuentur *abyſſos* b, (b Dan. 3. 55.) æquè peregrè protenduntur ipſius brachia. Quantancunque ſibi mali polliceantur impunitatem, Deus intentos ſemper operibus eorum habet oculos: cùm videtur minùs occupatus circa mundi regimen, obſervat ipſe cunctos eorum greſſus, quandiu *pedes illorum ad malum currunt; & feſtinant ut effundant ſanguinem* c. (c Prov 1. 16.) Et omnes hujuſmodi flagitioſorum *ſcit cogitationes hominum, quoniam vana ſunt* d. (d Pſ. 93. 11.) Et obſcuriſſimæ quælibet noctes non habent tenebras ſatis denſas ad hoc ut ipſius oculis eripiant intuitum minimi vel criminum omnium, quorum illi ſe conſcios reddunt ex alacritate cordis. Aſtuti & doloſi decipere quidem poſſunt ſimplices, ſed Deum fallere nequeunt: ipſe legit in conſcientiis ſingulorum noſtrûm, & minima culparum noſtrarum; æquè parùm poteſt effugere intuitum ejus ac judicium illius, *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum* e. (e Jer. 17. 10.) Sicut mulier prægnans poteſt aliquandiu diſſimulare tumorem uteri ſui; ſed eo ipſo quo fœtum ſuum enititur, exceſſus dolorum ipſius, qui faciunt ipſam contentâ voce inclamare, manifeſtant omnibus id quod ipſa ſic diu abſcondit: eodem modo ſe res habet de impiis qui mori volunt ut tales, abſcondere poſſunt ſua crimina, & haberi veluti boni per decurſum iſtius vitæ, ſed ipſo die judicii extremi peccata ipſorum erunt nota iis omnibus qui ea ignorabant: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit* f. (f 1. Cor 3. 13.)

Nihil eſt certius, Deum eſſe ubique, imò verò in inferis, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* g? (g Jer. 23. 24.) Sentiri poſſunt effectus ejus, ſed non poteſt ipſe videri: *Non enim videbit me homo, & vivet* h, (h Exod. 33. 20.) ait ipſemet. Et licèt impius illum procul amandaverit à corde ſuo; *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus* i: (i Pſ. 13. 1.) aſſeri poteſt quòd à nullo loco abeſt, quia ubi non eſt ipſe per gratiam ſuam, ibi tamen adeſt ut exerceat ibidem vindictam quam decernit ipſius juſtitia. Ipſe eſt potens creditor, cui nemo mortalium poteſt ceſſionem agere & ſolum vertere, ipſe ſuos ſemper intentos habet oculos debitoribus ſuis, quos habet *in libris* ſuis ſcriptos, ut judicet eos *ſecundùm opera ipſorum* k. (k Apoc. 20. 12.) Hanc igitur, peccator, metue juſtitiam, cùm adſit ubique: ſi non vis in bonam emendatæ vitæ frugem te re-

recipere

cipere præ ſuavitate miſericordiæ, *Nunquid juſtitia in terra oblivionis l?* (l Pſ. 87. 13) Ipſa replet mundum horrore, cunctas armat ipſa creaturas ad puniendos improbos, *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum: & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* m. (m Sap 5. 18 & 21.) Ipſa ædificavit ergaſtula ignea & ſulphurea in intimis terræ penetralibus, *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda* n. (n Apoc. 21 8.) O ſtupiditas peccatorum! quàm effrænis temeritas audere excitare hanc Divinam Juſtitiam adversùs ſemetipſos!

Poſſibile ne eſt, Auditores, ut æterna ſalus animæ veſtræ *pretio magno* o, id eſt, ſanguine Jeſu Chriſti redemptæ, (o 1. Cor. 6. 20.) videatur vobis ſic exigui momenti, ut debeatis illam caſibus exponere, qui juges intentant vitæ veſtræ minas? Si hæc vobis cononuetur, ipſa forſan impetetur infirmitatibus, quæ attenuabunt ſpiritum, æquè ac corpus, & quæ vix relinquentes vobis vivendi modum, vobis eripient ſenſus & affectus pœnitentiæ. Ecce vos vicini præcipitio; & tamen deliberatis utrùm debeatis ab eo recedere: habetis carbonem ignis in ſinu; & tempus requiritis ad excutiendum eum: Dies & occaſiones veſtræ ſalutis agendæ inſenſibiliter elabuntur; & hanc jacturam parvipenditis: attendite quòd ex omnibus differentiis temporis, unicum duntaxat præſens penes vos eſt, & quòd nihil polliceri vobis poteſtis circa futurum quantùm ad id quod ſpectat actiones animæ veſtræ. Profice igitur, peccator, exiguo tempore quod tibi ſupereſt, ad evitandas punitiones æternas juſtitiæ vindicativæ Dei; aperi cor tuum ad ſuſcipiendas Divinas influentias cœli, quæ offeruntur tibi hodie ab infinitâ miſericordiâ Dei; age pœnitentiam peccatorum tuorum, & conſidera quàm miſer eſt ſtatus eorum, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt* p. (p Rom. 1. 28.) Quantâ dignum eſt commiſeratione cor illud induratum, quod amiſit ſenſum & affectum erga Divina, quod nullo fungitur amplius officio vitæ ſpiritualis, quodque nullo cietur alio motu, niſi eo qui præcipitat ipſum in abyſſum. Macte ergo animo, peccator: da manum tuam Deo, qui hodiernâ die extendit *manum* q ſuam ad te, ut te educat ex infortunio, cui à ſic diuturno tempore te immerſiſti; (q Prov. 1. 24.) deſere pravas conſuetudines quas contraxiſti in vitio, ut te reddas dignum, ſicut bonum ſemen, ad ſuſcipiendas influentias gratiæ & miſericordiæ infinitæ Dei per merita ſanguinis Filii ejus, ut fructificare poſſis ad gloriam ſempiternam.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis, Matth. 13. 13. &c.

ADmiratine fuiſtis unquam præceptum, quod fecit aliàs Deus Ezechieli a, (a Ezech 4. 1. & 2.) & admirabilem induſtriam, quâ uſus eſt hic Propheta ad illud exequendum? *Et tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te: & deſcribes in eo civitatem Jeruſalem. Et ordinabis adversùs eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro.* Seu, juxta Cornelium b, (b Cornel. in Ezech 4. 1. & 2.) *Sume tibi laterem, in quo ſtylo ferreo delineas urbem Jeruſalem, & circa eam obſidionem, id eſt, caſtra & machinas Chaldæorũ obſidentium. Ex lateribus enim fiunt domus, & urbes. Rurſum, Later magis aptus erat ad picturam, quàm lapis. Munitiones, id eſt, turrim ligneam, in cujus ſummo ſcilicet ſtatuebantur baliſtæ, ſcorpiones, arietes, & aliæ machinæ ad muros quatiendos. Et comportabis aggerem aggeſtæ terræ cumulum, item lapidum, ceſpitum, lignorum congeſtionem, ut excites propugnaculum, ex quo quaſi è monte diſplodantur baliſtæ in mœnia, & cives: aut potiùs aggerem, quo ſcilicet ſe Chaldæi à telis Judæorum tueantur. Solent enim hoſtes urbem obſeſſuri aggeres ante ſe agere atque promovere, ut illæſi ad muros accedant. Ita Maldonatus. Dabis, depinges. Omnia enim hæc, non realiter fecit, ſed in latere pinxit Ezechiel. Arietes, ita dicta trabs, quæ pendens ex funibus, & retrorſum ab obſidentibus repulſa ferro in fronte inſtar cornu prominente, quaſi aries mœnia & portas magno impetu percutiebat & dejiciebat.* Nunquid non illud eſt magnum mirabile? Nequaquam re verâ, ſi intueamur granum ſinapis Evangelii noſtri, in quo ſummatim Dei Filius includit Regnum cœlorum. Myſterium iſtud detegemus poſtquàm B. Virgini dixerimus, *Ave Maria*.

Parabola eſt iſtud quod proponit nobis Dei Filius hodiernâ die comparans Regnum cœlorum, grano ſinapis. Ipſe ſe conformat per familiarem modum loquendi, populo Palæſtinæ (qui ordinariè *ſequebatur eum* c (c Ioan. 6. 2.) ad audiendos ſermones ipſius) quique ſolitus erat miſcere parabolis univerſos ſermones ſuos, ut ſe intelligibiliorem redderet auditoribus: & cùm veniſſet ad edocendos homines, quippe quem Pater æternus dedit *Præceptorem Gentibus* d, (d Iſai. 55. 4.) *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* e, (e Matth. 17. 5.) teſtibus Iſaia & D. Matthæo, quibus concordat Dionyſius Carthuſianus f, (f Dion. Carth. art 30 in Matth. 17. 5.) ſubdens verbis D. Matthæi, *Quoniam ipſe eſt Veritas* g (g ex Jo. 14. 6.) *infallibilis, Sapientia* h (h Sap. 7. 24.) *increata, Magiſter* i (i Joan 13. 3.) *perfectus, Doctor* k (k ex Joel. 2. 23.) *ſalvificus, qui ait, Qui audit verba mea, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam* l (l ex Io. 5. 24.): *Hunc Magiſtrum eſſe audiendum prænunciavit Moyſes* m, (m ex Deut 18. 15. & 19.) *Prophetam (inquiens) ſuſcitabit vobis Dominus, tanquam meipſum audietis, & omnis qui non audierit verba Prophetæ illius, exterminabitur de populo ſuo*: rectæ rationi conſonum erat, ut ſe intelligibilem redderet omnibus, ut omnes lucraretur. Hic autem modus loquendi, & exprimendi conceptus noſtros per ſimilitudines ſimplices, familiares, & populares, eſt maximè neceſſarius intuitu infirmitatis, & exiguæ capacitatis mentis humanæ. Ad quod conformiter dicit Ariſtoteles n, (n Ariſt. lib. 1. Ph. c. 1 text. 3) quòd ipſa natura clarè & manifeſtè nobis iſtam demonſtrat veritatem, cùm ad hoc ut habeamus intelligentiam & cognitionem rerum occultarum, oporteat ut utamur claris luminibus earum,

quæ

quæ ſe veluti digitis tangendas, & ſenſibus noſtris experiendas exhibent, ut illis mediis perveniamus ad notitiam rerum difficiliorum, & minùs notarum: *Inſita vero naturaliter via eſt ex his, quæ nobis magis ſunt nota & manifeſta, ad ea, quæ naturâ ſunt notiora, ac manifeſta. Non enim nobis, atque ſimpliciter eadem nota. Quapropter neceſſe eſt, ut hoc modo progrediamur, nempe ex his, quæ naturâ minùs ſunt manifeſta, nobis autem manifeſtiora, ad ea quæ naturaliter magis ſunt manifeſta, & notiora.* Sed D. Gregorius o dicit appoſitè ad Evangelium noſtrum, *Cælorum Regnum, Fratres chariſſimi, idcircò terrenis rebus ſimile dicitur, ut ex his quæ animus novit, ſurgat ad incognita quæ non novit: quatenus exemplo viſibilium ſe ad inviſibilia rapiat, & per ea quæ uſu didicit, quaſi confricatus incaleſcat: ut per hoc quod ſcit notum diligere, diſcat & incognita amare.* Quàm eximia eſt hæc ſententia! Sic ſub cortice parabolarum comprehenduntur egregiæ veritates. Videamus illud in parabola Evangelii hodierni, ubi dicitur, *Simile eſt Regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor; ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus.* Dicere poſſem cum maxima parte Patrum, & Interpretum, quòd intelligitur hæc parabola de Eccleſia, quæ parva in principiis ſuis, ſemper abit in incrementum: ſed aliam viam ſequens, intendo vobis monſtrare, quòd hæc comparatio Regni cælorum cum grano ſinapis intelligitur de Juſtis, qui minimi in hoc ſeculo poſtquàm projecti ſunt in terram mortalitatis ſuæ, ita creſcunt, ut aves cæli, id eſt, Magnates ſeculi confugiant ad umbram ramorum ipſorum capeſſendam. Quòd autem per Regnum cælorum intelligantur Juſti, ipſemet Dei Filius edisſerit hoc per D. Lucam p, *Ecce Regnum Dei intra vos eſt.* Id eſt, ſubdit D. Bonaventura q, *Per Divinæ gratiæ oblationem, quæ quidem facta fuit in adventu Chriſti. De quo Joannes: Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis* r. *Unde Beda: Regnum Dei ſeipſum dicit, intra illos utique poſitum, hoc eſt in cordibus eorum, ubi credidère regnantem. Propter quod dicitur: Si in digito Dei ejicio dæmonia: profectò pervenit in vos Regnum Dei* s. *Illud ſcilicet, de quo dicitur: Non eſt Regnum Dei, eſca, & potus* t, *&c.* Quòd ſi videre velitis convenientias quæ admittuntur inter Juſtos & granum ſinapis conformiter ad Evangelium hodiernum, ſequimini conceptus meos in deducendis convenientiis iſtis in progreſſu diſcurſus iſtius.

o D. Greg. Hom. 11. in Evang. Matth. 13. 44.
p Luc. 17. 21.
q D. Bon. in Luc. 17. 21.
r Ioan. 1. 26.
s Luc. 11. 20.
t Rom. 14. 17.
Propoſitio.

Si, ſecundùm effatum Veritatis infallibilis, granum ſinapis eſt exiliſſimum inter omnes plantas, *Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus*: & ſic exiguum ut vix poſſit videri: ſic Juſti, ſunt ita parvi in propria opinione ſua, & res ſic exigua præ oculis mundi, ut dici poſſint minimi omnium hominum: & quemadmodum nihili ducitur granum ſic exiguum ut vix poſſit videri; ſimili modo contemnuntur Juſti propter parvitatem ſuam, & ita parvipenduntur ac ſi non eſſent in mundo: *Nos ſtulti propter Chriſtum, tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc*, ajebat D. Paulus ſcribens Corinthiis u. Et, juxta Dionyſium Carthuſianum x, *Nos ſtulti propter Chriſtum, id eſt, amore Chriſti, ſicut agimus quòd à mundo ſtulti & inſenſati putamur. Tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, id eſt, reputamur à perfidis, quaſi immunditia quadam, inficientes hunc mundum noſtrâ doctrinâ. Idcircò cùm occidimur, putant mundum purgari ab hominibus peſtilentibus, ſicque efficimur mundi purgamenta, factique ſumus omnium peripſema uſque adhuc, id eſt, velut ſuperfluitas quædam generis humani, ita ut apti non ſimus hominibus ſociari, ſed tolli. Peripſema autem vocatur purgamentum ferri, vel pomi, ſeu alterius rei, illud videlicet quod aufertur à materia rei, ut purgetur ſicut eſt limatura æris, aut ligni.* Et, ſecundùm Cornelium y, *Tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus. Purgamenta vocat fæces, excrementa, ſordes inquit Theophylactus, & Theodoretus. Unde & Syrus vertit, Tanquam ſtercus mundi facti ſumus: idque non ſemel, ſed ſemper, uſque ad hanc horam. Ita Theophylactus. Græcè eſt, ὡς perícathármata. Quaſi diceret, Quaſi ſordes undique everrendo collecta facti ſumus. Hoc enim notat, peri. Quaſi diceret, habemur contemptiſſimi, abjectiſſimi, indigni hominũ conſortio mundo ejiciendi & exterminandi. Alludit Paulus ad Jeremiam* z, *qui ait: Eradicationem & abjectionem poſuiſti me in medio populorum. Ubi Hebraicè eſt abraſionem ſive raſuram, & reprobationem ſive ſordes, quæ reprobantur & ejiciuntur, feciſti me. Quod Paulus clarè expreſſit, dum abraſionem vertit purgamenta; ſive reprobatam ſcobem & ſordes vocat peripſema. Jeremias enim a Judæis incarceratus, abraſus & reprobatus, adeòque damnatus ad mortem, fuit typus Pauli & Apoſtolorum, qui à Judæis a & Gentilibus b incarcerati, abraſi, rejecti, & tandem occiſi fuerunt. Secundò, Gagnæus, & alij legunt per diaſtolen, ὅ per cathármata, quaſi piacula, aut piaculares hoſtiæ. Unde Ambroſius c legit: Facti ſumus luſtramenta mundi. Ubi nota, cathármata, vel anathemata Gentilibus erant ſceleſti & exitiales homines, qui famis, tempeſtatis, alteriuſque publicæ calamitatis ſedandæ causâ immolabantur: quales ſe fecerunt Decij devoventes ſe pro patria, & Curtius qui ad luem communem ſedandam, & Numen placandum, hoſtiam pro ſalute patriæ ſe devovit, atque armatus Romæ in terræ hiatum inſilijt. Sic Servius in illud Æneidos 3.*

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Notat famem dici ſacram ex more Gallorum. Cùm enim Maſſilienſes peſte laborarent, unus è pauperibus ſe offerebat alendum anno integro publicis & purioribus cibis, poſteà verbenis veſtibuſque ſacris ornatus circunducebatur per urbem, cum execrationibus, ut in eum inciderent omnia mala civitatis; ſicque mactabatur, vel in aquas projiciebatur. Unde Budæus ex Suida, & alijs: cathármata, ait, erant homines ſacri, quos quaſi onuſtos totius civitatis ſceleribus in mare projiciebant, & Neptuno ſacrificabant, addentes hæc verba: peripſema imôn genoũ. Eſto noſtrum peripſema, id eſt, noſtra piacularis victima. Tale piaculũ fuit apud Hebræos, caper emiſſarius †. *Sed, ut dixi, noſter & Græca paſſim legũt pericathármata, id eſt, purgamenta. Unde prior ſenſus verior & ſimplicior eſt: agit enim Paulus de ſui & ſuorũ contemptu, quòd quaſi ſordes, & res viliſſima omniũ linguis & pedib⁹ calcarẽtur. Unde ſequitur. Omniũ peripſema*

u 1. Cor. 4. 10. & 13.
x Dion. Carth. a. 4. in 1. Cor. 4. 10. & 13.
y Cornel. in 1. Cor. 4. 13.
z Thren. 3. 45.
a ex 2. Cor. 11. 23.
b ex Act. 12. 4. & 16. 24.
c D. Amb. Serm. 8. in Pſ. 118. 57.
† ex Lev. 16. 21.

uſque adhuc. Peripſema, id eſt, abjecta ſcobs, ramentum, resque viliſſima, quæ abjiciuntur, & calcantur ab omnibus. Ita Chryſoſtomus, Theophylactus, Anſelmus. Peripſan enim abſtergere, limare, radere ſignificat. Oecumenius per peripſema intelligit vilem panniculum, vel ſtrophiolum, quo ſudores abſterguntur. Secundò, Alii ex Budæo, ut dixi, peripſema vertunt, piacularis hoſtia. Unde & Syrus tranſtulit, piaculum omnium. Quid viliùs, quidnam abjectius Juſtis iſtis? & in hoc ſtatu patiuntur omnium rerum penuriam, nuditatem, & injurias, quinimò & verbera ab unoquoque, ſicut fatetur ipſemet D. Paulus d, *Uſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur; & benedicimus: perſecutionem patimur; & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus.* Quid plùs contemptum & pejùs exceptum quàm ſint Juſti? *Juſtorum ſimplicitas deridetur: quia ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio ſtultum putatur, & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientia fatuum ſonat. Quid namque ſtultius videtur mundo, quàm mentem verbis oſtendere, nil callidâ machinatione ſimulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare e, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere f, rapienti non reſiſtere g, percutienti alteram maxillam præbere h?* dicit D. Gregorius i. Deſpicitur ipſorum doctrina: & ſi annunciant myſterium Jeſu Chriſti cruci ſuffixi, inde alii ſcandalizantur, alii verò inſimulant ipſos ſtultitiæ pro eo quòd adorent, prout Deum, hominem, qui damnatus eſt ad mortem ſic probroſam, qualis eſt mors crucis, *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam,* ait D. Paulus k. Et ſi iſti Juſti volunt inſtituere leges, quæ adverſentur ſenſibus, nec tamen deſinant eſſe conformes ſpiritui, inde puniuntur ipſi (quaſi verò eſſent criminoſi) ab injuſtis illis hominibus, cùm ipſorum ſanctitas condemnet iſtorum crimina, & exemplum vitæ ipſorum meliùs manifeſtet deformitatem modi procedendi iſtorum. Irritantur iſti ſceleſti homines propter virtutem Juſtorum quam ſequi nolunt, & quaſi hæc faceret reprehenſionem publicam negligentiæ ipſorum, laxant habenas exceſſibus omnibus poſſibilibus, ut eripiant hujuſmodi virtuti id quod habet ipſa ſplendoris; & hæc magnanimitas quam debebant inſumere in defenſionem & in exercitium virtutis, & perfectionis Chriſtianæ, non apparet ampliùs quàm in furore invidiæ ipſorum. Sed quid mirum eſt in hoc? cùm doctrina crucis videatur inſania iis qui jacturam ſuam incurrunt, quandiu ſuſcipitur ipſa ut virtus Divina ab animabus quæ laborant pro ſalute ſua, & quæ aſpirant ad gloriam, ſicut inquit idem Apoſtolus l, *Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt in enim, Perdam ſapientiam ſapientium: & prudentiam prudentium reprobabo.* Et, juxta Dionyſium Carthuſianum n, *Verbum, id eſt, fides & prædicatio crucis Chriſti pereuntibus quidem, id eſt, mundi hujus ſapientibus & reprobis ſtultitia eſt. id eſt ſtulta & irridenda videtur. Sicut de Græcis refert Dionyſius, quòd auditâ prædicatione fides Chriſtiana, læto exceperunt. His autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, putà, Electis, virtus Dei eſt, id eſt, potens effectus Divinæ Potentiæ, per quē obtinemus gratiam & gloriā, victoriā quoque contra inſidias hoſtis, juxta illud, Hæc eſt victoria quæ vincit mundū fides noſtra. Quis enim eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Jeſus eſt Filius Dei o? Quod autē verbū crucis pereuntibus, ſcilicet prudentibus hujus ſeculi ſtultitia ſit, probat Apoſtolus. Scriptum eſt enim in Iſaia, Perdam, id eſt, damnabo ego Dominus Deus ſapientiā ſapientū, id eſt, ſapientiā eorū qui ſeipſos ſapientes reputant in Divinis, videlicet in naturali notitiâ Divinorū, ſicut Philoſophi, & prudentiam prudentiū, id eſt, falſam prudentiā impiorū, qui in rebus humanis aſtuti & callidi ſunt ut faciant mala reprobabo, id eſt, à Prædicatoribus ſanctis excludam, & eam in judicio condemnabo, quia non fuit ſubjecta ſimplicitati fidei ſanctæ. Hinc enim ait Salvator, Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis p. Noſtra tranſlatio habet ſic, Peribit ſapiētia à ſapiētibus, & intellectus prudentiū abſcondetur.* Non miror igitur, cùm doctrina crucis indicat apertū bellū voluptatibus corporis, vanitatibus mundi, & opinionis, & imponat nobis leges contrarias ſenſibus noſtris, & nos inducat, ut videtur, ad diligendū id omne quod natura proſequitur odio: juxta iſtud effatū Salvatoris, *Qui non bajulat crucē ſuā, & venit poſt me: non poteſt meus eſſe diſcipulus q.* Seu ſecundùm Dionyſium Carth. r, *Qui non bajulat crucē ſuam, id eſt, opera pœnitentiæ non exercet, corpus per abſtinentiam non affligit, proximis ſuis non condolet tēpore opportuno, & venit poſt me, talia bona exercendo, non vanâ intentione pro laude humanâ, ſed ad laudē & gloriā Dei, ædificationēque proximi, ſecundùm quod ego feci, prout apud Joannē proteſtor, Ego non quæro gloriā meā ſed honorifico Patrē meū s, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Iſtud quippe, loquendo in genere, ad omnē pertinet Chriſtianum, dicente Apoſtolo t, Qui autē ſunt Chriſti, carnē ſuā crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Iſtud etenim aliud prorſus non eſt, niſi per arctā viam incedere quæ ſola ad ſalutē perducit: ſicque iſtud eſt præceptū, non conſiliū. Poteſt tamē exponi ut ſit conſiliū eritque ſenſus, Qui non bajulat crucē ſuam, id eſt, ſeipſum totaliter non mortificat, ſe & cetera hæc terrena propter Deū derelinquēdo u: & venit poſt me, id eſt, me ſecutus non fuerit per ſemitas perfectionis, videlicet per ſpōtaneā paupertatē x, perpetuā caſtitatē, plenāque obedientiā, quæ ſunt ſubſtantialia omniū Ordinū, non poteſt meus eſſe diſcipulus, id eſt, imitator perfectus non ſolùm in præceptis, ſed & in conſiliis Evangelicis obſervandis me audiens, atque efficaciter acquieſcens.*

En iſti mendici Lazari contempti præ foribus divitum y, quaſi verò non eſſent in mundo. Sic poſtquàm D. *Alexius Romanorum nobiliſſimus, propter eximium Jeſu Chriſti amorem primâ nocte nuptiarum relinquens intactam ſponſam, illuſtrium orbis terræ Eccleſiarum peregrinationem ſuſcepit: quibus in itineribus cùm ignotus ſeptemdecim annos fuiſſet; ad portum Romanum appulſus, à patre ſuo tanquam alienus pauper hoſpitio accipitur: apud quem incognitus cùm decem & ſeptem annos vixiſſet,* ſicut canit Eccleſia, toto illo tempore jacuit inter ſordes & inſolentias famulorum paternæ domus. O male ſſcte munde, quàm malè agnoſcis merita Juſtorum! Quinimò diabolus ipſe poſtquàm meditatus eſt ruinam noſtram, non invenit meliorem modum, quàm

d 1. Cor. 4. 11. &c.
e ex Mat. 5. 44.
f ex Matt. 19. 27.
g ex Mat. 5. 40.
h ex Mat. 5. 39.
i D. Greg. lib. 10. Mor. c. 26 in Iob 12. 4.
k 1 Cor. 1. 23.
l 1. Cor. 1. 18 & 19. m. ex Iſa. 29. 14.
n Dion. Carth. a. in 1. Cor. 1. 18. & 19.
o ex 1. Io. 5. 4. & 5.
p Matth. 11. 25.
q Luc. 14. 27.
r Dion. Carth. a. 37. in Luc. 14. 27.
s Ioan. 8. 50. & 49.
t Gal. 5. 24.
u ex Matt. 7. 14.
x ex Matt. 19. 27. &c.
y Luc. 16. 20. & 21.

quàm redigendi nos ad hanc ultimam abjectio-
nem & depreſſionem, ot derelinqui nos faciat ab
amicis & propinquis noſtris. En veritates iſtæ
in perſona Job manifeſtæ, *Qui teſtâ ſaniem ra-
debat, ſedens in ſterquilinio. Dixit autem illi
uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?*
z Job 2. 8. & 9. *benedic Deo, & morere* z. Contemnitur iſte
vir eximius: & quare? Quia eſt granum ſinapis
parvitate, vir irreprehenſibilis, & omnium virtu-
tum ſupellectile ornatus: *Vir erat in terra Hus,
nomine Job: & erat vir ille ſimplex & rectus, ac*
a Job 1. 1. *timens Deum, & recedens à malo* a. Jeſus Chri-
ſtus, prout Caput Juſtorum, *Sanctus ſancto-*
b Dan. 9. 24. *rum* b, eſt minimus & contemptiſſimus omnium,
c Rom 9. 28. ex Iſai. 10. 22 & 23. ſicut ipſum vocet D. Paulus c *Verbum brevia-
tum.* Et Iſaias d *Deſpectum, & noviſſimum vi-
rorum.* Imò verò ipſemet ait, *Ego autem ſum
vermis, & non homo: opprobrium hominum, &*
d Iſai. 53. 3. *abjectio plebis* e. *Fuit enim Chriſtus*, ſubdit In-
e Pſ. 21. 7 cognitus f, *opprobrium hominum factus in ſputis,*
f Incogn. in Pſ 21. 7 *colaphis, & ſpinis* g. *Ego factus ſum opprobri-
um illis, viderunt me, & moverunt capita ſua* h.
g ex Matt 27. 26. &c. *Et non ſolum fuit opprobrium hominum: ſed eti-
am abjectio plebis. Et quando? Quando plebs*
h Pſ. 108. 25. *Barabbam elegit, & ipſum Chriſtum abjecit* i.
Ecce ergo quanta fuerit gravitas deriſionis Chri-
i ex Matt. 27. 21. *ſti, quam Chriſtus ideò narrat, ut vel ſic ſuperbia
hominis Deum humilem imitetur, ut hic dicit
Magiſter in Gloſſa: unde Chriſtus meritò di-*
k Jer. 20. 7. *cit, Factus ſum in deriſum totâ die: omnes ſub-
ſannabant me* k. D. Paulus l nunquid non ſe
l 1. Tim. 1 15. vocat maximum omnium peccatorum? cùm
ait, *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum pecca-
cores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Id
eſt, præcipuus, propter magnitudinem peccatorum*
m Dion. Carth. a. 1. in 1 Tim. 1. 1. *meorum*, ſubdit Carthuſianus m. Ulteriùs pro-
greditur, loquor de Juſtis, cùm perveniant &
ſe redigant ad nihilum, ideòque dicat David n,
n Pſ 38. 5 Deum alloquens, *Et ſubſtantia mea tanquam
nihilum ante te.* Videte, Auditores, parvitatem
hujus grani ſinapis, quomodo imperceptibile eſt,
quomodo vix apparet in mundo, & quomodo in
parvitate ſua conculcatur, & contemnitur ab o-
mnibus, velut inutile ad omnia, *Opprimamus
pauperem juſtum, & non parcamus viduæ, nec
veterano, nec revereamur canos multi temporis.
Sit autem fortitudo noſtra lex injuſtitiæ: quod
enim infirmum eſt, inutile invenitur*, ajunt impii
o Sap. 2. 10 & 11. per Sapientem o. Et per D. Bonaventuram p
dicentem de Salomone, *Hic deſcribit vitam in-*
p D. Bon. in Sap. 2. 10, & 11. *juſtam, quantùm ad Bonorum oppreſſionem.
Primo, quia opprimunt ſine reverentia perſonæ:
ſecundo, quia ſine timore juſtitiæ, ibi, Sit autem
fortitudo. &c. Opprimamus, Gloſſa, Vox per-
ditorum eſt, pauperem juſtum, quemcunque ſci-*
q Job. 24. 4. *licet. Oppreſſerunt pariter manſuetos terræ* q.
Et non parcamus viduæ, Viduam & advenam
r Pſ. 93. 6 *interfecerunt* r. *Nec veterani revereamur ca-*
s Baruch. 4. 16. *nos multi temporis id eſt, quemcunque ſenem:
Non ſunt reveriti ſenem* s. *Sit autem fortitu-
do noſtra lex injuſtitiæ, id eſt, totum reputemus
licitum, quidquid poſſumus facere: Factum eſt*
t Hab. 1 3 *judicium & contradictio potentior* t. *Vel juſti-
tiæ, unde Interlinearis: Quaſi fortitudinem pro
juſtitia habeamus, id eſt, quod poterimus facere
per juſtitiam, faciamus per violentiam. Quod
enim infirmum eſt, &c. quaſi dicat, Non oppri-
mamus tantummodo pauperes, & debiles, ut vi-
duas, & ſenes, ſed quouſque poterimus: quod
enim infirmum eſt, ſcilicet in ſe, ut vidua, pau-
per, & ſenex, inutile invenitur, ſcilicet aliis.*

*Unde de talibus parùm, vel nihil eſt curandum.
Non ſic Dominus ſentiebat, qui infirma mundi
elegit* u, *&c. Non ſic Paulus* x, *qui dicebat,* u ex 1. Cor. 1. 27 &c.
*quod virtus in infirmitate perficitur. Allegori-
cè exponitur hoc de hæreticis, qui non parcunt* x ex 2. Cor. 12. 9
*pauperi juſto, id eſt, populo Chriſtiano; nec vi-
duæ, id eſt, Eccleſiæ; nec veteranis, id eſt, Apo-
ſtolis, & Prophetis.* Sed patienter agamus, quia
granum iſtud ſinapis projectum in terram, revi-
vet, & ſic extollet ramos ſuos, ut magnitudine
ſuperaturum ſit omnia grana ſpeciei ſuæ: id eſt,
Juſti contempti in iſto mundo, habiti pro mi-
nimis, cùm ſolverint ultimum naturæ tributum,
altiſſimi erunt in altero ſeculo, cùm gloria ipſo-
rum ſit exaltanda in cœlo ſecundum quòd
parvitas & humilitas ipſorum profundas jece-
rit in terram radices, *Qui ſe humiliaverit, ex-
altabitur* y. Cùm magnificum ædificium y Matth. 23. 12.
ſemper profundum ſupponat fundamentum.
Videmus autem veritates iſtas in B. Virgine
Mariâ, quæ cùm deferre deberet qualitatem emi-
nentiſſimam omnium, putà Divinam Maternita-
tem, fundavit eam ſuper baſim nihili ſui, dicens,
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Et pau-
lò antè reſpondens Angelo, *Ecce ancilla Domi-
ni: fiat mihi ſecundùm verbum tuum* z. Cu- z Luc 1. 48 & 38.
jus humilitatem D. Ambroſius a admiratus, ait, a D. Amb lib. 2. in Luc. 1, 38.
*Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe
dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino
exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo,
nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendica-
vit, quæ faceret quod juberetur.* Ipſa eſt hoc
parvum & myſticum granum ſinapis, quod cùm
ſit omniũ minimũ, efficitur cunctorũ maximũ.

Idem D. Ambroſius b loquens de hoc b Idem ſerm 1. de Grano Sinapis.
grano ſinapis, ait, *Granum ſinapis primâ fronte
ſpecie ſuî eſt parvum, vile, deſpectum, non ſapo-
rem præſtans, non odorem circunferens, non indi-
cans ſuavitatem: at ubi teri cœperit, ſtatim
odorem ſuum acrimoniâ exhibet, cibum flam-
mei ſaporis exhalat, & tanto fervoris calore
ſuccenditur, ut mirum ſit in tam frivolis gra-
nis tantum ignem fuiſſe concluſum. Cujus eti-
am ſeminis cibum homines hyemis præcipuè
tempore magnâ pro ſuavitate percipiunt, qua-
tenus repellant frigora, humores egerant, vi-
ſcerum interna calefaciant.* Et nunquid non
hoc idem eſt, Auditores, de Juſtis in iſto
mundo? Nonne iſtud eſt verum ſymbolum,
quod eos verè repræſentat? Quid magis con-
temptum primo intuitu quàm ſunt homines
juſti? quid magis neglectum quàm ſunt illi? Sa-
pientes ſeculi, veluti nycticoraces & talpæ, neſci-
unt cognoſcere pretium, valorem, & merita eo-
rũ, & ex illis faciunt ſubjectũ ordinariũ jocorum
ſuorum, *Deridetur enim juſti ſimplicitas* c. Et, c Job 12. 4.
Videbunt enim, & contemnent eum d. Non d Sap 4. 18.
videntur in Juſtis, niſi rigores, contemptus, au-
ſteritates, inopiæ, paupertates, mortificationes,
pœnitentiæ, & humiliationes, quæ reddunt ipſos
contemptos oculis ſuperborum mundanorum:
ipſi ſunt veluti mendici Lazari deſpecti præ val-
vis domorum divitum e, nec ipſorum valor aut e Luc 16. 20.
virtus agnoſcitur, niſi cùm more grani ſinapis in
mortario afflictionum & paſſionũ conteruntur:
tunc enim exhalant ſuavem odorem, quandiu e-
mittunt hunc calorem internum amoris Dei ſui,
qui ipſus conſumit: *Etenim Deus noſter, ignis
conſumens eſt* f. Unde proſequitur idem D. Am- f Hebr. 12, 29: ex Deut. 4. 24.
broſius, iſtud oſtendens in perſona D. Laurentii,
Sed & juxta comparationem ſinapis, ſancto odore

g 2 Cor 2.15 *perfruimur, ſicut ait beatus Apoſtolus* g; *Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo. Igitur ſanctum Martyrem Laurentium grano Sinapis poſſumus comparare, qui diverſis attritus paſſionibus, per totum orbem gratia meruit ſui fragrare martyrij, qui anteà conſtitutus in corpore, erat humilis, ignotus, & vilis, poſteaquàm vexatus, laceratus, exuſtus eſt, univerſis p r totum mundum Eccleſiis odorem ſua nobilit is infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur. Siquidem granum ſinapis cùm teritur, accenditur: Laurentius cùm patitur, inflammatur. Illud fervorem attritionis ſua evomit, hic ignem plurimâ vexatione ſuſpirat. Sinapis, inquam, vaſculo calido vapore decoquitur, Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinſecùs beatus Martyr Tyranni ſævientis incendijs, ſed major illum intrinſecus Chriſti amoris flamma torrebat. Et qàmvis Rex improbus ligna ſubjiceret, incendia majora ſupponeret, tamen ſanctus Laurentius has flammas fidei calore non ſentit, & dum Chriſti præcepta cogitat, frigidum eſt illi omne quod patitur. Nec enim poteſt viſceribus ignium tormenta ſentire, qui ſenſibus paradiſi refrigeria poſſidebat. Jacet licet ante pedes Tyranni exuſta caro, corpus examine, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cujus animus demoratur in cœlis. Extenditur ergo ſuper flammarum ignitos globos, & ſæpius verſatur in latera, ſed quanto plus pœnarum patitur, tanto ampliùs Chriſtum Dominum pertimeſcit.* Videte quòd excellentia ſanctitatis hominis juſti, rapiat in admirationem ſpectatores ſtupentes, quòd ſub apparentiis ſic vilibus lateant ita divites theſauri gratiarum & meritorum. Granum ſinapis ergo niſi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoſcitur, non contritum leve eſt, ſi verò conteratur, inardeſcit, & quod in ſe acerrimum latebat, oſtendit: ſic vir ſanctus cùm non pulſatur, deſpicabilis ac levis aſpicitur, ſi quæ verò eum tritura perſecutionis opprimat, mox omne quod calidum ſapit, oſtendit. Nunquid non admiramini convenientias iſtas admirabiles grani ſinapis cum Juſtis?

Sed obſervate præterea, quòd granum ſinapis ſervit ad tria: nutrit enim, delectat, & pungit: idem eſt dicendum de Juſto. Sinapi nutrit: eſt enim alimentum quod convertitur in ſubſtantiam illius qui alitur. Delectat: nam excitat appetitum, & ſapidiores ac gratiores guſtui cibos reddit. Tandem, Pungit, faciens flere, ſternutare, & rugare ſupercilium & frontem. Juſtus nutrit delectat, & pungit. Nutrit docens myſteria cœli, & mirabilia Dei, *Tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam,*
h 1 Cor. 3. 2. dicebat D. Paulus, ſcribens Corinthiis h. Delectat, promittens ſermonibus ſuis ingreſſum *in*
i Matth. 25 46. *vitam æternam* i, quæ debetur bonis operibus. Et pungit, annuncians pœnam debitam pecca-
k Ibid. to, & quòd illi *ibunt in ſupplicium æternum* k,
l Joan. 8. 21. qui morientur *in peccato* l ſuo. Juſtos flere facit peccatores: quotnam enim Sancti induxerunt ad lacrymas obſtinatiſſimos vel peccatores repræſentatos per lapidem illum deſerti, è quo Moyſes fluere fecit aquas? *Cùmque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſi-*
m Num. 20. 11. *licem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ* m. Sed ſi pungit alios ad benefaciendum; ut verum ſinapi, contritum in pilâ, exhalat id quod habet
n Eccl 27 6. meritorum: proptereà dicebat Eccleſiaſticus n, *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.* Sufficit ut præbeatur apta homini juſto benefaciendi, & ſatis eſt ad manifeſtandam ipſius virtutem ut exacerbetur ipſius patientia: ſicut enim nunquam agnoſcitur quòd ſilex habeat ignem in venis ſuis, niſi ex colliſione ipſius cum chalybe; nec cognoſcitur theſaurus concharum quæ ſunt unionum ſeu margaritarum matres, niſi cùm ferro calido perforantur: ita nunquam cognoſcuntur eximiæ qualitates Juſtorum, niſi in perſecutionibus, nec micat ipſorum virtus niſi quando contradictiones ipſa ſuſtinet: nam in camino paſſionum ab univerſis ſuis prorſus ipſi Juſti mundantur & defæcantur ſordibus & inquinamentis. Et quemadmodum ſinapi, ſicut dixi, ſervit tempore hyemis ad calefaciendos ſtomachos, diſſipando ab eis pravos humores: ita Juſti ſerviunt nobis tempore adverſitatum, verâ hyeme, cùm tunc univerſa ſint immerſa faſtidiis; calefaciunt nos auxiliis ſuis ſuffragiis, & interceſſionibus; & à nobis diſſipant omnes humores corruptos vitiorum & peccatorum, & acuunt nobis appetitum, prout verum ſinapi, erga res cœli, bona paradiſi, & gloriam, cùm depravatus eſſet guſtu inſipido rerum creatarum, & voluptatum fallacium ſeculi, quæ incipiunt à dulcedinibus, & ſemper terminantur ad amaritudines.

Tandam, Ad terminandas omnes iſtas convenientias, videtur iſtud granum myſticum aſſimilari illi magnæ arbori, quam vidit in ſomniis Nabuchodonoſor, de qua Rex iſte ſic loquitur a- o Dan. 4. 7. &c.
pud Danielem o, *Viſio capitis mei in cubili meo, Videbam, & ecce arbor in medio terræ & altitudo ejus nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas ejus contingens cœlum: aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius: & eſca univerſorum in ea: ſubter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis ejus converſabantur volucres cœli: & ex ea veſcebatur omnis caro.* Nunquid non, Auditores, hæc arbor, eſt ſpecioſa figura noſtri myſtici grani ſinapis? Cùm factum fuerit ſicut arbor ſpecioſa, poſtquàm projectum eſt in terram, & infixit radices humiliationis ſuæ uſque ad centrum ipſum nihili ſui, nonne ſe elevat uſque ad Empyreum, nedum metuat furorem & violentiam ventorum? cùm ſit Juſtus immunis ab omnibus tempeſtatibus in hoc ſtatu fortunato, qui admittens in ſe omne genus felicitatis, excludit à ſeipſo genus omne miſeriæ & adverſitatis, dilatat ramos ſuos in univerſas totius orbis oras: ubique enim eſt in veneratione, *In memoria æterna erit Juſtus* p. Ubique virtu- p Pſ. 111. 7
tes ipſius trahunt ad ſe admirationes intuentium, ubique publicatur ipſius gloria, & propalantur ipſius merita: omnia ſunt in ipſo admirabilia, imò verò ipſius folia; fructus ipſius ſunt uberes, cùm nulla ſit virtus quam ipſe non exercuerit, nullum opus bonum quod ipſe in praxim non redegerit. Quid igitur mirum ſi unuſquiſque reperiat in ipſo quid imitandum, & quid eligendum operandæ ſuæ ſaluti opportunum? Et ſicut ex illa arbore imaginaria Nabuchodonoſor omnes ſuſcipere poterat commoda: ſic in hàc arbore myſtica, id eſt, in Juſto reperiũt univerſi ſubſidiũ congruũ, quod experiuntur confeſtim ac illud implorãt: nam ſub umbra ejus, id eſt, ſub illius protectione poſſunt eſſe ſecuri. Mirabilis arbor! Quomodo crevit iſtud granũ in arborẽ magnam! *Cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita*

ut

ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Id eſt, Magnates & ditiſſimi totius orbis, Reges & Imperarores confugiant ſub illius præſidium, *In iſtis ramis volucres requieſcunt: quia ſancta animæ, quæ virtutum quibuſdam pennis à terrenâ cogitatione ſe ſublevant, in eorum dictis atque conſolationibus ab hujus vitæ fatigatione reſpirant,* ait D. Gregorius q.

q D. Greg. Job 19 Mor. c. 2.

D. Paulus erat è numero avium iſtarum, cùm ipſemet dicat, *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt* r.

r Philipp. 3. 20.

Videte igitur omnes iſtas veritates in omnibus Sanctis, qui cùm more granorum ſinapis, contempti fuerint, neglecti, & incogniti in mundo iſto, poſt mortem ſuam conſtituti in cœlo, evaſcunt ſic alti, ita magni, & ſic potentes erga Deum, ut vel ipſæ Poteſtates terrenæ, Reges & Monarchæ mundi ſe proſternant humiliter & reverenter ad ipſorum pedes. Sic Seraphicus D. Franciſcus, humillimus omnium hominum, & B. Felix à Cantalitio filius ejus ſpiritualis, aliàs ſimplex agricola, quotidie ſuſcipiunt à populis reverentias. *Cùm autem creverit, majus eſt omnibus.* Totus iſte diſcurſus non habet pro omni fundamento niſi illud dictum Salvatoris, quòd qui ſe plùs humiliaverit in iſto ſeculo, plùs exaltabitur in altero, ſemper creſcendo donec illuc perveniat, *Qui ſe humiliat, exaltabitur* s.

s Luc. 14. 11.

E contrà de ſuperbis, qui è magnis ſemper efficiuntur minores, *Qui ſe exaltat, humiliabitur* t.

t ibid.

Videte veritatem propoſitionis iſtius in perſonâ Nabuchodonoſor, & ſimilium ej. Iſtud eſt propter quod miratur Pſalmiſta u, videns eos evectos ad ſupremum honoris & gloriæ apicem, & ex hujuſmodi ſtatu deturbatos, quando altiùs aſcendere conabantur, ſicut ipſemet ait, Deum alloquens, *Dejeciſti eos dum allevarentur.*

u Pſ. 72. 18.

Nabuchodonoſor vult agere Deum; & vivet more beſtiæ: vult adorari; & deſeretur ab omnibus, & pro palatio Regio non habebit niſi antra & cavernas. *Indignatus Holofernes vehementer* x præ ſuperbiâ adversùs Iſraëlitas, quorum ruinam meditabatur, cœlo bellum videbatur indicere: ſed mulier abſcindet *caput ejus* y. Quod & factum eſt, *Una mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor* z.

x Judith. 6. 1. &c.

y Judith. 13. 10.

z Judith 14. 16.

Quàm inſenſati erant illi, cùm ipſorum elevatio non ſervivent, niſi ad manifeſtandum meliùs ipſorum lapſum, *Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubditò defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam* a.

a Pſ. 72. 19.

Videamus viſionem quam habuit infortunatus ille Rex. Jam audiviſtis illam in ſenſu myſtico, cùm comparaverim illam arborem Juſto, grano ſinapis myſtico: auſcultate nunc eam in ſenſu literali ſic explicatam à Daniele præfato Regi, *Arborem quam vidiſti ſublimem atque robuſtam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnem terram: & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & eſca omnium in eâ, ſubter eam habitantes beſtiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cœli: Tu es Rex, qui magnificatus es, & invaluiſti: & magnitudo tua crevit, & pervênit uſque ad cœlum, & poteſtas tua in terminos univerſæ terræ. Quod autem vidit Rex vigilem & Sanctum deſcendere de cœlo, & dicere, Succidite arborem, & diſſipate illam, attamen germen radicum ejus in terrà dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cœli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum ejus, donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum: Hæc eſt interpretatio ſententiæ Altiſſimi, quæ pervênit ſuper Dominum meum Regem, Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cœli infunderis,* &c. Judicate idem, Auditores, de ſuperbis mundi, & quòd Deus exacerbatus ob illorum vanitatem, jugiter è cœlo clamat interventu Miniſtrorum ſuorum, *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus: fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis ejus.* Omnes iſtæ magnitudines, pompæ, vanitates, divitiæ pereant; non videantur ampliùs univerſi faſtus iſti; cunctæ iſtæ turmæ famulorum finem capiant; & tota hæc gloria evaneſcat inſtar fumi. En, Auditores, exitus ſuperborum mundi, qui ſemper quærunt altiſſima loca, ſed ſæpè ut lapſum ſuum reddant probroſiorem. Ecce veritas Filii Dei completa, *Qui ſe exaltat, humiliabitur* b.

b Luc. 14. 11.

Cùm ſuperbi ſemper eant è malo in pejus, jugiter deorſum, donec pervenerint ad centrum nihili ſui; & cùm magni fuerint in mundo iſto, nihil ampliùs ſunt in altero ſæculo, *Velut ſomnium ſurgentium, Domine, imaginem ipſorum ad nihilum rediges,* ait Pſalmiſta c, Deum alloquens.

c Pſ. 72. 20.

E contrà de humilibus, qui cùm parvi fuerint in iſto mundo, magni ſunt in altero ſæculo; cùm deſpecti fuerint in terrâ, honorificantur & glorificantur in cœlo, &, more granorum ſinapis, cùm eſſent minimi, efficiuntur maximi. Idcòque, Auditores, ſatagite ut ſitis parvi in hoc mundo ad hoc ut ſitis magni in cœlo; ut contemnamini in terrâ ad hoc ut honoremini in paradiſo: eſtote vera grana ſinapis ſemper creſcendo, ſic ut de vobis verè dici poſſit, *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion* d.

d Pſ. 83. 8.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20. 16. &c.

Etiamſi infinita bonitas, & ſuprema providentia Dei, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* a, prout ſapiens eſt in conſiliis ſuis, & infallibilis in judiciis ſuis, ſapientiâ ſuâ perſpicaci pervadat intimas & reconditas quaſlibet peccatorum cogitationes: *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* b: & prævideat ſcientiâ ſuâ divinâ, quam Theologi vocant conditionatam, quòd per propria demerita ſua avertentes ſe à mandatis ipſius, *ipſi fuerunt & rebelles luminis, neſcierunt vias ejus nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* c, currentes laxis habenis in obſcuras tenebras peccati, *& in peccato* d eodem morientes, inde euntes *in ſupplicium æternum* e: tamen hæc bonitas quæ *non habet finem* f, quæ nunquam ſuperari ſe ſinit ab ingratitudinibus noſtris, quæque gloriatur ſemper triumphare de malitiis noſtris, non ceſſat eos invitare ſuavibus lenociniis gratiarum ſuarum, ut ſe in bonam emendata vitæ frugem recipiant, *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere* g. Deus nos omnes & ſingulos

a Sap. 8. 1.

b Hebr. 4. 12. & 13.

c Job 24. 13.

d Jo. 8. 21.

e Matth. 25. 46.

f Baruch. 3. 25.

g Cant. 6. 12.

gulos vocat ; & ut nos meliùs & jucundiùs trahat ad ſe, cùm ſimilitudo ſit cauſa amoris, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* h eſt in ſinu B. Virginis Mariæ, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* i *Maria.*

h Philipp. 2. 7.
i Luc. 1. 28. &c.

Licèt curioſitas mentium quæ vacat inquiſitioni altorum myſteriorum & arcanorum judiciorum Dei, ſit omnino damnabilis, & ſanctè prohibita, quia capacitatem ſuperans debilis intellectus noſtri, tantum abeſt ut ſine radio gratiæ cœleſtis ſe reddat eorundem myſteriorum intelligentiæ capacem, quin è contrà quò magis immergitur huic abyſſo cum claritate prudentiæ humanæ, tantò majorem reperit ibi profunditatem, quæ edocet linguam potiùs eadem myſteria admirari, & de illis tacere, quàm de illis vel unicum verbulum efformare. Etiam, Auditores: judicia Dei ſic ſunt ineffabilia, ut quibuslibet oribus eloquentiſſimis indicant ſilentium : ipſa, ſunt abyſſus inſcrutabilis, ſicut ſatetur Pſalmiſta k, Deum alloquens, *Judicia tua, abyſſus multa.* Et perſpicaciſſimi quique, ignorantiæ ſuæ immemores, coguntur inclamare voce contentâ cum D. Paulo l, *O altitudo divitiarum ſapientia & ſcientia Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles via ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini* m? Et cũ Dionyſio Carthuſiano † poſt Apoſtolum, *Et quàm inveſtigabiles ſunt viæ ejus, id eſt, proceſſus ſeu executiones operum Divinorum, quia nec modum emanationis rerum à Deo, nec gubernationis, nec modum beatificationis Electorum intelligere poſſumus. Ideò Salomon* n *dicit, Cuncta res difficiles, non poteſt homo eas explicare ſermone. Quis enim cognovit ſenſum Domini? id eſt, dictamen intellectus Divini de rebus, videlicet, quid Deus de creaturis ſuis facere cogitavit, quid de ſingulis ſentiat, quid de omnibus intra ſe judicet? Neſcit quoque homo an amore dignus ſit, an odio* o. *Ideò legitur, Senſum tuum, Domine, quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum tuum de cœlis* p? Proptereà inter celeberrimas & famoſiſſimas academias antiquitatis, hæc concluſio poſita fuit pro fundamento, nimirum, quòd tutius ſit honorare ſacro & religioſo ſilentio ſecreta Dei, quàm ea perſcrutari vanâ & temerariâ curioſitate. Hoc igitur ſuppoſito, Auditores, ne irreparabile naufragium patiamur in abyſſo & in vaſtâ extenſione Oceani infiniti altorum & profundorum myſteriorum reconditorum in Evangelio hodierno, unde projici poſſem imperceptibiliter in arcana Divinæ Prædeſtinationis : ne, inquam, reddam lapſum meum probroſiorem, eò quòd altiùs aſcendere attentaſſem quàm eſſet par, ſiſtam in primo gradu, qui eſt vocatio, quæ eſt primus effectus Prædeſtinationis, *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit* q. Intendo igitur monſtrare vobis, Primò, quomodo Deus vult nos omnes ſalvare, & quòd nos vocet omnes per gratiam ſuam, *Multi ſunt vocati.* Secundò, quòd ſi jacturam noſtram incurrimus, ideò quia noluerimus correſpondere vocationi illius, *Pauci verò electi.*

k Pſ. 35. 7.
l Rom. 11. 33. & 34.
m ex Iſai. 40. 13.
† Dion. Carth. art. 15. in Rom. 11. 33. & 34.
n Eccl. 1. 8.
o ex Eccl. 9. 1.
p ex Sap. 9. 17.
q Rom. 8. 29.
Diviſio.

1. Pars.
r Exod. 3. 14.

Deus, qui eſt primum entium, & ſupremum omnium, *Qui eſt* r, qui nihil magis habet eſſentiale quàm ſuam bonitatem, nec quid magis proprium quàm communicationem hujus ejuſdem bonitatis, volens formare creaturas capaces communicandi effectibus hujus ſupremæ bonitatis : nam Sol non communicat radios ſuos tantâ liberalitate, nec cor ſpiritus ſuos vitales, nec cerebrum ſpiritus ſuos animales, nec jecur ſanguinem ſuum omnibus partibus corporis, quantâ Deus effundit bonitatem ſuam in creaturas ſuas : quippe, ſicut ait D. Dionyſius, s, *Bonum eſt diffuſivum ſui* : Et ſicut eſt proprium ſapienti architecto dirigere opus ſuum ad aliquem bonum & laudabilem finem : ſic Deus ſupremus hic Architectus, videns homines, qui ſunt opus eximium manuum ipſius Divinarum (ſicut fatetur ipſi Job t, *Manus tua fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu*) capaces gloriæ ipſius Divinæ, vult illos ad eam deducere ut ad ultimum illorum finem, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* u. Sed quia non habent alas ſatis fortes ad hoc ut ſic ſublime volent, ideò Deus tribuit eis auxilium ſuum, ut iſto fulti ſubſidio, perveniant tandem, ſi velint, ad gloriam Beatorum : & ſicut vult ipſis hunc finem, licèt voluntate inefficaci, ſeu voluntate antecedenti, ut dicunt Theologi ; ita & dat eis media eidem conſequendæ gloriæ opportuna : nam ſicut igni dat levitatem ut ferat flammas ſuas ad ſphæram ſuam ; & lapidi gravitatem ut tendat ad centrum ſuum : ſimiliter præbet hominibus gratiam quæ eſt medium fini ipſorum, qui eſt gloria, conſequendo congruum : quòd ſi hoc medio benè utantur, ſalvi erunt ; ſi verò abutentes libertate ſuâ, illud rejiciunt, damnabuntur.

s D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
t Job 10. 8.
u Prov. 16. 4.

Evangelium hodiernum nobis clarè manifeſtat hanc veritatem, *Multi ſunt vocati*, Non eſt aliquis inter homines, quem Deus ſalvare non velit, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* x. Nolite dicere, Salutem meam conſequar, ſi Deo placuerit; ibo ad cœlum, ſi Deus voluerit. Deus illud vult, Auditores ; hoc eſt conſilium ejus, iſtud eſt quod ipſe intendit, & quod ſibi propoſuit ab æternitate, dicens ſingulis nobis, *In charitate perpetuâ dilexi te : ideò attraxi te miſerans* y. Ipſe vult ſanctificationem noſtram, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, dicit D. Paulus, ſcribens Theſſalonicenſibus z. Ipſe dat omnibus nobis gratias, licèt eas non meruerimus, ſed potiùs nos dignos reddiderimus ſuppliciis propter crimina noſtra, *Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia, jam non eſt gratia*, inquit idem D. Paulus a. Et alibi b, *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Ha! Auditores, quàm ritè deberemus attẽdere nobis, antequàm nos volutaremus in ſordido ſterquilinio criminum noſtrorum, cùm inde exire non poſſimus abſque ſubſidio cœli, quod provenit à Deo: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* c. Non autem a viribus noſtris, nec à noſtrâ voluntate, cùm dicat nobis Dei Filius, *Sine me nihil poteſtis facere* d. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum e, *Sine me, id eſt, ſine gratiâ meâ gratum faciente, nihil meritorium poteſtis facere. Propter quod dicit Apoſtolus* f, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum. Et, Omnia poſſum in eo qui me confortat* g. *Hinc apud Jeremiam* h *legitur, Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Nemo ergo ſibiipſi blandiatur, vel in ſeipſo glorietur, cùm nil habet boni à ſe, & hoc ipſum quod habet, nec ad momentum poteſt ſervare,*

x 1. Tim. 2. 4.
y Jer. 31. 3.
z 1. Theſ. 4. 3.
a Rom. 11. 6.
b Tit. 3. 5.
c Jacob. 1. 17.
d Jo. 15. 5.
e Dion. Carth. a. 37. in Jo. 15. 5.
f 1. Cor. 15. 10.
g Philipp. 4. 13.
h Jer. 10. 23.

niſi con-

ni conſervetur à Chriſto. Denique, Ipſa prima mentis ad Deum converſio, Dei donum eſt & à Deo. Propter quod Jeremias i *precetur, Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Poſſumus quidem ex nobiſipſis nos præcipitare in abyſſum peccati, ſed non poſſumus inde reſurgere ſine gratiâ: oportet ut Deus extendat *manum* k ſuam ad nos interventu ejuſdem gratiæ: Hæc nobis abſolutè eſt neceſſaria. Ut autem de illâ vobis clariùs loquar, & majorem vobis illius intelligentiam præbeam, obſervate, ſi placet, quòd Theologi multas faciunt diviſiones gratiæ, cujus præcipuæ reducuntur ad duas. Prima, eſt ea, quæ vocatur ab ipſis, gratis data, & hæc complectitur res omnes quæ ſunt communes Bonis & malis, & æqualiter eis dantur, etiam in peccato mortali conſtitutis, quales ſunt ſanitas, divitiæ, honores, & ſimiles, *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos* l. Secunda, eſt ea quæ nuncupatur ab ipſis, gratum faciens, quæ ſignificat etiam ſub alio nomine idem ac amorem & benevolentiam: & hæc eodem tempore facit nos amicos Dei, & non poteſt ſociari peccato lethifero: *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* ait D. Paulus m. Qui alibi n hanc utramque gratiam ſic enumerat. Gratiam gratum facientem, *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus: niſi in Spiritu ſancto.* Gratiam verò gratis datam, *Diviſiones verò gratiarum ſunt: idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt: idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in uno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Unde dicit Cornelius o, *Ex hoc cap. & ſeq. Theologi acceperunt diviſionem gratiæ in gratum facientem, quæ perficit ipſum ſubjectum ut ſit Deo gratum, qualis eſt charitas, caſtitas, pietas, aliæque virtutes: & gratis datam, quæ ordinatur ad perfectionem aliorum: & licèt Apoſtolus hic tantùm novem numeret gratias gratis datas, plures tamen eſſe poſſunt.* Gratia gratum faciens ſubdividitur in tria capita. Primò, vocatur gratia præveniens, quæ eſt ea quæ nos invitat ad faciendum bonum, de qua loquitur Evangelium hodiernum, dicens, *Multi ſunt vocati.* Secundò, Dicitur gratia cooperans, quæ agnoſcens infirmitates noſtras, nos adjuvat ad exequendum opus inceptum. Tertiò, Nuncupatur gratia concomitans, quæ nos dirigit ad perfectionem operis, & in perſeverantiam ejus donec appellamur ad portum noſtræ felicitatis ita deſideratum. Eccleſia me edocet hanc diviſionem poſt D. Paulum p, quem ipſa ſic introducit loquentem: *Gratiâ Dei ſum id quod ſum: & gratia ejus in me vacua non fuit: ſed ſemper in me manet.* Primò, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum*: Ecce gratia præveniens. Secundò, *Et gratia ejus in me vacua non fuit:* Ecce gratia cooperans. Tertiò, *Sed ſemper in me manet:* Ecce gratia concomitans. Noſtra ſalus reducitur ad hæc tria puncta præcipua, nimirum, ad ferendam voluntatem noſtram ad bonum, ad exequendum illud bonum mediis operibus, & ad perſeverandum uſque ad finem in utroque; totum autem provenit à gratiâ Dei: *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate*, ait D. Paulus Philippenſibus q. Ne autem diſcurſum iſtum æquo prolixiùs protraham cum periculo abutendi patientiis veſtris, duntaxat immoror in loquendo vobis de gratiâ præveniente, cùm ſit ſubjectum quod elegi, juxta iſtud, *Multi ſunt vocati.*

Deus vocat nos omnes ad ſalutem, nec ullus eſt peccator quantùmvis obſtinatus, qui non ſuſcipiat gratias ſufficientes, quarum interventu ipſe ſalvari poſſit: & nemo eſt qui venire non poſſit in cognitionem illius quod ſibi peragendum eſt, niſi ſuos claudat oculos radiis Divinorum luminum ipſius quæ ipſum illuſtrant, & qui non poſſit audire vocem ipſius, cùm vocet omnes: *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manū meā, & nō fuit qui aſpiceret* r. Tres obſervo voces in Deo, quibus utitur ad trahendos nos ad ſe, quæ totæ tres ſunt omnipotentes, niſi lethargico oppreſſi ſimus ſomno, qui nos reddat ſurdos & ſenſus expertes ad omnes iſtas Divinas vocationes, ſive per ſe immediatè, ſive mediatè per creaturas. Quando ſumus in peccato, quid non agit Deus ad nos ſuſcitandos ab eo; *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus* s. Ipſe ſtat præ foribus cordis noſtri, & pulſat ſanctis inſpirationibus ſuis, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* t. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum u, *Ecce ſto ad oſtium, id eſt, oſtio cordis, ſcilicet libero arbitrio, ſeu voluntati aſſiſto, ſeu præſens ſum, qui omnia impleo* x, *& nullibi deſum: & pulſo per ſacram Scripturam hortando, per Vicarios meos loquendo, per Angelicam inſpirationem, per motionem internam, quâ moveo mentem ad ſupernaturale bonum, per beneficiorum collationem, per adverſitatum exercitationem. His ſiquidem modis Deus omnipotens cordis noſtri pulſat quotidie januā. Unde & loquitur Sponſa, ſeu anima amoroſa, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea* y. Si auſcultemus ipſum, ipſe nobis dicit in perſona ejuſdē Sponſæ, *Revertere, revertere, Sunamitis: revertere revertere* z. Sed nos obſtinati, ipſū deſpicimus, & contēnimus Divinas ipſius inſpirationes. Etiā, peccator, iſtæ illuſtrationes interiores, hæ cōpūctiones cordis, quas experiris, niſi ſit induratū tuū *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* a ſtrictum, nonne ſunt voces Dei tui, quæ te vocant ad ſanctam emendationem? *Revertere.* Iſtæ confuſiones quæ perſæpè tibi vultum operiunt, cùm negotia tua tibi non ſuccedunt ad deſiderium, adoleſcens æquo liberior, qui ſicut ſtruthio videris velle devorare ferrum, & recommendabilem exhibere mediis inſolentiis tuis, nunquid non ſunt voces quæ te vocant? *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine*, ajebat David b, Deum alloquēs. Vos verò mulieres, quæ gloriamini de vanitatibus veſtris, iſta frons quæ videbatur ſedes gratiarum, incipiens rugis ſulcari, iſtæ genæ incipientes decorem ſuum amittere, nonne ſunt voces Sponſi veſtri cœleſtis vocantis vos ad ſe? Heu! jacturam veſtram incurrebatis, & via quam

i Thren. 5. 21.
k Prov. 1. 24.
l Matth. 5. 45.
m 2. Cor. 6. 14.
n 1. Cor. 12. 3. &c.
o Cornel. in 1. Cor. 12. 10.
p 1. Cor. 15. 10.
q Philipp. 2. 13.
r Prov. 1. 24.
s Epheſ. 5. 14.
t Apoc. 3. 20.
u Dion. Carth. art. 4. in Apoc. 3. 20.
x ex Jer. 23. 24.
y Cant. 5. 2.
z Cant. 6. 12.
a Job 41. 15.
b Pſ. 82. 17.

quam ſequebamini, non deducebat vos niſi ad
præcipitia : Deus inde vult vos retrahere, di-
cens, *Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam*
c Oſee 2. 9 &c. *ſpinis.* c. Ipſe vult ut revertamini ad ipſum per
hanc adverſitatem, cùm receſſiſſetis ab ipſo per
peccatum ; & cùm non potuerit trahere vos
ad ſe ſuavitatibus amoris ſui, ſicut ipſe æquè ſa-
piens ac bonus eſt, *vos nolens perire, ſed o-*
d 2 Petr. 3 9. *mnes ad pœnitentiam reverti* d, inſumit alias
adinventiones ad operandam ſalutem veſtram,
ut inſtar illius diſſolutæ quæ ſe proſtituere vole-
bat amatoribus ſuis, invenientes obſtacula, poſ-
ſitis avellere vos à cenſo miſeriarum veſtra-
rum, & redire ad ſummum veſtrum *Bonum* e.
e Exod. 33.19. Perſæpè inſpirationes interiores non ſunt ſuffi-
cientes ad hoc ut inducant homines deliciis
ſenſuum deditos ad deſerendas voluptates ſuas
animales, quos interdum rudis afflictio facit ad
ſe redire : punitiones faciunt iſtos renaſci, mo-
re cicadarum, quæ recenſentur mori in melle, &
renaſci in aceto potenti ; quotnam homines ex-
f Tob 11. 13. cæcat proſperitas, quos fel *f* alicujus amaræ af-
flictionis reddit perſpicaces? Quàm admirabilis
eſt Deus in adinventionibus ſuis! *Notas faci-*
g Iſai 12. 4. *te in populis adinventiones ejus* g. Quotnam
prodigi ſunt in mundo, quos proſperitas exire
fecerat domo paternâ, & quos fames eò redire
h Luc 15. 17, &c. compulit? *Hic fame pereo: ſurgam & ibo ad pa-*
trem meum. Et ſurgens venit ad patrem h. Quid
autem eſt totum iſtud, Auditores, niſi vox potens
Dei noſtri, qui nos vocat ad ſe, qui requirit ſa-
lutem noſtram, quique nihil aliud vult, niſi ut
correſpondeamus conſiliis, quæ habet ipſe, de-
ducendorum noſtrî ad gloriam, propter quam
ipſe nobis vitam præbuit.

Abſalom miſit ad Joab, ut mitteret eum ad
Regem: qui noluit venire ad eum. Cùmque ſecun-
do miſiſſet, & ille noluiſſet venire ad eum, dixit
ſervis ſuis, Scitis agrum Joab juxta agrum me-
um, habentem meſſem hordei: ite igitur, & ſuc-
cendite eum igni. Succenderunt ergo ſervi Abſa-
lom ſegetem igni. Et venientes ſervi Joab ſciſſis
veſtibus ſuis, dixerunt, Succenderunt ſervi Ab-
ſalom partem agri igni. Surrexitque Joab, & ve-
nit ad Abſalom in domum ejus, & dixit, Quare
ſuccenderunt ſervi tui ſegetem meam igni? Et
reſpondit Abſalom ad Joab, miſi ad te obſecrans
ut venires ad me, & mitterem te ad Regem, & di-
i 2 Reg. 14. 28, &c. *ceres ei* i, &c. Quaſi diceret ei, Sciebam quidem
quòd majoris æſtimaturus eſſes jacturam bono-
rum tuorum, quàm nuncios meos: propterea u-
ſus ſum adinventione hac ut obſtringerem te ad
veniendum: *Hoc fecit Abſalom confidens de Jo-*
ab. Sæpè enim invitandi ſunt amici ab omni dā-
k Hug. Card in 2. Reg. 14. 30 &c. *no temporali*, dicit Hugo Cardinalis *k*. Amor in-
gens Dei noſtri! *Dolorem & laborem conſideras,*
l Pſ. 9. 81. *ut tradas eos in manus tuas* l. Deus mittit ad nos
multos nuntios ut eamus ad ipſum, multas inſpi-
rationes quæ nobis clamant interiùs, ut conſe-
quenter dicit idem Hugo, *Revertere, revertere,*
Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur
k Cant. 6. 12. *te* k. *Quater dicit, Revertere, quia à partibus*
l Ezech. 37. 9. *mundi quatuor vocat. Unde hæc dicit Dominus*
Deus, A quatuor ventis veni Spiritus: & inſuffla
ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant l. *Vel ſic,*
Revertere, revertere, mente ſcilicet, & corpore ad
Deum. Revertere, revertere, id eſt, de bonis omiſ-
ſis, & de malis commiſſis pœnitentiam age. Vel
quater dicit, Revertere: quia quatuor modis vo-
cat Dominus peccatores, ſcilicet, per beneficia, per
flagella, per prædicationem, per inſpirationem. Un-
de, Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem
ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus por-
tarum urbis profert verba ſua, dicens, Uſquequò
parvuli diligitis infantiam m? *Ecce quatuor vo-* m Prov. 1 20. &c.
cationes, & tamen nullus audit. Unde ibidem ſe-
quitur, vocavi, & renuiſtis: extendi manum meā,
& non fuit qui aſpiceret, & deſpexiſtis omne con-
ſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.
Sic reprobi nolunt Domino reſpondere. Id eſt, vo-
ci Dei qui ipſos vocat tot modis, *Multi ſunt vo-*
cati, pauci verò electi. II. Pars.

Deus nos omnes vocat, ſicut aliàs ipſemet *vo-* n Gen. 3. 9. & 8.
cavit Dominus Deus Adā, & dixit ei, Ubi es n?
Nos verò cæci, & miſerabiliter obſtinati in per-
nicie noſtra, fugimus à præſentia ejus, ſicut idem
abſcondit ſe Adam à facie Domini Dei ejuſdem:
recedimus ab eo, ut ſequamur vias contrarias
viis ejus, quæ non dirigunt niſi ad præcipitia, &
ad infortunia : jacturam noſtram incurrimus.
Quidnam autem eſt cauſa perditionis noſtræ? o Matth. 25. 46.
Quidnam nos facit ire *in ſupplicium æternum* o?
Nunquid fatum? Nequaquam : cùm ſimus Do-
mini libertatum noſtrarum, *Ante hominem vita*
& mors: bonum & malum; quod placuerit ei, da- p Eccli. 15. 18.
bitur illi p. An quia Deus nos deſtinavit ad hoc
ut eſſemus inferni titiones ardentes in his forna-
cibus iræ ipſius? Heu! abſit à nobis ut illud dica-
mus, cùm ſola vel illius cogitatio, crimen eſſet,
quod nullam veniam mereretur, *Ego cogito ſu-*
per vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non af- q Jer. 29. 11.
flictionis q. Deus nullam unquam habuit vo-
luntatem niſi erga bonum noſtrum, & ipſe *cre-* r Gen. 1. 27.
avit r nos ut daret nobis gloriam ſuam : unde
procedit igitur infortunium noſtrum? Ha! Au-
ditores, ſi illud latet vos, hoc eſt quod volo vos s Oſee 13. 9.
educere, *Perditio tua Iſrael* s. E nobis oritur ja-
ctura noſtra, nos ipſi procuramus nobis hanc
infelicitatem per peccata noſtra; nos ipſi ſumus
opifices infortunii noſtri. Omnes vocamur ad
Chriſtianiſmum, ad cognitionem veri Dei, *Qui*
de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſu- t 1 Petr. 2. 9.
um, ait nobis D. Petrus *t*. Sed erimuſne omnes
ſalvi? erimuſne univerſi è numero Electorum? u 1 Petr. 2. 5.
erimuſne cuncti *ipſi tanquam lapides vivi* u, col-
locandi in ædificatione cæleſtis Jeruſalem, juxta x ex Apoc. 21 2.
id quod concinit Eccleſia x?

Urbs Jeruſalem beata,
Dicta pacis viſio,
Quæ conſtruitur in cælis,
Vivis ex lapidibus.

Nemo eſt qui poſſit id aſſerere. Ego verò dico,
quòd ſi unica duntaxat anima jacturam ſalutis
ſuæ deberet incurrere ex ſuppoſitione, ſinguli ju-
re merito timere deberemus, ne ſors caderet ſu-
per nos, & dicere cum Job *y*, *Verebar omnia* y Job 9. 28.
opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.
Offendimus Deum, & neſcimus num dignam de
peccatis noſtris egerimus pœnitentiam, num ſi-
mus in gratia, & an perſeveraturi ſimus in illâ
uſque ad mortem. Omnes vocantur, ſed non o-
mnes ſalvabuntur; omnes ſuſcipiunt gratias ſuffi-
cientes, ſed omnes non utuntur eis: Habemus o-
mnes Sacramenta, quæ ſunt totidem remedia
ſpiritualia, ſed omnes non ſanabimur, eò quòd
nolimus nobis applicare hæc remedia ſanandis
noſtris infirmitatibus accommoda, propterea
perditio tua Iſrael z. Tot favores quos ſuſcepi- z Oſee 13 9.
mus è manu liberali Dei noſtri, erunt teſtes qui
deponent adverſùs nos ipſo extremi judicii die:
ſanguis

ſanguis ejus effuſus propter amorem noſtrum, inclamabit voce contentâ vindictam, *En ſanguis ejus exquiritur* a. [a Gen. 42. 22.] Tot Sacramenta, tot media peragendæ noſtræ ſaluti opportuna, nos accuſabunt, *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidône facta eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidôni remiſſius erit in die judicii, quàm vobis* b. [b Matth. 11. 21. & 22.] Væ vobis, Auditores, ſi Conſtantinopolis & Argeria ſuſcepiſſent eaſdem gratias, quibus fuiſtis cumulati; ſi incolæ civitatum iſtarum barbararum eſſent illuſtrati luminibus, quibus eſtis vos perfuſi, non videretur in eis niſi pœnitentia & ſanctitas: civitates iſtæ barbaræ condemnabunt ingratitudinem veſtram, & mitiùs excipientur quàm vos, *Perditio tua Iſrael.* [c Prov. 1. 24.]

Deus vocat nos omnes; vocatio, eſt primus ſalutis noſtræ greſſus, *Vocavi.* Ecce porrigit ipſe nobis manum ſuam per primam gratiam, *Et renuiſtis* c. Heu! quàm miſeri ſumus nos, cùm hujuſmodi gratiam deſpiciamus, & dicamus effractâ fronte Deo, *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt Omnipotens, ut ſerviamus ei? & quid nobis prodeſt, ſi oraverimus illum* d? [d Job. 21. 14. & 15.] Id eſt, quòd velut equi indomiti, ſequi volumus lubricum inclinationum noſtrarum, & pravarum noſtrarum conſuetudinum, quòd nullum alium habemus ducem niſi nutum noſtrum, & quòd in omnibus volumus eſſe domini voluntatum noſtrarum, *Vocavi, & renuiſtis.* Ecce vox illius, & certitudo bonæ voluntatis ejus erga nos, *Vocavi.* Et ecce noſtra rebellio, *Et renuiſtis.* Imò verò Deus poſtquàm multùm patienter egit, non poteſt quin queratur de ingratitudine noſtrâ, & de contemptu noſtro terminis iſtis, *Orabam filios uteri mei: ſtulti quoque deſpiciebant me* e. [e Job. 19. 17. & 18.] Peccator, Deus oravit te: qualis bonitas! Compellere te poterat, ſed non vult uti violentiâ; ſinit te potiri libertate tuâ, rogat te, & ſuaviter te ſolicitat voluptate demulcente. Teſtes aſſumo vos, Auditores; quandiu etatis in peccato, nonne audiviſtis voces internas & externas? Quotnam gratias, & quotnam adverſitates, quæ erant tamen gratiæ favorabiles, Deus miſit ad vos? Omnes res iſtæ, erant ſuaves conatus, quos Deus hic amoris agebat propter ſalutem veſtram. *Orabam filios uteri mei: ſtulti quoque deſpiciebant me*, ait Deus. Eja fœnerator, reſponde mihi, fatere mihi veritatem ingenuè coram totâ iſtâ concione. Nonne ſentis in corde tuo quomodo Deus te orat, ad hoc ut deleas uſuram? Reſponde mihi, voluptuoſe! Nunquid non ſentis interiùs quomodo urget te ut relinquas hanc diſſolutam? Dic mihi, adoleſcens æquo liberior, otioſe & nequam: An non ſentis tibi tangi cor ad hoc ut ſis humilis? Poteſne, peccator, negare veritates iſtas? Deus orat te, ut exeas è crimine tuo, ut adhæreas viis ſalutaribus, & quid agis? *Stulti quoque deſpiciebant me.* Avarus deridet Deum, & ait, Ego autem habere volo aurum æquè ac argentum, quidquid accidat, per fas, perque nefas: Ego verò, dicit voluptuoſus, indulgere volo deliciis & oblectamentis, *Edamus, & bibamus: poſt mortem nulla voluptas.* Sed ſi Deus in hoc ſtatu rebellionis & obſtinationis deſerat vos, ſicut deſeruit eos, de quibus dicit D. Paulus f, [f Rom. 1. 28.] *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum: ut faciant ea quæ non conveniunt:* diceti ſne peccatores, quòd ipſe ſit cauſa damnationis veſtræ? Hîc ego ſum conſtitutus ad complectendam cauſam Dei; ipſe peregit omnia propter vos, ideoque *perditio tua, Iſraël* g. [g Oſee 13. 9.] Si damnationem veſtram incurritis, iſtud non provenit à Deo, nolite accuſare Deum perditionis veſtræ, ſed voſipſos: Deus tribuit vobis id omne quod ſufficiebat, imò verò quid plus ad hoc ut operaremini ſalutem veſtram; ſed vos ingrati contemnentes favores ejus, ſemper magis ac magis redditis vos ſurdos & induratos ad vocem ejus, obturantes aures veſtras orationibus illius, *Perditio tua, Iſrael.*

Deus noſter, Auditores, eſt ille Rex, de quo loquitur D. Matthæus h, [h Matth. 22. 2. &c.] *qui fecit nuptias filio ſuo: & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, omnes, bonos & malos.* Ipſe, eſt Paterfamilias Evangelii noſtri, *qui exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam, & circa horam tertiam; iterùm autem circa ſextam, & nonam horam, & circa undecimam.* Ipſe nos invitat ad laborem ſub ſpe mercedis, & nobis dat id omne quod nobis eſt neceſſarium ad lucrandum paradiſum operando. Ipſe, eſt Divinus ille Seminator, qui *exiit ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas; & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum* i. [i Luc. 8. 5. &c.] Etiam, Auditores: Divinus iſte ſeminator gratiarum ſuarum, non ceſſat eas jacere in corda petroſa & indurata peccatorum, ut oſtendat quòd per ipſum non ſtat quin ſalvemur: nec ullus eſt impius in mundo, quantùmvis ſit obſtinatus, qui ſalvari non poſſit adjutus gratiâ cœli, quæ nunquam ipſi deerit, niſi ſe reddat eâ indignum, nec illam ſuſcipere velit ab eo, *qui dat omnibus affluenter* k, [k Jacob. 1. 5.] & qui eſt *dives in omnes qui invocant illum* l, [l Rom. 10. 12.] continuando in criminibus ſuis.

Amor, quo Deus diligit nos, ſic ingens eſt ut hoc amore ductus exiverit *à Patre, & in mundum* m [m Jo. 16. 28.] venerit converſatū nobiſcum: *Poſthac in terris viſus eſt, & cùm hominibus converſatus eſt* n; [n Baruch. 3. 38.] *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* o. [o Philipp. 2. 7.] Nunquid non iſtud, eſt nos diligere præ exceſſu? Dubitabimusne adhuc de bonâ voluntate ejus erga nos; ipſius, inquam, qui eſt ille bonus Paſtor, *qui oves nonaginta novem in deſerto* dimiſit, vadens *ad illam quæ perierat, donec eam* p [p Lucæ 15. 4.] inveniret? Cùm amor ipſius erga nos ita ſit immodicus, ut pati non poſſit unicam vel animam perire culpâ ſuâ. Chriſtiane, nunquid nondum contentus es? dubitaſne adhuc de amore Dei tui? viſne majores probationes illius? Intuere *Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum* q. [q 1. Cor. 2. 2.] En illius foſſas *manus, & pedes* r [r Pſ. 21. 17.] terebratos. Si brachia ejus ſunt extenſa, dicere ne poteris quòd te ſuſcipere noluerit ad pœnitentiam? Et cùm pedes ipſius ſint cruci ſuffixi, inde innuit quòd expectat te, & cùm ſit *inclinato capite* s, [s Jo. 19. 30.] ideò ut tibi det pacis oſculum. Omnia hæc vulnera, peccator, ſunt totidem voces, quæ te invitant ad operandam ſalutem tuam: totus iſte ſanguis, qui fluit ex iſto corpore, non effunditur niſi ad faciendum lavacrum animæ tuæ, *Qui dilexit nos,*

Digitized by Google

& lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo t. Audi vocem boni Patr.s tui, *Veni columba mea: in foraminibus petræ* u conſtitue nidum tuum. *Petra autem erat Chriſtus*, ait D. Paulus x. Peccator, obſurdeſceſne adhuc? renneſne ingredi in hunc locum refugii? *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit* y. Et quare? Sanè ut intra illud Salvator tuus te ſuſciperet ad veniam. Divinus hic Argus centum ſcxtens oculis, aſcendit patibulum crucis, ut tuis meliùs videndo occurreret infortuniis. Inde *clamavit voce magnâ* z, ut te vocaret ad ſe. Ibique *tradidit Spiritum* a, ut te traheret ad ſe, ſicut ipſe prædixerat, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum (hoc autem dicebat, ſignificans quâ morte eſſet moriturus* b:) & conſequenter ut per mortem ſuam, tibi vitam daret, cùm ipſe dixerit, *Ego veni ut vitã habeant, & abundantiùs habeant* c. Et tamen proh dolor! miſerabiliter incurrimus jacturã noſtrã. Et nonne poſſet ipſe nobis dicere præ improperio? *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei* d: Quidnam eſt, Auditores, quod Deus noſter plus agere potuerat in favorem noſtrum, quod non fecerit? Ipſe inſumpſit ad omne quod ſervire poterat operandæ ſaluti noſtræ: propterea dedit ipſe ſanguinem ſuum, & vitam ſuam propter noſtrum amorem: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* e. Sed ſicut noſtra ſalus pendet à nobis æquè ac ab eo, oportet ut efficacem reddamus vocationem noſtram, facientes id quod in nobis erit, cùm dicat D. Auguſtinus f ſingulis nobis, *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te.* Requiritur ut concurramus ad opus iſtud, juxta mandatum quod nobis tribuit D. Petrus g, *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* Deus vult ut laboremus, ad hoc ut habeat ipſe unde coronare poſſit labores noſtros ſub titulo mercedis; ipſe nos omnes vocat, *Multi ſunt vocati.* Quòd ſi jacturam noſtram incurrimus, & ſi non ſumus è parvo numero Electorum, applicemus nobis iſtud oraculum Propheticum h, *Perditio tua Iſrael.* Quòd iſte defectus oritur à nobis, qui voluntariè volumus perire, crudeles nobiſmetipſis effecti.

Hunc diſcurſum, Auditores, concludo per hæc verba Evangelii noſtri, quæ poterunt quidem tangere corda veſtra, ſi habent adhuc aliquem pietatis affectum, & niſi ſint prorſus ſenſus expertia quantùm ad jacturam ſuam: *Erunt noviſſimi, primi: & primi, noviſſimi.* Heu! Chriſtiani, metuamus minas iſtas, & timeamus ne veritas iſta manifeſtetur in nobis. Videmus iſtud contigiſſe Judæis, qui præceſſi ſunt ſeu ſuperati in cognitione veri Dei à Gentilibus, juxta id quod Salvator prædixerat, *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno cælorum: filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores* i. Minæ terribiliſſimæ omnium earum quæ exierint unquam ex ore Filii Dei. Jeremias k conſiderans infelicitatem populi ſui, & cæcitatem nationis ſuæ, quæ cauſabat ipſi magnam hanc ruinam, non poteſt quin fleat intuitu tot infortuniorum: *Facta eſt quaſi vidua Domina gentium: Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem. Et egreſſus eſt à filiâ Sion omnis decor ejus.* Heu! Auditores, quid ex iſtis omnibus inferre poſſumus, niſi nova motiva timoris, videndo quòd Judæi, qui erant populus Dei electus l, qui inſtitutus fuerat hæres m, cui Lex n data erat, cui ceremoniæ o conceſſæ fuerant, & promiſſiones p factæ; unde educti ſunt Patriarchæ q, Prophetæ r, B. Virgo s, Apoſtoli t, imò verò Dominus noſter Jeſus Chriſtus u; privati fuerint hâc hæreditate, Lege, & ſervitio Divino, imò verò Deo ſuo; nos verò Idololatræ, incircumciſi, inimici nominis ejus, ſucceſſerimus gloriæ Regni, benedictionibus, Evangelio, & omni illi quod inde dependet? Heu! Auditores, nunquid non jure merito metuere debemus idem ſupplicium, cùm videamus in moribus noſtris eaſdem corruptiones, & quòd vitium æquè inſoleſcit nunc ac aliàs, ne dicam magis? Quòd ſi Deus reprobavit Synagogam Judæorum: *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & Legis tranſlatio fiat* x: & jactura hujus Synagogæ fuit ob ingratitudinem ſuam: quid agetur de nobis, ſi eodem crimine inquinati ſumus? *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat*, ait ſingulis nobis D. Paulus y. Id eſt, ſi non pepercit olivæ bonæ & fertili, quid faciet ſylveſtri & ſterili ex naturâ ſuâ inſertæ ſolùm per gratiam bonæ? Si filius excipitur præ tanto rigore, quid non timere debet ſervus conſcius criminis? Si Judæi commiſerunt crimina, nunquid non enormiora & numeroſiora patrant Chriſtiani? Judæi Chriſtum cruci ſuffigendum ſategerunt, ſed eum non cognoſcebant prout Filium Dei: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* z. Sed Chriſtiani cognoſcentes eum, quotidie crucifigunt eum linguis ſuis, blaſphemiis ſuis, ſordibus & impuritatibus ſuis, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* a. Judæus inſurrexit in Jeſum Chriſtum mortalem; tu verò impie & deteſtabilis peccator inſurgis in eum glorioſum & immortalem: Judæus negavit eum b, & non credidit in illum; tu verò, ô fide, habeſne fidem? *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus* c. Opera tua, ſuntne opera Chriſtiani? Praxes iſtæ malæ, hæ ſordes, ſuntne effectus, quibus mediis agnoſci vis miles Jeſu Chriſti Salvatoris animarum noſtrarum emptarum *pretio magno* d? Heu! Auditores. *Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores* e. Sic eſt: filii ejecti ſunt ignominioſè domo: vos verò non timebitis, & jure merito ne idem vobis accidat? *Erunt noviſſimi, primi: & primi, noviſſimi.* Popule Chriſtiane, *Non fecit Sodoma ſoror tua ipſa, & filiæ ejus, ſicut feciſti tu & filiæ tuæ. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit: ſed viciſti eas ſceleribus tuis, & juſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis* f. Quid autem reſervatur tibi ex univerſis iniquitatibus tuis, quibus ſororem tuam Synagogam ſuperaſti, niſi quod *erunt noviſſimi, primi: & primi, noviſſimi?* Metuamus, Auditores, ne cælum fatigatum, æquè ac exacerbatum propter crimina noſtra, eligat barbaros qui convertuntur cùm aliquis vero zelo ductus vadit ipſos illuminatum luce Evangelii, & ne dicatur de nobis propter iniquitates noſtras, *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores:* & conſequenter ne veritas hæc adimpleatur in illis, & in nobis, *Et erunt noviſſimi, primi: & primi, noviſſimi.* Quod vergeret in magnam confuſionem & ignominiam noſtram.

Salva-

t Apoc. 1. 5. u Cant. 2. 13. & 14. x 1. Cor. 10. 4. y Jo. 19. 34. z Matth. 27. 46. a Jo. 19. 30. b Jo. 12. 32. & 33. c Jo. 10. 10. d Iſai. 5. 4. e Epheſ. 5. 2. f D. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſt. c. 11. g 2. Petr. 1. 10. h Oſee 13. 9. i Matth. 8. 11. & 12. k Thren. 1. 1. &c.

l 3. Reg. 3. 8. m Iſai. 19. 25. n Exod. 20. 2. &c. o Exod. 25. 8. &c. p Exod. 19. 5. q Gen. 12. 27. r 1. Reg. 1. 20. s Matth. 1. 18. t Matth. 4. 18. u Matth. 1. 1. &c. x Hebr. 7. 12. y Rom. 11. 21. &c. z 1. Cor. 2. 8. a Hebr. 6. 6. b Matth. 27. 42. c Jacob. 2. 18. d 1. Cor. 6. 20. e Matth. 8. 12. f Ezech. 16. 48. & 51.

Salvator adorande, cùm gloriæ ducas vincere ingratitudines & rebelliones noſtras armis amoroſis beneficiorum & chariſmatum tuorum, & omnis malitia teterrima & maximè ſacrilega ſiccare non poſſit originem fœcundam & infinitam immenſarum miſericordiarum tuarum g, miſerere infirmitatis horum peccatorum phreneticorum, qui remedium ſalutare, quod ſumma tua bonitas ipſis offert ad ſanandos morbos ipſorum: oppreſſi ſunt ſomno lethargico peccati: Domine fac te audiri ab eis, excita dormientes iſtos; noli recuſare eis auxilium gratiæ tuæ excitantis; pulſa, Deus mi, percute hæc corda ferrea, & rebellia, ut, cùm illa ſubmiſeris voluntati tuæ, obediant voci tuæ, *Compelle intrare* h. Utere poteſtate tuâ, fortitudine æquè ac ſuavitate gratiarum tuarum; intuere id quod ipſis eſt neceſſarium, non autem id quod injuſtè deſiderare poſſent: redde te ſupremum Dominum cordium illorum, ad hoc ut tibi ſerviant in hoc mundo per gratiam, & poſſideant te in altero per gloriam.

g Thren. 3. 22.

h Luc. 14. 23.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. &c. Luc. 8. 5. &c.

RECtæ conſonum eſt rationi, ut membra convenientiam habeant cum capite ſuo, & diſcipuli conformitatem cum doctrinâ, æquè ac cum operibus Magiſtri ſui: Jeſus Chriſtus eſt Caput noſtrum, *Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* a. Nos autem ſumus membra illius, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* b. Ipſe pariter eſt Magiſter noſter, *Ecce, Teſtem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus* c. Et, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite* d. Et ipſe ſe talem profitetur, dicens, *Diſcite à me* †. Et, *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis: ſum etenim. Ergo ego Dominus, & Magiſter. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* e. Nos verò diſcipuli ejus, & ut tales debemus adhærere doctrinæ ejus, & operibus illius. Et hoc eſt quod innuit nobis Evangelium hodiernum, & cum eo Dionyſius Carthuſianus f, *Exiit qui ſeminat, hoc eſt, Chriſtus ſeminator verbi cæleſtis in cordibus hominum, exiit ſeminare, id eſt, ad ſeminandum ſemen ſuum, hoc eſt, Evangelicæ doctrinæ prædicationem. Hæc eſt ſeminatio ſpiritualis, de quâ in Oſea* g *legitur, Seminate vobis in juſtitiâ, & metite in ore miſericordiæ. De quâ ait Apoſtolus* h. *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Verbum autem Dei aptiſſimè ſemen vocatur, quoniam mentem fœcundat, opus meritorium inchoat, fructum virtutis producit, animam reficit, & inſtar ſeminis in audientium cordibus ſpargitur. Sed & ipſemet Chriſtus increatum Dei Verbum dicitur ſemen, juxta illud. In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes* i. *Chriſtus etiam orſus eſt prædicare, ut ſeipſum audientium cordi inſereret, in ipſumque crederent, ac ſperarent: ſicque per fidem, ſpem, & charitatem in ipſis maneret, ſicut ait Apoſtolus* k, *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Prætereà, Quadruplex aſſignatur ſemen. Primum eſt ſemen ſeminatum & in utero Virginis incarnatum pro nobis, videlicet Chriſtus, dicente Apoſtolo* l, *Non dicit in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, in ſemine tuo, quod eſt Chriſtus. Secundum eſt ſemen ſeminatum in nobis, utpote verbum Dei, gratia, virtutes, & dona Spiritus ſancti, de quo ſemine hic fit ſermo. Tertium eſt ſemen ſeminatum à nobis, id eſt, opera virtuoſa, juxta illud, Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua* m. *Quartum eſt ſemen ſeminatum de nobis (puta nos ipſi) quos Chriſtus in ſua ſeminavit Eccleſia, de quo ſemine ſcriptum eſt. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus* n. *De quo etiam loquitur Chriſtus, Bonum ſemen ſunt filij Regni* o, *id eſt, Electi. Unde fertur de Chriſto, Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum* p. Primum illud ſemen ſeminatum in ventre Virginis Deiparæ, id eſt, *Ieſus, cœpit facere, & docere* q. Nos verò qui ſumus quartum ſemen ſeminatum de nobis ab eodem Chriſto Magiſtro noſtro in Eccleſia, debemus nos illi conformare, ut docere videtur D. Bonaventura q. *Seminat Doctor verba Dei, ſeminat Iuſtus bona opera.* Qui r addit poſt hæc verba Evangelii hodierni, *Aliud cecidit in terram bonam. Quadruplex eſt terra bona Materialis, virginalis, ſpiritualis, æternalis.* Omiſſis iis quæ ab hoc Doctore Seraphico *De materiali, de ſpirituali, de æternali* dicuntur ab eodem poſt Scripturam, *De virginali, quæ eſt beata Virgo Maria, dicitur; Fons aſcendebat de terrâ* r. *Fons Chriſtus eſt. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* s. *Gregorius: Bone Ieſu fons indeficiens, & humana corda reficiens: ad te curro te ſolum ſitiens, tu ſolus mihi es ſufficiens Fons aſcendebat de terrâ, quando Chriſtus naſcebatur de Mariâ. De qua terra: Terra illa inculta, facta eſt velut hortus voluptatis* t. *Terra inculta, eſt Maria Virgo intacta: & tamen fœcunda. In hoc horto herbas virtutum, floreſque exemplorũ colligamus: Flores mei fructus honoris* u. Nimirum, in cujus utero ſeminata Sapientia incarnata dicit, *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris* x. *Id eſt, fructum facio ſuavem & odoriferum, collationem gratiarum, ſalutem animarum, & regimen Eccleſiarum. Ego poſui vos, ut eatis; & fructum afferatis: & fructus veſter maneat* y.

a Epheſ. 1. 17. &c.
b Epheſ. 5. 30.
c Iſai. 55. 4.
d Matth. 17. 5.
† Matth. 11. 29.
e Joan. 13. 13. &c.
f Dion. Carthuſ. art. 20. in Luc. 8. 5. &c.
g Oſeæ 10. 12.
h ex 2. Cor. 9. 6.
i ex Gen. 26. 4.
k ex Epheſ. 3. 17.
l ex Gal. 3. 16.
m Pſal. 125. 6.
n ex Iſai. 1. 9.
o Matth. 13. 38.
p Iſai. 53. 10.
q Act. 1. 1.
q D. Bon. ſerm. 2. in Sexag.
r Idem ſerm. 4. in Sexag.
r ex Gen. 2. 10.
s Pſ. 41. 3.
t ex Ezech. 36. 35.
u Eccli. 24. 23.
x Ibid.

nexi y. Quod autem in terram bonam : hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & afferunt fructum in patientiâ z, media gratiâ, qua repleta eſt Maria, *Ave Maria.*

y Jo. 11. 26.
z Hugo Card. in Eccli. 24. 41.

Theologi qui continuas ſuas impendunt operas ad elucidandas difficillimas quaſque quæſtiones, unam proponunt inter alias, quæ maximas veſtras requirit attentiones, nimirum, Utrùm actiones voluntariæ, & plenè deliberatæ poſſint eſſe indifferentes, tam in ſpeciebus ſuis, quàm in ſuis individuis. Magiſtri noſtri Theologiæ volentes oſtendere indifferentiam actionum individualium & ſingularium, dicont, quòd poteſt produci nunc actus ſingularis & voluntarius, qui deficiat aliquâ bonâ circumſtantiâ, quæ non eſt ipſi debita aliquo præcepto abſolutè neceſſario, ſive Divino, ſive naturali, ſive Eccleſiaſtico, ſive civili, qui tamen ſit indifferens : nullum eſt enim præceptum, quod nos obſtringat ad merendum omnibus momentis coram Deo, aut palam hominibus, nec aliqua lex, quæ præcipiat entibus rationalibus, ut dent omnibus actionibus ſuis finem meritorium; ſed ſufficit ut illorum opera, qualia ſunt v. g. Movere caput, aut manus, deambulare, &c. habeant pro fine honeſtatem, & ſolatium naturæ, quia hoc præceptum, *Fac bonum* a, cùm ſit affirmativum, obligat ſemper, ſed non pro ſemper; cùm nunquam Divinam liceat offendere Majeſtatem, ſed nemo teneatur ad merendum ſingulis momentis, ſed ipſi ſufficiat prædictum mandatum aliquando executioni mandare : atqui omnes actiones, quibus deeſt hæc bona circumſtantia, quæ non eſt ipſis neceſſaria, ut ſuppoſuimus, non erunt abſolutè bonæ, quia, ut ait Philoſophia, *Bonum ex integrâ causâ*, illud eſt ſimpliciter bonum, cui nihil poteſt addi : ipſæ non poterunt etiam dici abſolutè malæ : illud enim quod ipſis deeſt, non debebatur ipſis neceſſariò, cùm iſte defectus non ſit privatio, ſed pura negatio : ſic actiones iſtæ, quæ non ſunt bonæ, neque malæ, erunt indifferentes. Et hoc docet D. Bonaventura b, quocum conveniunt D. Thomas c & Scotus d, in concluſione, ſi benè examinentur; ſed tantùm ab eo diſcrepant in dicendi modo : ſed quia illorum rationes, & diviſiones huc afferre, nimis eſſet faſtidioſum, & prolixum, ideò vos ad eos remitto. Admiſsâ autem indifferentiâ quantùm ad aliqua individua, admittenda eſt etiam indifferentia in ſpeciebus, quia omnis ſpecies habet, aut poteſt habere aliquod individuum, in quo conſervatur, & exiſtit poſitivè, aut negativè, ita ut ſit talis in individuo qualis eſſet in ſpecie : atqui ſicut individuum poteſt eſſe indifferens, ſic & indifferens poteſt eſſe ſpecies. Prætereà, Cùm objecta ſint innumera, & plurimi ſint fines interni, in quibus non eſt bonitas, nec malitia moralis, quia nec conveniunt, nec repugnant legibus Divinis, aut rationi, ut patet ex incedendo, è pingendo, aut è pulſando citharam, vel aliquod aliud hujuſmodi inſtrumentum; oportet ut cùm hujuſmodi actiones ſpecificæ non ſint moraliter bonæ, nec malæ, ſint per conſequens indifferentes : atqui ſicut actiones iſtæ externæ nullam notant ſpeciem vitij, aut virtutis, idem dici poteſt de actibus internis, quos voluntas producit circa ſimilia objecta, ita ut nemo debeat æſtimari bonus, aut malus propter tales actiones, cùm ſint indifferentes.

a Pſ. 36. 27.
b D. Bon. in 2. ſent. diſt. 41. a. 1. q. 3. in concl.
c D. Th. 1. 2. q. 18. a. 8. & 9.
d Scot. in 2. ſent. diſt. 41. q. unica in ſchol. & in comment.

Huic veritati conciliat authoritatem Concilium Conſtantienſe e, quod damnavit Joannem Viſ aſſerentem, *Quòd nulla ſint opera indifferentia, ſed hæc ſit diviſio immediata humanorum operum, quòd ſint vel virtuoſa, vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quicquam, tunc agit vitioſè : & ſi eſt virtuoſus, & agat quicquam, tunc agit virtuoſè : quia ſicut peccatum inficit univerſaliter omnes actus hominis vitioſi : ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.* Tamen, licèt rationes prædictæ Theologiæ, & præfatum Concilium probent indifferentiam actionum noſtrarum, non debemus vivere in hâc indifferentiâ, nec vacare noſtris actionibus cum pigritiâ, Quia, ut ait Evangelium f, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Seu, ut exponit Dionyſius Carthuſianus g ad propoſitum quod aggredior, *Omnis arbor, hoc eſt, quicumque homo viator ratione utens, qui non facit fructum bonum, id eſt, actum virtuoſum & meritorium, ſi adſit facultas, excidetur, hoc eſt, ab Electorum conſortio avelletur, atque in horâ mortis tolletur, & in ignem æternæ damnationis mittetur : ſicut de reprobis ait Pſalmiſta* h, *In ignem deycies eos, in miſeriis non ſubſiſtent. Chriſtus quoque in Joanne* i *loquitur, Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Ex his verbis oſtenditur, quòd ſola boni omiſſio ſit peccatum mortale, hominemque condemnet, quando videlicet per eum præceptum affirmativum negligitur : præcepta autem affirmativa obligant ſemper, ſed non ad ſemper, ſed ad tempus aptum ac debitum : & dum in illo opus juſſum omittitur, mortale peccatum eſt ſive de interiore, ſive de exteriore operatione accipiatur.* Prepterea concludit Evangelium noſtrum, & cum eo idem Carthuſianus k, *Quod autem in terram bonam, id eſt, figurati per terram fructiferam, & per ſemen projectum in eam, hi ſunt qui in corde bono per dona naturæ, & optimo per dona gratiæ : dona enim naturæ aptant hominem ad virtutes, & ſubſerviunt gratiæ, verbum retinent, id eſt, auditam prædicationem memoriter ſervant, juxta illud, In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi* l*: fructum afferunt, id eſt, opera virtuoſa producunt, cognita adimplendo, ſicut Jacobus* m *monet, Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipſos.* Et poſt illum D. Bonaventura n ſuper hæc verba ejuſdem Evangelii noſtri, *Et aliud cecidit in terram bonam; & ortum fecit fructum centuplum. Tertia iſta bona, eſt cor bonum, vel bona voluntas. Semina ergo hujus fructus facienda non ſolùm ſunt Dei verba, ſed bona opera.* Quod autem debet in nobis augere deſiderium reddendi opera noſtra perfectiora, eſt quòd illa teſtimonium perhibent authenticum illius quod nos ſumus, & oſtendunt nos habere aliquam convenientiam cum Capite noſtro, quod eſt Chriſtus, qui eſt ſemen, ſicut & nos, ut ſuprà dixi, qui ſe manifeſtavit operibus ſuis. Videamus igitur primò quomodo Dei Filius ſe manifeſtavit operibus ſuis. Secundò, Videbimus quales nos declarent opera noſtra.

e Conc. Conſtantiens. ſeſſ. 15. in a. 16 Jo. Viſ.
f Luc. 3. 9.
g Dion. Carth. a. 8. in Luc. 3. 9.
h Pſ. 139. 11.
i Jo. 15. 6.
k Dion. Carth. a. 20. in Luc. 8. 15.
l Pſ. 118. 11.
m Jacob. 1. 22.
n D. Bon. ſerm. 2. Dom. in Sexag.
Diviſio.
1. Pars.

Faſtidio vos infallibiliter afficerem, ſi immorarer in deſcribendis rationibus & motivis, quæ impediverunt quin Salvator mundi ſe manifeſtaverit verbis ſuis, ſed ipſum induxerunt ad manifeſtandum ſe operibus ſuis : tamen ut aliquorum faciam ſatis curioſitati, unam, aut

alteram

alteram è præcipuis rationibus præ veſtræ mentis oculis ſubjiciam. Prima eſt, Quia opera multò ſunt efficaciora ipſis verbis. Secunda eſt, Ut anſam eriperet Judæis, qui non approbabant teſtimonia quæ unuſquiſque redderet de ſe, improperantes ipſi, *Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum* o. Propterea ut iſtam evitaret calumniam Jeſus, qui eſt *Deſideratus cunctis Gentibus* p, perſuaſit eis fidem non verbis, ſed ſignis, & operibus efficacibus, quæ reddunt doctrinam ipſius ab omni ſuſpicione immunem, ut ait D. Chryſoſtomus q ſuper hæc verba ejuſdem Salvatoris, *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam. Ecce quàm frequenter idem repetit, ut ſuſpicionem tollat, & in hoc loco, & ſæpè in ſequentibus, & metu, & præmii promiſſione, ut ſibi credatur admonet, & hic rurſus ad humilia deſcendit. Non enim, inquit, qui audit verba mea, & credit mihi: arroganter namque dictum exiſtimaſſent. Nam cùm longo pòſt tempore, poſt tot ſigna & miracula cùm ejuſmodi diceret, id opinati ſunt, longè magis in præſentia: tunc enim dixerunt: Abraham mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt, & tu dicis, Si quis ſermonem meum ſervabit, mortem non guſtabit in æternum* r. *Ut ergo tunc non exaſperentur, inquit, Qui verbum meum audit, & credit ei qui me miſit, habet vitam æternam.*

o Ioan. 8 13
p Agg. 2. 8.
q D. Chr. Hom. 38 in Ioan. 5 24.
r ex Ioan 8. 52, &c.

Propter hanc rationem ſemetipſum vocat bonum Paſtorem, & aſſerit ſe tribuere ſanguinem ſuum & vitam ſuam ad faciendas oves ſuas ſalvas, *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* s. Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus t, *Eſt Paſtor bonus, quoniam juſte & charitative, ac ſaluberrimè alit fideles, ſanctitatis exemplo, ſapientiæ verbo, oratione & ſignis. Denique, Tam affectuoſus, liberaliſque Paſtor eſt, ut ſeipſum præſtet in cibum, per quem conſequimur vitam æternam.* Sic amans iſte Paſtor ovium ſuarum, amorem ſuum illis exhibet intuendum operibus, non verbis, cùm ſemetipſo illas paſcat, quod admiratione ciet D. Chryſoſtomum u, illumque inducit ad dicendum, *Quis paſtor oves proprio paſcit cruore? Et quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus: hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio Sanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.*

s Ioan. 10 11.
t Dion. Carth a. 26. in Io. 10, 11.
u D. Chr. Hom. 60 ad Pop. Antioch

Suas Jeſus oves alloquitur, cùm ſermonem iſtum habet: ſed ne ſuas propalare videatur excellentias & magnitudines, quia, ut vulgò dicitur, *Laus in ore proprio ſordeſcit*; illis, quos ad ipſum miſerat *Ioannes diſcipulis*, ut ſcirent num ipſe eſſet Meſſias, *reſpondens, ait, Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis* x. *Hoc eſt opera mea, & quomodo miracula facio,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus y. Qui aliquantò antè præmittit, *Ioannem non dubitaſſe de Chriſti perſona, videlicet quòd ipſe eſſet Rex Meſſias mundi Salvator in Lege* z *promiſſus, & à Prophetis* a *prænunciatus, omnes ſancti Catholicique Doctores concorditer proteſtantur. Quomodo enim de hoc ambigere potuit, qui nondum natus Chriſti præſentiam ſe cognoſcere exultando* b *monſtravit? Qui aliis quoque Chriſtum monſtrando diſſeruit, Ecce Agnus Dei* c. *Qui Spiritum ſanctum in forma columbæ conſpexit ſuper Chriſtum deſcendere, ſeque humiliando ei dixit, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me* d? *Non ergo dubitando interrogavit. Cur ergo interrogavit, imo quomodo interrogavit, cùm interrogando videatur eſſe dubia propoſitio? Et reſpondendum, quod interrogavit, non ob propriam dubitationem, ſed propter diſcipulorum ſuorum ignorantiam, quos volebat ex Chriſti reſponſione doceri, & certificari. Noverat enim in Spiritu, qualiter Chriſtus foret reſponſurus. Ut enim ait S. Hieronymus, diſcipuli Ioannis ſuperbierunt, & aliquid mordacitatis habuerunt contra Chriſtum. Nam ex livore atque invidia ſciſcitabantur à Chriſto. Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui manducant, & bibunt* e? *Similimente dixerunt Ioanni Baptiſtæ, Magiſter, cui tu teſtimonium perhibebas, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum* f. *Tanquam dicant, Nos relinquimur, & ad illum confluit turba. Præterea, Quòd nunciaverunt Ioanni opera Chriſti, non fecerunt ſimplici corde, ſed invidia ſtimulante, ut dicit Gloſſa Lu* g. *Volens ergo Ioannes animas diſcipulorum ſuorum ſanare, mittit eos ad Chriſtum, ut viſis ejus miraculis, credant, ac diligant. Quærit autem, non quaſi dubitans, ſed informationem nuntiorum deſiderans. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. Prædictorum autem miraculorum multa fecit Ieſus in præſentia diſcipulorum Ioannis, ſecundùm quod Lucas* h *ſcribit, dicens; In ipſa hora curavit multos à languoribus & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum. Et beatus eſt nunc in ſpe, beatificandus tandem in re, qui non fuerit ſcandalizatus, hoc eſt, ad ruinam peccati, ſeu infidelitatis inductus in me, id eſt, ex factis meis, præſertim ex humanitate eorum quæ in me apparent, ut quòd inter homines ambulo, manduco, & bibo: & ex acerbitate eorum quæ patior, & paſſurus ſum, ut quòd morte aliorum fatigor, derideor, & morte turpiſſima* i *occidendus ſum. Quemadmodum autem in Chriſto erat duplex natura, una altiſſima & Divina, alia humilis & humana: ſic in Chriſto fuerunt quædam altiſſima, utpote præmemorata miracula, & alia multa Divinitatis inſignia. Fuerunt quoque in eo quædam humillima & abjecta, ut quòd eſuriit* k, *laſſus fuit* l, *irriſiones ſuſtinuit, & tandem amariſſimam pertulit mortē* m. *Quidam ergo penſantes magnalia Chriſti, conceſſerunt quòd eſſet verus Filius Dei, ſed non hominis: & iſti ex magnificentia Chriſti ſunt ſcandalizati. Alii conſiderantes abjecta Chriſti, ut quòd mortalis fuit, quòd ex-*

x Math. 11 2. &c.
y Dion. Carth. a. 21. in Math. 11 2. &c.
z ex Deut 18. 15.
a ex Dan. 9. 24.
b ex Luc. 1 44
c Ioan. 1. 29
d Math. 3. 14. &c.
e ex Matt 9. 14.
f ex Ioan. 3 26.
g ex Luc. 7. 18.
h ex Luc. 7. 21.
i ex Sap. 2. 20.
k ex Matt 4. 2.
l ex Ioan. 4. 6
m ex Matt 27. 50, &c.

pavit, triſtis n fuit, & cruci affixus eſt, conceſſe-
m ex Mar. 14. 31. & 34. *runt quòd eſſet Filius hominis, ſed non Dei: & poſtè ex humilitate Chriſti ſcandalum paſſi ſunt.*
Sicque nunc loquitur Chriſtus, tanquam dicat, Beatus eſt, &c. hoc eſt, Ille qui viſis miraculis meis credit me eſſe Chriſtum Filium Dei, & viſis tormentis & tribulationibus meis, non diſcredit de mea Majeſtate ſed ſtabilis manet in fide, & charitate, beatus eſt. Talis tempore Paſſionis fuit Maria; non Apoſtoli, quibus dicit Salvator, Omnes vos ſcandalum patiemini in me nocte
p ex Mar. 26. 31. *iſta p. Prædictis verbis tetigit Chriſtus Joannis diſcipulos, qui ſcandalizati fuerunt in Chriſto. Ex præinductis conſtat, quòd Chriſtus non reſpondet directè ad verba interrogationis S. Joannis, ſed opera ſua juſſit ei referri, quatenus ex illis miraculoſis effectibus Joannes demonſtraret ſuis diſcipulis Jeſum eſſe Chriſtum, quoniam talia ſigna futura eſſe in Chriſti adventu Iſaias q prædixe-*
q Iſai. 35. 5. & 6. *rat, dicens, Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Hæc erat ratio propter quam cùm hæc opera feciſſet mirabilia, prohibebat illis, quos ſuis devinxerat ſibi beneficiis, & quos ſanaverat ab infirmitatibus ipſorum tam ſpiritualibus, quàm corporalibus, cùm nunquam ſanaret corpus, quin & ſalutem impertiretur animæ, *Dei perfecta*
r Deut. 32. 4. *ſunt opera r*, ne hujuſmodi opera eximia ſibi impenſa manifeſtarent aliis, *Et præcepit illis, ne cui dicerent.* Sed iovanùm: *Quantò autem eis præcipiebat tantò magis plùs prædicabant, & eò ampliùs admirabantur, dicentes, Benè omnia fe-*
s Marc. 7. 36. &c. *cit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui s.* Hinc aliqui anſam arripuerunt condemnandi eos qui tranſgrediebantur hoc præceptum apparens, dico apparens: hæc enim prohibitio non erat eis mandatum, ſed ſignum verum magnitudinis operum, quæ poterant ex ſemetipſis, nedum indigerent aliâ commendatione, ipſum pluſquàm ſufficienter manifeſtare omnibus: ſed illos ex-
t D. Aug. lib. 4. de Conſent. Evangel. c. 4. cuſat D. Auguſtinus t. dicens; *Si enim ſciebat eos, ſicut ille qui notas habebat & præſentes & futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent, eis præcipiebat: ut quid hoc præcipiebat, niſi quia pigris volebat oſtendere quantò ſtudioſiùs, quantòque ferventiùs eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant?* Quomodo enim reſiſtere potuiſſent decretis Divinæ Potentiæ, quæ ſuis manifeſtare ſe ſtatuerat operibus? Quis impedire potuiſſet authoritatem Divinæ Voluntatis abſolutæ, quæ ſemper eſt effectiva? *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in*
u Pſ. 134. 6. *omnibus abyſſis u.* Non eſt hîc concipiendus Deus inſtar artificis, qui formatâ ideâ alicujus operis, illud aggreditur, omneſque ſuas impendit operas, & ſudores ſuos propter reſiſtentiam materiæ, quæ ipſius examinat induſtriam; actio Dei non eſt è numero accidentium, quales ſunt actiones noſtræ; eamque perficere non eſt inire certamen, in quo vires exhauſtæ & ſpiritus conſumpti obſtringunt ad quietem propter fatigationem; omnipotentia ejus nulla invenit obſtacula, omnibus ipſa motum imprimit, nedum illum ſuſcipiat, juxta quod Theologi & Patres exponunt hæc verba Sapientis x: *Omnibus enim*
x Sap. 7. 24. *mobilibus mobilior eſt Sapientia.* Et ſola voluntas ejus eſt effectiva, nedum aliam adhibeat virtutem ad exequendum id quod vult. Invanùm igitur, cùm *præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur, Miſſus) abiit ergo, & lavit, & venit videns: erat autem Sabbathum quando lutum fecit Jeſus & aperuit oculos ejus: dicebant ex Phariſæis quidam, Non eſt hic homo à Deo qui Sabbathum non cuſtodit. Alii autem dicebant, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Scimus autem quia peccatores Deus non audit y,* y Joan. 9. 1. &c.
reſpondit illi cæcus natus, & ſanatus, manifeſtans gloriam Benefactoris ſui: *Sed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. A ſæculo non eſt auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo non poterat facere quicquam.* Si autem Judæi hoc in occurſu conabantur offundere caligine ſplendorem operum mirabilium Filii Dei: in aliis *accepit omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam. Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circà regionem z.* Incaſſùm conantur impedire Phariſæi z Luc. 7. 16. &c.
ne Jeſus cognoſcatur: præterquàm quòd ipſe vult abſolutè manifeſtari, actiones ipſius ſunt nimis potentes, nedum ipſum relinquant incognitum; *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea ipſa opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me: & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me a.* a Joan. 5. 36. & 37.
Fruſtrà, inquam, quando *acceſſerunt ad eum cæci,* ex Matth. 3. 17. & 17. 5.
& claudi in templo: & ſanavit eos; videntes Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David: indignati ſunt, & dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis, Utique nunquam legiſtis, Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem b? Imò b Matth. 21. 14. &c. ex Pſ. 8. 3.
verò, *Et cùm appropinquaret jam ad deſcenſum montis Oliveti,* priuſquàm ingreſſus eſſet civitatem & templum, *cœperunt omnes turbæ deſcendentium gaudentes laudare Deum voce magnâ, ſuper omnibus quas viderant virtutibus, dicentes, Benedictus qui venit in nomine Domini, pax in cælo: & gloria in excelſis. Et quidem Phariſæorum de turbis dixerunt ad illum, Magiſter increpa diſcipulos ſuos. Quibus ipſe ait, Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt c.* c Luc. 19. 37. &c.
Actiones enim illæ publicæ, Auditores, declarabant Filium Dei: ſicut enim Sol lucem ſecum invehit, eamque ad nos mittit confeſtim ac faciem ſuam ſuper horizonte noſtro exhibet intuendam, quia Deus reddidit ei hanc qualitatem neceſſariam, eumque ſic alligavit huic emicanti ſplendori, ut æquè parùm ſine eo ipſe eſſe poſſit ac abſque ſua eſſentia: ſic actiones Jeſu Chriſti præ ſe ferunt lucem ſplendentem, quam ſuper nos effundunt, ſtatim ac ipſæ ſuam recipiunt exiſtentiam, ut manifeſtent nobis proprietate & qualitate neceſſariâ magnitudinem & excellentiam illius, qui ipſas produxit? quia operationes menſurantur ad eſſe, & ſicut ab illo producuntur, ultima periodus excellentiæ ipſarum eſt ut repræſentent principium ſuum, cum aliqua ſpecie æqualitatis & ſimilitudinis; quod nobis apparebit verum, ſi exactè contempletur opera ejus, quæ nobis Divinas illius annunciant perfectiones. Vultiſne videre *quam bonus Iſrael Deus d?* Inſpicienda ſunt illius opera: cùm enim d Pſ. 72. 1.
poſſit oſtendere quantâ ſit *amictus potentiâ e,* e Pſ. 64. 7.
ſuſten-

Digitized by Google

ſiſtendo Solem, ſicut cùm *locutus eſt Joſue Domino, dixitque, Sol contra Gabaon ne movearis. Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei* f: aut faciendo illum retrocedere, ſicut *in horologio Achaz: Et reverſus eſt Sol decem lineis per gradus, quos aſcenderat* g: aut renovando omnia prodigia, quæ ipſe peregit miniſterio Moyſis & Aaronis in Ægypto h: aut tandem præcipiendo ut ignis deſcendat è cœlo (ſicut aliàs ad orationem Eliæ, *cecidit ignis Domini* de cœlo) ad caſtigandos peccatores, *dixitque Elias, Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat, quos cùm apprehendiſſent, interfecit eos* i: tamen miſeretur *omnium, quia omnia* poteſt, & diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam* k. Hoc autem in muliere adulterâ, quam noluit condemnare manifeſtum eſt, *Dixit autem Jeſus, Nec ego te condemnabo. Vade, & jam amplius noli peccare* l. Vultiſne cognoſcere quòd eſt *magnus Dominus, & magnitudinis ejus non eſt finis* m? Intuemini omnes creaturas ejus, quæ omnes ſuum eſſe receperunt à manu ejus liberali, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt* n univerſa: conſiderate mirabilia mundi, quæ diverſitatibus ſuis illum reddunt admirabilem, & inde percipietis excellentiam principii ipſorum. Vultiſne obſervare Sapientiam in operibus illius? Ordo mundi ſic benè conſtitutus authenticum ſapientiæ ejus, quæ *non habet finem* o, perhibet teſtimonium: non enim minor requirebatur ſapientia quàm infinita ad hoc ut natura ſic diverſis & innumeris ditaretur entibus ita benè ordinatis ut è tot contrariis non coaleſcat niſi unica pulchritudo; & ut intentiones ita diverſæ ad unum referrentur finem generalem, *Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine! omnia in ſapientiâ feciſti* p. Deſideratiſne probationes Divinæ potentiæ ejus? Examinate opera ejus, quæ effectus illius hominibus incomprehenſibiles manifeſtant, cùm evertendo iſtam Philoſophorum maximam, *A privatione ad habitum non datur regreſſus*, ſuprà audieritis, quòd virtute potentiæ ejus, *cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt* q. Poſſem adhuc inquirere in tolerantiis ejus, patientiam illius ineffabilem, ut cùm *unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Jeſus, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis* r? Veram humilitatem, æquè ac manſuetudinem, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde* s. Charitatem admirabilem: orans enim pro ſuis perſecutoribus, illos excuſat, *Jeſus autem dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* t. Et innumeras alias perfectiones: ſufficiat ad finiendam hanc priorem partem, oſtendere quomodo opera ejus manifeſtent Divinitatem illius, in qua continentur omnes perfectiones ipſius. Propterea *Nicodemus dixit ei, Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo* u. Quicumque enim procedit à Deo (loquendo de Divinis Perſonis) mittitur ab illo x: & quicumque mittitur ab hac ſubſtantia æterna, procedit ab hac eadem Eſſentia, quæ communicat illi totam Divinam identitatem, & ſic Filius procedens à Patre y, eſt ſimilis Patri z, & ita actiones Jeſu Chriſti manifeſtantes Divinas perfectiones, ipſum pariter cognoſcendum exhibuerunt.

f Joſue 10. 12. &c. — g Iſai. 38. 8. — h Exod. c. 4. & ſeqq. — i 3 Reg. 18. 18. &c. — k Sap. 11. 24. — l Joan. 8. 3. &c. — m Pſ. 144. 3. — n Pſ. 148. 5. — o Baruch 3. 25. — p Pſ. 103. 24. — q Matth. 11. 5. — r Joan. 18. 22. & 23. — s Matth. 11. 29. — t Luc. 23. 34. — u Joan. 3. 1. & 2. — x Iſai. 6. 8. & 9. & Rom. 8. 3. — y Pſ. 2. 7. — z Jo. 10. 30.

Si opera præ ſe ferrent organa idonea formandis verbis, quæ poſſent exprimere ſtatum & conditionem hominum, facilè meæ ſtarem promiſſioni, quam tamen adimplere concupiſco, & oſtendere quales nos oſtendant noſtra opera. D. Bernardus a ait, quòd opera vigent voce jucundâ, quæ efficaciùs perſuadeat, quàm ipſa verba, *Habet & opus vocem.* Hoc enim modo manifeſtare poſſunt ſuppoſita ſua, & meliùs quàm ſermones qui audiri non poſſunt ab iis qui nimis diſtant ab eo qui illos profert. Ratio iſtius eſt ea, quam affert idem D. Bernardus b, *Dabis vocis tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, priùs tibi illud cognoſceris perſuaſiſſe. Validior operis quàm oris vox.* Id eſt, opera tua ſic erunt potentia ut ſe factura ſint audiri ibi, ubi vox humana foret inutilis.

Non ſecus ac oleum incorporans ſe corpori poroſo naturæ, relinquit maculam, quæ manifeſtè oſtendit hoc eſſe oleum; ſic actiones ſecum invehunt qualitatem quandam, quæ apertè manifeſtat ſtatum & conditionem illorum, qui ſicut cauſæ ipſas produxerunt; ita ut ipſarum malitia nobis exhibeat ipſos dignos qui eant *in ſupplicium æternum*: aut illarum bonitas nobis oſtendat, quòd illi ſint digni qui eant *in vitam æternam* c. Ideò D. Chryſoſtomus d nos ſperare facit, quòd admitti poterimus ad nuptias Sponſi cœleſtis, dummodò præ nobis feramus lampades ardentes inſtructas ſufficienti oleo bonorum operum, *Oleum dicitur opus miſericordiæ. Quia ſicut oleum lumen lampadis fovet, ſic opera bona ſubminiſtrant confidentiam fidei, & vigorem accendunt. Hortantur ergo prudentes virgines fatuas, ut eant ad pauperes, ſi patitur eas tempus, ut facientes eis bona juſtitia, miſericordiam conſequantur ab eis: quoniam per miſericordias factas in eos, olei, id eſt, miſericordiæ merces acquiritur.*

Præterea, Si ex odoratu diſtinguitur balſamum, non invenio quòd ſit res inuſitata, quòd actiones virtuoſæ manifeſtent principium ſuum, cùm D. Bernardus e aſſerat, quòd è bonis operibus bonus odor oriatur, ut ex flore ſpecioſo, *Odor bonus teſtimonium bonum. Hoc de bono opere tanquam de flore odor procedit. Et quoniam tali flore, & tali odore inter primordia naſcentis fidei fideles animæ veluti quædam ſpiritualis vinea referta apparuerunt: habentes teſtimonium bonum & ab his qui foris f erant non incongruè (ut opinor) de ipſis dictum ſentimus, quia vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Ad quid? Ut eo ſanè provocati etiam qui necdum crediderant, ex bonis operibus illos conſiderantes glorificarent & ipſi Deum* †: *atque ita eis odor vitæ ad vitam eſſe inciperet. Idcirco ergo dediſſe odorem non immeritò referuntur, qui non ſuam gloriam, ſed aliorum de ſua bona opinione quæſiere ſalutem. Alioquin poterant more quorumdam, quæſtum æſtimare pietatem* g, *V. g. oſtentationis mercedis. At iſtud eſſet non dare odorem, ſed vendere. Nunc verò quia omnia ſua in charitate faciebant; non planè vendiderunt odorem, ſed dederunt.*

Ut autem cognoſcere poſſimus quales nos ſimus ex operibus noſtris, examinandum eſt Evangelium noſtrum, juxta interpretationem D. Bonaventuræ h, *Terra bona, eſt cor bonum, vel bona voluntas. Quod autem in terram bonam cecidit, ortum fecit fructum centuplum. Semina ergo hujus fructus facienda non ſolùm ſunt*

a D. Bern. ſerm. de Villic. Iniquit. — b Idem ſerm. 59. in Cant. ex Pſ. 67. 34. — c Matth. 25. 46. — d D. Chry. Hom. 78. ex Matth. 25. 3. &c. — e D. Bern. ſerm. 60. in Cant. 13. — f ex 1. Tim. 3. 7. — † ex 1. Petri 2. 12. — g ex 1. Tim. 6. 5. — h D. Bon. ſerm. 2. Domin. Sexag.

Dei verba, ſed bona opera. Semina enim ſunt orationes, eleemoſyna, jejunia, peregrinationes, & his ſimilia. Sed hæc ſeminantur juxta viam, quando fiunt pro apparentia: ut videantur à tranſeuntibus, facientes contra illud: Abſconde eleemoſynam in ſinum pauperis i. *Gregorius: O miſeri, qui affectantes laudes hominum, in ſemetipſis diſſipant fructus laborum: dum quia ſe videndos oculis oſtendere appetunt, damnatur quod agunt. Seminatur ſupra petram, quando fiunt corde duro, quòd nolunt indulgere in ſe peccantibus: & ideo iſta ſemina pereunt. Joannes Chryſoſtomus: Fruſtrà offert munus ad altare, qui conſcius eſt ſibi, quòd frater ſuus habet aliquid adversùm ſe* k. *Seminatur in ſpinis, quando non vis reſtitutionem facere de injuſtis poſſeſſionibus: & ideò pereunt. Auguſtinus: Si res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Quia ergo in terram bonam ſemina bonorum operum non veniunt, nullum æternæ vitæ fructum afferunt. De talibus poteſt dici illud, Seminaſtis multum, & intuliſtis parum* l. Examinemus igitur opera noſtra, & videamus num convenientiam habeant cum operibus Capitis noſtri, quæ ipſum manifeſtaverunt eſſe Filiũ Dei, præſertim verò eam manſuetudine ejus, quâ pro ſuis orabat perſecutoribus, *Jeſus autem dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* m. Cùm proprium Dei ſit miſericordiam ac veniam exercere, ut concinit ei Eccleſia, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.* Si ergo manifeſtari velimus ut filii Dei adoptivi: ergo *quia membra ſumus corporis ejus* n, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* o, oportet ut ipſi nos conformemus, & adimpleamus mandatum ejus, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos* p. Et cùm ipſe aliàs Judæis diceret *Jeſus, Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite* q: Id eſt, *Manſuetè, patienter, charitativè, atque humiliter converſando ut Abraham, qui teſtimonio libri Geneſeos, probatur fuiſſe valdè manſuetus, patiens, charitativus, & humilis*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r: ita & nobis dicit, Si filii Dei eſtis, opera Dei facite, quæ ſunt dimittere, ut dicit D. Chryſoſtomus s, *Ut verò remittamus aliis imperando, ab omni nos liberat recordatione nequitiæ: dum verò nobis indulgentiam pollicetur, bonis nos prorſus ſpebus attollit, & exemplo ineffabilis miſericordiæ Dei, nos etiam ad dandam peccantibus in nos veniam cohortatur. Sed abundantiùs oſtendere volens, quantam hujus rei curam gerat, idipſum etiam ſpecialiter inculcavit: poſtquam impletam orationis formulam, nullius prorſus mandati meminit, niſi iſtius certè, quod ad dandam nos veniam concitavit: ait quippe: Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Quemadmodum, inquit, ita tibi ipſe judicaveris, ita etiam tibi judicabo. Si enim dimiſeris conſervo tuo, à me quoque eandem gratiam conſequêris: & certè nequaquam iſtud æquale eſt. Tu enim remittis, cùm certè quoque ipſe remiſſione indigeas: Deus verò cùm nullius unquam indigeat, ignoſcit: tu conſervo remittis, Deus ſervo. Et tu quidem mille peccatorum reus, Deus verò ab omni peccato prorſus extraneus: & tamen ſic quoque abundantiam propriæ miſerationis oſtendit. Nam cùm certè poſſit abſque hoc quoque tibi omnia peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per iſta conferre, mille tibi occaſiones manſuetudinis ſuæ ac pietatis miniſtrans, dummodò hoc quod in te eſt belluinum depellat, & iram, quâ flagras, extinguat, teque undique tuis membris rejungat.*

Dei Filius ſua facit opera & miracula coram hominibus t: tu verò peccator, qui te dicis filium ejus, clàm illum offendis: *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* u. Unuſquiſque quærit tenebras, crimen aliquod patraturus, *Latro diem refugit quaſi criminis teſtem, lucem adulter erubeſcit quaſi adulterii conſcium, & parricida terrarum fœcunditatem fugit*, ait D. Ambroſius x. Et tamen, gloriamur nos ortum habere *à Patre luminum* y, ut filios ejus, cùm tamen ipſe ſua palàm faciat opera, & velit ut nos noſtra pariter faciamus: & ideò dicat nobis, *Ut filii lucis ambulate (fructus enim lucis, eſt in omni bonitate, & juſtitiâ, & veritate) probantes quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite* z. Ita ut, ſi non obſervemus iſtud mandatum, jure merito vereri debeamus ne repellamur ut mendaces impudentes ab eo cum hoc improperio, *Vos facitis opera patris veſtri. Si Deus Pater veſter eſſet: diligeretis utique me: ego enim ex Deo proceſſi, & veni: neque enim à meipſo veni, ſed ille me miſit. Quare loquelam meam non cognoſcitis? Quia non poteſtis audire ſermonem meum. Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus. Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi* †. Et, *Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem* *. Diligamus igitur proximum noſtrum, ut aſſimilemur Deo hîc, & in æternitate.

i ex Eccl. 29, 15.
k ex Mat. 5, 24. & 25.
l Agg. 1. 6.
m Luc. 23. 34.
n Eph. 5. 30.
o Coloſſ. 1. 18.
p Math. 5. 44. & 45.
q Joan. 8. 39.
r Dion. Carth. a. 22. in Jo. 8. 39.
s D. Chr. Hom. 20. in Math. 6. 12. &c.
t Joan. 11. 45.
u Joan. 3. 20.
x D. Am. lib. 2. de Abel & Cain c. 8.
y Jac. 1. 17.
z Eph. 5. 9. &c.
† Joan. 8. 41. &c.
* 1. Jo. 3. 14. & 15.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans. &c. Luc. 18. 35. &c.

a Pſ. 18. 7.

APpoſitè comparat Pſalmiſta a Deum noſtrum Soli, cùm ait: *A ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* Sicut Sol univerſam circuiens terram, nullam relinquit ejuſdem terræ partem quantùnvis exiguam, quam ſuis non illuminet radiis: ita Deus qui eſt Sol myſticus, quemque nobis alius Propheta b repræſentat deferen-

b Mal. 4. 2.

ferentem ſanitatem in alis ſuis, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus*, circuiens Judæam, & appropinquans ad civitatem Jericuntinam, obvium habet quendã cæcum, illũ illuminat, & tribuit illi ſanitatem corporalẽ quantùm ad oculos, & gratiæ ſuæ diffundit radios ad intimã illius uſque animã, poſtquàm, ut ait Dion. Carth. c poſt Evangeliũ noſtrũ, *interrogavit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine ut videam, corporaliter, imò & ſpiritualiter. At Jeſus dixit illi, Reſpice viſu exteriori, & interiori. Quẽ enim corporaliter, etiã ſpiritualiter illuſtravit. Fides tua te ſalvum fecit per modum cauſæ meritoriæ, & diſpoſitivè, non principaliter effectivè, hoc eſt merito fidei tuæ illuminationẽ hanc procuraſti. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum ſcilicet Jeſum jam illum imitatorem corpore ſano & corde devoto atque gratiſſimo, magnificans Deum, id eſt omnipotentiã atque clementiam Dei in ſeipſo materialiter repræſentans in ſua curatione, & corde ac ore magnitudinẽ Dei in omni perfectione & gloria hilariter profitens, aliosque quoque ad idẽ inflammans, ſecundùm quod ſubditur, Et omnis plebs quæ aderat, ut vidit miraculũ iſtud, in quo modus agendi mirabilior fuit quàm opus, quia tam imperialiter fecit hoc Chriſtus, dedit laudẽ Deo, ad quod tenebatur.* Sicut poſt adimpletum in viſceribus B. Virginis Incarnationis myſterium, eadem *ait Maria, Magnificat anima Dominum*, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave d Maria.*

c Dion. Carth. a. 41. in Luc 18 41. &c.

d Luc 1. 28. &c.

e Eccl. 11. 12. & 13

Admiratus Salomon e gratias, quibus Deus homines perfundit, non poteſt quin dicat: *Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus: & mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt Deũ.* Requirens Eccleſiaſticus cauſam beneficiorũ, quibus Divina Bonitas homines donat, nullã aliam allegat præter illius intuitũ, cùm certiſſimum ſit, quòd intuitus faciei Dei noſtri ſit noſtræ cauſa ſalutis, *Oſtende faciẽ tuam, & ſalvi erimus* f. Ideò jure merito dicit Eccleſiaſticus, *Oculus Dei reſpexit illũ in bono.* Quia Deus aliquando nos intuetur in malũ, modò proprio reſpiciens Bonos oculo, modò malos intuens oculo iræ & indignationis, ut iſtos deprimat, illos verò ut exaltet, *Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltavit humiles* g. Sicut Sol, qui eſt velut oculus iſtius mundi, modò vapores elevat, moxque diſſipat nubes; ita *quoniã oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper Solẽ, circumſpicientes omnes vias hominũ & profundũ abyſſi, & hominũ corda intuẽtes in abſconditas partes, (Domino enim Deo antequàm crearentur, omnia ſunt agnita* h) elevant vapores, id eſt, humiles è terra paupertatis ipſorum, & deprimunt nubes, quæ figurant nobis ſuperbos, *Vultus autem Domini ſuper facientes mala* i. Et, *Aſpexit, & diſſolvit gentes* k.

f Pſ. 79 20.

g Luc. 1. 52.

h Eccl. 23 28. & 29

i Pſ. 33 17

k Hab. 3. 6.

Præ ſe Deus fert duplex genus oculorũ. Alios habet oculos miſericordiæ. Alios verò juſtitiæ. Iſtis intuetur peccatores; illis verò miſeros reſpicit. Contemplatur Deus oculis miſericordiæ ſuæ omnes infirmitates noſtras modo valdè differenti à noſtro, *Et dixit Dominus: Nec juxta intuitũ hominis ego judico: homo enim videt ea quæ patent. Dominus autem intuetur cor* l. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* m. Cùm enim Deus oculos habeat ſuper miſerias noſtras ad illas ſublevandas; noſtros non deferimus nos oculos niſi ſuper oculos proximi noſtri, ut cenſores nos reddamus vitæ ejus, & illius neceſſitates habemus veluti clauſas in armamenta noſtra, nedum illis ſuccurramus, more illius Phariſæi qui Jeſum Chriſtum invitaverat ad manducandum ſecum, qui intuitus quòd Magdalena veniſſet ſe proſtratum ante pedes ejuſdem Salvatoris, ut ab eo ſuorum ſuſciperet indulgentiam criminum, cœpit interiùs ſe reddere cenſorem vitæ ejus: *Videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe, dicens, Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt* n. Aut inſtar illius Sacerdotis, & illius Levitæ, qui, cùm *homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum; & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto:* deſcendentes *eadẽ via, viſo illo* o prætereverunt, nedum illi ſic durè à latronibus ſauciato ſuccurrerent.

l 1 Reg. 16 7.

m Iſai. 55. 8 & 9.

n Luc. 7. 39. &c.

o Luc 10 30. &c.

Eſt homo marcidus. Ecce *cæcus* Evangelii noſtri. Quæ major miſeria, quàm nihil videre? Hoc confirmat Tobias ſenior, qui poſtquàm Archangelus Raphaël *ingreſſus ſalutavit eum, & dixit, Gaudium tibi ſit ſemper, ait. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video* p? Et Eccleſiaſtes q, *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem.* Præterea, *Egens recuperatione*, proſequitur Eccleſiaſticus. Et Evangelium noſtrum, *Sedebat ſecus viam mendicans.* Indigens ut ſibi porrigeretur eleemoſyna, *Indigens virtute, & abundans paupertate.* Quid amplius? *Et oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus.* Et illud eſt quod ait Textus noſter: *Stans autem Jeſus juſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogavit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine ut videam. Et dixit illi Jeſus, Reſpice. Fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum, magnificans Deum.* Quid tandem? *Et mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt Deum.* Conſonat illud Evangelii noſtri finis, *Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.* Et hoc eſt quod volo vobis oſtendere in progreſſu diſcurſus iſtius. Primò, Bonitatem Dei in illuminatione iſtius cæci qui nobis repræſentat peccatorem. Secundò, Modum ſanandæ cæcitati animarum noſtrarum peropportunum. Diviſio.

p Tob. 5. 11. & 12.

q Eccl 11 7.

Nemo debet ambigere quin cæcus iſte ſit ſymbolum peccatoris, poſt ea quæ jam recenſui ex Dionyſio Carthuſiano: ne tamen ullus dubitationis ſuperſit alicui locus, ſubdit idem Carthuſianus prædictis, *Præterea, Intelligentiam ſpiritualem tangendo, per Jericho, quæ interpretatur Luna, quæ in mutatione extat continuâ, humanæ mortalitatis ſignificatur defectus, cui cùm Filius Dei per incarnationis myſterium propinquaſſet, aſſumendo noſtras pœnalitates abſque peccato, cæcus quidam, hoc eſt, genus humanum vitiis obtenebratum ſecus viam ſedebat.* Eſt igitur homo ita miſer ut ſit peccator antequàm lucem videat; & exul priuſquàm in mundum veniat. Unicus fuit D. Joannes Baptiſta, qui repletus *Spiritu ſancto adhuc* I. Pars.

hic ex utero matris ſua, exultavit in utero ejus r; & ante illum ſolus Jeremias, cui *factũ eſt verbum Domini, dicens, Priuſquàm te formarem in utero, novi te: & antequàm exires de vulva ſanctificavi te* s (non loquor de B. Virgine Deiparâ, eò quòd concepta fuerit abſque peccato originali, & cui conſequenter applicat Eccleſia hæc verba Canticorum t, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*) ex omnibus illis, quos ſcimus ſanctificatos fuiſſe in ventre matrũ ſuarũ; qui citiùs pedem poſuerint in cœlo, quàm ſuper terra; cùm è contrà dici poſſit de peccatore cæco concepto in crimine, ut de omnibus loquitur David in perſona ſua, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, quòd citiùs pedem collocat in inferno, quàm ſuper terra, cùm in hoc ſtatu ſit filius iracundiæ, *Eramus naturâ filij ira*, ait D. Paulus x. Et D. Bernardus y, *In utero damnati antequàm nati; quia de peccato, & in peccato concepti.*

r Luc. 1. 15. & 41.
s Ier. 1. 5.
t Cant. 4. 7.
u Pſ. 50. 7 ex Iob. 14. 4.
x Eph. 2. 3
y D. Bern. ſerm. 2. de Pent.

Peccati ſtatus eſt cæcitas, ut ait idem Apoſtolus z, *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Per hæc *opera tenebrarum, peccata, quæ ex tenebris ignorantia prodeunt, mentem deformant, & ad tenebras inferi pertrahunt*, intelligit Dionyſius Carthuſianus a. *Omnis enim qui malè agit, odit lucẽ, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* b. Et per *arã lucis, virtutes, & dona Spiritus ſancti, quæ animam roborant & defendunt contra inſidias dæmonũ, & contra jacula ſeu prælia vitiorũ.* Et de iſtis armis loquitur idem D. Paulus c. *Accipite armaturam Dei, & galeã ſalutis aſſumite. Id eſt*, ut ait idem Carth. d, *per ſpem futura felicitatis, ſeu charitatẽ mentis veſtra ſuperponite, ut contra præſentiũ bonorum blandimenta, ſpe futurorum, atque Divino Amore armemini.* Licèt enim in ſtatu peccati haberemus juſtitiã Abelis, qui *Domino obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum; & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* e: Obedientiam Abrahæ, æquè ac fidelitatẽ filii ejus Iſaac, cùm *tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuũ unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi: Igitur Abraham de nocte conſurgens tulit ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum; ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium: extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum* f: Conſtantiam Jacob inter perſecutiones ſui fratris Eſau: *Oderat ergo ſemper Eſau Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum* g &c. Caſtitatem Joſeph: *Injecit Domina ſua oculos ſuos in Joſeph, & ait, Dormi mecũ: qui nequaquã acquieſcens operi nefario, relicto in manibus ejus pallio, fugit, & egreſſus eſt foras* h: Manſuetudinẽ Moyſis: *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra* i: Miſericordiã Davidis, *Aſſumẽs Saul tria millia electorum virorũ ex omni Iſraël, perrexit ad inveſtigandum David, & viros ejus; & venit ad caulas ovium, quæ ſe offerebant vianti, eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, ut purgaret ventrem: porrò David & viri ejus in interiori parte ſpeluncæ latebant: & dixerunt ſervi David ad eum, Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis: dixitque ad viros ſuos, Propitius ſit mihi Dominus, ut faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt: & confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos ut conſurgerent in Saul* k: Patientiam Job, *Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus; qui teſtâ ſaniem radebat: ſedens in ſterquilinio: dixit autem illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ? benedic Deo, & morere: qui ait ad illam, Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus* l? omnes virtutes ſupradictæ tamen nobis eſſent inutiles quantùm ad vitam æternam, ſi eſſemus in ſtatu peccati m, cæcitate ſpirituali percuſſi. Sed cùm Deus nos ad ſtatum ſic deplorandum redactos intuetur, prævenit nos gratiis ſuis, ſicut prævênit cæcum Evangelii noſtri, *Stans autem Jeſus, juſſit illum adduci ad ſe.* Et nobis, æquè ac illi viſum reſtituit per gratias ſuas.

z Rom. 13. 12.
a Dion. Carth. a. 17. in Rõ. 13. 12
b Ioan. 3. 20.
c Eph. 6. 11. & 17.
d Dion Carth. 7. 6. in Eph. 6. 17.
e Gen. 4. 3 & 4.
f Gen. 22 1 &c.
g Gen. 27 41 &c.
h Gen 39 7, &c.
i Num. 12 3.
k 1. Reg. 24. 1. &c.
l Iob 2. 7 &c.
m 1. Cor. 13. 1. &c.

Magna efficacia vocationis Dei! *Jeſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum* n. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus o, *Reſpexit Jeſus Matthæum oculo corporali, ſed multò profundiùs oculo pietatis interna, ſeu compaſſionis affectu, quemadmodum reſpexit & Petrum* p *poſt trinam negationem: ſimiliter vocat Matthæum verbo vocali ab extrà corporales aures pulſando, ſed multo virtuoſiùs vocavit eum verbo inſpirationis occulta, exhortationiſque interna, de quo ait Propheta* q, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Sic vocatio, ſeu intuitus Dei tribuit iſtis peccatoribus cognitionem peccatorum ipſorum: ſi enim Sol viſibilis tantam habet virtutem, ut terram ſuis radiis aſpiciens, faciat illam germinare fructus; & intuens nivem, illam liquefaciat; & virtutem ſuam ſuper paludes effundens, inde vapores extrahat: quare Deus noſter aſpiciens terram animæ noſtræ, non faciet illam producere bona opera? cur intuens nivem cordis noſtri, non reſolvet eam in lacrymas contritionis? & utquid ſpectans paludes torpentes ſordibus criminum noſtrorum, non educet ex iis vapores pœnitentiæ?

n Matth. 9. 9.
o Dion. Carth. a. 18. in Matth. 9. 9.
p ex Luc. 22. 61 &c
q Pſ. 84. 9

Sed obſervandum eſt, quòd hæc vocatio eſt tranſitoria, *Cæcus cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret.* Gratia vocationis ſita eſt in tranſitu, apprehendenda eſt Occaſio, cùm ſeſe offert nobis, ne ſemel elapſa præ negligentia noſtra, recuperari non poſſit à nobis,

Fronte capillatâ poſt tergum Occaſio calva eſt.

Propterea dicebat Sponſa: *Vox Dilecti mei pulſantis. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Surrexi ut aperirem dilecto meo: peſſulum oſtij mei aperui Dilecto meo: at ille declinaverat atque tranſierat. Quæſivi, & non inveni illum: vocavi, & non reſpondit mihi* r. Quæ omnia fusè, ſed appoſitè ad rem noſtram explicat de Ponte s: *Vox Dilecti mei pulſantis. Verè dilectus, & ab omnibus diligendus, qui etiam inimicos ſuos diligit, & in ſuam amicitiã redire ſuadet. Aperi mihi. Ac ſi dicat, Aperuiſti januã cordis tui diabolo, & hoſti, qui tuum ſitiebat interitũ, & ater-*

r Cant. 5. 2, &c.
s De Pôt. lib. 8 in Cant. 5. 2 &c. Exhort. 8, & ſeq.

Digitized by Google

& æternam condemnationẽ; cur ergo non aperies mihi Creatori, Redemptori, ac Protectori tuo, qui tuam cupio ſalutem, & æternam quæro ſalvationem? Hoc autem ampliùs confirmat per quatuor epitheta, quibus conjungit per nomẽ meũ, ac ſi diceret, Mille titulis es mea, & non aliorum, eiſdem teneris aperire mihi: non enim pulſo ad januã alienæ domus, ſicut Diabolus, ſed ad januam propriæ domus, quam ego creavi, feci, refeci, & plurimùm intùs & foris exornavi? Sed fortiùs urgent ipſa quatuor nomina, Soror mea, amica mea, columba mea, & immaculata mea, quæ etiam in vocatione animæ peccatricis ſunt vera. Indicant enim quatuor inſignia beneficia generalia univerſæ Eccleſiæ collata, cujus peccatores fideles membra ſunt, & ius habent ut fruantur illis. Facta eſt enim Chriſti ſoror per incarnationẽ t, cùm ejuſdem rationis naturã humanã aſſumpſit, ex quo nos vocavit fratres u. Amica verò per ejus paſſionem, qui reconciliavit nos Deo x. & in amicitiam per peccatum Adæ y perditam reſtituit. Columba autem per miſſionem Spiritus ſancti, quem meruit, & promiſit ut habitaret in nobis z. Et tandem facta eſt immaculata per omnia Sacramenta, quorum participatione fit Eccleſia glorioſa, non habens maculã, aut rugã a, omnibus virtutibus condecorata. Eadẽ etiam nomina referri poſſunt, non ad id quod anima peccatrix modò habet, ſed ad id, quod habuit per Baptiſmum, & conferre ei iterùm cupit per Pœnitentiã: quod quatuor prædictas complectitur excellentias. Ait igitur Sponſus ad peccatricem animam, Aperi mihi, quia totus ego plenus ſum rore gratiæ, & miſericordiæ, quam tibi libenter præſtare cupio, & omnibus, qui in peccato degunt. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam b. At igitur peccatrix anima, Deo ad ejus oſtium pulſanti reſpondens, Expoliavi me tunicâ meâ; id eſt, gratiâ, charitate, & virtutibus mihi conceſſis, exui me tunicâ bonorum operum, & actuum pœnitentiæ, ac aſpera vita, quomodo induar illã? Non poſſum iterùm me illã induere, lavi pedes meos, aſſueſcens rebus mollibus & ſuavibus, quomodo inquinabo illos? Nolo iterùm eos ſordidis & auſteris pœnitentiæ operibus inquinari. Surrexi ut aperirem dilecto meo. Peccator ſurgit à cano culpæ in ſtatũ gratiæ, tepidus verò à ſomno pigritiæ in fervorem ſpiritus; Juſtus etſi fervidus ab uno gradu virtutis ſurgit in alium excellentiorẽ. Surrectiones verò iſtæ omnes ad hoc tendunt, ut aperiamus dilecto vocanti, id eſt, ut conſenſum vocationi ejus præbeamus, firmo animi decreto non ei ampliùs reſiſtendi, nec ulteriùs permanendi in eo ſtatu vel gradu, unde evocamur; ſed tendendi ad exequendum quod nobis injungit, non lentè, & ſegniter, ſed feſtinè, & ferventer, ſicut ipſe ait, Surge, & propera c. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo at ille declinaverat, atque tranſierat. Stupendũ ſanè eſt, quòd Divinus Sponſus tam ardentis amoris vocibus Sponſam vocaverit, tam conſtanter ad multã noctẽ circa fores ejus pulſans ſteterit, tot illam ad ſe machinis attrahere concupiſcens; & tamen poſtquàm illa abjectâ deſidia è lecto ſurgit ad aperiẽdum, & ablato peſſulo oſtium aperit, jam ſeſe ſubduxerit, aliò declinaverit, imò tranſierit, longèque receſſerit, quaſi laboris ſuſcepti ipſum pœnituiſſe videatur. Nunquid hoc myſterio carere putandũ eſt? Minimè, ſed latet: ipſe tamen dignetur aperire, qui dixit: Pulſate, & aperietur vobis d. Ipſe pulſat inſpirationibus, ut cor ei aperiamus; nos pulſemus orationibus, ut arcana myſteria nobis aperiat. Injuſtè quereris, quòd tardet Deus audire orationem tuam ſi tu moraris audire vocationem ſuam. Quæſivi illum (inquit nunc Sponſa) & non inveni, vocavi, & non reſpondit mihi. Digna factis recipis, ô Sponſa; quia Dilectus tuus prius te quæſivit, & noluiſti ad eum exire, vocavit te, & non reſpondiſti, Ecce adſum, ſed potiùs te excuſaſti: juſtum ergo eſt, ut dum modò eum quæris, non invenias; dum vocas, non exaudiat. De quâcumque autem ſurrectione intelligantur hæc omnia prædicta, nobis hinc voluit Sponſus innuere, quòd ſi ſanari volumus à cæcitate peccati, cooperari debemus gratiæ ipſius, ſicut Iſaias e prædixerat, Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite abſque argento. Id eſt, comparate, & accipite gratis, ait Cornelius f. Non poſſumus illam mereri gratiam, ſed valemus illam concupiſcere, & hoc eſt quod à nobis requirit Deus: Neque etenim pretium quæſivit à nobis, qui pro nobis Sanguinis ſui pretium ſolvit, quia non auro & argento ſed pretioſo nos redemit Sanguine g. Ergo id pretium debes quo redemptus es, & ſi ille non ſemper exigat, tu tamen debes, ait D. Ambroſius h.

Iſte eſt modus ſanandæ animarum noſtrarum cæcitatis continuos, quem docet nos cæcus noſter ſuo procedendi modo. Jeſus cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret. Et clamavit dicens, Jeſu Fili David, miſerere mei. Stans autem Jeſus, juſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogavit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, ut videam. Et Jeſus dixit illi, Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. Ecce id, quod nobis peragendum eſt, cooperandum eſt gratiæ, Deus illam offert omnibus, debemus illam petere è Deo more cæci iſtius, ſed præ lacrymis eductis ex intimo corde interventu veræ contritionis & pœnitentiæ, & ſic confiſi potentiæ & miſericordiæ ejus, à noſtra ſanabimur cæcitate.

D. Bonaventura i ait, Quatuor ſunt, quæ animam peccantis excæcatam videre faciunt, videlicet tribulationis purgatio, Chriſti incarnatio, veritatis prædicatio, gratiæ inſpiratio. De primo: Collyrio inunge oculos tuos, ut videas k. Acutiſſima collyria inſtituuntur pro oculis corporis, quanto magis pro oculis intellectus animæ purgandis? Vexatio intellectum dabit auditui l. De ſecundo: In judicium ego in mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant m. Quid mirum, cùm etiam in Sole materiali viſus infirmus lædatur, viſus fortis delectetur? Sic utique in Sole æterno Chriſto viſus infidelium retunditur, & excæcatur. Unde de Sole dicitur: Radijs ſuis excæcat oculos n. Sed viſus fidelium in hoc Sole delectatur: Dulce lumen & delectabile oculis videre Solem o, id eſt, Chriſtum. De tertio: Audient ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt p. Hic eſt liber Scripturæ ſacræ, in quo, ut dicitur, Scripta erant lamentationes, carmen, & væ q. Lamentationes pœnitentium in mundo, carmen pſallentiũ in cœlo, væ gementium in inferno. De quarto: Saule frater, Dominus Jeſus miſit me, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, ut videas, & implearis Spiritu ſancto r. Ut videas, intellige utroque modo. Item Gloſſa: Monſtratur in facie, quod lumen recepit in mente. Et nota, quòd

t ex Jo. 24. u ex Jo. 20. 17. x ex Col. 1. 20. y ex Gen. 3. 6. & ex Rom. 5. 12. z ex Io. 16. 7. a ex Eph. 5. 25. &c. b ex Luc. 5. 32. c ex Cant. 2. 10. d Matth. 7. 7.

e Iſa. 55. 1. f Cornel. in Iſai. 55. 1. g ex 1. Pet. 1. 18. & 19. h D. Amb. lib. de Joſeph. c. 7. ii. Patr. i D. Bonav. ſerm. 4. Dom. Quinqu. k Apoc. 3. 18. l Iſai. 28. 19. m Io. 9. 39. n ex Eccli. 43. 4. o Eccl. 11. 7. p Iſai. 29. 18. q ex Ezech. 2. 10. r ex Act. 9. 17. &c.

Paulus viſum recepit poſtquam per triduum, neque comedens, neque bibens, ſed orans fuit: ita cæcus peccator per triduum pœnitentiæ recepit viſum animæ. Sic ergo viſus in anima reparatur per pœnam, per aſſumptam naturam, per doctrinam, per gratiam. Cui gratiæ ſemper conſentire debemus & cooperari, ſi cæcitatem animæ noſtræ ſanare velimus, ſicut huic gratiæ conſentit hodie cæcus noſter, æquè ac aliàs alius cæcus; quem Dei Filius incarnatus, qui eſt Author gratiæ, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta*
s Ioan. 1. 17. *eſt* s, ſanavit mente, æquè ac corpore, præſertim quia *fecit lutum ex ſputo* t, quod ſignificat In-
t Ioan. 9. 6. &c. carnationem, *Verbum caro factum eſt* u. Verbum, ecce ſputum; caro, ecce terra; factum
u Ioan. 1. 14. eſt, ecce lutum. Hoc figuratum nobis fuit eo quòd *David immutavit os ſuum coram* Achis Rege Geth, & Aulicis ejus. Hæc autem immutatio in hoc erat ſita, quòd *defluebant ſalivæ ejus in barbam*, quaſi fuiſſet inſanus. *Et ait Achis ad ſervos ſuos, Vidiſtis hominem inſanum* x?
x 1 Reg. 21. 12. &c. Et de hâc ſalivâ ſuper barbâ Jeſu Chriſti crucifi-
y 1. Cor. 1. 23. & 24. xi loquitur D. Paulus y: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Sed ſicut barba eſt ſignum virilitatis, ſaliva fluens ſuper barbam, eſt ſignum ſalutis iis qui vocati fuerunt: Jeſus Chriſtus igitur eſt alter David: *Qui factus eſt ex ſemine*
z Rom. 1. 3. *David ſecundùm carnem* z. Propterea confeſtim ac noſter *cæcus clamavit, dicens, Jeſu Fili David miſerere mei; Stans Jeſus juſſit illum adduci ad ſe*, &c. Hæc oris immutatio eſt id,
a Phil. 2. 6. &c. quod ait D. Paulus a, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit*, &c. Et propter hanc immutationem habitus eſt ut *homo vorax,*
b Matth. 11. 19. *& potator vini* b. Ut inſanus, *Illum Herodes*
c Luc. 23. 11. *cum exercitu ſuo illuſit indutum veſte alba* c. Et ut furioſus, *Et exierant tenere eum: dicebant*
d Marc. 3. 21. *enim: Quoniam in furorem verſus eſt* d. Jeſus Chriſtus igitur hâc immutatione *fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos* cæci nati, qui eſt figura peccatoris, æquè ac cæcus noſter; quod mirum non videtur, ſi verum eſt, ut dicitur, quòd ſaliva hominis jejuni multas habet eximias virtutes ad ſanandas infirmitates: atqui quis unquam à Protoplaſto noſtro magis fuit jejunus quàm Chriſtus? Jejunus fuit à culpa. *Qui peccatum*
e 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9. *non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* e. Ex quo enim Adam jejunium ſibi injunctum violavit, tota ejus poſteritas illud fregit f. Nemo igi-
f Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6. &c. tur eſt jejunus præter Jeſum Chriſtum, ideò mirum non eſt ſi ſaliva ejus habet vim illuminandi, & tollendi cæcitatem peccati. *Fecit lutum.* Ecce lapides pretioſi ſub luto, thesauri in terra; id eſt, margaritæ humanitatis, & theſaurus Divinitatis, Verbum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ &*
g Col. 2. 3. *ſcientiæ abſconditi* g. Et ſub illo luto carnis quam aſſumpſit, eò quòd *fecit lutum ex ſputo*, id eſt, compoſitum ex humanitate & Divinitate. *Sputum quidem quod à capite in os defluit*; ait D.
h D. Cyr. Alex. lib. 6. c. 15. in Ioan. 9. 6. Cyrillus Alexandrinus h, *Divinitatem Chriſti ſignificat: quia caput Chriſti Deus* i. Et D. Bo-
i ex 1. Cor. 11. 3. naventura k dicit, *Unde verſus,*
k D. Bon. ſerm. 4. Dom. Quinqu. *Eſt caro noſtra lutum, Patris Sapientia ſputū.*
Sicut enim ſaliva eſt ſalſa; ita Filius Dei eſt Sapientia Patris ſui repræſentata per Sal ſapientiæ. Saliva procedit è capite, & egreditur ex ore: Verbum etiam generatur à Patre ſuo primo principiu Trinitatis, & abſque principio, ore, id eſt, fœcunditate intellectus ejus, *Exivi à Patre* l. *Ego* l Ioan. 16. 28.
ex ore Altiſſimi prodivi Primogenita ante omnem m Eccl. 24. 5.
creaturam m. *Linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë.* Sed quid? nonne poterat Dei Filius illum cæcum natum ſanare, nedum mitteret eum ad illud lavacrum, quod videtur extra propoſitum: ſicut ſuperfluum videtur, quòd paralyticum, qui *erat triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, cùm vidiſſet jacentem, & cognoviſſet quia jam multum tempus haberet*, dixerit *ei*, *Vis ſanus fieri?* cùm ille *languidus hominem non* haberet, *ut cùm turbata aqua* foret, ipſum mitteret *in piſcinam* n: æquè ac quòd hodie dicat cæco noſtro, n Ioan. 5. 5. &c.
Quid tibi vis faciam? Ha! Auditores, nobis inde voluit Chriſtus innuere, quòd ſi ſanari velimus à cæcitate peccati, debemus cooperari gratiæ ejus; & tunc experiemur effectus potentiæ & miſericordiæ ipſius: nemo enim eſt qui ambigat de potentia ejus, ſicut & de ejus miſericordia. Sed ut id intelligatur,

Supponenda eſt in Deo duplex potentia, ſecundùm noſtrum concipiendi modum. Primà eſt communis & ordinaria. Secunda eſt extraordinaria. Primâ moderatur Deus omnia dulciter ſecundum ordinem communem naturæ, *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter; &* o Sap. 8. 1.
diſponit omnia ſuaviter o. Secundâ, quæ eſt virtus omnipotens, diſponit ipſe ſicut ſibi placet, omnes creaturas: & ut oſtendat ſe eſſe cauſam liberam, & non neceſſariam, violat omnes leges, & communem naturæ pervertit ordinem, & operatur inſolita, quæ vocamus miracula, *Qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro* p. Ita ut videndo mo- p Pſ. 105. 21.
tus cœlorum, elementa ſe continere in ſuis locis, ventos vicibus ſuis alternis flare, & alios effectus cauſarum naturalium, hæc omnia referamus ad illam primam potentiam: ſed advertendo, quòd *factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram* q; quòd ubi *Lot* q Gen. 7. 17. &c.
ingreſſus eſt Segor, Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo; reſpiciénſque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis r; quòd virga Moyſis *coram* r Gen. 19. 23. &c.
Pharaone & ſervis ejus verſa eſt in colubrum, & s Exod. 7. 10. & 20.
aqua *fluminis in ſanguinem* s; quòd rubrum *mare Dominus, flante vento vehementi, & urente totâ nocte, vertit in ſiccum, diviſaque eſt aqua* t; t Exod. 14. 21.
& quòd *ſtetit Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei* u, tempore Joſue: u Ioſ. 10. 13.
aſſeramus hæc univerſa fuiſſe effectus Omnipotentiæ Divinæ, ſeu illius ſecundæ potentiæ datæ Verbo, quod eſt Jeſus Chriſtus *dicens, Data eſt* x Matth. 28. 18.
mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra x. Aſſerunt aliqui quòd ſignificare vellet Jeſus, poteſtatem ſuam ſibi fuiſſe datam ab inſtanti conceptionis ſuæ, & quòd ex quo factus fuit homo, poteſtatem ſuſcepit invigilandi noſtris commodis. Alii dicunt, quòd Salvator hanc ſuſcepit poteſtatem prout homo, & quòd illam naturaliter haberet quatenus Deus: ſicut reverâ concedere poſſumus quòd Filius, quatenus Deus, ſuam recepit omnem poteſtatem à Patre, ſicut ab illo naturam Divinam ſuſcepit in æterna generatione, cui conſonat explicatio Patrum & Doctorum apud Maldonatum y ſuper hunc locum ejuſdem D. y Mald. in Matth. 11. 27. & 28.
Matthæi, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Qui Maldonatus vult *per omnia, omnem poteſtatem gubernandi, ſervandique homines intelligere,*

nini

ut, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Invitat enim homines ut ad ſe veniant, quia poteſtatem habet ſervandi eos: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Sic tria hæc requiſita ad poteſtatem, id eſt, authoritas, ſapientia, & bonitas, illi data ſunt: hæc autem omnia inveniuntur in Filio Dei. Sed obſervate, quòd Jeſus non tractat hic de omni genere poteſtatis, nec de poteſtate quam habet ut Deus, nec de illa quam habet ut homo, ſed de illa quam habebat ut Redemptor hominum,

z 1 Cor. 6. 20. quam acquiſivit *pretio magno* z. Quod agnoſcentes nos qui ſumus in cæcitate peccati, ſi ab eâ volumus liberari, clamare debemus Salvatori more cæci noſtri, *Jeſu Fili David, miſerere mei.* Scio, quòd, ſi velis, potes me ſanare: potes enim id omne, quod vis. Principes terreni multa volunt, quæ non poſſunt exequi; vellent eſſe ſoli Monarchæ, ſed non poſſunt; vellent eſſe immortales, ſed mortalitati ſunt obnoxii; vellent omnia ſcire, ſed hoc eſt illis impoſſibile; tu ſolus

a Iob 23. 13. potes id omne, quod vis, ut ait de te Job a, *Ipſe enim ſolus eſt, & nemo avertere poteſt cogitationem ejus: & anima ejus quodcumque voluit, hoc*

b Sap. 12. 18. *fecit.* Et, ut dicit tibi Sapiens b, *Subeſt enim tibi cum volueris, poſſe.* Agnoſcens igitur potentiam tuam, accedo ad miſericordiam tuam, & conſiderans quòd ex me nihil poſſum, ſicut ipſe

c Ioan. 15. 5. dixiſti, *Sine me nihil poteſtis facere* c: non poſſum aliud, niſi manifeſtare tibi deſiderium quod habeo cooperandi gratiæ tuæ, à qua ſpero ſanandam eſſe animæ meæ cæcitatem, *Domine, ut videam.* Scio, Domine & credo te eſſe eum, qui intuitus, quòd *flevit Ezechias fletu magno*, non ſolùm liberaſti eum ab infirmitate qua laborabat, ſed etiam adjeciſti *ſuper dies ejus annos quin-*

d Iſai 38. 3 & 5. *decim* d: quique dediſti Eliſeo poteſtatem ſuſcitandi pueri mortui Sunamitidis e: *Quoniam*

e 4. Reg. 4. 34 &c. *tu Domine ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ*

f Pſ. 85. 5. *omnibus invocantibus te* f, ſana cæcitatem animæ meæ; cùm ſis Filius David, qui erat ipſa manſuetudo, *Memento Domine David, & omnis*

g Pſ. 131. 1. *manſuetudinis ejus* g, manſuetudinem tuam exerce erga infirmam animam meam. Ipſe es *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem veni-*

h Ioan. 1. 9. *entem in hunc mundum* h. Diſſipa ab ea omnes tenebras, quæ obſcurant intellectum ejus. Si precemur, Auditores, iſto modo, ſanè ſalutem animabus noſtris cæcis impertietur. Quod ſanè eſt mirabile. Si enim homo eſt imago inconſtantiæ, Deus è contrà eſt immutabilis in conſiliis

i Malach. 3. 6. ſuis: *Ego enim Dominus, & non mutor* i. Et, *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea*

k Iſai. 46. 10. *fiet* k. Et, *Qui operatur omnia ſecundùm conſi-*

l Epheſ. 1. 11. *lium voluntatis ſuæ* l. In hoc eſt manifeſta providentia Dei, ut non ſolùm diſponat finem, ſed etiam media; ut non tantùm ordinet effectus, ſed etiam cauſas, & ordinem qui ſervatur inter cauſas ſecundas, quæ totidem ſunt canales dependentes è miſericordia ipſius. Ipſe eſt qui dat plantis virtutem creſcendi, *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incremen-*

m 1. Cor. 3. 7. *tum dat Deus* m. Ipſe enim ſolus perfectionem tribuit, relinquens agere cauſas naturales. Deſtinaverat Saulum ut eſſet *vas electionis*, *ut portaret ipſius nomen coram Gentibus, & Regibus, &*

n Act. 9. 15. *filiis Iſrael* n. Sed ſimul ordinavit medium,

o D. Aug. Serm. 4. de D. Ste. c. 4. ex Act. 7. 60. quod erat oratio D. Stephani, ut ait D. Auguſtinus o: *Nam ſi Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet.* Ideò cum oramus Deum, & aliquid ab illo petimus, non mutamus propterea diſpoſitionem & ordinem Divinæ voluntatis ejus, ſed ſolùm ipſe permittit ut utamur mediis, quæ deſtinavit ipſe ut ſervirent executioni hujuſmodi voluntatis immutabilis.

Si noſtras dirigamus ad Deum preces cum magnâ fide, ſicut cæcus noſter Evangelicus, qui viſum petit à Jeſu Chriſto, cujus agnoſcit potentiam, quod eſt eſſentiale orationi, *Poſtulet in* p Jacob. 1. 6.
fide, nihil hæſitans p: id eſt, ut non ambigamus de potentiâ Dei, nec de ejus bonâ voluntate, ſed habeamus fidem ſimilem fidei Davidis q dicentis, *Si exurgat adverſùm me prælium, in hoc ego* q Pſ. 26. 3.
ſperabo: ſi deinceps ſociemus huic fidei profundam humilitatem, intuitu miſeriæ noſtræ, & ut ſic illum deprecemur ut noſtri miſereatur, deprecatio noſtra ita ſublime volabit, ut ſit acceſſura ſupra nubes uſque ad thronum Solis miſericordiæ, quem inducet ad diſſipandas radiis ſuis tenebras & cæcitates animarum noſtrarum, cùm dicat Eccleſiaſticus r, *Oratio humiliantis* r Eccli. 35. 21.
ſe, nubes penetrabit. Hæc deprecatio quam offeremus Deo cum firmâ fide, cum humilitate profundâ, & cum lacrymis præ oculis, inducet illum ad exequendum id quod ipſe decreverat ab æterno: ideò conſiderans magnitudinem fidei noſtræ, profunditatem humilitatis noſtræ, dolorem contritionis noſtræ, & videns petitionem noſtram rectæ rationi conformem, dicet nobis, ſicut cæco noſtro, *Reſpice, fides tua te ſalvum fecit*; operiens omnes tenebras animarum noſtrarum cæcitate peccati percuſſarum, abyſſis immenſis gratiæ ſuæ. Animas noſtras dico cæcitate peccati percuſſas; cùm aſſerat Sapiens s, s Sap. 2. 21.
Excæcavit illos malitia eorum. Et ſanè fatendum eſt, quòd unum è malis, quod eſt in mundo minùs tolerabile, eſt videre cæcos hujuſmodi, de quibus ſic loquitur Apoſtolus t, *Tenebris ob-* t Epheſ. 4. 18. & 19.
ſcuratum habentes intellectum; alienati à vitâ Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum: qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam: qui imaginantur ſe eſſe perſpicaces, qui non habent niſi exteriores apparentias virtutis, cùm interiùs ipſorum totum ſit tenebris repletum, totumque criminibus ſcateat: & pro comperto eſt, quòd homines illi apparenter ſancti, & reverâ peccatores inſignes, habentes animas ſuas cæcitate & tenebris peccatorum obvolutas, lupi ſunt ſub pelle mitis ovis; ſunt dæmones transfigurati *in lucis* u Angelos; ſunt hypocritæ, qui ſub ementitâ ſpecie u 2. Cor. 11. 14.
ſanctitatis, clàm dæmonis opera perpetrant; & ſunt inſtar illorum Scribarum & Phariſæorum, in quos Dei Filius ſic invehebatur: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis hypocryſi, & iniquitate* x. Et ſeculo noſtro x Matth. 23. 27 & 28.
ſunt Hæretici noſtri, qui ſunt veri cæci; quippe qui ſub ſpecioſo titulo reformationis, libertati indulgent effræni, & voluptatibus ſenſuum contrariis innocentiæ. Sed, Auditores, *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum* y. Et conſiderate y Matth. 15. 14.
iſtud ritè repræſentatum in eo quòd *Milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & genuflexo ante eum*, ſalutabant illum verbis iſtis adulatoriis & pomparicis, *Ave Rex Judæorum.* Sed alìunde *illudebant ei. Et exſpuentes in eum*, ac-

expuerunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et poſtquam illuſerunt ei, duxerunt eum ut cruciſigerent z. Iſtæ ſunt actiones hypocritarum, iſtorum cæcorum, qui ex unâ parte Deo reverentiam exhibent, ex alterâ verò ſunt *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes* a. *Id eſt, eum irrident. Nam & crucifixoribus & irriſoribus Chriſti conſimiles ſunt*, ait Carthuſianus b. Quàm multi ſunt in mundo hujuſmodi cæci, qui veniunt huc ad ſacra Templa noſtra & hîc videntur orare Deum, audire Miſſam, & verbum Dei, & tamen omnes habent animarum ſuarum potentias adhærentes objectis mundi ſenſibilibus; hîc non interſunt niſi corpore, ſed cor ipſorum meditatur aliena: quibus applicari poteſt id, quod Dei Filius aliàs Scribis & Phariſæis improperabat: *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias, dicens, Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me* c. *Excæcavit enim illos malitia eorum* d. Voloptates & deliciæ ſenſuum ipſorum ipſos excæcant; ipſorum iniquitates, pertinaciæ, malæ conſuetudines velant oculos animarum ipſorum, cæci ſunt, & ſi aliquâ mentis acie vigent, illam inſumunt totam ad indulgendum genio, & ad laxandas habenas ſuis pravis affectibus, & ad ſatisfaciendum ſenſibus ſuis naturalibus.

z Matth. 27. 27. a Hebr. 6. 6. b Dion. Carth. a. 6. in Hebr. 6. 6. c Matth. 15. 7. & 8. ex Iſai 29. 13. d Sap. 2. 21.

Agnoſcamus, Auditores, nos eſſe veros cæcos per peccatum, quod deordinat univerſas potentias noſtras; & confiteamur ingenuè poſt iſtam comparatam nobis notitiam, quòd peccatum eſt maximum infortunium noſtrum; dicamuſque ſinguli cum Jeremia e, *Ego vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis ejus.* Id eſt, iræ Dei, quam experimur: non eſt enim major paupertas paupertate peccati, quæ deſtituit nos mediis conſonis adipiſcendo ultimo Fini noſtro: ipſum eſt quod noſtras excæcat animas, quod claudit nobis vias, per quas aditur paradiſus, quod denigrat & maculat nos, *Denigrata eſt ſuper carbones facies* f noſtra per illud: ipſum eſt quod reddit nos abominabiles & odibiles Deo, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* g. Quod eripit nobis modum peragendi ullius boni operis, ut monſtrum quod totam denique naturam deordinat. Quis igitur deinceps iſtud monſtrum non abhorrebit? Quis audebit imposterùm præbere nativitatem huic abortivo naturæ, & illud in ſinu ſuo fovere? Nemo eſt ſanæ mentis compos, qui vellet in domum ſuam ſuſcipere furem, & homicidam, qui vellet ipſum perimere: & tamen hoc ipſum eſt quod agitis, cùm prætereuntes mandata Dei, vitiis indulgens, nec ſequimini niſi motum inordinatum paſſionum veſtrarum per omne genus abominationis: unuſquiſque veſtrûm *bibit quaſi aquam iniquitatem* h. Et nedum incedat inter lumen gratiæ, & inter candorem puritatis, ſibi complacet in tenebris, & in cæcitate peccati, æquè ac in illius deformitate. Conemur igitur hoc monſtrum procul à nobis eliminare, & in nos gratiam introducere, petentes illam à Deo cum cæco noſtro præ fide firmâ, præ humilitate profundâ, & præ magnâ contritione, & ipſe illuſtrabit nos lumine gratiæ ſuæ, & tandem luce gloriæ ſuæ.

e Thren. 3. 1. f Thren. 4. 8. g Sap. 14. 9. h Job. 15. 16.

EERIA IV. CINERUM.

Memento homo, quia pulvis es in pulverem reverteris.
Eccleſia Ex Gen. 3. 19.

Violentiores ſuſtinebat D. Paulus dolores, quàm perpetiatur mater, ſuum jam jam enixura fœtum, immodico ductus deſiderio formandorum fidelium Galatiæ ad imaginem Jeſu Chriſti, dicens eis, *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* a. Talis eſt zelus veri Concionatoris; Deus verò Divini Verbi ſui hodiernâ die committens mihi miniſterium, illius zeli veros mihi præbet affectus. Etiam, Auditores: *charitas* Dei, quæ *urget* b me, & deſiderium ſalutis veſtræ, quod inducit me ad incumbendum huic labori, devoravit quemlibet alium reſpectum proprii commodi, aut ſatisfactionis, ut relinqueret in corde meo ſolum deſiderium formandæ in vobis imaginis veri & perfecti Chriſtiani. Vix ego concepi deſiderium parturiendi, cùm partus dolores ſuſtineo, cùm peccatores per obſtinationem malitiæ ſuæ adverſentur jam meorum pietati conſiliorum, & meo inferant zelo torturam, cùm vereat non tam dolores, quàm abortum, & ne hujuſmodi zelus ſuo privetur fructu. In hâc contrarietate meum accendo animum, iſtâ ſpe fretus, quòd iſtud *qui cœpit opus bonum, perficiet* c Deus, & ſuis eſt cumulaturus ipſum benedictionibus: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus* d.

a Galat. 4. 19. b 2. Cor. 5. 14. c Philipp. 1. 6. d Jacob. 1. 18.

Si ſolum nobis formandum eſſet corpus, ita nobis ſatis eſſet animi ad illud aggrediendum, cùm cineres habeamus præ manibus, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, & fons Joelis nobis ſubminiſtraret lacrymas ad concinnanda ex iis & ex luto, illius organa mediis actibus pœnitentiæ ipſius, *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu* e. Sed ſi agatur de animando hoc opere, & de reficiendo ſpiritu, qui ſit capax poſſidendorum omnium theſaurorum cœleſtium, juxta Evangelium hodiernum, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo* f, oportet ut Deus iſtud operetur miraculum. Beneplacitum tuum Domine, erit principium hujus noſtræ nativitatis novæ, verbum tuum ſemen, exemplum tuum idea; & oportet neceſſariò ut auxilium tuum diſponat inſtrumentum quod ſuſcipit iſti vacare operi ſub tuorum regimine ſanctorum mandatorum. Benedic verba tua in ore meo, fœcunditatem impertire huic novo *ſemini* g Abrahæ, ut virtute vitali Divinarum influentiarum tuarum, felicem videamus proſperitatem ſpiritualiter prolongatam in zelo amoris tui & gratiæ tuæ, quâ Maria fuit *plena* h, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria*.

e Joel. 2. 12. f Matth. 6. 20. g Luc. 1. 55. h Luc. 1. 28.

Licèt infiniti nos inducant tituli ad concinendas jugiter Deo laudes, nihilominùs perfectio & excellentia operum ejus abſolutorum omni eo,

quod

Digitized by Google

quod eſt naturæ ipſorum accommodum, eſt ratio maxima, quæ iſtud à nobis exigat obſequium: *Date magnificentiam Deo noſtro.* Si autem illius vultis ſcire rationes, eas vobis ſubminiſtrat Moyſes, ſubdens, *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia* i. Præcipitatio animi quæ agenda ſunt non conſiderantis, plures invehit defectus in opus artificis: Sapientia verò infallibilis Dei, ab his immunis erroribus, iſtos etiam reſecat defectus, ut ſuos in lucem edat effectus cum puritate perfectionum ipſorũ. Manus iſtius ſummi Opificis eſt regula bonorum operum; manum ſuam nunquam operi applicat, quin ſtatim opus ad perfectionem debitam deducat. Prætereà, Perfectio eſſentialis nihil eſt aliud niſi convenientia effectus cum ſuo exemplari: Cùm igitur Deus omnes producat creaturas juxta archetypoo ſeu exemplar idearum ſuarum, *portans omnia verbo virtutis ſuæ* k; oportet neceſſariò ut hi effectus formam ſecundùm charactêres exemplaris, ſuſcipiant imaginem omni parte abſolutam & conſummatam, & totali perfectione naturæ ſuæ conſonâ cumulatam, quoniam *Dei perfecta ſunt opera.*

i Deut. 32. 3. & 4.

k Hebr. 1. 3.

Omnes creaturæ aſpirant ad perfectionem, & omnes ſuos inſumunt conatus ad attingendum hunc ſcopum, perficiendo opera ſua: Si verò declinent ab hujuſmodi ſcopo, id evenit præter ipſarum inteotionem, per actum impotentiæ ipſarum. Non minùs reſpirat Deus id quod perfectum eſt; & ſicut illius *in ditione cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati* l ejus; ſic illa infallibiliter ad perfectionem deducit. Unuſquiſque ſecundùm ſua operatur jura, & naturæ ſuæ privilegia, & Deus agens juxta leges perſectionis ſuæ, opera produxit perfectiſſima. Veritas nobis debet eſſe ſenſibilis, cùm univerſæ nobis eam prædicent creaturæ; ſed conſilium eſt altiſſimum ac agnoſcere innumera opera ſic perfecta, & deſignare unicuique formam eſſentialem perfectionis ipſius, *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti* m. Sed quis intelliget arithmeticam Salomonis, niſi eam computet D. Auguſtinus? *A quo eſt omnis menſurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum* n. Et, *Nos Catholici Christiani Deum colimus, à quo omnia bona ſunt, ſive magna ſive parva: à quo eſt omnis modus ſive magnus ſive parvus* o. Omnes enim effectus ſuam deſumunt bonitatem & perfectionem à cauſa ſua; & ſic omnia opera Dei formari debent ac diſponi *in menſura, & numero, & pondere.* Nam ſuſcipiunt in numero idearum ejus, gradum ſpecificum naturæ, comparabilem numero qui eſſentiam mutat per minimas additiones. Sapientia tribuit pondus, aſſignans finem, qui ut pondus univerſa ponderat, & univerſis motum præbet; & providentia metitur media quibus præ ſuavitate & efficaciâ naturam dirigit ad id quod intendit, quia *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* p. Et ait D. Auguſtinus q, *Hæc tria, modus, ſpecies, ordo, tanquam generatio bona ſunt, in rebus à Deo factis. Et rurſus ubi hæc tria magna ſunt, magna natura ſunt; ubi parva ſunt, parva natura ſunt.* Hic eſt *funiculus triplex* r ſic ritè intertextus, ut diſſolvi tantiſper nequeat, quin tota perfectionis textura dirumpatur. Miror excellentiam hominis privilegio inſigniti præ omnibus effectibus viſibilibus in tribus prærogativis incomparabilibus, quæ præbent numerum, pondus, & menſuram perfectioni ipſius. Si conſideremus opus in iotegritate ipſius, ſicut exivit è manibus ſummi ſui Opificis, ſic natura ejus erat *ad imaginem Dei* s. Finis illius, intuitiva cognitio Divinæ Eſſentiæ, & fruitio Principii ſui, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* t. Media attingendo huic termino congruentia, gratia, innocentia Protoplaſtis noſtris infuſa. Hæc dona incomparabili extollebant modo dignitatem hominis, eique præeminentiam ſuper omnia largiebantur, *Gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum; omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* u. Hæc erat ſpecioſa ſtatua Minervæ à Phidia tanto elaborata artificio, ut ſi vel unica ab ea ablata fuiſſet ſculpturæ ipſius litera, tota figura penitus corruiſſet. Invidia Satanæ x ſuſtinere non valentis hanc felicitatem, quæ debebat eſſe hæreditaria, & tranſmitti à Patre in filios ad omnes poſteros Adæ, evulſit obedientiam inter tot virtutes quæ componebant innocentiam & juſtitiam originalem, penes quam repoſita erant omnia dona cœleſtia: hæc litera non ſtatim è ſuo fuit mota loco per noſtrorum rebellionem Protoplaſtorum, cùm ſtatua naturæ humanæ corruit in terram, & deordinata eſt: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* y. Finis extra ſpem poſitus eſt, media quaſi inutilia evaſerunt, ratio à paſſionibus oppugnata eſt z, paradiſus clauſus eſt, & gratia amiſſa. Ecce nihilominus aliqua fragmenta, & partes nonnullæ ſemiruptæ, quæ colliguntur ab Eccleſia ad religandum in nobis funiculum perfectionis, & ad coadunandas, prout poſſibile ipſi erit, partes, quæ hominis perfectiſſimi conſtituent imaginem.

l Eſth. 13. 9.

m Sap. 11. 21.

n D. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 39.

o Id. lib. de Nat. Bon. c. 2.

p Sap. 8. 1.

q D. Aug. l. de Nat. Bon. c. 3.

r Eccl. 4. 12.

s Gen. 1. 26.

t Io. 17. 3.

u Pſ. 8. 7. & 8.

x Gen. 3. 1. &c.

y Rom. 5. 12.

z Rom. 7. 23.

Memento homo, quia pulvis es. Ecce natura noſtra; ipſa eſt conſtituta in infimo imperfectionis loco; & tamen debet ipſa ſpem concipere poſſidendi primi finis præfixi conditioni ipſius, qui eſt gloria cœli, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo.* Si verò media, quæ ipſam promovent ad hanc quietem, tantam præ ſe non ferunt ſuavitatem, quantam gratia & innocentia primæ integritatis, fortaſſis non habebunt minorem efficaciam, *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Hoc triplici conatu incipiam vacare labori, qui ad perficiendas tendit animas rationales. Agnoſcemus hodie ſtatum & numerum naturæ humanæ, pondus finis ejus, & menſuram mediorum ipſius ad terminandum feliciter ad perfectionem. Eccleſia Sancta volens reficere opus Dei, iſtas tres congregat partes in unius commemoratione diei, Primò, naturam in ceremonia cinerum, *Memento homo* &c. Secundò finem in theſauro Evangelii, *Theſaurizate vobis*, &c. Tertiò media in Epiſtola, *Convertimini ad me*, &c. in triplici parte hujus diſcurſus.

Diviſio.

I. Part.

Illud eſt pro comperto, quòd homo accedit ad nihilum in diminutione ſui eſſe. Totum ipſe eſt in potentia capacitatis ſuæ: ſed prætereà ipſe eſt *ſomnium* a; *flos* b, qui ſiccatur ferè ſtatim ac expanditur; pinnula omnibus ventis expoſita; nubes diſparens; *vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur* c; ſcintilla ignis ſubitò extincta, mutabilior Protheo; ipſa inconſtantia; ſubjectum infirmitatum; præda mortis;

a Pſ. 72. 20.

b Iſai. 40. 6. &c.

c Jac. 4. 14.

d Gen. 3. 2 tis, manipulus terræ; ideò vocatus *Adam* d, ſive terrenus, vel homo ab humo. Hoc eſt memoriale, quod Eccleſia nobis ſubminiſtrat. Dicite, quantumcumque vobis placuerit, quòd *ad imaginem Dei factus eſt homo* e. e Gen. 9. 6. Ego verò dico ſecundùm textum creationis ejus, illum eſſe umbram imaginis ſuæ; ipſe eſt imago verè, ſed ſimilis ei, quam efformat vir conſiderans *vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit* f. f Jacob. 1. 23. Quia hæc imago magis eſt phantaſtica, quàm realis. Denique, Ipſe eſt in ſuburbio nihili, & parum abeſt quin totus ſit nihilo immerſus. Sed ecce magnum mirabile, quod oſtendet nobis in hoc nihilo omnia. Si faciem vertamus ad contemplandum ſtatum perfectionis humanæ, homo erit opus eximium Dei; miraculum mundi; parvus mundus in circumferentiâ; & magnus mundus in mirabilibus; cùm animatus ſit intellectu rationali; ſit domicilium, in quo Divinæ inveniuntur *deliciæ* g; g Prov. 8 31. ſit centrum omnium creaturarum; ſit ſuperior corporalibus, & æqualis intellectualibus, & tantæ excellentiæ, ut ſoli Deo cedat, *Minuiſti eum paulominùs ab Angelis* h. h Pſ. 8. 6. Quæ verba ſic vertit Lorinus i, i Lorin. in Pſ. 8. 6. *Paulominus à Deo*, poſt D. Hieronymum k dicentem, k D. Hier. in Pſ. 8. 6 *In Hebræo, pro eo, quod eſt, ab Angelis, Deum habet*. Et Biblia Hebraica legũt. *Paululùm à Deo*. Mundus nimis eſt exiguus ad terminandas illius ambitiones; inquirendi ſunt ei theſauri cæleſtes, *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*. Videte, ſi placet, quomodo nihilum magnificetur ad comprehendendum totum; & minuti cineres depreſſionis noſtræ immixti lacrymis Joëlis; veluti organis inſtructi, mediis jejuniis & actibus pœnitentiæ, convertantur in ſtatum perfectionis, convertendo affectus noſtros ad Deum, *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu*.

Innocua miſcent inter ſe Philoſophi certamina in ſcholâ ut diſcutiant, Utrùm in varietate mutationum ſubſtantialium, in viciſſitudine formarum quæ ſubſtituuntur, ſeſeque invicem ſequuntur ita ut aliæ poſt alias idem informent ſubjectum, materia deſtituatur his omnibus accidentibus ſic ùt remaneat in nuditate ſimplicis naturæ ſuæ. Quando homo moritur, dicunt Aliqui, materia corporis ipſius recipiens formam cadaveris, tota novis rem[i]ſuitur accidentibus; in eo obſervatis prima ejus lineamenta, in illo ſolà deſideratur loquela, ipſum videtur idem quod erat antea: ſed hallucinamini; judicare debetis non per apparentiam, ſed per rationem; hæc accidentia ſunt ſimilia, ſed nõ prima; neſcio quæ ſecreta naturæ manus hoc alteravit corpus, ne mutatio nimis inopinata inſpicientibus terrorẽ incuteret. Si accommodanda eſt Philoſophia moralitatib⁹ propoſito meo congruẽtibus, alio procedam modo. Video enim quòd corruptio primæ culpæ l tantam edidit in Protoplaſtis noſtris ſtragem, l Gen. 3. 6 & 7. ut reſolverit omnes eorum perfectiones in ſtatum puræ naturæ, in quo *aperti ſunt oculi amborum, ſe eſſe nudos* cognoſcentes, non habentes oculos niſi ad intuendam hanc ſuam nuditatem; ſicut nec eos nos habemus niſi ad deflendum hoc infortunium. Materia originis ejus fuerat *pulvis*, & per hanc mutationem videmus eum redactum *in pulverem*, qualis eſt materia omnibus ſuis ornamentis deſtituta. Natura hoc ſibi vendicat emolumentum à materiâ, eò quòd eſt invulnerabilis, & incorruptibilis. Dæmones hæc omnia conſervant jura naturalia: Homo verò cujus culpa eſt veniâ dignior, nunquam ſuæ naturæ amiſit privilegia, ſed ſolas prærogativas quas per gratificationem ſuæ habebat annexas innocentiæ. Eſſentia ejus eſt indiviſibilis; diminui non poteſt quin annihiletur; nec alterari quin penitus pereat. Omnia igitur hæc habemus jura in pulvere confuſa, *Memento homo, quia pulvis es*, &c. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* m. m Gen. 2 7. Ecce materia, è quâ compacti ſumus, lutum organis inſtructum, quod ſpiritum ſuſcepit animæ loquentis, *Et factus eſt homo in animam viventem*. Quod ſic vertit ex Chaldæo Cornelius n, n Cornel. in Gen. 2. 7. *Factus eſt homo in animam loquentem. Quia loquela, æquè ac ratio, propria eſt homini*. Litera Hebraica hanc etiam meliùs videtur minuere conditionem, *Formavit Dominus Deus hominem pulverem de terrâ*. Non eſt lutum, quod aliquam præ ſe fert ſoliditatem, ſed pulvis innumerorum expoſitus concuſſioni periculorum, quæ velut venti validi eum diſſipent, & ad perditionem illum deducant, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*.

Deſignat Job o quonam duceretur affectu, o Job. 7. 5 &c. intuitus ſe quaſi manipulum terræ in poteſtate putredinis & vermium conſtitutum, *Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulveris cutis mea aruit. Dies mei velociùs tranſierunt quàm à texente tela ſuccidıtur. Memento Domine, quia ventus eſt vita mea*. Si ſomnum capeſſitum pergam, in cubili collocabo ſaccum pulvere repletum; ſi autem ventus mortis excitetur, me dormiente, abripiet mihi hunc pulverem improviſò, ita ut matutino tempore non ampliùs appariturus ſim, *Ecce nunc in pulvere dormiam, & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam*. Quare igitur manifeſtare hunc hominem, qui nihil eſt niſi pulvis? *Quid eſt homo, quia magnificas eum?*

Vita hominis non eſt niſi ictus oculi, *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat* p. p Pſ. 36. 35. & 36. Eccleſia autem ſapientiùs loquitur, *Memento homo*, &c. Præbens enim nobis vitam in pulvere, docet nos, quòd morimur vivendo, quòd habemus mortem in ſinu, quòd deferimus in corpore noſtro viventi pulverem mortis; nec ampliùs cogitare debemus, nos aliquando morituros, ſed mori nos re verâ. Non ſufficit tibi ut credas, ô *homo*, *quia in pulverem reverteris*. Sed pro certo tenere debes, hanc reſolutionem eſſe jam peractam partim; ſtatus præſens nihil annunciat tibi niſi mortem, *Quia pulvis es*. Adam iſtam invênit mortem die ſceleris ſui, *In quocumque die comederis ex eo morte morieris* q. q Gen 2. 17. Tamen *factum eſt omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta* r. r Gen. 5. 5 Sed dicendum quòd mortem oppetivit eodem die, quo *de fructu comedit* s, s Gen. 3. 6 non ſolùm in Calendario Dei, *Quoniam mille anni ante oculos ejus, tanquam dies heſterna, quæ præterijt* t. t Pſ. 89. 4 Non tantùm quoad mortem animæ, quæ non menſuratur ad diem, cùm ſit inſeparabilis à crimine, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* u. u Ezech. 18. 4. & 20. Aut quòd obnoxius evaſerit mortalitati; ſed quòd re verâ eodem *die* mori cœperit. Vita enim laborioſa conditionis noſtræ eſt exercitium moriendi ſeu mors continua, *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur* y. y 2 Reg. 14. 14. Cum cogitatur de morte, nemo eſt qui terrore non

concu-

z 1. Reg. 15. 32. concutiatur z. Jugem oppetimus mortem, nec ullus aliquo illius movetur ſenſu, videtur mali continuatio nos effeciſſe inſenſibiles.

Rectæ igitur conſonum eſt rationi ut celebrandis noſtris parentur cerei funeribus, cùm mors nobis imminеat; & medio lumine horum ceteorum qui conſumuntur ſimul cum vitâ David a illuminat ſtultitiam mundi, *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, ut ſciam quid deſit mihi.* Unica nobis eſt certitudo moriendi, & citò mortem oppetendi; *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen univerſa vanitas omnis homo vivens.* Quænam ſtultitia cogitari poteſt ſimilis huic, videre homines damnatos ad mortem, expectare ſingulis momentis donec executioni mandetur decretum capitis, & tamen nihil mente revolvere niſi honores aucupandos, vanitates, ineptias mundi, & divitias acquirendas? Derideremus meritò videre reum, funem patibularem collo alligatum habentem, jam jam è ſcalâ à carnifice excutiendum, ſuas enumerare fortunas, fovere conſilia ſua, & laborare ad ſtabiliendam ſortem ſuam in mundo, cùm mox eſſet illum relicturus. Sed nunquid non eſt hoc delіramentum commune hominum juxta ſeculi maximas innocentiæ contrarias viventium? *Statutum eſt hominibus ſemel mori* b. Phlegma, ſeu humor hic animalis frigidus & humidus, quem Latinè pituitam vocamus, formari jam cœpit in cerebro tuo; Sanguis, qui debet alterari ad accendendam febrem ardentem, incipit ebullire in venis tuis; habes in ſinu tuo cauſam mortis, quæ eſt veluti funis patibularis, qui te ſuffocare debet, quantùmvis exiguus ventus excutiat te, ſicut movetur reus ſcalæ inſidens, ſuffocaberis, ſicut ſuffocatur ille è ſcalâ excuſſus. Sed quid cogitas? Nedum imminentis formides ſupplicium mortis, delicias enumeras anteactæ vitæ tuæ; quando tibi eſt diſcedendum, tuam cogitas fortunam ſtabilire. Conſilium tuum verè eſt extrema dementia, cùm omnes viventes videantur vivere & mori in hâc inſaniâ, *Veruntamen univerſa vanitas omnis homo vivens. Veruntamen in imagine pertranſit homo.* Ecce ineptia nova, nec minùs deflenda. Homo currit poſt imagines; *In umbrâ*, vertit Lorinus c ex Hebræo, poſt umbras. Mundus nihil eſt aliud præter figuram, *Præterit enim figura hujus mundi* d. Imago eſt picta in nube cum multâ apparentiâ abſque ullâ realitate; eſt pulchritudo volans & tranſiens, homo verò laborat ad continendam eam. Cùm infans oſculatur imaginem matris ſuæ in ſpeculo apparentem, ſuaſque extendit manus ad hanc umbram comprehendendam, ſed umbram pulchritudinis, ridemus videntes eum hoc falſo decipi ſimulachro, & excuſamus infantilem innocentiam, quæ tamen edocet nos, deridendam conſiliorum noſtrorum ineptiam. Mundus cum omnibus theſauris ſuis nullam habet bonitatem niſi apparentem, ipſa eſt imago in ſpeculo, quæ noſtros faſcinat oculos, nos verò anxiè laboramus ad apprehendendam hanc nubem inanem, & ad laſſitudinem uſque currimus ut hanc fallacem contineamus imaginem, *Veruntamen in imagine pertranſit homo.*

a Pſ. 38. 5. &c.

b Hebr. 9. 27.

c Lorin in Pſ 38. 9.

d 1. Cor. 7. 31.

Jeſus Chriſtus pro certo nos tenere docet, divitias non ſolùm eſſe fallaces, ſed ipſas fallacias, eaſque ſimul cum verbo ſuo ſuffocare ſpem noſtræ ſalutis, *Fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur* e. Viſne videre fraudem? Tu credis, divitiis tuis vitam tuam æquè ac fortunam tuam ſtabilire poſſe; & tamen ſerviunt illæ diabolo tanquam laqueus ad irretiendum te, *Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſperare in incerto divitiarum* †. Eæ ſunt veluti caſcus, quo decipitur mus; & eſca, quæ te ſuaviter ad perditionem deducit, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt* f. Quietem tibi promittis in earum fruitione, & tuum collocas cor *in ſpinis* g innumerarum inquietudinum; ideò idem Chriſtus eas vocat ſpinoſas. More *Ægypti, baculus arundineus* h, eſt fulcrum tuum, & hæc tabula putrida præcipitabit te in ruinam irreparabilem medias inter omnes ſpes tuas. Divitiæ non ſunt niſi falſitates, tu verò hallucinaris graviter eas tanto ardore inquirere, & illis ſic immodicè inhiare, *Veruntamen in imagine pertranſit homo: Sed & fruſtrà conturbatur.* Sed demus eis aliquam realitatem, non eris tamen immunis ab improperio & ab inſaniâ, theſaurizare in hoc mundo, *Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Quis tibi mentem evertit, & te quærere facit *theſauros in terrâ, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur*? Tu non es natus niſi propter cœlum, & oportet ut fortuna tua ſit ſtabilita in gloriâ. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.* Sciſne pro quonam labores? Tu cogitas acquirere divitias liberis tuis, nepotibus tuis, amicis tuis, & eas tu præparas cauponi; hæres enim tuus in cauponâ eſt tua diſſipaturus bona; Extraneo, qui ludo incumbens, tuos colliget nummos aureos ſorte, vel artificio, aut induſtriâ; Fœneratori, qui illas eſt direpturus exactionibus ſuis uſurariis; Viris forenſibus, qui eas litibus auferent; Æruginі, quæ conſumet illas. Innumeros divitiæ habent inimicos; unuſquiſque eas obſervat ut illas intercipiat; tu credis eas comparare nepoti, & conſobrinus ejus exhibebit ſubſtitutiones. Tandem, Incertus es, utrùm hæres tuus ſit illis potiturus, *Si comportaverit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparaverit veſtimenta: præparabit quidem, ſed Juſtus veſtietur illis: & argentum Innocens dividet: ædificavit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit umbraculum* k. Sed ponamus, quòd hæres tuus earum ſit futurus poſſeſſor pacificus, nonne inſania intolerabilis eſt, quòd damnationem incurras ad augendam hæreditatem? & procures hæredi tuo hæreditatem ſupplicii æterni, quod commoda ordinariè inſeparabiliter ſequitur temporanea?

e Matth. 13. 22.

† 1. Tim. 6. 17.

f Job. 21. 13.

g Matth. 13. 22.

h Ezech. 29. 6.

i Matth 6. 19. & 20

k Job. 27. 16. &c.

Maxima inſania, quam invenio inter has vanitates, eſt agnoſcere, quòd *ad imaginem Dei factus homo* l, fruſtrà immoretur in imagine mundi; & quòd ille, qui creatus eſt paradiſo dignus poſſidendo, ſuam perpetuare velit vitam, & ſuas terminare ſpes ad indignitatem hujus mundi doloſi. Ita ſentit D. Auguſtinus per-

l Gen. 9. 6.

m D. Aug. in Pſ. 38. & in Gen. 1. 26. in hunc locum, *Veruntamen in imagine pertranſit homo. Quanquam in imagine ambulet homo. In qua imagine? niſi illius, qui dixit, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* n. Quomodo igitur fieri poteſt ut creatus homo *ad imaginem & ſimilitudinem* Dei, capax gloriæ illius, ſuum deprimat animum ad amandas res mundanas, nobilitate ipſius penitus indignas? Poteſtne exiguo honore mundano, & vacuo divitiarum fallacium repleri circumferentia interminabilis & capacitas quaſi infinita animæ rationalis? Homo fruſtrà theſaurizat, ſed omnes theſauri non poſſunt ipſum ditare. Sed ubinam inveniet theſauros? Ubinam quæret hæreditates? niſi in ſolo Deo, dicens, *Et nunc quæ eſt expectatio mea? Nonne Dominus? & ſubſtantia mea, apud te eſt?*

Iſtud idem conſilium invenio in Evangelio hodierno, *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt nec furantur.* Non expedit ut comparentur theſauri cæleſtes cum theſauris terrenis; ſi terra non eſt niſi punctum, comparata ſphæræ in quâ movetur Sol, quamnam præ ſe ferent apparentiam hæc commoda temporanea Empyreo æquiparata? Si autem comparemus ea cum Deo ipſo, qui eſt theſaurus & gloria paradiſi, confeſtim mundus ſuum fatebitur nihilum, *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Non multùm debeo anxiari ut inſeram in mentem veſtram deſiderium hæreditandi hujus theſauri; prævenit me natura, cum illius nobis ſubminiſtret inclinationes, ſicut gratia Dei nobis il-
o Jo. 1. 12. lius dat *poteſtatem* o, & jus poſſeſſionis ejus p.
p Rom. 8. 17. Conſideratio hujus gloriæ, & ſpes hujus felicitatis debet eſſe pondus affectuum noſtrorum, & mobile noſtrarum potentiarum; id eſt, iſta cogitatio debet nos omnes animare ad laborem, quippe quæ *æternum gloriæ pondus o-*
q 2. Cor. 4. 17. *peratur in nobis* q. Et ideò poſt inventum theſaurum, qui debet eſſe finis naturæ noſtræ, & pondus intentionum noſtrarum, menſuranda ſuperſunt media.

III. Pars. Conſilium invenio politicum congregatum ad reſolvenda negotia, quæ tractamus. Eccleſia, Joel, & Jeſus Chriſtus inquirunt media, quorum interventu ſubminiſtrent nobis induſtriam auferendi theſauri cæleſtis, qui non eripitur niſi violentiâ, *Regnum cælorum vim patitur, & violen-*
r Matth. 11. 12. *ti rapiunt illud* r. Eccleſia opinatur, ad ruinam uſque omnia deſtruenda eſſe, & inſumendum pulverem ſepulturæ noſtræ quaſi pulverem tormentarium, *Memento homo*, &c. Joeli videtur expedire ut inundentur agri, affligantur incolæ, & capiatur ara, & ad ſubeundam cogatur deditionem fame, *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Jeſus Chriſtus addit, quòd conveniret conciliare ſibi cives muneribus & eleemoſynis ſecretis, *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua* s.

s Matth. 6. 3. Sed mutemus iſtud conſilium bellicum in conſultationem medicinæ. Peccator eſt æger laborans delirio febris ardentis; hunc curabat
t Iſai. 1. 4. &c. Iſaias t, ſed videns ſe perveniſſe ad ſuorum finem aphoriſmorum ſine melioratione, novi vocantur Medici ut conſulantur remedia mali. Propheta Iſaias in medium promit id quod ipſe ſentit, *Omne caput languidum, & omne cor mærens: à plantâ pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Decreveram ei, loquit, balnea, *Lavamini, mundi eſtote.* Phlebotomiam, ſeu venæ inciſionem & reſectionem humorum peccantium, *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Dormitorium poculum ad conciliandam ei quietem, *Quieſcite agere perversè.* Confectionem cordialem bonorum operum, *Diſcite benefacere.* Sed ægrotus lapſus eſt in phreneſim, & ideò miniſtrantes ei, deſtiterunt ab officiis charitativis illi impendendis, & videtur mihi quòd, cùm morbus ejus ſit extremus, ſatius eſt parare feretrum, quàm pharmaca.

Sed abſit, reſpondet Eccleſia: Nunquam eſt amittenda ſpes vitæ quandiu ægrotus reſpirat; penes me habeo pulverem eximiæ virtutis ad reſtituendam ei priſtinam notitiam æquè ac ſanitatem, *Memento homo, quia pulvis es.* In eo eſt etiam ſatis vigoris ad ſubtrahendam phlebotomiam. Media exigua diæta jejunii, & decoctione lacrymarum ejus, ſpero me priſtinam ei ſanitatem, reſtituturam. Reparanda eſt diligentiâ noſtrâ ineptia eorum qui illum deſeruerunt, nedum ei miniſtrarent; *Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus; jejunemus, & ploremus, ne ſubitò præoccupati die mortis, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus.* Solùm vereor ne accidens aliquod eum abripiat; Syncopæ enim frequentes levitati ipſius, infauſtum ſunt præſagium; ſed exponamus cum periculo, in eo enim multa ſpes effulget.

Diætam invenio maximè congruam; balnea non poſſunt eſſe niſi ſalutaria, inquit Joel, ſed addo, quòd ap. diu ſedulùs cogitate de confortando corde. Occupatum eſt illud pravis humoribus, qui cauſa ſunt tot deliquiorum, quæ ipſum perimunt, *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Deinde, Acceſſoria jungemus, *In jejunio, & in fletu, & in planctu.* Jeſus Chriſtus concludit, malum eſſe in corde revera, & illius ſymptomata & indicia eſſe ſenſibilia, ſed eſſe extraordinarium, nec ſatis ab aliis Medicis cognitum. Cor iſtud miſerandum roditur, non ſecus ac Tityi jecur vulturibus lancinandum appoſitum, & ſemidevoratur & abſumitur curâ rerum temporalium; & oblivio mortis efficit ut dolores ſuos non experiatur. Expugnandæ ſunt igitur deſideriis cæli temporaneæ curæ, & cineribus feretri redigendum eſt cor iſtud ad obſequium. Poſtquàm ſanatum fuerit cor, cætera curabimus. Odor & incenſum orationum confortabit cerebrum ejus; balneum pœnitentiæ lavabit vultum illius, & auferet ſordes peccatorum ipſius; jejunium neceſſarias peraget evacuationes; oppiata eleemoſynarum continuatarum, paulatim corroborabit partes infirmatas doloribus æquè ac pharmacis. Iſtud recipe ad longum deducit Evangelium u hodiernum, u Matth. 6. 17. &c.
Unge caput tuum, & faciem tuam lava. Ora Patrem tuum in abſcondito. Te autem faciente eleemoſynam. Theſaurizate vobis theſauros in cælo.

In hac conſultatione officio perfungi debeo Pharmacopolæ. Sumam igitur iſtud recipe, circa quod omnes meas inſumam operas tota iſta Quadrageſima. Tempore ſuo infuſiones peragam rheubarbari, varia componam medicamenta juxta occurrentias; Evangelia ſubminiſtrabunt mihi pharmaca, &

ſpero;

ſpero; quòd æger in priſtinam reſtituetur ſanitatem. Hodiernâ die ſufficiet mihi adhibere remedium maximè neceſſarium præ omnibus, quod eſt converſio cordialis animæ peccatricis. Joel ad hoc ſollicitat, Eccleſia ad iſtud hortatur, & ipſum Jeſus Chriſtus præcipit.

x Eccl. 10. 15 In omni peccato agnoſcimus ſuperbiam, *Initium omnis peccati eſt ſuperbia* x. Affectum immodicum erga aliquam creaturam, quam appellamus converſionem, *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum quaſi equus impetu vadens ad prælium*. Sed venenum mali & periculoſiſſimum offenſæ eſt averſio, quæ tergum vertit bonitati Dei, *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſâ* y? Prius iſtorum malorum curatur y Jer. 8. 6. & 5 cineribus & memoriâ mortis, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Poſterius deſiderio paradiſi, *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*. Applicandum eſt antidotum ad evacuandum venenum præcipuum, & iſtud habemus in converſione, *Convertimini ad me in toto corde veſtro*.

Immodicas æger noſter perpetitur convulſiones; caro, mundus, diabolus, & amor proprius ei inferunt torturam innumeris inquietudinibus. Habemus unde carnem edomemus memoriâ cinerum, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Mundus eſt contemnendus, juxta iſtum aphoriſmum Evangelii hodierni, *Ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Diabolus & amor proprius nihil verentur niſi amantem converſionem, *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. Converſio ſuſcitat nos ab agone, imò verò nos in ſtatum priſtinæ reſtituit ſanitatis; ſatagendum eſt duntaxat hoc remedium, & illius interventu ab omnibus noſtris liberabimur malis. Ad iſtud invitat nos Deus officium, *Convertimini filii revertentes, &* z Jer. 3. 22 *ſanabo averſiones veſtras* z. Et, *Sicut fuit ſenſus veſter ut erraretis à Deo: decies tantùm iterùm convertentes requiretis eum* a. Veſtrum cor, im- a Baruch 4. 28 pudicorum eſt alligatum objectis amorum veſtrorum, expecto vos brachiis expanſis, *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. Cor iſtud affectu adhæret creaturæ, *Ubi theſaurus, ibi & cor*. Illud volo habere denuò, meum enim eſt: revertimini igitur, ut offeratis veſtrum cor legitimo Domino, qui illud poſſidere debet, *Convertimini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras*. Hoc eſt lenocinium amabile quod inſumit Deus ut nos ad converſionem alliciat amplectendam. Veri autem Iſraëlitæ reſpondent ad hanc inſtantiam, *Ecce nos venimus ad te: Tu enim es Dominus Deus noſter. Verè mendaces erant colles, & multitudo montium. Verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſraël* b. Eu Domine, revertimur allecti le- b Jer. 3. 23 nociniis ſuaviſſimis gratiæ tuæ, propoſuimus nobis deſerere vitium, ut ſerviamus Divinæ Majeſtati tuæ. Re verâ cognoſcimus mundum nihil eſſe niſi abuſum, divitias ejus niſi fraudes, vitam noſtram niſi ſomnium, nec ullam eſſe ſalutem niſi in obedientiâ mandatorum tuorum c. A recta aberraveramus viâ, & revertimur ad te; ſi c Matth. 19. 17. autem mors terrorem nobis incutit ad ſollicitandum hunc reditum; ſi theſauri paradiſi ſuavia ſunt lenocinia & motiva, quæ nos ad converſionem induunt peragendam, tamen cognitio bonitatis tuæ præcipuè nos ad illam ſuaviter impellit: *Tu enim es Dominus Deus noſter*. Talis eſſe debet converſio generoſa animæ verè pœnitentis peccatorum ſuorum, quæ debet offerre cor ſuum per converſionem Deo, qui eſt centrum ip- d D. Aug. lib. 1. Confeſſ. 1 ſius. Ideò D. Auguſtinus d eidem Deo dicebat, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Et ſic ad illum tendere debemus ut ad centrum noſtrum per converſionem, ſi velimus conciliare nobis gratiam ejus in hoc mundo, & gloriam illius in altero ſeculo.

FERIA V. POST CINERES.

Acceſſit ad eum Centurio. Matth. 8. 5. &c.

MAgni Duces antiqui diverſa adhibuerunt media ad expugnandas & ditioni ſuæ ſubjiciendas civitates celeberrimas. Alii inſumpſerunt aquas fluminum, Alii tormenta bellica & hujuſmodi machinas militares; Alii verò ſpeciatim cineres a Habac. 1. 10. & terram, ut toti dominari poſſent orbi, quibus videtur alludere Propheta Habacuc a, dicens de quodam Rege, *Super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, &* b Plut. in Vit. Viror. Illuſtr. V. Sertorius. *capiet eam*. Refert Plutarchus b de Sertorio, quòd volens redigere ad obſequium & ſuæ ſubjicere ditioni Charaſitanos rebelles, qui abdiderant ſe in antris & in cavernis, & videns quòd eorum non poſſet rebellionem domare omnibus inſtrumentis bellicis, ſolo devicit eos pulvere: tantum enim præcepit afferri acervum pulveris ante has cavernas, ut vento flante perlatus hujuſmodi pulvis eos ſuffocaret, & ſic illos ad ſubeundam compulit Sertorius deditionem, & ad ſuas ipſi exhibendas obedientias. Eccleſia Sancta hunc obſervat procedendi modum; inſumpſit ipſa heſternâ die hunc pulverem, applicuit ipſa cineres capiti peccatorum, non ut eos ſuffocaret, ſed ut illos vivificaret, compellendo eos ſuaviter ad exeundum è cavernis ambitionis, & aliorum vitiorum, quibus erant obnoxii, mediâ memoriâ mortis, quæ præſe mirabilem fert efficaciam. Centurio Cornelius plura audiverat enarrari miracula patrata à Jeſu Chriſto, fortaſſis etiam audiverat Concionatores, aut Prophetas ſibi ſeculo ſuppares; ſed tamen ipſe ſemper denſiſſimis erat involutus idololatriæ tenebris: at confeſtim ac vidit ſervum ſuum importuno periculoſæ paralyſis morbo laborantem, & quaſi capulo vicinum, experiendo timorem mortis, convertit ſe ad Jeſum Chriſtum, & ad fidem ejus, ita ut dixerit Filius Dei de illo, *Non inveni tantam fidem in Iſraël*. Beatum illum prædicat Chriſtus merito magnæ fidei ipſius, ſicut B. Elizabeth beatam aſſerit Mariam Deiparam propter immodicam ipſius fidem, *Beata*

e Luc. 1. 45. &c.

quæ credidiſti e. Eo quod credidiſſet Angelo dicenti ipſi, *Ave Maria.*

Non miror ſi peritiſſimi & ſubtiliſſimi quique Viri hujus ſeculi ſolidiſſimarum incubuerunt inquiſitioni virtutum, cùm eæ ſint ornamentum animæ, & iter per quod pervenitur ad *omne Bonum* d, quod non eſt aliud niſi beatitudo. Illi qui de iis loquuntur appoſitiſſimè omnium, dicunt dari triplex genus virtutum. Aliæ vocantur naturales, & hæ ſunt diſpoſitiones & inclinationes, quæ agnoſcuntur perſæpè inter homines; ut teſtatur Job e, *Ab infantia meâ crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Aliæ vocantur acquiſitæ, & iſtæ ſunt quæ producuntur actibus frequentibus; aut ſecundùm Alios iſtæ vocantur morales. Ultimæ tandem nuncupantur infuſæ, & iſtæ ſunt Theologicæ, *Fides, ſpes, charitas* f, multò nobiliores & perfectiores aliis. Iſtæ appellantur Theologicæ, quia Deum habent pro objecto. Iſtarum trium prima per naturam eſt fides, quià ipſa eſt medium placendi Deo, *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo*; ait D. Paulus g. Cui ſubjungit Dionyſius Carthuſianus h; *Oportet namque habere habitum fidei, & interiorem actum ejus ad hoc ut opus ſit meritorium, quoniam fides dirigit intellectum ad finem ſupernaturalem.* Ipſa eſt principium ſalutis noſtræ; & medium neceſſarium ad conſequendum Regnum cœlorum, ut patet in noſtro Centurione, qui dicitur acceſſiſſe ad Chriſtum, ut peteret ab eo ſanitatem ſervi ſui paralytici. Sed quomodonam *acceſſit ad eum Centurio?* Mediâ fide, ut obſervat de Trugillo i, *Dicit Evangeliſta, quòd acceſſit ad eum, quamvis non venerit corporaliter: quia propinquior erat ei per fidem, quam qui corporaliter acceſſerunt* k. Ideò D. Paulus ſupradictis verbis addit immediatè pòſt, *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Quod ſic interpretatur idem Dionyſius Carthuſianus. *Id eſt, volentem ſeu exorantem ipſum Deum.* Ut autem accedamus ad Deum, primum quod debemus agere, eſt habere fidem, quæ eſt modus uniendi hominis Deo, & Dei homini. Sed obſervate, ſi placet, quòd peccatum ſeparat nos à Deo, ut ipſemet Deus aſſerit, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* l. Et convertit nos ad creaturam; cùm peccatum nihil ſit aliud, juxta Theologos, niſi *averſio à Deo, & converſio ad creaturam*, conformiter ad id quod ait Jeremias m; *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſâ? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Sic nullum eſt peccatum, quod nos removeat magis à Deo, quàm infidelitas; & quanta invenitur diſtantia inter Deum, qui *non habet finem* n, & creaturam quæ eſt finita, tanta reperitur inter Deum & peccatum; inter Deum & hominem peccatorem & infidelem; & ideò diſtantia inter Deum & peccatum ſeu peccatorem eſt infinita. Sic Adam *emiſit Dominus Deus de paradiſo voluptatis* o. Et *Cain à facie* p Dei ejectus eſt. Non quòd Deus illos expelleret, ſed ipſorum peccatum & infidelitas, cùm Deus neminem unquam deſerat, denegando eiſdem gratias efficaces, quin priùs ipſe ab eo derelictus fuerit, *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini* q.

d Exod. 33. 19.
e Job. 31. 18.
f 1 Cor. 13. 13.
g Hebr. 11. 6.
h Dion. Carth. a. 11 ad Hebr. 11. 6.
i de Trug. in Theſ. Concio. Fer. 5. poſt Cin.
k ex Luc. 7. 4.
l Iſa. 59. 2.
m Jer. 8. 5. & 6.
n Bar. 3. 25.
o Gen. 3. 23.
p Gen. 4. 13. & 14.
q Joan. 8. 21.

Fides iſta eſt fundamentum ſalutis noſtræ. Idcircò idem Apoſtolus r loquens de hâc fide, ait in illa inveniri ſalutem, invocationem, fidem, auditum verbi Dei, miſſionem, & prædicationem. Sicut autem nulla eſt legitima prædicatio ſine miſſione, ſic non eſt aliqua invocatio abſque fide, *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Fruſtrà inquireremus poſſeſſionem ſummi Boni, niſi haberemus fidem, niſi crederemus in Jeſum Chriſtum. Et iſte idem D. Paulus s diſſerens de hâc fide juxta naturam ipſius, dicit, *Eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* Quod non ſolùm ſignificat ſubſtantiam, ſed etiam fundamentum. Quaſi diceret, quòd fides eſt baſis eorum omnium, quæ ſperamus; ipſa eſt veluti fundamentum & principium operandæ ſaluti noſtræ accommodum, omnes autem aliæ virtutes ſunt ſicut aliæ res quæ ſerviunt ad conſtruendum reliquum ædificii. *Fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat* t. Cùm igitur fides ſit principium noſtræ ſalutis, & aliæ virtutes ſint media ei operandæ conſona, intendo vobis monſtrare, habitâ ratione converſionis & vocationis noſtri Centurionis, quæ repræſentat nobis converſionem & vocationem Gentilium ad finem, quòd fides iſta eſt abſolutè neceſſaria ad operandam ſalutem noſtram, ſed quæ bonis ſtipata ſit operibus.

r Rom. 10. 13. &c.
s Hebr. 11. 1.
t 1. Cor. 3. 10.
Propoſitio.

Antiqui docuerunt nos Philoſophi, quòd felicitas humana non conſiſteret ſolum in theoria aut in ſpeculatione, ſed etiam in praxi ſeu in operatione. Idcircò præter ſcientias phyſicas, mathematicas, & metaphyſicas, plurimos compoſuerunt de virtutibus moralibus libros, in quibus inſtituerunt nos, quòd homo illarum teneretur vacare praxi. Præterea, Scimus agentia naturalia ſuum non obtinere finem niſi mediâ ſuâ operatione. Hæc documenta, quæ didicimus ab idololatris, videntur nobis cognoſcendam exhibere doctrinam Jeſu Chriſti, qui conſtituit felicitatem, non humanam, ſed ſupernaturalem aut Divinam non in contemplatione ſolius fidei, ſed etiam in operatione bonorum operum. Hæc eſt doctrina omnium Patrum Eccleſiæ, quòd ſola fides non ſufficiat ad operandam ſalutem noſtram, niſi bona comitentur illam opera. Sed iſta fides non ſolùm eſt conſideranda in bonis Judæis, qui vivebant in Lege antiquâ, quæ erat vera, quia, ut ait D. Paulus u, *An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium?* Sed etiam in Gentilibus, quorum converſio & vocatio ad Chriſtianam fidem figuratur nobis per converſionem & vocationem noſtri Centurionis, cùm iſti ſuum præbuerint conſenſum vocationi; illi verò obſtinati in cæcitate ſuâ permaneant. Lege ipſorum abrogatâ per Legem novam Evangelicam, quæ ſupervênit, *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem* x.

u Rom. 3. 29.
x Hebr. 7. 18.

Duo miracula, quæ operatus eſt Dei Filius, *cùm deſcendiſſet de monte* y, in quo Evangelicam ſuam doctrinam prædicaverat z, intelligo medelam leproſi, & noſtri paralytici, repræ-

y Matth. 8. 1. &c.
z Matth. 5. 1. &c.

repræſentant nobis iſtorum duorum populorum vocationem ad fidem, quam unus ſuſcepit, & quam alter recuſavit. Leproſus curatus, eſt ſymbolum populi Hebraici: ſeu quia Judæi communiter laborabant hoc morbo lepræ; ſive quoniam Legiſlator eorum Moyſes, *Quia Lex per Moyſen data eſt* a, cùm ſuam miſiſſet *manum in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis* b, in confirmationem miſſionis ſuæ; vel eò quòd lepra depravet totum interius, etiamſi carnem relinquat candidam exteriùs; ſic maxima pars Judæorum illius temporis corrupta erat interiùs, & ſine gratia erat, licèt candidi ipſi eſſent exteriùs, ut Christus eis exprobravit aliquando, *Vos à foris paretis quidem hominibus juſti, intùs autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate* c. (Quamvis non ſit diſſitendum, quòd inter eos eſſent ſancti homines d.) Paralyticus autem noſter ſanatus, eſt figura populi Gentilis. Sicut enim paralyſis omnes humanas impedit actiones, & efficit ut ſpiritus vitales ſuis perfungi non poſſint muniis ordinariis; ſic Gentiles privati fundamento vitæ, quod eſt fides, nullam habebant actionem vitalem gratiæ. Eorum curatio non repræſentat minùs hos duos populos. Sicut enim leproſus miſſus eſt ad Sacerdotes, *Vade, oſtende te Sacerdoti* e, illinc deſignabat Chriſtus Judæos, qui habebant Sacerdotes & ſacrificia f; cùm tamen per ſemetipſum abſque alio ſanaverit immediatè paralyticum: nullus enim erat inter Gentiles, ad quem mitti poſſet paralyticus, ut ab eo concupitam reciperet ſanitatem.

Iſaias g ſenſibilem veritatis hujus nobis exhibuit figuram, cùm per ipſum Deus dixit, *Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones.* Hæc beſtia non eſt alia niſi homo, qui, licèt *ad imaginem Dei factus* i, tamen *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* k, per peccatum infidelitatis ſuæ. Struthio repræſentat nobis populum Judaicum: avis enim iſta, licèt pennas habeat, nihilominùs ſurſum ſe non poteſt evehere ad volandum propter gravitatem corporis ſui; ſic quàmvis populus Judaicus præ ſe ferre videretur pennas, aut duas alas fidei judicialis l, & ceremonialis m; tamen eò *quòd populus iſte duræ cervicis* n eſſet (loquor ſemper de malis Judæis; inter eos enim non deerant probatæ vitæ homines) quia, inquam, hic populus gravis erat, nihil intuens niſi terram, de quâ ipſis dictum fuerat, *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis* o, non multùm curabat intueri cœlum per fidem vivam, formatam, & bonis operibus animatam, quæ eſt neceſſaria ad perveniendum ad iſtud felicitatis domicilium. Draco, qui repit in terra, figurat nobis populum Gentilem, qui nullam habens legem, nec ullam fidem, vivebat ſecundùm maximas carnis & ſenſuum, innocentiæ contrarias.

Unum ex iſtis animalibus repræſentat nobis populum electum, alterum verò populum reprobatum: Struthio populum Judaicum, qui vivam non habebat fidem, ſed ſolas apparentias exteriores, inſtar Struthionis habentis alas ad volandum, & tamen non volantis. Draco verò populum Gentilem. Struthio cùm exilis eſt & levis, volare poteſt, ſed non cùm grandis evaſit & gravis, & maſſa corporis ipſi crevit: E contrà Draco, qui in principio repebat in terra, ſtatim ac alæ ipſi creſcunt, confeſtim terram, in qua repebat, deſerit, ſurſum evehit ſe, & faventibus ſibi novis alis volare incipit. Sic Judæi in principio nihil reſpirantes niſi terram, & habentes virtutem Legis, *quibus* nimirum Moyſes *præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai* p, non poterant ſe ſurſum elevare per vivam fidem; ſed cùm facti fuiſſent terreſtres, hanc amiſerunt fortitudinem: Gentiles è contrà repebant primò in terra, deſtituti alis fidei, ſed cùm illas in perſona noſtri Centurionis accepiſſent, volare cœperunt ad Chriſtum. Verè gratia fidei Evangelicæ debita erat Judæis, ſed quoniam illâ indignos ſeſe exhibuerunt, eò quòd credere noluerint in eundem Chriſtum: ideò jure merito tranſmiſſa eſt per Apoſtolos ad Gentiles, ut Judæis *conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ: ecce convertimur ad Gentes* q. Iſtud eſt quod Deus per Iſaiam r proſequitur, dicens, *Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit*, glorificando me per bona opera ſua. In quo, ait Cornelius s, *occurrit tacita objectioni Judæorum dicentium, Quomodo Domine, nobis relictis, qui hominum ſumus fideles, & populus à te olim electus, qui te colimus victimis & thymiamate, transfers te ad Gentes, quæ non ut homines, ſed ut dracones & feræ vivunt? quomodo eos tibi adſciſcis & eligis? Reſpondet Deus: Ego populum iſtum formavi, ego ex lapidibus, imò ex feris, filios Abrahæ ſuſcitavi* t, *ut ipſe magnificum meam in ſe magnificentiam, potentiam & gloriam jugiter repræſentet, eamque celebret.*

Hanc declarat D. Auguſtinus veritatem per ſtellam, quæ tempore Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti apparuit Magis u, dicens, *Hæc Magorum illuminatio magnum teſtimonium cæcitatis extitit Judæorum. Jam verò quòd eadem ſtella, quæ Magos perduxit ad locum, ubi erat cum Matre Virgine Deus Infans, quæ utique poterat eos ad ipſam perducere civitatem, ſe tamen ſubtraxit: nec eis prorſus apparuit, donec de civitate, in qua Chriſtus naſceretur, iidem ipſi interrogarentur Judæi, & ipſi eam ſecundùm Divinæ Scripturæ teſtimonium nominarent, ipſi decerent, In Bethleem Judæ. Sic enim ſcriptum eſt* x, *Et tu Bethleem terra Juda, non es minima in Principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël: quid aliud hic ſignificavit Divina Providentia, niſi apud Judæos ſolas Divinas Literas remanſuras, quibus Gentes inſtruerentur, illi excæcarentur, quas portarent non ad adjutorium ſalutis ſuæ, ſed ad teſtimonium ſalutis noſtræ* y. Et D. Leo z ait, quòd hæc eadem ſtella manifeſtata ſolis Magis Gentilibus, & non Judæis, eamdem nos rem edocebat. Et Jacob ad inſtantiam Joſeph, *cùm extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris; ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat, commutans manus* a; ſignificavit, quòd Gentiles, qui erant minores natu, benedictionem auferrent ſuper Judæos, qui erant ipſorum primogeniti.

Hæc veritas nobis adhuc meliùs declaratur in perſona ejuſdem Jacob & in perſona Eſau fratris ipſius natu majoris, per quos iſti duo populi nobis fuerunt figurati in eo quod dictum fuit matri ipſorum Rebeccæ, *Duo populi ex ventre tuo dividentur* b. Jacob, qui fuit origo.

a Joan. 1. 17.
b Exod. 4. 6. &c.
c Matth. 23. 28.
d 1. Reg. 13. 14. & Luc. 1. 6. & 2. 25.
e Matth. 8. 4. ex Lev. 14. 2.
f Lev. 14. 4. &c.
g Iſai. 43. 20.
i Gen. 1. 26.
k Pſ. 48. 13. & 21.
l Exod. 21. 1. &c.
m Exod. 12. 4. &c.
n Exod. 32. 9.
o Iſai. 1. 19.
p Exod. 34. 32.
q Act. 13. 46.
r Iſai. 43. 21.
s Cornel. in Iſai. 43. 21.
t ex Matth. 3. 9.
u Matth. 2. 1. &c.
x ex Mich. 5. 2.
y D. Aug. ſerm. 2. de Epiph. ſeu 30. de Temp. c. 2.
z D. Leo ſerm. 2. de Epiph. c. 1.
a Gen. 48. 14. &c.
b Gen. 25. 23. &c.

è quâ proceſſit Chriſtus e, & duodecim tribus Iſraël d, ſignificat Judæos. Prior ſuſcepit benedictionem à patre ſuo Iſaac, etiamſi minor foret natu, *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini, & olei.* Et Eſau conſequenter ſic fuit benedictus, *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua.* Ambo participes effecti paternæ benedictionis, non in eo quòd ſervus factus eſt Eſau fratris ſui Iacob dum dixit ei Iſaac, *Vives in gladio, & fratri tuo ſervies* e, cùm hæc omnia ſecum inveherent benedictionem; ſed in eo quòd uterque rorem & adipem humi ſuſcepit. Iſte ros eſt notitia Jeſu Chriſti, & fides illius ſtipata bonis operibus. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Juſtum: aperiatur terra & germinet Salvatorem; & juſtitia oriatur ſimul* f. Sed differentia utriuſque hujus benedictionis in hoc ſita eſt, quòd primò ros fuit datus Jacob, ſecundò pinguedo humi: cùm è contrà Eſau priùs ſuſceperit adipem humi, & deinde rorem cœleſtem; quia Judæi primò habuerunt cognitionem Dei, Legem Moyſis g, ſecundùm quam per fidem quam habebant in Meſſiam venturum h, bonis vacantes operibus, ſalvi fiebant; ſed deſerentes hanc notitiam, ſeu potiùs nolentes adhærere ei, quam Chriſtus deinceps ipſis exhibuit l, ſuos alligaverunt affectus terræ: cùm è contrà Gentiles repræſentati per Eſau, in principio omnino fuerint terreſtres; ſed deſerentes bona terræ, amplexi ſunt Legem Evangelicam per fidem bonis operibus animatam.

d Matth. 1. 1. &c.
c Gen. 27. 28. &c.
e Gen. 27. 40.
f Iſai. 45. 8.
g Exod. 2. 4. &c.
h Gen. 49. 18. & Pſ. 85. 1.
i Joan. 6. 64.

Huic alludere videtur Propheta k, cùm ait, *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*; meminit miraculi illius, quod accidit tempore Gedeonis, cùm *fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra* l. Sic David voluit hinc nobis innuere notitiam Dei, quæ cecidit priùs ſuper Judæos, quæque contempta ab iiſdem Judæis, tranſlata eſt ad Gentiles. Judæi habebant iſtud vellus, quia habebant altaria & ſacrificia; Gentiles verò habebant terram, quia quatenus idololatræ non reſpirabant niſi terrena, & creaturas; ſed quia ros nulli rei utilis eſt ſuper vellere, ſed fructificare facit terram, ita noſter Centurio cùm iſtum ſuſcepiſſet rorem, accedit ad Chriſtum, ſed per fidem ſic immodicam ut Dei Filius dicat in gratiam ejus, *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Ex tunc didicit hic Centurio fidem fuiſſe fundamentum Religionis, quam erat amplexurus, ſine quâ ſuam peragere non poterat ſalutem. Hæc autem fides repræſentata nobis fuit per lucem, quæ prima omnium creaturarum producta eſt in mundo, cùm *dixit Deus, Fiat lux: Et facta eſt lux* m; ſine quâ idem mundus Deo placere non poterat; cùm prima res quæ produci debet in recreatione, debeat eſſe lux fidei, quæ deducere nos debet per deſertum hujus vitæ, inſtar nubis illius, aut columnæ igneæ quæ dirigebat filios Iſraël, *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columnâ nubis, & per noctem in columnâ ignis, ut Dux eſſet itineris utroque tempore* n. Sicut enim hæc columna ignis & nubis erat ſplendens, & tenebroſa; ſic fides eſt lucida, quatenus ipſa eſt lux per quam conſentimus veritatibus nobis revelatis; & tenebroſa, quatenus ipſa eſt rerum non evidentiũ. *Eſt autem fides rerum argumentum non apparentium* o. Hoc claudere debet ora Hæreticorum noſtrorum, qui dicunt de myſteriis noſtris, Quare hoc? Quare illud?

k Pſ. 71. 6.
l Judic. 6. 40.
m Gen. 1. 3.
n Exod. 13. 21.
o Hebr. 11. 1.

quod non eſt propoſito conveniens, quia cùm fides ſit eorum quæ non videntur, illa probatione non indigent. Ideò ſuis Chriſtus prohibuit diſcipulis ne vocarent ſe Magiſtros. *Vos autem nolite vocari Rabbi* p; licèt ipſe eos nominaret *Apoſtolos* q. In quo non corripit illos ambitionis, cùm magis ſit eſſe Apoſtolos, quàm Magiſtros: ſed cùm annunciaturi eſſent fidem, non ſe gerere debebant ut Magiſtri, quaſi volentes probare illius myſteria; ſed ſicut Apoſtoli eam annunciare ſimpliciter; & veluti Zodiacus ſpiritualis deferens duodecim ſigna, verſus ſuper duos polos Divinitatis & humanitatis Jeſu Chriſti, complectendo duodecim fidei noſtræ articulos ab ipſis compoſitos, eam facere gyrare per totum mundum. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* r: & quaſi illa *quatuor animalia, quæ ſingula eorum, habebant alas ſenas*, repræſentantes ſex articulos ſpectantes Divinitatem, & ſex pertinentes ad humanitatem, *dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus* s, Patri, Filio, & Spiritui ſancto; aut Verbo incarnato propter triplicem ſubſtantiam, Divinitatis, Animæ & Corporis, prædicare omnibus populis, quòd *hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant ſolum Deum verum, & Jeſum Chriſtum* t; & quod hæc fides in Deum, & in Filium ejus Jeſum Chriſtum, bonis operibus animata, neceſſaria eſſet ad operandam ſalutem.

p Matth. 23. 8.
q Luc. 6. 13.
r Pſ. 18. 5.
s Apoc. 4. 8. ex Iſai. 6. 3.
t Joan. 17. 3.

Videte quàm perfecta fuerit fides Centurionis erga Deum per Religionem, in gratiam proximi ſui per charitatem, & intuitu ſui per humilitatem. Religio illius erga Deum manifeſtatur in eo quòd Judæi dicunt Chriſto, ad quem ab ipſo miſſi ſunt, *Dignus eſt ut hoc illi præſtes: Synagogam ipſe ædificavit nobis* u. E nobili proſapia ortus erat Centurio; ſed commendabilior erat ob ſuam religionem, aut per ſuam pietatem moralem, impendens bona ſua & redditus ſuos ad conſtructionem Synagogæ Judæis ſervituræ, etiamſi ex eorum non eſſet Religione; & tamen hodiernâ die homines Chriſtiani de nihilo magis cogitant, quàm quomodo bona diripiant Eccleſiaſtica,

Per fas, perque nefas, per mille pericula ten- (*dunt.*

u Luc. 7. 4. &c.

Charitas ejus erga ſervum ſuum eſt manifeſta, cùm enim haberet *ſub ſe milites* multos, non eſt oblitus illius charitatis, quam impendere tenebatur famulo ſuo paralyſi periculoſâ laboranti; cùm è contrà hodiernâ die non obſervetur hæc hoſpitalitas à dominis in gratiam famulorum ſuorum, quos veluti tot inimicos conſiderant, quoſque mittunt ad xenodochium, cùm ægritudine decumbunt, in hoc crudeliores adverſus eos, quàm fuerint Pagani adverſùs jumenta ſua; cùm enim Athenienſes aliquibus fuiſſent uſi jumentis ad transferenda ea quæ neceſſaria erant ad conſtruendum templum, quod ipſi ædificabant, ſtatim ac templum conſtructum fuit, memores beneficiorum quæ ab illis ſuſceperant, decreverunt ut hujuſmodi animalia officioſa publicis deinceps alerentur impenſis. Imò natura ipſa edocet nos iſtud hoſpitalitatis officium in eo quòd ipſa in medio collocavit cor hominis, inclinatum magis ad latus ſiniſtrũ, quàm ad dextrũ; quaſi innuẽs, quòd domini collocati in medio domus veluti cor, ſuorum debent compati infirmitatibus famulorum, & eorum neceſſitatibus omnia providere requiſita.

Humilitas illius erga ſemetipſum eruitur ex

his

his verbis, quæ ipſe Chriſto *ait*, *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus.* Tu verò es *Omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta ſunt poſita; & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati* x. Quoad me attinet, *Ego homo ſum habens ſub me milites.* Tibi verò miniſtrant *millia millium, & decies millies centena millia* y Angelorum aſſiſtunt tibi. Tandem, *Ego homo ſum.* Et *Deus es tu* z. Fides iſta valdè differt à fide Iairi Principis Synagogæ Capharnaum, dicentis Chriſto, *Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet* a. A fide Reguli, qui Dei Filium *rogabat ut deſcenderet & ſanaret filium ejus: incipiebat enim mori* b. A fide Marthæ & Mariæ ſororum Lazari. *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus* c. Cùm iſti crederent, quòd præſentia Chriſti eſſet neceſſaria ad reſtituendam vitam jam deperditam, aut ad eam conſervandam, Centurio verò credat, ſolum verbum ſufficere.

x Eſth 13. 9.
y Dan 7. 10.
z Pſ. 15. 2.
a Matth. 9. 18
b Ioan. 4. 47.
c Jo. 11. 21. & 32

Huic fundamento fidei inniti debet ædificium bonorum operum, *Superædificamini domus ſpiritualis* d. Parùm prodeſſet parare fundamenta, & erigere muros, ſi ædificium ad perfectionem non deduceretur, & tecto non operiretur. In ædificio ſalutis ſpirituali omnia pariter nutarent ſine fundamento fidei, imò vero cum hoc ſolo fundamento fidei deſtituto muris ſpei, & tecto charitatis, fundamentum iſtud prorſus eſſet inutile, ut dicebat Apoſtolus e de ſe, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Domus Dei fulciri debet fide, erigi ſpe, & perfici charitate, & D. Jacobus f ait, *Fides ſine operibus mortua eſt.* Quod edocet nos, fidem non ſufficere ad ſalvandos nos ſine bonis operibus; & repræſentatur nobis per munera, quæ obtulit Iſaac ſponſæ ſuæ Rebeccæ per famulum ſuum Eliezer, *Suſpendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, & armillas poſui in manibus ejus* g. Inaurium nomine ſignificatur fides, & armillæ figurant nobis bona opera. Iſtud fuit ditiſſimum & primum omnium munerum, quibus affecit Iſaac ſponſam ſuam Rebeccam: ſic primum & pretioſiſſimum omnium donorum, quibus noſtras cumulat Deus animas, eas ſibi deſponſando, eſt fides bonis operibus animata, *Sponſabo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dominus* h. Ut hæ eædem animæ efficiantur *templum Dei, & Spiritus ſancti* † habitaculum, ac totius Trinitatis domicilium, cingendæ ſunt validis muris bonorum operum fundamento fidei vivæ inconcuſſo fultorum, ut aſſerit Iſaias i, *Urbs fortitudinis noſtra Sion, Salvator ponetur in ea murus & antemurale:* Anima juſta, nimirum iſta Sion circumquaque cingenda eſt muris fortiſſimis bonorum operum, ita tamen ut fulciatur antemurali, ſcilicet fundamento fidei bonis operibus inviolatè ſtipatæ. Ita ſentit D. Hieronymus k, dicens, *Murus bonorum operum, & antemurale recta fidei, ut duplici ſepta ſit munimento: non enim ſufficit habere murum fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.* Quod eſt idem ac ſi diceret, Fidem ſalvare non poſſe nos abſque bonis operibus. Scriptura ſacta tota plena eſt teſtimoniis expreſſis hanc veritatem confirmantibus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* l. Et fruſtrà paterfamilias parabolæ Evangelicæ exiiſſet *primo manè conducere operarios in vineam ſuam* m, niſi eſſet laborandum in vinea Jeſu Chriſti per bona opera, ad conſequendam gloriam, ſi ſola fides ſufficeret. Iſte Paterfamilias eſt Deus, qui eſt *Pater noſter* n per inſtitutionem fidei, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* o. Per hanc parabolam edocet nos, Regnum cœlorum ſine bonis acquiri non poſſe operibus: dicitur enim Paterfamilias exire *primo manè conducere operarios in vineam ſuam.* Quaſi diceret, quòd fides, quam bona comitantur opera, eſt via ad comparandum Regnum cœlorum, quod non datur niſi illis, qui seriò incubuerint operibus bonis. Id apprimè declarat D. Paulus p, *An neſcitis quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt.* Hinc clarè videtis, opera bona eſſe abſolutè neceſſaria ei, qui ſuam vult operari ſalutem, ſimul cum fide, quia bona opera tantùm concurrunt ad peragendam ſalutem noſtram, quantùm fides, quæ ſola non ſufficit. Ideò huic Patrifamilias ſolâ fide non fit ſatis, ſed ipſe vult ut operarii ſui laborent; quia intendit Deus nulli ſuum præmium impendere, quin priùs laboraverit, *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et D. Paulus q aſſerit, quòd *reddet unicuique ſecundùm opera ejus* bona quæ fecerit. Si autem, juxta opinionem erroneam Hæreticorum noſtrorum, bona opera non eſſent neceſſaria cum fide ad operandam ſalutem, invanùm in hunc mundum veniſſet *Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* r. Fruſtrà tantis ipſe fuiſſet *in laboribus à juventute* s ſuâ ad mortem uſque. *Doctrina* t ejus nobis eſſet inutilis, *exemplum* u illius eſſet ſupervacaneum, & mandata ipſius nobis potiùs eſſent damnoſa, quàm proficua, quod eſt falſiſſimum, & contrarium fidei Orthodoxæ totius Eccleſiæ. Si autem conſideremus etymologiam hujus nominis, fides, inveniemus eam componi ex his duobus verbis, facio, & dico, ut docet nos D. Auguſtinus x. *Fides appellata eſt ab eo, quia fit quod dicitur. Duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur fides. Prima Syllaba eſt à facto, ſecunda à dicto. Interrogo ergo te utrùm credas? Dicis, Credo. Fac quod dicis, & fides eſt. Ego enim reſpondentis vocem audire poſſum, cor credentis videre non poſſum. Sed nunquid ego ad vineam conduxi, quis cor videre non poſſum? Nec ego conduco, nec ego judico, nec ego denarium mercedem præparo. Cooperarius veſter ſum. Pro viribus quas ille donare dignatur, in vinea laboro. Quo autem animo laborem, qui me conduxit, videt, Mihi enim, ait Apoſtolus y, minimum eſt, ut à vobis judicer. Et vos vocem meam poteſtis audire, non poteſtis cor meum videre. Omnes cor noſtrum Deo videndum proponamus, & opus ex animo faciamus. Conducentem non offendamus, ut liberâ fronte mercedem accipiamus.*

d 1. Petr. 2. 5.
e 1. Cor. 13. 1 &c.
f D. Jac. 2. 26.
g Gen. 24. 47.
h Oſee. 2. 20.
† 1. Cor. 3. 16 & 6. 19.
i Iſai. 26. 1.
k D. Hier. lib. 8. in Iſai. 26.
l Matth. 19. 17.
m Matth. 20. 1. &c.
n Matth. 6. 9.
o Jo. 1. 12
p 1. Cor. 6. 9. & 10.
q Rom. 2. 6.
r Luc. 19. 10.
s Pſ. 87. 16.
t Jo. 7. 16.
u 1. Petr. 2. 21.
x D. Aug. ſerm. 237 de Temp. c. 2.
y ex 1. Cor. 4. 3.

Rectiſſimæ igitur rationi eſt conſonum, Auditores, ut in bonis nos exerceamus operibus, non autem cupiditatibus, honoribus, vo-

lupta-

luptatibus, & avaritiis indulgeamus. Oportet autem ut fatear vobis, abominabile eſſe viſu Chriſtianos hodiernos inſumere tempus ad aucupanda terrena & caduca, & dæmonibus omnes ſuas ſacrificare actiones, quæ ſunt tot opera mortua, quæ ad nihil aliud ſervient niſi ad ſubſcribendum condemnationi ipſorum, & ad dicendum teſtimonium adversùs ipſos, qui ſcire debent, quòd non ſufficiat credere, ſed oporteat etiam bonis operibus incumbere.

De iſtis queritur Deus per Prophetam ſuum Iſaiam z in perſona Judæorum, quos deſeruit, ut tranſiret ad Gentiles, quibus ſuam fidem dedit & notitiam, *Non me invocaſti Jacob, nec laboraſti in me Iſrael.* Quaſi diceret, Dereliquiſtis me Chriſtiani deſides quoad ea quæ obſequium meum ſpectant, & per totam vitam veſtram direxiſtis actiones veſtras ad mundum, & laboraſtis ad capeſſanda oblectamenta veſtra, & quidquid peregiſtis, libaviſtis illud diabolo. *Quia vocavi, & renniſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* a. Similes vos eſtis illi adoleſcenti, qui dicebat Chriſto, *Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum* b. Eximia repræſentatio pigrorum, qui ſemper excuſationes comminiſcuntur, cùm agitur de peragenda Confeſſione, aut Communione, vel exercendâ virtutum Chriſtianarum praxi, ſeu de macerando corpore jejuniis, & pœnitentiis, ſive de bonis quibuslibet operibus ſatagendis.

z Iſai. 43. 23.

a Prov. 1. 24 & 25.

b Matth. 8. 21.

Sed non ſufficit laborare, oportet ut opera noſtra ſint meritoria, bona, & facta propter amorem Dei; quod eſt deplorandum viſu homines devotos apparentes, incumbere obſequio Dei, vacare exercitio operum miſericordiæ, viſitationi xenodochiorum, & eleemoſynarum erogationi. Sed quid? Amor proprius eos abripit, vana gloria illos agere facit, ambitione ſcatent, & ſolas auras aucupantur populares, ut honorem ſibi concilient mundanum. Hos deridet Propheta Aggæus c, quos ſic alloquitur, *Seminaſtis multum, & intuliſtis parùm: & qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Niſi noſtris attendamus actionibus, ambitio, vana gloria omnia noſtra abripit bona opera, & hæc ſunt ſacrificia diabolo impenſa. Nobis ſatisfacimus, gaudemus in nobis ipſis, imaginamur nos benè agere, & noſtram recipimus *mercedem* d in hoc mundo, & præmium deſerimus æternum. Veſtrum ſuſcepiſtis opus propter gloriam mundi, oportet ut merces veſtra ſit temporalis. Quotnam autem ſunt qui incipiunt orare, jejunare, bonis operibus vacare, magnam præ ſe ferre voluntatem recipiendi ſe in bonum, immodicis æſtuare deſideriis converſionis peragendæ, qui tamen illa nunquam mandant executioni? In hos invehitur Deus per Ezechielem e, *Facta eſt vinea, & fructificavit in palmites, & emiſit propagines.* Chriſtiani vos eſtis inſtar vineæ, qui ſola producitis folia abſque fructibus; ſpecioſa formatis conſilia; ſed iſti boni affectus, quos vobis Deus inſpirat, contemnuntur à vobis, & dicitis quod aliâ vice eos executioni mandabitis. Conſiderate, quòd paradiſus bonis plenus eſt operibus, infernus verò bonis refertus deſideriis. Granum ſolum ingreditur horreum, palea verò manet in ſtercore & in putredine. Bona concepiſtis deſideria, ſed ea non poteſtis parturire, *Venerunt filii uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi* f. Non deſinitis ſanctas præ vobis ferre intentiones, ſed à mundo abripi vos ſinitis. Deſerite affectus iſtos mundanos, contemnite has delicias & voluptates caducas, renunciate concupiſcentiis veſtris; *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere; divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere* g eis, quippe quæ ſint obices exequendis bonis conſiliis veſtris oppoſiti; adhærere enim mundo affectu, & velle incumbere praxi bonorum operum, iſtud eſt veluti impoſſibile, cùm illud ſit exponi periculo, quod mortem infert infallibilem ei, qui in illo ſibi complacet, *Qui amat periculum, in illo peribit* h. Formemus igitur in nobis ex toto corde noſtro iſtud ſanctum conſilium diſſolvendi nos ab omnibus affectibus, qui nobis poſſunt eſſe damnoſi, ut in meliorem emendationis vitæ recipere nos poſſimus frugem, & conſequenter incumbere valeamus praxi bonorum operum per fidem vivam, animatam gratiâ Dei in hoc mundo, quam ſequatur tandem gloria ejus in alteros.

c Agg. 1. 6

d Matth. 6. 2. &c.

e Ez. 17. 6

f Iſai. 37. 3

g Pſ. 61. 11

h Eccl. 3. 27.

FERIA VI. POST CINERUM.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt. Matth. 5. 44. & 45.

CUm haberet priſcis temporibus Magiſtratus quidam Romanus domum ſuam tali modo diſpoſitam, ut per feneſtras illius poſſent vicini facilè obſervare quæcumque in illa peragerentur, architectus quidam artis commentariæ maximè peritus, ratus ſe hujuſmodi Magiſtratum valdè ſibi devincturum, eum conveniens, dixit ei, quòd ſi aliquos erogare ſibi vellet nummos aureos, domum ipſius tantâ eſſet induſtriâ diſpoſiturus, ut impoſterùm nihil in eâ viſuri penitus forent, eam circumſtantes. Sed appoſitè reſpondit iſti fabro cœmentario ſapiens Magiſtratus ille; Quin imò tibi multò plures impendam nummos aureos; ſi domum meam ita poſſis diſponere, ut ex omnibus civitatis vicis & compitis intueri poſſint tam vicini, quàm cæteri quidquid in ea ſum peracturus, cùm ut ſic inducendus ſim ad nihil agendum, quod non vellim libenti animo exponendum curioſis quorumcunque in eam aſpicere volentium obtutibus. Addictum ſe Deo maximè agnoſcebat David a

a Pſ. 118. & 63.

ea eo quòd dediſſet ſibi ipſemet Deus lumina, quorum intermedio proficuè ſuorum uteretur perſecutione inimicorum, ſeque tantâ inſtruxiſſet prudentiâ in peragendis omnibus operibus ſuis, ut nunquam aberraret à viâ Divinorum mandatorum coram illis, *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo*. Sed hodierna die Dei Filius præcipit nobis ut diligamus eos, ſi velimus eſſe *filii Patris qui in cœlis eſt*, filii gratiæ, qua *plena b* fuit Maria, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria*. [h Luc. 1. 28.]

Non eſt infortunium habere inimicos, ſed potiùs nota certiſſima felicitatis, quam poſſidemus, cùm extra Deum invenimus antipathiam. Sicut enim ex omnibus creaturis nulla eſt perfecta (ſi nullam agamus mentionem nobilitatis, quæ provenit creaturis rationalibus ex eo quòd ſint in gratia Dei) non quòd Author naturæ non dederit ſingulis aliquem perfectionis gradum ſecundùm ſtatum & conditionem uniuſcujuſque, ſed quia uſus ſic fuit perverſus earum [c Gen. 3. 6.] ā deordinatione rationis Protoplaſti noſtri c, ut vix vocari poſſint eæ bonæ, imò verò videantur dici debere malæ. Præterea, Cùm id quod eſt malum, non poſſit eſſe contrarium aut inimicum niſi ei quod bonum eſt, illinc eruenda eſt conſequentia infallibilis, quòd quò plures nobis ſunt creaturæ inimicæ, eò plures habemus nos res malas nobis adverſarias, quod altiorem atque excellentiorem teſtatur gradum boni & felicitatis.

[d Exod. 33. 19.] Deus ipſe, qui eſt origo fœcunda totius boni, *omne Bonum* d: Quia *omne datum optimum*, [e Jacob. 1. 17.] *& omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum* e; ſi ſummas perfectiones immenſitatis abyſſis immerſas habeat ſuis, [f Jer. 23. 24.] *Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus* f; Habet tamen inimicum nihilum quod abyſſis imperfectionis eſt immerſum; & quò plùs creatura accedit ad perfectiones Dei, eò magis comparat ipſa ſibi inimicos, ſed inimicos imperfectos, & inimicos nihili. Homo, qui eſt omnium creaturarum ſublunarium perfectiſſimus, maximos habere debet inimicos, non ſolùm intuitu boni quod ipſe poſſidet, ſed etiam & præcipuè ratione illius, quo ipſe ſatiari poteſt juxta vaſtam animæ ſuæ capacitatem, *cùm ap-* [g Pſ. 16. 15.] *paruerit gloria* g. Sic totum eum illum circumquaque expugnari, & quantùm ad animam, & quantùm ad corpus, & quoad bona, & quoad honorem, & quantùm ad omnia, ſed tantâ violentiâ ut nihil ſit quod inimici ipſius non moliantur ad ſubjiciendum eum ditioni ſuæ, & intendant ut ſic ut miniſtrari ſibi faciant ab illo, eo modo quo ſervus ſuo ſervit domino; ſed etiam ſe adorari, ut creatura ſuum ſupremo cultu veneratur Deum verum, quod eſt illi funeſtiſſimum eorum omnium, quæ poſſint ei evenire, cùm inde recedere invitetur ab adoratione veri Dei, extra quem ruina æterna omnino eſt infallibilis h: & tamen hi inimici ſunt tales ut vix [h Marc. 16. 16.] miſerandus homo impedire ſe poſſit quin eos adoret, & eos veluti deos agnoſcat. In quo enim ordine collocaretis eos qui ſe ventilant eſſe veſtros veros & fideles amicos, & ſe nihil niſi veſtrum bonum reſpirare? Sanè dedicabitis vos omnes illis penitus; vobis enim faciunt actum Dei. Quomodo vocabitis proſperitates hujus mundi, quæ pollicentur vobis ab omnibus eximere vos incommodis? Nullum habetis nomen congruentius illis impendendum quàm nomen Dei, cui ſoli competit hunc magnum effectum producere. Quid autem diceretis de amore proprio, qui veſtris omnino complacere vult appetitibus, nec unquam vobis contradicit? Credetis in eum ut propitium vobis, eumque reputabitis Deum veſtrum. Quid ſentietis de muliere, quæ lenociniis pulchritudinis ſuæ eripiet vobis cor æquè ac cogitationem? Illam venerabimini non ſecus ac Deam: nullum enim ſubminiſtrat illa vobis otium cogitandi an ſit alia Divinitas. Sed ſcientiam & ſubtilitatem animi, quæ habet unde ſatisfaciat omnibus curioſitatibus veſtris, quomodonam ſuſcipietis? Sanè tanta hilaritate ut autumaturi ſitis, vos immiſiſſe manus in theſauros Verbi æterni, & induiſſe vultum ejus cum natura illius, juxta perſuaſionem ſerpentis, *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum* i. Tandem, Longa vita, aut continua poſſeſſio horum omnium bonorum erit veluti inſigne ſeu character Dei, cujus felicitas nullis concludi poteſt limitibus, & qui ſummis perfectione poſſidet bona infinita, nedum mali ullius inſultationem aut impetum vereatur k. E contrà illos, qui vos perſequuntur & vos oderunt, vocabitis inimicos veſtros; & idem nomen etiam dabitis infortuniis & infelicitatibus quæ vobis accidunt, abnegationi amoris proprii, continentiæ, mortificationi carnis veſtræ, ignorantiæ & ſimplicitati animi, & morti quæ veſtris limites imponit deliciis; his omnibus nomen inimicorum irrogabitis. Scio equidem. Tale eſt idioma mundi. Scitote autem, Auditores, ſi placet, quòd doctrina Chriſtiana, quam profitemini, maximas vos edocet omnino contrarias, & ait vobis, Hallucinari vos graviter. Illi enim omnes, quos veſtros nuncupatis amicos, & quos agnoſcitis non ſecus ac deos, quales ſunt adulatores, amor proprius, proſperitates hujus mundi, pulchritudo mulierum, curioſitas & ſubtilitas mentis, & longa vita ſunt falſi dii, & dii mendaces; è contrà verò illi, quos repellitis, credentes eos inimicos veſtros ut oppoſitos illis, maximi veſtri ſunt amici, & majorem procurant vobis felicitatem. [i Gen. 3. 5.] [k Pſ. 90. 10.]

Id planè ſentiebat Propheta l, cùm dicebat Deo, *Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi; doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es tu*. Heu! libera me, obſecro, ab importunitate & inſolentia crudeliſſimorum inimicorum meorum; non enim ſunt veri dii, ut mihi perſuadere conabantur, & ego imaginatus fueram, cùm omnimodam jacturam meam machinentur; ad te ſolum recurro, & executioni mandare volo adorandam *voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*, qui omnes ſinceros affectus meos jure merito exigis. [l Pſ. 142. 9. & 10.]

[Diviſio.] Ego verò oſtendere volo vobis, Auditores, hodierna die in priori parte iſtius diſcurſus, quomodo veri inimici non ſunt illi, quos mundus nuncupat inimicos, & qui nos oderunt, cùm Chriſtus in Evangelio ſuo præcipiat nobis ut amemus eos, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*. In poſteriori autem invenietis, nomen amicorum peſſimè convenire illis qui ſe tales nominant; illi enim ſunt veri inimici noſtri, & orare debemus Deum ut ab illis nos penitus liberet.

[I Pars.] Illud quod agit ut homo mercatur nomen amici, quodque illum reciproco dignum reddit amore, eſt quando procurat & teſtatur per ſuos effectus ſe deſiderare alteri bonum & proſ-

peritatem. Atqui ſi oſtendam vobis, quòd illi, qui nos oderant & nos perſequuntur, procurant nobis omnia bona, quæ poſſumus concupiſcere, nunquid non fatebimini, eos debere tenere ordinem bonorum & verorum amicorum? Eos omnes reducere volo ad duo puncta, & dico, quòd inimici faciunt nos eſſe perfectè ſapientes, & dignè deferre titulum filiorum Dei, ut dicebam vobis ſuprà. Vultiſne autem iſtud videre?

Deus eſt quaſi Aurifex, & inimici ſunt veluti malleus & lima, quibus polit nos. D. Paulus m ait duo eſſe genera vaſorum: *Aliud quidem vas in honorem. Aliud verò in contumeliam.* Quaſi diceret, quòd alia deſtinata ſint ad miniſterium menſæ, alia autem ad officium vilia coquinæ. Illa quæ deſtinantur ad officium coquinæ, magnâ non indigent induſtriâ, qualia ſunt craticulæ, ollæ, & alia hujuſmodi, nec opus eſt ut inaurentur, aut luceant; benè quidem vaſa aurea & argentea, quæ apponi debent coram Principe in miniſterio menſæ. Sicut autem actum exercuerunt amici malleus, & lima erga vas aureum aut argenteum, percutiendo illud, & illud poliendo; ita illi qui vos percutiunt & vos perſequuntur, actum amici exercent erga vos, cùm vos decorent, & reddant vos vaſa gloriæ & honoris. Hanc veritatem confirmat ipſemet D. Paulus n in perſona ſua, dicens, *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Et quare hoc magne Apoſtole? *Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.* Sed quamnam guſtare potes ſuavitatem medias inter iſtas amaritudines? *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus o, *Nam virtus, id eſt, actus virtuoſus ſeu habitus virtutis in infirmitate perficitur dupliciter. Scilicet materialiter, prout infirmitas eſt materia exercenda virtutis, videlicet humilitatis & patientiæ. Secundò, occaſionaliter, quoniam propria infirmitatis experimentalis cognitio efficit hominem ad vitia præcavenda cautiorem, & ad Divinæ Miſericordiæ implorationem magis diligentem ac humilem. Vel ſic, Virtus in infirmitate id eſt, per infirmitatem perficitur; quia contra eam pugnando, eamque vincendo augetur ac roboratur.*

m Rom. 9. 21.

n 2. Cor. 12. 10. & 9.

o Dion. Carth. a. 22. in 2. Cor. 12. 9

Promittit Deus populo Iſraëlitico quòd daturus eſt ipſi terram Chananæorum, & aliorum hujuſmodi populorum incircumciſorum, ſed præ illa conditione interpoſita, quòd *non ejiciam eos à facie tuâ anno uno* p. Iſto cumulabo te favore, ait Deus populo ſuo; ut introducam te in illam terram; verus illius futurus es poſſeſſor; ſed nolo ut Chananæi ex illa egrediantur per ſpatium unius anni. Sed quare hoc, Domine? Nunne ſatius eſſet favorem integrum largiri? Et cùm dare velis populo tuo terram ſic ſpecioſam & ita fertilem, nonne infinito devinctus eſſet tibi modo, & majores teneretur tibi gratiarum actiones rependere; ſi ipſum eximeres ab hujuſmodi infidelibus hominibus, quàm fovendo occaſiones ordinarias mutuæ diſſenſionis inter populum tuum & illos incircumciſos, quod multùm minuet oblectamentum, quo perfundendus eſſet populus tuus in terra illa? Nequaquam illud volo, ait Deus populo ſuo.

p Exod. 23. 23. & 29.

Et quare? *Ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ.* Quaſi diceret, Id ago ob emolumenta & commoda populi mei; nondum enim in magno ſunt numero, & parùm periti ſunt agriculturæ, & jure meritò timendum eſſet, ne agri evaderent ſteriles & infœcundi, & ne animalia & feræ poſſeſſionem illius ſibi vindicarent, ſi confeſtim ex ea expellerem Chananæos, nec eos ibi aliquandiu retinerem, quippe qui cuſtodituri ſunt hanc terram in bono ſtatu. Ideò appoſitè loquitur Deus, cùm ait populo ſuo, *Non ejiciam eos à facie tuâ anno uno.* Etiam, Domine; hæc eſt una ex intentionibus tuis. Sed præter iſtam, non te latet, quòd, cùm populus iſte ſtatim ac in iſtam perveniſſet terram promiſſam, indulgeret deliciis, quibus ubertim ipſum perfunderes, & profundâ inebriatus voluptate, tuî ampliùs non recordaretur, ſed omni generi vitiorum laxaret habenas, niſi ipſi relinqueres inimicos qui ipſius excitarent otium anguſtiis & perſecutionibus, & ideò apprimè dicebas ei, *Non ejiciam eos à facie tuâ anno uno.* Si enim tuo eſt loquendum idiomate, *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala* q: Quod apud Dionyſium Carthuſianum r *Quidam exponunt ſic, Expediens eſt ad exercitationem & probationem aliorum*: & ideò oportet ut habeamus inimicos, qui perſequantur & oderint nos. Nam ſi inter tot inimicos dormimus; quid ageremus, ſi nullos haberemus inimicos? Si, cùm tot homines infenſi, noſtras ſpeculantur actiones, ita ſumus negligentes; ſi inter tot cenſores, qui noſtros ad trutinam ponderant diſcurſus, ita leviter loquimur; ſi inter tot laqueos qui nobis parantur intercipiendis, ſic inconſideranter incedimus; ſi inter tot adverſarios qui noſtram machinantur ruinam & omnimodam deſtructionem, in excubiis ſopore deprimimur, quidnam faceremus, ſi nulli nos inſequerentur hoſtes? quid ageretur de nobis, niſi haberemus hos homines nobis infenſos, qui efficiunt ut attendamus orbis æquè ac ab ipſorum inſidiis & pravis affectibus?

q Matth. 18. 7.

r Dion. Carth. a. 22. in Matth. 18. 7.

Sibi jugiter attentus erat D. Paulus, & ſcribens Corinthiis s, & incipiens os aperire ad dicendum aliquid magnum & ſublime, altâ & clarâ proteſtatur voce, ſe nihil dicturum quod rectæ non ſit rationi atque veritati conſonum, *Veritatem dicam. Parco autem; ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Præambulatem peragit ſermonem, & videtur velle captata attentione circumſtantium ad audienda ea, quæ dicturus eſt ipſe mirabilia; Sed nequaquam, inquit, aliquid volo dicere. Novi enim quòd adſint homines mihi infenſi, qui me faſtus & præſumptionis inſimulabunt, ſi aliquod inſolitum enunciem, ut exponit Dionyſius Carthuſianus t, *Parco autem, ne quis ſuſpicioſus me exiſtimet erigi per tumorem ſuperbiæ, ſupra id quod videt me, aut audit aliquid ex me, id eſt, ultra famam meritorum meorum.* Ita ut æmuli & invidi efficiant ut Apoſtolus ipſe *moderatè & ſobriè gratias* referat ſibi *donatas, non omnes exprimens*, etiamſi eæ ſe illæ eſſent bonæ & ſanctæ. Sed quid egiſſes magne Apoſtole, ſi pravum aliquem ſermonem promere intendiſſes? Præſentia eorum, qui parati erant ad diſcutiendos diſcurſus tuos, conceptus tuos omnes in ore tuo continuiſſet, nedum

s 2. Cor. 12. 6.

t Dion. Carth. a. 12. in 2. Cor. 12. 6

nedum permiſiſſent ii tibi ut illos foras emiſiſſes. Sic igitur tuis obſtrictus eras inimicis, cùm inducerent te ad ponderandos & librandos juſtâ lance ſermones tuos, & dicere poteras non ſecùs ac Propheta Deo dicebat mox, *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo.* Si verò iſtud, Auditores, dicere velitis præ majori veritate, Obſervate id quod ait

u Incognit. in Pſ. 118. 98.

Incognitus u ſuper hæc verba Prophetæ, *Id eſt, mandato tuo ſic me feciſti prudentem, quòd ſuper inimicos meos animus meus inclinatur ad ipſos diligendos. Prævidebat enim Pſalmiſta mandatum Chriſti præcipientis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Sic enim ſapientes eritis *ſuper inimicos* veſtros, & magis quàm ipſi ſint. *Hæc enim dictio, ſuper, ſignificat inclinationem animi ad rem, ſupra quam eſt, ſicut dicitur, Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum & pauperum* x, ait idem In-

x ex Pſ. 40. 2.

cognitus ad propoſitum noſtrum. Cùm enim, ut diximus, odiendo vos, bonum vobis faciant, ſi permittitis ut vos oderint, prudenter agitis, & ritè veſtra diſponitis negotia. Sed difficile eſt ut non oriatur in nobis deſiderium aliquod vindictæ capeſſendæ, dicetis mihi. Vultiſne vos igitur de veſtris inimicis ulciſci? Conſentio & ego inclinationi veſtræ. Et ecce ſecretum prudentiæ, quod comparabitis vobis interventu inimicorum veſtrorum, & *ſuper inimicos* veſtros.

Quò ſuaviùs eos excipitis, & illis benefacitis, eò vituperabiliores ſunt ſi oderint vos, & malum vobis deſiderent, & eò majori ſe peccato inquinant dum vobis ſunt inimici. Velle enim malum iis qui vos malè excipiunt, videmur ad hoc naturaliter inclinari, & hæc inclinatio naturalis minuit culpam; ſed odiſſe eos qui erga nos omne genus urbanitatis exercent, iſtud eſt barbarum, eſt intolerandum, & ſupplicio dignum, & iſtud ſupplicium eveniet illis à Deo, qui meliùs illud eſt ab iis ſumpturus, quàm vos deſiderare poſſitis. Quantò igitur magis deſiderabitis ulciſci vos de inimicis veſtris, eò magis debetis illis ignoſcere & benefacere, cùm ut ſic reddatis eos digniores ſupplicio & irâ Dei. Sic ſapientiores illis eritis, & meliùs veſtra ageris negotia quàm illi. *Diligite inimicos veſtros* igitur, ſi excipere velitis eos ut tractetis, excipitis illos ut amicos, & tunc malum, quod illis irrogabitis, ſuper vos relabetur.

Bonum ergo eſt quod procurant vobis, dum vos ſapientes efficiunt, & ſapientiores quàm ſint ipſi. Sed iſtud nihil eſt, comparatum alteri emolumento, quod inde reſultat vobis, *Ut ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt.* Nihil enim digniores hâc eminenti qualitate filiorum Dei adoptivorum poteſt vos reddere, quàm veſtrorum dilectio inimicorum. Hanc veritatem Ethnici ſolo lumine rationis naturalis illuſtrati confeſſi ſunt, cùm ab ipſis magnus ille Imperator Octavius, non obſtantibus infinitis præclaris facinoribus, quibus fuerat perfunctus, quæ varios ipſi titulos eminentes conciliare poterant, vocatus eſt Auguſtus, & Pater patriæ, propter nullam aliam rationem, quàm quia injurias ſibi irrogatas ab aliis non ulciſcebatur. Et ille appoſitè locutus eſt, qui nuncupavit eum qui injurias ſibi illatas condonat, *Simillimum Deo*, cùm nihil ſit glorioſius Magnatibus impunè læſis. Quod con-

y D. Aug. ſerm 16. de verb. Dom. c. 4.

firmat D. Auguſtinus y, dicens, *Glorioſum eſt injurias oblviſci.* Et Gloſſa Ordinaria z ait, *Hoc de filijs iræ, facit filios Dei.* Unde fit

z Gloſſ. Ord. in Matth. 5. 44. ex Epheſ. 2. 3.

etiam ut Chriſtus in patibulo Crucis conſtitutus, Patrem ſuum ſub diverſis alloquatur titulis, & querens videre ſe derelictum, ait illi, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* a? Et tamen deprecans eum ut ſuis parceret inimicis, vocat illum Patrem ſuum, *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt* b.

a Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.

b Luc. 23. 34.

Ha! Auditores, Salvator apprimè noverat ſecretum: indigens enim auxilio, ipſe erat quaſi creatura quæ recurrebat ad Creatorem ſuum, & ad Deum ſuum: *In omnibus enim membris patiebatur, & propter complexionis ſuæ teneritudinem erat ſummè paſſibilis, & perceptivus doloris. Dicit autem ſe Chriſtus à Deo derelictum, non quòd privatus eſſet gratiâ, vel gloriâ, ſed quia tum graviter patiebatur ac ſi peccator, & à Deo contemptus fuiſſet, & quoniam voluntati impiorum expoſitus fuit, & quia nulla fiebat pro tunc redundantia conſolationis, & alleviationis à ſuperiori parte animæ Chriſti, in partem ejus inferiorem*, ait Dionyſius Carthuſianus c.

c Dion. Carth. a. 4. in Matth. 27. 46.

Sed ſuis parcens inimicis, actum agebat Dei, & in hâc actione non poterat Patrem æternum vocare Deum ſuum; non enim erat ipſe minor eo, *Ego & Pater unum ſumus* d. Sed debebat eum vocare Patrem ſuum: ut talis enim, id eſt, ut Pater, non eſt major aut perfectior ipſo. Sed verumne eſt, Auditores, quòd venia injuriarum nos facit auguſtos, glorioſos, ſimiles Deo, & filios Dei? Et quid expectamus ut aſpiremus ad titulos ſic excellentes? Ut quid ſic exilem recuſamus difficultatem, ſi ita excelſam & ſic amplam ſperamus mercedem? Cùm poſſimus eſſe *filij Patris qui in cælis eſt*, quis nolit eſſe filius ejus? quis hoc glorioſo potiri renuat privilegio? Velletis quidem eſſe filij Regum temporalium. Sed eſtne comparatio admittenda inter filium Principis terreni & filium Dei, qui talis eſt per gratiam, quique talis futurus eſt aliquando per gloriam?

d Jo. 10. 30.

Dicetis mihi forſan, non eſſe rem quam ita ardenter concupiſcere debeamus, ac iſtam filiationem Dei; cùm iſtum poſſideamus titulum, quatenus ſumus creaturæ ejus; ſi autem vult ut habeamus eſſe, fieri non poteſt ut ipſe non ſit *Pater noſter* e. Oportet ut nos conſervet, nos ſuſtineat, & nos alat eo modo, quo ſe gerit erga animalia, & cæteras creaturas. Etiam. Sed præter iſtud Dominus noſter promittit vobis ut poſſitis eſſe *filij Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Omnes creaturæ ſunt filiæ Dei, qui ubique eſt per præſentiam, per potentiam, & per eſſentiam, *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* f? Sed eſſe *filij Patris, qui in cælis eſt*, caſtis eſt reſervatus iis qui irrogatas ſibi condonant injurias, & ſuos diligunt inimicos: ſic enim ſunt *filij Patris*, quatenus glorioſus eſt, prout *gratiam & gloriam* g paradiſi dat. Vos autem vocabitis privilegium illud commune? Vos verò credetis, quòd hæc hæreditas cœleſtis vobis ſit acquiſita ab utero matris veſtræ? Et vos putabi-

e Matth. 6. 9.

f Jer. 23. 24.

g Pſ. 83. 12.

tis, quòd indignum ſit ambitione veſtrâ, ut efficiamini *filij Dei*; *ſi autem filij, & heredes*; *heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti* h? Quaſi verò hæc auguſta qualitas vobis deberetur? (h Rom 8. 16. & 17.) Hallucinamini graviter: niſi enim condonetis injurias, vos eſtis filii adulterini Dei: Vos eſtis filii Dei, ſed filii tantùm naturales: ipſe enim eſt qui dedit vobis eſſe naturæ, quod poſſidetis, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* i. Sed ſi nihil aliud habeatis, dico vos eſſe filios naturales & adulterinos Dei; Deus enim (i Act 17. 28.) hoc modo produxit vos, & eruit vos è ſinu omnipotentiæ ſuæ, quæ eſt mater veſtra, ſicut & omnium creaturarum; ſed omnipotentia Dei eſt velut una ex ancillis Dei, una eſt quaſi è viliſſimis ejus domeſticis, de ea peragit ipſe quidquid vult, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis* k. Si verò non ſitis filii niſi per omnipotentiam Dei, dico denuò quòd eſtis *ancillæ filij* l, ſicut (k Pſ. 134. 6. l Gal. 4. 31.) Iſmahel erat *filius ancillæ* m Agar, quæ non erat ſponſa, ſed tantùm concubina Abrahæ, & conſequenter adulterini filii Dei eſtis, ſicut Iſmahel (m Gen. 21. 10.) adulterinus erat filius Abrahæ. Si autem velitis collocari inter filios legitimos Dei, debetis gigni ab eodem Deo, ſed parturiri à meliore matre, quæ eſt charitas. Hæc eſt domina Dei, hæc eſt ſponſa Dei, hæc eſt dilecta Dei; & ſi vultis ut agnoſcant homines, vos eſſe filios legitimos Dei, & quòd habetis unde aſciſcere poſſitis vobis hæreditatem cœleſtem, exhibete vos genitos eſſe à Deo & à charitate ſimul, & non à ſola omnipotentia, diligendo *inimicos veſtros*, condonando offenſas, & obliviſcendo injuriarum: Hæc enim ſunt lineamenta, quæ in veſtra videre volo facie, ut vos nuncupem veros & legitimos filios (n Gen. 21. 8.) Dei ut alios Iſaacos n. E contrà verò ſi præ vobis deferatis inſcriptionem Iſmahelis adulterini filii Abrahæ, *Manus ejus contra omnes, & manus* (o Gen. 16. 12.) *omnium contra eum* o: quid dicere poſſum de vobis, niſi vos eſſe Iſmahelitas contentioſos, inquietos, & malè affectos adinvicem, detrahentes nobilitati & generoſitati *Patris veſtri qui in cœlis eſt*, ut adhæreatis ignobilitati & puſillanimitati matris veſtræ quæ eſt ancilla, & indigna progenie tali qualis eſt veſtra?

(II Pars.) Si autem tantum debeatis iis, quos veſtros dicitis inimicos, ſi tantum vobis cauſant bonum, & illis ſic eſtis vos devincti; nonne reprehenſibiles eſtis, eò quòd nuncupetis eos inimicos veſtros, velitis eis malum, & à veſtro procul illos amandetis affectu? Mutate, ſi placet, idioma, ſi loqui velitis præ veritate, & dicite, quòd veri inimici veſtri ſunt ii, qui ſe veſtros prædicant amicos, qui vobis adulantur, quos minoris æſtimare debetis, quorum occaſione hanc Deo præſentare debetis ſupplicationem, *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus* (p Pſ. 142. 9. & 10.) *meus es tu* p. Dicebam vobis, quòd decepti homines mundani ſuos tanti æſtiment amicos, ut eos veluti deos venerentur, & hoc eſt quod vobis probo.

Propriè loquendo ſummus *Spiritus eſt* (q Ioan. 4. 24.) *Deus* q. Cujus præſentiâ beatum efficere poteſt hominem, *Hæc eſt autem vita æterna,* (r Jo. 17. 3.) *Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* r. Atqui amici mundi tales ſunt ut videatur vobis eorum præſentia debere vos beatos reddere: Ideò amici mundi tenent apud vos ordinem deorum. Verùm enim verò agitis cum amico veſtro, ſicut creatura ſe gerit erga Deum ſuum; & ille ſe habet vobiſcum eo modo quo Deus erga ſuas creaturas. Nonne verum eſt, quòd ſi habeatis amicum, veſtrum ei aperitis cor, veſtrum manifeſtatis ei conceptum, veſtra communicatis illi conſilia? ſi aliquâ afficimini lætitiâ, efficitis, ut illius ſit particeps: ſi aliquid perpetiamini moleſti, recurritis ad illum: ſi aliquis offendat vos verbo, aut effectu, non priùs cubitum pergitis quin illius muniatur amicus: ſi comedatis, cibum capeſſitis cum amico: ſi anguſtiemini aliquâ neceſſitate, ſperatis quòd ex ea ſit vos erepturus amicus: ſi habeatis inimicos, illos eſt exterminaturus amicus veſter. Tandem, Totum eſtis amicis veſtris, & amici veſtri ſunt totum veſtrum. Nonne hæc eſt agnoſcere eos ùt deos veſtros? Nunquid non iſtud eſt exhibere vos vaſſallos eorum; ſicut omnes creaturæ *in ditione ſunt* s poſitæ Dei? (s Eſth. 13. 9.)

Quid autem faciet amicus veſter ut hunc titulum Dei ſibi aſciſcat in æſtimatione veſtra? Veſtras laudabit intentiones, veſtra approbabit conſilia, de veſtris gaudebit voluptatibus, illum veſtrorum tædebit dolorum; æquo libentique ſociabit ſe vobis animo, & in ludo, & in menſâ, & in cubili; pollicebitur ſe vobis auxiliaturum eſſe in neceſſitate conſtitutis; ſuum offeret vobis brachium æquè ac enſem ſuum adverſus omnes eos qui inſurrexerint contra vos. Tandem, Directè, vel indirectè dicet vobis, quòd ab ipſo pendeat veſtrum eſſe, & veſtrum benè eſſe, & veſtra immortalitas. O amici mundi quàm deſiderabiles eſſetis, ſi veraces eſſetis! Quàm bonum eſſet vobiſcum converſari; ſi à vobis dolus & fallacia exularent! At vereor, ſed non metuo: illud enim eſt mihi pro certo, quòd eſtis vos falſi dii, & dii larvati; & dico, Auditores, quòd amici veſtri ſunt homines inſolentiſſimi & diſſolutiſſimi omnium: maximæ enim diſſolutiones perpetrantur aliquibus hebdomadibus bachanalibus: tunc enim ordinariè duntaxat larvas ſeu falſos induunt vultus homines, ſed amici mundani omni tempore larvati incedunt, larvas ſeu falſam faciem toto anno præ ſe ferunt. Quantâ percuſſi eſtis cæcitate! quàm levis eſtis credulitatis! *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor* t. (t 1. Reg. 16. 7.) Videtis faciem amici veſtri ridentem, & imaginamini cor illius faciei ejus eſſe conforme; ſed nonne ſcitis, quòd *pravum eſt cor hominis & inſcrutabile*? Et quòd ſolus eſt *Dominus ſcrutans cor, & probans renes* u? Et quòd exhibitiones obſequiorum, (u Jer. 17. 9. & 10.) reverentiæ, & proteſtationes exteriores, quas amicus veſter facit vobis fidelitatis ſuæ, quam aſſerit futuram inviolabilem, hæc omnia non ſunt niſi larvæ, & opercula perfidiæ ipſius, & invidiæ, quâ ipſe tabeſcit adverſum vos? Hæ amicitiæ mundi non ſunt ampliùs ita puræ ut amet quis ſine proprii intuitu commodi. Si amicus tuus non videret te pinguiorem ſe, ſummoperè caveret ne prædicaret ſe amicum tuum; niſi aliquod experiretur ipſe com-

commodum, tuâ fultus amicitiâ, tibi ſic fortiter non adhæreret; ipſi dominatur proprium commodum, non verò amicitia, quâ te proſequitur; idcircò ſi inter ſpecioſas omnes proteſtationes ſuas accideret tibi aliqua infelicitas, immodicam proculdubio reperires differentiam inter hujuſmodi proteſtationes & effectus qui illas ſequi debuiſſent. Tu verò iſtos nuncupas deos? Tu vis habere duos felicitati tuæ perfidos atque injurioſos? Tu vis agnoſcere deos diſſimulatos? Tu vis venerari deos mendaces? Ha! intoleranda eſt penitus hæc cæcitas.

Video equidem vos dicturos mihi, Auditores, quòd omnes amici non ſunt tales, quales vobis repræſento, & quòd inter eos multi inveniuntur fideles & veri. Cautam præſtatis primò cauſam veſtram, & deinde eorum omnium, quorum electionem egiſtis ut verorum amicorum. Benè quidem. Illorum vituperare nolo fidelitatem, & veſtram veneror prudentiam in eligendis illis. Non me latet, inter eos inveniri poſſe bonos, & credo neminem ex vobis fuiſſe deceptum in æſtimatione habita de amicis ſuis; ſed tamen ſinite ut dicam vobis, quòd ſuppoſito quòd vobis ſint tales, quales illos deſideratis, & quòd effectus eorum conveniant verbis ipſorum, vera amicitia non eſt illa, quâ proſequi vos ſimulant; ſi enim vos benè diligunt, deſiderare debent & procurare veſtrum bonum; veſtrum bonum eſt ut ſitis perfecti & irreprehenſibiles: ut efficiant vos perfectos, ſi vobis boni ſunt amici, veſtros vobis liberè debent manifeſtare defectus, pravo veſtro adhærere non debent conſilio, malam veſtram approbare non debent vitam, avertere vos debent ab occaſionibus offendendi Dei; non debent vereri ne diſpliceant vobis, cùm agitur de corripiendis vobis vitiorum veſtrorum; aliuquin defectu hujus correctionis, damnationem veſtram moliuntur; ſi autem ſocios ſe vobis & adjutores jungant in amplectendis cauſis veſtris, in ulciſcendis injuriis vobis irrogatis, & in fovendis diſſenſionibus initis cum inimicis veſtris, veſtram profligant animam æquè ac ſuam; & niſi ſuam mutent amicitiam in ſanum procedendi modum, vos faciunt incurrere inimicitiam Dei. Vos autem iſtos appellatis amicos veſtros? Et vos hæc prava & pernicioſa officia, quibus illudunt vobis, veram & ſolidam nuncupatis amicitiam? Ha! ſcitote eam eſſe inimicitiam omnino formatam, & quòd multum proficietis ſi citò dicere poſſitis Deo cum Propheta, *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi.* Graviter deceptus eram, ratus eos amicos meos, qui majus mihi irrogant detrimentum; & è contrà illos nuncupabam inimicos meos, qui majus mihi inferunt emolumentum. Effice, Domine, ut agnoſcam fallacias illorum, & ne permittas ut eorum adulatio & conniventia meam machinetur deſtructionem, alioquin omnibus illis renuncio amicis, & illos reputo cunctos inimicos. Sed prætereà, Domine, demulce mihi cor, aperi mihi oculos, & effice ut perſuadeam mihi, eos, quos meos autumabam inimicos, quique me oderunt, eſſe meos veriſſimos amicos, cùm inducant me ad attendendum mihi, perfectum me reddant, meque in numero tuorum collocent filiorum. Volo ex nunc pellem mutare, illos impoſterùm propitiis intueri volo oculis, eos diligere volo ex toto corde meo, iis volo benefacere, quantùm potero, priſtinam cum eis renovare volo ſocietatem; cùmque velis ut eis ignoſcam, *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Oſtende mihi quomodo obedire tibi debeam quoad iſtud punctum: licèt enim ſciam quòd alia tua *mandata gravia non ſunt* x, in hoc ſingularem invenio difficultatem exercendo; hoc eſt difficillimum totius militiæ ſpiritualis ac condonare injurias, remittere offenſas, & diligere *inimicos*; hoc in occurſu vires utplurimùm nobis deſunt, ideò tuum imploramus ſubſidium; & obſecramus te ut tuum nobis impendas adjutorium: ex nobis ſolis enim non poſſumus nobis proponere diligere eos; & niſi ipſe nobis diceres, quòd talis eſt tua voluntas, & niſi nobis certò conſtaret, quòd nolis aliquid impoſſibile, illud mandatum nos reputaremus inobſervabile: ſed, Domine, ut obediamus tibi, quidnam non ageremus? ut tibi complaceamus, quaſnam non ſuperaremus difficultates? quaſnam injurias & offenſas æquo & libenti non condonaremus animo, cùm pro mercede nobis impendendâ pro venia hujuſmodi, nobis pollicearis te nos adoptaturum eſſe in filios tuos per gratiam tuam in hoc mundo, & per gloriam tuam in altero ſeculo? x 1. Ioan. 5. 3.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.
Matth. 4, 1, &c.

ILLI qui priſcis temporibus intereſſe ſoliti erant primis ſacrificiis celebrandis, illiſque peragendis incumbere, præcipiebant omnibus profanis ut illinc recederent, mediâ præconis voce,

Procul hinc, procul eſte profani.

Inde fit ut etiam hodiernâ die Sacerdos jam jam oblaturus Patri æterno Sacrificium Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti Filii ipſius, Domini noſtri, altâ voce dicat, *Surſum corda.* Et ei reſpondetur, *Habemus ad Dominum.* Quaſi diceretur, quòd omnes illi qui huic adorando interſunt Sacrificio, cor habent elevatum ad Deum, & non ſunt profani. Hæc motiva inducunt me ad dicendum profanis ut exeant, cùm loquendum habeam de ſummo Sacerdote Jeſu Chriſto, qui eſt *Sanctus Dei* a. a Marc. 1. 24.

 Scili-

Scilicet origo ſanctitatis, & ut ait Dionyſius Carthuſianus b, *Sanctus ſanctorum, & Chriſtus in Lege promiſſus, per excellentiam Sanctus vocatus, de quo Daniel, Ungatur, inquit, Sanctus ſanctorum.* [b Dion. Carth. 2 in Marc 8.24. ex Dan 9, 24.] Principium totius ſanctitatis, diſcurſu cujus illi ſunt indigni, ejuſque incapaces. Verum eſt, dicturos vos mihi, quòd ego profanus ſim æquè ac cæteri; ſed ne ſim talis, B. deprecabor Virginem ut impetret mihi hanc qualitatem ſanctitatis, quam denegat mihi natura, ideòque dicam ei, *Ave Maria.*

Cùm aliàs Orator aut Philoſophus quidam profanus, nomine Simonides, diſcurrere teneretur de magnitudinibus Divinitatis coram Principe Ethnico, & plures popoſciſſet tempus ut pararet ſe ad celebranda illius præconia, tandem coactus eſt fateri, Divinitatem fuiſſe abyſſum inextricabilem, & magnitudines immenſas illius qui principio caret æquè ac fine c, ab hominibus [c Baruch. 3 25] non potuiſſe enarrari. Ego vero eadem compellor exhibere teſtimonia Filio unico Dei, & fateri, quòd auguſtæ qualitates, quas poſſidet, prout eſt *ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* d, dignè non poſſunt explicari. [d Hebr. 6 20. ex Gen 14. 18. & ex Pſ. 109. 4] Theologia Platonis docebat ut maximam certam, quòd creaturæ multò perfectiores eſſent in ideis ſuis, quàm in ſeipſis; quia cùm eſſent ſeparatæ à materia, immunes erant etiam ab omni genere imperfectionum. Hæc doctrina non multùm diſtat à Theologia Chriſtiana, quæ agnoſcens, quòd omnes creaturæ vivunt in Deo, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* e, fatetur quod ipſæ poſſideant in Deo eſſe perfectius quàm [e Io. 1 4] habeant in ſemetipſis; unde fit ut creaturæ caducæ ſint æternæ. Quòd dicitur de Divinitate, dici poteſt hodiernâ die in perſona Jeſu: nam verum eſt, quòd qualitates, quæ magni non ſunt momenti ex naturâ ſuâ in hominibus, adorantur in Chriſto, qui vocatur à D. Paulo ut ſuprà, *ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Et ab eodem Apoſtolo ſacerdotium ipſius extollitur ſupra ſacerdotium cæterorum hominum propter tres magnas rationes. Prima eſt, quia unctus fuit & conſecratus in ſinu B. Virginis Matris ſuæ à Patre ſuo æterno: id claris exprimit David f verbis, cùm illi ait, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* [f Pſ. 44. 8] Quæ repetitio non eſt inutilis; *Deus, Deus tuus.* Id eſt, Pater tuus. In æternitate ipſe Deus eſt, ſicut Pater; *Ego & Pater unum ſumus* g. Character pontificatus ipſius eſt Divinitas ipſa; ſed in tempore ipſe inferior eſt Patre ſuo. [g Ioan. 10 30.] Qualitas Patris Jeſu magis ipſum extollit, quàm qualitas Dei. Qualitas Dei habet pro termino omnes creaturas, quatenus illarum Creator eſt; ſed qualitas Patris Jeſu habet pro termino Filium, qui eſt Deus; & iſte Filius Deus, in tempore eſt ipſi ſubditus & inferior, *Pater major me eſt* h. *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me* i. [h Ioan. 14. 28.] [i Io. 6. 38] Qualis gloria, habere Deum ſubditum! Qualis pontificatus, qualis unctio; quanta conſecratio peracta à Patre æterno, cùm character iſte ſit ipſa Divinitas, è qua fluit omne pretium & omnis valor meriti quod *non habet finem* k. [k Baruch 3. 25.] Quodque procedit ex humanitate ſacra Jeſu unita hypoſtaticè perſonæ Verbi Divini! Hanc Pater æternus ſolemni jurejurando confirmavit conſecrationem, & profitetur futurum ut illius non ſe pœniteat, *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* l. [l Pſ. 109. 4.] Intuitum Deum malitiam hominis, pœnitet feciſſe eum, ſi ita loqui fas eſt, *Pœnitet me feciſſe eos* m, loquendo de hominibus primorum ſeculorum. [m Gen 6 7.] Et agnoſcendo quòd Saul à Divinis recederet Voluntatibus, præ ſe veluti tulit pœnitudinem quòd eum ſuper thronum Iſraël extuliſſet, *Pœnitet me quòd conſtituerim Saul Regem* n. [n 1 Reg. 15. 11. &c.] Sed ipſum non pœnitet quòd Jeſum conſtituerit ſummum Sacerdotem. Sicut tres fuerunt Leges differentes, ita tres fuerunt conſecrationes. Prima erat voluntaria; & in Lege naturæ o quicunque volebat eſſe Sacerdos, aſciſcere ſibi poterat ſacerdotium; [o Gen. 4. 4.] nihil in ea erat ſtatutum quantùm ad victimas, & quantùm ad Sacerdotes. In Lege ſcriptâ Sacerdotes erant conſecrati natalitiis ſuis, & primogeniti tribus Leviticæ deſtinati erant ad ſacerdotium p. In Lege Evangelicâ q character noſter eſt quædam qualitas animabus noſtris impreſſa virtute Sacramenti Ordinis, quæ [p Deut. 21. 5.] [q Jo. 20. 22. & 23.] deleri non poteſt tempore, aut æternitate, ita ut futura ſit differentia inter Sacerdotem & Regem in cœlo, aut in inferno, quò iſtum deferemus indelebilem characterem. Sed licèt ſit magnus, ſociari tamen poteſt peccato, quod non abripit nobis characterem, qui non eſt niſi accidens in nobis; ſed Jeſus eſt indutus charactere ſuo, qui eſt ipſa Divinitas, & ſic eſt impeccabilis.

Secundò, Sacerdotium aliorum Presbyterorum non durat ſemper. Sacerdotes non ſunt in cœlo ut Sacerdotes, ſed ut miniſtri & ſervi. Non habemus ſacerdotium temporaneum & tranſitorium; quàmvis enim character noſter ſit indelebilis, ſacerdotium tamen noſtrum non poteſt ſemper durare; ceſſamus eſſe Sacerdotes, cùm deſinimus eſſe homines, & cùm anima à noſtris ſeparatur corporibus: oportet enim ut Sacerdos & Sacramentum quod ipſe peragit, conformentur adinvicem: atqui in Sacramento eſt corpus & ſpiritus; & ideò Sacerdos debet habere animam & corpus, quòd cùm non ſit amplius poſt mortem ipſius, non eſt ipſe ampliùs Sacerdos; inde fit ut inter Sacerdotes admittatur ſucceſſio: Atqui Jeſus Chriſtus eſt *ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* r. [r Hebr. 6 20.] Et ut ſic æternum Deo Patri offert ſacrificium, ut explicat Dionyſius Carthuſianus s, *Non ad tempus duntaxat, ut Aaron, cujus ſacerdotium erat temporale ac typicum, Chriſti autem ſacerdotium eſt verum ac æternum.* [s Dion. Carth. 2. 5. in Heb. 5. 7.] *Nam & ipſe ſemper vivit ad interpellandum pro nobis* t, *oſtendens Patri latus ac vulnera, introducitque nos in beatitudinem patriæ, in quâ offert nos Deo hoſtiam ſempiternam, perfectam atque gratiſſimam.* [t ex Heb. 7. 25.] Juges pro nobis offert Deo preces, & cùm in æternum vivat, quippe qui æternum poſſideat Sacerdotium, nullos habet ſucceſſores; quoad verò id quod nos ſpectat, qualitatem induimus nos non ſucceſſorum ejus, ſed miniſtrorum illius tantùm, ut ait Apoſtolus x, *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* [x 1. Cor. 4. 1.]

Tertiò, Alii Sacerdotes offerunt priùs ſacrificia pro ſemetipſis, & pro expiatione peccatorum ſuorum, cùm ſint impuri, ut evadant mundi; cùm ſint mali, ut efficiantur juſti: Chriſtus autem cùm ſit totius origo ſanctitatis, ſacrificia offert pro peccatorum ſceleribus expiandis ſolis, non pro ſuis quæ nulla erant. *Ta-*

lis

lis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus; qui non habet neceſſitatem quotidie (quemadmodum Sacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſe offerendo y. Sacerdotium igitur ejus elevatum eſt his tribus rationibus ſuper alios Sacerdotes Legis naturæ, & Legis Scriptæ. Pontifex ergo eſt, & qualitates exercet Pontificî proprias quæ ſunt tres, quæ triplicem diſcurſus hujus partem conſtituent. Prima eſt miſericordia per ſuam compaſſionem. Secunda eſt fidelitas per ſuam innocentiam. Tertia potentia per auxilium ſuum, *Debuit per omnia fratribus ſimilari; ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur, auxiliari* z.

y Heb. 7. 26 & 27.
Diviſio.
z Hebr. 2. 17.
I. Pars.

Prima qualitas Pontificis in hoc ſita eſt *ut ſit miſericors*, quò poſſit compati. Alii Sacerdotes ſunt Sacerdotes tantùm; ſed Jeſus eſt Sacerdos & hoſtia. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* a, compaſſus miſeriis noſtris. Quis autem unquam meliùs compaſſus eſt quàm ille, cùm voluerit habere *Corpus* b, ut ſciret id per praxim, quod ipſe anteà non noverat niſi per ſpeculationem? In Lege c antiquâ Sacerdotes quærebant victimas in gregibus, & Deus aliqua elegerat animalia d figuras Filii ſui, ut ſibi in ſacrificium offerrentur: ſed in novo Teſtamento ſubminiſtratur nobis victima, quam offerimus, quæque ſemetipſam offert manibus noſtris Patri æterno f, ad ſublevandas infirmitates noſtras, quæ non eſt alia niſi Jeſus Sacerdos & hoſtia ſimul. Sed difficillimum eſt ſcitu, quomodo Jeſus eſt Sacerdos & victima, & quonam pacto ſemetipſum immolavit, cùm non lateat nos, quòd ad inſtantiam Judæorum petentium ut crucifigeretur, poſtquàm *Pilatus Ieſum flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur, milites ſuſcipientes Ieſum, crucifixerunt eum* g. Si dicamus, cum fuiſſe uſum ſævitiâ illorum ad perficiendam actionem ita ſanctam præ pura compaſſione, quâ erga noſtras afficiebatur miſerias, & hoc modo eum eſſe Sacerdotem & victimam, idem honos eſt tribuendus Martyribus. Ut hoc intelligatur. Sciendum eſt, quòd Jeſus eſt Sacerdos alio modo quàm ſint Martyres. Mortem tenebantur oppetere Martyres ad operandam ſalutem ſuam, quia *majorem hàc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* h. Jeſus autem non tenetur niſi per charitatem & per compaſſionem, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* i. Martyres ſuam non poterant impedire mortem, miracula patrare non valebant; Jeſus autem declinare poterat à morte; ipſe qui in horto Gethſemani unico hoc verbo, *Ego ſum*, fecit quòd milites & miniſtri ad ipſum apprehendendum miſſi, *abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram* k. Poterat quidem vim impedire carnificum. Præterquàm quòd vivere adhuc poterat inflicto ſibi mortis ictu. Si autem moritur, ideò ut nobis vitam præ compaſſione impertiatur.

a Eph 5. 2
b Heb. 10. 5. ex Pſ. 39. 7.
c Lev c. 1. & ſeqq.
d Lev. c. 10
e Jo. 1. 29
f Matth. 26. 26. & 27.
g Matth. 27. 22. &c.
h Jo. 15. 13.
i Iſai. 53. 7
k Jo. 18. 6

Si verò Filius Dei ſacrificet ſe ſuper altaribus noſtris præ compaſſione quâ erga noſtras afficitur miſerias, per manus Sacerdotum, qui ſunt miniſtri ipſius, iidem Sacerdotes nihil impendunt ad efficaciam Sacrificii; totum meritum Sacrificii oritur è Chriſto; & ita verum eſt, quòd nihil impendimus ad efficaciam Sacrificii, quod Filius Dei compaſſus miſeriis noſtris, offert Patri ſuo æterno per miniſterium noſtrum, ut nulla ſit differentia intèr Miſſam mali Sacerdotis & Sacrificium boni Presbyteri; etiamſi ille pejor eſſet dæmone, & malitiæ totus eſſet immerſus, iſte verò ad Angelicam propè accederet puritatem per ſanctitatem vitæ ſuæ; conſecratio ejus eſt tamen bona, Sacrificium ipſius eſt ſanctum; Jeſus autem mediis duobus Sacrificiis, quæ obtulit Patri ſuo æterno, compaſſus infirmitatibus noſtris, ſatisfecit juſtitiæ ejus & miſericordiæ illius pro peccatis noſtris, & noſtra ſolvit debita. Prius Sacrificium eſt Crux; quo oblato, nihil debeo ampliùs juſtitiæ Patris æterni. Poſterius Sacrificium eſt Miſſa, cujus interventu & beneficio ſatisfacio miſericordiæ ejus, gratias agendo ei pro eo, quòd ipſe *ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitũ daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* l. Quò enim majores ſunt gratiæ, eò ampliores eſſe debent gratiarum actiones.

l Jo. 3. 16

Unigenitus Filius in ſinu Patris m, *miſericors* n erat quoad effectum, non quoad affectum; compaſſione non ducebatur, dolere non poterat intuitu jacturæ omnium hominum, quæ accidit tempore diluvii univerſalis o, aut propter deſolationem tot innocentium qui poterant eſſe Sodomæ & Gomorrhæ, dum civitates iſtæ conflagrarent p, aut ob mortem omnium primogenitorum Ægypti q, quia non habebat cor carneum. Potuiſſet quidem, ſi voluiſſet, naturam induere Angelicam, ſed miſericordiam non habuiſſet ſitam in compaſſione erga miſerias humanas; ideò *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit* r. Sic ex tunc ſalus, quam concupiverat mulieri Samaritanæ, ſitim ejus accendit, *Da mihi bibere* s. Magdalena veniam extorquet ab illo, *Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata; vade in pace* t. Jeroſolymis imminens infortunium illum ad lacrymas ciet, *Videns civitatem, flevit ſuper illam* u. Lazarus mortuus inducit illum ad ſuſpiria, *Lacrymatus eſt Jeſus* x. Quid facit hoc? Nulla alia ratio iſtius eſt, niſi quia ipſe *miſericors Pontifex* eſt, & ſic compaſſione afficitur erga ſublevandas omnes miſerias noſtras.

m Jo. 1. 18
n Pſ. 110. 4.
o Gen. 7. 21 &c.
p Gen. 19. 24 & 29.
q Exod. 12. 29.
r Hebr. 2. 16.
s Jo. 4. 7.
t Luc 7. 48 &c.
u Luc 19. 41.
x Jo. 11. 35.

Ex his verbis Apoſtoli, *debuit per omnia fratribus ſimilari*, Lutherus, Calvinus, & Hæretici concludunt, Si in omnibus ſimilis factus eſt *fratribus* ſuis: ergò peccatum habuit, & ignorantiam. Reſpondeo eum fuiſſe illis ſimilem in eo quod ſpectat ad naturam: atqui peccatum & ignorantia non ſunt in natura in ſemetipſa conſideratâ: peccatum non habet cauſam efficientem, ſed deficientem: ſimilis ſuis *fratribus* prout hominibus: atqui peccatum non eſt naturale homini: Deus non fecit hominem cum peccato: ſed ſimilis eis quoad miſerias & infirmitates, ita ut, quò miſericordior eſſet, & meliùs nobis compateretur, nobis ſimilis eſſe voluit: hoc enim debet Pontifex præ ſe ferre *ut miſericors* ſit: hæc eſt qualitas quæ ei eſt propria, & ab eo debet eſſe inſeparabilis.

Quæritur quare Chriſtus dederit *claves regni cœlorum* y D. Petro, conſtituens eum Vicarium ſuum, potiùs quàm elegerit aliquem alium ex Apoſtolis ſuis. D. Andreas frater ejus, erat illo major natu; prior eo vocatus fuerat z: D. Joannes erat virgo, amabilis erat, propinquus erat illius a; & tamen Petrus copulatus fuerat conjugio,

y Matth. 16. 19.
z Joan. 1. 40 &c.
a Matth. 12. 46.

b Matth. 8. 14. c Joan. 18. 27. jngio b, puſillanimus erat futurus, & ipſum Dominum ſuum negaturus c. Reſpondetur, propter hoc etiam fuiſſe à Chriſto cæteris præpoſitum. Debebat eſſe Pontifex, & ut talis, debebat diſcere compati, ne peccatores qui laberentur in aliquod peccatum, in deſperationem induceret, ſed propriâ experientia peritus effectus, eis compateretur, & illos miſericorditer exciperet, *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties* †. Sic

† Matth. 18. 22. D. Paulus peccatores inducit ad collocandam ſpem ſuam in miſericordia ejus, *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ* d. *Unus enim mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* e. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret.* Quia eſt homo, & cor habet humanum ad compaſſionem natum. In cœlo habebat miſericordiam quantùm ad poteſtatem ſuccurrendi nobis, ſed non habebat compaſſionem, quia non erat homo qui afficeretur erga miſerias noſtras.

d Hebr. 4. 16. e 1. Tim. 2. 5. & 6.

II. Pars. Secunda qualitas, quam præ ſe ferre debet Pontifex, ſita eſt in fidelitate per innocentiam & ſanctitatem, *Ut fieret fidelis Pontifex ad Deum.* Si judicandum eſt de magnitudinibus Dei juxta ſententiam ſubtiliſſimorum hominum, qui illius comparaverint ſibi notitiam, teneor concludere, quòd innocentia & ſanctitas earum omnium eſt excellentiſſima, cùm Cherubim & Seraphim, qui hoc inſigniuntur honore ut propiùs eum adeant, & majores illius habeant cognitiones quàm habeant alii ſpiritus beati, ſacrum triſagion coram Divinâ ipſius Majeſtate jugiter concinant, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum* f. Jeſus Chriſtus igitur *ſanctus* eſt & *innocens*, ut dixit ſuprà Sanct. Paulus, ob Conceptionem ſuam, quæ ſancta eſt: non enim ſuam carnem traxit è carne Adæ, nec viâ conceptus fuit hominum ordinariâ: quod cùm ita ſit, Conceptio ejus non poteſt eſſe niſi ſancta, cùm immunis ſit ab his duabus circumſtantiis, quæ ſunt fundamentum peccati originalis. Verum quidem eſt, quòd prior non eſt maximi momenti: ea enim, quæ eſt origo totalis peccati originalis, eſt poſterior, quia ſi fieri poſſet ut virgo aliqua pareret, etiamſi filius ejus ſuam tracturus eſſet carnem è carne Adæ, modò non gigneretur ille per viam ordinariam, non contraheret ille maculam originalem. Sed quidquid ſit de hac re, Chriſtus immunis eſt ab his omnibus, *Sanctus* eſt per Conceptionem ſuam modo ſpeciali; & ſuppoſito quòd non eſſet *Sanctus* prout Dei Filius, talis eſſet ut homo per ſuam Conceptionem.

f Iſai 6. 3.

Infortunium hominum ac generari in hoc mundo cum peccato! tamen in hoc infortunio eandem habent in conceptione ſuâ felicitatem, quam Chriſtus in ſua, loquor de conceptione ſpirituali, quæ fit in illis in Baptiſmo: in eo enim

g Joan. 3. 5. renaſcuntur *ex aqua & Spiritu ſancto* g, à quo ſpiritualiter regenerantur, & fiunt filii gratiæ. Si verò hanc habemus cum Chriſto communem felicitatem, ut agnoſcamus Spiritum ſanctum principium regenerationis noſtræ: ſicut eum Chriſtus agnoſcit principium generationis ſuæ in ſinu Virginis Mariæ: *Quod enim in ea natum eſt,*

h Matth. 1. 20. *de Spiritu ſancto eſt* h: quare non imitamur Chriſtum? ut quid non adhæremus motionibus internis Spiritus ſancti, allecti exemplo ejuſdem Chriſti, toto tempore vitæ noſtræ? Si Virgo Deipara *peperit Filium ſuum primogenitum,*

& vocavit nomen ejus Jeſum i, id egit ſub regimine Spiritus ſancti. Si Chriſtus cum Parentibus ſuis *deſcendit Nazareth, & erat ſubditus illis* k, vitam ibi abſconditam agens, illuc à Spiritu ſancto directus eſt. Si perrexit in ſolitudinem *Jeſus, ductus eſt in deſertum à Spiritu* ſancto. Tandem, Si mortuus eſt in Cruce, in qua ſemetipſum immolavit ut victimam innocentem, *Per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo* l. i Matth. 1. 25. k Luc. 2. 51. l Hebr. 9. 14.

Sanctus m eſt, quia *ipſe Primogenitus in multis fratribus* n eſt, & ille quem Virgo *peperit Filium ſuum primogenitum.* Hæc qualitas eſt teſtimonium authenticum ſanctitatis Jeſu, cùm primogeniti offerrentur Deo ad vacandum rebus ſanctis, & miniſterio templorum, ut præcipiebat Deus, *Sanctifica mihi omne primogenitum* o. Hæc conſuetudo incepit à populo Iſraëlitico, qui liberatus à manibus Pharaonis & à ſervitute Ægyptiacâ, promiſit Deo, ſe conſecraturum ei omnes primogenitos ſuos. Si autem populus iſte, eò quòd evaſiſſet à captivitate, per mortem inimici ſui, omnes Deo conſecrabat primogenitos ſuos; quàm potiori ratione tenemur illos ſacrificare Deo, cùm nos liberaverit à captivitate Satanæ medio interitu Filii ſui; nam *cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus* p unigeniti, & primogeniti filiorum hominum & Dei, & in hac qualitate innocentiſſimi omnium; & tamen non obſtante hâc obligatione, perſæpè iſto non perfungimur obſequio, cùm conſecremus Deo illos qui nihil valent, quique potiùs ſunt ſubjectum horroris, quàm amoris oculis hominum; & ſæpè ſæpiùs inveniuntur parentes, qui liberos ſuos ab obſequio Divino removent, quos ab imis etiam avellunt altaribus, ut Deo ſe mancipare poſſint. m Hebr. 7. 26. n Rom. 8. 29. o Exod. 13. 2. & c. p Rom. 5. 10.

Sanctus q eſt, quia ſummus Pontifex, *Tu es Sacerdos in æternum* r. In ſacerdotio duo ſunt quæ ſanctificant. Prius eſt character. Poſterius eſt gratia, quam Deus communicat conſequenter ſimul cum impreſſione characteris. Character non poteſt niſi ſanctificare, cùm imprimat unionem hominis qui illum ſuſcipit, cum ipſo Deo, præterquàm quòd det ei poteſtatem ſuper Corpus Jeſu Chriſti, *Hoc facite in meam commemorationem* s. Gratia etiam non poteſt niſi ſanctificare, cùm Spiritum Dei animabus imprimat. *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* t. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus u, *à Patre & Filio, imò & à ſeipſo, tanquam pignus & arrha felicitatis æternæ. Ipſe enim Spiritus ſanctus eſt dator ac donum proceditque à Patre ac Filio* x *per modum donabilis, quoniam ipſe eſt charitas ſeu amor Patris & Filii. Amor autem eſt primum donum gratuitum, in quo omnia dona donantur. Itaque Spiritus ſanctus datur electis non ſolùm in ſuo dono, ſed etiam in ſeipſo, quia per charitatem habetur, & eſt in nobis novo ſpecialique modo.* Præterea, Quia poſt gratiam B. Virginis Mariæ non invenitur gratia major eâ quæ annexa eſt Sacerdotio. Tota differentia, quæ obſervatur inter ſanctificationem characteris & ſanctificationem gratiæ, in hoc eſt ſita, quòd prior durat in æternum; poſterior verò æquè facilè perit ac ipſa gratia, quæ peccato ſociari non poteſt lethifero. Atqui Jeſus Chriſtus, quatenus ſummus Pontifex, habet characterem & gratiam per æternitatem, quia Sacerdotium habet ſolemni jurejurando ſibi datum, *Juravit Dominus,* q Hebr. 5. 10. r Pſ. 109. 4. s 1. Cor. 11. 24. & 25. t Rom. 5. 5. u Dion. Carth. a. 8. in Rom. 5. x ex Jo. 15. 26.

nius, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum. Gratiam verò habet per Divinitatem, & per unionem hypoſtaticam.

Sanctus y eſt, quia victima eſt, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* z. [y Hebr. 7. 26.] Verũ enim eſt, quòd omnes victimæ erant ſanctæ a; [z Eph. 5. 2. a Lev. 1. 5. &c.] ſed in innocentia ſua erant tamen criminoſæ, hinc fiebat ut jugularetur: ſic Chriſtus in hâc qualitate innocens eſt & criminoſus ſimul. Innocens eſt, quia per ſanctitatem ſuam ſedavit iram Patris ſui æterni; criminoſus, quoniam *ipſe peccata multorum tulit* b, [b Iſai. 53. 12.] & omniũ hominũ cauſam præſtitit cauſam; ita ut conſequenter cùm Vas noſter fuerit effectus, & nos non ſimus ſatisfaciendo juſtitiæ Patris æterni, non potuerit declinare à pœna ſuſtinenda, propterea moritur ut reus innocens & criminoſus ſimul in patibulo Crucis, & per mortẽ ipſius innocentẽ mitigatur Pater æternus, *pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* c. [c Col. 1. 20.] Et in tali conſtituit ſtatu peccatores Dei Filius, ut per mutationem inauditã & inuſitatam, eorũ ſumens crimina, ſuam largiatur eis innocentiã, & efficiatur Pater ſuus nihil amplius ab illis poſſit exigere, *Eũ, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatũ fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo* d. [d 2. Cor. 5. 21.] Sed ſi Pater æternus eſt mitigatus, ipſemet Jeſus Chriſtus fortaſſis non eſt ſedatus: cùm enim nihil agendum habeamus cum Patre, *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio* e, [e Jo. 5. 22.] res nobis eſt habenda cum Filio, *Quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorũ & mortuorũ* f. [f Act. 10. 42.] Qui ideò nos eſt examinaturus *cùm venerit in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo* g. [g Matth. 25. 31.] Heu! quàm ſeverum erit illud examen; ſeverius erit eo, quod Pater æternus egiſſet: Pater enim æternus rationẽ tantùm popoſciſſet à nobis de donis naturalibus, & de modo, quo talenta naturæ inſumpſiſſemus, cùm Chriſtus ſummus *Judex vivorum & mortuorum*, etiamſi *fidelis Pontifex*, rationẽ ſit à nobis exactam petiturus donorum, Legis, & Sanguinis ipſius, & conſequenter de nobis horrendas ſit ſumpturus pœnas, ſi iſtis omnibus abuſi fuerimus.

Super quæ Theologi petunt, Utrùm in Chriſto fuerint paſſiones veræ ſicut ſunt in nobis. Præ reverentia vocant eas propaſſiones differentes à paſſionibus noſtris in tribus, *in ingreſſu, in congreſſu, & in egreſſu. In ingreſſu*: Nullus eſt enim Nauclerus, quantumvis artis ſuæ peritus, qui impedire poſſit ne tempeſtas oriatur, & ne mare intumeſcat: ſuam quidem manifeſtare poteſt induſtriam in deprimendis velis ad evitandum periculum, & ad præveniendum naufragium, ſed non impedire ne ventis circumquaque flantibus concutiatur navis. Nemo eſt, quantumvis ſapiens, qui aliquando, imò perſæpè non experiatur commotionem paſſionum quæ excitantur in ipſo, quod ipſi furorem non debet parere, nam *motus primi non ſunt in poteſtate hominis*, ut vulgò dicitur: hæ commotiones ſunt naturales, ſuggeſtiones non ſunt peccatum, quod dico propter animas timidas ſpirituales, quæ formidant ubique peccatum. Impedire non poſſumus ſuggeſtiones, cogitationes blaſphemiæ, & impudicitiæ: hæ ſuggeſtiones non ſunt peccatum; ſi poſt cogitationẽ ſequitur delectatio, imò & conſenſus, tunc eſt peccatum; ſed ſi in iis nulla ſit mora, id eſt, nulla delectatio moroſa, aut nullus conſenſus, in iis nullum eſt peccatum: hæ cogitationes ſunt naturales, & eas naturaliter impedire non poſſumus. Sed Chriſtus paſſionum ſuarum aut propaſſionum erat Dominus, illas præveniebat, *Cœpit pavere, & tædere* h. [h Marc. 14. 33.] *Nunc Anima mea turbata eſt* i. [i Jo. 12. 27.] Ait Chriſtus, *Nunc*, quia ipſius *Anima turbata eſt*, non verò antè, quia noluit priùs eam turbari. *In congreſſu*: In Chriſto nullum erat prælium, nulla concupiſcentia, quam tamen experimur nos, ſicut & eam experiebatur D. Paulus, dicens, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* k? [k Rom. 7. 23. & 24.] Omnes iſtæ ſuggeſtiones naturales non debent interturbare bonas animas, niſi in illis inveniatur conſenſus. *In egreſſu*: Chriſtus ſuam compeſcebat, quando volebat, iram, quæ ex juſto procedebat zelo l, ſicut triſtitiam m; [l Jo. 2. 15. m Matth. 26. 38.] nos verò illarum non ſumus Domini, ſicut dominus canem impedire non poteſt ne latret.

Obſervate autem quòd tribus tentari poſſumus nos modis, & à triplici perſonarũ genere: A Deo, à juſtitia & ſanctitate ejus. Ab hominibus. Et à diabolo. Jeſus Chriſtus tentari non poterat ex parte ſua, à natura corrupta, cùm haberet Corpus formatum ex ſanguine B. Mariæ Virginis, operante Spiritu ſancto, ſine peccato, & abſque rebellione; ſed tentatus fuit à Deo, ab hominibus, & à diabolis, ut oſtenderet ſe fidelẽ Pontificẽ per innocentiã ſuam, *Ut fieret fidelis Pontifex ad Deũ*. Tentatus fuit à Patre ſuo, qui excepit eum quaſi ſceleratũ, ut ipſemet Pater teſtatur, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* n. [n Iſai. 53. 8. &c.] Tentatus à juſtitia ejus. Heu! quàm ſevera eſt illa, *Poſuit Dominus in eo iniquitatẽ omnium noſtrũm*. Tentatus à ſanctitate ejus, ad delendã omnia noſtra peccata, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; & livore ejus ſanati ſumus*. Homines juſti tentantur in mundo & à juſtitia Dei, & ab illius ſanctitate, Job o, [o Job. 1. 14. &c.] Seraphicus Pater D. Franciſcus, D. Tereſia, D. Clara à Monte-Falco, qui tot ſiccitatibus moleſtabantur in oratione, tot cogitationes perpetiebantur importunas blaſphemiæ. Traditur D. Paulus diabolo Aſmodæo, qui innumeras inſpirat ipſi abominationes, *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, ut me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me. & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea* p. [p 2. Cor. 12. 7. &c.] Nihil eſt quod magis interturbet animã ſanctã, quàm hujuſmodi cogitationes obſcœnæ: ſicut enim purus *Spiritus eſt Deus* q, [q Joan. 4. 24.] ſic nihil eam magis removet à Deo quàm impuritas. Tentatur ergo animæ juſtæ à juſtitia Dei, quæ eas purgare vult ab omni impuritate, ſicut aurifex purgat aurũ ab omnibus fæcibus. Sanctitas ejus impreſſiones peragere vult omnino Divinas in eis; imprimere vult illis characteres innocentiæ ſuæ. Nihil eſt delicatius ſanctitate Dei, quæ eſt immunis ab omni commercio cujuslibet mixtionis, âgios ſine terra; & inde oriuntur in eis tot faſtidia, & tot cogitationes derelictionis, & deſperationis.

Secundò, Tentari poſſumus ab hominibus; Jeſus Chriſtus autem ab illis fuit tentatus, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adversùs ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes* r, [r Hebr. 12. 3.] ait D. Paulus, loquens de Chriſto, ut animos addat hominibus ad perferendas æquanimiter tentationes quæ advenient ipſis ab aliis. Chriſtus vituperiis & perſecutionibus impetitus fuit in

s Marc. 2. 16. &c. t Joan. 8. 46. &c. u Luc. 11. 15. &c.

ſuo procedendi modo s, in doctrina ſua, & in operibus ſuis, vocatus *Samaritanus, & dæmonium* t habens à ſuis inimicis, quaſi verò, ut *quidam ex iis dixerunt, in Beelzebub principem dæmoniorum dæmonia* u ejiceret. Sed in his omnibus ſuam manifeſtavit innocentiam, ſic congruum erat *ut fieret fidelis Pontifex ad Deum* per innocentiam ſuam. A diabolo tentatus fuit, ſed quibus tentationibus? Idololatriæ, Gulæ, & ambitionis. Diabolus eum abripuit, & ipſe illud permiſit, *Aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Chriſtus ſuſtinuit ut ſuum deferret diabolus Corpus quod eſt tabernaculum Divinitatis, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* u. Ut non miremur ſi idem tentet nos Satanas; ſed è contrà ut macti ſimus animo, auſcultantes id quod ait nobis D. Paulus x, ut nobis adjiciat animos medias inter tentationes, *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus y, *Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari, id eſt, impugnari à dæmone vel malis hominibus ſupra id quod poteſtis, id eſt, ultra vires. Tunc enim non peccaremus, ſi vinceremur; ſed faciet cum tentatione etiam proventum, id eſt, ſpiritualem profectum, dando gratiam reſiſtendi, ut poſſitis ſuſtinere, id eſt, per patientiam prævalere.* Idcircò quos *Deus tentavit, invenit illos dignos ſe*, gloriâ ſuâ, amore ſuo, & mercedibus ſuis, ubi *tanquam aurum in fornace probavit illos* z. Ut inde puriores illos erueret interventu auxilii ſui, quod paratus eſt nobis etiam largiri.

u Col. 2. 9.

x 1 Cor. 10. 13

y Dion. Carth. a 10 in 1 Cor. 10. 13.

z Sap. 3. 5 & 6.

III Pars.

a Rom. 8. 14

Homo ducitur ratione, Chriſtianus verò *Spiritu Dei* a agitur. Spiritus humanus eſt principium actionum hominum, & Spiritus Dei eſt principium operationum Chriſtianorum & fidelium. Hodiernâ die *Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* Quod ſic exponit ad propoſitum noſtrum apprimè Dionyſius Carthuſianus b, *Ductus eſt rationali ſuggeſtione atque internâ inſpiratione Jeſus in deſertum à Spiritu ſancto, qui animam Chriſti induxit ad hoc ut ingrederetur deſertum propter rationabiles cauſas. Ideirco Chriſtus homo à Spiritu ſancto directus, ductus, & motus eſt, ut introiret deſertum.* Spiritus igitur ſanctus Dei ducit Chriſtum, dirigit eum, & eſt principium omnium actionum ejus, jejunii, vigiliarum, prælii, meritorum, ſolitudinis, & interceſſionis illius, & diſponit eum ad tertiam qualitatem, quam debet habere Pontifex, ut ſit *potens & eis qui tentantur auxiliari.* Non ſufficit *ut miſericors, & fidelis Pontifex ad Deum* ſit per compaſſionem, & per innocentiam aut ſanctitatem, niſi etiam habeat potentiam ad præbendum auxilium illis qui eo indiguerint cùm ſeſe oblatura eſt occaſio.

b Dion. Carth. a. 7 in Mat. 4. 1.

Obſervate autem, Auditores, quòd omne id, quod Chriſtus hodiernâ die peragit prout ſummus noſter *Pontifex*, in noſtrum vergit ſubſidium. Pro nobis vigilat, pro nobis jejunat in ſolitudine *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, tempore totius anni frigidiſſimo, cum *in deſertum* perrexerit die ſextâ Januarii, in quo *erat cum beſtiis* c, nullam habens cum hominibus ſocietatem. Vir ſolido pollens judicio injuriam ſibi autumaret irrogari, ſi cum ruſticis aut plebejis hominibus converſaretur; & tamen Dei *Sapientia* d, *Verbum* e Patris æterni eſt in deſerto inter feras. Evangeliſtæ non loquuntur de orationibus & ecſtaſibus illius, ſed recenſent, quòd *cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Id agit Chriſtus propter nos, meretur pro nobis, in gratiam noſtri præliatur, & omnia noſtræ ſerviunt ſatisfactioni, &, ut ait idem Carthuſianus, *Voluit quoque Chriſtus tentari, ut nos ad tentationes perferendas animaret, ut gratiam triumphandi nobis mereretur, ut formam vincendi oſtenderet, ut tentatoris virtutem debilitaret, noſque à tentationibus liberaret.*

c Marc. 1. 13.

d Sap. 7. 24.

e Pſ. 44. 2

Ut notate, ſi placet, quòd diabolus pluribus nuncupatur nominibus in Scriptura. David eum vocat *Aſpidem, baſiliſcum, leonem, & draconem* f. Super quæ appoſitè Incognitus g ait, *Sicut Chriſtus diverſis nominibus nuncupatur, ſecundùm diverſas virtutes quas habet: Unde vocatur Leo* h *propter fortitudinem: Agnus* i *propter manſuetudinem: Lapis* k *propter fundationis ſtabilitatem: Sic è contrà diabolus, ſecundùm diverſa ejus vitia, nomina habet diverſa. Ipſe enim eſt aſpis, cùm occultè percutit. Ipſe eſt baſiliſcus, cùm palàm venenat. Baſiliſcus enim rex ſerpentum eſt, & nocet flatu. Leo eſt, dum perſequitur violenter. Leo enim rex animalium viribus nocet. Draco eſt, cùm devorat negligentes. Per iſta ergò omnia nomina hic intelligitur diabolus. Super ergo diabolum iſtis nominibus ſignificatum Chriſtus ambulavit, & ipſum conculcavit, quando ipſum diabolum tentantem ſprevit: & poteſtatem ſuis fidelibus dedit ipſum conculcandi.* Deinde, Vocatur in Evangelio noſtro *tentator, & diabolus.* Et iſtis tribus modis, ſerpentis, tentatoris, & diaboli, tentationibus ſuis nos impetit, ſicut tentare auſus eſt Dei Filium. Sed videte, offert ei lapides; cùm per exiguum tentare poteſt, non inſumit multum; ſi quinque aſſes ſufficiant, non adhibet nummum aureum; è lapidibus offenſionis deſcendit in parvam occaſionem, in modicam converſationem, ut tandem in malum inducat. Præterea, Procedit per apparentiam, nedum exhibeat realitatem, *Oſtendit ei omnia Regna mundi* apparenter, non realiter. Interim diſcite maximi facere animam veſtram, cùm tanti eam diabolus æſtimet, ut pro ea offerat *omnia Regna mundi*, quæ nihil ſunt intuitu illius quæ poſſidere poteſt gratiam Dei in hoc mundo, & gloriam illius in altero ſeculo.

f Pſ. 90. 13.

g Incog. in Pſ. 90. 13.

h ex Apo. 5. 5.

i ex Jo. 1. 29

k ex 1. Petr. 2. 7

FERIA II. POST DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, &c. Matth. 25. 31. &c.

Quidnam diceretis, Auditores, ſi hoc tempore pacis pulſarentur in veſtra civitate cymbala in ſignum commotionis & conclamationis ad arma? quale judicium promereretis de illa commotione inopinata & imprævisa? nonne ſtatim timore corriperemini? nunquid non ſubitò concuteremini tremore, ſi in-

ſi inter lætitias veſtras, & dies feſtos veſtros auguſtiſſimos & ſolemniſſimos, has audietis commotiones, perſtrepentia tympana, & clangentes tubas? Hoc eſt expreſſum mandatum, quod per Moyſen præcepit Deus obſervandum inviolabiliter à filiis Iſrael, *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis* a. Sed quare Deus adhiberi jubet tubas, aut alia inſumenda inſtrumenta hujuſmodi, quæ potiùs concutiendo idonea ſunt terrori, quam inferendo oblectamento? Ea conveniunt quidem media inter certamina, ut meliùs accendantur animi; ſed tempore pacis quandiu homines epulis indulgent & ſaltationibus incumbunt, ad quid iſta omnia? Non me latet, quòd in præliis omni tempore populi illis ſunt uſi, alii tympanis, alii tubis, alii citharis juxta conſuetudinem locorum & nationum, ſed ſemper tempore belli ad animandos milites, ut impavido irruerent in hoſtes animo, nedum eorum metuerent acceſſus, nec horrorem formidarent periculorum. Sed quare diebus feſtis & lætitiæ? Ratio iſtius ecce in promptu eſt, quam confeſtim ſubdit Deus, *Ut ſint vobis in recordationem Dei veſtri*. Deus vult ut ex hac diſcamus ceremoniâ, quòd omni tempore, & quâlibet ſeſe nobis offerente occaſione meminerimus ipſius. Origenes b autem ait, ideo Deum hoc præcepiſſe, ut nobis memoriam inculcaret extremi & formidabilis diei judicii, ne nimia proſperitas, quam ſemper habere debemus ſuſpectam, nos abripiat, & ne inſolentia trahat nos in lubricum voluptatum, & in præcipitium vitiorũ, *Secundùm comparationem Sacerdotum tubantium, Angeli Chriſti cum tuba magna congregabunt Electos ejus à quatuor ventis. Sed in Numeris quidem hæc facta ſcribuntur in terris, in Evangeliis autem à ſummo terræ uſque ad ſummum cœli. Poſt hæc autem à ſummis cœlorum uſque ad ſumma eorum.* Voluit Deus ut præſens nobis eſſet jugiter memoria diei iſtius horribilis & furore pleni, quo *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur; & tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo* c. Quod erit tunc inſigne juſtitiæ ac rigoris. Virgo Deipara *Mater pulchræ dilectionis* d, & Miſericordiæ, impetra nobis eandem miſericordiam nunc, cùm tempore illo nullus ſit futurus miſericordiæ locus niſi iis, quos ſuorum pœnituerit peccatorum. Eſther revocandum ſategit aliàs decretum mortis, quod Aſſuerus adversùs nationem Hebræorum tulerat, & totam conſolata eſt eamdem nationem ſuam, cùm non poſſet *ſuſtinere necem & interfectionem populi* e *ſui*. Iſtud jam præſtitiſti, cùm reſpondiſti, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* f, Angelo dicenti tibi, *Ave Maria*.

a Num. 10.10.

b Orig. tract. 30. in Matth. 24.31.

c Matth. 24.29. & 30.

d Eccl. 24.24.

e Eſth. 8. 6. &c.

f Luc. 1. 38. & 28.

Cùm memoria judicii extremi nobis ſit ita neceſſaria, ut ſine ea noſtram peragere non poſſimus ſalutem, oportet ut ejus recordemur, ſi ab illius declinare velimus pœnis. Deus autem noſtræ ſalutis amans hanc recordationem ita noſtris intimè impreſſit animis, ut ab ipſo mundi exordio nobis inculcare voluerit neceſſitatem iſtius ejuſdem memoriæ. Enumerans Moyſes opera creationis, & computans primum, ſecundum uſque ad ſextum diem, concludit, *Factum eſt veſpere & manè dies unus* g. Quare ait quòd, poſtquàm *dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux; & vidit Deus lucem quòd eſſet bona; & diviſit lucem à tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem; factum eſt veſpere & manè dies unus*? & ſic de cæteris operibus uſque ad ſextum diem. Rupertus Abbas, qui priùs edoctus *ſcientiam Sanctorum* h & virtutis, deinde ſic intelligentiæ ſcientiarum Divinarum & Scripturæ peritus evaſit, ut facile viſu ſit ex libris quos in lucem edidit, animatum fuiſſe eum Spiritu Dei, qui ipſi ſuggerebat quidquid ſcriptis in ſuis voluminibus exararet; ait, quòd iſte *dies unus* eſt dies æternitatis, cùm æternitas nullum habeat principium, nec ullo concludatur fine, quia *æternitas eſt tota ſimul*, ut ait Theologia, complectiturque præſens, præteritum, & futurum, *dies unus* dies æternitatis Dei. Sic autem loquitur Rupertus i, *Quem, vel quid putas eſſe hunc diem, niſi Verbum illud, in quo omne quod factum eſt, vita erat* k, *priuſquam fieret?* Sed unde oritur, quòd Moyſes inſtitutus & edoctus à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* l, cùm omnia, quæ facta ſunt, in ſic præclaro conſtituiſſet ordine, hunc videtur infringere ordinem, & adverſari modo ordinario aliorum Scriptorum, qui manè ſemper præponunt veſperi, ille verò hunc pervertens ordinem, contrarium peragat, dicens, *Veſpere & manè*, cùm manè præcedat, incipiat dies manè, continuetur dies ad meridiem, & perficiatur idem dies ad Solis occubitum, qui dicitur veſper; Moyſes autem contra hunc ordinem dicat, præponendo veſperem manè, *Factum eſt veſpere & manè dies unus*? Id non dixit ſine myſterio. *Quando autem facta eſt lux*, ait idem Rupertus, *tunc manè factum eſt, in quo & Lucifer ille, qui cecidit* m *ante diem, primus emicuit, & exinde dies plenus eſt, & in oculis omnium noſtrûm lucet: & terrifico exemplo nobis eſt diviſio lucis & tenebrarum, quæ illic facta eſt.* Quaſi diceret, quòd ſi Moyſes veſperem præpoſuit manè, id egit ut doceret nos, quod die iſto æternitatis Dei, die iſto judicii, veſper præire debet manè, & minæ præcedere debent ſupplicia, & ut moneret nos ſupplicii quod nobis imminebat; & quòd dies iſte non futurus ſit niſi nox impiis, qui more talparum nunquam aperuerunt oculos ad intuendum cœlum, eò quòd illos nimis haberent oneratos humoribus, qui efficiebant ut palpebras demitterent terram versùs. Nihil igitur erit niſi tenebræ, tormenta & ſupplicia adversùs reprobos. Eo ſe gerit Deus modo quo Principes terreni, qui bellum indicturi, magnos agunt apparatus, tormenta parant bellica, militaria explicant vexilla, & ſupplicia minantur rebellibus. Dei Filius explicat vexilla furoris ſui, & graves intentat minas, & horrenda ſupplicia, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ*, &c. Iſta autem omnia peragit ut diſcamus, quàm proficua ſit nobis memoria judicii extremi. Ut igitur conſiliis Dei acquieſcamus, quandiu de hoc extremo ſum vobis diſcurſurus judicio, attendite, ſi placet, & oſtendam vobis Primò qualitatem Judicis in adventu ſuo. Secundò verò exhibebo vobis rigorem judicii ipſius. Craſtinâ verò die loquemur de diſcuſſione quæ fiet conſcientiarum. Teſtes audientur, & Judex pronunciabit decretum damnationis æternæ contra reprobos.

g Gen. 1. 5. &c.

h Sap. 10. 10.

i Rup. in Gen. 1. 5. &c.

k ex Jo. 1. 3. & 4.

l 2. Petr. 1. 21.

m ex Iſai. 14. 12.

Diviſio.

I. Pars.

Hanc ego ſuppono veritatem ut indubitatam, cùm in Symbolo fidei noſtræ ſcriptis ſit exarata, quòd Dei Filius *venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Cujus rationem promit D. Lucas n, *Quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum.* Contra aliquos impios, qui nollent iſtud judicium, ne illius ſupplicia cogantur experiri. Si credamus homini, qui nunquam mentitus eſt, *nec inventus eſt dolus in ore ejus* o. Si dixerit per Prophetas ſuas, ſe ſumpturum carnem humanam, naſciturum è Virgine p, ſuſurum Sanguinem ſuum in Cruce q, reſurrecturum r, aſcenſurum in cœlum s, & miſſurum Spiritum ſanctum ſuum t; hæc omnia adimplevit u. Si verò hodie dicat, *Cùm venerit Filius hominis,* nec dicat propter quid, aut quando ſit venturus, nunquid non credemus ei? Suppono etiam contra impios qui excæcati quoad ea quæ ſpectant notitiam Divinæ Providentiæ, detrahunt ſuavi gubernationi illius, dicentes per blaſphemiam intolerabilem, quòd *nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat* x. Suppono igitur, quòd illo die manifeſtè videbimus illa omnia, quæ unquam peracta fuerint, & cauſam propter quam illa fuerint patrata, & à Deo fuerint permiſſa. In hoc mundo ſumus nos ut in horto neglecto, in quo herbæ ſalutares & flores odoriferi ſuffocantur à ſentibus & à ſpinis, & ſic vitâ deſtituuntur. Sed die illo videbimus, quare Nero Imperator ille ſceleſtus omnia habuit proſpera in imperio ſuo, D. Petrus verò Collegii Caput Apoſtolici, cui dedit Dei Filius *claves regni cælorum* y, conſtituens eum Vicarium ſuum viſibilem in terris, cruci ſuffixus eſt. Cur *Herodes* florens fuerit in ſuo palatio, ubi *cùm dies opportunus accidiſſet natalis ſui, cœnam fecit Principibus & Tribunis & primis Galilææ,* D. Joannes Baptiſta autem ipſo præcipiente decollatus fuerit *in carcere* z. Diebus hiſce tiaræ ſummorum Pontificum, coronæ Regum, mitræ Epiſcoporum, pilei Eccleſiaſticorum, capucia Religioſorum, vela Monialium, modeſtia Virginum & Adoleſcentum plurimas operire poſſunt iniquitates; ſed illo die formidabili judicii extremi nihil ampliùs erit opertum, ait D. Paulus a. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus b, *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, id eſt, in publicum deducetur & innoteſcet, non ſolùm Deo & propria conſcientia, ſed etiam aliis, quando Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium* c. *Unde ait Salvator, Nihil opertum, quod non revelabitur* d. *Dies enim Domini, id eſt, dies judicii, vel potiùs Dominus in die judicii (Dies enim & tempus dicuntur facere ea qua fiunt in die & tempore) declarabit opera ſingulorum qualia ſint, quia in igne conflagrationis revelabitur, id eſt, manifeſtabitur dies Domini, vel Dominus qui venturus eſt judicare per ignem, cujus majeſtatem ignis ipſe oſtendet.*

n Act. 10. 42.
o 1 Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
p Iſai. 7. 14.
q Zach. 13. 6.
r Pſ. 3. 6.
s Pſ. 46. 6.
t Iſ. 44. 3.
u Matth. 1. 21 & Jo. 19. 18. & Marc. 16. 6. & 19 & Act. 2. 2.
x Job 22. 14.
y Matth. 16. 19.
z Marc. 6. 17. &c.
a 1 Cor. 3. 13.
b Dion. Carth. a. 3 in 1. Cor. 3. 13.
c ex 1. Cor. 4. 5.
d ex Mat. 10. 26.

Hinc infero etiam, quàm terribile futurum ſit iſtud judicium, cùm Scriptura ſic iſtum amplificet adventum, quæ tamen in aliis rebus ita ſimplex eſt: quid enim ſimplicius, quàm cùm D. Joannes e de alapâ Chriſto inflictâ loquens, ait, *Unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu?* Idem D. Joannes f ſermonem habens de illo milite, à quo perforatum eſt latus Chriſti, dicit, *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Quid ſimplicius? ſed quid non egiſſent Æſchines, Cicero, & Demoſthenes facundiâ ſuâ ordinariâ? quânam emphaſi, & quantâ verborum gravitate ita ſacrilegum non exaggeraſſent auſum? Et tamen cùm D. Matthæus loquitur de adventu altius Judicis, de eo diſſerit verbis valdè ſignificativis, & aggravantibus rigorem ejuſdem adventus, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ.* Judices enim ſedere debent: iſtud eſt enim jam ritè amplificatum, ſed tamen nondum ſatis; quid ampliùs ergo? *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Quænam eloquentia! Oportet ſanè, Auditores, ut res ſit maximi momenti, cùm Evangeliſta eam contra ſuum ſtylum ordinarium tanto deſcribat apparatu. Quando Rex eſt aliquid peracturus, aliquod format conſilium, accommodat ſe ad captum eorum quæ propoſuit ſibi; ſi ad venationem pergat, communibus operit ſe veſtimentis, ſi populi ſui ſupplicationes eſt excepturus, Regiæ ſuæ majeſtatis induit inſignia; ſi ingrediatur aliquam civitatem, auro nitet totus, & ſplendet inſtar Solis. Idem peregit Dei Filius, cùm in hunc mundum *venit quærere & ſalvum facere quod perierat* g. Cum exivit *à Patre, & in mundum* h venit primâ vice, noſtram ſumpſit humanitatem, & omnes miſerias noſtras, ſi excipiamus peccatum i, & ignorantiam k; nos convênit ſine ſtrepitu, *Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Sermo exiliens de cœlo à regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit* l. Sed in ſecundo iſto adventu veniet ut Judex, ſed Judex ſeverus, minitans peccatoribus ruinam omnimodam per rigorem juſtitiæ ſuæ exacerbatæ tot criminibus, quorum gravitatem ſuſtinere non poteſt ampliùs; *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua,* nihil erit intue dumptæt ut arma, *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ* m. Super quæ verba Prophetæ ait Cornelius n, *Anagogicè idem planè quod verba ſonant, faciet Deus in fine ſeculi, cum Solem & Lunam obſcurabit, ac fulmina vibrabit in hoſtes, juxta illud, Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur. Et à petroſâ irâ plenæ mittentur grandines* o. Quin imò *annunciabunt cœli juſtitiam ejus* p. Et ipſe *cognoſcetur Dominus, judicia faciens* q. Ut liberiùs offenderet, noluit eum agnoſcere *injuſtus, noluit intelligere ut bene ageret* r. Sed tunc invitus habebit eum Judicem, & ut talem illum eſt agnoſciturus. Bonitas illius fuit veluti peccandi occaſio peccatori rato, quòd cùm Deus miſereatur *omnium, & peccata hominum propter pænitentiam* s diſſimulet, deberet promiſcuè & indiſcriminatim oſtium paradiſi omnibus hominibus etiam impœnitentibus aperire, nedum de eorum ſceleribus vindictam capeſſeret; ſed tunc *cognoſcetur Dominus judicia faciens. Cùm venerit Filius hominis.* Videte, ſi placet, nomen humilitatis: Cùm ſuos Deus mittebat Prophetas, dicebat illis, *Fili hominis* t, ut eos in humilitate cuſtodiret. Ergo *cùm venerit Filius hominis,* cui amorem ſuum, gratias ſuas, & *omnia dedit Pater in manus* u, tunc *judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate* x. Sed quonam pudore ſuffundentur peccatores, quanto terrore concutientur, cùm videbunt ſe habituros Judicem eum, quem tradiderunt cum Juda y, damnaverunt

e Jo. 18. 22.
f Jo. 19. 34.
g Luc. 19. 10.
h Jo. 16. 28.
i 1 Pet. 2. 22. ex Iſa. 53. 9.
k Col. 2. 3.
l Sap. 18. 14. & 15.
m Hab. 3. 11.
n Corn. in Hab. 3. 11.
o ex Sap. 5. 22. & 23.
p Pſ. 49. 6.
q Pſ. 9. 17.
r Pſ. 35. 2. & 4.
s Sap. 11. 24.
t Ezech. 2. 1.
u Jo. 13. 3.
x Pſ. 97. 9.
y Jo. 18. 2.

verunt ad mortem cum Pilato, & cruci ſuffixerunt eum Judæis aut cum militibus, cùm *videbunt in quem transfixerunt z?*

Et omnes Angeli cum eo. Virgo Deipara iſti intererit judicio; & ſicut quando Rex aliquis ſupplicium alicui inſigni latroni decrevit infligendum extraordinarium, unuſquiſque accurrit ad feneſtras; ſic *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo*, cœlum quaſi evacuabitur, cum univerſi beati ſpiritus futuri ſint ſpectatores ſupplicii omnibus reprobis infligendi, licèt in numero ferè ſint infinito, ut ait Job a, *Nunquid eſt numerus militum ejus?* Huic aderunt Angeli judicio, cùm ad aliquod ſemper fuerint deſtinati miniſterium obeundum. Myſterium annunciant Incarnationis b. Nativitati interſunt Filii Dei, ut illius nuncia deferant Paſtoribus c, & inducant eos ad exhibendam Domino ſuo reverentiam. Cùm deferendus eſt Jeſus *in Ægyptum*, monent Angeli Joſeph & Mariam Parentes ejus ut eripiant eum à furore Herodis quæſituri *Puerum ad perdendum eum* d. Cùm eſſet in deſerto, ad eum *ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei* e. In horto Gethemani conſolantur *eum* f. In Reſurrectione eum publicant, *Surrexit, non eſt hic* g. In Aſcenſione ejus præcedunt eum ut deſignatores manſionarii, *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ* h. Super quæ verba ait Incognitus i, *Nota, quòd vox Angelorum tuba vocatur: cujus ratio eſt, quia vox tubæ procedit ab homine, alio à ſe aſſumpto inſtrumento, quia tuba non per ſe ſonat, ſed per hominem, cujus eſt inſtrumentum. Similiter & Angeli, cùm de ſe corpus non habeant, per ſe vocem formare non poſſunt, ſed aſſumunt corpora in quibus loquuntur, & ideò eorum vox dicitur vox tubæ. Ipſe Dominus in voce Archangeli, & in tubâ Dei deſcendet de cœlo* k. *Et certum eſt, quòd ipſe Dominum aſcendit cum voce Angelorum manifeſte clamantium, Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum* l.

Omnes homines qui ſunt, qui fuerunt, & qui erunt, ad hoc vocabuntur judicium, *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Ei aderunt Sancti, quin imò illorum peccata m ibi propalabuntur, ſed ad ipſorum gloriam, æquè ac ad honorem Dei, *Miſericordia Domini quia non ſumus conſumpti; quia non defecerunt miſerationes ejus* n. Peccata univerſa reproborum ibi etiam manifeſtabuntur, ſed ad ipſorum confuſionem; & ſicut eſt differentia inter ſerpentem realem & lacerantem & ſerpentem argenteum & in figurâ qui appenditur collo infantium; ſic peccata reproborum erunt ipſis in rabiem inſtar lacerantium ſerpentium, Sanctis verò peccata ipſorum erunt in gloriam.

Hæc eſt magnitudo Principis & Judicis iſtius, qui venturus eſt in apparatu majeſtatis. Si autem videre velitis notas rigoris illius, quantùm ſit exacerbatus, intuemini quòd *habet oculos tanquam flammam ignis* o. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus p. *Per hoc oſtenditur, quòd Chriſti aſpectus valde terribilis erit injuſtis. Unde cuſtodes ſepulchri viſo Angelo, cujus aſpectus erat ut fulgur, facti ſunt velut amentes & mortui* q. Veniet igitur *Filius hominis*. Ille, cui Pater æternus ſuas omnes commiſit gratias, eaſdem retrahet gratias, eoſdem favores, & eadem

z Jo. 19. 16. &c. ex Zach. 12. 10.
a Job. 25. 3.
b Luc. 1. 26. &c.
c Luc. 2. 10.
d Matth. 2. 13.
e Matth. 4. 11.
f Luc. 22. 43.
g Marc. 16. 6.
h Pſ. 46. 6.
i Incognit. in Pſ. 46. 6.
k ex 1. Theſſal. 4. 16.
l ex Act. 1. 11.
m 2. Reg. 11. 2. &c. & 2. Reg. 24. 1. &c. & Luc. 7. 37. &c.
n Thren. 3. 22.
II. Para.
o Apoc. 1. 18.
p Dion. Carth. 2. 2. in Apoc. 1. 14
q ex Matt. 28. 4. &c.

Tom. III.

beneficia, quibus peccatores cumulaverat, & *rationem cum eis* r ponet de omnibus mediis operandæ ſalutis ſuæ, quæ ipſis providerat, quomodo ea negotiati fuerint, & *talenta* ipſis commiſſa inſumpſerint. Peccatores, quidnam reſpondebitis tunc? Undenam ſumetis verba? quaſnam allegabitis excuſationes? Nullas ipſe eſt admiſſurus, *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum* s. Propria malitia veſtra convincet vos, & veſtra obturabit ora. Non aget Deus ut aliàs, quando *aſſimilatum eſt Regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis* t. In propriâ venturus eſt perſonâ, *Cùm venerit Filius hominis*. Crucem ſuam ut vexillum explicabit, *Tunc parebit ſignum Filii hominis* u. Ecce, impie, inſigne rigorum ejus, & ſuppliciorum tuorum, cùm hoc ſigno uti nolueris ad operandam ſalutem tuam; hoc eſt inſigne iræ ejus, *Tunc parebit ſignum* iſtud æternum triumphorum ejus x, & memoria præclarorum ejus facinorum; ſed *ſignum* horribile improbis, memoria formidabilis peccatoribus, *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit* y, cùm intuebuntur hæc ſigna miſericordiæ explicata, quibus perfrui ampliùs non poterunt poſt tot contemptus. Iſti ſunt reprobi, de quibus loquitur D. Paulus z, *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti.* Crux iſta erit tribunal, è quo Jeſus Chriſtus *Filius hominis* pronunciaturus eſt decretum mortis adversùs reprobos, *Et quis ſtabit ad videndum eum* a?

Obſecro Domine Deus magne & terribilis b, quantus rigor eſt tunc futurus. O Crux beata, aſylum & refugium animarum errantium, *benedictum lignum per quod fit juſtitia* c, ubi erit tunc Jeſus Chriſtus, pro nobis *crucifixus* d? Ubinam erunt hæc brachia in Cruce extenſa ad ſuſcipiendos & amplectendos peccatores? Hoc glorioſum caput *ſpinis*, coronatum, & præ amore depreſſum? iſtud *lanceâ latus* e apertum, per quod impii adibant *cum fiduciâ ad thronum gratiæ ut miſericordiam* conſequerentur, *& gratiam in auxilio opportuno* f invenirent? O arbor ſalutaris, ubinam erit hic *faſciculus myrrhæ* g clementiæ fluentis è ramis tuis? Pretioſe Sanguis ſic libenter effuſe, nunquid non ampliùs redimes *nos à peccatis noſtris* h? Arca Noë, nunquid non aliquè ſalvabis ampliùs *propter aquas diluvii* i juſtitiæ? *Lignum vitæ* k, ubinam erit iſte fructus dulcis immortalitatis? Ubi eſt illa *ſalus* l, quam afferre conſueveras? Ubinam, Salvator, venia, quam pœnitentibus pollicebaris? *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine, ſicut juraſti David in veritate tuâ* m? Ubi oleum iſtud compaſſionis? O Crux ſancta, ubinam erit tunc Virgo Deipara quæ ſtare conſueverat *juxta* n te, & deprecari pro peccatoribus? Heu, Animæ chariſſimæ, omnes dulcedines mutabuntur in amaritudines; nulla erit ampliùs miſericordia; hi torrentes miſericordiæ qui fluere conſueverant per Ægyptum mundi, convertentur *in ſanguinem* o ſuppliciorum & tormentorum adversùs reprobos, *Complebo furorem meum in te* p. Objectum erunt iræ Dei, *Non parcet oculus, neque miſerebor: viam eorum ſuper caput eorum reddam* q. Non erit ampliùs pœnitentiæ locus, inutiles erunt lacrymæ, preces non exaudientur; non erunt plùs hi ſuaves oculi, quibus *converſus Dominus, reſpexit Petrum* r, quibuſque miſertus eſt Magdalenæ,

r Matt. 25 19.
s Pſ. 106. 42.
t Matt. 18 23.
u Matth. 24. 30.
x Oſee 13 14.
y Pſ. 111. 10.
z Philipp. 3. 18.
a Malach. 3. 2.
b Dan. 9. 4.
c Sap 14. 7.
d 1. Cor. 15. 4.
e Jo 19. 34 &c.
f Hebr 4. 16.
g Cant. 1. 13
h Apoc. 1. 5.
i Gen 7. 7
k Gen. 2. 9. &c.
l Act. 4 12.
m Pſ. 88 50.
n Jo. 19. 25.
o Exod 7 19. & 10.
p Ezech. 7. 8.
q Ezech. 9. 10.
r Luc 22. 61.

lenæ, cùm *dixit ad illam, Remittuntur tibi pec-*
s Luc. 7. 48. *cata* s. Sed oculi Judicis implacabilis inſtar ful-
minis, qui nihil reſpirabunt niſi vindictam; &
diſces illo die, peccator, quàm ſeverè puniat
t 2. Petr. 3. 9. Deus, poſtquàm diu *patienter* t tulit, *Cùm ve-
nerit Filius hominis, tunc parebit ſignum Filij
hominis.*

Ecce, peccator, *Filius hominis.* Ecce; *Ipſe qui
conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mor-*
u Act. 10. 42. *tuorum* u. Quem excepiſti ut *deſpectum, & no-*
x Iſai. 53. 3. *viſſimum virorum* x. Audebiſne apparere in
hoc judicio? Quid dices? Audi quid ipſe tibi
ſit improperaturus, *Ego ſum Joſeph, quem ven-*
y Gen. 45. 4. *didiſtis in Ægyptum* y. Id eſt, *Ego ſum*
Deus, maledicte peccator, *quem* vendidiſti,
z Pſ. 105. 24. perdidiſti, & habuiſti *pro nihilo* z propter vo-
luptatem obſcœnam, ob vanitatem, intuitu
proprii commodi. *Ego ſum*, ipſe, *quem* tu con-
tempſiſti. *Ego ſum, quem* morti tradidiſti. *Ego
ſum* ipſe, qui modò vindictam de te ſumere vo-
lo. Heu! Auditores, deſunt mihi vires ad ex-
aggerandum rigorem & furorem Judicis iſtius;
deficit mihi ſermo, & balbutit lingua mea. *Job
erat vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, &*
a Job 1. 1. *recedens à malo* a, & conſequenter nullius ſibi
erat conſcius criminis, ratione cujus terrendus
eſſet; & tamen veritus hoc judicium extre-
mum, exclamat, *Quis mihi hoc tribuat ut in
inferno protegas me, donec pertranſeat furor*
b Job. 14. 13. *tuus* b? Videte quomodo ſint *oculi ejus tan-
quam flamma ignis* c, & præ ſe ferant indicia
c Apoc. 1. 14. furoris tanti, ut David d hujuſmodi non valens
ſuſtinere furorem, ſic eum deprecetur, *Averte*
d Pſ. 50. 11. *faciem tuam à peccatis meis.* Super quæ Inco-
e Incognit. in Pſ. 50. 11. gnitus e ait, *Petens Pſalmiſta à peccatis mun-
dari, petit à Deo, ut ab illis faciem ſuam aver-
tat, id eſt, ut illa ſic per veniam deleat, ut am-
pliùs illa non aſpiciat* oculis furoris ſui. Vox e-
f Jer. 25. 30. jus, vox eſt leonis, *Dominus de excelſo rugiet* f.
Suis totum mundum concutiet terrore rugitibus;
g Pſ. 103. 7. *A voce tonitrui tui formidabunt* g. Verba il-
lius erunt quaſi tonitrua, quæ pavorem indu-
cent, & ſanguinem quaſi glaciem in venis con-
ſtringent. Inceſſus illius eſt majeſtate plenus,
*Pedes ejus ſimiles aurichalco ſunt in camino ar-
denti* h. Quod ſic exponit Cornelius i, *Hoc eſt,*
h Apoc. 1. 15. *pedes Chriſti erant ſplendidiſſimi, puta huma-*
i Cornel. in Apoc. 1. 15. *nitas Chriſti (quæ per pedes ſignificatur, uti Dei-
tas per caput* k) *per cruentam paſſionem & crucis*
facta eſt ſplendidiſſima & fortiſſima ad concul-
k ex 1. Cor. 11. 3. *candum Domitianum, ſuoſque hoſtes, & ad eos
comburendum.* Vel, ſi malitis ſecundùm Ribe-
ram ab eo citatum, *Pedes Chriſti ſunt hoſtes
Chriſti à Chriſto calcandi, & igne gehennæ cru-
ciandi.* Sic eſt exacerbatus ut minetur, ſiccita-
tem mari inferre, terræ ſolitudinem, & cœlis
tenebras invehere, *In increpatione meâ deſer-
tum faciam mare, ponam flumina in ſiccum,
computreſcent piſces ſine aquâ, induam cœlos*
l Iſai. 50. 2. *tenebris* l. Heu! quantus furor, quanta ira!
m Nah. 1. 6. *Ante faciem indignationis ejus quis ſtabit? &
quis reſiſtet in irâ furoris ejus* m? Quam ſeve-
rum & furore plenum eſt judicium iſtud! *Dies
Domini crudelis, & indignationis plenus, & iræ,
furoriſque, ad ponendam terram in ſolitudinem,*
n Iſai. 13. 9. *& peccatores ejus conterendos de eâ* n. Cùm exer-
citus Antiochi omnia depopularetur, in
res ſacras æquè ac in profanas fureret, Vir-
gines æquè ac mulieres violaret, alios oc-
ciderat numero ferè infinito, & alios in
captivitatem redigeret, quorum non erat nume-
rus, inquirens hiſtoriographus ſacer cauſam tot
ruinarum, nullam aliam invenit, niſi exiguam
ſcintillam iræ Dei, dicens, *Propter increpationem
Deus noſter modicùm eſt iratus* o. Heu! ſi o 2. Mach. 7. 33. &c.
ſtrages ſic inaudita, ſi deſolatio ſic immodica,
exiſtimata fuit effectus unicæ & ſolius ſcintillæ
iræ Dei, quid erit cùm veniet miſſurus impios *in
ignem æternum* p? Quid agetur horribili die p Matth. 25. 41.
iſto, quo induet *Dominus fortitudinem, & ſe vir-
tute* q præcinget? Peccator, quid futurum eſt q Pſ. 92. 1.
de te? quodnam aſylum invenies die hoc terro-
ris, quo omnia tibi adverſabuntur? *Pugna-
bit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* r. r Sap. 5. 21.
Heu! quàm infortunatus eris. *In furore ſuo
conturbabit eos* s. Sola ejus præſentia timorem s Pſ. 2. 5.
tibi incutiet. Si verò fratres Joſeph memores
injuriæ à ſe irrogatæ fratri ſuo, nullum proferre
potuerunt verbum coram illo in Ægypto, niſi
ſubmiſſionis, etiamſi Joſeph ipſis diceret, *No-
lite timere, vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus
vertit illud in bonum* t: Heu! quid agetur de t Gen. 50. 19. &c.
te, eò quòd tradideris, vendideris, & in crucem
ſuſtuleris Deum tuum? Nullum ampliùs habe-
bit conſolatorium verbum, inſtar Joſeph, ſed ſo-
la tonitrua & fulmina ad conterendum caput
tuum impium. Et ſi ſceleſtus Rex Baltaſſar
totus tremefactus eſt ad aſpectum decreti mortis
adversùm ſe in pariete ſcriptis exarati; cùm e-
nim convivio indulgeret, *in eadem horâ appa-
ruerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis
contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ re-
giæ, & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis;
tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes
ejus conturbabant eum; & compages renum ejus
ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collide-
bantur* u: hæc omnia tamen nihil ſunt compa- u Dan. 5. 5. & 6.
rata iræ Dei adversùs peccatores; profectò e-
nim millies morerentur, ſi ad augendam ipſorum
pœnam, Deus ipſorum non prolongaret vitam.

Vocatur dies iſte ab Apoſtolo x, *Terribilis* x Hebr. 10. 27.
*quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio,
quæ conſumptura eſt adverſarios.* Quæ verba
ita explicat Dionyſius Carthuſianus y, *Id eſt, me-* y Dion. Carth. a. 10. in Hebr. 10. 27.
*tuendum eſt ipſum Dei judicium, & ſolicitè ex-
pectandum; & ignis æmulatio, id eſt, pœna ſeu
infeſtatio ignis gehennalis, ſeu ejus qui præcedet
faciem Judicis; de quo legitur, Ignis ante ipſum
præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos e-
jus* z, *quæ pœna ſeu æmulatio conſumptura, non* z Pſ. 96. 3.
*annihilatura, ſeu corruptura, ſed æternaliter af-
flictura, & quantùm ad bene eſſe conſumptura eſt
adverſarios veritatis, hoc eſt, æmulos Chriſti ſeu
reprobos.* Quod cùm ita ſit, quâ fronte apparere
poterimus coram eo, quem ita perſæpè offendi-
mus? Eodem D. Paulo coram Felice Præſide
Judææ idololatrâ *diſputante de judicio futuro,
tremefactus Felix* a eſt. Idolorum cultores a Act. 24. 25.
tremore concutiuntur ad ſolum judicii verbum
prolatum, & Chriſtiani diem illum horribilem
deridenti; Principes audito ſolo judicii nomine
pavent, & homines plebeji de eo parùm ſunt ſo-
liciti; Præſides illud judicium metuunt, & Rei
illud contemnunt. O dementia inaudita! ô
infelicitas ſanguineis lacrymis deflenda! D. Hie-
ronymus, iſte ſolemnis cultor ſolitudinis de ju-
dicio nunquam cogitabat niſi præ fletibus ac ſu-
ſpiriis, & conſequenter hoc nobis ſalutare pro-
nunciatum eructavit ex ore, quod intus impreſ-
ſum cordi ſuo deferebat, inquiens, *Sive legis, ſive*
der-

Digitized by Google

dormias, ſive ſcribas, ſive vigilabis, Amos tibi ſemper buccina in auribus tuis ſonet b. Eodem ducebatur Job c affectu, & iiſdem percellebatur timoribus, *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Cùm eſſet *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini; & cùm iter faceret ut appropinquaret Damaſco; ſubitò circumcumfulſit eum lux de cælo; & cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi; Saule, Saule quid me perſequeris?* Deus vult illum lucrari judicio miſericordiæ. Saulus attonitus ob auditam hujuſmodi vocem, *dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*: Saulus, Auditores, ex hoc reſponſo ſuffuſus pudore; *tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere* d? Ecce coram te proſtratus jaceo, age de me quidquid tibi placuerit, ure, ſeca, diſcinde, contere me, & effice me tuorum victimam rigorum. Heu! peccator, non erat hoc niſi judicium miſericordiæ, quid agetur de te ubi venerit judicium iſtud juſtitiæ Dei? Si ille qui fuit *prius blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus, quia ignorans in incredulitate* e fecit, perſpicax deinde factus, tremore tanto concutitur ut vix animos poſſit reſumere; *& ſi juſtus vix ſalvabitur; impius & peccator ubi parebunt* f? Quid dicturus es, peccator, *cùm venerit Filius hominis* furore & irâ excandeſcens? Vulnera illius te damnabunt, Sanguis ejus ſic abundanter effuſus vindictam de te expoſcet & capeſſet, *En ſanguis ejus exquiritur* g. Iſtud *lanceâ latus* apertum, deponet contra te. Caput iſtud *ſpinis* h coronatum tuam ſuperbiam accuſabit. Genæ iſtæ quæ *alapam* i ſuſceperunt propter vos, Dominæ meæ, vanitatis inſimulabunt pigmenta, quibus faciem veſtram pingitis. Os iſtud *aceto* k potatum, veſtram condemnabit crapulam, guloſi, *quorum Deus venter eſt* l. Iſti *oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lota, & reſident juxta fluenta pleniſſima* m, aſpectus tuos incuſabunt obſcœnos, impudice. Quanta infelicitas, ut ille qui noſter *Mediator* n erat, & quem habebamus *Advocatum apud Patrem, Jeſum Chriſtum* o, Judex efficiatur noſter ſeveriſſimus.

b D. Hier. lib. de Regul. Monach. c. 23. ex Amos. 7. 4.
c Job. 9. 28.
d Act. 9. 6. &c.
e 1. Tim. 1. 13.
f 1. Petr. 4. 18.
g Gen. 42. 22.
h Jo. 19. 2. & 34.
i Jo. 18. 22.
k Jo. 19. 29.
l Philipp. 3. 19.
m Cant. 5. 12.
n 1. Tim. 2. 5.
o 1. Jo. 2. 1.

Volens Rex Darius reædificandum templum Jeroſolymitanum, quod deſtructum fuerat, decretum iſtud ad omnes civitates ditioni ſuæ ſubditas mittendum ſategit, *A me poſitum eſt decretum, Ut omnis homo qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem ejus publicetur* p. Heu! quàm levium erat illud decretum: Ecce, peccatores, Deus præceperat vobis ut ædificaretis templum ſuum bonis operibus, orationibus, jejuniis, eleemoſynis, ſanctitate & praxi virtutum; iſtud mandatum non eſtis executi; quid eveniet vobis? Præcipiet Deus ut veſtrâ *tollatur lignum de domo, & erigatur, & in eo* configamini; hoc eſt ſupplicium quod veſtræ affligetur inobedientiæ. Qualis dolor, quantus pudor, quàm ingens amaritudo, quàm immodica confuſio, ut veſtrâ *tollatur lignum de domo, & erigatur, & in eo* configamini. Sed quid eſt hoc? Id eſt, quòd humanitas ipſa Jeſu Chriſti, quæ eſt *de domo* noſtrâ, & è naturâ noſtrâ, noſtris *os ex oſſibus, & caro de carne* q noſtrâ, condemnabit nos, & pronunciabit decretum mortis adversùm nos.

p 1. Eſdr. 6. 11. &c.
q Gen. 2. 23.

Joab naturaliter diligebat Abſalonem ob eximias qualitates, quas in illo obſervaverat, idcircò *intelligens quod cor Regis verſum eſſet ad Abſalom, miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem* r, quæ reconciliationem illius cum Patre ipſius Davide negotiaretur. Sed deinde advertens quòd ingratus iſte filius rebellionem formaſſet adversùs Patrem ſuum s, eique bellum indixiſſet, ſibique fuiſſet nunciatum eundem *Abſalom pendere de quercu, tulit tres lanceas in manu ſuâ, & infixit eas in corde Abſalom* t. Jeſus Chriſtus, Auditores, reconciliaverat nos Patri ſuo, cui *complacuit per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* u. Heu! ingrati & rebelles inſurreximus adversùs eum, & bellum illi indiximus; in flagranti tandem nos deprehendit delicto, & nobis cor perforat, ſed aliis lanceis acutioribus, & hæ erunt illæ tres, quas audiens à me craſtinâ die, *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Heu! quis non fremet? quis timore non concutietur, memor judicii illius? *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo* x. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus y, *Id eſt, peccata veſtra deflete, vitam corrigite, Deo placere contendite.* Ut autem ita finiam hunc diſcurſum, ſicut eum incepi, dico vobis cum Angelo hæc verba Apocalypſis z, *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.* Id eſt, ut explicat idem Dionyſius Carthuſianus a, *Quoniam propè eſt ut ſingulos tempore mortis judicet judicio particulari, omneſque ſimul judicio univerſali.* Cogitate ſemper de hoc formidabili judicio, recordatio illius vobis eſt omnino neceſſaria, *Memento noviſſimorum, noli oblivviſci, neque enim eſt converſio* b. Præ noſtris mentis oculis habendus eſt jugiter terribilis iſte judicii dies ut pædagogus noſter, & ſic à Divinorum tranſgreſſione declinabimus mandatorum.

r 2. Reg. 14. 2. &c.
s 2. Reg. 15. 1. &c.
t 2. Reg. 18. 10. & 14.
u Coloſſ. 1. 19. & 20.
x 2. Cor. 5. 20.
y Dion. Carth. art. 9. in 2. Cor. 5. 20.
z Apoc. 14. 7.
a Dion. Carth. a. 19. in Apoc. 14. 7.
b Eccl. 38. 25.

Deus bonitatis & miſericordiæ, quippe qui *miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam: Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti* c, cùm quandiu ſpirat in præcordiis noſtris anima, brachia jugiter habeas ad amplectendos nos extenſa, imprime, obſecro, cordibus iſtorum omnium Auditorum neceſſariam recordationem extremi hujus diei, ita ut ſinguli dicere tibi poſſint, *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui* d; nec ullus ſit ex eis, qui *in vacuum gratiam* e tuam recipiat, vitiis indulgendo. Tu verò Salvator mundi, qui *in laboribus à juventute* f tuâ fuiſti propter nos, *qui dilexiſti nos, & nos à peccatis noſtris in Sanguine tuo* g laviſti, effice ut *tantus labor non ſit caſſus* h. Et ſatage ut ſub hâc felici recordatione judicii tui, hæc memoria perennis procuret nobis poſſeſſionem gratiæ tuæ in hoc mundo, & gloriæ tuæ in altero ſæculo.

c Sap. 11. 24. & 25.
d Pſ. 118. 120.
e 2. Cor. 6. 1.
f Pſ. 87. 16.
g Apoc. 1. 5.
h Eccleſia.

FERIA

FERIA III. POST DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. &c.
Matth. 25. 31. &c.

SI unquam habuiſtis, Auditores, undatimetetis & terreremini; timore modò æquè ac ſtupore concutiemini, cùm triſtem peracturus ſum vobis terribilis diei judicii extremi enarrationem. Nihil eſt quod non tremat, pavote percelluntur omnia, nec ullus inveuîtur aſyli locus. Judicium horrendiſſimum erit, dies crudeliſſimus; inquiſitiones erunt exactiſſimæ, Teſtes validiſſimi; decretum juſtiſſimum ſed etiam ſeveriſſimum omnium eorum quæ aliquando lata fuerint, prounciabitur modò. Heu! quid agetur de nobis? *Columna cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus* a. Quod ſic expl eat Hugo Cardinalis b, *Id eſt, Angeli, vel ſancti Prædicatores, ſuper quos fabrica Eccleſiæ fundata eſt, contremiſcunt & pavent ad nutum ejus, id eſt, in contemplatione ejus.* Heu! Angeli paradiſi quos ſacra Scriptura ounucupat columnas firmameoo, cives cœli, aulici Curiæ Empyrei tremore concutiuntur; quid fiet tabulis, ſi tremor incutiatur columnis? quidnam agetur de peccaroribus puſillanimis, qualis erat *Therſites Græcorum omnium fœdiſſimus, quem Achilles ſibi procaciter convitiantem pugno ictus interfecit* c? Quid evadent arundines vento agitatæ, pinnulæ ventorum indices iooconſtantes reorum, & quamnam poterunt pol.iceri ſibi ſecuritatem, ſi innocentes timore percellantur? Heu! Auditores, totus corpore contremiſco, memor diei iſtius horrore & confuſione plenæ, qualis exhibetur nobis ab Eccleſia, *Dies illa dies iræ, calamitatis & miſeriæ, dies magna & amara valde.* Quà ſuavitas convertetur in rigorem, quà miſericordia nullam habebit ampliùs dominationem & authoritatem, & quà juſtitia ſua exercebit ſupplicia, *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque* d. Quo *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur* e ad deplorandum hominum commune infortuniom. Deliquium ferè patior animi, & deſunt mihi vires, Auditores, ex ipſo hoc exordio. Examen ſeveriſſimum! Teſtes convincentes! crimina manifeſtiſſima! decretum inauditum! judicium formidabile! ſententia ſine appellatione! Divine Spiritus tuam imploro gratiam, diſpone vocem meam, inſla pulmones meos, attolle cogitationes meas, dilata pectus meum, corrobora animum meum, & auge vires meas. Tu verò Virgo Deipara verum aſylum & *Refugium peccatorum* f, dignara me intueri proſtratum coram pedibus tuis, implorantem auxilium tuum: *Mater gratiæ*, tuos inſume favores, propitium reddito nobis Filium tuum, cùm *Deus ultionum Dominus* g in æternitate, *Agnus* h ſuavis effectus fuerit in ſinu tuo i, poſtquàm dixit tibi Angelus, *Ave Maria.*

a Job. 26. 11.
b Hug. in Job. 26. 11.
c Calep. in Dict. V. Therſ.
d Iſa. 13. 9.
e Matth. 24. 29.
f Eccleſia.
g Pſ. 93. 1.
h Io. 1. 29.
i Luc. 1. 31. & 28.

Non poſſum dignè eluqui de re, de qua diſertiſſimæ quæque linguæ non valent diſſerere; cujus gravitas facundiſſimos quoſque ad extremum uſque redigit agonem Oratores, & eloquentiſſimos Viros omnino mutos efficit; ita ut eandem afferre poſſim excuſationem hoc in occurſu, quam prætexuit Jeremias k, cùm ad propherandum mitteretur à Deo, *Et dixi, A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum:* lingua mihi non eſt, aut ſermo ad differendum de iſto judicio, cui annunciando planè ſum indoneus, de quo non poſſum niſi balbutire more infantis; deeſt mihi animus æquè ac eloquentia ad ſuſcipiendum iſtud officium, & ad deferendum ad vos ita triſte nuncium, ſola memoria illius mihi verbum abripit, & innumeris quatit me commotionibus. *Admiramini & obſtupeſcite*, exclamat Propheta Habacuc l, *quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur. Hoc eſt*, ait Cornelius m, *valde admiramini, & obſtupeſcite; geminatio enim ejuſdem verbi apud Hebræos ſignificat actionis vehementiam, & gradum quaſi ſuperlativum.* Et licèt iſtud intelligatur communiter de excidio Jeroſolymorum, & templi, & de captivitate Judæorum per Nabuchodonoſor & Chaldæos, Alii tamen iſtud applicant judicio. *Juravit per viventem in ſecula ſeculorum, quia tempus non erit ampliùs* n veniæ, pœnitentiæ, & miſericordiæ. *Quomodo autem tempus ampliùs non erit*, ſubjungitur à Dionyſio Carthuſiano o ex iis quæ immediatè pòſt ſequuntur ex Apocalypſi, *Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli cùm cœperit tubâ canere, id eſt, fortiter prædicare, conſummabitur, id eſt, ad effectum ducetur ſeu perficietur myſterium, id eſt, ſecretum Dei, quod in fine mundi præſignavit implendum, ſicut evangelizavit per ſervos Prophetas; qui tam in veteri quàm in Evangelicâ Lege fuerunt, atque de Chriſti myſteriis conſummationeque ſeculi, & retributione finali noſcuntur locuti.* Tunc non erit merito ſibi comparando locus, tunc unicuique erit reddenda ratio vocationis ſuæ, tunc Teſtes acerrimi coram unoquoque componentur, Judex *tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ* ad pronunciandum decretum conformiter ad opera ſingulorum. Beati & millies beati illi qui apprimè negotiati fuerint *talenta* p ſibi commiſſa; ſed infortunati ii qui commiſſum ſibi *talentum in terrâ* abſconderint in contemptum Domini qui illud ipſis commiſerat. Attendite igitur, ſi placet, & oſtendam vobis juxta ea quæ pollicitus ſum vobis heſternâ die, ea quæ peragentur in hoc judicio, nimirum diſcuſſionem conſcientiarum, examen Teſtium, & decreti pronunciationem; quæ totum hoc judicium component, & diſcurſui iſti materiam ſubminiſtrabunt. Hoc ergo nobis eſt videndum, quodnam peragendum ſit die illo extremo.

k Jer. 1. 6.
l Habac. 1. 5.
m Cornel. in Habac. 1. 5.
n Apoc. 10. 6. & 7.
o Dion. Carth. art. 11. in Apoc. 10. de ſe.
p Matth. 25. 15. & 18.
Propoſitio.

Juſtiſſimum eſt & rectiſſimæ rationi conſonum, ut, cùm Deus omnes dies vitæ noſtræ libertati noſtræ commiſerit inſumendos ad ſectandum vitium, aut ad virtutem amplectendam, cùm ſalus noſtra aliqoo modo pendeat ex nobis adjutis gratiâ Dei exigentis conſenſum noſtrum

ad

ad benè & meritoriè operandum, cùm poſſimus eſſe noſtræ felicitatis artifices, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum* q; unum diem reſervaverit ſibi, *Ecce dies Domini veniet* r. Et cùm potentiæ ſuus aſſignatus fuiſſet *dies* s in creatione, miſericordiæ ſuus *dies ſalutis* t in redemptione, juſtitiæ etiam debebatur dies proprius, *dies Domini crudelis* †, deſtinatus dies ad mulctandas ingratitudines noſtras, ad fulmina iræ ſuæ vibranda in temeraria & impia noſtra capita. Dies iſte eſt formidabilis judicii, quo venit ad examinanda exercitia noſtra.

q 1. Cor. 15. 10.
r Iſai 13. 9
s Gen. 1. 5 &c.
t 2. Cor. 6. 2.

Ad reddendum judicium authenticum & legitimum, quod *eſt actus legitimus trium perſonarum, qui redditur inter ſtipulantes*, ſecundum Juriſperitos, tres perſonæ requiruntur, Judex, Reus, & Accuſator; & quando factum negatur, quarta perſona requiritur, utpote Teſtes. Atqui in judicio univerſali, nihil iſtorum deerit. Judex erit Jeſus Chriſtus *Filius hominis.* Peccatores erunt Rei vel Accuſati. Teſtes & Accuſatores erunt omnes creaturæ, *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* u. Sed ecce examen. En pervenîſtis (dicet Deus impiis) ad hunc diem, quem perſæpè vobis fueram minitatus, & quem ita parùm veriti eſtis, ut vix credideritis eum fuiſſe veſtræ fidei articulum, *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos* x. Venit tempus quo exactam reddituri eſtis rationem omnium actionum, loquelarum, & cogitationum veſtrarum; ecce nunc ſedeo *ſuper ſedem majeſtatis* meæ, ut ſuper iis omnibus vos inquiram; ipſe, quem ſic malè excepiſtis, quem minimo veſtro commodo poſtpoſuiſtis, quemque minoris æſtimaſtis quàm obſcœnam voluptatem; ipſe, quem repetitis veſtris criminibus *rurſum* y crucifixiſtis. Reddite ergo mihi *rationem* z eorum omnium quæ peregeritis, ſive cogitationibus, ſive verbis, ſive operibus; ſive omiſſionibus. Quis poterit vos excuſare, ſi peccata veſtra omnium hominum oculis ita ſint manifeſta? Quænam poteſtas & authoritas defendere vos poterit, ſi omnis reſiſtentia eſt vana & irrita coram me? Quis locus poterit eſſe aſylum aut refugium veſtrum, ſi ſemper me inveniatis præſentem a?

u Sap. 5. 21.
x Eccleſi. in Symbolo Fidei. ex Act. 10 42.
y Hebr. 6. 6.
z Luc. 16 2.
a Jer. 23. 24

Tunc anima præſentatur coram tribunali Dei, ut exactam reddat rationem omnium actionum vitæ ſuæ, adminiſtrationis omnium bonorum naturæ & gratiæ; cogitationum non ſolùm criminoſarum, ſed etiam inutilium; omnium occaſionum quæ ritè non fuerint inſumptæ ad peragendum omne bonum, quod in noſtrâ erat poſitum poteſtate, & quod nobis à regulis charitatis præſcriptum eſt. Ibi Reges & Magnates majori non cumulabuntur favore, quàm paſtores & homines plebeij: quin imò enormiora erunt crimina in illis qui ad majorem adſtringebantur virtutem, ad repræſentandam bonitatem Dei æquè ac potentiam ejus; quique cùm plus accepiſſent à miſericordiis ejus, tenebantur et majora præ exactiori fidelitate impendere obſequia.

Scientiæ cum omnibus induſtriis ſuis ne minimam formare poſſunt querelam coram Judice, qui eſt *ſcrutans cor, & probans renes, qui unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum* b dat; quique majori damnat rigore culpas, quæ non perpetrantur præ ignorantiâ. Nihil ibi magnificatur niſi actiones virtutis, quæ rariſſimæ ſunt, quippe quæ contrariæ inclinationibus noſtræ naturæ corruptæ. Res inaudita! quòd tempus miſericordiæ ſit in hâc vitâ, in quâ tenebræ mentis noſtræ, & inordinationes cordium noſtrorum efficiunt ut illius amittamus occaſiones; & quòd non ſit ampliùs niſi tempus juſtitiæ, quandiu viſum habemus perſpicaciorem ad intuenda obſequia noſtra. Tunc enim agnoſcimus nos dignos qui impetamur fulmine hujus maledictionis, quæ nos ab æternâ ejiciat viſione Dei. Quæ rabies? quæ deſperatio! Nihil habebimus reſpondendum, cùm tempus amiſerimus operandæ ſaluti noſtræ accommodum, quod neglexerimus quandiu viveremus, *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum* c.

b Jer. 17. 10.

Peccator igitur *redde rationem villicationis tuæ* d. Ubinam ſunt tot gratiæ, tot beneficia, quibus te jugiter cumulavi? quomodo iis uſus es? quâ ratione ea inſumpſiſti? nunquid non illis abuſus fuiſti? *Redde rationem* tot variorum mediorum, quæ tibi ſubminiſtravi ad operandum ſalutem tuam: tot Sacramentorum, quæ tibi providi, & quibus communicaſti ad roborandum te in praxi virtutum. Quomodo ea adhibuiſti? quânam reverentiâ ad ea acceſſiſti? Nunquid non præ conſuetudine, ne dicam præ hypocriſi, ut hominum tibi conciliares æſtimationem? *Redde rationem* quomodo meos adhibueris labores. Applicuiſtine tibi meritum Sanguinis mei? Quamnam gratiarum actionem præ iis mihi rependiſti? Ha! immemor beneficiorum, eſtne hæc ingratitudo compenſatio munerum, quibus te cumulavi? Utquid opus erat ut tantum laborem ſuſciperem pro hominibus qui ſuſcepta non agnoſcunt beneficia? *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi* e, ſumentes occaſionem offendendi mei è propriis meis favoribus. Ha! peccator ingrate, meréris ut eripiam tibi eos, quos tibi conceſſi, & retraham à te meas gratias, ut aliis eas erogem, qui pro iis reciprocas impendent mihi gratitudinis vices.

c Pſ. 106. 42
d Luc. 16 2.
e Pſ. 108. 4.

Vos verò mulieres vanæ & mundanæ reddite *rationem* iſtarum converſationum ſecretarum, harum privatarum familiaritatum, quæ declinabant à luce, ne teſtes haberent impuritatis ſuæ; *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* f. Reddite *rationẽ* honoris veſtri violati, thori veſtri cõjugalis inquinati, carnis iſtius venditæ, animæ veſtræ oblivioni traditæ, ut totũ impenderetis corpori. Reddite *rationẽ* faciei veſtræ *ad imaginẽ Dei* g factæ, pigmentis deformatæ, Legis Divinæ contemptæ, tot damnatarum per veſtram culpam animarum. Infelices quæ ſtipendiariæ fuiſtis diaboli ut ei animas lucraremini pretioſo meo *Sanguine* h lotas, reddite *rationem* i tot verborum otioſorum, tot cogitationum obſcœnarum, tot aſpectuum impudicorum, tot faſtuum, tot diſſolutionum, tot prodigitatum, & tot ſcandalorum, quibus ruinam puſillorum machinatæ fuiſtis.

f Jo. 3. 20.
g Gen. 9. 6.
h Apoc. 1. 5.
i Matth. 12. 36.

Ha! peccator, omnes creaturæ accuſabunt te, & inſurgent adversùm te. Quotnam Teſtes adverſabuntur tibi? *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio & condemnabunt* te. Ethnici ipſi juſtitiam expoſcent contra te, eò quòd abuſus

k Matth. 12. 41.

uſus fueris luce & notitiâ, quâ prædıtus eras ad
l Pſ. 36. 27. declinandum *à malo & bonum* l faciendum.
m Pſ. 118. 137. *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum* m.
Caſtiga hos infractores mandatorum tuorum,
ut experiantur effectus iræ tuæ, cùm noluerint
n Pſ. 33. 9. guſtare, *quoniam ſuavis* n es Domine: *Con-*
vertantur peccatores in infernum o, ut in his
o Pſ. 9. 18. abyſſis plectantur ſupplicio impietati ſuæ con-
ſono; *Erubeſcant impii, & muta fiant labia*
p Pſ. 30. 18. & 19. *doloſa* p, ita ut ne illis verbum ſuppetat quo ſe
tueantur. Ha! infortunati illi notitiam ha-
buerunt veritatis, & eam dedignati ſunt ample-
cti, noluerunt *benedictionem, & elongabitur*
q Pſ. 108. 17. *ab* q *eis*. Cumulus omnium infortuniorum!
r Pſ. 67. 2. Omnes clamabunt, *Exurgat Deus, & diſſipen-*
tur inimici ejus r. Domine ſatis miſertus es om-
s Sap. 11. 24. *nium, peccata hominum propter pœnitentiam* s
t Pſ. 34. 2. diſſimulando: *Apprehende arma & ſcutum* t.
Arma te zelo, ulciſcere te de tot injuriis tibi ir-
u Pſ. 93. 2. rogatis; *Redde retributionem ſuperbis* u. Depri-
me hos homines arrogantes, qui ædificant tur-
x Gen. 11. 4. & 9. res *Babel* x in inani mente ſuâ; hos tumidos,
qui auras captant populares, & vento paſcuntur
more chamæleontis.

Angeli tutelares, peccator, deponent contra
te, eò quòd ſalutaribus ipſorum adhærere no-
lueris monitis, & eaccuttoni mandare internas
inſpirationes quas tibi ſuggerebant. Attende ti-
bi dives, inquiebant illi, *Divitiæ ſi affluant*,
y Pſ. 61. 11. *nolite cor apponere* y, nedum alienum concu-
piſcas bonum. Propria opera noſtra adverſa-
buntur tunc nobis, & quaſi ora ſint habitura,
dictura ſunt nobis ſingulis, Opera manuum
tuarum ſumus, tibi jugiter adhærebimus, ne-
dum te relinquamus, & ad judicium uſque
te comitabimur, *In operibus manuum ſua-*
z Pſ. 9. 17. *rum comprehenſus eſt peccator* z. Væ igitur pecca-
tori qui abiit poſt vanitates, qui à vitiorum lu-
brico ſe abripi permiſit, qui criminoſis corruptæ
naturæ conſenſit voluptatibus & deliciis, qui
aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non
a Pſ. 35. 5. *odivit* a. Cujus lemitæ pollutæ fuerunt, nedum
ullum unquam bonum peregerit, *Inquinatæ*
b Pſ. 9. 26. *ſunt viæ illius in omni tempore* b. Ha! æquo
liberior iſte & nequam malum ſemper operatus
c Pſ. 5. 11. eſt, idcò *judica Deus* c illum, & manifeſta die
iſto juſtitiam tuam. Martyres ibi clamabunt,
d Apoc. 6. 10. *Vindica ſanguinem noſtrum* d. Omnes queren-
tur creaturæ, eò quod ad uſus fuerint illicitos
inſumptæ, *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt,*
e Rom. 8. 20. *non volens* e. Propriæ conſcientiæ peccatores
accuſabunt, *Teſtimonium reddente illis conſcien-*
f Rom. 2. 16. *tiâ ipſorum* f. Deus ipſe accuſabit te, peccator.
Quanto tremore concutiêris? quonam pudore
ſuffundêris? quidnam agetur de te homo miſer?
poterisne faciem ejus ſuſtinere, illius vocem au-
dire & opprobria? Ha! ingrate, inquiet ille,
conſidera, quòd dilexi te, & lavi te tuis *à pec-*
g Apoc. 1. 5. *catis in Sanguine* g meo. *Quid eſt quod debui*
h Iſa. 5. 4. *ultrà facere, & non feci* h tibi? Ego te formavi
i Gen. 2. 7. *de limo terræ, & in faciem ſpiraculum vitæ* i in-
ſpiravi tibi, ut frueteris eſſe, & eſſe rationali, *ad*
k Gen. 9. 6. *imaginem quippe factus* k es meam. Ego te
conſervavi, continuam gerens tuî curam l. Pro-
l Matth. 6. 30. pter te *ubi venit plenitudo temporis* m, fui *in*
m Galat. 4. 4. *ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus*
ut homo n. Pro te effudi Sanguinem meum ad ul-
n Philipp. 2. 7. timam uſque guttam, cùm *unus militum lan-*
ceâ latus aperuit o meum. Ob amorem tuum
o Jo. 19. 34. &c. fui *pauper ego, & in laboribus à juventute*
p Pſ. 87. 16. *meâ* p. Tandem, Perdidi me, ut te recupe-
rarem, *Venit enim Filius hominis quærere &*
q Luc. 19. 10. *ſalvum facere quod perierat* q, mortem oppe-
tens ad dandam tibi vitam. Quomodo autem
his omnibus uſus es gratiis? Quia expoſui vi-
r Galat. 4. 31. tam meam ut *libertate* r te liberarem, tu ha-
buiſti manus ad offendendas eas, quas *fo-*
s Pſ. 21. 17. *derunt* s inimici mei; & quas cruci ſuffigen-
das ideò permiſi ad tuendum te; & ſi habuiſti
cor, eo uſus es ad offendendum illud, quod
in Cruce perforatum eſt pro te.

Quanto pudore ſuffundêris peccator? Si
David confuſione opertus eſt, cùm imprope-
ravit ipſi Deus per Nathan Prophetam, *Ego*
unxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te
de domo Saul, & dedi tibi domum Domini
tui: quare ergo contempſiſti verbum Domi-
t 2. Reg. 12. 7. *ni* t? Quantò major erit confuſio tua, pecca-
tor? Nullum tibi ſupererit verbum, *Omnis*
u Pſ. 106. 42. *iniquitas oppilabit os ſuum* u. Nullum erit te-
ſtimonium, quod Dei Filius non inquirat ad
convincendum peccatorem, ſicut ipſemet ait
x Sophō. 1. 12. per Sophoniam x, *Scrutabor Jeruſalem in lu-*
cernis. Super quæ D. Hieronymus y ait, *In*
y D. Hier. in Sophō. 1. 12. *conſummatione mundi, quia dies Domini ipſa*
intelligitur, ſcrutabitur Dominus Jeruſalem,
id eſt, Eccleſiam ſuam cum lucerna. D. Ber-
z D. Bern. ſerm. 55. in Cant. nardus z verò hâc exactâ territus inquiſitione,
exclamat, *Quid tutum in Babylone, ſi Jeru-*
ſalem manet ſcrutinium? Quaſi diceret, Quid
habebit ſecurum anima peccatoris ſignificata
per Babylonem, ſi inquiſitiones ita ſint exactæ
Jeruſalem, quæ eſt figura animæ juſtæ? Nolo,
dicet Chriſtus, interrogare vos ſuper maximis
peccatis, ut clarè vobis pateat, quantùm diſpli-
ceat mihi teneri me condemnare vos. Non
loquor etiam de illis quæ perpetraſtis contra
a Exod. 20. 2. &c. præcepta mea negativa a, quæ cùm nullo liceat
tranſgredi tempore, & nullâ ſe offerente oc-
caſione, pœnam conſequenter merentur ipſa eò
majorem. Mitto tot blaſphemias, tot furta,
tot adulteria, tot odia & inimicitias, quibus
vos inquinaviſtis; ſed ſufficit mihi, ut reſpon-
deatis mihi ſuper iis quæ minorem præ ſe ferunt
difficultatem. Non interrogò vos de peccatis
omiſſionis, quæ cùm ſint contraria mandatis
affirmativis, aliquam præteacere poſſunt ratio-
nabilem excuſationem tempore, aut aliâ quâ-
vis occaſione. Dicite mihi, Quomodo exer-
cuiſtis opera miſericordiæ, quæ natura veſtris
ita intimè impreſſerat cordibus? Impendi-
ſtiſne pauperibus in neceſſitate conſtitutis cha-
ritatem? Quid dicitis? Ha! *Eſurivi, & non*
dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dedi-
ſtis mihi bibere: &c. Quid fiet? *Judicium*
ſine miſericordiâ illi, qui non fecerit miſericor-
b Jacob. 2. 13. *diam* b. Ecce decretum latum. Illud ego non
profero, ſed tantum annuncio tibi, peccator;
conſcius es mortis fratris tui, eò quòd illum
non paveris, & interitus illius ratio, à te re-
quiretur; quòd ſanè magna erit tibi confuſio,
quòd pro fruſto panis, aut aquæ calice paupe-
ri denegato, hoc pudore ſis operiendus coram
omnibus Angelis & hominibus. Memento, tu,
ſi invenire velis refugium die illo vindictæ, & re-
perire miſericordiam, eandem exerceas miſeri-
cordiam in hâc vitâ.

c 2. Timoth. 1. 16. D. Paulus c inſtanter Deum deprecatur
ut benedicat Oneſiphoro ob charitatem ab
eo ſibi multoties impenſam. *Det miſericor-*

diam Dominus Oneſiphori domui; quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit. Det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus d, *Det illi Dominus Pater invenire miſericordiam, id eſt gratiam adipiſci & vitam æternam à Domino Filio, cui Pater dedit omne judicium* e, *juxta illud, Deus judicium tuum Regi da* f; *In die illa, id eſt, in die mortis atque judicij.* Idem vobis dico, Auditores, Charitatem exercete erga pauperes, ut ſecuritatem *invenire* poſſitis & *miſericordiam* die horribili illo judicii, habere debitorem Deum ipſum, qui vos eſt judicaturus, *Amen dico vobis, Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Eleemoſynam erogantes pauperibus, eandem ipſam impenditis Jeſu Chriſto. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum* g in perſona pauperum, cùm tunc ſolùm operum bonorum ratio ſit habenda, nihil mercede donandum, niſi virtus; nihil ſupplicio plectendum niſi vitium, quod inſurrexit in Dominum ſuum.

d Dion. Carth. a. 3. in 2 Tim. 1. 16.
e ex Jo. 5. 22.
f Pſ. 71. 1.
g Rom. 13. 14.

Heu! peccator, nemo favebit tibi illo die rigoris, unuſquiſque tibi adverſabitur, & pœnas expoſcet tibi infligendas. Virgo ipſa Deipara, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis* h, res inaudita! unum provocabit Filium ad damnandum te; tunc ipſa nihil præ ſe feret niſi rigorem. *Luna convertetur in ſanguinem* i. Hæc *Luna*, quæ nos illuminabat per tenebras noctis hujus vitæ, non erit ampliùs hæc ſapiens *Abigail* k deprecans & demulcens ſuavitate influentiarum ſuarum iras illius magni Davidis exacerbati contra Nabales inſenſatos, id eſt, peccatores. Non erit pliùs hæc prudens *Thecuitis* l mediatricem ſe exhibens reconciliationis, rebellis Abſalonis non cum Davide, ſed cum Deo Patre ipſius. Nec ampliùs formoſa illa *Eſther* m orans Regem Aſſverum in gratiam nationis ſuæ contra perſecutiones Amani. Nullus erit tunc veniæ locus. Ipſe Deus Pater inſurget contra nos, præcipietque Filio ſuo ut ſeverè nos judicet. *Quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* n. Et quia ipſe judicatus eſt ab hominibus ob peccata noſtra o; ſic etiam judicaturus eſt eorundem hominum ſcelera. Qualis rigor! quanta capeſſendi timoris anſa!

h Eccl. 24. 24.
i Act. 2. 20.
k 1. Reg. 25. 23. &c.
l 2. Reg. 14. 4. &c.
m Eſth. 8. 2. &c.
n Act. 10. 42.
o Matth. 27. 26. &c.

Mementote, Auditores, ultimorum verborum, quæ protulit David capulo vicinus, filio ſuo Salomoni, commendans ei ut præmiaretur fideles ſervos ſuos, & ſupplicia ſumeret de criminoſis; inter alia autem dixit ei, *Habes quoque apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione peſſimâ; tu noli pati eum eſſe innoxium* p. Idem commendabit Pater æternus Filio ſuo, ne ſcilicet die illo crimina deſerat impunita, ſed ut ulciſcatur injurias ſibi irrogatas à peccatoribus, Eos *tu noli pati eſſe* innoxios. Vos autem Animæ chariſſimæ, fideles ancillæ Jeſu Chriſti, quæ inviolatâ obſervantiâ mandata Dei cuſtodiviſtis, audite quid commendet Deus Pater Filio ſuo in gratiam veſtrî, *Filiis Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua.* Præmiare, Fili mi, grata hujuſmodi Animarum obſequia, & cùm fideles fuerint in exiguo, impertire eis mercedem fidelitati ipſarum conformem, & eis gloriam largire ſempiternam; ideò effice ut in æternum ſedeant *comedentes in menſa tua.* Ut morem gerat Filius Patri ſuo, *tunc dicet his qui à dextris ejus erunt, Venite* Animæ electæ. Quàm ſuavis iſta vox erit! Quali gaudio, quantoque oblectamento perfundentur Electi! *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Pauperes Lazari, *ulceribus* q *pleni*, auſteritatibus, vigiliis, jejuniis, perpeſſionibus, contradictionibus, & injuriis onerati, portamini *ab Angelis in ſinum Abrahæ*, ibique ſatiamini ad delicias uſque æternas gloriâ & felicitate. *Venite benedicti Patris mei*, vos qui tantùm laboraſtis propter obſequium meum, vos qui tantis fuiſtis fluctibus impetiti, vos qui tantas tuliſtis perſecutiones ob amorem meum, *venite* potitum quiete; *venite* Electi mei, pretium Sanguinis mei; *venite benedicti Patris mei.* Felix & magnificus titulus! *Benedicti Patris mei* cæleſtis, Spiritus ſancti, & totius SS. Trinitatis. Qualis oratio! Eritne capax cor humanum ſuſcipiendi tanti gaudii? Qualis felicitas! quàm ingentes favores! & quàm immodica conſolatio! *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Quæ liberalitas! quæ magnificentia! pro obſequio temporali, regni cæleſtis poſſeſſionem adipiſci, quod nullis circumſcribetur limitibus, etiamſi labores ſuſcepti pro illo comparando ſint exigui & momentanei, ut ait Apoſtolus r, *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Quàm mirabilis & eximia merces! Quàm bonum eſt ſervitu tanto Principi, qui obſequia ſibi exhibita præmiatur ultra merita! Felices Animæ, quæ iſtud Regnum bonis operibus veſtris abripitis, quàm glorioſa ſunt trophæa veſtra! Vivite in æternum medias inter delicias paradiſi. Sed impolitus diſcurſus meus efficeret ut earum faſtidio afficeremini, nedum ex iis voluptatem caperetis. Ideò tranſeo è ſententia plena ſuavitate & clementia in decretum ſeveriſſimum eorum omnium quæ proferri poſſint.

p 3 Reg. 2. 8. &c.
q Luc. 16. 20. &c.
r 2 Cor. 4. 17. & 18.

Sed heu! lingua mea poteriſne iſtam exaggerare infelicitatem? Vox mea eritne ſatis valida ad explicandum illius horrorem? Sed an debone tale conſilium aggredi? Toto corpore contremiſco, & doloribus circumquaque cingor ſolâ vel illius cogitatione. Cœli ſiſtite hîc, Sol caligine offunde tua lumina, terra treme, aër tona, ignis deſcende deorſum, mare intumeſce, creaturæ omnes conclamate ad arma, lapides diſcindite vos ad deplorandam modo veſtro infelicitatem reproborum, *Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Decretum lamentabile! decretum plenum miſeriis! Infelices & infortunati, dicet Chriſtus converſus ad partem lævam, faciem præ ſe ferens formidabilem, *oculos tanquam flammâ ignis* b & vocem furore & indignatione plenam, *Diſcedite à me maledicti.* Inhorrent capilli mei, vox mihi deficit, tremore concutior, & ferè exanimis

b Apoc. 1. 18.

animis ſio, audiens iſtam vocem horribilem, *Diſcedite.* Heu! Domine, quò ibimus nos? Ecce expellis nos à facie tuâ; ſed *ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ* c? Ubi ſunt tuæ *viſcera miſericordiæ, in quibus* viſitaſti *nos, Oriens ex alto* d, ut nobis peccatoribus compateteris? Si expellis nos è præſentiâ tuâ, quomodo ab eâ ſeparati, unico vivere poterimus vel momento? *Apud te eſt fons vitæ* e, ſi diſcedimus à vultu tuo, profectò peribimus, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* f, *avertente autem te faciem*, turbabimur, *& in pulverem revertemur* g. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Satagite ut nunquam videam vos, ardete in æternum flammis, quas metuiſtis propter veſtra crimina; eſtote ſocii dæmonum & ſuppliciorum eorum, ſicut iniquitatis illorum & malitiæ fuiſtis conſcii. Noluiſtis habere me Patrem, in æternum experiemini inviti me Judicem, cùm vosmetipſi arma fabricaveritis, quæ in impia veſtra vibro capita. *Diſcedite.* Nunquam videbitis ampliùs Angelos, ab æterno illorum exulabitis conſortio, & pro domicilio æterna habebitis inferorum ergaſtula. Decretum formidabile! ſententia ſine appellatione & ultimum judicium! Sed quàm ingrati fuiſtis ac abuſi gratiis meis, & mediis, quæ vobis provideram ad operandam ſalutem veſtram. Ecce Crux iſta quæ damnat vos; ecce hæc vulnera quæ vindictam clamant adversùm vos, *Meus en Sanguis exquiritur* h, eò quòd illo abuſi fueritis ad molendam ruinam veſtram.

c Pſ. 88. 50.
d Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 8. & 6. 12.
e Pſ. 35. 10.
f Act. 17. 28.
g Pſ. 103. 29.
h Gen. 42. 22.

Mementote, Auditores, maledictionis inflictæ à Chriſto ficui infantili. Ratio illius maledictionis vibratæ adversùs eam, non fuit alia niſi quia cùm eſſet inter arbores fructibus onuſti, ipſa ſola erat ſterilis; nam Dei Filius *cùm veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia* i. Ha! peccator tu ſolus eris abſque fructu inter tot Prædeſtinatos, propterea maledicet tibi Deus, & damnabit te ad flammas æternas, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Qualis horror! quanta infelicitas! quæ rabies! *In ignem æternum.* Quæ fulmina, Auditores, peccatorum auribus intonabunt! Tunc dicent *montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab irâ Agni: quoniam venit dies magnus iræ* k. Terra tua aperi penetralia, & abſorbe nos, ſicut aliàs es *dirupta ſub pedibus* l Core, Dathan, & Abiron. Ignis deſcende deorſum ad redigendos nos in cineres. Mare tranſgredere limites tibi præſcriptos, & tuis immergito nos abyſſis, non poſſumus ampliùs ſuſtinere præſentiam talis Judicis, ita *horrendum eſt incidere in manus Dei viventis* m. *In ignem æternum.* Ha! quàm ſevera eſt juſtitia tua, Domine. Quis eam non formidabit? Quandiu Deus erit Deus, habitare cum dæmonibus inter flammas! quàm rude ſupplicium! quæ deſperatio! quæ rabies reproborum, ejecta à Deo in infernum, *ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur* n!

i Marc. 11. 13. & 14.
k Apoc. 6. 16. & 17.
l Num. 16. 31.
m Hebr. 10. 31.
n Iſai. 66. 24.

Decretum ſic prolatum miniſtri Divinæ Juſtitiæ confeſtim mandare ſatagent executioni, apprehendentes reos. *Et in puncto ad inferna deſcendunt* o. Bonis pro mercede paradiſus impendetur, malis verò carcer erit infernus. Qualis dolor miſeris iſtis, cùm futuri ſint æternum iræ Dei objectum! Heu! quid non dicunt? quas lamentationes, quos fletus, quænam ſuſpiria non emittunt? Poſſetisne hæc omnia audire, quin ſtatim moreremini ac diceret unus è reprobis iſtis, ſi ſic loqueretur? O palatium Dei quod amiſi! O infelicitas quam incurri! O triſtia dæmonum domicilia quibus me immerſi! Heu! miſer ego, cùm quæſiturus *mortem, non eam* p ſim inventurus, & ideò ſim in æternum victurus medias inter flammas in ſocietate dæmonum. O ſupplicia, ô gehenna, vos eſtis portio mea! O *claritas* q paradiſi nunquam me illuminabis, quippe qui te amiſi. Tenebræ palpabiles vos eſtis hæreditas mea. O ſpecioſum conſortium Animarum electarum, quibuſcum victurus eram in æternum, ſi infelicitas mea meos non obcæcaſſet oculos! O torrens *voluptatis* r, quo potantur ſpiritus beati, quomodo te mutavi *in ſtagnum ignis & ſulphuris* s! O *ferculum* t cœleſtis Salomonis; domicilium glorioſum Beatorum, quomodo te converti in locum pœnarum! Omnia perdidi; cùm te profligavi, & cùm te non poſſideam, quàm ingens eſt infortunium meum! O æternitas! O duratio nullo fine concludenda, eſtne verum, quòd poſt mille annos mala mea ſolùm incipient? Quàm perfidus ego fui, qui malui experiri hæc tormenta, quàm te cedere! Nunquid non intolerandâ percuſſus ego eram cæcitate? Crudelis ambitio tu mihi cauſa mortem! Divitiæ infortunatæ vos fabricaſtis catenas, quibus ſum alligatus! Amorea profani vos non ceſſatis exufflare & accendere ſtrictè illas, quæ iſtas peregerunt prunas! Perverſæ ſocietates vos eſt cauſa ruinæ & damnationis meæ! *Pereat dies in qua natus ſum* u. Utquid naſci mihi oportuit ad ſuſtinenda tot & ſic atrocia ſupplicia? *Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* Seu potiùs, *Quare non in vulvâ mortuus ſum, egreſſus ex utero non ſtatim perii?* Maledicta mater quæ me peperit, cùm futurus eſſem titio inferni. Utinam aſtra, quæ meum præſidebant adventui in hunc mundum, vice propitiorum ſuorum aſpectuum, venenatas vibraſſent in me influentias! Oportebatne ut in mundo unico viverem momento, victurus in æternum inimicus Dei?

p Apoc. 9. 6.
q Apoc. 21. 23.
r Pſ. 35. 9.
s Apoc. 20. 10.
t Cant. 3. 9. & 10.
u Job 3. 3. &c.

Domine Deus magne & terribilis x, *quàm incomprehenſibilia ſunt judicia* y tua! In æternum privari cœleſti beatitudine! Finiamus diſcurſum iſtum, Auditores; de eo ampliùs loqui non poſſum, veritus ne Sol eclypſim patiatur, & ſuos retrahat radios enarrantem tot & tanta infortunia. Pergite igitur ad cœlum Homines fortunatiſſimi, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Vos verò reprobi, *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus*, quique *flante Deo & ſpiritu iræ ejus* z accenſus, durabit tandiu quandiu Deus erit Deus. Vos autem, Auditores, ſi declinare vultis ab his infortuniis, debetis adhærere conſilio Pythagoræ ſito in conſiderandis duobus temporibus, nimirum veſperi & manè, uno ad intuendum id quod factum eſt, altero verò ad prævidendum illud quod peragendum eſt, *Duorum temporum eſt tibi habenda ratio, manè & veſperè; in altero gerenda proſpice, in altero reſpice quæ geſſiſti.* Mementote igitur temporis matutini vitæ veſtræ, & veſpertini interitus veſtri; illius, ad rememoranda & deflenda mala commiſſa; iſtius, ad repræſentandum vobis rigorem hujus diei furoris & vindictæ, eumque

x Dan. 9. 4.
y Rom. 11. 33.
z Job. 4. 9.

eumque evitandum, & ad inveniendum locum aſyli & refugii. Sed conceptui iſtius Profani jungendum eſt monitum ſalutare Prophetæ †,
† Pſ. 54. 16.
Deſcendant in infernum viventes, mente & cogitatione. Si iſtud conſilium executioni inviolatæ mandetis in vita veſtra, & ritè inſumatis gratias Dei, ſuam dabit ipſe gloriam vobis extremo judicii die ſempiternam.

FERIA IV. POST DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ.

Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Matth. 12. 41. &c. ex Ion. 3. 5.

QUònam redacti ſumus miſeriæ & infortunii, ut nunquam ſatis noſtra agnoſcamus bona, quàm ea perdendo; & parvipendamus illa quæ præ noſtris habemus manibus, nimirum ut ſpernamus occaſionem peragendæ ſalutis noſtræ, quæ ſeſe nobis offert, quibus ait
a Apoc. 3. 20.
Deus, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* a; & incurramus periculum amittendi occurſum noſtræ felicitatis, defectu notitiæ illius, & ob negligentiam noſtram? *Viri Ninivitæ pœnitentiam egerunt*
b ex Jon. 3. 5.
in prædicatione Jonæ b. *Regina Auſtri venit à*
c ex 3. Reg. 10. 1. &c.
finibus terræ audire ſapientiam Salomonis c, ait Evangelium noſtrum. *Dixitque ad Regem, Beati viri tui, & beati ſervi hi, qui ſtant coram*
† 3. Reg. 10. 6 & 8
te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam †. Deus autem loquitur nobis per Prophetas ſuas, per Verbum ſuum Divinum Jeſum Chriſtum in cathedris, in altaribus, in converſatione, in negotiationibus, in recreatione, & ubique; loquitur, inquam, nobis per Filium ſuum, qui major eſt Propheta incomparabiliter ipſo Jona, & infinitè ſapientior Salomone, *Et ecce plus quàm Jonas hic, & ecce plus quàm Salomon hic.* Et tamen dormimus illi, & impedimus ne corda noſtra aperiantur ad ſuſcipiendas ſalutares illius inſpirationes, & gratiis ejus cooperari nolumus.

Ha! obſecro, Auditores, *hodie ſi vocem*
d Pſ. 94. 8
ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra d. Nunquid ſemper aures noſtras internis illius motionibus obturabimus? Claudemuſne jugiter oſtium cordis noſtri ſacris ejus inſpirationibus? Non obduremus hodiernâ die cor noſtrũ; & ſi ad nos perveniat *vox Dilecti pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, im-*
e Cant. 5. 2.
maculata mea; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium e; eamus ad illum per pœnitentiam. Quid tardamus, imitati Reginam ſupradictam, egredi, non ex extremis Orientis regionibus, ſed ab ultimis Occidentis oris, id eſt, è centro nihili, quò peccatum nos re-
f Pſ. 72. 22.
degit f, per viam pœnitentiæ, & proſternere nos ante pedes veri & pacifici Salomonis, mancipare nos obſequio ejus, & tranſigere vitam noſtram ſub captivitate? cùm ſervitus ejus præferenda ſit omnibus imperiis & monarchiis mundanis, ſerviendo ipſimet Deo propter gloriam ipſius, qui habens in cœlo *millia millium, & decies millies*
g Dan 7. 10
centena millia g Angelorum miniſtrantium & aſſiſtentium ſibi, ipſemet *formam ſervi accipi-*
h Phil. 2. 7.
ens h propter amorem noſtrum, *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam*
i Math. 20. 28.
in redemptionem pro multis i, quaſi hominum famulus, ſtatim ac Maria honori duxit nomi-
k Luc. 1. 28. & 38.
nare ſe ancillam ipſius, reſpondens, *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum* k, Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria.*

Etiamſi aurora matutina ſit filia matris deformis, ſcilicet noctis, hoc tamen non impedit quin ipſa ſit pulchra, & mater formoſæ filiæ, & ſpecioſi filii, nimirum lucis Solis, & diei: Sic pœnitentia licèt ſit filia infortunati & abominabilis patris, id eſt peccati, quamvis videatur deformis, & nulla habere lenocinia præ oculis aliquorum, qui cùm à longè tantùm ipſam intueantur, & ſic conſequenter non perfectè ipſam cognoſcant, fidelem peragere non poſſunt narrationem pulchritudinum ipſius, nec ſolidum de meritis ipſius proferre judicium; hoc nihilominùs non efficit quin ipſa ſit ſpecioſa, & formoſum præ ſe ferat decorem, qui attrahat ſuper ipſam oculos & admirationes beatorum illorum ſpirituum, quibus eſt *gaudium in cœlo ſuper uno peccatore*
l Luc. 15. 7.
pœnitentiam agente l; & quorum præcipuum exercitium eſt *proſpicere* in objectum felicitatis
m 1. Petr. 1. 2.
ſuæ quod *non habet finem* n; quique conciliare
n Bar. 3. 25.
ſibi poſſit affectus illius, qui eſt *ſpecioſus formâ*
o Pſ. 44. 3.
præ filiis hominum o: non deſinit, inquam, ipſamet pœnitentia eſſe mater filiæ incomparabilis, nimirum gratiæ, & genitrix etiam illius, cui dici-
p Ibid.
tur, *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis* p; mater diei, & Solis, ſed diei miſericordiæ, & Solis *juſti-*
q Malach 4. 2.
tiæ q. Iſtud autem eſt ſpeciale, quòd aurora non meliùs noctem terminat, tenebras fugat, umbraſque diſſipat, nobiſque concupitam affert claritatem, quàm pœnitentia terminet, fuget, & diſſipet noctem horribilem peccati, & reducat nobis diem gratiæ, & lucem deſiderabilem Jeſu.

His obiter addere poſſem, quòd ſicut aurora ſic nuncupatur, quaſi quis diceret, auri hora, quia, ut obſervant curioſi rerum naturalium Indagatores, cùm aurora apparere incipit, aurum formatur in viſceribus terræ: Sic per virtutem pœnitentiæ, aurum gratiæ & charitatis formatur & diffunditur *in cordibus noſtris per Spiritum*
r Rom. 5. 5.
ſanctum, qui datus eſt nobis r.

Dicere etiam poſſem, quòd quemadmodum aurora ſic appellatur, ſicut ſi quis diceret, roris hora, propter rorem ſuavem, quem ſuper terræ ſuperficiem effundit ad nutriendos flores, creſcens ſemper in lucem donec ex ipſius viſceribus luridis exeat pater totius ſplendoris, ſpecioſum aſtrum diei, *luminare majus* s, quod diſſipa-
s Gen. 1. 16.
bit umbras, & expellens tenebras, colorem reſtituet omnibus rebus, quæ abſconditæ lumini & calori ipſius, amabili ipſius animantur præſentiâ: Sic pœnitentia mediis lacrymarum noſtrarum aquis, attrahit è cœlis ſuper terram aridam & ſterilem cordis noſtri imbribus Divinæ miſericordiæ inhiantis, rorem gratiæ, ut refloreat in horto animæ noſtræ roſa charitatis, viola humilitatis, & lilium caſtitatis! nec ceſſat donec hortus iſte ſupernis & cœleſtibus irrigatus gratiarum aquis, propitius & favorabilibus inſpectus à radi-

à radiis illius, qui *per viſcera miſericordiæ viſitavit nos, Oriens ex alto* r, & ſuaviſſimis inſpiratus venti Spiritus ſancti halitibus, producat tandem eum qui eſt *flos campi, & lilium convallium* u; animarum noſtrarum *Sponſus* x ſuaviſſimus, qui deſponſabit eas ſibi *in ſempiternum in miſericordia & in miſerationibus, & in fide* y; qui *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* z. æquè ac ardor Spiritus ſancti a, qui cùm ſit *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* b, illuminabit mentem noſtram, & inflammabit affectum noſtrum, & viam nobis pandet ad conciliandam nobis pacem & ſalutem.

[r Luc. 1. 78. ex Zach. 2. 9 & 6. 12. u Cant. 2. 1. x Pſ. 10. 6 y Oſ. 2. 19 & 20. z Sap. 7. 26. a Jo. 1. 26. b Jo. 1. 9.]

Tandem, Aurora hæc ſpecioſa non eſt magis præambula diei, & filii, quem producit ipſa è ſuis viſceribus luminoſis, id eſt, Solis; quàm pœnitentia ſit prænuncia gratiæ, & gratia genitrix gloriæ. Ad hanc igitur curramus, Auditores, pœnitentiam, ad quam amantiſſimè vocamur à Deo, qui vult ut communicemus meritis ipſius infinitis. Ad hanc pergamus pœnitentiam, ad quam nos invitat exemplum Ninivitarum ſic validè, ut pervenire poſſimus ad hanc gratiam, & ad hanc gloriam, quæ nos eſt aliquando coronatura, quæ nos invitat, quæ nos expectat, ut triumphemus denique glorioſè. [Propoſitio.] Ad hanc ergo pœnitentiam, cujus exercendæ volo vos edocere modos in progreſſu diſcurſus iſtius, contendamus.

Cùm pœnitentia ſit primum teſtimonium amoris, quod exhibere poſſimus Deo, ut teſtatus eſt ipſe Dei Filius Phariſæo hoſpiti ſuo in gratiam Magdalenæ pœnitentis, *Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* c; [c Luc. 7. 47.] una è præcipuis rationibus quæ inducere nos debent ad praxim illius, eſt utilitas & emolumenta quæ ex illius exercitio nobis proveniunt, cùm illa ſit una è viis principalibus, quibus inhærere poſſimus ad operandam noſtram ſalutem, inter cujus vias duo inveniuntur modi præcipui, nimirum innocentia, & pœnitentia; præterquàm quòd charitas, quâ affici debemus erga nos & ad operandam ſalutem noſtram, debet eſſe validiſſima ratio quæ nos inducat ad praxim ejus exercendam ſinceriſſimo quo poterimus modo, ita ut pœnitentia noſtra ſit vera, & non apparens tantùm & exterior, cùm Deo ſatisfaciat ſolum interius bonum, non autem ſpecies ementita; & ut hæc pœnitentia, quantùm citiſſimè in nobis erit, in praxim redigatur, habitâ ratione incertitudinis mortis noſtræ, & quòd mora praxis pœnitentiæ magis ſemper peccato nos alliget.

Homo diſſimulatus frontem aperire conſuevit, & cor regere, idcircò comparatur vulpi, quia vulpes latet ſub umbra foliorum vitis, ut omnia depopuletur, *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* d. [d Cant. 2. 15.] Super quæ D. Bernardus e ait, [e D. Bern. ſerm. 64. in Cant. 2. 15.] *Aſtutum ſiquidem naturâ hoc genus eſt animantis, promptumque admodum ad nocendum in occulto; & videtur mihi congruentiſſimè deſignare ſubtiliſſima quædam vitia, ſpecie palliata virtutum. Nec enim aliter nocere queunt, niſi quæ ſe virtutes, virtutum quâdam ſimilitudine mentiuntur.* Sic, ait D. Chryſologus f, [f D. Chr. ſerm. 7.] *Hypocriſis ſecura ſimulat, fallit proſpera, curioſa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, miſericordiam miſeratione proſternit.* Inventio diabolica! miſericordiæ injurioſa eſt, ſimulans ſe affectu erga eam duci. Hypocritas ſuſtinere non poteſt Deus, & ideò illos ejicit ab omni conſortio, *In concilio populi mei non erunt, & in ſcriptura Domus Iſraël non ſcribentur, nec in terram Iſraël ingredientur* g. [g Ez. 13. 9.] Et præ omnibus vetat nobis Deus ne labamur in hypocriſim, *Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum* h. [h Eccl. 1. 37.] Et conſequenter ut pœnitentiæ veræ vacemus praxi, non autem exterioris, apparentis, & ementitæ exercitio incumbamus, præcipit.

Cùm Deus ſeverâ in nos invehitur correptione, verba è corde ſuo promit minitantia, *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio.* Cujus rigoris rationem affert D. Chryſoſtomus i, [i D. Chr. Hom. 50. in Matth. 12. 41.] *Quia illi Prophetam receperunt, iſti Chriſtum Dominum illorum Prophetarum repulerunt. Illi neque Lege inſtructi, neque à Prophetis, neque ab Apoſtolis admoniti, ad Dominum converſi ſunt, cognoſcentes peccatum ſuum. Iſti tot præceptis eruditi Legis & Prophetarum, à Domino receſſerunt. Illi qui ſemper fuerunt populus diaboli, intra dies tres facti ſunt populus Dei: iſti qui ſemper videbantur populus Dei, intra dies tres crucifixo Chriſto facti ſunt populus Satanæ.* Scimus Ninivitas etiam paganos incubuiſſe pœnitentiæ, audientes prædicationem Viri incogniti, annunciantis ipſis ea de quibus ipſis nunquam fuerat ſermo factus, nedum peterent ab eo literas patentes miſſionis ipſius, aut miracula, per quæ veritatem aut authoritatem conciliaret ipſis quæ prædicaret: Judæos verò noluiſſe credere Chriſto Domino, qui prædixit ipſis miſeriam & ruinam ipſorum, quæ non eſſet futura comminatoria & conditionalis, ſicut deſtructio Ninives erat conditionata, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur* k. [k Jon. 3. 4.] Et qui ſubdidit, quòd omnes calamitates, quas paſſuri eſſent in hoc mundo, forent veluti præludia earum, quas perlaturi eſſent in altero ſeculo, juxta Prophetæ effatum, *Duplici contritione contere eos* l. [l Jer. 17. 18.] Vos autem Chriſtiani, qui ſic eſtis inſenſibiles poſt tot miracula, & ſic ingrati poſt tot favores & tot beneficia, ſcitote quòd *viri Ninivitæ ſurgent*, id eſt, ex nunc damnant vos, qui habentes fidem, contemnitis pœnitentiam, vel ſaltem differtis eam uſque ad mortem. Ninivitis erant ſoli *quadraginta dies*, & ipſi certi erant de ruina ſua, niſi ipſos ſuorum pœnituiſſet peccatorum; vobis verò non conſtat de die unico, & tamen pœnitentiæ praxi vacare negligitis.

Poſtquàm Rahab Jerichuntina glorioſè & honeſtè excepiſſet miſſos à Joſue *duos viros exploratores in abſcondito, qui ingreſſi ſunt domum, & quieverunt apud eam* m; [m. Joſue. 2. 1. &c.] verita ne, ſi detecti fuiſſent, in diſcrimen capitis adducti fuiſſent; rogavit eos ut, cùm denuò reverſi eſſent cum exercitu ad obſidendam ſuam civitatem Jerichuntinam, ſuî meminiſſe dignarentur, & omnium propinquorum ſuorum, *Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quo modo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei; detiſque mihi ſignum, ut ſalvetis patrem meum & matrem, fratres ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras à morte.* Iſtud ei polliciti ſunt ſolemni jurejurando, ſub hac duplici conditione, Priori, quòd ipſa eſſet congregatura apud ſe omnes propinquos ſuos, ut eidem communicarent favori, quo ipſam cumulaturi erant pro ſingulari beneficio quo ipſi ab ipſa fuerant affecti; Poſteriori verò,

quòd

quòd ipſa alligaret feneſtræ per quam exituri eſſent è civitate Jerichuntina, eundem funem, cujus interventu è ſuorum evaſiſſent ipſi manibus hoſtium in locum ſigni: *Qui dixerunt ad eam, Innoxij erimus à juramento hoc quo adjuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaveris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos: & patrem tuum ac matrem, fratreſque & omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam.* Conditionibus ita pactis & utrimque ſuſceptis, *Illa reſpondit, Sicut locuti eſtis ita fiat; dimittenſque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtra.* Quomodo Rahab? Nondum pervenit Joſue ad ima mœnium civitatis tuæ ad eam obſidendam. Mox ſpeculatores receſſerunt à te. Nunquid non ſufficiet apponere funem pro ſigno, cùm venerit Joſue cum ſuo exercitu? Abſit à me, ait Rahab, ut ita ſim negligens quantùm ad rem, in qua agitur de capite meo, & de vita omnium propinquorum meorum; eum appendere volo quando mihi ſuppetit modos & ocium illius apponendi: quis enim novit commotiones quæ evenire queant? & cùm libertas mea pendeat ex iſto funiculo, eum citò volo appendere. Ha! Auditores, ſi tantam præ ſe tulit hæc mulier diligentiam ad cuſtodiendam vitam temporaneam; quidnam non debemus agere nos ad conſequendam vitam æternam? Nullam interpoſuit illa moram ad ſalvandam vitam ſuam ſicut & propinquorum ſuorum; ſic & nos nullam afferre debemus intermiſſionem ad ſatagendam ſalutem noſtram, & ideò quamcitiſſimè poterimus veræ incumbere debemus pœnitentiæ exercendæ.

Confeſtim ac *percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, vocatis Pharao, Moyſe & Aaron nocte, ait, Surgite & egredimini à populo meo vos & filij Iſrael; ite, immolate Domino ſicut dicitis* n. Super hæc Cornelius o
n Exod. 12. 29. &c.
ait, *Veriſimile eſt, ipſummet Pharaonem tantâ ſtrage perculſum, timentemque pejora ſurrexiſſe, ut Moſen adiret, quem ſuaviter quieſcentem domi ſuæ inveniens vocando excitarit, dixeritque, Surgite egredimini. Id clarius habent Hebræa.* Alii ſentiunt ſuper hæc quæ ait Textus ſacer hic, *Exortus eſt clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus*; quòd certatim Ægyptii hortarentur populum Hebræum, ut citiſſimè ex Ægypto diſcederent, exiſtimantes, quòd longiſſimum foret, ſi diem vel unicum, aut ſolam horam differrent exire ex hujuſmodi regione, rati, quòd quò diutiùs in ea immorarentur, eò magis adversùs ipſos Divinam Iracundiam excitarent. Peccator, qui ſic immodico erga carnales voluptates duceris affectu qui intellectum tuum in captivitatem legum carnis redigis, viſne, ut ſatisfacias appetitui modici oblectamenti, animam tuam opprimere catenis Pharaonis? Utquid contemnis occaſiones peragendæ ſalutis tuæ per citiſſimam pœnitentiam, quas offert tibi Deus? Sed fatendum eſt, quòd ſalus tua valdè dubia eſt & incerta, cùm de ea ſis ita parùm ſolicitus.
o Corn. in Exod. 12. 30.

Viri Ninivitæ ſurgent, non ſolùm ut damnent nos negligentiæ noſtræ per ſuam diligentiam, ſed etiam eò quòd ita inſigni & excellenti incubuerint pœnitentiæ, *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum; & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem* p. Sed quinam ſunt iſti Chriſtiani qui credere velint, quòd plures anni tranſacti media inter ſcelera, exigant ſecula integra in pœnitentia revolvenda ad coæquandam pœnitentiam offenſæ? Saltem ſi perſuadere ſibi poſſent, quòd propter unicum peccatum lethiferum totâ vitâ ſuâ flere deberent, ex eo exeundi ipſis aliqua ſpes effulgeret. Sed audiant Davidem pœnitentem dicentem, *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo* q. Promiſſio inaudita! ſed conſilium Rege dignum! ait D. Chryſoſtomus r, *Audiant qui ſunt humiles & abjecti, qualem Rex & purpurâ indutus oſtendit pœnitentiam: audiamus, & compungamur. Non ſolummodò laboravit, ſed laboravit gemens; non tantùm lacrymatus eſt, ſed etiam lacrymis lectum lavit, non uno, aut duobus, aut tribus diebus, ſed etiam ſingulis noctibus, & non ſolum dicit præteritum, ſed etiam futurum.*
p Jon. 3. 5.
q Pſ. 6. 7.
r D. Chryſ. Hom. in Pſ. 6. 7.

Sed modus efficaciſſimus & aptiſſimus inducendis nobis ad praxim pœnitentiæ, & ad exercitium converſionis ad Deum, eſt ille quo diabolus conatur nos avertere & elongare à Deo, inducere nos ſatagens ad peccatum & ad perverſionem. Primum igitur quod agit diabolus, cùm aliquem vult inducere ad peccandum, eſt ut præ oculis illius ponat objectum, quo medio excitet deſiderium ejus, in quo ſe gerit eodem modo quo pharmacopola, qui alicui puero pilulam aliquam amaram offert deglutiendam; hanc pilulam inaurat, & puero amygdala ſaccharo conditâ præſentat; ſic diabolus totam operit deformitatem peccati, & prætexit illud voluptate, ut gratius illud exhibeat; & confeſtim ac advertit, quòd illud peccator deguſtet, & in illo complaceat ſibi; ut illum inducat ad actum & ad conſummationem peccati, alio utitur artificio; tunc enim videns eum ſic commotum, præ imaginatione illius ponit certitudinem miſericordiæ Dei, dicens, quòd unica vel lacryma ſufficiat ad inveniendam eam propitiam, & ad inducendam eam ut aperiat ipſi oſtium paradiſi; quòd ipſe ſit adhuc juvenis, & conſequenter quòd ipſi ſit ſatis ſuperſtitis temporis ad peragendam pœnitentiam; & ideò nititur omnem ſpem concipiendam de venia ei inſpirare; & ait illi, Cùm peccatum aliquod perpetraveris, illico non moriens, & ſic otium tibi ſuppetet confitendi peccati tui, à quo mediâ geminâ aut triplici *meâ culpâ* prolatâ in Confeſſione immunis evades. Ad quid autem inſerviret in Deo tanta miſericordia, ſi ipſe qui miſeretur *omnium, & peccata hominum propter pœnitentiam* s diſſimulat, in eis non inveniret ſcelera, quæ condonaret? Tu nondum evaſiſti ſic ſceleſtus ac ille latro, qui cùm vitam ſuam inter media tranſegiſſet furta & homicidia, unico *Memento mei* t, abripuit paradiſum; nec ita profligatæ vitæ ut Magdalena, *quæ erat in civitate peccatrix*, quæ fuſis pœnitentiæ *lacrymis*, audivit ſtatim Chriſtum dicentem ſibi, *Remittuntur tibi peccata* u. Nec ſicut David x, aut alii peccatores innumeri, ſuper quos *magnam miſericordiam* y ſuam extendit Deus: & ſi miſericordiâ uſus eſt erga eos, quare eam tibi eſt denegaturus?
s Sap. 11. 24.
t Luc. 23. 43. &c.
u Luc 7. 37. &c.
x 2. Reg. 11. 2. &c. & 2 Reg 24. 5 &c.
y Pſ. 50. 3

Si autem, peccator, ita mente captus ſis ut his te ſinas decipi diabolicis illuſionibus, & bonitati Dei innititi facias malitiam tuam; nec verearis iniquitati incumbere, quia tibi res eſt agenda cum Deo qui ſummè *bonus* z eſt, & ſperas invenire apud eum miſericordiam quæ *non habet finem* a, *Quia apud Dominum miſericordia, & co-*
z Pſ. 118. 68
a Bar 3. 25.

pioſa

b Pſ. 129. 7. *pioſa apud eum redemptio* b; & coneris peccata tua reddere veluti infinita, nec ullum præfigas criminibus tuis limitem; diabolus non ceſſat præ oculis mentis tuæ ponere jugiter miſericordiam Dei infinitam.

Si verò ſynderesis ſtimulis agitatus, redeas ad cœptum ut revertaris ad Deum, tunc claudit tibi diabolus januam miſericordiæ, & aperit tibi ſolum juſtitiæ ejus oſtium. Ideò intuendam tibi exhibens tuorum deformitatem vitiorum, & quàm abominabilis eſt ingratitudo tua adversùs Deum ſic bonum, & quibus dignus ſis ſuppliciis ob offenſam tantam Majeſtatem, omnes præcludit tibi paradiſi aditus, & univerſas vias, per quas ad illum dari poteſt acceſſus, & ſolam tibi detegit ejuſdem juſtitiam Dei, qui non ſolas injuſtitias, ſed etiam *juſtitias* c judicabit; (c Pſ. 74. 3.) non tantùm decretum proferet contra mala opera, ſed etiam adversùs apparenter bona, ſed tamen aliquos defectus præ ſe ferentia. Hâc præventum cogitatione deducet te ante tribunal formidabile Dei iſtius *ultionum* d, (d Pſ. 93. 1.) coram quo *columna cœli contremiſcunt; & pavent ad nutum ejus* e. (e Job 26. 11.) Loquetur tibi de ſtatêris illis, in quibus *appenſus, minus habens* f (f Dan. 5. 27.) inveniêris, quaſi dicens, In hujuſmodi lancibus *ſi Juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt* g? (g 1. Petr. 4. 18.) Præſentabit te ante faciem illam, cujus *non juſtificabitur in conſpectu omnis vivens* h, (h Pſ. 142. 2.) niſi magnificetur miſericordia erga eum. Poſtquàm autem te deduxerit ante tribunal iſtud horrendum illius, qui eſt *Deus ultionum Dominus*, tunc dicet tibi: Ha! perfide & infortunate quid egiſti? O temerarie ſiccine profanaſti Sacramenta, conculcaſti *Filium Dei, & Sanguinem Teſtamenti pollutum* duxiſti, *in quo ſanctificatus es, & Spiritui gratiæ contumeliam* i (i Heb. 10. 29.) feciſti? Si poſtquàm *conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum; dixit ad Dominum, Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear* k: (k Gen. 4. 8. & 13.) quam indulgentiam meretur crimen tuum, eò quòd millies effuderis Sanguinem Chriſti, iſtius innocentis Abelis, chariſſimi fratris tui? Si *Judas qui eum tradidit, pœnitentiâ ductus, dicens, Peccavi, tradens Sanguinem juſtum projectis argẽteis in templo, abiens, laqueo ſe ſuſpendit* l (l Matth. 27. 3. &c.) præ deſperatione; quid agetur de te, qui toties eundem Jeſum prodidiſti? Si *Antiochus* m, (m 1. Mach. 6. 1. &c.) & *Heliodorus* n (n 2. Mach. 3. 14. &c.) eò quòd ſacrilegas immiſerint manus ſuas in theſauros Templi, puniti ſunt viſibiliter à juſtitiâ Dei; quid eveniet tibi qui injuſtè retines bona Eccleſiæ, & *decimas* o (o Exod. 22. 29.) Deo perſolvere renuis? Si Pharao eò quòd ita perſæpè reſtitiſſet gratiis Dei, involutus eſt *in mediis fluctibus* p (p Exod. 14. 27. &c.) maris rubri; & inde *aquis inviũ* immerſus eſt confeſtim ac *uſque ad inferos peccatum illius* q (q Job. 24. 19.) tranſivit; quid non metuere debes tu, qui perſecutus es Sponſas Chriſti, viduas & orphanos? Si poſtquàm *Dathan & Abiron Principes populi ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adversùs Dominum rebellarunt; aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* r; (r Num. 26. 9. & 10.) nonne expediret ut terra deglutiret te, aut ut ignis te abſumeret, cùm ſic evidenter verbis & voluntatibus Dei reſiſtas? Tandem, Si innumeri damnati fuerunt propter unicum peccatum lethale, quomodo veniam à Deo ſperare poteſt? Verum quidem eſt, quòd pepercit bono latroni, ſed poſtquàm converſus eſt Dimas ad eum, ſtatim ac illum agnovit t: (t Luc. 23. 41. & 42.) tu verò ab ita longo tempore cognoſcis eum, & ad illum non converteris. Pepercit Petro, cùm idem *converſus Dominus reſpexit Petrum: Et egreſſus foras Petrus, flevit amare* x (x Luc. 22. 61. & 62.) toto tempore vitæ ſuæ. Ignovit utrique Mariæ, Magdalenæ, & Ægyptiæ; ſed illa, poſtquàm *dilexit multùm* y, (y Luc. 7. 47. &c.) triginta peregit & aliquot annos pœnitentiæ, ſicut & iſta. Ideò de te eſt conclamatum, clauſus eſt tibi paradiſus, apertus tibi ſolus eſt infernus. Et conſequenter ecce conſilium diaboli humanæ naturæ noſtræ infenſiſſimi,

Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Ecce torrens vitiorum circumquaque inundat; confeſtim ac quis vertit *ad* Deum *tergum* a, (a Jer. 2. 27.) habenas laxat omni generi criminum, furtis, homicidiis, ſacrilegiis, inceſtibus, blaſphemiis, & univerſis abominationibus contra Deum, & adversùs homines. O rebellis, ô fugitive, *revertere, revertere, ut intueamur te* b. (b Cant. 6. 12.) Accede ad me; nemo eſt qui diffidere de mea debeat miſericordia, niſi ille qui cùm ita malus ſit ac ego *bonus* c (c Pſ. 118. 68.) ſum, nullam vult ſperare veniam à bonitate mea, perſeverando in criminibus ſuis.

Ut autem hunc felicem peragas reditum, obſervandus eſt tibi procedendi modus oppoſitus ei, quem inſpiravit tibi diabolus. Primò, Offert tibi objectum; tu verò ſtatim ac gratiâ te motum adverteris, hoc idem tolutere objectum, ſcilicet peccatum. Sed quomodo accipere peccatum ſuum pro objecto? Exequere id quod tibi ſuggerit Iſaias d, & dic Deo, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* (d Iſai. 38. 15.) Scrutare intima animæ tuæ penetralia; cave autem ne conſideres id, quod tibi examinanti anteactæ vitæ tuæ ſcelera diabolus repræſentat, putà voluptatem; ſed ſolam deformitatem eorum recogita *in amaritudine animæ* tuæ. Examen autem iſtud peragens generale, quot invenies impudicitias in juventute tua, quot adulteria, quot inobedientias adversùs parentes tuos? Si tranſeas ad ætatem tuam maturiorem, quot deprehendes dolos & fraudes, quot uſuras palliatas, quot lucra illicita, ita ut improperari tibi poſſit, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* e? (e Jer. 2. 34.) Quoniam reperies appeces vanæ gloriæ? quot deſideria, & effecta adhuc funeſtiora vindictæ? quot ictus linguæ detractricis? & quot culpas oris? *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Poſtquàm peregeris examen iſtud ſeverum omnium iſtarum infamiarum, & diu perſcrutatus eris has cunctas inordinationes, multùmque gyraveris circum labyrinthum cordis tui, & tibi repræſentaveris hoc impurum vitæ tuæ profligatæ objectum, volo, ut, ſicut diabolus, quò tibi panderet aditum ad abyſſum peccati, aperuerat tibi abyſſum miſericordiæ Dei, hoc, inquam, volo ut claudas oſtium, & aperias januam iræ & juſtitiæ ejus, ad concipiendum aliquem timorem, quia *initium ſapientiæ timor Domini* f. (f Pſ. 110. 10.) Et tunc dicere poteris apud te. Quàm infelix ego ſum! Quot animæ ardent in inferno, quæ mediam non patraverunt partem peccatorum, quibus ego me inquinavi? Quot homines puniti ſunt à juſtitia Dei, & ſupplicio ſubito affecti? Et tamen manus illius non fuerunt uſque nunc armatæ niſi beneficiis ad ſuperandas meas rebelliones. Conſtitue præ oculis mentis tuæ civitates infames Sodomam & Gomorrham g, (g Gen. 19. 24. & 25.) Pharaonem h, (h Exod. 14. 27. &c.) & Judam i; (i Matth. 27. 3. &c.) & ſiſte ſemper ſuper ingratitudinem, quâ diu Deum tuum offendiſti, & tunc videbis te

æqualiter ſuſpenſum inter ſpem & timorem, & inter extremas, ad quas redactam ſe anima tua intuebitur anguſtias, dices, Heu! qualis fuit meus procedendi modus? quomodo mitigare potero iram Dei ita juſtè exacerbati? Et hoc timore correptus, & quaſi inferno vicinus, deteſtare peccatum tuum, & ex effectis ſic depravatis infer malitiam cauſæ. Non poteris quin abhorreas à cauſa tot infortuniorum, quæ tibi imminent, intuitus quàm funeſtæ & deplorandæ ſint peccati ſequelæ! nec illud valebis niſi execrari ſicut illud quod tibi tot machinatum eſt infelicitates. Perpende ad quaſnam cæcitatis redactus es anguſtias, cum eò temeritatis proceſſiſti ut auſus fueris offendere Majeſtatem ſic auguſtam & ſic formidabilem, indignum te agnoſcens omnibus gratiis ſupernaturalibus, cunctis favoribus quibus Deus ſuos cumulat amicos; omnibus privilegiis quæ ipſe conceſſit illis, quibus, poſtquàm *receperunt eum, dedit poteſtatem filios Dei fieri* k; & [k Jo. 1. 12.] univerſis inſpirationibus ſacris, quæ dantur iis, qui proficuè motus illarum æquè ac lumina appoſitèque noverunt inſumere, quique gloriam mererentur cum eodem gradu gratiæ, quo abuſus es ad damnationem tuam. Serio cogita & recogita Juſtitiæ Divinæ rigorem, eò vel maximè quòd ruinæ tuæ proximus, jam jam in abyſſum ſis caſurus, ni attendas tibi. Recede è periculo, ad quod te intueris redactum, nedum progrediaris in exitium tuum, labaris in deſperationem, & naufragium ſaluti tuæ pares inevitabile.

Sed ſicut diabolus poſt patratum peccatum tuum, claudens tibi aditum miſericordiæ, aperuit tibi oſtium juſtitiæ Dei, ut te ad deſperationem induceret, modum præſcribe tibi contrarium modo agendi ejuſdem diaboli, & poſtquàm attentè conſideraveris juſtitiam Dei, & illius timorem conceperis ſalutarem, proteſtatus, te *à judiciis* l illius timuiſſe, claude oſtium iſtud juſti- [l Pſal. 118. 120.] tiæ, deque eâ non ampliùs cogitare ſatagas; ſed aperi è contrà januam miſericordiæ, reſera cataractas iſtius abyſſi impenetrabilis amoris Dei, qui *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationē & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* m, [m Eph. 5. 2.] concludens hanc ſpecioſam vitam omnino obſequio tuo dedicatam, eminentiſſimo omniū actuum amoris, quo *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* n. Conſidera, quòd eſt [n Apoc. 1. 5.] percuſſus ut alter *Job ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem* o, ut omnes fideles, qui ſunt [o Job. 2. 7.] membra Eccleſiæ. *Quia membra ſumus corporis ejus* p, hoc ſanctificarentur ſacrificio, *Sed abluti* [p Eph. 5. 30.] *eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* q. Contemplare, quòd rivos effundit San- [q 1. Cor. 6. 11.] guinis, cujus gutta vel unica ſufficiebat ad operandam ſalutem omnium hominum, & quòd vendi voluit r, *ut te redimeret, ut adoptionem fili-* [r Matth. 26. 15.] *orum reciperemus* s omnes. Intue inter brachia [s Gal. 4. 5.] ejus extenſa per ſeveram juſtitiam, ut inter ea te ſuſciperet per amantem miſericordiam, & ſi non audes eum alloqui, pudore ſuffuſus propter peccata tua innumera, intuere vulnera ejus, tuum ſiſte aſpectum ſuper unam *de ſpinis* quæ perforaverunt caput *ejus*. vide iſtud *lanceâ latus* t, aper- [t Jo. 19. & 34.] tum, quod tibi ſic expanſum præbet aditum ad cor illius, & tunc adiens *cum fiducia ad thronum gratiæ* u, dices ei. [u Heb. 4. 16.]

Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua, fateor, quod peccata mea merentur omnia fulmina juſtæ iræ & indignationis tuæ, nihil minus expoſcere poſſum quam veniā mihi à bonitate tuâ impendendam. *Tibi Domine juſtitia; mihi autem confuſio faciei* x, & infernus æquo debetur titulo. Sed ſi fudiſti [x Dan. 9. 4. & 7.] totum Sanguinem tuum ad ignoſcendum mihi, nunquid non magnam tibi injuriam irrogabo, ſi de tuâ diffidam miſericordiâ? Non ſolùm propter Juſtos, Salvator adorande, in Cruce pependiſti, ſed præcipuè ob faciendos *peccatores ſalvos, quorum primus ego ſum* z. Extendiſti enim [z 1. Tim. 1. 15.] brachia tua ſuper hoc infame patibulū, unde univerſos intuebaris orbis fines, quaſi innuens, quòd tuæ miſericordiæ complecti vellent omnes homines. Non me latet, quòd crimina mea vindictam expoſcunt à Patre tuo mihi infligendam, ſed ſcio etiam eſſe tui *Sanguinis aſperſionem meliùs loquentem quam Abel* a ad impetrandam mihi, ab [a Heb. 12. 24. ex Gen. 4. 10] eo indulgentiam; & mihi videor audire te expoſtulantem ab illo veniam pro inimicis tuis, *Pater dimitte illis* b, cùm omnes ſuos inſumebant [b Luc. 23. 34.] conatus ad eripiendam tibi vitam. Sed quid, Domine, nonne miſericordiam efflagitas pro me, quem pœnitet rebellaſſe contra adorandas voluntates tuas? Quidquid agere potero, id erit ut ingrediar cor tuum, non aperiendo illud *mucrone diro lanceæ* c, ſed aculeo veræ cōtritionis. [c Eccl. et Jo. 19. 34.]

Domine tu dixiſti, *Si impius egerit pœnitentiā ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor. in juſtitia ſua quam operatus eſt, vivet* d. Ec- [d Ez. 18. 21. & 22.] ce ego proſtratus coram te, præ me ferens dolorem in corde, ſuſpiria in labiis, confeſſionem in lingua, & lacrymas in oculis, enixè deprecor à te miſericordiam. O bonitas Dei! O malitia hominū! Peto à vobis, Auditores. Num omnis patientia non periret intuitu tot criminū ſic coacervatorum? Nihilominus patientia Dei vinci non poteſt à malitia noſtra, quippe quæ noſtra diſſimulat *peccata propter pœnitentiam* e. Quis Pater of- [e Sap. 11. 24.] fenſus à filio ſuo; quis Dominus injuria affectus à famulo ſuo; quis Rex exacerbatus criminibus vaſſallorum ſuorum, mitteretet ad eos legatos ad componendam cum eis pacem & reconciliationē? Ha! Domine, quanta eſt bonitas tua! quàm immodicus eſt amor tuus! *Peccavimus, iniquitatē fecimus, impiè egimus; & receſſimus & declinavimus à mādatis tuis ac judiciis* f. Ideò me- [f Dan. 9. 5.] retur peccata noſtra ut iracundiæ tuæ tela vibres in impia noſtra capita, cùm tuarum prævaricatores legum hujuſmodi conveniat excipi ſevero ſupplicio; & tamen modo amantiſſimo vocas nos ad miſericordiam tuam per oſtium, per quod unuſquiſque ad te facilè poteſt accedere, *ut gratiam in auxilio opportuno* inveniat g. [g Hebr. 4. 16.]

Ha! Auditores, quid tardamus noſtrū præbere conſenſū his internis inſpirationibus quæ ad januam cordiū noſtrorū ſtantes, pulſant; & reſpōdere voci illius, qui faſtidio non afficitur ob negligētiā noſtram, expectans præ foribus noſtris, donec ipſi aperiamus, ſemper valdè contētus ex eo quòd exhibeat nobis probationes & teſtimonia authētica dilectionis ſuæ mediâ hâc perſeverantiâ non intermiſsâ, ſed infatigabili, quæ noſtrarū inquirit ſalutē animarum? dicens, *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* h. Ha! [h Apoc. 3. 20.]

obſecro, ſi intuitus proprii noſtri commodi non commovet nos, compatiamur ſaltem huic amantiſſimo animarum noſtrarum Sponſo, conſiderantes quòd ejus *caput plenum eſt rore, & cincinni guttis noctium* i, & ſic inducit nos ad aperiendum ſibi, *Aperi mihi ſoror mea* k, ut irruamus in brachia miſericordiæ ipſius ſtatim ac ad nos intraverit. *Viri Ninivitæ pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; & ecce pluſquàm Jonas hic: Regina Auſtri venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis; & ecce pluſquàm Salomon hic.* Attendamus nobis ne pudore ſuffundamur aliquando à Ninivitis, & ab hac Regina Orientali. Ne iſtud accidat, incumbamus feriæ pœnitentiæ, & ſic conciliabimus nobis gratiam Dei, & deniquè ejus gloriam.

i Cant. 5. 2. — k ibid.

FERIA V. POST DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens, Miſerere mei Domine Fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. &c.

Quàm potens eſt mulier, cùm vitæ eſt illibatæ, & perfectè virtuti ſubdita! *Ecce mulier* una quæ aggreditur eodem tempore Deum, & diabolum; illum vincit per ſubmiſſionem & per humilitatem, iſtum verò per imperium. Nunquid non *mulierem fortem* a inventam hìc habemus? Cùm ex una parte dometur ab ea *Poteſtas tenebrarum* b. Ex altera verò vincatur ab illa, ſuavi violentia *Deus fortis* c. Fortior eſt hæc fœmina Patriarchâ Jacob, qui pugnavit quidem cum Angelo, ſed claudus è prælio reverſus eſt, dum Angelus videns, *quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit* d. Hæc verò fœmina præliatur cum Rege Angelorum, cui *millia millium miniſtrant, & decies millies centena millia* e aſſiſtunt; expugnat eum, & poſt devictum illum qui eſt *Dominus Deus exercituum* f, & impetratam ab eo pacem & benedictionem pro ſe, & pro filia ſua, rectà pergit domum ſuam, ut ſuas ibi poſſideat victorias, & ſuis potiatur triumphis. Videte, obſecro, quibus armis ſuperavit illa *Regem Dominum exercituum* g. Per charitatem *à finibus egreſſa* eſt ſuis ad inquirendam ſalutem filiæ ſuæ. Per fidem ſperavit contra omnem ſpem. Per humilitatem ſuſcepit nomen canis, ut titulum gloriæ & inſigne honoris, utilitatem ſumens ex injuriis, & ſuam humiliationem convertens in magnitudinem. Tandem, Per virtutem perſeverantiæ ipſa pervênit ad coronam, & ad ſuorum cumulum deſideriorum. *Ecce mulier Chananæa* debellatrix illius, de quo dicitur, quòd *non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret* h. Sed fortior hâc muliere Maria, quæ contrivit priùs *caput* i ejuſdem, qui *eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ* k. Ipſa eſt tota *gratia plena* l ſecundùm hæc verba *Ave Maria.*

a Prov. 31. 10. — b Luc. 22. 53. — c Iſai. 9. 6. — d Gen. 32. 24. & 25. — e Dan. 7. 10. — f Iſai. 6. 3. — g Iſai. 6. 5. — h Job. 41. 24. — i Gen. 3. 15. — k Job. 41. 25. — l Luc. 1. 28.

Non ſecus ac cùm colligit quis ſertum in horto, eò majori laborat anxietudine, quò hortus eſt uberior floribus, quia circumquaque tantum præ ſe ferunt decorem, ſive ob colorem, ſeu propter formam, aut ratione odoris quem effundunt, & quo aërem reſpergunt, ut oculi in hâc varietate naturali, quæ omnia ſuperat artificia, indeterminati maneant æquè ac manus ſuſpenſæ quantùm ad illos qui ſint colligendi, & quantùm ad illos qui ſint deſerêdi: Sic reflectens me ſeriò ſuper modum procedendi Chananææ, mihi videor intereſſe horto, & in eo innumeros intueri flores, quorum unuſquiſque ita meis ridet oculis decôre aliquo ſpeciali, ut neſciam quemnam eligere debeam ex illis, eumque præferre aliis quos deſerere debeam. Ibi obſervo primo intuitu roſam amoris & charitatis, ſed circumquaque cinctam ſtimulis & ſpinis. Heliotropium veræ fidei, quod ſine intermiſſione gyrat ut inviolatè ſequatur adorandos radios illius qui eſt *Sol juſtitiæ* m. Violam perfectæ humilitatis, quæ ſe proteſtendam offert pedibus omnium prætereuntium. Tandem, Crocum ſanctæ patientiæ & perſeverantiæ invincibilis, quod firmum & ſtabile permanet contra omne genus inſultationum, utilitatem ſumit ex omnibus, quin imò progreditur ſub grandine, & ſub contradictione injuriarum atrocium. Inter decôres autem & lenocinia ſuavia harum omnium virtutum ſuſpenſus prorſus hæreo, ut contingere ſolet inter plures magnetes, titubans, & penitus ignorans quònam meum dirigere debeam diſcurſum. Nihilominùs hæ ſpinæ, quas formidabam circum ſpecioſam hanc roſam amoris & charitatis, authenticum perhibent mihi teſtimonium pretii & valoris ipſius, & inducunt me ad credendum, quòd natura ſciens quantùm illa valeat, ſapienter providit ei cuſtodias & tutelas ut florum aliorum omnium Reginæ. Hâc ductus cogitatione invitor electionem illius aliis præferre, eamque colligere ut eam vobis offeram loco muneris, vobis, inquam, parentibus; & per roſam, quæ eſt ſymbolum amoris, inducam vos ad amorem, quo affici debetis erga bonum commodorum & inſtitutionis liberorum veſtrorum, inſtar illius quo *mulier Chananæa*, licèt Ethnica, ducta eſt in gratiam filiæ ſuæ. Si autem hæc roſa circumquaque eſt ſpinis & aculeis ſtipata, non oportet ut hæ ſpinæ vos ab hoc exercendo retardent charitatis officio; ſed potiùs decet ut hi aculei vos ſancto ſtimulent fervore; & licèt ictus iſti deberent vobis conſtare lacrymis, amor quo erga veſtros affici debetis liberos, efficere debet ut omnes iſtas ſuperetis difficultates, ut pertingatis ad finem ſtadii. Liberis veſtris benè inſtitutis, quia *filius ſapiens lætificat patrem* n, de eorum utilitate hîc lætabimini, & in cœlo propter hanc inſtitutionem eis datam aut procuratam coronabimini, ita ut dicere eis poſſitis id quod D. Paulus o dicebat Philippenſibus, quos inſtituerat, *Gaudium meum, & corona mea.* Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus p, *Gaudium meum materialiter, id eſt, de quorum profectu & gratia gaudeo, & corona mea, id eſt, augmentum gloriæ meæ in patria, quoniam omnium meritorum veſtrorum ſum particeps, tanquam inſtitutor veſter ac doctor.* Sic, paren-

m Mal. 4. 2. — n Prov. 10. 1. — o Phil. 4. 1. — p Dion. Carth. a. 4. in Phil. 4. 1.

q 2 Tim. 4. 8.

parentes, reponetur vobis *corona juſtitiæ* q, ſimul cum liberis veſtris, compoſita roſis ſine ſpinis, quæ florebunt in æternum ſuper capitibus veſtris in paradiſo gloriæ. Ecce quod ego oſtendere vobis hodie volo, nimirum curam quam ſuorum inſtituendorum peragere debent parentes liberorum.

Propoſitio.

Liberis parentes debent naturam, inſtitutionem, & gratiam. Naturam, & cum natura bonum temperamentum, cui qualitates mentis æquè ac corporis ſunt alligatæ: cum ſanguine enim fluit bona natura, & ordinariè videmus in familiis bonorum parentum liberos bonos & virtute præditos: è contrà ſi pater eſt contentioſus, blaſphemus, mores illius pravos imitabuntur liberi; ſi mater diebus ſingulis ludo indulgeat, ſi diu in ſpeculo ſe intueatur, & circulis intereſſe ſibi complaceat, filia æquo liberior evadet, familiares & fortè obſcœnas fovebit amicitias. Quare? Quia cum ſanguine communicatur temperamentum; & quædam enarrantur familiæ veniſſe in mundum ferentes quaſdam notas femori impreſſas in ſignum generoſitatis ſuæ; aliæ alio modo, quia cum ſanguine effunditur temperamentum, bona aut mala conſtitutio.

Præterea, Cura præcipua, quam parentes ſatagere debent ſuorum liberorum, ſpectat educationem; tenentur enim eos benè inſtituere. Liberi ſunt veluti tabula raſa, aut ſicut cera mollis cuilibet impreſſioni ſuſcipiendæ idonea; cùm in ætate verſantur adhuc tenerâ liberi, facilè formantur *ut ſobriè, & juſtè, & piè in hoc ſæculo* r vivant. *Piè*, erga Deum; edoceantur orare Deum manè & veſperè; eum adorare tempore matutino, cùm expergiſcuntur & è cubili ſurgunt; ei gratias agere tempeſtate veſpertinâ pro beneficiis ab illo ſuſceptis per diem, antequàm cubitum pergant & ſopori ſe tradant; examen conſcientiæ peragere; Sacrificio Miſſæ devotè & attentè intereſſe; & aliis hujuſmodi exercitiis pietatis vacare. *Juſtè*, erga parentes, ut eos honorent, illis reverentiam exhibeant & obedientiam quoad omnia, quæ ipſis præcipientur, exequenda. *Sobriè*, erga ſeipſos, quomodo procedere debeant in ſuo agendi modo; bona enim inſtitutio diſponit ad gratiam, gratia facit inclinari naturam, & ſuaviter eam abripit; bona autem educatio eſt diſpoſitio ad ſuſcipiendam eam amantiis ſuavitate ſingulari. Ideò aſſueſieri debent bonis operibus, corrigi & caſtigari cùm deliquerint, non autem amari amore criminoſo ſimii qui *amplectendo necat*. Providendi ſunt ei pædagogi, qui edoceant eos quomodo vivendum ſit Chriſtianè, & exercendæ ſint virtutes: habenda eſt tandem cura eorum ſimilis curæ Chananææ erga ſuam filiam.

r Tit. 2. 12.

Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa. En igitur, parentes, hanc fœminam Chananæam, quæ nihil aliud nobis ſonat ſuo vocabulo niſi mercatricem, quæ è ſua egreditur regione ad negotiandam ſalutem filiæ ſuæ à dæmone exagitatæ; diſcite ab illa, quòd ut ſatagatis veſtrorum ſalutem liberorum, exire debetis à terra veſtra, ſi ita expedit. Sed quid eſt hoc? Non intelligo ut adhæreatis modo procedendi eorum, qui è terra peregrè proficiſcuntur in terram, è Provincia in Provinciam, è Regno in Regnum, ad ultimos uſque terræ limites, ut bona ſuis coacervent liberis; qui egrediuntur è terminis rectæ rationis, & prætergrediuntur conſtitutos à juſtitia & à Lege Divina carceres, ut rem familiarem augeant, & domeſticam ſuppellectilem in gratiam liberorum ſuorum magnificent, qui

Per fas perque nefas, per mille pericula tendunt.

Egredimini è regione veſtra, id eſt, ſuperando voſmetipſos, vincendo inclinationem veſtram, domando affectum veſtrum, ut maneatis intra terminos muneris veſtri, & curæ illius quam peragetis liberorum veſtrorum poſt editos illos in lucem, & traditam eis vitam naturalem.

Vobis præcipuè matribus propono exemplum mulieris Chananææ, quoad inſtituendos liberos veſtros, cùm illorum educatio & inſtitutio, quæ eſt opus inſigne Matrimonii, videatur eſſe munus mulieris, *Matrimonium, quaſi matris munium*. Sicut autem natura providit vobis ſinum & duo ubera ad eos lactandos, videtur etiam ipſa dediſſe vobis duplicem curam ad eos inſtituendos & educandos. Idcircò ſcitote, parentes, vobis non ſufficere ad ferendum præ vobis hoc ſpecioſum nomen patris & matris, ut vitam liberis veſtris præſtiteritis; ſed præterea requiritur ut eandem vitam illis conſervetis, & provideatis eis neceſſaria ad fovendam hujuſmodi vitam, & conemini poſt datam ipſis temporaneam & tranſitoriam vitam, procurare eis vitam gratiæ, & conſequenter vitam gloriæ quæ eſt beata & æterna, per bonam & ſanctam inſtitutionem. Auſcultate monitum ſalutare, quod ſubminiſtrat ſingulis vobis Eccleſiaſticus u, *Filii tibi ſunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia illorum. Filiæ tibi ſunt? Serva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Quod ſic interpretatur Hugo Cardinalis x. *Filii tibi ſunt carnales? Erudi illos diſciplina morum & fidei; id eſt, extra ruditatem pone. Omnis enim malus rudis. Et cura, vel curva illos verberibus, vel verbis, à pueritia illorum, quia tunc flexibiles ſunt ſicut ramunculus. Filiæ tibi ſunt carnales? Serva corpus illarum in caſtitate, vel in domo, ut non paſſim vadant ad choreas, & à juvenibus corrumpantur, ſicut Dina y. Et non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas, quia inde ſumunt fiduciam & audaciam peccandi.*

u Eccl. 7. 24. & 25.

x Hug. Card. in Eccl. 7. 24. & 25.

y ex Gen. 34. 1. &c.

Iſtud eſt præcipuum & unicum officium, quod inducit omnes parentes ad ipſum executioni mandandum ut decet, quod totius naturæ fronti invenimus impreſſum. Exiguus enim flos qui terram findit, nunquam progrederetur, ſed ſtatim ſuper caule ſuo areſceret, ſi poſt acceptam hanc vitam vegetativam, tota natura non concurreret ad illam ei conſervandam, terra ſubminiſtrando illi alimentum, aqua eum irrigando, aër ſuis ſuavibus influentiis & roribus illum refrigerando, Sol radiis ſuis ipſum calefaciendo; tandem tota natura poſt datum huic plantæ initium ſuum, concurrit ad præbendum ei ultimum gradum perfectionis ſuæ. Videte quomodo quercus egrediatur primò è glande ſua, & ſic exiguas habeat radices ut eæ ferè non appareant, ſed paulatim auxilio totius naturæ adjuta, eas in terram immittit, ſua educit minuſcula folia, elevat & induit caulem ſeu truncum ſuum, extendit & multiplicat ramos ſuos per multorum curſum annorum, donec iſtam attigerit altitudinem quæ noſtros fatigat oculos, & hanc fortitudinem ſuſtinendis maximorum & ſuperbiſſimorum ædificiorum noſtrorum oneribus accommodam.

Obſervate etiam, obſecro, quid agat ma-

ter natura. Eligit ipſa terram in viſceribus ejuſdem terræ, ut mutare faciat eam ſtatum ſuum, & conditionem ſuam priſtinam; & admirandâ metamorphoſi mutat illam in metallum, in plumbum, è plumbo in argentum vivum, ex argento vivo in æs; & poſt longum laborem, velut arte chimicâ naturali, ſed admirabili, ne dicam adorabili, præſertim autem hoc tempore quo vivimus, format ipſa tandem & producit aurum, id eſt, regem metallorum omnium, adeo quaſi dicere regem totius naturæ. Ita verum eſt quòd natura ſemper ſatagit ut omnes productiones ſuæ perveniant ad perfectionem debitam, & extremum conſequantur complementum requiſitum.

Beſtiæ quæque ferociſſimæ & crudeliſſimæ poſt impenſum catulis ſuis eſſe, omnem ſuam inſumunt ſolicitudinem ad conſervandam illis vitam, quam eis tradiderunt, & cùm ætas & vires hoc eis permittunt, ipſæ eos edocent modos inquirendi neceſſaria ad eandem vitam fovendam. Sic Scriptura z loquens de aquila, ait,
z Deut. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas.* Quaſi diceret, Aquilam videntem pullos ſuos jam pennis opertus, & diſpoſitos ad volandum, provocare eos ad exeundum è nido ſuo, & ad capeſſendum volatum, ideòque extollere illos ſuper alas ſuas, eoſque volandi modum edocere ſimul atque neceſſaria ad conſervandam vitam inveſtigandi. Ita curioſi rerum naturalium Indagatores obſervant, urſam parere maſſam carnis informem, ſed deinde eam ſuaviter linguâ lambendo & relambendo, formare ei caput, oculos, pedes, & tandem corpus quod poſſit ſe ſuſtinere & ſe conſervare in terra. Parentes autem qui nullo modo cogitant de providendis alimentis liberis ſuis, nec de ſatagenda eorum inſtitutione, minus faciunt erga eos quàm agant gallina, columba, lexna, tigris, ſerpens, & tot alia animalia, quæ ita tenero ducuntur affectu erga ſuos catulos; cùm ſit verum, quòd cura educationis & inſtitutionis liberorum eſt officium ſic neceſſarium, ut natura ab eo non diſpenſaverit res ipſas inſenſibiles & vegetabiles, ſenſibiles & beſtias crudeles, ſed ipſa illius præbeat eis inſtinctus, eoſque imprimat animabus, admirandis infuſionibus, quæ mundi ſtatum in ſua cuſtodiunt integritate. Et tamen quot videmus parentes tempore iſto, quos jure merito vocare poſſumus naturæ hoſtes, immanes & barbaros, cùm ita infeliciter iſtud non obeant officium? His profectò improperari poſſet id, de quo querebatur
a Thren. 4. 3. aliàs Jeremias a matribus Jeroſolymitanis, *Filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio.* Sed quid ſi-
b Job. 39. 17. &c. bi volunt iſta verba? Ecce id quod dicit Job b
c Corn. in Thr. 4. 3. de ſtruthione; *Derelinquit ova ſua in terra, obliviſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat ea; duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* His addit Cornelius c, *Unde Struthio ſtoliditatis & inhumanitatis eſt ſymbolum: quànvis enim gemant & ululent ejus pulli, ipſe nihil eis compatitur. Unde dicitur, Faciam*
d ex Mich. 1. 8. *planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum* d, *Hebr. ſicut filia ſtruthionis, id eſt, ſicut pulli à matribus ſtruthionibus derelicti, qui miſerabiliter plangunt & ejulant.* Prætereà, Hæc avis eſt temperamenti ita calidi ut ferrum digerere & conſumere perhibeatur: idem obſervo in deordinatione plurimorum parentum quoad ſuorum regimen liberorum. Inveniuntur enim aliqui inter eos, quibus videtur eſſe ſatis ſe illis dediſſe vitam, & poſteà illos ejiciunt; alii qui etiam illos exponunt, non ſecus ac mare ſpumam ſuam ejicit ad littus; vel ſaltem nedum attendant ad ea quæ illis evenire poſſent infortunia, ita de illis parùm ſunt ſoliciti ac ſi ad ipſos non pertinerent, nullo ducuntur eorum conſervandorum affectu, nec ullo eorundem amittendorum percelluntur timore.

Refertur Herodes proprium perimendum præcepiſſe filium, & quòd ſatius fuiſſet ſuem illius fuiſſe, quàm ejus filium, cùm rabiem ſuam exoneraverit in filium ſuum in regione, ubi ſuibus parcebatur,

Non parcit proprio patris inclementia nato,
Parcit ubi ſenibus populi indulgentia porcis.

Et intuitus aliquando Diogenes Philoſophus, quòd Megarenſ indumenta ſuis præberent arietibus, ut eos ab hybernis arcerent rigoribus, quandiu ipſorum liberi ferè nudi, tempeſtatis frigidiſſimæ erant expoſiti violentiæ ſuſtinendæ, altâ voce dixiſſe perhibetur, quòd ſatius eſſet inter arietes Megarenorum reponi, quàm in cathegoriâ liberorum ipſorum collocari. Ha! ſi ſeriò conſideraret quis, quàm exigua ſit cura, quam ſuſcipiunt parentes virtutis & ſalutis liberorum ſuorum ſolicitandæ, nonne diceret, quòd expediret magis eſſe eorum canem, vel equum, quàm filium illorum? Heu! pudet me ferè illud dicere, ſed neceſſitas adſtringit me ad illud non tacendum. Quamplurimi ſunt parentes qui non priùs cubitum pergerent, quin ſcirent an neceſſaria fuerint proviſa beſtiis quibuslibet immundis, ſi curatus fuerit equus, canis, mulus, aſinus, imò ſus; nec tamen inquirere ſatagunt & diſcere, in quo ſtatu ſit anima & conſcientia liberorum ſuorum, utrùm examen conſcientiæ peregerint, quod eſt deordinatio ſanguineis deflenda lacrymis.

Hæc veritas ipsâ luce clarior eſt meridianâ inter Magnates mundi. Habenas hi laxant perſæpè regiminis liberorum ſuorum, eoſque deſerunt abſque inſtructione & diſciplina, quandiu equos ſuos induſtrio alicui agaſoni committunt dirigendos; ſatagunt ut beſtiæ ſuæ ſuam amittant ferocitatem naturalem, nec ullo curant modo, imò verò nihili faciunt ſi liberi ſui exuant innocentiam & gratiam, quâ decorati ſunt, cùm induti ſunt Dominum Jeſum Christum, *Quicumque enim in Chriſto baptizati, Chriſtum* e *induerunt ſpiritualiter, id eſt, gra-* e Gal. 3. 27.
tia ejus ornati, ejuſque paſſioni ac morti conformati, habentes Chriſtum in cordibus morantem ſuis, ait Dionyſius Carthuſianus f. *Quia qui-* f Dion. Carth. ar. 4. in Gal. 3. 27.
cumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus g. Quod ſic explicat
idem Carthuſianus h, *Quia quicumque baptiza-* g Rom. 6. 3.
ti ſumus, id eſt, à vitiis loti in ſacro Baptiſmatis h Dion. Carth. a. 9. in Rom. 6. 3.
fonte, in Chriſto Jeſu, id eſt, in inſtitutione fide, & operatione Chriſti; in morte ipſius, id eſt, merito mortis ejus, ſeu per virtutem ſuæ paſſionis, à qua Baptiſmus efficientiam habet, baptizati ſumus. Vel, in morte ejus, id eſt, in ſimilitudine mortis Chriſti baptizati ſumus, quatenus ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt carne, & ſemper vivit ſpiritu; ſic nos per Baptiſmum ſemel mortui iniquitati, deinceps ſemper vivamus juſtitiæ i. Illi ſuos cicurandos ſatagunt equos, & parvipendunt quòd i ex 1. Pet. 2. 24
liberi ſui laxis habenis paſſionum impetu abrepti, ad ſcelera quæque patranda irruant.

Inve-

Inveniuntur etiam parentes non pauci, qui odia concipiunt inhumana adverſùs aliquos è propriis liberis, in hoc ſanè crudeliores ipſis tigridibus, & beſtiis quibuſcumque ferociſſimis, ita ut liberi iſti ſint veluti victimæ k infortunatæ, in quas conjiciantur execrationes & maledictiones totius domus, imò verò totius cognationis; unde fit ut in extremas redigantur deſperationum anguſtias, quæ deinde ab illis non poſſint averti. Ha! non patres & matres, ſed vitrici & novercæ. (Si enim placet vobis, Auditores, obſervare, nomen iſtud Latinum, noverca, eruitur ex iſtis duobus, novus orcus, quaſi qui diceret novum infernum) hujuſmodi ſævitiæ immites, quas exercetis immiſericorditer adverſùs hos innocentes & miſerandos liberos, ſunt eis veluti novi orci, & nova inferna; & perſæpè procuratis eis infernum mediâ barbarie veſtrâ, quæ nullam patitur ſibi ſimilem.

k Levit. 16. 20. &c

Alii tanto, ſed ſic inſano ducuntur erga ſuos liberos affectu, ut omnia patiantur in illis & digerant more ſtruthionum ad ferrum uſque; patrent illi liberi actiones ferri, imò inferorum, hæ habentur ab hujuſmodi parentibus ut induſtriæ ſicque indulgenter ſe habent adverſùs eos, ut illos inſtar ſimiorum nimio amplexu enecent. Nihil unquam illis denegant, eoſque ſic aſſuefaciunt ad nullam unquam ferendam repulſam quoad illa omnia quæ intenderint, ut inde in inſolentiam perventuri ſint intolerabilem, quæ tandem juſto Dei judicio convertetur & inundabit in parentes ipſos velut torrens, cui parentes hujuſmodi curſum aperuerant criminoſis indulgentiis ſuis. Perpauci ſunt parentes qui ægro ferant animo, diſcentes, liberos ſuos de injuriâ aliquâ ipſis illatâ vindictam retuliſſe; quin imò multi reperiuntur, qui non audent eos hujuſmodi criminis arguere, veriti ne illos triſtitiâ afficiant, quaſi verò deſerendi ſint ægroti ſine remediis, ne fortè in applicatione eorumdem remediorum ſanitati ipſis conciliandæ accommodorum quid perpetiantur.

Patres & matres qui hoc inhumano adverſùs veſtros geritis vos filios modo, nomina iſta ſunt nimis amabilia & honorabilia, nedum vobis debeantur jure merito. Sinite ut dicam, vos eſſe veluti alios Herodes adverſùs liberos veſtros. Quid enuncio? Quin etiam eorum carnifices, & ipſis carnificibus immaniores. Non decet vos glorioſum parentum nomen, ſed eſt attribuendum vobis potiùs vocabulum peremptorum, ſeu miniſtrorum illorum Juſtitiæ ſecularis, qui poſt decretum capitis adverſùs liberos veſtros ob aliquod inſigne patratum ab ipſis ſcelus, pronunciatum, vitam eriperent illis temporaneam, cùm tamen vos vitam auferatis eis animæ. Poſt ſuſceptos à Deo liberos ut benedictionem Matrimonii veſtri, nedum eos illi conſervetis, & reſtituatis, traditis eos in prædam dæmoni. *Matrimonij flores liberi* ſunt, ait Clemens Alexandrinus l. Et nihilominùs defectu curæ ſinitis ut ſtatim marceſcant. Deus vobis indulſit eos propter cœlum, quia *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* m. Et tamen permittitis ut inferni viam arripiant; imò perſæpe malis exemplis veſtris iter ad inferos illis panditis. Deus in manibus veſtris illos poſuit quaſi ceram mollem, ut imprimeretis eis quamcumque figuram volueritis; cùm poſſitis præbere eis formam Sancti, vel Angeli; è contrà datis illis figuram reprobi, ſeu dæmonis. Eandem habetis vos

l Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 8.
m Prov. 16. 4.

quam *habet poteſtatē figulus luti ex eâdē maſſâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam* m. Cùm ex iis facere poſſitis vaſa electionis & honoris, ex illis è contrà efformatis vaſa infamiæ & reprobationis. Sed quid inde eſt eventurum? *Deus ſervabit filiis illius dolorē patris, & cùm reddiderit, tunc ſciet* n. Quod ſic Hugo Cardinalis explicat o. *Deus ſervabit filiis illius, dolorē patris id eſt, peccatū & pœnā, ut ſcilicet puniantur pro peccato quo imitantur parentes. Cùm reddiderit, Deus ſcilicet dolorem patris, filiis ejus imitantibus eum. Vel, cùm ipſi reddiderint quod debent, id eſt, pœnam pro peccato; tunc ſciet impius mala ſua, quæ priùs noluit ſcire.*

m Rom. 9. 21.
n Job. 21. 19.
o Hug. Card. in Job. 21. 19.

Parentes, veſtrorum carnifices eſtis liberorum; ſed liberi veſtri nedum ſe exhibeant veſtræ *baculum ſenectutis, ſolatium vitæ* p veſtræ, è contrà flagella evadent ad eam verberandum & intermeodam. Similes ut plurimùm videmus deordinationes in mundo præ horrore, nimirum liberos, propter quos magnificandos ſuas vires æquè ac induſtrias ſuas conſumpſerunt parentes, quos tamen hi liberi intolerabili affecti ingratitudine languere ſinunt inter importuna ſenectutis incommoda, quorum ſe prætendunt ignaros eſſe, ne eis ſubvenire cogantur. Hæc omnia permittit Deus æquo judicio ſuo, quoniam ſimiles parentes ſuas inſumentes operas in granam liberorum ſuorum, majorem habuerint curam corporum, quàm animarum eorum, eoſque ad ſolam gloriam ſategerunt evehere mundanam. Sed quidnam accidet? Permittet Deus eâdem juſtitiâ ſuâ ob infligendam æquam crimini veſtro pœnam, ut liberi iſti, quos veluti idola colitis in detrimentum honoris & reverentialis cultus, quo Deum ſolum eundem proſequi debetis s, non ampliùs ſint victuri, & ſint adimpleturi id verè quod dixit Ezechias, ratus brevi ſe moriturum, *Ego dixi, In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi* t; & præcidenda ſit, *velut à texente, vita* eorum; *dum adhuc ordirentur*, ſint ſuccidendi; *& de manè uſque ad veſperam* t finiendi, nedum perveniant ad ætatem patrum ſuorum; ſi autem ad illud tempus uſque pervenerint, eodem excipientur ipſi à liberis ſuis modo, quo ſe adverſùs ſuos geſſerint progenitores, juxta Evangelicum iſtud effatum, *Eâdem menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis* u. Quod Dionyſius Carthuſianus x ad propoſitum noſtrum ſic exponit, *Sicut fecerimus, fiet nobis, id eſt, retribuetur nobis ſecundùm exigentiam meritorum noſtrorum: & ſi nos fuerimus aliis immiſericordes ac duri, Deus quoque erit ſeverus; quemadmodum Jacobus* y *aſſerit, Judicium ſinè miſericordiâ erit ei, qui non fecerit miſericordiam.* Attendite ad iſta, parentes: reflectite vos ſuper hæc liberi; ſed prævidete, omnes, infortunia hæc, ut ab infelicitatibus eorum & calamitatibus vobis imminentibus declinetis: tempus enim adveniet, quo voletis ab illis vos ſubtrahere, & non poteritis, & videbitis vos redactos in impotentiam exequendorum conſiliorum quæ cogitaſtis, & *quæ non ſtabilire* z potuiſtis.

p Tob. 10. 4.
s Exod. 20. 3. &c.
t Iſa. 38. 10 & 12.
u Luc. 6. 38.
x Dion. Carth. a. 16 in Luc. 6. 38.
y ex Jac. 2. 13.
z Pſ. 20. 12.

Cùm nunc, quando liberi veſtri ſunt teneri & flexibiles, & omnium formarum ſibi imprimendarum capaces ſunt ſuſcipiendarum, poſſitis eis figuras, quas velletis, imprimere, non hoc facitis, occaſionem opportunam non arripientes, ſi ſinatis ut illi bibant *quaſi aquam iniquitatem* a, & malitiā cum lacte ſugant, irrumpent poſteà in

a Job. 15. 16.

in exceſſus, in diſſolutiores, in libertates criminoſas, criminaverunt eis quaſi indifferentia, iniquitas tranſibit apud illos ſicut in naturam, in pravas ipſi conſuetudines ſe recipient tanquam in jus proprietatis, quod acquiſierint per præſcriptionem; & poſteà difficile vobis erit, ne dicam impoſſibile ut eis remedium applicetis, illoſque educatis ex abyſſo vitii, cui fuerint immerſi. Si permittatis ut eum vitio dæmon illabatur in animas eorum, non erunt amplius veſtri, ſuam alligaverint libertatem Domino, qui eos gemere faciet ſub ſervitute, & ſuſpirare ſub tyrannide ob rigoras quos exercebit adversùs eos, ſed oportebit ut Deus manum ſuam eis applicet, ſicut immiſit illam ſuper filiam Chananææ.

Spectaculum horroris & timoris! Audio in Evangelio noſtro, quòd Dei Filio ſic queritur *mulier Chananæa, Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Hæc fœmina omnia deſeruit, ut inveniret remedium infortunio ſuo conſonum, recurrans ad ſummum Medicum animarum æquè ac corporum. Sed fatendum eſt, quòd inaudita eſt ſævitia illorum parentum, qui liberos habent, qui diabolum ferunt in corpore. Quid dico? ſed in animâ: *Magnus enim dæmon peccatum*

b D. Chryſoſt. ho. 33. ex c. 9 Matth.

c Iſai. 14. 12. &c.

eſt, ait D. Chryſoſtomus b. Quia peccatum fecit ex Angelis dæmones c. At ſpectaculum eſt adhuc magis inauditum iſtorum parentum adversùs hos liberos; nedum enim illos ducant ad Jeſum, ad Confeſſarium ad exorcizandos iſtos dæmones, ut ab iis liberentur, nihil audiu niſi execrationes, imprecationes, atque blaſphemias.

d Jer. 2. 12.

e Matth. 6. 9.

Obſtupeſcite cæli ſuper hoc d! Ha! Domine & *Pater noſter* e, omnes qui iſto ſe gerunt modo, & tantam exercent barbariem & crudelitatem adversùs illos, quos in lucem ediderunt, & quibus præbuerunt vitam, non ſunt Patres & matres iſtorum liberorum, obliti ſunt officii ſui, & eorum, quæ ipſi tenebantur illis exhibere ut illorum progenitores, vitrici ſunt & novercæ, crudeles ſunt Herodes qui cauſant eis mortem, carnifices ſunt, & peremptores ſunt immiſericordes & ſanguinarii, imò peiores iſtis omnibus. Ipſe ſolus, adorande Jeſu, liberorum iſtorum Pater es,

f Iſai. 49 15. & 16.

quippe qui ais per Prophetam f tuum, *Nunquid poteſt mulier oblivisci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Quibus verbis ultimis addit

g Cornel. in Iſai. 49 16.

h ex Cant. 8, 6.

Cornelius g, *Ut ſis quaſi ſignum vel ſignaculum* h *in manu meâ, quaſi diceret. Intimè tui jugem memoriam ſervo, tuì ſemper recordor, te itaque ſedulò curo, ac ſi in manibus meis te deſcripſiſſem, ut ſemper ferires oculos meos, quoties manus meas intueor.* Ha! Domine tu *Pater noſter* es, quia dilexiſti *nos & nos à peccatis noſtris*

i Apoc. 1. 5.

in Sanguine i tuo laviſti. Et poſtquàm genuiſti nos ſuper duro cubili crucis tuæ, portaſti nos ſuper manus tuas extenſas ſeverâ juſtitiâ, amplectendo nos ineffabili miſericordiâ, tot tibi providens ubera ad nos lactandos ſuaviter, quot crudelitas carnificum, dum tuas *foderunt manus,*

k Pſ. 21. 17.

& pedes tuos, & *dinumeraverunt omnia oſſa* k tua, tibi intulerat vulnera. *Et ego quaſi nutritius*

l Oſee 11 3.

Ephraim portabam eos in brachiis meis l. Quod ſic exponit idem Cornelius m, *Id eſt, incedere feci, in pedes erexi, ambulare docui, pedetentim deduxi, uti faciunt nutrices, dum infantes deducunt, docentque incedere.* Deinde repoſuiſti nos in ſinu Eccleſiæ tuæ, quæ eſt Sponſa tua n, & Nutrix noſtra. Et iſta eſt Sponſa, quæ me elegit, (licèt immeritum) gubernatorem, directorem, & ducem liberorum iſtorum, ita ut dicere eis

n Act. 20 28.

poſſim cum Apoſtolo o, *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.*

o Galat. 4. 19.

Quod ſic interpretatur Dionyſius Carthuſianus p, *Filioli mei, qui parvi eſtis in perfectione virtutum; quos iterùm parturio, id eſt, cum dolore & planctu ſpiritualiter regenero, transferendo vos a non eſſe ſpirituali ad eſſe ſpirituale, per hujus epiſtolæ*, aut Quadrageſimæ *documenta, donec formetur, id eſt, recipiatur ac deſcribatur Chriſtus in vobis, id eſt, in cordibus veſtris per fidem puram, jugem memoriam, & dilectionem firmatam.* Iſtorum liberorum *miſerere Domine Fili David*. Expelle ab eis dæmonem, qui occupat locum, quem tyrannicè uſurpavit; compelle eum exire è poſſeſſione, quæ tua eſt propter tot juſtos titulos. Ut quid autem renuet ingredi in dominium, quod ad te præ tantâ attinet juſtitiâ? cum inimici tui ſic tyrannicè poſſideant, id quod ipſorum non eſt, ut dicere poſſim his filiis. *Per*

p Dion. Carth. art. 4. in Gal. 4. 19

Evangelium ego vos genui q. Scilicet, *Inſtrumentaliter, proponendo vobis Evangelium Chriſti*, ſubdit idem Carthuſianus r. Si *Judex* s *es*, conſidera, quæſo, te teneri punire hunc temerarium uſurpatorem; adeo te ut Judicem meum ſupremum; redde mihi juſtitiam, condemna dæmonem qui injuſtè uſurpavit id quod ſuum non eſt. Si *Dominus es* t illorum, expelle ab illis injuſtum illorum uſurpatorem. Si *Deus es* u, & Creator eorum, curam illorum age, & impedi ne inimicus iſte tua deſtruat opera. Si es iſta tria, *Judex, Dominus, Deus*, vera charitas omnia poteſt apud te; vides quòd ſolus amor, quo iſtos proſequor Auditores, induerit me ut te ſic enixè deprecer in gratiam illorum; nunquid non hæc charitas mercedem accipiet à te Domine? Cùm productio & nativitas liberorum ſit benedictio, quâ cumulatur Matrimonium, effice, adorande Jeſu, ut ſint *filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ* x. Qui proficiant & ferant ſuo tempore abundantes fructus honoris & gloriæ. *Ecce, ſic benedicetur homo qui timet Dominum.* Parentes, qui ad hanc intenditis pervenire benedictionem, Vobis, *benedicat Dominus ex Sion, & bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ* veſtræ videatis, ita ut intueamini domum & familiam veſtram florentem omni genere felicitatis & proſperitatis. Tandemque videatis veſtrorum *filios filiorum, pacem ſuper Iſrael*, viventes felicem vitam, & longam ſenectutem, & computetis liberos liberorum veſtrorum, *pacem ſuper Iſrael.* Super quæ Incognitus y ait. *Hæc pax vobis prædicatur à nobis, ipſa amatur à nobis, ipſa ut a nobis ametur optamus* in hoc mundo, ut poſſideamus eam omnes ſimul in altero, in quo nobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* z.

q 1. Cor. 4. 15.

r Dion. Carth. a. 4. in 1. Cor. 4. 15

s Act. 10. 42.

t Eſth. 13. 11.

u Pſ. 15. 2

x Pſ. 127. 3. &c.

y Incognit. in Pſ. 127. 5.

z Pſ. 83. 12

FERIA

FERIA VI. POST DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. &c. Joan. 5. 2. &c.

VOlens Deus elevare hominem ſupra eſſe ipſius, & participem eũ facere gloriæ ſuæ, ita ut creatura humana veluti insereretur Divinitati, & conſtitueret cum illâ unicam perſonam, bonitate ſuâ quæ *non habet finem* a, quæque ex ſe eſt communicativa, quia *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ut ait D. Dionyſius b, ſibi propoſuit producere creaturam hujuſmodi, ut ſicut ab æterno eſt eſſentialis communicatio in Deo, per quam Pater æternus communicat totã & indiviſibilem Divinitatem ſuam Filio ſuo, cũ ait illi, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* c; & Pater & Filius producentes ſimul *Spiritum* d ſanctum, communicant etiam ei propriam & unicam Divinitatem ſuam; ita ſumma hæc Eſſentia communicaretur ſic perfectè extra ſe cuidam creaturæ, ut natura creata & Divinitas cuſtodientes ſingulæ proprietates ſuas, remanerent tamen ſic unitæ adinvicem, ut unica duntaxat eſſent perſona. Atqui inter omnes creaturas, quas hæc ſumma Potentia, quâ *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyſſis* e, producere poterat, elegit ipſa eandem humanitatem, quæ re verâ unita fuit perſonæ Verbi, Filii Dei, cui deſtinavit ipſa hunc honorem incomparabilẽ unionis perſonalis Majeſtati Divinæ ipſius, ut in æternum frueretur illa per excellentiam, gloriâ ipſius. Deinde, Cùm propter iſtam felicitatem prætuliſſet cæteris creatoris humanitatem ſacram Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, bonitas ipſius infinita retineri non potuit in ſolâ perſonâ hujus Filii Divini, ſed intuitu ejuſdem Filii diffudit ipſa ſe ſuper alias plurimas creaturas; & inter innumeras, quas producere poterat, creaturas, elegit creare Angelos, & homines f, qui veluti ſocietatem inirent & fœdus pangerent cum hoc Filio, communicarent gratiis ejus, & tandem fruerentur gloriâ ipſius, adjuti gratiis, quæ ipſis eſſent communicandæ hominibus per merita hujus ejuſdem Filii hauſta è piſcinâ Pœnitentiæ, in quâ ſuſcipimus has gratias, quibus Maria fuit *plena, turbata in ſermone* g Angeli, qui turbans cor ejus, confortavit eam jucundo nuncio futuræ maternitatis ipſius Divinæ, poſtquàm dixit ei, *Ave Maria.*

a Baruch. 3. 25.
b D. Diõ. lib. de Diu. Nõ. c. 4.
c Pſ. 2. 7
d Jo. 15. 26.
e Pſ. 134. 6.
f Gen. 1. 26. & 27.
g Luc. 1. 29. &c.

Quantùm umbra ſuperatur à corpore, cortex à medullâ, & figura à veritate, tantùm, imò verò magis vetus Teſtamentum exceditur à novo Fœdere. Hæc ſunt iſtæ duæ magnæ lampades, quas Deus produxit ab initio mundi, *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus* h. Id eſt, Solem, qui repræſentat Legem novam, cujus Jeſus Chriſtus fuit inſtitutor & promulgator, *Quia gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* i. Et ut ſigillo confirmetur hujus demonſtratio veritatis, cùm in monte Thabor Chriſtus *transfiguratus eſt, reſplenduit facies ejus ſicut Sol* k. *Luminare minus*, Luna nobis eſt figura veteris Teſtamenti, non quòd Lex antiqua haberet tenebras, aut errorem contineret in ſe; ſed quia non habebat illa claritatem niſi intuitu Legis novæ & Evangelicæ, à quâ omnem ſuam deſumebat lucem, ſicut Luna non illuminatur niſi per intuitum Solis, & dicitur Luna, eò quòd luceat luce alienâ. Vel ſi hæc Lex antiqua aliquam præ ſe ferebat claritatem, exiguus erat ille ſplendor comparatus luci novi Fœderis. Idcircò Moyſes promulgator iſtius Legis veteris, *Quia Lex per Moyſen data eſt* l, poſt habitum colloquium cum Deo in monte, in quo ſuſceperat eandem Legem in duabus tabulis lapideis exaratam, quam deinde erat promulgaturus populo Iſraëlitico obſervandam, faciem præ ſe ferebat ſplendidam, non inſtar Solis, ſed more Lunæ tantùm, *Cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas Teſtimonii, & ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini* m. Et ideò *luminare minus.*

h Gen. 1. 16
i Jo. 1. 17
k Matth. 17. 1. & 2
l Jo. 1. 17.
m Exod. 34. 29.

Si autem Lex noſtra gratiæ ita eminet ſuper Legem veterem Judæorum; rectæ rationi conſonum eſt, ut, ſi aliquid eſſet in ea exquiſitum, & neceſſarium, illud inveniamus cum majori prærogativa & præ feliciori ſucceſſu in noſtra. Atqui inter mirabilia Legis illius antiquæ maximè inſignia unum ex præcipuis erat *Probatica piſcina*, quæ eò perfectiùs invenitur in noſtrâ Eccleſia Chriſtiana, quò illa non erat niſi figura iſtius. Evangelium noſtrum duorum meminit miraculorum. Unius in favorem veteris Teſtamenti; Alterius in gratiam novi Fœderis. In illo virtus piſcinæ mirabiliter ſplendebat in curando omni infirmorum genere. In iſto verò in impendenda ſanitate paralytico *triginta & octo annos in infirmitate ſua* habenti. Hæc *piſcina* erat figura noſtræ Eccleſiæ; & quidquid inveniri poterat in piſcina antiqua, repetitur in Eccleſia noſtra. Et ſicut hæc duo miracula ritè uniuntur ſimul, ita duo Teſtamenta apprimè ſociantur adinvicem.

Propoſitio.

Varias afferunt Doctores expoſitiones ſuper hanc piſcinam. Alii explicant eam de Lege Evangelicâ, cujus infirmi ſunt tranſgreſſores, infirmitates peccata quæ committuntur contra hanc Legem, *Angelus autem Domini*, qui *deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua*; eſt Jeſus Chriſtus. Alii dicunt, hanc piſcinam eſſe mortem Salvatoris, infirmos genus humanum, infirmitates prævaricationes, & Angelum Concionatores. Alii opinantur; iſtam piſcinam eſſe Scripturam ſacram, infirmos ignorantes, morbos errores, & Angelos Doctores. Alii ſenſerunt, hanc piſcinam eſſe Baptiſmum, ægrotos infantes, ægritudinem peccatum originale, & Angelum Sacerdotem, vel eum qui baptizat. Alii, piſcinam iſtam eſſe Religionem Chriſtianam, infirmos Gentiles & Judæos, infirmitatem idololatriam, Angelum verò Prædicatores. Alii, hanc piſcinam eſſe Synagogam, ægros Judæos, ægritudinem obſtinationem. Alii, iſtam piſcinam eſſe noſtram Eccleſiam Catholicam; infirmos Hæreticos, infirmitates hæreſes, Angelum Doctores qui Hæreticos convertunt. Tandem, Alii aſſerunt, quòd hæc *piſcina* eſt Pœnitentiæ, infirmi peccatores; infirmitates peccata commiſſa poſt Baptiſmum; *Angelus autem* Confeſſarii qui reconciliant nos Deo mediâ gratiâ, quam ſuſcipimus in hâc piſcinâ; gratiâ autem, quæ eſt medium quod habemus ſerviendi Deo, ut oſtendam vobis in progreſſu diſcurſus iſtius.

Dei

Dei Filius reliquit nobis in Eccleſia piſcinam Pœnitentiæ, ubi ſuam nobis dat gratiam ut medium ſerviendi ipſi. *Probatica* vocabatur antiqua *piſcina*, probata oves. *Erat enim porta quædam urbis, quæ Hebraicè porta gregis, & Græcè pili probatiki, porta pecuaria vocabatur* o [n Eſdr. 3. 1. & 32.], *ſive quod eâ portâ oves, quæ immolandæ erant, inferrentur, quòd templo vicina eſſet: ſive quòd per eam ex urbe oves emitterentur in paſtum. Oves enim Græcè probata dicuntur*, ait Maldonatus o [o Mald. in Jo. 5. 2.], qui refert ſententiam aliquorum exiſtimantium, quòd *ibi earum inteſtina ad ſacrificium lavarentur.* Hæc igitur *Probatica* nuncupabatur antiqua *piſcina* ab ovibus; & hæc *piſcina* nova Pœnitentiæ eſt etiam pro ovibus; ipſa enim ſupponit Baptiſmum, in quo renati *ex aqua & Spiritu ſancto* p [p Jo. 3. 5.], ſumus ex illis ovibus, de quibus Chriſtus ait, *Oves meæ vocem meam audiunt* q [q Jo. 10. 27.]. Si verum eſt, quòd oves & hoſtiæ deſtinatæ ad ſacrificium, lavandæ priùs erant in antiqua Probatica piſcina, *piſcina* Pœnitentiæ vicem obit ſacrificii voluntarii, eſt *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus* r [r Pſ. 50. 19.]. Altare hujus ſacrificii eſt cor Juſtorum, ſuper quod ii qui ſe peccatis aſpiciunt inquinatos, lavant ſe lacrymis ſuis, carnem ſuam macerant; ubi ignis amoris accenditur, & caro ipſorum conſumitur. Oportet ut in hoc Pœnitentiæ lavacro abluamus nos, ut poſſimus offerre Deo cor purum, & ibi recipere gratiam, quæ eſt medium ſerviendi ipſi, ut edocet nos D. Gregorius s [s D. Gr. 3. part. Paſt. admonit. 31.], *Hinc Paulus* t [t 1. Cor. 6. 11.] *ait, Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Quia nimirum illos emendatior vita ſanctificat, quos & per Pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Hinc Petrus cùm quoſdam territos malorum ſuorum conſideratione conſpiceret, admonuit, dicens, Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm* u [u Act. 2. 38.]. *Dicturus enim Baptiſma, præmiſit Pœnitentiæ lamenta; ut priùs ſe aquâ ſuæ afflictionis infunderent, & poſtmodùm Sacramento Baptiſmatis lavarent.*

Aqua deferebatur in hanc piſcinam per meatus ſubterraneos, quod repræſentat nobis ſinceram Pœnitentiam, quæ exire debet è ſecretis meatibus cordis noſtri. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum* x [x Jer. 9. 1.]? Propheta non dicit rorem, aut torrentem, ſed *fontem*, quia torrens & ros ſunt aquæ quæ veniunt ab extrinſeco, non autem ab intrinſeco terræ: ſic contritio in Pœnitentia noſtra procedere debet è corde, ut generet gratiam, per quam placere poſſimus Deo. Hoſtiæ Deo ſacrificandæ, lavandæ erant in piſcina antiqua; ſic non poſſumus eſſe ſacrificia Deo grata, quin abluamus nos in piſcina Pœnitentiæ, ut ibi ſuſcipiamus gratiam, quæ in ea producitur, quia *non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, ait S. Joannes y [y Apoc. 21. 27.], loquens de cœleſti Jeruſalem.

Intuitus ſe Rex David inquinatum crimine adulterii patrati cum Bethſabee, & homicidii commiſſi adversùs Uriam virum illius z [z 2. Reg. 11. 4. &c.], dicebat, *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo* a [a Pſ. 6. 7.]. Primò, *Lavabo*. Secundò, *Rigabo*. Ut oſtenderet lotionem veteris Legis, quæ fiebat exteriùs; & ablutionem novæ Legis quæ fit interiùs; id eſt, contritionem quæ procedere debet è corde & ab intùs, ſecundùm differentiam quæ obſervatur inter lavare, quod fit in ſuperficie exteriori, & rigare quod penetrat interiùs, & intimas uſque pervadit terræ radices, ut innueret quòd purgatio iſta intima cordis pervadere debet penetralia.

Omnes infirmi, quocumque laborarent morbo, in illa antiqua ſanabantur piſcina, quod erat mirabile. Sed *piſcina* noſtræ Pœnitentiæ eſt multò mirabilior illâ. Ipſa præbet gratiam, quæ eſt medium quo poſſumus placere Deo majori efficaciâ, quàm Medicina corporibus ægris priſtinam reſtituat ſanitatem. Nam, ſecundùm Hippocratem b [b Hipp. aphor. 1.], *Vita brevis, ars longa, occaſio præceps, experimentum periculoſum, judicium difficile.* Quod ipſimet fatentur Medici; nihil enim eſt periculoſius recentibus Medicis, de quibus dicitur quòd turgere faciant cœmeteria; unde patet, quòd Medicina eſt *ars longa*. Sed nihil ſimile eſt in Pœnitentia: primæ enim voces, quas emittimus, ſunt gemitus & ſuſpiria è corde manantia, ut aſſerit de ſe Salomon in mundum veniente, *Ego natus, primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans* c [c Sap. 7. 3.]. Quæque Deus conſtituit Adæ poſt lapſum ſuum, *In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo* d [d Gen. 3. 19.]. Si autem, juxta Medicos, chryſis cum ſudore calido & univerſali eſt ſignum ſanitatis, ſudores cordis & oculorum noſtrorum, qui ſunt lacrymæ calidæ amore Dei, & univerſales intuitu omnium peccatorum noſtrorum, non minùs erunt proficui animæ noſtræ, in qua gratiam producent. Sed quid mirabilius, quòd, cùm Medicinæ corporeæ neceſſaria ſit *ars longa*, Medicinæ ſpirituali Pœnitentiæ unicum ſufficiat momentum ad hoc ut ſanitas ſpiritualis animabus noſtris mediâ gratiâ impendatur? *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt; omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor* e [e Ezech. 18. 21. & 22.]. In illa *experimentum periculoſum*, quod eſt manifeſtum in diverſitate pharmacorum, quibus utuntur aliqui ad curandum unum morbum, quæ tamen alii morbo ſanando non eſſent utilia; quod non accidit in Pœnitentia, quæ virtute eſt major piſcina Jeroſolymitanâ, quæ ſolas ſanabat infirmitates corporeas, cùm tamen iſta remittens *peccata* f [f Joan. 5. 13.], noſtris indulgeat animabus gratiam, quæ eſt medium quo Deo placere poſſumus. In illa *judicium difficile*. Cauſæ morbi quæ conſiſtunt in deordinatione humorum corporis, aut in corde, aut in hepate, vel in pulmone, aut in cerebro, abſconditæ & incognitæ Medico, efficiunt perſæpè ut idem Medicus ipſi afferre tale non poſſit auxilium, medius curis ſuis vel induſtriis, quale ipſe optaret. Idcircò indiget luminibus cœli & gratiâ Dei, qui ipſi aperiat cauſas infirmitatis, ut congruum deinde applicare poſſit ei remedium. *Honora Medicum propter neceſſitatem: etenim illum creavit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem* g [g Eccl. 38. 1. & 2.]. Sed in piſcina Pœnitentiæ non poſſumus quin medelam ſuſcipiamus cum gratia quæ noſtris animabus ſanitatem impertiens ſpiritualem, gratos nos reddit Deo, quia ipſa eſt medium placendi & ſerviendi ipſimet Deo, cùm hæc nobis offeratur à Chriſto, è cujus latere aperto *lanceâ exivit Sanguis & aqua* h [h Joan. 19. 34.], & per aquam dedit nobis Sacramentum Pœnitentiæ, cui Sanguis ipſius inde egreſſus totam communicavit virtutem, quam habet, cùm Dei Filius omnia noſtra abluerit inquinamenta pretioſo Sanguine ſuo, ut ſuam nobis largiretur gratiam.

Præceperat aliàs faciendum *Dominus labium æneum cum baſi ſua ad lavandum* i [i Exod. 30. 18. &c.] immunditias legales & ceremoniales. Nec oblitus eſt

provi-

providere Eccleſiæ ſuæ alterum lavacrum ad abluendas ſordes ſpirituales fidelium ſuorum, nimirum lavacrum Sanguinis ſui, *Lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* k. In Lege l antiqua aliquæ guttæ ſanguinis ſufficiebant: In Lege verò nova, totum ſuum effundit Agnus immaculatus Chriſtus Sanguinem, *Redempti eſtis pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati* m. Et licèt gutta ipſius unica ſuffeciſſet purificandis noſtris ſordibus, non fuit tamen illa ſatis amori ejus, ideò totum illum effudit, ſicut ipſemet teſtatur, *Sicut aqua effuſus ſum* n. Super quod ait Incognitus o, *Multos effectus habet effuſio aquæ, ſcilicet quia abluit, & irrigat. Ita effuſo Chriſto per paſſionem, abluta ſunt ſordes vitiorum; & ad germinandum irrigata ſunt virtutibus mentes.* Propterea David qui ibi ſic eum introducit loquentem, hîc illum ita alloquitur, *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* p. Non ſine myſterio dicit Propheta Primò ſe aſpergendum, Secundò mondandum ſe taliter qualiter, quod intelligitur de purificationibus Legis q veteris, quæ non purificabant animam: ſed quoad effectum Sanguinis Jeſu Chriſti, ait, *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*, quaſi in vaſe pleno tuo Sanguine. *Et dicit, ſuper nivem*, ſubdit idem Incognitus †, *id eſt, incomparabiliter albus, & mundus ero: quia albedo ſpiritualis animæ, incomparabiliter melior eſt albedine nivis corporalis.* Hoc expreſſius declarare videtur idem Propheta, loquens de hoc amore ineffabili Dei noſtri erga nos in totali effuſione Sanguinis ſui, *Copioſa apud eum redemptio* †. Quia non unicam duntaxat effudit guttam illius, ſed totum illum exire fecit è quinque aperturis Corporis ſui r, repræſentatis per *quinque porticus* piſcinæ. Voluit Chriſtus ut ſibi manus, pedes, & latus aperirentur; & poſteà eaſdem cuſtodivit aperturas s, ut edoceret nos, quòd hæc myſtica *piſcina* viget adhuc in Sacramento Pœnitentiæ, & quòd illuc debemus recurrere, ut ibi inveniamus gratiam, quæ eſt medium ſerviendi Deo, videntes hunc Sanguinem ſemper rubicundum contentum intrà *quinque porticus* vulnerum ipſius. Vel, ſi vultis, intelligere poteſtis per has, *quinque porticus*, quinque principia peccatorum, aut quinque amores inordinatos, qui cauſant omnia mala, ſcilicet, amorem divitiarum, voluptatum, honorum, propinquorum, & ſuîipſius, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* t. Aut quinque ſenſus externos, qui aditum præbent omnibus infirmitatibus ſpiritualibus, *Oculus meus deprædatus eſt animã meã* u. Et, *Aſcendit mors per feneſtras noſtras* x. Et, Porticibus *in his jacebat multitudo magna languentiũ, cæcorum, claudorum, aridorũ, expectantium aquæ motum*. Per quos omnia peccatorum intelligere debemus genera.

Ubi obſervabitis, ſi placeat, quatuor dari genera peccatorum. Vel enim ſunt commiſſionis, aut omiſſionis. Peccata omiſſionis repræſentantur per hos languidos. Peccata commiſſionis fiunt aut cogitatione, vel verbo, ſive opere. Peccata cogitationis figurantur nobis per hos cæcos, in intellectu enim ſuum cæcitas conſtituit domicilium. Peccata loquelæ ſignificantur per aridos, cùm verbum dicatur arere in ore. Peccata operum indicantur per claudos, unde Job ait, *Oculus fui cæco, & pes claudo* y, lo-

k Apoc. 5.
l Lev. 1. 2. &c.
m 1. Pet. 1. 18. & 19.
n Pſ. 21. 15.
o Incog. in Pſ. 21. 15.
p Pſ. 50. 9.
q Lev. 14. 7. &c.
† Incog. in Pſ. 50. 9.
† Pſ. 129. 7.
r Jo. 19. 32. & 34.
s Jo. 20. 27.
t 1. Jo. 2. 16.
u Thren. 3. 51.
x Jer. 9. 21.
y Job, 29. 15.

quens de duobus Populis Gentili cæco, & deſtituto lumine fidei, & Judæo claudo, qui Legem habens, illam non cuſtodiebat, ut exponit Hugo Cardinalis z, *Cæcum dicit populum Gentilem, de quo Iſaias* a, *Populus Gentium qui ambulabat in tenebris. Claudum dicit Judaicum populum. Unde & Jacob claudus factus eſt uno pede* b. *Item, Uſquequo claudicatis in duas partes* c? ut Elias Judæis improperabat aliàs.

Dicens *languidus, Hominem non habeo*, repræſentat genus humanũ infirmum, quærens inſtar alterius Diogenis homines, non autẽ beſtias; ſed *hominem non* habebat, quia *homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* d. Sed ecce *magni conſilii Angelus* e, ſicut *Angelus Domini* iſte piſcinæ, deſcendit è cœlo in terrã, *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortẽ* f. Illius *Anima turbata eſt* g, dũ paſſio ipſius immineret. Deinde effecta *triſtis eſt uſque ad mortẽ* h. *Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* i. Et tunc turbata & mota eſt *aqua*, & in eam immerſimus nos in Sacramento Pœnitentiæ, in quo gratia nobis datur per merita iſtius Angeli *magni conſilii*, aut interventu miniſtri ejus, qui eſt Cõfeſſarius loquens ut iſte *Angelus* è piſcina Pœnitentiæ, qui compati debet infirmitatibus pœnitentiũ, *flere cum flentibus* k. Refertur autem D. Ambroſius, confeſſiones excipiens, tantas ſolitus effundere lacrymas, ut eas ex oculis ſuorum pœnitentium erueret. *Vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis* l.

Hujus veritatis figuram habemus in Jeremia, cui demiſſo in fovea porrectus eſt funis ut inde educeretur, ſed ne funis manus illius excoriaret, projecti ſunt etiam ei panni veteres ponendi inter funem & manus illius, & dictũ eſt ei, *Pone veteres pãnos, & hæc ſciſſa & putrida ſub cubito manuum tuarum, & ſuper funes. Fecit ergo Jeremias ſic. Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu* m. Lacus iſte eſt abyſſus peccati, quò cùm lapſus eſſet David n, dicebat Deo, *De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocẽ meã* o. Funis, quem Chriſtus texuit, eſt Cõfeſſio, *Cõfitemini alterutrum peccata veſtra* p. Sed quid aſperius & difficilius quàm ſuas homini aperire abominationes? At Confeſſarius qui funẽ porrigit pœnitẽti, ut educat illũ de abyſſu peccati, projicere debet etiã illi *veteres pannos & hæc ſciſſa & putrida* cõſiderationis propriæ miſeriæ, cùm ipſe ſit ejuſdem naturæ, & iiſdem obnoxius infirmitatibus, quibus pœnitens, in eadẽ labi valens peccata, in quæ iſte; quia ſi *ſtellæ non ſunt mundæ in cõſpectu Dei, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis* q? Ideò nõ commiſit Deus Angelis cœli ut dimitterent ſcelera hominibus, & ſuam eis darẽt gratiã; ſed poteſtatẽ dedit Angelis terrenis, id eſt, Sacerdotibus r, remittendi *peccata* s. Hos igitur adire poſſumus præ omni fiducia, cùm iiſdem obnoxii ſint defectibus, quibus nos, cùm accedere non poſſimus ad Angelos qui puriſſimi ſunt, & ab omni labe immunes.

In Sacramẽto Pœnitẽtiæ igitur, in hac myſtica piſcina datur nobis gratia, quæ eſt mediũ ſerviẽdi Deo, quæque nos facit *filios Dei* t adoptivos & nos infallibiliter tãdẽ reddit poſſeſſores illius qui eſt *omne Bonũ* x, ſi ea legitimè utamur. Ne autem immorer in deducẽda vobis diverſitate gratiarũ, quam Theologi dant in Schola, ſufficiet mihi ut dicã vobis, nos non poſſe aliquid peragere, niſi fultos auxilio gratiæ Dei, ut ipſemet teſtatur nobis Deus, *Sine me nihil poteſtis facere* y.

z Hug. Card. in Job, 29. 15.
a ex Iſai. 9. 2.
b ex Gen. 32. 31.
c 3. Reg. 18. 21.
d Pſ. 48. 13. & 21.
e Iſai. 9. 6. juxta LXX.
f Phil. 2. 8.
g Jo. 12. 27.
h Marc. 14. 34.
i Luc. 22. 44.
k Rom. 12. 15.
l Gal. 6. 1.
m Jer. 38. 12. & 13.
n 2. Reg. 11. 2. &c. & 2. Reg. 24. 1. &c.
o Pſ. 129. 2.
p Jac. 5. 16.
q Job, 25. 5. & 6.
r Mal. 2. 7.
s Jo. 20. 23.
t Jo. 1. 12.
x Exod. 33. 19.
y Jo. 15. 5.

Digitized by Google

Deus igitur ſuas dat & diſtribuit gratias omnibus, ſed ſecundùm capacitatem uniuſcujuſque. In hoc autem adverto ſecretum mirabile; nemo enim eſt in mundo qui ſalvari non poſſit, ſi velit, *ſecundùm propriam virtutem* a, quæ providetur ipſi à Deo; & nemo damnabitur pro eo quòd non fecerit id quod poterat, ſed eò quòd facere noluerit id, quod poterat. v. g. Ethnicus, infidelis non incurret damnationem æternam, eò quòd non fuerit baptizatus, nec Catholicam profeſſus fuerit Religionem, ſed propter illud quòd non egerit id quod facere potuiſſet, & quod non declinaverit à peccatis, à quibus potuiſſet abſtinere, ſi voluiſſet. Deus *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* a, nedum vel ullum ex illis excludat à gratiis ſuis, quas impertitur nobis omnibus, per quas efficimur Dei filii adoptivi; *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* b. Quia hæ gratiæ pandunt nobis aditum ad cœlum, convertendo nos ad Deum, & ſubminiſtrando nobis modum quo poſſimus eum adorare, eique ſervire ut veri Chriſtiani; noſque è manibus diaboli eripiendo.

a Math. 25. 15. — a 1. Tim. 2. 4. — b Rom. 8 16. & 17.

Invaniùm nos ad ſuum vocaret Deus ob equium, niſi ſuam nobis indulgeret gratiam, cùm homo reſurgere non poſſit à peccato, nec aliquam exercere actionem vitâ æternâ dignam ſine gratiâ. Idcircò *dedit talenta unicuique ſecundùm propriam virtutem* c. Quod eſt mirabile dictu, quòd unuſquiſque ſervire poſſit Deo. Sic eſt, Auditores. Dico veriſſimum eſſe, quòd ſerviens Deo quilibet homo comparare ſibi poteſt paradiſum, v. g. Turca, Paganus medias inter regiones barbaras ſalvari poteſt, etiamſi non *renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto* d, nec fuerit Chriſtianus. Ratio iſtius clara eſt, Quia nemo damnari poteſt niſi propter hoc quòd non agat id quod poteſt: Atqui certiſſimum eſt, quòd Turca, aut infidelis qui nullam habet notitiam Evangelii noſtri, & fidei quam profitemur, ſi moraliter benè vivat, cuſtodiens Legem naturæ, quâ fertur, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias* e, & faciens quod poteſt, ſalutem ſuam conſequetur. Et quare? Quoniam fecit id quod potuit. Idcircò ſi perditionem incurrat, dicendum eſt, quòd non declinaverit à peccatis, quæ vitare poterat, & conſequenter fatendum, quòd Turca, aut infidelis ſalvus erit. Quomodo autem? Adhærendo lumini naturali, quod *ſignatum eſt ſuper nos* f, & ſuper omnes homines, & peragendo id omnè quod in ſuâ poſitum erit poteſtate, ut ajunt Theologi, *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Omnis homo igitur ſervire poteſt Deo, hoc Divinæ gratiæ adjutus auxilio. Obſervate autem, ſi placet, quòd quando homo utitur hoc lumine naturali, Deus infallibiliter providebit ei alterum ſupernaturale, id eſt, gratiam ſufficientem; ſi verò homo hanc gratiam proficuè inſumat, eandem reddet efficacem, adjutus eâdem gratiâ. Hoc autem eſt magnum myſterium. Suas dat Deus gratias vel ſua *talenta unicuique ſecundùm propriam virtutem*. Id eſt, gratias ſufficientes indulget hominibus omnibus, quibus mediis ipſum honorẽt, & ipſi ſerviãt. Propterea Theologi geminam conſtituunt gratiam, unam ſufficientem, alteram efficacem. Sed quomodo hæc gratia ſufficiens diſtinguitur à gratiâ efficaci? Gratia ſufficiens omnibus data, eſt illa quæ nobis dat poteſtatem faciendæ alicujus actionis meritoriæ: v. g. os habeo & linguam ad loquendum; ſi nullam proferam loquelam, hoc tamen non impedit quin habeam poteſtatem loquendi: cùm loquor, actio ipſa eſt, Atqui dico quòd gratia ſufficiens eſt hæc potentia quâ poſſumus facere, etiamſi nihil agamus; gratia verò efficax eſt cùm hæc potentia deducta eſt ad actum: v. g loquor, ecce actio: & nihil dico, habeo tamen ſemper poteſtatem ſermonis proferendi: ſic hæc gratia ſufficiens datur *unicuique ſecundùm propriam virtutem.*

c Math. 25. 15. — d Jo. 3. 5. — e Tob. 4 16. — f Pſ. 4. 7.

Quòd ſuam Deus indulgeat gratiam omnibus juxta ſingulorum captum, patet ex eo quòd vocet unumquemque ſecundùm proprias inclinationes. Sic vocavit ab Oriente Magos *ſecundùm propriam virtutem* mediâ ſtellâ; quia Principes illi contemplationi aſtrorum erant deditì, dicunt enim, *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum* g. Traxit retibus *Simonem & Andream fratrem ejus (erant enim piſcatores) & Jacobum & Joannem fratrem ejus, reficientes retia ſua, & vocavit eos* h. Magdalenam, *quæ erat in civitate peccatrix*, ab amore profano allexit ad Amorem ſacrum, efficiens ut ſuas converteret ipſa vanitates in ſanctitatem, *Quoniam dilexit multùm* i. Ita ſi deſideremus ut Deus nos attrahat, & ſuas nobis gratias indulgeat, oportet ut ſerviamus ei ſicut Domino noſtro, & deſeramus id omne quod impedire poteſt ne convertamur ad eum, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire* k. Expedit ut valedicamus peccato ad ſuſcipiendam hanc gratiam quæ nos juſtificat, & ut verorum exhibeamus obſequia ſervorum vero Domino noſtro. Hi duo Domini ſunt contrarii & inimici adinvicem, ita ut impoſſibile ſit ut ipſis fiat ſatis, quia maximæ eorum ſic ſunt oppoſitæ, & mandata illorum ſic differunt inter ſe, ut mancipare non poſſimus nos ſervitio unius, quin ſtatim alterum offendamus, *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet* l. Ut ſerviamus Deo, oportet ut reconciliemur ei, & diſponamus nos ad ſuſcipiendas ejus gratias, quæ nos convertant ad illum, quæ nos contemnere faciant mundum, diabolum, & carnem, quorum ſubire poſſemus dominium. Veritas autem eſt certiſſima & omnibus nota, quòd Deus ut ſummus *Dominus noſter* m præcipit nobis ut ſibi ſerviamus, *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies* n. Et hoc mandato vetat nobis ne alium agnoſcamus Dominum præter ſe, ſi velimus pervenire ad poſſeſſionem ipſius qui eſt *omne Bonum* o noſtrum ſummum, noſtrum *Principium & Finis* p noſter, & centrum noſtrum, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* q. Et, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* r.

g Math. 2. 2. — h Math. 4. 18. & 19. — i Luc. 7. 37. & 47. — k Math. 6. 24. — l Ibid. — m Pſ. 8. 2. — n Deut. 6 13. — o Exod. 33. 19. — p Apoc. 1. 8. — q Pſ. 16 15.

Hæc eſt dominatio, quam Deus requirit, & licèt ſit univerſalis ſuper omnes creaturas; *Dominus omnium* s, tamen vocatur Dominus hominis præ titulis ſpecialibus: videtur enim quòd illum creans, gratiæ ſuæ illum charactère inſigniverit, quod non egit erga alias creaturas ſenſibiles. Sic Deus manu ſuâ hanc efformavit

r Prov. 16. 4. — s Eſth. 13. 11.

tabel-

tabellam totius orbis, in quo continentur cœlum, elementa, arbores, aves, animalia, piſces. Et licèt ſuam intuendam exhibeat majeſtatem, potentiam, ſapientiam, & bonitatem uſque ad minimam creaturã, nulla tamen ex illis creaturis honorata fuit ſigillo ipſius, niſi ſolus homo, *Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtrã* t
s Gen. 1. 26. Quæ ſimilitudo non eſt alia niſi gratia ſanctificans. Non erit autem abs re enarrare hîc illud, quod ait Tertullianus, obſervans, quòd Scriptura ſacra Deum non vocat Dominum niſi quando creare voluit hominem, *In principio creavit Deus cœlum & terram* u, &c. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ* x. Dicit
u Gen. 1. 1. &c. ergo, *Ubi univerſa perfecit, ipſumque vel*
x Gen. 2. 7. *maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc etiam Dominus nomen adjunxit. Et accepit Deus Dominus hominem, quem finxit* y. Unde manifeſtè apparet quanti Deus fecerit hominem, volens habere
y Tert. lib. cont. Hermog. c. 3. eum ut vaſſallum ſuum, præbens illi gratiam ſuam ut faceret eum alterum ſemetipſum. Ut autem oſtenderet homini, ſe nullum habere velle dominationis ſuæ ſocium, miniſterium inſumere noluit Seraphini, ſed ipſemet *in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* z, & liberet animas noſtras à tyrannide ejus, *quâ*
z 1. Jo. 3. 8. *libertate Chriſtus nos liberavit* a, expellens hunc hoſtem infenſiſſimum è Regno ſuo, *Nunc prin-*
a Gal. 4. 31. *ceps hujus mundi ejicietur foras* b, & reparans ruinas & ſtrages quas inimicus hic ediderat, *Venit enim Filius hominis quærere, & ſal-*
b Jo. 12. 31. *vum facere quod perierat* c.

Ut autem illud oſtendat inconſtantibus,
c Luc. 19. 10. qui hodie ſe conſecrant Deo, cras verò ſe dedunt mundo, qui bonum hodiernâ die peragunt opus, craſtinâ verò ad patranda antecacta redeunt ſcelera, quibus *contigit illud veri Proverbii, Canis reverſus ad ſuum vomitum, & Sus lota in volutabro luti* d: qui obſervant mandata Dei, & paulò pòſt adhærent legibus
d 2. Petr. 2. 22. ex Prov. 26. 11. & maximis mundi innocentiæ oppoſitis, hanc eis maximam tradit generalem, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire* e. Id eſt, *non ſubordinatis, ſed contrariam voluntatem habenti-*
e Matth. 6. 24. *bus, videlicet Deo & mundo, Deo & carni. Propter quod dicit Apoſtolus* f, *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*, exponit
f Galat. 1. 10. Dionyſius Carthuſianus g. Nullus eſt ita rudis ac barbarus ut propoſitionis iſtius non agnoſcat
g Dion. Carth. ar. 14. in Matth. 6. 24. veritatem. Sic dicendum, quòd illi ſunt maximè criminoſi qui malitiâ inauditâ, & ingratitudine intolerandâ denegare volunt obſequium Deo quod ipſe exigit, quodque exhibere ipſi poſſumus adjuti gratiâ ipſius. Illi ſanè ſunt ignari, ſed dicam meliùs, & verum enunciabo, ſunt ſanæ mentis impotes, ſimiles Pharaoni qui dicebat, *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus? Neſcio Dominum* h. Moyſes, non novi quis ſit iſte, de quo mihi loqueris;
h Exod. 5. 2. qui nomen Domini ſibi arrogat; & licèt ſciam quis ille ſit, nolo tamen illi morem ullo gerere modo. Regis Aſſyriorum Dux Generalis *Rabſaces miſit nuntios ad Ezechiam, dicens, Hæc dicite Ezechiæ Regi Juda, Non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas, Non tradetur Jeruſalem in manus Regis Aſſyriorum* i. Quaſi diceret ille Dux, quòd 4. Reg. 19. 6. &c.
Deus non eſſet ſatis potens ad liberandum populum ſuum è manibus Sennacherib Domini ipſius. Et Nabuchodonoſor mortem minitans inferre tribus adoleſcentibus Hebræis renuentibus adorare *ſtatuam auream quam erigendam* ſategerat, dicebat eis, *Quis eſt Deus qui eripiet vos de manu meâ* k? Quotnam ſunt Chriſtiani qui tempore quo vivimus, ſeſe ſupremos autumant Dominos, malentes ſervire vanitatibus k Dan. 3. 14. & 15.
& oblectamentis mundi, quàm honorem & reverentiam Deo exhibere? Quot ſunt qui contemnentes gratiam, quæ eſt ſolum medium, cujus beneficio obſequium præſtare poſſunt Deo, adorant argentum & aurum, & erigunt *ſtatuam auream* honorum & divitiarum temporalium? Quot inveniuntur qui ſuum vellent conſecrare cor Deo & diabolo; dare ſocium & condominium Deo, ut ſuis fruantur voluptatibus & deliciis?

Illi ſimiles ſunt Philiſthæis, à quibus, poſtquàm ipſi cum populo Iſraël *pugnaverunt, & cæſus eſt Iſrael, Arca Dei capta eſt* l; *tuleruntque Philiſthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in* l 1. Reg. 4. 10. & 11.
templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon m ad honorandam eam ſuo modo; ut Philiſthæus qui templum eſſet ingreſſurus, adoraret m 1. Reg. 5. 2. &c.
Arcam Dei, ſi vellet; aut idolo Dagon ſuas exhiberet reverentias, ſi ita ipſi videretur. Sed ſicut Deus & diabolus ſociari non poſſunt ſimul, confeſtim *ecce Dagon jacebat pronus in terrâ ante Arcam Domini*. Rati iſtud eveniſſe caſu *Azotii, tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. Rurſumque invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terrâ coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen.* Hi Philiſthæi nobis repræſentant Chriſtianos hodiernos, qui vellent ſuas exhibere adorationes Arcæ Dei & idolo Dagon, ſervire Deo & mundo. Orationibus, jejuniis, eleemoſynis, & aliis operibus pietatis & charitatis vacant, ſed aliunde ſuæ ſerviunt avaritiæ. Ad ſacram accedunt Synaxim, æquè ac ad Confeſſionem, & utramque frequentant, ſed iſtud non impedit quin affectu vindictæ capeſſendæ ſemper ducantur, & deſideriis ſuis immodicis habenas laxent, nedum magni faciant gratiam, quam ſuſceperunt in piſcinâ Pœnitentiæ. Adhærent maximis & legibus mundi, nedum ſequantur mandata Jeſu Chriſti. *Homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ, languidus, ſanus factus* in piſcinâ, condemnabit negligentiam eorum. Proficuè utamur gratiâ ſuſceptâ in piſcinâ Pœnitentiæ, quæ introducet nos ad gloriam.

DOMINICA. II. QUADRAGESIMÆ.

Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. &c. Matth. 17. 1. &c.

IEſus Chriſtus qui unicum habet Patrem in cœlo inter fulgentes gloriæ ſplendores, unicam habet etiam Matrem in terrâ in valle ſuſpiriorum. Ille verò & iſta in his diverſis domiciliis teſtimonia amoris erga ipſum perhibent. Pater ſuæ *in templo ſancto gloriæ, in throno regni* ſui ſedens *ſuper Cherubim, lauda-*
a Dan 3. 55. &c. *bilis & ſuperexaltatus in ſecula* a, producit eum ab æterno, intuitu infinitarum ſuarum perfectionum, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero*
b Pſ 109. 3. *ante Luciferum genui te* b. Mater *ubi venit ple-*
c Galat. 4. 4. *nitudo temporis* c, reſpiciens *humilitatem* d ſuam, præbet ei in ſinu ſuo novam vitam, quam
d Luc. 1. 48. non habet ipſe *unigenitus Filius qui eſt in ſinu*
e Jo. 1. 18 *Patris* e; dum *inventa eſt in utero habens de*
f Matth. 1. 18 *Spiritu ſancto* f. Pater illum generat, declarat & manifeſtat hodie gloriam ipſius, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Mater ejus poſtquàm *peperit Filium ſuum*
g Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7 *primogenitum* g, vult illum manifeſtare, ideòque *dicit miniſtris, Quodcumque dixerit vobis facite,* cùm *fecit initium ſignorum Jeſus in Canâ*
h Joan. 2. 1. &c. *Galilææ* h. Ipſa manifeſtabit eum adhuc meliùs hodiernâ die, confortans vocem meam ad publicandam gloriam ejus. Propterea proſterno me ad pedes ejus, ut dicam ei cum Angelo, *Ave Maria.*

Evangeliſta noſter veluti pictor Divinus quaſi mutuum acceperit penicillum D. Lucæ, qui artem ſuam pingendi didicit in cœlo, delineat nobis cum eodem D. Luca hodiernâ die tres ſpecioſas imagines, quarum eximia pulchritudo non poteſt eſſe niſi oculis noſtris gratiſſima, eoſque ſuis ſuaviſſimis demulcere lenociniis. Prima eſt imago felicitatis Empyrei contenta ſub his verbis, *Transfiguratus eſt ante eos; & reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Secunda eſt imago paſſionis & mortis ejus, & myſterii redemptionis
i Luc. 9. 31. omnium hominum, ſeu iſtius operis quod eſt exceſſus amoris, ut ſubdit D. Lucas i, *Moyſes & Elias dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.* Tertia eſt imago miſſionis Salvatoris, potentia verbi ejus, & obedientia quam ei exhibere debemus, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite. Faciamus hic tria tabernacula* tribus iſtis myſteriis cum D. Petro; id eſt, contem-
Diviſio. plemur hæc tria objecta oculorum noſtrorum & ſtuporis noſtri, æquè ac ſubjecta diſcurſus iſtius, & attentionum objecta veſtrarum.

I. Pars. Inſulditæ inſimularetur architectus imprudentiæ, ſi ædificii foderet fundamenta, priuſquàm illius ideam in mente ſuâ formaſſet, quia priùs debet eſſe opus in intellectu, quàm in ſeipſo; in ideâ artificis, quàm in inſtrumentis. Majoris inſipientiæ notâ inureretur Chriſtianus, ſi properaret ad media, priuſquàm illorum cognoviſſet finem. Et tamen ſic homines ſunt amici ter-
k Pſ 83. 11. ræ, ut nunquam ſuſpirent ad cœlum, ita ſiſtentes *in tabernaculis peccatorum* k, ut nunquam ſuos elevent oculos eò quò ſuum evexerat Propheta cor & amorem, *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exul-* l Pſ. 83. 1. &c 2.
taverunt in Deum vivum l. Adhærent ea rebus præſentibus, non intuentur futuras. Et ecce hodie Salvator noſter, ſummus iſte Legiſlator, *Quia gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* m, m Jo. 1. 17.
antequàm præberet nobis Legem, quæ eſt medium operandæ ſaluti & felicitati noſtræ conſonum, oſtendere nobis vult quinam ſit illius finis. Aſcendit *in montem* Thabor, ut ibi detegat imaginē Empyrei, extenſionemque ſupernæ felicitatis.

Quinque obſervo beatitudines in cœlo, quæ aperiuntur hodie ſuper monte Thabor. Ibi invenio 1. viſionem beatificam Divinæ Eſſentiæ. 2. Radios humanitatis Chriſti, quæ noſtras merentur adorationes. 3. Liberationem ab omnibus malis. 4. Societatem Angelorum & Beatorum. 5. Æternitatem felicitatis. Prima beatitudo manifeſtatur in hac Transfiguratione. Secunda in hâc ſpecioſâ facie ſplendente inſtar Solis, & in his veſtimentis albis more nivis. Tertia in ſtupore D. Petri. Quarta in præſentia & ſocietate Moyſis & Eliæ. Quinta tandem in firmitate hujus montis. Quinque obſervabantur notatu digna in gloriâ triumphorum Romanorum, quæ inveniuntur in monte Thabor. 1. Elevabant arcus triumphales, in quibus exarabantur præclara facinora Ducum & militum. 2. In curribus triumphalibus ipſi vehebantur à diverſo genere animalium. 3. Concinebantur eorum præclara geſta. 4. Deferebantur arma & ſcuta ſuper equum. 5. Victi currum ſequebantur triumphalem. *Exultabunt Sancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus ſuis. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in ma-* n Pſ 149. 5. & 6.
nibus eorum n. Jeſus Chriſtus ſuorum oſtendit gloriam triumphorum Sanctis, ut illos ad eos attrahat. Hos arcus triumphales manifeſtat *nubes lucida.* Currum Corpus Chriſti elevatum *in montem excelſum.* Generoſas actiones celebrāt *Moyſes & Elias. Et dicebant exceſſum ejus, quem com-* o Luc. 9. 31.
pleturus erat in Jeruſalem o, diſcurrentes de armis Crucis, quibus erat præliaturus. Tandē, *Diſcipuli ceciderunt in faciē ſuam*, tantâ devicti gloriâ.

Dico potiùs Deum velle hîc oſtendere qualis ſit vultus ſpecioſæ hujus Rachelis p. *Reſplen-* p Gen. 29 17.
duit facies ejus ſicut Sol. Hæc beatitudo conſiſtit in fruitione hujus Divinæ Eſſentiæ, quæ complectitur viſionem & amorem, quæ nos transfigurat & transfert feliciter in perfectiones ipſius, & æternâ nos inebriat felicitate, cùm anima noſtra replebitur luce, virtutibus, bonitate, & magnitudinibus Divinitatis, quæ nos conformes efficiet huic ideæ omnium perfectionum, *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbi-* q 1. Jo. 3. 2.
mus eum ſicuti eſt q. Secunda ſita eſt in eo quòd cùm elevari poſſit corpus noſtrum hoc *lumine* r r Pſ. 35. 10
gloriæ ad videndam Eſſentiam Divinam, novo miraculo elevabitur ad videndum Corpus Chriſti, non ampliùs opertum Sanguine & ſputis ut in monte Calvariæ s, ſed lucidum & glorioſum, s Jo. 19 18. &c.
Reſplenduit facies ejus ſicut Sol. Vulnera ejus, quæ ſunt inſtrumenta felicitatis noſtræ, mutabunt clavos & lanceam, quibus perforata ſunt, in aſtra radiis micantia. Beatæ culpæ, quæ efficiunt

ciunt has cicatrices crudelitatis, monumenta gloriæ ejus! Sed eventu inaudito Corpus iſtud glorioſum ſuam noſtris communicabit corporibus claritatem, impaſſibilitatem, agilitatem, ſubtilitatem; *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum Corpori claritatis ſuæ* Chriſtus t. Præterea, Loco voluptatum noſtrarum temporanearum, æternâ ſatiabimur voluptate, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ* u. Tunc ceſſabunt lacrymæ x Magdalenæ, & hi ſermones ſuſpiriis ſtipati, *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum* y. Tunc videbit illa eum totum ſplendidum; tunc *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt* z. Tunc Chriſtianus *ſedebit populus in pulchritudine pacis; & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* †. Et hoc eſt quod perficit tertiam felicitatem paradiſi, quæque manifeſtatur in monte Thabor. Quarta conſiſtit in hoc, quòd reddat iſtam gloriam Angelis notam. Chori iſti Sanctorum, non ſolùm poſſidebunt ſenſibiliter voluptates, ſed etiam coram Angelis & beatiſſimis ſpiritibus, cùm perfectiones nihil ſint, niſi declaratæ. Tot habebunt gradus gloriæ, quot fuerint communicati cuilibet Beato, *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum* a. Hoc innuunt nobis in monte Thabor *Moyſes & Elias cum Jeſu loquentes*. Sed id quod tandem perfectè adimplet hanc felicitatem, eſt firmitas ipſius & ſtabilitas quæ in æternum durabit. Idcircò aſcendit *Jeſus in montem* Thabor, qui eſt imago æternitatis, Unde fit ut montes in Scriptura vocentur æterni, *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis* b. *Fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* c. Tandiu durabit iſta felicitas quandiu Deus erit Deus, ita ut momentum pœnæ illam pariat, *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis* d.

Dominicâ præcedenti dæmon qui eſt *Princeps hujus mundi* e, & *Poteſtas tenebrarum* f, cum aſſumpſiſſet Chriſtum *in montem excelſum valde, oſtendit ei omnia Regna mundi, & gloriam eorum* g. Hodiè verò idem Chriſtus aſſumptus *in montem excelſum ſeorſum*, ipſe qui eſt *Pater futuri ſæculi, Princeps pacis* †, explicat in eodem monte veras divitias cœli, ut corda noſtra ſibi conciliet. Ille allicit promittendo, *Hæc omnia tibi dabo*, ſed pollicendo præ vanitate; iſte verò attrahit dando, ſed præ veritate. Ille apparentia monſtrat bona; iſte autem ſolidas exhibet divitias. Jeſus Chriſtus aperit ſplendorem Divinitatis ſuæ, ut lenociniis ſuis ſuaviſſimis noſtra commoveat corda, *Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes! à facie tuâ montes defluerent* h. Faxit Deus ut diſcindantur hodie cœli, ut deſcendat ipſe denuò ſuper faſtigium montis Thabor (ſicut deſcendit aliàs ſuper montem Sion in Apoſtolos *tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum* i) ad accendendas igne amoris has animas ſuperbas. *Sicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni* k. Super quæ Cornelius ait l, *Sic Chriſto deſcendente ad nos, aqua, id eſt, mollia, & concupiſcentiis humecta, ac viſcoſa hominum corda igne charitatis & Spiritus ſiccata & inflammata ſunt.* Poſſibilene foret ut pulchritudo intuenda exhiberetur, quin amaretur? Proprium eſt perfectioni producere amorem & dilectionem. Hæc eximia pulchritudo manifeſtatur in monte Thabor & ſplendet ſuper intellectum, & ſuper eum ſuum exercet imperium; voluntas his denegabitne ſubmiſſiones ſuas ignibus? *Cùm feceris mirabilia, non ſuſtinebimus; deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt* m. Quaſi edoceret nos Propheta dicere, Intuitu horum mirabilium, quæ manifeſtantur in monte Thabor, ſuſtinere non poſſumus ſplendorem gloriæ iſtius ſine amore. Corda noſtra, licèt prædura inſtar montium & rupium, præ facie iſta, cujus claritatem adorat Sol, liquefiunt. Sed quid? tantâne percutiemur cæcitate, quantâ Judæi? Petemusne *dimitti Barabbam, ut Chriſtus crucifigatur* n? Id eſt, voluptates & vanitates efflagitabimuſne, ut Jeſum morti & ſuppliciis tradamus? Heu! quotnam inveniuntur, qui præferunt dæmonem ſuper monte cum gloria divitiarum & Regnorum terræ, Jeſu Chriſto ſuper monte Thabor præbenti coronam immortalitatis?

Secunda ratio hujus myſterii, ſeu ſecunda propoſitio quam obſervo in iis quæ peraguntur hodie, in hoc eſt ſita, quòd in illa felici ſocietate, quæ facit imaginem paradiſi, fit ſermo de inferno inaudito, de exceſſu rigoris & amoris, *Et dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem* o, Mediam inter pacem & tranquillitatem Empyrei, miſcetur diſcurſus & conſilium montis Calvariæ, ubi Divinus hic Amans eſt moriturus præ exceſſu charitatis. Exiſtimaverunt Aliqui, quòd ratio diſcurſus iſtius fuit ad confirmandas mentes diſcipulorum ipſius, ut crederent quòd charitas, & non violentia, futura eſſet illius carnifex in monte Calvariæ; quod futuræ illius paſſiones principium haberent liberam ipſius voluntatem, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* p; & non malitiam hominum, aut neceſſitatem moriendi. Mihi verò videtur ipſe ſociare transfigurationem paſſioni, pœnam voluptati, gloriam opprobrio, & vitam morti, ut exprimat nobis qualitatem amoris, quo erga eum debemus affici, & quo ipſe nos proſequitur. Conſuetudo eſt recepta à mulieribus vanis, inquirendi ancillas deformes ad magnificandam ſpeciem ſuam; & faciei ſuæ imponendi exigua emplaſtra nigra, ut ex eorum oppoſitione caro candidior appareat: Jeſus Chriſtus opponit id, quod ipſe eſt in ſeipſo, ei quod facimus illum eſſe in noſtra humanitate, ſtatum gloriæ ſuæ ſtatui noſtræ infirmitatis, Thabor Calvariæ, ut eò clariùs ſui magnificet amoris ſublimitatem. Vultiſne ſcire extenſionem dilectionis ejus, & exceſſum flammarum illius? Intuemini thronum ejus, ſinum Patris æterni, in quo eſt *conſtitutus Rex ab eo* q, cum depreſſione præſepis. Si verò in cœlo *magnus eſt, & non habet finem; excelſus, & immenſus* †; in terra reclinatus *in præſepio* r, non eſt minùs depreſſus. Veſtros ferte obtutus ad montem Thabor uſque, eoſque projicite ſuper hanc ſpecioſam faciem ſplendentem inter Moyſen & Eliam; deinde eandem aſpicite in monte Calvariæ deformatam inter duos *latrones* s.

Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra t petit Iſaias. Quaſi diceret, Quiſnam eſt Vir iſte veniens de regione peccati, incedens præ tanto ſplendore gloriæ, triumphi, & ſpoliorum? *Iſte formoſus in ſtola ſua.* Id eſt, ut interpretatur Hugo Cardinalis u, *in tunica militari & armatoria. Loquitur enim de Domi-*

t Phil. 3. 21.
u Pſ. 35. 9. & 10.
x Luc. 7. 38.
y Jo. 20. 13.
z Apoc. 21. 4. ex Iſai. 25. 8.
† Iſai. 32. 18.
a Pſ. 132. 1.
b Pſ. 75. 5.
c Dan. 12. 3.
d 2. Cor. 4. 17.
e Jo. 12. 31.
f Luc. 22. 53.
g Matth. 4. 8. & c.
† Iſa. 9. 6.
h Iſai. 64. 1.
i Act. 2. 2. &c.
k Iſai. 64. 2.
l Cornel. in Iſai. 64. 2.
m Iſai. 64. 3.
n Matth. 27. 21. & 22.
II. Pars.
o Luc. 9. 31.
p Iſai. 53. 7.
q Pſ. 2. 6.
† Bar. 3. 25.
r Luc. 2. 7.
s Luc. 23. 33.
t Iſai. 63. 1. &c.
u Hug. Card. in Iſai. 63. 1. &c.

no ad modum militis, ſive alicujus probi & ſtrenui Principis Iſaias. *Gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Id eſt*, ait idem Hugo, *cum multo exercitu & potenti ſocietate. Hucuſque quæſtio admirationis protenditur. Deinde reſponſio Domini inducitur dicentis, Ego qui loquor juſtitiam, id eſt, qui quod juſtum eſt dico per Prophetas. Et propugnator ſum ad ſalvandum, id eſt, qui pro ſalute populi mei pugno, & qui eum defendo. Sed quia ſalvatio & ſanguinis effuſio videntur ſibi contrariari; ideo ſubditur ſub modo quæſtionis in perſona Judæorum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum?* Si tu es ipſe cujus vultus reſplendet more Solis, & veſtes albæ ſunt inſtar nivis, utquid veſtes iſtæ rubeſcunt? *Torcular calcavi ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.* Quaſi diceret, Sanguine peccatorum inſiliente in veſtes meas, eas ſic inquinandas permiſi ad oblectanda corda veſtra.

y Iſai. 16. 5.

Coge conſilium, pone quaſi noctem umbram tuam in meridie, ait Iſaias y idem. Appoſitè à te conſultum eſt ut poneres inter lucem & ſplendorem Thabor obſcuritatem & nebulas Calvariæ; ut immiſceres ſermonibus amantiſſimis Patris tui ſuper te, cogitationes paſſionis & mortis tuæ; & medios inter exceſſus gloriæ tuæ collocares exceſſus dedecorum & opprobriorum tuorum, ut edocerentur corda noſtra adorare ſupplicia & martyria tua medias inter voluptates & delicias tuas, contemplari imaginem Calvariæ & paſſionis ex tranſverſo iſtius gloriæ & transfigurationis, & conſtituere exceſſus rigoris cum exceſſibus amoris. Poſtquàm Divinus iſte *Sponſus exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus* z, tunc pulſare cœpit januam Sponſæ ſuæ, *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunicâ mea, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos* a? Quis non damnet hanc Animam ingratitudinis, ſicut ſtultitiæ inſimulavit Abigail virum b ſuum Nabalem? Sed attende, *Animalis homo, non* percipiens *ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt* c tibi; attende, inquam, quòd *in quo judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ judicas* d. Et ideò adversùm te ſententiam perditionis tuæ profers. Jeſus Chriſtus totus ſuo opertus Sanguine, petit à vobis ut ſibi aperiatis, ut veſtris imprimat cordibus mortis ſuæ imaginem, Auditores: vos autem tædet induere vos ut ſurgatis è lecto deliciarum veſtrarum, & vetemini ne veſtri inquinentur pedes, & ideò aperire ei renuitis. Dicit vobis, quòd propter crimina veſtra, rubent ipſius veſtes ſævitiâ & pœnis; vos verò ob minimum oblectamentum illum proditis. Minimas veremini vos tolerantias; Divinus autem Salvator iſte in exceſſus fertur. Quid dicturus ſum poſt hæc, niſi quòd amor veſter evaſurus eſt furor? Non me latet, malitiam ſic terram contra hunc amantem Salvatorem, non poſſe producere niſi funeſtos effectus. Eum adoro ſub illo apparatu ſub quo nobis repræſentatur à D. Joanne e, *Et veſtitus erat veſte aſperſâ Sanguine. Id eſt, Corpore, proprio Sanguine tempore paſſionis rubricato*, ait Dionyſius Carthuſianus f. *Et vocabatur nomen ejus, Verbum Dei, id eſt, Unigenitus Patris æterni. Eſt enim Verbum æternum, quod Pater ſeipſum intelligendo intra ſe invariabiliter profert, de quo ſcriptum eſt; In principio erat Verbum* g. *Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus Dominantium.* Ut perdat omnes eos qui renuerunt ferre imaginem crucis & paſſionis ipſius, & characterem ſanguinolentum martyriorum ipſius.

z Pſ. 18. 6 & 7.
a Cant. 5. 2. & 3.
b 1. Reg. 25. 25.
c 1. Cor. 2 14.
d Rom. 2 1.
e Apoc. 19. 13. & 16.
f Dion. Carth. a 20. in Ap. 19. 13.
g Jo. 1. 1.

III. Pars.

Tertia ratio iſtius myſterii, ſeu ultima propoſitio, quam obſervo in hoc Evangelio, eſt miſſio Jeſu Chriſti ad nos edocendos verbum ſuum, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Fides ſupponit prædicationem; prædicatio verò miſſionem, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Quod eſt annunciandum à Concionatoribus, qui proptereà mittendi ſunt, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur* h? Maximum Concionatoris crimen eſt prædicare ſine hac authoritate, aggredi concionem abſque legitimâ miſſione, *Dei enim ſumus adjutores* i, ait D. Paulus. Et diſcipulus ejus D. Dionyſius k dicit, *Uniuſcujuſque eorum, qui in hierarchia cooptati ſunt, in eo poſita perfectio eſt, ut pro ſua quiſque virili parte ad Dei imitationem conſcendat: & id quo nihil Divinius eſt, Dei, ut ſacra Scriptura loquitur, fiat adjutor Divinamque in ſe actionem, quantùm poteſt, oſtendat.* Si autem ſumus aſſiſtentes *Dei adjutores*, expectandum eſt donec operetur nobiſcum, ut mittat, & delegat. Adversùs iſtos invehitur Deus defectus per ſuum Prophetam l, qui triplex obſervat falſorum genus Prædicatorum. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Primi utuntur oraculis antiquorum Prophetarum & Concionatorum, & immiſcent ea mendaciis ſuis, ut his concilient authoritatem; aut illa malè interpretantur, quò illa ad propoſitum ſuum contorqueant, *Qui furantur verba mea.* Secundi ſuavibus demulcent verbis, *Qui aſſumunt linguas ſuas.* Tertii verò gloriantur de viſionibus & falſis miraculis, de elevationibus & eeſtaſibus, *Qui ſeduxerunt populum meum in mẽdacio ſuo, & in miraculis ſuis, cùm ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis.* Quâ ratione autem prædicabunt veritates, non habentes niſi vanitates?

h Rom. 10. 17. & 15.
i 1. Cor. 3. 9.
k D. Dio. lib. de Cœl. Hier. c. 3.
l Jer. 23. 21. &c.

Hæc miſſio eſt ita neceſſaria, ut eam dare voluerit Deus Filio ſuo. Ideò decrevit ut D. Joannes Baptiſta præceſſerit ut teſtis luminis ipſius, &, prout ipſius Prædicator, haberet pariter ab ipſo miſſionem, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de Lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de Lumine* m. Hodie verò Pater æternus hanc miſſionem vult ipſemet dare Filio ſuo ſuper monte Thabor, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* Ad conciliandam huic Verbo authoritatem neceſſaria fuit hæc miſſio. Sed quamnam hinc eruemus conſequentiam?

m Jo. 1. 6. &c.

Hanc profectò, Auditores, ut adoretis præ reverentia oracula ſacra pronunciata oribus noſtris, Dei ipſius ore animatis. Contemnere enim verbum Dei, qui loquitur vobis medio miniſterio noſtro, crimen eſt, quod ipſe gravi plectit ſupplicio, ut teſtatur Ezechiel n, loquens de contemptoribus verbi Dei ipſimet Deo, *Sedent coram te, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos. &*

n Ezech. 33. 31. &c.

ava-

avaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et es eis
quaſi carmen muſicum, quod ſuavi dulcique ſono
canitur. Et cùm venerit quod prædictum eſt
(ecce enim venit) tunc ſcient quòd Propheta fue-
rit inter eos. Locutus ſum hominibus, qui ne-
fandiſſimi criminis conſcii mutaverunt honorem
iſtius cathedræ in opprobrium theatri ſcenici, hos
motus Spiritus ſancti in geſticulationes theatri-
cas; *verba vitæ æternæ* o in diſcurſus joculares,
o Jo. 6. 68. & remedium in venenum. Sed cùm cœlum vin-
dex iniquitatum illorum, reddiderit eis ſupplici-
um criminibus ipſorum debitum, tunc noſcent,
Jeſum fuiſſe locutum ore meo, & me prædixiſſe
ipſorum damnationem, *tunc ſcient quòd Pro-*
pheta fuerit inter eos. In cantilenas conver-
tunt verba Divina, ſuis adhærent avaritiis & am-
bitionibus, & infamibus ſuis indulgent volupta-
tibus. Quandiu Concionator ſuum dirumpit
pectus, ipſi derident verba ejus, & efficiunt ut ex
inſtrumento ſalutis ipſorum, evaſurus ſit Teſtis,
Accuſatorque ad machinandam ipſorum rui-
nam *cùm venerit Filius hominis in majeſtate*
p Matth. 21. 38. *ſua* p. Non ego ipſe ſum qui loquor vobis, ſed
Chriſtus, *Ipſum audite.* Et propoſitiones meæ
ſunt verba ejus, *Non enim vos eſtis qui loquimini,*
q Matth. 10. 19. *ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis* q.
Pater æternus mittit Filium ſuum. In hac
miſſione Pater eſt mittens Spiritus ſanctus con-
ſentiens, & ipſemet Filius loquens: *Quem mit-*
tam? & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte
r Iſa. 6. 8. & 9. *me. Et dixit, Vade* r. Et tamen ipſe Dei Fili-
us contemnetur, quandiu in eo ſibi complacet
Pater æternus. Tres perſonæ Divinæ igitur de
hoc contemptu ultionem ſument, cùm ipſæ ſin-
gulæ tres Divinitùs inveniantur in hoc Verbo
quod contemnimus. Hoc Verbum *eſt Filius*
dilectus ejus, & tamen *ſic Deus dilexit mundum,*
s Jo. 3. 16 *ut Filium ſuum unigenitum daret* s. Hic ipſe
eſt *in quo benè* ſibi complacet Pater, & tamen
eum morientem dereliquit; id eſt, illum dolo-
ribus & pœnis cumulat, etiamſi in illo ſuas inve-
niat delicias, ut ipſemet Filius ei queritur, *Deus*
t Matth. 27. 46. *meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me* t?
Tria obſervo media peragendæ ſaluti no-
ex Pſ. 21. 2. ſtræ conſona, timorem, ſpem, & amorem. Chri-
ſtus oſtendit terrores per aculeos ſuos, *Accinge-*
u Pſ. 44. 4. *re gladio tuo ſuper femur tuum Potentiſſime* u.
Pulchritudo ejus accendit noſtram ſpem, *Specie*
tuâ & pulchritudine tua intende, proſperè proce-
x Pſ. 44. 5. *de, & regna* x. A miſericordia & à juſtitia ejus
reponitur nobis *corona juſtitiæ* y, quandiu amor
y 2. Tim. 4. 7. 8 mutat hodie gloriam & ſplendorem in ignomi-
niam. *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Si quæ-
rantur ſuper Thabor gloria, divitiæ, & deliciæ
ac oblectamenta, hæc omnia ibi inveniuntur &
explicantur; nec ullus eſt in mundo locus, ubi
verè dici poſſit ſicut in monte Thabor, *Domine,*
bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus hic tria taber-
nacula, in quæ tres Divinas ſuſcipiamus Perſo-
nas novo vivendi genere quod peragemus impo-
ſterùm, renovando tres potentias animæ noſtræ;
inducendo intellectum ad habendum Deum
ſemper præſentem, inclinando voluntatem ad
diligendum eum continuo & ardentiſſimo affe-
ctu, & memoriam ſuaviter invitando ad recor-
dandum jugiter beneficiorum ejus: ita ut in his
tribus tabernaculis renovemur recenti ſancto-
rum exercitiorum praxi, ſicut aquila; ſic ut de
nobis dici poſſit ac de Sanctis qui ſunt in gloria,
z Eccl. ex Pſ. 102. 5. *Sanctorum velut aquila juventus renovabitur* z.
Anima Chriſtiana, cùm in lucem edita, fu-
iſti renata *ex aqua & Spiritu ſancto* a in ſalutari a Jo. 3. 5.
Baptiſmatis lavacro; & in hac nativitate recen-
ti impreſſum tibi ſuſcepiſti characterem Divi-
nitatis, qui eſt gratia ejus, effecta es *Divinæ natu-*
ræ b conſors, & digna quæ admittenda ſis ali- b 2. Petr. 1. 4.
quando ad *tabernacula* gloriæ; oportuit ut per-
veneris ad tempus, quo è tuis exiens incunabulis,
& tuam incipiens linguam ſolvere, quæ fuerat al-
ligata, nedum poſſes agnoſcere felicem ſtatum,
ad quem te vocaverat Deus, deberes familiariter
colloqui cum eodem Deo, & ſuſcipere ab eo ſan-
ctas inſpirationes, quæ poterant te provocare ad
eum diligendum & adorandum, ad ſerviendum
ei, & ad ſperandam ab eo utilitatem tuam. Tunc
vidiſti te conſtitutam in indifferentia & in plena
libertate aut perſeverandi in eadem tua juventu-
te, tuam cuſtodiendo innocentiam, teque omni-
no mancipando obſequio ejus; aut incipiendi
ſeneſcere amittendo tuam priſtinam viridita-
tem, & manendo in pigritia inquirendi boni tui,
ut te pedetentim deducendam cerneres in ſene-
ctutem & in mortalitatem, ſeu omnino in oti
labendo turpiter in aliquod lethiferum pecca-
tum præ tranſgreſſione mandatorum ejus. Non
potes dicere, quòd teneritas ætatis tuæ, aut infir-
mitas virium tuarum, inducere te deberent ad
cadendum infallibiliter; audio enim quod ille
qui deſtinaverat te ad ſponſandam ſibi *te in fide* c, c Oſee. 2. 20.
qui eſt Spiritus ſanctus, aut, ſi vis, Jeſus Chriſtus,
quem Pater æternus nobis proponit ut Magi-
ſtrum, *Ipſum audite,* vocans te, cùm adhuc in te-
neris eſſes annis, nomine ſororis, & tamen jam
capax eſſes quæ poſſes cum ipſo converſari, ſuſ-
cipere inſtitutiones ejus, & tuum ipſi conſecrare
amorem, ſolicitus eſt de te munienda, & accura-
tè vult inquirere media tuendæ tui ipſius contra
omnes impetus & inſultationes illorum, qui o-
bices vellent opponere ita ſancto fœderi, & uni-
oni ſic intimæ adverſari. Idcircò cùm *in cha-*
ritate perpetua te d dilexerit, in gratiam tui hoc
loquitur modo, *Soror noſtra parva, & ubera non* d Jer. 31. 3.
habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die quan-
do alloquenda eſt e? Quaſi diceret, En ſororem e Cant. 8. 8. & 9.
noſtram ita parvam, ut nondum ſint illi ubera,
tempus tamen advênit, quo ad illam debeo ac-
cedere, & cum ea amatorios miſcere ſermones,
ut illam mihi ſtrictiùs uniam, & efficiam ut pro-
ducat actiones Divinas & dignas Sponſà Dei.
Forraſſis autem non habebit illa unde repellat
omnes eos qui vellent ipſam diſtrahere à tanto
bono: ipſa enim eſt adhuc ſatis tenera; & for-
tè etiam non audebit illa apparere coram me, ra-
ta ſe non eſſe ſatis ſpecioſam ad conciliandos ſibi
affectus meos, & verita ne amittat ſplendorem
& decôrem priſtinum ſuum. Quidnam igitur
agemus? *Si murus eſt,* inquit, *ædificemus ſuper*
eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compin-
gamus illud tabulis cedrinis. Videte, ſi placet,
comparationes quas agit Sponſus, ſororis iſtius,
aut hujus Animæ, quæ eſt in gratia Dei, aut in
principio uſus rationis. Ait illam eſſe murum
& januam ſimul. Murum qui duas habeat fa-
cies; unam intùs, alteram verò extra domum, ut
innuat, animam habere duos aſpectus aut vultus;
unum qui efficit ut ipſa aſpiciat in domum Dei;
alterum verò qui convertit eam foras & ad mun-
dum. Vocat illam januam, conſiderans eam in
ætate, in qua ipſa incipit uti ratione, quæ eſt ja-
nua boni, aut mali ſui: tunc enim incipit ipſa il-
lud admittere, aut illud repellere, aperiendo ſe,
aut claudendo ſe inſpirationibus Divinis, aut dia-
boli-

bolicis ſuggeſtionibus: tunc cuſtodire debet ipſam domo ſuo hanc gratiam Dei, quæ dat ipſi vitam; aut ſuſcipere præ apertura cordis ſui, & præ conſenſu puſillanimi peccatum, quod ipſi mortem irrogat. Si igitur, ait Sponſus iſte ſacer, deprehendam ſororem noſtram ut murum habentem duplicem faciem, & ut ſic aſpici poſſit à me, qui ſum domi, & ab inimicis meis qui ſunt foris, *ſi murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*, quæ nihil ſunt aliud niſi ſuavia verba, quæ dicturus ſum ei; & bona doctrina, quam edocebo illam, *Ipſum audite*; doctrina, inquam, quæ eſt tota argentea propter pretium ſuum, & ob puritatem ſuam: per hanc enim doctrinam muniet ipſa ſe contra omnes aſtutias & dolos diaboli, & attendet ſibi ab inſidiis hoſtilibus ne in peccatum impingat lethiferum, ut dicebat aliàs mihi Propheta f, *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. [f Pſ. 118. 11.] *Si oſtium eſt*, per quod hoſtes ad illam poſſint intrare, *compingamus illud tabulis cedrinis*, id eſt, demus illi unde bona peragat opera. Sicut enim cedrus eſt odorifera: ſic bona opera ſuaviſſimum exhibent odorem illi qui ea exercet. Et veluti cedrus eſt incorruptibilis, & ſymbolum immortalitatis: ſic bona opera directè opponuntur corruptioni peccati, & quandiu illa exercentur, in animam ingredi non poteſt interitus. Si autem ipſa contemnat hos favores, quibus ipſam cumulare Deus intendit, & parvipendat has inſtitutiones aut inſpirationes Divinas, & negligat exercitium bonorum operum, nec Deo ſuum conſecret amorem; videtis eam confeſtim amittere bonam conſtitutionem ſuam, & priſtinas vires ſuas, ut fatetur Propheta g de ſe, *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea*. [g Pſ. 31. 3.] Quaſi diceret, Deus ad ſuum me vocabat amorem, cùm adhuc in teneris verſarer annis; & cùm dormirem ei, non dignatus ſum illi reſpondere, propreà oſſibus meis inducta eſt ſiccitas & ſenectus, ſpirituales me deſeruerunt vires, color meus obſcuratus eſt, viriditas mea eccidit, bona mea conſtitutio periit, pulchritudo mea deformata eſt, decor meus præteriit, induſtria mea ſuum peregit curſum, gaudia mea terminata ſunt: Sic, ait hæc Anima deſidioſa, ecce evaſi arens, rugis ſulcata, triſtis, extenuata, vacillans & titubans ac curva inſtar alicujus vetulæ mulieris quæ incedere non poteſt, quæque ſemper videtur aliquo gravi onere aggravata, cui jam jam debet ſuccumbere, ut dicebat idem Propheta h, vocans peccata ſua nomine oneris importabilis capiti ſuo impoſiti, [h Pſ. 37. 5.] *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*; nec audens circulis aut ſocietatibus intereſſe, nec faciem ſuam antiquis peccatis ſuis deformatam exhibere Deo intuendam, *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me i*. [i Pſ. 43. 16.]

Ecce quomodo Anima miſeranda ſeneſcit, amittens prima lineamenta & decorem hujus gratiæ, eò quòd ei non fuerit cooperata ſanctis cogitationibus & bonis actibus, nolens proficuè uti inſtitutionibus hujus ſupremi Magiſtri, de quo Pater æternus dicit, *Ipſum audite*. Aliqui inventi ſunt, qui nullo unquam lethali ſe inquinaverunt ſcelere; & illi nunquam ſenuerunt, aliquâ tantùm infecti ſunt exiguâ impuritate, quæ ipſos non multùm deformavit, nimirum aliquo peccato veniali, quod non magnum ipſis damnum intulit. Alii ſuam conſervaverunt juventutem in ſua priſtina integritate, ut D. Joannes Baptiſta repletus *Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ* k. [k Luc. 1. 15.] Et ante illum Jeremias *antequàm de vulva* l exiret, ſanctificatus, [l Jer. 1. 5.] qui ideò toto tempore vitæ ſuæ hanc primam cuſtodiverunt ſanctitatem, imò vero eam auxerunt mediâ ſanctâ vitâ, quam peregerunt. Mitto ſacratiſſimam Virginem Deiparam, quæ Angelos puritate ſuperans ipſo Conceptionis ſuæ immaculatæ momento *tota pulchra* m, [m Cant. 4. 7.] & ſingulis vitæ ſuæ inſtantibus opera exercens plùſquàm Angelica, ſua multiplicabat merita, ſuam gratiam & puritatem, & poſtquàm *peperit Filium ſuum primogenitum* n, [n Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.] purior velut evaſit quàm eſſet anteà, è ſuis virginalibus enixa viſceribus Deum hominem, qui eſt Author integritatis & puritatis ipſius, cùm ſit *Sanctus Dei* o. [o Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.]

Id, quod dicere poſſumus ad laudem Sanctorum & Juſtorum, qui exercent ſe in praxi virtutis novo vivendi modo quem amplectuntur, poſt auditam vocem hujus ſupremi Magiſtri, eſt, quòd ſi fortè conſenſum præbuerunt aut alicui culpæ veniali, aut alicui peccato lethifero, ratione cujus amiſerint decorem primæ ſuæ juſtificationis, vel ſaltem quòd lapſi fuerint in communem infelicitatem peccati originalis, quod ipſos privavit primâ gratiâ quam hæreditaſſent à primo Parente, *in quo omnes peccaverunt* p; [p Rom. 5. 12.] ſi moriantur cum Pœnitentia finali, & vera contritione peccatorum ſuorum, certiſſimè ſe redintegrandos eſſe in priſtinam ſuam juventutem, ut in ea perſeverent in perpetuum ſine mutatione aut alteratione aliqua, inſtar Angelorum, qui eò quòd permaneant ſemper in prima gratia, quam ſuſceperunt à Deo q in creatione ſua, [q Gen. 1.] pinguntur cum juvenum facie quæ convenit Sanctis, æquè ac conveniunt eis alæ, quæ dantur Angelis iiſdem, cùm Eccleſia nos certos reddat, eos more aquilarum ſuam renovaturos juventutem, *Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur* r. [r ex Pſ. 102. 5.] Pro comperto enim eſt, aquilam præ ſe ferre quandam induſtriam renovationi ſuæ peragendæ accommodam. Alii dicunt, quòd cùm in nimis provectam pervenit ſenectutem, roſtrum ſic habet aduncum & deformatum ut illud commodè aperire non poſſit ad capeſſendum cibum ſuum, & quòd inſtinctu quodam naturæ dirigitur ad rupem vivam, circa quam roſtrum ſuum acuit, & ita reformat illud ut commodè ſuum ſumere poſſit alimentum, unde ipſius reparantur vires, ſanguis renovatur, & totum corpus reficitur. Sic Animæ iſtæ ſanctæ cupientes ducere vitam novam, & non valentes ampliùs mordere panem voluptatum mundi, quippe qui ſit ipſis æquo levior, dicunt Deo, Domine, faſtidimus cibos qui nobis uſque nunc appoſiti ſunt: ſed etiam eſurimus aliquod ſolidum alimentum, quod efficit ut deliquium patiamur cordis, donec nobis acuas roſtrum, *Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum; quia oblitus ſum comedere panem meum* s. [s Pſ. 101.] Et ecce Deus dicit ipſis, En viva *petra Chriſtus* t. [t 1. Cor. 10. 4.] En lapis vivus humanitatis Filii mei dilecti, *in quo mihi benè complacui, ipſum audite*. Percutite roſtro veſtro & aculeo deſideriorum & affectuum veſtrorum rupem vivam amoris ejus firmiſſimi & conſtantiſſimi, & tunc veſtra complebuntur deſideria, veſtra ſatiabitur fames, & penitus renovabimini ſicut aquila, *Qui replet in bonis deſiderium tuum; renovabitur*

u Pſ. 102. 5. *bitur ut aquilæ juventus tua*, ait David u, alloquens Animam Chriſtianam. Incipietis ducere vitam novam in hoc mundo per gratiam ſub inſtitutione tanti Magiſtri, quam continuabitis in altero per gloriam.

FERIA II. POST DOMIN. II. QUADRAGESIMÆ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.
Ioan. 8. 21.

NOlite expectare à me, hodiernâ die, Auditores, in hoc diſcurſu ullum eloquentiæ lenocinium, cùm ſubjectum, quod habeo vobis tractandum, æquè ſterile ſit quoad omne bonum, ac fertile eſt quantùm ad omne malum; nec ullam in ſe complectatur utilitatem, nobilitatem, aut neceſſitatem quæ veſtras ſibi conciliare mereatur attentiones, & captare benevolentias. Quin imò armari juſto debetis zelo ad illud eliminandum procul à vobis, & penitus annihilandum; & tota gloria veſtra in hoc eſt ſita ut ſatagatis illud à vobis longè amandare, cùm ſit graviſſimum malorum omnium quæ vobis evenire queant. De peccato ſum vobis locuturus, quod nullum continet bonum honeſtum, utile, aut delectabile; quod eſt *odio Deo* a. Quod eſt vaſtitas orbis, (a Sap 14. 9.) deſolatio cœli, ruina hominum qui *omnes peccaverunt* b. (b Rom 5 12. ex Gen. 3. 6.) Perditio Angelorum rebellium, cùm *Satanas, qui ſeducit univerſum orbem, projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo* (c Apoc. 12. 9.) *miſſi ſunt* c. Et unicum infortunium totius mundi iſtius inferioris: quod privat nos Deo, (d Exod. 33. 19) quod eſt *omne Bonum* d noſtrum ſupremum, *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Qualis infelicitas! quantum infortunium! mori in peccato! miſeriæ atrociſſimæ omnium illarum quæ unquam peractæ fuerint! Verbum terribiliſſimum univerſorum eorum quæ aliquando fuerint pronunciata, aut audita in mundo. Verbum iſtud non dirigitur ad Mariam, quæ (e Cant. 4. 7.) fuit ſemper *tota pulchra* e ab ipſo immaculatæ Conceptionis ſuæ momento, & conſequenter immunis ab omni peccato. Nunquam incurrit illa væ maledictionis, ſed è contrà audire meruit iſtud *ave* f benedictionis, cùm ſalutans eam *An-* (f Luc. 1. 28.) *gelus gratiâ* plenam, dixit ei, *Ave Maria.*

Si unquam porrecta vobis fuit, Auditores, anſa dolendi, & querendi, ſubminiſtratur vobis hodie principaliter occaſio contriſtandi vos intuitu offenſæ Dei, quæ vobis ſic eſt damnoſa ob jacturam, quam ſuſtinetis, gratiarum ejus propter peccatum; cùm videat, quòd ubi peccaviſtis, ipſe recedit à vobis, *Ego vado*, & deſerit vos velut cloacam innumeris ſcatentem ſordibus, quarum perpeti non poteſt fœtorem, intuitus in vobis peccatum, quod eſt cauſa odii, quo ipſe nos proſequitur, æquè ac omnium noſtrorum cumulus infortuniorum. Si autem jactura, quam perpetimur, eorum qui nobis familiari unit ſunt amicitiâ, ſic nobis eſt moleſta; ſi afflictio, quam experimur in abſentia illorum qui nobis carnis cognatione ſunt conjuncti, ita eſt immodica, ut nullâ perfundi poſſe videamur conſolatione, quandiu illorum converſatione, & iſtorum præſentiâ ſumus deſtituti: ſi in amaras erumpimus lacrymas, ſuſtinentes ſeparationem ab illa re, in qua nobis valdè complacemus, & quam non modico proſequimur amore: ſi remanentes ſuperſtites alicui è familiaribus noſtris, deliquium patimur cordis quaſi exanimes; quin imò ſi dolor eſt aliquando tantus ut vitam nobis eripiat ſimul cum vita illius, in quo vivebamus, quia, ut vulgò dicitur, *anima plus eſt ubi amat, quàm ubi animat*; nunquid non potiori ratione lacrymarum effundere debebimus torrentem, ſed ſanguinearum, propter peccatum, quod efficit ut amittamus gratiam Dei, gloriam cœli, & hæreditatem paradiſi? annon aliqui nobis erunt fletus emittendi ad plorandum peccatum, quod nos elongat à Deo, qui eſt noſtrum *Principium, & Finis* g noſter ultimus? (g Apoc. 1. 8.) Quia *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* h. (h Prov. 16 4.) Quodque nos in omnium præcipitat abyſſum infortuniorum? Heu! Auditores, nunquid nullo infelicitatis iſtius movebimur ſenſu, quin ſtatim nullo ſalutis noſtræ peragendæ ducamur affectu, ſuſpirantes propter peccatum, quod noſtras occidit animas? *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur* i. (i Ezech. 18. 4. & 20.) Et nos ſeparat à Deo. *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* k. (k Iſai. 59. 2.) Omnis diviſio eſt ſenſibilis. Phyſica & naturalis, quæ efficit ut clamemus præ dolore, cùm dividitur una pars corporis noſtri ab altera. Moralis, cùm ſeparamur à propinquis noſtris, & ab illis ergà quos ſincero ducimur affectu. Sed præcipuè Divina quæ fit per peccatum, quod deſtituit nos gratiâ, quæ ſtrictiùs nos uniebat Deo noſtro. Hæc diviſio eſt omnium funeſtiſſima, quippe quæ nos ſeparet à Deo, *apud* quem *eſt fons vitæ* l. (l Pſ. 35. 10. m Matth. 25. 46.) Et damnat nos *in ſupplicium æternum* m inferni. Habemus ergo unde fletus emittamus velut teſtes noſtri doloris authenticos, conſiderantes, quòd plangitur corpus confeſtim ac ab eo ſeparatur anima, & non plangitur anima, à qua propter peccatum dividitur Deus. Quàm immoderata & intoleranda eſt cæcitas mortalium deflentium ſeparationem animæ à corpore, & nullo dolentium modo de diviſione Dei ab animâ per peccatum! Nonne iſtud eſt infortuniorum omnium maximum ac deſeri à Deo, inimicitiam ejus incurrere, & finali deníque mori *in peccato? Duæ vitæ ſunt: una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, ſic vita animæ Deus. Quomodo ſi anima deſerat, moritur corpus: ſic anima moritur, ſi deſerat Deus*, ait D. Auguſtinus n. (n D. Aug. conc. 2. in Pſ. 70. 17.) Deus igitur eſt animæ noſtræ id, quod anima noſtra eſt noſtro corpori. Præbet Deus animæ noſtræ motum & ſenſum, cùm ſine eo ſit illa mortua, & omni actione privata, *Cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia* o. (o Act. 17 25.)

[p Dion. Carth. a. 17 in Act, 17. 55. ex Jo 1. 4.] Id eſt, ut explicat Dionyſius Carthuſianus p, *Omnibus planè viventibus vitam dat Deus, quocunque genere vitæ viventes ſint. Et inſpirationem, qui per inſpirationem conſervantur in vita. Et omnia, quæ habent: nam omne eſſe, ab ipſo primævo fonte eſſendi manavit.* Deus eſt Sol hujus microcoſmi hominis, quem ſuo ſplendere facit lumine, cùm ſit *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* q. [q Jo. 1. 9.] Eumque ſuis calefacit ardoribus, *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* r. [r Pſ. 18. 17.] Et tamen poſtquàm *Lux venit in mundum, dilexerunt homines magis tenebras quàm Lucem: erant enim eorum mala opera* s. [s Jo. 3. 19.] Idcirco poſtquàm *obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; & ſicut non probaverunt Deum habere in notitia; tradidit illos Deus in reprobum ſenſum* t. [t Rom. 1. 21. & 28] Quod ſic exponit idem Carthuſianus u, [u Dion Carth. a. 4. in Rõ 1. 28.] *Hoc eſt, in intellectum perverſum, privando eos lumine gratiæ ac veræ ſapientiæ, quatenus, ſicut circa Divinum Intellectum erraverunt, ſic in ſuo intellectu punirentur.* Heu! quale infortunium! Utquid mihi non ſuppetunt vires & eloquentia ad oſtendendum vobis, quanti ſit iſta veritas momenti? Quare non habeo penicillum ſatis tenuem, & colores ſufficienter vivos, ſed ſatis atros & injucundos ad exhibendum horrorem deſertionis Divinæ, & ad monſtrandam deformitatem peccati, quæ iſtam terrificam cauſat deſertionem? Sed cùm colores mei non ſint ſatis tetri, & non poſſim vobis loqui niſi leviter & quaſi balbutiendo de hujuſmodi deſertione Dei, & de cauſa illius; ſufficiet mihi ut loquar vobis ſuccinctè de infelicitate quam incurrimus cum deſerimur à Deo, & in finali morimur impœnitentiâ: [Diviſio.] id eſt, 1. Cùm quærimus Deum, & non invenimus eum. 2. Cùm non invenientes eum, *in peccato* noſtro morimur.

[1 Pars.] Si verum eſt, ſicut de iſta nemo debet ambigere veritate, cùm Theologia admittat eam ut fidei articulum, quòd omnis noſtra felicitas & gloria ſempiterna ſita ſit in poſſeſſione Dei, & in fruitione adorandæ præſentiæ ejus, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* x: [x Jo. 17. 3.] facile eſt illam neceſſariâ conſequentiâ per rationem oppoſitorum, quia *contrariorum contraria ſunt cauſa*, ut ait Ariſtoteles y, [y Ariſt lib. 1 de Gen. & Cor c. 10 text. 56.] quòd privatio viſionis ejus, eſt tota cauſa infortuniorum noſtrorum. Unio Dei nobiſcum in tempore æquè ac in æternitate, noſtram componit felicitatem; & ſeparatio illius à nobis in hoc mundo æquè ac in altero, noſtræ cauſa eſt omnimodæ infelicitatis, & irreparabiliter noſtram molitur ruinam.

Si autem Magnates mundi, tanti faciunt favorem ſui Principis, ut unicus illius obtutus non ita propitius, aut verbum aliquod ab eo percito motu iracundiæ primo pronunciatum paulò acriùs ſolito, ipſis quaſi interitum inferat præ tædio (continuum martyrium Aulicorum verentium ne è Curia dimittantur, & è præſentia expellantur ſui Principis, in qua ſuam collocant felicitatem) ſi intuitus Principis irati ipſis eſt formidabilior aſpectu baſiliſci, qui *palàm venenat; baſiliſcus enim rex ſerpentum eſt, & necat flatu*, ait Incognitus z: [z Incog. in Pſ. 90. 13.] imò verò terribilior exploſione tormenti bellici; & ſi omnia oblectamenta, quibus perfundi poſſunt intra decem annos, non afferunt ipſis tantam lætitiam, quantam irrogat eis triſtitiam contemptus vel unius diei, irruens à Principe ſuper eos inſtar tonitrui perſtrepentis) Heu! quidnam non agere deberemus, Auditores, ne incurramus in inimicitiam aut in odium, non hominis, quales ſunt Principes & Reges terreni, ſed Dei omnipotentis, cujus *in ditione cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit* ejus *reſiſtere voluntati, ſi ſalvare* a, [a Eſth. 13. 9.] aut perdere decreverit homines, ſuppoſitis eorum peccatis finalibus impœnitentiâ finali concluſis; cujus Dei fruitio noſtram agit felicitatem? Quantò potiori ratione deberemus nos vereri ne privemur Divinâ illius præſentiâ, & audiamus has perſtrepentes minas, quas intentat hodiernâ die ejus Filius Judæis, & in perſona illorum, peccatoribus, *Ego vado.* Quaſi diceret, Non meremini ut ego maneam vobiſcum, idcircò deſero vos. Infortunium maximum omnium eorum quæ accidere nobis poſſint, ac deſeri à Deo propter peccata noſtra, cùm derelictio illius noſtrarum ſit omnium infelicitatem principium.

Tria conſtituit Philoſophia rerum naturalium principia, materiam, formam, & privationem. Ego autem dico in materia Theologiæ, privationem Dei eſſe principium omnium infortuniorum noſtrorum; ſicut fruitio ejus eſt cauſa totius noſtræ felicitatis. Cain primus homo à muliere genitus, poſtquàm *conſurrexit adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*; nequitiâ criminis ſui ſtimulatus, & ab ejus injuſtitia ſceleris impetitus, mortis infligendæ ſibi timore correptus, *dixit ad Dominum, Omnis qui invenerit me, occidet me* b. [b Gen. 4. 8. &c.] Sed Cain cur tanto metu percelleris? Nemo eſt in mundo præter parentes tuos & te: quid times? ne illi tibi mortem inferant, qui tibi præbuerunt vitam? Cauſæ ſuos libenter non deſtruunt effectus. Prætereà, Nunquid non tibi ſatis eſt virium, quarum adminiculo retundas in te irruiturorum quorumlibet impetus? *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Ferarum præda fiam, & omnes creaturæ, imò verò inſenſibiles, inſurgent adverſùm me ad machinandam ruinam meam. Sed quare hoc? utquid hæc perſecutio univerſalis? cur bellum iſtud generale? Ratio iſtius eſt, quia Deus deſeruit me, ut ipſemet *dixit Cain ad Dominum, Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar.*

Sic eſt, Auditores: cùm deſerit nos Deus, miſerrimi ſumus omnium hominum; ſicut etiam, cùm ipſe nos diligit, eorum omnium ſumus feliciſſimi, *Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum; ſi exurgat adversùm me prælium in hoc ego ſperabo* c. [c Pſ. 26. 3.] Et, *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit* d. [d Pſ. 90. 7] Homo dicitur omne bonum, quia in gratia Dei conſtitutus, *& amicus Dei appellatus* e, [e Jac. 2. 23.] participat bonitatem omnium creaturarum, & omnes prærogativas Creatoris, *Omnia poſſum in eo qui me confortat* f. [f Phil. 4. 13.] Sed ſtatim ac ipſum deſerit per peccatum, & elongat ſe ab eo per malitiam, quæ totum iſtud parit divortium, infeliciſſimus omnium evadit hominum; tunc univerſa inſurgunt in ipſum, nihil eſt quod ipſi bellum non indicat. Accepto à Deo Jonas mandato de pergendo *Niniven, ſurrexit, ut fugeret in Tharſis à facie Domini, & invenit navem euntem in Tharſis: & deſcendit in eam, ut iret in Tharſis à facie Domini. Dominus autem miſit ventum magnum in mare; & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri* g. [g Jon. 1. 3. &c.]

Cum

Cùm intumeſcens mare ſuſtinere non poſſet peccatorem. Ignis è ſua deſcendit ſphærâ ad eundem puniendum, cùm *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo; & ſubvertit civitates has, & univerſos habitatores urbium* i.
i Gen. 19. 24. & 25.
Sic cùm *Dathan & Abiron Principis populi ſurrexeruntcontra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adversùs Dominum rebellaverunt, aperiens terra os ſuum, devoravit Core morientibus plurimis* k. Quin imo ipſi
k Num. 26. 9. & 10.
l Job. 37. 18.
cœli, *qui* apud Job *l* referuntur eſſe *ſoldiſſimi quaſi ære fuſi*; quique videntur ſuſtinere poſſe totam gloriam Dei, ſi ita loqui liceat, unicum non poſſunt ſupportare peccatorem, ita gravis & intolerabilis eſt. Statim ac *Lucifer in corde* ſuo dixit, *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo, ad infernum in profundum lacus* m detractus eſt. Totus aër igneſcit, venti
m Iſai. 14. 12. &c.
perflant & mare commovent, omnes tandem creaturæ machinantur ruinam peccatoris, eumque ut inimicum Dei inſequuntur.

Poſtquàm adulterium commiſiſſet David cum Bethſabee uxore fidelis vaſſalli ſui Uriæ, quem conſequenter interimendum præcepit, ſocians homicidium adulterio o;
n 2. Reg. 11. 4. &c.
advertentes *inimici* ejus crimen illius, *conſilium fecerunt in unum, dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat* o. Certa-
o Pſ. 70. 10. & 11.
tim animabant ſe adverſarii ejus, dicendo, Actum eſt de eo, quippe qui à Deo deſertus ſit. Ut ſic non poterit nobis reſiſtere, & ita facilè adversùs eum prævalebimus. Ipſe non eſt ampliùs magnus ille David, de quo, ſeu in cujus laude u Hebrææ aliàs *præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes, Percuſſit Saul mille, & David decem millia* p. Sed
p 1. Reg. 18. 7.
puſillanimus non minùs quàm ille *Therſites Græcorum omnium fœdiſſimus, quem Achilles ſibi procaciter convitiantem pugni ictu interfecit* q. Et ita de illo facilem reportabimus victoriam. D. *Petrus* r in conſortio Domini
q Calep. in Dict. V. Therſ.
r Matth. 26. 35. &c.
ſui magnanimus eſt, generoſum agit militem, dum *ait illi, Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Et dum milites *acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum; & tenuerunt eum, extendens manum, exemit gladium ſuum: & percutiens ſervum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus*. Sed cùm receſſiſſet ab illo, cùm *diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt*; ita fit puſillanimus, ut de eo triumphet *una ancilla dicens, Et tu cum Jeſu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens, Neſcio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi, Et hic erat cum Jeſu Nazareno. Et iterùm negavit cum juramento, Quia non novi hominem. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant; & dixerunt Petro, Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem*. Nihil eſt advertere in D. Petro præter puſillanimitatem, & omne genus criminis: jurat enim & anathematizat, ſe non noviſſe Dominum ſuum. Ecce, Auditores, id quod nobis accidit cùm offendimus Deum. Ipſe deſerit nos, & tunc totus bellum nobis indicit mundus, & noſtram molitur ruinam; totus clamat infernus, & univerſali conjuratione dæmonum *benè per Pſalmiſtam ſub Jeruſalem ſpecie inimicorum deſtruentium, verba memorantur, à quibus dicitur*, ait Incognitus s, *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea*. Quare hoc autem?
s Incogn. in Pſ. 136. 7.
Niſi quia Deus deſerit nos, *Ego vado*. Hæc derelictio noſtrorum eſt omnium infortuniorum principium.

Conſideremus attentè, Auditores, quanti momenti ſit hæc deſertio. Timeamus iſtam Dei derelictionem, *Ego vado*. Heu! iſtud dico præ omni affectu poſſibili. Si ritè perſpicaces eſſemus quoad ea quæ noſtram intuentur ſalutem; ſi profundè perpenderemus infelicitates quæ nobis imminent, cùm recedit à nobis Deus propter noſtra crimina, procuidubio omnes inſumeremus curas noſtras ne eum amitteremus. Cum autem, proh dolor! eum perdidimus, quid ſupereſt nobis niſi ut lacrymas fundamus, & erumpamus in ſuſpiria? amiſſo enim Deo præ peccato, amiſimus omnia quæ poteramus perdere, quia Deus eſt *omne Bonum* t. Et omnia bona ab
t Exod. 33. 19.
illo emanant; ſiquidem *omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* u. Et ſic nulli in
u Jacob. 1. 17.
nobis eſſe debent fletus niſi ad plorandam hanc jacturam. *Ego vado*. Heu! viverene poſſumus poſtquàm incurrimus odium Dei? Deus deſerit nos, quidnam autem eſt homo, derelictus à Deo, niſi exercitus ſine Duce, cœlum abſque Sole, Sol deſtitutus lumine, & lumen privatum ardore? Quænam res eſt homo, quem deſeruit Deus, niſi navis ſine Nauclero, ſeu, quod idem eſt, io qua eſt *ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus Gubernator amiſſo clavo* x? Niſi humus aquæ pri-
x Prov. 23. 34.
vata beneficio? ut querebatur Deo David, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi* y. *Quaſi*
y Pſ. 142. 6.
diceret, ſubdit Incognitus z, *Anima mea ex ſe eſt ſterilis & infructuoſa, ſicut terra ſine aqua. Ideo tibi illam expando, ut ipſam tuâ gratiâ perfundas. Unde hic ait Auguſtinus. Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi: id eſt, comple me ad faciendum fructum bonum. Dominus enim dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum* a. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi: ſitire tibi poſſum, me irrigare non poſſum. Abundat mare, inundat: copioſum eſt, fluctuavit, ſed amarum eſt. Aruit anima mea, irriga eam: quia ſine te eſt velut terra ſine aqua*. Tandem, Homo à Deo derelictus, eſt corpus ſine anima; anima autem gratiâ deſtituta, furori dæmonum perpetuò expoſita eſt.
z Incog. in P. 142. 6.
a ex Pſ. 84. 13.

Ego vado. Recedit Deus, Auditores: nunquid non ſequemur eum? nonne dicemus ei cum illo homine Evangelii b? *Sequar te quòcumque ieris*. Aut cum Ethai Gethæo
b Luc. 9. 57.
Duce exercitus Davidis, qui audiens eundem Davidem dicentem ſibi, *Cur venis nobiſcum? revertere, reſpondit Regi, Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex: quoniam in quocumque loco fueris, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus* c. Deus mi, & Domine mi, nunquam
c 2. Reg. 15. 19. & 21.
te derelinquam, malo mori, quàm abſentiam tuam perpeti, ſecuturus te ſum in quancumque regionem perrexeris, ſive vitæ, ſive mortis. Et more alterius Abſalonis, mortem potiùs eligam oppetere, quàm abſentiam Regis & Patris mei ſuſtinere, *Obſecro ergo ut videam*

ſaciem Regis. Quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me d. [d 2. Reg. 14.32.] Mors erit mihi ſuavior pœnâ, quam ſuſtineo ab eo elongatus, ideò deprecor illum ex totò corde meo ut nunquam recedat à me quia ex præſentia ejus pendet omnis mea felicitas. *Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt* e. [e Pſ. 72. 28.] *Nec mirum*, ſubdit Incognitus f, [f In gn. in Pſ. 72. 28] *quoniam qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo, ut ait Apoſtolus* g. [g ex 1. Cor. 6. 17] Quod agnoſcentes Ethnici, Deos ſuos catenis alligabant aureis, rati, quòd quandiu futuri eſſent dii ſui ſecum, ipſi futuri eſſent felices, & deſideriis ſuis fruituri; è contra verò quòd illis ſublatis ipſi miſerrimi eſſent invaſuri, & omnibus malis impetendi.

Agnoſcite ergo peccatores, quantam vobis irrogetis injuriam, cùm Deum expellitis è cordibus veſtris per peccata veſtra, & inducitis eum ut propter ſcelera veſtra vos deſerat, dicens, *Ego vado.* Pro compertiſſimo enim eſt, quòd ipſe nunquam vos derelinqueret, niſi priùs ipſum vos deſereretis. Sed quanta eſt noſtra infelicitas! Similes ſumus nos Geraſenis, qui *audientes qualiter factum eſſet* à Chriſto *ei qui dæmonium habuerat, & de porcis, rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus eorum* h. Malumus enim perdere Deum, quàm noſtrarum ſues voluptatum & ſpurcitiarum; [h Marc. 5. 16. & 17] eligimus potiùs privari ſummo Bono, quàm noſtris deſtitui deliciis; & dicimus cum Judæis, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* i. Peccator electurus delectum viri, aut perfectionis virtutis cumulum, ait, [i Luc 19. 14.] *Non hunc, ſed Barabbam* k. [k Jo. 18 40.] Ideò antiqui Romani perhibentur noluiſſe admittere Deum Iſraël, eò quòd ipſe omnes alios falſos deos expelleret: ſic Deus noſter omnes fugat voluptates, & ideò *nolumus hunc regnare ſuper nos.* Imprudentes ſanè ſumus non minùs quàm Philiſthæi, qui poſtquàm *tulerunt Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini: videntes autem hujuſmodi plagam, dixerunt, Non maneat Arca Dei Iſraël apud nos: quoniam dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon deum noſtrum* l. Ita nos expellimus è terra animarum noſtrarum ſanctam Arcam Dei, id eſt, [l 1. Reg. 5. &c.] Divinitatem, eò quòd ſociari non poſſit Dagoni vanitatum noſtrarum, ſed è contra evertat & in terram proſternat idolum ambitionum noſtrarum. Heu! quanta impietas! quàm immodicum ſacrilegium! ut expellamus è cordibus noſtris Deum, ut in ejus locum ſubrogemus Dagonem aut idolum. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi* m. [m 2 Cor. 6. 14. &c.] Heu! mirabimurne ſi Deus nos deſerat? *Ego vado.* Derelinquit nos, ſed non priùs quàm contemptu formali illum deſeruerimus. Heu! quid agetur de nobis derelictis à Deo? *Quæretis me, & non invenietis* n. [n Jo. 7. 34]

Grande infortunium, quòd Deus nos deſerat; ſed majus malum quòd quærentes illum, non poſſimus eum invenire. Profectò iſtæ minæ inſtar glaciei noſtra conſtringere deberent corda, cùm nos in deſperationem peragendæ noſtræ ſalutis inducant, *Quæretis me, & non invenietis.* Quærere Deum, & illum non invenire, juſtum negligentiæ noſtræ ſupplicium; eò quòd ſic frequenter vocati, renuimus illum audire, & dum ſuam extenderet *manum, non fuit qui aſpiceret, omne conſilium & increpationes* o [o Prov. 1. 24. & 25.] ejus negligendo. *Quia tempus non erit ampliùs* p. [p Apoc. 10. 6] *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum* q, [q Gal. 6. 10.] adhærentes conſilio Iſaiæ r, [r Iſa. 55. 6.] *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt.* Hæc mora non poteſt nobis eſſe niſi funeſta, & forſan illius pœnitere juſto judicio inutile. Deum in noſtris non invenimus inquiſitionibus, quia non permiſimus ut ille nos inveniret. Vocat nos, invitat nos, blanditur nobis, minas nobis intentat, ut nos ad ſe trahat; deridemus nos eum, favores ejus nos efficiunt inſolentes: quid ergo mirum ſi eum non invenimus, quando eum quærimus? *Quæretis me, & non invenietis.* Poſſibilia omnia adhibet Jeſus mediis redigendo ad obſequium juſtum Judæ proditori conſona. Minis utitur ad inveniendum eum, *Unus ex vobis tradet me* s. [s Jo. 13. 21.] *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille* t. [t Matth. 26. 24.] Humilitatem inſumit, dum *cœpit lavare pedes* u ejus. [u Jo. 13. 5.] Favores: Nam cùm *intinxiſſet panem dedit Judæ* x. [x Jo. 13. 26.] Amorem, faciens ei copiam Corpo[illegible], dum *diſcipulis ſuis ait, Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum* y. [y Matth. 26. 26.] Judas hos omnes ſpernit favores, omnes iſtæ miſericordiæ fuerunt ipſi occaſio damnationis & punitionis; quærens enim Dei Filium, non invenit eum; cùm non permiſiſſet ut ipſum inveniret Dei Filius, cùm ipſum quærebat tantâ curâ; non invenit illum, cum falſa pœni[illegible]tia ductus, *retulit triginta argenteos, dicens, Peccavi, tradens Sanguinem juſtum; & projectis argenteis in templo, abiens, laqueo ſe ſuſpendit* z. [z Matth. 27. 3. &c.]

Sed mactè animo Auditores, *Ecce nunc tempus acceptabile* † [† 2 Cor. 6. 2.] & opportunum ad inveniendum Deum. Velletiſne vivere unico vel momento inimici ejus, & elongati ab illo? Minatur ſe receſſurum à vobis, *Ego vado.* Et, quod pejus eſt, dicit vobis quòd cùm ipſum *quæretis, non invenietis* * ipſum. [* Joan. 7 34.] Nihil eſt quod recedere faciat Deum à nobis, & quod impedit ne inveniamus illum, poſtquàm receſſit à nobis, niſi peccatum. Poſt hæc, Auditores, velletiſne illud perpetrare, cùm neſciamus propter quod peccatum ſimus à Deo deſerendi? Forta[illegible]e primum peccatum, quod committetis, erit ultimum quod perpetrabitis, & morientes in hoc ſtatu impœnitentiæ finalis, æternam incurretis damnationem. Hortandum eſt igitur oon præ[illegible]itu vocem inſpirationi Dei, & peccatis ſcelera addituri, cùm lateat nos propter quod delictum deſerendi ſimus à Deo, *in peccato* noſtro moriendo.

Siminæ, quas intentat nobis Chriſtus, ſe deſerturum nos ita ut non ampliùs ſit nos viſurus, niſi *cùm venerit in majeſtate ſua* a, [II. Pars.] debent eſſe omnino horribiles; ſi hæc tonitrua auribus noſtris perſtrepentia, nobis immodicum terrorem incutiunt; [a Matth. 25. 31.] ecce ictus fulminis qui impia peccatorum obſtinatorum conterant & in pulverem redigant capita, *Et in peccato veſtro moriemini.* Peccatores in ſceleribus ſuis indurati morientes, æternam damnationem incurrent, & æternum fient objectum iræ Dei, nulla eis unquam indulgebitur venia, nulla miſericordia illis concedetur. Triſtia nuncia quæ ipſis vel Angelis tremorem poſſent incutere beatis, niſi in ſtatu felicitatis inconcuſſo eſſent poſiti! Si verò cùm nobis extremo morbo laborantibus funeſtum deferunt nuncium,

um, de noſtrâ conclamatum eſſe vitâ; & ideò
b Luc. 16. 2. cogitandum eſſe de canendo receptui, ut con-
feſtim *rationem* b reddamus omnium quæ per-
egerimus, coram illo *qui conſtitutus eſt à Deo*
c Act. 10. 42. *Judex vivorum & mortuorum* c, toto corpore
contremiſcimus, & ſubitâ tremur commotione,
quantùmvis audaces ſimus; nunquid non fre-
mitis peccatores? nonne per anticipationem
vobis mortem infert nuncium iſtud, quod præ-
bet vobis Dei Filius non interitûs temporalis,
ſed necis æternæ; ſi in veſtris peccatis perſeve-
veretis? *Et in peccato veſtro moriemini. Id eſt*,
d Dion. Carth. ar. 22. in Jo. 8. 21. ut exponit Dionyſius Carthuſianus d, *Peccatum
veſtrum contra me erit mors animæ veſtræ, quia
mortale, & cauſa damnationis veſtræ. Vel, In
peccato veſtro moriemini, morte corporali, id eſt,
uſque in finem perſeverabitis in peccatis, tan-
quam indurati in malo.* Verba horrore plena!
mori *in peccato* ſuo, heu! quid eſt, niſi in æ-
ternum ſeparari à Deo, exulare à patriâ cœleſti
in ſempiternum, perpetuâ Angelorum ſocietate
privari, & nunquam videre Beatos in cœlo, ubi
Divinæ *inebriabuntur ab ubertate domus, & tor-*
e Pſ. 35. 9. *rente voluptatis* e illius potabuntur. Mori *in pec-
cato* idem eſt ac habere Deum ſibi in æternum
infenſum, ac nullum prætendere poſſe jus ad hæ-
reditatem cæleſtem, ac privari omni bono, & ad
omne malum deſtinari per infortunatam æter-
nitatem; planè eſt exponi pœnis infinitis perpe-
tiendis. Mori *in peccato*, eſt vitam ſuam finire in
impœnitentiâ finali, in obſtinatione & in indu-
ratione ſuâ. Mori *in peccato*, eſt abire ex hoc
mundo cum affectu criminis perpetrandi, cum
voluntate peccandi. Tandem, Cùm moritur
quis *in peccato*, interit ut reprobus, quò vivat
aut moriatur in æternum inter ignes & flammas
inferni.

Heu! quis ſtupore non concuteretur, audiens
hæc verba? quis iſtas non formidaret minas?
Peccatores, obſecro, cogitate iſta ſedulò, & pro
certo tenete, quòd ſalus veſtra ex unico pendet
momento, *Momentum, unde pendet æternitas.*
Si mors in iſtius vos intercipiat ſanctæ cogitatio-
nis ſtatu, ſalutem proculdubio vobis conciliа-
bitis, & invariabilem gloriæ felicitatem conſe-
quimini; ſi autem in peccatis deprehendat vos,
æternam incurretis damnationem. *Mors pec-
catorum peſſima* f. Super quod ait Incognitus g,
f Pſ. 33. 22. *Mors peſſima dicitur mors æternalis, quæ eſt mors*
g Incog. in Pſ. 33. 22. *gehennæ. Nam de peccatoribus & obſtinatis di-
citur, Nam finis illorum mors eſt* h. *Et ennume-*
h Rom. 6. 21. *ratis multis vitiis, concludit Apoſtolus, Quoni-
am qui talia agunt, digni ſunt morte* i.
i Rom. 1. 32. Ars maximi momenti præ omnibus artibus quæ
ſunt in mundo, & quam præ univerſis aliis diſce-
re ſatageremus, ſi in nobis vigeret ſatis ſapien-
tiæ & affectûs erga operandam ſalutem noſtram,
eſt ea quæ nos edocet methodum benè morien-
di. Unicâ exercetur hæc ars vice; ſi quis autem
eâ non perfungatur ut expedit præ omnibus
conditionibus requiſitis, æternam ſtatim incur-
rit jacturam. Hæc eſt magnum ſigillum quod in-
ſignit & obfirmat omnes actiones noſtras, finis
ſtadii qui limites imponit curſui. Corrigi poſſunt
in morte omnes defectus malæ vitæ, & omnes
virtutes vitæ illibatæ per mortem malam depra-
vantur. Ideò contendite ita vivere ut poſſitis
benè mori; talis enim eſt mors, qualis & vita
fuit. Declinate per vitam bonam ab effectibus
harum minarum, *Et in peccato veſtro morie-
mini.*

Heu! ſola mortis iſtius recordatio mihi in-
teritum infert, toto corpore contremiſco, de-
liquium patior animi, cor meum aret, & lingua
mea hæret palato meo, ſtatim ac horrenda hæc
perſtrepere audio tonitrua. Heu! mori *in pec-
cato* ſuo, nonne eſt mortem oppetere ſine pœ-
nitentiâ, nihil expectare ampliùs de Divinâ Mi-
ſericordiâ, quæ quandiu vivimus, noſtra diſſi-
mulat *peccata propter pœnitentiam* k? Heu! k Sap. 11. 24.
quis impoſterùm audebit amare peccatum, & in
delictis ſibi complacere? Quis iſtas non formi-
dabit minas? *In peccato veſtro moriemini.* Pec-
catores, poſſibilene erit ut nondum velitis con-
verti? Nunquid non in bonam emendatæ vitæ
recipere vos cogitatis frugem? Annon expergiſci
vultis ex ſomno iſto lethargico, qui vos efficit in-
ſenſibiles quoad illa quæ ſalutem veſtram ſpectant
æternam? Supereſt adhuc vobis otium, ardet ad-
huc lucerna, nondum clauſum eſt oſtium miſe-
ricordiæ, *Ecce nunc tempus acceptabile*, ait D.
Paulus l. *Id eſt, gratum & aptum ad gratiam* l 2. Cor. 6. 2.
*promerendam, quia nunc maximè operatur me-
ritum Paſſionis Dominicæ*, ſubdit Dionyſius
Carthuſianus *. Adite *ergo cum fiduciâ ad thro-* * Dion. Carth. ar. 8 in 2. Cor. 6. 2.
num gratiæ; ut miſericordiam conſequamini, *&
gratiam in auxilio opportuno* m inveniatis. m Hebr. 4. 16.

Ecce Deus veſter, Divinus hic Pelicanus, qui
mortem vult oppetere n ad præbendam vobis n Jo. 19. 18. &c.
vitam, & ad lavandos vos veſtris *à peccatis in* o Apoc. 1. 5.
Sanguine ſuo o. Intuemini eum brachia haben-
tem expanſa ad vos amplectendos. Ecce lactum
iſtud caput præ amore inclinatum, quod aſpi-
ciens vos obrutum compaſſionis propter lacturam
veſtram, ſuam extendit ad vos manum, ſuum vo-
bis offert auxilium, ita ut in vobis ſit eo proficuè
uti ad magnum æternæ ſalutis veſtræ emolumen-
tum. Videte hoſpedes clavis alligatos, *Proptereà
expectat Dominus ut miſereatur veſtri* p. Ve- p Iſai. 30. 18.
ſtrum petit reditum ad gratiam, *Convertimini
filij revertentes, & ſanabo averſiones veſtras* q. q Jer. 3. 22.
Non fugit à vobis, in vobis eſt ut eum inveniatis
medio auxilio gratiæ ejus. Nihil vos avertit ab il-
lo niſi peccatum. expellite illud ab animâ veſtrâ,
quam dealbabitis *in Sanguine* r ejus adhuc ca-
liente & fluente è venis ejus, quæ erunt ei loco r Apoc. 7. 14.
lavacri, in quo omnes abluetis *ſordes* s, quas con- s Iſai. 4. 4.
traxerat per peccata ſua; adite fiducialiter hæc
ſacra vulnera, ingredimini intrepidè hæc ſacra
foramina ut aſyla ſacra, & profitemini coram Deo
& Angelis, vos non velle ampliùs Divinam ipſius
offendere ullo modo majeſtatem, ſcientes in-
tereà, quòd ipſe eſt omnino diſpoſitus ad nos
ſuſcipiendos, ut ait D. Bernardus u, *Patet arca-*
num cordis per foramina corporis: patet magnum u D. Ber. ſerm. 61. in Cant. 2. 14.
*illud pietatis ſacramentum: patent viſcera mi-
ſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, O-
riens ex alto* x. *Quidni vulnera per viſcera pa-
teant? In quo enim clariùs quàm in vulneribus* x ex Luc. 1. 78. & ex Zach. 3. 9. & 6. 12.
*tuis eluxiſſet, quòd tu Domine ſuavis & mitis, &
multa miſericordiæ* y? Etiam, adoranda Salva-
tor: cùm ad delendum peccatum noſtrum è cor- y ex Pſ. 85. 5.
dibus noſtris, & ad illud averruncandum ex ani-
mabus noſtris, in quibus ſuum collocaverat thro-
num ad magnum diſpendium noſtrum, veneris
perpeſſum mortē Crucis, ut ſatisfaceres juſtitiæ
Patris tui pro peccatis noſtris, *iniquitates* z no- z Iſai. 53. 11.
ſtras portando, ſatage per gratiam tuam, ut nun-
quam ampliùs in peccatum labamur, ne induca-
mus te ad recedendum à nobis, & ne audiamus
hoc improperium ore tuo prolatum, *Ego vado.*
Sed potiùs honorare dignare nos ſocietate tuâ,

quæ noſtrom conſtituit felicitatem, *Deus ne elongêris à me* †. Effice ut nunquam audiamus †Pſ. 70. 12. hanc vocem funeſtam ſeparationis & receſſus, *Ego vado*. Nun enim poſſumus illam audire quin ſtatim moriamur. Receſſus tuus eſt noſtra mors, ſicut præſentia tua eſt tota vita noſtra. Fac ut inveniamus te in inquiſitionibus noſtris, & noli ſinere ut *in peccato* noſtro moriamur unquam, ſed potiùs in gratiâ tuâ, ut potiamur in æternâ felicitate gloriæ præſentiâ tuâ.

FERIA V. POST DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ.

Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum.
Joan. 8. 28. &c.

MIrum non eſt ſi Judæi, qui erant homines animales, alligati carni & ſanguini, quique per conſequens percipere non poterant *ea quæ ſunt Spiritus Dei, non intelligere* a potuerunt verba, (a 1. Cor. 2. 14.) quibus edocere volebat ipſos Chriſtus, ſe fuiſſe Filium Patris æterni, *in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum* b, ab eo genitum, cum (b Pſ. 109. 3.) gravi perculſi eſſent cæcitate. Hoc induait eum ad dicendum illis, intelligendo *illos quos novit convertendos ad ſe*, exponit Dionyſius Carthuſianus c, *Cum exaltaveritis Filium hominis, id eſt, poſtquàm erexeritis & confixeritis me in patibulo crucis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum Chriſtus Filius Dei* d. Sed res inaudita! quòd oporteat ut tota commoveatur natura ad hoc ut (c Dion. Carth. a. 12. in Jo. 8. 28. d Idem Ibid.) cognoſcatur Jeſus *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* e. Mirabile dictu, *Mox enim dum Chriſtus ſpiritum tradidiſſet, viſis mirabilibus* f *quæ tempore ſuæ ſuſpenſionis fiebant in cælo & in terrâ ab horâ ſextâ uſque nonam, multi compuncti ſunt corde, & confitebantur Jeſum fuiſſe verum & ſanctum*, ſubdit idem Carthuſianus g. Oportet (e Jo. 1. 18. f e Matt. 27. 45. &c.) ut tenebris operiatur ſuperficies terræ, ut Solem offundat eclypſis, ut terram percellat tremor, & lapides ſcindantur medii ad præbendam nobis (g Dion. Carth. Ibid. ubi ſuprà.) notitiam Jeſu Chriſti, quæ noſtram debet conſtituere felicitatem in gloriâ, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* h. Hanc autem (h Jo. 17. 3.) felicitatem incipere debemus per gratiam, quâ *plenâ* i fuit Maria, cùm dixit ei Archangelus, (i Luc. 1. 28.) *Ave Maria.*

Quòd habeamus Deum, qui eſt Ens ſupereminens omnibus creaturis, veritas eſt ita manifeſta ut judicium illius noſtris remittatur oculis, & notitia ejus præbeatur rationi naturali animis noſtris impreſſæ. Ita docet D. Gregorius (k D. Greg. Naz. orat. 2. de Theol.) Nazianzenus k, *Quòd Deus ſit, ac princeps quædam cauſa rerum omnium procreatrix & conſervatrix, tum oculi ipſi, tum lex naturalis docet.* Hoc idem eſt quod innuere volebat Propheta l, (l Pſ. 4. 7.) Deum alloquens, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Ut exponit Incognitus m, (m Incog. in Pſ. 4. 7.) *Ubi nota, quòd per vultum Dei intelligitur ratio, per quam rationales à brutis animalibus diſtamus. Tum quia ſicut per vultum quis cognoſcitur, ita per ſpeculum rationis cognoſcitur Deus.* Hæc eſt veritas, quam nobis omnes annunciant creaturæ, *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ, poterit cognoſcibiliter Creator horum videri* n. Nullam aliam hoc in occurſu volo demon- (n Sap. 13. 5.) ſtrationem niſi experientiam. Ingreſſine fuiſtis aliquando palatium alicujus Regis? Ad occurſum tot mirabilium quæ artificium junxit lapidibus, marmoribus, & aliis hujuſmodi conſtruando & elevando ac perficiendo ædificio magnifico conſonis, ſtatim judicium inſertis de manu, quæ opus ſic inſigne ad exitum perduxit. Perſuadere ſibi quòd caſus lapidis è monte, fortuitò tot perfecerit mira quæ noſtros ſuſpendunt animos æquè ac rationem noſtram, illud non eſt minùs impoſſibile creditu, quàm effectus ſit impoſſibilis eventu. Quid? lapis forte lapſus figuratene poſſet tot formas quæ ita ſuperbi ædificii valuas magnificant? Quid? poſſit ne fortuna erigere partem hujus lapidis ad elevandas columnas, eaſque collocare ſuper ſtylobatis modo prædiviti elaboratis; extendere aliam partem in quadraturam ad firmandum & ſtabiliendum pavimentum aulæ, vel conclavis; elevare reliqua in murum; & eodem tempore ac occurſu appendere fornices in aëre; projicere fundamenta in terram; & tot alias formare figuras ad concinnanda tot alia, quæ ædificium reddunt penitus admirabile? Exquiſita præmemoratæ domus Regiæ raritas non ſinit ut hunc effectum mirabilem fortunæ tribuamus; ſed ratio inducit nos ad credendum, quòd peritus architectus in lucem edidit ideas, quas in mente conceperat hujus magnifici ædificii. Propter eandem rationem credere tenemur Divinitatem, omnium mirabilium orbis iſtius Opificem. Sic eſt, Auditores: occurſus enim aliquorum atomorum, aut aliquis alius eventus fortuitus dare non poteſt eſſe huic prædiviti ædificio totius mundi, quod nullum imitari poteſt artificium. Quiſnam extendit cælum ſicut tot ſplendentium ſtellarum tecto opertum? Quis ſtabilivit terram ut pavimentum ſolidum inter utrumque aërem? Quis ſuſtinet hunc aërem, & alia elementa ad erigendos muros, & ad concinnanda alia domicilia huic induſtrio ædificio? Dicete quòd hæc omnia fortuna peregerit, ratio huic ſententiæ contradicit; impoſſibile enim eſt ut iſta univerſa ſic ſorte in medium eruperint. Diceriſne, quòd Cauſa ſuprema, ſeu ſummus Artifex juxta ideam ſuæ mentis erexit fabricam totius orbis iſtius? Ecce Deus, quem quærimus; En Divinitas, ad quam credendam nos inducit ratio, ut fateamur unum Ens primum, quod eſt Cauſa cæterorum omnium, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* o. Quod (o Jo. 1. 4.) ſic exponit Dionyſius Carthuſianus p, *Quod factum eſt, id eſt, omne creatum, in ipſo Verbo vita erat, id eſt, in Verbo vitaliter atque intellectualiter ab æterno fuit, ac ſplenduit per rationem exemplarem ſive ideam, quam habet in Verbo omnia cognoſcente, intellectualiterque producente; quemadmodum artifex facit domum, & medicus ſanitatem per ſpeciem ſeu exemplar domus ac ſanitatis, quod habet in mente.* (p Dion. Carth. ar. 3. in Jo. 1. 4.)

Si ab eſſe tranſimus ad ordinem creaturarum, ad motus invariabiliter compoſitos inter tot viciſſitudines ſic debitè adinvicem conciliatas non obſtan-

obſtantibus inſultationibus tot contrariorum ipſas impetentium, aliam habemus experientiam, quæ nobis authenticam præbet hujus Divinitatis probationem. Videte quomodo hæc ſagitta ad ſcopum directè contendat. Sanè peritus aliquis ſagittarius illam eò dirigit. Si autem creaturæ ad ſuum diriguntur finem motu naturali, ut ad ſcopum perfectionis ſibi debitæ, ab aliquâ infallibiliter gubernantur Intelligentiâ, quæ ſupplet defectum notitiæ ipſarum, & motum ipſarum animat. Propterea dixit quidam Antiquus, *Opus naturæ opus Intelligentiæ non errantis.* Intuemini motus cœleſtes, & ſublunares, qui pendent ab influentiis motuum eorum cœlorum, non ut apprehendatis cum Pythagora aliquem ſuavem concentum qui edatur ab illis, ſed ut tranſeatis cum Ariſtotele ad unum primum Motorem, qui omnibus creaturis motum impertiens, manet tamen ipſe immobilis: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia*, ait Sapiens q. Quem ſic exponunt Theologi, ut hanc mobilitatem intelligant activam, prout ſcilicet motum imprimit omnibus; & ſic Divinitatem deprehendetis in ordine horum motuum. Oportet ut quilibet motus pendeat à Motore. Perveniendum eſt ergo ad aliquem Motorem, qui immobilis in ſe remanens, ſit principium quod moveat creaturas; aut procedendum uſque ad infinitum, à quo natura abhorret.

q Sap. 7. 24.

Plures alias omitto ſubtilitates, ne teram tempus ad probandam veritatem ſic manifeſtam in naturâ. Hanc omnes effectus præ ſe ferunt inſcriptionem in fronte ſui eſſe exaratam ſtylo indelebili, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos* r. Super quæ ait D. Auguſtinus s, *Totum bonum quod habemus, ab Artifice noſtro habemus.* Hæc etiam obſervatio D. Auguſtini confirmatur experientiâ ſenſibili, quæ in libro creaturarum, intuitu characterum perfectionum earum, ſenſibiliter cognoſcendum nobis exhibet hoc primum *Principium* t, quod omnia educit è potentia ſuâ infinitè fœcundâ, nam *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyſſis* u. Hanc cognitionem iſtius Entis Divini, creaturæ impreſſerunt per viam ſenſuum nationibus barbaris. Ipſa ratio nobis dictat iſtud Eſſe, ſed ſcire quale ipſum ſit, hæc eſt quæſtio, quam priſca non potuerunt ſolvere ſecula, & quæ manet adhuc non ſoluta. Omnes intueor creaturas commoveri propter mortem Filii Dei, ut addiſcant hanc veritatem, quam examinabimus in progreſſu diſcurſus iſtius, in quo edocebimur cognitionem Chriſti, ad quam ſubtiliſſimi quique pervenire nô potuerunt homines.

r Pſ. 99. 3.
s D. Aug. in Pſ. 99. 3.
t Apoc. 1. 8.
u Pſ. 134. 6.

Propoſitio.

Primus motus animi tendentis ad cognitionem, eſt admiratio, quæ generat Philoſophiam, & ſimul cum Philoſophiâ omnes alias ſcientias. Omnes creaturæ ſuam uſque nunc admiratæ ſunt ignorantiam, quod ipſemet nobis manifeſtant ſuper monte Calvariâ per alterationes ſuas. Aliàs Jeſus *cùm intraſſet Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic* x? Et cùm, *ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum, extra portam paſſus eſt* y, egreſſus Jeroſolymis iiſdem; univerſæ commoventur creaturæ, *Obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* z. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt* a ad dandam nobis notitiam Dei patientis. Motus eſt hujus magnæ civitatis mundi adguratio, & turbatio omnium creaturarum efflagitantium ſuo modo, *Quis eſt hic?* Sol qui planetis dominatur, & qui ob excellentiam ſuã meretur eſſe primus inter creaturas ſenſibiles, incipit admirationem, & velut in eſtaſim raptus, labitur in eclpſim, Creatore ipſius ſic diſponente, ſicut aliàs ſtetit immobilis, ut obtemperaret voci Domini ſui præcipientis ſibi interventu Joſue, *Sol contra Gabaon ne movearis. Stetit itaque Sol in medio cœli* b. Ignis velut eſtaticus propter eandem rationem reſtat ſine activitate in fornace Babylonis, dum nobiles Hebræos invenes projectos in *medium fornacis non tetigit omnino, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit* c, quaſi admiratus potentiam illius qui ſuum retinet concurſum ad ſuſpendendam actionem ipſius. Aqua elevat ſe ſupra ſuum alveum quaſi præ eſtaſi admirandâ, quà præſentiam ſui experitur Creatoris, dum *ingreſſi ſunt filii Iſraël per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextrâ eorum & lævâ* d. Aër qui eſt mobilior, utpote quia humidior, eſt etiam frequentior in his admirationibus. Modò enim admiratur videre ſe ſolidum ad ſuſtinenda corpora gravia, cùm *Jeſus aſſumptus eſt in cœlum* e. Mox autem ſtupet aſpicere ſe veluti fornacem foventem innumeros ignes meteorologicos. Aliàs verò commovetur aliis novitatibus ad admirandum hoc Ens Divinum, nedum tamen poſſit unquam cognoſcere aut declarare his effectibus qualitatem hujus Entis. Terra in nullâ re cedit cæteris elementis; æquè frequenter & æquè dignè admiratur ipſa videre ſe animatam halitu Divino, cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciẽ ejus ſpiraculum vitæ* f. In viciſſitudine ſeculorũ miratur ipſa, quòd ex materiâ ſuã craſſâ producantur tot ſpecioſæ plãtæ, quòd eſſe ſuõ inanimatũ ſit materia ex quâ educantur animalia viventia. In Incarnatione admiratur videre ſe effectam *Divinæ Naturæ* g conſortem, dum *Verbum caro factum eſt* h. Et medias inter has eſtaſes pluſquàm admirandas, non majorem habet cognitionem, quàm habeant alia elementa, quæ omnia petunt, *Quis eſt hic?* Iſte eſt motus admirationis, qui ad ignorantiam terminatur; ſed ſuper monte Calvariâ hæc admiratio veram præbet Chriſti notitiam, ait Dionyſius Carthuſianus i, *Unde legitur in Luca* k, *Omnis turba eorum qui aderant, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, percutientes pectora ſuâ revertebantur*, nullâ factâ mentione eorum quæ ſupra ex eodem immediatè ante hæc verba retuli, quòd *confitebantur Jeſum fuiſſe verum & ſanctum.*

x Matth. 21. 10.
y Hebr. 13. 12.
z Luc. 23. 45.
a Matth. 27. 52.
b Joſue 10. 12. & 13.
c Dan. 3. 50.
d Exod. 14. 22.
e Marc. 16. 19.
f Gen. 2. 7.
g 2. Petr. 1. 4.
h Jo. 1. 14.
i Dion. Carth. a. 22 in Jo. 8. 28.
k ex Luc. 23. 48.

Conſulamus Philoſophos qui recondita naturæ ſecreta curioſè ſunt perſcrutati ut pervenirent ad notitiam veritatis & Divinitatis. *Unde non penitus improbandum, quod Simonides Poëta feciſſe & dixiſſe dicitur, cùm hâc de re interrogaretur: Quærente enim ab eo Hierone Syracuſano quidnam eſſet Deus: deliberandi ſibi ſpatium unum diem dari poſtulavit. Cùm idem ex eo poſtridie rogaret: biduum petiit. Tum ſæpiùs eo idem petente: duplicavit ſemper numerum dierum. Tandem verò interroganti Hieroni cur ita faceret; Quin quantò, inquit, diutiùs conſidero, tantò mihi res videtur obſcurior. Significavit planè hiſce verbis, imperſcrutabilem Dei eſſe rationem, & humano ingenio inacceſſam, ignotam, atque incomprehenſibilem:* Et quòd poſſet quidem ipſe eam admirari, ſed non intimam ejus perfectionem intuitivè pervadere, ut obſervavit Commentator l in D. Damaſcenum.

l Comment. in D. Damaſc. lib. 1. de fid. Orthod. c. 12.

Ita

Digitized by Google

Ita ſenſerunt reverenter ſapientiſſimi inter
Ethnicos, dum confeſſi ſunt Ens Divinum, ut
tamen non præſumpſerint aſſeverare quale eſſet
per agnitionem perfectionum ejus. Re autem
verâ quicunque eò curioſitatis proceſſerunt ut
ſcire voluerint quale foret iſtud Ens, *evanue-
runt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt
inſipiens cor eorum : dicentes enim ſe eſſe ſa-*
m Rom. 1. 21. & 22. *pientes, ſtulti facti ſunt* m. Et ſic iſtâ percuſſi
cæcitate, in innumeros præcipitati ſunt erro-
res, quorum interventu coluerunt ut idola
vanitates ſuas, & eas ſubmiſerunt vituperio
temeritatum ſuarum. *Democritus mundi ani-
mam ait Deum eſſe, & eum pilæ igneæ for-*
n Euſeb. lib. 14 de Præpar. Evang. c. 6. *mam poſſidere : Thales mundum Deum eſſe
aſſerit*, ut refert Euſebius n. Alii dicebant
eum eſſe Solem : Alii aliud; & ſic ita fuerunt
differentes in ſententiis ſuis, ut differentes erant
quoad animos ſuos. Ne autem inquiramus a-
liam ignorantiæ illorum probationem, idolola-
tria hujus ſeculi perverſi nobis ſatis oſtendit in
quas ineptias demerſit eos inſcitia Divinitatis;
cùm civitates, Provinciæ, Regna, exceptâ re-
o Pſ. 75. 2 gione Judææ, quia *notus in Judæâ Deus, in
p Iſai. 2. 20. Iſraël magnum nomen ejus* o, prout Deos agno-
verunt Solem, Lunam, ſtellas, imò verò viliſ-
ſima animalia, dracones, crocodilos, feras,
p Iſai. 2. 20. *talpas, & veſpertiliones* p. Quin etiam porros,
cæpe, & allia, quæ aliàs Ægyptii adoraverunt.
Et, quod eſt inauditum, lapis & lignum fue-
runt illis loco dei; idolis enim è terrâ fabrefa-
ctis, in marmore exaratis, in ligno ſculptis ſum-
mas ſuas exhibuerunt adorationes, agnoſcen-
q Pſ. 113. 12. tes ut deum *ſimulachra, opera manuum* q
ſuarum.

Sed fierine potuit ut ratio humana ita in-
eptis obnoxia fuerit erroribus, ut confeſſa fue-
rit Ens Divinum ut ſupereminens, & ſimul &
ſemel attribuerit hunc gradum ſupereminen-
tiæ porro, marmori, aut feræ? Quænam con-
tradictio manifeſtior? At quod populus Dei
iiſdem fuerit involutus tenebris, & ſimilibus
r Iſai. 2. 20. deceptus mendaciis, *ut adoraret talpas & ve-
ſpertiliones* r; imò verò quòd cultum Divinum
erogaverit auro fuſo in formam vituli, vanitati
idoli mendacis, quænam, ſi placet, inſignior
abominatio. Niſi Scriptura ſacra huic veritati
authenticam conciliaret fidem, vix eam crede-
re poſſemus. Sic eſt, Auditores; populus Iſraë-
liticus, qui tot admiratus fuerat prodigia in e-
greſſu ſuo ex Ægypto, dum ipſi *filij Iſraël perre-
xerunt per medium ſicci maris, & aqua eis erant
quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris, libera-
vitque Dominus Iſraël de manu Ægyptiorum; &
viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, &
manum magnam, quam exercuerat Dominus*
s Exod. 14. 29. &c. *contra eos* s: Hic, inquam, populus poſt ſuſ-
ceptos tot à Deo favores inſignes in ſolitudi-
ne, ubi ipſimet *filij Iſraël comederunt man qua-
draginta annis, donec venirent in terram habi-*
t Exod. 16. 35. *tabilem* t; hæc omnia retulit miracula ad vitu-
lum auro fuſum proprio artificio, & iſtud agno-
vit idolum conflatile ut cauſam effectricem om-
nium iſtorum effectuum prodigioſorum, *Hi
ſunt dij tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ*
u Exod. 32. 4. *Ægypti* u.

Audiviſtiſne unquam ſimilem ignorantiam,
majorem inſaniam, & magis inuſitatam cæci-
tatem? *Non eſt ſcientia Dei in terrâ : male-
dictum & mendacium inundaverunt*, exclamat
Oſee x. Mirum non eſt ſi univerſa mendaciis x Oſee 4. 1. & 2.
ſcateant, ſi omnia maledictionibus repleán-
tur, cùm cognitio Divinitatis nulla habeatur in
mundo. Sed quis nobis iſtam afferet notiti-
am? *Obſcuratus Sol* y ſuper monte Calvariâ, y Luc. 23. 45.
intuendam nobis exhibebit medias inter tene-
bras ſuas & caligines Divinitatem Filii Dei mo-
rientis in cruce. Crux manifeſtabit nobis ejus
eſſe luminoſum, alioquin erimus nos ſemper ut
talpæ cæcitate percuſſi quoad id quod ſpectat
iſtam notitiam. Oportebat igitur ut iſte Divinus
Sol juſtitiæ z Jeſus Chriſtus elevaret ſe ſupra z Malach. 4. 2.
Horizontem noſtrum; ſuos diffundere debe-
bat radios in Hemiſphærium noſtrum ad illumi-
nandas mentes noſtras, ſeſe agnoſcendum præ-
bens ſuper cruce. Hanc ego intueor Divinam
Lampadem elevatam ſuper Horizontem mor-
talitatis noſtræ viſibili præſentiâ ſuâ, quæ clari-
tate ſuâ univerſos erat illuminatura homines,
*Erat Lux vera, quæ illuminat omnem homi-
nem venientem in hunc mundum* a. Quod ſic a Jo. 1. 9.
exponit Dionyſius Carthuſianus b. *Id eſt, illu-* b Dion. Carth. a. 4. in Jo. n. 9.
*minat omnem hominem, quantùm in ſe eſt, ſicut
vult omnes ſalvare* c, *ita quòd nemo excuſatur, ſi*
non fuerit illuſtratus. Et tamen video mundum c ex 2. Petri 3. 9.
adhuc ignorantiæ tenebris involutum.

Priſtinam reduplicant creaturæ admira-
tionem, nedum ſperant aut qualificent iſtud
Ens Divinum, ſicut nec anteà illud agnoſcere
potuerunt. Quænam nova Claritas, ait Sol
materialis, quæ tenebras illuminat? *Lux in
tenebris lucet, & tenebræ eam non compre-*
henderunt d. Quis eſt iſte, petit terra, qui ſoli- d Jo. 1. 5.
diſſima Regni mei commovet & conturbat e e Pſ. 59. 4.
fundamenta? Quiſnam eſt hic, efflagitat ma-
re, qui *ambulans ſuper* f me, ſuis ſubjicit pe-
dibus undas meas inæquales ad ſtabilendum pa- f Matth. 14. 25.
vimentum ex elemento fluido, non ſecus ac ex
firmâ petrâ? Quis eſt iſte, poſcit petra, qui
me *convertit in ſtagna aquarum* g? Quiſnam g Pſ. 113. 8
eſt hic, quærit aqua, qui me mutat in *vinum* h? h Jo. 2. 9
Vinum autem magis admirans quàm cætera,
Quiſnam eſt iſte, inquit, qui me convertit in
Sanguinem i ſuum? Non minùs panis eſt atto- i Matth. 26. 28.
nitus ex eo quòd ſe videat multiplicatum k. Piſ- k Jo. 6. 11.
cis admiratur eum, qui præcipit ex ipſius *aperto
ore ſtaterem* l eruendum. Quiſnam eſt hic, ait l Matth. 17. 27.
ventus, qui prohibet mihi ne reſpirem, & fu-
rores meos in ſuaves mutat halitus, dum impe- m Matth. 8. 26.
rando mihi *& mari, tranquillitas magna* m
fit? Quiſnam eſt iſte, petit febris, qui mihi ſic
abſolutè imperat, ut in fugam ſolo verbo ſuo n Luc. 4. 39.
me convertat n? Quiſnam eſt hic, exclamat
totus orbis in hàc ecſtaſi generali, qui illuminat
ſicut Sol, qui calefacit inſtar ignis, *nec eſt qui ſe*
abſcondat à calore ejus o. Qui innumeras ſu- o Pſ. 18. 7.
ſtinet penuriæ aquarenus homo, quia *vulpes fo-
veas habent, & volucres cæli nidos : Filius au-
tem hominis non habet ubi caput reclinet* p. Et p Matth. 8. 20.
infinita operatur miracula prout Deus q? q Matth. 8. 3. &c.

Ecce omnes creaturæ in ecſtaſin raptæ præ
admiratione illius quem non poſſunt agnoſcere.
Convocavit aliàs Minerva omnes Scientias ut
diſceret ab illis quænam eſſet hominis perfectio.
Earum omitto ſententiam circa hanc propoſitio-
nem, ut novam proponam quæſtionem ſuper id
quod admiramur. Inquiramus igitur à Scien-
tiis, ut ſciamus quiſnam ſit ille qui paritur in
cruce exaltatus in monte Calvariâ. Hæc eſt
quæſtio quam diſcutiunt; quæſtio autem quæ a-
gitata

gitata diſcurſibus rationabilibus, omnes Scien-
tias in admirationem redigit, & efficit ut om-
nes ſe ignaras agnoſcant. Petiriſne à Gramma-
ticâ? Quiſnam eſt iſte? Neſcio, reſpondet
illa: Verbum eſt, quod eſt activum, *Omnia*
r Jo. 1. 3. *per ipſum facta ſunt* r, quod video effectum
s Jo. 1. 14 paſſivum, *Verbum caro factum eſt* s, nedum
tamen propterea alteretur in aliquo regula im-
mutabilitatis ejus æternæ, *Ego enim Dominus,*
t Malach. 3. 6. *& non mutor* t. Hoc meis adverſatur rudimen-
tis, & ideò non poſſum illud comprehendere.
Rhetorica non invenit unde petitioni ſatisfaciat
propoſitæ, Principium eſt, ait ipſa, è quo ſi-
mul ambæ eodem tempore veræ inferuntur
propoſitiones contradictoriæ, quòd nimirum
u Luc. 2. 7. idem ſit paſſibilis, reclinatus *in præſepio* u, &
impaſſibilis x; homo Deus, *omnipotens* y, in-
x Pſ. 90. 10. firmus, miſſis aliis innumeris ſubtilitatibus,
y Eſth. 13. 9. quas in ſcholâ meâ non doceo. Muſica mira-
tur audire ſe vocem organicam ut hominis, om-
nipotentem ut Dei, cum paralytico *dicit Jeſus,*
Surge, tolle grabatum tuum, & ambula; &
z Jo. 5. 8. & 9. *ſtatim ſanus factus eſt homo ille* z. Et excla-
mat ipſa, Iſti non ſunt toni, ad quos meos con-
cino diſcipulos. Stupore ejicitur Geometria,
a Baruch. 3. 25. Quid? *Magnus, excelſus, & immenſus* a,
limitibus circumſcribitur exigui corporis b.
b Jo. 1. 14. Quis poterit illud intelligere? Arithmetica ad-
miratur perſonalem unitatem in tribus naturis,
quæ tamen non ſit diviſibilis in Chriſto, in quo
eſt Divinitas, Corpus, & Anima, *Qui licèt*
Deus ſit & homo: non duo tamen, ſed unus
eſt Chriſtus. Nam ſicut anima rationalis & ca-
c D. Athã. in Symbolo v. 31. &c. *ro unus eſt homo: ita Deus & homo unus eſt*
Chriſtus, ait D. Athanaſius c, Aſtrologia vi-
dere cens meteorum, imitatur novam *ſtellam*
d Matth. 2. 2. *in Oriente* d, quæ indicat eum, qui *viſitavit*
nos, Oriens ex alto e. Nec intelligere poteſt
e Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 8. & 6. 12 quomodo Sol incedere poſſit *in terris viſus, &*
cum hominibus converſatus f. Logica hæc non
poteſt comprehendere mirabilia. Si quæſtionem
ſatagat conſulere, in eâ confeſtim innumeras
f Baruch. 3. 38. deprehendit difficultates & contradictiones, ni-
mirum ſubjectum, cui duo ſociantur contraria;
ſuppoſitum unicum duabus naturis infinitè à ſe
diſtantibus conjunctum, quòd homo ſit Deus; is
g Baruch. 3. 25. qui *non habet finem* g, limitibus circumſcriba-
tur; & ideò ait ipſa, Hæc non eſt mearum con-
ſequentia demonſtrationum. Phyſica miratur
h Jo. 1. 14 ſuam materiam divinizatam eſſe, quando *Ver-*
bum caro factum eſt h. Stupet Metaphyſica vi-
dendo hanc primam Intelligentiam ab omni
i Jo. 4. 24. compoſitione immunem, quia *Spiritus eſt Deus* i,
unire ſibi materiam, nec tamen eſſe partem
compoſiti. Suſpenduntur animi æquè ac oculi
Medicorum admirantium medelas ordinarias
k Matth. 8. 3. &c. effectas ab iſto mirabilium Artifice k. Tandem,
Omnes creaturæ in ecſtaſim rapiuntur, & om-
nes Scientiæ ſuas terminant admirationes adhuc
ut ſuum agnoſcere poſſint communem Creato-
rem: & ſuam ingenuè fatentes ignorantiam, ef-
flagitant à nobis ut ipſas edoceamus, quiſnam ſit
ille, quem non poſſunt concipere. Quid agemus
ut tranſeamus ex admiratione ad ſcientiam?
Pergendum eſt & tranſeundum ad Calvariam
uſque montem, ibique videntes Dei Filium pa-
tibulo crucis ſuffixum, cognoſcemus ipſum eſſe,
ſicut ipſemet ait in Textu noſtro, *Cùm exalta-*
l Theophylact. in Jo. 8. 28. *veritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia*
ego ſum. Quem ſic exponit Theophylactus l,
Cùm me crucifixeritis, ego dico quòd tunc ſcie-

tis quia ego ſum, hoc eſt, Chriſtus Filius Dei,
qui omnia; porto m & duco. Hic eſt Jeſus, m ex Hebr. 1. 3.
quem omnes ſcientiæ admirantur, ipſe eſt Jeſus,
quem univerſæ reverentur creaturæ. Ecce pau-
cis verbis manifeſtatio myſteriorum omnium,
quorum notitiam comparare vobis poteratis
ſuper re propoſitâ. Ecce ſcientia quæ ſuccedit
admirationi. Quid dico? Scientia eſt admi-
rabilis, ipſa admiratur agnoſcendo id, quod
aliæ Scientiæ admiratæ ſunt ignorando. Sed
Theophylactus petit, *Quomodo autem cognitu-*
ri ſunt ipſum in Cruce? Et reſpondet, *A ſignis,*
quæ tunc & à reſurrectione n, *& captivitate.* n ex Jo. 20. 1. &c.
Omnia enim hæc poterant declarare ejus fortitu-
dinem. Utrumque igitur ſcietis, & fortitudi-
nem meam, quando crucifigetis me, & concor-
diam meam cum Patre. Neque enim Pater
meneultus eſſet me, datâ civitate veſtrâ Roma-
nis, vel ſignis in cœlo factis o. *niſi Filius ejus eſſem,* o ex Luc. 23. 45.
& ejuſdem ſcientiæ p, *& non contrarius.*
Ubi obſervabitis, ſi placet, ordinem Divi- p ex Jo. 10. 30.
næ Providentiæ in diſtribuendis gratiis ſuis, &
in manifeſtandâ magnitudine ſuâ virtute harum
illuſtrationum. Deus eſt *Sol* q in mundo ra-
tionali; ſed differens à ſole hujus mundi viſibi- q Malach. 4. 2
lis. Sol qui ſuper noſtrum elevatur horizon-
tem, montes illuminat antequàm ſuos exten-
dat radios ad valles: Sed Divinus iſte *Sol* valles
fœcundat, illuminat animas humiles; & ſuper-
bè elevatas deſerit in tenebris ignorantiæ, *Quo-*
niã excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta r Pſ. 137. 6.
à longè cognoſcit r. Ratio iſtius eſt, quia Sol vi-
ſibilis qui diem parit, ſicut eſt elevatus, priùs
illuminat cacumina montium ſibi viciniora; ſed
noſter *Sol juſtitiæ* ſuum notat punctum orienta-
le in terrâ, *Veritas de terrâ orta eſt* s. Zodia- s Pſ. 84. 12
cus regionum inceſſuum ejus eſt ipſa depreſſio,
Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, &
contritum ſpiritu, & trementum ſermones
meos t? Ideſt, humiles & abjecti ut viciniores t Iſai. 66. 2
lumini ipſius, effectus ejus ſenſibiliùs experiun-
tur; animæ humiliatæ citiùs illuminantur radiis
fidei ad agnoſcendam Divinitatem, quàm ani-
mi elati, qui caligine offunduntur in altitudine
curioſitatum ſuarum inquiſitionum. *Quia au-*
tem & receſſerunt qui priùs putabantur diſcipuli
ejus eſſe, ideò ad eos qui nunc crediderunt,
dicit; quòd illi quidem receſſerunt. Si au-
tem vos manetis in ſermone meo, & fide,
agnoſcetis veritatem, hoc eſt, me, ait Theo-
phylactus u. u Theophylact. in Jo. 8. 30. & 31.
Ad cognoſcendum Deum non eſt legen-
dus Ariſtoteles. Non latet me, quòd ſcripta
hujus Philoſophi nos edoceant eſſe Dei; unita-
tem hujus Entis x: independentiam hujus pri- x Deut. 6. 4.
mi Principii y: æternitatem z illius qui eſt in-
dependens: immutabilitatem a ejus qui eſt æ- y Exod. 3. 14.
ternus: & motum creaturarum cauſatum ab
eo qui eſt immobilis b. Sed hæc omnia nihil z Dan. 13. 45.
ſunt. Poſt manifeſtatas has veritates, ſemper a Malach. 3. 6
remanet cæcus, & ſolum cognoſcit in Deo id,
quod creaturarum ſuperficies nos docet, *Quod* b Sap. 7. 24.
notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis c. Hæc c Rom. 1. 19.
cognitio eſt vana, cùm hos reddiderit Philoſo-
phos potiùs vituperio, quàm laude dignos, eoſ-
que potiùs cæcitate percuſſerit, quàm perſpica-
ces effecerit; *Quia cùm cognoviſſent Deum non ſi-*
cut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: d Rom. 1. 21.
ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis & obſcu-
ratum eſt inſipiens cor eorũ d. Vult ne cognoſcere
Deum utiliter & abſque periculo erroris? *Hu-*

e ex 1. Cor. 15. 10.

Et hæc triplicem gratiam nobis inſinuat Paulus e, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum, ecce prima. Et gratia ejus in me vacua non fuit, ecce ſecunda; ſcilicet cooperans. Et gratia Dei mecum, ecce tertia, ſcilicet conſummans.* Poſſumus igitur æſtimare nos beatos, eò quòd admiſſi fuerimus ad Divinorum intelligentiam myſteriorum, & dicere, *Beati ſumus; Iſraël: quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis* f. Sed feliciores, ſi operemur conformiter ad cognitiones noſtras, & proficuè utamur hâc triplici gratiâ, ſic ut pandat nobis aditum ad gloriam.

f Baruch. 4. 4.

FERIA IV. POST DOMIN. II. QUADRAGESIMÆ.

Neſcitis quid petatis, Matth. 20. 22. &c.

VElle pervenire ad finem impertranſito medio, prorſus eſt velle impoſſibile. Ut contendam hinc illuc, oportet ut pertranſeam iſtam intercapedinam quæ datur inter vos & me. In ſuam non poteſt ignis ſe recipere ſphæram, quin per mediam tranſeat aeris regionem, nubeſque tranſcendat. Velle officia & dignitatea ſibi comparare abſque ullo prævio merito, iſtud eſt planè deſiderare rem injuſtam, & nullam præ ſe ferre prudentiam, ſed è contrà ignorantiam non vulgarem. Sic in Evangelio noſtro *mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis petens aliquid* à Filio Dei, non conſequitur id quod efflagitat, quia eſt ambitioſa æquè ac filii ipſius, quibus *reſpondens Jeſus, dixit, Neſcitis quid petatis.* Cùm igitur mulier ambitioſa non impetret id quod ipſa expoſcit; adeamus Virginem humilem, quæ impetrat quidquid ipſa vult, quandiu reſpondet humiliter, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* a, Archangelo dicenti ſibi, *Ave Maria.*

a Luc. 1. 38.

Induſtriæ creaturarum producunt æmulationem in homine. Æmulamur in animalibus eorum qualitates, quas non habemus; præpetem avium volatum, velocitatem cervorum, generoſitatem leonum, perſpicacitatem lyncium, & odoratum canum. Sed, ut verum fatear, imprudenter his immodicis nos abripi ſinimus deſideriis, non ſecus ac ſi Princeps aliquis æmularetur qualitates miniſtrorum aut officialium ſuorum. Aliqua ſunt quæ maximè decent Principes & Magnates. Alia verò quæ eos dedecent, quæ ipſi exercere non debent, quæque illorum eximiæ detraherent dignitati; & quorum occaſione dici poſſet id, quod dixiſſe perhibetur Philippus Rex Macedonum Alexandro Magno filio ſuo, qui Muſicæ vacabat exercendæ; cùm enim illum hujus exercitii argueret, dicebat ei, quòd ipſe totum ſuum inſumere deberet animum generoſum ad debellandas Provincias, ad conſequendas victorias, ad triumphandum de hoſtibus, & ad ſubjiciendos ditioni ſuæ populos, non autem illum ad res ſe prorſus indignas convertere. Sic dicendum eſt homini: hæ enim qualitates ſupradictæ ſunt actus ſervorum in creaturis productis propter obſequium hominis, cùm Divina Providentia, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* b, omnes creaturas homini ſubmiſerit, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris* c.

b Sap. 8. 1.

c Pſ. 8. 8. & 9. ex Gen. 1. 28.

Præterea, Omne quod eſt in creaturis, eſt effectus temperamenti, aut qualitatum prædominantium, ajunt Philoſophi. Cete habent tegmen, rhinocerotes corium, boves tauri & cervi cornua, & apri dentes; hæc omnia non ſunt niſi excrementa materiæ craſſæ. Volatus præpes avium æquè ac velocitas aquilæ procedit ex aëre; generoſitas leonum ex igne, qui in iis prædominatur, oritur; & omnes induſtriæ animalium & inſectorum cauſantur à ſiccitate, quæ in ipſis invenitur. Sic aranea quæ ſua texit fila, conſtituitque ſe in medio tanquam in centro ſolis iſtius caulis; & ſciniphes ſibi fabricantes ſtratum è ſerico aut è xylo, in quo ſe concludunt, aliaque ſimilia animalcula, nullam cauſare debent æmulationem in homine, qui ad majora natus eſt. Si autem aliquid ipſe vult ambire, hâc ſacrâ duci debet ambitione, non imitandarum induſtriarum animalium, ſed perfectionum Dei, ad quarum imitationem Salvator ipſum invitat, dicens, *Eſtote vos perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt* d. Quod oſtendit, ambitionem poſſe eſſe ſanctam & bonam. Ego autem intendo monſtrare vobis Primò, quòd cùm nihil ſit naturalius ambitione, nihil etiam ſit damnoſius eâdem ambitione. Secundò, Quòd cùm nihil ſit ſplendidius dignitate, nihil etiam ſit eâdem dignitate periculoſius.

d Matth. 5. 48.

Diviſio.

Ambitio eſt naturalis, cùm videamus omnia entia totos ſuos inſumere conatus ad hoc ut è ſuo eruantur nihilo, & ſuo eſſe ultimum præbeant complementum. Ignis intendit ſe elevare, ideòque regionem pervadit aëris, nubeſque tranſcendit, ut ad ſuam perveniat tandem ſphæram. Aër ambit ſe magnificare: ſi autem ad anguſtias redigitur, quoſnam non operatur effectus, terram tremore concutiendo. Perſæ verò, qui Soli Divinas exhibebant adorationes, ſtupore perciti intuitu luminis ejus, catenas ſategerunt conficiendas ferreas & aureas, quibus eum vincirent, ſed Sol ſua inauravit vincula. Terra, licèt depreſſiſſimum & ultimum elementorum, elevat ſe in rupes, indurat ſe in lapides præ ambitione inſitâ. Mare elevat quaſi montes aquarum, quarum aliæ ſuper alias ad nubes uſque ferè ſe protendunt: & niſi Divina Providentia conſtituiſſet ei terminos, quos præterire non poteſt, dicens illi, *Uſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos* e, unicum conſtitueret ex ſeipſo & è terra elementum, & omnia inundaret. Arbores ſuas fodiunt in terram radices, invenientes humum ſibimetipſis augendis opportunè accommodam; deinde extendunt & elevant ramos ſuos. Hæc omnia oſtendunt nihil eſſe naturalius ambitione,

1. Pars.

e Job 38. 10. & 11.

& Sacerdote, quem eò magis profectò puerilis iſta dedecet vanitas, quæ eum major gravitas, majorque decet ſanctitudo. Cùm ergo nihil ſit naturalius ambitione, nihil eſt etiam eâ damnoſius.

II. Pars. Dico ſecundò quòd cùm nihil ſit ſplendidius dignitate, nihil etiam ſit eâdem dignitate periculoſius. Illi qui mundanarum ſunt amantes dignitatum & magnitudinum, dicunt quòd
c Jo. 16. 25. Filius Dei, cùm exivit *à Patre, & in mundum* c *venit quærere & ſalvum facere quod perierat* d,
d Luc. 19. 10. in eum venire debebat habens ſceptrum præ manibus, pallium Regium in humeris, & coronam in capite; & quòd debebat habere imperium, ut homines ad ſe ſequendum intuitu mercedis conſequendæ alliceret, cùm proprium commodum ſit magna mundi anima; & illi qui noluiſſent ei adhærere præ amore, ſecuti fuiſſent illum intuitu proprii commodi: non autem quòd in eum
e Luc. 2. 7. venerit ut homo derelictus, *in præſepio* e reclinatus, deſtitutus omnibus vitæ commodis, ut *men-*
f Pſ. 39. 18. *dicus, & pauper* f. Sicut explicat Incognitus g,
g Incog. in Pſ. 39. 18. *Ad literam enim Chriſtus pauper fuit, & mendicus, inquantùm homo, quod patet ex ejus nativitate, vita, & morte. Qui cùm dives eſſet, pro nobis pauper fieri voluit, ut ſuâ paupertate nos divi-*
h ex 2. Cor. 8. 9. *tes faceret, ut ait Apoſtolus* h.

Splendor alicujus dignitatis, caligine proſpicientium offundit oculos, & eos adoratores ſui efficit. Nihil eſt ſplendidius quàm viſu Virum ſedentem in tribunali liliis Regiis inſignito, arbitrum fortunæ, honoris, & vitæ hominum: ſed etiam nihil eſt periculoſius hujuſmodi ſplendore, cùm in dignitatibus conſtituti quamplurimi, infelicem ſint ſortiti finem. Nabuchodonoſor, *quando elevatum eſt cor ejus, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio Regni ſui, & gloria ejus ablata eſt: & à filiis hominum ejectus eſt, ſed & cor ejus cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cœli corpus ejus infectum eſt: donec cognoſceret, quòd poteſtatem haberet Altiſſimus in Regno hominum, &*
i Dan. 5. 20. & 21. *quemcumque voluerit ſuſcitabit ſuper illud* i. Heu! quantum periculum invenitur in dignitatibus, cùm vel Monarchæ in iis conſtituti, eò dementiæ redigantur, ut vagentur per ſylvas more belluarum.

Sponſus ſacer alloquens Sponſam ſuam dilectam, id eſt, Jeſus Chriſtus Eccleſiam ſuam, ait
k Cant. 4. 1. illi, *Capilli tui ſicut greges caprarum* k. Sed quare Sponſus laudibus evehit capillos Sponſæ ſuæ? Quia capilli ſunt ornamentum capitis, quod eſt pars totius corporis altiſſima & manifeſtiſſima. Sic dicendum eſt de Superioribus, qui ſuper alios ſunt elevati, ſicut caput cæteris membris ſupereminet. At quare capillos iſtos capris comparat? Duas obſervant curioſi rerum naturalium Indagatores qualitates in capris, accommodas Superioribus, & illis omnibus qui ſunt in aliqua dignitate conſtituti. Prima eſt, quòd capra ſemper febri laborare perhibetur, quod efficit ut ipſa aſcendat ſemper ad loca altiſſima, ad quærendum aërem puriſſimum: ſic homines continuâ laborant ambitionis febre, ſemper volunt aſcendere, & talis hodie throno vel tribunali inſidet, qui aratro moderando deberet adhærere; ita quamplurimi

Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

Secunda qualitas caprarum eſt, quòd eæ æquè perſpicaciter vident nocte ac die, quod quondiana licet nobis experientiâ comparare, cùm ante Solis ortum aſcendant ſuper rupes, & ſuper extrema præcipitia, nedùm tamen labantur: ſic Superiores, & ii omnes qui ſunt in dignitate conſtituti, perſpicaces eſſe debent, tenentur oculos habere apertos nocte & die: propter hoc enim inſtituti ſunt: die circuire debent, vigilare, & attendere ad deordinationes quæ accidere poſſunt; & veluti veri & fideles Paſtores nocte cuſtodire gregem ſuum, ne fortè ipſis dormientibus præ deſidiâ, aut invigilantibus propriis ſolis commodis, ſolamve ambitionem ſuam fovere ſatagentibus, lupus commiſſas ipſis oves abripiat, & diſperdat.

Scriptura ſacra l loquens de Abimelech filio l Judic. 9. 4. &c.
Jerobaal qui ad conſequendum Regnum, immodicâ ductus ambitione omnibus fratribus ſuis è ſanguine Regio ortis mortem intulit ſanguinolentam, quippe *qui occidit fratres ſuos ſeptuaginta viros*; hanc proponit comparationem. Ait igitur quòd aliquando arbores comitia convocaverunt generalia ad peragēdam ſolemnem electionem Regis, qui habenas regiminis ipſarum moderaretur, ipſiſque leges obſervandas decerneret, ac omnibus imperaret. Illuc convenerunt quercus, palmæ, cedri, & cæteræ arbores, *ferunt ligna ut ungerent ſibi Regem*: & detulerunt ſuffragium Regiæ dignitatis olivæ, *Dixeruntque olivæ, Impera nobis*; hâc ratione ductæ, quòd cum lignum ejus eſſet ſolidum, & oleum illius ſuave, & condiendis cibis æquè ac fovendis templorum ac altarium lucernis accommodum, regimen illius futurum eſſet mitiſſimum interventu ejuſdem olei, quod eſt manſuetudinis & miſericordiæ ſymbolum. *Quæ reſpondit, Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, quâ & dii utuntur, & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Recuſata ab oliva regia dignitas, quæ ipſi præſentabatur ab arboribus congregatis, offertur ab ipſis ficui, in cujus gratiam ſuum ferunt ſuffragium, *Dixeruntque ligna ad arborem ficum, Veni, & ſuper nos Regnum accipe. Quæ reſpondit, Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire ut inter cætera ligna promovear?* Sic repulſæ arbores, adeunt vineam, ut ei ſua offerant vota ad conferendam illi Regiam dignitatem, etianſi non habeat illa caput deſerendo diademati accommodum, ratione fructus ſui ſeu vini, cujus immoderatè hauſti vapores nimis cerebrum interturbant, & hominem è ſanæ mentis ſtatu dimovent, & brutis ſimilem efficiunt, quànvis non ſit diffitendum, quòd liquor iſte lætificet, *Locutaque ſunt ligna ad vitem, Veni, & impera nobis. Quæ reſpondit eis, Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoveri?* Hanc triplicem perpeſſæ arbores repulſam, ſceptrum tandem offerunt Regale rhamno, *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum, Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis, Si verè me Regem vobis conſtituiſtis, venite, & ſub umbra mea requieſcite.* Videte iſtas omnes magnas arbores confeſtim deditionē ſubire, & ſub umbram iſtius rhamni inclinari; ut innuatur nobis ex hâc parabola, quòd ſapientes recuſant officia, dignitates, ſuperioritates, immò verò Regnum, ne ſuâ excidant quiete: quòd illi qui iiſdem exercendis maximè ſunt idonei, ea non conſequantur, cùm tribuantur hodie omnia pecuniæ, & favori: præſertim verò quòd nihil ſit inve-

invenire in officiis & dignitatibus niſi ſpinas & ſentes difficultatum, & quòd, ſi ipſa ſplendida ſunt, ſunt tamen periculoſa. Ideò Hugo Cardinalis m ait ad propoſitum noſtrum, *Dicit Gloſſa, Rhamnus eſt genus rubi, quem vulgò ſenticem urticam appellant, aſperum nimis & ſpinoſum. Dicitur etiam, quod Rhamnus in principio mollis eſt, ſed poſteà indureſcit; & vertitur in ſpinam & fit rhamnus. Et, ſecundum Joſephum ad impetum venti ex ſe naturaliter ignem producit.* Iſtud oſtendit, quòd ſi ſuaves videntur à principio ſplendenteſque dignitates, ſunt valdè etiam periculoſæ; & quòd verendum eſt, ne ſi ambitio quæ naturalis eſt, virtute humilitatis non coërceatur, naturaliter mote rhamni medias inter dignitates, ignem damnationis æternæ invehat.

m Hug. Card. in Jud. 9. 14

Jeſus Chriſtus aliam ſecutus eſt viam ab iſta omnino differentem, nam *cùm cognoviſſet quia* Judæi *venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus* n. Super quæ Dionyſius Carthuſianus o dicit, *Cur ait, raperent, quaſi violentiam illaturi? Puto quòd ideò, quoniam Jeſum præſumebant, quem noverant humilitatem ac paupertatem docere* p, *non debere acquieſcere eis in accipiendo dominium. Propterea decreverunt eum quamvis nolentem ac renitentem facere Regem.* Ad perpetiendas paratus ſemper fuit confuſiones; eis tolerandis procedit obviàm, dum ſuis diſcipulis ait, *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* q. In hunc mundum venit non ut Dominus, ſed ut ſervus, *Filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare* r. A dignitatibus declinavit propter periculum, quod invenîtur in illis, non ratione ipſius, cùm ipſe nullum incurrere potuiſſet periculum, ſi oblatam acceptaſſet Regiam dignitatem; ſed intuitu noſtrî, propter inſtructionem noſtram, ut ſubjungit idem Carthuſianus s, *Præterea, Quòd Chriſtus promovendus in Regem fugit, quæſitus verò ad crucifigendum, paratum ſe obtulit, confundit ſuperbiam, ambitionem, mollitiem noſtram: ipſe enim idcircò hæc fecit, ut doceat nos honores, prælationeſque fugere, adverſa autem æquanimiter ſuſtinere. Sed heu pauci videntur, qui non mallent præeſſe, quàm ſubeſſe, jubere quàm obedire, honorari quam ſperni, qui ingerunt ſemetipſos non vocati à Deo, tanquam Aaron* t! *Pauci adverſitatibus gaudent magis quàm proſperis. In iſtis nondum extinctus eſt amor privatus, nondum veraciter & perfectè ſe diligunt, nondum utuntur hoc mundo velut exilio, hâc vitâ ut viâ, præſentibus in ordine ad futura.*

n Jo. 6. 15
o Dion. Carth. a. 17. in Jo. 6. 1.
p ex Mar. 53.
q Matth. 20. 17. &c.
r Matth. 20. 28.
s Dion. Carth. loco ubi ſupra
t ex Heb. 5. 4. & ex 2. Par. 26. 18.

Primus Angelus, ut ſuprà jam dixi, propter ambitionem primus evaſit diabolus, dum *projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* u. Primus homo, qui erat caput cæterorum, miſer effectus eſt, cùm præ ambitione volens ſcire *bonum & malum, de fructu comêdit* x prohibitio. Saul Rex Iſraël viginti jam annos abſolverat vitæ ſuæ, & aliquid amplius, cum ad moderandas regni Iſraëlitici habenas evectus eſt. & tamen Scriptura de eo loquens, dicit, *Filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnavit ſuper Iſraël* y. Licèt alibi ipſa dicat, quòd annis quadraginta regnavit, enarrans quòd eùm à Deo Judæi *poſtulaverunt Regem; dedit illis Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta* z idem Deus. Scriptura ſibi non eſt oppoſita, ſed eùm ait, *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpiſſet.* Scilicet ſine malitia; ſed in dignitate ſua pervertit ſe, ut ritè hæc omnia expoſuit Hugo Cardinalis a, *Id eſt, humilis & quaſi parvulus. Unde, Cùm parvulus eſſes in oculis tuis, Caput in tribubus Iſrael factus es* b. *Duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael, id eſt, juſtè rexit populum: in reliquis annis quaſi tyrannus fuit, & non Rex. Vel ſic, Filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet, vigeſimum primum annum habebat, quando cœpit regnare.* Erat igitur probatæ vitæ *Saul, electus, & bonus: & non erat vir de filiis Iſrael melior illo* c antequàm ad Regnum eveheretur, ſed confeſtim depravatus eſt, ac ſuper thronum ſublimatus eſt Iſraëliticum. *Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum* d virtute, æquè ac procerâ corporis ſtaturâ, priuſquàm in Regia conſtitutus eſſet dignitate; ſed Rex effectus, Davidem perſecutus eſt, *Factuſque eſt Saul inimicus David cunctis diebus* e. Non adimplevit mandatum Domini præcipientis ipſi, *Vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid. Et pepercit Saul & populus, Agag. & optimis gregibus ovium & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & univerſis quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea* f. Præterea, Pythoniſſam *abiit ad mulierem, & ait illi, Divina mihi in pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi* g. Tandem, Ut telam nequitiæ, quam ordiri cœperat, perficeret, ipſe ſibi mortem propriis manibus præ deſperatione intulit ſuper monte Gelboe: nam poſtquàm *dixit Saul ad armigerum ſuum, Evagina gladium tuum & percute me: ne fortè veniant incircumciſi, & interficiant me, illudentes mihi: & noluit armiger ejus (fuerat enim nimio terrore perterritus) arripuit Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum* h. Habetiſne ſanctitatem Angeli, innocentiam Adæ, & ſimplicitatem Saul? Deliquerunt iſti in dignitate conſtituti: quidnam autem non eſtis acturi vos? Magnum ergo reperitur periculum in dignitatibus, poteſtas faciendi mali, & veluti impotentia agendi boni.

u Apoc. 12. 9. &c.
x Gen. 3. 1. &c.
y 1. Reg. 13. 1.
z Act. 13. 21.
a Hug. Card. in 1. Reg. 13. 1.
b 1. Reg. 15. 17.
c 1. Reg. 9. 2.
d Ibid.
e 1. Reg. 18. 29.
f 1. Reg. 15. 3. & 9.
g 1. Reg. 28. 8.
h 1. Reg. 31. 4.

Præterea, Invenîtur in illis ratio reddenda aliquando coram eo *qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* i, *in die iræ & revelationis juſti judicii Dei qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus* k. Legenda D. Hilarionis refert, quòd ipſe, qui *in ſanctarum Literarum lectione & meditatione multus erat, paucas ficus & ſuccum herbarum ad victum adhibebat; nec illis ante Solis occaſum veſcebatur; cùm extremo penè ſpiritu conflictaretur, dicebat: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſerviſti Chriſto, & mortem times?* D. Hilarion timet, & tremore concutitur, cogitans de ratione quam redditurus eſt Deo; vos autem quamnam rationem agetis eidem Deo poſt patrata tot opera iniquitatis, poſt tot crimina commiſſa in exercitio dignitatum veſtrarum, aut officiorum veſtrorum? poſt tot injuſtitias, tot humanas conſiderationes, tot intuitus proprii commodi, & tot impatientias? Nonne jure merito formidare debetis? Nihil ergo ſplendidius dignitatibus, ſed nihil etiam periculoſius. Eligite igitur vitam tranſigere privatam magis, quàm dignitatibus renitentem, & ſi

i Act. 10. 42.
k Rom. 2. 5. & 6.

aliquid

aliquid ambitis, veſtram ad conſequendum paradiſum dirigite ambitionem, *Æmulamini chariſmata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro* l. Hoc eſt, *ad patriam perducentem*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m, ut per media illi comparandæ vobis conſona capeſſenda, ad illam pervenire poſſitis.

l 1. Cor. 12. 31.
m Dion. Carth. a. 20. in 1. Cor. 12. 31.

Cùm audiviſſet Jacob, quòd *Joſeph filius* ſuus viveret; *& ipſe in omni terra Ægypti* dominaretur; & ab eo vocaretur, ut ipſi daret omnia bona Ægypti, ſibi propoſuit adire & videre *illum antequam* ipſe moreretur n. Sed priùs obtulit Deo ſacrificium, *Et mactatis victimis Deo patris ſui Iſaac, ait illi Deus, Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende in Ægyptum* o. Quidnam timendum habebat Jacob? Joſeph omnipotens erat in tota Ægypto, fidelis erat, ab omnibus amabatur & colebatur Ægyptiis. Verebatur Jacob ne videret in domo ſuâ gubernationem, principatum, tantam dignitatem, cui tantum imminet periculum quoad animam, æquè ac quoad corpus. Sed Deus adjecit illi animos, dicens, *Ego ſum fortiſſimus, noli timere*. Quaſi diceret, Si pericula magna ſunt, ego poſſum ea avertere, & de iiſte victorem efficere. Si ſit periculum in vita, majus eſt periculum in dignitatibus, ideò timendum. Nihil periculoſius dignitatibus, ſicut nec aliquid eſt illis ſplendidius.

n Gen. 45. 18. &c.
o Gen. 46. 1. & 3.

Ambitio diabolorum eſt magna. Lucifer imperare volebat in cælo, ſed non potuit. Nunc vult eſſe Superior inferorum, ibi ſuum exercet imperiũ; & cùm non videatur ipſi ſufficere ſuperioritas in dæmones, mundi iſtius vult ſibi conciliare principatum, idcircò vocatur à Chriſto *Princeps hujus mundi* p. *Id eſt, diabolus, rector & dominus hominum mundanorum, qui à diabolo ſuperantur, propter quod ejus ſervi dicuntur, juxta illud Petri* q, *A quo quiſquam ſuperatus eſt hujus & ſervus eſt*, ait Carthuſianus r. Noſtris imperare vult cordibus æquè ac corporibus, à quibus ipſum expellebat Chriſtus, *Et erat ejiciens dæmonium* s. Ambitio autem ejus ita magna eſt, ut Chriſto ejiciente ipſum è corporibus hominum; qui in illis erant corporibus, rogarent *dæmones eum, dicentes, Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum* t. Quid? quòd diaboli, Angeli per naturam, ſpiritus ita ſuperbi copiam efflagitent ingrediendi in porcos? Ha! ratio eſt, quia rerum anatomicarum Periti obſervant, nihil eſſe quod repræſentet meliùs hominem, quàm internæ porci partes, quaſi dixiſſet diabolus, Si regnare non poſſum in homine, regnabo ſaltem in eo quod eſt illi ſimillimum. Quanta ambitio! Homines ambitioſi illum imitantur. Quid dico? Ambitioſiores ſunt ipſo diabolo, quia diabolus vult eſſe dominus affectuum hominum per ſuggeſtionem, ut homo velit, amet, quærat, & procuret idquod ipſemet diabolus ipſi ſuggerit. Propterea vocatur, ut jam dixi, *Princeps hujus mundi*. Id eſt, hominum mundanè viventium, *In quorum cordibus diabolus intùs erat*, ait D. Auguſtinus u. Sed homo ambitioſus humiliat ſe, deprimit ſe, & accommodat ſe captui diaboli, ut ab eo aliquid conſequatur. Videte hanc veritatem in Abſalone, qui immodicâ ductus ambitione, *dicebat, Quis me conſtituat Judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & juſtè judicem* †? Super quæ ait Toſtatus x, *In hoc nititur colorare Abſalom iniquum affectum ſuum, ſcilicet quòd ipſe non aſpirabat ad honorem propter deſiderium ejus, ſed propter bonum publicum, ſcilicet ut juſtè judicaret omnibus. Sed iſta fallacia non erat nimis latens, quia qui honorem deſiderat, non eſt dignus honore; & qui deſiderat ſtatum excellentem, non poteſt eum convenienter ſuſtinere, quia honores magni onera graviſſima juncta habent: qui tamen honorem cupiunt, non onera, ſed requiem, & præeſſe deſiderant. Nam labores & onera ſecundùm ſe deſiderabilia non ſunt: qui ergo dignè accipere debet, non volens & cupiens, ſed obediens & compulſus ſuſcipere debet. Propter hoc autem Eccleſia inſtituit, ut quando ſuſciperentur aliqui in Epiſcopos, quilibet reſpondeat bis, Nolo, & tertiâ vice reſpondeat, Volo, quaſi in primis ipſo intentionem ſuam oſtendat, in tertia autem obediens voluntati alterius ſubjaceat. Si tamen Eccleſia intenderet, quòd Epiſcopi deſiderarent promotionem ſuam, non compelleret eos ad mentiendum bis publicè, dicendo quòd nolunt epiſcopari, cùm hoc ſummè deſiderent.*

p Joan. 12. 31.
q ex 2. Petr. 2. 19.
r Dion. Carth. a. 31. in Jo. 12. 31.
s Luc. 11. 14.
t Matth. 8. 31.
u D. Aug tract. 52. in Jo. 12. 31.
† 2. Reg. 15. 4.
x Toſtat. quæſt. 5. in 2. Reg. 15. 4.

Ambitio eſt vitium furioſum & crudele. Cùm mortuus fuiſſet Saul, mortem ejus nunciavit Davidi miles Amalecites, *Saul & Jonathas filius ejus interierunt, diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius* y ad eum ferendo. Quare miles iſte mentionem agit Jonathæ, cùm iniiſſent *David & Jonathas fœdus* z, ſeque mutuo amore proſequerentur? Ut quid non cogitat dolorem, quo afficiet Regem, cùm nunciabit ei mortem amici ipſius? Reſpondet Toſtatus a idem, *Quòd iſte juvenis deſiderabat obſequi David: putabat autem quòd deſideraret David Regnum, ideò credidit quòd non poterat magis placere David in aliquo, quam ſi ei nunciaret illa, per quæ ſignaretur opportunitas David ad regnandum.* Ratus quòd David gaviſurus eſſet de morte filii primogeniti Regis, ut quietiùs Regno potiretur. Et licèt Jonathas propter *ſalutem magnam* peractam *in Iſraël* b, valdè diligeretur à populo, hoc tamen nihili ducendum eſſe exiſtimavit iſte miles, quaſi peritus illius quod ajebat unus Cæſarum, *Si violandum jus eſt, regnandi causâ violandum eſt.* Unde videtis quomodo ambitio religionem ſervire faciat proprio commodo, & ſtatui politico; quòd infringat fœdera, & profanet id omne quod eſt ſacrum, ut ſua ad exitum perducat conſilia. Sic *Athalia mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen Regium: porrò Athalia regnavit ſuper terram* c.

y 2. Reg. 1. 2. &c.
z 1. Reg. 18. 3.
a Toſt. quæſt. 4. in 2. Reg. 1. 4.
b 1. Reg. 14. 45.
c 4. Reg. 11. 1.

Ambitioſus eſt diſſimulatus, nulla eſt in eo fides. Ipſe eſt Protheus, & chamæleon; omnes induit ac repræſentat perſonas, ut exequatur id quod ipſe intendit. Venator eſt, & piſcator, qui parum erogat ut multum rapiat. Idcircò D. Baſilius explicans hæc verba D. Pauli, *Charitas non eſt ambitioſa* d, ait, *Charitas ab habitu & forma non diſcedit* e. Quaſi diceret, ambitioſum hoc habere proprium, ut alienam formam induat. Et Oecumenius, *Charitas non acerbè reum agit illum qui ſibi inimicus eſt*. Ambitioſus *nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo* f. Nititur enim devincire ſibi eos, à quibus aliquid intendit ſuſcipere; poſteà verò illos contemnit, eiſque dominatur. Idcircò miratur D. Chryſoſtomus, quòd D. Paulus ita deprecetur, *Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati eſtis* g. Et ait, *Doctorum eſt virtus, non honorem, non gloriam quærere ab iis quibus imperant, ſed ipſorum*

d 1. Cor. 13. 5.
e D. Baſil. in Regul. Brevior. reg. 240. & Oecum. citat. à Corn. in 1. Cor. 13. 5.
f Eccl. 19. 23.
g Eph. 4. 1.

rum ſalutem, & pro iis omnia facere. Nam qui illud quærit, non fuerit doctor ſeu magiſter, ſed tyrannus. Non enim Deus propterea te iis præfecit, ut tu magis colaris & obſerveris, ſed ut tua quidem negligantur, quæ verò ſunt illorum omnia ædificentur h. Iſtud inſtruit nos quid agere debeamus, ſi mereri velimus gratiam Dei in hoc mundo, & gloriam ejus in altero.

h D. Chr. Hom. 11. in Eph. 4. 8.

FERIA V. POST DOMIN. II. QUADRAGESIMÆ.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendide, &c. Luc. 16. 19. &c.

TAntam præ ſe bonum vim fert ac poteſtatem alliciendorum ſibique devinciendorum cordium & validiſſimorum quorumcumque affectuum, ut omnes paſſiones ei morem gerant. Univerſa poſt illud currit natura: cœli, aſtra, elementa, maria, flumina, fontes, arbores, plantæ, lapides, bruta, & reliquæ creaturæ ſuas ei adorationes exhibent, & ad illud ſuſpirant, *Bonum eſt, quod omnia appetunt*, ut vulgò dicitur. Sed diverſæ ſunt viæ, per quas ad illud pervenitur. *Crœſus Rex Lydorum, omnium, quos memoria celebrat, ditiſſimus: unde etiam hodie, cùm immenſas opes ſignificare volumus, Crœſi divitias dicimus*, ut refert Calepinus a, *ſe omnium mortalium feliciſſimum* credebat, quærendo bonum in divitiis, in quibus multi imaginantur ſe poſſe illud invenire. Iſte Monarcha in illis ſuas omnes collocabat ſpes, dicens, Divitias poſſideo, affluunt undequaque mihi bona, nemo eſt qui me non exiſtimet beatum, ſed *monitus eſt à Solone, Neminem ante cineres beatum eſſe dicendum, quòd quoad vivimus, periculum ſit ne inſtabilis hujus mundi felicitas dolore aliquo contaminetur.* Alii bonum quærunt inter veſtium pompas, delicias corporis, convivia, & exceſſus oris & ventris, ut *dives* noſter, qui deceptus eſt æquè ac iſti & ille hallucinati ſunt turpiter; cùm hæc omnia bona apparentia fuerint noſtro diviti ut gradus, per quos deſcenderit in infernum, *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Verum bonum ſitum eſt in poſſeſſione gratiæ, quæ repleverat Mariam priuſquàm diceret ipſi Archangelus, *Ave Maria.*

a Calep. in Dict. V. Crœ.

Quod peregit aliàs Jacob in perſonis duorum liberorum Joſeph filii ſui, Ephraim & Manaſſe, dum *extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat, commutans manus* b: repræſentatur nobis in Evangelio noſtro in perſonis divitis & Lazari. Ille enim qui in vita ſua deliciis diffluebat, quaſi collocatus in dextera Dei, *mortuus, ſepultus eſt in inferno* tandem: & ſic Deus quaſi ſua complicando brachia, collocato illo ad lævam ſuam, conſtituit iſtum in dextera ſua, dum *factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Iſte modus procedendi Dei, Davidem ſtupore ciet, ſeu potiùs, iſte Propheta miratur abyſſum judiciorum Dei, & præ admiratione ad eum exclamat, *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum* c. Ambigere tamen poſſet aliquis quâ ratione Deus videatur *juſtus*, cùm malis proſperè ſuccedant omnia, Boni verò afflictionibus & infortuniis impetantur; & utrùm ſit in Deo providentia, *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo* d? intuendo ſtatum miſerandum amicorum ſuorum, & proſperitatem inimicorum ſuorum. Si enim ipſe utrumque impedire poteſt, ut quid illud non impedit? Si illud non poteſt, non eſt omnipotens; ſi illud poteſt, & non vult, hoc videtur detrahere juſtitiæ ejus, cui proprium eſt ut unicuique reddat id quod ſuum eſt. Deus videt mala, quibus affliguntur Boni, ea poteſt impedire, & tamen permittit ut illa eis accidant, quia juſtiſſimus eſt. Si autem ſcire velitis rationem, propter quam Deus ſinit ut Juſti affligantur, impiis verò omnia arrideant, obſervare debetis, quòd Juſtitia Divina nullum deſerit bonum quod ipſa non præmietur, ſicut nullum eſt malum quod congruo non plectat ipſa ſupplicio. Præterea, Nullus eſt peccator quantumcumque ſit profligatæ vitæ, qui mentem ſuam aliquando non elevet ad Deum, quique alicujus boni operis exercitio non vacet in vita ſua, quod Deus vult eſſe mercede donandum in iſto mundo, quandiu ipſemet Deus huic impio infligere tempore futuro in altero mundo pœnam reſervat criminibus ejus debitam. Deinde, Nemo eſt vitæ ſic illibatæ ut in aliquam culpam non impingat aliquando, *Septies enim cadet Juſtus* e. *Id eſt, ſæpè levibus peccatis, ſine quibus vita præſens non agitur*, ut exponit Hugo Cardinalis f. Iſtis delictis Juſtus igitur purgatur in hac vita, *In reliquo repoſita eſt corona juſtitiæ* g ei in altera vita.

b Gen. 48. 14.

c Pſ. 118. 137.

d Pſ. 72. 11.

e Prov. 24. 16.

f Hug. Card. in Prov. 24. 16.

g 2. ad Tim. 4. 8.

Sanè ſi poſt iſtam vitam nulla eſſet ſperanda beata, nec ulla metuenda infortunata, cùm omnia proſperè ſuccedant impiis, & fortuna ſine intermiſſione hilarem eis vultum exhibeat, aliquam haberemus anſam dicendi, *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo?* & de Divina Providentia dubitandi. Si autem in cœlum aſcendamus mente cum Pſalmiſta, & maturè perpendamus quàm conformiter ad æquitatem procedat Deus, dicemus eidem Deo æquè ac David, *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Sic cùm legimus de divite noſtro, quòd *induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide*: De Lazaro verò è contrà, quòd *jacebat ad januam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat*, dicere poſſemus, *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo?* Sed ſcientes quòd *dives ſepultus eſt in inferno*, quandiu *factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*, non poſſumus non agnoſcere hanc Divinam Juſtitiam, *Juſtus es Domine; & rectum judicium tuum.* Tragœdia inaudita: videre divitem epulonem deliciis æquè ac veſtium pompâ circumdatum, qui contemnat mendicum Lazarum ulcerum ſanie ſcatentem: ſed finis tragœdiæ in hoc eſt ſitus, quòd epulo projectus eſt in infernum, quandiu animam

rum Lazari detulerunt Angeli in gloriam. Hoc inducit me ad agendũ proceſſũ mali divitis, & ad repræſentandũ vobiscum Primò morientem Diviſio. in peccato, ſeparatum à Deo, & damnatũ ob malum uſum quẽ fecit divitiarũ ſuarum. Secundò, Oſtendã vobis, quòd cum peccatum nos ſeparet à Deo, convertendo nos ad creaturas per deſiderium divitiarum, Satanæ captivos nos efficiat.

1. Pars. Prima copia ſaccularis & inſtrumentaria proceſſus, eſt, *Homo quidam*. Non quòd iſtud peragat condemnationem epulonis noſtri: hoc enim repugnat bonitati Dei, *qui omnes homines* h 1. Tim. 2. 4. *vult ſalvos fieri* h, *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti* i, i 2. Petr. 3. 9. quidquid obganniant Hæretici noſtri temporis, dicentes, Deum homines in lucem edere, ut eorum ruinam machinetur: tamen condemnatio illius in eo manifeſtatur, quòd nuncupetur à Deo, *Homo quidam*. Detrahi videretur dignitati nobilis aut alicujus inſignis Viri, ſi vocaretur ab aliquo, *Homo quidam*. Deus autem iſto ſe gerit modo, & ab eo nuncupatur noſter epulo hoc nomine, quo appellat divites hujus mundi *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis* k. k Pſ. 48. 12. Suis potiantur Barones, Comites, Marchiones, & alii hujuſmodi Domini titulis, quantùmcumque voluerint, Deus illorum nullam peragit mentionem, *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*. Sed illum modum non obſervat erga pauperes & mendicos, quos proprio vocat nomine, ſicut hodie ab ipſo nominatur *Lazarus*. Et ſermonem ſuum ad Juſtos dirigens, ait ſingulis illis in perſona Moyſis, *Novi te ex nomine* l. l Exod. 33. 12. Impios verò alloquens, ait illis, *Nunquam novi vos*, m. m Matth. 7. 23.

Erat dives. Hæc eſt ſecunda copia ſaccularis & inſtrumentaria proceſſus illius, quæ non eſt criminalis: divitiæ enim, abſolutè loquendo, non ſunt malæ, nec reprobantur à Deo, quidquid dicere præſumpſerint Aliqui. Nemini nocere poſſunt divitiæ, niſi in pravum convertantur uſum; ſicut paupertas nobis erit inutilis, niſi eam ſuſtineamus æquanimiter, & eâdem intentione, præ qua Deus nos illâ ſinit affligi. Ideò Philoſophi antiqui, hujus mundi bona vocabant indifferentia: fatendum tamen eſt divitias non eſſe in æquilibrio conſtitutas: *Radix* n 1. Tim. 6. 10. *enim omnium malorum eſt, cupiditas* n *plus habendi quàm expedit*, ſubdit Dion. Carthuſ. o o Dion. Carth. a. 6. in 1. Tim. 6. 10. Et paulò pòſt ait, *Sunt enim qui non amarent ſuperflua, niſi per poſſeſſionem illorum putarent ſe excellentiores eſſe futuros. Et ſunt qui non amarent excellentiam, niſi per eam putarent ſe ditiores fieri poſſe. Amor autem privatus eſt radix omnium horum malorum, imò ſimpliciter univerſorum vitiorum*. Ideò repræſentabatur antiquitùs præ foribus domorum Hercules cum clavâ præ hâc inſcriptione, *Mala huc non ingrediantur*. Quem cùm aliquando intuitus fuiſſet aliquis Philoſophus repræſentatũ præ oſtio domus alicujus pauperis, dixit, quòd ſatius fuiſſet ibi repræſentatu paupertatẽ: licèt enim videatur cauſa multorũ malorũ, tamen admiſſa domũ, malũ ab ea pellit.

Non immeritò reverebantur Antiqui eundem Deum, qui præſideret ſimul divitiis & inferis, &, quod pejus eſt, dabant ei eandẽ clavẽ quoad divitias & quoad infernũ. Ab eis *dictus Pluton apò toũ plontou, hoc eſt à divitijs, eò quòd opes omnes ab inferis, hoc eſt, ex intimis terræ viſceribus eruantur*, ait Calep. p. p Calep. in Dict. V. Plut. Quaſi innuendo, nihil eſſe viciniùs inferno quàm divitias, cùm eæ in pravum impenduntur uſum (ſicut is abuſus eſt noſter divés, qui abuſus, eſt cauſa damnationis ejus) nec ulla ſit ciſta ſic obſerata, quã cupiditas divitiarũ immoderata non aperiat; ſive quòd edocere nos vellent illud, quod jam docuit nos Apoſtolus, nimirum, quòd divitiæ aditum panderent ad perpetranda quælibet vitia. Sic refertur, quòd cùm Romam per unã portam fuiſſet ingreſſa bonorũ affluentia, ex ea per alteram portam confeſtim virtus exiit. Sic præmemoratus Apoſtolus q loquens de immodicis divitiarum affectibus, ait, q 1. Tim. 6. 9. & 17. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*. Et paulò pòſt diſcipulum ſuum Timotheum hortatur, ut divites hoc edoceat modo, *Divitibus hujus ſeculi præcipe nõ ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum*. Non ait, *non ſperare* in divitiis, ſed, *in incerto divitiarum*. Eſt enim aliquid certi in divitiis, ſi diſtribuantur ut convenit pauperibus, theſaurizando *theſauros in cœlo* r. r Matth. 6. 20. Dicit, *in incerto*. Quia non decet avaros eſſe divites, habituros *hæredem poſt ſe, quem ignorant utrùm ſapiens aut ſtultus futurus ſit* s. s Eccle. 2. 18. & 19. Seu, quod pejus eſt, *Et relinquent alienis divitias ſuas; & ſepulchra eorum domus illorum in æternum* t. t Pſ. 48. 12.

Appoſitè divitiæ nuncupantur bona fortunæ: nihil enim eſt inconſtantius & mobilius divitiis. Ideò conſiſtunt illæ ordinariè in moneta, quæ eſt figuræ rotundæ, quæ eſt ſymbolum inconſtantiæ. Sic cùm emiſſet agrum ab Ephrone ad ſepeliendum ibi corpus uxoris ſuæ Saræ defunctæ *Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ* u. u Gen. 23. 16. & c. Ubi in Hebræo legitur, *Argenti tranſeuntis ad mercatorem, vel per mercatores*. Quod oſtendit divitiarum vanitatem; & induxit D. Chryſoſtomum x ad dicendum; x D. Chry. Hom. 48. in Gene. 23. 19. et Hebr. 11. 13. *Spe futurorum bonorum deſpiciebat præſentia: & expectatione majorum bonorum, minùs curabat ea quæ in præſenti viſa ſunt: atque hæc ante Legẽ, & ante Gratiam*. Obſervat autem Origenes, quòd homines priſcorum ſeculorum, qui virtutem colebant, & diutiùs vivebant quàm vivamus nos, monetâ utebantur vivâ pecorũ y, &c. y Gen. 30. 12. ſed quòd mundo ſeneſcẽtẽ, & hominib⁹ diſſolutiùs & non ità diu vivẽtibus, permiſit eis Deus ut in onerâ uterẽtur mortuâ in cummerciis ſuis, *Erat nãque hoc verè ut priores non tantùm in auro & argẽto ſibi theſaurizarent, quantùm in pecoribus & quadrupedibus. Non enim erant ita auri expetitores ſicut ſumus omnes nos, non intendebant poſt aurum & argentum illi tunc quantùm nos nunc intendimus* z. z Orig. lib. 1. in Iob.

Quis non ſtupebit ob monſtrificabilẽ divitiarũ fœcunditatẽ, quippe quæ pariant duo mõſtra, id eſt, duo vitia contraria, avaritiã in ſenibus, & prodigitatem in juvenibus? Cùm enim vitia ſeneſcere incipiunt unà cum ætate jam provectâ, videtur avaritia ſemper incipere in ſenibus; proprium eſt divitibus ut ſint avari, & ſine intermiſſione timeant ſi ita loqui liceat, ne terra ipſis deficiat; cùm è contrà juvenes ordinariè ſint Prodigi. Prodigitas noſtri divitis conſiſtebat Primò in veſtimentis, *Et induebatur purpurâ & byſſo*. Quod proprium eſt mulieribus. Ideò recenſentur Syracuſani prohibuiſſe ne uxores ſuæ veſtes deferrent auro & argento prædivites; ſi autem illæ fœminæ veſtimentis fuiſſent uſæ auro & argento ornatis, quaſi meretrices habebantur, Secundò, Hæc prodiga-

digenoſa ſita erat in conviviis, *Et epulabatur quotidie ſplendidè.* Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus a, *Hoc eſt, delicatè, crapuloſè, ſuperſtitè, pomposè · excedendo in ciborum & potuum multiplici varietate, exquiſitâ præparatione, ſumptuosâ ſeu pretioſâ conſumptione, atque in his aſſiduus fuit.*

a Dion. Carth. a. 30 in Luc. 16. 19.

Sed quoniam inveniuntur, qui comedentes cibos vetitos tempore Quadrageſimæ, dicunt, quòd jejunia & cibi macri adverſentur conſtitutioni ſuæ? Sed ſciant, quòd cùm Danieli & ſociis ejus Hebræis in domo Nabuchodonoſor darentur *legumina ad veſcendũ, & aqua ad bibendum, poſt dies decẽ apparuerunt vultus eorũ meliores & corpulentiores præ omnibus pueris qui veſcebãtur cibo Regio* b. Et D. Paulus aſſerebat ſe potentiſſimum, cùm maximè infirmabatur, *Cùm infirmor, tunc potens ſum* c. Caro noſtra eſt veluti echeneis ſeu remora, quæ navim ſiſtit explicatis velis vaſto commiſſam pelago. Quotnam inveniũtur, qui auditis côcionibus ſibi proponũt navigare in mari hujus ſeculi per pœnitentiã, vincere tentationes per abſtinentiam, ne eandẽ ſubire cogantur ſortem, quæ accidit diviti noſtro ob diſſolutiones ſuas? & ecce remora carnis ſiſtit eos in medio curſu bonorum conſiliorum ſuorum. Quotnam ſimiles ſunt Sardanapalo, quem, teſte Calepino d, *Suidas refert monumentum habuiſſe, cui hæc fuerint inſcripta* inter alia, *Tu autem ô hoſpes, ede, bibe, lude, cum quibus reliqua mortalium omnia non ſunt conferenda?* Quotnam merentur aſſimilari Xerxi Regi *Perſarum, qui cùm ſe otio, ſocordiaque, relictâ militiâ tradidiſſet, præmium, genus luxuriæ novum invenientibus propoſuit, ut ſcribit Valerius?* ait idem Calepinus e. Quotnam æquiparandi ſunt illis, de quibus loquitur Clemens Alexandrinus f? *Tales ſunt ij homines, qui in ventrem crediderunt.* Qui toti ſunt abdomen & gula, de quibus dicit D. Paulus g, *Quorum Deus venter eſt*, templum coquina, altare menſa, ſacerdotes culinarii, & ſacrificia cibi & fercula. Nunquam tot ſacrificata ſunt animalia vero Deo in templo Salomonis h, quot ſacrificantur hîc Baccho diſſolutionis deo. Propterea Ægyptii dicuntur comparaſſe ventrem mari: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat* i. Sic aër, aqua, & terra providere non poſſunt aves, piſces, & animalia, quæ inſatiabili hominum gulæ poſſint ſatisfacere. Sicut autem virtutes omnes adinvicem ſunt concatenatæ; ita dicendum eſt de vitiis, quorum primum eſt gula, è quo veluti ſequelâ inſeparabili procedit libido, quæ paſcitur in conviviis, fovetur in deliciis, caleſit in vino, & inflammatur in ebrietate, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*, ait D. Paulus k. Propterea Origenes l ſuper hoc quòd Lot evitatis flammis Sodomæ, incidit in flammas luxuriæ, ait, *Audite ebrietas quid agat, audite quantum facinoris concilset temulentia. Audite, & cavete vos, quibus iſtud malum non in crimine, ſed in uſu eſt, ebrietas decipit quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non uſſit.*

b Dan. 1. 12. & 15.
c 2. Cor. 12. 10.
d Calep. in Dict. V. Sard.
e Idem Ibid. V. Xerxes.
f Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 1.
g Phil. 3. 19.
h 3. Reg. 8. 63.
i Eccl. 1. 7.
k Eph. 5. 18.
l Orig. Hom. 5. in Gen. 19. 29. &c.

Inde ſequitur detractio: quando enim præciditur gladio caro, ſecatur cultro linguæ acutæ *ſicut ſerpentis* i, fama aliena. Idcircò antiquitùs priuſquam recumberetur, offerebatur ſacrificium linguarum. Quare igitur noſter epulo tantas perpetitur in lingua ſua pœnas ut exclamare cogatur, *Crucior in hac flamma?* Niſi quia Juſtitiæ Divinæ conſonum eſt ut per illud plectatur, per quod in ſcelus prorupit, juxta iſtud, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur* k. Poſt hauſta delicata vina præ exceſſu, denegatur ei vel unica aquæ gutta. Videtur David l iſtud prævidiſſe tormentum, cùm dixit, *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* Hoc calice repræſentatur ira Dei; & hoc vino mero ſignificatur communiter ab Interpretibus gloria Beatorum; mixtum autem exprimit gaudium Sanctorum qui ſunt in hac vita, aut in purgatorio, quia lætantur, ſed præ ſpe conſequendæ beatitudinis mixtâ tamen tribulatione. *Veruntamen fæx ejus non eſt exinanita.* Miſſo igitur vino mero, & mixto, dicamus cum Lorino m, quod *calix pro ira ac furore Dei uſurpatur: fæx autem ſit craſſitudo meri ſupplicij, extremaque omnium pœna ijs reſervata, qui aut maximè deliquerunt, aut à vitijs immutari noluerunt* n. Qualis eſt noſter epulo, qui fæcem bibit ideò totam, & cui renuitur aquæ gutta.

i Pſ. 139. 4.
k Sap. 11. 17.
l Pſ. 74. 9.
m Lorin. in Pſ. 74. 9.
n ex tex. 5. 3.

Inde procedebat cæcitas mentis, & beſtialitas. Ideircò Clem. Alexandr. o gulofos comparat aſino marino, qui cor habet in ventre, cùm alia animalia habeant ſuũ cor ſuper ventre, *Ut qui mentẽ in ventre infoderit, admodũ ſimilis piſci qui Græcè ónos, hoc eſt, aſinus dicitur: quem quidem dixit Ariſtoteles ſolum ex alijs animalibus habere cor in ventre.* Sic guloſi nullum habent cor, id eſt, nullam rationem ſuper ventre, ut abdomini imperent; ſed ſubter ventrem, aut *in ventre*, cum tota eorum ratio vino aut cibis ſit immerſa. Hoc patet in noſtro epulone, qui cùm haberet oculos ad videndum omne genus deliciarum, iis erat deſtitutus ne intueretur Lazarum fame pereuntem. Nullam prætexere poteſt excuſationem multitudine mendicorum; ille enim erat ſolus. Nec ignorantiam ſuam allegare: nam *mendicus Lazarus jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus.* Non petebat magna hic miſerandus homo, ſed ſolas micas, *Erat cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* Sed quid accidit? *Factum eſt autem ut moreretur mendicus.* Non immeritò refert Evangelium, quòd confeſtim ac denegata fuit eleemoſyna mendico Lazaro, mortem ille oppetiit; quod oſtendit nobis, divitem eſſe conſcium mortis ejus; cùm ille mortem cenſeatur inferre, qui renuit erogare alimenta in extrema neceſſitate conſtitutis, quæ eis ſubminiſtrare tenetur aut ex motivo juſtitiæ, aut ex principio charitatis, juxta iſtud commune proloquium, *Non paviſti, occidiſti.* Eo planè modo quo quis etiam interitum irrogat alicui, quem intuetur morientem, & à morte ſinit illum abſumi, à qua tamen poſſet eum liberare, eximendo illum è periculo, in quo videt eum conſtitutum, auxilio manus ſuæ.

o Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 1.

Induebatur purpurâ & byſſo. Hîc ſpecialiter ſita eſt præcipua copia ſaccularis & inſtrumentaria proceſſus divitis noſtri, quippe quæ ſit cauſa damnationis ejus, & efficiat ut moriens *in peccato* p obſtinationis, ſeparetur a Deo, & damnetur, *Sepultus eſt in inferno*, flammis purpureis inferorum cruciatus. Sicut enim purpura tingitur ſanguine piſcis, nomine Muricis, eſt enim, ait Calepinus q, *Murex piſcis marinus ex concharum genere, qui per excellentiam etiam Conchyliũ dicitur: &, Ex Muricis humore fit color, qui & ipſe Murex, ſive Conchyliũ dicitur:* ſic purpura abundãtiæ divitũ provenit ex extorſione

p Io. 8. 21.
q Calep. in Dict. V. Mur.

ſanguinis pauperum, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* r. Ubi obſervabitis, ſi placet, id quod referunt curioſi rerum naturalium Indagatores, nimirum quòd oporteat ut piſcis iſte unico interficiatur ictu, alioquin totum ſanguinem ſuum intra ſe trahit. *Dives induebatur purpurâ & byſſo, & ſepultus eſt in inferno.* Ecce mors ſubita hujus divitis *purpurâ* operti. *Mortuus eſt.* Ecce diſſolutio hujus animæ purpuratæ à corpore ſuo, unico momento ſublatæ, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt* s. En huis divitum & avarorum ſimilis muribus. Sicut enim mures generantur ex materiâ putridâ & corruptâ; ita iſti ex auro gignuntur & ex argento, quæ non ſunt niſi ſtercus, *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam* t. Mures in punitionem hominis, omnia rodunt: ſic divites opprimunt pauperes, viduas, & orphanos. Qualis laqueus infernus inſtructus fruſto laridi bonorum temporalium, ſicut laqueus murium, qui evadunt præda felis! Divites *ducunt in bonis dies ſuos.* Ecce incidunt in laridum. *Et in puncto* apprehenſi in flagranti delicto, *ad inferna deſcendunt* u. Unde nunquam exibunt, *Chaos magnum firmatum eſt*, ait Evangelium noſtrum. Ecce fiunt præda dæmonis. *Dives epulabatur quotidie.* Fruſto laridi os applicuerat. Sed cùm *ſepultus eſt in inferno*; laqueo captus eſt. Ille & alii imaginabantur divitiis ſuis & conviviis ſuis parare ſe ſibi ſtratum honoris, & ſe victuros in æterna hominũ memoriâ: ſed è contrà epulo erexit ſibi ſepulchrum in inferno, ſeparatus à Deo per peccatũ ſuum, miſerè damnatus, captivus Satanæ, inſtar bombycum intendentiũ erigere ſibi cubile, quandiu concludunt ſe in carcere, è quo non poſſunt ullo modo exire.

r Jer. 2, 34.
s Job 21, 13.
t Phil 3. 8
u Job, 2, 19.

Ex hoc infortunio mali divitis hanc eruo maximam infallibilẽ, quòd cùm peccatũ nos ſeparet à Deo (*Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* x) convertendo nos ad creaturas, & efficiendo ut divitias amemus, Satanæ nos captivos efficiat. *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra æternam legẽ,* ait D. Auguſtinus y. Propterea Theologi duo obſervant in peccato, averſionem à Deo, & converſionem ad creaturam, ſecundùm id quod ait Jeremias z, *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſa? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Has autem vocant formam & materiam peccati. Converſio ad creaturam eſt veluti materia, & averſio à Deo eſt quaſi forma. Et ſicut in peccato eſt duplex malum, ſic pœnam debet habere geminam; pœnam damni, & pœnam ſenſus. Pœna damni reſpondet averſioni à Deo. Pœna verò ſenſus conſonat converſioni ad creaturam. Hoc eſt peccatum quod mediis divitiis & deliciis mundi efficit ut contemnamus Deum, quò adhæreamus diabolo, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet* a. Quibus verbis addit D. Auguſtinus b, *Patietur enim durum & pernicioſum Dominum, quiſquis ſervit Mammonæ: ſuâ enim cupiditate implicatus ſubditur diabolo, & non eum diligit: quis enim eſt qui diligat diabolum? ſed tamen patitur* eum ut tyrannum. Quis enim exaggerare poſſet tyrannidem peccati, & dolorem peccatoris excæcati dulcedine oſtenſæ, quam caro vendat ei diabolus delicias ſuas pretio? *Servietis Diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem* c. Idem accidit peccatori, qui ſtatim ac dereliquit obſequium Dei, ut adhæreat creaturis, divitiis, voluptatibuſque ſenſuum, deditionem & tyrannidem ſubit Satanæ cujus jugum eſt intolerabile.

ll. Par.
x Iſai. 59. 2.
y D. Aug lib 22. cont. Fauſt c. 27.
z Jer. 8. 5. & 6.
a Matth. 6. 24.
b D. Aug lib. 2. ſerm. Dom. in monte c. 14.
c Jer 16, 13.

Refertur de Salamãdrâ à Calepino, quòd iſtud *animal venenatiſſimum ſit: nam ſi arbori irrepſerit, omnia poma veneno inficit, & eos qui ederent, interimit: idem facit, ſi in puteum cadat* d. *Homo eſt arbor inverſa*, ajunt Platonici. Radix hujus arboris eſt cor, nam *cor eſt primum vivens, & ultimum moriens*, ut dicunt Philoſophi, non autem caput: malignus autem ſpiritus ut altera Salamandra, tangens radicem cordis noſtri, aut cadens in puteum ejuſdem cordis, venenum diffundit in omnia quæ agimus: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ* e. Cor eſt radix, quò refertur omne vitiorum genus. Obſervate autem, quòd omnia peccata ſunt aut contra Deum, aut contra proximum, aut adversùs noſmetipſos. Seu, ut meliùs exprimatur, omne peccatum ſitum eſt in cogitationibus, in verbis, & in operibus. Cogitationes ſunt contra Deum, verba officiunt proximo, & opera adverſantur nobis; ſed omnia generaliter è corde emanant, *De corde exeunt cogitationes*, &c. Sed quare dicitur, *exeunt*? Ut oſtendatur quòd à nobis *exeunt cogitationes malæ.* Bonæ verò à Deo; *Aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet* f. Spernimus ſacras, quas nobis Deus inſpirat, motiones; & adhæremus pravis, quas ſuggerit malitioſè nobis diabolus, inſpirationibus. Hinc querebatur Deus aliàs per Jeremiam g, *Uſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Quaſi diceret, Quandiu agnoſcens ut dominum veſtrũ eum qui tenet vos captivos & catenis conſtrictos? Quandiu pravis cogitationibus copiam dabitis ut in veſtris cordibus inhabitent, *tanquã mali hoſpites omnia furantes & vaſtantes?* ait Hugo Cardinalis. Qui ſubdit, *Inſanus eſſet qui talem hoſpitem libenter vellet morari in ſuo hoſpitio* h. *Perverſæ enim cogitationes ſeparant à Deo* i. Quandiu fovebitis in corde veſtro cogitationẽ malam, ita ut mutetur in vitium quod pariat vobis mortem? *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* k. Terra nos conſuluit, peccatum eſt inſtar vermis qui lignum rodit donec illud in terram dejecerit, id eſt, peccatum rodit cor noſtrum quoadusque illud in humum proſtraverit, hoc eſt, ruinam illius machinatum fuerit & damnationem.

d Calep. in Dict. V Sala.
e Matth. 15. 19.
f Matth. 6. 24.
g Jer 4, 14.
h Hug. Card.
i Iſa. 1. 16.
k Ezech. 18. 4. & 20.

Re autem verâ *cogitationes malæ* inducunt nos ad ambitionem, & voluntatem excitant ad inquiſitionem immodicam bonorum temporalium, & divitiarum, quæ ſunt omnium noſtrorum infortuniorum cauſa, *Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ* l. *Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen: nam lucrum Punicè Mammon dicitur. Sed qui ſervit Mammonæ, illi utique ſervit, qui rebus iſtis terrenis merito ſuæ perverſitatis præpoſitus, Magiſtratus hujus ſeculi m dicitur,* ait D. Auguſtinus n. Verum quidem eſt, quòd divitiæ non impediunt ne ſerviamus Deo, cùm ſint indifferentes, ut ſuprà dixi, iiſque uti poſſimus ad bonum, vel ad malum.

l Matth. 6. 24.
m ex Jo. 12. 31.
n D Aug lib. 2. de ſerm. Dom in monte c. 14.

Nam *Abram erat dives valdè in poſſeſſione auri & argenti: ſed & Lot qui erat cum Abram fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula* o.
o Gen. 13. 1 &c.
Et Job erat vir magnus inter omnes Orientales p.
p Job. 1. 1. &c.
Tamen ipſi fuerunt magni ſervi Dei, nedum mancipia ſuarum forent divitiarum, ſicut earum captivi ſunt avari, qui eis obediunt, ne ſuos illis imperent. Iſtud autem edocet nos ne noſtros alligemus affectus divitiis, ne immoderatè de illarum gaudeamus poſſeſſione, & ne inuſitato affi ciamur dolore ob earum jacturam. Invenio autem ego iſtud vulgare effatum eſſe reprehenſibile, Talis eſt dives, quia multas habet divitias, & numeroſam pecuniam; & iſtam propoſitionem non niſi vix verificari poſſe. Nam dives iſte aut avarus eſt, vel prodigus. Si avarus eſt, eas non poſſidet, illarum enim non eſt Dominus. Si prodigus eſt, aut liberalis, illas diu non conſervabit. Unde videtis divitem non poſſidere divitias, ſed poſſideri à divitiis, & eripi illi ab iis aliquo modo libertatem.

Ideò dico vobis; Ne ſolicitì ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini q.
q Matth. 6. 25. &c.
Non prohibet nobis Deus curam rerum temporanearum moderatam, ſed ſuperfluam & anxiam. Oportet quidem ut labori incumbamus; ſed expedit etiam ut abjiciamus nimiam ſolicitudinem, quæ impedit ne ſerviamus Deo, ut mancipet nos diabolo. Veritas autem eſt infallibilis, quòd ſi in Divinam ejus providentiam projiciamus totam fiduciam noſtram, nihil unquam ſit nobis defuturum: cùm enim nobis Deus corpus præbuerit & animam, profectò providebit nobis neceſſaria: quia ſi liberaliter & gratis largitus eſt nobis corpus & animam, quæ abſque comparatione plus ſunt quàm ſint eſca & potus, ſanè non denegabit nobis iſta. *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Atqui ſi Deus neceſſaria providet omnibus creaturis, quæ productæ non ſunt niſi propter obſequium hominis †;
† Gen 1. 28.
ut quid neceſſaria non providebit eidem homini creato ad poſſidendum ipſum in gloria? *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* r.
r Gen 9. 6

Iſtud eſt quòd nobis innuere voluit David, dum dixit, *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum* s.
s Pſ. 146. 9.
Super quod Incognitus t ait,
t Incogn. in Pſ. 146. 9.
Hic oſtendit, quòd omnibus animantibus Deus alimenta præbet. Ubi nota, quòd jumenta dicuntur quaſi juvamenta, ut ſunt equi, boves, aſini, cameli, & hujuſmodi: quibus juvatur homo, vel in vecturis, vel in agriculturis, & hujuſmodi. Et hic per jumenta intellige omnes beſtias terræ, quæ paſcuntur ex iis, quæ in terra naſcuntur: Per pullos autem corvorum intellige omnia genera avium. Corvi pullis editis, prius eſcas non præbent, nec eos cibant, donec in eis pennæ creſcant: & per pennarum nigredinem ſimilitudinem proprii coloris, ipſos ſuos filios agnoſcant. Interim autem antequàm pennas nigras habeant, pulli corvorum ſtant ore aperto, & rore cœli paſcuntur, & ſic ſingulariter pullis corvorum Deus eſcam miniſtrat. Quod ſanè Divinam in omnes creaturas oſtendit Providentiam.

Quid dicetis ad hæc quicumque ſitis vos, qui tantam impenditis curam ad coacervanda temporalia, qui ſolam intuemini terram, qui ſemper inhiatis divitiis, & nullum peragitis opus bonum? Onus veſtris imponitis humeris, quod profectò portare non poteritis. Sed auſcultate, ſi placet, id quod narratur ad hoc propoſitum. Saladinus, magnus ille Monarcha, qui tot victoriis fuerat pernoctus, & tot triumphis relatis de hoſtibus ſuis inſignitus, tantiſque theſauris ditatus, morbo decumbens lethifero, & capulo jam vicinus, præcepit alicui è Ducibus ſuis ut ſumeret lanceam, & deferens linteum, in quo ſepeliendus ipſe erat, alligatum extremæ illi lanceæ in modum vexilli, mediam pertranſiret civitatem, contentâ voce inclamans, Quòd magnus Saladinus ex ingentibus divitiis & theſauris ſuis illud ſolum ſecum delaturus eſſet linteum. Quale exemplum Monarchæ barbari dignum imitationibus Chriſtianorum, qui inde edoceri debent collocare omnes ſpes ſuas in Deo, non ipſo mortis articulo, ſed ipſis vitæ ſuæ primis annis, abrenunciando omnibus affectibus & deſideriis immodicis conſequendarum divitiarum temporalium, quas deferere coguntur, ſcientes quòd *homo cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus* u.
u Pſ. 48. 18.
Et quòd ipſi è ſuis divitiis unicum ſint delaturi linteum, cùm ipſimet efferentur; & illud pœnitere, ſic fuiſſe divites ut miſeri morerentur, inſtar noſtri divitis.

Veſtras adoratis vos divitias, nedum Deo veſtras exhibeatis reverentias ſupremas: theſauros veſtros ut idola colitis; & onus deferri intolerandum peccati, ſed ita grave ut illud cœlum x, & *terra* y ſuſtinere non potuerint.
x Iſa. 14. 13. &c.
y Num. 16. 31. &c.
Sanè digni eſtis quibus compatiantur homines, intuitu laboris & faſtidii quibus afficimini ut avaritiæ ſerviatis, agitati interea curis, & deſideriis immodicis peragrandarum regionum exteraru, enavigandorum marium, & exponendorum veſtri ipſorum tot periculis, ut conſequamini id quod intenditis. Sed dicite mihi, quæſo, quàm caro conſtat vobis pretio amor profanus, cum ſervitis voluptati & deliciis ſenſuum? Innumeros parit vobis dolores, & poſtquàm vobis bonâ conſtitor veſtrâ famâ, divitiis veſtris, & animæ veſtræ ſalute, ut plurimùm vitam vobis abripit: iſtud enim vitium univerſa diſperdit, *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans* z.
z Job 31. 12.
Nec aliquid eſt in homine, quod ipſum omnino non profliget. Ille autem qui ſervit iræ & vindictæ, nunquid non faciet *planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum* a?
a Mich. 1. 8.
Heu? quibus commotionibus ipſe ciebitur, quibuſnam concutietur timoribus, cùm cogitabit ſumere ultionem de injuria ſibi irrogatâ, veritus ne ſi inimicum ſuum ad ſingulare certamen provocet, ab eo victus, jacturam animæ æquè ac corporis patiatur ipſemet?

Perpendite ſedulò quamnam impendant vobis mundus & divitiæ mercedem ſub veſtrorum finem dierum; & nihil invenietis niſi dolores, dum pœnitebit vos obſequio illorum mancipaſſe voſmetipſos. Job b eſt admirabilis,
b Job 21. 13.
dum loquens de illis qui omnes ſpes ſuas collocaverunt in divitiis, deliciis ſenſuum, & aliis hujuſmodi, ait, quòd illis nullum erit cœlum, aut purgatorium, ſed ſolus infernus pro ſtipendio. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Ut ibi crucientur in æternum cum

noſtro

noſtro divite, *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Avare, qui adoras divitias tuas, poſtquàm mortem oppetieris, ubi erit domicilium tuum? *In inferno.* Guloſe, cujus *Deus venter eſt* c, cum tuis ſenſibus ſatisfeceris mediis exceſſibus & diſſolutionibus, & omnes affectus tuos pravos ſatiaveris, ubi erit habitatio tua? *In inferno.* Superbe, qui pretioſis indueris veſtimentis ultrà quàm conditionis tuæ ſtatus pati poſſit, quid tibi reſervatur in altera vita. Cum divite qui *induebatur purpurâ & byſſo, in inferno, in flamma* purpureâ cruciaberis. Cogitemus ſeriò, Auditores, ea quæ poſſint nobis accidere, in noſmetipſos ingrediamur, diſcutiamus conſcientias noſtras, diſſolvamus affectus noſtros à creaturis, ut alligemus eos Deo, quò poſſimus tandem gloriam ejus poſſidere.

c Phil. 3. 19.

FERIA VI. POST DOMIN. II. QUADRAGESIMÆ.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt. Matth. 21. 32. &c.

INgratitudinem tanto proſequitur Deus odio, ut omnia media inquirat poſſibilia producendi in nobis horrorem illius. Idcircò proponit nobis parabolam vineæ intuitu ingratitudinis agricolarum, ut oſtendat nobis, quàm damnoſum ſit iſtud vitium. Innumeris devinxerat ſibi beneficiis Judæos, eis ut *populo electo* a ſuo plantans vitem Synagogæ, quam colendam præbuit Sacerdotibus eorum, Prophetis, & plurimis eximiis Viris: ſed illi, nedum ea agnoſcerent beneficia, & pro illis ipſi reciprocas gratiarum actiones rependerent, ſolas retulerunt ipſi ingratitudines: mortem tandem inferentes Filio ipſius, quem ipſe ad eos edocendos miſerat. Sed non eſt diffitendum nos eſſe magis ingratos quàm fuerint illi ingratitudinis labe infecti adversùs Deum, quia cùm deinceps plantaverit nobis *vineam* Eccleſiæ, irrigaverit eam *pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati* b Filii ſui; Apoſtolorum c, & Martyrum d cruore; eamque doctrinâ illorum extenderit & amplificaverit, nos hæc beneficia parvipendimus incomparabilia, reddentes ei crimina pro gratiis quibus nos cumulavit, & quibus ubertim replevit Mariam, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

a Iſai. 23. 20.
b 1. Petr. 1. 19.
c Act. 12. 2.
d Act. 7. 59. & Heb. 11. 33. &c.

Edocent nos Hiſtoriæ profanæ, æquè ac ſacræ, plurimos homines eductos fuiſſe ab aratro, ut ſuper thronos aſcenderent, deſerentes regimen boum, ut ſuſciperent habenas moderandorum hominum aliorum. Quænam proportio, ſi placet, inter hos duos terminos ſic differentes, quales ſunt aratrum & imperium? Videamus hanc veritatem manifeſtam in duobus primis mundi Regibus, qui duobus iſtis perfuncti ſunt muniis. Primus fuit Adam, qui talis inſtitutus eſt in conclavi SS. Trinitatis, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* e. Et ſceptrum ſuſcepit, cùm *formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad* f ipſum: & corona capiti ejus impoſita eſt, & claves totius mundi illi traditæ ſunt, cùm dictum fuit illi, ſicut & conjugi ejus, *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram* g. Sed ecce confeſtim ſimul cum hoc honore Regio mandatum ſuſcepit de colendâ terrâ, *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, ut operaretur illum* h. Secundus fuit Noë, qui, poſtquàm *univerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt: remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca* i, creatus eſt Rex totius mundi, inſtar alterius Adæ, cùm *benedixit Deus Noë & filiis ejus: & dixit ad eos, Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum univerſis quæ moventur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt* k. Sed cum diademate ſimul ſuſcepit aratrum, & præceptum colendæ terræ, *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.*

e Gen. 1. 26.
f Gen. 2. 19.
g Gen. 1. 28.
h Gen. 2. 15.
i Gen. 7. 22. & 23.
k Gen. 9. 1. &c.

Quid ergo mirum ſi Evangelium noſtrum meminit Regni florentiſſimi, id eſt, Eccleſiæ Catholicæ ſub parabolâ vineæ, in qua intuemur ſepes, torcularia, turres, & agricolas, nedum in ea eſſe deberent ſceptra, coronæ, purpuræ, & throni? Non ſine myſterio Textus noſter proponit nobis in vinea noſtra parabolica iſta quatuor, *ſepem, torcular, turrim, & agricolas.* Vinea iſta eſt, ut modò dixi, Eccleſia ſancta, quæ ait de ſe ore Sponſi ſui, *Vinea mea electa, ego te plantavi* l. Ipſa redempta eſt & lota ſuis *à peccatis in Sanguine* m ejuſdem Sponſi ſui: irrigata gratiis ejus, & accenſa igne Divini Amoris ejus, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* n. Et culta Sacramentis, quæ ipſe inſtituit o tanquam canales, per quos ad ipſam ſua merita effunderet, & ſua ipſi communicaret chariſmata p.

l Eccleſ. ex Jer. 2. 21.
m Apoc. 1. 5.
n Rom. 5. 5.
o 1. Cor. 10. 24. & 25. & Joan. 20. 22. & 23.
p Joan. 3. 34.

Vinea nihil eſt aliud niſi coacervatio ſarmentorum aut palmitum: Eccleſia verò non eſt niſi congregatio omnium fidelium ſub uno Capite cujus illa ſunt membra, *Ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* q. Secundùm Platonicos, *Homo eſt arbor inverſa,* radices habens ſurſum, & truncum deorſum: ſed præcipuè homo fidelis eſt ſarmentum hujus magnæ vineæ quæ eſt Jeſus Chriſtus, qui ait de ſe, *Ego ſum vitis: vos palmites* r. Super quæ ait Dionyſius Carthuſianus s, *Chriſtus ſe dicit vitem per ſimilitudinem propter multa. Primò, Quoniam ſicut vitis habet ramos ſeu palmites multos: ſic Chriſtus cùm ſit Caput Eccleſiæ, habet membra quamplurima, putà fideles, quorum collectio eſt myſticum corpus. Secundò, Quoniam ſicut vitis eſt arbor optimos fructus producens: ſic Chriſtus merito ſuæ converſationis & paſſionis, copioſiſſimum protulit fructum, innumerabiles ſalvans & convertens ad Deum. Tertiò, Quoniam ſicut lignum vitis eſt deſpectum, & tamen perutile: ſic Chriſtus deſpectus t fuit, cùm eſſet omnium ſalus. Et non ſolùm Chriſtus, ſed & ipſa Eccleſia dicitur vinea, cùm ſit fœcunda in bonis,*

q Eph. 1. 22. & 23.
r Joan. 15. 5.
s Dion. Carth. a. 37 in Joan. 15.
t ex Iſa. 53. 3.

nus, & multos continens filios : eſtque boni odoris atque ſaporis, laudabilem famam habendo, & Divina guſtando, ac filios ſuos ſpiritualibus u ex Iſai. 5. 7. *poculis reficiendo. Unde Iſaias* u *dicit de Synagogâ, Vinea Domini Sabaoth domus Iſraël eſt, & vir Juda germen delectabile ejus.* Hanc autem vineam Divſio. Primò explicare vobis volo cum ſepe ipſius, torculari, & turri. Secundò, Quia, †D.Hier. lib. 3. in Matth 21 33. juxta D. Hieronymum †, paterfamilias ideò receſſit à vineâ, ut agricolis relinqueret libertatem laborandi, oſtendam vobis mercedem, quam Deus noſtro impendit labori. Tertiò, Videbimus deſidiam illorum, qui laborare nolunt.

I. Pars. Obſervant agriculturæ Periti, quòd oporteat ut priùs ſarmenta fodiantur in terram, & deinde transferantur in aliquam terram fertilem & præparatam, ibiquè plantentur, ut bonum ferre poſſint fructum, & reſpondere ſpei domini æquè ac coloni. Hanc eandem obſervavit Deus methodum. Primò enim fodit in terram, antiquam Judæorum Synagogam per captivitatem x Exod. 3 10, &c. Ægyptiacam x. Secundò, Tranſtulit eam in promiſſionis *terram, & tradidit eam in poſſeſſionem* y Joſue 14. 15. *filiis Iſraël ſecundùm partes & Tribus ſuas* y. Et illam plantavit in eâ terrâ ; priùſque ex eâ evulſit ſpinas & tribulos, id eſt, tot nationes barbaras & populo ſuo infenſas, *Vineam de Ægypto tranſtuliſti : ejeciſti Gentes, & planz Pſ. 79. 9 &c. taſti eam* z, &c. Sed iſtud meliùs peregit in Eccleſiâ Chriſtianâ, quam fodit in Synagogam ſicut in terram, ut fructum in corticem ſuum, velut corpus in umbram ſuam, & non ſecus ac veritatem in figuram ſuam : *Hæc autem omnia in* a 1. Cor. 10 11. *figurâ contingebant illis* a. Eradicatio ſpinarum & tribulorum in hoc eſt ſita, quòd Chriſtus dicit omnibus fidelibus, qui ſunt palmites hujus vineæ; *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet,* b Luc. 14 33. *non poteſt meus eſſe diſcipulus* b.

c Ezech. 19. 2 &c. Huc intendebat Ezechiel c, cùm deſcripſit nobis vineam quandam inſtar leænæ, quæ per totum ſe orbem diffuderit, & ſarmenta ejus ſic fuerint valida, ut concinnandis ſceptris fuerint accommoda, ſicut & baculis paſtoralibus. *Quare mater tua leæna inter leones cubavit? Mater tua quaſi vinea in ſanguine tuo ſuper aquam plantata eſt: fructus ejus & frondes ejus creverunt ex aquis multis. Et factæ ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra dominantium, & exaltata eſt ſtatura ejus inter frondes : & vidit altitudinem ſuam in altitudine palmitum ſuorum.* Quænam eſt iſta vinea, niſi Eccleſia Romana? Roma enim inſtar leænæ crudelis excitavit perſecutiones adversùs fideles hujus Eccleſiæ interventu Tyrannorum ſuorum, Neronis, & aliorum hujuſmodi inferni titionum : ſed non obſtante rabie omnium iſtorum perſecutorum nominis Sponſi ipſios, diffuſa eſt ipſa per omnes orbis oras, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ* d Pſ. 18. 5. *verba eorum* d. Et, *Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus* e. e Pſ. 79. 12. Hujus tandem ſarmenta mutata ſunt in baculos paſtorales ad expellendos lupos, qui iſtam vineam vaſtare intendebant : & *in ſceptra dominantium*, cùm Principes & Reges ſua jugo ejus ſubmiſerunt humiliter colla. *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini, Sion Sancti* f Iſai. 60. 14. *Iſraël* f.

Si autem Ezechielis *vinea aquis multis* irrigata, ita crevit; quomodo non crevit in Chriſto Eccleſia, irrigata quatuor fluviis quatuor Evangeliſtarum? Synagoga non fuit vera vinea, quia non habebat Chriſtum, cujus nos ſumus palmites : ideò Synagoga non habens illud g Epheſ. 1 22. *Caput* g, erat tantùm, *quaſi vinea*. Eccleſia Chriſtiana eſt ergo vera vinea, ſecundùm quod h D. Aug. tract. 80. in Joann. 15. 1. dicit D. Auguſtinus h de Chriſto, *Cùm dicit, Ego ſum vitis vera, ab illâ ſe utique diſcernit, cui dicitur, Quomodo converſa es in amaritudinem vitis aliena* i? *Nam quo pacto eſt vitis vera,* i ex Jer. 2 21. *quæ expectata eſt ut faceret uvam, fecit autem ſpinas* k? Palmes vitis eſt debilis & tortuoſus: k ex Iſai. 5 4. Videte quomodo Chriſtus, qui eſt *Caput ſupra omnem Eccleſiam*, eſt infirmus & ſinuoſus, *Ego ſum vermis, & non homo* l. Jeſus Chriſtus eſt l Pſ. 21 7. *vermis, & non homo*, quia generatur à Sole Divinitatis ſine ullâ mixtione corporeâ in ſinu B. Virginis; *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* m. Et, *Terra noſtra dabit fructum* m Matth. 1. 20. *ſuum* n. Chriſtus eſt *vermis* contritus pedibus, n Pſ. 84. 13. infirmus in carne quæ *cœpit pavere & tædere* o in o Marc. 14. 33. horto, & queri in cruce, *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti* p? Alii palmites p Pſ. 21 2 fuerunt tortuoſi, ut Apoſtoli in perſecutionibus, *Abſque Synagogis facient vos* q. Homines q Jo. 16. 2. infirmi, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis : ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* r. Et, *Omnia poſſum in eo qui me* r 2. Cor. 3 5. *confortat* s. s Philipp. 4. 13.

Folia hujus vitis ſunt ceremoniæ. Sicut enim ſuis tuetur vinea foliis ad retundendum impetum grandinis, quæ fructum ipſius vaſtaret : ſic vinea Eccleſiæ tuetur ſe mediis his ceremoniis religionis, aut cultus Divini, ut repellat damna, quæ ipſi inferri poſſent à diabolo, qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* t. Poſt t 1. Petr. 5. 8. explicata ſua folia, vinea floret : iſti flores ſunt opera odorifera virtutum, *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum* u. Et, *Chriſti bonus odor ſu-* u Cant. 2. 13. *mus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt* x. Sicut autem cùm vinea floret, ſerpen- x 2. Cor. 2. 15. tes, quibus inſenſus eſt hic odor, in eam non audent ingredi : ſic Hæretici, qui ſunt ſerpentes veri & callidi, procul amandantur à vineâ Eccleſiæ interventu virtutum odoriferarum fidelium; nec unquam intrant in eam, niſi cùm folia cadunt ex iſtâ vineâ, id eſt, cùm abuſus labi incipiunt inter fideles, *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit Zizania* y. Vinea debet putari, quod non eſt a- y Matth. 13. 25. liud niſi perſecutiones, quas pertulit Eccleſia, & quæ ipſam florere fecerunt; cùm incepetit decreſcere in floribus & in fructibus ſuis tempore Conſtantini Magni, quo perſecutiones ceſſare cœperunt; cùm uſque ad illud tempus creviſſet Eccleſia, & magna comparaſſet ſibi merita, martyriis coronata frequentiſſimis; ſicut aliàs prima vinea Synagogæ quò magis putabatur oppreſſione Iſraëlitarum ab Ægyptiis, eò majora ſuſcipiebat incrementa, admirantibus iiſdem Ægyptiis; *Quantòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant* z. z Exod. 1. 12.

Deus dedit, ſeu potiùs permiſit quatuor genera inimicorum hujus vineæ, Tyrannos, Hæreticos, Dæmones, & falſos fratres : ſed tamen illam non deſeruit; nam munivit eam quatuor generibus ſepium. Prima ſepes ſunt Angeli. Secunda Animæ Religioſæ, aliæve amicæ Dei. Tertia Deus ipſe. Quarta Scriptura cum Traditionibus. De quatuor, iſtis loquebatur inimicis aut perſecuto- a Pſ. 90. 5. & 6. ribus Pſalmiſta a. De Tyrannis, *A timore nocturno.*

Diurno. De Dæmonibus, *Ab incurſu & dæmonio meridiano.* De Hæreticis, *A ſagittâ volante in die.* Tandem de falſis fratribus, *A negotio perambulante in tenebris.* Contra primos habemus ſepem Angelorum, *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis* b. Et, *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi* c. D. Auguſtinus d hæc verba Pſalmiſtæ, *Montes in circuitu ejus*, explicat de cuſtodiâ Angelorum. Servus Eliſei vidit hanc ſepem circum Dominum ſuum, & audivit, *Plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis* e. Et de hâc ſepe loquitur D. Chryſoſtomus f, *Confeſtim videt Angelorum exercitus puer, & quadrigam igneam ſtantem ante Eliſeum. Pueri oculi aperiuntur, & nefandi exercitus excæcantur.* Angeli cuſtodiunt vineam Domini, impedientes ne in eam irruant adverſarii. Secunda ſepes ſunt Animæ Religioſæ, & amicæ Dei; ſepes ſic valida ut *ſi inventi decem* fuiſſent homines juſti Sodomæ, *non delevitſſet* Deus eam *propter decem* g ſolos homines juſtos, qui iram ipſius mitigaſſent. Eccleſiam vocat aliquando Scriptura ventrem, quia ipſa nos concepit, & genuit ſpiritualiter; aſſeritque, hunc ventrem circumdatum eſſe ſepe liliorum, *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis* h. Aliàs repræſentat nobis eam per *lectulum Salomonis*, quem *ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos* i. Per iſtas duas ſepes Eccleſiæ, unam liliorum, alteram verò hominum fortium, figurantur nobis duo genera Religioſorum. Quorum alii dediti ſunt contemplationi, clauſi infrà, & aperti ſuprà more liliorum, quærentes Deum, & influentias ejus; obliviſcentes ſeculi, in quibus invenitur aurum veræ charitatis. Per alios qui ſunt quaſi *ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſraël*, intelligimus actionem & contemplationem, quia iſti non ſolùm ſtudent uniri Deo, ſed etiam conantur ei unire alios, *omnes tenentes* præ manibus, ſicut præ ore *gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei* k. Id eſt, actionem præ ſe ferentes verbis ſuis conformem. *Uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Quod monet Concionatores, ut ſemetipſos probent inſtar D. Pauli, qui dicebat, *Ne cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar* l. Tertia ſepes contra tertios inimicos, qui ſunt diaboli, eſt Deus ipſe. Id benè agnoſcebat Satan, *Nonne tu vallaſti eum, ac domum ejus, univerſamque ſubſtantiam per circuitum* m? Et David, *Dominus in circuitu populi ſui* n. Et Deus ipſe teſtatur, *Ego ero ei murus ignis in circuitu* o, ad illuminandam Eccleſiam, & ad detegendos medias inter noctis tenebras latrones, id eſt, malignos ſpiritus, qui tempus captant ad vaſtandam hanc vineam. Tandem, Quarta ſepes eſt Scriptura ſacra; cui non ſufficienter junguntur Traditiones, quæ opponantur incurſionibus falſorum fratrum, & vaſtitatibus quas in iſtam inferre poſſent vineam hujuſmodi falſi fratres.

Torcular in hâc vineâ erectum explicare poſſumus de Cruce; ſed meliùs intelligemus illud de altari, ſuper quo offertur ſacroſanctum Sacrificium Miſſæ & redemptionis noſtræ, de quo loquitur D. Paulus p, *Habemus altare: de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſerviunt.* Ex iſto torculari fluxit vinum pretioſi Sanguinis Chriſti, quod preſſum eſt inter duas tabulas duarum ſpecierum panis & vini in conſecratione q. In nobis eſt hoc colligere vinum, quod in noſtras fluit animas, juxta deſiderium quod manifeſtat Dei Filius nobis illius communicandi, *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis* r. Si autem in potionibus quæ propinantur infirmis, ponuntur pharmaca venenata; ſed mixta induſtriâ pharmacopolæ, efficiuntur ſalutaria, ut theriaca; ſic licèt *vinum* s ut plurimùm ſit multorum cauſa malorum; Hîc tamen innumera affert bona *Frumentum electorum, & Vinum germinans virgines* t.

Turris erecta in iſtâ vineâ eſt poteſtas Eccleſiaſtica; quæ alibi repræſentatur per *luminare majus.* Sicut temporalis poteſtas per *luminare minus* u. Vel eſt cathedra, in quâ Concionatores prædicant velut ſuper ſpeculâ, ut detegant inimicos fidelium; *Ubera mea ſicut turris* x. Idcircò D. Paulus y dicebat Corinthiis, *Ego tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Hi Prædicatores ſimiles eſſe debent nutrici, non gallinæ. Nutrix ſumit quod eſt optimum, ad nutriendum alumnum ſuum; gallina verò inventum aliquid non comedit, ſed illud ſuis offert pullis, quamdiu ipſa fame perit: ſic Concionatores debent ſe priùs alere, more nutricum, cibis doctrinæ, ut iis poſteà alant fideles; conſtituti ſunt in cathedrâ ſicut ſuper ſpeculâ aut turri, monere debent fideles appropinquationum hoſtium, alioquin ſi fideles pictoram incurrant hujuſmodi ſpeculatorum incuriâ, eorumdem fidelium perditorum *ſanguinem de manu* z telum Prædicatorum negligentium requiret Deus.

Hinc ſenſim ſine ſenſu tranſeo in ſecundam meam partem, ut oſtendam vobis juxta promiſſum meum, quòd *Paterfamilias*, per quem repræſentatur nobis Deus, recedens à vineâ, id ob eum peregit finem, juxta ſententiam D. Hieronymi, ut relinqueret agricolis libertatem laborandi, & conſequenter mercedem eis impenderet conformem labori illorum. Ubi obſervabitis, ſi placet, myſterium ſub iſtâ parabolâ abſconditum. Iſte *Paterfamilias* paratus eſt ad impendendam *mercedem* a his agricolis, ſuppoſito quod velint laborare, & labore ſuo præmium conſequi operæ ſuæ adæquatum: quod clarè oſtendit laborandum eſſe in hâc vineâ bonis noſtris operibus, ſi velimus ut præmium gloriæ ſuæ nobis tribuat æternum.

Non me latet, quòd hæretici noſtri pertinaciter aſſerunt, quòd illud ſit detrahere & injuriam irrogare meritis Filii Dei, minuere fructum paſſionis ejus, & reddere gratiam inutilem; cùm D. Paulus b dicat, *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Et quòd *gratia Dei, vita æterna.* Secundò, Quòd opera noſtra ſint nimis vilia, ut mereantur tantum pretium, non autem ut faciant debitorem Deum, qui nihil agit ex obligatione, ſed ex purâ miſericordiâ. *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* c.

Ad ſolutionem prioris difficultatis, obſervandum eſt, vibrandum eſſe anathema contra quemlibet, qui prætendet *fundamentum aliud ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus* d, ad operandam ſalutem noſtram. Nullam habemus aliam paſſionem, niſi paſſionem Jeſu Chriſti; ſed ejus paſſio nobis debet eſſe ſtimulus ad operandum bonum, & ad laborandum

b Pſ. 90. 11.
c Zach. 9. 8.
d D. Aug. in Pſ. 124.
e 4. Reg. 6. 15. &c.
f D. Chryſoſt. ſerm. de Eliſ.
g Gen. 18. 32.
h Cant. 7. 2.
i Cant. 3. 7. & 8.
k Epheſ. 6. 17.
l 1. Cor. 9. 27.
m Job. 1. 9. & 10.
n Pſ. 124. 2.
o Zach. 2. 5.
p Hebr. 13. 10.
q 1. Cor. 11. 24. & 25.
r Prov. 9. 5.
s Eccl. 19. 2.
t Zach. 9. 17.
u Gen. 1. 16.
x Cant. 8. 10.
y 1. Cor. 3. 1. & 2.
z Ezech. 3. 18.
a Matth. 20. 8.
b Rom. 4. 4. & 6. 23.
c Rom. 8. 18.
d 1. Cor. 3. 11.

III. Pars.

Balaam, ut opinor, innumeros habet diſcipulos. Ipſe fuit Patriarcha deſidioſorum, qui nedum manu operi applicent, æternam conſequi gloriã præſumunt. Cùm fuiſſet contemplatus & laudibus extuliſſet excellentiam paradiſi, *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael! ut valles nemoroſa, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus* a; efflagitavit interitum probatæ vitæ hominum, qui introducit ipſos ad fruitionem felicitatis æternæ, *Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia* a. Inuſitatam impudentiam! poſt tranſactam profligatam ſceleribuſque ſcatentem vitam, ac beneplacito Dei rebellem, petebat vir iſte flagitioſus gloriam abſque merito, & mercedem mortis felicis, cùm ſemper deſidiæ indulſiſſet, nec aliquid boni egiſſet operis. *Paterfamilias* relinquens agricolis libertatem laborandi, non intendit largiri præmium deſidibus, & ideò ſuum debent errorem deponere, ſicut eos ita alloquitur D. Paulus, *Nolite errare; Deus non irridetur: quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet* b. Et, *Si compatimur, ut & conglorificemur* c. Et, *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum* d, ajebat Dei Filius diſcipulis ſuis.

a Num. 24. 5. & 6.
a Num. 23. 10. &c.
b Galat. 6. 7. & 8.
c Rom. 8. 17.
d Luc. 22. 29.

Cùm attentè conſidero labores intolerabiles, quibus maxima pars hominum mundanorum emit divitias iſtius ſeculi tranſitorias, fumos honoris, vanitates, voluptates, & reliqua bona temporanea, quæ ſolam habent apparentiam; & quòd ferè nemo ſit qui laboret ad comparandum ſibi cœlum, ſed è contrà penè unuſquiſque deſidiæ indulgeat, nec operi manum applicet ad merendum ſibi paradiſum, quaſi verò creati eſſemus ad permanendum per æternitatem integram in hâc miſeriarum valle: neſcio quidnam de iſto deſidioſo debeam credere procedendi modo. Aut exterior nos faſcinat apparentia, aut mentis penitus ſumus inopes, quippe qui præferimus vanitatem veritati, temporaneum æterno, & miſeriam felicitati, collocantes affectus noſtros in rebus hujus mundi, quæ nihil niſi noſtras merentur repulſus, & maxima noſtra odia. Ha! obſecro, *redite prævaricatores ad cor* e. Et ſeriò reflectite vos ſuper laborem, quem impenditis inutiliter in mundum, & ſuper inſignem negligentiam quâ ducimini quoad ea quæ ſpectant æternitatem vitæ beatæ. *Redite ergo ad cor, qui quaſi beſtiæ vixiſtis, ſimulachra venerantes*, dicit vobis Hugo Cardinalis f poſt Prophetam: quippe qui totam veſtram operam refertis ad *avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus* g. *Id eſt, idololatria comparatur*, ait Dionyſius Carthuſianus h. Qui ſubdit confeſtim pòſt rationem hujuſmodi comparationis. *Nam ſicut idololatra potiùs ſervit idolis, quàm vero Deo; ita avarus magis colit, curat, & cogitat ſuam pecuniam, quam Creatorem.*

e Iſai. 46. 8.
f Hug. Card. in Iſai. 46. 8.
g Coloſſ. 3. 5.
h Dion. Carth. a. 3. in Coloſſ. 3. 5.

Philoſophi comparantes globum terræ & aquæ cum firmamento, dicunt hæc duo elementa congregata ſimul non eſſe aliud niſi punctum comparatum huic laqueari cœleſti tot ſtellis inſignito. Hujus veritatis demonſtrationes ſunt ſatis manifeſtæ & familiares Aſtrologis. Si enim terra aliquam haberet proportionem cum hoc magno circulo ſtellato, horizon noſter tantùm diſtans à centro, quantum terra habet profunditatis, non divideret ipſum æqualiter, & nunquam videremus dimidiam partem ſphæræ, quod noſtræ contradicit experientiæ; nunquam noctes eſſent æquales, aut minores diebus, ſed ſemper majores, ſemicirculus enim inferior hemiſphærio noſtro ampliorem haberet circumferentiam: ſtellæ apparerent inæqualiter magnæ, quia in noſtro verticali minùs eſſent diſtantes, quàm in punctis Orientalibus. Si autem minimæ ſtellæ excedunt magnitudinem terræ, & tamen apparent ut puncta illuminata, & firmamento affixa; judicate, ſi placet, quo modo appareret terra, ſi eam transformaret Deus in ſtellam, & collocaret eam in firmamento. Certum eſt, quòd poneretur illa in numero ſtellarum, quæ ob parvitatem ſuam adhuc ignorantur. Hinc eruo demonſtrationem evidentiorem & efficaciorem eâ quam inſtruunt Aſtrologi noſtri; quippe quæ non ſpeculationi, ſed praxi ſerviet. Terra non eſt niſi punctum in extenſione, atomus in perfectione, & momentum habet unicum in duratione: & tamen quid non agunt mundani ad dividendum hoc punctum indiviſibile, & ad conſequendam portionem hujus atomi, quæ eſt purum nihilum? *Hoc eſt punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur? O quàm ridiculi ſunt mortalium termini! Punctum eſt illud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo Regna diſponitis minima; etiam cum illis utrimque Oceanus occurrit*, exclamat Seneca i. Et tamen ad conciliandam ſibi poſſeſſionem cœli, ad conſequendum cœlũ Empyreum multò majus & lucidius quàm ſit firmamentum; quinimò ad poſſidendam fruitionem Eſſentiæ Divinæ, ad ſedendum *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* k; nemo eſt qui dignetur manum operi applicare, unuſquiſque brachia ſua in modum crucis præ deſidiâ complicat, quaſi verò ſummum & *omne Bonum* l noſtris eſſet inquiſitionibus indignum, *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem* m.

i Senec. in exord. Quæſt. Natural.
k Iſai. 32. 18.
l Exod. 33. 19.
m Pſ. 105. 24.

Nunquid immodica non eſt cæcitas, & deſidia tantò magis deploranda, quantò labor à vobis inſumptus in obſequium mundi, vobis erit inutilior extremâ tempeſtate? Inventione ſingulari declarat & ſimul deflet D. Cyprianus n hanc eandem cæcitatem eorum, qui omnes ſuas fruſtrà in mundum refundunt operas, & ita ſunt deſides quoad obſequium Deo exhibendum, *Quid divitiis tuis ſolus incubas? quid in pœnam tuam patrimonii tui pondus exaggeras; ut quò locupletior ſeculo fueris, pauperior Deo fias? Reditus tuos divide cum Domino Deo tuo: fructus tuos partire cum Chriſto: fac tibi poſſeſſionum terreſtrium Chriſtum participem, ut & ille te ſibi faciat Regnorum cæleſtium cohæredem.* Sed diſcant hujuſmodi homines deſides id, quod ipſos edocet Job o, quòd *gaudium hypocritæ adinſtar puncti*. Nimirum quòd illud omne, quod exteriore præ ſe fert nunc apparentiam, evaneſcet ipſo mortis articulo adveniente, quo agnoſcent, ſed æquo tardiùs, inutilitatem laborum illegitimorum, quibus nulla retribuetur corona, *Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela aranearum fiducia ejus* d. Et, *Impius facit opus inſtabile, ſeminanti autem juſtitiam merces fidelis* e. Collucabuntur in numero inſenſatorũ, qui *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis* f. Peragent computationem Job g agnoſcentis in perſonâ peccatoris tritum tempus in occupatione negotiorum mundanorum, & dicent ſinguli, *Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi.*

n D. Cypr. ſerm. de Eleemoſ. n. 27.
o Job. 20. 5.
d Job. 8. 13. & 14.
e Prov. 11. 18.
f Pſ. 75. 6.
g Job. 7. 3.

Quânam audaciâ pigri & deſides iſti *agricolæ* poterunt apparere coram patrefamilias, qui ipſis ſuam tradiderat vineam colendam eâ intentione ut debitum labori ipſorum perſolveret deinde præmium vitæ æternæ? Certum eſt quòd audituri ſint hoc horribile decretum in ſingulos ipſorum vibrandum, *Inutilem ſervum ejicite in tenebris exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium* h. Habebuntne aliquid allegandum ad excuſandam pigritiam ſuam? Poteruntne dicere, quòd *Paterfamilias* ipſis hanc tradiderit eo animo vineam, ut complicatis manibus deſides manerent, nedum ei colendæ ſolicitè incumberent? Nequaquam. Recta enim ratio nos obſtringit ad obſequium Deo exhibendum; fides iſtud à nobis exigit officium, ad ipſum nos excitant conciones, boni Angeli ad hoc nos inducunt, ſalutaria exempla Juſtorum nos ad iſtud animant & dirigunt. Et tamen, Auditores, his omnibus nunciis dormitis, ſed ſcitote quòd Deus pariter veſtros non exaudiet clamores, quos ſequetur tandem extrema deſperatio, *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit* i. Ab hoc declinare poſſumus infortunio, ſi occaſionem ritè inſumamus, ſi reſiduum vitæ noſtræ ad exhibendum Deo obſequium impendamus, & ad colendam hanc vineam Eccleſiæ militantis; quia iſtud exiguum momentum fideliter impenſum ad culturam hujuſmodi vineæ, pandet nobis aditum ad Eccleſiam triumphantem, in quâ dabitur nobis gloriæ merces ſempiterna.

h Matth. 25. 30.

i Prov. 1. 24. &c.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Ieſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.
Luc. 11. 14. &c.

PRoprium eſt magnis magna peragere, ait proverbium, *Magnos magna decent.* Oportet ut excellentia actionis habeat convenientiam cum magnitudine cauſa, quæ illam produxit. Noſtratum Salvator animarum, cujus omnia opera ſunt miraculoſa, in hunc mundum venit a ad curandos paralyticos, leproſos, febrientes, claudos, ad illuminandos cæcos, ad ſanitatem præſtandam infirmis, & vitam mortuis, præſertim verò ad ejiciendos dæmones è corporibus hominum, in quibus ſuum exercebant imperium præ tyrannide intolerandâ. Sed dicamus meliùs quòd *in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* b Quod Dionyſius Carthuſianus c exponit ad propoſitum quod aggredimur, *In hoc apparuit Filius Dei, id eſt, ideò factus eſt homo, & venit in mundum, ut diſſolvat opera diaboli, id eſt, vitia tollat, ab operibus tenebrarum homines revocet, tentamenta diaboli auferat, peccatores ſecundùm quòd tales diſſipet, id eſt, ſalubriter deſtruat, extinguendo in eis culpam, non naturam: ut jam de cætero non ſint tales, quales extiterunt.* Locum debet cedere diabolus iſte, qui dæmoniacum Evangelii noſtri vexat, fortiori ſe, id eſt B. Virgini, quæ *caput* d ipſius contrivit, & mortem ipſi intulit, cùm præbuit vitam Filio ſuo e, cùm ſalutavit ipſam Angelus his verbis, *Ave Maria.*

a Matth. 8. 3. &c. & Matth. 9. 2. &c.

b 1. Jo. 3. 8.

c Dion. Carth. a. 4. in 1. Jo. 3. 8.

d Gen. 3. 15.

e Luc. 1. 38.

Nihil novi miſerius homine, qui ſe intuetur deſtitutum omni eo, quod aliquam poteſt ipſi ſatisfactionem afferre. Re autem verâ immodicum eſt infortunium, non poſſe videre id quod eſt exquiſitum & maximè commendabile in mundo, & cujus excellentia ſenſibilius nos deducit ad notitiam ſui Opificis. Quiſnam autem modus eſſe poteſt cognoſcendæ excellentiæ prototypi & ideæ, cujus *neque ſpeciem* f unquam quis vidit. Creaturæ ſunt imagines loquentes Divinitatis, & hi omnes effectos ejus nobis clamant præ ſilentio, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos* g. Quanta infelicitas! habere aures, & non audire ſuavitatem concentuum, qui nobis memoriam revocant eorum quæ delicioſiſſima ſunt in cœlis, & prælibare nos faciunt ea quæ ibi ſunt: habere linguam, & non poſſe loqui. Hoc planè non eſt eſſe hominem niſi æquivocè, ſed ſinè eſt eſſe brutum per ſimilitudinem. Iſtis eſt impetitus miſerandus homo Evangelii noſtri infortunis: ipſe eſt *cæcus & mutus* h, Et prætereà D. Marcus eum aſſerit eſſe *ſurdum* i. Quod eſt figura peccatoris, quem diabolus invidus felicitatis ejus, ad has extremas redigit anguſtias.

f Jo. 5. 37.

g Pſ. 99. 3.

h Matth. 12. 22.

i Marc. 7. 32.

D. Joannes Evangeliſta k quaſi ex ecſtaſi reverſus, exclamat, *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.* Id eſt, ait Dionyſius Carthuſianus l, *Expulſus ab electis, atrociùs ſupplantare conatus eſt cæteros; habens iram magnam, ſcilicet grandem ac inflammatum appetitum nocendi, ſeu vindicandi ſe, de hoc quod à priſtinis habitaculis ſuis expellitur, in quo ſuperbiſſimus reputat ſibi injuriam fieri: ſciens quod modicum tempus habet, quia eorum, quos tentare molitur, brevis omnino eſt vita.* Non valens diabolus ulciſci ſe de Deo ob infirmitatem ſuam, inſurgit ut crudelis panthera in imaginem ejus, id eſt, in hominem. *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* m. In omnibus & ubique ruinam ejus machinatur: ſuſtinere non poteſt ejus præſentiam, quæ ipſi renovat cauſam dolorum ipſius, videndo eum capacem poſſidendæ gloriæ, quam ipſe amiſit ſine ullâ ſpe illius unquam recuperandæ. Et ipſemet D. Joannes n aſſerit ſe audiviſſe ſtatim ac *Satanas projectus eſt in terram, vocem magnam in cœlo dicentem. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus; quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte: Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.* Quandiu Deus expreſsè præcepit generi humano, ut defleret caſum infortunatum hujus potentis & crudelis adverſarii, *dicens, Fili hominis, leva planctum ſuper Regem Tyri* o. Id eſt; *Plange magnâ voce carmen lugubre*, ait Cornelius p. *Super diabolum*, dicunt ibi Expoſitores.

k Apoc. 12. 12.

l Dion. Carth. a. 13. in Apoc. 12. 12.

m Gen. 9. 6.

n Apoc. 12. 9. &c.

o Ezech. 28. 12.

p Corn. in Ezech. 28. 12.

Sed

Sed quid eſt hoc, Auditores? Diabolus victus eſt, Lucifer expulſus eſt, Angeli lætantur, & concinunt trophæa hujus inſignis victoriæ Domini: & Deus jubet hominibus ut lamententur & affligantur ſuper ruina adverſatii ſui. Angeli jure merito lætati debebant de caſu Luciferi: ſed cùm lapſus iſte ſit ita fatalis hominibus, anſam habent contriſtandi ſe. Ratio iſtius eſt, Quia cùm Lucifer erat in cœlo, ibi rugiebat ut leo, & in omnes inſurgebat Angelus, quibuſcum præliabatur, ut ait idem D. Joannes q, *Factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus.* Sed ſtatim ac iſti *non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo*; lætitia univerſalis in cœlo facta eſt. Sed cùm idem Lucifer rabidi adhuc adverſùm nos obeat munia leonis, ſecundùm quod D. Petrus r ait nobis, *Sobrij eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret*; id eſt, ait Dionyſius Carthuſianus s, *quia adverſarius veſter diabolus, qui eſt atrociſſimus, implacabilis, & infatigabilis hoſtis noſter, tanquam leo rugiens, id eſt, crudeliter circuit homines*; prout ait in libro Job t, *Circuivi terram, & perambulavi eam: quærens quem devoret, id eſt, ſpiritualiter necet, & ſibi incorperet, atque infernali ergaſtulo ingerat abſorbendum: Dum enim ad mortale vitiũ pertrahit hominem, ſpiritaliter perimit eum, facitque eum membrum ac vernam ſuam*: ideò jure merito contriſtari debemus de lapſu ejus. Ipſe eſt qui ingreſſus corpus dæmoniaci noſtri, reddebat hunc hominem cæcum, mutum, & ſurdum, quod repræſentat nobis tres funeſtos

Diviſio. effectus, quos peccatum mortale operatur in animâ quæ illud perpetravit. Statim enim poſſeſſa à diabolo, efficitur cæca, muta, & ſurda, ut oſtendam vobis in triplici parte diſcurſus iſtius.

q Apoc. 12. 7. &c.

r 1. Petr. 5. 8.

s Dion. Carth. a. 9. in 1. Petr. 5. 8.

t ex Job. 1. 7.

I. Pars. Dæmone poſſidente animam per peccatum, quod eſt dæmonium voluntarium, *Magnus enim Dæmon peccatum eſt*, ait D. Chryſoſtomus u; ſanè ſi in nobis vigeret viſus ſatis perſpicax ad videndum illius horrorem, diceremus cum D. Anſelmo x, *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & neceſſariò uni eorum immergi deberem, priùs infernum quàm peccatum appeterem.* Non eſt hoc paradoxum, ſed veritas quam ſanæ mentis compotes admittunt homines abſque ullâ difficultate. Satius eſſet habitu legiones integras dæmonum in corpore, quàm unicum peccatum lethiferum in animâ, cùm poſſideri quis poſſit à dæmone ſine crimine, & eſſe amicus Dei; ſed non poſſit eſſe in ſtatu peccati mortalis, quin ſit in ſtatu damnationis. Hoc ſuppoſito, Diabolus poſſidens animam, *cuſtodit atrium ſuum*; effectus dominus animæ, impediturus ne afferantur ei ſuppetiæ, [illegible] Dux exercitus, omnes occludit aditus & januas, & inſtar alterius Jephte ad deſtruendos Ephrathæos, occupat omnia *vada Jordanis* y, qui non eſt alius niſi Pœnitentia, cujus partes eſſentiales & integrantes ſunt contritio z, confeſſio a, & ſatisfactio b. Et, quia juxta axioma commune, *Nihil eſt in intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu*, Primò cæcos nos reddit, ne videamus ſtatum deplorandum, ad quem redacti ſumus, jam jam in infernum detrahendi: excæcat nos ne intueamur deformitatem peccati, & quantùm diſpliceat hoc oculis Dei, ne fortè illud confiteamur, cùm Confeſſio ſit præcepta vel ab ipſis mundi naſcentis incunabulis, cùm Adæ *Deus dixit, Ubi es* c? Et non ſit Juris humani, ſed Divini, cùm Deus illius ſit Author. Vult etiam ut ſit integra: nunquam enim unum peccatum ipſe dimittit abſque altero. Sed quid agit diabolus malitiâ ſuâ? Excæcat nos, ne illa, quæ commiſimus, confiteamur peccata; aut ſi illa confitemur, faxit Deus ut hujuſmodi Confeſſionem perfunctoriè non peragamus. Satagit ut noſtram non examinemus conſcientiam, vel ut ad examen noſtrum debitam non impendamus diligentiam. Maxima res eſt Confeſſio, non eſt ea inconſideranter peragenda. Ipſa eſt Sacramentum, quod immodicam requirit reverentiam, cùm ex illius rectâ ſuſceptione pendeat noſtra ſalus. Errorem deponite, Auditores, ſi placet: Deus præcipiens vobis Confeſſionem, præcipit etiam vobis media peragendæ bonæ Confeſſioni opportuna: Atqui media non adſtringunt minùs quàm finis, cùm iſtum ſupponant illa, & ſine mediis nunquam poſſit acquiri finis, *Qui vult finem, vult etiam media ad finem*, ajunt Philoſophi. Atqui certiſſimum eſt, moraliter loquendo, bonam peragere non poſſe nos Confeſſionem ſine perfectâ peccatorum noſtrorum notitiâ; nec poſſe nos habere hanc cognitionem abſque maturâ reflexione ſuper omnia quæ patraverimus à tempore ultimæ Confeſſionis noſtræ, percurrentes omnes actiones noſtras, & inſumentes præparationem & examen, ut hæc adhibebat Pſalmiſta d, *Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Neceſſaria eſt meditatio, quæ eſt profunda cogitatio, valida attentio cordis, quod eſt principium malarum actionum, *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ* e. *Scopebam*, inſtar ancillæ, quæ everrens domum, aufert omne quod eſt ſordidum, & cunctas purgat immunditias: & hoc eſt quod peragere debet bonus Chriſtianus, antequàm Confeſſionem adeat; examinare ſe, & rationem petere à conſcientiâ ſuâ eorum quæ commiſerit, imò & ſecretiſſimarum cogitationum ſuarum.

u D. Chryſoſt. ho. 33 ex c. 9 Matth.

x D. Anſelm citat. a Stapl. Dominic. de Paſſ. in Prompt. hyem.

y Judic. 12. 5.

z Pſ. 50. 19.

a Jacob. 5. 16.

b Luc. 19. 8.

c Gen. 3. 9.

d Pſ. 76. 7.

e Matth. 15. 19.

Iſtud examen igitur non eſt aliud niſi profunda meditatio omnium quæ cogitaverimus, diximus, aut egerimus ab ultimâ noſtrâ Confeſſione contra Deum, contra proximum, & contra nos ipſos commiſſione contra præcepta negativa f; omiſſione contra affirmativa; cogitatione, verbo, & opere; abdicando ad modicum tempus negotia mundi, meditando *nocte*, reflectendo nos ſupra nos ipſos ad examinandam ſeriò conſcientiam noſtram, cogitando peccata noſtra, inquirendo omnes actiones noſtras, conſiderando tempora, loca, occaſiones, & homines quibuſcũ converſati ſumus, & inclamando Divinam Miſericordiam ex intimo corde noſtro inſtar magni Regis Ezechiæ pœnitentis, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* g. Et ibi agnitis quantitate, qualitate, & circumſtantiis peccatorum noſtrorum, proponendo potiùs mori millies, quàm ſemel reverti *ad vomitum* h, ad priſtina noſtra ſcelera in contemptum

f Exod. 20. 3. &c.

g Iſai. 38. 15.

h 2 Petr. 2. 22.

Dei, qui meretur honores & reverentias omnes
poſſibiles, *Qui dilexit nos, & lavit nos à pecca-*
i Apoc. 1. 5. *tis noſtris in Sanguine ſuo* i. Itnd autem fir-
mum conſilium emendationis futuræ eſt omni-
no neceſſarium ad Confeſſionem, ſicut ad illam
neceſſarius eſt dolor conceptus de peccato
commiſſo contra Deum, ſine quo Confeſſio eſ-
ſet invalida, *Dixi, Cuſtodiam vias meas, ut non*
k Pſ. 38. 2. *delinquam* k. Sicut exponit Incognitus, ſcri-
bens in hunc locum, *Hic dicere ſtat pro delibe-*
rare, ut ſit ſenſus, Dixi, Cuſtodiam vias meas, id
eſt, In corde meo deliberavi cuſtodire vias meas.
Per vias autem intellige actiones noſtras. *Unde*
l ex D. Greg. lib. 21 mor. c. 4. *Gregorius* l: *Quid viarum nomine niſi actiones*
noſtræ ſignificantur? Hinc enim per Jeremiam
m *dicitur: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia*
m Jer. 7. 3. *veſtra.*

Peractâ debitâ & congruâ præparatione,
proſternere debemus nos ante pedes Confeſſarii,
qui repræſentat perſonam Dei, cujus vices agit,
n Matth. 16. 18. cùm ei commiſſæ ſint *claves Regni cælorum* n;
ut recipiamus prout Rei, præ omni reverentia
noſtrorum abſolutionem criminum ab ore ejus:
& ſic incipere, *Benedic mihi Reverende Pater.*
A tanto tempore non adivi tribunal Confeſſio-
nis. Adimplevi, ut potui, pœnitentiam mihi
impoſitam in prævia Confeſſione: aut, Illam
non peregi (ſi fortè eam omiſerimus.) Non
memini me tacuiſſe aliquid voluntariè. Ab il-
lo tempore tale ſcelus, & tale flagitium patra-
vi, &c. non autem tantum inferre laborem Con-
feſſario, qui ad extremas redactus eſt anguſtias,
poſt plures auditos pœnitentes, quibus exami-
nandis indeſinenter loqui compellitur propter
illorum ignorantiam & ſtupiditatem; quique
animo excideret quoad exercendum hujuſmodi
officium Confeſſionis oneroſum, niſi ſpeciali
gratiâ & auxilio cœleſti fulciretur.

Confitenda ſunt propria peccata, *Dixi,*
Confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Do-
o Pſ. 31. 5. *mino* o. Non autem peccata aliena: ſed con-
fitenda ſunt ea corde æquè ac ore; & confiten-
da præ ſinceritate, & propalanda ſcelera eo mo-
do quo res ſe habuerit, nedum involucris obte-
gantur: aliàs enim committerentur ſacrilegia, &
confeſſiones peragerentur nullæ & invalidæ.
Oportet ut Confeſſio ſit clara & ſincera. Cùm
enim aliquis impetrare vult à Rege abolitionem
alicujus criminis à ſe patrati, debet ſincerè decla-
rare factum, ut abſolutionem illius conciliare ſibi
poſſit: ſic peragendum eſt in Confeſſione. De-
us vult ut confiteamur peccata noſtra, ut inde
anſam capeſſat ea remittendi nobis: præcipit
nobis ut miſeriam noſtram ipſi exhibeamus in
Confeſſione, ut ipſe ſuam nobis impertiatur mi-
ſericordiam in dimiſſione. Præceperat olim
Deus ut *in ſeptimo anno* jubilei. *libertate* dona-
rentur omnes ſervi: quòd ſi aliquis ſervus per-
ſeverare volebat in ſervitute, jubebat ipſemet De-
us ut perforaretur ei auris ſubulà, & domino ſuo
p Deut. 15. 12 &c. ſerviret *in æternum* p. Servi ſumus diaboli per
peccatum. *Quia omnis qui facit peccatum, ſer-*
q Joan. 8. 34. *vus eſt peccati* q; & *magnus dæmon peccatum*
eſt, ut dicebat ſuprà D. Chryſoſtomus: ecce ſe-
ptimus annus jubilei libertatis, quæ datur nobis à
Dei Filio: eruit ipſe nos è ſervitute diaboli, &
r Gal. 4. 31. *libertate nos* r donat, ſi noſtra confiteamur pec-
cata: ſi autem velimus adhuc manere ſub po-
teſtate ejus, *in æternum* ſerviemus ei, gementes
ſub tyrannide illius. A principio mundi *voca-*
s Gen. 3. 9 *vit Dominus Deus Adam, & dixit ei, Ubi es* s?
Verba increpantis, & ad Confeſſionem cogentis,
& non ignorantis, ait Gloſſa Ordinaria. Vole-
bat Deus ut Adam ſuum confiteretur peccatum,
ut ab ore ſuo remiſſionem illius conſequeretur,
ut egit aliàs Nathan erga Davidem, nam ſtatim
ac *dixit David ad Nathan, Peccavi Domino;*
dixit Nathan ad David, Dominus quoque trans-
tulit peccatum tuum t. Nolite agere, Audito- t 2. Reg. 12. 13.
res, ſicut fecit aliàs reprobus Cain, qui interroga-
tus à Deo, *Ubi eſt Abel frater tuus? reſpondit,* u Gen. 4. 9.
Neſcio u. Heu! quot Caini hodie in mundo.
Faxit Deus ut nulli inveniantur in civitate N.
Interrogabit Confeſſarius, Perpetraſtine illud?
Aſſumpſiſtine *nomen Domini Dei tui inva-* x Exod. 20. 7.
num x? Etiam. Quoties? Et quis hoc ſciat?
non iſtud numeravi: *Neſcio.* Detraxiſtine fa-
mæ proximi tui? *Neſcio.* Retinesne volunta-
riè bonum alienum? *Neſcio.* Infelix, lingua ſa-
crilega neſcis? Quis autem hoc debet ſcire?
Eſtne Propheta Confeſſarius ut diviner? Nun-
quid tuam non examinare debuiſti conſcienti-
am? Nonne ſcire debes ſtatum interioris cordis
tui, antequàm adeas ſacrum iſtud tribunal Con-
feſſionis, ut reſpondeas conformiter ad ea, de
quibus interrogaveris? Annon res foret riſu di-
gna, ſi quis peteret ut ſua divinarentur ſomnia,
ſicut per Nabucnodonoſor *propoſitum eſt decre-*
tum, Ut introducerentur in conſpectu ſuo cuncti
ſapientes Babylonis, & ut ſolutionem ſomnii indi-
carent y ſibi ſui? y Dan. 4. 3.

Heu! Auditores, jure merito vereor ne
perſæpè patrentur ſacrilegia ab iis, qui bonas ex-
iſtimant ſe peragere Confeſſiones. Unde au-
tem oritur iſtud, niſi ex eo quòd diabolus nos cæ-
citate percutit? Eodem ſe gerit diabolus modo
adverſùm nos, quo corvus circa prædam, cui
primò eruit oculos, ne ſuam intueatur in eorum
velut ſpeculo deformitatem; aut inſtar alterius
Nabuchodonoſor, qui victo Regi Jeroſolymo-
rum *Sedeciæ effodit oculos, vinxitque eum cate-*
nis, & adduxit in Babylonem z. Item peragit z 4. Reg. 25. 7.
diabolus, hoc eſt primum ejus conſilium, devi-
cto peccatori eruit oculos, id eſt, privat eum co-
gnitione omni neceſſaria ad operandam ſalutem
ſuam, projicit eum in tenebras, nec poteſt eſſe
plenè contentus quin illum omni lumine deſti-
tuerit. Ecce, Auditores, conſilia diaboli; ecce
tyrannis ejus; ecce intentum illius; ut non in-
tuentes nos ſtatum animarum noſtrarum in pec-
cato degentium, præcipitet in infernum. At-
qui non ſolùm hominem cæcum efficit, ſed præ-
tereà mutum eum reddit in ſecunda mea parte.

Pro ſecundo effectu malitiæ privat diabo- II. Pars.
lus hominem loquelâ, efficiendo illum mutum.
Sed quare? Scire debetis quòd in homine ſunt
tres partes, quæ præ omnibus aliis concurrunt ad
ſalutem noſtram, & nobis magis ſerviunt ad con-
ſequendam vitam æternam, auditus, lingua, & o-
culi. Auditus, qui eſt neceſſarius ad reddendos
nos capaces fidei, & myſteriorum ejus; *Fides ex*
auditu. Quomodo credent ei, quem non audie-
runt a? Lingua, ad confitendum id quod credi- a Rom. 10. 17. & 14.
tur, & peccata noſtra Sacerdotibus, *Corde credi-*
tur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalu-
tem b. Et oculi, quia contemplantes miſeri- b Rom. 10. 10.
am proximi, miſeratione erga eum poſſumus
commoveri, *Quando te vidimus eſurientem, &*
pavimus †? Inimicus noſter igitur conatur no- † Matth. 25. 37.
bis eripere tres iſtas partes, quæ ſervire nobis poſ-
ſunt ad peragendam animæ noſtræ ſalutem. Fur
aliquam ingrediens domum, lucernam extinguit,
Omnis

Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non
c Jo.3.20 *venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* c.
Et os occludit patrifamilias, ut otæ ſecuritate bona ejus auferat: lupus etiam fauces ſtringit, & claudit os ovis, ne eam balantem audiant canes & paſtores: Peccator, ecce fur, en lupus diabolus, qui te mutum efficit, ne clames in Confeſſione, & ne tuam facias audiri vocem à canibus cuſtodibus ſancti gregis, qui ſunt ſacerdotes: Ha! clama in Confeſſione, unde pendet ſalus tua. Nolite autem mirari ſi diabolus tanto proſequatur ſermonem odio. Vultiſne ſcire quare? Ratio iſtius eſt præterea, Quia nihil eſt quod ita repræſentet Jeſum Chriſtum ac loque-
d Hebr. 4.12. la, quia Jeſus Chriſtus *eſt vivus ſermo Dei d* Patris, & ipſe eſt infenſiſſimus diabolo: ideò diabolus ſatagit eripere nobis illud, quod nobis meliùs figurat iſtud Verbum æternum, quod eſt cauſa ſuppliciorum ipſius, *Et illud erat mutum.* Id eſt, dæmonium.

Tria ſunt genera mutorum. Alii ſunt muti intuitu Dei; alii reſpectu proximi; alii adversùs ſemetipſos. Illi ſunt muti intuitu Dei, qui eum non laudant, qui non benedicunt ei, qui
e Gen. 1. 27. nullas illi reddunt gratias pro ſuſceptis ab illo beneficiis creationis *e*, redemptionis *f*, conſerva-
f Apoc. 1. 5. tionis *g*, vocationis *h*, & tot aliis, quæ longius eſſet recenſitu, pro tranſactis nocte & die; &
g Matth. 6. 28. pro tot aliis bonis gratiæ, corporis, animæ, & fortunæ ſibi ab eo erogatis. Non erat ex iſtis mu-
h Rom. 8 30. tis David, quippe qui dicebat, *Benedicam Dominum in omni tempore; ſemper laus ejus in ore*
i Pſ. 33. 2. *meo* i. Illi ſunt muti reſpectu proximi, qui eum non corripiunt, cùm peccat & defectus commit-
k Luc. 16 2. tit. Parentes, *rationem* k petet à vobis exactam Deus blaſphemiarum liberorum veſtrorum: Domini, inquiret vos Deus quoad inſolentias ſervorum veſtrorum: Magiſtratus ſpirituales & temporales, quandiu Divina peraguntur Officia, diverſoria publica ſcatent blaſphematoribus ſcandaloſis, & nihil dicitis, *Canes muti non va-*
* Iſai. 56. 10. *lentes latrare* *, de veſtro ſumpturus eſt Deus pœnas ſilentio: veſtrâ intereſt clamare, deordinata ritè diſponere, abuſus qui committuntur reſecare. Heu! quam ingens mutorum numerus, nemo eſt qui loquatur in civitate N. nullus qui ſtet è partibus Dei, & qui cauſam ejus amplectatur. Nonne jure merito queri poſſet? *Quo-*
† Thren. 1.1. *modo ſedet ſola civitas plena populo* †? Poſt hæc mirabimini-ne ſi pœnas infligat vobis Deus? Res inaudita! quod ſæpè in tota ne vel unus inveniatur homo civitate, qui vinum corripiat. Tertium genus mutorum eſt illorum qui ſibimetipſis ſunt muti, qui accedentes ad ſacrum Confeſſionis tribunal, elingues ſunt; & quantùm ad cætera negotia garriunt more pſittacorum. Res inuſitata viſu homines, qui quoad apices & ſubtilitates Juris & litium ſunt Cicerones & Demoſthenes, qui facundiam habent naturalem, & meliùs loquuntur, quàm enuncient charactêres in libris exarati prælo, qui confeſſuri peccata ſua, ſunt piſces muti abſque lingua: animam habebunt criminibus ſcatentem, & vix ea exponent ſcelera Confeſſario ut decet, innumeris utentur ambagibus, quaſi decipere vellent Deum, qui eſt *ſcrutans cor & probans renes: qui uni-*
l Jer. 17. 10. *cuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum l* dat. Unde oritur iſtud? Sanè ex eo quòd nos diabolus mutos efficit:
m Luc. 16 8. eloquentes ſumus quoad terrena; hebetes autem & elinques quoad cœleſtia. Ha! *Filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis ſunt* m.

Però à vobis, Auditores, Unde procedere poteſt ſilentium iſtud? Forſan dicetis illud oriri è pudore, quo ſuffundimini intuitu peccatorum veſtrorum. Benè quidem; decet enim ut veſtrorum pudeat vos ſcelerum, conſiderantes quantam injurias veſtris intuliſtis animabus, cùm peccando eas tyrannidi diaboli ſubjeciſtis, quando *rebelles lumini* n, in Dominum veſtrum n Job. 24. 13.
ſupremum inſurrexiſtis. Debet pudere vos illa perpetraſſe; ſed poſtquàm illa commiſiſtis, quare pudet vos ea confiteri? *Quantùm diſplicet Deo impudentia peccatoris, tantùm pœnitentis verecundia placet*, ait D. Bernardus o. Et o D. Ber. ſerm. 3 in Cant.
ego dico vobis id quod dicebat ille Philoſophus cuidam adoleſcenti, quem pudebat exire è loco infami, Non oportet erubeſcere inde exire, ſed illuc intraſſe: Non eſt erubeſcendum confiteri peccatum veſtrum, cùm ſigillum Confeſſionis ita ſit ſecretum. Sed confiteri illud homini,
Durus eſt hic ſermo p. Quid autem invenitis p Joan. 6 60.
ibi difficultatis? Eſſet quidem anſa timendi, ſi Deus aſtrinxiſſet vos ad confitenda peccata veſtra Angelo, quia cùm ſit ſpiritus purus, immunis à materia, corporeæ concretionis expers, veſtris non eſſet compaſſus infirmitatibus, quippe qui earum inexpertus: ſed nulla eſt occaſio verendi, cùm alligaverit vos ad confitendas culpas veſtras homini tali quales eſtis vos, ejuſdem naturæ, obnoxio iiſdem defectibus, & forſan magis tentato à diabolo, quàm ſitis vos: æquo compatietur ille miſeriis veſtris animo; & nihil et confitebimini quod ipſe patrare non poſſit, niſi Deus auxilio gratiæ ſuæ à peccando avertat eum. Quænam igitur eſt vobis occaſio timoris, cùm ex Confeſſione pendeat veſtra ſalus?

Errorem deponite, Auditores: Ut Confeſſio ſit bona, debet eſſe integra: ſi enim quis decem ſit vinctus catenis, quid illi prodeſt ſi ſolvatur à novem, ſi decima non minus teneat eum ligatum quàm cæteræ? *Dixit Rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum: Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit: ſi maſcu-*
lus fuerit, interficite eum q. Exitiis autem ma- q Exod. 1 15. & 16.
ſculis evaſit incolumis Moyſes, quem mater propria *videns elegantem, abſcondit tribus menſibus,*
& filia Pharaonis adoptavit in locum filii r. Qui r Exod. 2 2 &c.
tandem molitus eſt ruinam totius ſtatus politici Regis illius s. Unicum peccatum tacitum & s Exod. 14. 21 &c.
opertum in Confeſſione ſufficit ad cauſandam in nobis mortem animæ; *Quicumque totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno: factus eſt*
omnium reus t. Neminem pudere debet omnia t Jac. 2. 10.
dicere, cùm eum non puduerit omnia perpetrate. Omnia ſunt aperienda, ut Deus omnia operiat, ait D. Auguſtinus u ſuper verba iſta Pſal- u D. Aug. in Pſ. 31 5 &c. enarrat. 2.
miſtæ, *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.* Quæ ita vertit. *Peccatum meum cognovi. Ergo jam cognoſcit. Si ille cognoſcit, & ille ignoſcit. Peccatum meum cognovi, & injuſtitiam meam non operui. Noli operire tu, & operit Deus. Beati, quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Qui tegunt peccata, nudantur; iſte autem nudavit, ut cooperiretur.*

Queritur Deus de illis, qui non confitentur
omnia, *Quoniam dolosè egit in conſpectu meo, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium* x. Hal- x Pſ. 35 3
lucinamini Auditores, ſi imaginemini poſſe vos
decipere ſilentio veſtro eum, *qui novit omnia* y Dan. 13 42
antequàm fiant y. *Omnia autem nuda & a-*
perta ſunt oculis ejus z. Hæc eſt exprobratio, z Hebr. 4 13.

quâ invectus eſt D. *Petrus* contra Ananiam, cùm *dixit ei, Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo* a. Sed quale ſupplicium erit actioni ſic perfidæ infligendum? Ecce illud, *Ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Id eſt, quòd peccatum iſtud, quod promptam inveniſſet miſericordiam apud Deum, ſi ſincerè in Confeſſione fuiſſet apertum, manifeſtabitur palam omnibus *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua* b. Quia peccatum illud voluit peccator malitioſè abſcondere, ut indicant verba ſequentia Pſalmiſtæ c, *Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere ut benè ageret.* Quibus ſubdit Incognitus d, *Quia ſcilicet doloſè iniquitatem excuſat.*

a Act. 5. 3. & 4.
b Matth. 25. 31.
c Pſ. 35. 4.
d Incog. in Pſ. 35. 4.

Davidem ſui tædet ſilentii, *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea* e. Quibus verbis addit D. Auguſtinus f, *A clamando me totâ die.* Et ſtatim pòſt ait, *Quid eſt hoc? Quaſi contrarium videtur quoniam inveteraverunt oſſa mea à clamando. Si à clamando, quomodo tacuit? Tacuit quiddam, non tacuit quiddam. Tacuit unde proficeret, non tacuit unde deficeret. Tacuit Confeſſionem, clamavit præſumptionem. Tacui enim, dixit, non ſum confeſſus. Ibi oportebat ut loqueretur: taceret merita ſua, clamaret peccata ſua. Et quid illi contigit? Inveteraverunt oſſa ejus. Intendite quia ſi clamaret peccata ſua, & taceret merita ſua, innovarentur oſſa ejus, id eſt, virtus ejus. Ergo quoniam tacuit in confeſſione, inveteraverunt oſſa ejus, à clamando totâ die, perſeverando totâ die in defenſione peccatorum ſuorum.* Sed quid accidet his puſillanimis, qui ſua omnia confiteri noluerunt peccata? Idem planè quod puellæ è familia honeſta, quæ proſtitutâ famâ ſuâ, non eſt auſa monere ſui criminis matrem ſuam, quæ delictum ſervaſſet ſecretum, & effeciſſet ut hujuſmodi ſcelus fuiſſet ſemper abſconditum, nedum in aures omnium perveniſſet: ſed cùm noluerit culpam ſuam matri ſuæ aperire, cùm advênit hora partus, vehementia dolorum, quibus angitur, ſcelus ipſius propalat ita ut circumquaque diffundatur; *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus; dolores parturientis venient ei* g. Mulier inſenſata! quia ſi ſcelus ſuum manifeſtaſſet genitrici ſuæ, famam illius hæc conſervaſſet, & occurriſſet obvia huic infortunio funeſto toti familiæ imò & toti progeniei, quam ipſa inhonoravit. Chriſtiani, qui veſtra abſconditis peccata in Confeſſione, quidnam agere putatis? Idem accidet vobis die judicii, quo omnes homines veſtra intuebuntur ſcelera ad confuſionem veſtram, *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum: & revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam* h. Si veſtra voluiſſetis detegere peccata, totum illud dedecus abſolutione ſua texiſſet Confeſſarius, & liberaſſet vos à pœnis, quæ vobis imminent, ſi perſeveretis in hac damnabili praxi celandorum peccatorum veſtrorum.

e Pſ. 31. 3.
f D. Aug. enarr. 2. in Pſ. 31. 3.
g Oſee. 13. 12.
h Nahū. 3. 5.

Quidnam eſt quod majori ſuffundat pudore, quàm nuditas corporis? Et tamen ſi in aliqua parte illius arcanâ ſit morbus, aut ulcus, non ambigitis partem illam aperire Chirurgo, aut Medico. Peccatores, anima veſtra ægrotat ulceribus peccati, pudebitne vos detegere vulnera veſtra Medico ſpirituali? Immodicâ ſuffundetur conſolatione videre vos in actu pœnitentiæ præ firmo deſiderio emendationis futuræ. Sic eſt, Auditores: nihil magis conſolatur Confeſſarium, quàm videre hominem, quem ſuorum pœniret ſcelerum, quique ipſi eadem ſincerè detegit crimina. Confitemini ergo univerſa delicta veſtra, nedum vel unicum eorum voluntariè & præ pudore omittatis: iſte enim pudor oritur è diabolo, qui vellet impedire ſalutem veſtram: ſalutarem conficite theriacam ex iſto pudore, offerte illum Deo pro peccatis veſtris, & ſerviet ille partim ad expungenda veſtra crimina.

Refertur diabolus ſtetiſſe aliàs juxta quoddam tribunal Confeſſionis, & interrogatus à Confeſſario, ut quid ibi ſic ſtaret, reſpondiſſe nudè contra ſuum ordinarium mentiendi modum, ſe reſtituiſſe ibi ea, quæ abſtulerat, *Quid hic ſtas cruenta beſtia? Reddo quod abſtuli: verecundiam abſtuli, verecundiam reddo.* Pudorem abſtulerat, cùm induxerat ad peccandum, & pudorem reddebat confitentibus. Hoc accidit ordinariè quantùm ad peccata enormia, præſertim carnalia, ſpecialiter autem mulieribus & puellis, quas non pudet ea perpetrare, & quas deinde pudet illa confiteri, etiamſi ex eorum confeſſione ſuarum ſuſcipere debeant ſalutem animarum. Pudorem procul à vobis amandare in Confeſſione, Auditores, cùm ibi illa confiteamini Chriſto repræſentato per Sacerdotem: peccata veſtra æternæ mandabuntur oblivioni, & de veſtra gaudebit cœlum converſione, *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* i.

i Luc. 15. 10.

III. Pars.

Tertius effectus, quem diabolus producit in anima peccatoris per peccatum mortale, eſt illum reddere ſurdum, conformiter ad id quod aſſerit D. Marcus k dæmoniacum Evangelii noſtri fuiſſe *ſurdum.* Sic eſt, Auditores: diabolus ſurdos reddit peccatores, quos poſſidet, ne audiant inſpirationes, conciones, motiones cœleſtes, monita Confeſſariorum, omnia tandem ad operandam ipſorum ſalutem neceſſaria. Heu! totâ iſtâ Quadrageſimâ *laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ* l. Allocutus ſum ſurdos, qui me non audierunt. Quiſnam enim de meis utilitatem haurit concionibus? Quis à vitio recedit? Contentâ voce inclamo, & meum dirumpo pectus, quandiu tibi diſloquor. Si aliquo creditis me pro agendæ ſalutis veſtræ zelo duci, meorum miſeremini tædiorum, intuentes quòd *in vacuum laboravi, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi* m, ſurdos alloquens. Poſt adductum Jeſu *ſurdum, ſuſpiciens in cœlum, ingemuit* n Jeſus. Res admiratione digna! Non legitur Chriſtus columnæ alligatus, *ſpinis* laceratus ac flagellis, clavis terebratus, & *lanceâ* perforatus *latus* o, ullo ingemuiſſe modo, *Cùm pateretur, non comminabatur* p. Et tamen ſolo ſurdi iſtius intuitu tantum præ ſe tulit dolorem. Myſterium eſt hoc, quod docet nos quàm miſerandus ſit ſtatus animæ, quam diabolus reddidit ſurdam & mutam per peccatum. Heu! peccatores, qui eſtis ſurdi & muti ſicut dæmoniacus noſter, ſinite ut dicam vobis eadem verba, quæ Chriſtus protulit ad ſanandum eum, & ſimile applicem remedium infirmitati veſtræ curandæ, *Ephpheta, quod eſt, adaperire* q. Euge igitur, aperite os veſtrum, jam jam mediam attigerimus Quadrageſimam, *Ephpheta*, confitemini, accedite ad tribunal Confeſſionis præ debita præparatione, reverentiâ, & contritione requiſitâ & neceſſariâ ad ritè ſuſcipiendum hoc

k Marc. 7. 32.
l Pſ. 68. 4.
m Iſai. 49. 4.
n Marc. 7. 32. &c.
o Joan. 19. 1. &c.
p 1. Petr. 2. 23.
q Marc. 7. 34.

Sacra-

Sacramentum; cum firmo conſilio non ampliùs revertendi *ad vomitum* r [r 2 Petr. 2. 22.]. *Ephpheta*, Sacerdos dæmonem expellet, qui vos poſſidet; veſtris liberabit vos à peccatis abſolutione ſuâ, *In digito Dei ejicio dæmonia* s [s Luc. 11. 20.]. Sacerdos eſt iſte digitus *Dei*, inſtrumentum quo Deus utitur ut vos à veſtris abſolvat criminibus. Ligati eſtis catenis; in peccatis conſtituti, ſervi Satanæ eſtis, *Solve vincula colli tui captiva filia Sion* t [t Iſai. 52. 2.]. Anima miserandè criminoſa conare infringere tuas catenas: nativitas tua vocat te ad coronas, & cœlum tuæ ſolius tibi debet ingerere memoriam originis: Deum habes Authorem u [u Gen. 1. 27.], & eum habere debes mercedem x [x Gen. 15. 1.]: Ha! nihil peragito progenie tuâ indignum: tu tota nobilis es, extrica te à catenis, quibus te ſubjecit peccatum tuum: Sponſa Jeſu Chriſti egredere ex hac ſervitute diaboli, quæ te immiſericorditer opprimit ſub tyrannide, & ſuam ſuper te exercet rabiem & ſævitiam: abrenuncia, Quadrageſimæ iſtius tempore opportuno pœnitentiæ peragendæ, aut ſaltem Feſtis iſtis Paſchalibus, omnibus peccatis tuis mediâ Confeſſione integrâ & ſincerâ; & ubi ſemel eam peregeris ut expedit, cave ne in priſtina relabaris peccata, ne fiant *noviſſima pejora prioribus* y [y Luc. 11. 26.].

Tu autem Salvator adorande noli ſinere ut diabolus noſtras abripiat animas, quas ſponſaſti tibi *in fide* z [z Oſee 2. 20.], eaſque deſtituat facultatibus ſuis: Satage ut tu ſis ſolus, qui præcipias in eis ut ſummus earum Dominus, quippe qui *Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat majeſtati tuæ* a [a Eſth. 13. 11.]. Et cùm apparueris *in hoc, ut opera diaboli* b [b 1 Joan. 3. 8.] diſſolveres; ſi fortè dæmoniaci ſumus, tu es cithara Davidis, cujus ſuavi modulatione recedere poteſt à nobis *ſpiritus malus* c [c 1. Reg. 16. 23.]. Si cæci ſumus, tu es *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* d [d Joan. 1. 9.]. Sicque potes noſtras fugare tenebras, & nos illuminare: ſi muti ſumus, & ſurdi, tu es *Sapientia* Patris, aperiens *os mutorum & linguas infantium diſertas* e [e Sap. 10. 21.] faciens; & valens efficere ut corda noſtra audiant inſpirationes tuas f [f Prov. 16. 14. &c.]. Facito ut os noſtrum applicetur tibi ſoli laudando; oculi noſtri contemplentur te in Cruce conſtitutum; aures noſtræ audiant vocem inſpirationum tuarum, quibus corda noſtra tibi devincire contendis; & hæc eadem corda te diligant, ut te diligentes *ex toto corde* g [g Matth. 22. 37.] noſtro, mereri poſſimus gratiam tuam in hoc ſeculo, & gloriam tuam in altero mundo.

FERIA II. POST DOMIN. III. QUADRAGESIMÆ.

Profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè, &c. Luc. 15. 13. &c.

HOmo exiguo tempore, quo vixit in innocentia, tribus inſignibus & eximiis potitus eſt qualitatibus, vitâ, honore, & libertate; quæ tres excellentes prærogativæ extollebant felicitatem naturæ ejus. Vitam habebat, quæ erat communicatio vitæ Dei, *Apud te eſt fons vitæ* a [a Pſ. 35. 10.]. Quæ efficiebat ut cognoſceret & amaret Deum ſuum, cùm vita Dei ſit eſſentia ejus, & Deus vivat ab æterno cognitione, quâ ſuum producit Filium, dicens ei, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* b [b Pſ. 2. 7.]; & amore, quo ſpirat Spiritum ſanctum, hunc *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* c [c Joan. 15. 26.]. Secunda qualitas erat honor, cùm impreſſiſſet Deus fronti primi hominis notas majeſtatis, quando eundem *creavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* d [d Gen. 1. 27.]. Cùm Adam deferret delineatos ſuper faciem ſuam charactêres Divinitatis, quod efficiebat ut omnes creaturæ reverentiam exhiberent tranſumptæ ex prototypo ſic perfecto imagini, *Quaſi diceret, Faciamus hominem ad exemplar noſtrum, ut quaſi imago nos, quaſi ſuum exemplar referat ac repræſentet*, ait Cornelius e [e Corn. in Gen. 1. 27.]. Tertiò habebat libertatem, cùm in hoc ſtatu juſtitiæ originalis conſtitutus, nullas experiretur rebelliones, ſuarum abſolutus eſſet dominus voluntatum, ſuis ſummo imperio præciperet affectibus, & pars inferior ejus omnino ſubjiceretur ſuperiori portioni, nedum ullo modo à ſuo recederet obſequio; cùm ſenſus obediret rationi, & ratio morem gereret ſummæ illi Intelligentiæ, cujus ipſa eſt radius, & emanatio.

Sed heu! quàm exiguæ fuit hæc felicitas durationis. Amiſsâ Adam innocentiâ, ſtatim vitam perdidit: recedens à Deo ſuo per inobedientiam, confeſtim honore decidit, cùm incepit eſſe criminoſus, & nullam ampliùs exhibuerunt ei beſtiæ reverentiam, ſicut ille nullo Deum fuerat honore proſecutus: in ſuarum lapſus eſt ſervitutem paſſionum, quæ dominabantur ei: uxor autem ejus fuit cauſa ferè tota iſtius deordinationis, & infortunii ipſius, cùm vereretur eam triſtitiâ afficere, ſi oblatum ab ea ſibi pomum comedere renuiſſet, illum vetito *mulier tulit de fructu, & comêdit: deditque viro ſuo, qui comêdit* f [f Gen. 3. 6.]. Tres iſtas inſignes obſervamus infelicitates in prodigo noſtro. Jacturam vitæ, *Profectus eſt*. Ruinam honoris, *Ut paſceret porcos*. Et amiſſionem libertatis, *Adhæſit uni civium*. Lubricum autem fuit cauſa iſtarum omnium jacturarum, quas obſervabitis, poſtquàm noſtras exhibuerimus reverentias puriſſimæ omnium Virginum, quæ reſpondit Angelo, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* g [g Luc. 1. 34.]? dum diceret ipſi, *Ave Maria*.

Deus eſt Ens ſimpliciſſimum & puriſſimum, infinitè diſtans ab omni corruptione & impuritate; nec adire poſſumus thronum majeſtatis ejus niſi mediâ puritate, *Sanctificamini, & eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter* h [h Lev. 20. 7.]. Deus puriſſimus eſt, omnis mixtionis expers ac impuritatis, ſic ipſe nihil æquè odit ac iſtud peccatum, & tota SS. Trinitas omni tempore & in omnibus ſtatibus armavit ſe ad annihilandum iſtud peccatum impuritatis. Deus Pater in ſtatu naturæ validiſſima juſtitiæ ſuæ adhibuit inſtrumenta adversùs vitium hoc carnale. Aquam inſumpſit ad infligendum ſupplicium generale omnibus hominibus: nam *cùm vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terrâ i [i Gen. 6. 12.]) factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadra-*

draginta noctibus ſuper terram: conſumptaque
eſt omnis caro; univerſi homines, & cuncta in
k Gen. 7. 17.&c. *quibus ſpiraculũ vitæ eſt in terra, mortua ſunt* k.
Igne deſurſum emiſſo punivit Sodomitas, qui fla-
gitioſiſſimis & innominandis ſe fœdabant ſcele-
ribus. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomor-*
rham ſulphur & ignem, à Domino de cœlo: &
ſubvertit civitates has, & omnem circa regio-
nem, univerſos habitatores urbium l. Res inau-
l Gen. 19. 24. & 25 dita! in omnibus aliis ſuppliciis invenimus mi-
ſericordiam, magiſque miſericordiæ quàm ju-
ſtitiæ: ſed quoad iſtud peccatum magis repe-
ritur rigoris quàm dulcedinis, plus juſtitiæ quàm
miſericordiæ. Catacliſmus univerſalis ipſos
occidit vel infantes uberibus adhuc adhærentes.
Sed quid fecerant? Innocentes erant illi, nec
peccaverant. Juſtitia & rigor quoad iſtud pec-
catum, *Quantùm in deliciis fuit, tantum date illi*
m Apoc. 18. 7. *tormentum* m. Juxta proportionem volupta-
tis, cui indulſit, *in carnalibus carnaliter delectan-*
n Dion Carth. a. 19 in Ap. 18. 7. *do*, ait Dionyſius Carthuſianus n, *tantum date*
illi tormentum, quo in corpore affligitur propter
delicias impuras prahabitas: ſicque pœna corre-
ſpondeat culpa. Proteſtaturque *Spiritus Dei,*
o Gen. 1. 2 qui *ferebatur ſuper aquas* o, fœcundus & puriſ-
ſimus iſte Spiritus, ſe non habitaturum amplius
cum hominibus impuris, *Non permanebit Spiri-*
p Gen. 6. 3. *tus meus in homine in æternum, quia caro eſt* p.
Id eſt, *Quia carnalis, & in vitia carnis ſuâ culpâ*
q Corn. in Gen. 6. 3. citans DD Chr. & Amb. *projectus eſt*, ait Cornelius q. Non poteſt Deus
hoc perpeti peccatum: oportet ut ſola juſtitia
iſtud peccatum puniat abſque ulla miſeratione,
cum tamen miſericordia in aliis inveniatur ſup-
r 2. Mach 7. 33. pliciis, ut teſtatur eadem Scriptura r, *Et ſi nobis*
propter increpationem, & correptionem Dominus
Deus noſter modicùm iratus eſt: ſed iterùm re-
conciliabitur ſervis ſuis.

In ſtatu gratiæ, *ubi venit plenitudo tempo-*
s Gal. 4. 4 *ris* s, qui ſtatus eſt felicitas temporum, centrum
ſeculorum, Dei Filius non eſt factus homo niſi ad
deſtruendam carnem: puritate carnis ſuæ ex-
pugnare vult carnis impuritatem, *Verbum caro*
t Joan. 1. 14 *factum eſt* t. Ideò eligit Matrem Virginem æ-
què ac Patrem nuncupativum Virginem, *Joſeph*
fili David, noli timere accipere Mariam conjugem
tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſan-
u Matth 1. 20. *cto eſt* u. Præcurſorem D. Joannem Baptiſtam,
qui *præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ* x,
x Luc. 1. 17. virginem: & virginem *diſcipulum, quem dilige-*
bat Jeſus, qui & recubuit in cœna ſuper pectus e-
y Joan. 21. 20. *jus* y, propter ſingularem puritatem ſuam. O-
z Rom. 6. 6. portet igitur *ut deſtruatur corpus peccati* z ab
hac immaculata Chriſti carne. Divinitas iſtud
perſequitur peccatum: gloria cœleſtis illi fores
præcludit, *Non intrabit in eam aliquod coinqui-*
a Apo. 21. 27. *natum, & abominationem faciens* a. *Id eſt, ex-*
ecrabilia opera & plurimùm deteſtanda, ſubdit
b Dion. Carth. a. 21 in Ap. 21. 27. Dionyſius Carthuſianus b. Videte quomodo
vitium iſtud reddit prodigum infelicem; &
quomodo in receſſu à Deo ſuo, perdit Primò vi-
Divitias. tam per peccatum, *Peregrè profectus eſt in regio-*
nem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam
ſuam, vivendo luxurioſè. Secundò, Quâ ratio-
ne labitur in infamiam, profligando honorem
ſuum, *Ut paſceret porcos.* Tertiò Quo pacto ſe-
ſe captivum efficit, amittendo libertatem ſuam,
Et adhæſit uni civium. Hæc tria infortunia
oſtendam vobis in progreſſu ſermonis iſtius.

1. Pars. Prima infelicitas noſtri prodigi in hoc eſt ſi-
ta, quòd *peregrè profectus eſt in regionem longin-*
quam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vi-
vendo luxurioſè. Recedens à Deo, perdidit vi-
tam, vera enim vita eſt Deus, & vita Dei eſt eſ-
ſentia Dei. Deus vivit ſeipſo, & vita noſtra eſt
radius hujus primæ vitæ, eſt emanatio hujus vitæ
originalis, *In ipſo enim vivimus* c. Ab æterno c Act. 17. 28.
antequàm mundus fieret, Deus vivebat, & nun-
quam deſtitit vivere, quia nunquam deſtitit eſſe:
Vivere Dei eſt eſſe Dei, ait Theologia. Atqui
vita Dei conſiſtit in cognitione, & in amore ſuî;
& ſicut ab æterno Deus ſeſe cognovit, & ſeſe di-
lexit, ſic ab æterno vivens fuit. Deus Pater fœ-
cunditate Divini intellectus ſui cognoſcens ſe-
metipſum, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero*
ante Luciferum d, gignit Filium ſuum, qui *can-* d Pſ. 109. 3.
dor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei
majeſtatis, & imago bonitatis illius e. Verbum e Sap. 7. 26.
cognoſcens ſuum ſacrum Progenitorem, amat
eundem Patrem ſuum, Pater autem & Filius mu-
tuo ſe diligentes amore, producunt in unitate
principii ſeu ejuſdem voluntatis reciprocæ Spiri-
tum ſanctum, *Spiritum veritatis* f, qui eſt termi- f Joan. 15. 26.
nus amoris ipſorum. Sic Deus vivit cognitio-
ne, & dilectione ſuî intra ſe, vivit iſtâ vita Divi-
nâ; & hâc eâdem Sancti & Beati vivunt vitâ in
cœlo, id eſt cognitione & amore, *Hæc eſt autem*
vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum ve-
rum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum g. In hac g Joan. 17. 3.
terra morientium, in iſta valle miſeriarum non
fruimur plenè hâc vitâ cognitionis, *Videmus* h 1. Cor. 13. 12. & 9.
nunc per ſpeculum in ænigmate h, quaſi ex trans-
verſo velorum: *ex parte enim cognoſcimus.* Co-
gnitiones noſtræ non ſunt puræ, & ideò amor
noſter non eſt perfectus, quia amor noſter ſequi-
tur notitiam noſtram, juxta axioma Philoſophi-
cum, *Nihil volitum quin prius cognitum.* Sed in
cœlo velum eſt amotum, *Tunc autem facie ad*
faciem: nunc cognoſco ex parte: tunc autem co-
gnoſcam ſicut & cognitus ſum i. Hæc autem o- i 1. Cor. 13. 12.
mnia ſic appoſitè exponit Dionyſius Carthuſia-
nus k *Videmus oculo intelligibili, id eſt, Deum* k Dion. Carth. a. 13. in 1. Cor. 13. 12.
cognoſcimus nunc, id eſt, in præſenti exilio per ſpe-
culum, id eſt, per obſcuras imagines, ſcilicet crea-
tas eſſentias, quæ Dei naturam imperfectè, imò
obſcuriſſimè repræſentant. Non enim oſtendunt
quid Deus ſit, ſed quid non ſit. Nec oſtendunt
de Deo quid eſt, ſed quia eſt. Sic ergo videmus
per ſpeculum in ænigmate, id eſt, in umbroſa ſimi-
litudine, utpote in formis intelligibilibus, & Scri-
pturarum figuris ac tropis, in quibus modicum
quid Divinæ lucis reſplendet. Omnis namque
creata eſſentia, omniſque ſpecies intelligibilis in-
tellectum in hac vita perficiens, in infinitum oc-
cumbit, & deficit à perfectione Divinæ Naturæ.
Idcircò eam repræſentare non poteſt niſi obſcurè &
circumvelatè. Propter quod Diviniſſimus Dio-
nyſius dicit, Impoſſibile eſt aliter nobis lucere Di-
vinum radium, niſi circumvelatum variis vela-
minibus ſenſibilium rerum. Nunc cognoſco ex
parte, id eſt, imperfectè. Tunc autem cum ad pa-
triam venero, cognoſcam Deum, ſicut & cognitus
ſum ab eo, id eſt, clarè atque per ſpeciem, ſicut legi-
tur, Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia vide-
bimus eum ſicuti eſt l. Sic Seraphim, quos vidit l ex 1. Jo. 3. 2.
Iſaias m, recenſentur ſtetiſſe, & volaſſe, *Seraphim* m Iſai. 6. 3.
ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, &
volabant. Quæ duo eorum munia innuunt no-
bis requiem, & motum. Sed quomodo? Ni-
mirum requiem contemplationis ſeu viſionis,
quâ fruuntur Beati: & motum voluntatis ipſo-
rum per amorem. Hoc eſt exercitium Beato-
rum in cœlo, in hoc conſiſtit vera vita in cogno-
ſcendo

ſcendo & amando Deo. Atqui per peccatum impuritatis recedimus à Deo, & in hoc receſſu vitam amittimus, quæ conſiſtit in cognitione & in amore. In exercitio hujus peccati nulla eſt amplius cognitio: vitium iſtud excæcat. Idcircò Antiqui repræſentabant deum amoris cum velo præ oculis, figurabant eum nobis cæcum, eò quòd nullam haberet cognitionem. Benè quidem iſtud quantùm ad amorem profanum: ſed quoad Amorem Divinum, ipſe totus lucidus eſt & ſplendens, *In lumine tuo videbimus Lumen* n. Diſſipat omnes mentis tenebras, perfectas dat Dei notitias; & mulier ſpiritualis majorem habet Dei cognitionem, quàm habuerint aliàs omnes Philoſophi Ethnici.

n Pſ. 35. 10.

Amor igitur profanus eſt cæcus, quia cùm fervor vitii impuritatis ſit violentiſſimus omnium affectuum, voluntatem præcipitat in deordinationem, & omnibus luminibus mentis caliginem offundit, ſpecioſum iſtum rationis Solem obſcurat, privando intellectu, cùm amantes & amentes, qui ſunt ſynonymi, ſub eodem collocentur vexillo, & in eodem commorentur diverſorio, *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum: qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam* o. Quæ ultima verba ſic explicat Dionyſius Carthuſianus p, *Qui deſperantes, hoc eſt futuræ remunerationis fiduciam non habentes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, id eſt, turpitudini, luxuriæ, procedentes ex concupiſcentia in operationem immunditiæ omnis, id eſt, in opera totius fœditatis, nullum genus carnalium voluptatum omittentes, in avaritiam, id eſt, ex peccato luxuriæ etiam in avaritiam lapſi deſiderantes temporalia, ſine quorum uſu, libidini vacare non poſſunt. De talibus ſcriptum eſt per Sapientem* q, *Dixerunt impii apud ſe. Non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tanquam non fuerimus. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Luxurioſis nullum habet ampliùs amorem, quia illum totum refudit in creaturam, cui poſtpoſuit Deum, quia nullum alium agnoſcit Deum niſi delicias ſuas ſordidas atque voluptates: *Animalis autem homo, non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere* r. *Id eſt, carnalis & vitioſus, cujus affectus & intellectus in ſenſibilibus detinentur*, ait idem Carthuſianus †, *non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, id eſt, ſpiritualia bona. Sermo enim juſtitiæ, myſticus intellectus, cætera quoque Divina ei non ſapiunt, nec delectatur in eis, propter ſui interioris guſtus infectionem; ſicut febricitans non guſtat mellis dulcedinem propter exterioris ſui guſtus corruptionem. Stultitia enim eſt illi, id eſt, prædicta ſpiritualia & Divina videntur homini animali ſtulta & vana, quemadmodum in Eccleſiaſtico s dicitur, Execratio peccatori ſapientia: & non poteſt intelligere per internum ſaporem iſta Divina, quandiu permanet talis.* Præcipit Deus ut ipſum amemus amore electionis & appretiationis præ omnibus creaturis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* t. Intereà lubricus ſuam amans impuritatem, non poteſt amare Deum, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet* u. Cùm ergo creatura non poſſit ſimul & ſemel duo objecta diligere, amans impudicitiam, non poteſt diligere Deum, *Minus te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*, ait D. Auguſtinus x, Deum alloquens. Hoc enim eſt impoſſibile; quia voluntas tota fertur ad objectum amatum: amans ergo creaturam, nullo ducitur amore erga Deum. Admittitur enim hæc differentia inter intellectum & voluntatem has duas animæ facultates, quòd intellectus agit per aſſimilationem, voluntas autem per tranſmutationem, hæc eſt metempſychoſis ſeu tranſmigratio animarum à Pythagora excogitata. Intellectus non exit à ſeipſo mediis cognitionibus ſuis; videns aliquid mirabile, ſibi reddit illud ſimile. Voluntas verò è contrà egreditur è ſeipſa, & ſe transformat in objectum ſuum, ut ait proloquium commune, *Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat* †. Et D. Auguſtinus y, *Pondus meum, amor meus, eo feror quocumque feror.* Et D. Dionyſius z, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur.* Atqui ſenſualis homo amans concupiſcentiam ſuam, evadit ſicut objectum amatum, *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt* a; totum ſuum refundit amorem in creaturam, nihil illius ſibi reſervat quod in Deum referat, cùm voluntas ipſius ſe totam exhauſerit in amando objecto infami ſuarum voluptatum criminoſarum. Sicut dicuntur Pater & Filius, producentes Spiritum b ſanctum in unitate principii, ſeu ejuſdem voluntatis, non poſſe ampliùs producere aliam perſonam, quia ſe exhauſerunt in hac productione Spiritus ſancti: ſic ubi voluntas totum ſuum addixit affectum creaturæ, nullus ei ſupereſt amor, quem Deo conſecret. Heu miſera creatura, cùm vivat abſque amore Dei! Hæc eſt pœna damnatorum in inferno, ubi vivunt ſine cognitione & amore Dei, in quo conſiſtit hæc vita, *Profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè.*

o Eph. 4. 18. & 19.

p Dion. Carth. a. 4. in Eph. 4. 19.

q ex Sap. 2. 5 &c.

r 1. Cor. 2. 14.

† Dion. Carth. a. 2. in 1. Cor. 2. 14.

s ex Eccl. 1. 32.

t Matth. 22. 37.

u Matth. 6. 24.

x D. Aug. lib. 10. Conf. c. 29.

† Dion. Carth. a. 33. in Luc 17. 34. citã D. Aug.

y D. Aug. lib. 13. Conf. c. 9.

z D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

a Osee. 9. 10.

b Joan. 15. 26.

Mortuus es, Domine mi, qui crimini & voluptati indulges; ſolam habes viventis apparentiam, *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es* c. Vita conſiſtit in cognitione & in amore Dei; non vivis niſi vitâ animali, ſeu, ut ait Dionyſius Carthuſianus d, *Ab aliis per charitatem & gratiam vivere æſtimaris; & famam bonam per hypocriſin tuam ſortitus es; & mortuus es morte peccati. Spiritalis ſiquidem vita animæ eſt charitas, quam qui mortaliter peccat, amittit, ſpiritualiterque moritur, nec aliquem actum Deo placentem ac meritorium operatur.* Ha! Dominæ meæ, ſuſcepiſtiſne à Deo præclaras qualitates ut iiſdem eum offenderetis præ ingratitudine? Non benè argumentaremini, ſi diceretis, Deus ſpecioſum indulſit nobis corpus, faciem formoſam, ſanitatem firmam: ergo iſtis debemus in eum inſurgere. Animalia amant eos qui ipſis benefaciunt, hoc eſt naturale; & recta ratio exigit ut noſtros diligamus benefactores; hoc proprium eſt homini: ſed propriis donis à Deo ſuſceptis in eundem Deum inſurgere, hoc ſolis convenit diabolis.

c Apoc. 3. 1.

d Dion. Carth. a. 4. in Ap. 3. 1.

Prætereà, Peccatū impuritatis non ſolùm privat vitâ, ſed etiam deſtituit honore, & infamiam irro-

II Pars.

irrogat. Incomparabili nos affecit honore Deus, cùm noſtram evexit naturam per Incarnationem & per Crucem ſuam ſuper cœlos, & ſupra Angelos, *Et cùm iterùm introducit Primogenitũ in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi* e. Empyreum erat aliàs magis elevatum quàm terra, motum imprimebat terræ; ſed hodie terra cœlo imprimit motũ Empyreo. *Verbum caro factum* f *ubi venit plenitudo temporis* g, unicam & eandem ſemetipſum nobiſcum fecit carnem, individuum ſpeciei noſtræ; Dei Filius effectus eſt frater noſter, *Primogenitus in multis fratribus* h. Pater æternus *ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* i. Nos autem *membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* k. Sic *ſumus filij Dei: ſi autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* l. Noſtram extulit naturam ſupra Angelos, cùm *aſſumptus eſt in cœlũ, & ſedit à dextris Dei* m. Ante Incarnationẽ Angeli apparebant hominibus ſicut Deus *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob* n. Non loquebatur Deus, ſed Angelus, ut ait Cornelio, dicens: *Quia communis eſt Theologorũ cum ſancto Dionyſio ſententia, omnes Dei apparitiones in veteri Teſtamento factas eſſe per Angelos.* Ratio iſtius eſt, quia *Deum nemo vidit unquam* p. Super quæ verba dicit Dion. Carth. q, *Si hæc verba exponantur de viſione corporali, occurrit objectio de Jacob, qui de viſione tempore vigiliæ habitâ, ait in Geneſi* r *Vidi Dominum facie ad faciem. Sed hoc facilè ſolvitur, ut dicamus cum Auguſtino, quod non vidit Deum in propria perſona, ſed per creaturam ſubjectam, hoc eſt, per Angelum Dei præconem. Quomodo Manue pater Samſonis viſo Angelo locutus eſt conjugi ſuæ, morte moriemur, quia vidimus Dominum* s. Aliàs dixit Moyſes ad Dominum, *Oſtende mihi faciem tuam. Reſpondit, Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet* t. Non erat induſtrias Antiquus Moyſes: debebat enim Deo dicere, Parum meâ intereſt utrùm moriar, dummodò faciei tuæ viſione potiar. Angeli ſuperiores hominibus exigebant antiquitùs ab eis ſubmiſſiones & reverentias, ſed poſt Incarnationem *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* u.

e Heb. 1. 6, & 8. ex Pſ. 96. 8. & ex Pſ. 44. 7.
f Joan. 1. 14
g Gal. 4. 4.
h Rom. 8 29.
i Eph. 1 21 & 22.
k Eph. 5. 30
l Rom. 8. 10 & 17.
m Marc. 16. 19.
n Exod. 3 6
o Corn. in Ex. 3. 2. ex D. Dion. lib. de Cœl. Hier. c. 4.
p Joan. 1. 18.
q Dion. Carth. e. 5. in Jo. 1. 8
r Gen 32 30.
s Jud. 13. 22.
t Exod. 33. 13. &c.
u He 1. 14

Deus igitur elevavit naturam noſtram ſupra id omne quod eſt creatum. Ideò ô ſingulis nobis D. Leo x ait, *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus Naturæ* y, *noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Noſtram divinizavit carnem, eam ſanctificavit ineffabili Incarnationis ſuæ myſterio, & conſilium ejus in illo eſt ſitum, ut, cùm nos effecerit filios adoptivos Patris ſui, & fratres ſuos, efficiamur vivæ victæ ipſius imagines, ut ipſum repræſentemus in puritate, & in humiliationibus ipſius, & ut ipſi reverentias exhibeamus, ut dicere poſſimus præ veritate cum D. Paulo z *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Id eſt, ut explicat Dionyſius Carthuſianus †, *Vivo non ſolùm vitâ naturæ, ſed gratiæ: non vitâ humanâ, ſed Divinâ: non vita carnali, mundana & conſueta, ſed ſpirituali, cœliformi ac nova. Ideò ſubditur, Vivit vero in me Chriſtus, id eſt non ſecundùm meipſum vivo ſeu ago, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationem, voluntatem atque doctrinam. Chriſtus ergo vivit in me, id eſt, regnat in anima mea & poſſidet me, facitque me in ſe vivere.* Ita ut dum videtur Chriſtianus, inſpiciatur tranſumpta ex iſta Divinæ Puritatis origine imago, nec ullus ſit qui confuſionem ei irroget. Intereà peccatum impuritatis offendit iſtud myſterium, injuriam infert huic Carni innocenti *de Spiritu ſancto* a formatæ, inhonorat Incarnationem Filii Dei Capitis noſtri. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial* b?

x D. Leo ſerm 1. de Nativ. Dom. c. 3
y ex 2. P. c. 1 4
z Gal. 2. 20.
† Dion. Carth. a 2 in Gal. 2. 20.
a Matth. 1. 20.
b 2. Cor. 6. 14. & 15.

Deinde, Noſtram evexit Deus naturam per myſterium Crucis, quæ noſtræ fuit inſtrumentum reparationis & ſalutis; quam venerari debemus, cùm eâ uti voluerit Dei Filius ad complendum auguſtum iſtud myſterium. Hæc eſt thronus triumphorum ejus; gladius, quo ſuos devicit hoſtes, *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne* c. Et per hanc ſibi Regnum comparavit, *Regnavit à ligno Deus*, ait Eccleſia poſt D. Auguſtinum d, D. Cyprianum e, & Tertullianum f, qui verbis iſtis Pſalmiſtæ *Dominus regnavit*, addunt *à ligno*. Obſervatur quòd, cum D. Helena Conſtantini Imperatoris mater inquirendam ſatageret Chriſti Crucem, inimici fidei noſtræ ut memoriam illius è cordibus hominum abolerent, eam abſconderunt in terra, & collocaverunt idolum Veneris in eodem loco, in quo conſtituta erat iſta Crux adoranda. Nunquid non hæc eſt praxis hominum animalium, qui concupiſcentiis eſſrænibus ſuis laxantes habenas, delere volunt è cordibus ſuis cogitationem Crucis? In medio corde ſuo collocant idolum Veneris, affectum alicujus infamis creaturæ, & idololatræ efficiuntur, nedum veram revereantur Crucem, in cujus locum ſubrogant idolum. Idololatria in hoc eſt ſita, ut exhibeantur creaturæ honores, qui ſoli debentur Deo g, ut agnoſcatur facies aliqua pigmentis oblita, miſera aliqua creatura quaſi divinitas, ut ei thus offeratur, & omnes cogitationes, curæ, & affectus illi conſecrentur. Maledicti idololatræ, qui plantaverunt idolum Veneris in medio cordis, ad confuſionem Crucis Salvatoris, quorum infelicitas Apoſtolum h ad lacrymas ciet, *Multi enim ambulant, quos & flens dico inimicos Crucis Chriſti: quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Quæ verba ſic exponit Dionyſ. Carth. i, *Multi enim ambulant per vitiorum abrupta & vias perverſas; quos & flens ex compaſſione eorum, & dolore dico, id eſt, nomino eos inimicos Crucis Chriſti, id eſt, Chriſti Crucifixi, quoniam contra ejus doctrinam vitijs ſubjacent. Quorum finis, id eſt, mors erit interitus, id eſt, ingreſſus ſeu via æternæ damnationis, quam ſtatim cùm moriuntur incurrunt. Quorum Deus venter eſt, unde venerem plùs ſuum colunt quàm Deum. Quod autem quis maximè colit, hoc deus ejus aſſeritur. Et gloria horum vana, quâ in vitijs iſtis exultant, erit in confuſione ipſorum, id eſt, confuſibilis erit eis & inhoneſta coram Divino Judicio. Qui terrena ſapiunt, id eſt, in carnalibus potius quàm in ſpiritualibus delectantur.* Ideò jure meritò honorem amittunt propter impuritatem ſuam, ſicut prodigus labẽs in infamiam ita *ut paſceret porcos.* Idcircò digito demonſtrantur; *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix* k. Talis & talis, palàm dicitur, ſunt ſues infames, & jure meritò repelluntur ab honeſtis

c Oſee. 13 14.
d D. Aug in Pſ. 95. 10.
e D. Cyp. de Mont. Sinâ & Sion nũ. 49.
f Tert. lib. 3. contr. Marcion. c. 19.
g Exod. 20. 3. &c.
h Phil. 3. 18. & 19.
i Dion. Carth. a. 3 in Phil. 18 & 19.
k Luc. 7. 37.

circu-

l 1. Reg. 2. 30. circulis & conſortiis, quia verum eſt proloquium
Divinum, *Qui contemnunt me, erunt ignobiles* l.
Ignobilis eſt homo impudicus coram aliis, & in
ſeipſo. Palam hominibus, quia non eſt peccatum
turpius peccato impuritatis. Et in ſeipſo, quoniã
homo luxurioſus eſt veluti infernus portatilis.
Infernus eſt cloaca omnium ſordium: in eo eſt
m Iſai. 3. 24. *fœtor* m, & iſta invenitur in corde hominis impu-
dici; ipſe eſt hircus fœtidus, nam impudicos,
*cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & o-
mnes Angeli cum eo, ſeparabit, ſicut paſtor ſegre-
gat oves ab hædis* †. In inferno eſt *vermis*, qui *non*
† Matth. 25. 31. & 32. *morietur* n, id eſt, ſynderesis, remorſus conſcien-
tiæ: Heu! quot ſtimulis angitur iſtud cor, qui-
n Iſai. 66. 24. buſnam ſuppliciis excruciatur, videns ſe vitæ de-
ditum ſic animali. In inferis reprobi *famem pa-
o Pſ. 58. 7. tientur ut canes* o. Sic nunquam ſatiatur cor lu-
brici, quia concupiſcentiæ non ſunt vera animæ
alimenta, ipſaque ſemper eſurit poſt ſumptos
iſtos impuritatis cibos. In inferno eſt *ignis*, qui
p Iſai. 66. 24. *non extinguetur* p. Et luxuria *ignis eſt uſque ad
perditionem devorans, & omnia eradicans geni-
q Job. 31. 12. mina* q. In inferis nulla eſt libertas, ſed repro-
bi in miſeram redacti ſunt captivitatem, *Liga-
tis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tene-
r Matth. 22. 13. bras exteriores* r. Et hoc tertium infortunium
privationis libertatis perpetitur is, qui vitio im-
puritatis deditus eſt.

III. Pars. Domino vendit ſe prodigus, *Adhæſit uni
civium*. Suam amittit libertatem, quæ eſt privi-
legium noſtræ naturæ ſingulare præ cæteris cre-
aturis inferioribus, propter quam conſequendam
omnia commoventur, univerſa attentantur, &
bella ambiuntur. Leones in amphitheatris
concluſi ſaliunt, ſua mordent vincula, ut liberta-
tem quærant. Aves in caveis ſuis ſeſe alis excu-
tiunt, & ut ſuos infringant carceres, & libertatem
ſibi comparare conentur, caveas ſuas roſtris
ſuis percutiunt. Arbores ſuos elevant ramos
propter libertatem. Omnia ſunt propter eam,
& Deus illam reveretur & honorat, & hæc eſt
theſaurus qui ipſummet Deum ditat, nec hujuſ-
modi libertatis excellentiæ dignum aſſignari po-
teſt pretium,

Non benè pro toto libertas venditur auro.

Et tamen peccator, animalis & impudicus homo
ſe vendit, & libertatem ſuam prodit, *venundatus
s Rom. 7. 14. ſub peccato* s. Magiſque ſervus efficitur quàm
captivus ſcamno triremis adhærens, qui ſoli obe-
dit Eretarchæ ſeu remigii Præſidi, qui aliquod
ipſi quietis nocte ſaltem indulget intervallum:
ſed voluptuoſus tot habet dominos, quot affe-
t Jer. 16. 13. ctus pravos. *Servietis diis alienis die ac nocte,
qui non dabunt vobis requiem*, ait Jeremias t.
*Servus namque peccati, ſervus eſt tot domino-
u Petr. Cellenſ. lib. de Pan. c. 35. rum, quot vitiorum*, dicit Petrus Cellenſis u. Nul-
lam habet libertatem, illam amiſit pravâ conſue-
tudine peccati iſtius. Ut autem dirumpat hæc
vincula carnea, gratiâ indiget ſpeciali: oportet
x Pſ. 87. 16. ut Dei Filius ſit *in laboribus à juventute* x ſua
y Phil. 2. 8. *uſque ad mortem, mortem autem crucis* y. Quan-
tùm ad alia peccata, tantum non præbent illa
laborem Dei Filio, quantum tribuit ei peccatum
impuritatis. Videre hanc veritatem manife-
ſtam in duobus magnis peccatoribus, in Saulo, &
in Auguſtino. *Saulus adhuc ſpirans minarum &
z Act. 9. 1. &c. cædis in diſcipulos Domini* z, omnia vult profliga-
re: ſed falſo ducitur zelo. *Secus pedes Gamaliel
a Act. 22. 3. eruditus juxta veritatem paternæ Legis, æmulator
b 1. Tim. 1. 13. Legis* a, peccat præ infidelitate, *Ignorans feci in
incredulitate* b. Quomodo autẽ convertit illum
Deus? *Subitò circumfulſit eũ lux de cælo, & ca-
dens in terrã, audivit vocẽ dicentẽ ſibi, Saule, Sau-
le quid me perſequeris? Et tremens ac ſtupens di-
xit, Domine, quid me vis facere?* Deditionẽ ſub-
it confeſtim Saulus abſque ulla difficultate. Sed
Auguſtinus poſt multos annos in impuritate trã-
actos, immodicam experitur difficultaté deſeren-
dæ diſſolutæ vitæ ſuæ: *Suſpirabam ligatus, non
ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle
meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam
fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex volun-
tate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur li-
bidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini
non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi
anſulis quibuſdam ſibimet annexis, unde cate-
nam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervi-
tus. Non enim erat quod tibi reſponderem di-
centi mihi: Surge qui dormis, & exurge a mor-
tuis, & illuminabit te Chriſtus* c: *& undique* c Eph. 5. 14.
*oſtendenti vera te dicere, non erat omnino quod
reſponderem veritate convictus, niſi tantùm ver-
ba lenta & ſomnolenta, Modò, ecce modò, ſine
paululum. Sed modò & modò non habebat mo-
dum, & ſine paululùm, in longum ibat*, ajebat
ipſemet Auguſtinus d, Deum alloquens. Amiſe- d D. Aug. lib. 8. Conf. c. 5.
rat Auguſtinus ſuam libertatem, non potiebatur
ampliùs eâ, nec ab impuritate ſua potuit erui, niſi
ſpecialis gratiæ adjutus auxilio.

Triplex eſt libertas. Libertas naturæ, cui op-
ponitur neceſſitas. Libertas gratiæ, cui refragatur
peccatũ. Et libertas gloriæ, cui adverſatur corru-
ptio. Peccator amiſit libertaté gratiæ, & liberta-
té gloriæ; ſolam habet libertatem naturæ: quia
peccatũ debilitat ſolùm, ſed non deſtruit naturã.
Libertatem perdidit, quam Deus non compellit,
quippe quæ ſit nobiliſſima naturæ noſtræ præro-
gativa. Si autem inſimulari poſſet Deus impoten-
tiæ, illius argueretur ob libertatem noſtram,
quam non cogit, ſinens ut libera liberè agant.
Elementis violentiam infert Deus, efficiens ut
ignis e non cõburat in fornace Babylonica, ſed e Dan. 3. 50.
violentiam nullam unquã irrogat libertati f: & ſi f Eccl. 15. 14. &c.
executioni mandandum vult myſterium Incar-
nationis, conſenſum petit à S. Virgine, ad quam
mittit Angelum, cui illa reſpondet iſta conſenſûs
verba, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* g. Si- g Luc. 1. 26. &c.
militer quantùm ad juſtificationẽ peccatoris, non
utitur violentiâ Deus, & homo poteſt ſe illi oppo-
nere; & ſi velit homo, non juſtificabitur: ſed in
creatione nihilũ obedit Deo ſine difficultate, ni-
hilque aliud ei conſtat creatio niſi unico *Fiat* h. At h Gen. 1. &c.
voluntas hominis eſt illi rebellis, peccator aſſue-
factus peccato veluti vim patitur, *Impoſſibile enim
eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiã
donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus
ſancti, guſtaverunt nihilominùs bonum Dei ver-
bum, virtuteſque ſeculi futuri, & prolapſi ſunt;
rurſus renovari ad pœnitentiã*, ait D. Paulus i. *Im-* i Heb. 6. 4. &c.
poſſibile, id eſt, difficillimũ. Et Eccleſiaſticus k ait k Eccl. 48. 5.
aſſe res, à quibus non eſt reditus; *Ab inferis, de
ſorte mortis*. His addo, & à peccato conſuetu-
dinis, à quo non poteſt peccator, moraliter lo-
quendo, exire, imò non vult, *Velle meum tenebat
inimicus*, dicebat modò Auguſtinus. Ad illud
fertur homo præ neceſſitate, præſertim ſi ſit car-
nale: ſicut enim blanditur naturæ, ſi cogitat
homo illud confiteri, memoria illius inducit
eum ad voluptatem præteritam, ideò *impoſſibi-
le*. Hoc patet in invitatis; *Primus dixit, Vil-
lam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam:
rogo te, habe me excuſatum*. Ecce urbanitas.

Et alter dixit Juga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum. Ecce prætextus. *Et alius*, nempe is qui conjugem duxerat, abſolutè & inurbanè *dixit*, *Uxorem duxi,*
l Luc. 14. 18. &c. *& ideò non poſſum venire* l. Eò quòd libertatem perdidiſſet. Interrogare David, & reſpon-
m 2. Reg. 11. 2. &c. debit, *Non poſſum.* Quare? Quia Bethſabee m conjecit illum in vincula. Salomonem, & di-
n 3. Reg. 11. 1. &c. cet, *Non poſſum.* Quoniam mulieres alienigenæ abſtulerunt ei libertatem n. Samſonem, &
o Jud. 16. 1. &c. dicet ſimiliter, *Non poſſum.* Quia Dalila redegit eum in ſervitutem o.

Cùm quis eſt in faſtigio montis præcipitiis circundati, ſi inde labatur, totum corpus in præceps it veluti præ neceſſitate: peccatum conſtitutum eſt in lubrico, ſi ceciderit quis, in præceps abit, proclivitas magna eſt, in peccatum tenditur veluti præ neceſſitate, & ineo conſtitutus
q Job 15. 16. *homo, bibit quaſi aquam iniquitatem* q. Peccatum eſt in centro ſuo in corde peccatoris. *Elementa non gravitant neque levitant in centro*, ajunt Philoſophi, ut patet de ſitula in puteo. In Juſtis peccatum pondus habet præ inquietudinibus, ſynderesibus, remorſibus, non eſt ibi in centro: videre verecundam puellam: erubeſcit, cùm laudatur ob aliquem defectum, *Erubuit, ſalva res eſt.* Non eſt ibi peccatum in centro: ſed peccatores hunc pudorem amiſerunt criminis, *Lætantur cùm malefecerint, & exul-*
r Prov. 2. 14. *tant in rebus peſſimis* r. Imò verò *impius cùm in profundum venerit peccatorem, contemnit* s o-
s Prov. 18. 3. mnem inſpirationem, omne bonum exemplum, & omnem affectum Dei, quia apud eum peccatum tranſivit quaſi in naturam. Verum quidem eſt quòd *ſepties cadet Juſtus* t. Sed iſte caſus po- t Prov. 24. 16.
tiùs dicendus eſt deſcenſus, quàm lapſus, cùm ſolas dicat imperfectiones naturæ, & non peccata. *Et reſurget* ita velociter, ſubdit Salomon, ut videatur non cecidiſſe. Et id confirmat David, *Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam* u. Sed impios cogit quaſi neceſſi- u Pſ. 36. 24.
tas, *Impii autem corruent in malum* x. Quia libertatem amiſerunt. x Prov. 24. 16.

Peccator eſt *venundatus ſub peccato* y. Suam y Rom. 7. 14.
perdidit libertatem. Quid ergo faciendum eſt illi, ut eam recuperare poſſit? Ecce tria remedia. Primum, Fugere debet occaſiones, incedere ſoper ruinas Davidis, Salomonis, & Samſonis, & dicere Deo cum Davide z, *Viam iniquitatis amove à me: averte oculos meos, ne videant vanitatem.* z Pſ. 118. 29. & 37.
Secundùm, *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium* a. Id eſt, macerandum eſt cor- a Math. 17. 21.
pus jejuniis, pœnitentiis mortificationibusque debilitandum, cùm illius pinguedo noſtræ ſaluti æternæ peragendæ officiat, & ruinam noſtram moliatur omnimodam. Tertium, Oratio, quam ſuadet nobis D. Matthæus, quam dirigere debemus ad B. Virginem, ad D. Joſephum; Sancti enim plurimum poſſunt, ad noſtrum Angelum Cuſtodem ut cingat nobis renes, ſicut aliàs Angelus alius cinxit renes D. Thomæ Aquinatis in cuſtodiam puritatis: ad adorandum Sacramentum, quod *eſt Frumentum Electorum, & Vinum germinans Virgines* h. Id eſt, Deus puritatis. Sic h Zach. 9. 17.
gratià adjuti eximimur ex hoc vitio, & libertate donati, glorià tandem fruemur.

FERIA III. POST DOMIN. III. QUADRAGESIMÆ:

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. &c.
Matth. 18. 15. &c.

Quis non intueatur, quòd præceptum iſtud, quod nobis facit his horis matutinis Dei Filius fratris noſtri ſeu proximi corrigendi, ſimilitudinem habet & convenientiam cum illo mandato, quo præcepit Patriarcha Jacob filiis ſuis in Ægyptū ad emendū triticum pergentibus, ut ad ſe ſalvū reducerent natu minimum ſuum filium Benjamin, quem ipſis committebat, ſub pœnis graviſſimis incurrendis, imò verò ſub pœna peccati lethiferi, ut dicunt aliqui, fortè innixi his verbis Judæ dicentis? *Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require illum; niſi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore* a. Je-
a Gen. 43. 9. &c. ſus Chriſtus in Evangelio noſtro præcipit nobis ſub iiſdem pœnis peccati, ut curam ſuſcipiamus fratris noſtri proximi in via peregrinationis hujus mortalis, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe.* Et ſi proficuè utatur correctione à te ſibi charitativè impensâ, red-
b Matth. 6. 9. des eum ſalvum Deo, qui eſt *Pater* b illius, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ut autem iſtis correctionis charitativæ exercendæ muniis ritè perfungamur, expedit ut ſuavitatem inſumamus, ſicut dulcedine uſa eſt B. Virgo audito nuncio affligente futuræ maternitatis ſuæ, poſt emiſſum votum perpetuæ virginitatis à ſe Deo conſecratæ, reſpondens ſua-
c Luc. 1. 34. &c. viter, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco* c, Angelo myſterium Incarnationis annuncianti, & dicenti ipſi, *Ave Maria.*

Præceptum de impendenda proximo noſtro, qui peccavit, fraterna correctione, non eſt ita exigui momenti, ut illius executio non ſit ita difficilis, ut ritè mandetur operi, ac mortui ſuſcitatio. Ad veritatis hujus probationem dicit D. Augu-
d D. Aug. lib. 12. contra Fauſt. c. 35. ex 4. Reg. 4. 29. &c. ſtinus d, *Mittit Eliſeus per ſervum baculum ſuper mortuum, & non reviviſcit: venit ipſe, conjungit & coaptat ſe morti ejus, & reviviſcit. Miſit ſermo Dei Legem per ſervum ſuum, nec profuit ſu peccatis mortuo generi humano, quæ tamen non ſine cauſa miſſa eſt: ille enim miſit, qui ſi ſciret eam priùs eſſe mittendam: venit ipſe, conformavit ſe nobis, factus particeps mortis noſtræ, & vivificati ſumus.* Eædem circumſtantiæ, quas obſervat Propheta in ſuſcitatione filii mortui Sunamitidis, inveniri debent in correctione fraterna, ut appoſitè & proficuè fiat, cùm ſuſcitāda ſit anima per peccatū mortua. Primò, Ille qui eſt correcturus, debet ut alter Eliſeus eſſe in monte ſolitudinis ſuæ, nedū curioſè inquirat, utrùm filius Sunamitidis mortuus ſit, aut vivat; ſed expectare donec illud diſcat à matre ejus, quæ *venit ad Virum Dei in montem Carmeli* e. Id eſt, non debet eſſe cu- e 4. Reg. 4. 25. &c.
rioſus alienæ vitæ cēſor. Secundò, Statim ac monetur alicujus defectus, aut praxis alicujus pravæ exercitæ ab aliquo, ubi agitur de ſalute proximi, & de offenſa Dei; non debet inſtar Eliſei illico ad peccantem mittere diſcipulum, id eſt, quandiu peccans eſt adhuc in fervore criminis, & paſſionis cietur impetu: ſed expectare aliquādiu

dooec

donec ratio delinquentis reſtituta ſit in ſedem ſuam rectam. Tertiò, Mittere non debet ad eum ſicut Eliſeus diſcipulum tollentē *baculum*, quia non ſuſcitaret eum qui mortuus eſt per peccatum: id eſt, cùm correcturus eſt peccantem, adhibere non debet contemptum, verba rudia & imperialia, aut indignationem, quia nihil proficeret erga illum. Quartò tandem, Debet illum adire in propria perſona, ut fecit Eliſeus, qui *ſurrexit, & ingreſſus eſt domum: ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe: & aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* Id eſt, claudere debet januam conclavis, ut ſit ſolus cum ſolo, & ſic meliùs conſulat famæ delinquentis, cui injuria poſſet irrogari ex notitia quæ haberi poſſet peccati ipſius: ibique ſe accommodare captui ejus, abbreviando ſe præ compaſſione intuitu peccati illius, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Videamus igi-

Diviſio. tur has quatuor circumſtantias, quæ quadruplicem diſcurſus iſtius conſtituent partem.

I. Pars. Eliſeus apud ſe in ſolitudine degens, diſcit à Sunamitide mortem filii ipſius, nedum curioſè illam de interitu illius inquirat: ut ſic edoceat nos, quòd ſi velimus arguere, & ritè perfungi hoc præcepto correctionis exercendæ, quod eſt obligatorium peccati lethiferi, ut oſtendit D. Thomas f, dicens, *Cùm fraterna correctio ad fratris emendationem ordinetur, tunc eſt in præcepto, quando evidens eſt ejus ex correptione fructus.* Non oportet ut curemus ſcire peccata proximi noſtri, & inquirere de domo in domum, aut de platea in plateam, vitam alienam: proprium enim eſt invidis, & inimicis perſcrutari peccata quæ committuntur, & omnia obſervare, ut illa cenſuræ ſuæ ſubjiciant: ſed requiritur ut illud videamus, aut illius ab aliis moneamur. *Si peccaverit in te, id eſt, te ſciente*, ut explicat Dionyſius Carthuſianus r poſt D. Auguſtinum. Tunc enim tenemur illum corrigere: ſi antè taceamus, tunc propter ſilentium noſtrum, ejuſdem criminis conſcii efficimur, quia, ſecundùm Legem, *Scienti & conſentienti peccatum eſt illi.* Et, *Qui tacet, conſentire videtur.* Vobis loquor, Auditores, qui cùm intereſtis circulis aut ſocietatibus, in quibus Deus offenditur, & proximus læditur, ne diſpliceatis domino tali, vel dominæ tali, neve odium illorum incurratis, nihil dicitis & tacetis, quaſi muti eſſetis & cæci, & ideò ſinitis criminosè ut omnia peragantur & dicantur. Scitote autem quòd rationem exiget à vobis Deus de ſilentio veſtro, quod non poteſt eſſe niſi conſcium criminis in occaſione, in qua loquela & magnanimitas erat neceſſaria. Auſcultate præceptum, *Si peccaverit in te*, &c.

f D. Th. 2.2. q. 33 a.2. in concl.

r Dion. Carth. a. 32. in Matth. 18 15.

Cùm correctio fraterna ſit eleemoſyna ſpiritualis, reducitur ad idem mandatum, & obligat eo modo quo corporalis, & *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc dicet, Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum* s: &c. Quod intelligitur de eleemoſyna ſpirituali æquè ac de corporali, cùm utraque æqualiter obliget, *Per corporales miſericordiæ actus dantur intelligi ſpiritualia opera, quæ illis præſtantiora & magis meritoria perhibentur*, ait Dionyſius Carthuſianus t. Chriſtus enim eſurit & ſitit ſalutem peccatoris, cùm Samaritanæ *dicit, Da mihi bibere.* Et quando ſuis diſcipulis *dixit, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis* u. Nam tunc datur Chriſto cibus & potus, cùm corrigitur proximus in nomine ejus, & conſequenter ex correctione emendatur. D. Thomas x dicit, *Quòd omnia præcepta quæ pertinent ad impendendum aliquod beneficium proximo, reducuntur ad præceptum de honoratione parentum* y. Alii illud referũt ad mandatũ iſtud, *Non occides* z. Quod intelligi debet de occiſione non corporali hic, ſed de ſpirituali: multò enim nobilior eſt vita animæ quàm corporis vita: ut ſi videretis aliquem fame pereuntem, & valentes ei eleemoſynã erogare, eam illi denegaretis in hac extrema neceſſitate conſtituto, conſcii eſſetis mortis ejus, vulgò enim dicitur, *Non paviſti, occidiſti.* Sic ſi intuentes aliquẽ conſtitutũ in ſtatu peccati lethiferi, quod mortem infert animæ, *Peccatum cùm conſummatũ fuerit, generat mortẽ* a; & valentes eũ inde eruere mediâ correctione fraternâ, eum illinc non educitis, illum interimitis, *Non paviſti, occidiſti.*

s Matth. 25. 31. &c.

t Dion. Carth. a. 40. in Matth. 25 46.

u Joan. 4 7. & 32.

x D. Th. 2.2. q. 33. a. 2. in corp. ad 2.

y Exod. 20. 12.

z Exod. 20. 13.

a Jac. 1. 15

Infero etiam neceſſitatem & ſtrictam obligationem exercendæ à nobis correctionis charitativæ erga proximum noſtrum qui deliquit, ex his verbis quæ dixit Iſaac filio ſuo Eſau, *Sume arma tua pharetram, & arcum, & egredere foras: cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum ſicut velle me noſti, & affer ut comedam: & benedicat tibi anima mea* b. Ut conciliemus nobis benedictionẽ Dei, oportet ut incumbamus venationi animarum errantium in ſolitudine peccati, quæ capiuntur pharetrâ & arcu correctionis fraternæ, quæque ſunt *pulmentum* delicatiſſimum quo veſcitur Deus, quodque præ tanto à nobis requirit ardore, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Statim atque audieritis aliquem peccato aliquo inquinatum, & praxi alicui crimino ſæ indulgere, adite eum ut illi eleemoſynam erogetis ſpiritualem correctionis: Deus expectat iſtud officium à charitate veſtra, & ad illud vos obligat per præceptum, quod mortem vobis inferet, ſi vitam præſtare indigenti renuatis.

b Gen. 27 3. & 4.

Nolebat Deus antiquitùs ut accederet *homo ad miniſterium ejus, ſi vel parvo, vel grandi, vel torto naſo* c. Naſus eſt ſymbolum prudentiæ. Illi habent naſum minorem quàm par ſit, qui ſuſcipere nolunt correctionem, *Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur* d. Quod ſic exponit Hugo Cardinalis e, *Viro qui corripientem durâ cervice, id eſt, obſtinatâ ſuperbiâ; vel ſuperbâ obſtinatione contemnit; repentinus ſuperveniet interitus æternus; & eum ſanitas, id eſt, corporis & animæ impaſſibilitas non ſequetur poſt hanc vitam.* Vel, ſi vultis, inſanabilis erit, cùm renuat remedium, quod poſſet ipſi mederi. Illi ſunt *torto naſo*, qui omnia in malam uſurpant partem, & veluti veſpæ fœdæ ex optimis floribus venenum exprimunt, & veluti luſci videntes aliquam actionem indifferentem, interpretantur eam in ſiniſtram partem, & condemnant eam ut criminoſam: in hoc veri imitatores dæmonũ, qui omnia condemnant indifferenter & ſine causâ; & inde hujuſmodi homines innumera formant judicia temeraria, famæ proximi injurioſa in re gravi, & fortaſſis illa nunquam confitentur, quod pejus eſt. Illi verò ſunt *grandi naſo*,

c Levit. 21. 18.

d Prov. 29. 1.

e Hug. Card. in Prov. 29. 1.

aur longiori quàm expediat, qui ſcire volunt vus illicitis & curioſitate damnabili cogitationes alienas, defectus & culpas proximi, quidnam bulliat in ollà uniuſcujuſque, ut dicitur, qui eunt domo domum, inquirentes modum vivendi alienum; ſimiles cucurbitulis Chirurgorum, quæ putrido replent ſe ſanguine; aut veſpis & corvis quieſcentibus ſuper cadaveribus. Deus illos omnes à ſuo expellat miniſterio & obſequio.

Scitiſne quinam ſint illi qui debent habere naſum longum ad odorandum à longè? Prælati, Magiſtratus, Parentes, Concionatores. Prælati ad corrigendos abuſus, ad deſtruendas pravas conſuetudines, & introductiones pernicioſas quæ illabuntur in urbes, ad auferendos ludos illicitos, & ad reſecandas malas ſocietates, & praxes periculoſas quæ bonos corrumpunt mores. Hæc omnia decent Magiſtratus civitatum, in his ſita eſt eorum obligatio, niſi velint exactam de negligentiâ hujuſmodi Deo reddere rationem, æquè ac Prælati, de quibus loquens
f Hebr. 13. 17. D. Paulus f, hæc terribilia verba profert, *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Parentes liberorum ſuorum obſervare debent mores, ne in vitia ruant, *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos à pueritiâ illorum. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad*
g Eccl. 7. 24. & 25. *illas* g. Prædicatores, quibus incumbit in vitia invehi, quorum notitia ad ipſorum pervenit aures.

Hic autem eſt obſervandum, quòd duplex eſt correctio. Una eſt communis & publica, quæ bonum intuetur commune & publicum; & hæc eſt cùm Superiores, Magiſtratus, Judices, & alii qui vigent authoritate, puniunt delinquentes & reos ob bonum publicum, & iſta correctio eſt juſtitiæ. Altera correctio eſt fraterna & particularis, quæ fit charitativè & ſecretò *inter te & ipſum ſolum.* Et de hâc loquimur nunc, quæ omnes univerſaliter aſtringit fideles, quia *Deus mandavit illis unicuique de proximo*
h Eccl. 17. 12. & 12. *ſuo* h. Si enim præcepit nobis ut diligamus ipſum *ex toto corde* noſtro; confeſtim juſſit & nobis ut diligamus noſtrum *proximum ſicut* i nos-
i Matth. 22. 37. & 39. ipſos; & qui fecit unum præceptum, fecit & alterum: idcircò niſi præceptum iſtud correctionis adimpleamus, & incuriâ noſtrâ frater noſter animæ ſuæ jacturam incurrat, Deus rationem ruinæ proximi noſtri à nobis expetet. Si autem aliàs queſtus eſt de Levitâ, qui *plagis impoſitis ſemivivo relicto* homini à latronibus, non ſuccurrit, ſed è contrà *cùm eſſet ſecus locum, & vi-*
k Luc. 10. 30. &c. *deret eum, pertranſiit* k, nedum miſereretur illius, ſicut nec ejus miſertus eſt *Sacerdos*: Heu! quid non aget contra nos, niſi conemur mederi fratri noſtro ſauciato ulceribus lethiferis peccati? niſi applicemus ei remedium correctionis, cujus expreſſum nobis facit Deus præceptum, nonne crudeles erimus, & penitus inhumani?

Dicite mihi, quæſo, Si inveniremus aliquem aut in mari, vel in terrâ in neceſſitate corporis conſtitutum, nunquid non charitativum teneremur ei impendere obſequium corporeum? Quanto ergo potiori ratione aſtringeremur ei ſuccurrere conſtituto in neceſſitate animæ, cùm eſt in ſtatu peccati? Quæ enim major neceſſitas reperiri poteſt eâ, in quâ agitur de periculo æternæ ſalutis animæ? Claudemuſne tunc viſcera Chriſtianæ miſericordiæ? Idem qui præcepit nobis diligendum proximum, juſſit & eum corripiendum. Amare eum, eſt illi velle bonum; quia poſtquàm perierat, recuperatur, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Ergo perie-*
rat, concludit D. Auguſtinus l. Illi qui charitativam impendunt correctionem, verè ſunt *piſcatores hominum* m, & *Dei cooperatores* n ad operandam eorum ſalutem, *Hoc dicit ſanctus Apoſtolus in perſonâ habentium facultatem faciendi talia opera miſericordiæ*, ait Dionyſius Carthuſianus o: & redemptores animarum; licèt enim ſit ſolus, *unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus; qui dedit redemptionem, ſemetipſum pro omnibus* p; tamen illis vult uti quaſi inſtrumento converſionis eorum agendæ accommodo, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Non dicamus igitur ſicut Cain, *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego* q? Si incurrere vult jacturam æternam, quid meâ intereſt? ipſe ſua, ſi velit, negotia agat, & ſuæ ſaluti conſulat: certum eſt enim; quòd unuſquiſque ſollicitus eſſe debet de proximi ſui ſalute. *Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet: & non continuo extrahet illum* r? Nemo ſanè erit ex vobis, qui ſtatim non ſuccurrat ei: & tamen labitur anima creata *ad imaginem & ſimilitudinem* s Dei, in abyſſum peccati, & damnationem æternam incurrit, & nemo ei auxiliatur. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* t!

l D. Aug. ſerm. 16. de Verb. Dom. c. 3.
m Matth. 4. 19.
n 3. Joan. V. 8.
o Dion. Carth. enarr. in 3. Jo. V. 8.
p 1. Tim. 2. 8.
q Gen. 4. 9.
r Luc. 14. 5.
s Gen. 1. 27.
t Jer. 2. 12.

Lex naturæ clamat voce contentâ, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis* u. Quæ verba D. Auguſtinus x ſic interpretatur cum aliis, *Quæcumque vultis ut faciant vobis bona*, nulla habitâ ratione concupiſcentiæ, quæ renuit & non vult ſuſcipere correptionem. Diligere eſt effectivè & realiter, ac corrigere, non verò fictitiè & verbis ſolis, utendo ſimulatione, & tegendo vitia & imperfectiones. *Si neglexeris pejor es. Pejor es tacendo, quàm ille conviciando* y. Illud eſt verum, ait vobis D. Auguſtinus, Auditores; vobis non blandior, jacturam incurritis, nec id tamen advertitis, nedum aliquo angamini ſtimulo conſcientiæ ob ſilentium veſtrum ad corripiendos defectus alienos, quod ſine prælio inſurgit in Deum. Et hanc veritatem confirmat Gloſſa Ordinaria z, *Ita peccat qui videns fratrem ſuum peccare, tacet, ſicut qui pœnitenti non indulget.* Sic D. Paulus reſtitit D. Petro *in faciem, quia reprehenſibilis erat, Si tu Judæus cùm ſis, Gentiliter vivis, & non Judaicè: quomodo Gentes cogis judaizare* a? inquiens. Super hæc autem D. Auguſtinus b ait: *Ipſe verò Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſanctâ ac benignâ pietate humilitatis accepit, atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus, pro defendendâ Evangelicâ veritate, ſalvâ fraternâ charitate reſiſtere.* Sed in hoc eſt ſemper obſervandus aliquis ordo, & procedendum eſt cum prudentiâ & reverentiâ, nunquam verò cùm deſpectu & arrogantiâ.

u Matth. 7. 12.
x D. Aug. libr. 4. de Civit. Dei, c. 8.
y D. Aug. ſerm. 16. de verb. Dom. c. 4.
z Gloſſ. Ord. in Matth. 18. 15.
a Galat. 2. 11. & 14.
b D. Aug. epiſt. 19. c. 11.

Prædicatoribus, qui corripere debent, Deus ſingulis præcipit, *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, & audies de ore meo verbum. Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annunciaveris ei, neque locutus fueris*

ut

ut avertatur à viâ ſuâ impiâ, & vivat: ipſe impius in iniquitate ſuâ morietur: ſanguinem ejus de manu tuâ requiram c. c Ezech. 3. 17. & 18. Nolite vituperare zelum meum in corripiendis vobis, Auditores: invehor in peccata in genere, & non in ſpecie. Non vobis debet diſplicere ſi vobis ſalutis viam oſtendam, ne dicat mihi Deus, *Peribit infirmus in tuâ conſcientiâ frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt* d. d 1. Cor. 8. 11.

II. Pars. Secunda circumſtantia ad rectè & proficuè inſumendam correctionem, in hoc eſt ſita, quòd ſtatim ac didicimus defectum fratris noſtri, non illico eſt corripiendus à nobis, ne fortè cùm adhuc calore & fervore paſſionis æſtuet, magis à nobis exacerbetur, ſicut ſi exiret è ludo, ubi pecuniæ ſuæ incurriſſet jacturam; tunc enim majus ei inferremus malum, quàm ei irrogaremus bonum aliquod. Idcircò expectandum eſt tempus opportunum, quo diſpoſitus ſit ad nos æquo animo audiendos, ſi velimus ut correctio noſtra ſuſcipiatur ab eo, eique proficiat, nedum vana ſit & inutilis. Obſervandus eſt modus corrigendi Abigailis intuitu viri ſui Nabalis, nam cùm eſſet *cor Nabal jucundum: erat enim ebrius nimis: non indicavit ei verbum puſillum, aut grande uſque manè: diluculò autem cùm digeſſiſſet vinum Nabal, indicavit ei uxor ſua verba hæc* e. e 1. Reg. 25. 36 & 37. Aut imitandus Nathan corrigens Davidem adulterii & homicidii ſui, nam præmiſsâ ſuavi parabolâ, quâ cor Regis ad ſuſcipiendam correctionem diſpoſuit, concluſit tandem, *Quare ergo contempſiſti verbum Domini ut faceres malum in conſpectu meo? Uriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi? Hæc dicit Dominus* f. f 2. Reg. 12. 1. &c. Vel agendum more D. Monicæ erga virum ſuum; non autem inſtar morum hujus temporis adversùs ſuos maritos; aut virorum erga ſuas conjuges, qui totam commovent domum, & omnia replent clamoribus, eò quòd impendendæ correctioni tempus non expectant opportunum.

Si autem ſcire vultis, utrùm debeatis impendere correctionem, dubitantes an correctio veſtra futura ſit proficua, aut non. Reſpondeo, vos prudenter acturos, ſi eam impendatis ſuppoſitis ſemper conditionibus, quas præſcribimus: forſan enim tunc proderit. Eam impendit D. Joannes Baptiſta Herodi, ſciens hujuſmodi correctionem injucundam ei futuram, & ex eâ exacerbandum illum adversùm ſe, & tamen hoc non impedivit, quin dixerit ei, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* g. g Marc. 6 18. ex Levit. 18. 16 Praxis tua criminoſa, eſt lapis offenſionis & petra ſcandali toti Regno tuo; illicitè abuteris proprii germani conjuge. Idem peragere poſſumus nos in dubio. Non ceſſat Medicus pharmaca præſcribere, etiamſi ægrotus ea reſpuat. Non debet infirmus iraſci contra Chirurgum, ſi membra ipſi reſecet, ut totum conſervet: hæc ſævitia apparens, eſt vera & realis miſericordia.

Duo ſunt genera Divinorum mandatorum. Alia ſunt affirmativa, inquiunt Theologi. Alia verò negativa. Mandata negativa obligant ſemper, & pro ſemper, quia prohibent malum, quod nunquam licet committere. Mandata affirmativa præcipiunt bonum, ſed aliqua datur intermiſſio, obligant quidem ſemper, ſed non pro ſemper. Præcepta negativa adſtringunt ſemper, & pro ſemper, ſicut, *Non furaberis* h. h Rom. 13. 9. Nunquam enim licet bonum ſuffurari alienum: & alia ſimilia, quia ex ſe prohibent res, quæ ex ſe ſunt malæ. Mandata affirmativa obligant quidem nos ſemper, ſed non pro ſemper: idcircò oportet expectare tempus hujuſmodi peragendæ correctioni accommodum, nedum utamur præcipitatione in re tanti momenti, è quâ pendet ſalus æterna proximi noſtri. Termini præcepti, ad quod nos obſtringit Deus adimplendum, iſtam nos edocent moram inſumendam, *Si peccaverit in te frater tuus.* Oportet ut offenſa, aut mala ædificatio ab eo præbita proximo, præcedat. *Vade.* Peragendum eſt iter, quod ſupponit tempus, *Si opus eſt etiam corporis greſſu* i. i Dion. Carth. a. 34. in Matth. 18 15. *Et corripe eum.* Interdum enim invenitur reluctantia & reſiſtentia in eo, qui corrigendus eſt, & hæc difficultas eſt induſtriè ſuperanda mediâ manſuetudine, quâ rapiatur cor illius, cùm plures capiantur apes dulcedine, ut dicitur, quàm aceto, id eſt, exacerbatione quæ corda indurat, nedum ea emolliat, ſicut illa emollit ſuavitas, quæ eſt tertia circumſtantia.

III. Pars. Eliſeus mittendo famulum ſuum tollentem *baculum in manu* ſuâ, non ſuſcitavit filium Sunamitidis, *Giezi autem poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus* k. k 4. Reg. 4. 29 & 31. Ut diſcamus, quòd in materiâ correctionis, rigor eſt inutilis, quòd non eſt corripiendum verbis acribus & aſperis, ſed terminis ſuavitate redundantibus, *Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur* l. l Pſ. 89. 10. Super quæ ait Incognitus m, m Incognit. in Pſ. 89. 10. *Ex hoc, quòd manſuetudo Dei nos corrigit, notatur, quòd, alium corrigere volens, à manſuetudine & miſericordia incipere debet. Unde, Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me* n. n Pſ. 140 5. *Quamvis enim correctio quandoque ſeveritatem requirat, ſemper tamen à miſericordia & manſuetudine incipere debet.* Oportet ut manſuetudo ſit inſeparabilis à correctione, quæ impendenda eſt non præ odio, ſed præ deſiderio emendationis ſatagendæ.

Iſtis in occaſionibus unuſquiſque debet cogitare de ſe, juxta conſilium D. Pauli o, o Galat. 6 1. *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Et credere, quòd ſi ipſum Deus dereliqueret, in majora crimina impingeret. *Plerumque enim mentem ſub obtentu juſtitiæ, iræ immanitas vaſtat, & dum quaſi ſævit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, juſtèque ſe facere æſtimat, quidquid ira nequiter dictat. Unde & modum ſæpè ulciſcendi tranſgreditur: quia menſura juſtitiæ non frænatur. Dignum quippe eſt, ut cùm aliena corrigimus, priùs noſtra metiamur, ut prius mens à ſua accenſione deferveat, priùs intra ſemetipſam zeli ſui impetum tranquilla æquitate componat, ne ſi ad animadvertenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, & qui culpam dijudicando ſubſequimur, immoderatè feriendo ſæviamus,* ait D. Gregorius p. p D. Greg. lib. 26. mor. c. 36 Et Abbas Arſenius diſcens caſum alicujus, dicebat, *Hodie illi, cras mihi.* Et D. Paulus q q 1. Cor. 10. 12. nonne monet? *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* D. Joannes r r Apoc. 2. 2 &c. autem volens corrigere quendam Epiſcopum, hoc ſuavi procedit modo, *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam.* Priùs blanditur illi, captat illius benevolentiam, ut meliùs ei correctionem ſuam inſpiret. *Sed habeo adversùm te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, &*

prima

prima opera fac. Ecce modus obſervandus in corrigendo fratre noſtro qui deliquit; adhibenda eſt manſuetudo, & noſtra proderit ei correctio. Quid agere intendis, Frater mi? Viſne perſeverare ſemper in criminibus tuis, & ſeneſcere in pravis tuis conſuetudinibus? Nunquid exire non vis ex his ſordibus quæ cœlum inficiunt? Velleſne mori *in peccato* s tuo, *inimicus Dei* t conſtitutus, nedum unquam ſis contemplaturus in gloriâ vultum, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* u? Egredere, egredere, Frater mi, è tuorum labyrintho infortuniorum, & noli hanc injuriam irrogare Chriſto, ut dicatur de te, quòd perſeveres conculcare *Filium Dei*, *& Sanguinem Teſtamenti pollutum* ducere, *in quo ſanctificatus es, & ſpiritui gratiæ contumeliam* x facere. Deſere, Frater mi, vitium, ut virtutem ampléctaris. *Propterea expectat Dominus ut miſereatur* y tui, & impendat præmium operibus tuis debitum, paratus tibi dare *mercedem* z, ſi velis labori bonarum actionum vacare. Noli inducere eum per ſcelera tua, ut decretum mortis ferat adverſùm te, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur: & impietas impii erit ſuper eum* a. *Adi ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam* conſequaris, *& gratiam in auxilio opportuno* b invenias.

s Jo. 8. 21.
t Jacob. 4. 4.
u 1. Petr. 1. 12.
x Hebr. 10. 29.
y Iſai. 30. 18.
z Matth. 20. 8.
a Ezech. 18. 20.
b Hebr. 4. 16.

Qui arcum tendit, ut jaculum vibret, priùs ipſum pectori ſuo applicat: correctio eſt ſagitta, quæ dirigitur ad proximum; hæc autem priùs eſt propè admovenda ad cor præ amore, ut ſuum ſortiatur effectum, & effectus intentus ſit ſalutaris ei qui corrigitur. Ecce, Auditores, quomodo procedere debemus in corrigendo fratre noſtro: aliter enim agentes, quantâvis virtute ſimus inſignes, nihil protinus illi proderimus. Giezi erat vir probus, Eliſeus erat ſanctus, mater pueri pia, puer innocens: & tamen Giezi illum non ſuſcitat baculo: ſed oportet ut veniat Propheta, & claudat oſtium, & puero incubet, ut illum ſuſcitet.

IV. Pars.

Surrexit ergo, & ingreſſus eſt Eliſeus domum; ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum: & aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri c, &c. Hæc eſt ultima circumſtantia obſervanda in impendendâ correctione fratri noſtro ſuſcitando à morte ſpirituali, quam incurrerat per peccatum, nimirum ut ſit ſecreta, *Corrige eum inter te & ipſum ſolum, videlicet in ſecreto, ne confundatur, exaſperetur, aut diffametur, & diffamatus de cætero non retrahatur à vitiis timore diffamiæ, ſed fiat ei frons meretricis* d, *& peccet ſine rubore*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus e. Præterea, Qui corripit, debet ſe abbreviare præ compaſſione, cogitando, ſe poſſe ſimile, imò verò pejus patrare; eumque qui deliquit, debet charitativè monere. *Si te audierit, aure mentali*, explicat idem Carthuſianus, *id eſt, tuæ increpationi humiliter acquieverit, lucratus es fratrem tuum, id eſt, perditum recuperaſti, & de jugo peccati ac dominatione diaboli eripuiſti. Si autem te non audierit, hoc eſt, verba tua contempſerit, vel ſe excuſaverit, vel id quod fecit bonum eſſe affirmaverit, non peccatum; adhibe tecum unum vel duos, ut in ore, id eſt ſermone duorum teſtium vel trium, videlicet duorum, quos adduxiſti, & tui, qui primò culpam noviſti, ſtet, id eſt, probetur atque credatur omne verbum, quod delinquenti objicitur, ſcilicet accuſatio. Quod ſi eos non audierit, qui ſimul tecum corripiunt eum, dic Eccleſiæ, id eſt, Prælato, ſeu Judici, vel Congregationi communiter quid ille fecerit impiè, & quomodo correptionem ſecretam ac teſtium adhibitionem abjecit manens in ſua duritia. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, id eſt, Gentilis; & publicanus, qui manifeſtè & quaſi incorrigibiliter peccat, ut uſurarii, id eſt, tunc omnino recedas, & retrahas te ab eo quaſi ab eo, qui per excommunicationem, Eccleſiaſticamque cenſuram ſeparari meretur à communione fidelium.*

c 4. Reg. 4. 31. &c.
d ex Jer. 3. 3.
e Dion. Carth. a. 32. in Matth. 18. 15. &c.

Non eſt contra charitatem, Auditores, ſi, poſtquàm ſecretò correctus eſt peccator juxta formalitates, quas nobis præſcribit Evangelium, & noluit in bonam ſe vitæ emendatæ frugem recipere, denuncietur Eccleſiæ, Prælatis, & Superioribus, quibus incumbit curſum malorum ejus interrumpere; non eſt hoc, inquam, contra charitatem, cùm ſatius ſit ut ſuæ incurrat jacturam famæ, quàm animæ. Qui ludit ludo ſcruporum ſeu latrunculorum, cuſtodit, quantùm poteſt, Regem in libertate inceſſus ſui, & perdit, licèt invitus, pedites, equos, turres, famulos, imò verò Reginam, ut cuſtodiat Regem: ita qui corrigit alium, cuſtodire debet pro viribus famam delinquentis: ſi autem ſit periculum perdendæ animæ, quæ eſt coronata & ſceptrum defert, quippe quæ facta eſt *ad imaginem & ſimilitudinem* f Dei, nulla debet haberi ratio famæ; ſatius eſt enim ingredi cœlum ſine honore, quàm cum famâ in infernum præcipitari. Idcircò D. Paulus loquens de fornicatore, nonne ait? *Judicavi hujuſmodi tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti* g.

f Gen. 1. 27.
g 1. Cor. 5. 5. & ſeq.

Omnes obſervavi formalitates Evangelii; univerſas cuſtodivi circumſtantias, quas præſcripſi ad ritè peragendam bonam & charitativam correctionem. Apud me eram, penes me collectus, & veſtrarum monitus ſum culparum: ſuavitatem inſumpſi, *inter me & vos* veſtra corripui delicta. Ecce perfunctus ſum officio, quod impoſuit mihi Deus, *Clama, ne ceſſes* h. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Veſtrorum monui vos defectuum generaliter in concionibus meis: eorum enim nullum novi ſpecialiter, nedum aliquem ex vobis offendere cogitaverim, quod abſit. Nimio vos honore proſequor, & nimis ſincero erga vos ducor affectu, ut alio impulſus fuerim motivo, niſi zelo promovendæ ſalutis veſtræ, qui *comedit me* i. Præ mentis veſtræ oculis poſui infortunium, in quod laxatis habenis currebatis. Veſtram non emendatis vitam? Erunt ne inutiles correctiones meæ? Heu quàm immodicâ afficiar afflictione, intuitus quòd omnes vigiliæ meæ & operæ nulli proſint! ita ut dolore impetitus non exiguo, dicere cogar præ veritate, *In vacuum laboravi, & vanè fortitudinem meam conſumpſi* k. Omnes meos adhibui conatus, univerſas inſumpſi vires meas, Auditores chariſſimi, ad ſatagendam converſionem veſtram; nihil mihi videor omiſiſſe eorum, quæ ad illam operandam neceſſaria eſſe judicavi; & dico vobiſcum D. Paulo præ omni affectu doloris poſſibilis. *Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium* l. *Id eſt, ſi quod periculi animæ incideritis, ego immunis*

h Iſai. 58. 1.
i Pſ. 68. 10.
k Iſai. 49. 4.
l Act. 20. 26.

nis ſum m. Et ſi impoſterùm ſpiritualem jacturam ſuſtineatis, ego perditionis veſtræ non ero conſcius. Idcirco compellor adhibere mecum *unum vel duos* qui loco teſtium deponent quomodo meo perfunctus ſum officio, & iſtod adimplevi præceptum, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* In meo etiam conclavi, ſicut Eliſeus in ſuâ ſolitudine: veſtrorum monitus ſum defectuum. Veni, & obſervavi omnes circumſtantias & conditiones requiſitas, & nihil profeci. Adhibeo mecum *duos* Teſtes cũ Eccleſiâ, Jeſum Chriſtum glorioſum in hoc SS. Sacramento n, & Jeſum Chriſtum patientem in hâc Cruce o; proteſtor ei, quòd corripuerim vos, & annunciaverim vobis omnes malas praxes & pravas conſuetudines veſtras. Obſecravi vos propter amorem ejus ut à veſtris abſtineretis vos pravis habitibus ſub pœnâ incurrendæ damnationis æternæ. Si autem iſtud non ſufficiat, adhibeo adhuc Sanctos Patronos hujus Eccleſiæ, *Ut in ore duorum, vel trium Teſtium ſtet omne verbum.* Sic dicere poſſum vobis cum D. Paulo, & commentatore ejus Dionyſio Carthuſiano p, *Os noſtrum patet ad vos, id eſt, ad veſtram informationem apertum. Cor noſtrum dilatatum eſt ſpiritualiter, latitudine charitatis, id eſt, affectus noſter interior extendit mentem noſtram ad vos.* Si autem non obſtantibus his in emendatæ vitæ bonam nolitis vos recipere frugem, cogar dicere illud *Eccleſiæ*: Sed cuinam? Triumphanti, *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo* q. Et accuſare vos coram Angelis, præ Deo Patre, Filio, & Spiritu ſancto, & palam omnibus Sanctis paradiſi. Ibi dicam, *Obſecro Domine Deus magne & terribilis* r, populus iſte N. ſuorum monitus delictorum, non curavit

m Dion. Carth. 3. 20. in aſt. 20 26.
n Matth. 28. 20.
o Jo. 19. 18, &c.
p Dion. Carth. 2. 6. in 2. Cor. 6. 11
q Matth. 25. 31.
r Dan. 9. 4.

ſuam ſatagere ſalutem, *Noluit intelligere ut bene ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo* s. *Id eſt in corde ſuo. Quantùm verò ad executionem peccati, aſtitit omni viæ non bonæ, id eſt, cum ſtudio, & morâ pronus fuit iniqua operari* t. Heu! Auditores, quonam afficiar dolore, ſi cogar vos accuſare, & condemnare ego qui hanc aſcenderam in cathedram tantùm ut eſſem *ſequeſter, & medius inter Dominum & vos* u ad operandam ſalutem veſtram, ad attrahendas ſuper vos cæleſtes benedictiones? Tunc eritis *ſicut* Ethnici & publicani; cùm vobis *ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* x, *dicet*, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus* y.

Heu! Auditores, quale infortunium! quænam ſeparatio! privari beatitudine æternâ paradiſi, & ſociari dæmonibus medios inter ignes æternos. Si autem è contrà meis adhærere velitis monitis, & proficuè uti correctionibus meis, quæ ad veſtrum tendunt bonum, & ſolum veſtrum intuentur profectum, qualis felicitas erit vobis, & quale gaudium mihi, ſi *lucratus* fuerim animas veſtras, quas Chriſtus *dilexit*, *& lavit à peccatis in Sanguine ſuo* z, & pro quarum amore veniret iterùm in mundum perpeſſum mortem, ſi ita expediret, & mors, quam jam pertulit, iiſdem redimendis non ſufficeret, & omnes Angeli & Beati cœlum deſererent, ut animam è faucibus diaboli eriperent, & ex inferno eruerent? quod agimus interventu correctionis charitativæ, ad quam impendendam fratri veſtro delinquenti hortor vos, quantùm poſſum. Erogate igitur hanc eleemoſynam ſpiritualem proximo veſtro ſed præ prudentiâ & charitate, & Deus retribuet vobis præmium gratiæ ſuæ, & tandem gloriæ ſuæ.

s Pſ. 35. 4 & 5.
t Incog. in Pſ. 35. 5
u Deut 5. 5.
x Act. 10. 42.
y Matth. 25. 41.
z Apoc. 1. 5.

FERIA IV. POST DOMIN. III. QUADRAGESIMÆ.

De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Matth. 15. 19.

D. Chryſologus a aſſerit, inſolentias hoſtiles facilè tolerari poſſe, cùm hoſtis duntaxat civitatis alicujus obſidet mœnia exteriùs, aut ad ſummum eùm impetus agit contra illam: ſed quòd, ſtatim ac hoſtis in civitatem irrupit, eamque incipit devaſtare, ſingulaſque domos hoſtiliter excipere; illi qui eas incolunt, hujuſmodi vaſtitatis hoſtilis experiuntur oppreſſionem, ſuam deplorant captivitatem, nec poſſunt tunc eſſe ſui defenſores, nec liberatores, ſed oportet ut alienum implorent auxilium, & ad manum recurrant potentem, quæ hoſtiles iſtas reprimat inſolentias. *Tolerabilis eſt hoſtis cùm muros arietat extrinſecùs, cùm foris poſitus cedit aliquando conflictu: cui verò eſt intùs inimicus, cujus adverſarius in ipſis penetralibus jam deſævit, ipſe ſe intelligit, & ſentit oppreſſum: iſte ſe & captivũ perdit, & deplorat: iſte ſuus expugnator eſſe non poteſt: ſuus eſſe non poteſt liberator: alienum requirit auxilium: quærit alterum defenſorem.* Internum habemus nobiſcum bellũ, quod ſine intermiſſione indicit nobis concupiſcentia noſtra, quæ nullas nobis præbet inducias, ſicut nullam nobis impertitur requiem, quam & denegavit D. Paulo b dicenti, *Video aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. & captivantẽ me in lege peccati,*

a Chryſ. ſerm. 1
b Rom. 7 23. &c.

quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Itaque in iſtam arcẽ cordis noſtri, e quo *exeunt cogitationes malæ,* &c. Hunc domeſticum expugnare nõ poſſumus hoſtem niſi mediâ gratiâ, quæ nobis eſt aliena, quam Dei Filius tulit ad nos de cœlo. *Quia gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* c. Et hæc *gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrũ,* qui ſonitebatur tunc idem D. Paulus, extinxit prorſus fomitem in Mariâ, quæ ideò ſalutata eſt *gratiâ plena* d ab Archãgelo his verbis, *Ave M.*

Arcana Divinæ Providentiæ ſecreta præ nimiâ curioſitate rimari volentes homines, petunt, utquid ipſa non eripuit Satanæ, *qui ſeducit univerſum orbem* e, poteſtatem nocendi nobis, potiùs quàm exponeret furori ejus tot alios homines, qui æternam incurrunt jacturam, impetiti inſidiis ejus. Si ſapientiam Dei ſcrutari poſſemus, & conſilium illius agnoſcere; intueremur, quòd, facultas illa, quam Deus indulget inimico noſtro tentandi nos, eſt opus incomparabile clementiæ ejus, cùm iſtum patiatur adverſarium ut noſtram augeat gloriam, noſtras coronet victorias, & noſtris impendat mercedes meritis. Diabolus non eſt malus niſi ſibi, & ſi in nobis eſſet induſtria ritè inſumendarum occaſionum, quas nobis ſubminiſtrat, eas

c Joã 1. 17
d Luc. 1. 28.
e Apoc. 12. 9

in maximum noſtrum converteremus commodum & emolumentum; malitia ejus nos efficeret bonos; & rabie ageretur ipſe immodicâ, ſi ex iniquitate ipſius noſtras hauriremus utilitates; & nō procuraret ſibi niſi turmēta pejora ipſa gehennâ, niſi ipſi blandiremur ei, nimium ei complacendo; & niſi cederemus conatibus & inſultationibus ejus mediâ conſenſuum noſtrorū puſillanimitate, captivos efficientes nos voluntarios hoſtis, quem debellare poſſumus ſolâ voluntate.

f Sap. 8. 1. Eadem Providentia Divina, quæ *attingit à fine uſque ad finē fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* f, noſtram exercet virtutem interventu inimici domeſtici & interni, qui nobis eſt magis importunus quàm ſit adverſarius ille externus, qui nocere non poteſt nobis, niſi velimus; cùm inimicus iſte interius videatur inferre nos invitos ad malum, g Rom. 7. 18. & 21. *Nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio. Quoniam mihi malum adjacet* g. h Dion. Carth. a. 10. in Rō. 7. 18. & 21. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus h, *Nā velle adjacet mihi, id eſt, ſecundùm hominem interiorem inclinor ad bona, & volo honeſta: perficere autem bonum, id eſt, opera adimplere non invenio in me, quoniam ſine gratiâ illud non valeo, maximè propter rebellionem ſenſualitatis. Quoniam mihi malum, id eſt, pronitas ad peccandum adjacet, id eſt in promptu eſt. Pronior enim ſum ad mala quàm ad bona, propter corruptionem naturæ. Tanquam dicat, Ideò volo bonum, & erigo me contra meipſum, quoniam cerno me ad mala proclivem, cui proclivitati cupio reſiſtere.* Illud Diviſio. me invitat ut oſtendam vobis Primò quàm timenda ſit iſta hoſtis concupiſcentia. Secundò quo modo poſſimus hanc eandem hoſtem concupiſcentiam expugnare.

I. Pars. Sapientes Politici ſemper magis formidaverunt bella civilia, quàm exercitus alienos; & magis laborant Medici in curandis morbis, qui adhærent conſtitutioni inſimi, quàm accidentalibus qui formati ſunt medio aliquo exceſſu, & tantam non habent affinitatem ſeu conſuetudinem cum naturâ: bellum domeſticum concupiſcentiæ noſtræ eſt etiam magis formidabile, quàm metuendi ſint omnes exercitus infernales, hæc infirmitas carnis inſeparabilis à naturâ, eſt morbus ferè inſanabilis, ita difficilis eſt ejus curatio. D. Paulus, qui omnibus dæmonibus bellum indicit, & totum infernum ad certamen provocat ut de illis triumphū referat ſolius dilectionis armis, *Certus ſum quia neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate* i Rom. 8. 32. & 39. *Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro* i: videtur arma ponere coram ſecundo hoſte: in ſtuporem me conjicit, cùm de illo loqoitur, & pallet ad ſolam illius præſentiam, *Ne magnitudo revelationū extollat me, datus eſt mihi ſtimulus car-* k 2. Cor. 12. 7 & 4. *nis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet* k. Ne inflector cor meum vanitate, *quoniam raptus in paradiſum, arcana verba, quæ non licet homini loqui*, audivi, imperium me experior ab hoſte validâ, concupiſcentia mea, ſemper illius violentiā perpetior. *Alij per ſtimulum carnis intelligunt tentationem libidinis, ſeu concupiſcentiam carnis quam dicunt graviùs incitaſſe Apoſtolum poſt raptum, quàm antè. Talis autem tentatio maximè reprimit motus ſpiritualis ſuperbiæ, quoniam facit hominem experimento ſcire propriæ cōditionis miſerabilem inclinationem, & pronitatem in ma-* l Dion. Carth. a. 12. in 2. Cor. 12. 7 *lum*, ait Dionyſius Carthuſianus l. Concupiſcentia eſt nuncia ſuggeſtionum Satanicarum, & inſtrumentum malitiæ diaboli æquè ac potentiæ: ſi autem arma auferamus appetitui ſenſuali, diabolus qui non agit contra nos niſi viribus illius, reſtat inermis, nobiſque nocere nequit.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus m? exclamat idem D. Paulus. Quid m Rom. 7. 24. agetur de me, qui alo in me peccatū, licèt invitus? Corpus, quod opponitur umbræ, ſignificat realitatem objecti in Scripturâ n, *Quæ ſunt umbra* n Coloſſ. 2. 17. & 9. *futurorum, corpus autem Chriſti* Id eſt, illi habebant umbram rerum futurarum, nos verò *corpus Chriſti*, ſcilicet realitatem myſteriorum; *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Id eſt, realiter, ut explicat D. Auguſtinus o, o D. Aug. 17. epiſt. ad Dardan. *Non ideo corporaliter, quia corporeus eſt Deus, ſed verbo translato opus eſt, tanquā in templo manufacto non corporaliter, ſed umbraliter habitaverit, id eſt, præfigurantibus ſignis; nam illas omnes obſervationes umbras futurorum vocat, etiam ipſo translato vocabulo: ſummus enim Deus, ſicut ſcriptum eſt* p, *non in manufactis templis habitat.* Alligatus ſum corpori interitus hujus, ait D. Paulus, p Act. 17. 24. quia mortem traho veram quantùm ad deordinationem concupiſcentiæ meæ. Omnia alia mala nō ſunt niſi apparentia, iſtud ſolum ſuam habet realitatem; corpus quippe eſt fabricatum ex omnibus vitiis, quorū iſt principium. Diabolus ſolùm poteſt inſpirare ſuggeſtionibus ſuis, ſed hoſtis iſta domeſtica, concupiſcentia compellit nos quaſi ad coactionem, *Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio. Si autē quod nolo, illud facio: conſentio Legi, quia bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum* q. Quod ſic appoſitè exponit Dionyſius Carthuſianus r, *Non enim quod* q Rom. 7. 15. &c. r Dion. Carth. a. 10. in Rō. 7. 15. &c. *volo bonum, id eſt, actum virtuoſum, quē ſecundùm rationis dictamen volo & approbo, hoc ago, quia carnalitati vitiiſque ſuccumbo: ſed quod odi malum, id eſt, peccatū, quod ſecundùm rationis cenſuram deteſtor, illud facio, paſſionibus cedens, & ſenſualitati conſentiens. Si autē quod nolo ſecundùm rationem, illud facio ſecundùm ſenſualitatē, conſentio Legi, quoniam bona eſt, id eſt, Legē approbo: quia quod illa prohibet, ratio mea malū eſſe cognoſcit. Nunc autē, hoc eſt, iſtis ſic ſtantibus jam ego non operor illud malum, inquantùm homo ſeu rationalis creatura, cujus eſt vitia abhorrere, virtutes diligere, & deprecari ad optima, ſed quod habitat in me peccatum, id eſt, fomes peccati ſeu concupiſcentia firmiter radicata in me cauſa mali impellendo ad ipſum Tanquā dicat, Non ut rationalis, ſed ut brutalis ſeu beſtiis ſimilis* s *ago hoc* s ex Pſ. 48. 13. & 21. *malū, quod ratio reprobat.*

Peccatum reſidens in homine, non eſt aliud niſi concupiſcentia vocata peccatum, ait D. Auguſtinus t, *Magis ſe dicit Legi conſentire, quàm carnis concupiſcentiæ. Hanc enim peccati nomine appellat. Facere ergo ſe dixit & operari, non affectu conſentiendi & implendi, ſed ipſo motu concupiſcēdi.* t D. Aug. ad Bonif. cōt. duas epiſt. Pelagianos. c. 10. Et ratio iſtius eſt, Quia rebellio ejus eſt effectus peccati originalis, principium actualium, & pœna omnium; inclinat nos ad diſſolutionem, & jacturam noſtram molitur ſolo deſiderio. Difficile eſt diſtinctu motum ejus à conſenſu illius. Concupiſcentia iſta manans è peccato, tendens ad peccatum, puniens peccatum, habens in omnibus apparentias peccati, defert nomen peccati ipſius, etiāſi omnes illius operationes nō ſint criminoſæ. Hic appetitus peccati tale aſcivit ſibi imperium in potentias noſtras, ut eas ſub ſuarum redigat captivitatem legum, ut queritur idem Apoſtolus u, *Video aliā legem in membris meis,* u Rom. 7. 23.

repu-

repugnantem legi mentis, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Quæ verba ſic explicat ſupradictus Carthuſianus x, *Video aliam legem à Lege Dei, cui ratio condelectatur; in membris meis, id eſt, in carne meâ mortali, vitiatâ ac fragili: utpote fomitem peccati, qui primò reſpicit carnem, & ex carnis contactu derivatur ad animam, quàm citò corpori copulatur; repugnantem Legi mentis meæ, id eſt, Legi naturali ac Divinæ cordi meo inſcriptæ: & captivantem me, id eſt, ſubjicientem per conſuetudinem malam, & conſenſum in legem peccati, quæ eſt in membris meis, id eſt, ſibi ipſi exiſtenti in corporis membris, quæ univerſa infecta ſunt pronitate ad malum y. Captivat ergo lex membrorum hominem in ſe, dum rationem pertrahit, & tenet in operibus, ad quæ fomes inclinat.*

x Dion. Carth. n. 10. in Rō 7. 23.

y ex Gen. 8. 21.

Intolerandum dominium hujus fomitis, hujus legiſlatoris ſenſualis, tyranni hujus qui noſtrū excruciat animum, & contra rectam rationem redigit eum in captivitatem legis criminis, qui immoratur in nobis, & omnimodam noſtram machinatur ruinam! Non poſſumus eum à nobis abdicare, & procul amādare, Auditores, cùm ſit pars noſtri ipſorum, & deſint nobis vires, quibus illum expugnemus, cùm nos in captivitatem redigat. Quis deinceps audebit hunc hoſtem aggredi, qui fremere facit Apoſtolū? Quæ lucta! quinā hoſtis! quale certamē! qualis proditio eſt perfidia cōcupiſcentiæ! Ipſa eſt domeſticus perfidus, qui ſtat è partibus extranei; tyrānus, qui ſine intermiſſione nos opprimit; hoſtis ſic inſolens ut nunquam fatigetur quandiu nocet nobis. Impoſſibile nobis eſt ut ab eo fugiamus, aut illum expellamus; perſequitur nos, blandiendo nobis; & ſi tenemur ſervire ei ut noſtrorum ſocio laborum, impietas eſſet illi fauces præcidere. Judicate quàm periculoſum ſit iſtud prælium, & quâtâ præ curâ debeatis vivere, vobiſcum deferentes hoſtem veſtrum. *Maledicta terra* carnis noſtræ nō germinat niſi *ſpinas & tribulos* z metentes *ignem æternum* a. Idcircò abſque intermiſſione evellendæ ſunt iſtæ maledictæ productiones concupiſcentiæ, ſi velimus ut germinet ſemen gratiarum, & intendamus fructū colligere benedictionum. Concupiſcentia eſt fur amicitiæ ementitæ fuco coloratus, qui ſimulans ſe velle nos comitari, tradit nos interemptoribus, & ducit nos ad carnificinam. Ipſa eſt inſtar perfidæ Jahelis, quæ blandiens Siſaræ, *poſuit ſupra tēpus capitis ejus clavum, percuſſumq; malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: qui ſoporem morti ſociās defecit, & mortuus eſt* b. Nullus eſt ita fortis Samſon, qui non cedat lenociniis Dalilæ c: nec aliquis ita generoſus, qui nō obſequatur aliquando concupiſcentiæ, quæ perſequitur nos voluptate, & deliciis ſuis omnimodam noſtram machinatur jacturam. Scriptura ſacra d refert, quòd, *cū vidiſſet Sara filiū Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo*, Inde valdè exacerbata eſt. D. Paulus e verò traducens hanc hiſtoriam in allegoriā, ait, quòd Iſmahel natus ſecundùm carnem, perſecutionibus impetebat Iſaac, qui ſecundùm ſpiritū natus erat, & quòd iſtud perſeverat in nobis: *Sed quomodo tunc is qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritū: ita & nunc.* Quænam eſt fidelitas, ſi placet, tranſlationis iſtius quam affert D. Paulus? Moyſes dicit quòd Iſmahel ludit cum Iſaac: Apoſtolus è contrà aſſerit quòd illum perſequitur. Origenes f hæc extrema conciliat, dicens, *Ludebat cum filio Iſaac. Quid læſerat, aut quid nocuerat, ſi ludebat?*

z Gen. 3. 17. & 18.

a Matth. 25. 41.

b Judic. 4. 21.

c Judic. 16. 19.

d Judic. 16. 19.

e Gal. 4. 29

f Orig. hom. 7. in Gen. 21 9.

Quaſi non hoc in ætate illâ etiā gratū eſſe debuerit, quod luſerit filius ancillæ cum filio liberæ. Tū deinde & Apoſtolū miror, qui ludum hunc perſecutionē pronunciavit, dicens: Sed ſicut tunc is qui ſecundū carnem perſequebatur eū qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc. Cùm utiq; nulla perſecutio Iſmahelis adverſùm Iſaac mota referatur, niſi hic ſolus ludus infantiæ. Loco virtutis poſuimus Saram. Si ergo caro, cujus perſonam gerit Iſmahel, qui ſecundùm carnem naſcitur, ſpiritui blandiatur, qui eſt Iſaac, hujuſcemodi ludus carnis cum ſpiritu, Sarā maximè, quæ eſt virtus, offendit, & hujuſcemodi blandimenta acerbiſſimā perſecutionem judicat Paulus. Iſtud eſt quod triſtitiâ afficit probatæ vitæ homines, eoſque inducit ad expellendū domo *filiu* g ancillæ, ſi ita Abrahæ viſum fuerit. *Mulier, quā dediſti mihi ſociā, dedit mihi de ligno, & comedi* h. Hæc eſt loquela Adæ excuſantis ſe apud Deū de inobedientiâ ſuâ. Si hæc excuſatio eſſet juſta defenſio, poſſemus per eā operire omnia peccata noſtra. Concupiſcentia eſt Eva noſtra, quam Authur naturæ dederat *ſociā* ſpiritui noſtro, & fecerat *ei adjutoriū ſimile ſibi* i. Ipſa tamen eſt, quæ eum ab obedientiâ Deo exhibendâ removet, quæ vetitum offert ei *lignū* k; quæ ſuis lenociniis ſollicitat eū, illius conſenſum extorquendo: cùm ſpiritus nunquam tranſgrediatur Legem Dei, niſi ut complaceat concupiſcentiæ, ne renunciet deſiderio carnis, ne triſtitiâ afficiat delicias ſuas.

g Gen. 21. 10.

h Gen. 3. 12

i Gen. 2. 18.

k Gen. 3. 6.

D. Chryſoſtomus l eximiis probat rationibus, & experientiis convincentibus, quòd ſola concupiſcentia poſſit nobis officere; quòd contemnendi ſint omnes inimici noſtri, & metuendus ſolus hic hoſtis fomes: quòd proſternimus omnem exercitum Philiſthæorū, dejiciēdo hunc Goliath †, & quòd victoria generalis omniū noſtrorū perſecutorum continetur in deſtructione appetitus noſtri. Homilia illius eſt exquiſita, ſed æquo longior eſt, nedum hic ſcriptis exaretur. Unicus Sapientiæ m locus ſufficiet exprimere vim & malitiam concupiſcentiæ, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectū ejus: aut ne fictio deciperet animā illius. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitiâ.* Summis laudibus evehit Salomon hunc adoleſcentem, quem mors è medio ſuſtulit antequàm ſuam perderet innocentiam. Verè beatus eſt, cùm tranſlatus fuerit è mediâ ſceleratorū hominum catervâ. E multis exiit periculis; nam oblectamenta temporalia, vanitates mundi obſcuritatem bonis inducunt, & ſuum colorē malo imprimunt, ut nos ad amorem illius alliciant. Illud eſt genus faſcinationis & veneficii, illuſiones perpetimur ſumentes vanitatē pro veritate, ſtultitiam pro ſapientiâ, & malum pro bono, *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitiâ.* Id eſt, animæ ſimplices & innocentes fiunt ad diſſolutionem medios inter occaſiones, quas offert illis mundus. D. Fulgentius n pro, *inconſtantia concupiſcentiæ*, legit, *inſtantia cōcupiſcentiæ.* Concupiſcentia eſt verè inconſtans, quia in nullo unquam ſuam inveniens ſatisfactionem objecto, mutatur ſemper, ut novas faciat probationes: conſtans eſt illa tamen in indicendo nobis bello, & ſine intermiſſione in ſuâ eſt inſtantiâ, & nobis indeſinenter eſt importuna, nedum ullas aliquando nobis indulgeat quietis inducias eo vel tempore quo obſequimur ei, quia ſemper ad nova nos inducit crimina. Alii vertunt, *circumrotatio concupiſcentiæ.*

l D. Chryſoſt. hō: Quod nemo læditur niſi à ſeipſo.

† 1. Reg. 17. 50. &c.

m Sap. 4. 11. & 12.

n D. Fulg. epiſt. 2. Gall. c. 2.

Concupiſcentiæ abſque ullâ intermiſſione mentes noſtras circumvoluit & interturbat, quas convertit ex objecto in objectum, & offert eis modò delicias viſus, deinde voluptates guſtus, pòſt ſuavitates odoratus, mox blandimenta tactus, denique harmonias auditus; nec unquam fatigatur in indicendo nobis bella propriis deliciis noſtris & voluptatibus, quæ ſunt ludi crudeles, & perſecutiones magis metuendæ quàm formidādæ ſint omnes perſecutiones inferni. Sed videamus quomodo hunc expugnare debeamus hoſtem, hunc concupiſcentiæ fomitem.

4. Pars. o Pſ. 54. 13. &c.

Videtur queri David o de modo procedendi perfido iſtius adverſarii, cùm ait, *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſemel mecū dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum conſenſu.* Profectò ſi extraneus me perſecutionibus impetiviſſet, anguſtias hujuſmodi æquo ſuſtulem perpeſſus animo. Sed quòd unus è domeſticis meis mihi machinetur perfidiam, & quòd ille qui ducit me, pertrahat me ad præcipitium; & ille, quē ſuveo tantâ curâ, mihi moliatur mortem, perfidia hæc eſt intoleranda, quæ juſtè provocat indignationem meam, & inducit me ad ſumendam de eo vindictā. *Ad horum intelligentiam pleniorem habendam, oportet advertere perſonam duorum hominum, ſcilicet interioris & exterioris: vel potiùs duplicis hominis, id eſt, ejuſdem, ſecundùm duplicem portionem ipſius. Eſt enim in homine duplex pars, videlicet intellectiva & ſenſitiva, ſeu ratio & ſenſualitas, quæ aliter appellantur ſpiritus & caro, homo interior atque exterior. Ratio autem competit homini, ſecundùm propriam hominis diffinitionem: ſenſualitas verò ſecundùm id quòd cum brutis communicat*, ait Dionyſius Carthuſianus p. Nonne verum eſt quòd appetitus inferior non eſt niſi unus homo cum appetitu ſuperiori, & quòd unanimes *in domo Dei cū conſenſu* ambulaverunt tempore primæ innocentiæ? Et tamen hic appetitus inferior, Auditores, eſt noſtrorum peſſimus inimicorum: Deus autem qui præcipit nobis, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos q*, diſpēſat nos ſuper hoc mandato ad vindictam capeſſendam de hoc inimico, cùm ita ſit execrabilis ut nullam mereatur indulgentiam.

p Dion. Carth. 2. 10 in Rō. 7. 20.

q Math. 5. 44.

Salutare nobis iſtud præbet Sapiens r monitum, ne ſcilicet unquam noſtro fidamus inimico, licèt ſpecioſam præ ſe ferre videatur amicitiam erga nos, & fidelitatem ſimulet eſſe ſe obſervaturum nobis inviolatam, eò quòd inimicitiæ facilè repullulent, *Non credas inimico tuo in æternum: ſicut enim æramentum, æruginat nequitia illius.* Similis eſt vaſi æreo, quod contrahit æruginem, poſtquàm politum fuit, hæc politura reconciliationis apparentis nō avulſit malitiam à corde inimici; non eſt credendum ludo ejus: eſt enim periculoſus. *Et ſi humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & cuſtodi te ab illo.* Si humiliet ſe, hoc agit præ hypocriſi, & ſi poſſit nos ſupplantare, noſtram uſurpabit dignitatem. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtiis? Sic & qui comitatur cum viro iniquo.* Minori dignus eſt miſeratione qui ſuam fidit vitam manibus inimici. In ſtuporem me conjicit diſcurſus iſte Eccleſiaſtici, qui vindictam nobis ſuadet & odium immortale, nec ullam vult perpeti reconciliationem cum inimico, & repugnare videtur Legi Salvatoris præcipientis dilectionem inimicorum. Sanè veritates nunquam adinvicem fuerunt confuſæ, & conſilium Sapientis non contradicit Legi Salvatoris. Certum eſt, quòd odio habendus eſt inimicus verus, qui eſt appetitus noſter inferior; ſicut diligendus eſt inimicus putativus, qui officium obit benefactoris, licèt apparenter nobis adverſetur. Nòn ignorabat Eccleſiaſticus iſtam, quam vobis annuncio, veritatem, cùm meos hauſerim conceptus è doctrinâ illius. Non latebat ipſum, quòd caro noſtra eſt hoſtis quæ bellum nobis indicit concupiſcentiis ſuis, *Non credas inimico tuo in æternum.* Et licèt Hugo Cardinalis s hæc verba intelligat de *Hæretico, vel diabolo*, & Gloſſa Ordinaria *Hiſtoricè de falſis amicis: Myſticè verò Hæreticos* nuncet: Lyranus tamen ea exponit de omnibus inimicis, *Nunquam credas ei, quem inimicum probaſti.* Comparationes, quas promit Salomon, ſatis oſtendunt, quænam fuerit ipſius intentio, ut removeret nos ab hac falsâ fiduciâ, quâ non ampliùs credere debeamus carni. *Sicut enim æramentum æruginat nequitia illius.* Et ſimilis eſt *incantatori* qui nutrit ſerpentes, & cùm ſuis nos ſatis inet cantilenis, exponit nos ſuſtinendæ percuſſioni ſuæ, & conſequenter periculo hauriendi veneni lethalis viruſum ipſius. Dicamus meliùs, Caro eſt ſerpens quem alimus ad devorandos nos. Et ſicut aliàs ruſticus quidam, cùm ſerpentē abſcondiſſet in ſinu ſuo, ut eum calefaceret, mortem invênit in hujuſmodi beneficio: ſic ſi blandiamur ſerpenti carnis noſtræ, ex his nihil aliud ſortiri poſſumus blanditiis niſi interitum ſpiritus. Caro eſt multarum ſpelunca beſtiarum: ſi deſideriis ejus laxemus habenas immodicis, mirum non eſt ſi noſtram moliantur ruinam & occiſionem. Caveamus nobis; ſi caro ſuaviter nos alloquatur, & nobis aliquam ſuggerat voluptatem, meminiſſe debemus nos ab ea ſeduci. *Inimicus quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei; quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius* t. Solicitat nos ad ſeptem peccata mortalia, & omnem ſuam induſtriam adhibet ad nos deſtruendos. *Moraliter: Inimicus eſt caro*, ait Hugo Cardinalis u: *Loquela carnis eſt appetitus. Caro dicit: Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur* x. *Quando ſubmiſerit vocem ſuam, molliendo ipſam, cùm ipſa ſit jaculum: ne credideris ei: quia eſt qui ſenequiter humiliat; & interiora ejus plena ſunt dolo* y. *Quare autem non ſit ei credendum ſubdit, Quoniam ſeptem nequitiæ, id eſt omnes, ſunt in corde illius ut in proprio domicilio.*

r Eccl. 12. 10 &c.

s Hug. Card. in Eccl. 12. 10.

t Prov. 26. 24. & 25.

u Hug. Card. in Prov. 26. 24 & 25. x ex Iſai. 22. 13. y ex Eccl. 19. 23.

Huic Legi, quam publicat Salomon, conciliat Chriſtus authoritatem, & in nomine ejus copiam vobis facio hodiernâ die odio proſequendi inimici; in hoc ſitum eſt deſiderium veſtrum, idcircò dico vobis poſt Dominum meum, *Odio habebis inimicum tuum* z. Carpite hanc juſtam vindictam de carne veſtra, quæ tot machinatur vobis inſidias, & tot molitur infortunia: & auſcultate eundem Chriſtum, qui vos ad iſtud animat certamen, *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam* a. Et, *Si quis non odit patrem ſuum, & matrē, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus* b. Quaſi diceret; Sperari non poteſt vita æterna niſi præ odio vitæ præſentis: nec communicari

z Math. 5. 43. ex Lev. 19. 18.

a Jo. 12. 25.

b Luc 14 26.

poteſt

poteſt gratiis meis, niſi odio habeantur propinqui: perfectio verò ſpiritus innititur odio carnis. Odio igitur habenda eſt iſta caro, & excipienda ſicut inimica. Ut autem edometur iſta caro, nutrienda eſt ut captiva, providenda ſunt requiſita neceſſitatibus ejus, ut nobis ſerviat; ſed non eſt aliquid erogandum deliciis ejus, ne fortè recalcitret.

Prudentiâ ſingulari nobis iſtud exhibet D. Paulus c conſilium, *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Quaſi diceret, Non præcipio vobis ut obliviſcamini corporis veſtri; hæc enim derelictio eſſet homicidium: ſed tamen hortor vos ut tantâ ſolicitudine incumbatis fovendæ vitæ ejus, ut deſideria illius perimatis. Mementote, quòd appetitus veſter eſt veſtrorum peſſimus inimicorum, imò verò unicus qui nocere vobis poſſit. Conſilia inimici ſunt ſemper nobis ſuſpecta: metuite igitur deſideria carnis veſtræ, & repellite vel minimam è ſuggeſtionibus ejus ut ſpiritui veſtro damnoſis.

c Rom. 13. 14.

Eximiam peragit Origenes d obſervationem ſuper modo procedendi filiorum Iſraël propoſito noſtro accommodam. *Tranſibimus per terram tuam, per viam tranſibimus, non declinabimus neque in agrum, neque in vineam. Non bibemus aquam de lacu tuo, viâ Regiâ incedemus, uſquequò tranſeamus fines tuos. Poſtea enim quàm obtinuerunt filii Iſrael civitates Amorrhæorum, aſcenderunt etiam viam, quæ ducit in Baſan, ubi erat Og Rex Baſan: ſed adhuc neque legatos mittere dignantur, neque petere ab eo ut per terram ejus tranſeant, ſed continuò confligunt cum eo, & ſuperant tam ipſum quàm populum ipſius. Baſan interpretatur turpitudo: meritò ergo nec legati mittuntur ad iſtam gentem, nec tranſitus per terram ejus poſcitur. Nullus enim nobis tranſitus eſſe debet, nullus acceſſus ad turpitudinem: ſed ab initio ſtatim expugnanda, & omnimodè cavenda eſt. Og autem qui Rex dicitur eſſe Baſan, interclusio interpretatur. Poteſt hic figuram tenere omnium carnalium & materialium rerum, quarum amore & deſiderio detenta anima excluditur, & ſeparatur à Deo. Adversùs Og ergo ita præcipitur bellum gerendum, ut non relinquatis, inquit, ex eo viventem. Sed & decet Iſraeliticam virtutem excidere, & reſecare turpia, & pia quæque in anima reædificare, atque honeſta ac religioſa plantare.* Nos qui vivimus in carne ut in loco tentationis, tranſire debemus per terras inimicas eum modeſtia, tantamque præ nobis ferre ſobrietatem ut ne vel aquam prælibemus; & ita velocem peragere tranſitum ut nec ad lævum declinemus latus, aut dextrum. Si verò Baſan, unde ſignificatur *confuſio* e, procedit nobis obviàm, id eſt, ſi caro corrupta ſuas infames germinet productiones, quæ ſunt *cogitationes malæ, adulteria, fornicationes*, quas enumerat Evangelium noſtrum, interimendi ſunt iſti omnes inimici ita ut ne vel eorum unus ſuperſtes relinquatur. Concedendum eſt quidem carni id, quod ipſi eſt neceſſarium ad peragendum tranſitum hujus vitæ præſentis. Si autem declinet illa ad voluptates, quæ privare poſſint ipſam æternâ vitâ, debemus eam caſtigare, ipſam, *in ſervitutem* f redigere, illamque crucifigere *cum vitiis & concupiſcentiis* g.

d Orig. Hom. 12. & 13. in Num. 21. 21. &c.

e ex Heb. apud Lorin. in Pſ. 134. 11

f 1. Cor. 9. 27.

g Gal. 5. 24.

Magno ſumus expoſiti periculo, converſantes cum carne noſtra, quæ eſt hoſtis noſtra. Tamen victoria præ noſtris poſita eſt manibus, ſi contra hanc hoſtem dimicare velimus, *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius* i. Suos excitare poteſt motus, ſed nunquam à nobis invitis conſenſum extorquet, & ipſi infirmiſſimi homines habent arma, quibus hanc hoſtem debellent, ſi velint; nam *uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium*, ait D. Auguſtinus k. Reſiſtamus viriliter, & glorioſè triumphabimus. Quid dico? Reſiſtamus. Quinam ſumus nos, & quænam eſt fortitudo noſtra ut hujuſmodi reluctemur tentationibus? Imploremus auxilium Dei, qui noſtram ſuppleat impotentiam, & virtute ejus fulti conciliabimus nobis victoriam, quam ſibi noſtra polliceri non poteſt infirmitas. Apoſtoli, quibus Dei Filius dederat *poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos* l; *non* potuerunt tamen *ejicere illum*, à quo vexabatur *lunaticus* m. Chriſtus autem, poſtquàm ab ipſo *curatus eſt puer*, reddens rationem hujus miraculoſæ liberationis, dixit, *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem & jejunium.* Concupiſcentia eſt hoſtis noſtra, eſt dæmon ſecretus, imò verò peſſimus omnium dæmonum: quia difficilius eſt illi reſiſtere, quàm toti inferno; & ideo facilius victu omnes legiones infernales, quàm iſtum inimicum, hunc fomitem, qui *non ejicitur niſi per orationem, & jejunium.* Victoriam de hoſtibus refert Dux aliquis, cùm hoſtium partem internecione perimit maximam: aut ſaltem adverſus eos prævalet, cùm ſua regimenta novis accrementis magnificat, debilitans adverſarios, quandiu ſuis vires addit copiis: ſpiritus & caro ſunt quaſi duo duces exercitus, qui dimicare faciunt vitiũ contra virtutem, & paſſiones deordinatas adversùs affectus rationales, *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur* n. Jejunium diſſipat milites carnis, exterminat paſſiones ejus, vires ejus debilitat, & ipſius arrogantiam domat: oratio verò roborat ſpiritum, multiplicat virtutes ejus, purificat illius affectus, & amplificat veluti illius regimenta & copias: infallibile ergo eſt quòd interventu jejunii, & orationis, ſpiritus edomabit carnem, & in ea triumphum referet de omnibus inimicis ſuis.

i Gen. 4. 7.

k D. Aug. lib. de Vera Rel. c. 14.

l Matth. 10. 1.

m Matth. 17. 15. &c.

n Gal. 5. 17.

Non creavit Deus hominem niſi ad exercendum bellum. In ſtatu innocentiæ, qui fuit perfecta pax, debellandos jam habebat hoſtes. Satanas molitur ei inſidias, & parat ſe ad dimicandum cum eo: ſi verò Adam jejunium obſervaſſet, victoriam de eo retuliſſet. Obſervate, ſi placet, num jejunium non ſit potens. Adam omnibus prædictus eſt virtutibus; tamen Satanam vincere non debet niſi mediis ſuæ abſtinentiæ armis. Si jejunium obſervet ſibi præceptum, dominabitur hoſti ſuo, & cuſtodiet hæreditatem tot gratiarum poſteritati ſuæ. Vita noſtra multò plura perpetitur certamina, quàm ſuſtinuerit Adam in ſtatu juſtitiæ originalis poſitus, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* p. Concupiſcentiam experimur nobis rebellem poſt culpam Adæ; pertinaciorem ad tentandos nos, quàm ſit dæmon; crudeliorem in ſuis perſecutionibus, & inſolentiorem poſt victorias ſuas. Armemus nos jejunio ad eam domandam. Arma hominum innocentum ſunt etiam in manibus hominum criminoſorum. Eccleſia bona Mater noſtra illa nobis offert; nos autem ea contemnimus. Præcipit ipſa jejunium, nos autem nihili ducimus præceptum ejus. Nunquid non eſt deditionem ho-

o Gen. 3. 1. &c.

p Job. 7. 1.

ſtium ſubire, ac deſerere arma ad peragendā defenſionem ſuam neceſſaria? D. Paulus q ſuum caſtigat *corpus, & in ſervitutem* redigit, ut illud ſubjiciat ſpiritui; nos verò blandimur ei ut nobis dominetur. Stultitia eſt inaudita blandiri inimico ſuo, ipſumque roborare ad propriam ruinam moliendam. Maceremus carnem noſtram jejuniis, & eam habebimus nobis obſequentem: ſed non obliviſcamur auxilii orationis, quoniam *hoc genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium.*

q 1. Cor. 9.27.

Concludo cum Pſalmiſta r, qui videns puſillanimitatem hominum humiliatorum in hoc certamine, eò quòd nolint ſe armare ad defendendos ſe, implorat auxilium Dei, qui ſopitum ſuſcitare debet eorum animum, & rationem illorum deliciis immerſam erigere, *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, cooperuit nos umbra mortis.* Domine, ecce humiliati ſumus in elemento tentationum noſtrarum, ſeu in carne noſtra, quæ turbat nos rebellione ſuâ; & ſuis indulgens deliciis, noſtras generat afflictiones. D. Ambroſius s ait, *Pulchrè Aquilæ interpretatio quemadmodum intelligere debeamus locum afflictationis, expreſſit dicendo; Humiliaſti nos in loco Sirenum.* Sirenes referentes *ſuperiori ſui parte virginis formam, nautas prænavigantes, ſuavitate cantus in naufragium pelliciebant*, juxta Calepinum t, & fabulas Poëticas. Nunquid non caro noſtra eſt elementum Sirenum? Nonne objecta ſenſualia noſtrarum lenocinia & faſcinationes ſunt facultatum? & deliciæ illius noſtræ carnis, quæ nos decipiunt, noſtrarum peremptrices animarum? Caro inſurgit contra ſpiritum, & hæc concupiſcentia carnis prædominatur, ſi ſpiritus, qui debebat eam regere, deditionem ejus ſubiit, tyrannidem ejus perpetitur, nedum paſſiones ſuas oppugnet. Videtur ſpiritus non ampliùs concupiſcere contra carnem, cùm obediat abſque ulla reſiſtentia omnibus ſuggeſtionibus ejus, faſcinatus eſt à Sirenibus; voluptates ſenſuales, quæ habitant in noſtra carne, devoraverunt virtutem ſpiritus, & deglutiunt omnes animas, quæ ſunt ipſarum præda. Domina mea, ſaltationi communi interes, Siren canit, fama tua periculo eſt expoſita; prævide humiliationem quæ ſequetur caſum tuum: claude aurem harmoniæ tentationis, meditando ſucceſſum & finem peccati, *Humiliaſti nos in loco Sirenum.* Appoſitè verò Lorinus u *dicit etiam humiliationis nomine, quo utuntur LXX. idem importari, quia Scriptura x violationem mulieris appellant humiliationem ejuſdem.* Domine miſerere infirmitatis noſtræ, *Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter.* En animam noſtram aggravat pulvis corporis ſui, Auditores, ſecundùm quod dicit idem Lorinus, *noſtram carnem multis humiliari, loco ipſo, illecebris ipſis, fragilitate: humiliari & animam, quæ ſe geſtit attollere ad Deum, gravatam à corruptibili corpore, ac terrenis præponderantibus habitaculis y inclinari frequenter ad ſeculum, nec ſe ſubjicere Deo poſſe; quoniam ſubjectionem ſui ſapientia carnis z ignorat, qua noſtrum involvit affectum.* Memento, Domine, quòd formaſti nos *de limo terræ* a. Sicut autem lutum facilè frangitur, & inquinat id omne quod ipſum tangit: ſic limus noſtræ conſtitutionis facit ut ſperemus in miſericordiam tuam: miſereberis enim noſtri, ſciens quòd compacti ſumus ex pulvere. & *quoniam conglutinatus eſt in terra venter noſter*, ſeu appetitus noſter ex noſtræ corruptione naturæ *in malum* b pronæ. Quid poteſt homo carneus adversùs carnem ſine auxilio Spiritus tui? *Exurge, Domine, adjuva nos; & redime nos propter nomen tuum.* Suſcitare, quæſo, non ad puniendа noſtra crimina, ſed ad ea deſtruenda, & ad liberandos nos ab illorum tyrannide: moderare paſſiones immoderatas carnis noſtræ, ut obediat ſpiritui, ut tuam conſequi poſſimus gratiam, & gloriam.

r Pſ. 43. 20. &c.

s D. Amb. in Pſ. 43. 20.

t Calep. in Dict. V. Siren.

u Lorin. in Pſ. 43. 20.

x ex Deut. 21. 14. & 22. 24.

y ex Sap. 9.15.

z ex Rom. 8.6.

a Gen. 2. 7.

b Gen. 8. 21.

FERIA V. POST DOMIN. III. QUADRAGESIMÆ.

Oportet me evangelizare Regnum Dei, quia ideò miſſus ſum. Luc. 4. 43. &c.

MAximum infortuniorum quæ regnare poſſint hodiernâ die in mundo, eſt videre doctrinam Evangelicam, quæ ſuam trahit è cœlo originem, ab hominibus æquo liberioribus deſpici; nec mirandum eſt ſi imperia tot perpeſſantur commotiones, cùm hæc doctrina, quæ eſt fundamentum monarchiarum, ita concutiatur. Illi, quos noſtra perfecit & evexit eminenter ſupra alios, deberent, ut veriſimile eſt, inter alios amplecti cauſam ejus, & tueri integritatem illius, & tamen ab ipſis, in quos cùm ſub apparentia politiæ libertas irrepſerit criminoſa, ſæviores illa ſuſtinet inſultationes, quæ ruinam ejus exequerentur, niſi veritate fulciretur illa infallibili, *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* a. Incredibili tamen exulto gaudio, quòd res mihi ſit agenda cum hominibus rationalibus, & tractaturus ſim eis de materiis, quæ licèt phyſicis probari non poſſint demonſtrationibus, non deſinūt tamen infallibilem præ ſe ferre certitudinem. Verum quidē eſt, doctrinam Chriſti, mediâ quâ Religio Chriſtiana ſpecioſis non poteſt convincere rationibus naturalibus homines pertinaces, habere tamen rationes & demonſtrationes morales, præter eas quæ eruuntur à fide & ab Authoritate Divina, quæ mentem convincunt ſapientiâ præditam, & nullo pravo præoccupatam affectu. Iſtud habet demonſtratio ſupra moralem, quòd cùm ſit evidens, non indiget ipſa niſi unico argumento ut inclinet intellectum ad cognoſcendam & ſuſcipiendam veritatem, quam ipſi proponit: ſed altera requirit habitum in voluntate ut eam inclinet ad conſenſum. Virgo Deipara ſenſibilem nobis ſubminiſtrat hujus veritatis probationem, cùm conſenſit verbo Angeli, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* b. poſtquàm audivit ſe ab eo ſic ſalutatam, *Ave Maria.*

a Matth. 24. 35.

b Luc. 1. 38.

D. Paulus c aſſerit hunc mundum eſſe veluti repertorium omnium Dei attributorum, ſeu librum, in quo univerſa reperimus exarata, quæ peregit ipſe mirabilia; & per iſtas res viſibiles pervenimus ad notitiam rerum inviſibilium illius, *Inviſibilia ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna*

c Rom. 1. 20.

quoque

quoque eius virtus, & Divinitas. Illud enim, quod videmus, non fuit factum à ſemetipſo, alioquin opifex includeretur in ſuo opere. Natura etiam non eſt anima mundi, ſed veniendum eſt ad unum primum Ens, quod habeas eſſe in ſe, *Ego ſum, qui ſum* †, illud communicat omnibus aliis, *Omnia per ipſum facta ſunt* d, non dependens niſi à ſeipſo. Mundus igitur iſte, liber eſt, in quo Divinas detegimus Perfectiones: licèt enim Deus in ſua ſimplicиſſimus ſit eſſentia, *Spiritus eſt Deus* e, immunis ab omni compoſitione, & corporeæ concretionis expers, in eo nihilominùs multa concipimus attributa, & ex eo, quod eſt in creaturis, in notitiam pervenimus perfectionum quæ ſunt in Creatore: nam id quod magis eſt extenſum in ſua ſpecie, illud perfectius eſt: videmus, quòd aqua ſit major terrâ, aer major his duobus elementis quæ ipſe includit, & ignis ingentior his tribus; unde inferimus Empyreum perfectius his eſſe debere, quippe quod majoris ſit extenſionis: hinc colligitur etiam, plures eſſe Angelos quàm ſint homines, cùm Angeli ſint hominibus perfectiores: atqui ſi omnis perfectio contineri debet in Deo, ſequitur, quòd ejus magnitudo debet eſſe infinita, ſicut ipſe eſt infinitus, *Magnus eſt, & non habet finem* f. *Bonitas* g ejus manifeſtatur in liberali communicatione omnium entium, cœli ſuas communicant influentias, aſtra ſua lumina, ignis calorem ſuum, terra flores & fructus ſuos; mare, flumina, & fontes ſuas aquas, quoniam *Bonum eſt diffuſivum ſui* h. Ipſius *ſcientia* i patet in luminibus, quæ detegimus in nobis, & in Angelis, qui ſunt creaturæ intellectuales: & hanc poſſidet ipſe ſcientiam non ſolùm prout Deus, ſed etiam quatenus homo factus *ubi venit plenitudo temporis* k. Atqui quòd Filius Dei, qui *verba vitæ æternæ* l habet, ſit Author hujus Divinæ Doctrinæ, nihil clarius in Scriptura ſacra, penes quam ſunt depoſitæ omnes veritates ſupernaturales, *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me* m, ait ipſemet Chriſtus Dominus, Judæos ſibi infenſos alloquens. Iſtud oſtenditur nobis ex prophetis n prædictis longo tempore antequàm ipſe veniret; ex miraculis, quæ operatus eſt in vita ſua; & ex effectibus potentiæ ipſius poſt mortem ſuam. Ex miraculis, illuminare cæcos o, ſanitatem impertiri infirmis ut in Evangelio p noſtro, viſum ſurdis q, verbum ſeu loquelam mutis r, greſſum claudis s rectum, motum paralyticis t, & vitam mortuis u, ſunt argumenta ſatis valida ad teſtandam excellentiam hujus Divinæ doctrinæ. Sed dicetis mihi, *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Reſpundeo ego id, quod ipſemet aliàs reſpondit, *Omne regnum in ſe diviſum, deſolabitur* x. Ex potentia, cùm glorioſus ſuo exierit è tumulo poſt dies tres y; quòd totum per idiotas mundum converterit, *In omnẽ terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* z. Quòd potentiſſimos terræ Magnates ſub jugum doctrinæ Chriſtianæ redegerit, *Venient ad te curvi filij eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi* a. Et quòd erigendum ſategerit in locis eminentiſſimis inſtrumentum infame Paſſionis ſuæ; & quòd nihil videatur hodie ſic adorari ac iſtud lignum ignominioſum Crucis.

† Exod. 3. 14.
d Joan. 1. 3.
e Joan. 4. 24.
f Baruch. 3. 25.
g 4 Eſdr. 8. 36.
h D. Dion. lib. de Div. Nõ. c. 4.
i Pſ. 72. 12.
k Gal. 4. 4.
l Jo. 6. 69.
m Jo. 5. 39.
n Iſai. 7. 10. &c. & 9. 6. &c.
o Joan. 9. 6. & 7.
p Luc. 4. 39.
q Marc. 7. 33. &c.
r Ibid.
s Matth. 21. 14.
t Jo. 5. 8. & 9.
u Jo. 11. 43.
x Luc. 11. 15. & 17.
y Jo. 20. 1.
z Pſ. 18. 5.
a Iſai. 60. 14.

Excellentia etiam hujus doctrinæ Chriſtianæ propalatur ex principiis virtutis, quæ ipſa continet æquè ac Philoſophia moralis, inter quæ, tria obſervo præcipua. Quorum primum eſt, agnoſcere beneficia; inde fit ut quis perfungatur obſequiis ſuis erga Deum, à quo habemus eſſe, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* b. Erga parentes noſtros, exhibendo eis munia reverentiæ, & auxilii, *Honora patrem tuum, & matrem tuam* c. Erga Principem; agnoſcentes enim quod invigilet cuſtodiendæ paci & concordiæ inter ſubditos, & defendendis illis ab hoſtibus, hâc conſideratione inducimur ad exhibenda ei debita obedientiæ. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* d. Quò refertur etiam munus ſervorum erga Dominos ſuos, *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis* e. Si Philoſophia habet habitus ſpeculativos, Doctrina Chriſtiana elevat nos ad cognitionem Dei ipſius; & ſupra cœlos, ſed alio modo quàm evecti fuerint antiqui Philoſophi, qui non cognoſcebant Deum niſi Authorem naturæ ſolis rationibus naturalibus; ſed hæc doctrina, quam evangelizat Chriſtus, inſtruit nos circa proceſſiones & emanationes Divinarum perſonarum SS. Trinitatis f, incarnationem Verbi g, &c. mediâ fide, ſpe, & charitate, *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas* h. Suos habet ipſa habitus practicos, & virtutes ſuas æquè ac illa, ſed multò excellentiùs: ſi enim inter Ethnicos aliqui fortaſſe ſe continuerunt, colendo temperantiam, ideò ut quietius ſtudio vacarent Philoſophiæ: ſed temperantia, quam Dei Filius nobis conſulit, longè perfectior eſt: quot enim Religioſæ vitæ cultores & cultrices æquè ac Clerici, imò verò aliqui Chriſtiani in mundo remanentes, præliantur intuitu objecti nobilioris, quod eſt cœlum, & Deus ipſe? *Et ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum* k. Propterea appoſitè locutus eſt Iſaias l, cùm Deum vocavit abſconditum *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Non ſolùm eſt *abſconditus*, quatenus conſideratur ut *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* m. Sed etiam prout eſt homo, & ut ſic vocat eum D. Paulus n theſaurum abſconditum, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Et hoc propter duas rationes. Prior eſt, quoniam rerum Dei nihil cognoſcere poſſumus niſi ex rebus creatis o, & ſic Deus eſt theſaurus ſed theſaurus *abſconditus*. Poſterior eſt, quia cùm ipſe veniſſet in mundum, ſemetipſum abſcondit, *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit* p. Quis enim cognoſcere potuiſſet quomodo iſte Vir fuiſſet Filius Dei? Propterea aliàs *mirabantur Judæi, dicentes, Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit* q? Eò quòd edoceret eos myſteria fidei, ſicut & facit hodie in Evangelio noſtro, *Et turba requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum, & detinebant illum ne diſcederet ab eis. Quibus ille ait, Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum Dei, quia ideò miſſus ſum.* Quod ſic appoſitè explicat Dionyſius Carthuſianus r, *Et turba requirebant eum, Populares etenim Chriſto magis adhæſerunt, quam Primates Judæorum, ac Scribæ & Phariſæi, quorum pauci, vel nulli eum ſecuti dicuntur hac vice. Et venerunt uſque ad ipſum, & detinebant illum ne diſcederet ab eis:* dele-

b Act. 17. 28.
c Exod. 20. 12.
d Rom. 13. 1.
e 1 Petr. 2. 18.
f Pſ. 2. 7. & Jo. 15. 26.
g Joan. 1. 14.
h 1. Cor. 13. 13.
k Matth. 19. 12.
l Iſai. 45. 15.
m Jo. 1. 18.
n Col. 2. 3.
o Rom. 1. 20.
p 1 Cor. 2. 7. & 8.
q Joan. 7. 15.
r Dion. Carth. a. 11. in Luc. 4. 42. & 43.

delectabantur enim in eloquentia, ſapientia, virtutibus ac miraculis ejus. *Quibus ille ait, Quia & alijs civitatibus oportet, id eſt, expedit, hominumque ſaluti opportunum eſt, imò & ex ſuppoſitione oportuit, quia ita me præordinavit Deus evangelizare Regnum Dei, hoc eſt, prædicare beatitudinem paradiſi cœleſtis, & qualiter ad illud venitur.* *Quia ideò miſſus ſum à Patre æterno per Incarnationis myſterium, item per juſſionem, quâ Pater, ſeu Trinitas tota Chriſto ſecundùm naturam aſſumptam officium iſtud præcepit, quemadmodum in Joanne* s *loquitur, Sicut mandatum (inquiens) dedit mihi Pater, ſic facio. Ex quo patet quam Divinum ac præclariſſimum ſit prædicationis officium, cùm Unigenitus Dei propter illud exercendum ſe perhibeat miſſum à* Patre æterno.

s Joan. 14.31

Diviſio. Quod inducit me ut oſtendam vobis Primò, eum ſuſcepiſſe excellentiam hujus doctrinæ ab eodem Patre æterno. Secundò, Quòd modus cognoſcendæ & exercendæ iſtius doctrinæ, eſt facere voluntatem Dei.

I. Pars. Duo invenio genera ſcientiarum generaliter in Filio Dei: una eſt increata, altera verò eſt creata, & utramque ipſe habet à Patre ſuo æterno. Increata eſt id, quod eſt æternum in ipſo, quatenus Verbum eſt, & vocatur ſcientia increata Patris: ſicut Pater æternus omnia cognoſcit in ſe ipſo per modum ingeniti, ſic omne quod eſt cognitionis iſtius in Patre æterno, eadem ſcientia eſt in Filio. *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te* t. *Ego & Pater unum ſumus* u. Quaſi diceret, Quia genitus ſum à Patre meo, & ab ipſo eſſe meum ſuſcepi; ita ego ſum ſicut ille ſcientia increata, & ego prout genitus æqualis Deo Patri meo cognoſco id omne quod cognoſcit Pater meus, non à me, ſed à Patre meo. Veniamus nunc ad ſcientiam creatam: Sicut enim in Filio Dei duas invenimus naturas, naturam Divinam, & naturam humanam: Secundùm naturam Divinam vocamus eum Sapientiam increatam; nunc ſecundum quòd homo eſt, debebat habere ſcientiam creatam. Quænam eſt igitur hæc ſcientia creata in Filio Dei?

t Pſ. 2. 7.
u Joan. 10.30.

Quadruplex eſt iſta ſcientia. Prima vocatur deiformis ſeu beata. Secunda myſterioſa. Tertia infuſa & id omne quod ſpectat extenſionem naturæ, quia myſterioſa intuetur gratiam. Quarta experimentalis, à ſenſibus deſumpta. Scientia deiformis eſt illa quæ procedit ab unione hypoſtatica, cùm Anima Filii Dei eo inſtanti quo creata fuit, elevata ſit ſupra Seraphinos modo incomparabili ad cognoſcendum id omne quod eſt, omne quod fuit, & omne quod futurum eſt, hoc genere viſionis, quam appellamus matutinam: nam juxta D. Auguſtinum *u*, duplex datur viſio in Beatis, una matutina, altera veſpertina. Viſio matutina eſt, cùm Angeli omnia vident in Deo. Viſio veſpertina eſt, cùm intuentur omnia in ſeipſis interventu ſpecierum, *Illi quippe Angeli ſancti non per verba ſonantia Deum diſcunt, ſed per ipſam præſentiam immutabilis Veritatis, hoc eſt, Verbum ejus unigenitum, & ipſum Verbum, & Patrem, & eorum Spiritum ſanctum in cognitione diurna, in ſeipſis autem tanquam in veſpertina.* Filius Dei ſecundùm hanc viſionem habet ſcientiam creatam, quam appellamus beatam, *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus* x. Imò verò intuetur ipſe id omne, quod eſt in virtute ſuæ creaturæ, ſcilicet omne illud, quod creatura poteſt agere. Secunda ſcientia eſt myſterioſa, quæ in illo eſt ſita ut videat & concipiat Filius Dei id omne, quod pertinere poteſt ad myſterium gratiæ. Tertia ſcientia eſt *infuſa, quâ cognoſcit res per proprias earum ſpecies ſibi concreatas, ſuæque Animæ connaturales, & proportionatas.* *Nulla enim naturalis perfectio defuit Animæ Chriſti. Unde quemadmodum (ſecundùm Auguſtinum) Verbum æternum ſeu Deus à principio indidit mentibus Angelicis intelligibiles rerum ſpecies, per quas cognoſcunt res cognitione veſpertina, præter cognitionem matutinam, quâ res cognoſcuntur in Verbo: ſic Verbum Animæ Chriſti ſibi unitæ indidit ſpecies intelligibiles naturales*, ait Dionyſius Carthuſianus y ſuper hæc verba, *Et Jeſus proficiebat ſapientiâ & gratiâ apud Deum & homines.* Dei Filius ſcientiam habebat perfectam ratione unionis hypoſtaticæ. Cùm venimus in mundum, animæ noſtræ ſunt veluti tabulæ raſæ, & hoc oritur ex imperfectione naturæ noſtræ: Anima Chriſti non debebat eſſe imperfecta: ideò omnis ſcientia data eſt illi à Patre ſuo, & ſciebat per experientiam: videbat enim id quod ſciebat, & hæc eſt quarta ſcientia, quæ vocatur experimentalis, de qua idem Carthuſianus proſequitur, *Præter has ſapientias ſeu ſcientias ponunt quidam Theologi in Anima Chriſti ſcientiam acquiſitam ſeu experimentalem, quam ſanctus Thomas primò negavit eſſe in Anima Chriſti, ſed poſtea in tertia parte retractat hoc, & aſſerit talem ſcientiam in Chriſto ponendam, quia (ut ait) nihil eorum defuit Chriſto, quæ Deus in natura humana plantavit, ideò Chriſtus habuit intellectum agentem, ejuſque operationem. Operatio autem intellectus agentis eſt, à phantaſmatibus intelligibiles ſpecies abſtrahere, atque in intellectu eas poſſibili ponere, ut tertio de Anima dicitur. Itaque in intellectu poſſibili Animæ Chriſti fuerunt ſpecies intelligibiles ab intellectu agente illi impreſſæ, quod eſt ſcientiam acquiſitam, quam quidam vocant experimentalem, in Chriſto conſiſtere, quæ habetur per modum humanum, naturaleque lumen, de quo ad Hebræos* z *ait Apoſtolus, loquens de Chriſto, Didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam. Et ſumitur ibi diſcere pro experiri. Chriſtus namque non didicit ab alijs ſcientiam acquiſitam, ſed per propriam adinventionem eam adeptus eſt.* *Hæc ſecundùm Thomam* a *in tertia parte inducta eſt. Ex quibus oſtenditur, quod Chriſtus in nulla ſapientia ſeu ſcientia prænominata profecit quantùm ad habitum illius, niſi in ſcientia acquiſita.*

u D. Aug. lib. 11. de Civit. Dei c. 29.
x Heb. 4. 13.
y Dion. Carth. a. 7. in Luc. 2. 52.
z Hebr. 5. 8.
a D. Th. 3. p. q. 9. a. 3.

Hinc tres eruo differentias ſcientiæ, quam habemus, à ſcientia Jeſu Chriſti. Scientia noſtra eſt ſucceſſiva, addiſcendæ nobis ſunt veritates una poſt alteram, nobis eſt diſcurrendum, oportet ut deducamus conſequentias, ut promoveamus præmiſſas, & inde inferamus concluſiones; & ſic in eam addiſcendam tantum refundimus tempus, ut perſæpè tota noſtra tranſigatur vita, & mors nos intercipiat antequàm aliquid ſciamus; ſed ſcientia Filii Dei claré videt omnia, nedum medio indigeat. Secundò, Diſcimus præ difficultate, & obliviſcimur præ facilitate, quod non eſt exigua imperfectio; ſed Jeſus Chriſtus, quia in ſemetipſo *perfectus eſt* b, nihil poteſt obliviſci. Permitte tamen, bone Jeſu, ut dicam tibi, te faciliùs obliviſci injuriarum à nobis tibi illatarum, cùm ipſe dicas, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea,*

b Matth. 5.48.

& fece-

& fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitiâ ſuâ, quam operatus eſt, vivet c. [c Ezech. 18. 21. & 22.] Tertiò, Non habemus nos veram ſcientiam, quia non cognoſcimus niſi accidentia, & non ſubſtantiam rerum; ſed Ieſus Chriſtus, cùm ſit verè Deus, eas cognoſcit perfectiùs quàm ſint in ipſis. Et Apoſtolus oſtendit nobis differentiam, quæ eſt inter Ieſum, qui loquitur mundo, & Doctores, Prophetas, Apoſtolus, & alios, in eo quòd Dei Filius ſcientiam ſuſcepit abſque menſurâ, *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum* d. [d Joan. 3. 34.] *Unicuique Deus diviſit menſuram fidei* e. [e Rom. 12. 3.] *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum: alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult* f. [f 1. Cor. 12. 8. &c.] In aliis deprehendo ſapientiam, ſed ſapientiam altiſſimarum veritatum, cujus beneficio videmus id quod eſt maximè abſconditum in Deo. *Sapientiam loquimur inter perfectos* g. [g 1. Cor. 2. 6.] Dei Filius ſuos alloquens, ait illis, *Dabo vobis ſapientiam* h. [h Luc. 21. 15.] Quæ eſt rerum altiſſimarum & Divinarum, & ſcientia rerum creatarum. In aliis fidem, & certitudinem rerum ad illas cognoſcendas. In aliis propheiam, quæ eſt revelatio rerum occultarum. In aliis facultatem diſcernendi ſpiritus, quâ nimirum cognoſcant ad loquelam hominis, quidnam ſit in corde ejus. In aliis gratiam concinnè loquendi. In aliis induſtriam interpretandarum ritè Scripturarum, ſicut tùm *apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis, & introgreſſi ſunt in conſpectu* Regis Baltaſſar *ſapientes magi, ut ſcripturam hanc legerent, & interpretationem ejus indicarent; & nequiverunt ſenſum hujus ſermonis edicere* ei, Princeps iſte dixit Danieli, *Ego audivi de te, quòd poſſis obſcura interpretari* i. [i Dan. 5. &c.] Donum iſtud eſt id ſpeciale, non indulgetur omnibus. Sed quare id omne? Idcò ut oſtendatur, quòd totus theſaurus ſapientiæ & ſcientiæ ſit in Chriſto à Patre æterno; quòd in Sanctis ſit diviſio, ſed in illo plenitudo, *Vidimus plenum gratiæ & veritatis*, ait D. Ioannes k. [k Joan. 1. 14.] Et D. Paulus l, [l Coloſſ. 2. 3.] *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. Sed quare D. Paulus appellat hanc ſcientiam theſauros? Theſauri ſunt divitiæ congregatæ in unum locum, & non effuſæ, Deus communicavit diviſim notitiam ſuâ creaturis, *Effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundùm datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe* m. [m Eccli. 1. 10.] Non vocamus theſaurum id, quod eſt diſperſum, ſed illud quod eſt congregatum; ſicut *Deus congregationes aquarum appellavit Maria* n: [n Gen. 1. 10.] ita quoniam in Filio Dei omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei creatæ & increatæ inveniuntur, ipſe ſolus vocatur theſaurus ſcientiæ. Idcircò qui Deum ſcit, omnia novit. D. Paulus qui *raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* o, [o 2. Cor. 12. 5.] proteſtatur, ſe *non ſcire aliquid niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* p. [p 1. Cor. 2. 2.] Et verè, cùm Ieſus ſit theſaurus gratiæ, ſapientiæ & ſcientiæ, eum ſolum adire debemus, & poſſidere, ut verè divites efficiamur; eum ſolum ſcire ſatagere debemus, ut docti efficiamur; quia ille qui omnia ſcit, & Deum neſcit, æquè diſtat à verâ ſcientiâ ac non ens ab eo quod habet eſſe.

Sapientes mundani, id eſt, in quibus eſt *ſapientia hujus mundi*, quæ *ſtultitia eſt apud Deum* q. [q 1. Cor. 3. 19.] qui omnes dies veſtros poſt iſtam vanam ſcientiam & ſapientiam humanam conſumitis, nunquam veram habebitis ſapientiam, nec titulum merebimini ſcientium verorum, niſi legatis in hoc Libro Divino; nunquam habebitis veram mentis claritatem, intellectus veſter ſemper erit ignorantiæ tenebris ſuffuſus, ſi Ieſus qui eſt *Lux mundi* r, [r Joan. 8. 12.] non illuminet vos; jugiter errantes eritis, niſi Ieſus, qui eſt *Via* s [s Joan. 14. 6.] certa, cognoſcatur à vobis: tandem ſapientia & ſcientia veſtra erit mendacio obvoluta, niſi cognoſcatis Ieſum, qui eſt *Veritas* t [t Ibid.] infallibilis: & ut omnia uno dicam verbo, hæc eadem peritia veſtra erit mortua, niſi ſit animata Ieſu, qui eſt vera *Vita* u. [u Ibid.]

Non poſſum melius comparare homines, qui vivunt ſub legibus mundi tyrannicis, quàm iis, de quibus D. Iudas x [x Judæ V. 12. & 13.] loquitor, qui ſic ab eo deſcribuntur, *Semetipſos paſcentes*, ſed vento vanitatis, qui non gignit in eis niſi apparentem gloriæ fumum. *Nubes ſine aquâ, quæ à vento circumferuntur*, cùm non implantes ſe niſi aquis mundi torpentibus, nunquam accedant *ad Fontem vivum* y, [y Pſ. 41. 3.] qui eſt Ieſus Chriſtus. *Arbores autumnales, infructuoſæ*, ſi autem aliquid retinuerint, id non erit præter folia apparentia vanitatis. *Bis mortuæ*, cùm obierint quoad duas potentias ſuas, intellectum, & voluntatem; quoad intellectum, non quærentes niſi id quod falſum eſt; & quantùm ad voluntatem, non amantes niſi id quod malum eſt. *Eradicatæ*, cùm ſuperficiei terræ duntaxat inhærent. *Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones; ſidera errantia; quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum*, cùm per ſterilitatem ſuam errando, per agitationes ſuas non influant niſi tenebris.

Ecce conditiones ſapientium mundi, qui non viventes niſi propter mundum, & nihil reſpirantes niſi mundum, nec aliquid quærentes præter mundum, debent expectare mercedem mundi, qui ſicut nihil habet in ſe reale & permanens, non poteſt niſi imaginariam impertiri felicitatem. Vos autem idiotæ, qui ſecedentes à legibus mundi, habemini ut imperiti, & quorum ſimplicitas réputatur ut mentis inopia, ut ait D. Gregorius z, [z D. Greg lib. 10. Mor. c. 16 in Job 12 4.] *Juſtorum ſimplicitas deridetur: quia ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur*; immodico exultate gaudio; ſicut enim Deus ſimplicibus ſpecialiter ſe communicat, *Et cum ſimplicibus ſermocinatio ejus* a, [a Prov. 3. 32.] cùm ſitis diſcipuli ita excellentis Magiſtri, perfectiſſimè docti eritis; & nihil poſſidentes in terrâ, ubi eſtis *pauperes ſpiritu* b, [b Matth. 5. 3.] cæli veras poſſidebitis divitias, *Quoniam* veſtrum *eſt Regnum cælorum* c. [c Ibid.] Sed modus inveniendi & poſſidendi Filii Dei, non invenîtur niſi in exequendâ voluntate Dei Patris illius, *Quia ideò miſſus* ab eo fuit.

[II. Pars.] Quatuor invenio quæ habemus adimplenda in voluntate Dei, in teſtimonium voluntatis & veri verbi ejus. Primum, Voluntas Dei eſt, ut præcepta ipſius obſervemus, *Hæc eſt enim charitas Dei, ut mādata ejus cuſtodiamus: & mādata ejus gravia nō ſunt* d. [d 1 Joan. 5. 3.] Hoc æquitati & rationi eſt con-

ſunum, cùm præcepta illius à recta non devient ratione, ſed illi ſint maximè accommoda ob multiplicem rationem, quam affert Dionyſius Carthuſianus e, *Primò. Quia virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ſunt ex ſuâ naturâ ſuaves, & convenientes, habentque delectationes ſinceras actibus ſuis annexas.* Secundò, *Ex adjutorio Dei, qui per dona gratiæ, præſertim per charitatem, hominem ſic confortat, inflammat, & conſolatur, ut ei dulceſcat via ſalutis, & obſervantia præceptorum: imò cum ingenti alacritate & gaudio illa adimpleat. Propter quod ait Propheta* f, *In viâ teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis. Et, Viâ mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Tertiò, Ex ineſtimabili magnitudine præmij deſuper promiſſi: cujus reſpectu omnis labor, & omnis difficultas, & pœna vitæ præſentis eſt tanquam momentum. Propter quod dicitur, Id, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* g. *Quartò, Mandata Evangelicæ Legis levia ſunt ob ſuam paucitatem, comparatione præceptorum Moſaicæ Legis, quæ multitudine ſuâ erat onus tam grave, ut Princeps dicat Apoſtolorum, Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus* h? Si autem juſtum eſt & rationabile ut ſervus exequatur Domini ſui mandata; cùm ab eo mercedem laboribus ſuis impenſam ſuſcipiat; ſi convenientius eſt ut filius obediat patri ſuo, qui ipſi vitam impertitus eſt, nunquid non æquius erit ut homo morem gerat Deo, qui ipſum *creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* i? Qui produxit cœlos, aſtra, elementa, & omnes creaturas propter obſequium ejus: imò qui ſemetipſum tribuit illi in mercedem, ſi inviolatè Divina cuſtodiat præcepta, *Si vis ad vitā ingredi, ſerva mandata* k. Et tamen quis adimplet iſtam voluntatem Dei in terrâ? Inveniuntur homines, qui ad talem aſcenderunt malitiæ gradum, ut dicant, mandata Dei eſſe inobſervabilia: alii verò, ſi id nō enunciant verbis, videantur id teſtari effectibus & operibus ſuis, cùm illa non exequantur.

e Dion. Carth. 2. 7. in 1. Jo. 5. 3.
f Pſ. 118. 14. & 32.
g 2. Cor. 4. 17.
h Act. 15. 10.
i Gen. 1. 27. &c.
k Matth. 19. 17.

Secundum, Voluntas Dei eſt, ut ſancti efficiamur omnes, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra* l. Sed dicet aliquis, Si Deus vult ut omnes ſalvi ſimus, utquid tot inveniuntur qui damnantur? Sed audi D. Dionyſium Carthuſianum m dicentem, *Hæc eſt voluntas Dei, id eſt, res placens Deo, vel mandatum ſignum exiſtens Voluntatis Divinæ antecedentis, vel conſequentis, ſanctificatio veſtra, id eſt, purgatio à peccatis. Prout à B. Petro* n *inducitur, Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Verum eſt, quòd Deus voluntate antecedenti, miſericordiâ ſuâ, quæ *non habet finē* o, *omnes homines vult ſalvos fieri* p. Sed ſicut æqualiter *juſtus* r eſt, deberet etiam velle ut noſtra condignè plectantur crimina ſupplicio, & voluntate conſequenti vult ut damnemur, quia ſcelera deſcrere non poteſt ipſe impunita, quin ſuæ detrahat juſtitiæ; ita ut, ſi nos peccare nollemus, Deus nollet nos damnare, ſed ſalvare; & ſi Deus id vult, ideò quia volumus nos illud, & ipſa crimina noſtra aliquo modo mutant etiam primam voluntatē Dei ſicut aſſerit D. Auguſtinus t, eū videri aliquando illam mutare. *Hic agat anima pœnitentiam, ut poſſit ille mutare ſententiā.* Hæc dilucidè explicat Dionyſius Carthuſianus u, *Reſponſio, quæ melior eſt, & à Damaſceno aſſignatur, eſt, quòd Deus vult omnes ſalvari voluntate antecedente, non autē voluntate conſequente, quæ duplex voluntas in Deo ſolâ ratione diſtinguitur. Dicitur enim voluntas antecedens, quâ quis aliquid vult ſecundùm conſiderationē communem & abſolutam rei quam vult. Conſequens verò, quâ vult aliquid cōſideratis particularibus circumſtantiis atque conditionibus ejus. Primo modo vult Rex omnes ſuos ſubjectos vivere, inquantùm videlicet conſiderat eos ut cives, & membra Regni ſui. Secundo modo vult quoſdā eorū perire, inquātùm ſunt bono communi cōtrarij, vel enormiter ſcelerati. Simili modo vult Deus omnes homines ſalvari voluntate antecedente, videlicet conſideratis eis ut ſunt rationalis naturæ, ad ſui imaginem factæ* †, *beatitudiniſque capaces. Sed conſiderando nonnullos ſecundum actus, & circumſtantias ſuas particulares, non vult eos ſalvari, ſed damnari, quod pertinet ad voluntatem conſequentem.*

l 1. Theſſ. 4. 3.
m Dion. Carth. a. 4. in 1. Theſſ. 4. 3.
n ex 2. Petri. 3. 9.
o Baruch 3. 25.
p 1. Tim. 2. 4.
r Pſ. 118. 137.
t D. Aug. lib. 3. de ſymbol. c. 5.
u Dion. Carth. a. 2. in 1. Tim. 2. 4.
† ex Gen. 9. 6.

Tertium, Deus vult, ut reſtituamus ſtatum, quem habemus, ad priſtinam perfectionem ſuam. Neminem video in terrâ, qui poſſit iſtam adimplere voluntatem: tamen Domine [illegible], tu iſtud vis, atqui hoc non erit niſi poſt iſtam vitam: hæc enim voluntas in eo eſt ſita ut caro noſtra perfectè ſubjiciatur ſpiritui, & ſpiritus Deo, quod non adveniet niſi poſt futuram reſurrectionem, cùm *omnes quidem reſurgemus* x.

x 1. Cor. 15. 51. &c.

Quartum & præcipuum eſt, ut ſimus omnes ſubditi Divinæ Providentiæ. In hâc invenio Divinâ providentiâ iſta quinque ſigna voluntatis Dei, quam adimplere debemus, prohibitionem, permiſſionem, præceptum, conſilium, & operationem, quæ hoc verſu à Doctoribus comprehenduntur,

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

Quod nobis primò cognoſcendam exhibet voluntatem Dei, eſt prohibitio intuitu mali, *Declina à malo* y. Permiſſio etiam quæ eſt reſpectu mali, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* z? Præceptum quod reſpicit bonum, *Fac bonum* a. Conſilium quod ſuadet bonum ſuperabundans, *Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* b. Et operatio Dei, quæ ſpectat bonum præſens, *Non ego, ſed gratia Dei mecum* c. Ad diſcernenda hæc omnia, video Divinam voluntatem, quæ non eſt intuitu præteriti, ſed reſpicit præſens & futurum. Quoad præſens, videmus bonum & malum. Quantùm verò ad futurum, etiam reſpicimus malum & bonum. Hoc ſuppoſito, Deus prohibet malum: ergo eſt illi obediendum. Deus permittit ut affligaris, benedic eum hoc malo impetitus; Deus illud permittit, quia ex eo eruere poteſt bonum. Deus præcipit, nec aliquid jubere poteſt niſi juſtè: ergo debemus illi morem gerere. Deus conſulit bonum, & animam educit è mundo, ut ſibi ſerviat extra mundum, ſive infirmitate, ſive aliâ viâ; Deus eam trahit inſpiratione ut ad meliorem emendatioris vitæ ſe recipiat frugem, capeſſendum eſt iſtud conſilium. Deus operatur bonum, ecce motus qui nobis accidit, hæc aſpiratio ut Saulo; ideò dicere debemus ſicut iſte Deo, *Domine quid me vis facere* d? Non intueri amplius noſmetipſos, ſed ſolum Deum, & Divinam ejus voluntatem.

y Pſ. 36. 27.
z Amos 3. 6.
a Pſ. 36. 27.
b Matth. 5. 3.
c 1. Cor. 15. 10.
d Act. 9. 6. &c.

Quis pudor Chriſtianis, habere talem doctrinā annunciatam à Chriſto; quæ Dei nos edocet voluntatem, & illi ſic parùm vitam ſuam & mores ſuos conformare. Scientia eorū eſt ſancta, & vita

illorum

illorũ criminibus repleta. *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo* Librum Evangelicum tenebit apertum, ut noſtras exigat actiones ad illum. Quæ huic Scientiæ Divinæ invenientur conformes, gloriâ beabuntur æternâ ab ipſo; quæ verò ab hoc Libro receſſerint, ſupplicio æterno, *Et ibunt hi, id eſt, impij, in ſupplicium æternum: Juſti autem in vitam æternam* e. [e Matth. 25. 31. & 46.] Euge igitur Auditores, firmiter nobis proponamus in praxim redigere id, quod edocet nos iſte *Liber apertus, qui eſt vitæ* f. [f Apoc. 20, 12.] Exequamur has maximas ſacras & Evangelicas, conformemus vitam noſtram huic Scientiæ Divinæ, quæ non eſt alia niſi ea, quam Jeſus Chriſtus didicit à Patre ſuo, qui miſit eum è cœlo in terram propter ſalutem noſtram, & per quam ducere nos vult in paradiſum. Ut autem id meliùs ei ſuccedat, & à nemine repellatur, omnium ſe captui accommodat, ut omnes lucretur, ut dicebat Apoſtolus de ſe, *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos* g. [g 1 Cor. 9. 22.]

Magnus iſte Prædicator, & ſolitudinis cultor *D. Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum* h. [h Matth. 3. 4 &c.] Quare Vir iſte inſignis ſic auſtero veſtiebatur indumento? cùm eſſet innocens, & nullum commiſerit peccatum actuale, *Et Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ* i [i Luc. 1. 15.] repletus fuerit. Cùm camelus ſit animal deformiſſimum, magnum habeat corpus, exiguum caput, & ingentem gibbum ſuprà, nec aliquid præ ſe ferat jucundum, repræſentat peccatum: D. Joannes igitur veniens ad attrahendos peccatores, eoſque venandos, quæ venatio eſt omnium laborioſiſſima & maximi momenti, capeſſere debebat inſigne peccati, apparere ut peccator; ut meliùs ſimilitudine attraheret peccatores. Sic conſueti ſunt venatores, qui aliquam inſequuntur beſtiam, operire ſe pelle ſimili pelli hujuſmodi beſtiæ: & hoc modo beſtia ſuæ non diffiſa ſimilitudini; ſemetipſam intuetur interceptam. Jeſus Chriſtus, *qui factus eſt nobis Sapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio* k, [k 1. Cor. 1. 30.] veniens in mundum ad edocendos ſuam homines voluntatem, eo ſe gerit modo; & ſicut Deus vult ut omnes ſancti efficiamur, *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra* l: [l 1. Theſſ. 4. 3.] ad attrahendos nos ad ſanctitatem, ad lucrandos peccatores, indutus eſt ſimilitudine peccatoris. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati* m. [m Rom. 8. 3.] Inſignia & charactêres peccati detulit, ut hac apparentiâ exteriori peccati, omnino peccatum à cordibus illorum procul amandaret, & mortem eorum morte ſuâ annihilaret, *Et de peccato damnavit peccatum in carne* n. [n Ibid.] Et, *Mortem noſtram moriendo deſtruxit*, ut concinit Eccleſia.

Hic eſt modus, quem cuſtodire debent Concionatores, qui ſunt organa Jeſu Chriſti, & qui idcircò dicuntur *Sal terræ* o. [o Matth. 5. 14.] Sal impedit corruptionem; ita Prædicatores morum debent impedire corruptionem. Sal exſiccat; ſic Concionatores exſiccant omnes humores peccãtes, omnes humores carnales. Sal eſt compoſitum ex aquâ & ex exhalatione, quæ iſtam coquit aquam; ita Prædicatores cauſant ignem amoris Dei in corde, & aquam contritionis. Judæi exiſtimabant ſe multùm honoraſſe Deum, offerẽdo ei ſanguinem animalium p, [p Levit. 8 14.] qui altare ipſorum reſpergebat; ſed totus iſte ſanguis, quo rubebat ipſorum altare, non poterat eos præcisè purificare & juſtificare, *Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum & hircorũ auferri peccata* q. [q Hebr. 10. 4. &c.] Deus noſter in lege gratiæ, quam profitemur, rejiciens hæc omnia cruenta ſacrificia, iſtas non ampliùs efflagitat victimas. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis. Sacrificium*, quod ipſe expoſcit, eſt *ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum* z. [z Pſ. 50. 18. & 19.] Iſtud eſt, quod ipſi placet. & quod ei offerre debemus, & quod Cõcionatores exigunt, ut commendabilem efficiant ſalis qualitatem, quam poſſident.

Præterea, Concionatores *Sal terræ* nuncupantur: quia nihil meliùs ſe accommodat tempori quàm ſal. Si tempus eſt humidum, ſal etiam eſt humidum. Si tempus eſt ſiccum, ſal etiam eſt hujuſmodi. Sic Concionatores ſe debent accommodare captui peccatorum, more D. Pauli, qui gaudebat cum gaudentibus, & contriſtabatur cum afflictis; inſtar D. Joannis Baptiſtæ, qui *habebat veſtimentum de pilis camelorũ*, quod præferebat apparentiam peccatoris; & ſicut Jeſus Chriſtus, quem miſit *Deus in ſimilitudinem carnis peccati* per myſterium Incarnationis, ut lucraretur peccatores, ſicut eos deinde lucrari ſategit D. Paulus, dicens, *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Univerſis univerſa fieri debemus, eorum captui nos accommodando, ut univerſos lucremur Chriſto, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* s. [s Apoc. 1. 5.] Non intelligo tamen hinc dicere, quòd oporteat ſe ita eorum captui accommodare, ut inde arripiant peccatores anſam offendendi Dei, & perſeverandi in pravis ſuis conſuetudinibus; & ut, poſtquàm ſe converterint ad Deum mediâ contritione, & aliis actibus Pœnitentiæ, cadant in relapſum, & contingat *eis illud veri Proverbij: Canis reverſus ad ſuum vomitum: & Sus lota in volutabro luti* t. [t 2. Petr. 2. 22. ex Prov. 26. 11.] Hoc autem accidere poteſt, cùm criminosè Concionatores peccatoribus cõplacent, cùm nihil ſit, quod magis irritet iram Dei, quàm hic relapſus, *In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit. Vir bellator deficiens per inopiam: & vir ſenſatus contemptus: & qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam* u. [u Eccl. 26. 25. & 27.] Ita ergo ſe debent Concionatores accommodare captui peccatorum ut eos lucrentur, aſſimilando ſe eis, *Similitudo nempe eſt cauſa amoris, idcircò conformando ſe aliis, quantùm fieri potuit, traxit corda eorum ad ſe, ſicque convertit eos faciliùs*, ait Dionyſius Carthuſianus x [x Dion. Carth. 6. 10. 1. Cor. 9. 22.] de D. Paulo. Et ſtatim pòſt ſubdit, *Unde ait inferiùs Ego per omnia omnibus placeo* y. [y 1. Cor. 10. 33.] *Ideo addit nunc, Omnibus omnia factus ſum, applicando me ſingulis, ſecundùm capacitatem ipſorum, ut omnes facerem ſalvos inſtrumentaliter, operando ad converſionem ipſorum. Solus autem Deus principalis Salvator eſt, juxta illud Propheticum, Ego Dominus, & ſalvator non eſt præter me* z. [z Oſee 13. 4. & ex Iſai. 43. 11.] Noſtras igitur inſumamus operas ad lucrandas animas in tempore propter æternitatem gloriæ ſempiternæ eis conciliandam æquè ac nobis.

Digitized by Google

FERIA VI. POST DOMIN. III. QUADRAGESIMÆ.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.
Ioan. 4. 6. &c.

NIſi ſcirem quòd Chriſtus unctus & conſecratus eſt Rex ab inſtanti ſuæ conceptionis in ſinu Matris ſuæ, cùm illum *unxit Deus oleo lætitiæ præ conſortibus* a *Suis*: *Fuit enim unctus unctione gratiæ, quando ſcilicet in primo inſtanti ſuæ creationis Anima, habuit tantam gratiam, quantam ei Deus dare potuit, quia non eſt ei datus ſpiritus ad menſuram* b: *& fuit unctus præ conſortibus ſuis, id eſt, præ omnibus Apoſtolis, & alijs omnibus Sanctis, quia majorem poteſtatem, & dignitatem obtinet, quia, ut dicitur, poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur* c, ait Incognitus d: vix perſuadere mihi poſſem hanc veritatem, & niſi invitus ei fidem non adhiberem, cùm videam eum naſci tanquam reum, *& in præſepio* e reclinari; & eruel ſuffixum, *cum iniquis* f reputari. Sed iſtæ ſunt maximæ ſtatus ipſius politici, quibus fertur, quòd, ut quis ſit beatus, debet priùs eſſe miſer: ut ſit dives, debet priùs paupertatem colere g; & omnia temporalia à ſe abdicare, ut veras ſibi comparet divitias: quòd pandere ſibi debet iter ad gloriam per infamiæ & paſſionum viam, quam ſecutus eſt Jeſus: & quòd ad conſequendam quietem requiratur motus. *Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Si fatigati ſumus, eamus quietum prope Mariam, quæ eſt *fons ſignatus* h ſigillo gratiarum, ut teſtatur Archangelus, dicens ei, *Ave Maria.*

Dixerunt aliàs Philoſophi Ethnici, amorem eſſe vivaciſſimum inter præcordia genitum, in principio motus parùm diligere, & multùm quieſcere: & inde concluſerunt, quòd ſi quieſcit, immeritò ſibi nomen amoris vendicat, cùm natura ejus ſemper in inquietudine ipſum eſſe requirat. Propterea admiramur charitatem D. Petri erga Dominum ſuum, cùm *deſcendens de navicula, ambulabat ſuper aquam ut veniret ad Jeſum* i, nedum metueret ne aquis immergeretur, cùm amor ejus ſequeretur ſemitas dilectionis ipſius æquè ac procellarum, quia nullo alio ciebatur motu niſi amoris. Ideò Amans ſacra quærit *per noctes, quem diligit anima* ſua: *& non* inveniens, ſurgit, & circuit *civitatem*; *per vicos & plateas, quem diligit anima* k ſua, quærens, & eredit hoc eſſe ſolum modum inveniendi illius. Alii dixerunt Philoſophi, amorem nullam habere domum, & perpetuò gyrare: ecce figura charitatis Jeſu erga homines, quorum gratiâ non poteſt quieſcere; eos enim diligit, & certas dilectionis ſuæ probationes eis exhibet continuis fatigationibus ſuis. Idcircò *& fine & principio ſe carere Divinus Amor eximiè declarat, quaſi circulus quidam perpetuus*, ait D. Dionyſius l. Non poteſt eſſe in quiete Jeſus, ſicut nec poteſt vivere abſque corde. Videte, Auditores, totam ejus vitam; intuemini illum *in ſinu Patris* m ſui in æternitate; & in tempore, *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus* n.

Verum quidem eſt, quòd actio & fruitio, operatio & quies in eodem ſubjecto, & eodem tempore, ſunt contraria, quæ non inveniuntur niſi in Deo in cœlo, & in Beatis in paradiſo. Deus in cœlo eſt ſemper in operatione, in æternum agit & ad intrà, & ad extrà. Ad intrà agit productionibus ſuis internis. Ad extrà, quia conſervat mundum, creaturas, & omnes ſpecies. Et quia, ſecundùm Philoſophos, *conſervatio eſt continuata productio*, ideò ſemper agit, & continua ejus operatio quies illius eſt, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* o, ait Dei Filius incarnatus. Et licet ſacer Hiſtoriographus aſſerat, quòd *Deus* p ſex inſumpſit dies in creationem omnium entium: *& requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat* q: non indigebat tamen requie, cùm requies ejus ſit operatio ſua, & operatio ejus ſit quies ipſius: ſed cùm Moyſes rem ageret cum populo ſtupido, ideò ſe captui & infirmitati cognitionum illius accommodabat. Et licèt Seraphini in cœlo ſint veluti in motu, hoc tamen non impedit quin quiete fruantur ſimul, *Stabant & volabant*, ait Iſaias r. *Stabant*, ecce requies illorum. *Et volabant*, ecce eorundem quaſi motus.

Dei Filius incarnatus *ubi venit plenitudo temporis* t, eodem momento conceptionis ſuæ in duobus erat ſtatibus, viatoris, & comprehenſoris quoad animam. Viatoris verò quantùm ad corpus. Quoad animam, ipſe potiebatur fruitione Dei per iſtam unionem hypoſtaticam, & anima ipſius erat in quiete, & in termino. Sed, quoad corpus, ipſe viator erat in mundo, in motu, & in paſſionibus. Jeſus Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis intuitus eſt crucem ſuam, *Sol cognovit occaſum ſuum* u. Unde Incognitus x; *Quid eſt dictu: Sol cognovit occaſum ſuum: niſi Chriſtus prævidit, & cognovit paſſionem ſuam, & mortem?* Deus Pater obtulit ei crucem, & ille eam acceptavit, *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* y. Sinus autem Matris ejus fuit primum altare, in quo ſe Patri ſacrificavit. Quieſcit & laborat, & hodie eſt *fatigatus*. Tres autem invenio rationes fatigationis illius. Prima eſt longum iter quod peragitur. Secunda eſt proſecutio magni alicujus negotii, circa quod gerendum plures inveniuntur difficultates. Tertia verò eſt gravitas alicujus oneroſi ponderis. Propter tres iſtas rationes eſt *Jeſus fatigatus* in converſione peccatorum, hodie verò Samaritanæ in triplici parte diſcurſus iſtius.

Si verùm eſt quòd effectus inveniantur præeminentiâ in cauſis ſuis principalibus; fatebimini mihi, quòd ſicut nihil eſt calidius calore, & frigidius frigore, ita nihil æquè velociter agitur ac ipſa velocitas: ideò cùm Verbum Dei velocitatem impreſſerit Soli, Lunæ, ſtellis, & cœlis gyrantibus ſuper capita noſtra, *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia* z; nonne tenemur concludere, quòd quantâvis præditi ſint Angeli velocitate ſicut & aves, æquiparari non poſſunt Filio Dei exeunti *à Patre & in mundum* a venienti unico momento. Hæc maxima projicit nos in alteram; Quòd, cùm proprium ſit motui excitare calorem, eò velocitas erit ferventior, quò erit

a Pſ. 44. 8
b ex Io. 3. 34.
c Dan. 7. 14.
d Incog. in Pſ. 44. 8.
e Luc. 2. 7.
f Marc. 15. 28. ex Iſai. 53. 12
g Matth. 5. 3. &c.
h Cant. 4. 12.
i Matth. 14. 29.
k Cant. 3. 1. & 2.
l D. Dio. lib. de Divin. Nom. c. 4.
m Ioan. 1. 18.
n Pſ. 18. 7
o Ioan. 5. 17.
p Gen. 1. 31.
q Gen. 2. 2.
r Iſai. 6. 2.
t Gal. 4. 4
u Pſ. 103. 19.
x Incog. in Pſ. 103. 19.
y Pſ. 39. 8. & 9.
Diviſio.
1. Pun.
z Sap. 7. 24.
a Ioan. 16. 28.

erit violentior: atqui Verbum Dei currit (ut noſtro loquar modo) velocitate incomparabili in viſcera B. Virginis: concludendum eſt ergo, quòd projicit ſcintillas amoris in prima ſua ita fatigatione propter ita longum iter; & quòd *nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* b. Nolite autem credere, Auditores, quòd, licèt ubique ſit, prout Deus, quia *cœlum & terram* c implet, non fatigetur tamen quatenus homo, *Iter ipſius eſt caro pro nobis ſumpta: ideò fatigatus ab itinere, quid eſt aliud, quàm fatigatus in carne?* ait D. Auguſtinus d. Si autem pingebat Alexandrum Magnum Apelles cum fulmine præ manibus, quaſi innuens omnibus intuitutis imaginem ejus, quòd velocitas ejus in percurrendo mundo, eoque vincẽdo ita fuit mirabilis, quòd intra exiguum tempus illum ditioni ſuæ ſubjeciſſet: quid non ageret Chriſtus, ſi ſuâ uti vellet poteſtate?

Salus animarum eſt ratio ſolicitudinis ejus, & hujuſmodi velocitatis, *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* ait Iſaias e. *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Quare autem hæc velocitas ſic immodica? Vultiſne ſcire titulum illius? *Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum*, reſpondet ipſemet organo Prophetæ ſui. Propter hoc officium exercendum, *Parentes ejus invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos* f. Mox *videns turbas, aſcendit in montem, & aperiens os ſuum, docebat* g populos. Modò iſtud officium inducit illum ad remittenda peccata h Magdalenæ. Aliàs *Jeſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis* i ad convertendam Chananæam. Hodie verò *venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: hora autem erat quaſi ſexta*, ad apprehendendam Samaritanam, idololatram, & peccatricem. Hic ergo adimpletur prophetia Habacuc k, *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio.* Sed quare Salvator tantum inſumit laborem? Utquid ſupremam ſuam non adhibet potentiam? Laborat ut illam è filia diaboli efficiat filiam Dei. Sed quoties in gratiam noſtri currit, & longa peragit itinera? quoties ait? *Ecce ſto ad oſtium & pulſo* l. Quotnam longas & laborioſas aggreditur peregrinationes, ut nos ad ſe trahat? dicens, *Vocavi.* Et tamen illum repellimus, licèt multùm fatigatum, ſicut ipſe de noſtra queritur ingratitudine, *Et renuiſtis* m.

Sed quid? Salus animæ eſtne ratio ſufficiens ad cauſandam ei hanc ſolicitudinem, & ſic immodicam fatigationem? Quid autem erit, cùm curſum ſuum conſummaverit; cùm è tribunali ad tribunal ductus fuerit n; cùm columnæ alligabitur, & flagris excipietur, & in monte Calvariâ crucis ſuffigetur o? Nunc *fatigatus ſedet ſupra fontem*, tunc autem ſtipiti alligatus, non habebit ubi quieſcere poſſit. Heu! illi adhuc *grandis reſtat via* p. Quieſcere non poteſt ſuaviter, quin omnes peccatores mundi apprehenderit. Nondum invenit Petrum, qui ipſum negaturus eſt q. Nondum Dimas ſeu bonus Latro gratias illius ſuſcepit r. Nondum publicavit Cornelius *Centurio*, *Verè Filius Dei erat iſte* s. Omnes homines miſeri, & criminibus immerſi à recta virtutis ſemita aberraverunt, *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum* t. Univerſi, more prodigi Evangelici, profecti ſunt *in regionem longinquam* u vitiorum; & quaſi

b Pſ. 18. 7
c Jer. 23. 24.
d D. Aug. tract. 15. in Joan. 4. 6.
e Iſai. 63. 1.
f Luc. 2. 43. & 46.
g Matth. 5. 1. &c.
h Luc. 7. 49.
i Matth. 15. 21. &c.
k Hab. 3. 8.
l Apoc. 3. 20.
m Prov. 1. 24.
n Joan. 18. 12. &c.
o Joan. 19. 2. &c.
p 3. Reg. 19. 7. &c.
q Matth. 26. 34.
r Luc. 23. 43.
s Matth. 27. 54.
t Pſ. 13. 3.
u Luc. 15. 13.

alati *pedes illorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem* x. Et eos ipſe ſolùm Chriſtus conſequetur in cruce, aut in ſepulchro. *Factus eſt in pace locus ejus* y. Finis vitæ ejus erit terminus inquietudinum ipſius. Unde Incognitus z, *Aliqui exponunt iſtum verſum de ſepultura Chriſti, quia à principio nativitatis ſuæ ſemper Chriſtus perſecutiones fuit paſſus uſque ad mortem. Sed poſt mortem, ſepultus in pace quievit.* Sic quidam amaſius refertur laqueo ſe ſuſpendiſſe præ foribus domus amaſiæ ſuæ, ut moriendo melius devinciret ſibi amicitiam ejus, quam vivens conciliare ſibi non potuerat, poſtquàm omnia fuiſſet expertus: ita Chriſtus immodico amore noſtro ductus, mori vult in cruce, ut noſtrum ſibi conciliet amorem in prælio paſſionis, ut per mortem corporis conſequatur abſolutionem anxietudinis quâ afficitur propter nos.

Juſti æquè ac impii fatigantur. Impii in vitiis ſuis, & Boni in praxi virtutis exercenda. Sic ſacra Scriptura a recenſet, quòd *Tobias*, qui *rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua, & mediis noctibus ſepeliebat ea*, *quadam die fatigatus à ſepultura* fuiſſet. Et D. Paulus nonne ait ſe præ exceſſu fatigatum? *Supra modum gravati ſumus, ita ut taederet nos etiam vivere* b, videndo mundum ſcatere tot perfidiis, tot infortuniis, tot *falſis fratribus* c. Ratio iſtius eſt, quia virtus eſt difficilis exercitii, & ſi quis velit eam in praxim redigere, ſuis inferre vim debet affectibus, ſuorum ſenſuum renunciare proclivitati, eoſque ſeriò mortificare. Omnes amant virtutem, ſed non omnes eam exercent propter difficultatem quæ invenitur in ejus exercitio in hoc ſtatu noſtræ mortalitatis, in quo corpus reſiſtit animæ; operationes enim animæ ſunt penitus cœleſtes, ſed *corpus quod corrumpitur, aggravat animam* d. Fatigantur Juſti in exercitio virtutis, impii verò in ſequendo vitio; ſed tandem iſti ſic aliquando querentur, *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles* e. Quantus eſt hauriendus labor ad perpetrandum malum, propter circumſtantias! Iniquus veretur ne deprehendatur in flagranti delicto, ideò tenebras quærit, *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* f. Et conſcientia ejus angit ipſum remorſibus intimis. Major ſanè labor eſt inſumendus ad perpetrandum malum, quàm ad faciendum bonum: invenitur enim ſatisfactio ſancta in faciendis operibus bonis, ſicut nihil æquè derogat homini honeſto ac vitium.

Atqui id quod primò fatigat, eſt iter, *Jeſus ergo fatigatus ex itinere.* Si iter eſt longum, in eo fit fatigatio, quia aër, per quem tranſeundum eſt, quique infringendus eſt, aliquam agit reſiſtentiam; corpus autem ob gravitatem ſuam, ſuos amittens ſpiritus, fatigatur, præſertim ſi iter agatur velocibus & magnis greſſibus; quia omne violentum non eſt durabile, & viribus exhauſtis confeſtim fit fatigatio. Propter has omnes rationes eſt *Jeſus fatigatus ex itinere.* Venit enim à longè. Videte, quæſo, terminum diſceſſus ejus, & terminum acceſſus illius. Terminus à quo, eſt ſinus Patris æterni; & terminus ad quem, eſt creatura: venit ab eſſe Dei ad nihilum creaturæ, inter utrumque autem datur diſtantia infinita, *Qui cùm in forma Dei eſſet*, ecce unde venit. *Semetipſum exinanivit* g; ecce quò venit, in nihilum

x Prov. 1. 16.
y Pſ. 75. 3
z Incog. in Pſ. 75. 3
a Tob. 2. 9. & 10.
b 2. Cor. 1. 8.
c 2. Cor. 11. 26.
d Sap. 9. 15.
e Sap. 5. 7
f Joan. 3. 20.
g Phil. 2. 7.

ſum creaturæ, quia ei creatura nihil eſt in comparatione ad Deum ipſum. Venit ab æternitate ad tempus, ab eſſe Dei ad eſſe creaturæ; cùm ſe ita
h Jo. 1.7 deformaverit ut cognoſcibilis non eſſet in illo ſtatu, & oportuerit ut Evangeliſta h ipſum cognoſcendum exhibuerit per D. Joannem Baptiſtam, qui quaſi fax prævia ipſum illuminaret, *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Alioquin agnitus non fuiſſet in hoc ſtatu depreſſionis, humiliationis, & exinanitio-
i Phil. 2.7 nis, *Formam ſervi accipiens* i. Venit igitur à longè, à Patris ſinu in ſinum Virginis, è forma Dei ad nihilum creaturæ, & totam iſtam peregrinationem peragit unico inſtanti. *Exultavit ut*
k Pſ. 18.7 *gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus* k. Propterea eſt hodie *Jeſus fatigatus ex*
l Luc. 8.1 *itinere.* Et tota ejus vita non fuit niſi continua
m Pſ. 87. itineratio, *Ibat per caſtella prædicans* l. Et con-
16. tinuus labor, *In laboribus à juventute mea* m. Nec aliquà potiebatur quiete ullo vel momento; ſed indeſinenter intentus erat operi, ut doceret nos, Auditores, munia, quibus vacare debemus,
n Pſ. 118. ut amori ejus reciprocas rependamus vices; &
32. quomodo *viam mandatorum* n ejus currere debeamus: quod tamen nullo peragimus modo, in hoc ſimiles illis ſtatuis niveis quas calor Solis non poteſt diſſolvere: glacies enim noſtra eſt nimis valida; & ignis charitatis non eſt ſufficiens ad liquefaciendam eam. *Ecce, hæc fuit iniquitas*
o Ezech. *Sodomæ ſororis tuæ* o. Iſtud inter alia expro-
16.49. brat Deus Sodomitis, nimirum pigritiam ipſorum, eò quòd non laboraſſent ad ſibi comparandum cœlum: & maximum malum, quod in veſtra exercetur civitate, eſt deſidia. Si pergendum eſt huc ad audiendam concionem, ſi viſitanda ſint xenodochia, tempus eſt ſemper rude, ſemper eſt aliquis dolor capitis, Concionator æquo longior eſt, non ſatisfacit Auditoribus, deficit otium audiendi illius, aliquod contigit negotium tractandum: & tamen nullum eſt impedimentum ad ſaltandum, ad peragendas aliquas viſitationes inutiles, & ad viſendos agros.

D. Auguſtinus p in hæc verba Pſalmiſtæ,
p D. Aug. *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati*
in Pſ. 4.8 *ſunt,* ait: *Non enim multiplicatio ſemper uberta-*
&c. *tem ſignificat, & non plerùmque exiguitatem: cùm dedita temporalibus voluptatibus anima ſemper exardeſcit cupiditate, nec ſatiari poteſt, & multiplici atque ærumnoſa cogitatione diſtenta, ſimplex bonum videre non ſinitur. Qualis eſt illa, de qua dicitur Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inha-*
q ex Sap. *bitatio ſenſum multa cogitantem* q. *Talis ani-*
9.15. *ma temporalium bonorum deceſſione & ſucceſſione, ideſt à tempore frumenti, vini, & olei ſui innumerabilibus completa phantaſmatibus, ſic multiplicata eſt, ut non poſſit agere quod præceptum eſt,*
r Sap. 1.1. *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum* r. *Iſta enim multiplicitas illi ſimplicitati vehementer adverſa eſt. Et ideò iſtis relictis qui multi ſunt; multiplicati ſcilicet temporalium cupiditate,* multiplicatos habere videntur pedes, & multiplicatas manus quoad terrena ſibi comparanda. Si intenta ſit ipſis lis, ſi gerendum ſit ipſis aliquod negotium magni momenti, ſi agatur de aliquo lucro peragendo, quantumvis importuna ſit tempeſtas, hæc non impediet quominùs itineri ſe tradant longiſſimo, illudque velocitate percurrant incredibili, quaſi convenientiam habeant cum illis animalibus
s Ez. 1.6. myſticis, quibus erant pennæ s: nedum metuant

ne ſanitati ſuæ aliquod inferatur nocumentum. Si colligenda ſit meſſis, aut vindemia, oleumve congregandum, media ſurgunt nocte, & quare? *A tempore frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Multiplicatos habent pedes, multiplicatas manus, & multiplicem ſanitatem omni incommodo imperviam: ſed ſi agatur de laborando propter comparandum cœlum, videntur paralytici, tempus eſt eis importunum, & ſanitas infirma. Dei Filius laborat pro nobis omnibus diebus vitæ ſuæ, *Bonus Dominus ultrà ſe offert non quærenti, ut compleatur illud Propheticum, Palam apparui non quærentibus me, inventus ſum ab his, qui non interrogaverunt nomen meum,* ait idem D. Auguſtinus t. Deſudat ut ali- t D. Aug.
quam inveniat in anima noſtra virtutem: infir- ſerm. 91.
mitates & inobedientiæ noſtræ eum quaſi ad ex- de Temp.
tremum redigunt agonem; & tunc deſides ma- ex Iſa. 65.
nemus, & inſignia ejus beneficia nonniſi ingratitudinibus ſolvimus. 1.

Non poſſumus fatigari niſi ſicut milites
Holofernis qui *erant omnes fatigati à vino* u, u Judit.
inter conſolationes & voluptates vitæ, non- 2.
quam autem ob obſequium Deo impendendum, nunquam propter amorem Dei, nunquam ob reddendas illi gratiarum actiones pro beneficiis ab eo ſuſceptis, & nunquam ob eum imitandum ut Dominum noſtrum. Statuæ marmoreæ uſquequò immobiles eritis ſicut rupes?
Cumuli glaciei, quam *Sol juſtitiæ* x diſſolvere x Mal. 4.
non poteſt, uſquequò reluctabimini igni cœli? 2.
Nunquid non compellar, Auditores, improperare vobis id quod exprobrabat aliàs Apoſtolus y Galatiæ fidelibus? *Currebatis benè: quis*
vos impedivit veritati non obedire y? Vi eſtis y Gal. 5.7
aliàs incumbentes obſequio Dei, fervore extraordinario; pietates veſtræ præ ſe videbantur alas ferre: videbamini nunquam fatigandi ex itinere, cùm gloriæ ejus vacabatis promovendæ: unde procedit ergo hodie tepor ille? utquid iſta corda glacida, iſti ſtupores, hæc deſidia ad ſequendum bune Divinum Redemptorem? Quare non obeditis doctrinæ ejus, & veritati quam vobis prædicat? dum ait, *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me di-*
gnus z. Veſtros corrigat defectus exemplum z Matth.
Filii Dei. Mementote, quòd propter amorem 10.38.
veſtrum exivit *à Patre, & in mundum* a hunc a Joan.
venit ad operandam ſalutem veſtram, *Venit* 16.28.
enim Filius hominis quærere & ſalvum facere
quod perierat b. Quòd deſeruit novem choros b Luc. 19.
Angelorum in cœlo, ubi *millia millium mi-* 10.
niſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſi-
ſtebant ei c, ſeque depreſſit ad exequendum po- c Dan. 7.
tiùs officium ſervi, quàm Domini, *Nam & Filius* 10.
hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut mini-
ſtraret, & daret animam ſuam redemptionem
pro multis d. Recordamini, quòd cùm veloci- d Marc.
tas illius ſit inſeparabilis *à calore ejus* e; fatiga- 10.45.
tiones illius inſeparabiles ſe effecerunt à dilectio- e Pſ. 18.7
ne ipſius: quòd labores ejus, cùm eſſent ipſa velocitas, illum immodicè fatigaverunt in itinere, quod aggreſſus eſt ad uniendum ſe naturæ noſtræ: & quòd infirmitates corporis ipſius ſeu debilitates, & noſtrarum ſalus animarum, nullam præbuerunt ei quietem niſi in ſepulchro, cùm *factus eſt in pace locus ejus* f. Poſt iſtas f Pſ. 75.3.
dilectionis exhibitiones, rectæ rationi conſonum eſt ut mutuas laboribus ejus rependamus vices: & ut laboremus cum illo in itinere, quod ipſe ita longum invenit, & in quo multa habuit obvia incom-

incommoda & obſtacula, quæ ipſum fatigabant, & laborem ei addebant in peragendo negotio, quod aggreſſus fuerat.

II. Pars.

Hæc eſt ſecunda ratio, propter quam *Jeſus fatigatus* eſt. Proponit enim ſibi magnum iſtud negotium redemptionis mundi, & converſionis hominum, quod eſt negotium omnium ſeculorum; ad quod peragendum tantum hauſit laborem, & ſic ingentem ſudorem ſudit. Hodie verò *fatigatus* eſt in convertenda Samaritana, idololatra, muliere vitio impuritatis immerſâ. Ut autem conſilium iſtud ipſe perducat ad exitum, ad illud omnem ſuam adhibet potentiam. Sic *hoc eſt opus Dei ut credatis in eum, quem miſit ille* g. Opus enim creationis eorum non fuit illi ſic laborioſum: & licèt dicat Scriptura h, inſumptos fuiſſe ſex dies ad productionem omnium creaturarum, iſtud tamen loquitur noſtro concipiendi modo, ſed factum eſt abſque ulla difficultate & reſiſtentia, & in inſtanti temporis: ſed ad reparationem mundi omnia concurrerunt tempora: quadraginta inſumpſit ipſe ſecula, deinde *triginta* i tres annos *poſt hæc, in terris viſus, & cum hominibus converſatus* k, ad peragendum opus iſtud eximium, cùm *fecit potentiam in brachio ſuo* l. Omnia ſecula aliquam nobis hujus myſterii delineant veritatem in Lege naturæ, & in Lege ſcripta. In tota Scriptura tres invenimus tantùm qui repræſentant nobis triumphos Jeſu Chriſti, Cyrum m, Davidem n, & Salomonem o: ſed paſſiones ejus & tolerantias repræſentant nobis plures ex utraque Lege inſignes Viri, Abel p, Noë q, Moyſes r, Gedeon s, & Samſon t. Myſterium Incarnationis erat centrum quod Lex naturæ & Lex ſcripta intuebantur. In creatione Deus unicum dixit verbum, *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt* u. Unicum Fiat ſuffecit ad totius orbis creationem, & iſtud Fiat omnia produxit, *Fiat lux. Et facta eſt lux* †. Sed in Incarnatione, ſui brachii totam inſumit fortitudinem, *Fecit potentiam in brachio ſuo*. In creatione nullam reſiſtentiam invênit, laboravit circa nihilum, hîc autem circa humanitatem Jeſu Chriſti, quam formavit in ſinu B. Virginis, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* x. Reſiſtentiam invenire poterat, cùm res eſſet ipſi agenda cum hominibus, quorum non vult officere libertati: & ſi tandiu diſtulit Incarnationem, ideò quia tanta aderat reluctantia. In creatione hominis, *ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem* y. Et in recreatione ejuſdem, *facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*, ait D. Auguſtinus z. Et Tertullianus a aſſerit in Adamo delineatam fuiſſe Incarnationem, *Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, providentiâ, & ipſa imprimis adfectione, quæ lineamenta ducebat*. Obſervate autem, ſi placet, quòd Dei Filius venire poterat in ætate perfecta; ſed ne alteraret ordinem naturæ, modum ſecutus eſt ordinarium infantium. Primò enim concipi voluit more eorum, in ſinu B. Virginis a, deinde naſci & proficere *ætate* b. Et ex ipſo conceptionis ſuæ inſtanti aſpiravit ad crucem & in ipſo B. Virginis ſinu ſemetipſum obtulit Deo Patri in ſacrificium, ibique plus paſſus eſt, quàm in cruce, cùm ibi ſe intueretur remotum à tempore, quo redemptionis humanæ operi ultimum eſſet impoſiturus perfectionis terminum.

g Joan. 6. 29. h Gen. 1. 8. &c. i Luc. 3. 23. k Bar. 3. 38. l Luc. 1. 51. m 2. Par. 36. 23. n 2. Reg. 9. 8. o 3. Reg. 2. 52. p Gen. 4. 8. q Gen. 7. 5. r Exod. 3. 10. s Judic. 6. 13. t Jud. 16. 2. u Pſ. 148. 6. † Gen. 1. 3. x Matth. 1. 20. y Gen. 2. 21. z D. Aug. Conc. 4. in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34. a Tert. lib. de Reſurr. Carn. c. 6. a Luc. 1. 31. b Luc. 2. 7. &c.

Intueri mihi videor illum quaſi ſedentem, fatigatum, & ſiti æſtuantem, & quòd ſitis illa, qua ardebat, erat illi tormentum intolerabile, videndo ſe incluſum in hujuſmodi carcere carneo, & dicendo Patri ſuo, ſe ſitiiſſe. In hoc autem ſtatu *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi* c. Sed ſicut flumina à cataractis contenta, iiſdem diruptis apertiſve cataractis majori fluunt violentiâ: ſic vix egreſſus eſt Dei Filius è ſinu Matris ſuæ, cùm ſtatim effudit torrentem Sanguinis, dum *circumcideretur Puer* d. Et ſe videns faſciis & pannis infantilibus ligatum & obvolutum, ipſe qui erat Potentia e Patris: intuens ſe mutum ipſe qui eſt *Verbum* f æternum: & quòd non poſſet agere & laborare æquè velociter ac voluiſſet ad reparandum mundum, & ad redimendos homines, cùm iſte eſſet finis, propter quem noſtram ſumpſiſſet naturam, hunc ſuſtinet ſtatum cum violentia; & hæc obſtacula illum fatigant, præſertim verò reſiſtentiæ, quas invenit in hac muliere æquè ac in peccatoribus, in iſta, inquam, Samaritanâ & ob infidelitatem ejus, & propter impuritatem illius, & ratione differentiæ religionis, quam profitebatur, quæ omnia ſitim ipſius augent, & inducunt illum, ut dicat ipſi, *Da mihi bibere*. Nihil moleſtius eſt ſiti, ita eſt tormentum intolerabile, & Hiſtoriæ referunt de Dario, quod cùm aliquando miles quidam ſumpſiſſet in calceo ſuo aquam lutoſam & ſanguine militum occiſorum & urina equorum mixtam, & illam ei potandam obtuliſſet, illeque eam bibiſſet, proteſtatus ipſe fuit, quòd nunquam in tota vita ſua quid bibiſſet jucundius. Et nunquid non Lyſimachus in ſimili conſtitutus neceſſitate integrum prodegit regnum pro calice aquæ? Nemo eſt qui totum libenti & æquo animo non traderet mundum ad extinguendam ſitim immodicam, quâ æſtuaret. Dei Filius igitur ingenti ardens ſiti, poculum efflagitat ſibi dari à Samaritana, *Da mihi bibere. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis, id eſt, communionem cum illis in cibis* g *& potibus ſeu utenſilibus habere contemnunt. Juſſit quippe Dominus filiis Iſraël vitare familiaritatem & ſocietatem cum alienigenis. Judæi verò maximè abhorrebant Samaritanos, quoniam terram eorum occupabant, multaſque eis intulerunt moleſtias poſt reditum à Babylone, ut patet in libro Eſdræ* h, ait Dionyſius Carthuſianus i. Cùm differentia religionis cauſet odium, ut videmus inter Gentiles & Judæos, inter infideles & Chriſtianos; cùm nihil majorem cauſet amorem quàm unitas & conformitas religionis, ut dicebant olim Ethnici de primis Chriſtianis; *Ecce quomodo diligunt ſe*. Et Scriptura k ſacra teſtatur, quòd *multitudinis credentium erat cor unum & anima una*. E contrà verò antipathia admittebatur & odium ob diverſitatem Religionum, nec tolerari poterant Chriſtiani, quorum nomen ipſis vel infantibus terrorem incutiebat, tanto erat horrori. Et Tertullianus l ait, quòd *Plinius ſecundus cùm Provinciam regeret damnatis quibuſdam Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ipsâ tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret conſuluit tunc Trajanum Imperatorem allegans præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quàm cœtus antelucanos ad canendum Chriſto, & Deo; & ad confœderandam*

c 2. Cor. 5. 19. d Luc. 2. 21. ex Lev. 12. 3. e Luc. 1. 35. f Pſ. 44. g ex Exod. 12. 45. h ex 3. Eſdr. 6. 72. &c. i Dion. Carth. a. 11. in Jo. 4. 9. k Act. 4. 32. l Tert. in Apolog. c. 2. num. 24.

randam diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes. Tunc Trajanus reſcripſit, hoc genus inquirendos quidem non eſſe, oblatos verò puniri oportere. Quæ crudelitas in materia juſtitiæ, putare inſontem abſque commiſſo ullo ſcelere, nedum examinarentur ii qui puniendi erant! Quid? Nomen facitne ut aliquis ſit criminis conſcius? Iſtud oriebatur è diverſitate Religionum, & hæc diverſitas eſt cauſa odii. Et idem Tertullianus m aliquantò pòſt dicit, quòd *Tyberius, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, annunciatum ſibi ex Syria Palæſthina, quòd illic veritatem illius Divinitatis revelaret, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragij ſui. Senatus quia non in ſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Quaſi diceret, quòd Imperator iſte edoctus miracula quæ patrata ſunt in morte Chriſti n, meditabatur converſionem ſuam ad Religionem Chriſtianam; ſed maximas ſequens politicas, Religionem ſervire fecit ſtatui politico, nec noſtram auſus eſt amplecti Religionem, veritus ne fortunâ ſuâ excideret, & imperium Romanum amitteret.

m Idem Ibid. c. 5. num. 57.
n Matth. 27. 51. &c. & Luc. 23. 45. &c.

Cùm aſcendiſſet Moyſes montem o, *videns populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus adverſùs Aaron, dixit, Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dixitque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ juſſerat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem* p. Iſtud ſignificat difficile eſſe deſertu religionem, quam quis cum lacte ſuxit: Iſraëlitæ converſati fuerant cum Ægyptiis idololatris, & ideò ab iis idololatriam quaſi cum lacte ſuxerant. Nihil igitur eſt quod majus cauſet odium quàm differentia religionis; ſicut nihil eſt quod majorem cauſet amorem, quàm conformitas ejuſdem religionis: propterea Samaritana tenuit aquam Filio Dei efflagitanti ab ipſa potum, *Da mihi bibere. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana, Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Ecce reſiſtentia, quæ fatigat Chriſtum, ſicut etiam difficultas perſuadendi huic mulieri ut ſuam deſerat religionem; cùm nihil ſit difficilius deſertu religionem, præſertim ſi ſit antiqua; ſi deliciis blandiatur, ut religio Hæreticorum. Hoc eſt quod labores addit Salvatori, nimirum hæc reſiſtentia, quam invenit in Samaritana. Cur autem creditis quòd *factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* q? Nullam enim ſudoris illius ſanguinei cauſam agnoſcere poſſunt Medici: cùm pavore quis concutitur, ſanguis accedit ad cor quod eſt arx, & extremas relinquit partes frigidas, & trementes cum exiguo ſudore: ſed Chriſtus, cùm ſic oraſſet, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* r: Quaſi diceret, in peccatores: Unde Hugo Cardinalis s addit ſuper hoc verbum, *tranſeat; B. Bernardus, Agnoſco vocem ægroti in Medico, conſidero charitatem, ſtupeo miſerationem, expaveſco dignationem*; quaſi vellet Chriſtus ut ſua tranſirent merita in peccatores: confeſtim vidit reſiſtentiam peccatorum, & contemptum qui peragendus eſſet ab eis ſui Sanguinis, & violentia fuit tanta ut ſit *factus ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Tanto enim deſiderio ferebatur convertendorum peccatorum, ut eorum ſalutem ſitiret; & hæc eſt ſitis quâ æſtuabat ad convertendam Samaritanam, *Da mihi bibere.* Et, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur* t. Quaſi doloribus mulieris jam parituræ angebatur, cupiens nos eniti, *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum* u. Et ſuper Cruce *dicit, Sitio* x. Eſt *Ieſus ergo fatigatus* in proſecutione ſua propter reſiſtentiam quæ invenitur ex parte peccatorum.

o Exod. 24. 15.
p Exod. 32. 1. &c.
q Luc. 22. 44.
r Matth. 26. 39.
s Hugo Card. in Matth. 26. 39.
t Luc. 12. 50.
u Luc. 22. 15.
x Ioan. 19. 28.

III. Pars.

Tertia ratio propter quam *Ieſus fatigatus* eſt, pondus eſt aliquod grave & oneroſum: atqui nihil eſt gravius, oneroſius, & intolerabilius ipſo peccato, ut de eo queritur David y, *Iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Sic autem eſt oneroſum peccatum, ut Deus ſolus illius agnoſcere poſſit gravitatem & enormitatem, & illud ponderare valeat, quippe quod malitiam præ ſe ferat infinitam. Dicunt Theologi dari infinitum poſitivum, & infinitum negativum. Infinitum poſitivum complectitur omne genus boni, & dicit excluſionem omnis generis mali. Infinitum verò negativum comprehendit excluſionem omnis generis boni, aut incluſionem omnis generis mali. Peccatum eſt iſtius naturæ; ponderis eſt infiniti: ideò cœlum non poteſt illud ſuſtinere in perſona Angelorum: licèt dicantur cœli *ſolidiſſimi quaſi ære fuſi* z; aperiuntur tamen, non valentes ſuſtinere peccatum, quod *ad infernum in profundum laci* a, id eſt, in centrum terræ detrahitur, cùm inferiùs labi non poſſit. Non poteſt mare ſuſtinere Jonam inobedientem, *Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare: & ſtetit mare à fervore ſuo* b. Quantum pondus eſt conſcientiæ peccatum; quantam cauſat ei anxietudinem, & quàm intolerabile eſt illi! Atqui Jeſus Chriſtus cum ſuis peccata omnium hominum impoſuerit humeris tollenda ſuper crucem, ut ipſemet ait per Prophetam ſuum c, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*, ita eſt oppreſſus, *Attritus eſt propter ſcelera noſtra*, ait Iſaias d. Et poſtquàm *dixit David ad Nathan, Peccavi Domino: dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum* e; quònam tranſlatum fuit illud delictum? Super montes? Nequaquam, ſed *ſupra dorſum* Salvatoris, qui ſic eſt *fatigatus* ut ſuccumbat oneri, & pondere oppreſſus vitam amittat.

y Pſ. 37. 4.
z Job. 37. 18.
a Iſai. 14. 15. &c.
b Jon. 1. 15. &c.
c Pſ. 128. 3.
d Iſai 53. 5
e 2. Reg. 12. 13.

Heu! Auditores, nunquid non eandem cauſamus Dei Filio fatigationem? Nonne propter nos eſt *fatigatus*? Annon propter ſalutem noſtram ſuſcepit hanc magnam peregrinationem, ſeu longum iſtud iter è cœlo in terram peregit? E ſinu Patris ſui in ſinum Matris ſuæ f. Inde cùm Joſeph *ſeceſſit in Ægyptum* g? Illinc *in deſertum* h? Et tandem *in eum qui dicitur Calvariæ locum* i? Quemnam laborem non haurit pro nobis? Nunquid non continuè nos inſequitur? *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* k. Quotnam inſpirationes & motiones ſacras mittit ad nos, quibus ad ſuum vocare nos ſatagit obſequium? *Ecce ſto ad oſtium & pulſo* l. *Aperi mihi ſoror mea* m. Pulſat ad januam cordis noſtri, nec noſtras faſtidit longitudines, neque ob

f Matth. 1. 20.
g Matth. 2. 14.
h Matth. 4. 1.
i Joan. 19. 17.
k Cant. 6. 12.
l Apoc. 3. 20.
m Cant. 5. 2.

noſtros

noſtros exacerbatur contemptus, ſemper contentus dare nobis probationes dilectionis ſuæ, non obſtantibus omnibus reſiſtentiis noſtris.

Teſtes vos aſſumo. Nunquid nocte & die, in voluptatibus, in occaſionibus, & in omnibus occurſibus non laboravit pro vobis? *Quid*
n Iſai. 5. 4 *debui ultrà facere, & non feci* n? *Vocavi, & re-*
o Prov. 5 *nuiſtis* o. Omnes curas illius effeciſtis irritas.
24. *Fatigatus dicit* ſingulis vobis, *Da mihi bibere* aquam lacrymarum, aquam contritionis, aquam abominabilem criminum, quam ſitit, & tamen inimici ſalutis veſtræ, hanc aquam ei ceruitis. Heu! Auditores, compatiamur Jeſu ſitienti converſionem noſtram, & dicamus ei ſinguli vero affectu.

Quærens me ſediſti laſſus.

Adorande Jeſu dignatus es currere poſt me, ut erueres me è præcipitio, & te fatigare inſequendo me,

Redemiſti, crucem paſſus.

Tanta pertuliſti propter amorem meum, tam ingentem hauſiſti laborem, ut in eo vitam amiſeris.

Tantus labor non ſit caſſus.
Ingemiſco tanquam reus,
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicanti parce, Deus,

per gratiam tuam in hoc mundo, & largire mihi gloriam tuam ſempiternam in altero ſeculo.

IN FESTO ANNUNTIATION. B. V. MARIÆ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, & nomen Virginis, Maria.

Luc. 1. 26. &c.

SIcut verba amoris ritè non poſſunt intelligi niſi ab iis qui habent eundem amorem, ita diſcurſus virginitatis apprimè non poſſunt intelligi niſi à virginibus. Ideò non immoror in texendo vobis diſcurſu de eadem virginitate, ut citò tranſeam ad oſtendendum vobis in priori parte diſcurſus iſtius, rationes aliquas propter quas Deus mittit Angelum
Diviſio. Gabrielem ad B. Virginem Mariam. In poſteriori autem videbimus excellentias hujus nominis, *Maria*, quas idem Angelus cœpit detegere, cùm *ingreſſus, ad eam dixit, Ave Maria.*

I. Pars. Deus Pater mittit Archangelum Gabrielem ad B. Virginem Mariam, ut nativitas temporalis Filii ipſius exhiberet reverentiam nativitati æternæ illius. *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu*
a Joan. 1. 18. *Patris* a, generatur à Virgine, *Prima Trias Virgo eſt*, ait D. Gregorius Nazianzenus b. Hinc
b D. Gre. Naz. in Carm. de Virg. cit. à Calam. diſcurſu 72. tom. 1 Pater æternus, imò & David, è qua orta eſt Maria Virgo, *de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus* c, dicit, ſecundùm D. Auguſtinum d, alloquens Filium ſuum, *Ex utero ante Luciferum genui te.* Super quod petit D. Auguſtinus, *Quid*
c Matth. 1 16. &c. *hic? Si Deus Filium habet, nunquid & uterum?*
d D. Aug. in Pſ. 109 3. *Sed ſi carnis corpora non habet, quia nec ſinum: dictum eſt tamen: Qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Quid eſt autem ſinus? Ipſe eſt uterus: & ſinus & uterus pro ſecreto poſitus eſt. Quid eſt ex utero? Ex ſecreto ex occulto: de ſecreto, de ſubſtantia mea, hoc eſt ex utero: quia genera-*
e ex Iſai. 53. 8. *tionem ejus quis enarrabit* e? *Accipiamus ergo Patrem dicentem ad Filium: Ex utero ante Luciferum genui te. Quid eſt ergo ante Luciferū? Lucifer pro ſideribus poſitus eſt, tanquam à parte totum ſignificante Scriptura, & ex eminenti ſtella omnia ſidera. Sed iſta ſidera quomodo facta ſunt? Ut ſint in ſignis, & in temporibus, & in diebus, &*
f ex Gen. 1. 14. *in annis* f. *Si ergo & in ſignis, & in temporibus poſita ſunt ſidera, & lucifer nominatus eſt pro ſideribus quod eſt ante luciferum, hoc eſt ante ſidera; & quod eſt ante ſidera, hoc eſt ante tempora. Si ergo ante tempora, ab æternitate. An vultis ut ipſum David reſpiciamus qui Dominū ſuū dixit Filium ſuum? Ut enim hoc diceret, audit a Domino ſuo. Ab illo audivit, a quo falli non potuit: & dixit jam Dominum ſuū, quia dixit, inquit, Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Et ipſe loquitur, ipſius quaſi ſermo contextus eſt. Si ergo ipſo loquitur, forte ipſe potuit dicere: Ex utero ante luciferū genui te: ex utero virginali: ante luciferū genuiſte ex utero. Si enim illa Virgo ducens propaginē de carne David, ex illo utero natus eſt Chriſtus tanquam ex utero genitus à David. Ex utero, quò maſculus non acceſſit, ex utero prorſus propriè: ex utero, quia ſolus ex ſolo utero. Ergo ex utero, inquit ille, qui eum Dominū ſuum dixerat, ex utero ante Luciferum genui te. Et hoc ipſum ante luciferū ſignate dictum, & propriè dictum, & ſic impletum. Noctu enim natus eſt Dominus ex utero Virginis Mariæ, indicāt teſtimonia paſtorum, qui vigilias exercebant ſuper gregem ſuum* g. g ex Luc. 2. 7. & 8.

Præterea, Deus honorare volebat Matrem ſuā, nec illam poterat honorare in maternitate ipſius titulo honorabiliori, quàm titulo Virginis. D.
Bern. h ait, *Tria opera, tres mixturas fecit omni-* h D. Ber. Serm 3. in Vigil. Nat. Dñ.
potens illa Majeſtas in aſſumptione noſtra carnis, ita ſingulariter mirabilia & mirabiliter ſingularia ut talia nec facta ſint, nec facienda ſint ampliùs ſuper terrā. Conjuncta quippe ſunt adinvicē Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanū. Admirabiles iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diverſa, tamque diviſa ab invicē invicē potuerunt conjungi. Secunda mixtura eſt Virgo & Mater, admirabilis planè & ſingularis. A ſeculo nō eſt auditū quòd Virgo eſſet quæ peperit; quòd Mater eſſet quæ Virgo permanſit. Nunquā juxta verū ordinē virginitas ubi fœcunditas prædicatur: nec fœcunditas ubi virginitas integra conſervatur. Sola hæc eſt in qua virginitas & fœcunditas obviaverunt ſibi. Sic Romani, cùm didiciſſent ab Oraculo, quòd Imperiū ſuum eſſet duraturū donec Virgo pareret, imaginati ſunt illud futurum æternum, cùm impoſſibile ſit naturæ efficere ut virgo pariat, proptereà Poëta dixit,

Imperium ſine fine dedit.

Deus honorare volebat virginitatem: cùm Deus Pater illam honoraviſſet in veteri Teſtamento, Deus Filius illā voluit honorare in novo Fœdere i D. Chr. Serm. cōt Jud. & de Evangel. Nuptiæ fact. &c.
per conformitatē ad Patrē ſuum. Deus Pater elevaverat Eliam propter virginitatem ipſius, ait D. Chryſoſtomus i, *Elias nonne virgo erat* †? *Nonne Elias curru igneo in cœlum ſublatus eſt* *? *An nocuit huic virginitas? An impedimento fuerunt illi uxor & liberi?* Honoraverat & Sibyllas † ex 3. Reg. 18. 46.
dono Prophetiæ, propter virtutē hanc Angelicā: Deus Filius autem honoravit virginitatem, collocans illam in Matre ſua; ſua declaravit ſecreta virginibus, *Erat recumbens unus ex diſcipulis* * ex 4. Reg. 2. 11
ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus k. *Et ſe-* k Joan. 13. 23.
metipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo l Eph. 5. 2
in odorem ſuavitatis l tradens, nullum pronunci- m Luc. 23. 46.
avit nomen niſi trium Virginum, Patris ſui, *Pa-* n Joan.
ter m. Matris ſuæ, *Mulier* n. Et diſcipuli, *quem* 19. 26.

[o Jo. 19. 26.] *diligebat* o. *Diligebat autem eum Jeſus, quoniam ſpeciali prærogativa caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit. In cruce denique moriturus, huic Matrem ſuam Virginem virgini commendavit,* ait Eccleſia.

[p D. Gre. Hom. 34. in Evan.] D. Gregorius p loquens de Angelo miſſo ad Virginem Deiparam, non vocat eum Angelum communem, ſed ſummum, *Ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe miniſterium ſummũ Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nunciabat.* Unde videre poteſtis quanti Deus faciat B. Virginem, cùm talem mittat ad illam nuncium, qui ſignificat fortitudinem Dei. *Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare veniebat, qui ad debellandas aëreas Poteſtates humilis apparere dignatus eſt. De quo per Pſalmiſtam* q [q Pſ. 23. 7. &c.] *dicitur: Tollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus in prælio. Et rurſum. Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio contra poteſtates aëreas ad bella veniebat,* proſequitur idem D. Greg.

[r D. Chr. ſerm. 142.] D. Chryſologus r ait, quòd ſicut natura humana ac infirma hujus ſacræ Virginis erat ſuſceptura gloriam Divinitatis Verbi in ſinum ſuum, proptereà ne ſuccumberet tanto ponderi, ad ipſam mittitur Angelus corroborandam, *Audiſtis fragilem noſtræ carnis naturam adportandam totam Deitatis gloriam Angelicâ exhortatione roborari.* Et quoniam viſum fuit Angelo, quòd, ut ait ſequela textus Evangelii noſtri, ita *Maria turbata eſt in ſermone ejus*, ut vires ipſius non viderentur ſufficere ad ipſam reſtituendam in priſtinam ſerenitatem ſuam (ſicut enim B. Virgo erat humillima uſque ad centrum depreſſionis ſuæ, videns ſe ita ſublimibus evehi laudibus, non poterat quin profundiſſimè turbaretur) ſed Angelus ut illam redire faceret ad ſe, uſus eſt potentiſſimo remediorum, quæ invenire potuit, nimirum eam confortando nomine proprio, quod deberet exprimere dignitatem Matris Dei, quod præ ea poſuit, dicens ei, *Ne timeas Maria.* Et hoc eſt quod ait ſacer hic Antiſtes Ravennas, *Ante cauſam dignitas Virginis annunciatur ex nomine.* Quaſi diceret, Voluit Angelus ut B. Virgo experiretur efficaciam nominis ſui, *Maria*, quod eſſet expreſſurum dignitatem incomparabilem futuræ mox Divinæ Maternitatis ipſius: ſtatim enim ac *ait Angelus ei, Ne timeas Maria*, anima ejus repleta fuit jocundâ pace, & ideò libenter æquè ac humiliter acceptavit hanc dignitatem ſibi oblatam, *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Suum proſequitur ſanctus iſte Doctor conceptum, ut meliùs illum declaret, dicens, *Maria Latinè Domina nuncupatur: vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deſerat ſervitutis.* Ita ut Angelus conturbationem ejus proprio nomine ipſius mitiget ut efficaciſſimo remediorum, quæ invenire potuit: *Denique ne tanto ponderi cœleſtis fabrica in Maria ſubtilis noſtri corporis arena ſuccumberet, & in Virgine totius generis humani pertaura fructum virga tenuis frangeretur,* concludit eximius iſte Vir, *fugatura metum vox Angeli mox præceſſit, dicens: Ne timeas Maria.* Præcipuus autem effectus, quem nomen iſtud, *Maria*, produxit in B. Virgine, fuit ut adaugeret ipſi fidem, proptereà *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* In qua nimirum promittebatur ipſi, quòd ipſa eſſet futura Mater & Virgo ſimul: ſed ipſa credidit virtuti nominis ſui, quod ipſam confortavit, & fidem ipſius auxit: ſic ipſam ob fidem hujuſmodi præconiis evehit cognata ipſius, *repleta Spiritu ſancto Elizabeth, Beata quæ credidiſti* s. [s Luc. 1. 41. & 45.] Et D. Auguſtinus t [t D. Aug. lib. de S. Virg. c. 3] ait de hac incomparabili Virgine Deipara, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.*

Pater æternus mittit Angelũ ad Virginẽ Mariam, ut diſcamus quòd debemus honorare puritatẽ: ſi enim virginitas ita remunerata eſt ut unita fuerit Divinæ Maternitati Mariæ, quæ eſt qualitas infinita, quàm ſeverè punietur crimen impudicitiæ. Sanè cùm impudici magis perſequantur virginitatem, quàm Tyranni perſecuti fuerint Eccleſiam in perſona Martyrum: ſi enim aliò fugiebant Martyres, vitam faciebant ſalvam; cùm è contrà fœminæ, quas Deus aliquâ donavit pulchritudine, non ſint proptereà fugiendo ſecuræ! Deus *fecit potentiã in brachio ſuo* u [u Luc. 1. 51.] ad honorandã B. Virginẽ, nec potuit illam magis honorare, quàm honorando illã ſicut Deũ, & conſequenter conciliando ei honores omnium beatorũ ſpirituũ, ita ut vocetur ab Eccleſia *Regina Angelorũ*. Re autem verâ Angeli ſe ſubmiſerunt B. V. Mariæ, intuitu magnitudinis ejus. Sed fatendũ eſt, quòd debuit eſſe in Angelis ita excellentibus in natura ſua ſuperante naturã B. Virginis, fruentibus gloriâ antequàm B. Virgo creata eſſet, ratio aliqua validiſſima ut ipſos flecteret ad tantã ſubmiſſionẽ ſui eſſe naturæ, gratiæ, & gloriæ. Et licèt ſtatus gloriæ repugnare videatur ſubmiſſioni & ſervituti, Angeli tamẽ ſuũ eſſe ſubmiſerunt B. Virgini, & hunc exhibuerunt ei honorem à nativitate ipſius, imò verò à conceptione ejus, ut ait de Pont. x, [x De Pont. lib. 9. in Cant. 6. 9. exhort. 5. parag. 4.] *Sicut de Chriſto Domino prædixerat Oſeas* y [y Oſee 6. 3.]: *Quaſi diluculũ (ſeu aurora) præparatus eſt egreſſus ejus: quia in ortu ſuo novam erat allaturus lucẽ mundo: ita Mater ejus ab inſtanti ſuæ immaculatæ cõceptionis cœpit egredi, progredi, & apparere tanquã aurora conſurgẽs non quidẽ expellẽs tenebras, quas vel unico momento habuerit, ſed quia a Sole juſtitiæ z* [z ex Mal. 4. 2.] *poſtea ex ipſa naſcituro, in eo inſtanti illuminata eſt. & exinde cœpit creſcere, & progredi tanto ſpiritus fervore, ut dixerint Angeli, Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Nato Præcurſore dicebãt omnes: Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cũ illo* a. [a Luc. 1. 66.] *Sic conceptâ Virgine ajebant Angeli, & natâ dicebant vicini: Quæ putas puella iſta erit?* Quin imò ipſi dæmones hanc exhibuerunt B. Virgini ſubmiſſionem ſeu ſervitutem, licèt inviti quidem, Angeli verò boni præ amore. Metuant igitur ſuperbi, & erubeſcant, qui omnia peragunt vi, aut vanitate ducti, nec habent virtutem niſi apparentem & exteriorem, *Receperunt mercedem ſuam* b. [b Matth. 6. 2. &c.] Vanitas eſt illorum præmium; & ſi inviti operantur, nullum comparant ſibi meritum. Unde D. Gregorius c [c D. Gre. lib. 8. Mor. c. 26.] ſuper hæc verba D. Marci d, [d Marc. 15. 21.] *Angariaverunt Simonem quempiam*, ait, *Quod per angariam agimus, non hoc ex ſtudio amoris operamur.* Tunc laus eſt noſtra merces: debemus intueri Deum, & quærere illi placere, non autem mundo. Sed videamus excellentias ſacri nominis, *Maria.*

[II. Pars.] Quinque continentur excellentiæ ſub hoc nomine, *Maria.* Quarum prima eſt, quòd ipſa

ipſa ſit Domina. Primò, Quia Filius ejus mortuus, novum ſibi conciliavit imperium, dicens ad hunc finem Apoſtolis ſuis, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra* e. Et quia [e Matth. 28. 18.] filii non poſſunt aliquid acquirere, quod non pertineat ad parentes quandiu vivunt, ut dicunt Juriſperiti; Jeſus Chriſtus non ſolum hanc acquiſivit poteſtatem ſibi, ſed etiam Matri ſuæ, quæ eſt Domina, æquè ac ipſe *Dominus omnium* f eſt. [f Eſth. 13. 11.] Præterea, Ipſa eſt Domina, quia nunquam fuit obnoxia peccato, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* g. [g Cant. 4. 7.] Habet ipſa dominium ſuper Jeſum Chriſtum eodem tempore, quo Pater æternus, *Et erat ſubditus illis* h. [h Luc. 2. 51.] Imò verò Pater æternus non habet dominium ſuper Filium ſuum, niſi per dominium B. Virginis. Iſta propoſitio videbitur audax aliquibus, ſed qui eam concipere non poſſunt, adorent illam. Dico igitur quòd Pater æternus nullum habet dominium ſuper Filium ſuum, niſi per dominium B. Virginis ſuper eundem Filium: in æternitate enim Pater æternus generat illum i ut Deum æqualem ſibi k, independentem ſicut ipſe eſt independens l: [i Pſ. 2. 7. k Joan. 10. 30. l Exod. 3. 14.] ita ut ſi per æternitatem ipſe eſt Filius Patris, antequàm ſit Filius Matris; non ſit ſubditus Patri, priuſquàm ſit ſubditus Matri: idem enim inſtans dat initium authoritati Mariæ, & dominio Patris æterni ſuper Filium ſuum incarnatum: atqui ſi hoc dominium eſt maxima gloriarum, quas Pater æternus poſſit ſuſcipere in tempore; quanta erit magnitudo B. Virginis, quæ eodem tempore habet idem dominium quod Pater æternus, imò verò eſt principium authoritatis Patris æterni ſuper Filium ſuum incarnatum? Jure merito miramur poteſtatem quam Moyſes ſibi conciliaverat quaſi ſupra Deum ipſum, cùm Deus illi diceret, *Cerno quòd populus iſte, duræ cervicis ſit: dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos* m. [m Exod. 32. 9. &c.] Stupore manemus perciti, cùm audimus quòd Joſue præciperet Soli, quaſi ipſe fuiſſet Deus, imò quòd Deus illi obediret, *Joſue dixit, Sol contra Gabaon ne movearis. Stetit itaque Sol in medio cœli; obediente Domino voci hominis* n. [n Joſue. 10. 12. &c.] Ut blanditias reputamus extraordinarias id quod ait Pſalmiſta o, *Voluntatem timentium ſe faciet*. [o Pſ. 144. 19.] De cætero meminerint iſti ſervi Dei, quòd favores ejus ſunt gratuiti, & quòd unico poſſunt amitti momento, *Si exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus* p. [p Abd. V. 4.] Sed in facto, de quo diſſero, agitur de poteſtate materna impreſſa fronti totius naturæ, quæ nullam recipere poteſt alterationem: ita ut, ſicut Jeſus Chriſtus in æternum futurus eſt *Filius hominis* q: ſic Maria in æternum futura ſit Mater Dei: [q Matth. 25. 31.] ideò videte quanta ſit ejus poteſtas.

Secunda excellentia eſt Illuminatricis, & Illuminatæ propter uniones quas habuit cum tribus Divinis perſonis: *Hæc enim cùm ſit Dei Patris Filia, Filii Dei Mater, Spiritus S. Sponſa, gaudens obtinet*, ait Cornelius r. Primò Illuminans, Quia declaravit myſterium noſtræ ſalutis, & Incarnationis D. Lucæ dilecto ſuo. [r Corn. in Act. 1. 14.] Secundò, Quoniam, ſecundùm Patres aliquos, ipſa præſidem egit primi Concilii, ad quod *convenerunt Apoſtoli, & Seniores* s. [s Act. 15. 6.] In quo nihil fuit determinatum & ſtatutum niſi ex conſenſu B. Virginis, cui propterea concinit Eccleſia, *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo. Hic ergo fuit primus conventus Eccleſiæ, primumque Concilium, in quo acta eſt causa Chriſtianiſmi contra Judaiſmum*, ait Cornelius t idem. [t Corn. in Act. 15. 6.] Tertiò, Propter exempla ſanctæ vitæ ſuæ, humilitatis ſuæ, virginitatis ſuæ, charitatis ſuæ. Tandem, Per miſericordiam ſuam, & per gloriam ſuam, *Innixa ſuper Dilectum ſuum* u. [u Cant. 8. 5.] Illuminata fuit propter fortunatam præſentiam Dei in ipſa: nullum enim fuit momentum quo ipſa privata fuerit præſentia & gratiis Dei.

Tertia excellentia eſt Imitatricis Dei: atqui maxima actio in qua B. Virgo imitata eſt Deum, eſt in Verbi productione; quæ productio magnas habet convenientias cùm illâ quæ fit in æternitate: Pater enim æternus illud producit in ſinu ſuo, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* x. [x Joan. 1. 18.] Et B. Virgo ipſum producit etiam in ſinu ſuo: Pater æternus cognoſcens ſemetipſum, gignit Filium ſuum; ſic B. Virgo cognoſcens humilitatem ſuam his verbis, *Ecce ancilla Domini*, producit eodem tempore Verbum. Si Pater æternus producit Verbum ſuum ſolus; B. Virgo etiam producit Verbum ſola: Si Pater æternus Verbum ſuum producit perfectum; illud pariter perfectum producit B. Virgo: licèt enim ſit *parvulus Filius* y, non deſinit proptereà eſſe Vir, *Fœmina circumdabit Virum* z. [y Iſai. 9. 6. z Jer. 31. 22.] Si Pater æternus producit Filium cum integritate & puritate, ſibique conſubſtantialem; eodem modo producit eum B. Virgo. Si Pater æternus illum producit ita ſpecioſum ut vocetur à D. Paulo a *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*: [a Heb. 1. 3.] B. Virgo illũ producit ita formoſum ut nominetur à Pſalmiſta b *Specioſus forma præ filiis hominum*. [b Pſ. 44. 3.]

Quarta excellentia eſt Advocatæ, qualitas quam ipſa eminenter poſſidet poſt Filium ſuum, quem D. Joannes c nuncupat *Advocatum apud Patrem*. [c 1. Joan. 2. 1.] Primò, Quia interceſſio ejus extenditur generaliter ad omnes creaturas, quæ ſunt infra Deum. Sancti ſuas ſpecialiter inſumunt interceſſiones pro aliquibus ſibi devotis: ſed B. Virgo, ſicut ipſa eſt Regina omnium, ita & eſt Advocata omnium, & nemo eſt, quem charitas ipſius non complectatur. Dicamne aliquid amplius? & quare illud non dicam? Aſſero quòd ipſi Sancti, qui invariabili potiuntur gloriæ felicitate, à primo Seraphinorum uſque ad minimum infantem, qui deceſſit è vita cum gratia baptiſmali, *renatus ex aqua & Spiritu ſancto* d, [d Joan. 3. 5.] indigent interceſſione ejus, & recurrunt ad illam, cùm aliquid conſequi volunt à Deo. In quo manifeſtatur mirabiliter extenſio interceſſionis ejus, & neceſſitas quam habemus favoris ejus: cùm enim noſtras ad aliquos Sanctos dirigimus preces, non ſolemus eos deprecari ut intercedant alii ex ipſis erga alios; ſed cùm agitur de Virgine Deipara, interponimus authoritatem omniũ aliorum Sanctorũ erga illam; imò verò ipſi quando faciliùs ſua ad exitum perducere volunt conſilia, recurrunt ad eam ut ad Advocatum generalem mundi, & ad amicam Dei. Secunda eminentia interceſſionis ejus conſiſtit in generalitate cauſarum & ſupplicationum, quæ illi proponuntur. Recurrimus ad omnes Sanctos paradiſi: tẽpore peſtis, ad D. Rochum; tempore belli, ad D. Michaelẽ, & ſic de aliis, ſecundùm quòd ſcimus Deũ communicaſſe illis fuſiùs chariſmata ſua: ſed quantùm ad B. Virg. nõ habet Ipſa favorẽ determinatũ: illã enim invocamus omni tẽpore, ubique, & in omni re. Tertia præclata qualitas interceſſionis ejus manifeſtatur ex authoritate quam

ipſa habet prope Deum, quæ ita notabilis eſt, ut nullum ſit negotium, quod ipſa non perducat feliciter ad exitum: quod aliqui conſiderantes, comparant B. Virginem ſapienti mulieri Thecuitidi e, quæ prudentiâ ſuâ ſuaviter induxit Regem David iratum adverſùs filium ſuum rebellem Abſalom, ad ſoſpiciendum in coriam ſuam miſericorditer hunc eundem filium ſuum immanem, quod nemo præter ipſam impetrare potuerat ab hoc patre jure merito exacerbato, quantùnvis inſtantes propoſuiſſet huic Principi ſupplicationes: unde concludi debet, quòd B. Virgo ad exitum perducet feliciter potenti authoritate interceſſionis ſuæ, quidquid ab aliis fruſtrà ſuſceptum fuerit. Quin imò alii dicunt ad hoc propoſitum, quòd, ſi per impoſſibile, cœlum divideretur, & in diverſas abiret ſententias ſuper aliquod negotium, & B. Virgo ſola ſtaret ex una parte, & reliqui Beati omnes ſtarent ex altera parte, ipſa Deipara proculdubio ſuper omnes Beatos prævaleret: quod innititur eminentiæ gratiæ & gloriæ ejus, & conſequenter authoritatis illius ſuper omnes Sanctos. Dicam equidem quid amplius, ſcilicet, quòd ſi omnes ſtellæ firmamenti, omnes frondes arborum, & omnes arenæ quæ ſunt in litore maris, converterentur in interceſſores, non facerent omnes ſimul id, quod ſola peragit B. Virgo Maria.

D. Ambroſius f ait, quòd inter ſignificationes, quas nomen, *Maria*, trahit ex Hebræo, hæc una eſt, *Deus ex genere meo.* Sicut ſolemus dicere, Talis & ego habemus eundem ſanguinem, & ex eâdem nobili proſapiâ, & ex eodem loco ſumus orti. Vult igitur D. Ambroſius nobis innuere, quòd nomen Dei & nomen Mariæ habent eandem virtutem, & quòd id quod Deus tenet in nomine ſuo per naturam, hoc idem ipſe dare voluit Matri ſuæ per privilegium. *Dixit Dominus ad Abram, Magnificabo nomen tuum* g. Rupertus h ait, quòd hæc exaltatio conſiſtit in eo quòd Deus voluit unire nomen ſuum nomini iſtius Patriarchæ, ita ut irent ambo ſimul, *Abraham, quod interpretatur Pater excelſus, vallatus incendio, Dei auxilio liberatus eſt.* Et hoc eſt quod ait Textus h, loquens de Deo in perſona Angelorum, qui apparuerant ei, & quos ipſe in domum ſuam ſuſceperat, *Cùm ergo ſurrexiſſent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum: cùm futurus ſit in gentem magnam?* Sic vocabatur ipſe, *Deus Abraham* i. Quòd ſi Deus tot operabatur mirabilia, habens nomen ſuum unitum nomini Abrahæ, ut deinde dixit Filius ipſius, Sadducæos alloquens, *qui dicunt reſurrectionem non eſſe; De mortuis autem quòd reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi, ſuper rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens, Ego ſum Deus Abraham* k? *Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum* l: quid non acturus eſt per nomen Mariæ, cui ſuum nomen univit? *Deus ex genere meo.* Virgo Maria vocari poterat Græcè Jeſutocos, aut Chriſtitocos, quòd idem eſt ac Mater Jeſu, vel Mater Chriſti: ſed ait D. Damaſcenus m, *Chriſtiparam nequaquam dicimus ſanctam Virginem: quia ad renuendum vocabulum Theotocos, id eſt, Deipara, & Dei Genitrix, ſceleſtus & odibilis, & cum Judæis ſapiens Neſtorius id adinvenit.* Vocatur ergo B. Virgo *Theotocos, id eſt, Deipara, & Dei Genitrix.* Quia, ut ajunt Theologi, *A majori parte, non à minori appellationes ſiunt ac imponuntur nomina.* Ita ut nomen ſumatur ſemper è re ſublimiſſimâ quæ invenitur in ſuppoſito. propterea nomen B. Virginis eruitur è qualitate, & virtute dignitatis Matris Dei: & ſic facile eſt intellectu id quod ait D. Ambroſius, *Deus ex genere meo.* Et D. Bernardinus n dicit, *Majus eſt hoc donum quòd ſit Mater Dei, quàm quòd ſit Domina creaturarum.* Et alibi o, *Oportuit (ut ſic dicam) Fœminam elevari ad quandam quaſi æqualitatem Divinam, per quandam infinitatem perfectionum, quam creatura nunquam eſt experta.* Quòd ſi nomen, *Maria*, ſuum deſumit valorem ex dignitate Matris Dei, non debemus mirari ſi Deus ad favendum ei magis, per illud multa mirabilia facit ex opere operato. Nomen iſtud oritur à Deo, & non ex hominibus; non eſt ex inſtitutione Eccleſiaſtica, ſed Divina, ſicut nomen Jeſu, *Et vocabis nomen ejus Jeſum* p. Quod nomen Jeſu ex opere operato multa operatur mirabilia: & Petrus Damianus q ait. *De theſauro Divinitatis Mariæ nomen evolvitur.* Filius Dei voluit ut nomen Jeſu quaſi ſuam ſumeret authoritatem, aut ſaltem confirmaretur à nomine *Mariæ*; & hæc eſt ratio propter quam vocatur *Jeſus Nazarenus* r, contra id, quòd allegant aliqui, *Multa nomina per cognomina ſupprimuntur.* Cùm pulchritudo nominum obſcuretur ut plurimùm cognominibus: ſed res non ita ſe habet in Filio Dei, è contrà ad illud honorandum, ipſe ſumit cognomen Matris ſuæ quæ erat *de civitate Nazareth* s. Unde videtis poteſtatem admirabilem nominis iſtius. D. Epiphanius t plurima recenſet Mariæ nomina, intra quæ continentur ea quæ excellentias ejus prædicant; & poſtea ſubdit, *Virgo plurium nominum effecta eſt.* Sicut autem Filius Dei voluit includere virtutem omnium nominum ſuorum in nomine Jeſu; ſic nomina Dominæ boni auxilii, &c. quæ ipſa B. Virgo poteſt habere, concluduntur in nomine, *Maria*, quod eſt nomen quod antecellit omnia nomina quæ ipſa poſſidet. Hæc ſpecioſa nomina ſunt veluti arcæ ſactæ, in quibus Eccleſia maximas divitias ſuas cuſtodit: qui ergo ſcire volet quàm ſuave, & benignum eſt nomen, *Maria*, quàm efficax ad conſolandum, & quàm potens ad procul eliminandos dæmones, ſufficit ipſi ſolùm ut dicat, quòd eſt arca, in qua omnia merita B. Virginis ſunt incluſa. D. Paulus ſcribens Philippenſibus u, ait, *Deus donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Sic quod Novatianus x ait apud Tertullianum, *Cujus tamen humilitatis adeſt ſtatim egregius fructus. Accepit enim nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Et hoc eſt quod ſequitur immediatè pòſt ex eodem D. Paulo, *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Sic cùm Angelo præ humilitate dixit Maria, *Ecce ancilla Domini*; intuitu humilitatis ejus, *Deus donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Re autem verâ D. Bonaventura y dicit in laudem ejus, *Non ſic timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aëreæ poteſtates Mariæ vocabulum.*

Cùm nomen, *Maria*, ſit idem quod *Deus ex genere meo*, quod idem eſt quaſi ac nomen Dei, negatur quod ullus homo, vel ulla fœmina deferat nomen Dei: & tamen multæ ſunt fœminæ baptizatæ nomine Mariæ.

Ratio

e 2. Reg 14. 4 &c
f D. Am. de Inſtit. Virg. c. 5
g Gen. 12 1. & 2.
h Rup. in Gen 12. 2
h Gen. 18 16. &c.
i Gen. 31. 53.
k ex Exo. 3. 6.
l Marc. 12 26. &c.
m D. Da. lib. 3. de Fid. Orth c. 12.
n D. Bern Serm 7. de Salut. Angel a. 3. c 2.
o D Bern Serm. 6. de Virg. c. 12.
p Matth. 1 21.
q Damia. Serm. de Annun.
r Jo. 19. 19.
s Luc. 2. 4.
t D. Epip. Serm. de Laud. Deipar.
u Phil. 2. 9. & 10.
x Novat. apud Tert. lib. de Trin. c. 17.
y D. Bon. in Specul. B. M. V. lect. 3.

Ratio propter quã nemo vocatur Deus, ea eſt quã tradit D. Thomas z, *Deus non eſt notus nobis in ſua natura, ſed innoteſcit nobis ex operationibus, vel effectibus ejus. Unde hoc nomen, Deus, eſt nomen operationis quantùm ad id, ad quod imponitur ſignificandum: imponitur enim hoc nomen ab univerſali rerum providentia.* Quaſi diceret, quod Deus ſignificat eum qui ſemper operatur, ut dicebat Filius ejus Judæis, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* a. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos* b. Id eſt, habet providentiam omnium rerum; & ſic rectæ non eſt conſonum rationi ut homo vocetur Deus, cùm reſpondere non poſſit huic nomini. Præterea, Hoc nomen Dei *eſt ineffabile*, ait Cornelius c. Et ſic nulli dari poteſt creaturæ pro nomine ſubſtantivo. Idem dicere poſſemus de ſuaviſſimo nomine, *Maria*, ſecundùm rationes quas affert Cornelius majeſtatis Dei, propter quas nomen Dei *eſt ineffabile*. Fœmina enim non poteſt reſpondere majeſtati nominis, *Maria*: quare ergo multæ fœminæ hoc honorantur & inſigniuntur nomine? Ratio iſtius eſt, quòd nomina quæ imponuntur in Baptiſmo, ſignificant in aliquibus gratiam aliquam particularem, quæ illis tunc datur, aut eis dari debet in progreſſu vitæ: unde non fortuitò datur iſti nomen Petri in Baptiſmo, alii verò nomen Pauli; & nomen Mariæ multis fœminis; ſed hoc ex ſpeciali providentia Omnipotentis, ut ait D. Thomas d, *Nomina autem quæ imponuntur aliquibus divinitùs ſemper ſignificant aliquod gratuitum donum eis divinitùs datum.* Si autem, ut ait idem D. Thomas e, *Res denominatur à fine & complemento*: id eſt, ſi omnes res, inquam, ſuum deſumunt nomen è perfectiſſimo quod invenitur in ſuppoſito rei ultimæ, quæ ipſas conſtituit in eſſe, nimirùm in eſſe magnæ virtutis, aut alicujus aliùs qualitatis; & res perfectiſſima quæ invenitur in B. Virgine eſt dignitas Matris Dei, quæ educitur è nomine ipſius; quantùm ad hoc idem nomen ipſius Mariæ, quod honorat & ornat fœminas, dico quòd à Deo magnâ donatur felicitate, & favore ſingulari illa puella aut fœmina, quæ vocatur Maria, quia cùm poſſet nominari, Catharina, Cæcilia, Anaſtaſia, &c. Deus voluit ut iſto glorioſo Mariæ decoraretur nomine.

z D. Th. 1. p. q. 13. a. 8. in corp.
a Joan. 5. 17.
b Matth. 5. 45.
c Corn. in Exod. 6. 3.
d D. Th. 3. p. q. 37. a. 2. in concl.
e D. Th. 3. p. q. 60. a. 4. ad 3.

D. Chryſoſtomus magni ducit Enos filium Seth, quo nihil aliud ſignificatur niſi invocator Dei, ut eruitur è ſacro Textu r, *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Super quod ita loquitur D. Chryſoſtomus s, *Vidiſti appellationem diademate clariorem, purpurà meliorem? Quid fuerit illo beatius, qui incarnatione Dei ornatur, idque pro nomine poſſidet?* A fortiori, majori honore afficitur fœmina cùm vocatur Maria, ſecretâ cœli providentia. Sed pergamus ad ſecretum quod ibi eſt abſconditum. Nomen Dei, quia eſt ineffabile, nulli traditur creaturæ; & tamen multæ ſunt, quæ deferunt nomen Mariæ, quo innuitur *Deus ex genere meo.* Ut ſolvatur hæc difficultas, obſervandum eſt, quòd Virgo Maria ita ſancta eſt, ut propter tantum gradum ſanctitatis multæ ſint virtutes, quæ non poſſunt in illa inveniri; virtutes, inquam, quæ tantæ nequeunt illius majeſtati ſociari, quales ſunt virtutes confeſſionis peccatorum t, contritionis, & deflendarum culparum u: omnes virtutes iſtæ non poterant habere locum in Maria, quæ tota erat repleta ſanctitate, ut fatetur ei Sponſus ipſius, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* x. Atqui ſicut hoc nomen habet virtutem faciendi ut exerceantur omnes virtutes iſtæ, & tamen privatum fuit iſtâ vi in Virgine glorioſa, quæ ſuas confiteri non poterat culpas, quibus nunquam fuit inquinata, nec conſequenter de illis conteri, & hoc nomen permanſit velut impotens in hac ſancta Regina: quid igitur faciendum fuit, ut effectus naturæ ejus manifeſtarentur? Licèt hoc nomen aliquo modo dici poſſit ineffabile ob ſuam majeſtatem ferè ac nomen Dei, nec illud ulla mereatur creatura; multis tamen datum eſt fœminis, ne maneret fruſtratum virtute ſua, quæ in hoc ſita eſt, ut faciat eas confiteri & deflere peccata; & ut id, quod exequi non potuit in B. Virgine, ipſum poſſit adimplere in perſonis, quæ ſpecioſum hoc nomen deferunt, & ſic illæ quæ vocantur hoc nomine, dicere poſſunt id quod dicebat D. Paulus y, loquens de Paſſione Jeſu Chriſti, *Adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea.* Re enim vera illæ fœminæ, quæ vocantur Mariæ, cùm conteruntur de peccatis ſuis, ea confitentur, & deflent; adimplent id quod deeſt nomini Mariæ in glorioſa Virgine. Quod autem nomen Mariæ poſſit efficere ut peccata noſtra defleamus, id docet nos Idiota z, B. Virginem alloquens, *Tanta eſt virtus tui ſacratiſſimi nominis, ò ſemper benedicta Virgo Maria, quòd mirabiliter emollit & penetrat duritiam cordis humani.* Ita ut illud reſolvat in lacrymas. *Rurſum, Nomen illud Maria interpretatur Myrrha maris*, ait D. Epiphanius a. Et, ut ait Calepinus b, *Myrrha, arbuſcula eſt in Arabia naſcens, non ſine ſpina, candice duro & intorto, cujus cortice inciſo deſtuit lacryma, quæ & myrrha vocatur.* Sic B. Mariam Virginem & Mariam Magdalenam vocare poſſumus illa, quæ *fecit Deus duo luminaria magna.* Mariam Virginem *luminare majus ut præeſſet diei* ſanctitatis, inſtar Solis ſemper illuminantis: & Mariam Magdalenam *luminare minus, ut præeſſet nocti* c pœnitentiæ, more Lunæ mutabilis. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat* d. Illæ igitur quæ deferentes hoc ſpecioſum nomen, non reſpondent ſanctitate vitæ ſuæ effectibus iſtius nominis admirabilis, maximam merentur punitionem. Eas comparo Judæ, cujus nomen idem eſt ac *Confeſſio*: & tamen hic perfidus erat ipſa iniquitas, cùm eò proceſſerit *ut traderet* e Dominum ſuum. Abſalom idem eſt ac *Pater pacis*, vel *Pax patris* f: & tamen ipſe maximè cruciavit patrem ſuum David, rebellando adversùs eum f. Salomon non aliud eſt niſi *Pacificus* g, aut, *Amabilis Domino*: & tamen ipſe erat, quem Deus maximè oderat, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* h. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas. Cùmque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo* i. Capharnaum idem eſt ac *Ager pœnitentiæ*. Nihilominùs hæc civitas ſic erat obſtinata, & ſic parùm ſolicita de agenda pœnitentia, ut Salvator iſtas intentet ipſi minas, dicens, *Et tu Capharnaum uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergèris* k. Idem accidit illis fœminis, quæ vocantur Mariæ, quæque

r Gen. 4. 26.
s D. Chr. Hom. 21. in Gen. 4. 26.
t Iac. 5. 16.
u Ez. 18. 21.
x Cant. 4. 7.
y Col. 1. 24.
z Idiot. in Cont. de Virg. Mar. c. 5.
a D. Epi. de laud. Deipar.
b Calep. in Dict. V. Myrr.
c Gen. 1. 16.
d Luc. 7. 37 & 38.
e Ioan. 13. 2.
f 2 Reg. 13. 30 &c.
g 1. Paral. 22. 9.
h Sap. 14. 9.
i 3. Reg. 11. 1. &c.
k Luc. 10.

Digitized by Google

ſinunt ſe abripi à ſpiritu lubrico & inordinato: ſicut enim ſpecioſus iſte titulus obſtringit eã, quæ ipſum defert, ad colendam ſolitudinem, honeſtatem, caſtitatem, & pœnitentiam; quæ tamen ſuo nomini Mariæ non reſpondet per praxim virtutum iſtarum, ita meretur eo privari ignominiosè in pœnam ſui criminis.

l D. Chryſ. ſol. ſerm. 146.

D. Chryſologus l vocat nomen Mariæ, *Collegium ſanctitatis.* Quod nimirum ſupponit eminentiſſimam puritatem. Sicut enim illi qui volunt admitti ad aliquod collegium celebre, ad famoſam aliquam univerſitatem, debent exhibere probationes nobilitatis ſuæ, & puritatis & integritatis vitæ ſuæ; ita cùm iſte ſanctus Antiſtes Ravennas vocat nomen Mariæ *Collegium ſanctitatis,* innuit nobis inde, quòd illa quæ vocatur Maria, debet præbere teſtimonia ſuæ ſolitudinis, modeſtiæ, puritatis, & honeſtatis, quarum virtutum defectu meretur ipſa expelli præ infamiâ & dedecore ex hoc collegio ſanctitatis, quod eſt nomen Maria, ob impuritatem ſuam, & demerita ſua. Quando homines erant depravati cõcupiſcentiis ſuis, Moyſes ait, *Corrupta eſt terra coram Domino, & repleta eſt iniquitate* m. Super quod D. Chryſoſtomus n dicit, *Vidiſti, dilecte, quantum malum ſit peccatum, quomodo hominis facit ut ſuo nomine vocari non ſint digni. Vide quomodo eos terram vocet. Neque hominis appellatione eos dignatur, ſed carnem vocat: quo nos docere voluit, quòd non de terrâ hæc dicas, ſed de hominibus carne amictis, & terreſtribus negotiis ſeſe totos impendentibus.* Ideò fœmina quæ prubatam nõ ducit vitam, quæque Maria vocatur, hoc ſpecioſo meretur privari nomine, ut inter occaſiones vitiorum, quibus indulget, non amittat reverentiam huic eximio titulo debitam: præterquàm quòd infortunium quod illi accidit, in hoc eſt ſitum, quòd ſicut ei, qui ſcelus aliquod patrat in luco ſacro, locus iſte ſacer ſervire non poteſt ut aſylum, nec illum eximit à punitione; ita illa quæ vocatur Maria, quæque offendit cum hoc pretioſo nomine, idem agit ac ſi committeret peccatum in loco ſacro: & forſan cum ipſa volet uti iſto nomine in favorem ſuum, ipſam ita puniet cœlum ut non valitura ſit illud invocare, quò ſerviat ipſi loco remedii ad ſublevandos labores ipſius. Ut autem videatis, quòd ea quæ vocatur Maria, & malè ſe gerit, hoc eſt indigna nomine, obſervate, quòd quia Maria Magdalena erat impura, cùm D. Lucas o de eâ eſt ſermonem habiturus, ait tantùm, *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Quare Spiritus ſanctus loquens organo Evangeliſtæ, eripit illi nomen Mariæ? Proculdubio ob impuritates ejus. Ideò ſuo non merebatur nomine vocari. Sed peto: Nunquid non erat illa jam amore vulnerata? nonne adibat Jeſum Chriſtum, ut ab illo ſuorum veniam expoſceret peccatorũ? Iſtud non ſufficit, oportet primò ut ipſa fleat, ut ipſam vitæ ſuæ diſſolutæ pœniteat, dignamque ipſa ſe exhibeat, quæ ſpecioſum nomen iſtud ferat, ſicut fecit. Si autem D. Lucas privat eam nomine ſuo, quia peccatrix erat: D. Marcus p illud ei reſtituit propter pœnitentiam ſuam, *Surgens autem Jeſus manè, primâ Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ ejecerat ſeptem dæmonia.*

m Gen. 6. 11.
n D. Chryſoſt. hò. 24. in Gen. 6. 11.
o Luc. 7. 37.
p Marc. 16. 9.

Quoniam excellentia nominis Mariæ eſt Stellæ maris. Ipſa eſt quæ tranquillat tempeſtates hujus ſeculi, per illam evitamus pericula maris hujus mundi, quæ ſic ſunt innumera, ut illorum deductione mens obruatur, *Quoniam mundus totus in maligno poſitus eſt,* ait D. Joannes q. Et D. Bernardus r, *Loquamur pauca & ſuper hoc nomine, quod interpretatum maris Stella dicitur: & Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipſa, inquam, eſt præclara & eximia Stella ſuper hoc mare magnũ & ſpatioſum* s *neceſſario ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelligis in hujus ſeculi profluvio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si incurrant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice Stellam, voca Mariam. Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice Stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras. Ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia pervenenis, & ſic in temetipſo experiris quàm meritò dictum ſit, Et nomen Virginis, Maria.* Et cùm ipſa inter excellentias ſuas imitata ſit Deum, imitemur & nos eam, Auditores; & ipſa perducet nos ad portum ſalutis æternæ.

q 1. Jo. 5. 19.
r D. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.
s ex Pſ. 103. 25.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Subiit ergo in montem Ieſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Jo. 6. 3. &c.

NEmo eſt qui ſalvari nolit. Deſiderium iſtud cõſequendæ ſalutis omnibus hominibus eſt naturale, & ſic intimis animæ noſtræ penetralibus inditum ut illinc avelli nequeat. *Pulchrè Veteres id eſſe bonũ pronunciarunt, quod omnia appetunt,* ait Ariſtoteles a. Si autem ſcire velitis rationem, propter quam *multi ſunt vocati, pauci verò electi* b. Id eſt, cur ita paucus ſit numerus eorum qui ſalvantur, & tam ingens illorum qui pereunt, ideò quia paradiſum ſibi dandum volunt gratis, negotiari videntur cum Deo, ſed verentur ne ab eo decipiantur, ſimiles illis qui emptori aliquam mercem, oblatas ipſis merces contemnunt, & pro iis pretium minus æquo & quàm ſit par offerunt mercatori perſolvendum: eo ſe gerunt modò Chriſtiani cum Deo: Deus offert ipſis cœlum, & ideò hodie *ſubiit in montem Jeſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Et in eorum perſonâ vocat omnes fideles ad perfectionem: ſed iſti ſic metuunt ne fallantur, ut pro eo minus erogent quàm poſſint: ſi propter id aſſequendum peragenda ſint bona opera, minus illorum agunt quàm poſſunt; & negligentiam ſuam hâc ſpecioſâ prætexunt excuſatione,

a Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 1.
b Matth. 20. 16.

ſtione, quòd iter iſtud ſequelæ Chriſti magnas præ ſe ferat difficultates, & quòd ipſi magnas habeant impotentias intuitu gratiæ. Sed ſuum deponent errorem, ſi fateri velint futurum ut poſſint *omnia in eo qui* c eſt ipſos confortaturus auxilio gratiæ, quâ *plena* d fuit Maria, cùm dixit illi Archangelus, *Ave Maria*.

c Philipp. 4. 13.
d Luc. 1. 28.

Confeſtim ac homo deceptus à dæmone, & vano ductus deſiderio regnandi abſolutè, voluit excutere jugum ſupremi Domini ſui, ſuam amiſit libertatem, concupiſcens eam augere; evaſit captivus, cogitans ſe evaſurum dominum fabricavit ſibi catenas, volens infringere vincula ſerica; & excidit imperio, quod habebat in mundo, excidens reverentiâ, quam exhibere tenebatur ſupremo Domino ſuo e. Re autem verâ rectæ erat conſonum rationi ut eò exciperetur modo, & magnitudo criminis ejus merebatur quidẽ iſtud rude ſupplicium. Quid enim prætendere poterat rebellis niſi probroſam ſervitutem? quid aliud ſperare poterat perfidus, niſi rebellionem in ſtatu ſuo politico, & reuſtiſi ſuarum reluctantiam paſſionum, & libertatis ſuæ jacturam? Superbia igitur fuit crimen ejus, & miſeria ſupplicium illius; libertas fuit ejus deſiderium, ſervitus autem fuit ipſius pœna; regnare voluit abſque dependentiâ, & damnatus fuit ad vivendum ſub tyrannide; ſuâ abutens poteſtate, jugum voluit excutere Domini ſui, & in pœnam ſuæ perfidiæ, lapſus eſt in ſubjectionem, & in impotentiam exeundi unquam ex illâ.

e Gen. 3. 6. &c.

Infortunium inauditum, quod deberemus potiùs exprimere lacrymis, quàm verbis! quia cũ ſimus filii infelicis hujus Patris, pœnam ſuſtinemus inobedientiæ ejus; & quia fuit ille rebellis, nos ſumus captivi; & quoniam tranſgreſſus eſt ille mandatum Domini ſui, gemimus nos ſub vinculis: & ſicut habuit poteſtatem projiciendi ſe in miſeriam, & trahendi nos in infortunium, redacti ſumus nos ad impotentiam exeundi ex hujuſmodi infelicitate. *Quid illi deerat ne tangeret, niſi quia ſuâ poteſtate uti voluit, præceptũ rumpere delectavit? Ut nullo ſibi dominante fieret ſicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur. Malè vagus, malè præſumens, futurus mortuus, recedendo à via juſtitiæ; ecce ſolvit præceptum, excuſſit a cervice jugum diſciplinæ, habenas regiminis exaltante animoſitate dirupit*, ait D. Auguſtinus f. Voluit oſtendere, ſe habuiſſe poteſtatem tangendi fructûs vetiti, & cùm abuſus fuerit hâc poteſtate, ad peragendum malum, ob juſtam criminis ſui pœnam lapſus eſt ipſe, & traxit poſt ſe omnes ſuos poſteros g in impotentiam faciendi boni. Ex hâc veritate, & ex textu Evangelico qui proponit nobis quomodo *ſubijt in montem Jeſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis*, & quò vocat omnes Chriſtianos ad perfectionem præ oblatione gratiæ ſuæ; invitor tractare vobis de noſtrâ impotentiâ, & de debito noſtro intuitu gratiæ Divinæ. Impotenos igitur hæc, & iſtud debitum erunt duæ diſcurſus iſtius partes.

f D. Aug. conc. 2. in Pſ. 70.
g Rom. 5. 12.

Diviſio.

1. Pars.

Quidam dicebat, tres eſſe impotentias, quæ perpetuis corda noſtra concutere deberent tremoribus, has nimirum, quas experimur in nobis intuitu gratiæ Dei. Prima eſt, quòd ſi populus iſte, qui ſequitur Filium Dei abeuntem *trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis*, non poteſt ſubire *in montem* cum eo, id eſt, pervenire ad apicem perfectionis abſque ejus auxilio; infirmati nos, & viribus deſtituti ſpiritualibus per peccatum, ab eodem peccato exire non poſſumus ex nobis ipſis, nec intrare in gratiam abſque auxilio gratiæ ejuſdem. Secunda eſt, quòd etiam ex nobis ipſis non poſſumus eâ benè uti, & illam legitimè inſumere. Tertia vero eſt, quòd inſuper ex nobis ipſis non poſſumus in illâ perſeverare. Ecce tres impotentiæ.

Quoad primam, quæſita eſt in hoc, quòd non poſſimus ex nobis in gratiam ingredi, D. Paulus triplicem obſervat in homine impotentiam; nimirum impotentiam deſiderandi boni, impotentiam volendi boni, & impotentiam faciendi boni. Quoad impotentiam deſiderandi boni, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* h. Atqui ſi juxta D. Paulum non poſſumus deſiderare bonum ſine auxilio gratiæ, quomodo volemus bonum? quâ ratione poterimus agere bonum ſine ſubſidio ejuſdem gratiæ. Hæc omnia explicat Dionyſius Carthuſianus i, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare, & per conſequens nec dicere, nec facere poſſumus aliquid meritorium à nobis, id eſt, propriâ virtute. quaſi ex nobis, id eſt, tanquam ex primâ & principali virtute. Licèt enim nos ſimus cauſa operis boni per liberum arbitrium (quia nec aliter mereremur) natura tamen noſtra indiget gratiâ: nam liberum arbitrium indiget non ſolum habitu gratiæ ſupernaturalis & Divinæ dilectionis, ſed etiam actuali motione Spiritus ſancti nos excitantis. In quo damnatur error Pelagij aſſerentis, quòd inchoatio operum meritoriorum ſit à nobis, conſummatio verò à Deo. Inchoatio enim in nobis, eſt cogitatio, in qua operatur Deus, ſecundũ Apoſtolum. Unde alibi* k *loquitur, Deus operatur in nobis velle & perficere. Ideò ſubditur, Sed ſufficientia noſtra, hoc eſt virtus & efficacia meritoriè cogitandi, loquendi, ac operandi, ex Deo eſt, id eſt, ex motione & gratia Dei, à quo eſt omne donum optimum, & datum perfectum* l. *Propter quod ait Salvator, Sine me nihil poteſtis facere* m. *Et per Prophetã* n, *Perditio tua Iſrael ex te, in me tantummodò auxilium tuum*. Inde ergo ſequitur, quòd ex nobis ipſis egredi non poſſimus è peccato, & intrare in gratiam ſine auxilio gratiæ ejuſdem. Ratio iſtius in promptu eſt. Tranſiri non poteſt è ſtatu inferiori ad ſtatum ſuperiorem ſine ſuccurſo alieno: non poteſt fieri V. g. ex lapide, aut ex arbore animal: multò minùs tranſiri poteſt à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ; quia major eſt abſque ullâ comparatione diſtantia peccati à gratiâ, nihili à toto, mortis à vitâ, entis animâ carentis ab ente vitâ & ratione prædito; lapidis, aut arboris ab homine capaci diſcernendi boni à malo mediâ rationis ope: diſtantia iſtorum eſt finita, altera verò eſt infinita, & infinitè oppoſita, *Gratia & peccatum infinitè diſtant*, inquiunt Theologi. Et Propheta o dicit, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret*. Quæ verba ſic exponit Hugo Cardinalis †, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, id eſt, Deum diſcordem vobis fecerunt, ita ut non ſalvaret: & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, id eſt, cognitionem ejus, vel auxilium, ſive propitiationem: ne exaudiret vos in tempore tribulationis clamantes*.

h 2. Cor. 3. 5.
i Dion. ibi, 2. in 2. Cor. 3. 5.
k Philipp. 2. 13.
l ex Jac. 1. 17.
m Jo. 15. 5.
n ex Oſee 13. 9.
o Iſa. 59. 2.
† Hugo Card. in Iſa. 59. 2.

Quænam humiliatio! quanta depreſſio! Auditores, ut ſit in nobis hæc infortunata poteſtas faciendi mali; & deinde impotentia totalis peragendi boni: ut poſſimus ex nobis ipſis labi in deor-

deordinationem peccati, & non poſſumus ex nobis ipſis illinc exire abſque auxilio gratiæ, & ſine ope illius, quem offendimus, cujus Divina tranſgreſſi ſumus mandata, & cujus inimici effecti ſumus peccando, & voluntati ejus adverſando, quod infelicis juſtæ iræ ejus & ſeveriſſimæ illius indignationi nos reddebat objecta.

Non diligimus bonum, aut quia illius non habemus notitiam, vel quia illud delectatione non afficit nos. Si autem non afficit bonum voluntatem noſtram amore ſuo, poſtquàm illius cognitione deſtituti ſumus, peccatum utriuſque defectus cauſa eſt: per peccatum enim amittimus lumen cognitionis, & ardores amoris: lumen ad cognoſcendum Deum, qui totam noſtram conſtituere debet æternam felicitatem in gloriâ. *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum. & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* p. [p Jo. 17. 3] Et flammas amoris ad diligendum *ex toto corde* q [q Matth. 22. 37.] noſtro ſummum iſtud & *omne Bonum* r. [r Exod. 33. 19.] Inde fit ut in noſtrâ non ſit poſitum poteſtate exire ex his tenebris, recedere ex iſtis frigoribus, quæ veluti glacies noſtra conſtringunt corda, abſque auxilio hominis Dei, qui eſt *Lux hominum, & Lux in tenebris lucet* ad diſſipandas obſcuritates, quibus offunduntur mentes noſtræ; *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* s. [s Jo. 1. 4. &c.] *Id eſt, illuminat lumine gratiæ omnem hominem venientem in hunc mundũ, id eſt, omnem qui illuminatur gratiâ ſpirituali, quã nullus ſortitur niſi à Filio. Vel, illuminat omnem hominem, quantùm in ſe eſt, ſicut vult omnes ſalvare* t, [t ex 2 Petr. 3. 9] *ita quòd nemo excuſatur, ſi non fuerit illuſtratus*, ait Dionyſius Carthuſianus u [u Dion. Carth. a. 4. in Jo. 1. 9] Et venit latum in hunc mundum flammas Divinæ ſuæ dilectionis ad inflammanda corda noſtra, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* x? [x Luc 12. 49] *Hoc eſt, ardeatur, & Spiritus ſancti motione inflammetur atque in opus virtuoſum erumpat*, dicit idem Carthuſianus y. [y Dion. Carth. a. 34. in Luc. 1. 49.] Et ſtatim pòſt ſubdit. *Porrò cor humanum inſtar terræ per ignorantiam fuit obſcurum, per cõcupiſcentiã molle, & per malitiam frigidum, ideò eguit igne hoc charitatis inflammatu contra frigiditatem, illuminante contra obſcuritatem, conſolidante contra molitiẽ. Rectè ergo charitas ignis vocatur, quia per eam peccati labes conſumitur, affectus accenditur, ſpiritus in cæleſtia elevatur.* Ecce igitur prima impotentia hominis debilitati in ſtatu peccati, non valentis abſque auxilio gratiæ exire è peccato & in gratiã eamdem intrare ſine ipſius gratiæ ope.

Secunda impotentia ea eſt, per quã non poteſt quis ex ſeipſo benè uti gratiâ. Uti, & benè uti aliquâ re, eſt eâ uti per relationem ad Deum qui eſt primum *Principium & Finis* z ultimus. [z Apoc 1. 8.] Cùm autem referimus ad noſmetipſos aliquam rem, eâ abutimur, nedum illam referamus ad Deum, quem ita rerum omnium Finem conſiderare debemus, ut eas creans, illis alium conſtituere non potuerit finem niſi ſemetipſum, cùm nihil agere poſſit ipſe niſi ad manifeſtandam gloriam ſuam, alioquin detraheret ei toti quod ipſe eſt, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* a. [a Prov. 16. 4.] Atqui ad referendas gratias ad iſtum finem, requiritur ſecunda gratia, & ſine auxilio Dei, eâ legitimè uti non poſſumus, *Spiritum meum ponam in medio veſtrî; & faciam ut in præceptis meis ambuletis* b. [b Ezech. 36. 27.]

Res eſt periculoſa homini ut vivat ſecundùm hominem; & Angelo, ut vivat ſecundùm Angelum, quia ſola regula Dei debet eſſe regula omnium vitarum. Si *Lucifer ad infernum in profundũ laci* c [c Iſai. 14. 12. &c.] detractus eſt, ideò quia invenit in ſe præcepta vitæ, quam voluit ducere: natura enim Angelica, etiamſi ſpiritualis, aberrat à rectâ viâ, quã ſequi debet, ſi immoretur ipſa in contemplandis perfectionibus ſuis, & oportet ut ipſa ex ſeipſa exeat, id eſt, ut deſtituat ſe propriâ vanitate, quò cuſtodiat ſe in innocentiâ, in quâ Deus ipſã creaverat, cùm tdem *dixit Deus, Fiat lux; & facta eſt lux* d. [d Gen. 1. 3.] Atqui homo non ſolùm abutitur rebus naturalibus, ſed etiam gratiâ, & oportet ut Deus, qui nobis illam tribuit, præbeat etiam nobis gratiam eâ benè utendi, & hoc eſt *datum optimũ, & donum perfectum, deſurſum deſcendens à Patre luminum*, ait D. Jacobus e. [e Jacob. 1. 17.] *Cum ergo vivit homo ſecundùm hominẽ, non ſecundùm Deũ, ſimilis eſt diabolo: quia nec Angelo ſecundum Angelum, ſed ſecundùm Deum vivendum fuit, ut ſtaret in veritate. Cùm itaque vivit homo ſecundum veritatẽ, non vivit ſecundùm ſeipſum, ſed ſecundum Deum. Deus eſt enim qui dixit, Ego ſum Veritas* f, [f Jo. 14. 6] ait D. Auguſtinus g. [g D. Aug. lib. 14.] Et ideò in omnibus Veritati, quæ eſt Deus, debet adhærere, & præcepta ejus fideliter cuſtodire.

Res ſtupenda, quòd primus Angelorum æternam incurrerit damnationem, eò quod abuſus fuerit gratiâ ipſi datâ ipſo creationis ſuæ inſtanti, vivens *ſecundùm ſeipſum, utpote nimium delectatus perfectione naturæ ſuæ, non ſeipſum in Deum referens*, ait Coquæus h. [h Coq. in D. Aug. loc. cit.] Non miror quòd homines abutantur bonis naturæ, & fortunæ; bonis animi, & corporis, ſicut & aliis exterioribus; quia cùm hæc omnia ſint velut non entia, trahunt nos ad locũ ſuæ originis: ſed quòd gratia, quæ nobis data eſt ad eruendos nos è nihilo, nobis ſit occaſio labendi in peccatum, iſtud ſtupore me percellit. Videte quàm valida ſit proclivitas hominis ad peccatum, cùm abutatur eo ipſo, quod ipſum eruere poteſt è peccato; cùm ſanctiſſimas quaſque res in pravos convertat uſus, nec ſit aliquid ita ſactum & venerabile quod ipſe non profanet, & ſuum conficiat venenum è ſuo antidoto, tenebras ſuas è luminibus ſuis, & jacturam ſuam è lucro ſuo. Hinc oritur abuſus Sacramentum, *Facta ſunt aræ ei in delictum* i. [i Oſee 8. 11.] Gratiæ, quas ſuſceperat, propter malum uſum ad quam eas convertit, fuerunt illi occaſio perpetrandi ſceleris, ita ut ſimilis evaſerit Nadab & Abiu, quibus contigit, ſicut ait D. Chryſologus, *ut ſumerent de ſacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum* k. [k D. Chryſol. ſerm. 26.] Dum *arreptis thuribulis, impoſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptũ non erat: egreſſuſq; ignis à Domino, devoravit eos, & mortui ſunt corã Domino* l. [l Levit. 10. 1. & 2] Hoc autem accidit, cùm *vivit homo ſecundùm hominẽ. Dicitur enim vivere ſecundùm hominem, quoniã in ſeipſo conquieſcit & delectatur, nec omnia ſua in Deũ refert* m. [m Coq. loco ubi ſuprà.]

Tertiò, In noſtra non eſt poſitum poteſtate perſeverata in gratia ſine auxilio Dei & gratiæ ejus. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet* n. [n Philipp. 1. 6.] *Id eſt, Deus per gratiam gratum facientem, & Spiritus ſancti motionem actualem inchoavit in vobis opus meritorium, & perficiet illud in vobis*, ait Dionyſius Carthuſianus o, [o Dion. Carth. a. 2. in Philipp. 1. 6.] *uſque in diem Jeſu Chriſti inclusivè, id eſt uſque in diem mortis veſtræ, quã à Chriſto viſitabimini, & particulare judicium ſuſtinebitis. A Deo enim eſt inchoatio, continuatio, & conſummatio operis boni.* Ideircò noſtra eſt operanda ſalus præ timore, ut cõſulit nobis idem Apoſtolus p, [p Philipp. 2. 12.] *Itaque chariſſimi mei, cum metu*

& tre-

& tremere veſtram ſalutem operamini. Quod ſic exponit idem Carthuſianus q, *Cum metu filiali, quantùm ad perfectos, & timore initiali quantùm ad proficientes, & tremere corporis, ex interiore timore progenito, veſtrã ſalutem, hoc eſt, opus virtuoſum operamini. Vel, veſtram ſalutẽ operamini, hoc eſt, æternam beatitudinem bonis operibus procurate. Cum ingenti ergo timore ſerviendum eſt Deo ſublimi & benedicto : prout ait Pſalmiſta* r, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Ædificium ſalutis noſtræ debet eſſe aliud ab ædificiis mundi : oportet ut noſtrum innitatur tremoribus, ſi velimus ut ſit inconcuſſum, quia, juxta Tertullianum s, *timor fundamentum ſalutis eſt : præſumptio impedimentum timoris*.

r Pſ. 2. 11.

s Tert. lib. de cultu Fœm. c. 2.

Gregoria cubicularia Auguſtæ petierat à D. Gregorio ut ſibi diceret, utrùm ſua Deus ſibi dimiſiſſet delicta, *Quòd verò dulcedo tua in ſuis epiſtolis ſubjunxit : importunam ſe mihi exiſtere, quoaduſque ſcribam, mihi eſſe revelatum, quia peccata tua dimiſſa ſunt : rem & difficilem etiam & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia indignus ſum, cui revelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quadies quouſque veniat, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certè Paulus Apoſtolus jam ad tertium cœlum aſcenderat : in paradiſum quoque ductus fuerat, arcana verba audiverat, quæ homini loqui non liceret* t: *& tamen adhuc trepidans dicebat : Caſtigo corpus meum, & ſervituti ſubjicio : ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar* u. *Adhuc timet qui jam ad cœlum ducitur : & jam timere non vult qui adhuc in terrâ converſatur? Perpende dulciſſima filia, quia mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Habere ergo in hâc vitâ non debes ſecuritatem, per quam negligens reddaris*, reſpondit ei D. Gregorius x.

t ex 2. Cor 12. 4.

u ex 1. Cor. 9. 27.

x D. Greg. lib. 6. Epiſtol. c. 186. epiſt. 22. II. Pars.

Debemus gratiam magnifacere, Primò, quia ipſa eſt pretium Sanguinis Chriſti, *Empti enim eſtis pretio magno*, ait nobis D. Paulus y. Secundò, Quoniam ipſa eſt verum bonum, quod ad nos propriè pertinet, quia non poteſt nobis eripi, niſi velimus ; & eſt unicum bonum, quod ſuis Deus impertitur amicis. Alia bona ſive fortunæ, ſive animi, ſive corporis nobis ſunt communia cum brutis, cum Turcis, cum barbaris, & cum dæmonibus, quibus Deus dereliquit participationem luminis ſui, ſcientiæ ſuæ, & potentiæ ſuæ : ſed gratia eſt donum, quo ſuos præ privilegio cumulat amicos, *Sufficit tibi gratia mea* z. Fulti adjutorio gratiæ, univerſa in noſtrum convertere poſſumus emolumentum, & arte chimicâ mirabili è malo alieno noſtrum conflare bonum, cùm Deus permittat accidere *omnia propter electos* a. *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* b. Prætereà, Quia gratia nos ſeparat ab omnibus, & Deo nos unit. Omnes virtutes ſunt effectus & imagines gratiæ : caſtitas nos ſeparat ab impuritate, temperantia à prodigitate, humilitas à ſuperbiâ, eleemoſyna ab avaritiâ, charitas ab odio : & mediâ gratiâ ſeparantes nos ab omnibus, unimus nos Deo ; & quicumque eſt in ſtatu gratiæ conſtitutus, poteſt aſſerere animam ſuam eſſe thronum Dei, *Anima enim Juſti ſedes eſt Sapientiæ*, ait Euſebius Emiſſenus c.

y 1. Cor. 6. 20.

z 2. Cor. 12. 9.

a 2. Tim. 2. 10.

b Rom. 8. 28.

c Euſeb. Emiſſ. ſer Dom. 1. Adv. ex Sap. 7. 7.

Ecce igitur quanti æſtimare debeamus gratiam : en primùm debitum, quo perfungi debemus erga gratiam. Secundum debitum ſitum eſt in proficiendo & creſcendo in gratiâ. *Omnia ſunt actu, & potentiâ*, ajunt Philoſophi. *In actu*, quia ſunt. *In potentiâ*, quoniam poſſunt eſſe meliora. *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus*, ait D. Paulus d. Quem ſic interpretatur Dionyſius Carthuſianus e, *Veritatem autem juſtitiæ, hoc eſt, opera juſta facientes : vel, veritatem doctrinæ facientes, id eſt, actibus virtuoſis exequentes in charitate, hoc eſt ex charitatis impulſu atque imperio non fictè, coactè, aut formidoloſè, creſcamus in gratiâ gratificante, in illo per omnia virtutum exercitia, qui eſt Caput noſtrum, videlicet Chriſtus, id eſt auxilio Chriſti, ſecundùm ejus conſilia ad gloriam ejus*. Imò & *Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines* f. In terrâ fruimur iſto privilegio, ut proficere poſſimus in gratiâ : & licèt tempus vitæ ſit calamitoſum, in eo tamen eſt pretioſum, quòd hoc eodem tempore quo vivimus, noſtram negotiari poſſimus ſalutem, & accrementa peragere meritorum ad perfectionem uſque gloriâ dignam : quod privilegium non conceditur Beatis, qui Divinæ inebriantur *ab ubertate domus, & torrente voluntatis* g æternæ potantur in cœlis, cùm in illo ſtatu termini & patriæ nullum ſuis addere poſſint incrementum meritis.

d Epheſ. 4. 15.

e Dion. Carth. a. 4. in Epheſ. 4.

f Luc. 2. 52.

g Pſ. 35.

Quàm charum & quàm pretioſum nobis debet eſſe tempus gratiæ, & quanti illud æſtimare debemus, cùm peragendarum ſubminiſtret nobis anſam rerum mirabilium, quæ æmulationem producere valeant in Sanctis æternâ fruentibus felicitate! Singulis poteſtis, Auditores, diebus vobis coronas texere, quarum pulchritudo & decor nunquam caligine offundentur ; veſtras promovere victorias ; & limites ac terminos dominii veſtri ad æternam uſque extendere felicitatem, proficuè inſumentes tempus, eoque modo quo vult Deus ut illud adhibeatis, dum vobis ait, *Negotiamini dum venio* h. Ponite præ oculis veſtris, quòd actio bona, deſiderium fervens, ſancta ſpiratio, exigua eleemoſyna, & *id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt : quæ autem non videntur, æterna ſunt* i. Cogitate, quòd illis glorificetur Deus, quòd gloria Dei eſt pretii infiniti ; & quòd aliquid peractum ob iſtum finem, pretioſius eſt incomparabiliter glorioſiſſimis quibuſlibet Cæſarum ac Alexandrorum certaminibus aut facinoribus ; & quòd tanta admittenda eſt differentia inter hæc duo genera actionum, quanta inter gloriam hominis, quæ eſt bonum finitum, & gloriam Dei, quæ eſt bonum infinitum k. Similibus incumbentes actionibus virtuoſis, amplam meritorum conciliamus nobis ſegetem, recentes ad nos trahimus favores, & novas blanditias cæleſtes, amicitiam Dei nobis aſciſcimus, & hujuſmodi *per bona opera certam vocationem & electionem* l noſtram facimus. Gradus virtutis ad alios ſcandendos facilem pandit viam, *Ibunt de virtute in*

h Luc. 19. 13.

i 2. Cor. 4. 17. & 18.

k Baruch. 3. 25.

l 2. Petr. 1. 10.

virtutem n, &c. Super quod Incognitus o, *Ibunt enim ſignificat voluntatis noſtra comparationem quæ de virtute proficit ad virtutem, Iſte autè profectus durat, quandiu durat vita præſens, quia poſt hanc vitam non eſt ſtatus proficiendi in meritis; ſed in eodem ſtatu, in quo quis præſentem terminat peccati, vel meriti, in eodem permanet ſemper. Et hoc eſt quod ait: Videbitur Deus deorum in Sion, id eſt, ſic proficiet de virtute in virtutem, donec ad Dei viſionem perveniat in Sion, id eſt, in clarâ ſpeculatione. Iſtum Textū pertractans Gregorius* p, *oſtendit, quomodo gratiâ Dei homo de virtute proficit ad virtutem, dicens: De meritorum gradibus per Pſalmiſtam dicitur, Ibunt de virtute in virtutem, &c. Nequaquam enim ad ſumma repentè pervenitur, ſed ad virtutum celſitudinem per incrementa mens ducitur.* Virtuti vacando, fervor augetur; difficultates, quæ nobis occurrunt in obſequio exhibendo Deo, planæ fiunt: omnes res ſola habent rudia principia: conſuetudo cicurat tigrides, ferocitatem auſert à leonibus, pantheras demulcet, & crudeliſſimas quaſque beſtias manſuetas efficit: homo magnanimus primas domat difficultates, & omnia obſtacula obvia quoad ea quæ ſunt Divini cultus, & deinde nihil invenit præter dulcedinem, & omni perfunditur gaudio ac conſolatione.

n Pſ. 83. 8.
o Incog. in Pſ. 83.
p ex D. Greg. lib. 22. Mor. c. 20.

Veſtrum crevit corpus, Auditores; ab infantiâ ad ætatem perfectam uſque. Animalia, imò verò plantæ ſemper creverunt: diceturne quòd anima veſtra ſola inter omnia non creſcat, nec eat *de virtute in virtutem?* Hinc D. Gregorius ait q, *Electus etenim quiſque à rudimenti ſui primis teneritudine inchoans, ad robuſta poſtmodùm & fortia convaleſcit. Quod apertè in Evangelio* r *demonſtrat Veritas, dicens: Sic eſt Regnum Dei, quemadmodum ſi jaciat homo ſementem in terram, & dormiat: & exurgat nocte ac die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille. Cujus nimirum ſeminis incrementa denuncians, adjungit: Ultrò enim terra fructificat primùm herbā, deinde ſpicā, deinde plenū frumentū in ſpicâ. Cujus profectus quoque etiam finem ſubrogat, dicens: Et cùm ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcē quoniam venit tempus meſſis. Ecce Veritatis voce per qualitates frugum, diſtincta ſunt incrementa meritorum.* Univerſæ res agunt infallibiliter; & excellentiſſimæ quæque non habent formas excellentiſſimas niſi ut excellentiſſimè agant. Cùm vos *creavit Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* s, induit vos naturâ ſuâ per participationem, ſeu communicationem, delereriſne hanc formam Divinam deſidem, & ſine operatione? *Filij hujus ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſuâ ſunt* t. *Id eſt, dilectores mūdi, qui mundum iſtum pro patriâ amant, in terrenis hæreditatem exoptant, ſeculo ſe conformant, temporalibuſque potiùs, quàm Divinis intenti ſunt*, ait Dionyſius Carthuſianus o, *prudentiores, hoc eſt aſtutiores & diligentiores in temporalibus acquirendis, conſervandis, & expediendis, filijs lucis, hoc eſt devotis & ſpiritualibus hominibus in generatione ſuâ carnali, hoc eſt, inter ſuos ſunt.* Iſti fortunam ſuam ad ultimas uſque evehunt periodos; duceminine minori ambitione ad peragendum bonum, quàm illi ducantur ad patrandum malum? Poteſtis medio fervore veſtro reddere Chriſto aliquam partem actionis gratiarū, quam amor illius expectat à vobis, & veſtris laboribus conſolari labores ejus, qui *in laboribus à juventute* x ſuâ fuit propter vos. Macti igitur animo, omnes ſuperate obices, qui veſtris adverſari poſſent conſiliis, & impedire ne Deo ſerviatis, & in gratiâ creſcatis.

q D. Greg. lib. 22. Mor. c. 20.
r ex Marc. 4. 28 &c.
s Gen. 1. 27.
t Luc. 16 8.
u Dion. Carth. a. 39 in Luc. 16. 8.
x Pſ. 87. 16.

Tertiò, Ad noſtrum ſpectat officium laborare ſecundùm qualitatem gratiæ vocationis noſtræ: *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes: ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei* y. Superior proficuè debet inſumere lumina ſibi data ad regendum; adhibere illa Inferior quæ ipſi ſunt præbita ad ſervanda inviolatè mandata ſibi præſcripta; Prædicator negotiari talenta ſibi concredita ad convertendas animas; auditor verò ad profectum ſuum uti bonis inſpirationibus, quibus Deus cor ipſius tangit. Sic omnes arbores ſuos producunt fructus: ſed ſicut ipſæ ſuos exhibent fructus tempeſtate opportunâ, *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo* z: ſic utendum eſt gratia tempeſtate congrua, utiliter ſunt inſumendæ occaſiones in afflictione, in eleemoſyna eroganda: gratiæ enim oblatæ hodie, & contemptæ, pereunt, nedum recuperari poſſint: aliquando eas vocabimus, & ex noſtras non exaudient preces, nec ad nos ampliùs redibunt, *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit* a.

y 1. Petr. 4. 10.
z Pſ. 1. 3.
a Prov. 1. 24. & 26.

Prætereà, Laborare debemus ſecundùm totam extenſionem gratiæ. D. Paulus b mirum nos edocet modum inſumendæ proficuè gratiæ juxta totam ipſius amplitudinem, dicens: *Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite: & greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniā: ſine quâ nemo videbit Deum: contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut profanus ut Eſau* c, *qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua: ſcitote enim quoniam & poſteà cupiens hæreditare benedictionem* d, *reprobatus eſt: non enim invênit pænitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Non ait Apoſtolus inter ſupradicta, *Contemplantes ne cui deſit gratia Dei*, ſed, *ne quis deſit gratiæ Dei*, ut omnibus datas eſſe gratias ſufficientes ad operandam ſalutem ſuam innuat; *Contemplantes, id eſt, ſollicitè præcaventes, ne quis deſit gratiæ Dei, id eſt, ne aliquis veſtrûm elongetur, ac ſeparetur à gratiâ Dei, quæ omnibus præſto eſt, dummodò fecerint quod in ſe eſt. Vel, ne quis deſit gratiæ Dei, id eſt, ne gratia Dei in vobis imperfecta ſit propter negligentiam veſtram*, ait Dionyſius Carthuſianus e.

b Hebr. 12. 12. &c.
c ex Gen. 25. 33.
d ex Gen. 27. 37.
e Dion. Carth. a. 12. in Hebr. 12. 15.

Quantum habemus anſam, Auditores, humiliandi nos, videndo quòd in nobis ſit hæc lethifera poteſtas ſeparandi nos à Deo, & iſta deinde impotentia reuniendi nos illi. Quanti æſtimare debemus ſtatum purgatorii, non quòd ibi animæ de ſua ſalute ſint certæ, ſed quia in tali ſtatu conſtitutæ non poſſunt ampliùs peccare: ſed quātò majoris ducere debemus ſtatum gloriæ, non quòd ibi beati fruantur viſione Dei, ſed quia non valent ampliùs mandata illius præterire: nullus enim eſt Sanctus in paradiſo, qui non mallet, ſi iſtud fieri poſſet, privari fruitione Dei, quàm illum offendere, præ maximis & regulis veræ charitatis. Quàm fortunatus eſt ſtatus in-

fantis

ſanctis renati *ex aquâ & Spiritu ſancto* f in Baptiſmate, quandiu in cunis eſt, & maternis adhæret uberibus, eò quòd in tali ſtatu poſitus, offendere non poſſit Deum, nec Divinam gratiam amittere. Hâc ductâ cogitatione efflagitemus à Deo ſpiritum timoris, & gratiæ. Gratiæ, ne abutamur gratiis ejus, ſecundùm conſilium datum nobis ab Apoſtolo g, *Exhortamur, ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis.* Quòd ſic exponit Dionyſius Carthuſianus h, *Exhortamur, ne in vacuum, id eſt, ſine fructu & perſeverantiâ gratiam Dei habitualem & gratum facientem recipiatis in Baptiſmo, vel Pœnitentiæ Sacramento. Gratiæ enim finis eſt adeptio gloriæ. Ideircò gratiam Dei in vacuum recipit, qui per eam bene vivendo æternam beatitudinem non acquirit. Melius eſt enim viam juſtitiæ ignoraſſe, quàm poſt agnitionẽ reverti retrorſum* i: *ſimili modo melius quodammodo eſt gratiam non recepiſſe, quàm receptam perdidiſſe.* Spiritum timoris, veriti ne amittamus hujuſmodi gratiam, cùm eminentiſſima gratia indita primo Angelo, ipſo creationis momento, fuerit illi occaſio amittendæ ejuſdem gratiæ, *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decòre, in delicijs paradiſi Dei fuiſti: perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ: donec inventa eſt iniquitas in te. Et elevatum eſt cor tuũ in decòre tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te* k. Quid autem non metuere debemus nos, quorum gratiæ non ſunt ita ſublimes, & quorum *ſenſus & cogitatio in malum prona ſunt ab adoleſcentia* l noſtrâ? Ideò declinare debemus ab omnibus occaſionibus, quæ nobis poſſunt eſſe ſanoſæ, cùm vel unica occaſio in paradiſo terreſtri funeſta fuerit Protoplaſto noſtro, & viſus pomi eum reum effecerit, & gratiâ Dei illum deſtituerit, quandiu ipſe vetito *de fructu comedit* m. Præterea, Debemus etiam petere à Deo donũ perſeverantiæ in gratiâ ſuſceptâ, ne relabamur in peccata, ne fortè nobis improperetur *illud veri Proverbij: Canis reverſus ad ſuum vomitum, &, Sus lota in volutabro luti* n. Et ideò oportet ut pietate afficiamur erga Sanctos, qui minùs peccaverunt, præſertim verò erga B. Virginem, quæ, quia eſt *tota pulchra, & macula non eſt in* o ea, nec unquam erit, pro nobis intercedet apud Deum.

Sed ſi conſideremus debita noſtra erga gratiã, & inveniamus nos eam contempſiſſe, & licet ipſa non minùs valeat quam Deum incarnatum, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* p ad comparandam nobis hanc gratiã, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* q: tamen nos pejores Juda, qui Chriſtum Authorem gratiæ vendidit Judæis r, eam vendidimus; quid dico? dedimus; fallor, eam perdidimus propter nihilum; quid ſperare poſſumus ab eo, qui nobis eam præbuerat? *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiã veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædã expectatio judicij & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit* s? Ha! quæſo, ne amittamus gratiam quæ tanto pretio conſtitit Filio Dei; ſed è contrà nitamur in eâ incrementa peragere conformia gradibus illius quos ab eo ſuſcepimus, ad perfectionem uſque gloriâ æternâ dignam.

Ut autem agnoſcamus utrùm progrediamur in viâ Dei, obſervandũ eſt nobis, quanti æſtimemus gratiam & amicitiã Dei, & quanto horrore peccatum proſequamur: nulla eſt enim alia menſura, cui conformari debeamus. Si velimus ſcire, an proficiamus luminibus & cognitionibus, cõſiderare debemus, num mens noſtra ſit convicta neceſſitatis, quam ipſa habet, conſervandæ hujus amicitiæ Divinæ & gratiæ, & illius nõ amittendæ aliquo peccato lethifero; cùm propter hoc mundus fuerit conſtructus, Chriſtus mortuus, beneficia Divina nobis fuerint collata, & omnia ſubſiſtant in cœlo & in terrâ; in terrâ, ut nobis iſtius gratiæ conciliandæ dentur media; in cœlo, ut nobis merces impẽdatur. Perpendamus ſeriò, quòd ideò in terrâ ſumus, ut in eâ creſcamus ſpiritualiter, euntes *de virtute in virtutem* t, in gratiam, & in meritum ſecundùm captum noſtrum. Nec tamen oportet ut recordatio criminum noſtrorũ, & diſſolutionum anteactæ vitæ noſtræ in extremas redigat nos anguſtias deſperationis, ita ut animo excidamus, & Divinæ diffidamus Miſericordiæ. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiã inveniamus in auxilio opportuno* u. Ut autẽ Miſericordia iſta evadat nobis propitia, & noſtra dimittat nobis peccata, referamus omnes actiones noſtras ad finem noſtrum, exactiſſimam cuſtodiamus fidelitatem quantùm ad gratiam vocationis noſtræ, & contendamus ſatisfacere iis omnibus, quæ Deus exigit à nobis, ne gratia ejus nobis fruſtrà data fuerit, ſed è contrà prõficuè utamur eâ ad profectum noſtrum, ut pervenire tandem poſſimus ad gloriam.

f Joan. 3. 5.
g 2. Cor. 6. 1.
h Diony. Carth. art. 6. in 2 Cor. 6. 1.
i ex 2. Petr. 2. 21.
k Ezech. 28. 12. &c.
l Gen. 8. 21.
m Gen. 3. 5. & 6.
n 2. Petr. 2. 22. ex Prov. 26. 11.
o Cant. 4. 7.
p Apoc. 1. 5.
q Joan. 1. 17.
r Matth. 26. 15.
s Hebr. 10. 26. &c.
t Pſ. 83. 8.
u Hebr. 4. 16.

FERIA II. POST DOMIN. IV: QUADRAGESIMÆ.

Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo Jo. 2, 15. &c.

VEritas eſt manifeſta, de quâ quotidiana nõ ſinit ut ambigamus experiẽtia, quæque univerſim ab omnibus admittitur, quòd amor nunquã meliùs exhibetur quàm medias inter occaſiones: tunc ad ſupremũ ardorum ſuorum apicem, & ad maximarum excellentiarum ſuarum faſtigium evehitur, cùm agitur de commodis perſonæ amatæ. Jeſus Chriſtus huic veritati authoritatem praxi ſuâ conciliat; nunquam vivacioribus arſit amoris flammis, quàm cùm actum fuit de amplectendâ causâ honoris & gloriæ Patris ſui, cùm hujuſmodi honor profanaretur, & huic gloriæ detraheretur ab impiis. Probationem iſtius habemus exaratam in Evangelio noſtro, & zelus, quo ipſe ducitur, obvios habens aliquos venditores animalium in tẽplo, nobis hujus ſubminiſtrat certitudinẽ, *Auferte iſta hinc, & nolite facere domũ Patris mei domũ negotiationis*, id eſt, *vendendo ibi animalia iſta, quæ in foro ſolent venundari*, ait Dionyſius Carthuſianus a. Qui addit, quòd *Jeſus Divinâ ſuâ virtute potuit corda eorũ terrere, quos alloquebatur. Potuit quoque ex vultu & oculis ſuis igneum ſplendidumque ac deiformẽ fulgorem, ſeu radios luciformes emittere, quo omnes videntes eũ concuſſi ſunt. Per hunc etenim zelum bis ejecit vendentes de templo. Semel in primo anno ſuæ prædicationis, unde nunc ſermo. Et in die Palmarum, ut patet in Luca* b. Ut quid conſimili non ducor ego zelo? Deus meus. Quare iiſdem

a Dion. Carth. a. 7. in Joan. 16
b Luc. 19. 45

non ardeo flammis, exemplo tuo allectus? ut armem ſaltem linguam meam contra tot ſacrilegia & irreverentias quæ perpetrantur in templo tuo. Iſtius Zeli communicationem à te efflagito, eodem ductus affectu, & ſpero me à te illam impetraturum interventu Reginæ Angelorum, quæ eſt templum prædives Spiritus ſancti, ornatum donis omnibus, & decoratum cunctis gratiis, ut proteſtatur Archangelus, cùm cõſenſum illius exigens ad faciendam eam Sponſam ejuſdem Spiritus ſancti illi, *dixit*, *Ave* c *Maria*.

c Luc. 1. 28. &c.

Verendum ſanè eſt, Auditores, & jure merito ne ab ipſo diſcurſus iſtius initio, ſtupore aliquis clearur, miratus quòd ille qui ſe propoſuerat aliàs ut prototypon manſuetudinis, dicens, *Diſcite à me, quia mitis ſum* d; quaſi diceret, ut explicat Dionyſius Carthuſianus e *Diſcite à me, non miracula facere, non mundum creare, ſed quia mitis ſum, inordinationem iræ & impatientiæ penitus non habendo*; hodiernâ die quaſi irâ accenſus, & impatientiâ percitus induat perſonam Iudicis ſeveri, & expellat domo ſuâ homines qui ibi vendebant animalia deſtinata ad ſacrificia, & ſibi offerenda: & ne illud, quod puto adſcribere deberet imperitus ille zelo, præ ignorantiâ aut præ ſtupiditate attribuat paſſioni immodicæ. Non ſum ego, Auditores, è Theologis illis ſcrupuloſis, qui doctrinam ſuam quâdam neſcio quâ reverentiâ prætexentes, nullam admittere volunt paſſionem in ſacrâ humanitate Ieſu Chriſti, innixi forſan huic Stoicorum axiomati, *In virum ſapientem non cadunt paſſiones animi*. Sed ſalvâ illorum veniâ, dico Ieſum Chriſtum realiter & effectivè affectum fuiſſe paſſionibus ſimilibus paſſionibus noſtris quantùm ad ipſarum naturã; differentibus tamen à noſtris quoad ipſarum circunſtantias. Ita docet D. Thomas f, dicens, quòd *Anima Chriſti animales paſſiones habuit quidem ſed non ut cæteri homines: nam neque ad illicita ferebantur, neque rationis judicium præveniebant, ſed ſecundùm illud oriebantur, neque rationem ullo modo impediebant*. Id eſt juxta earum definitio, qua nihil aliud innuitur niſi quædam inclinatio ad aliquod objectum, quod comitatur commotio corporalis. *Quamobrem etiam ipſe Dominus in formâ ſervi* g *agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum* h, *adhibuit eas ubi adhibendas eſſe judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus*, ait D. Auguſtinus i. Tamen omnes non ſumpſit paſſiones, ſicut eas quæ ſecum aliquas invehunt indecentias, ſed ſolas honeſtas.

d Matth. 11. 29.
e Dion. Carth. a. 22. in Matth. 11 29.
f D. Th. 3 p. q. 15 a. 4. in concl.
g ex Philipp. 2. 7.
h ex Iſa. 53. 9. & ex 1. Petr. 2. 22.
i D. Aug lib 14. de Civ. Dei c. 9.

Si amor eſt paſſio humana, Chriſtus amorem ſumpſit, exhibens aliquando teneritudines affectus hominibus probatæ vitæ, ſicùt cùm exacta fidelitate mandata Divina obſervaſſet *quidam omnia à juventute, Ieſus intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei, Unum tibi deeſt: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me* k: quaſi miſertus ejus eò quòd non ingrederetur rectâ in iter Evangelii, ſuarum retentus amore divitiarum. Si timor numeratur inter naturæ commotiones, nunquid non ipſe *cœpit pavere & tædere* l? Si triſtitia noſtræ ſtipendium eſt conditionis, nonne ipſe *ait*, *Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem* m? Si in eo inquiratis gaudium, annon ſuis diſcipulis ad confirmandam fidem eorum *Ieſus dixit*, *Lazarus mortuus eſt*: *& gaudeo propter vos, ut credatis* n? Hodiernâ verò die nunquid non juſtam intuendam exhibet iram, ſeu potius inſpiciendum ferventem zelum, ejiciendo venditores animalium *de templo*? Aliæ ſunt paſſiones, quas nunquam voluit admittere, ut odium proximi, &c. Et, ſi hodie zelo *domus* o Patris ſui comeſtus, flagello armat manum ſuam, & iraſcitur contra profanatores templi, quos ſuâ ejicit domo, inde docere nos vult. Primò reverentiam, quam exhibere debemus templis noſtris. Secundò, Per indignationem iræ ſuæ vult nobis oſtendere gravitatem pœnarum, quas ex iſtis ſumit irreverentiis.

k Marc. 10. 17. &c.
l Marc. 14 33.
m Marc. 14. 34.
n Jo. 11. 14. & 15.
o Pſ. 68. 10.
Diviſio.

1. Pars. Si noſtros conformare velimus affectus conſiliis Dei, procul dubio praxes noſtræ diſcrepabunt ab iis, quibus incumbimus nunc, exercitiis: profectò enim magni faciemus id omne, quod Deus ſummi æſtimat, & reverebimur illud totũ, quod ipſe veneratur. Iſtud eſt ordinarium hominibus mundanis, viventibus juxta ſeculi maximas innocentiæ & ſanctitati Chriſtianæ ut plurimùm oppoſitas, & docetur in ſcholâ Aulicorum, ut Regũ affectui ſe accommodent in omnibus, ut illorum captare & ſibi devincire valeant amicitiam Magnatum: ut ament id omne, quod illi amore proſequuntur; & odio afficiuntur adversùs illa univerſa, à quibus ii abhorrent, ut ſuam fortunam magnificare contendant, rem familiarem augere ſatagant, aut ſaltem honores ſibi comparare conentur. Si unquam Deus aliquid venerari potuit, veneratus eſt templa. Si Filius ejus Jeſus Chriſtus zelo ductus eſt, zelum præ ſe præbuit ad tutandũ illorum honorem p. Si exaudire voluit ſupplicationes ſibi propoſitas, iis annuit in templis: nam cùm aſcendit *in templum publicanus*, *dicens*, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam* p. Si aliquo ductus eſt affectu, erga templa honorem præ ſe tulit, & aliquam ingrediens civitatem, primam viſitationem ſuam illis impendit, quaſi bonus Filius honorem Patris ſui domui exhibendo, ut ait D. Chryſoſtomus q, *Hoc erat proprium boni Filij, ut & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit eum* r, *ut tu imitator Chriſti factus, cùm in aliquam ingreſſus fueris civitatem, primùm ante omnem actum ad Eccleſiam curras. Hoc erat boni Medici, ut ingreſſus ad infirmam civitatem ſalvandam, primùm ad originem paſſionis intenderet. Nam ſicut de templo omne bonum egreditur: ſic & de templo omne malum procedit: ita ſi ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret; ſi autem corruptum fuerit, omnium fides marcida eſt. Nam verè quẽadmodum cùm videris arborem pallentibus folijs, marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cùm videris populum indiſciplinatum & irreligioſum, ſine dubio cognoſce, quia ſacerdotium ejus nõ eſt ſanum*. Viſitavit ergo primùm Dei Filius templum, *ut dicit Beda*, *ut ſacrificia offerret*, *& orationum vota perſolveret*, quem citat Dionyſius Carthuſianus s. Qui ait alibi t, confirmans hæc quæ dixerunt D. Chryſoſtomus & Beda, *Primò*, *Quia in his quæ Patris ſui erant, oportuit eum eſſe* u. *Secundò*, *Ut daret nobis exemplum primò intrandi in domum Dei, quærendi regnum* x, *honorem*, *& gloriam Creatoris*. Quia iſtud eſt primum officium, cui incumbere debent Chriſtiani, cùm ipſi Ethnici ſupernaturali lumine fidei deſtituti, & ſolâ rationis luce illuminati iſtud nos edoceant,

p Luc. 18 10. &c.
q D. Chryſoſt. hõ. 68. in Matth. c. 21. 12.
r ex Pſ. 2. 7.
s Dion. Carth. a. 9. in Jo. 2. 13.
t Idẽ a. 35 in Matth. 21. 12.
u ex Luc. 2. 49
x ex Matt. 6. 36.

Ab Iove principium.

Reverta-

Revertamur ad templa noſtra. Deus igitur nihil æquè amat ac illorum ſanctitatem: Jeſus Chriſtus Filius ejus nihil reveretur & honorat præter illa, & nullo ducitur zelo niſi ad eorum honorem tuendum, nec unquam agit niſi contra illorum profanatores. Grande infortunium, Auditores! *Abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele z Propheta, ſtantem in loco ſancto* a! ſi contemnatis id, quod Deus ita diligit, ſi profanetis criminibus veſtris illud, quod Deus ſuâ ſanctificat præſentiâ. Non eſt in hoc meum ſitum conſilium ut exprimam vobis omnes defectus, & omnes irreverentias quæ patrantur in iſtis locis ſacris, in quibus Deus habitat, ubi ſacra humanitas Jeſu Chriſti commoratur abſque ulla extenſione, ut ipſemet Jeſus Chriſtus teſtatur, *dicens, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* b. Super quod præ admiratione ait Dionyſius Carthuſianus c, *Et ecce res notabilis magna & ponderanda, omnique conſideratione digniſſima, atpote, ego vobiſcum, hoc eſt, cum vobis, & ſucceſſoribus veſtris, cunctiſque fidelibus, ſeu militantis Eccleſiâ omnibus diebus naturalibus, videlicet die & nocte, quandiu in hoc mundo verſamini tanquam viatores & peregrini ac exules, uſque ad conſummationem, hoc eſt finem ſeculi incluſivè. Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia per Sacramentalem præſentiam.* Iſtud autem innuit nobis, quòd in templis noſtris manere debemus quaſi ferè abſque corpore, & toti ſpiritu. Et tamen ubi *columnæ cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus* d, ibi commorantur homines inſolentes ſine ulla reverentia, illuc veniunt ducti à ſpiritu vanitatis, ut ibi videant, & videantur; ut ibi pravas ſibi concilient amicitias, aut propter aliquem alium perniciosiorem finem.

z ex Dan. 9. 27.
a Matth. 24. 15.
b Matth. 28. 18. & 20.
c Dion. Carth. a. 45. in Matth. 28. 20.
d Job. 26. 11.

Si tunc cùm *Chriſtus in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens* e, fundebat Sanguinem ſuum pro redemptione veſtra, non interfuiſſens Calvariæ, fuiſſetne vobis animus ridendi, jocandi, minùs autem inſumendarum veſtrarum virium ad crucifigendum eum? Heu! Quid? nonne hoc eſt idem corpus, & idem ſacrificium peractum in monte Calvariæ? Nunquid non hic ipſe eſt Chriſtus, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* f? Putatiſne quòd iſte non ſit idem qui pependit in cruce? Heu! Auditores, ubinam eſt ſana mens noſtra? In templa noſtra venimus ut miſerandi rei læſæ Majeſtatis Divinæ, ut ibi noſtrorum impetremus abſolutionem criminum: quomodo autem audemus ſurſum attollere impia noſtra capita? *Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus, propitius eſto mihi peccatori* g. Unuſquiſque noſtrûm *tetendit adverſùs Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt: cucurrit adverſùs eum erecto collo* h. Super quod D. Gregorius i dicit, *Contra Deum manum tendere, eſt in operatione prava, deſpectis Dei judiciis perſeverare. Et quia tunc magis iraſcitur Deus, quando permittit impleri quod ſaltem concipi in cogitatione non debuit, contra Omnipotentem iniquus iſte roboratur: quia proſperari in mala ſua actione permittitur, quatenus & perverſa faciat, & tamen feliciter vivat. De quo adhuc ſubditur: Cucurrit adverſùs eum erecto collo. Erecto collo contra Deum currere, eſt ea, quæ Creatori diſpliceat, cum*

e Hebr. 5. 7.
f Apoc. 1. 5.
g Luc. 18. 13.
h Job. 15. 25. & 26.
i D. Gre. lib. 12. Mor. c. 21. in Job. 15. 25. & 26.

audacia perpetrare. Nunquid non veremur ne Angeli de noſtra ultionem capeſſant inſolentiâ? Si aliquis læſæ Majeſtatis reus humanæ, appareret coram Rege ut ab eo criminis ſui abſolutionem impetraret, nunquid eum derideret? Quin imò quibuſnam lacrymis & ſupplicationibus ab eo indulgentiam ſui ſceleris non efflagitaret? Heu! quàm ſumus nos inſenſati. Nonne ſcimus nos offendiſſe Deum? Quid autem agimus, cùm in templa ſacra venimus? *Et in templo ejus omnes dicent gloriam. Audiant hæc Pſalmi verba, ac revereantur, qui longis ſermonibus ſeipſos immittunt,* ait D. Baſilius k. Qui ſtatim poſt ſubdit, *Quid dicit Pſalmus? In templo Dei exiſteas, non maledictionem, non vanitatem, non verba turpibus rebus referta profert, ſed in templo ipſius quiſque dicit gloriam. Aſtant enim qui verba deſcribunt ſancti Angeli, adeſt Dominus affectus ingredientium aſpiciens. Oratio uniuscujuſque manifeſta eſt Deo, quis ex affectu, quis peritè cœleſtia inquirit, quis defunctoriè ſummis labris verba loquitur, cor verò ipſius longè abeſt à Deo* l. *Et fieret ſanitatem carnis, & corporales divitias, gloriamque humanam petit. Oportet autem nihil horum petere. Sed in templo ipſius quiſque dicit gloriam.*

k D. Baſil. conc. 5. in Pſ. 28. 9.
l ex Matt. 15. 8. & ex Iſai. 29. 13.

Nihil eſt certius Eccleſiam eſſe Regnum Dei, & cœlum ejus, non autem *ſpeluncam latronum*, ut aliàs Judæis improperabat Chriſtus; cujus verbis concordans D. Chryſoſtomus m, ait, *Templum Dei ſpeluncam facit latronum, qui lucra terrena & illicita, non etiam ſpiritualia in animarum ſalutem ſectatur.* Judicate quamnam Deus exigat reverentiam ſibi exhibendam in cœlo & in palatio ſuo; & num auderetis vos irreverenter gerere in regia alicujus Principis temporalis, ut ab illo aliquem expoſceretis favorem. Eccleſia eſt prætorium, quod adimus ut ibi noſtram tueamur cauſam, ut ibi mitigemus Judicem juſtè iratum, ſed quànam reverentiâ in eam convenire debemus? Verùm enimverò revolvite mente, Auditores, univerſa objecta quæ veſtris intuenda exhibentur oculis in templis noſtris: quid ſunt autem illa niſi motiva reverentiæ & timoris? Quid videtur ibi præter tribunalia juſtitiæ, in quibus proſtrati ante pedes Vicariorum Chriſti, expectamus ut veri rei propitiam ſententiam abſolutionis à criminibus noſtris impendendam nobis ab iis, quibus dixit ipſemet Chriſtus in perſona Apoſtolorum, quorum ipſi ſunt ſucceſſores? *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* n. Quid frequentius ibi crucibus, & ſuppliciis, ut inflammentur animi noſtri ad imitandos tot generoſos milites, *qui per fidem, vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones* o? Aut, ſi mavultis, ut confuſionè operiantur puſillanimitates noſtræ & deliciæ? *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus* p. Quid crebrius peragitur in templis noſtris, niſi ut in illis repræſentetur diebus ſingulis myſterium adorandum noſtræ redemptionis, Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti q incruentum, *quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem* r? Quid videmus ibi niſi oſſa mortuorum, propinquorum, & familiarium noſtrorum clamantium? *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me* s. Quid innuitur ibi niſi ſepulchra & tumulos, ad deprimendum tumorem inſolentiarum

m D. Ch. Hom. 38 in Matth. 21. 13.
n Joan. 20. 23.
o Hebr. 11. 33. &c.
p 1. Petr. 2. 21.
q 1. Cor. 11. 24. &c.
r D. Chr. Hom. 50 ad Pop. Antioch.
s Job. 19. 21.

tiarum noſtrarum? Nunquid non aliquando cogitatis, Auditores, illo redigendas eſſe ambitiones veſtras, & aſſumendam vobis eſſe emendatiorem vitam, cùm intra exiguos dies omnis magnitudo veſtra in parvo concludenda ſit tumulo; & ambitio veſtra terminanda ſit ad parvam terræ molem? Sed iſtud eſt flocci pendendum; inde enim convertenda eſt cogitatio veſtra ad formidandum examen judicii Dei, *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum* t. Utquid autem mortales has non formant cogitationes, & iſtas non habent veritates cordibus ſuis intimè impreſſas? & certus ſum, quòd in Eccleſias præ tanta non venirent ſuperbia & vanitate.

t 2. Cor. 5. 10.

Poſtquàm *tulerunt Philiſthym Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon: cùm ſurrexiſſent diluculò Azotij alterâ die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum: rurſumque manè die altera conſurgentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen: porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. Propter hanc cauſam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus, ſuper limen Dagon in Azoto* u. Tanto ducebantur Azotii amore & tantâ reverentiâ erga Dagon deum ſuum, ut ne vel locum caſus illius auderent tangere. Quis pudor noſtram debet operire frontem? Auditores. Ha! iſti idololatræ tantam exhibent reverentiam locis dicatis Satanæ, & idolis: nos verò qui Chriſtiano ſumus inſigniti nomine, ſic probroſè profanamus templa vero Deo conſecrata, & ad obſequium ejus deſtinata. Turcæ in meſquitis ſuis incedunt diſcalceati, ordinatè: imò verò ipſi dæmones majorem exhibent templis reverentiam, quàm eis reddant Chriſtiani. Hæc igitur irreverentia noſtra attribuenda eſt defectui fidei, cùm templa noſtra ſint plus quam meſquitæ Turcarum & quàm templum Dagonis; & ut ſic majorem tenemur eis impendere reverentiam. *Confundimini & erubeſcite ſuper viis veſtris, domus Iſrael* x. Pudeat vos, Chriſtiani, irreverentiæ veſtræ. Eſtne honorare templa, ac in illis deambulare, non ſecus ac in foro? Eſtne revereri hæc loca ſacra, ac loqui in iis ſicut domi veſtræ? Deus unicum reſervat ſibi locũ: & illum ſubſannabitis in proprio ipſius domicilio? Inſolentia intoleranda! Si peragenda ſint negotia, ſi contrahendæ ſint amicitiæ vanæ, & fortè inhoneſtæ, & enarranda die unico quæcumque peracta fuerint in civitate totâ hebdomadâ, hæc omnia gerentur in templo, eò dabuntur aſſignationes, & forſan eo die, quo ſanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum palàm erit expoſitum. Sacrilegam irreverentiam, quæ nullo tolerari debet modo! In templis ſacro concuti tremore deberemus, ibi tantùm eſt orandum, & elevanda mens noſtra in Deum, cujus *domum decet ſanctitudo in longitudinem dierum* y. Stipendium templorum noſtrorum debet eſſe ſanctitas & ſanctitudo. Si autem ſcire vultis quænam ſit differentia inter iſtos duos terminos, audite Incognitum z, & dicet vobis, *Quia Clericis, qui in domo Eccleſiæ teſtimonia fidei reddere debent, non ſufficit, quòd ſint ſancti, ſicut & cæteros ſeculares eſſe decet. ſed amplius requiritur, juxta modum loquendi, quod ſint ſanctitudo. Sanctitudo enim plus importat, quàm ſanctitas: ſicut albedo pluſquam album: quia album eſt album ratione albedinis: non autem albedo propter album: ſic & ſanctitas eſt ratio, quâ aliquis dicitur ſanctus, & non è contrario. Clericos ergo, qui habitant in domo Domini, decet ſanctitudo: ſed ſeculares decet ſanctitas, quia Clerici debent eſſe cauſa ſanctitatis laicorum; & non è contrario, quòd laici ſint cauſa ſanctitatis Clericorum.*

u 1. Reg. 5. 2. &c.

x Ezech. 36. 32.

y Pſ. 92. 5

z Incog. in Pſ. 92. 5.

Ubinam es, vir eximie, venerande ſenex, antiquitatis honos Matathia? Utquid non reſurgis ad deplorandum infortunium Chriſtianorum hujus ſeculi, & ad lamentandum ſuper injurias, quæ noſtris irrogantur templis? Dicebas aliàs intuitus profanationem templi Jeroſolymitani. *Væ mihi, utquid natus ſum videre contritionem populi mei? Sancta in manu extraneorum facta ſunt: templum ejus ſicut homo ignobilis. Et ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt. Quò ergo nobis adhuc vivere* a? Ha! *obſecro Domine Deus magne, & terribilis* b, ut idem te accendat zelus, quo inflammatus es aliàs ad ejiciendos ſacrilegos *de templo* mercatores. *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt* c. Sed retracto me, & ideò enixè te exoro ut non effundas *iram tuam*, ſed ut eam ſpargas. *Aliud eſt enim, Deo iram ſuam ſpargere, aliud effundere*, Auditores, ait Incognitus d. Qui ſubdit, *Quoniam de illo, quod ſpargitur, pars retinetur, & non totum emittitur; quod autem effunditur, totum emittitur. Et ſic ſpargit iram ſuam Deus, quando ut iratus peccata punit, ut corrigat; ſed ipſam effundit quando ut iratus peccata punit ut damnet. Iram Dei ſpargi non effundi, notat Pſalmus* e, *dicens, Quoniam ira in indignatione ejus; & vita in voluntate ejus.* Effice igitur Deus meus ut hujuſmodi profanatores ſacrilegi experiantur in hoc mundo effectus juſtæ iræ tuæ; id eſt, ſcelera illorum condignis plecte ſuppliciis, ut in bonam emendatæ vitæ ſe recipiant frugem, & deinceps tuis templis debitam exhibeant reverentiam.

a 1. Mach. 2. 7. &c.

b Dan. 9. 4.

c Pſ. 78. 1. & 6.

d Incog. in Pſ. 92. 6

e Pſ. 29. 6

Res inaudita, quòd Judæi noſtram improperent nobis inſolentiam ſuo procedendi modo, & oſtendant nobis irreverentiam, quâ erga templa noſtra afficimur! Ecce zelus illorum relatus ab Hiſtoricis. Cùm miſiſſet Imperator Caligula Præſidi Syriæ, ut ſtatuam ſuam in templo ſatageret collocandam præ hac inſcriptione, *Novi Jovis illuſtris Caij*, omnes turmatim congregati, viri & mulieres, nobiles & ignobiles, magni & parvi, pueri & puellæ convenerunt Præſidem, & coram eo proſtrati præ lacrymis immodicis, omnes ſuas obtulerunt ei divitias præ hac conditione, quòd nihil eſſet innovaturus in templo ipſorum: ſi autem illam vellet acceptare conditionem, proteſtati ſunt ei, ſe paratos fuiſſe omnes ad ſubeundam internecionem, antequàm illam paterentur novitatem. Nunquid non pudere debet nos, Auditores, qui non ſtatuam marmoream, aut metallicam, ſed idolum vitiorum collocamus in templo? Si autem iſta non ſufficiant ad edocenda vos ea quæ decent, diſcite exceſſum criminum veſtrorum è rigoribus indignationis Dei.

Inter

Inter eximias Meſſiæ qualitates, qualitas manſueti mihi maximè placet; & hæc eſt, quam ipſe ſibi attribuit ſpeciatim; nullâ habitâ ratione tot aliarum, quibus inſignitur à Prophetis, ut cùm dicitur *nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis* f, ſumit pro ſtemmate ſuavitatem & manſuetudinem, *Mitis ſum* g. Et, *Ego quaſi agnus manſuetus* h. Ideò inſtanter exorabat Iſaias i, *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Nec tanto unquam affectu ductus eſt Dei Filius erga aliquid, quanto erga mititatem. Propterea de illo dixerat idem Iſaias k, *Butyrum & mel comedet*, cibum conformem ſuavi naturæ ipſius. Quaſi verò nihil haberet ſibi magis oppoſitum, quàm amaritudinem, poſtquàm *miſit nuntios ante conſpectum ſuum, & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi: & non receperunt eum; quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem: vidiſſent autem diſcipuli ejus Jacobus & Joannes*, & dixiſſent ipſi, *Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? conversus increpavit illos, dicens, Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare* l. Scitote autem me nihil æquè amare ac ſuavitatem & manſuetudinem.

f Iſai. 9. 6. g Matth. 11. 29. h Jer. 11. 19. i Iſai. 16. 1. k Iſai. 7. 15. l Luc. 9. 52, &c.

Manſuetiſſimus omnium fuit Chriſtus hominum, unde fit ut nomine ſolemni vocatus fuerit *Agnus Dei* m; & ſub eadem agni figura repræſentatus fuerit in Eccleſia primitiva, ut patet in baptiſterio Conſtantini, in quo ſtatua agni aurea effundebat aquam Baptiſmi ſuper baptizandorum capita. Medias inter tolerantias ſuas nullam unquam præ ſe tulit iræ aut impatientiæ ſcintillam, ſed ſemper tranquillus fuit & pacificus eò uſque ut præ admirabili manſuetudine reſponderit miniſtro, qui ſibi impegerat *alapam, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis* †? Si verò videretis, Auditores, aliquem agnum manſuetum valdè iratum, confeſtim judicaretis ex rigore iſto extraordinario, magnam iraſcendi ſubminiſtratam fuiſſe illi anſam. Cùm autem intueamini hodiernâ die Dei Filium, qui eſt *Agnus manſuetus* n, mutari præ ira in leonem rugientem, nonne judicare debetis, immodicam capeſſendæ iræ præbitam illi eſſe occaſionem? Hæc autem non eſt alia niſi templorum profanatio, quæ veluti naturam ipſius mutans, manum ipſius armat flagello ut probroſè ſacrilegos mercatores ejiciat *de templo*. Res profectò ingenti admiratione digna videre, quòd Chriſtus ſolus tot mercatores proſtraverit. D. Hieronymus o dicit de Chriſto ſuper hæc verba S. Matthæi, *Ejiciebat omnes vendentes & ementes. Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quòd unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra deſtrui ſua, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem.* Et ſtatim pòſt ſubdit iſtius rationem: *Igneum enim quiddam atque ſidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majeſtas lucebat in facie ejus.* Et hoc eſt quod Judæis illis ſacrilegis eripiebat animum & audaciam opponendi ſe Divinis voluntatibus ejus.

m Joan. 1. 29. † Joan. 18. 22. & 23. n Jer. 11. 19. o S. Hier. lib. 3. in Matth. 21. 12.

Poterat quidem Chriſtus, ſi voluiſſet, illos unico ictu oculi fugare; ſed voluit illos flagello excipere, ut oſtenderet, addenda eſſe ſupplicia minis, cùm iſtæ non ſufficiunt ad impediendas irreverentias quæ patrantur in templis, & procedendum *à verbis ad verbera*, ut vulgò dicitur, cùm ſic expedierit. Multa alia gravia ſcelera patrabantur in Judæa, de quibus nullam unquam retulit Jeſus ultionem: ſed cùm ageretur de profanando templo, ſtatim armat ſe zelo, & juſtâ accenditur irâ contra delinquentes, volens illinc oſtendere, quantùm ſibi diſpliceret videre templum ad profana & ſacrilega commercia inſumptum. *Et quid miramur, ſi nunc nondum capiendus & occidendus, ejecit omnes flagello, qui poſtmodùm mox capiendus & crucifigendus, ſolo verbo univerſam cohortem armatam, & miniſtros furentes ac gladiis cinctos proſtravit in terram* p, ait Dionyſius Carthuſianus q, inſumens virtutem ſuam Divinam ad percellendos terrore ſacrilegorum iſtorum mercatorum animos, quandiu eos flagello excipiebat?

p ex Jo. 18. 6. q Dion. Carth. a. 7. in Jo. 2. 16.

Ut autem meliùs cognoſcatis, quantùm peccata, quæ committuntur in templis, diſpliceant Deo, & quantùm exacerbent manſuetudinem ejus: memento promiſſionum, quibus ſe obſtrinxit, ſe nihil unquam denegaturum eorum quæ à ſupplicantibus ſibi proponerentur in locis iſtis ſacris, & nullam fore ponendam differentiam inter conſequi & efflagitare, cùm impetrare non eſſet conſtiturum majori quàm expoſcere, *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus qui in loco iſto oraverit* r. Sed quoad iſtud crimen, ipſe nullas habet aures, prorſus eſt ipſe inexorabilis, imò verò prohibet ne ſibi offerantur preces in gratiam hujuſmodi ſacrilegorum, quibus nullam impendere vult veniam, ſed graves de eis ſumere pœnas, & irreverentias eorum exquiſitis multare ſuppliciis, cùm nullâ ſint digni miſericordiâ, ſed omnia iracundiæ Divinæ flagella meruerint, *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem, & orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me* s, ait Deus Jeremiæ. Sed Domine, ubi eſt bonitas tua ordinaria? Es ne contrarius tibimetipſi? *Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Quæ ratio movit eum, quem *in charitate perpetua dilexi* t, & quem tot cumulavi gratiis & beneficiis, ut veniat me offenſum apud me? *Dilectus meus.* Nunquid eum collocavi in templo meo, & nutrivi illum manu paternâ ab incunabulis, ut injurioſus eſſet honori meo, & meorum gloriam inquinaret altarium praxibus ſuis criminoſis & damnabilibus? Nunquid iſtis vacans infamibus exercitiis telam ſibi non orditur damnationis æternæ? *Dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Si Turca, ſi infidelis, ſi idololatra in templo meo facinora perpetraret, patienter agerem; ſed quòd Chriſtianus *ex aqua & Spiritu ſancto* u renatus in Baptiſmo, ſancti ejuſdem Spiritus mei gratiis ſanctificatus, qui inviolatam juravit mihi fidelitatem, qui ſub meis militat vexillis, qui Regnum expectat æternum à liberalitate mea, ſi præceptis meis exactum gerat morem, qui emptus eſt *pretio magno* x, id eſt, quem dilexi, & lavi *à peccatis in Sanguine* y meo, has perpetret inſolentias, ſanè non poſſum illud perpeti. Si ſupinar aduſſet, ſi in plateis crimina commiſiſſet, ſi in agro peccatum aliquod perpetraſſet, ſi alibi deliquiſſet, non ita iraſcerer: ſed quòd *in domo mea* mihi bellum indicat, iſtud eſt quod ſuſtinere nullo modo valeo. Quòd accidat aliqua inadvertentia in Eccleſia, aliqua diſtractio mentis involuntaria, iſtos

r 2. Paral. 7. 15. s Jer. 11. 14. & 15. t Jer. 31. 3. u Joan. 3. 5. x 1. Cor. 6. 20. y Apoc. 1. 5.

defe-

defectus non fero moleſtè: ſed quòd ſibi committat *dilectus meus ſcelera multa*, murmurationes, detractiones, aſpectus impudicos, riſus immoderatos, verba proferat obſcœna, crimina perpetret enormia & innumera, iſta nunquam libenti perpetiar animo, *Zelus domus tuæ comedit me* z. Super quod Incognitus a, *Hunc Christi zelum domus Domini prævidens Pſalmiſta in perſona Christi, dicit Patri. Quoniam zelus domus tuæ comedit me. Sic ergo hæc prophetia verificata fuit in Chriſto, quando Chriſtus invenit in templo vendentes oves, & boves, & nummularios ſedentes, quos omnes facto flagello ejecit, dicens, Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.*

z Pſ. 68. 10.
a Incog. in Pſ. 68. 10.

Irreverentiis noſtris mediantibus injuriam irrogamus Deo, profanando ſanctam domum ejus; officimus proximo noſtro, quia notabile ei damnum inferimus. Quàm immodicum eſt ergo crimen noſtrum! Dicite enim mihi, ſi placet, Auditores: Nunquid non ille ingentem & exemplarem mereretur punitionem, qui veneno inficeret fontem, cujus aquas haurit univerſus populus? Quænam autem crimina, & quam enormia committunt ſacrilegia illi qui ſancta profanant templa, & noſtras violant Eccleſias, de quibus gratiæ *aquas in gaudio* veluti *de fontibus Salvatoris* b hauriunt fideles univerſi? Non eſt igitur hodiernâ die mirabile viſu Dei Filium iratum ad tuendum locorum iſtorum honorem, cùm noſtrorum gravitas criminum exacerbet manſuetudinem ejus. Aſſuerus aliàs *reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo jacebat Eſther, & ait, Etiam Reginam vult opprimere me præſente in domo mea. Dixitque unus de eunuchis, En lignum quod paraverat Mardochæo, qui locutus eſt pro Rege, ſtat in domo Aman. Cui dixit Rex, Appendite eum in eo* c. Non latet vos, quòd Eccleſia ſit Regina, & Sponſa Chriſti: illi eam opprimunt, & honori ejus injuriam irrogant, qui in ea irreverentias committunt. Ha quanta impudentia, ut audeat quis offendere Deum in proprio templo ſuo! Eccleſia eſt *domus orationis: vos autem feciſtis illam, ſpeluncam latronum* d. Ipſa eſt locus ſanctitatis, & fit locus profanationis. Miramini ne igitur ſi Salvator armet ſe zelo, & faciat *quaſi flagellum de funiculis*, quo profanatores illius excipiat? Juſta eſt ira illius, crimina noſtra patientiam ejus exacerbant, & noſtræ opifices ſumus nos infelicitatis.

b Iſai. 12. 3.
c Eſth. 7. 8. & 9.
d Matth. 21. 13. ex Jer. 7. 11.

Si autem velitis mitigare juſtam iracundiam ejus, & experiri effectus ordinarios manſuetudinis illius, adhærete conſilio meo, audite vocem Domini veſtri, qui dicit vobis ore meo, *Auferte iſta hinc.* Id eſt, intrantes in Eccleſias, procul à vobis amandate omnia motiva diſtractionum, relinquite præ foribus earum omnes cogitationes tractandorum negotiorum veſtrorum, ut peragebat D. Bernardus: foras ejicite id omne, quod veſtra profanare poteſt corda, omnes iſtas ineptias, cunctas iſtas vanitates. *Auferte iſta hinc*, has univerſas irreverentias conſuetas, & manete in iis præ reverentia locis hujuſmodi ſacris debitâ æquè ac Domino noſtro qui in illis corporaliter reſidet ſtipatus totâ Curiâ cœleſti, quæ adorat eum ſuper altaribus noſtris tanquam ſuper throno gloriæ reſidentem. Imitamini Jeſum Chriſtum in modo orationis ipſius, dum *procidit in faciem ſuam* e. Proſternite vos in terram præ humiliatione: & *auferte iſta hinc*, animorum has inſolentias, has pravas intentiones; uno verbo id omne, quod poteſt Deo diſplicere, ita ut nihil ſit ampliùs in vobis niſi puritas, & ſanctitas, quia Dei *domum decet ſanctitudo in longitudinem dierum* f. Si verò Dei Filius in illis honorat Patrem ſuum, honoremus nos etiam illum ibi, noſtras exhibeamus ei illic reverentias, ne nobis improperet jure merito, *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me* g. *Id eſt, verbo & opere, in omnibus exhibeo honorem, cultum, & obedientiam Deo Patri, ſecundùm quòd homo ſum: ex quo patet ſanctitas vitæ meæ, & quòd vitia damno, homineſque ad Deum converto, ut eum in omnibus toto corde diligant ac honorent, & vos inhonoraſtis me, id eſt, contempſiſtis* h.

e Matth. 26. 39.
f Pſ. 92. 5.
g Joan. 8. 49.
h Dion. Carth. a. 29. in Jo. 8. 49.

Deus meus, Salvator meus, id tibi proteſtor, & tibi polliceor in nomine totius populi iſtius, quòd impoſterùm ardere volumus eodem zelo, quo comedebaris ad tuendum honorem *domus* Patris tui: & cùm te noſtrum propoſueris nobis prototypon imitandum, tuis inhærere concupiſcimus veſtigiis; imitatio tuî erit maxima noſtra perfectio. Nobis igitur nunquam continget ut Divinam tuam offendamus Majeſtatem, etiamſi innumeræ nobis eſſent amittendæ vitæ, præſertim verò in templis tuis; noſtras libenter erogabimus eleemoſynas ad eorum reparationem, *zelus domus tuæ* comedet nos ſemper, nec ullo majori æſtuabimus deſiderio, quàm ut in illis famulemur tibi præ omni reverentia poſſibili, ut poſtquàm ibi tibi ſerviverimus mediâ gratiâ tuâ, magnificare te poſſimus aliquando *in templo ſancto gloriæ tuæ* i.

i Dan. 3. 53.

FERIA III. POST DOMIN. IV. QUADRAGESIMÆ.

Quid me quæritis interficere? &c. Ioan. 7. 20. &c.

NOſtrarum Salvator animarum intuitus admirationem Scribarum & Phariſæorum propter hoc quòd ipſe præ tanta prædicaret eloquentia & fœcunditate in templo, eò vel maximè quòd nunquam addiſcendis incubuiſſet literis in Academiis, & diceret inter alia præclara, *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*: Quòd ipſe non loqueretur a ſemetipſo, cùm *qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam* quærat, ipſe verò ſoli gloriæ vacaret promovendæ illius, à quo ipſe miſſus eſſet; & ſic nihil poſſet annunciare à veritate diſſonum, & quòd ſibi irrogaretur maxima injuria, ſi inquireretur ipſe alicujus injuſtitiæ: ipſemet *Dominus ſcrutans cor, & probans renes* a, detegens pravum eorum conſilium inferendæ ſibi necis, ait illis, *Quid me quæritis interficere?* Cogitatio veſtra moliendi mihi interitus, non eſt rectæ rationi conſona, ut mortem mihi velitis inferre, qui *veni ut vitam* b habeatis

a Jer. 17. 10.
b Joan. 10. 10.

per

gratiam meam, quâ replevi Matrem meam, cùm *Angelus ad eam dixit, Ave c Maria.*

c Luc. 1, 28.

Admiranda æque ac myſterioſa fuit illa viſio, quâ vidit Ezechiel d currum inuſitatum tractum à quatuor animalibus, in quibus erat *facies hominis, & facies leonis; facies bovis, & facies aquilæ.* Diverſimodè hæc quatuor animalia Patres explicant. D. Ambroſius e ait, quòd illa nobis repræſentant quatuor virtutes Cardinales, leo fortitudinem, bos juſtitiam, aquila temperantiam, & homo prudentiam. Alii dicunt, quòd ea nobis figurant quatuor affectus aut vires animæ, homo partem rationalem, ut explicat idem D. Ambroſius f, leo partem iraſcibilem, bos concupiſcibilem, & aquila conſcientiam. Alii aſſerunt, quod homo figuret Incarnationem, bos Paſſionem, leo Reſurrectionem, & aquila Aſcenſionem Filii Dei. Communiſſima omnium ſententia, & ea, cui pars maxima Doctorum concordat, (& quam ſequitur D. Auguſtinus g, dicens, *In quatuor Evangeliis, vel potiùs quatuor libris unius Evangelii ſanctus Ioannes Apoſtolus, non immeritò ſecundùm intelligentiam ſpiritalem aquilæ comparatus, altiùs multòque ſublimiùs aliis tribus erexit prædicationem ſuam, & in ejus erectione etiam corda noſtra erigi voluit*) eſt, quòd hæc quatuor animalia repræſentent nobis quatuor Evangeliſtas, homo D. Matthæum, leo D. Marcum, bos D. Lucam, & aquila D. Joannem. Et obſervat idem D. Auguſtinus h, tria prædicta animalia figurantia D. Matthæum, D. Marcum, & D. Lucam, eſſe terreſtria, dicens, *Nam cæteri tres Evangeliſtæ, tanquam cum homine Domino in terra ambulabant, de Divinitate ejus pauca dixerunt: iſtum autem quaſi piguerit in terra ambulare, ſicut ipſo exordio ſui ſermonis intonuit, erexit ſe, non ſolùm ſuper terram, & ſuper omnem ambitum aeris & cæli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque conſtitutionem inviſibilium poteſtatum, & pervênit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicendo, In principio erat Verbum* i, &c.

d Ezech. 1. 1. &c.
e D. Am. lib. 1. de Virgin.
f Idem Ibid.
g D. Aug tract. 36. in Joan.
h Idem Ibid.
i Ioan. 1. 1. &c.

Sed id quod debet eſſe baſis & fundamentum diſcurſus iſtius, eſt, quòd idem D. Joannes k obſervavit ſpecialiter, quòd erant hæc eadem *in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis antè & retrò, in circuitu & intùs.* Hanc explicaturi figuram Aliqui dicunt, quòd oculi anteriores repræſentant donum prophetiæ: ſicut enim oculis videmus res à longè; ſic dono prophetiæ prævidere poteſt homo res longo tempore antequàm adveniant: & quòd oculi interiores figurant nobis fidem, quâ credimus & apprehendimus myſteria ſacra, nedum ea videamus. Alii aſſerunt, quòd oculi interiores ſignificant conſiderationem cogitationum hominum; & quòd oculi exteriores denotent earundem cogitationum diſcretionem, cognitionem, & judicium, ut ſciatur utrùm illæ à Deo ſint, aut à diabolo. Alii contendunt, quòd oculis anterioribus figuretur nobis vetus Teſtamentum; oculis verò poſterioribus denotetur nobis novum Fœdus. Alii opinati ſunt, quòd oculi poſteriores ſignificarent nobis notitiam mali, ad illud fugiendum; anteriores verò cognitionem boni, ad illud proſequendum enixè & amplectendum. Alii dixerunt, quòd oculi poſteriores innuunt nobis culpas noſtras præteritas, & peccata quæ commiſimus, & quæ deteſtari debemus; & oculi anteriores firmum conſilium in meliorem emendationis vitæ frugem nos recipiendi, & non ampliùs offendendi Dei. Alii exiſtimant, quòd oculi interiores docent nos, quòd anima debet conſiderare in ſemetipſa bonitatē Dei; & oculi exteriores, quòd eadem anima incumbere debet ſeriæ conſiderationi effectuū ejuſdē Divinæ Bonitatis. Alii ſenſerunt, quòd oculi interiores oſtendunt, quòd anima Chriſtiana debet in ſemetipſa meditationem peragere ſacrā theſaurorū paradiſi, & mercedis Juſtis impendendæ in gloria cœleſti ad coronanda eorum merita æquè ac bona opera; oculi verò exteriores faſtidium omnium terræ magnitudinum, ut ad hanc æternam aſpiretur beatitudinem. Alii autumaverunt, quòd oculi poſteriores figurârent, quòd homo ſemper cogitare debeat, unde venerit, unde ſuā trahat originē, nimirū è centro nihili, quid ſit, & quænam ſit ipſius ſubſtantia, nempe *pulvis, & in pulverē* l quòd ſit ipſe reverſurus; & quòd oculi anteriores ipſi innuerent, quòd ipſe debet perpendere finem, propter quem creatus eſt, quò tendat, utpotà in cœlum, & interim *in adoptionem filiorum* m. Omnes iſtæ rationes ſunt ſpecioſæ, hæ cogitationes univerſæ ſunt myſterioſæ. Dicam tamen nihil eſſe, quod nobis meliùs repræſentet notitiam Dei, quàm hæc *quatuor animalia plena oculis antè & retrò, in circuitu & intùs.* Nam *oculus antè* magnæ ſuæ prævidentiæ intuetur res futuras. *Oculus retrò,* videt res præteritas. *Oculus in circuitu & intùs,* aſpicit id omne, quod peragimus intùs & foris, imò & minutiſſimas, quas in corde formamus, cogitationes. Evangelium noſtrum veritatis iſtius authenticum nobis præbet teſtimonium: intuitus enim Chriſtus prava conſilia interna Scribarum & Phariſæorum ruinam ipſius machinantium, ait illis, *Quid me quæritis interficere?* Verùm enim verò aſſerit Zacharias n, Deum eſſe oculum, qui ſecretas & intimas pervadat hominis uſque cogitatiōnes, *Domini eſt oculus hominis.* Ideò intendo vobis monſtrare Primò notitiam, quam Deus habet omnium rerum, imò ſecretiſſimarum cogitationum omnium hominum. Secundò, Quòd cogitationes iſtæ non ſint bonæ, neque malæ, niſi quatenus formantur in corde.

k Apoc. 4. 6. & 8.
l Gen. 3. 19.
m Eph. 1. 5.
n Zach. 9. 1.
Diviſio.

Antiqui Ægyptii repræſentaturi nobis naturam Dei eo modo quo repræſentari poteſt nobis, pingebant oculum in medio centri circumquaque aſpicientem circumferentiam ſuam; volentes hoc mirabili ſymbolo nobis ſignificare, quòd ſicut in iſta circumferentia nihil eſt quod poſſit abſcondi huic oculo, qui eſt in medio centri; ita nihil eſt in mundo quod non videatur à Deo, qui intuetur omnia æqualiter, ſicut centrum æqualiter aſpicit univerſa quæ ſunt in ipſius circumferentia. Et Imperator Adrianus hieroglyphicas præbere volens nobis mirabilis iſtius viſûs Dei figuras, appendendas præcepit Romæ in templo Jovis quatuor facies animalium diverſimodè diſpoſitas: illarum enim una intuebatur Orientem, alia Occidentem, hæc Meridiem, & illa Septentrionem, quaſi innuens, quòd nihil ſit in mundo, aut in aliqua illius parte, quod non aſpiciatur à Deo. Auguſtus autem Cæſar ante Adrianum, repræſentaverat Deum per quatuor animalia, ſed aliter diſpoſita quàm eſſent deinde diſpoſitæ facies animalium, quas idem Adrianus fecit collocandas in templo Jovis: horum enim animalium unum aſpiciebat ſurſum, alterū deorſum, iſtud ad unum

I. Pars.

latus illud verò ad alterum, quaſi dixiſſet Auguſtus Cæſar, nihil eſſe in cœlo, & in terra, imò verò in inferis, quod effugere poſſit oculos Dei. Iſtud eſt quod ait D. Paulus o, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.* [o Heb. 4. 13.] Quibus verbis ultimis, *Omnia autem nuda,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus p, *Id eſt, intimè certa & ſine velamine patula: & aperta ſunt oculis ejus, id eſt, menti ejus Divinæ, imò & animæ Chriſti omnia creata ſunt cognita.* [p Dion. Carth. a. 4. in Heb. 4. 13.] Ideò ſcriptum eſt q, *Oculi Domini multò plùs lucidiores ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum. Domino enim Deo antequàm crearentur, omnia ſunt cognita.* [q ex Eccl. 23. 28.]

Hanc clarè D. Matthæus r manifeſtat nobis veritatem, loquens de Filio Dei, qui prava Iudæorū vidit cogitata, *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jeſus fidem illorum, dixit Paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe, Hic blaſphemat. Et cùm vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit, Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* [r Math. 9. 2. &c.] In hoc Dei Filius Divinitatis ſuæ teſtimoniū evidens dat Scribis, dum intima cogitationum illorum ſecreta ſcrutatus eſt. Niſi enim fuiſſet Deus, tenebatur ſatisfacere propoſitioni Scribarum & Phariſæorum; ſed corripiens eos pravarum cogitationum ipſorum, ſuam manifeſtavit eis Divinitatem, cui ſoli convenit legere & cognoſcere ea quæ cogitat anima, *Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor* s. [s 1. Reg. 16. 7.] Ideò Theologi dicunt, quòd ſcientia & cognitio omnium rerum pertinet ad Deum; hæc autem ſcientia & notitia manifeſtat illius Divinitatem, cùm dicamus, quòd eſſe quod eſt perfectiſſimum, perfectiſſimam habet cognitionem: fatendum eſt igitur quòd cùm Deus ſit abſolutiſſimè *perfectus* t, notitiam habet quarumlibet rerum etiam abſconditiſſimarum. [t Math. 5. 48.] Illud facilè colligitur in ordine creaturarum animatarum: plantæ enim nullā habent cognitionem, quia ipſæ ſunt materiales & terreſtres. Animalia, quæ habent ſenſus corporales diſpoſitos ad recipiendas ſpecies, habent cognitione ſenſibilem, & non rationalem. Homo habens eſſe perfectius, & ſpirituale, quod eſt anima rationalis, recipit ſpecies, & conſequenter habet notitiam rationalē, tamen limitatā & determinatam. Sed Deus cùm ſit Ens puriſſimum, ſimpliciſſimum, perfectiſſimum, & ſpiritualiſſimum, *Spiritus eſt Deus* u, *id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata, honoratiſſimus intellectus,* [u Joan. 4. 24.] ait Dionyſius Carthuſianus x, cognitionem habet puriſſimam, ſimpliciſſimam, perfectiſſimam, & ſpiritualiſſimam. [x Dion. Carth. a. 11. in Jo. 4. 24.] Quo ſuppoſito, Dico, Deum non ſolùm cognoſcere præterita, præſentia, futura, & poſſibilia, ſed etiam ſecretiſſimas omnium hominum cogitationes. Deus ſcientiā ſuâ, quæ *non habet finem* y, cognoſcit omnia quæ ſunt in creaturis, & omne, quod illæ poſſunt dicere, facere, aut cogitare. [y Baruch 3. 25.] Univerſa cognoſcit Deus, quia ſemetipſum cognoſcit z. [z Pſ. 2. 7.] Cognitio quam habet ſuîipſius, efficit ut omnia cognoſcat, & quicquid illis accidere poſſit. Illa cognoſcit, quia eſt æternus, *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequàm fiant* a. [a Dan. 13. 42.] Scientia illius eſt æterna, nec menſuratur tempore, ita ut id omne quod fuit, eſt, & futurum eſt, Divinæ illius ſubjaceat præſcientiæ. Iſtud autem oſtendit differentiam quæ admittitur inter cognitionem noſtram & cognitionem Dei. Nos enim cognoſcimus res ſucceſſivè alias poſt alias, propter infirmitatem mentium noſtrararum, & quia noſtra cognitio eſt limitata & determinata ad objectum ſuum: Deus autem cognoſcit omnia unico inſtanti, quia cognitio ejus eſt infinita, & univerſa illa videt ut præſentia. Non ſolùm autem cognoſcit Deus ea quæ ſunt realiter, verùm etiam illa quæ poſſunt eſſe, etianſi nunquam fuerint, ſed præ hac differentia, quòd cognoſcat ea quæ ſunt, quæ fuerunt, aut erunt, ſcientiâ ſuâ, quæ à Theologis vocatur ſcientia viſionis; cognoſcat autem illa quæ nunquam fuerunt, nec ſunt, nec erunt, ſcientiâ ſuâ, quæ ab iiſdem Theologis appellatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Non eſt igitur mirandùm, ſi *Jeſus,* qui ſuprà probavit *ſe Deum verum eſſe, aperiendo ſecreta cordis Scribarum, & paralyticum ſolo imperio, propriâ virtute & authoritate curando, quorum utrumque eſt Deo proprium: quid enim novit quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis* b: [b ex 1. Cor. 2. 11.] *& cùm vidiſſet oculo intellectuali Jeſus cogitationes illorum Scribarum, quas tunc videre non cœpit, ſed à principio creationis animæ ſuæ eas cognovit, ſicut & cætera futura: ſed nunc oſtendit ſe eas vidiſſe, ut ſit ſenſus, cùm vidiſſet, id eſt, vidiſſe ſe oſtendere vellet Jeſus cogitatus illorum perverſos,* ait Dionyſius Carthuſianus c: [c Dion. Carth. a. 18. in Mat. 9. 4. olde 12. 19. 20. Jo. 7. 20.] hodie dicit iiſdem Scribis, *Quid me quæritis interficere? Hoc Chriſtus dixit, ut oſtenderet ſe illorum machinationes cognoſcere,* ſubdit idem Carthuſianus d.

Ut autem meliùs cognoſcatis, quòd Deus omnia videat, conſideranda eſt ſola ethimologia nominis ejus. Théos enim Græcè idem eſt ac Omnia videns; aut ſecundùm Alios nomen iſtud Théos venit âpo toù theaſtâi, quod non ſonat aliud niſi ſcire, noſcere, contemplari. Idcircò Ægyptii appellabant Deum oculum mundi, ut oſtenderent nihil eſſe in mundo, quod ipſe non videret. Imò verò audeo dicere, quòd Deus ſit totus oculus, totus manus, & totus pes, ut noſtro loquar modo, quia omnes res intuetur à maxima uſque ad minimam, omnes res agit, & ubique invenitur, quippe qui *cœlum & terram* e implet. [e Jer. 23. 24.] Ille autem Ethnicus appositè locutus eſt, dum differens quomodo oculi Dei ſint ita univerſales ut videant & contemplentur omnia, dixit, *Cuncta videt oculus Iovis.* Quaſi diceret, quòd oculi Dei indifferenter intuentur omnia, à ſtella ſpecioſiſſima, quæ fulget in firmamento, ad viliſſimum uſque vermem ſuper terram repentem, cùm re vera nihil ſit quod Divinas illius prætetire poſſit cognitiones.

Non ſolùm cognoſcit Deus cogitationes noſtras; ſed præſens eſt ei id omne etiam, quod peregimus à nativitate noſtra, id eſt, cognoſcit id omne quod commiſimus, aut deliquimus à tempore quo viget in nobis uſus rationis, & diſcretionis boni à malo, contra Legem ipſius Divinam; omnia pervadit, & in intimo corde noſtro ſuum collocavit domicilium, ut univerſa, quæ in eo peraguntur, ſcrutetur: *Vivus eſt enim Sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionū cordis* f. [f Hebr. 4. 12.] Quod ad propoſitū noſtrum ſic apprimè explicat Dionyſius Carth. g. *Non* [g Dion. Carth. a. 4. in Heb. 4. 12.]

enim

enim poteſt gladium tam intimè corporis imprimi, quàm intimè Filius Dei illabitur omnibus rerum eſſentiis. Cùm namque ſit verus Deus, omnia penetrat, implet, & continet, eſtque intimior omni rei quàm ipſa, aut pars ejus ſibi: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, id eſt, tam intimus homini, ut inter ſenſualitatem & rationem diſcernat. Vel per animam & ſpiritum eadem hominis forma ſignatur, quæ dicitur anima, quantùm ad vires ſenſitivas: & ſpiritus, quantùm ad vires intellectivas. Tanta eſt autem perſpicacitas Verbi Dei, ut diſtinguat animam ſecundùm partem ſenſitivam à ſeipſa ſecundùm partem intellectivam: compagum quoque & medullarum, id eſt, ſubtiliſſima quæque corporis interiora perſpicit & diſtinguit. Compages autem ſunt juncturæ corporis nervis colligatæ. Medullæ verò intra oſſa incluſæ ſunt. Et hic Sermo, Verbum, ſeu Filius Dei eſt diſcretor, id eſt, dijudicator & cognitor cogitationum, non ſolùm earum, quæ ſunt in virtute cognitiva organica, ſed & earum quæ ſunt in potentia intellectiva inorganica. Et intentionum cordis, id eſt, ordinationum finalium. Deus quippe non ſolùm inſpicit cogitationes, ſed cernit ad quem finem qualibet cogitatio ordinetur à cogitante. Unde Job h dicit, *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.* Eodem modo iſtum explicant locum D. Anſelmus, & D. Gregorius. *In eo quod ait, quia eſt pertingens uſque ad diviſionum compagam quoque & medullarum, intelligi poteſt compages dixiſſe conjunctiones cogitationum, medullas verò intentiones earum. Per compages quippe oſſibus oſſa junguntur. Et ſæpè dum aliquid rectâ cogitatione agimus, ſed ſubitò in laudis amorem declinamus, atque hoc pro laude facimus, quod prius facere pro veritate cœperamus, quia cogitationes cogitationibus adjunguntur, quaſi quædam in ſpiritu compages ſunt. Sed habent oſſa, quæ in compagibus juncta ſunt, & medullas, id eſt, ſubtiles intentiones. Quod Apoſtolus apertiùs intulit, dicens, Diſcretor cogitationum & intentionum cordis,* ait D. Anſelmus l. Et D. Gregorius k dicit, *Compages enim noſtræ, cogitationes ſunt: medullæ autem intentiones.* Quia ſcilicet notæ ſunt hominum cogitationes Filio Dei, *Quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* l. Oculi ejus ſunt ita perſpicaces ut intimos ipſos pervadent muros ſolidiſſimos; cognitione videt ipſe infallibili omnia quæ facimus, dicimus, & cogitamus. Ut autē omnia uno dicatur verbo, Nihil eſt quod ipſum latēre poſſit.

h Job. 42. 2.
i D. Anſ. in Hebr. 4. 10.
k D. Gre. lib. 2. in Ezech. Hom. 21.
l Act. 10. 42.

Viſus hominis, etianſi ſit nobiliſſimus omnium ſenſuum exteriorum, poteſt tamen impediri in ſuis functionibus, aut à tenebris, aut à longa objectorum diſtantia, aut à nimia motus velocitate, aut à prompta ſpecierum translatione. Sed non habet ſe ita res de oculis Dei, fugant enim tenebras, nebulas diſſipant, & medias inter obſcuritates illuminant, *Lux in tenebris lucet* m. Suum non emendicat Deus viſum ab objectis, nec offundi poteſt caligine à nimio eorum ſplendore, aut ab eorum diſtantia, omnia videt & conſiderat abſque ullo impedimento. Ideò fatendum eſt illos immodicâ percuſſos eſſe cæcitate, qui contendunt, Deum non videre, nec curare ea quæ peraguntur in terris, *Quid enim novit Dominus? Et quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat* n. Stultum eſt credittu, dicunt Athei, quòd Deus occupetur in conſiderandis iis quæ agimus, non eſt de ita exiguis rebus ſolicitus, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob* o. Oculos non habet, quibus videat id quod facimus; nec aures, quibus audiat id, quod dicimus. Sed quàm impii ſunt illi. Poſſibilene eſt ut ille qui *formavit hominem* p, ignorare poſſit id quod agit, aut cogitat homo? *Sed quis de Deo iſta vel deſipiens ſuſpicetur?* ait D. Gregorius q, *Qui nimirum dum ſit ſemper omnipotens: ſic intendit omnibus, ut adſit ſingulis: ſic adeſt ſingulis, ut ſimul omnibus nunquam deſit. Nam etſi quoſdam peccantes deſerit: eiſdem tamen ipſis adeſt per judicium, quibus deeſſe cernitur per adjumentum. Sic itaque exteriora circundat, ut interiora impleat: ſic interiora implet, ut exteriora circundet: ſic ſumma regit, ut ima non deſerat: ſic imis præſens eſt, ut à ſuperioribus non recedat: ſic latet in ſua ſpecie, ut tamen cognoſcatur in operatione: ſic cognoſcitur in ſuo opere, ut tamen comprehendi non valeat à cognoſcentis æſtimatione: ſic adeſt, ut videri nequeat: ſic videri non valet, ut tamen ejus præſentiam ipſa ſua judicia teſtentur: ſic ſe nobis intelligendum præbet, ut tamen ipſum nobis radium ſui intellectus obnubilet: & rurſum ſic caligine nos ignorantiæ reprimit, ut tamen menti noſtræ radiis ſuæ claritatis intermicet: quatenus & ſublevata quippiam videat, & reverberata contremiſcat: & quia eum ſicuti eſt videre non poteſt, aliquatenus videndo cognoſcat.* Hanc veritatem confirmat Incognitus r, dicens, *Quàmvis fide credamus, Deum videre omnia, tamen, quando peccamus, hoc actualiter corde cogitare negligimus. Error autem iſte ex hoc proceſſit, quia hominibus accidit, ſicut pueris, qui, quando clauſos habent oculos, neminem vident, ipſi à nemine ſe videri putant. Sic & peccatores mente non videntes Deum, ſe putant non videri à Deo. Unde Gregorius ait, Exteriora noſtra opera patent oculis hominum, longè verò incomparabiliter interiores ac ſubtiliſſimæ cogitationes noſtræ patent oculis Dei.* Et paulò pòſt dicit: *Et ſic peccantes credunt, vel non advertunt, ſe interiùs à Deo videri, aut exteriùs. Et hoc eſt, quod dicunt: Non videbit Dominus, ſcilicet, opera noſtra exteriùs: nec intelliget Deus Jacob, ſcilicet, noſtras cogitationes interiùs. Et iſte error apud homines crevit: quia ſciunt Deum eſſe juſtum: & ideò, quando peccata non punit, credunt Deum iſta non videre. Et hoc eſt quod ait Greg.* s: *Sæpè enim evenit, ut dum peccatores ſuperna Clementia expectat, in majorem cordis cæcitatem proſiliat.* Sed auſcultent impii illi id, quod dicit conſequenter Pſalmiſta t, *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Quod ſic exponit idem Incognitus u, *Deus, qui plantavit aurem; id eſt, qui aures dedit homini, ut audiret, ipſe non audiet? quaſi diceret, Inconveniens eſt ponere, quòd Deus virtutem audiendi communicaverit homini, & ipſe audire non poſſit: quia tunc perfectior eſſet homo, quàm Deus. Eodem modo arguit, de cognitione, dicens: Aut qui finxit oculum, non conſiderat? quaſi diceret, Deus, qui oculum dedit homini ad cognoſcendum alia, ipſe non cognoſcet? id eſt, impoſſibile eſt, quod*

m Joan. 1. 5.
n Job. 22. 13. & 14.
o Pſ. 93. 7.
p Gen. 2. 7.
q D. Gre. lib. 16. Mor. c. 6. in Job. 23. 14. & 15.
r Incogn. in Pſ. 93. 7.
s D. Greg. lib. 2. Mor. c. 3.
t Pſ. 93. 9.
u Incog. in Pſ. 93. 9.

ipſe non cognoſcat. Et ſic immodica eſt impiorum iſtorum hominum inſania.

Iſtorum avus impiorum fuit Cain, qui poſtquàm *fratrem ſuum Abel interfecit: & ait Dominus ad Cain, Ubi eſt Abel frater tuus? reſpondit, Neſcio* x, ratus ſe non fuiſſe viſum à
x Gen. 4. 8. & 9.
Deo. Poteſtne inveniri crimen majus, & facinus enormius, quàm fratri ſuo interitum inferre? Audeo tamen dicere, quòd Cain plùs offendit, cogitans decipere Deum reſponſo ſuo, & volens illi celare crimen ſuum, quàm illud perpetrando: hoc enim reſponſo, & hâc excuſatione, *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* autumabat Deum non habuiſſe oculos ad cognoſcenda hominum peccata. Non receſſit à facie Dei, cùm fratri ſuo mortem intulit, ſed cùm exiſtimavit ſe decepturum Deum, & redditurum eum cæcum ſuper fratricidio ſuo, quod credebat illi eſſe incognitum. Heu! Auditores, quoniam ſunt hodie Chriſtiani, qui deliteſcunt hominibus, & tenebras quærunt ad perpetranda ſua ſcelera? *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem ut non arguantur opera ejus* y. Sed fruſtrà latent, cùm
y Joan. 3. 20.
Deus nos videat, & ſi taceat, ideò quia diſſimu-
z Sap. 11. 24.
lat *peccata hominum propter pœnitentiam* z. Aliàs Ethnici, qui deſtituti erant cognitione veri Dei, ſupremas Soli materiali exhibebant adorationes, rati, quòd nullum habentes Deum nocturno tempore, tunc effræni libertate criminibus poſſent indulgere patrandis. Alii adorabant Lunam, ut peragere poſſent per diem id, quòd ſua malitia ipſis eſſet ſuggeſtura autumantes hoc modo ſe declinaturos à ſuorum obtutibus falſorum numinum. Si autem infideles illi aliquam falſis diis exhibebant reverentiam: quid non agere deberent Chriſtiani, qui pro certo tenent, quòd ipſos videat Deus, quòd intima conſcientiarum ſuarum pervadat, & ſecretiſſimas penetret ipſorum cogitationes; & *quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim*
a Eccl. 23. 28. & 29.
Deo antequàm crearentur, omnia ſunt agnita a.

b 2. Reg. 11. 4. &c.
Quid non egit David ad operiendum adulterium à ſe patratum cum Bethſabee b? Omnes adhibuit diligentias poſſibiles, ſecretiſſima inivit conſilia ad celandum peccatum ſuum. Sed quid? Nihil latet oculos Dei. Tandem ceps iſte pœnitens hoc confitetur, cùm ait Deo,
c Pſ. 50. 6.
Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci c. Quaſi diceret, Confiteor, Deus meus, te videre omnia, & me peccaſſe ante faciem tuam, cùm eò proceſſi temeritatis ut ſanguinem innocentis Uriæ effundendum ſategerim, poſt violatum thorum ejus adulterio cum uxore ejus à me commiſſo. & hoc eſt quod meam miro modo anxiat animam. Hæc eſt pœnitentia Prophetæ; & iſta debet eſſe confeſſio peccatoris, ſi imitari velit Davidem, & dicere inſtar illius, Deo, *Tibi ſoli peccavi*, ut Deus miſereatur illius. Sed è contrà corda peccatorum indurata ſunt *tan-*
d Job 41. 15.
quam lapis, & quaſi malleatoris incus d, ſtricta, ita ut potiùs ſuorum pudeat eos ſcelerum propter viſum hominum, quàm ob intuitum Dei, ideòque lateant, & quærant tenebras nocturnas ad indulgendum deliciis ſuis; nedum conſiderent quòd Deus ſit ubique, cùm *cœlum & ter-*
e Jer. 23. 24.
ram e impleat, quòd videt & ſcit omne illud, quod ipſi ſibi propoſuerunt peragere.

Refertur, quòd Abbas Paphnutius ſimulans ſe voluiſſe committere crimen impuritatis cum Thaide ſcorto famoſo ob proſtitutiones ſuas, rogavit eam ut ſe duceret ad aliquod cubiculum ſecretum, in quo à nemine concumbentes deprehendi poſſent. Duxit eum illa in cubiculum valdè remotum. Non eſt iſtud conclave ſatis abſconditum, reſpondit eximius iſte Vir. Illa introduxit eum in locum ſecretiorem: Non poterimus hîc benè latêre, dixit ei Abbas hic egregius. At illa, Nemo videre nos poteſt hîc præter Deum. Ha! ipſe eſt Deus, quem timeo, reſpondit Paphnutius: ſi autem latêre non poſſum oculis Dei, à rectâ deviat ratione ut præſumam eum offendere præ ejuſdem oculis. Ha! proculdubio noſtram citò frænaremus concupiſcentiam, & cogitationes pravas noſtras contineremus, peccaretis noſtris æquè ac malis voluntatibus noſtris abrenunciando, ſi præ oculis noſtræ mentis oculis poneremus, Deum adeſſe noſtris omnibus actionibus, & judicaturum nos eò quòd viderit ipſemet, & laturum teſtimonium adverſùm nos; cùm nullus ſit angulus ita ſecretus, quem perſpicaces oculi Dei non penetrent, vel intimas quaſque pervadendo cogitationes. Si ergo, impudice, conſiderares medias inter ſordes tuas, & ſeriò te reflecteres ſupra teipſum, quod aſpiciaris à Deo, qui te *dilexit, & lavit à*
peccatis in Sanguine ſuo f, quem tanta offendis f Apoc. 1. 5.
temeritate, ut *rurſum Filium Dei* g eundem tibimetipſi crucifigas, quandiu infamibus tuis adhærens voluptatibus, tenebras quæris & loca abſcondita ad eas explendas, præ pudore, quo times ne ſuffundaris propter viſum hominum, nedum verearis intuitum illius, qui de tuis inſolentiis ſibi notis condignas poteſt pœnas ſumere: ſi hæc omnia, inquam, mente ſedulò revolveres, profectò immundis tuis habenas non laxares deliciis; perpenderes, quòd pro oblectamento momentaneo æternis privas te deliciis, *ubertate domus Dei,*
& torrente voluptatis hejus, & te ſervitiis efficis h Pſ. 35. 9.
vitii. *Quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt*
peccati i. Examina igitur diligenter hanc veri- i Joan. 8. 34.
tatem, quòd Deus omnia aſpicit, imò intima cordis noſtri, in quo ſecretiſſimas quaſlibet noſtras ſcrutatur cogitationes, quæ non ſunt bonæ, nec malæ, niſi quatenus in noſtris formantur cordibus. Et illud eſt, quod nobis ſupereſt videndum.

Pro comperto eſt igitur quòd Deus omnia II. Pars.
videat. Intuetur ea ſcientiâ approbationis, vel ſcientiâ reprobationis. Scientia approbationis videt bonum ad illud approbandum. Scientiâ reprobationis intuetur malum ad illud reprobandum. Videt malum, quod cogitamus in corde noſtro, & quod non promimus in palàm. Noſtras non ſolùm videt cogitationes, ſed minutiſſimum noſtrorum intuetur capillorum. *Veſtri*
capilli capitis omnes numerati ſunt k. *Et capil-* k Matth. 10. 30.
lus de capite veſtro non peribit l. Quid autem l Luc. 21. 18.
repræſentant nobis *capilli* niſi cogitationes? *Spiritualiter, capilli ſunt cogitationes, affectionesque animæ*, ait Dionyſius Carthuſianus m. *Quo-* m Dion. Carth. a. 44. in Luc. 21. 18.
niam omnia quantùncunque parva & vilia, diſtinctè, & perfectiſſimè cognoſcuntur à Deo, dixerat ipſemet n priùs. Quia ſicut capilli naſcun- n Idem art. 20. in Matth. 10. 30.
tur è ſuperfluctatibus humorum: ita cogitationes & ſolicitationes oriuntur è corde noſtro, & ipſæ ſunt ſuperfluitates, quæ veluti capillatam noſtram efficiunt animam. Non creſcunt capilli voluntariè, ſed naturaliter: ſic cogitationes naſcuntur naturaliter, non voluntariè: impedire

non

non poſſumus quin malas habeamus cogitationes; æquè parùm in noſtra poſitum eſt poteſtate ut pravas non habeamus cogitationes, ac poſſibile nobis eſt ut prava nobis dormientibus non eveniant ſomnia: ſicut autem ſomnia noſtra non ſunt bona, nec mala, niſi inquantùm in illis nobis complacemus expergefacti: ſic cogitationes noſtræ non ſunt bonæ, neque malæ, niſi perveniant ad cor noſtrum uſque, quod fit cùm illis conſentimus, & in iis voluntariè ſiſtimus delectatione moroſâ & crimnoſâ. Sic cogitationes intellectus non ſunt malæ, niſi immorentur in corde: cor enim eſt veluti vulva, in qua formatur bonum & malum: & ſicut infans in vulva matris poſitus, eſt in mundo, & eſt homo, licèt inde non exierit: ita peccatum cùm eſt in corde, eſt peccatum; verba autem, & actiones externæ non ſunt niſi inſtar obſtetricis ad extrahendum illud foras. Idcircò dicebat Oſee o, *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio uberum ſuorum.* Quia cor in medio duorum uberum collocatum eſt. Sed quid? Formaturne adulterium in corde? Quis de hoc ambigit? cùm Scriptura id expreſsè aſſerat, *De corde enim exeunt adulteria, fornicationes* p. Et, *Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo* q. Ecce quomodo peccatum formatur in corde.

o Oſee. 2. 2.
p Matth. 15. 19.
q Matth. 5. 28.

Super hoc autem dicere poſſumus, quòd intellectus transformat omnia in ſe; & quòd voluntas ſe transformat in res, quas concupiſcit. Sed dicamus etiam meliùs, quòd intellectus attrahit objectum ad ſe, & quòd voluntas è contrà fertur ad objectum concupitum. Si autem ſcire velitis utrum è duobus iſtis ſit excellentius, intellectus, aut voluntas. Reſpondeo, quòd habitâ ratione rerum inferiorum, intellectus noſter eſt perfectior, quia eas ſpiritualizat & mutat in ſe: ſed voluntas eſt minor, quia ipſa ſe mutat in res, quas amat. Verum quidem eſt, quòd ſi conſideretur Deus, voluntas erit excellentior, quia per eam nos mutamus in illum: per intellectum conſideramus eum, & per voluntatem amamus illum, & nos mutamus in eum; quantùm in noſtra poſitum eſt poteſtate: & perſæpè voluntas amans creaturas, ſe transformat & ſe mutat in illas.

Propterea dicebat David r, *Cor meum dereliquit me.* Sed quomodo David? ſi non habes cor, quâ ratione vitam habes? Si autem deficit tibi vita, quomodo loqui potes? D. Hier. s reſpondet, quòd illud fit per voluntatem, dicens, *Quando homo peccat, cor ſuum non habet, Unde David dixit: Invenit ſervus tuus cor ſuum* t. *Ergo anteà quando peccavit, non habuit illud.* Concordat D. Greg. u, loquens de eodē Davide, qui dicebat: *Cor meum dereliquit me Cor quippe noſtrum nos derelinquit, quando ſic à concupiſcentiis carnalibus vincimur, ut intentionē cordis in terrenis, & carnalibus atque corporeis, & non in cæleſtibus, & ſpiritualibus ponamus.* Hoc cor perditum invenerat, qui dicebat. *Invenit ſervus tuus cor ſuum.* *Cor quippe noſtrum invenimus, quando per intentionem cordis ſpiritalia quærimus: quando hoc à terrenis avellimus, atad cæleſtia dirigimus.* Heu! ſi peteremus à Chriſtianis, ubinam ſit cor ipſorum, qui non vivunt niſi ſecundùm maximas carnis, ſanguinis, & mundi, contrarias innocentiæ; quique nihil magis habent in votis, quàm ut voluptatibus, avaritiis, & honoribus ſectandis indulgeant; ſanè reſponderēt ſinguli, *Cor meū dereliquit me.* Perrexit quippe ad diverſorium publicum, ad lupanar, ad illud ſcortum, ad auras populares, ad theſauros, *Ubi enim eſt theſaurus, ibi eſt & cor* d. Ideò *notus avarus ille dives in cujus funere Antonius de Padua ſermonem habens juſſit ex arca cor afferri, ubi Dei profectò juſſu avulſum hærebat*, ait Lorinus e.

r Pſ. 39. 13.
s D. Hier. in Pſ. 39. 13.
t 2. Reg. 7. 27.
u D. Greg. lib. 4. c. 4. in 1. Reg. 9.
d Matth. 6. 21.
e Lorin. in Pſ. 39. 13.

Concludamus igitur, & dicamus, quòd cor eſt vulva, in qua formatur peccatum; incus, in qua fabricantur arma Satanæ; centrum, fons, & radix, unde derivantur omnia peccata. *De corde enim exeunt cogitationes malæ homicidia, adulteria, fornicationes, furta falſa teſtimonia, blaſphemiæ* f. Sed quare dicit Evangeliſta? *De corde exeunt cogitationes.* Iſtud ideò ait, ut oſtendat quòd à nobis *exeunt cogitationes malæ*, bonæ verò cogitationes oriantur à Deo. Sed quare non ait, De mente, aut, de intellectu? Ratio iſtius eſt, quia in intellectu nondū ſunt peccatum, ſed ubi ſunt in corde, id eſt, in voluntate, tunc ipſæ ſunt peccatum. Inde fit ut quærens Deus per Jeremiam g, diceret, *Uſquequè morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Seu, *morari facies, id eſt, retinebis in animo*, ut explicat Cornelius h ex Hebræo. Non ait Propheta, uſquequò venient? ſed, *Uſquequò morabuntur?* Id eſt, fovebitis eas pravas cogitationes, peccatores, quia non poſſumus eas impedire. Peccatum eſt veluti aquila rodens viſcera hominis, (ſicut Calepinus i dicit poſt fabulam, quòd *irati dij Prometheum in monte Caucaſo per Mercurium religaverunt ad ſaxum: & adhibita aquila eſt, qua ejus cor exederet*) ſi illud alamus apud nos, malas fovendo cogitationes. Ipſæ ſunt veluti canes, à quibus dilaceratur dominus ſuus Actæon, in cervum converſus, id eſt, *homo comparatus jumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis* k per peccatum. Ipſæ inquinant ſinū matris, id eſt, voluntatis, quæ concepit ipſas. Peccata, vera *genimina viperarum* l. Quia, ut ait Dionyſius Carthuſianus m, *Secundùm Origenem, fœtus viperæ exeundo matrem occidit ſciſſo utero* ejus; cùm ipſæ malæ cogitationes manentes in viſceribus cordis, & voluntatis, non deſinant ea diſcindere. Ipſæ ſunt veluti herici ſuis pungentes aculeis viſcera, in quibus concepti ſunt. *Uſquequò morabuntur in* vobis igitur Chriſtiani, *cogitationes noxiæ?* Id eſt, hæc deſideria vindictæ, quæ retinetis in animo, expectantes occaſiones exequendis illis opportunas? Tribunal Confeſſionis aditis, nedum tamen firmiter proponatia veſtris ignoſcere inimicis; imò dies ſingulos tranſigitis in meditandis modis capeſſendæ de illis vindictæ: &, quod abominabilius eſt, ad ſacræ Communionis menſam acceditis cùm his peſſimis cogitationibus, quibus abrenunciare non vultis, parati *in peccato veſtro* n mori, ultimâ decumbentes ægritudine. Ha! Auditores, reflectite vos tantiſper ſuper voſmetipſos; cogitate ſedulò quòd Deus intueatur vos, & quòd ipſe ſit inſtar lampadis ardentis intima conſcientiarum veſtrarum penetralia pervadentis. Cavete autem præ omnibus ne ipſo mortis veſtræ articulo in iſtis pravis deprehendat vos cogitationibus. Deſerite eas igitur, & aperite corda veſtra gratiæ ejus, quæ vobis aditum pandet ad gloriam ipſius.

f Matth. 15. 19.
g Jer. 4. 14.
h Corn. in Jer. 4. 14.
i Calep. in Dict. V. Promet.
k Pſ. 48. 13. & 21.
l Luc. 3. 7.
m Dion. Carth. a. 8 in Luc. 3. 7.
n Joan. 8. 21.

FERIA IV. POST DOMIN. IV. QUADRAGESIMÆ.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate, &c. Jo. 9. 1. &c.

SIc eſt ampla Evangelii noſtri ſeges, ut illius abundantia ad egeſtatum me redigat, & dicere poſſim cum Quodam, *Inopem me copia fecit.* Altitudo illius ducit me ad depreſſionem, & nihil dicendum habeo, cùm nimium mihi ſit dicendum. Clemens Alexandrinus a loquens de Salvatore, præclaro inſignit eum Præceptoris nomine, *Verbum fungens Pædagogi officio in omnibus, & nos edocens*, & ducens ad Patrem ſuum per viam virtutis, illius exercendæ methodum nobis exemplo ſuo præbens, in eâ primus incedens, ſicut ipſum Pater idem æternus mundo promiſerat per Iſaiã b, *Dedi eum Præceptorem Gentibus.* Summus iſte Magiſter docet nos, quòd directio noſtra non ſit committenda cæco, *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt* c. Tamen hodie proponit nobis Evangelium noſtrum cæcum, qui ducet nos infallibiliter ad cognitionem veri Dei, ſi eum ſequamur, quippe qui illuminatus fuerit cæleſti lampade ejuſdem Verbi Divini, iſtius Solis *juſtitiæ* d concepti in viſceribus B. M. Virginis, cùm ſalutavit illam Archangelus, his verbis, *Ave Maria.*

[a Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 3.] [b Iſai. 55. 4.] [c Matth. 15. 14.] [d Malach. 4. 2.]

Aliqui quærunt ſuper hæc verba Evangeliſtæ, *Et lux in tenebris lucet* e, quomodo fieri poſſit ut lumen ſplendeat medias inter tenebras, cùm tenebræ ſint privatio lucis. Mirantur Alii, cur David f poſt exaltatas magnitudines Dei, publicatas excellentias & magnificentias operum ejus, cœli, Lunæ, & ſtellarum, *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti*, nullam peragit mentionem Solis, ſed illum ſilentio præterit. Eximius iſte Propheta inter magnitudines operum Dei, quæ noſtras exigunt reverentias æquè ac noſtras aſciſcunt ſibi admirationes, non loquitur de Sole, qui cõcurrit ad generationes, qui producit metalla in viſceribus terræ, qui meſſes perducit ad maturitatem, qui facit aperiri flores, quibus operitur terra ſpecioſiſſimis diebus noſtris, qui uniones generat in conchis, qui reducit nobis tempeſtates, quique totum ſuis luminibus lætificat humanũ genus. Reſpondetur huic admirationi, quòd David non loquitur de Sole, quia diſcurſus quem peragit in ſuo Pſalmo, dirigitur ad Verbum Divinum, quod vocatur ab alio Propheta g *Sol juſtitiæ.* Ipſum igitur ſic alloquitur Pſalmiſta, *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in universâ terrâ! Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos.* Super quod Incognitus h ait, *Notandum, quòd per magnificentiam Dei intelligitur Chriſtus ſecundùm Apoſtolum* i, *Eſt Virtus & Sapientia Dei. Per virtutem autem & ſapientiam fiunt opera magna, circa quæ conſiſtit virtus magnificentiæ, ut dicit Philoſophus* k. *Et ideò de Chriſto, qui in nubibus eſt ad cælum elevatus, ſub nomine magnificentiæ dicitur, Magnificentia ejus* l, *ſcilicet Chriſtus, qui eſt magnificentia Dei in nubibus.* Si enim cœlũ, quod eſt Eccleſia; Luna, quæ eſt B. Virgo Maria; & ſtellæ, id eſt, Sancti, lumen habent & ſplendorem, ipſum ſuſceperunt à communicatione hujus Divini Solis. Vel, ſecundùm eumdem Incognitum, *Per Lunam intellige univerſalem Eccleſiam, quæ lumen ſuum non à ſe, ſed à Sole recipit, id eſt, à Deo. Et quia Eccleſiam ſuam Deus Virgini Matri protegendam ſpecialiter commiſit, ideò de ipsâ ſub nomine Lunæ dicitur, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus* m. *Per ſtellas verò intellige Eccleſias particulares, ſicut dicitur Apoc.* n. *Septem Stellæ, ſeptem Eccleſiæ ſunt.* Ideirco *Lux in tenebris lucet*, ait D. Joannes o. Nam ipſæ ſicut tenebræ eſſent ſine hoc Divino Sole, à quo omnem ſuum hauriunt ſplẽdorem; & beneficio luminis ab eo deſumpti, ſunt veluo clavi aurei alligati firmamento, communicantes luci hujus Divini Solis, qui oriens ſuper horizontem noſtrum, pergit providentiâ ſuâ ad ſuum meridiem; deinde tendit occidens ad alterum hemiſphærium, & inde revertitur ad nos, *nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* p, qui ſuis ſemper nos beneficiis cumulat; ita ut nemo ſit qui videre non poſſit, niſi non velit experiri calorem ejus ſuper Eccleſiam univerſalem.

[e Jo. 1. 5] [f Pſ. 8. 2. &c.] [g Malach. 4. 2.] [h Incog. in Pſ. 8. 2] [i ex 1 Cor. 1. 18 & 24.] [k ex Ariſt. 4. Ethic.] [l Pſ. 67. 35] [m Apoc. 12. 1.] [n Apoc. 1. 20.] [o Jo. 1. 5] [p Pſ. 18. 7]

Nolite autem exiſtimare, Auditores, quòd ibidem tantùm ubi ſuprà nominet Evangeliſta Lucem Filium Dei. Ipſemet Dei Filius apud eumdem D. Joannem q, alloquens Nicodemum, hoc præclaro inſignit ſeſe etiam Lucis lumine, dicens, *Quia Lux venit in mundum.* Sed infortunium! ecce conſequentia, quæ inde colligitur, *Et dilexerunt homines magis tenebras, quam Lucem.* Quaſi diceret Chriſtus, Quàm felix es Nicodeme, eò quòd inter tenebras tuas obvium habueris favorabiliter occurſum Solis Divinitatis meæ, qui illuminat te: *Et dilexerunt homines magis tenebras, quàm Lucem.* Sed quid inde ſecutum eſt? quidnam ex eo accidit? *Et tenebræ eam non comprehenderunt* r. Verbum iſtud cõprehendere duobus uſurpatur modis, primo pro concipere; ſecundo pro arripere V. g. primo cõprehendere punctum Theologiæ, quæſtionem Philoſophiæ, ut cùm Præceptor legens & explicans lectionem Scholaſtico ſuo, ait illi, Comprehendiſne ritè hunc articulum, has Divinas emanationes, relationes, notiones, hanc æternam Verbi generationem, quæ fit fœcunditate intellectus Patris, quâ producitur *Filius* s Dei; & iſtam ſpirationem activam Patris & Filii, quæ producit *Spiritum veritatis* t, qui ſpiratur ab utroque? Comprehendiſne iſtas omnes veritates? Comprehendo, reſpondet diſcipulus: tunc enim aliquid comprehenditur, cùm operatio intellectus eſt conformis veritati rei propoſitæ, & res propoſita concordat ideæ, quam de ipsâ concepit intellectus. Secundò, Comprehendere ſumitur pro apprehendere, aut arripere, ſicut ageret ſatelles, qui latronem, aliumve reum apprehenderet. Sic dicebat David u, *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos.* Et impius Monarcha Ægyptiorum Pharao furore & rabie percitus contra Iſraëlitas, *dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam* x. Id eſt, *de Ægypto fugientes*, ut ait Gloſſa Interlinearis apud Hugonem y. Et Apoſtolus z ut nos animet ad percurrendum ſtadium virtutis, & ad conſequendam mercedem quæ noſtra coronatura eſt merita, nunquid

[q Jo. 3. 19] [r Jo. 1. 5.] [s Pſ. 2. 7.] [t Jo. 15. 26] [u Pſ. 17. 38.] [x Exod. 15. 9.] [y Hug. Card. in Exod. 15. 9.] [z 1 Cor. 9. 24.]

nunquid non ait? *Sic currite ut comprehendatis.* Hoc eodem modo *tenebræ eam non comprehenderunt*, quandiu *Lux in tenebris lucet.* Nimirum cùm ingreſſus in templum Sol iſte, radios ſuæ Divinitatis ſplendere faciebat, Scribæ & Phariſæi tenebris involuti voluntariis, hujuſmodi ſuſcipere proficuè noluerunt radios; ſplendor Divini Solis iſtius ipſos caligine & cæcitate offudit, & tantum non valentes ſuſtinere ſplendorem, ipſum perſecuti ſunt ut ei mortem inferrent, *Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de tem-*
a Jo. 8. 59 *plo* a, deliteſcens inter ipſorum tenebras. *Et tenebræ eam non comprehenderunt* Lucem, quam invenire non potuerunt, *Quia nondum venerat*
b Jo. 7. 30 *hora ejus* b. Jeſus autem *oblatus eſt, quia ipſe*
c Iſai. 53. 7. *voluit* c. Noluit hâc interire morte, ſed ſuam finire vitam ſuper patibulo crucis d. Vadit igi-
d Jo. 19. 30. tur, *& præteriens Jeſus*, hanc admirabilem operatur ſanitatem erga cæcum noſtrum, cui viſum impertitur. Videbimus igitur mirabilia quæ o-
Propoſitio. peratur Chriſtus in hâc medelâ, quæ diſcurſus iſtius ſeriem texent.

Dei Filius, qui nihil habet inferius eo, à quo
e Jo. 3. 16 ipſe mittitur e, eaſdem producere debet actiones, quæ erunt notæ æqualis potentiæ: ipſe idipſum aſſerit, cùm ait, *Me oportet operari opera*
f Jo. 9. 4. *ejus qui miſit me* f. Quaſi diceret, Expedit ut in ſtatu gratiæ, iiſdem incumbã operibus, quibus vacavit Pater meus in ſtatu naturæ. Quid egit Pater æternus in ſtatu naturæ? *In principio creavit Deus cœlum, & terram* g, Solem, Lunam,
g Gen. 1. 1. &c. Stellas, &c. Sed quomodo peregit iſta omnia? Unico *Fiat*, & ſolo verbo hæc univerſa produ-
h Lorin. in Pſ. 103. 8. xit. Ideò Lorinus h ſuper hunc locum Pſalmi, *Extendens cœlum ſicut pellem*, ait, *Sicut nihil*, veluti nihilum, ſine labore, quaſi deambulando in aliquo cubiculo, & veluti *ludens in orbe ter-*
i Prov. 8. 31. *rarum* i. Quaſi choreas duceret Pater æternus, mundum Verbo ſuo creans, quia illum abſque labore è nihilo eduxit. Sponſa loquens de perfectionibus Sponſi ſui, ait, *Manus illius torna-*
k Cant. 5. 14. *tiles* k. Quare hoc? niſi ad oſtendendam ejus omnipotentiam, & facilitatem in operando? Dicunt Philoſophi, quod *corpus perfectè ſphæricum tangit ſolum in puncto.* Deus autem operans omnia manibus ſuis, quæ ſunt *tornatiles*, omnia peragit abſque difficultate *in puncto*, quaſi ea non tangeret, & veluti ſi choreas duceret, atque ſaltaret. Filius Dei, qui *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei maje-*
l Sap. 7. 26. *ſtatis, & imago bonitatis illius* l, ut omnipotens in ſtatu gratiæ idem facit ſine labore & abſque difficultate. Dum ſolam *extendens Jeſus manum tetigit* leproſum, *dicens, Mundare; con-*
m Matth. 8. 3. & 4. *feſtim mundata eſt lepra ejus* m. Cum paralytico *dicit, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit gra-*
n Jo. 5. 8 & 9. *batum ſuum, & ambulabat* n. Quando cla to adoleſcenti *ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge: re-*
o Luc. 7. 14. & 15. *ſedit qui erat mortuus* o. Et poſtquàm *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras; ſtatim prodyt*
p Jo. 11. 43 & 44 *qui fuerat mortuus* p. Et obvium habens cæcum, eique *dicens, Quid tibi vis faciam?* ubi *ille dixit, Domine, ut videam, Jeſus dixit illi, Reſpi-*
q Luc. 18. 41. &c. *ce. Et confeſtim vidit* q. Hæc omnia operabatur Chriſtus abſque ullâ difficultate. Alii Sancti, ut D. Gregorius Thaumaturgus ad oſtendendum, quòd Deus nihil unquam fuerit pollicitus, quod ad exitum non perduxerit, operati quidem ſunt mirabilia, & iſte S. Antiſtes montem ſce-dere fecit è quodam loco, ut impleretur quod dixerat aliàs Chriſtus, *Quicumque dixerit huic monti; Tollere & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei* r. Alii ſuſcitaverunt r Marc. 11. 23.
mortuos, ſed mediis jejuniis & orationibus, & fulti virtute Dei, cujus erant inſtrumenta, ut *Petrus ponens genua oravit: & converſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge: At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit* s. Sed Jeſus s Act. 9. 40.
Chriſtus eadem agit opera quæ Pater ſuus, propriâ potentiâ, *Me oportet operari opera ejus qui miſit me*, ait ipſe hodie. Et ideò *præteriens*, *cæcum* noſtrum illuminat, ad manifeſtandam potentiam ſuam, *ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Ergo *præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate*, eumque præ magnâ attentione conſideravit, non ſecus ac ſi Rex aliquam ingrediens civitatem, ſtercus aliquod attentè intueretur, *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid*
apponis erga eum cor tuum t, *qui quaſi putredo* t Job. 7. 12.
conſumendus u eſt? Fixis illum intuitus eſt ocu- u Job. 13. 28.
lis. Hanc agitant quæſtionem Philoſophi & Medici in Scholis ſuis, nimirum quomodo fiat viſio, aut per extramiſſionem, aut per intus ſuſceptionem; id eſt, an ſuſcipiendo ſpeciem rei, vel mittendo ſpiritus ex oculis noſtris ad intendos ſe objecto. Hanc ego reſolvere nolo quæſtionem, dico tamen, quòd homo intuens aliquod objectum, illius ſuſcipit ideam; avarus ſuos aſpiciens nummos, eorum ideas ſuſcipit; Nauclerus ſuam navim; mercator ſuas merces, & ſcholaſticus ſuos libros aſpicientes, illorum ſpecies recipiunt: ſed Deus è contra ſuis emittit ex oculis radios luminis & effectus operatur miraculoſos; *Præteriens Jeſus* Judæam; *ſeu cùm tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere*
me: & ſurgens ſecutus eſt eum x. Et confeſtim x Matth. 9. 9.
Divinos ipſius intuitus magna ſequuntur mirabilia. Iſta omnia peregit *præteriens, & cùm tranſiret.* Ha! quid ageret, ſi diutiùs immoraretur? Si poſt ſuſceptam Communionem ſacram, tantam experiuntur Animæ ſanctæ dulcedinem ut præ ſuavitate exclament. *Satis eſt Domine, contine undas amoris tui*, & omnia terrena inveniant inſipida; quantò majori cumularentur conſolatione, ſi per prolixius tempus in ipſis corporaliter Chriſtus reſideret? Quàm felix fuit B.
Virgo, quæ illum portavit *in utero* y novem y Matth. 1. 16.
menſibus. Multò autem *beatior Maria percipi-* z ex Luc. 1. 41.
piende fidem Chriſti z, *quàm concipiendo car-*
nem Chriſti, ait D. Auguſtinus a. Beati D. Joſeph a D. Aug. lib. de ſanct. Virgin. c. 3.
b & Apoſtoli c fuerunt, eò quòd cum illo con-
verſati ſunt. Eſt autem *præteriens Jeſus* ſolùm a-
pud nos. Cùm ergo intuitus Jeſu tranſeat, ſem- b Luc. 2. 51.
per debemus eſſe parati ad illum ſuſcipiendum;
alioquin enim amantes iſti aſpectus diſparent c Luc 6. 13. &c.
inſtar fulgurum. Heu! quoties noſtros claudimus oculos huic Divinæ Luci? Nos ſumus è numero illorum, qui malunt incedere medias inter tenebras, quàm ſuos aperire oculos, ut luminis potiantur beneficio; Lux iſta noſtris ſeſe intuendam exhibet oculis, nos autem ſumus *rebelles lu-*
mini d, & noſtros claudimus oculos, ne ſplen- d Job. 24. 13.
dore illius illuminetur, ſicut ipſe Deus queritur, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* e.
e Prov. 1. 24.

Dum tranſibat Eliſeus per Sunam, erat ibi mulier

lier magna quæ tenuit eum, ut comederet panem: cùmque frequenter inde tranſiret, divertebat ad eam, ut comederet panem. Quæ dixit ad virum ſuum. Animadverto quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulũ,
f 4. Reg. 4. 8. &c. *& menſam, & ſellam, & candelabrum, ut cùm venerit ad nos, maneat ibi* f. Sic autẽ ratiocinabatur iſtâ Sunamitis, *Si vir Dei ſanctus iſte, qui tranſit per nos frequenter,* tranſeundo tot operatur mirabilia, quantò plura perageret, *ſi cùm venerit ad nos, maneat ibi* diu in loco, quem ei parabimus? Re autem verâ decepta non fuit, quia meritis Eliſei ex ſterili fœcunda evaſit, *Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in horâ eâdem, quâ dixerat Eliſeus* Ha! ſi aliquandiu veniret Deus immoratũ nobiſcum, quantis præveniret nos
g Pſ. 20. 4. *in benedictionibus dulcedinis* g. Inſtar iſtius prudentis Sunamitidis *faciamus ergo ei cœnaculum, ut cùm venerit ad nos, maneat ibi.* Auſcultemus id, quod ipſe *Jeſus dixit, Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus,*
h Jo. 14. 23. *& manſionem apud eum faciemus* h. Sed quid acturus eſt ibi? Totã iſtã interturbabit animã, omnes illius procul ab ipſâ amandabit voluptates & cuncta oblectamenta. Teſtis eſt *ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix,* quæ non priùs ipſum in ſuam introduxit animam, poſt remiſſa ſibi ab eo
i Luc. 7. 37. &c. *peccata multa, quoniam dilexit multùm* i illum, cùm ſtatim ab eo privata eſt priſtinis deliciis ſuis, quas ſuis diluit deinde in auſterâ ſolitudine fletibus in Provinciâ noſtrâ, ſicut tunc *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Teſtis eſt Matthæus, qui *ſurgẽs,*
k Matth. 9. 9. *ſecutus eſt eum* k, relinquendo telonium ſuum, æquè ac ſuum, dicens *Zachæus ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo*
l Luc. 19. 8. *quadruplum* l. Videte animam in iſto ſtatu poſitam, tota eſt ipſa mutata; & hoc eſt quod viſitatio Dei operatur in eâ, *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* In illam totus veniet Paradiſus; in eâ commorabitur tota Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui eam innumeris cumulabunt benedictionibus. Sed è converſo, *Et*
m Jo. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt* m. Quotnam ſunt qui iſtud Divinum ſuſcipiant Lumen? Audite loquelam peccatorum, malorum Chriſtianorum, animarum reprobatarum,
n Job. 21. 14. *Recede à nobis, & ſcientiam viarũ tuarum nolumus* n. Tot contemnitis ſanctas inſpirationes, tot deſpicitis motiones ſacras, Deus
o Jo. 8. 21. abibit, *Ego vado* o. Et medias deſeret vos inter tenebras,
p Job. 20. 26. *Extinguetur lucerna ejus in medio tenebris* p. Quod eſt infortuniorum omnium, quæ accidere poſſint, maximum.

Præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate: & interrogaverunt eũ diſcipuli ejus, Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Jeſus, Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Ordinarium eſt mundo ut in ſiniſtram uſurpet partem quidquid accidit, ſi adverſitas aliquem impetat, ſi ventus afflictionis irruat domum aliquam, ibi ſtatim judicatur eſſe manus Dei, ibi creditur exerceri juſtitia Dei, & cœlum punire ibi ſcelera & crimina. Idcircò poſtquàm *Satan percuſſit Job ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat,*
q Job. 2. 7. & 8. *ſedens in ſterquilinio* q, quaſi effectus theatrum omnium miſeriarum, ipſi amici ejus judicaverũt eum ſic exceptum ob ſua crimina, ſicut ei contumelioſè exprobrat *Eliphaz Themanites, Propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas* r. Sic judicat mundus de illo, quem Deus r Job. 22. 5. & 5.
magnificat, tantique æſtimat, ut eum ſanctiſſimum, omnium hominum prædicet, talemque Satanæ eum proponat, *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terrâ, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* s? Datur appellatio & inſcriptio s Job. 1. 8
falſi contra judicia mundi, *Mendaces filij hominum in ſtateris* t. Sed ſola judicia Dei omnia t Pſ. 61. 10.
ſcientis ſunt penitus irrevocabilia, *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum* u. Simile faciunt u Pſ. 118. 137.
judicium ſiniſtrum *diſcipuli, Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Jeſus, Neque hic peccavit neque peccato ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Magnificare vult Deus potentiæ ſuæ mirabilia in illuminando iſto cæco, non eſt aliud motivũ præter iſtud, & ideò *fecit lutũ ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus.* Sed quis medendi modus? Iſtius nullã peragunt Galenus & Hippocrates mẽtionem, hujus eſt ignara Medicina collyrii: quid enim magis eſt oppoſitum viſui, quàm lutũ? Et tamen illud inſumit Dei Filius ad illuminandum cæcum iſtum, ut oſtendat nobis, quòd omnipotentia ſua non indiget remediis opportunis & communibus (ſicut illis indigent homines) ad patranda ſua miracula; & quòd ſcientia ſua non ſit alligata regulis artis ordinariis, ſed quòd omnia peragat quæ ipſi placent, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terrâ, in mari, & in omnibus abyſſis* x. x Pſ. 134. 6.

Expugnaturus Deus ſuperbum Regem Ægyptiorum, qui populum Iſraëliticum tyrannicâ opprimebat ſervitute, quique præ ſuperbiâ dicebat inauditâ, *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam* y: non mittit ad eum exer- y Exod. 5. 2.
citus conſtantes ex hominibus cataphractis, & belli gerendi peritis; ſed vilia adhibet inſtrumẽta, z Exod. 8. 8.
ranas z, *ſciniphes* a, muſcas b, & *locuſtas* c ad domandã Regis illius impii arrogantiã. *Quia Deus* a Exod. 8. 17. b Exod. 8. 24.
ſuperbis reſiſtit d. *Saulus autẽ adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, cùm iter* c Exod. 10. 13.
faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & d 1. Petr. 5. 5.
ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, quæ illô caligine offudit, *apertiſque oculis nihil videbat* e e Act. 9. 3. &c.
corporis, ut melius oculis videret mentis. Præcipit Deus Eliæ ut implendas *quatuor hydrias aquâ,* f 3. Reg. 18. 34.
& ſuper holocauſta & ſuper ligna f ſundendas eas ſatagat. *Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic ſimile* g? Et quidnam magis eſt contra- g Iſa. 66. 8.
rium igni, quàm aqua? *Ægrotavit Ezechias uſque ad mortẽ. Et juſſit Iſaias ut tollerent maſſam* h Iſai. 38. 1. & 21.
de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus, & ſanaretur h. Quod ſic exponit Cornelius i, *Cataplaſ-* ex 4. Reg. 20. 1. & 7. & ex 2. Par. 32. 24.
marent, id eſt, cataplaſma, ſive emplaſtrum ex ficubus conficerent, quod vulneri imponerent, quo Rex ſanaretur, ut de facto ſanatus eſt. Hebr. eſt, contundant ſuper ulcus, id eſt, contuſum imponant ſuper ulcus, vulnus ergo hoc Regis fuit ulcus, i Cornel. in Iſai. 38. 21.
Nota. Ficus per ſe ulceri potiùs obſunt quàm proſunt. Quidquid ſit, certum eſt ficus non habuiſſe tantas vires, ut hominem moribundum vitæ & ſanitati reſtituerent. Quare potiùs hæc curatio miraculo tribuenda eſt, quàm ficubus. Cùm Jerichuntinæ eſſent *aquæ peſſimæ*, Eliſeus, *egreſſus* k 4. Reg. 2. 19. & 21.
ad fontem aquarum, miſit in illum ſal: ſanatæ ſunt ergo aquæ k, & ex amaris dulces effectæ.

Turbata

Turbata aqua in piſcinam Probaticam miſſum ſanabat, *& qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quâcumque detinebatur infirmitate* l, contra maximas omnium Medicorum. Quale ergo judicium formabitis de modo curandi, quem adhibet Dei Filius, cùm *fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos* cæci, niſi ut dicatis cum Cornelio m quòd ſicut Ezechiæ *potiùs curatio miraculo tribuenda eſt, quàm ficubus: ſic Christus lutum imponens oculis cæci, eum illuminavit?* Propterea *& Lux in tenebris lucet* n, ut inducat Phariſæos ad aperiendos ſuos oculos ipſi ſpecioſo Soli, qui ſuos vibratum veniebat radios medias inter ipſorum tenebras, & datum ipſis veram Divinitatis ſuæ notitiam. Sed quid dicere poterat cæcus iſte? Quodnam remedium eſt iſtud? Deridetne Medicus iſte, ſentiendo lutum ſuis imponi oculis? Nequaquam. *Et Lux in tenebris lucet.* Dei Filius jâ impertitus fuerat illi viſũ animæ, & confeſtim largitur ei viſũ corporis.

l Jo. 5. 7 & 4.
m Corn. in Iſai. 38 21.
n Jo. 1. 5.

Si autem ſcire vultis rationes, propter quas Dei Filius luto uſus eſt ad illuminandum cæcum iſtum, Dico, quòd ſecundùm Medicos *contraria contrariis curantur.* Morbi calidi remediis refrigerantibus, & nimiæ repletiones evacuationibus & diætis: atqui mundus nos excæcat, ponendo præ oculis noſtris aurum & divitias, terrã autem & pulverem ſub noſtris pedibus; ideò opus eſt ut Eccleſia dicat nobis ſingulis annis, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris* o. Jeſus Chriſtus autem *Sponſus* p ejus, ſanaturus nos ab hoc malo, quod tantos agit progreſſus, contrarium inſumit, & lutum & terram noſtris applicat oculis, divitias verò & theſauros noſtris ſupponit pedibus, ut proterantur à nobis; & ſic miraculosè viſum noſtræ impertitur animæ.

o ex Gen. 3. 59.
p Pſ. 18. 6

Prætereà, Dei Filius *fecit lutum ex ſputo.* Quia homo factus fuerat è luto, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ* q. Et, *Memento, quòd ſicut lutum feceris me* r. Et quia huic cæco noſtro Evangelico oculi ſupererant conficiendi. decens erat ut ex eâdem conficerentur materiâ, nimirum *de limo*, ut hæc pars convenientiã haberet cum ſuo toto, quia *nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus* s. Et ſicut ſartor indumentum deſeiens imperfectum, debet illud perficere ex eodem panno: Dei Filius idem peragit erga iſtum cæcum; videns enim eũ imperfectum, perficit illũ ex eâdem materiâ luti.

q Gen. 2. 7.
r Job. 10 9.
s Matth. 9. 16.

Inſuper, Chriſtus lutum adhibuit, *ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Sicut enim aliàs famoſus ille pictor Apelles duplicem pinxit Veneris imaginem, unam à capite uſque ad pectus, & alteram à pedibus uſque ad pectus, ſed tantâ induſtriâ, ut nullus unquam pictor huic utriq; imagini perficiendæ manum admovere auſus fuerit, & ideò oportuerit ut author qui utramque inceperat, eodem penicillo conſummaret eam, ut finis operis ſuo conveniret principio: & Virgilius cùm carmina compoſuiſſet in honorem Cæſaris, omiſſo ſuo nomine; & Imperator mercedem illorum impendiſſet cuidam, qui ſe eorum fingebat authorem, idem Virgilius hæc ſequentia confecit carmina,

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis.
Sic vos non vobis.
Sic vos non vobis.

Et cùm nemo ſciret cõſiliũ ejus; ita nemo inventus eſt qui illa perficeret præter propriũ authorẽ,

Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis vellificatis oves.
Sic vos non vobis nidificatis aves.

Cæcus iſte *ad imaginẽ Dei factus* t erat, ſed Deus illũ deſeruerat imperfectum, ut meliùs ſua magnificaret mirabilia, majorẽ ſibi cõciliaret gloriã, ſeque admirabiliorem exhiberet oculis eorũ, qui iſtud eſſent intuituri miraculum: oculi ſupererant ei conficiendi, nec ullus erat in univerſo orbe artifex, qui poſſet iſtud opus eximium perficere: ideò Dei Filius illi manum applicans, & luto utens ad perficiendum opus hujuſmodi, magnã comparavit ſibi gloriam ex opere iſto mirabili, *ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Nam ipſe *erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Idcircò *& Lux in tenebris lucet* u, viſum impertiens huic cæco; & hujuſmodi viſum ei præbens medio luto, oſtendit ſe iiſdem incumbere operibus in ſtatu gratiæ, quibus vacat Pater ſuus in ſtatu naturæ, *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me.*

t Gen. 9. 6.
u Jo. 1. 9 & 5.

Deinde, Chriſtus inſumpſit *lutum*, ut oſtenderet quòd, ſicut ipſe formaverat *hominẽ de limo terræ* x; eodem etiam ipſe reparare vellet eundem hominem: ſaliva enim procedens è cerebro, cadens in terrã, & eidem immixta, figurat nobis Sapientiam increatam procedentẽ ab intellectu Patris y, & unitam terræ noſtræ per incarnationẽ z, ut ait D. Auguſtinus a, *Saliva quaſi Verbum eſt, terra caro eſt:* Quæ ſaliva mixta eſt terrã miſeriarum noſtrarum, eò uſque ut dicatur Dei Filius *vermis, & non homo* b.

x Gen. 2. 7.
y Pſ 2. 7.
z Jo 1. 14

Voluit etiam Jeſus Chriſtus hâc actione miraculosâ nobis oſtendere, nihil eſſe in carne ſuâ unitâ Verbo Divino niſi vivum & vivificans, niſi ſanctum & ſanctificans; & quòd id omne, quod procedit ab ipſo, verùm etiam ſaliva, proficiat animabus, æquè ac corporibus: & ideò monſtrare nobis myſterium juſtificationis noſtræ, quod adimpletur per mixtionem Divinæ gratiæ & cooperationis noſtræ cum iſtâ gratiâ, *Nõ ego, ſed gratia Dei mecum* c, ſicut per mixtionem ſalivæ cum terrâ, ut patet in alio cæco, cui dixit *Jeſus, Quid tibi vis faciam? At ille dixit; Domine ut videã. Et Jeſus dixit illi, Reſpice, fides tua te ſalvũ fecit* d.

a D Aug. lib. 50. Homil. hom. 43. c. 1
b Pſ. 21. 7
c 1. Cor. 15 10
d Luc. 18 40. &c.

Inconcinnè ergo Jeſum *interrogaverunt diſcipuli ejus, Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur.* Hoc tamen nõ impedit, Auditores, quin perſæpè ut plurimùm peccata noſtrorũ ſint cauſa infortuniorũ, & punitionũ quibus nos multat Deus. David perſpicax effectus quoad ea, quæ ſpectabant viam Dei, & voluntates ejus, omnia ſuis attribuebat peccatis: iſtud eſt ſalutare; ſic enim reos nos eſſe cognoſcimus, & deprehendimus nos ejus inimicitiã incurriſſe: ideò Rex iſte ſuis attribuebat criminibus rebellionem filii ſui Abſalonis e, maledictionẽ Semeï f, mortem filii ſui innocentis g, & pœnã inflictã populo ſuo ab Angelo h; & dicebat, *Peccavi* Domino i. Et, *Ego ſum qui peccavi, & ego iniquè egi: iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt* k. Eò quòd *Jonas fugeret in Tharſis à facie Domini. Dominus miſit ventum magnum in mare; & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri* l. Peccatum Pharaonis m viam aperuit omnibus infortuniis, quibus impetitum deinde fuit regnum Ægypti, & ideò appoſitè & vulgò dicitur, *Propter peccata veniũt adverſa* Propterea dicebat *Eſther, Regina & deprecabatur Dominum Deum Iſraël, Peccavimus in conſpectu tuo, & idcircò tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum* n.

e 2. Reg. 15. 10 &c
f 2 Reg. 2. 8. &c.
g 2 Reg. 12. 14.
h 2. Reg. 24. 11.
i 2. Reg. 12. 13.
k 3. Reg. 24. 17.
l Jo. 1. 3 & 4.
m Exod. c. 7. & ſeqq.
n Eſth. 14 1. &c.

Etiamſi iſta omnia ſint proficua, & timere debeamus ne in peccatum labamur; tamen peccata ſæpè non ſunt cauſa propter quam Deus permittit ut mala nobis accidant, cùm hæc ad noſtram probandam ordinet patientiam. Hoc tamen non obſtat, quin ſit actus prudentiæ, & officium hominis probi, cùm ſe intuetur adverſitatibus impetitum & oppreſſum, credere, quòd illis fortaſſe ſit percuſſus propter peccata ſua. Ideò ſeriò examinanda eſt conſcientia, ut ea ritè cognoſci poſſint, ut causâ ablatâ tollatur pariter effectus, & ventis mitigatis, & mari tranquillato, non ſuſtineantur ampliùs procellæ & tempeſtates. Si dum paterfamilias in ſuo tecumbit cubili, audiatur domi aliquis ſtrepitus, confeſtim ſurgit, lucernam accendit, auxilium inclamat, & ſingulos domus perſcrutatur angulos, ut exploret num alicubi deliteſcant aliqui fures: ita quando apud nos ſtrepitum audimus; id eſt, cùm domus noſtræ afflictionibus ſunt impetitæ, & magnas incurrerunt jacturas; cùm mortui ſunt liberi noſtri, in quibus noſtras collocaveramus ſpes; cùm hæc filia ob nimiam præbitam ſibi libertatem amiſit famam ſuam; cùm à tempore ita longo hæc mulier, aut iſte vir gravi laborans ægritudine, præ dolore immodico clamat in cubili, nedum ægritudini ſuæ opportunum inveniat remedium; tunc ſurgendum eſt è cubili ſomnorum noſtrorum, circumquaque inſpiciendum, id eſt, peragendum examen conſcientiæ, & inquirendi ſunt omnes ejus anguli, ut videatur num in nobis deliteſcant aliqui latrones, nimirum aliqua peccata, quæ iſtos edant ſtrepitus: ſi autem inveniantur in nobis, confeſtim oportet ut à nobis foras emittantur mediâ bonâ Confeſſione, ut domus in ſecuritate conſtituatur.

Iſto Job ſe gerebat planè modo; audiens enim magnos ſtrepitus domi ſuæ, nimirum quòd dum *boves arabant, & aſinæ paſcebantur juxta eos; irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio*: quòd *ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oves pueroſque conſumpſit*: quòd *Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladio*: quòd *ſuis filiis & filiabus veſcentibus & bibentibus in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos, & mortui ſunt* o: & quòd ſibi *dixit uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere* p: confeſtim ſurrexit, & perſcrutatus eſt totam conſcientiæ ſuæ domum, ut videret num in eâ lateret fur aliquis, qui iſtas ederet commotiones; & cùm circumquaque diligenter inſpexiſſet, & nihil inveniſſet, ait, *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus* q. Ubi *nautæ tulerunt Jonam, & miſerunt in mare, ſtetit mare à fervore ſuo* r. Sic ſi videmus nos tempeſtate afflictionum impetitos, quæramus in imâ navi conſcientiæ noſtræ, num ibi ſit aliquis *Jonas* peccati mortalis dormiens *ſopore gravi*, aut voluntariè omiſſus, & Pœnitentiæ tollamus illum *in mare, & ceſſabit mare* proceloſum, & tranquillum fiet, & perfectâ fruemur pace. Si autem nulli inveniamus nos obnoxios peccato, & ſi præ veritate dicere poſſimus cum D. Paulo s, *Nihil mihi conſcius ſum*: & tamen Deus non deſiſtat ſuis tentare nos probationibus, & permittat ut incurramus jacturam bonorum fortunæ, corporis, liberorum, uxoris, viri, propinquorum, familiarum, & cæterorum hujuſmodi nobis charorum; patientiam præ nobis feramus, & ſedulò perpendamus quòd iſta nobis accidunt *ut manifeſtentur opera Dei*. Ad exercendam patientiam noſtram, & ad inducendos nos ut recurramus ad ipſum ut ad Liberatorem noſtrum, & ut adoremus ſecreta ipſius quæ nobis ſunt incognita, ſicut & *incomprehenſibilia judicia ejus* t. Ezechieli *apparuit in Cherubim ſimilitudo manus hominis, & ecce quatuor rotæ juxta Cherubim* u. Quaſi diceret Propheta, ſe vidiſſe multas rotas revolutas à Cherubim. Cherubim idem eſt ac plenitudo ſcientiæ: mundus iſte eſt rota quæ volvitur à Cherubim, id eſt, à plenitudine ſcientiæ Dei, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* x. Cur igitur moleſtè ferimus, cùm permittit Deus ut nobis aliquid ſiniſtrum accidat, & ut inſtar rotæ modò elevemur ſurſum, & mox deprimamur deorſum? Ipſe novit quid nobis ſit neceſſarium, & inde intendit noſtrum eruere emolumentum; *ut manifeſtentur opera Dei*, ſimul & gloriam ſuam educere. Non eſt iſtud effectum fortunæ, ſed permiſſio bonitatis ipſius paternæ. Suſtinemuſne afflictiones, indigentias, paupertates, ægritudines, incommoda? Patienter agamus, & oſculemur virgam & baculum y, quibus Deus percutit nos, nedum inquiramus, quare hoc, cur iſtud, & quid cætera? *Quæ ſunt à Deo, ordinata ſunt* z. *Id eſt, ſapienter & rationabiliter inſtituta*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus a. Deus vult oſtendere quantùm poſſit gratia ſua cum noſtrarum concurſu voluntatum, ut aliàs D. Paulo b *dixit, Sufficit tibi gratia mea*. Et fortes nos efficere in debilitate noſtrâ; *Nam virtus in infirmitate perficitur*. Sic meliùs magnificabit auxilium ſuum nobis impenſum, & mirabilia potentiæ ſuæ ad confuſionem Satanæ. Ideò Tertullianus c admiratus inſignem patientiam Job, in hæc verba erumpit, *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit; cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias, cùm uxorem jam malis delaſſatam, & ad prava remedia ſuadentem execraretur? Quid? Ridebat Deus. Quid? Diſſecabatur malus, cùm Job immundam ulceris ſui redundantiam magna æquanimitate deſtringeret, cùm erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus, & paſtus foraminoſa carnis ludendo revocaret.* Ideò ergo nos affligit Deus, *ut manifeſtentur opera Dei* in confundendo diabolo per conſtantiam noſtram, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* d. In mundo adverſitas magnatum eſt nutrix actionum Chriſtianiſmi. Proſperitas ſub apparenti felicitate nos decipit: tribulatio autem eſt ſemper vera. Illa nobis blanditur, hæc verò nos inſtruit: illa rationem noſtram ligat æquè ac noſtros ſenſus; iſta verò hos & illam ſolvit: illa nos retrahit à veris bonis per blanditias vanitatis, iſta verò reducit nos per viam ſalutarem eò, unde aberraveramus. Propterea Deus ut virtutem noſtram ſemper exercitatam contineat, currere facit eam in ſtadio adverſitatum ad magnificandam gloriam ſuam, *Ut manifeſtentur opera Dei.*

Noſter igitur cæcus audivit Chriſtum, qui *dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur, Miſſus.) Abiit ergo, & lavit, & venit*

o Job. 1. 14.
p Job. 2. 9.
q Job. 17. 2.
r Jo. 1. 5. &c.
s 1. Cor. 4. 4.
t Rom. 11. 33.
u Ezech. 10. 8. & 9.
x Hebr. 4. 13.
y Pſ. 22. 4.
z Rô. 13. 1.
a Dion. Carth. a. 17 in Rô. 13. 1.
b 2. Cor. 12. 9.
c Tert. lib. de Patient. c. 14.
d Act. 14. 21.

venit videns in fide Meſſiæ in mundum miſſi. *Niſi enim ille fuiſſet miſſus, nemo veſtrûm eſſet ab iniquitate dimiſſus*, ait D. Auguſtinus e. Peccator, cæce ſpiritualis, viſne clarè videre in iis quæ ſpectant ſalutem tuam? *Vade* ad Eccleſiam; confitere peccata tua ibi Sacerdoti, *Tempus breve eſt* f. Jam multùm progreſſa eſt Quadrageſima, *Venit nox, quando nemo poteſt operari. Lava* ea lacrimis contritionis: *& videns* profundè in cognitione fidei, quantùm ſis devinctus Deo pro iis quæ pro te peregerit, enixè exora eum ut te illuminet in viâ ſanctæ voluntatis ſuæ, ita ut obviam habeas illam, quæ te perducet ad gloriam.

e D. Aug. tract. 44 in Jo. 9. 7

f 1. Cor. 7. 29.

FERIA V. POST DOMIN. IV. QUADRAGESIMÆ.

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere. Luc. 7. 13. &c.

REbus proprium eſt magnis ut ſuos in admirationem ferant ſpectatores. Res inaudita, & prorſus mirabilis! Auditores, Dei Filius *ubi venit plenitudo temporis* a homo factus, *ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illâ. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait, Adoleſcens, tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes, Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Iiſdem Dei Filium evehemus laudibus, cùm ab eo cumulati fuerimus ſimili beneficio, *Deus autem (qui dives eſt in miſericordiâ) propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto cujus gratiâ ſalvati* b ſumus, quãdo *ibat in civitatem* hujus mundi, allectus à virtute B. Virginis, quæ mediatricem vitæ ſpiritualis nobis impendendæ ſe exhibuit, cùm ipſa vitam præbuit corporalem huic Filio Dei, confeſtim ac *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* c *Maria.*

a Galat. 4. 4.

b Ephes. 2. 5. &c.

c Luc. 1. 28. &c.

Præ pluribus & ſpecioſis qualitatibus, quæ amori attribuuntur, nullam invenio excellentiorem, quæve magis exprimat, quàm qualitas unionis, ſed unionis perfectæ, unionis transformantis, & è duabus rebus unam conſtituentis, *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* d, dicebat Rex amantium, alloquens Patrem ſuum. Id eſt, *Ut ſint unum per charitatem, ſicut & nos unum ſumus per naturam*, exponit Dionyſius Carthuſianus e. Et Regina amantium loquens de dilecto ſuo, dicit, *Dilectus meus mihi, & ego illi* f. Ita ut eadem anima duo corpora animet. Si autem iſtud inveniatur verum in infimo ſtatu naturæ, quid agetur in ſupremo & excelſiſſimo gratiæ ſtatu? Si hoc deprehendatur inter homines, & tot teſtes reperiantur hujus veritatis, quot veri in mundo dantur amantes, quantò fortior & indiſſolubilior erit unio Amantis ſacri incarnati per amorem, cum homine. Iſtud admiratur D. Auguſtinus g, & ait, *Manemus autem in illo, cùm ſumus membra ejus, manet autem ipſe in nobis, cùm ſumus templum ejus. Ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat. Ut compaginet unitas, quæ facit niſi charitas? Et charitas Dei unde? Apoſtolum* h *interroga, Charitas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Virtute hujus unionis efficimur ſinguli quaſi Jeſus Chriſtus, & agimus ſicut Jeſus Chriſtus. Ratio autem iſtius Theologica eſt, quia per amorem conſtituti ſumus in gratiâ, & per gratiam unimur Deo, cùm nihil ſit aliud gratia niſi communicatio eſſe Divini.

d Jo. 17. 22.

e Dion. Carth. a. 42. in Io. 17. 22.

f Cant. 3 16.

g D. Aug. tract. 27. in Io. 6. 56. &c.

h Rom. 5 5.

Si autem ſenſibiliùs iſtam videre velitis veritatem, debetis ſcire quòd noſtram amplectitur ipſe cauſam æquè ac ſuam, & quòd illum exacerbat quicumque nobis nocere intendit, ſicut ipſe proteſtatur, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* i. *Nihil enim delicatius, charius, pretioſius pupillâ, ac proinde nihil majori curâ cuſtoditur: laeſâ enim pupillâ, læditur & excæcatur oculus, qui eſt lumen vitæ, ac dux omnis viæ & actionis hominis, ut homo excæcatus miſerrimam in tenebris agat vitam, ſitque inſtar mortui*, ait Cornelius k. *Quaſi quidquid vobis fiet, fiet & mihi*, dicit Hugo l Cardinalis. Et quare hoc, niſi propter hanc unionem & transformationem, quâ parvi *dii* m efficimur, & ſinguli quaſi Jeſus Chriſtus? Eum planè offendit quicumque nobis injuriam irrogat: idcircò ob injurias nobis illatas exacerbatur, & de injuriis ſibi irrogatis tacet. Mementote, quòd *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini cùm iter faceret ut appropinquaret Damaſco; ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo: & cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris?* Quaſi diceret ei Chriſtus, Quid cogitas? quò pergis præ tantâ ſuperbiâ & tam immodico furore? quem credis te perſequi? *Qui dixit, Quis es Domine* ut queraris de me? Obſecro ut ſciam nomen tuum, ut cognoſcam te. *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris.* Hallucinaris Saule, tu credis te inſequi fideles meos, novos Chriſtianos; & tamen iſtam in me machinaris perſecutionem, *Ego ſum Jeſus, quẽ tu perſequeris* n. Non perſequebatur Saulus Jeſum Chriſtum, qui erat in cœlo, ubi *ſedet a dextris Dei* o; & tamen Chriſtus de ejus perſecutione queritur. Unde procedit hæc querela, niſi ex eo quia per amorem efficimur unum quid cum illo? quod agit ut ſuam inveniat ipſe ſatisfactionem in progreſſu noſtro, & de noſtro lætetur emolumento: è contrà autem non poteſt niſi ægro ſuſtinere animo jacturas noſtras & adverſitates; nec eas priùs intuetur, cùm ſtatim eis compaſſus, illis remedium adhibere ſatagit. Noſtram induens Chriſtus naturam, ſumpſit *viſcera miſericordiæ, in quibus*

i Zach. 2 8.

k Cornel. in Zach. 2. 8.

l Hug. Card. in Zach. 2 8.

m Pſ. 81. 6.

n Act. 9. 5. &c.

o Marc. 16. 19.

p Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9 & 6. 12.

viſitavit nos, Oriens ex alto p. Prout Deus non erat capax miſericordiæ, ſeu compaſſionis; ſed homo factus, noſtris compaſſus eſt miſeriis, ut ait Dionyſius Carthuſianus q, *Per viſcera miſericordiæ, id eſt, intimam, ſecretam, viſceroſam ſeu amoroſam miſericordiam Dei noſtri Unigeniti ſcilicet propter nos incarnati, in quibus viſceribus miſericordiæ viſitavit nos, id eſt, per incarnationem ad nos deſcendit, & noſtram ſibi conjunxit naturam, nos quoque ægrotos velut Medicus pius nunc acceſſit. Itaque viſcera in Deo ſpiritualiter & metaphoricè appellantur charitas & miſericordia ejus, quibus inductus eſt ſuccurrere nobis: ſicut de Chriſto ait Apoſtolus* r, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Sic volens à Filio Dei impetrare liberationem filiæ ſuæ à diabolo exagitatæ *Chananæa, clamavit, dicens ei, Miſerere mei Domine, Fili David: filia mea male à dæmonio vexatur* u. Sicut Deus, ſuſcitare poteſt; & prout homo, compati. Filius Dei compaſſus infortunio futuro Jeroſolymorum, *videns civitatem, flevit ſuper illam* x. Die craſtina intuiturus Magdalenam propter mortem fratris ſui Lazari *plorantem, & Judæos plorantes*, lacrymas eſt ipſe pariter fuſurus, *Et lacrymatus eſt Jeſus* y. Hodiernâ verò die ſenſibilem veritatis hujus probationem exhibet nobis Evangelium noſtrum in reſurrectione hujus adoleſcentis, propter afflictionem, quâ afficiebatur mater ejus, intuita profligatas omnes ſpes ſuas in morte filii ſui, qui erat fulcrum domus ipſius, cùm eſſet *filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Et ait, Adoleſcens, tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum Matri ſuæ.* Compatitur Chriſtus intuitu hujus ſpectaculi Primò, Quia erat *adoleſcens*, ipsâ adoleſcentiæ ſuæ floridâ tempeſtate elatus. Secundò, Quia erat *filius unicus matris ſuæ; & hæc vidua erat.* Et hæ ſunt duæ partes diſcurſus iſtius.

q Dion. Carth. 2. 3. in Luc. 1. 78

r Gal. 2. 20.

u Matth. 15. 22.

x Luc. 19 41.

y Jo. 11. 33. & 35.

Diviſio.

I. Pars.

z Pſ. 115. 68.

Deus qui ſummè *bonus* z eſt, noſtro captus amore, non poteſt quin noſtram amplectatur cauſam, & noſtris compatiatur infortuniis, cùm ad ea meliùs ſentienda, & ad ſciendum *ubi venit plenitudo temporis* a, id quod diſcere experimentaliter non potuerat in æternitate, quia *ad* ipſum quatenus Deum *non* poterat accedere *malum* b; ſumpſerit corpus, ad cognoſcendas meliùs infirmitates noſtras, & ad melius & promptiùs afferendum eis remedium. Sicut autem miſeriæ ſunt objectum miſericordiæ, non ſine myſterio comparat Sponſus ſacer oculos Sponſæ ſuæ piſcinis Heſebon, *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon* c. Sicut enim Heſebon erat locus, in quem omnes aquæ civitatis confluebant, & *Heſebon interpretatur cingulum mæroris*, ut ait Hugo Cardinalis c: ſic omnes miſeriæ humanæ, omnes anguſtiæ, afflictiones, & mœrores ſunt quaſi *aquæ* d confluentes in Divinam Miſericordiam, ut noſtris compatiatur neceſſitatibus, cùm ſit quaſi *cingulum mæroris*, & ut ſic noſtris condoleat miſeriis: non enim priùs noſtras Deus ſpectat infirmitates, cùm eis ſtatim compatitur, noſtrum currit ad auxilium, noſtræ medetur indigentiæ, noſtram ſublevat debilitatem, & noſtris finem imponit tolerantiis. Et hoc eſt, quod ait D. Paulus, *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris* e. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret* f.

a Gal. 4. 4

b Pſ. 90. 10.

c Cant. 7. 4.

c Hug. Card. in Cant. 7. 4.

d Pſ. 68. 2

e Heb. 4. 15.

f Heb. 2. 17.

Exemplum hujus veritatis authenticum profert nobis Evangelium noſtrum. Intuitus Filii Dei operantur ſemper mirabilia; erga noſtra jugiter afficitur Chriſtus infortunia ſublevanda; dolore æquè ac compaſſione cietur erga hunc adoleſcentem recenter mortuum, qui efferebatur. Fortaſſis dicetis mihi, quòd meminit tunc Jeſus, quòd ipſe intra exiguum tempus eſſet moriturus, cùm rem eſſet habiturus cum morte feroci, quæ nullos habet oculos quibus intueatur merita; nullum cor, quo erga noſtra afficiatur infortunia; & nullas aures, quibus noſtras audiat querelas. Aliam ſequor ego ſententiam, ideòque exiſtimo eum compaſſione fuiſſe affectum, cogitando de infelici hominum ſtatu, & de miſeriis, quibus erant obnoxii à peccato primi Parentis, *in quo omnes peccaverunt* g; ducentes vitam miſeriis redundantem, innumeris impetitam infelicitatibus & calamitatibus; &, quod pejus eſt, apprehenſi & intercepti, cum de diſcedendo minimè cogitarent, ſed è contrà dum *cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire* i. Proptereà querebatur Ezechias, *Dum adhuc ordirer, ſuccidit me* k. Id eſt, ut ait Cornelius l, *dum adhuc ordirer, ſcilicet opera magna, quæ animo deſignaveram, ac nominatim generationem, & per eam propagationem ſtirpis & poſteritatis meæ: hanc enim telam texere moliebatur Rex, ſed in ipſo molimine morbo fuit oppreſſus uſque ad mortem:* & audito hoc nuntio mortis ſuæ, in hæc verba erumpit, *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi* m. *Quaſi diceret*, ait idem Cornelius, *Putavi omnino eſſe actum de vita mea; mihi immaturâ morte in flore ætatis eſſe moriendum. Erat enim Ezechias jam triginta novem annorum, quæ ætas eſt quaſi dimidia vitæ humanæ: nam in dimidia ætate eſt vigor ætatis; tumque eſt quaſi in ſummo, in quo ſtatum ſumit, permanetque aliquot annos, poſt quos ſenſim decreſcit, & deficit.*

g Rom. 5 12.

i Pſ. 20. 12.

k Iſai. 38. 12.

l Corn. in Iſai. 38 12.

m Iſai. 38. 10.

D. Joannes in Apocalypſi n ſua vidit mortem, inſidentem equo pallido, & ſtipatam inferno: *Et ecce equus pallidus; & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequebatur eum.* Sunt qui vertunt, *Equus viridis*, innixi ei, quod dicit Cornelius o, quod *Græcum chlorès ſignificat colorem viridem herbarum, indeque earundem marceſcentium & areſcentium ſqualorem & pallorem.* Quaſi dicerent, dati mortes virides, id eſt, immaturas, quæ intempeſtivè imparatos nos intercipiunt, *& infernus* iſtas ſequitur: & hæc eſt mors adoleſcentum, qui de ea non cogitant, *Morietur in tempeſtate anima eorum* p. Quod LXX. vertunt, *Morietur in juventute anima eorum*, quod idem eſt. Alligavit *Abraham Iſaac filium ſuum* q, jam jam ſacrificaturus eum, non ſecus ac ligantur phrenetici, aut lethargici, ut ad ſe redeant, & ſuſcitentur à lethargia ſua, quia cognoſcebat Abraham quòd hujuſmodi ætas filii ſui bulliens, nimirum viginti quinque annorum, erat periculoſa; & ideò voluit monere Iſaac illius, de quo non cogitabat; oſtendendo ei mortem propè, quam tamen Iſaac exiſtimabat à ſe longè diſtare. Proptereà Ezechias querebatur, *Ego dixi: In dimidio dierum meorum* id eſt, *in excelſo dierum meorum*, ut vertunt LXX. nimirum ad apicem ſortis & fortunæ meæ, æquè ac ætatis meæ ſublimatus, *vadam ad portas inferi.* Pergam ad ſepulchrum quandiu fortuna in ætate florentiſſima conſtituto mihi magis favere videbatur.

n Apoc. 6 8.

o Corn. in Apoc. 6. 8.

p Job. 36 14.

q Gen. 22 8. & 9.

Ne

Ne autem longiùs progrediamur, exemplum proponit nobis Evangelium hodiernum, *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Perpendite, ſi placet, terminum iſtum, *Ecce* præ admiratione caſus ita funeſti, *filius unicus matris ſuæ*, immaturæ mortis fit præda, etiamſi totius civitatis eſſet ſpectatiſſimus, tempeſtate, quâ nemo ſuſpicabatur eripiendum ſibi tam eximium civem, qui ita præclaras præ ſe ferebat ſpes ſuæ futuræ magnitudinis, & quem unuſquiſque ſperabat futurum aliquando totius civitatis ornamentum atque decôrem. Sed quid mirum eſt viſu homines queri, cùm ipſe Dei Filius *miſericordiâ motus* intuitu hujus funeſti ſpectaculi proponat ſibi peragere opus ſe dignum, & eripere prædam iſtam morti, ſicut re vera eam ab illa auferet. Hæc lectio dirigitur ad vos, adoleſcentes, qui utplurimùm ad mortem obeundam minimè ſoletis eſſe diſpoſiti, eò quòd hujuſmodi ætate laſcivìs, & omnigenis vitus indulgetis; qui vivitis abſque ulla conſideratione, quaſi verò immunes eſſetis à ſolvendo communi iſto tributo naturæ, & ideò videmini inſultationibus & petulantiis velle in unumquenque inſurgere. Hanc propono vobis veritatem, ut veſtrum deponatis errorem, quæ vobis forſan videbitur paradoxum, nimirum quòd mors potiùs juvenes abripiat, quàm ſenes. Propterea intuemini præſens, ſcrutamini præteritum, legite Hiſtorias, evolvite Scripturam ſacram, & iſtam edocebimini veritatem, ut poſſitis ex apprehenſione hujus veritatis, ſi velitis, in meliorem emendationis vitæ vos recipere frugem.

Nunquid non Abel qui fuit ſecundus hominum ab hominibus natus, juvenis mortuus eſt? quando *conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum, & interfecit eum* r, quamdiu mors aliquanto tempore Parentem illius reliquit ſuperſti-
r Gen. 4. 8. & 8.
s Gen. 5. 5.
tem, *Et factum eſt omne tempus quod vixit Adam; anni nongenti triginta, & mortuus eſt* s. Nonne *in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere* t?
t Exod. 12. 29.
Annon eâdem die *Abimelech filius Jerobaal occidit fratres ſuos ſeptuaginta viros* u? Nun-
u Jud. 9. 1. & 5.
quid non impius *Herodes mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà* †, ut puerum Je-
† Matth. 2. 16.
ſum hâc involvendum cæde generali ſatageret? Ubinam invenîtis in Hiſtoriis tam modernis, quàm antiquis, ſimiles vaſtitates peractas adversùs homines ætatis provectæ? Nulla in iis prorſus earum fit mentio. Poſt hæc, Adoleſcentes & Juvenes, blandiemini ne vobis, fulti viribus veſtris? Putabitiſne vos immortales, nec ullo modo legibus mortis ſubeundis obnoxios? Veniet illa, ſed veniet quando de illa minimè cogitabitis: illa vos imparatos intercipiet, & in terram vos proſternet, de veſtris triumphando vanitatibus; ita ut inconcinnè loqueremini, ſi diceretis, *Non veniet ſuper nos flagellum inundans* x. cùm mors obeat officium flagelli gene-
x Iſai. 28. 15.
ralis, quod nemini parcit, cùm unuſquiſque legibus ejus ſubjaceat, & ipſi juvenes citiùs quàm ſenes moriantur.

Cùm loquitur Jeremias y de morte adole-
y Jer. 9. 21.
ſcentum & juvenum, ait, *Mors aſcendit per feneſtras noſtras.* Sed ſermonem habens de nece ſenum & ætate provectorum longæva, confeſtim pòſt ſubdit, *Ingreſſa eſt domos noſtras.* Magnâ admittitur differentia. Audiantes, inter eos qui domum ingrediuntur per oſtium, & eos qui ad eam accedunt per feneſtram. Ille qui ingreditur per januam, ſi eam inveniat obſeratam, pulſat ut ſibi aperiatur, & ingreditur palam omnibus: ſed ille qui intrat per feneſtram, clàm domum ſe introducit, ne deprehendatur in latrociniis ſuis: ſic mors adit ſenes facie apertâ, accedit ad eorum oſtium, pulſat ſemel, bis, ter, & pluries, & importunitate ſuâ aperiendam ſibi ſatagit januam; ictus, quibus januam pulſat, ſunt dolores dentium, convulſiones, infirmitas ſenſuum debilium in operationibus ſuis, & alii defectus, qui indicant totam iſtam ſpecioſam corporis humani fabricam jam jam in terram proſternendam, & hæc canities ipſis ſuadet quòd citò eam ad ſe debeant introducere. Sed quantùm ad adoleſcentes & juvenes, alias ſequitur illa vias, ad illos *ſicut fur in nocte* z venit. *Id*
z 1. Theſ. 5. 2.
eſt, latenter, improvisè & ſubitò, ſicut fur tempore noctis domum ingreditur, ait Dionyſius
a Dion. Carth. 2. 5. in 1. Theſ. 5. 2.
Carthuſianus a. Quamdiu nemo de illius adventu cogitat, *mors aſcendit per feneſtras noſtras.* Febris calida juvenes ſubitò abripit, occurſus aliquis improviſus & inopinatus innumera cauſat eis infortunia. Senes è contrà ſollicitè invigilant ſibi, ſanitati ſuæ cuſtodiendæ ſeriò ſunt intenti, nonniſi rarò domo exeunt, & cùm neceſſitas id exigit: ſed juvenes ſingulis horis & momentis foras abeunt, præ foribus ſemper ſtant apertis æquè ac feneſtris, nullum obſervant modum ſuæ ſanitati fovendæ opportunum, nullam præ ſe ferunt prudentiam in ſuo procedendi modo, & ideò perſæpè pleuritide impetiti, è medio tolluntur. Senes ſunt veluti arbores profundis radicibus terræ adhærentes, & ideò tempeſtates non formidant irruentes: ſed juvenes ſtatim areſcunt & marceſcunt, eò quòd nondum firmas habeant radices, *Securis ad radicem arboris poſita eſt* b, dicebat aliàs D. Joan-
b Luc. 3. 9.
nes Baptiſta. Mors eorum ictu unico deſtruit fundamentum, dum radicem aggreditur; non autem ſe habet eodem modo intuitu ſenum; aggreditur enim eorum ramos, deinde truncum paulatim, & ſic ſenſim ſine ſenſu eos ad ſubeundam cogit deditionem, quando quoad juvenes ſtatim radicem ipſam impetit. Propterea, Juvenes, nolite blandiri vobis in infortunio veſtro, quaſi perſuadentes vobis non ita citò vos morituros: credite experientiæ, & non judicio veſtro erroneo; alioquin enim fallemini in re quæ eſt maximi momenti quoad ea, quæ æternam veſtram operandam intuentur ſalutem.

Secunda ratio, propter quam Dei Filius *miſericordiâ motus* eſt æquè ac dolore in morte
II. Pars.
hujus adoleſcentis, eſt, quia erat *filius unicus matris ſuæ.* Quæ illum educaverat præ omni teneritudine poſſibili. Nam intuita illum ut terminum omnium ſuorum affectuum, veluti centrum ad quod dirigebantur omnes curæ ſuæ, ſicut dilectum ſuum, non ſecus ac totum ſuum, & quaſi totam cordis ſui vitam; cùm ipſa conſideraret eum ut fulcrum ſenectutis ſuæ, defenſionem anguſtiarum ſuarum, & remedium omnium malorum ſuorum, quæ erat dilectus hic *filius unicus* ab ipſa averſurus, nihil magis ipſam affligebat quàm iactura hujuſmodi chariſſimi filii, *Quemadmodum enim nil charius unico filio, ſic dolor de morte ipſius intenſiſſimus exiſtit. Pro-*
c Jer. 6. 26.
pter quod in Jeremia c *habetur, Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. Zacharias* d *quo-*
d ex Zach. 12. 10.

que, Dolebunt ſuper eum, ſcilicet Chriſtum, ſicut doleri ſolet ſuper unigenitum, ait Dionyſius Carthuſianus e. Qui ſubdit, *Adoleſcentum enim mors miſerabilior eſt, quia cum grandi labore ac ſolicitudine parentum ad iſtam ætatem perducti ſunt.* Propterea matres Carthaginienſes cùm ſuos comitatæ fuiſſent ad litus maris uſque liberos ad bellum pergentes, tanto ſunt affectæ dolore, ut plures ex iis mortuæ fuerint. *Cùm moras faceret Tobias, ſolicitus erat pater ejus Tobias. Cœpit autem contriſtari nimis ipſe & Anna uxor ejus cum eo: & cœperunt ambo flere. Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat, Heu, heu me fili mi, ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis* f. Si genitrix iſta, Auditores, deflebat abſentiam filii ſui æquè ac illius genitor; in quænam ſuſpiria non debet erumpere miſeranda mater audiens funeſta nuncia, non receſſus filii ſui, ſed mortis ejus? Si autem hic filius eſſet ipſi unicus, nunquid non omni planè deſtitueretur conſolatione, mari amaritudinis & faſtidiorum immergeretur, & immodicas ederet querelas? O cœli, qui concurriſtis ad infortunium meum, nunquid non compatiemini genitrici afflictæ? Quænam eſt infelicitas mea! Poſſemne modò vivere, cùm amiſerim eum qui erat tota vita mea? Mortuo filio meo, oportet ut moriar pariter cum illo, cùm omnes res mundi deinceps futuræ ſint mihi indifferentes, & veluti ſi nullo modo eſſent. O cœli, quomodo ego ſic vos offendi, ut tanto merear excipi rigore? Cùm cor meum ſit in centro univerſorum dolorum conſtitutũ, oportebatne ut meos dies prolongarem ad experiendam hujuſmodi jacturam? Quantas afflictiones! Eſtne ulla in mundo creatura, quæ tantis fuerit impetita doloribus, quantis nunc ego ſum? Mors immiſericors ut quid non debitum ſervaſti naturæ ordinem, quo primi præcedere debent, & primi efferri? Quare non fui ego furoris tui victima? & cur non pepercisti filio meo, nedum in illum rabiem tuam immitteres?

e Dion. Carth. a. 27. in Luc 7. 13.

f Tob. 10. 1. &c.

Mirum non eſt, Auditores, ſi mater quæ teneritimo filium ſuum diligit affectu, tanto afficitur dolore ob jacturam, quam perpetitur, unici ſui præclaris præditi qualitatibus, ratione quarum ſuſpenſa erat tota civitas præ expectatione futuræ magnitudinis illius: cùm unus ex inſigniſſimis Antiquitatis Viris æquo ſuſtinere non poſſit animo mortem filii qui ipſi fuerat rebellis, & bellum adversùs ipſum geſſerat, *Contriſtatus itaque Rex, flevit, & ſic loquebatur, Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom* g? Chariſſimæ deliciæ animæ meæ, fili, ut quid non interivi loco tui? quare autem mors me non abſtulit, & te dereliquit? Sic poſtquàm *audivit Heli* Sacerdos magnus funeſtum nuncium, quòd ſui *duo filij mortui ſunt, Ophni & Phinees, cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt* h præ dolore. Et Job, eximius ille Vir, qui præeminentia vendicat ſibi nomen Patientis, continuit ſe ſemper intra terminos humilis agnitionis, quòd illud omne, quod ipſe habebat, abſolutè pendebat à Deo, ideòque dicebat medias inter adverſitates ſuas, maximaſque ſuas jacturas, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum* i. Quoniam *ſciebat Job ſe non dominum, ſed cuſtodem eſſe omnium, quæ habebat. Ideo videns ſibi nullam factam injuriam, ſed gratiam; gratias agebat, quia divitiarum amiſſio nihil aliud eſt, quàm gravis oneris depoſitio*, ait Hugo Cardinalis k. Quique ideò erat rupes inflexibilis & inconcuſſa, deridens omnes iſtos importunos adverſæ fortunæ flatus, ita ut hujuſmodi infortunia confringerentur præ ipſius pedibus, quandiu ipſe de omnibus iſtis triumpharet procellis, ita ut ipſius patientia tot ipſi conciliaret victorias, quot hoſtis ipſius indiceret ipſi prælia, ſemperque ipſe conſtantior evaderet, ac conformior Divinæ Providentiæ, à qua non ignorabat eventus hujuſmodi fuiſſe diſpoſitos ad examinandam virtutem ſuam: tamen cùm actum eſt de amittendo eo, quod ipſe chariſſimi æſtimabat, audito videlicet nuncio, quòd ſuis *filijs & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos, & mortui ſunt: tunc ſurrexit, & ſcidit veſtimenta ſua, tonſo capite corruens in terram* l, nullam admittere volens conſolationem præ immodico dolore quo angebatur ob jacturam filiorum ſuorum. Quod innuit idem Hugo m ſuper hæc verba, *Et ſcidit veſtimenta ſua*, dicens, *Quod fuit ſignum doloris: quia, ut dicit Gregorius, non eſt pondus virtutis, inſenſibilitas cordis. Deplorandum eſt enim in morte parentum, juxta illud, Fili mi, in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus, incipe plorare* n.

g 2. Reg. 18. 33. &c

h 1. Reg. 4. 14. &c

i Job 1. 21. &c.

k Hug. Card. in Job 1. 22.

l Job 1. 18. & 19.

m Hug. Card. in Job 1. 20.

n ex Eccl. 38. 16.

Judicate nunc, Auditores, quàm immodicus debuerit eſſe dolor afflictæ matris adoleſcentis hujus Evangelii noſtri, in morte ejuſdem filii ſui unici; cùm illo mortuo omnes ſpes hujus deſolatæ matris ſimul cum illo eſſent ſepultæ. Intuitu doloris iſtius, quo afficiebatur mater iſta, Dei Filius *miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere.* Chriſtus vult illam conſolari, ideòque præcipit ei ut abſtineat à lacrymis, *Noli flere.* Re enim vera nihil eſt majori dignum commiſeratione, nec quod tanto afficiat corda parentum dolore: & videns Salvator afflictionem hujus miſerandæ matris, prævidebat quidem quòd intra exiguum tempus majori angenda eſſet dolore Mater ſua, cujus *animam gladius* o erat pertranſiturus, dum ſtaret *juxta crucem* p ſuam, eò quòd amor ejus erga ſe eſſet intenſior, & mors ſua ignominioſior, *Quia maledictus eſt qui pendet in ligno* q. Ideò hac præventus cogitatione, *miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere.*

o Luc 2. 35.

p Ioan. 19. 25.

q Deut. 21. 23.

Præterea, Aliam invenio circumſtantiam, quæ produxit hunc affectum doloris & miſericordiæ in Filio Dei, intuitu mortis hujus adoleſcentis, nimirum quòd non ſolùm erat *filius unicus matris ſuæ*; ſed etiam *matris* quæ *vidua erat.* Non eſt dolor ſenſibilior dolore matrum in ſuorum amiſſione liberorum. Hunc nemo poteſt experiri, niſi fuerit mater, & bona mater. Nihil quod magis affligat, ut jam dixi. Si verò miſeria eſt objectum miſericordiæ; major miſeria exigere debet majorem miſericordiam: cùm miſeria viduarum ſit maxima, non miror ſi *Dominus miſericordiâ motus* eſt, intuitus miſeriam viduæ noſtræ Evangelicæ, *Quoniam talis amor ad unicum filium maximus conſiſtit in vidua, quia viri eſt deſtituta ſolatio, idcircò dolor*

ejus

ejus de unigeniti morte vehementiſſimus eſt, ait Dionyſius Carthuſianus r. Qui aliam ſubdit rationem propoſito noſtro maximè conſonam, *Quia vidua eſt perſona multùm miſerabilis, quemadmodum orphanus & pupillus, ac peregrinus & pauper.* Ideò fertur in Pſalmos, *Dominus cuſtodit advenas, pupillum & viduam ſuſcipiet.* Et in Deuteronomio t, *Dominus Deus veſter facit judicium pupillo & viduæ, amatque peregrinum.* Cùm igitur in mundo, ſeu juxta mundum, nihil ſit miſerabilius viduis, & ipſe præceperit expreſsè *viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum* u; ipſe vult exequi id, quod aliis imperavit, & miſereri illius viduæ, quæ erat è numero illarum, quarum bona adducta ſunt in litigium, quibus diſceptatur id, quod ipſis debetur; & quod ab ipſis poſſidetur, eſt veluti panis benedictus, cui unuſquiſque credit jure merito ſe debere communicare; quæque collocata erat in cathegoria earum quæ veluti turtures ſemper gemunt & queruntur de injuriis ſibi irrogatis, nedum cauſam ipſarum amplectantur Judices iniqui, de quibus dicitur, quòd *cauſa viduæ non ingreditur ad illos*, apud Iſaiam x. *Hinc itaque Chriſtus miſericordiæ viſceribus ineffabiliter affluens, miſertus eſt viduæ huic, de unici filii amiſſione; præſertim cùm & ipſe unicus eſſet ſuæ dulciſſimæ Filius Genitricis, & ſciret quantùm diligeretur ab ea, & quantùm de futura ſua morte & paſſione illa eſſet contriſtanda, ploratura, & affligenda*, ait idem Carthuſianus juxta id quod ego dixi ſuprà.

r Dion. Carth. a. 57. in Luc 7. 53.
s Pſ. 145. 9.
t ex Deut. 10. 17. & 15.
u Jac. 1. 27.
x Iſai. 1. 23.

Quàm felices eſtis, viduæ, cùm Deum habeatis protectorem! quàm fortunata eſt ſors veſtra, cùm Deus ſit portio veſtra! Ne excidatis animo in amiſſione virorum veſtrorum: intentos habet ſuper vos oculos ſuos Deus jugiter, & ſi veſtrum conſecretis ei cor, veſtrî ſuſcipiet curam; diligit vos ut Sponſas ſuas; veſter vult eſſe Judex ad amplectendam meliùs cauſam veſtram, & judicandam eam in favorem veſtrum, gaudete igitur hàc præventæ cogitatione, *Exultate in conſpectu ejus* y. Nolite timere inimicos veſtros, qui *per potentiam opprimunt vos; & ipſi trahunt vos ad judicia* z. Deus enim illos omnes deſtruit ad defendendas vos, *Pupillum & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet* a. *Id eſt, proceſſus peccatorum contra Bonos ad nihilum rediget*, ſubdit Incognitus b. Qualitas viduæ invitare debet unumquemque ad compatiendum illi, & ad præbendam ei manum ad eripiendam eam è ſtatu miſeriarum, ad quem viduitas illam redegit. Sic mulieri Thecuitidi facundior non fuit eloquentia ad impetrandum à Davide id, quod ipſa efflagitabat ab illo, ſupplicatione ei propoſitâ, quàm dicere ei, *Heu, mulier vidua ego ſum! mortuus eſt enim vir meus. Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati ſunt adverſum ſe in agro, nulluſque erat qui eos prohibere poſſet: & percuſſit alter alterum, & interfecit eum* c, &c. Et ſic obtinuit ipſa quod petebat, tantam præ ſe fert poteſtatem qualitas viduæ, & conſideratio miſeriarum ab hoc ſtatu derelictionis inſeparabilium.

y Pſ. 67. 5.
z Jac. 2. 2.
a Pſ. 145. 9.
b Incog. in Pſ. 145. 9.
c 2. Reg. 14. 6. &c.

Loquens de vobis Deus, Viduæ, & de cura, quam veſtrî peragit, ait, *Viduam ejus benedicens benedicam* d. Benedictæ vos eſtis bis; duplicem pollicetur vobis Deus benedictionem, unam in hoc mundo, tribuens vobis abundanter ſuam gratiam; alteram in alio ſeculo, gloriæ & felicitatis ſuæ vos efficiens conſortes. Unde D. Auguſtinus e dicit, *Omnis anima, quæ intelligit ſe deſertam omni auxilio, niſi ſolius Dei, vidua eſt. Quomodo enim Apoſtolus f deſcribit viduam? Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperabit in Dominum. Agebat autem de iſtis viduis, quas omnes dicimus in Eccleſia.* Dionyſius Carthuſianus autem intelligit poſt Apoſtolum *de his, quæ verè viduæ ſunt, id eſt, vitam ſuo ſtatui convenientem ducunt tanquam ſeparata à ſolatio amoreque ſeculi, ſicut deſtituta ſunt à ſolatio viri* g. Quid mirabilius? Nihil majus. Nonne providetur vobis occaſio capeſſendæ conſolationis, & majoris æſtimandi Sponſi iſtius animarum veſtrarum, quàm æſtimaveritis aliàs ſponſum veſtrum temporalem? Diligit ipſe vos, & non poteſt quin veſtris commoveatur afflictionibus, non tardabit venire ad auxilium veſtrum, & veſtras tergere lacrymas, quas non patietur ad terram uſque labi, *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt?* & non inferiùs. *A maxilla enim aſcendunt uſque ad cœlum.* Ecce ſurſum admodum ſunt elevatæ. Et quare hoc? Ha! *Et Dominus exauditor delectabitur in eis* h, ut in objecto delicioſo & gratiſſimo. *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo* i. Non permittit ipſe ut diu afflictionibus maneatis oppreſſæ, quin ſtatim ab illis vos eruat, *Expecta illum, quia veniens veniet* k. Maximo erga vos ducitur affectu, nedum veſtris non medeatur doloribus.

d Pſ. 131. 15.
e D. Aug in Pſ. 131. 15.
f ex 1. Tim. 5. 5.
g Dion. Carth. a. 5. in 1. Tim. 5. 5.
h Eccl. 35. 15 & 19.
i Pſ. 55. 9.
k Hab. 2. 3.

Videte iſtas veritates in eventu, qui accidit huic viduæ Evangelii noſtri, quomodo compatiatur ei Dei Filius, *miſericordiâ motus ſuper eam*, & conſolaturus illam, nedum expectet ſe exorari ab ea ut vitam reddat ipſius filio, eundem ſuſcitare vult illi filium, ut oſtendat quantùm inclinetur ad benefaciendum viduis; & operari vult miraculum in gratiam ejus. Propterea *dixit illi vidua deſolata, verbum bonum, verbum conſolatorium, Noli flere, quia cauſa fletus jam tolletur à te, & cauſam copioſam gaudendi habebis tanto majorem, quanto inopinatiorem*, ait Dionyſius Carthuſianus l. Videte, ſi placet, quomodo *acceſſit, & tetigit loculum*, & quà ratione hi *qui portabant, ſteterunt* æquè ac illi qui comitabantur funus, ad videndum eximiæ ceremoniæ iſtius. Adoleſcentem ergo alloquitur: & ſicut ipſe eſt *Vita* m per eſſentiam, & mors inveniri non poteſt in illo, præcipit morti ut recedat, *Adoleſcens, tibi dico ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.* Quale gaudium! quantum oblectamentum! & quam immodica voluptas iſti genitrici! *Deducis ad inferos, & reducis* n. *Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebem ſuam.*

l Dion. Carth. a. 17. in Luc 7. 13.
m Jo 14. 6.
n Tob. 13. 2.

Sed, Auditores, *ecce, non eſt abbreviata manus Domini* o. Philoſophia docet nos, quòd *idem manens idem, ſemper facit idem.* Dei Filius non amiſit hæc *viſcera miſericordiæ, in quibus viſitavit nos, Oriens ex alto* p. Ecce ſimilis, ſed miſerabilior eventus: ecce tot adoleſcentes mortui quoad animam, tot homines elati in loculo peccati, qui exeuntes è ſtatu gratiæ, ex iſta civitate Naim, quæ dicitur pulchra, efferuntur in feretro ad tumulum criminis à pernicioſis ſuis deſideriis, & à paſſionibus ſuis effrænibus tanquam à quatuor funeſtis portitoribus præcipuis: Mater eorum, quæ eſt Eccleſia derelicta vidua à tempore, quo Sponſus ipſius *Dominus Jeſus aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei,*

o Iſai. 59. 1.
p Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12.

Dei q [q Marc 16. 10.], ut exponit Incognitus r [r Incogn. 6. P. 131. 83] ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Viduam ejus benedicens benedicam*, dicens, *Quid enim per viduam hic deſignatur, niſi ipſa ſancta Mater Eccleſia, quæ viſione ſui viri occiſi s [s ex Jo. 19. 18 &c] in præſenti privatur?* mari lacrymarum eſt immerſa ob jacturam filiorum ſuorum; plorat illa, ſuſpirat, gemit, nec ullâ cumulari poteſt conſolatione, cùm agatur de morte animæ; recurrit illa ad miſericordiam Divini ſui Sponſi, ut eâdem *miſericordiâ motus* eoſdem operetur effectus in filiis ſuis, quos peregit in hoc adoleſcente, ob ſatisfactionem Matri deſolatæ impendendam; ut accedat, *& loculum*, in quo efferuntur tot mortui ſpiritualiter, tangat inſpirationibus ſuis, & audire ſuam faciat eos vocem, & ſuſcitet eos ab ipſorum ſomnu lethargico, & contentâ voce inclamet, ut vox ejus ſuam habeat efficaciam, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*. Ut loquatur præ authoritate & potentia ad exhibendam ſuam Divinitatem; mortui enim ſunt ſurdi, & ſolam audiunt vocem Jeſu, *Quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent* t [t Joan. 5. 25.]. Ut præcipiat præ poteſtate, & confeſtim effectus reſurrectionis ſequetur, niſi ponatur ei obex. *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*. Exi ex hoc loculo criminis tui. Impudice, qui infamibus tuis immerſus es voluptatibus, & volutaris in cœno ſpurcitiarum tuarum, more porci, *tibi dico, ſurge*, egredere ex iſto loculo, id eſt, ex hoc miſero ſtatu peccati, unde excidium tuæ cauſatur animæ, quoniam *anima quæ peccaverit, ipſa morietur* u [u Ezech. 18. 4. & 20.]. Ex iſtis depravatis *ſurge* praxibus, & è peccato ad gratiam. Avare, qui nummos tuos non ſecus ac idola colis, *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* x [x Matth. 6. 21.], te alloquor, *Tibi dico, ſurge*. Nonne ſcis, quòd avaritia *eſt ſimulachrorum ſervitus* y [y Col.]? Ne theſaurizes ergo tibi *theſauros in terra*. Theſauriza tibi *autem theſauros in cœlo* z [z Matt. 6. 19. & 20.]. Tuam defer cogitationem ad bona æterna, & tuum retrahe affectum à bonis temporaneis, quæ tecum auferre non poteris. Iracunde, qui ſpiras ſemper ſanguinem, & ultionem jugiter meditaris capeſſere, *tibi dico, ſurge*, exi ex hac vindicta; deſere propter Deum has inimicitias, quibus proximum tuum proſequeris, æquo ignoſce animo ei propter amorem Jeſu Chriſti, qui expectat te brachiis extenſis, diſſimulans *peccata hominum propter pœnitentiam* a [a Sap. 11. 24.], paratus tibi imperti ri miſericordiam ſtatim ac illam ab eo es efflagitaturus. *Surge* ergo è loculo, in quo jaces, *Qui non diligit, manet in morte* b [b 1. Jo. 3. 14.]. Macte animo, *Surge* ad mercedem, quâ donaberis, cùm eris filius tui *Patris, qui in cœlis eſt* c [c Matth. 5. 44. & 45]. Et conſidera ſupplicia, quæ tibi imminent, niſi dimittas injurias tibi irrogatas. Iſtud eſt quod dicit tibi Chriſtus ex hoc formidando tribunali Crucis, nullum retribuendum paradiſum iis qui proximos ſuos odio fuerint proſecuti. Tandem, Peccator, quicunque ſis, fœnerator, blaſpheme, oppreſſor pauperum, orphanorum, & viduarum, guloſe, & ebrioſe, *quorum Deus, venter eſt* d [d Phil. 3. 19.] ſingulorum, *tibi dico ſurge*. Non loquor in communi, ſed conſcio peccati, *tibi*, ô peccator, qui offendiſti Deum tuum, qui mortuus es gratiæ, *dico ſurge*. Et *tibi*, qui mortem animæ tuæ per peccatum intuliſti, *Peccatum, cùm conſummatum fuerit, generat mortem* e [e Iac. 1. 15]; *dico ſurge*, & obſecro te per zelum, quo erga propriam tuam affici debes ſalutem, *Miſerere animæ tuæ, placens Deo* f [f Eccl. 30. 24.].

Adorande Salvator mundi, præbe efficaciam verbo tuo, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*. Conſolare hanc Matrem afflictam, ſuſcita iſtos mortuos: *Apud te eſt fons vitæ* g [g Pſ. 35. 10.]. Operare iſtud miraculum, ut ſuſcitati è peccato ad gratiam, reddantur ei, lacrymæ ejus convertantur in gaudia, dolores in gratiarum actiones, & ut nos ſpectatores horum mirabilium, ſic benedicamus te in hoc mundo, ut glorificemus te in altero.

FERIA VI. POST DOMIN. IV: QUADRAGESIMÆ:

Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado ut à ſomno excitem eum.
Ioan. 11. 11. &c.

Sicut nihil eſt pretioſius vero amico; ita nihil difficilius eſt inventu amicum fidelem. Veri amici æquè rari ſunt ac phœnices; cùm ſecula integra vix unum providere nobis poſſint phœnicem. Si quis à me ſcire velit, quidnam ſit in mundo magis deſiderandum, & majoris æſtimandum, & ideò gratius, & ſuavius, reſpondeo quòd nihil ſit æquiparandum occurſui veri & fidelis amici. Propterea Spiritus ſanctus oracula promens organo Eccleſiaſtici a [a Eccl. 6. 14. &c.], ait, *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invênit illum, invênit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis.* Sicut enim interventu theſauri, & medio auro & argento comparantur officia & dignitates; ſic munia & honores impetrantur medio favore amici, qui eſt aſylum medias inter afflictiones; portus ſecuritatis, cùm quis percellitur procellis & tempeſtatibus maris mundi; rivus, ſeu fons, quo quis ſuos refrigerat ardores; & hortus, in quo humanæ ſublevantur vitæ faſtidia. Si autem amicus iſte, Auditores, erat Jeſus Chriſtus, qui ſolus præ veritate aſciſcere ſibi poteſt amici veri nomen, cùm fidelis amici præ ſeferat effectus, quantùm eſt hic *amicus fidelis, protectio fortis*? quis portus? quis fons? quale armamentarium? quale refugium? & quis hortus recreationis, ſicut & *medicamentum vitæ, & immortalitatis*? Iſta Lazaro conceſſa eſt prærogativa, *Lazarus amicus noſter dormit. Lazarus mortuus eſt*. Ut homo, *mortuus eſt*: ut *amicus, dormit; ſed vado ut à ſomno excitem eum*. Dei Filius eximium operatur miraculum in perſona Lazari. Ut de eo dignè loqui poſſimus, cœleſtia efflagitemus lumina interventu Matris gratiæ, quæ expellens mortem, nobis tribuit vitam, cùm illam præbuit eidem Filio Dei in ſinu ſuo corporalem b [b Luc. 1. 28. & 38.], poſt audita hæc verba, *Ave Maria*.

Eodem planè ſeſe geſſit Deus modo in prima entium creatione, quo in eorundem recreatione; ſeu idem peregit in illorum reparatione, quod

quod fecerat in eorũ productione. Nam *in principio creavit Deus cœlũ terrã* c, [c Gen. 1. 1. &c.] quæ veluti chaos ſterile, ſiccum, aridum, & tenebris circunfuſum, nullos producebat fructus: ſed ſtatim terram illam ordinans, eam effacit fertilé, & omnium fructuum & commodorũ genere affluenté. Deinde *fecit Deus firmamentũ*, quod ſplendet ſtellis, quæ ibi veluti clavi aurei affixæ numero abſque numero miram inde emittunt lucem. Sed quare *fecit Deus firmamentum?* Dicitur firmamentũ quaſi firmans terram, veluti fundamentum illius. Surſum elevaturus architectus aliquid ædificium, profunda in terram projicit fundamenta: Deus autem fundamenta terræ conſtituit firmamentum, & poſuit *in* hoc *firmamento cœli ſtellas*, ut ſuis influentiis, & bonis qualitatibus eam fœcundarent. Stellæ quaſi à ſtillando dicuntur. Jactavit ſe aliàs Philoſophus quidam, ſe iſtas numeraſſe ſtellas; ſed hallucinabatur. Deus dixit aliquando Abrahæ, *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes* d. [d Gen. 15. 5.] Sed illas numerare non potuit. Aſtrologi inter tantum numerum, & ſic ingentem diverſitatem ſtellarum ex iis conſtituunt ſex claſſes, quas vocant primæ magnitudinis. Deus eodem procedit modo in reparatione rerum creatarum, *Et fecit Deus firmamentum*, quod non eſt aliud niſi Jeſus Chriſtus dominus noſter, *Firmamentum meum, & refugium meum es tu* e. [e Pſ. 70. 3.] Prætereà, *Creavit Deus terram*, quæ eſt populus Gentilis, qui erat terra ſterilis, ſicca, arida, aduſta, & caligine tenebrarum offuſa: ſed iſtud *firmamentum in terra* f, [f Pſ. 91. 16.] quod eſt idem Chriſtus, juxta Incognitum h, [h Incog. in Pſ. 71. 16.] reddidit eam fertilem beneficio ſuarum influentiarũ, & ſuæ lucis, & omnibus bonis fructibus redundantem, *Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis* i. [i Iſai. 9. 2.] Stellæ iſtæ, quibus præcepit *Deus ut luceant in* hoc *firmamento cœli, & illuminent terram*, ſunt prodigia & miracula quæ in tanto ſunt numero, ut computari nullo poſſint modo, & vix ab Angelorum arithmetica. Et D. Joannes *k*, [k Jo. 21. 25.] qui eſt unus è myſticis iſtis Aſtrologis, poſt enumerata aliqua miracula, quæ operatus eſt Dei Filius, ſuum concludit Evangelium his verbis, *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Sed ſicut Aſtrologi redigunt ſtellas ad ſex claſſes: ſic Aſtrologi myſtici hujus firmamenti ſpiritualis in ſex conſtituunt claſſibus omnes iſtas ſtellas myſticas, hæc omnia mirabilia primæ magnitudinis, quæ omnia per ordinem ſic enumerat D. Matthæus *l* [l Matth. 11. 5.] hujus Aſtrologiæ myſticæ peritus, *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* Hæc mirabilia ſunt ſpecioſæ ſtellæ, quæ luce ſuâ illuminant, & ſuis fœcundant influentiis terras incultas & ſteriles. Paralyticus *homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua* m, [m Jo. 5. 5. &c.] erat veluti terra ſicca, & adusta: & ecce irradiata influentiis & luce hujus firmamenti hæc terra confeſtim vires reſumit priſtinas, *Dicit ei Jeſus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.*

Hæc ipſa ſunt miracula, quæ veluti grana & ſemina manifeſtare debent Divinitatem Salvatoris, cùm ſolus Deus illa operari poſſit, *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me* n. [n Jo. 9. 4.] Expedit ut quod Pater meus fecit in creatione mundi, idem ego peragam in ejuſdem reparatione, *Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit* o; [o Joan. 5. 19.] cùm in me ſit eadem poteſtas, eadem authoritas, & eadem juriſdictio quæ eſt in Patre, quia *ego & Pater unum ſumus* p. [p Joan. 10. 30.] Propterea *& magnificabor, & ſanctificabor: & notus ero in oculis multarũ gentium, & ſcient quia ego Dominus* q. [q Ezech. 38. 23.] Hoc autem agit mediis miraculis, quorum interventu ſuam manifeſtat Divinitatem: miracula ſunt probationes convincentes hujus veritatis, & literæ patentes commiſſionis ejus, quæ poteſtati ejus conciliant authoritatem; ſed præ omnibus miraculum hodiernum, quo ſuſcitat Lazarum, *qui mortuus fuerat*, fœtentem *jam, quatriduanus enim* erat. Hujus miraculi magnitudo manifeſtat Filium Dei. Ut autem majorem huic veritati [Propoſitio.] conciliemus lucem, Videamus infirmitatem Lazari, quam ſequitur ejus mors, & ipſius reſurrectio, in progreſſu diſcurſus iſtius.

Ut dignè edoceamur actiones, quibus incubuit Salvator per mortalis vitæ ſuæ curſum, Notandum eſt, quòd ipſe quadruplex peregit opus. Aliæ enim ejus perfectæ fuerunt operationes ex natura ſua, ut inconcuſſa ejus conſtantia, quâ Pilato *reſpondit Jeſus, Non haberes poteſtatem adversùm me ullã, niſi tibi datum eſſet deſuper* r. [r Joan. 19. 11.] Charitas illius ardens, quâ *cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* s. [s Jo. 13. 1.] Humilitas ipſius profunda, cùm *humiliavit ſemetipſum* t. [t Phil. 2. 8.] Et conſequenter ejus obedientia voluntatibus Patris ſui, cùm ei eſt *factus obediens uſque ad mortẽ, mortem autẽ crucis* u. [u Ibid.] Alia opera ejus fuerunt imperfecta ex natura ſua, ſed quæ ipſe perfectè operabatur, quia omnia *Dei perfecta ſunt opera* x. [x Deut. 32. 4.] Sicut cùm ipſum, *conſurgens* Joſeph *accepit Puerum & Matrẽ ejus nocte: & ſeceſſit in Ægyptum, & erat ibi uſque ad obitũ Herodis* y. [y Matth. 2. 14.] Et cum ipſe *Jeſus abſcondit ſe, & exivit de tẽplo* z. [z Ioan. 8. 59.] Et quando defendendo ſe, miniſtro qui ipſi impegerat *alapam, reſpondit, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis* a? [a Jo. 18. 22 & 23.] Alia opera ejus nec perfecta fuerunt ex natura ſua, nec imperfecta, ut naturalia, ſicut cùm in navi *ipſe dormiebat* b. [b Matth. 8. 24.] Et quando erat *manducans & bibens* c. [c Matth. 11. 19.] Et alia ſimilia. Alia tandem fuerunt ſupernaturalia, ut miracula, & omnia erant in illo æqualia, & quoad meritum, & quoad virtutem, cùm procederent univerſa ex eadem origine amoris illius incomparabilis. Cum operibus perfectis invitat exemplo ſuo ad perfectionem. Cum imperfectis ex natura ſua per ſanctam indulgentiam accommodat ſe captui infirmorum, quos conſolatur & corroborat conſideratione ſuæ praxis. Cum naturalibus declarat & manifeſtat ſe hominem; & in hoc ſtatu ciet nos ſtupore cogitantes quomodonam fieri potuerit ut ſe ſic profundè depreſſerit ad noſtras infirmitates naturales ſumendas uſque; *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d [d Phil. 2. 7.] ſicut nos. Cum miraculis ut cum characteribus poteſtatis ſuæ, authoritatem ſuæ conciliat perſonæ, & evidenter oſtendit ſe eſſe Deum, & Filium Omnipotentis; propterea magnum peragit iſtud hodie miraculum in perſona Lazari quatriduani. Spectatores hujus inſignis miraculi ſubſcribẽt

iſti veritati, ne dūei reſiſtere poſſint, ſicut heri illi qui interfuerunt miraculo reſurrectionis filii viduæ Naim, ſtatim ac Dei Filius *ait, Adoleſcens, tibi dico ſurge. & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ: magnificabant Deū, dicentes, Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebē ſuā* e.

a Luc. 7. 14. &c.

Ortâ fame ſuper terram poſt eam ſterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Iſaac ad Abimelech Regem Palæſthinorum in Gerara. Manſit itaque Iſaac in Geraris. Sevit autem Iſaac in terra illa, & invēnit in ipſo anno centuplum. Ob hoc invidētes ei Palæſthini, omnes puteos, quos foderant ſervi patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo. Et ille diſcedens, ut veniret ad torrentem Gerara, habitaretque ibi: rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſervi Patris ſui Abraham, & quos illo mortuo, olim obſtruxerant Philiſthiim, appellavitque eos eiſdem nominibus, quibus antè pater vocaverat. Foderuntque in torrente & repererunt aquam vivam. Sed & ibi iurgium fuit paſtorum Gerara adverſus paſtores Iſaac, dicentium, Noſtra eſt aqua: quam ob rem nomen putei ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati ſunt, appellavitque eū Inimicitias. Profectus inde fodit alium puteū, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomē ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terrā. Ad quē locū cùm veniſſent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus eſt eis Iſaac: Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? Qui reſponderunt: Vidimus tecum eſſe Dominum: & idcircò nos diximus: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus f. Quis neſciat Iſaac fuiſſe veram figurā Jeſu Chriſti? ait D. Ambroſius g. Dei Filius è cœlo in hunc mundū deſcendens, *venit in Judæam terrā, & illic demorabatur* h. Deinde reliquit Judæā, *& abiit in Galilæam* i, quæ erat terra ſterilis & ſicca, quæ nihil producebat: ibi fodit puteum, cujus aquis irrigavit iſtam terrā: & ecce *homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, languidus*, ſiccus, aridus, & ſine motu, his aquis irrigatus, priſtinam recuperat ſanitatem, *Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille. Propterea perſequebātur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in Sabbatho* k. Quaſi dicerent, *Deus requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat* l. Ergo iſte non eſt vitæ probatæ homo, qui laborat die Sabbathi, & idcircò calumniabantur eum, volentes obſtruere hunc puteum calumniis ſuis. *Jeſus autem reſpondit eis, Pater meus uſque modò operatur: & ego operor.* Præterea, Jeſus fodit alium puteum: *Et præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur, Miſſus.) Abiit ergo, & lavit* i, *& venit videns.* Judæi non valentes ſuſtinere hunc ſplendorem, iſtum terrâ replere voluerunt puteū, *Dicebāt ergo ex Phariſæis quidā Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit. Alij autem dicebant, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec* inimicitiâ & invidiâ perciti inauditâ *vocaverunt parentes ejus qui viderat: & interrogaverunt eos* m ut dicerent, aliquem alium, & non filiū ſuum, ab eo fuiſſe illuminatum. *Profecti inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.* Puteus iſte non eſt alius niſi reſurrectio Lazari. Hîc, Auditores, inimici ejus agnoſcunt eum eſſe Deum, & adhærent conſiliis ejus, dum ipſe jacit ſemen, quod germinare & manifeſtare debet ipſius Divinitatem. Judæi caligine non poſſunt offundere radios Chriſti, qui eſt *Sol juſtitiæ* n. Nam poſtquàm *Jeſus voce magnâ clamavit, Lazare veni foras: & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata: multi ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.*

f Gen. 26. 1. &c.
g D. Ambr. lib. de Iſaac c. 4.
h Joan. 3. 22.
i Jo. 4. 3.
k Jo. 5. 1. &c.
l Gen. 2. 2.
m Ioan. 9. 1. &c.
n Mal. 4. 2.

Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum ejus. Sed quare tot iſtæ afferuntur ab Evangeliſta circunſtantiæ? Ratio illius eſt, quia cùm tempus, locus, perſonæ, & circunſtantiæ fideliter obſervantur, veritas hiſtoriæ meliùs apparet, & ſuſcipitur eum minori dubio, ſed cum majori approbatione. *Erat autē.* Idē Evangeliſta o deſcribēs Divinitatem Verbi, eodem utitur verbo, *Erat*, dicens. *In principio erat Verbū. Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundū.* Ad oſtendendum, nos perveniſſe ad ultimum & maximum miraculorum Chriſti, quod manifeſtat ejus Divinitatem. *Erat Lux vera*, ſicut Sol, qui oriens, adhuc debilis, roboratur magis ac magis uſque ad meridiem; ad quem eùm pervēnit, majorem vibrat lucem; poſteà verò tendit ad occidentem. *Erat autē languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororū ejus*; ita ut Medici de ejus deſperaſſent ſanitate; extremâ laborabat ægritudine, *erat languens*, ut cùm dicitur, Dominus N. graviter decumbit, vix è tali reſurget unquam morbo. Sed quare Evangeliſta meminit hîc Mariæ, quæ vocatur à D. Luca p *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix?* Ut quid commovet ſtercus vitæ ejus inquinatæ, quod non poteſt niſi pravum odorem exhalare? Ratio iſtius eſt, quia juſtificatio peccatoris, aut peccatricis eſt aliquid magis quàm reſurrectio mortui; & Deus meliùs ſuam potentiam manifeſtat in illa quæ eſt maximum miraculorum interiorum, quàm in iſta quæ eſt caput miraculorum exteriorum. Propterea fit hîc mentio *Mariæ* converſæ, pœnitentis, & juſtificatæ. Si enim Chriſtus potuit eam juſtificare, & remittere *ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* q; quæ nemo *poteſt dimittere, niſi ſolus Deus* r: poterit etiam ſuſcitare fratrem illius, etiamſi fœteat *jam, quatriduanus eſt enim.* Quia *qui poteſt majus, poteſt & minus*, ut dicitur: Non ergo ſine myſterio loquitur Evangeliſta de Maria, *Deus noſter Deus ſalvos faciendi; & Domini Domini exitus mortis* s. Ad ſolū ſpectat Deum dare vitā, *Apud te eſt fons vitæ* t. Et ipſe habet *claves mortis* u ad ſuam manifeſtandam Divinitatē. *Ut cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti* x. Sicut autem ipſe eſt ſolus qui vitam poſſit tribuere corpori, quia *à privatione ad habitum non datur regreſſus*: ſic nemo eſt, præter eum, qui poſſit præbere vitam animæ per juſtificationem, ubi ſemel mortua eſt illa per peccatum. Ecce igitur Magdalena, quæ ſuſcepit vitam animæ per juſtificationem, ad manifeſtandam Divinitatem Jeſu Chriſti, cùm eam liberare potuerit à peccatis ipſius, præbens illi gratiam ſuam, quæ eſt vita animæ, per juſtificationem: atqui ſi juſtificatio

o Ioan. 1. 1. & 9.
p Luc. 7. 37.
q Luc. 7. 38.
r Marc. 2. 7.
s Pſ. 67. 21.
t Pſ. 35. 10.
u Apoc. 1. 18.
x Ioan. 17. 23.

Magda-

Magdalenæ oſtendit Divinitatem Jeſu Chriſti;
non minùs manifeſtabit eam Lazari reſurrectio,
*Et ſcietis, quia ego Dominus, cùm aperuero ſepul-
chra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris,*
y Ezech. 37. 13. *popule meus* y.

Creſcente Lazari infirmitate, *miſerunt ſo-
rores ejus ad eum, dicentes, Domine, ecce quem
amas, infirmatur.* Iſtud autem non peragitur
hodie à Chriſtianis, qui de nihilo minùs cogitant,
quàm de Deo, quaſi Deus debeat eſſe in oblivio-
ne, cùm ad illum eſt recurrendum, ut ſanitatem
impertiri dignetur illis, qui aliquâ laborant æ-
gritudine. Vulgaris eſt hæc hominum loque-
la, Quid dicitur de negotio Domini N. & Do-
minæ N? Quomodo ſe habet Dominus N?
Benè valet, de eo bonam Medici conceperunt
opinionem. Domina verò N. quomodo va-
let? Heu! quàm malè ſe habet: ita deſperatur
de ejus ſanitate, ut Deus ſolus illam poſſit ei im-
pertiri. Deus ſolus? Ha miſeri! Conſtituiſ-
ne Deum in ultimo loco? Eſtne ille locus ho-
noratius, quem ipſe tenere debet? Alloquitur
z Deut. 9. 1. Deus Iſraëlem, dicens, *Audi Iſraël* z. Quid vis
Domine ut peragam? Ut credam, quia es *Omni-
a Eſth. 13. 9. potens* a, *Bonus* b, *Juſtus* c, & ut ſic daturus ſis mi-
b Pſ. 119. 68. hi gloriam tuam titulo mercedis? Nequaquam.
Quid igitur? *Invoca me in die tribulationis* d.
c Pſ. 118. 137. Iſtud eſt, quod ego efflagito à te. *Invocabis, &
d Pſ. 49. 15. Dominus exaudiet* e. Deus, Auditores, in
natura ſua eſt Ens à ſe, Ens independens, *Ego ſum,
e Iſai. 58. 9. qui ſum* f. Sed in eſſe ſuo morali eſt ſummum
& *omne Bonum* g ex ſe communicativum, cùm
f Exod. 3. 14. ſit proprium bono ſe diffundere, *Bonum eſt dif-
g Exod. 33. 19. fuſivum ſui*, ait D. Dionyſius h. *Invocabis, &
Dominus exaudiet.* Aliter enim agere, eſt eum
h D. Dio. lib. de Div. Nom. c. 4. profectò offendere.

Inquirendum eſt potiùs, more Dominarum
iſtarum, auxilium Dei, quàm adjutorium homi-
num; & potiùs vocandus Medicus animarum,
quàm Medicus corporum; nec imitandus eſt
puer Samuel, qui, cùm ipſum *vocavit Dominus,
i 1. Reg. 3. 6. &c. cucurrit ad Heli* i Sacerdotem magnum. Mi-
nùs autem eſt adhærendum modu agendi Pro-
toplaſtorum noſtrorum, *Et cùm audiſſent vocem
Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram
poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus
k Gen. 3. 8. à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi* k. Vo-
cat nos Deus ad ſe mediis morbis, afflictionibus,
adverſitatibus, & anguſtiis; nedum autem rectâ
pergamus ad illum, aliò fugimus, recurrimus ad
Medicos, ad pharmaca, ad diætas, ad arbo-
res, ad radices, ad virtutem plantarum, &
ad alia remedia humana reſtituendæ ſanitati
corpori opportuna; & negligimus ea, quæ ſalu-
tem animæ ſpectant. Ha! recurramus ad De-
um, qui ex infirmitatibus iſtis noſtra eruere vult
commoda.

*Cecidit Ochozias per cancellos cænaculi
ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotavit: mi-
ſitque nuntios, dicens ad eos, Ite, conſulite Beel-
zebub deum Accaron, utrùm vivere queam de
infirmitate mea hac. Angelus autem Domini
locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens, Surge,
& aſcende in occurſum nuntiorum Regis Sama-
riæ, & dices ad eos, Nunquid non eſt Deus Iſra-
el, ut eatis ad conſulendum Beelzebub deum Ac-
caron? Quam ob rem hæc dicit Dominus, de
lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed
morte morieris* l. Conſulit nobis Spiritus ſan-
l 4. Reg. 1. 2. &c. ctus, Auditores, ut honorem impendamus Me-
dicis, iſtud eſt rectæ rationi conſonum, & ideò

exequendò, *Honora Medicum propter neceſſita-
tem* m. Appoſitè agimus, cùm vocamus illos ad m Eccl. 38. 1.
nos, & recurrimus ad eos tempore infirmitatis;
ſed ſemper obſervare debemus ordinē, ita ut De-
us vocetur priùs à nobis, quàm Medicus, nedum
Medici Deū præcedant. Proptereà cùm aliquo
laborans morbo, vocate priùs Deum ad auxilium
veſtrū, confitemini peccata veſtra, & conciliate
vobis gratiam ejus mediis Sacramentis. Tunc
omnes veſtras infirmitis operas & curas ut non
moriamini, cùm tamen ſimus omnes morituri, &
neminem lateat *quemadmodum ſtatutum eſt
hominibus ſemel mori* n: ſed non laboratis ut n Heb. 9. 27.
non in æternam jacturam incurratis, qui in æ-
ternum vivere poteſtis, ſi velitis. Corpus enim
mortale eſt, *Corpus corrumpitur* o. Anima eſt o Sap. 9. 15.
immortalis, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt
homo* p. Et Deus ipſe eſt *qui ſolus habet immor-* p Gen. 9. 6.
talitatem q per eſſentiam, quam anima habet per q 1. Tim. 6. 16.
participationem. Tempus congruit corpori, ævi-
ternitas autem ſeu immortalitas convenit ani-
mæ: recurrendum eſt igitur priùs ad Deū, dein-
de ad Medicos. Ecce quis ſit eorum locus, & or-
do. Re autem verâ non debent infirmum bis vi-
ſitare Medici, ſi aliquo ducantur zelo gloriæ Dei
manifeſtandæ, & promovendæ ſalutis ægroti, ni-
ſi priùs idem æger fuerit confeſſus, præſertim ſi
de periculo vitæ illius agitur.

Non dicit Evangeliſta, Martham & Magda-
lenam germanas Lazari adiiſſe perſonaliter Filium
Dei, ut enarrarent ei ſtatum in quo poſitus erat
ipſarum frater infirmus, ſed ſolùm quòd *miſe-
runt ſorores ejus ad eum, dicentes, Domine, ecce
quem amas, infirmatur.* Quid eſt hoc? Audi-
tores. Quare illuſtres hæ Fœminæ, quæ maxi-
mas urbanitatis erant edoctæ, & quas non late-
bat, quòd *Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymā
adorare eum* r, non acceſſerunt præſentialiter ad r Matth. 2. 1. & 2.
Chriſtum exorandum enixè ut fratris ſui ægri
miſereretur, eique priſtinam reſtitueret ſanita-
tem, cùm nihil ſit potentius hoc in occurſu ipſâ
præſentiâ? Non deliquerunt nobiles iſtæ Do-
minæ erga Salvatorem quoad reverentiam &
urbanitatem ei debitam; ſed quia ipſæ exiſtima-
bant, quòd ſufficeret ut Chriſtus moneretur à ſe
infirmitatis fratris ſui, & quòd fide magis acce-
damus ad Deum, quàm præſentiâ corporali, ſi-
cut egit Centurio, qui *cùm audiſſet de Jeſu, mi-
ſit ad eum Seniores Judæorum, rogans eum ut
veniret, & ſanaret ſervum ejus* s; ratæ ſunt s Luc. 7. 3.
quòd iſtud ſatis eſſet. Præterquàm quòd D.
Auguſtinus t ait, *Amanti tantummodò nuncian-* t D. Aug. tract. 49. in Jo. 11.
*dum. Sufficit ut noveris: non enim amas, & de-
ſeris.* Cùm amor veluti pennas præbeat, ut di-
cebat Quidam, *Amor addidit alas.*

Secunda ratio, propter quam Martha & Ma-
ria non adierunt Dei Filium, fuit, quia ipſæ occu-
patæ erant in exhibendis charitatis officiis fratri
ſuo infirmo. Sancta & ſalutaris occupatio!
Profectò enim multa perpeſſus eſſet frater illa-
rum tempore illius inſirmitationis. Non egerunt
illæ ſicut faciunt modò aliquæ mulieres,
quæ infirmos habentes domi viros ſuos, aut
ſuos liberos, duabus aut tribus horis immora-
buntur in templo, cùm domi remanere debeant
ad ſolicitandos ægros ſuos, in quo ſita eſt vera
devotio pro tunc; quia *ubi non eſt mulier,
ingemiſcit egens* u. Et licèt iſtud intelligatur u Eccl. 36. 27.
de eleemoſyna quæ erogatur mendicis à mulieri-
bus, quæ ut plurimùm ſunt magis miſericordes,
quàm viri: poſſumus tamen hoc applicare cuili-

bet operi miſericordiæ, cùm præ omnibus neceſſitatibus corporalibus infirmus ſit maximè egés.

Tertia ratio, quæ removit ſanctas iſtas Fœminas ab adeundo Filio Dei, fuit, quia dedecet ut mulieres huc illucque vagentur, ſed potiùs decet ut domi ſe contineant, quantum in ipſis erit. Cùm duxiſſet domum ſuam tres Angelos hoſpites *Abraham, cùm comediſſent, dixerunt ad eum: Ubi eſt Sara uxor tua? Ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt* x. Eximia lectio,

x Gen. 18. 6. & 9.

quam addiſcere debent mulieres. Si viri curent exteriora, & uxores interiora domus, omnia fient appoſitè. *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ* y. Expedit ut mulieres ſolitudinis ſint amantes. Idcircò Lorinus z dicit, *Cajetanus, & alij obſervant innui modeſtiam uxoris, ut non in atrio, non in porta, non in media domo, in qua ſunt viri, ſed in lateribus, ſeu angulis, & penetralibus domus verſetur.* Non autem ut, ſi pulſetur oſtium, & petatur, Ubi eſt domina domus? eſtne hîc? Nequaquàm, reſpondeat ancilla, ſed ivit ad civitatem, ad deambulationem, ad peragendas viſitationes. *In lateribus domus* manere debent uxores, ſi ipſæ velint ut Deus ſuis benedicat domibus, & ſibi proſperè cuncta ſuccedant.

y Pſ. 127 3.
z Lorin in Pſ. 127 3.

Mulier virtutis amica videtur non debere exire domo, etiamſi ageretur de vita fratris ſui germani. Martha & Magdalena hanc praxi ſua edocent veritatem, cujus rationem dat Dionyſius Carthuſianus a, dicens, *Nec decuit eas perſonaliter ire ad Jeſum, cùm quoniam fœminæ erant, quas non decet diſcurrere, dummodò per alios queant ſua negotia expedire.* Non eſt decorum, imò neque ſecurum ut mulieres longè recedant domo; itinerationes debent illis eſſe ſuſpectæ, cùm perſæpè famæ ipſarum ſint damnoſæ. Exemplum habent illæ in Dina filia Jacob, & ſorore duodecim Patriarcharum, *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Hevæi, Princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem. Et ecce arreptis, duo filij Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ, gladijs, ingreſſi ſunt urbem confidenter: interfectiſque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam. Quibus egreſſis, irruerunt ſuper occiſos cæteri filij Jacob: & depopulati ſunt urbem in ultionem ſtupri* b. Videos quomodo egreſſus Dinæ aperuerit viam ruinæ Sichimitarum.

a Dion. Carth. in Jo. 11. 3.
b Gen. 34 2. &c.

Antiqui autem inter ſua emblemata agnoſcentes quàm neceſſaria eſſet ſolitudo mulieribus, pingebant eas cum teſtudine ſub pedibus. Sicut enim teſtudo eſt animal, quod lentè & pedetentim incedit, & è ſuo nunquam egreditur tegmine, quod eſt domus ipſius portabilis: ſic fœminæ virtutis & famæ ſuæ tuendæ amantes, nunquam vagari debent, nec exire domo niſi raro, & cùm id neceſſitas exegerit, ut pergant ad templum, aut ad alia peragenda negotia, quæ ab alijs fieri non poſſint.

Sed inſpiciamus tenorem epiſtolæ, quam ſcripſerunt Martha & Magdalena Salvatori in gratiam fratris ſui languentis, ut ab eo ſanaretur, *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Ecce pauca verba, quæ edocent mulieres, non eſſe decorum ut ipſæ tam multùm loquantur, cùm hanc ipſis duæ iſtæ mulieres ſubminiſtrent lectionem. Et Spiritus ſanctus loquens de ſilentio mulierum, ait, *Mulier ſenſata, & tacita* c. Quaſi diceret organo Eccleſiaſtici, Mulieres, multùm loquimini? oſtenditis vos non eſſe ſenſatas.

c Eccl. 26 18.

Cùm traditus eſſet aliàs adoleſcens quidam Pythagoræ edocendus, inter alia documenta, quæ præbuit huic adoleſcenti Philoſophus iſte, qui erat melancholicus, & taciturnus, quique ut ſic non loquebatur niſi rarò, dixit ei, *Hirundinem domi non habeto.* Hirundo nihil habet communius, quàm clamare: quid autem agunt mulieres non rectè ſenſatæ domi? Nihil eſt illis magis ordinarium, quàm contentâ voce inclamare, & ſtrepitibus omnia replere. Hoc eſt quod peragitur in morbo Lazari. Veniamus ad mortem ejus.

Venit itaque Jeſus: & invènit eum quatuor dies jam in monumento habentem. Martha ergo ut audivit, quia Jeſus venit, occurrit illi. Dixit ergo Martha ad Jeſum, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Heu! Auditores, qui fuiſſet intuitus ſtatum in quo poſita erat hæc fœmina, lacrymas continere non potuiſſet, ſicut revera compaſſus eſt ei Dei Filius, qui Magdalenam etiam *ut vidit plorantem, & Judæos plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt*, non propter mortem amici ſui, ſed ob cauſam hujus mortis, quæ eſt crimen Protoplaſti noſtri, quod lacrymari eum facit, quia *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatũ mors* d. Quale prodigium videre flentem eum, *in quo benè* e *ſibi Pater æternus complacet*; & *in quem deſiderant Angeli proſpicere* f. Alij dicunt, eum lacrymatum eſſe, ut oſtenderet ſe verum hominem, contra quoſdam Hæreticos imaginatos, corpus illius finxiſſe phantaſticum, *Quid tam diligenter quoties lacrymatus eſt, meminit Evangeliſta, & quòd infremuerit? Ut intelligas, verè naturam noſtram induiſſe*, ait D. Chryſoſtomus g. Stante Sole h tempore Joſue, mirabatur unuſquiſque, & hujuſmodi exquirebat rationem miraculi, nunc verò cùm obſcuratur *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* i, nemo eſt qui non petat, Cur? Alij ſentiunt, quòd *lacrymatus eſt Jeſus* in morte amici ſui Lazari, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorũ* k. Propterea lacrymas fudit. Aboliturus David ſuſpicionem de ſe conceptam, ne communicaſſet proditioni Joab adversùs Abner, quem *percuſſit in inguine, & mortuus eſt: cùm ſepeliſſent Abner in Hebron, levavit Rex David vocem ſuam, & flevit ſuper tumulum Abner*. Et ſic creditus fuit innocés à cæde ejus, ſicut ipſe dixerat, *Mundus ego ſum apud Deum à ſanguine Abner* l. Sic Chriſtus agnoſcitur non eſſe author mortis, cùm fleat in interitu Lazari. Alij opinati ſunt, eũ fleviſſe præ amore, quo erga eum afficiebatur, *Dixerunt ergo Judæi, Ecce quomodo amabat eum?* Alij aſſerunt, illum in fletus erupiſſe, quia ſuſcitaturus erat Lazarum, & reſtituturus ei vitam anguſtiis redundantem, ut docet Concilium Toletanum m, *Dominus non flevit Lazarum mortuum, ſed ad hujus vitæ ærumnas ploravit ſuſcitandum.*

d Rom. 5. 12.
e Matth. 17. 5.
f 1. Petr. 1. 12.
g D. Ch. Hom. 62 in Ioan.
11. 32.
h Ioſue 10. 13.
i Eccl. ex Mal. 4. 2.
k Sap. 1. 13.
l 2. Reg. 3 26. &c.
m Conc. Tolet. 3. can. 21.

Heu! Auditores, nunquid non intolerandâ perculſi ſumus nos cæcitate? Dei Filius plorat, nos verò non ploramus? Et ipſe die heſternâ intuitus viduam civitatis Naim plorantem in morte filii ſui, qui *efferebatur, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere* n. Et adhuc hodie *lacrymatus eſt Jeſus.* Heu! plorat Lazarum in tu-

n Luc. 7. 12. & 13.

in tumulo, quia ſibi repræſentat mundum ſepultum in monumento peccati, & quòd ad ſuſcitandum illum oportebit ut intra exiguum tempus futura ſit ſua *triſtis Anima uſque ad mortem* o. Et faciendus ſit *ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* p. Et moriturus ſit ipſe inter duos *latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris* q; *cum clamore valido & lacrymis* r. Peccator, *lacrymatus eſt Jeſus*, intuitus miſerandum ſtatum, in quo poſitus es; peccata tua eum ad lacrymas cient, & mortem ei citò inferent, ut ipſe tibi retribuat vitam: moriturus eſt, ut te reſuſcitet. Tres ſuſcitavit Dei Filius mortuos; filiam Jairi Principis Synagogæ Capharnaū duodennem s; filium viduæ Naim t; & hodie Lazarum. Hi tres mortui repræſentant tria genera peccatorum, originalis, mortalis, & venialis. Vel meliùs, tria alia genera, cogitationis, verbi, & operis. Filia Jairi ſuſcitata domi, figurat cogitationem, quæ nondum eſt extra animam. Filius viduæ Naim ſuſcitatus in portâ civitatis, ſignificat verbum, quod eſt jam in ore, quod eſt oſtiū animæ: hæc duo ſuſcitantur facilè, & facilè dimittuntur: ſed *Lazarus quatriduanus* innuit peccatum operis, peccatum inveteratum, peccatum conſuetudinis, quod laborare facit Chriſtum.

o Matth. 26. 38.
p Luc. 22. 44.
q Luc. 23. 33.
r Hebr. 5. 7.
s Matth. 9. 26.
t Luc. 7. 15.

Propter novam rationem, Magdalenam *Jeſus ut vidit plorantem, lacrymatus eſt*. Videns enim dolorem hujus Mariæ ſororis Lazari, prævidebat & repræſentabat ſibi dolores alterius Mariæ honoratiſſimæ Genitricis ſuæ. Heu! quā ſenſibiles erunt dolores iſti, & multò ſenſibiliores doloribus Magdalenæ, dicebat intra ſe Salvator. Si intueor hic iſtas duas ſorores deſolatas, quandiu habent apud ſe conſolatorem, heu, quis conſolabitur Matrem meam mari amaritudinis immerſam, cùm *ipſius animam pertranſibit gladius* u, cùm videbit ipſa me, qui eram cauſa conſolationis ejus, effectum motivum doloris ipſius? cùm diſcet me traditum manibus Judæorum ab uno è diſcipulis meis, & negatum ab alio, & ab omnibus derelictum x! Heu, quânam perfundetur iſta dulciſſima Genitrix conſolatione, quando audiet *quòd* Filius ſuus chariſſimus *tradidit in mortem animam ſuam & cū ſceleratis reputatus eſt* y! Si duæ ſorores iſtæ vident fratrem mortuum, ſaltem viderunt illæ eum mori in cubili ſuo: ſed altera Maria *juxta crucem Jeſu* ſtans, videbit ipſum *inclinato capite ſpiritum* z tradere. Prior non eſt niſi *frater*, ego verò ſum Filius. Ipſe *Lazarus mortuus eſt* in lecto ſuo; ego verò moriar in cruce. Ille auxilium ſuſcepit neceſſarium; ego verò derelinquar ab omnibus in hoc ſtatu miſeriæ, in quo nudus è vivis excedam. Iſtæ duæ ſunt ſorores, & hæc eſt Mater mea. Lacrymæ earum ſunt juſtæ, ſed juſtiores erunt Genitricis meæ gemitus.

u Luc. 2. 35.
x Matth. 26. 14. &c.
y Iſai. 53. 12.
z Jo. 19. 25. & 30.

Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca; & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Jeſus, Tollite lapidem. Peccator, qui eſiſte *Lazarus mortuus, jam fœtens, quatriduanus enim es*, & ut ſic pravum exhalans odorem naribus Dei, idem dico tibi quod *ait Jeſus, Lapidem* tolle. Avare, cui dici poteſt, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarū pauperum & innocentum* a, tolle *lapidem* boni alieni: niſi enim eum tollas, nunquam exibis foras: *Lazare veni foras*, & confitere tua peccata. Impudice, tolle *lapidem* iſtius ſcorti, quo concluſus es in tumulo tuarum ſordium; quandiu lapis iſte te conſtrictum tenebit, non poteris cōfiteri niſi ad damnationem tuam, & ſi in illo ſtatu communices, manducans *indignè, judicium* tibi manducabis, *non dijudicans Corpus Domini* b. Iracunde, qui intuitu honoris mundi inhonoras Deum; qui tuæ mortem infers animæ, cùm parcere nolis, quia *qui non diligit, manet in morte* c, tolle *lapidem* odii & inimicitiæ, confitere peccatum tuum, & noli ampliùs ſævitiam tuam, pallio juſtitiæ obtegere, agnoſcendo quòd ſi inimico tuo malum deſideres, aut irroges, tibimetipſi magis officis: oportet ergo ut tollas iſtū *lapidem*, & niſi eum tuleris, nec omnes Confeſſarii, imò nec ipſi Pœnitentiarii ſummi Pontificis illum unquam tollent. *Tollite lapidem* peccatores, quicumque ſitis vos, ſi vultis ut Jeſus vos ſuſcitet à morte peccati ad vitam gratiæ, *tollite* peccatum, *tollite* occaſiones peccati, & intuendum exhibete ſtatum conſcientiæ veſtræ Confeſſario. *Tulerunt ergo lapidem. Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat, dixi; ut credant, quia tu me miſiſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis.* Super quæ ultima verba ait D. Chryſoſtomus d, *Prodiit ergo Lazarus ligatus: inde ne imaginationem quandam eſſe putares*. Et ut miraculum redderetur ſplendidius contra malitiam Judæorum. *Dixit eis Jeſus, Solvite eum, & ſinite abire.* Super quod dicit Hugo Cardinalis e, *Ideò juſſit ut ſolvant eum, ut tangentes, & prope eum accedentes certiſſimè cognoſcant quoniam vere ille eſt*, & manifeſtè intueantur Divinitatem Chriſti. *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.* Peccator igitur obſtinate in peccato tuo, *veni foras* ex hoc monumento peccati. Vos verò Domini mei Sacerdotes, qui habetis *claves Regni cœlorum* f, hos *ſolvite, & ſinite abire* hos vinctos qui proſternent ſe coram vobis, dimittite eis peccata eorum, & oſtendentes eis quanta ſit gravitas criminis ipſorum, veſtram largimini eis benedictionem, ut reſurgere poſſint ad Deum in hoc mundo per gratiam, & in altero mundo per gloriam.

a Jer. 2. 34.
b 1. Cor. 11. 29.
c 1. Jo. 3. 14.
d D. Chryſoſt. hom. 63. in Jo. 11. 44.
e Hug. Card. in Jo. 11. 44.
f Matth. 16. 17.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. 46.

ELoquentiæ Romanæ fœcundus parens Marcus Tullius Cicero a ait, quòd explicare aliàs vexilla bellica inter Romanos, idem erat ac bellum indicere, cogere milites, & exercitus congregare, *Vexillo opus eſt*. Inter alia autem civitas hæc bellicoſa, & ita commendabilis propter triumphos ſuos Roma unum habebat ſignum aut vexillum, quod vocabatur phœniceum coloris purpurei, quod nunquam educebatur à capitolio niſi ob maximas

a Cic. lib. 10. Epiſt. epiſt. 17. ad Attic.

mas conclamationes ad arma, & propter eum finem ut univerſa igne æquè ac ferro delerentur abſque ulla miſericordia, ob irrogatam huic eximiæ civitati inſignem ac atrocem aliquam injuriam, quam ipſa decreverat ulciſci irremiſſibiliter. Sancta Eccleſia *b* Romana, Auditores, eodem ſe gerit hodiernâ die modo, eidem incumbit annquæ Romæ praxi, & conclamat ad arma, explicando ſigna, ut nos inducat ad prælium, & ad ſumendam vindictam de injuſtitia ſacrilega exercita adversùs Sponſum ipſius,

b Eccleſ. ex Ioan. 19. 1. &c.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis myſterium.
Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, clavi, lancea.

Et more alterius Marci Antonii intuendam nobis exhibet ſubuculam iſtius invincibilis Cæſaris, Verbi incarnati, ſacram humanitatem Filii Virginis Deiparæ diſciſſam, & Sanguine opertam, ut inducat nos hoc intuitu (ſi in nobis viget adhuc aliquis zeli apex, ullus amoris affectus) ad ſumendam ultionem de tam enormi crimine. Nullius Filius Dei fuit conſcius criminis, nedum pœna illius irrogaretur ei, quin è contrà *attritus eſt propter ſcelera noſtra* c. Iniquitates noſtræ intulerunt ei mortem, malitiæ noſtræ fuerunt cauſa interitus illius. Semper ipſe fuit innocens, propterea crudeliſſimis ſuis hodie ait inimicis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non ego equidem, Salvator adorande, ſed è contrà intendo tuarum exhibere me præconem magnitudinum, tuam proclamare ſanctitatem, & innocentiæ tuæ apologiam concinnare. Meis Pater æterne faveto conſiliis. Tu verò Virgo ſacratiſſima continua favorem auxilii tui, eum agatur hîc de honore chariſſimi Filii tui: tu peperiſti eum impeccabilem, quem reclinaſti *in præſepio* d conceptum virtute Spiritus ſancti, cùm *virtus Altiſſimi tibi* e obumbravit, & cùm reſpondiſti, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, Angelo myſterii Incarnationis nuncio, dicenti tibi, *Ave Maria.*

c Iſai. 53. 5.
d Luc. 2. 7.
e Luc 1. 35. &c.

Origenes f ait, *Continet Servatoris libertatem & fiduciam oratio, Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nimirum quòd verba Textus noſtri eximium præ ſe ferant inſignis fiduciæ teſtimonium. Nullius eſt conſcius Dei Filius criminis; ergo innocens eſt: ipſe eſt immunis à peccato: igitur omnino ſanctus eſt. Ideò de nihilo unquam æquè gloriatur ac de ſanctitate, quæ felicitatem ipſius conſtituit ſempiternam, *Magnificabor, & ſanctificabor* g. *Id eſt, Magnus, & ſanctus apparebo*, ait Hugo *h* Cardinalis. *In ſancta impiorum vindicta*, ſubdit Cornelius i. Quaſi diceret, quòd ſanctitas ſua eſt ſcutum validiſſimum, quod ipſe opponit ictibus potentiſſimis inimicorum ſuorum, qui ſatagentes caligine offundere gloriam ipſius, vellent ipſi eripere id, quod ipſius conſtituit felicitatem. Hoc eſt illud Divinum triſagion, quod concinebant illi beati ſpiritus, quos vidit Iſaias *k*, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ ejus.* Et Eccleſia, quæ eſt Sponſa ipſius, quippe *quam acquiſivit Sanguine ſuo* l, *& dilexit, & ſeipſum tradidit pro ea: ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata* m: hæc, inquam, Eccleſia n concinit jugiter Sponſo ſuo, *Quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus Jeſu Chriſte in gloria Dei Patris.* Sic amat ipſe ſanctitatem, ut ipſo creationis momento eam operibus manuum ſuarum decreverit imprimere, *Sanctus in omnibus operibus ſuis* o. Re autem vera univerſæ creaturæ aliquam præ ſe ferunt ſcintillam & ſimilitudinem, aliquem charactêrem, aut aliquod veſtigium potentiæ, & aliarum perfectionum ſeu attributorum Dei. Sol v. g. qui ſuis nos illuminat radiis, quibus eſt coronatus pompancè, oſtendit nobis *quoniam Deus Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ* p; *& Lux in tenebris lucet* q, ut appareat ipſe *magnus Dominus, & laudabilis nimis* r. Aſtra, & ſtellæ, quas *Deus poſuit in firmamento cœli, ut lucerent ſuper terram: & præeſſent diei, ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras* s, monſtrant nobis influentiis ſuis, *quam bonus* ſit Dominus *Iſrael Deus* t, & quàm liberaliter & magnificè ſe communicet, quia *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ut ait D. Dionyſius u. Mare vaſtâ ſua extenſione publicat, quod *gloria & divitiæ in domo ejus* x: *quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Magnus eſt, & non habet finem: excelſus & immenſus* y. Terra fœcunditate ſuâ docet nos, quòd ipſe *qui generationem cæteris* tribuit, *ſterilis* z non eſt. Cœlum magnificat potentiam ejus, quoniam opus illius eſt, *Opera manuum tuarum ſunt cœli* a. Tandem, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine* b. Habemus in nobiſipſis charactêres magnitudinis ejus, nec ulla eſt creatura, quæ aliquam non propalet ex perfectionibus ejus. Sicut autem conſueverunt Magnates explicanda ſatagere ſuper tapetibus ſuis, abacis, ſtemmatibus, & tumulis ea omnia quæ ipſi habent exquiſitiſſima, quæque ſplendorem domûs ipſorum magnificare poſſunt, qualia ſunt pretioſa ſupellex, vaſa aurea aut argentea, theſauri, divitiæ, &c. ita Deus imprimere voluit omnibus creaturis, ut ſtemmatibus ſuis & inſignibus ſuis ſanctitatem ſuam, *Sanctus in omnibus operibus ſuis.* Hanc eruere vult veritatem ex ore inimicorum ſuorum dæmonum, qui coguntur (licèt inviti) hanc fateri ſanctitatem, *Scio te, quia ſis Sanctus Dei* c. Nolite igitur mirari, ſi ſuam hodiernâ die vult Dei Filius agnoſci innocentiam, & ſi dicit palam inimicis ſuis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Loquar ego organo ejus, & oſtendam vobis Primò, quòd in Chriſto nullum erat peccatum, imò verò nec ullum eſſe poterat. Secundò, Quòd ſi Chriſtus hanc facit propoſitionem ante mortem ſuam, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* hoc ideò agit ut ſuam educat innocentiam ex ore inimicorum ſuorum; & ut inducat nos ad peragendum idem, quod ipſe facit.

f Orig. tom. 20. commēt. in Ioan. 8. 46.
g Ezech. 38. 23.
h Hug. Card in Ezech. 38. 23.
i Cornel. in Ezech 38. 23.
k Iſai. 6. 3.
l Act. 20. 28.
m Eph. 5. 25. &c.
n Eccl. ex Iſai. 6. 3. & ex Eſth. 53. 11. & ex Pſ. 82. 19.
o Pſ. 144. 13.
p 1 Jo. 1. 5.
q Ioan. 1. 5.
r Pſ. 47. 2
s Gen. 1. 16. & 17.
t Pſ. 72. 1.
u D. Dio. lib. de Div. Nō. c. 4.
x Pſ. 111. 3
y Baruch. 3. 25.
z Iſa. 66. 9.
a Pſ. 101. 26. & Heb. 1. 10.
b Pſ. 4. 7.
c Luc. 4. 34.
Diviſio.

Jeſus Chriſtus non poterat peccare; & nunquam peccavit. Unum ſequitur ex altero ut infallibilis conſequentia ex ſuo antecedenti. Non habens potentiam, habere non poterat actum. Iſtud eſt pro compertiſſimo, & hoc probo. Erat in Chriſto duplex natura diverſa, ſed non confuſa in eodem ſuppoſito, natura Divina, & natura humana. Quoad naturam Divinam, *Verbum caro factum* d, Filius Virginis nunquam peccavit: peccator enim per peccatum ſuum recedit à Deo, qui eſt tota cauſa felicitatis ipſius, & in hoc triſti receſſu ſuam invenit ruinam, *Quia ecce, qui elongant ſe à te, peribunt* e. In abyſſum ſe præcipitat infortunii, recedit à ſalute, cùm illius cauſam deſerat, *Longè à peccatoribus ſalus* f.

1. Para.
d Joan. 1. 14.
e Pſ. 72. 27
f Pſ. 118. 155.

Ideò

Ideò enim à peccatoribus longè eſt ſalus, quia ipſi ſaluti appropinquare nolunt, ait Incognitus g. Qui

g Incogn. in Pſ. 118. 155.

ſtatim pòſt ſubdit iſtius rationem. *Sicut enim anima nunquam deſerit corpus, niſi ex defectu corporis; nempe propter infirmitatem, ſeâtum, vel illationem paſſionis ab extra*: *ſic & Deus animam non deſerit, niſi propter defectum animæ. Non Deus, qui eſt ſalus* h, *elongat ſe ab eis, ſed ipſi elongantur à Deo; non quidem loco, ſed moribus. Quid eſt ergo longè eſſe à Deo, niſi Deum deſerere? Quid eſt Deum deſerere, niſi mandata ejus non cuſtodire? Quare ergo ſalus longè eſt à peccatoribus, niſi quia juſtificationes, id eſt, mandata, Dei non cuſtodierunt? Idem eſt ergo longè eſſe à Deo, quod ejus mandata non cuſtodire.* Sed Filius Dei non poterat ſe elongare à ſeipſo, cùm ipſe ſit ſummum & *omne Bonū* i, in quo ſunt omnia bona, & in quo univerſæ perfectiones inveniuntur unitæ ut in centro ſuo. *Peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam*, ajunt Theologi innixi ei, quod ait Jeremias k, *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſâ? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Atqui Filius Dei ſemetipſum nullo deſerere poterat modo, ut ſe converteret ad creaturam, cùm ipſa nihil habeat niſi ex communicatione ipſius Dei, quodque Deus præ ſummo non poſſideat eminentiæ gradu, *Quid habes, quod non accepiſti* l? Peccare eſt voluntariè declinare à regulâ, quam Superior movens præſcripſit; eſt agere contra voluntatem ejus notam: atqui Jeſus Chriſtus prout Deus nullum agnoſcit Superiorem, cui ſuas exhibere teneatur obedientias, *Ego & Pater unum ſumus* m. Sed ipſe eſt regula omnium: dicendum eſt ergo, quòd ipſe non poſſit peccare. Voluntas ejus eſt veluti primum mobile, quod debet trahere poſt ſe omnes alias ſphæras inferiores, id eſt, omnes voluntates creatas, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* n. Et, *Omnia per ipſum facta ſunt* o. Si autē peccare poſſet Chriſtus quatenus Deus, hoc eſſet aut cooperando peccato concurſu ſuo, aut volendo peccatum, quod non eſt, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* p: Aut jubendo impoſſibilia, aut non puniendo criminoſos & delinquētes. Sed omnibus iſtis modis Deus non cooperatur peccato. Nō eſt conſcius peccati cùm illud nolit, ut dixi. Non præcipit impoſſibilia, cùm lex ipſius ſit ſuavis, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve* q, ait ipſe, *Et mandata ejus gravia non ſunt* r. Et ideò penes nos eſt adjutos gratia ejus, illam obſervare; & ut ſic obſervabilis eſt, quidquid dicant Hæretici noſtri; ipſemet id aſſerit, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non ſupra te eſt, neque procul poſitum: ſed juxta te eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum* s. Deus debitas de peccatoribus ſumit pœnas. Inſipita veritatis hujus exempla præbet nobis Scriptura t, ut cùm *factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram; conſumptaque eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram; univerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculū vitæ eſt in terrâ, mortua ſunt*, in ultionem ſcelerum primorum hominum. *Cùm vidiſſet Deus terrā eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram* u.) Si autem Deus non puniat peccata in hoc mundo, ſeveriùs caſtigabit ea in altero, cùm peccatores *ibunt in ſupplicium æternum* x. Et tunc dilatio mulctæ non erit niſi ad augendam pœnam. Nunquam cooperatur peccato; concurrit quidem

h ex Pſ. 87. 2.

i Exod 33 19.

k Jer. 8 5 & 6.

l 1. Cor. 4 7.

m Jo. 10. 30.

n Act. 17. 28.

o Jo. 1. 3

p Pſ. 5. 5.

q Matth 11. 30.

r 1 Jo. 5 3

s Deut. 30. 11 & 14.

t Gen. 7. 17. &c.

u Gen. 6 12

x Matth. 25. 46.

cum peccatore ad ſubſtantiam materialem actus, non autem ad formale peccati, ſeu ad deformitatem ejus, in quâ ſita eſt tota illius malitia. Si peccator ſuo libero abutatur arbitrio, culpa illius nō debet attribui Deo, quia *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui* y; ſed malæ ipſius peccatoris voluntati. Sicut cùm Dux ſuum erigit exercitum, & enſem porrigit militi, & intendit ut eo utatur adversùs hoſtes, bonam præ ſe fert intentionem, & conformem intentioni Principis: ſi autem eodem enſe miles occidat, aut vulneret amicum, crimen militis non eſt imputandum Duci, ſed ſoli malitiæ militis; ita Deus indulgens nobis hanc eximiam prærogativam liberi arbitrii, quæ eſt nobilitas naturæ noſtræ, ſupponit & intendit ut hanc libertatem impendamus ad operandam ſalutem noſtram: ſi autem aliter agamus, hoc noſtræ aſcribendum eſt culpæ, cujus non eſt ipſe conſcius, cùm dicat, *Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum* z. Alioquin innumeræ ſequerentur inde abſurditates, & Deus non eſſet Deus, cùm peccatum non poſſit naturæ ejus ſociari: *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial* a? Quia earum altera unius ſupponit deſtructionem alterius. Hinc videtis quomodo Jeſus Chriſtus prout Deus non peccat, nec peccare poteſt: videamus nunc quomodo non peccet, nec peccare poſſit quatenus homo, & verificemus id, quod ipſe propalat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

y Eccl. 15 14 &c.

z Oſee 13 9.

a 2. Cor. 6 14. & 15.

Quòd Jeſus Chriſtus quatenus homo ſit impeccabilis, Scriptura b id evincit, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Licèt enim natura, quam ſumpſit, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* c; conſiderata in abſtracto in ſemetipſâ, ſit fragilis, flexibilis, & obnoxia miſeriis, laboribus, & aliis ſtipendiis naturæ humanæ, *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute meâ* d; ſi excludatur peccatum, ut ex dictis patet; & ignorantia, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* e: tamen unita perſonæ Verbi eſt impeccabilis, pura, & ſancta ut Verbum: ſicut enim virga ſola eſt flexibilis, fractu facilis, nec ullo reſiſtit modo; ſi autem ex utrâque parte extremâ alligetur columnæ marmoreæ, ita eſt inflexibilis ac ipſa columna; ſic dicendum eſt de naturâ humanâ: antequàm uniatur ſuppoſito Divino, nihil eſt eâ debilius & fragilius; ſed ubi eſt alligata magnæ columnæ Divinitatis inconcuſſæ, *Ipſi peribunt, tu autem permanebis* f; & eſt unita hypoſtaticè perſonæ Verbi, impoſſibile eſt ut ipſa flectatur & incurvetur ad inducendam formam peccati. *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* g.

b 1. Petr. 2 22. ex Iſa. 53. 9.

c Philipp. 2. 7.

d Pſ. 87. 16.

e Hebr. 4 13.

f Hebr 1. 12. ex Pſ. 101 27.

g Hebr. 7 26.

Quandiu ferrum ardet in fornace, non eſt obnoxium rubigini, ſed præ ſe fert colorem, & omnes effectus ignis, & miro lucet modo: humanitas noſtra unita Divinitati in myſterio ineffabili incarnationis in perſonâ Verbi, erat veluti in magnâ fornace charitatis, *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* h. Idcircò non poterat ipſa rubiginem contrahere peccati, ſed debebat participare naturam & effectus Divinitatis, & ſociari omnibus illius attributis per communicationem idiomatum & naturarū; ita ut verum ſit dicere, quòd Deus eſt homo, & quòd homo eſt Deus. Quandiu Luna Solem intuetur, ipſa ſemper lucet, & nunquam

h Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24.

quam eclypſim patitur : atqui humanitas Jeſu
i Cant. 6. 9. Chriſti, *quæ eſt pulchra ut Luna* i, ſemper fixis
intuita eſt oculis ab inſtanti cõceptionis ſuæ, Di-
k Malach. 4. 2. vinitatem, quæ eſt *Sol juſtitiæ* k. Non poterat
ergo offundi eclypſi peccati, nec amittere lucem
virtutis, & ſplendorem innocentiæ; alioquin o-
portuiſſet ut ipſa fuiſſet deſtituta iſto ſpecioſo in-
tuitu, & conſequenter ut ipſa non fuiſſet beata,
quod blaſphemiam invehit æquè ac impoſſibili-
tatem. Ratio iſtius eſt, quia ipſa ſemper eſt intuita
hunc Solem Divinitatis, nec unquam Verbũ Di-
vinum deſeret iſtam, quam cepit humanitatem,
Quod ſemel aſſumpſit, nunquã dimiſit, ajũt Theo-
logi. Ideò nunquã peccavit, nec peccare potuit.

Jeſus Chriſtus publicatus fuit Sanctus in nati-
l Luc. 1. 35. vitate ſuâ ab Angelo, *Quod naſcetur ex te San-*
ctum, vocebitur Filius Dei l. Ab inimicis ſuis in
m Jo. 7. 12. vitâ ſuâ, *Quidã enim dicebant, Quia bonus eſt* m.
A Pilato, *Ego nullam invenio in eo cauſam* n. Ab
n Jo. 18. 38. ejus uxore, *Nihil tibi & Juſto illi* o. A Juda, *Pec-*
o Matth. 27. 19 *cavi, tradens Sanguinem juſtum* p. Imò verò à
dæmonibus, ut jam dixi, *Scio te, quia ſis Sanctus*
p Matth. 27. 4. *Dei* q. In morte ſuâ à Centurione, *Verè Filius*
Dei erat iſte r. Vel, *Verè hic homo juſtus erat* s.
q Luc 4. 34. A Judæis & aliis, *Et omnis turba eorum qui ſimul*
r Matth. 27. 54. *aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ*
fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur t.
s Luc. 23 47. Poſt mortem ſuam, *Et obſcuratus eſt Sol* u. *Et*
t Luc. 23. 48. *ecce velũ templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſum-*
mo uſq; deorſum; & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ
u Luc 23 45. *ſunt, & monumenta aperta ſunt; & multa cor-*
pora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt x.
x Matt 27 51, & 18. Innocens igitur eſt, & moritur ut criminoſus, nõ
pro peccatis ſuis, quia nulla unquam commiſit,
ſed pro noſtris, quia cauſam noſtrã præſtitit cau-
ſam, ut nos juſtificaret, *Eum qui non noverat pec-*
catum, pro nobis peccatũ fecit: ut nos efficeremur
y 2. Cor. 5. 21. *juſtitia Dei in ipſo* y. *Id eſt, Chriſtũ pro nobis pec-*
catum fecit Deus, cui reconciliandi ſumus: hoc
eſt, ſacrificium pro peccatis, per quod reconciliari
z D Aug in Enchiridion, c. 41. *valeremus*, ait D. Auguſtinus z.

Tria admittuntur genera ſanctitatis, quæ cõ-
veniunt humanitati Jeſu Chriſti. Primum genus
ſanctitatis eſt, *Ut ſanctitas attribuatur his, quæ*
Divino cultui applicantur, ita quod non ſolùm ho-
mines, ſed etiã templũ, & vaſa, & alia hujuſmodi
ſanctificari dicantur ex hoc, quòd cultui Divino
a D. Th. 2. 2. q 81 a. 8. in corp. *applicantur*, ait D. Thomas a. Ideò illi, qui ea
profanant aſſignationibus inhoneſtis, aſpectibus
impudicis, colloquiis & confabulationibus ob-
ſcœnis, merentur ſeverè puniri ut ſacrilegi, *At-*
tendite domus Iſraël, & domus Regis auſcultate
quia vobis judicium eſt, quoniã laqueus facti eſtis
ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor. Et
victimas declinaſtis in profundum: & ego erudi-
b Oſee 5. 1. & 2. *tor omnium eorum* b. Verbà quæ terrorem im-
modicum debent incutere, & ſanguinẽ velut gla-
ciem in venis conſtringere. Ad cujus probationẽ,
cùm profanaſſet *Baltaſſar Rex vaſa aurea & ar-*
gentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater
ejus de templo quod fuit in Jeruſalem: in eàdem
horâ apparuerũt digiti, quaſi manus hominis ſcri-
bentis contra candelabrum in ſuperficie parietis
aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus
ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, &
c Dan. 5. 5. &c. *cogitationes ejus conturbabant eũ: & compages re-*
num ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicẽ
collidebantur. Hæc eſt autem ſcriptura, quæ dige-
ſta eſt: Mane, Thecel, Phares. Eâdem nocte inter-
fectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus. Humanitas ſa-
cra Jeſu Chriſti dedicata eſt Deo cultu ſpeciali:
nemo eſt qui dubitet de hoc, cùm deberet eſſe
Arca *habens manna* d Divinitatis. d Hebr. 9 4.

Secundum genus ſanctitatis eſt, ut illud dica-
tur ſanctum, quod peculiari quodam cultu ho-
noratur à Deo. Hinc D. Auguſtinus e ait de vir- e D. Aug. lib. de S. Virginit. c. 8.
ginitate, *Neque & ipſa, quia virginitas eſt, ſed*
quia Deo dicata eſt, honoratur. Quòd Deus dilex-
erit & veneratus ſit ſanctam humanitatem Jeſu
Chriſti, hoc colligo ex ipſo, & ex ipſius proceden-
di modo. Si amavit res quas deſtinavit ad
obſequium ſuum, & eas honore ſpeciali proſe-
cutus eſt, *Sanctificavi domũ hanc, ut ponerẽ nomẽ*
meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei &
cor meum ibi cunctis diebus f: quantò majori f 3. Reg. 9. 3.
ratione ſanctam humanitatem Jeſu Chriſti, quæ
debebat eſſe tabernaculum Divinitatis, *in quo*
ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſcon-
diti: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Di-
vinitas corporaliter g. Dum Jeſus *perambula-* g Coloſſ. 2. 3. & 9.
bat Iericho, Zachæus quærebat videre Ieſum quis
eſſet: & non poterat præ turbâ, quia ſtaturâ pu-
ſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſy-
comorum ut videret eum: quia inde erat tranſi-
turus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Je-
ſus vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe, feſti-
nans deſcende h. Sed quare Dei Filius juſſit Za- h Luc. 19. 5. &c.
chæo ut deſcenderet è ſycomoro? Ha! Audito-
res, cùm ſycomorus illa eſſet figura Crucis, ut in-
nuit D. Auguſtinus i, videns Chriſtus Zachæum i D. Aug. ſerm. 8. de Verb. Apoſt. c. 3
in figuram Crucis, æmulatur illi Crucem, eamque
ſibi vult totam; illam elegit ſibi *in capite libri* k: k Pſ. 39. 9
eamque tanto diligit affectu, ut æquo ferre non
poſſit animo eripiendum ſibi hujuſmodi hono-
rem. Hanc docet me veritatem Scriptura, quæ
repræſentat nobis Deum deambulantem *in pa-*
radiſo ad auram poſt meridiem poſt peccatum
Adæ & intuitum illud *lignum* l quod fuit cauſa l Gen. 3. 6. &c.
infortunij noſtri, notantem illud & deſignantem
ad futuros ſuos uſus,

Ipſe lignum tunc notavit,
Damna ligni ut ſolveret m. m Eccleſ. ex Gen. 3. 6. & 8.

Cur autem creditis quòd voluit eſſe *fabri Filius*
n putativus, non autem alterius opificis? Ratio n Matth. 13. 55.
iſtius eſt, quia cùm inſumere deberet lignum o o Ioan. 19. 18. &
ſub finem vitæ ſuæ ad redimendum mundum,
diſcere voluit ab infantiâ ſuâ quomodonam eſſet
illud tractandum: proptereà ſuam tranſigit ado-
leſcentiam & juventutem circa materiam, quam
judicat maximo operum ſuorum perficiendo op-
portunam, & complacet ſibi videre in labore
ſuo continuam ſuæ Paſſionis imaginem. Jeſus ze-
lu ducitur erga iſtam arborem, nec alteri glori-
am illius aliquo vult cedere modo,

Ipſe lignum tunc notavit,
Damna ligni ut ſolveret.

In hoc agit ut nobilis aliquis Vir, qui deambu-
lans per ſylvam, & obviam habens aliquam ſpe-
cioſam arborem, ait ſervo ſuo, Nota iſtam arbo-
rem, quam inſumendam appoſitè ſatagam ad
talem uſum: ita Filius Dei videns lignum in offici-
nâ patris ſui nutritij & *fabri*, illud vult adhibere
ad operandam redemptionem noſtram,

Ipſe lignum tunc notavit.

Si autem hæc arbor tantam ſibi conciliavit vene-
rentiam, eò quòd fuerit thronus Jeſu Chriſti, quia
in ea etiam ſedit ut in cathedrâ doctorali, ut ait D.
Auguſtinus, *Tanquam lignum illud, ubi erant*
fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit p D. Aug. tract. 119 in Ioan. 19. 26. & 27.
Magiſtri docentis p: quinam honor debebitur
ſacræ humanitati Jeſu Chriſti? Eruite hinc conſe-
quentias ita veras, ac propoſito meo accommo-
das.

Tertium

Tertium genus ſanctitatis eſt illud quod eſt purum, & expers maculæ, juxta quod D. Thomas q ait, *Quod nomen ſanctitatis videtur importare munditiam* inter alia, quæ ipſe recenſet. Hoc ſpectat humanitatem ſacram Jeſu Chriſti, cui verè poteſt dici, *Tota pulchra es, & macula non eſt in te* r. Ipſa eſt tota pura, Angelus id declarat Mariæ mox futuræ ejus Genitrici, *Quod naſcetur ex te Sanctum* s. D. Joannes Baptiſta proclamat innocentiam ejus, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* t. Et Judæis improperat D. Petrus, *Vos Sanctum & Juſtum negaſtis* u. Si autem mihi reſpondeatis, quòd ſupradicta iſta omnia vobis non ſufficiant, ad confirmandam meliùs iſtam veritatem,

q D. Th. 2. 2. q. 81. a. 8. in corp.
r Cant. 4. 7.
s Luc. 1. 35.
t Jo. 1. 29.
u Act. 3. 14.

Ulteriùs progredior, & dico. Si Jeſus Chriſtus, quatenus homo, poſſet habere aliquod peccatũ, illud eſſet aut originale, aut actuale. Quoad originale, illud non contraxit, quia non conceptus eſt modo, quo alii homines, per viam ſeminalẽ, qui eſt ſolus modus, quo contrahitur; ſed miraculosè ex puriſſimis guttis ſanguinis Mariæ Genitricis ſuæ x. Prætereà, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*, ait ipſemet Chriſtus, & ideò cum peccato originali. *Et quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt* y. Sed Jeſus Chriſtus natus eſt operante Spiritu ſancto, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* z. Et conſequenter abſque peccato originali. Quoad actuale, aut eſt mortale, aut veniale. Si Jeſus Chriſtus lethale ſcelus commiſiſſet, dici potuiſſet cum Hæreticis, quòd Deus eſſet Author peccati, nam *actiones ſunt ſuppoſitorum*, ajunt Philoſophi. Suppoſitum autem humanitatis erat Verbum. Hoc dicere eſt blaſphemia, & ſolus illius conceptus eſt criminoſus. Nec etiam veniale peccatum perpetravit, quod conſiſtit in quâdam deformitate animæ, ſicut mortale in morte illius, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* †. Sed dicitur ei, *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Non accedat ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* a.

x Luc. 1. 38.
y Jo. 3. 6.
z Matth. 1. 20.
† Ezech. 18. 4. & 20.
a Pſ. 90. 9. & 10.

Aliquid magis dico, & aſſero, quòd Chriſtus nõ poterat peccare. Primò, Ratione ſtatus in quo poſitus erat; non enim erat ſolùm viator, ſed etiam comprehenſor & Beatus, & ut talis ita erat unitus Deo mente, quâ eum contemplabatur, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* b: & voluntate, quâ fruebatur illo, ut ab eo non poſſet averti, quia peccatum eſt averſio, ut dixi ſuprà, juxta Theologos. Secundò, Ratione abundantiæ gratiarum, quia anima ejus omnibus gratiis ſimul erat plena, *Et Verbum caro factum eſt plenum gratiæ & veritatis* c. Tertiò, Propter unionem hypoſtaticam cum perſonâ ejuſdem Verbi: peccatum enim ſeparat Deum ab animâ per jacturam gratiæ, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* d. Aut per unionem hypoſtaticam: ſed perſona Divina nunquam ſeparari poterat à naturâ humanâ; alioquin enim non fuiſſet Jeſus Chriſtus: *Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo; ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*, ait D. Athanaſius e. Quartò, Ob modum peccandi: omnia enim peccata ſunt aut fragilitatis, aut ignorantiæ, aut malitiæ; & nullo ex his modis peccare poterat. Non fragilitate, quia dicitur de illo, *Omnipotens Sermo exiliens de cælo à regalibus ſedibus durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit* f. Non ignorantiâ, quippe *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* g. Non malitiâ, quoniam ipſe Bonitas erat eſſentialis, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus* h. Tandem, Propter ſpecies peccati, quæ ſunt aut cogitatione, vel verbo, ſeu opere, quò referũtur peccata commiſſionis. Non cogitatione, quia ipſe ait, *Ego cogito cogitationes pacis, & nõ afflictionis* i. Non verbo, quoniam dixit *ei Petrus, Domine, verba vitæ æternæ habes* k. Non opere, eò quòd de illo dixerit idem D. Petrus l, *Qui peccatum non fecit*. Non omiſſione, cùm tantam præſtet diligentiam ſuam, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei* m? Dicere igitur poteſt præ veritate, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Innocens ergo eſt, & immunis à peccato. Verùm enim verò hoc ita decebat: ut enim conciliet quis pacem inter duos inimicos, nõ debet is eſſe è conſciis ſeu complicibus, hoc enim magis exacerbaret: ſi in aliquâ civitate V. g. cõmotio oriretur & rebellio contra Regem aut Principem legitimũ, non expediret ut dyſcoli & rebelles inire pacẽ aggrederentur; hoc enim magis irritaret animos: *Juſtus pro injuſtis* n, & ideò innocens & nullius conſcius criminis. Ad mitigandam iracundiã Patris æterni jure merito exacerbati ob peccata noſtra nõ ſuffecit aliquis homo impurus, Patriarcha, aut Propheta, quia omnes erant conſcii criminis, à peccato Protoplaſti. *Omnes eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri* o. Ideo Deus reſpuit ſanguinem victimarum ſibi oblatarum, *Sacrificium & oblationem noluiſti, holocauſtũ & pro peccato non poſtulaſti* p. Imò nec ſanguinẽ aut ſacrificationem Iſaac q voluit, quia ſatisfacere non poterant injuriæ Patri æterno irrogatæ. Ad abluendum linteum non requiritur aqua turbida & immũda; omnis ſanguis victimarum & hominum erat impurus; & ideò *talis decebat ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* †. Hâc innocẽtia retũdit Dei Filius ut clypeo, inimicorũ impetus

b Jo. 17. 3.
c Jo. 1. 14.
d Iſai. 59. 2.
e D. Ath. in ſuo Symbol. V. 31.
f Sap. 18. 15.
g Coloſſ. 2. 3.
h Luc. 18. 19.
i Jer. 29. 11.
k Jo. 6. 68.
l 1. Petr. 2. 22.
m Iſai. 5. 4.
n 1. Petr. 3. 18.
o Epheſ. 2. 3.
p Pſ. 39. 7. & 8.
q Gen. 22. 11. & 12.
† Hebr. 7. 26.

Cùm perſequeretur David Saul *venit David in Nobe ad Achimelech Sacerdotẽ: & obſtupuit Achimelech, eò quòd veniſſet David. Et dixit ei, Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum: Dixit autem David ad Achimelech, Si habes hic ad manum haſtam, aut gladium, da mihi: quia gladiũ meum, & arma mea non tuli mecum: ſermo enim Regis urgebat. Et dixit Sacerdos, Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in valle terebinthi, eſt involutus pallio poſt ephod: ſi iſtum vis tollere, tolle, neque enim hic eſt alius abſque eo. Et ait David, Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eũ* r. Salvatorem perſequuntur inimici ipſius, Judæi mortem illi machinantur; nulla habet ipſe arma, præter ſanctitatem ſuam, quâ triumphavit Dominicâ primâ Quadrageſimæ de diabolo in deſerto s; ideò munitus hâc defenſione & iſto clypeo, eis omnibus bellum indicit præ certitudine victoriæ de iis referendæ infallibiliter, dicens eis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quia cum teſtes plerique ex iis, quos ſuprà memoravimus, ſint ſuſpecti, quippe qui ſint ex amicis ejus; aliqui tamen ex illis, quos etiam recenſuimus, ſunt etiam ex inimicis ejus, & ideò illius *inimici ſunt judices* t. Et validiſſimum eſt teſtimonium ab inimico prolatum, quippe quod ab omni genere ſuſpicionis & ſubornationis eſt immune.

II. Pars.
r 1. Reg. 21. 1. &c.
s Matth. 4. 10.
t Deut. 32. 31.

Cùm abiiſſet Jacob inſcio ſocero ſuo Laban, egreſſus domo ejus abſconditè; ut ſe expertem exhiberet criminis, cujus inſimulabatur ab eo, ait illi, *Quod autem furti me arguis, ſcrutare quidquid tuorum apud me inveneris* u. Exiturus

u Gen. 31. 32. &c.

ex hoc mundo Dei Filius ut rediret ad Patrem, à quo egreſſus fuerat, ut ipſe ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum; iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem x*: eodem ſe gerit modo
x Ioan. 16.28.
quo Jacob, & ſuam vult propalare innocentiam, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quaſi diceret, Non me latet, Judæi, quòd meum moliamini interitum; ſed neſcio ſuper quid tam pravum & ſic funeſtum fundetis conſilium, cùm nullius poſſitis convincere me criminis: jam à pluribus annis *in terris viſus, cum hominibus converſa-*
z Baruch 3.38.
tus z, ſum nationis veſtræ, obſervaſtiſne aliquid toto illo tempore in me reprehenſione dignum? Bonum aurum cùm ad vigeſimum quartum ſuæ perfectionis & puritatis pervênit gradum, non veretur ampliùs ignes fornacum: Ieſus Chriſtus erat inter homines id, quod eſt aurum inter metalla; ideò Sponſa loquens de eo, ait, *Caput e-*
a Cant. 5. 11.
jus aurum optimum a. Propterea non veretur ipſe ut vita ſua ſubjiciatur examini ignium paſſionum & calumniarum, & injiciatur in fornacem reprehenſionum inimicorum ſuorum; ſciens, quòd ſicut ignis non purgat magis aurum bonum & perfectum, ſic invidia & pravus affectus Patrum ſuarum non poſſit reddere vitam & innocentiam ſuam niſi ſplendidiorem & cõmendabiliorem; & pro certo tenens quòd poſtquàm calumniarum fuerit examinatus *igne, non*
b Pſ. 16. 3.
invenietur in ſe iniquitas b. Quapropter hac ſcientiâ fultus, inſtar alterius Apellis, vitam ſuam & actiones ſuas in publicam producit cenſuram, præ hâc ſpecioſâ inſcriptione, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Euge igitur Domini mei Tabelliones, Cauſidici, Judices, Scribæ, & Phariſæi, Sacerdotes, & Doctores Legis, quiſnam erit veſtrum qui poſſit vel minimi inſimulare me delicti? Ab omnibus vobis hoſtem me velle haberi nuncio. Sed adorande Salvator nunquid non vereris ne mortem incurras, ſi copias ſæculares & inſtrumentarias litis committas tuorum manibus inimicorum? Eos conſtituis Judices & Partes; profectò condemnabunt te ad mortẽ, cùm falſa impoſuerint tibi crimina: & nonne ſcis quãtâ ſint perciti rabie adverſùm te, inum latere te
c Math. 11.19.
poteſt, quòd dixerint de te, quòd eſſes *potator vini, publicanorum amicus c, Samaritanus, dæmo-*
d Joan 8. 48.
nium d habens, ſeducens *turbas*, ambitioſus captans auras populares, & quaſi *gloriam propriã e*
e Joan 7. 12. &c.
quæres? Annon hæc omnia ſunt crimina quæ tibi objiciuntur? & nonne tenes, quòd brevî incipiẽt te coram Pilato *accuſare, dicentes, Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum*
f Luc 23. 2. ex Math. 22. 21.
Regem eſſe f? Nonne forſan inerat te allegare hæc verba ad te juſtificandum, & ad evitandam mortem, ſicut agit reus qui reſpondet Judici ut probet innocentiam ſuam, & oſtendit ei quòd nihil habet, unde poſſit ipſum condemnare? *An-*
g Eccli. 18 19.
te judicium para juſtitiam tibi g. Eodem te geris modo, tuam palàm promis vitam, tua examinanda proponis miracula, & deinde ais, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Errorẽ depon te, Auditores; Jeſus Chriſtus vult mori; ſed antequàm mortem oppetat, cupit ut omnes ſciant ſe eſſe immunem à criminibus ſibi imponendis, ap-
h Joan. 18. 4.
primè *ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe h*, nimirum quòd ipſe ducendus eſſet è tribunali ad tribunal i, quòd adverſùs ipſũ inſurrecturi eſ-
i Luc. 23. 1. &c.
ſent Gentiles æquè ac Judæi, & quòd ipſe improperiis opprimendus eſſet, & confuſionibus operiendus, *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei k*. Ideò antequàm eò k Pſ. 39. 9.
redigatur, quia poſt prolatum mortis crucis decretũ non eſſet audiendus, ait inimicis ſuis per anticipationem, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ha! Auditores, quàm ingens eſt materia laudis, cùm veſtrorum ore inimicorum veſtram auditis proferri juſtificationem. Litem habetis diſceptandam cum N. & nihil allegandũ habetis adverſùs puritatẽ ejus, fatentes eum eſſe probatæ vitæ hominem: ô præclariſſima laus! *Et inimici* l Deut. 32 31.
noſtri ſunt Judices l. Et potens eſt inimicorum teſtimonium. Cùm igitur Jeſus Chriſtus tanto ſanctitatẽ fuerit proſecutus affectu, ex eâ ſuã gloriam eduxerit, eamque adhibuerit ut clypeũ ad retundendas inimicorum ſuorũ inſultationes, inhæreamus veſtigiis ejus, amemus ſanctitatem, armemus nos zelo ut veri filii ejus adverſùs peccatum, quod ipſe venit deſtructum, *In hoc apparuit* m 1. Jo. 3 8.
Filius Dei ut diſſolvat opera diaboli m. Hæredes ſimus virtutum illius, ſi hæreditare velimus gloriam ejus, *Si autem filii; & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compa-* n Rom. 8 17.
timur, ut & conglorificemur n. Omnia peregit Chriſtus ad deſtruendum peccatũ; nihil eſt quod non fuerit perpeſſus ad illud annihilandum; *Per-* o Pſ. 138. 22.
fecto odio o proſequamur illud, ut dicere poſſimus ſinguli præ veritate, ſicut ipſe, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Diſcamus hinc curam, quam debemus præ nobis ferre ad nos juſtificãdos, antequàm pergamus ad mortem, ita ut non expectemus dies ultimos & extrema momenta, cùm deficient nobis vires, cũ cereus benedictus erit accenſus, cùm Sacerdos præ noſtro ſtabit pulvinari, cùm uxores veſtræ & liberi ad ima cubilis veſtri veſtrum lacrymabuntur interitũ imminentem. De noſtris cogitemus, Auditores, negotiis, ea maximi ſunt momenti, & nos ſpectant vehementiſſimè; in iis non agitur minùs quam de æternitate gloriæ; adhibete diligentiam, nedum moram inſumatis, *Venit nox quando nemo poteſt operari p*. *Ergo dum tempus habemus, operemur* p Jo. 9. 4
bonum q. Hæ moræ ſunt periculoſæ & valdè timendæ. Jeſus Chriſtus Magiſter noſter iſtam vos q Galat 6 10.
edocet hodiernâ die lectionem, Hæredes veſtri veſtra poſſidebunt bona, *Requiem æternam* vobis dicent velociter, & deinde è divitiis veſtris convivium parabunt, quandiu fortaſſis anima veſtra petrexerit in infernum, *Et relinquent alienis divitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum* r Pſ 48. 12.
in æternum r. Nec ulla de vobis mentio peragetur poſt obitum veſtrum in hoc mundo, *Periit* s Pſ. 9. 7.
memoria eorum cum ſonitu s. Alienum infortunium in veſtram convertite utilitatem,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Intuemini quàm exigua cura ſuſcipiatur defunctorum; veſtra ſatagite negotia antequàm mortem oppetatis; nolite quoad illa confidere hæredibus veſtris; nullos velitis habere procuratores in re tanti momenti. Jeſus Chriſtus iſtud ſalutare vobis tribuit conſilium, *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in viâ cum eo: ne fortè tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum qua-* t Matth. 5 26. & 27
drantem t. Hic adverſarius eſt noſtra conſcientia, ſynderesis ſeu remorſus ille interior, qui ſemper invitat nos ad bonum, Heu miſer quid egiſti? ſi morereris in hoc ſtatu, quid ageretur de te? de tuâ conclamatum eſt ſalute: ideò audi etiam D. Auguſtinum u u D. Aug lib. de Salutarib. Documẽt c. 64.
ſuaden-

ſuadentem, quandiu carnem ſic alloquitur, *O caro mala, quare non conſentis ſpiritus & animæ noſtræ? ſicut Evangelium te hortatur, dicens: Eſto conſentiens adverſario tuo cùm es cum ipſo in viâ: hoc eſt, in hoc ſeculo, ne fortè tradat te Judici, hoc eſt, Chriſto, & Judex tradat te miniſtris, hoc eſt, Angelis malis: & miniſtri mittant te in carcerem, hoc eſt, in gehennam: non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem, id eſt, uſque ad minimum peccatum.* Imitare Prophetam x, qui dicebat, *Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Cogita de debitis tuis, & conare iis perſolvendis incumbere, dicens Deo, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine mea* y. Euge igitur peccator, *eſto conſentiens adverſario tuo.* Partes quæ intervenire debent ad iſtam reconciliationem peragendam ſunt Deus, & proximus, & tu ipſe. Pete à Deo, Quid debeo tibi? offendi te, pœnitet me peccaſſe, *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam* z. Et tibi, proxime, quid debeo? Læſi famam tuam, abſtuli bonum tuum, *Si quid defraudavi, reddo quadruplum* a. Mihi vero quid debeo? Nimis mihi blandior, immodicam & effrænem mihi indulgeo libertatem; vanitatibus mundi, ſuggeſtionibus carnis, & tentationibus diaboli conſenſum præbeo. Ha! mutanda eſt vita ſine morâ, *Et dixi, Nunc cœpi* b, ad recuperandam innocentiam, & inveniendam gratiam, & gloriã.

x Pſ. 76. 7.
y Iſai. 38. 15.
z Pſ. 50. 3.
a Luc. 19. 8.
b Pſ. 76. 11.

FERIA II POST DOMINICAM PASSIONIS.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Jo. 7. 37. &c.

PRæ eximiis, quibus Deum Job a evehit elogiis, illud eſt maximè myſteriorũ, quo vocat eum aquarum Indagatorem, *In petris rivos excidit.* Eximius iſte aquarũ Indagator veluti inſtrumẽtis æternæ ſapientiæ ſuæ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* b, petram cavavit ſolidam, ut ex eâ educeret torrentes gratiæ. Iſti ſunt torrentes ad quos nos invitat Filius ipſius *Verbũ caro factum* c, in Evangelio noſtro, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Hæ ſunt aquæ, quæ ſaliêrunt è petrâ Jeſu Chriſto, *Petra autem erat Chriſtus* d. Hæc eſt *petra* quæ ſcalpro exciſa eſt, & malleo percuſſa in Paſſione e, & *lanceâ* aperta, *& continuò exivit Sanguis & aqua* f ad lavandas animas noſtras, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* g. De iſtis tractaturus ſum vobis aquis, & invitaturus vos ad applicandum os veſtrum, cùm ſiti æſtuabitis, rubis hujus Divini fontis. Jeſus eſt origo iſtarum aquarum, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* h. Virgo ſacratiſſima ejus Deipara eſt concha myſtica, quæ omnes illas ſuſcipit, & iis invenîtur *plena* i ab Angelo, qui ſalutavit illam verbis iſtis *Ave Maria.*

a Job. 28. 10.
b Sap. 8. 1.
c Jo. 1. 14.
d 1. Cor. 10. 4.
e Jo. c. 18 & 19.
f Jo. 19. 34.
g Apoc. 1. 5.
h Jo. 1. 17.
i Luc. 1. 28.

Nihil eſt otioſum in univerſo orbe iſto: quidquid in eo poſſidet aliquem entis gradũ, ad operandum factum eſt; & hæc admittitur ſocietas, hæc unio inter ens & ejus actionẽ, ut eſſe otioſum & non agere idem ſit planè ac non eſſe & perire. Ideò univerſæ cõtinuo cientur motu res; & cùm motus iſte ſit cauſa ſitis illarum, propterea extinguendæ hujuſmodi ſiti opportunum circùm circà quærunt ipſæ magnâ ſolicitudine remedium, nedum tamen poſſint illud invenire, & explere hanc ſitim immodicam, quæ magis ac magis accenditur, niſi fortè ipſis occurrat potus aliquis naturæ ipſarum conſonus. Hæc eſt deploranda ſors & conditio infortunatæ maximæ partis hominum, qui remedii ipſius perpeſi entes penuriã, ingenti æſtuant ſiti. Dei Filius, qui nunquam fatigatur, cùm agitur de benefaciendo nobis, hanc noſtram extinguere volens ſitim, contentâ voce inclamat in Evangelio noſtro, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Hæc eſt potio, quæ nobis eſt neceſſaria, quæque ſola noſtros refrigerare poteſt ardores. Dæmon, qui illius non ignorat beneficium, ut inimicus ſalutis noſtræ, & futuræ noſtræ gloriæ invidus omnes ſuos adhibet conatus ad impediendum ſalutarem aquarum iſtarum myſticarum fluxum, apprimè ſciens, ſicut verum eſt, quòd iſto deſtituti Divino refrigerio, ſemper ſitiemus, & quòd ſitis noſtra erga objecta temporanea magis ſemper ac magis accreſcet, cùm Deus ſolus totum replere poſſit hominis appetitum, eique ſatisfacere. Cùm autem Dei Filius invitet nos hodie ſitientes ut ipſum adeamus, & certos nos reddat, quòd ipſe noſtram ſitim, leturus ſitim, oporteт ut ipſe habeat aquam, ſeu, ut meliùs dicam, ipſemet ſit fons. Ideò dicit: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Quod inducit me ad oſtendendum vobis Primò commoda & utilitates, quæ proveniunt nobis ex iſtis aquis ſpiritualibus gratiæ, in eo quod ipſæ habent ſupra aquas materiales, per convenientiam, quam habent cum illis. Secundò, Quòd Deus ſolus noſtrã extinguere poſſit ſitim, quã nõ valeat alius potus.

Diviſio.
I Pars.

Non ſolùm datur nobis gratia, ſecundũ Theologos, ut qualitas noſtris inhærens animabus, eas juſtificans, ornans, & perficiens: ſed etiam Author gratiæ donatur nobis cum ipſâ gratiâ, nimirum Sol cum radio ſuo, principium cum effectu ſuo, & rivus cum origine ſuâ. Veræ amicitiæ non in ſolis mutuis ſitæ ſunt affectibus, nec in ſolo reciproco bonorum commercio, ſed in reali amicitium communicatione. Propterea omnium amicitiarum perfectiſſimæ fuerunt amicitiæ Martyrum, *qui per fidem* formatam & charitate animatam, quâ ſeſe unire Deo cupiebant, *vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones* k, & ipſi Deo reverâ uniti ſunt. Non eſt contentus Deus ſuis ſe communicare dilectis, niſi perſonaliter cum illis conjungatur; ita ut, ſi per impoſſibile Deus in noſtris non inveniretur animabus, cùm expellentes peccatum ipſæ ſuſcipiunt gratiam, ad eas ipſe veniret cum gratiâ per ſequelam neceſſariam, ut docent ſcholæ Theologicæ periti, loquentes de glorificatione Sanctorum. Non ſufficit ut Deus ſit in illis in dono, ſed oportet ut ſit in iis ſecundùm ſuam ſubſtantiã. Sic niſi perſonaliter fuiſſet Deus cum D. Petro antequam eum glorificaret, incepiſſet in eo eſſe in glorificatione: ita nobis gratiam conferens, dat nobis Spiritum ſuum, qui eſt fons qui exhauriri non poteſt, ſed qui noſtram ſic expleturus eſt ſitim, ut nunquam ampliùs ſitire poſſimus, quia fontes & fluvii erunt in nobis ipſis, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, ait hodie Chriſtus de quolibet fideli. Non ergo ſolas confert nobis in diſtributione favorum ſuorum Deus gratias, ſed Authorem gratiarum, & cum rivis originem & fontem, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum,*

k Hebr. 11. 33.

Hæc omnia ad noſtrum exponit propoſitum Dionyſius Carthuſianus l [l Dion. Carth. a. 20 in Jo. 7. 38 & 39.], *Flumina aquæ vivæ, id eſt, dona Spiritus ſancti, fluenta doctrinæ cæleſtis, & gratia copioſa ac multiformis, emanabunt de corde ipſius ad alios. Itaque per flumina deſignantur dona Spiritus ſancti: per aquam vivam ipſe Spiritus ſanctus, de quo dictum eſt Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* m [m Jo. 4. 13. & 14.]. Fideles erant ſuſcepturi Spiritum ſanctum non ſolùm in dono, ſed etiam in perſona. Hanc veritatem docet etiam Apoſtolus n [n Rom. 5.], dicens, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Quod ſic appoſitè explicat idem Carthuſianus o [o Dion. Carth. a. 8 in Rom. 5. 5.], *Quia charitas Dei, quæ eſt virtus Theologica ſupernaturalis, ſumma ac Diviniſſima, qua Deum, proximumque diligimus, mandata implemus, unum cum Deo efficimur, & quidquid petierimus obtinemus; diffuſa, id eſt, latè ac liberaliter fuſa eſt in cordibus noſtris, præſertim in voluntate quæ eſt charitatis ſubjectum, per Spiritum ſanctum, id eſt, à Spiritu ſancto, cui appropriatur bonitas, liberalitas, clementia, communicatio, & per conſequens charitatis infuſio: qui datus eſt nobis à Patre, & Filio, imo & à ſeipſo, tanquam pignus* p [p ex Eph. 1. 14.], *& arrha felicitatis æternæ. Ipſe enim Spiritus ſanctus eſt dator ac donum, proceditque à Patre, ac Filio per modum donabilis* q [q ex Jo. 15. 26.], *quoniam ipſe eſt Charitas ſeu Amor Patris, & Filii. Amor autem eſt primum donum gratuitum, in quo omnia dona donantur. Itaque Spiritus ſanctus datur Electis, non ſolùm in ſuo dono, ſed etiam in ſeipſo quia per charitatem habetur, & eſt in nobis novo ſpecialique modo. Propter quod ait Salvator, Ego rogabo Patrem, & alium Paraclètum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis* r [r Jo. 14. 16.]. *Sic ergo Spiritus ſanctus datus eſt nobis, & eſt noſter.*

Tres invenio effectus aquæ naturalis, vivæ, & fluentis. Primus eſt mundare & extergere maculas & ſordes corporis, ut peregit *Jeſus cùm cœnâ factâ miſit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes diſcipulorum* s [s Jo. 13. 1. &c.] ſuorum. Sed hæc aqua ordinaria eſt aqua fluens, quæ perit in ſimilibus exercitiis; gratia verò noſtras lavat animas, & eo modo non diſſipatur in hac ablutione; quia ipſa eſt aqua inhærens, quæ præter puritatem, quam nobis communicat, ſpecialem noſtris impertitur animabus decôrem, & ſimilis eſt aquæ fucanti, quæ ita lavat ut inhærens maneat, & præterquàm quòd maculas abſtergit, imprimit faciei aliquem radium decôris, qui ipſam ſpecioſiorem exhibet. Gratia iſta abluit omnes maculas animæ, ita ut omnia Sacramenta, quæ delent peccatum, id non peragant niſi dando peccatoribus iſtam gratiam. Hæc eſt aqua, quam pollicetur Deus per Ezechielem t [t Ezech. 36, 25.], *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ipſa aſt aqua, quâ cupiebat mundari David u [u Pſ. 50. 4.], quamque à Deo efflagitabat, *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Signum autem hujus *aquæ vivæ*, & fluentis, eſt aqua lacrymarum, cùm quis præ ſe fert *cor contritum & humiliatum* x [x Pſ. 50. 19.], ipſumque pœnitet offendiſſe Deum. Atqui quadruplex admittitur differentia inter aquam quæ purgat corpus, & gratiam quæ purificat ipſas animas. Prima eſt, quòd aqua ſolas abſtergit ſordes, nec ullam novam affert munditiem vaſi quod mundatur: è contrà gratia reſtituit naturalẽ puritatẽ, & etiam ſupernaturalem munditiam, quam poſtulabat David, dicens Deo, *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* y [y Pſ. 50. 9.]. Quaſi diceret ei, Nihil eſt candidius ipsâ nive: me ergo dealbabis magis, quàm natura dealbare valeat. Secunda differentia eſt, quòd aqua nullam affert novam pulchritudinem ei, qui illâ ſe lavat; ſed eum relinquit talem qualis eſt. è contrà gratia non ſolùm reſtituit animam in priſtinam ipſius pulchritudinem naturalem, quæ non eſt exigua, cùm ſit ei impreſſa digito Dei, cùm *creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* z [z Gen. 1. 27.], ſed etiam novum affert illi decôrem, ut dicebam vobis modò, qui eam diligi facit non ſolùm ut creaturam à ſuo Creatore, ſed ut filiam à Patre ſuo, & veluti ſponſam à Sponſo ſuo; ita ut aqua hæc mundet & ornet ſimul hanc animam, quæ fuerat *denigrata ſuper carbones* a [a Thren. 4. 8.], & hanc eximiam demirentur Angeli pulchritudinem, dicentes ei, *Tota pulchra es* b [b Cant. 4. 7.]. Si autem inveniretur aliquis fons, cujus aqua non ſolùm abſtergeret maculas & ſordes faciei, manuum, & totius corporis, ſed etiam magnam afferret eis pulchritudinem, corrigendo imperfectiones naturales, & præbendo colorem candidum, & rubicundum, & gratum, dum colorem nigrum & fuſcum aufferret, quantâ ſollicitudine curreretur ad iſtũ fontem, hauriendarum illius aquarum ergo! Hæc omnia peragit aqua gratiæ erga hominis animam majori commodo & utilitate; peregrè proficiſcendum non eſt ut ea inveniatur; ſufficit ut eam velit homo, & *Jeſus* ad illam nos invitat hauriendam, *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat.* Sacramenta c [c Luc 15. 3. & 10. 6] ſunt illius canales, nihil faciliùs hauſtu eam; & tamen multi qui ſunt *in ſordibus, adhuc* d [d Apoc. 22. 11] ſordeſcere malunt, quàm venire hauſtum hujuſmodi aquam. Tertia differentia eſt, quod aqua purificans debilitat & conſumit rem quæ mundatur, ut videmus in linteaminibus: ſed gratia, hæc aqua Divina purificans fortificat, roborat, lætificat, & vivificat ut aqua imperialis, & aqua vitæ. De iſtis loquitur Iſaias e [e Iſa. 35. 3.] aquis, quæ debebant confortare *manus diſſolutas, & genua debilia* roborare. Iſtæ ſunt aquæ illius fluvii, qui vivificabat arbores, folia earum reddebat medicinæ ſervientia, & fructus ſapidos & animabat piſces, quorum erat non ſolùm ſecluſorium, ſed etiam quodam modo obſonator & nutritius, quem deſcribit nobis Ezechiel f [f Ezech. 47. 9. & 12.], *Et erunt piſces multi ſatis poſtquàm venerint illuc aquæ iſtæ, & ſanabuntur: & vivent omnia, ad quæ venerit torrens. Et ſuper torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: per ſingulos menſes afferet primitiva, quia aquæ ejus de ſanctuario egredientur: & erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam.* Hæc erat ergo aqua vivificans, & aqua iſta noſtri fontis eſt aqua viva, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quia hæc aqua viva continet principium vitæ, *Apud te eſt fons vitæ* g [g Pſ. 35. 10.]; & eſſe, quod communicatur nobis cum gratia. Vivam appellamus aquam eam, quæ non torpet, ſed habet motum continuum, & procedit ab origine viva, quæ ſuas abundanter communicat aquas nedum areſcat: aqua gratiæ nunquam torpet otioſa, nihil activius gratiâ, ipſa movet ad omnia opera virtuoſa, *Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia*, ait D. Ambroſius h [h D. Am. lib. 3 in Luc. 1. 39]. Et univerſa vivificat & roboSat,

rat, ut dicit Apoſtolus, *Optimum eſt gratiâ ſtabilire cor* i. [i Heb. 13. 9.] Quarta differenna aquæ à gratia, eſt, quòd aqua, quæ mundat, abit cum ſordibus; ſed gratia remanet in anima, in intima ejus eſſentia, & inde ſalit in potentias ejus, ut patet ex verbis, quæ Samaritanæ *Jeſus dixit, Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* k. [k Ioan. 4. 13. & 14.] Volentes aquarum indagatores ut fons aliquis in altum ſaliat, originem ejus vadunt deſumptum in aliquo loco eminenti, & hujuſmodi fontem deducendum ſatagunt per tubos ſubterraneos, eumque elevant quàm poſſunt altiſſimè: Divinus noſter aquarum Indagator in noſtras fluere fecit animas aquam gratiæ ſuæ ex altitudine cœli, *A ſummo cœlo egreſſio ejus* l. [l Pſ. 18. 7] Intellectus & voluntas ſunt canales, per quos aqua procedens à Deo, in noſtras illabitur animas. Unitas hujus fontis non ſiſtit ibi, ſed debet ſe elevare per affectus & actiones earundem potentiarum cooperantium eidem gratiæ Dei uſque ad gloriam, ut redeat ad principium ſuum: propterea ſalire debet iſte *fons in vitam æternam*. Si enim vitam ſuam nobis communicat in hoc mundo per gratiam, ideò ut nos perducat ad fruitionem vitæ æternæ per gloriam. *Eſt* igitur *fons vitæ* m, [m Pſ. 35 10.] & aqua vivificans.

Secundus effectus aquæ eſt, ut reddat terram fertilem & fœcundam ad ferendum omne genus plantarum, herbarum, & fructuum: idcircò terræ, quæ non irrigantur, ſunt ſteriles, quod non eſt de aliis. Iſtud David n [n Pſ. 1. 3.] ait de Juſto, *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo; & folium ejus non defluet & omnia quæcumque faciet, ſemper proſperabuntur.* E contrà verò de anima deſtituta gratia Dei, dicit, eundem Denm alloquens, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi* o. [o Pſ. 142 6.] *Quaſi diceret, Anima mea ex ſe eſt ſterilis & infructuoſa, ſicut terra ſine aqua*, ait Incognitus p. [p Incog. in Pſ. 142 6.] Aqua gratiæ eoſdem producit effectus, ſed præ differentiis manifeſtandæ meliùs vi gratiæ opportunis. Primò, Aqua non facit revireſcere arbores ſiccas ſed potiùs eas putrefacit; neque fert fœcunditatem in terras ſteriles, quales ſunt arenæ juxta ripas fluminum: ſed gratia vivificat animas mortuas per peccatum, & efficit ut opera vitæ exerceant, *Deus autem (qui dives eſt in miſericordia) propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, (cujus gratia eſtis ſalvati) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu, ut oſtenderet in ſeculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu* q. [q Eph. 2. 4. &c.] Secundò, Aqua efficit ut terra fructus ferat, & quælibet planta & arbor eos producat juxta ſpeciem ſuam; poteſt illa quidem terram fœcundare, ſed non efficere ut eadem arbor fructus diverſæ portet ſpeciei; palmes producit racemos, & ficulnea ficus, *Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus* r? [r Matth. 7. 16.] Sed gratia facit nos producere opera ſupra omnes naturæ vires, mortem perpeti propter tuendam fidem, contemnere temporanea, & quærere æterna, diligere inimicos, & eis benefacere; & animas obſtinatas, quarum induratum erat *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* s [s Job. 41 15.] ſtrictum, quæque ideò nihil germinare poterant niſi ſpinas, hæc eadem gratia inducit ut contra proclivitatem pravarum conſuetudinem ſuarum agentes, bonorum producant fructus operum. Tertiò, Aqua non efficit ut arbor, quæ producit fructus amaros & agreſtes, fructus ferat dulces & ſapidos; ſi verò fructus mutentur, non ideò efficiuntur meliores, ſed pejores evadunt, & degenerant, ut ſpecioſum hordeum in zizanium: ſed gratia Divina ſatis potens eſt ad efficiendum ut *maledicta terra* noſtra, quæ non germinat ex ſeipſa poſt peccatum niſi *ſpinas & tribulos* t, [t Gen. 3. 17. &c.] fructuſque maledictionis, qui *ſunt opera carnis* recenſita ab Apoſtolo u, [u Gal. 5. 19. &c.] facta Sponſa Chriſti, & fœcunda reddita producat fructus vitæ æternæ, & benedictionis, ut ipſemet Sponſus ait, *Et flores mei fructus honoris & honeſtatis* x. [x Eccl. 24 23.]

Tertius effectus aquæ, eſt extinguere ſitim, & refrigerare, propterea dicitur, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ut oſtendatur quànam ſufficientiâ aqua gratiæ mitiget ardorem concupiſcentiæ & amorem mundi, ut videre eſt in tot adoleſcentibus, & in tot puellis ætatis infimæ, & inſignis nobilitatis, qui relinquunt *omnia* y [y Matth. 19 27.] & ſeſe elongant fugientes, ut maneant *in ſolitudine* z [z Pſ. 54. 8] religionis, ad quam advolant. Aliquæ dantur etiam differentiæ in hoc effectu. Primò, Quia hæc aqua elementaris & naturalis ſumpta in hac vita non impedit ſitim æternam alterius vitæ, ut in magnum damnum ſuum expertus eſt *dives clamans, Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremũ digiti ſui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* a. [a Luc. 16 3. & 24] Sed aqua gratiæ conſervata uſque ad finem, ſitim extinguit pro ſemper, & mirabili ſuſcipientem perfundit conſolatione, ſicut oſtendit *Lazarus*, qui *nunc conſolatur* b. [b Luc. 16 25.] Secundò, Hæc aqua conſumitur, quia non mutatur in fontem in eo qui ipſam bibit: ſed gratia eſt *fons* omnis boni operis in illo qui ipſam poſſidet, virtute cujus acquirit ille *vitam æternam*, ut audiviſtis ſuprà. Hoc autem rectè eſt conſonum rationi: Sicut enim aquæ fontium, quæ deducuntur per canales, tantum aſcendunt, quantum deſcenderunt; ſic aqua gratiæ, quæ deſcendit è cœlo, reaſcendit ad cœlum: & ſicut amor divitiarum venit ab inferis, ſic & ipſæ divitiæ trahunt ad inferos amantes ſui ipſarum; & illi qui ſibi complacent in ſordibus & voluptatibus, & qui *ducunt in bonis dies, in puncto ad inferna deſcendunt* c. [c Job. 21 13.]

Cùm igitur amantes ſimus munditiei, nec ſuſtinere poſſimus maculas & ſordes in facie noſtra, etiamſi illæ nobis non obeſſent nec ullum inferrent dolorem; & propterea intueantur ſe ita ſæpè & ſic diu in ſpeculis homines: quomodo perpeti poterimus in anima noſtra peccata, quæ ita ſunt ſordida & abominabilia, cùm nihil ſit ipſis damnoſius & contagioſius? Quomodo non amabimus hanc ſpecioſam aquam, quæ nos ſic appoſitè mundat, ut nobis ſupernaturalem afferat puritatem, nos roboret purificando, & invincibiles nos reddat intuitu laboris; quæque habitualiter immoratur in nobis, & oculos Dei attrahit ad nos intuendos amore paterno? Sed quid? voletiſne in vobis deferre *characterem beſtiæ* d, [d Apoc. 16. 2.] & notas diaboli ipſo carbone atriores, id eſt, ut ſit *denigrata ſuper carbones facies* e [e Thren. 4. 8.] animæ veſtræ per peccatum? Recurrite igitur ad hanc aquam eximiam, virtute cujus efficiemini *candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores* f. [f Thr. 4. 7.] Ha! utinam bibiſſem ex iſtis cœleſtibus aquis, ad replendum ven-

ventrem meum Divinis iſtis liquoribus, & ad eos nunc effundendos ſuper iſtos Auditores, & irrigandos eos gratiâ cœleſti. Reple me illis Deus mi, ut illos eis communicem; vellem eos immergere torrenti benedictionum tuarum, nun traducendo illos *per aquam uſque ad talos,* g Ezech. 47.3.&c. *uſque ad genua, uſque ad renes* g, ſed ſupra, operiendo eos abyſſo gratiarum tuarum; cùm perire ſit feliciter ac naufragium peragere in abyſſo hujuſmodi tuarum gratiarum, quæ ſolæ ſiti noſtræ poſſunt ſatisfacere, quam quilibet alius potus nunquam poterit explere.

II. Pars. Dico igitur, quòd omne, quod eſt extra Deum, noſtram extinguere non poteſt ſitim. Ut autem auferatur omnis ambiguitas nominis, obſervandum eſt, quòd ſitire, & deſiderare idem prorſus ſit, ita ut ex natura unius perveniamus in notitiam alterius, ut ſciamus utrùm bonum ſit, aut malum. Prætereà, Ad auferendam omnem occaſionem erroris, dico, nomine ſitis intelligere me affectum animæ, ſeu appetitum rationalem, qui animam inclinat ad id, quod ipſi placet. Hoc ſuppoſito, Dico, ſitim animæ eſſe malam, & inſanabilem, cùm ipſa tendit ad aliquid, quod non eſt Deus, aut propter Deum; & appetitum hominis ſiticurum ſemper, niſi recurrat ad hanc Divinam originem, quæ ſola poteſt ipſius extinguere ſitim, quandiu creaturæ magis ac magis illius accendent ardores. Ecce quomodo argumentatur Philoſophia ad probandam iſtam veritatem. Qualis eſt motus ad terminum ſuum, tale eſt deſiderium ad objectũ ſuum; deſiderare enim idem eſt ac moveri: atqui omnis motus eſt inquietus, cùm nondum attigit terminum ſuum: ergo appetitus aſpirans ad lenocinia hujus mundi, erit indeſinenter in errore, & in motu inquietudinis; quia omne quod præſentatur ſenſibus, & quod blanditur homini demulcentibus apparentiis ſuis, non eſt objectum totale & verum appetitus, & ſic deſiderium hominis non eſt completum, & ita ſitis ejus perſeverat, & hic ardor immodicus conſumit animum deceptum ab his vanis ſimulachris exterioribus: & ſicut aqua ſalſa non ſolùm non extinguit ſitim, ſed eam magis auget; ſic voluptates accenſæ halitu dæmonum, nullum afferunt appetitui refrigerium, cùm ipſæ ſint privatæ illo Bono, cujus ſola fruitio explere poteſt animæ rationalis capacitatem, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* h. h Pſ.16. 15. Sic ad replendum aliquem appetitum, introducenda eſt in eum forma conſona potentiæ, quæ debet illam ſuſcipere: atqui nihil ſenſibile convenit appetitui hominis, quem i Gen 1. 27 *creavit Deus* i ad poſſidendum *omne Bonum* k, k Exod 33. 19. quod *non habet finem* l quoad objectum, ipſum ſcilicet Deum: ergo anima quæ habet fruitionem boni temporanei, non debet inde arripere l Baruch. 3.25. anſam gaudii, ſed potiùs mœroris & lacrymarum ad deflendam ſortem infortunii ſui, cùm ipſa ſemper ſitiens maneat. Dicetis mihi, quòd omnes creaturæ Dei ſunt bonæ, *Viditque Deus* m Gen.1. 31. *cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* m. Et ideò quòd poteſt homo eas concupiſcere ſine crimine, & ex earum poſſeſſione melior effici. Reſpondeo, bonitatem hominis quantùm ad mores, differre à bonitate rerum conſideratarum Phyſicè & in ſeipſis quoad naturam ſuam: ideò aſſero, congregationem omnium rerum non poſſe augere tantillùm bonitatem hominis, cùm ejus perfectio ſita ſit in anima: ſicut enim forma tribuit nomen compoſito, homo non debet vocari bonus niſi per bonitatem animæ ſuæ, quæ edocitur è bona voluntate: atqui voluntas eſt ſolùm bona prout convenit cum ſumma bonitate Dei, quæ ipſam dirigit, & hæc unio & conformitas cum ea, totam facit illius bonitatem: ſed qui affectu ducitur erga creaturas præ exceſſu, elongat ſe à Deo, & facit contra voluntatem ejus, qui affectum prohibet immodicum erga res creatas, veluti inclinans hominem ad terram, qui propter cœlum creatus eſt, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* n. Ut ad illum ten- n Gen. 9. 6. dat, & in illo quieſcat. Ideò David o invehi- o Pſ. 4. 3. tur contra conſcios hujus criminis, *Filij hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quaſi diceret, quòd hæc deſideria terrena eos aggravantia, deorſum illos trahant, eripiant eis memoriam cœli, quod eſt locus originis ipſorum & quietis ipſorum, & eos terrenos efficiant, *Uſquequò gravi corde*, aſſimilando eos objecto ipſorum, *Facti ſunt ſicut ea, quæ dilexerunt* p. p Oſee 9. 10. *Ut quid diligitis vanitatem*, quæ non conducit ad finem? Illud eſt vanum, quod caret fine debito. *Et quæritis mendacium?* Cùm hæc omnia appareant ea quæ non ſunt, & alia ſint quàm intuenda ſe exhibeant, & ideò decipiant. Videte quàm graviter decipiatur homo, adhærere his omnibus ineptus, quæ ſitim ipſius explere nequeunt, imò verò magis ac magis illam augent. Avarus ſemper inhiat divitiis ſibi comparandis, & ideò

Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Ambitioſus aſpirat ſemper ad honores, ad officia ſplendentia, & ad dignitates, eſt extra centrum ſemper in motu. Fruitio parit contemptum, recentia accendit deſideria ut materia prima, quæ novas ſemper appetit formas. Quapropter ille appoſitè locutus eſt, qui dixit, *Res eſt inquieta felicitas.* Voluptates, deliciæ ſenſuum, venter nunquam dicunt, Sufficit; & ſimiles ſunt igni fornacis fabrorum ferrariorum qui accenditur per aquam, quæ in ipſum projicitur. Deus ait per Oſee, loquens de ſingulis animabus peccatricibus, *Interficiam eam ſiti* q. *Id eſt, deſiderio* q Oſee 2. 3. *voluptatum, quas obtinere nequeant; ut, inſtar Tantali, ſitientes aquas videant & tangant; ſed eas ore contingere, & haurire nequeant*, ut exponit Cornelius r. Omnes creaturæ nos deſerunt r Corn. ſameliccos, & ſitientes: potus iſte non eſt nobis in Oſee conſonus, ſoluſque Deus noſtram explere poteſt 2. 3. ſitim, *Qui replet in bonis deſiderium tuum* s. s Pſ. 102. 5.

Illi, *quos præſcivit, & prædeſtinavit* t Deus, t Rom. 8. tanto proſequuntur eundem Deum affectu & ar- 29. dore, ut ſpernant id omne, quod non eſt Deus, aut non tendit ad Deum; & quantavis præ ſe ferant creaturæ lenocinia, ea omnia ipſi contemnunt, niſi ipſos deducant ad Deum, qui eſt centrum unicum, quod requiem poteſt impertiri motibus ipſorum. David, quem *quæſivit Do-* u 1. Reg. 13. 14. *minus ſibi virum juxta cor ſuum* u, obliviſcitur omnium dulcedinum, quas ſceptrum & diadema Regium ſecum invehunt, ut ſolum degustet Deum, ad quem aſpirat & ſuſpirat, cùm ipſe ſolus poſſet ſiſtere ſitim, quâ ardebat anima ipſius, *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea* x. x Pſ. 62. 2. & 3. Per iſtam ſitim eximius iſte Vir facit ſibi veluti templum portatile, in quo Deum ſuum ſemper intuetur præſentem; & ideò hæc ſubdit verba ſequentia deſideria ipſius, *In terra deſerta, & invia, & inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi*, tantum abeſt ut adhæreret carni, aut lenocinijs creaturarum. Proculdubio anima

& caro

& caro illorum Prædeſtinatorum ſatiabuntur in cœlo; & intereà ſitim ſuam explebunt in hoc mundo, & refrigerabuntur mediis illis aquis, quas offert hodie ſitientibus, eaſque deſiderantibus *Jeſus, dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.*

Verum quidem eſt, quòd omnes Juſti ſuſpirent ad Deum, & omnes deſiderent Deum: ſic ipſe ſolus noſtram explere poteſt ſitim, cùm extra eum ſolum impoſſibile ſit ut vera inveniatur requies. Ut autem meliùs probetur hæc veritas, ſuppono cum Ariſtotele y, quòd *quidquid movetur, ab aliquo neceſſe eſt moveatur* & accedat ad terminum ſui motus ab impreſſione ſibi datâ à motore: atqui motor iſte eſt ille, qui præbet rei motæ id omne quod eſt neceſſarium ad attingendum terminum: V. g. cùm ignis accenſus ſurſum aſcendit, non habet immediatè hos conatus, quos facit, ab hac forma, quæ terminatur in acumen, ſed ab Authore, qui ipſum produxit, & ipſi validam indidit inclinationem ad ſe conſervandum: ſive igitur forma inclinet & ferat compoſitum ad aliquod objectum ipſi conforum, tamen hæc forma non fertur ex ſeipſa ad compoſitum, ſed ipſa ſuſcepit à Deo hanc inclinationem, quæ fert ipſum compoſitum ad finem ipſius: ergo cùm appetitus hominis ſit quidam motus, oportet ut hic motus animæ ſit inquietus, ſi recedat à termino, quem Deus ei præſcripſit: & ſicut deſiderium hominis eſt ejus ſitis, ut ſuprà dixi, & Deus eſt verum objectum hujus deſiderii, ut dicit D. Auguſtinus z, Deum alloquens, *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*; ſi homo deſideret aliquid infra Deum, & extra Deum, profectò iſtud deſiderium erit inexplebile, & hæc ſitis inextinguibilis, cor iſtud motu ciebitur continuo, ſine intermiſſione anxiabitur, nec unquam habebit quod votis ipſius poſſit ſatisfacere, & ideò nec ullam unquam invenire poterit perfectam requiem eo modo, quo *non ſaturatur oculus viſu* a. Quia nullum objectum viſibile poteſt complecti in ſe extenſionem omnium colorum, & ſic potentia viſiva ut vacua & famelica poteſt ſemper recipere aliquam novam ſpeciem colons; & iſto modo, Deo ſic ordinante, voluntas hominis ferri poteſt ad omne genus boni, imo ad illud quod *non habet finem* b. Atqui ſicut nihil eſt in mundo, quod contineat in ſe omne genus boni; inde ſequitur neceſſariò, quòd homo invenire non poſſit requiem in fruitione boni creati: re autem vera ipſe faſtidit bonum, quod poſſidet; & cùm anima ipſius ſit capax poſſidendi Dei; inde ſequitur quòd ipſa ſemper ſitiat, ſoluſque Deus ſitim ipſius explere poſſit, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* m.

y Ariſt. lib. 7. Phyſ. c. 1. text. 1.

z D. Aug lib. 1. Conf. c. 1

a Eccl. 1. 8.

b Bar. 3. 25.

m Pſ. 16. 15.

Ad probationem hujus veritatis, ſumo modum procedendi Moyſis, qui licèt extraneus, donatus tamen fuit favore Pharaonis Regis Ægyptiorum, cujus filia illum *adoptavit in locum Filij* n. Puerum iſtum grandem effectum ingens adoleſcentium nobilium caterva ſtipabat, ut ei ſuas exhiberet reverentias: omnia ſuccedebant illi ſecundùm vota, & proſpera erant illi univerſa: Magnates Regni, Gubernatores Provinciarum eum venerabantur, & conſiderabant eum in Curia Pharaonis ut aſtrum boni augurii, ut Solem orientem trahentem omnium oculos ad ſui admirationem. Non deerant illi Magiſtri, qui ipſum edocerent intelligentiam omnium ſcientiarum. Pompæ, divitiæ, magnificentiæ, & quidquid erat magnitudinis in Regno, illi veluti diem feſtum agebant. Proculdubio quilibet alius præter eum, crediſſet ibi ſitam ipſius felicitatem, & illum nihil habuiſſe ſperandum beatius illo paradiſo gloriæ apparentis, *Beatum dixerunt, cui hæc ſunt* y. Sed ad majora natus *Moyſes, poſtquam creverat, egreſſus eſt ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum* z; tædio affectus omnium illarum blandinarum fallacium mundi, & omnium magnitudinum Curiæ, eas omnes deſerit, ut Ducem ſe exhibeat populo Iſraëlitico a, quem directurus eſt in deſertum, ubi patratis pluribus miraculis, æquè ac in Regno Ægypti, cujus ruinam eſt machinatus, faſtidiens omnem iſtum ſplendorem, qui oculos mortalium offundit caligine, nullâ aliâ præventus cogitatione niſi poſſidendi Dei, & conciliandæ ſibi fruitionis ejus, dixit ei aliquando, *Oſtende mihi faciem tuam. Oſtende mihi gloriam tuam.* Deus autem illi *reſpondit, Ego oſtendam omne Bonum tibi* b.

n Exod. 2. 10.

y Pſ. 143. 15.

z Exod. 2. 10. & 11.

a Exod. c. 5. & ſeqq.

b Exod. 33. 13. & 19.

Ecce tota ſitis Electorum, quæ tendit ad Deum ſolum, quippe qui ut vera origo omnium bonorum: ſic ipſe ſolus eſt qui poſſit illorum ardores extinguere, & votis eorum plenè ſatisfacere. Videte quomodo unus è ſitientibus iſtis currat ad hanc originem aquarum vivarum, ut ſuos refrigeret ardores, ſuamque expleat ſitim: auſcultate ergo Davidem c inclamantem ad Deum, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Sic eſt, Auditores; extra Deum, & fruitionem ejus non inveniet homo niſi inquietudines; in vanum convertetur ad creaturas, cùm iſtæ conciliare non poſſint ei requiem, quin imò ſitim illius magis augeant, & ardores ejus accendant. Oportet ergo ut eamus ad Deum, ut aſpiremus ad illum, & ſuſpiremus ad fruitionem ejus, quæ complectitur omne genus bonorum, & quæ eſt centrum, in quo perfectam inveniemus requiem, & omnium deſideriorum noſtrorum complementum, *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* d, quandiu ille nos vocat ad ſe & ſeſe nobis offert ut ſpecioſum fontem: applicemus os noſtrum his aquis myſticis, & ſtatim ſitis noſtra extinguetur, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Hæc aqua eſt remedium ſalutare & refrigerium omnibus mitigandis ardoribus noſtris opportunum: nolite negligere hunc fontem aquæ vivæ, ut inhietis ciſternis diſſipatis, in quibus contineri non poteſt aqua, ne obnoxii fiatis huic improperio, quo Deus invehitur in impios, qui ſiti accenſi, currunt ad creaturas ut eam extinguant, *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas* e. Sed in vanum, ſemper enim ſiti ardebunt immodicâ, tantum abeſt ut ea in ipſis expleatur, eò quòd non elegerint potum, qui ſolus æternam poteſt ipſis præbere ſatietatem. Currite igitur ad Jeſum, qui vos invitat ad bibendam aquam, quæ per totam æternitatem extinguet ſitim veſtram. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum* f. Re autem vera unde creditis quòd oriatur faſtidium vanitatum mundi, nauſea amoris erga creaturas, & contemptus rerum temporanearum in tot Electis, qui hæc omnia ſpernunt, niſi ex pota iſta aqua?

c Pſ. 41. 2. & 3.

d Heb. 4. 16.

e Jer. 2. 13.

f Ioan. 4. 13.

aqoa? Videte quomodo *Mulier, quæ erat in ci-* g Luc. 7. 37. &c. *vitate peccatrix* g, quæque cucurrerat poſt delicias carnis & ſenſuum, ſicut illam in prava & diſſoluta vita ipſius imitata eſt altera ejuſdem h Matth. 9. 9. nominis Maria Ægyptia; & publicanus Matthæus qui ſedebat *in telonio* h, *& Zachæus prin-* i Luc. 19. 2. &c. *ceps publicanorum* i, qui fœnoribus incumbebant; & tot Aulici qui captandis rumoribus popularibus & honoribus vacabant, ita mutati ſunt ut non placeant ſibi ampliùs niſi in contemptu, in vita abſcondita, non exerceant niſi macerationes & abſtinentias, & theſauros reputent altiſſimam paupertatem; totamque ſuam inveniant ſatisfactionem in hac derelictione voluptatum, divitiarum, honorum, & eorum, quæ mundus errore deceptus, magni æſtimat. Quænam eſt cauſa iſtius mutationis? quis extinxit ſitim cordium iſtorum ita terrenis inhiantium, ut nullâ ampliùs ducantur cogitatione, nulloque affectu & deſiderio niſi erga cœlum, & fruitionem ejus? Ratio iſtius eſt, quia ſua applicaverunt ora canalibus hujus Divini fontis, & biberunt ex iſta aqua, quæ fluit nobis è Sacramentis, quæ ſunt canales illius. Eamus igitur k Jer. 2. 13. ad hunc *fontem aquæ vivæ* k, ad quem nos invitat *Jeſus, dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.*

Sed obſervate, quòd Deus non invitat niſi animas ſitientes. *Animalis homo non* percipi- l 1. Cor. 2. 14. ens *ea, quæ ſunt Spiritus Dei* l; qui curris *poſt* m Eccl. 18. 30. *concupiſcentias tuas* m, accede ad hunc Divinum fontem, deſerendo volutabrum tuum, & ibi tua explebitur ſitis. Avare, qui more hydropici ſitis divinas, tantum abeſt ut poſſeſſio alicujus boni tuam extinguere poſſit ſitim, accede ad iſtum fontem, & ipſe mingabit ardores cupiditatis tuæ. Ambitioſe, qui honoribus inhias, applica os tuum huic aquæ cœleſti, quæ ambitionis tuæ conſiliis imponet limites. Iſte eſt ſenſus literalis, tranſeamus ad ſenſum myſticum. Sitis eſt deſiderium, quo erga noſtram affici debemus ſalutem. Tu igitur qui tuam ſitis ſalutem, accede ad fontem iſtum ſalutarem, qui tuis ſatisfaciet deſideriis. Solum Deus requirit à nobis deſiderium, ad conferendas nobis gratias ſuas; & hæc eſt ſitis, quæ meretur nobis hunc potum, quo ipſi refrigerandi ſumus & explendi. Archangelus *Gabriel*, qui apparuit Danieli ad revelanda ei Divina myſteria, ait illi, *Ego veni ut in-* n Dan. 9. 21. & 23. *dicarem tibi, quia vir deſideriorum es* n. Sunt Aliqui qui vertunt, *Quia vir concupiſcentia-* o Theod. in Dan. 9. 23. *rum es.* Quaſi dicerent cum Theodoreto o, *Virum deſideriorum ipſum vocat: Vel ut eum, qui jejunio & afflictioni deditus, contra corporis cupiditates viriliter decertet. Vel ut expetentem cognoſcere, & quæ templo ſint eventura percipere cupientem.* Nimirum vel quòd ob edomitas concupiſcentias ſuas, vel, ſecundùm verſionem communem, ob deſiderium ſuum Daniel hanc gratiam conſecutus fuerit. Et Sapiens p loquens p Sap. 11. 4. Deo de populo Iſrael ſitiente in deſerto, & deſideria ſua ad ipſum dirigente, ait ei, *Sitierunt, & invocaverunt te, & data eſt illis aqua de petra altiſſima, & requies ſitis de lapide duro.* Hæc petra altiſſima eſt Dei Filius, *Petra autem erat Chriſtus* q. Hæc petra requiem dat animabus q 1 Cor. 10. 4. ſitientibus. Sitire ergo & deſiderare debemus perfectionem, & humiliter emendicare auxilium gratiæ in hoc mundo, & dabitur nobis gloria in altero.

FERIA III. POST DOMIN. PASSIONIS.

Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, Quia Bonus eſt. Alii autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbas. Ioan. 7. 12. &c.

DIcere ſolitus erat Pythagoras, quòd ad cognoſcenda hujus vitæ bona, ſint ea contemnenda; ſed quòd ad cognoſcendum Deum, ſit ille amandus. Hæc veritas eſt manifeſta ex differentia quæ invenitur inter intellectum & voluntatem, quæ in eo eſt ſita, quòd intellectus producat operationem ſuam, attrahendo ad ſe objecta quæ intelligit, formando in ſemetipſo ideam illius objecti; & ſic omne illud, quod intellectus intelligere poteſt, a Bar. 3. 25. eſt ponere Deum, qui *non habet finem* a, in te finita, quæ eſt lucidem intellectus, qui noodum eſt in cognitione Dei: ſed ad eum ritè cognoſcendum oportet ut eat poſt illum, egrediendo è ſemetipſo, quod fit per amorem, cùm voluntas, quæ eſt ſedes amoris, egrediens è ſemetipſa, & tendens ad Deum, diſponat intellectum ad eum cognoſcendum, cùm ſit neceſſarium ut quis accedat ad Deum, ut ab eo illuminetur, *Accedite ad eum, & illuminamini* b. Accedamus igitur b Pſ. 33. 6 ad Dei Filium, qui ex teſtimonio ipſo Judæorum *bonus eſt.* Et ſicut *Bonum eſt diffuſivum ſui,* c D. Dio. lib. de Div. Nô. c. 4. ait D. Dionyſius c, illuminabit mentes noſtras luminibus ſuis, & accendet corda noſtra igne amoris ſui. Sed ſalutemus eam quæ eſt *Mater* d Eccl. 24. 24. *pulchræ dilectionis* d, dicentes ei, *Ave Maria.*

Tria motiva hominem attrahunt ad amorem, ſimilitudo, cognitio, & bonum. *Similitudo eſt cauſa amoris,* ut vulgò dicitur. Nemo amare poteſt niſi rem ſibi cognitam, quia voluntas non fertur ad incognitum. Poſſumus quidem amare objecta, quæ nunquam vidimus, ſed non ea quæ nobis penitus ſunt incognita: naturali ducimur affectu ad res bonas, & nunquam amamus bonum niſi inquantùm eſt bonum, aut verum, aut apparens. Hæc tria igitur motiva nos ordinariè ſolent ad amorem provocare, ſimilitudo, cognitio, & bonum, quibus erat privatus mundus ante adventum Filii Dei. Nulla enim erat in eo ſimilitudo, quia Deus eſt æter- e Dan. 13. 42. nus e, *ſolus habet immortalitatem* f. Et, *Spiritus* f 1. Tim. 1. 16. *eſt Deus* g. Homo verò temporalis, mortalis, g Jo. 4. 24. & compoſitus: ut igitur homines attraherentur ad amandum Deum aliquâ mediâ ſimilitudine, quantùm natura ſuſtinere Divina id poterat, humanam ſumere voluit Dei Filius ſimilitudinem per Incarnationem, quia Deus aliquo modo factus eſt mortalis, *In ſimilitudinem hominum factus* h. Et, *Debuit per omnia fratribus ſimilari* i. h Phil. 2. 7. Secundum motivum, quod eſt cognitio, deerat i Heb. 2. 17. in mundo, quia univerſa in eo accidebant ſub velis & ænigmatibus, *Omnia in figura contingebant illis* k. Et, *Notus in Judæa Deus* l. Hoc k 1. Cor. 10. 11. intelligitur ſolùm comparativè ad alias nationes, l Pſ. 75. 2.

quæ

quæ penitus erant ſemotæ à cultu veri Dei : ſed
per adventum Jeſu Chriſti, plenam conciliave-
runt ſibi homines notitiam Dei, quia Jeſus Chri-
ſtus per doctrinam ſuam, & per miracula ſua ſe-
metipſum manifeſtavit, ſicut & Patrem ſuum
omnibus hominibus, *Pater, manifeſtavi nomen*
m Joan. 17. 6. *tuum hominibus* m. *Et nemo Patrem novit niſi*
n Math. 11. 27. *Filius, & cui voluerit Filius revelare* n. Et hoc
eſt quod innuunt Judæi in Evangelio hodierno,
o Dion. Carth. art. 17. in Joan 7. 11. & 12. juxta expoſitionem Dionyſii Carthuſiani o, *Ju-*
dæi ergo dicebant, Ubi eſt ille? famoſus, qui o-
mnibus notus eſt, quia in omnibus ſingularis, in
pulchritudine vultus, in habitudine corporis, in
rectitudine æquitatis, in doctrina, in eloquentia,
in miraculis. Hinc ergo non exprimunt nomen
ipſius, & fortè quòd quidam eorum ex contemptu,
ut mali; quidam verò ex reverentia, ut creden-
tes, hoc fecerunt. Et murmur multum, id eſt,
magna contentio & ingens confabulatio erat de
eo in turba, ſicut de abſentibus magna reputatio-
nis eſſe ſolet, cujus ratio ſubditur. Quidam enim
dicebant, Quia Bonus eſt, id eſt, vera docens, &
juſtè vivens. Nullus tamen eorum æſtimavit eum
eſſe eſſentialiter bonum, tanquam verum Deum.
Quod oſtendit rei oum moovum, quia nullum
erat bonum perfectum in mundo ante adven-
tum Filii Dei, cùm Lex Moyſis eſſet imperfecta,
& neminem duceret ad perfectionem, *Nihil e-*
p Hebr. 7. 19. *nim ad perfectum adduxit Lex* p. Idcircò pro-
ſequitur Dionyſius Carthuſianus, *Alii autem*
dicebant, Non eſt bonus, ſed ſeducit turbas per ſi-
mulatam juſtitiam falſa miracula, peſtiferamque
doctrinam. Per Legem Moſaicam non poterat
homo obtinere nec invenire ſuam remiſſionem,
donec Dei Filius in hunc mundum venit per a-
morem, *Quia Bonus eſt*, ad remittenda nobis
peccata noſtra: *Reprobatio quidem fit præceden-*
tis mandati, propter infirmitatem ejus & inutili-
q Hebr. 7. 18. *tatem* q. Dei Filius igitur in hunc mundum venit
per amorem, ad ditandos nos theſauro iſtorum
trium. Præ ſe tulit ſimilitudinem; dedit nobis co-
gnitionem, & propoſuit nobis verum Bonum
amandum. Hinc, quia *quidam dicebant, Quia*
Bonus eſt: Alii autem dicebant, Non, ſed ſeducit
turbas, loquentes de Chriſto, iſti præ contemptu,
illi verò præ reverentiâ, aut amore, cùm tam iſto-
rū quàm illorū mereretur Salvator amorē ſibi cō-
Diviſio. ciliare, oſtendam vobis. Primò, quòd amor eſt id
quod diſtinguit Bonos à malis. Secundò, Quòd a-
mor nonniſi reciproco amore benè compēſatur.
I. Pars. r Joan. 21. 20. Diſcipulus, *quem diligebat Jeſus* r, ait, quòd
nota infallibilis, quæ agnoſcendos exhibet eos,
qui hâc felici potiuntur prærogativâ ut ſint in for-
tunato diſcipulorum Domini ſui catalogo collo-
cati, eſt dilectio. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſ-*
s Joan. 13. 35. *cipuli mei eſtis, ſi dilectionē habueritis adinvicē* s.
Dilectio igitur eſt ſignum certiſſimum & maximè
authenticū, quo Boni diſtinguuntur à malis: cha-
ritas differentiā conſtituit inter Juſtos & impios;
quia nihil juſtius erat, quàm ut fidelis Chriſtian⁹,
qui nomen ſuum dederat militiæ Jeſu Chriſti, re-
ciperet ab ipſo, quē *Deus, Domini noſtri Jeſu Chri-*
t Epheſ. 1. 17. & 22 *ſti Pater, dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam* t, ſi-
gnū, quo agnoſceretur in militiâ ipſius; nam *mili-*
u Job 7. 1 *tia eſt vita hominis ſuper terram* u. Ubi præ mani-
bus ſemper arma geſtare debemus, & attendere
nobis, ut eripiamus nos ab inſidiis & inſultationi-
bus inimicorū ordinariorū naturæ noſtræ, mun-
di, diaboli, & carnis. Signū debebat homo ſuſci-
pere, & induere *armaturā Dei, ut* poſſet *ſtare ad-*
verſus inſidias diaboli: quoniam nō eſt nobis ſolùm

colluctatio adverſus carnē & ſanguinē: ſed adver-
ſus Principes & Poteſtates, adverſus mundi Recto-
res tenebrarum harū, contra ſpiritualia nequitiæ,
in cœleſtibus x. Et licèt iſti hoſtes nobis valdè ſint x Epheſ. 6. 11. & 12.
infenſi, ementitā amicorum præ ſe ferunt ſpeciē;
cùm ſint crudeliſſimi, intuendos ſe exhibent ſub
apparentiâ doloſâ dulcedinis; & cùm ſint tyranni,
volūt tamē uſurpatione criminoſâ ſibi noſtri aſ-
ſerere dominiū cordis. Ut igitur agnoſcerentur
aſtutiæ & fallaciæ dæmonum, & ut milites ducis
iſtius, qui *Bonus eſt*, & *Charitas eſt* y, diſtinguerentur y 1. Joan. 4. 16.
tur ab illis hoſtium noſtrorū, qui ſunt impii, opor-
tebat ut daretur Juſtis, qui ſunt milites Jeſu Chri-
ſti, hoc ſignū amoris: ſub hoc vexillo præliari de-
bent charitatis, & ſub hoc ſigno tantas capeſſunt
vires, ut quoslibet hoſtiū derideāt conatus; pro ſi-
gno autem, aut pro teſſerâ vigiliarū dicitur ſingulis
illis, *Diliges* a. Sicut enim in bello nihil eſt pericu- a Math. 22. 37. & 39.
loſius, quàm cùm milites diviſi ſunt ab invicē, ſi-
cut nihil eſt magis accommodum ad referendam
glorioſā de hoſtibus victoriā, quam cùm prælian-
tur benè uniti ſimul, dicatque Chriſtus belli my-
ſtici Dux, *Omne Regnū in ſe diviſū deſolabitur* a: a Luc. 11. 17.
proptereà Dux iſte, qui *Bon⁹ eſt*, & *Charitas eſt*, mi-
litib⁹ ſuis dedit ſignū amoris, cujus primus effect⁹
eſt unire mēbra Capiti, milites Duci. Idcircò mu-
nitus iſto David *b* glorioſo ſigno, dicebat Deo, b Pſ 62. 9
Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua
Antequam Dei Filius in hunc veniret mundum,
ad ſeminandum hunc amorē in cordibus noſtris,
omnia in eo erant vacua: altare erat vacuum, Lex
vacua, tempus vacuū, imò verò Scriptura vacua.
Deus loquens Moyſi de altari, ait illi, *Non ſolidū,*
ſed inane & cavum intrinſecùs facies illud c. Jeſus c Exod 27. 8.
Chriſtus dicit de Lege, *Legem non veni ſolvere, ſed*
adimplere d. De tēpore S. Paulus e enūciat, *At ubi* d Math. 5. 18.
venit plenitudo temporis. Erat igitur vacuū. Et de e Galat. 4. 4.
Scripturis aſſerit S. Lucas *f* in favorem ſic loquen-
tis Chriſti, *Neceſſe eſt, impleri omnia quæ ſcripta* f Luc. 24. 44.
ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.
Jeſus Chriſtus implevit omnia amore ſuo, ut no-
ſtros omnes inſumeremus conatus ad ſuſcipiendā
illius abundantiam, *Oro ut charitas veſtra magis*
ac magis abundet g. Ut autem hæc dilectio ferat g Philipp. 1. 9.
abundantiā præ cordibus noſtris, deſerenda ſunt
omnia, nec alicui eſt cor noſtrum alligandum rei,
Si dederit homo omnem ſubſtantiā domus ſuæ pro
dilectione, quaſi nihil deſpiciet eā h. Ut innuatur, h Cant. 8. 7.
omnia parū eſſe, aut ferè nihil intuitu amoris iſti-
us, & quòd amor propriis hominis cōparari debet
impenſis: ad emendā igitur charitatē, refundenda
eſt domus voluntatis noſtræ in pretium illius.
Inter alia mirabilia, quæ S. Gabriel Archange-
lus annunciavit Virgini Deiparæ mox futuræ, di-
xit illi de Filio Dei, quem ipſa conceptura erat, *Et*
regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus
non erit finis i. Sed quomodo volebatur regnaret i Luc. 1. 32. & 33.
in domo Jacob in æternum, cùm domus ejus jam fi-
nem accepiſſet, imò verò & verum ſit, quòd *cælū*
& terra tranſibunt k? Ut hoc intelligatur, viden- k Matth. 24. 35.
dum eſt quænam ſit iſta domus Jacob, *Erit do-*
mus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma l. Jeſus l Abd. v. 18.
Chriſtus igitur regnaturus erat perpetuò in hoc
igne, id eſt, in amore, qui perpetuò fuit in illo, id
eſt, ab æternitate, *In charitate perpetua dilexi*
te m. Et ideò nullum eſt unquam habiturus finē, m Jer 31. 3.
Et regnabit in domo Jacob in æternum. Tamen di-
verſimodè ſe aſpiciendum exhibuit intuitu iſtius
Regni: aliàs enim hunc ignem abſconde-
bat in ſe, nec eum ullo oſtendebat modo:
idcircò cùm Moyſi *apparuit Dominus in flamma*

ignis de medio rubi; & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur; cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes? Qui reſpondit, Adſum. At ille, Ne appropies, inquit, huc n. Sed nunc ipſe vult ut curramus ad hunc ignem: Dominus non invenitur abſque igne; & ſicut Moyſi *apparuit Dominus in flammâ ignis de medio rubi*; Sic ſeſe nobis intuendum exhibet in amore, qui diſtinguit Bonos à malis: in hac ſolâ invenitur ipſe domo ignis & flammæ, & illi qui amorem præ ſe ferunt, eum ibi inveniunt, non autem ii qui dilectione ſunt deſtituti.

n Exod. 3. 2 &c.

Propterea Sponſa ſacra loquens de Dilecto ſuo, ait, *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. En Dilectus meus loquitur mihi* o. Quibus verbis quatuor nobis innuuntur, quibus per amorem invenire Deum poſſumus. Primò, *Poſt parietem*. Quod ſignificat ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ubi Chriſtus latet medio muro ſpecierum Sacramentalium. Secundò. *Per cancellos*. Id eſt, per res creatas, *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur. ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* p. Tertiò, *Per feneſtras*. Id eſt, in Scripturis factis per ſanctos Doctores, qui vocantur feneſtræ. Quartò, *Dilectus meus loquitur*. Quoniam per Verbũ Domini inflãmatũ, quod diſtinguit Bonos à malis, nemo eſt qui nõ inveniat Deũ.

o Cant. 2. 9 & 10

p Rom. 1. 20.

Homo igitur compoſitus è corpore & animâ, è carne & ſpiritu, conetur amare utrumque ut decet, & eſt rectæ conſonum rationi, requiſitum in amore ſuo cuſtodiens ordinẽ. Sed advertat, quòd, ſecundùm Patres vitæ ſpiritualis, aliud eſt amare carnem carnaliter, & aliud eam amare ſpiritualiter; aliud amare ſpiritum carnaliter, & aliud amare ſpiritum ſpiritualiter. Amare carnem carnaliter, eſt adhærere deſideriis ejus, & concupiſcentiis illius indulgere, contra id quod dicitur, *Poſt concupiſcentias tuas non eas* q. Et hic amor procuratur à dæmone. Amare autem eam ſpiritualiter, eſt eam ſubjicere rationi, ut ſubjiciebat eam D. Paulus r, dicens, *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Amare ſpiritum carnaliter, eſt eum vexare lacrymis, & orationibus. Amare verò ſpiritum ſpiritualiter, eſt cùm prætermus honorem Dei & utilitatem proximi noſtris conſolationibus ſpiritualibus, quibus libenti abrenunciamus animo, ut honori Dei, & commodo proximi invigilemus.

q Eccl. 18. 30.

r 1. Cor. 9. 27.

s D. Greg. lib. ... Mor. c. 4

Obſervat D. Gregorius s, quòd ratio, propter quam promiſit Chriſtus Dimæ, ſeu bono Latroni paradiſum, fuit, quia eadem tempore, quo *ſtabat populus expectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes, Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus, Dei electus: illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerẽtes ei, & dicentes, Si tu es Rex Judæorum, ſalvum te fac: unus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, alter* t eum agnovit. Ait ergo D. Gregorius, *Latro fidem habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem ſecum pariter morientem vidit. Spem habuit, qui Regni ejus aditũ poſtulavit, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum. Charitatem quoque in morte ſuâ vivaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro ſimili ſcelere morientẽ & de iniquitate ſuâ arguit, & ei viam, quam non cognoverat, prædicavit, dicens: Neque tu times Deũ, qui in eadem es damnatione? Et nos quidem juſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit*. Dilectio, quâ ducitur bonus Latro erga Jeſum, efficit ut aperiat innocentiam ejus ſocio ſui ſupplicii æquè ac latrocinii: & hæc charitas oſtendit differentiam Bonorum à malis.

t Luc 23. 35. &c.

II. Pars.

Sola dilectio, eſt digna charitatis merces, & amor nonniſi amore cõpenſatur reciproco. Jeſus Chriſtus dicit, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligã eũ, & manifeſtabo ei meipſum* u. Quaſi diceret, quòd licèt ipſe dediſſet terrã & cœlũ homini, amor tamen non ritè fuiſſet ſolutus, cũ ſolus amor Dei ſolũ ſit illius pretiũ. Idcircò hæc ſic explicat verba Dion. Carth. x, *Qui diligit me, ſive ut hominem pro ſe paſſum, ſive ut Deũ pro ſe incarnatum, atq; ſalvantem, diligetur à Patre meo, id eſt, merito ſuæ dilectionis dona Patris recipiet, eique placebit. Advertendũ, quòd Dilectio Trinitatis ad nos eſt æterna, idcirco per omnẽ differentiã temporis explicatur. Et ego diligã eum, id eſt, æternaliter eũ amabo, & vera dilectionis ſigna ei oſtendã, dando ei gratiam ſalvificam in præſenti, gloriamq; in futuro. Cuſtodit enim Dominus omnes diligentes ſe* y. *Et in Proverbiis Salomonis* z, *æterna Sapientia loquitur, Ego diligentes me diligo. Deinde Chriſtus declarat ſuæ dilectionis præmiũ ultimatum, Et ego manifeſtabo ei meipſũ, id eſt, dabo ei clarã Divinitatis meæ notitiã ſeu beatificam viſionẽ, quæ eſt tota merces* a, *ut infra habetur, Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te verũ Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtũ* b. Sola igitur charitas eſt unicũ dilectionis præmium; propterea idem Dei Filius diſſerens de dilectione inimicorũ, dicebat, *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedẽ habebitis* c? *Id eſt, ſi ſolùm amatis amantes vos, non tã propter Deum, quam ideo quia vos diligunt, quam mercedẽ habebitis à Deo in patria? quaſi dicat, nullam*, ſubjungit ide Carthuſianus d. Sed ſi diligatis *inimicos veſtros*, & *his qui oderunt vos* e, benefaciatis, ego debitum ſolvam, & amorem veſtrum charitate æterna compenſabo. Fruitionis æternæ præmium pollicetur pro erogato vel calice aquæ frigidæ, *Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam* f. Sed quid? propter rem ſic exiguam promittere paradiſum? Non propter aquam, ſed ob amorẽ propter quem illa in neceſſitates egeni ſublevandas impenderetur. Hoc modo eſt intelligendũ id, quod Chriſtus dicebat diſcipulis ſuis, *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit* g. Sed quid reliquerãt? Navim confractã, retia diſciſſa, & alia hujuſmodi: at non pro navi diſciſsâ dimiſsâ, nec pro *relictis retibus* h promittitur eis paradiſus, ſed pro amore, quo iſta dimiſerunt omnia, ut ſequerentur Dei Filium, ſeque ejus Divino manciparent obſequio.

u Jo. 14. 21.

x Dion. Carth. a. 30. in Jo. 14. 21.

y ex Pſ. 144. 20.

z Prov. 8 17.

a ex D. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8.

b ex Jo. 17. 3.

c Matth. 5. 46.

d Dion. Carth. a. 11. in Matth. 5. 46.

e Matth. 5. 44.

f Matth. 10. 42.

g Matth. 19. 29.

h Matth. 4. 21. & 22.

Domo paternâ egreditur filius ingratus, patris præcepta contemnit; pater contentâ voce inclamat, eum à ſe privandum hæreditate; has deridet filius minas, & dicit ſeparũ de bonis ſolicitũ eſſe paternis, nec illis indigere; hæc advertens pater, ad illum mittit amicos, qui eum alloquantur, & repræſentent ei afflictionem parentum ſuorũ ob ſuam abſentiam; iſtud nõ ſufficit ad commovendũ hunc filium; tandem pater amore victus pergit ipſemet ad filium ſuum, corã illo torrẽtem effundit lacrymarum, & ait illi, Si iſtud non te movet; compatere ſaltem mihi intuitu doloris quo affi-

afficior. Viſcera hujus filii ſuam non poſſunt
amplius fovere ſævitiam, veniam diſſolutionum
ſuarum à patre ſuo efflagitat, & domum rever-
titur. Eodem planè ſe gerit Deus modo;
homo per peccatum ſuum à Deo Patre ſuo,
ſicut iſte *filius, peregrè profectus eſt in regionem*
longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam
i Luc. 15. 13. *vivendo luxurioſè* i. Deus miſit ad illum
Prophetas, qui uſi ſunt aliis minis, *Et nunc oſten-*
dam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam
ſepem ejus, & erit in direptionem. Et ponam
eam deſertam: non putabitur, & non fodietur:
& aſcendent vepres & ſpinæ: & nubibus man-
k Iſai 5. 5. &c. *dabo ne pluant ſuper eam imbrem. Vinea enim*
Domini exercituum, domus Iſrael eſt k. Aliis pro-
miſſis, *Tu autem fornicata es cum amatoribus*
multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus,
l Jer. 3. 1. *& ego ſuſcipiam te* l. Aliquando blanditiis,
Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Et
ſepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit
eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus,
m Iſai. 5. 1. & 2. *& torcular extruxit in ea; & expectavit ut fa-*
ceret uvas, & fecit labruſcas m. Quia homo
ſemper manet ingratus. Pro eo Dei Filius
veniam expoſcit à Patre ſuo præ fletibus, &
exauditur. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſup-*
plicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum fa-
cere à morte, cum clamore valido & lacrymis
offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia n. Amor
n Heb. 5. 7. amore compenſatur.

o Job. 22. 24. Dicitur in libro Job o, *Dabit pro terra ſili-*
cem, & pro ſilice torrentes aureos. Quaſi innua-
tur, quòd Deus ſic fuit beneficus erga Job, ut non
ſolùm amiſſas ejus facultates multiplicaverit,
Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerunt
p Job. 42. 10. *Job duplicia* p: ſed quòd *pro terra ſilicem,*
& pro ſilice torrentes aureos illi dederit. Eti-
amſi hæc verba ad literam, multiplicationem bo-
norum Job indicent; ex iis tamen ſecundùm
ſenſum ſpiritualem poteſt colligi, quòd terra,
pro qua iſte ſilex dandus erat, eſt natura humana,
quæ in origine ſua educta eſt è terra, *Formavit*
q Gen. 2. 7. *Dominus Deus hominem de limo terræ* q. Et
quòd homo in ſuum primum eſt convertendus
principium, ſicut Deus primo homini dixit,
Quia pulvis es, & in pulverem reverteris r.
r Gen. 3. 19. Iſte ſilex nihil aliud ſignificabat niſi Jeſum Chri-
s 1. Cor. 10. 4. ſtum, *Petra autem erat Chriſtus* s. Igitur Deus
Pater iſtâ miſerâ *pro terra ſilicem* dedit Jeſum
Chriſtum, cùm *in ſimilitudinem hominum fa-*
t Phil. 2. 7. *ctus & habitu inventus ut homo* t eſt. Non præ-
bebit tantùm petram, ſed etiam *dabit pro terra*
ſilicem, è quo eruitur ignis, qui ignis excuſ-
ſus in Cruce, mundum replevit ſcintillis Divini
amoris, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia*
traham ad meipſum: hoc autem dicebat, ſignifi-
cans quâ morte eſſet moriturus u. *Et pro ſilice*
u Jo. 12. 32. & 33. *torrentes aureos.* Per hos torrentes aureos in-
nuuntur effectus amoris quem Deus communi-
cavit hominibus, qui nonniſi reciprocâ compen-
ſari poteſt charitate.

x Pſ. 109. 7. His videtur alluſiſſe Propheta x torrenti-
bus, cùm ait, *De torrente in via bibet, propterea*
exaltabit caput. Caput hominis eſt ſpiritus,
qui perſæpè ſe peccati immergit aquis, *Qui bi-*
y Job 15. 16. *bit quaſi aquam iniquitatem* y. Tamen de tor-
rente iſto amoris bibens, caput ſuum exaltat,
ſurgit à peccatu, & praxi virtutis ſectandæ vacat.
Ita D. Paulus perſonam agens peccatoris, ſentiens
caput ſuum, id eſt, ſpiritum ſuum agitatum undis
peccati & concupiſcentiæ, contentâ voce incla-
mat, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpo-*
re mortis hujus z? Sed ſtatim ac de torrente iſto z Rom. 7. 24.
amoris bibit, aliam ſanè ſermonem enunciat,
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti a? Saulus a Rom. 8. 35.
adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Do-
mini, erat veluti ſuffocatus aquis perſecutionis,
quâ in Chriſtianos invehebatur; *& cadens in*
terram proſtratus à Chriſto, ut biberet ex aquis
iſtius torrentis, confeſtim *dixit, Domine, quid*
me vis facere b? Dilectio nonniſi mutuâ agno-
ſcitur dilectione. b Act. 9. 3. &c.

Præterea, Amor Dei vocatur torrens, quia
ſicut torrentes non fluunt ſuper montes, ſed
deſcendunt in valles; ſic amor Dei non inve-
nitur in arrogantibus, *Quia Deus ſuperbis re-*
ſiſtit. Sed reperitur in humilibus, *Humilibus*
autem dat gratiam c. Idcircò dicebat Deo
David d, *Qui emittis fontes in convallibus: inter* c 1. Pet. 5. 5. & Iac. 4. 6.
mediū montiū pertranſibunt aquæ. Multum eſt
dictu, ac amorem Dei eſſe torrentem, qui omnia d Pſ. 103. 10.
ad ſe trahat, imò verò corda petroſa & indurata,
de quibus dicitur, *Cor ejus indurabitur tanquam*
lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus e. Sed e Iob 41. 15.
ſacra Scriptura ſubdit, quòd ſit torrens aureus.
Finxerunt Poëtæ quendam fluvium nomine Pa-
ctolum, quem recenſebant arenas habuiſſe aure-
as: & commenti ſunt, Jovem ductum amore
Danaës, deſcendiſſe in ſinum ejus in forma
pluviæ aureæ, eamque conceptum ab illo fili-
um enixam fuiſſe. Fabulæ ſunt iſta commen-
ta, ſed myſterium ſecum invehunt, quod edo-
cet nos, quòd Deus noſter, qui fecit *cælum &*
terram, & quidquid cæli ambitu continetur: Do-
minus omnium, nec eſt qui reſiſtat Majeſtati f e- f Eſth. 13. 10. & 11.
jus, captus amore animæ noſtræ, effundit in ſi-
num ejus torrentem aureum amoris ſui, quo præ-
gnans effecta, enitetur bona opera, & ſic amo-
rem amore compenſabit: & ſic licèt ipſa aggre-
deretur itinerationes longiores, quàm ſuſceperit
Abraham g; etiamſi pateretur illa plus, quàm ſu- g Gen 12. 4. &c.
ſtinuerit Job h, & omnes pertulerint Martyres i, h Iob 2. 7. &c.
ſuam non peraget ipſa ſalutem niſi de torrente
iſto biberit, *Si tradidero corpus meū ita ut ardeā,* i Heb. 11. 33. &c.
charitatē autē non habuero: nihil mihi prodeſt k. k 1. Cor. 13. 3.

Ad potandas nos invitat torrentis iſtius
aquas Dei Filius, dicens, *Diliges Dominum De-*
um tuum l. Quaſi diceret, quòd ſicut mare eſt l Mat. 22. 37.
origo omnium fontium, & univerſorum fluvio-
rum; ſic amor eſt principiū omnium bonorū &
beneficiorū Dei. Volebat nobis Propheta m pro- m Pſ. 21. 10. &c.
ponere æternitatē iſtius amoris ut torrentē, cùm
dixit, *Tu es qui extraxiſti me de ventre: in te pro-*
jectus ſum ex utero; de ventre Matris meæ, Deus
meus es tu, ne diſceſſeris à me. Poſtquàm Domi-
nus *conceptum dedit Rebeccæ, collidebantur in u-*
tero ejus parvuli: jam tēpus pariendi advenerat, &
ecce protinus alter egrediens, plantā fratris tene-
bat manu n. Hæc figura innuit, quòd in ſinu Vir- n Gen. 25. 21. &c.
ginis Deiparæ o, non fuerūt quidē duo filii, ut *duo* o Luc. 1. 31.
gemini in utero Rebeccæ *reperti ſunt*; ſed unicus,
compoſitus tamen ex duabus naturis; ex natura
humana & ex natura Divina: ibi conflictus datus
eſt inter amorem quo ſemetipſum amabat, & a-
morē quo erga nos afficiebatur, tamen conſenſu
dictum eſt mutuo, *Major ſerviet minori,* ut dictū
eſt de Eſau intuitu Jacob; nimirum, quòd Jeſus
Chriſtus oblîtus ſuîpſius, diligendo *nos ſemeti-*
pſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odo-
rē ſuavitatis p traderet. Idcircò nunc *plantam* p Eph. 5. 2.
fratris majoris natu tenet, intuitus finē vitæ, quia q Io. c. 18. & 19.
do talis amor majora erat operaturus mirabilia q.

Hoc eſt etiam, quod ait D. Paulus r, *Aſpicientes in Auctorem fidei, & Conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* [r Heb. 12. 2.] Qui amor fuit verè torrens, qui omnium hominum ad ſe attraxit corda, ut jam dixi, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum s.* [s Joan. 12. 32.] Sed amor qui nonniſi reciprocâ ſolvi poteſt dilectione.

Servus debet reddere domino ſuo id, quod ipſe ſcit futurum ei gratiſſimum: cùm homo teneatur agnoſcere Deum ut Dominum ſuum, hoc perfungi debet officio præ omni fidelitate poſſibili. Deus igitur à nobis tria exigit, quæ ad unum referri poſſunt, recenſita à D. Luca t, [t Luc. 12. 40. & 35.] *Eſtote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Et ut oſtendat nobis quomodonam debeamus nos tenere paratos, paulò antè ait Evangeliſta, *Sint lumbi veſtri præcincti.* In quo præcipit caſtitatem. Deinde, *Et lucernæ ardentes.* In hoc requirit à nobis miſericordiam erga proximum. Tandem, *In manibus veſtris.* Ipſe vult ut ignis amoris ſui ardeat in operibus, quorum manus ſunt ſymbola. Quæ tria reducuntur ad amorem: quicumque enim lampadem ſuam præ ſe feret hoc igne accenſam, non ſolùm præcinctos habebit renes, non tantùm operibus miſericordiæ illuminabit proximos, imò verò in ſe omnes continebit virtutes. Unde patet quàm meritò jure teneantur homines ſolvere hoc tributum amoris Deo, *Quia bonus eſt*, & amat nos.

Ut autem ſolvamus iſtud amoris debitum ut decet, & amorem à Deo nobis impenſum reciprocâ agnoſcamus dilectione, nō erit abs re ut ritè iſtud examinemus verbum, *Diliges Dominum.* Nomen iſtud, *Dominus*, magna continet myſteria, & quatuor ex ejus ethimologia colliguntur, juxta Doctorum obſervationem, quaſi *dans minus, dans minas, do manus, do minus.* [t Eſth. 13. 11.] Deus appellatur, & eſt verè *Dominus* t, ſi ſpectetur primum illius ethimon; quia providens omnibus rebus ea, quæ ipſis ſufficiunt, & ſunt ipſis neceſſaria ad ſuiipſarum conſervationem, non ſe gerit more plurimorum Regum, qui Regna deſtruunt, & Provincias deſolant, ut ipſi efficiantur prodigi: ſed Jeſus Chriſtus dicitur dare *minus*, quia opera ejus non pergunt ad objectum extremum, comparatione extremorum quæ ſunt vitioſa. Vel dicitur dare *minus*. *Quia bonus eſt* ita erga peccatorem, ut verum ſit id, quod ait Theologia de eo, *Vitium punit citra condignum, & remunerat ultra condignum* virtutem. Propterea David conſiderans, quàm verè vocetur *Dominus*, in eo quòd det *minus* peccatori, quàm peccata ejus mereantur ſupplicii, ait, *Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis* u. [u Pſ. 102. 10.] Quod exponit Incognitus x ad propoſitum, [x Incog. in Pſ. 102. 10.] *Sciendum, quòd in hoc mitigatur ira Dei ergo peccatores, quia etiam eos puniendo punit citra condignum, ſicut ſemper præmiando ultra condignum præmiat. Unde quilibet peccator percuſſus à Deo, rectè dicere debet illud Job y, Deliqui, & ut eram dignus non recepi.* [y Job. 33. 27.] Quia etiamſi in Deo miſericordia & juſtitia æquali procedant greſſu, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt* z: [z Pſ. 84. 11.] tamen naturaliter magis inclinatur ad miſericordiam, quàm ad juſtitiam. *Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur* a. [a Pſ. 114. 5.]

Obſervant curioſi naturalium rerum Indagatores, arietem dormire ſex menſibus ſuper uno latere, & ſex menſibus ſuper altero: ſic homo debet modò conſiderare bonitatem & miſericordiam Dei, modò verò juſtitiam ejus: hoc eſt, quod Deus præcipiebat Ezechieli b, [b Ezech. 4. 4. & 6.] dicens ei, *Et tu dormies ſuper latus tuum ſiniſtrum, & dormies ſuper latus tuum dextrum.* Et quamvis utramque præ noſtræ mentis habere debeamus oculis, tamen *ſuperexultat miſericordia judicium* c. [c Jac. 2. 13.] Ideò Deus ſe Deum zeloten nuncupat, *Ego ſum Deus zelotes* d. [d Exod. 20. 5.] Imaginati ſunt aliàs Ethnici, quòd ubi Juppiter aliquem erat mortalium caſtigaturus; conſilium cogeret aliorum deorum, ut determinaret cum illis quid ipſi eſſet agendum; ſed quòd cùm alicui eſſet auxiliaturus, eique ſuam impertiturus miſericordiam, eam per ſemetipſum largiretur, nec alienum capeſſeret conſilium, idcircò ab illis vocabatur primus ille deorum, *Juppiter, quaſi juvans Pater.* Videtur Deus noſter, qui *Bonus eſt*, ut vocatur in Evangelio noſtro, conſilium capeſſere, cùm aliquem tenetur punire, quia multùm tardat, *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem* e. [e Gen. 3. 8.] Et cùm ſuæ magnificare vult effectus miſericordiæ, properè venit, *Ecce venio citò: & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua* f. [f Apoc. 22. 12.] Propter talem miſericordiam vocatur *Dominus*, quia ſecundùm leges miſericordiæ ſuæ, minus dat ſuppliciorum, quàm noſtra mereantur peccata: Deus enim infinitè *Bonus eſt.* Et ut ſic *ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt quoniam pulvis ſumus* g. [g Pſ. 102. 14.] Et intuitu infirmitatis noſtræ, magis vergit ad bonitatem & ad miſericordiam, quàm ad rigorem, & ad juſtitiam, *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus* h. [h Prov. 20. 28.] Et amor iſte nonniſi amore ſolvitur. Præterea, Vocatur *Dominus, do minus.* Quia licèt id, quod nobis dedit, ſit maximum, & ſic immodicum ut illud humanus concipere non poſſit intellectus, id quod nobis reſervat in gloria, eſt incomparabiliter majus, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* i. [i 1 Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4.]

Secundò, Deus vocatur *Dominus, quaſi dominas.* Sicut enim parentes acria inſumunt verba & minas adverſus ſuos liberos, ut illos inducant ad frequentandam ſcholam: ita Pater æternus ut inducat nos ad ſcholam Filii ſui, de quo ipſe ait, *Ecce dedi eum Præceptorem Gentibus* k, [k Iſai. 55. 4.] ut ejus doctrinam auſcultemus, & Divina mandata ſervemus, *Ipſum audite* l; [l Matth. 17. 5.] ut poſſimus aliquando conciliare nobis hæreditatem gloriæ (ad quam habemus jus mediis ipſius meritis: *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* m, [m Rom. 8. 16. & 17.] *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* n) [n Apoc. 1. 5.] acriter nos corripit ut filios ſuos, licèt tantùm acceperimus *ſpiritum adoptionis filiorum* o. [o Rom. 8. 15.] Videns autem nos tepidos quoad obſequium ſuum, minas intentat nobis, minitatur nobis judicium, infernum, & paradiſi privationem, *Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ. Tunc dicet, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus. Et ibunt hi*

in ſupplicium æternum p. Ut incipientes paulatim à timore, abſtineamus nos deinceps à malo per amorem, *Per timorem autem Domini declinat omnis à malo* q. Prætereà, Sic *Bonus eſt*, & ita nos amat, ut, cùm tenetur de noſtris ſumere pœnas peccatis, vocem ſuam audire nos faciat, *Vocavit Dominus Deus Adam, & dixit ei, Ubi es* r? Ut expergiſcamur è vitio, in quo dormimus, & declinemus à jaculis juſtitiæ ipſius, & ut *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* s. Sic multas prænunciat nobis minas per Prophetas ſuos.

Tertiò, Vocatur *Dominus, quaſi do manus.* Verè fatendum eſt, quòd Deus & Dominus noſter minitatur nobis, mittendo ad nos adverſitates & tribulationes vitæ; tamen iſtorum interventu infortuniorum quibus impetimur, ipſe dicitur dare nobis manus, quia ſicut *vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis* t: ita Deus iſtis utitur afflictionibus ut probationibus, quaſi ipſe velit experiri & examinare, utrùm pertineamus ad ipſum, aut ad aliquem alium dominum: permittit ut illæ nos concutiant, ut eruat nos è peccatis, quia felicitas & proſperitas impiorum abſque ulla miſtione tribulationis eſt nota evidens ruinæ & excidii ipſorum, cùm è contrà flagella ſint inſignia amoris Dei, *Flagellat omnem filium, quem recipit* u. Et, *Erudire Jeruſalem, ne recedat Anima mea à te* x. Et iſte amor nonniſi reciproco compenſari poteſt amore.

Tandem, Deus nuncupatur *Dominus, quaſi dans munus.* Solita eſt amicitia mutuis & reciprocis foveri muneribus, quod fit erogando, & recipiendo; & quò munera majoris ſunt momenti, & pretioſiora, eò magis mutuum iſtud commercium dandi & recipiendi, alit affectus & alligat voluntates hominum, qui ſincerâ ſe proſequuntur dilectione. Nunquid non jure tenemur merito conſervare in corde noſtro Deum noſtrum, & Divinum amorem ejus, eò quòd non ſolum dederit nobis *cælum & terram* y, & *quidquid cæli ambitu continetur* z: Non tantùm corpus & animam, vitam, ſenſum, & motum, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* a: Sed etiam quòd munus fuerit nobis largitus ſic inæſtimabile, ut excedat captum intellectus non ſolùm omnium hominum, ſed etiam univerſorum Angelorum, quod in eo ſitum eſt ut Filium ſuum ad mortem tradiderit, ut morte ſua Filius iſte vitam nobis mereretur æternam? *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum* b.

Quò magis tenſus eſt arcus, eò majorem facit impreſſionem ſagitta ſuper ſubjectum in quod vibratur, & in quod ſuſcipitur: quò magis Deus offenditur ab hominibus, eò majores amoris notas eis exhibet inruendas, *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia: ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum* c. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus d, *Ut ſicut regnavit peccatum in mortem, id eſt, ſuo infelici dominio atque demerito produxit, imò & introduxit in mortem damnationis æternæ, privationemque gratiæ, quæ eſt mors animæ in præſenti* e *(peccatum enim gratiam aufert, & pœnam inducit) ita & gratia Dei regnet in nobis per juſtitiam, id eſt, juſtitiæ exercitationem, ita ut habitus gratiæ tendat in actum, ſicque perducat in vitam æternam, quæ eſt merces juſtitiæ, & conſummatio per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſine cujus auxilio nihil boni valemus* f. Nunquam homines inſignem aliquam Deo irrogaverunt injuriam, quin Deus vice illius injuriæ aliquo non fuerit eos dignatus præmiari beneficio. Cùm Judæi *tulerunt lapides ut jacerent in eum* g, *præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & videns* h effectus eſt. Cùm percuſſiſſet D. Petrus *ſervum Principis Sacerdotum, & auriculam ejus dexteram* amputaſſet, qui volebat apprehendere Dei Filium, idem *Jeſus cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum* i. Quando *Pilatus remiſit eum ad Herodem*, ut damnaretur coram uno ex his tribunalibus, *facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam antea inimici erant ad invicem* k. *Cùm his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis* l. Et D. Paulus m loquens de dono, quod Jeſus Chriſtus fecit ſui ipſius, veſperæ cœnæ, ait, *Ego enim accepi à Domino.* Quaſi ambigens, ne quis deinceps nollet credere, quòd, quando Chriſtus peſſimè excipiebatur, tunc hominibus maxima conferret dona. Hoc clarè demonſtrat Propheta n, *Quid eſt homo, quoniam viſitas eum?* In Hebræo, pro, *homo*, Euſebius o dicit, quòd ſit *Enoſch, obliviſcens.* Quaſi diceret, Ut quid meminiſti illius, qui tui obliviſcitur? Hoc agit amor, quo proſequitur ipſe hominem, qui reciprocâ ab homine compenſari debet dilectione.

Hoc igitur munus offerre debemus Patri æterno, nimirum, Filium ſuum, qui ſolus mitigare illius poteſt *omnem iram* p. *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* q; ſicut Abigail mitigavit Davidem r. Eroganda ſunt munera pauperibus, ut agnoſcatur amor, quo ipſe nos diligit, præterquàm quòd hi pauperes pro nobis intercedent, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* s. Dandus eſt noſter intellectus, ut cognoſcatur à nobis noſter Deus: largiri debemus voluntatem noſtram, ut non amemus niſi Deum noſtrum charitate, quæ eſt ſola pecunia quâ emi poteſt, & quam D. Joannes t vocat *Aurum ignitum probatum.* Non ſolùm quia aurum eſt omnium metallorum pretioſiſſimum, ſed quia omnia emuntur auro: & ſicut ipſe *Dominus* eſt, qui dat *minas* ſuppliciorum, quàm noſtra mereantur peccata, *Quia Bonus eſt*: Qui dat *minas*, & ſigna, quia non vult *mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat* u. Qui dat *manus*, & ait, *Venite ad me omnes* x, &c. Singulis offert diebus manibus Sacerdotum y, *munus* quod ipſe fecit ſuper Cruce, Humanitatis ſuæ præ exceſſu amoris, quem ſi reciprocâ charitate agnoverimus ſicut expedit, nobis in hoc mundo *gratiam, & gloriam dabit Dominus* z in altero ſeculo.

Marginal references:
- p Matth. 25. 41. &c.
- q Prov. 15. 27.
- r Gen. 3. 9.
- s Heb. 4. 16.
- t Eccl. 27. 5.
- u Heb. 12. 6.
- x Jer. 6. 8.
- y Gen. 1. 1. &c.
- z Eſth. 13. 10.
- a Act. 17. 28.
- b Jo. 3. 16. & 17.
- c Rom. 5. 20.
- d Dion. Carth. a. 8. in Rō. 5. 20.
- e ex Exe. 18. 4. & 20.
- f ex Jo. 15. 5.
- g Joan. 8. 59.
- h Joan. 9. 1. &c.
- i Luc. 22. 50. & 51.
- k Luc. 23. 6. &c.
- l Pſ. 119. 7.
- m 1. Cor. 11. 23. &c.
- n Pſ. 8. 5.
- o Euſeb. lib. 11. de Præpar. Evang. c. 4. citat. à Lorin. in Pſ. 8. 5.
- p Pſ. 84. 4.
- q Col. 1. 20.
- r 1. Reg. 25. 23. &c.
- s Luc. 16. 9.
- t Apoc. 3. 18.
- u Ezech. 33. 11.
- x Matth. 11. 28.
- y Matth. 28. 20.
- z Pſ. 83. 12.

FERIA IV. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco meas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis. Jo. 10. 27.

CONſilium aggredior, quòd, cùm mearum ſupergrediatur captum virium, nō poteſt niſi vix in honorem meum cedere: conſilium, quod eximios quoſque viros in ſtuporem adducit æquè ac in admirationem; & ad extremas torturæ redigit anguſtias curioſiſſimos quoſque, qui limitatâ ingenii ſui acie metiri præſumunt ac pervadere abyſſum inſcrutabilem judiciorum Divinorum; & ſcire cauſas & rationes Prædeſtinationis, cùm alii dicant, nos propter merita noſtra prædeſtinari; alii verò aſſerant, prædeſtinationem noſtram fieri ex purâ miſericordiâ Dei, qui alios eligat ut ſint vaſa honoris, alios verò deſerat ut vaſa corruptionis & inſamiæ, ita ut evadant victima juſtitiæ Divinæ. Sed quàm merito jure exclamare poſſumus cum D. Paulo a, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?* Super quo Dionyſius Carthuſianus b ait, *Quàm inveſtigabiles ſunt viæ eius, id eſt, proceſſus ſeu executiones operum Divinorum, quia nec modum emanationis rerum à Deo, nec gubernationis, nec modum beatificationis Electorum intelligere poſſumus. Ideo Salomon* c *dicit, Cunctæ res difficiles, non poteſt homo eas explicare ſermone. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Id eſt, dictamen intellectus Divini de rebus, videlicet quid Deus de creaturis ſuis facere cogitavit* d, *quid de ſingulis ſentiat, quid de omnibus intra ſe judicet. Neſcit quoque homo, an amore dignus ſit, an odio* e. *Ideo in libro Sapientiæ* f *legitur, Senſum tuum, Domine, quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum tuum de cœlis.* Eſt igitur maximè verendum ne naufragium perpetiar in profunditate iſtius Oceani, ſi enaviganti mihi mare iſtud immenſum non perflet Spiritus ſanctus ventum propitium, & mea dirigat conſilia. Efflagitemus ab eo ſavorem iſtum interventu Matris gratiæ, quæ prædeſtinata ab æterno ad Divinam Maternitatem, facta eſt Mater Dei *ubi venit plenitudo temporis* g, cùm ſalutavit illam Archangelus verbis iſtis, *Ave Maria.*

a Rom. 11. 33. & 34.
b Dion. Carth. a. 15. in Rō. 11. 33. & 34.
c Eccl. 1. 8.
d ex Sap. 9. 13. & ex Iſai. 40. 13.
e ex Eccl. 9. 1.
f ex Sap. 9. 17.
g Galat. 4. 4.

Sicut ſolus eſt Deus, penes quem eſt omnium notitia rerum, cùm nihil ſit abſconditum quod ipſum lateat, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* h: Sic ad illum ſpectat abſcondita manifeſtare cui vult, quando vult, & modo quo vult. Hæc ſecreta aliquando propalat ſimplicibus verbis, aliàs verò ſymbolis, figuris, aut parabolis ea declarat. Iſtam Scripturæ ſacræ teſtantur veritatem. Aperiebat Deus verbis res futuras Prophetis, *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili hominis pone faciem tuam ad montes Iſrael: & prophetabis ad eos: & dices, Montes Iſrael audite verbum Domini Dei* i, &c. Ventura prænunciabat Abrahæ ſub ſymbolo, cùm *eduxit eum foras, & ait illi: Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei, Sic erit ſemen tuum* k. Promittebat Deus illi, ſe multiplicaturum progeniē ipſius in Iſaac naſcituro ab ipſo, inſtar ſtellarum; quaſi diceret, quòd Juſti qui naſcerentur ex ipſo, interventu Iſaac, futuri eſſent ut ſtellæ cœli, immunes ab omni labe corruptionis, aut *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* k. Futura manifeſtat Deus quibus vult; ea familiaribus ipſius ſunt ut plurimùm nota: ſed quoad Prædeſtinationē, Angeli eam ignorant, Prophetæ nihil de eâ nobis annunciant, Doctores non habent quid circa eā nobis dicant, ſancti Patres deprimunt vela mentis ſuæ, & hæc ſpeculatio inducit omnes Interpretes ut oribus ſuis digitum imponant, cùm nullibi tot inveniant tenebras ac in iſtâ abyſſo, cujus invenire non poſſunt fundum; ita ut illi omnes qui præſumunt penetrare ſecreta illius ratiocinationibus ſuis naturalibus; cogantur poſt multos conatus inutiles, proferre verba ſupradicta D. Pauli, qui ex iſtis cognovit ſolus plus quàm noverint omnes Doctores ſimul, & de quo unus l è Commentatoribus illius dicit, quòd *ex conſideratione inſuper mirabilium, quæ de Prædeſtinatione, ac reprobatione, & eorum quæ ſequuntur ex illis, inducta ſunt, admirans Apoſtolus, ſtupens, ac tremens exclamat, O altitudo, id eſt ſublimis profunditas, & profunda ſublimitas divitiarum, id eſt, plenitudinis ſapientiæ quantùm ad Divina & ſuperiora, & ſcientiæ quantùm ad humana ac inferiora, Dei omnia cognoſcentis. Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! Sive per judicia Dei intelligamus diſpoſitiones rerum, ſeu decreta Dei de rebus, ſecundùm quòd diſpoſitiones iſtæ ſunt in mente Divinâ, ſive effectus Divinæ Juſtitiæ, quos Deus judicando efficit in rebus: certum eſt quòd judicia iſta omnem capacitatem mentis humanæ prorſus excedunt, quemadmodum ſapientia, ſcientia, & juſtitia unde procedunt. Propter quod ſcriptum eſt, Fortiſſime, magne, & potens, Deus exercituum nomen tibi, magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* m. Hæc perſcrutatio eſt pyxis Pandoræ, è quâ oriuntur omnia mala; & cornu abundantiæ, repletum omnibus bonis: ſicut enim non eſt materia utilior animæ fideli, quàm ſit ipſius prædeſtinatio; ſic nihil eſt periculoſius, quàm ſit conſideratio ſecretorum ejus impenetrabilium. Sic eſt, Auditores; prædeſtinatio Electorum, & reprobatio damnatorū eſt ſecretum omnium ſecretorum, ſcientia quæ non poteſt ſciri, labyrinthus cujus extricari confuſæ non poſſunt ambages, inquiſitio in quâ ſubtiliſſimi viri ſunt inventi hebetes, ſublimiſſimi ſtupidi, & doctiſſimi ignari, ubi ſenſus pereunt, viſus caligine offunditur, conceptiones deficiunt, mens hebetatur, & omnis cognitio confunditur; fluvius ſine fundo, & abſque ripâ; quadratura circuli, quæ quotidie quæritur, nec invenitur; ita ut fateri compellamur, nos non ſcire ſcientiâ certâ & demonſtrativâ, quinam ſint filii electi & prædeſtinati ad habitandum *in tabernaculo* n Divino, & quinam pariter ſint illi qui *ibunt in ſupplicium æternum* o ſorte reprobationis ſuper ipſos projectâ ab æterno. Et ideò cùm hæc prædeſtinatio ita ſit abſcondita, nihil aliud dicere poſſumus, niſi quòd, cùm ſit actio æternitatis, quæ complectitur omnē differentiam temporis, præteriti, præſentis, & futuri. *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* p. Ita ut, ſi ego ſim malus, convertere me poſſim adjutus gratiâ Dei, & me projicere in prædeſtinationem, quæ [illegible] adhuc. Ratio

h Hebr. 4. 13.
i Ezech. 6. 2. &c.
k Gen. 15. 5.
k Dan. 12. 3.
l Dion. Carth. a. 15 in Rō. 11. 33.
m ex Jer. 32. 19.
n Pſ. 14. 1
o Matth. 25. 46.
p Matth. 24. 13.

iſtius

iſtius eſt, quia, cùm *æternitas tota ſimul* ſit, ut ajunt Theologi, & ut ſic complectatur præſens, præteritum, & futurum, nemo impedit quin hâc horâ, hoc momento quo loquor, medio actu contritionis convertens me ad Deum, & firmiter proponens confiteri peccata, non agam Pœnitentiam, *Hic agat anima Pœnitentiam, ut ille poſſit mutare ſententiam*, id eſt, Deus, ait D. Auguſtinus q. Et *Iſaias* r, *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perversè, diſcite benefacere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ecce certitudo noſtræ ſalutis; ſi enim ſumus boni, nunquam peribimus; ſed ſi inter malitias noſtras noſtrarum pœniteat nos iniquitatem, Deus ſuam nobis impertietur miſericordiam, *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* s. Quare hoc? *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* t. *Id eſt, in damnatione hominū*, exponit Hugo x Cardinalis. Qui ſubdit, *Unde protelat Dominus peccatoribus vitam, ut pœniteant. Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: quia Deus judicii Dominus* y.

q D. Aug. lib. 3. de Symbol. c. 8.
r Iſai. 1. 16. &c.
s Ezech. 33. 11.
t Sap. 1. 13.
x Hug. Card. in Sap. 1. 13.
y Iſai. 30 18.

Omnes illi qui ſuas adhibuerunt ſpeculationes ad perſcrutandam Prædeſtinationē, confeſſi ſunt eam eſſe abyſſum, cujus inveniri non poteſt principium, neque finis. Curioſitas in eâ inveſtigandâ eſt multùm damnoſa, quia ipſa eſt mare periculoſum, cui multi explicatos curioſitatis velis ſe committentes, & amittentes polum mentis ſuæ, ibi deplorandum ſalutis ſuæ perpetiuntur naufragiū; quapropter illi indigent pharo fidei, *in captivitatem redigentes omnē intellectum in obſequiū Chriſti* z, ni velint in ſcopulos illidi: nimirum, ut explicat Dionyſius Carthuſianus a, *in captivitatē redigentes, id eſt, captivantes, ac fidei jugo ſubdentes omnem intellectum, id eſt, mentē in obſequium Chriſti, id eſt, ad hoc ut Chriſto deſerviant, ejuſque authoritati potius, quàm humanæ rationi adhæreant.* Hinc oſtendam vobis. Primò ordinem, quem Deus obſervat in prædeſtinatione, nedum tamen unquam noſtræ officiat libertati: Ut concludam. Secundò quòd ſi ſuam dat nobis gloriam, eam impertitur nobis intuitu bonorum operū noſtrorū, & ideò oculo mercedis.

z 2. Cor. 10. 5.
a Dion. Carth. a. 10. in 2. Cor. 10 5
Diviſio.

Deus, cujus æterna felicitas conſiſtit in poſſeſſione & perfectâ fruitione ſui eſſe, *Ego ſum, qui ſum* b, habens præſentem in ſuâ æternitate eſſentiam ſuam, & videns eam communicabilem & fœcundā infinitis creaturis, voluit eis exiſtentiam largiri in tempore, dum *in principio creavit cœlum, & terram* c, &c. Sol enim tantâ ſuos non communicat radios profuſione, nec cor ſuos ſpiritus vitales, nec cerebrū ſuos ſpiritus animales, nec jecur ſuum ſanguinem, quantâ ſuos effundit Deus favores, & ſuas gratias iis, qui ſe ad illas diſponunt ſuſcipiendas. Et ſicut proprium eſt Magnatibus hujus mundi, ut ſplendidum ſibi parent comitatum, quò magnificentiam ſuam exhibeant intuendam; eodem ſe gerit Deus modo, magnificare volens effectus potentiæ ſuæ ad extrà; ideòque innumeras vult habere creaturas ad commendandam gloriam ſuam: quidquid enim Deus egit, illud fecit intuitu gloriæ ſuæ, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* d. Diverſas igitur habere voluit creaturas ad magnificandam meliùs gloriam ſuam.

I Part.
b Exod. 3 14.
c Gen. 1. 1. &c.
d Prov. 16. 4.

Dixerunt aliqui Hæretici, quòd creaturæ omnes eſſent æquales quoad dignitatem, eò quòd procederent omnes ab eodem principio activo, quod ageret ſemper eodem modo erga omnes: ſed erraverunt; quia iſtud ſolum poteſt dici de agentibus naturalibus, quæ agunt neceſſariò, & ſemper eodē modo: ſed Deus, qui eſt agens ſpirituale, *Spiritus eſt Deus* e; poteſt facere, ſicut facit, creaturas diſtinctas & inæquales quoad perfectionem & pulchritudinem: V. g. lapis, qui ſecundùm Philoſophos non creſcit niſi *per juxta poſitionem*, non eſt ita perfectus ſicut planta; nobilior eſt planta lapide, quia planta habet animam vegetativam, & lapis eſt vitâ deſtitutus: animal eſt plus quàm planta, quoniam præter vitam vegetativam, habet etiam vitam ſenſitivam: homo eſt plus quàm animal, quia continet animam rationalem, quæ præcellit dignitate omnes alias animas, vegetantem, & ſentientem: & Angelus eſt nobilior homine, quia purus eſt ſpiritus Angelus, corporeæ concretionis expers, cùm homo è materiâ ſit compoſitus: Deus igitur produxit omnes creaturas, & ex iis eligere voluit aliquas ad dandam illis gloriam ſuam, ſcilicet Angelum, & hominem, quia cùm eſſent ſpirituales, capaces erant hujus felicitatis ſibi comparandæ: non tamen omnes elegit Deus homines, ſed illos tantū qui fideles ipſi forent, qui perſeverarent in amore ipſius, qui non excuterent jugum obedientiæ ipſius, *Omnes homines vult ſalvos fieri* f. Quod ſic exponit Dion. Carth. g, *Deus vult omnes ſalvari, quantùm in ſe eſt; ita ut ex parte ejus non ſit defectus, neminemque ad ſe venientem repellat, & ſingulis gratiam dare paratus ſit, ſi fecerint quod in ſe eſt.* Et paulò poſt (omiſſis aliis ejus explicationibus) dicit, ſecundùm D. Damaſcenum, quem citat, *Quòd Deus vult omnes ſalvari voluntate antecedente, non autem voluntate conſequente: quæ duplex voluntas in Deo ſolâ ratione diſtinguitur. Dicitur enim voluntas antecedens, quâ quis aliquid vult ſecundùm conſiderationem communem & abſolutam rei, quam vult. Conſequens verò, quâ vult aliquid conſideratis particularibus circumſtantiis atque conditionibus ejus. Primo modo vult Rex omnes ſuos ſubjectos vivere, inquantum videlicet conſiderat eos ut cives, & membra Regni ſui. Secundo modo vult quoſdam eorū perire, inquantùm ſunt bono communi contrarii, vel enormiter ſcelerati. Simili modo vult Deus omnes homines ſalvari, voluntate antecedente, videlicet conſideratis eis ut ſunt rationalis naturæ, ad Dei imaginem* h *facti beatitudiniſque capaces. Sed conſiderando nonnullos ſecundùm actus & circūſtantias ſuas particulares, non vult eos ſalvari, ſed damnari, quod pertinet ad voluntatem cōſequentem. Verùm (ut ait Thomas) voluntas fertur in rem, ſecundùm quòd res in ſe realiter exiſtit. Ideò quod aliquis vult voluntate antecedente, non vult ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Quod verò vult voluntate cōſequente, vult ſimpliciter & perfectè. Ideò omnes ſalvantur, quos vult Deus ſalvari, loquendo de voluntate Dei æternâ ſimpliciter dictâ.* Omnis prædeſtinatio eſt electio, *Cùm prædeſtinatio electionem ſequatur*, ut docet D. Thomas i. Electio autem ſupponit quòd præferatur aliquid multis aliis, quæ relinquuntur: Deus igitur eligit aliquos inter homines ad gloriam ſuam, eos nimirum quos prævidet eâ dignos, quique ſe diſponunt ad eam ſibi conciliandam, aurem præbendo voci & inſpirationibus ipſius, & Divinas ipſius adimplendo voluntates. *Prædeſtinatio eſt*

e Jo. 4. 24.
f 1. Tim. 2. 3.
g Dion. Carth. a. 2. in 1. Tim. 2. 3
h ex Gen. 1 27. & 9. 6.
i D. Th. 1 p. q. 23 a. 4. in cōcl.

actus

actus voluntatis Divinæ, quo vult alicui gloriam, ajunt Theologi. Sicut autem oportet ad aſſequendum finem, quem eis proponit, ut habeantur media ei comparando opportuna: ita Deus omnibus creaturis providet media naturæ ipſarum propria, ad aſſequendum finem ipſis conſonum; omnibus naturalibus media tribuit naturalia; aquæ fluiditatem, quâ fluat ad centrum ſuum, & ad concham ſuam; igni levitatem, ut ſurſum aſcendat, & uniat ſe ſphæræ ſuæ; terræ gravitatem, ut deorſum tendat: ſic ad aſſequendam gloriam neceſſaria fuerunt media opportuna, & ſupernaturalia, cùm propriis viribus eam non poſſit homo comparare ſibi. Ideò omnibus hominibus ſuam dat Deus gratiam ſufficientem, ſicut illam dedit Angelis in creatione ipſorum, cùm *eas creavit ſimul in eis condens naturam & largiens gratiam* k. Illi verò qui eâ benè uſi ſunt, ſalvati ſunt: alii autem, qui hujuſmodi gratiam non proficuè inſumpſerunt, damnati ſunt, nedum unquam prætendere poſſint aliquod jus ad gloriam, quam amiſerunt, dum *Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo* l, &c. Deus igitur ſcientiâ ſuâ, quæ *non habet finem* m, videns eos in gratiâ, illos prædeſtinat, vult eis dare gloriam ſuam, *Prædeſtinatio eſt præparatio gloriæ*, ait Theologia. Videt eos perſeverare in obſequio ſuo, continuare in gratiâ & amicitiâ ſuâ; & ſic infallibiliter ſalvabuntur. E contrà videt, quòd reprobi malè inſument gratiam ſuam, quòd *morabuntur in illis cogitationes noxiæ* n, & quòd ii *in peccato* o ſuo morientur; & ſic procul dubio damnabuntur, non quia iſtud prævidit Deus (auſcultate æquò libertines & otioſi homines rationes iſtas, quæ vobis os occludunt) ſed iſtud ideò prævidit, quia ſic erat eventurum motu noſtri liberi arbitrii, non autem legibus neceſſitatis. Sic eſt, Auditores, præſcientia Dei noſtræ nunquam officit libertati, ſicut oculus meus non eſt cauſa albedinis in nive, quam intuetur; & velut ego in altâ turri conſtitutus, & videns aliquem ſe præcipitantem in fluvium, non ſum cauſa quòd ille ſe præcipitet. Eſau reprobatur, ſed culpâ ſuâ, ideò Deus ait apud D. Paulū p, *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Quod ſic explicat D. Auguſtinus q, *Ideò nondum natorum alium oderat, alium diligebat: quia eorum futura opera prævidebat*. Deus prædeſtinat poſitivè, ſed nunquam reprobat poſitivè, ſed negativè propter demerita, *Sed ego indurabo cor ejus* r, &c.

k S. Aug. lib. 12 de Civit. Dei c. 9.

l Apoc. 12 7. &c.

m Baruch 3. 25.

n Jer. 4. 14

o Jo. 8. 21

p Rom. 9 13

q D. Aug. epiſt. 105

r Exod 7 3. &c.

Non defuerunt Hæretici, qui dixerunt, Deum ab æterno nullâ habitâ ratione bonæ noſtræ, aut malæ vitæ prædeſtinaſſe ex nobis aliquos ad gloriam, alios verò devoviſſe ad pœnam, quaſi ei placeat ſua deſtruere opera, eaque produxerit ut eſſent victimæ juſtitiæ ſuæ. Blaſphemiam execrabilem! Deus omnibus hominibus media dat ſufficientia ad operandam ſalutem ſuam, *Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum* s. Deus ergo non eſt Opifex infortunii noſtri, ut volunt impii illi. Sed inſtatur, Quod Deus voluit ab æterno, infallibiliter eſt eventurum: prædeſtinavit Petrum ad ſalutem: Petrus ergo infallibiliter ſalvabitur. Reſpondetur, quòd Petrus infallibiliter ſalvabitur, nedum tamen injuria irrogetur libertati ejus: vidit enim Deus ſcientiâ prævidentiæ ſuæ, quòd Petrus facturus eſſet id, ſine quo damnatus eſſet: Petrus illud aget, & ſalvabitur: Deus illum prædeſtinavit verè, & infallibiliter; ſalvabitur Petrus verè, & infallibiliter, ſed non neceſſariò, cùm Petrus ſemper ſua potiatur libertate. Vidit Deus quòd pœnitentiæ & lacrymæ D. Petri neceſſariæ forent ei ad operandam ſalutem ſuam: D. Petrus lacrymabitur cùm *egreſſus foras, amarè* t flebit, & Pœnitentiam peraget; & ſic D. Petrus verè, & infallibiliter ſalvabitur, quia quod Deus prævidit ab æterno, perficietur infallibiliter. Omnia Deus habet præſentia; præteritum, præſens, & futurum idem ſunt apud eum, quia, ſecundùm Boëtium u, *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*. Nihil eſt futurum intuitu Dei, quia hodie illius non præceditur ab heri, nec illud ſequitur cras, quod mutare poſſit cognitiones ejus, quia dies illa æterna, quæ moderatur & concludit omnes annos noſtros, quæ eſt extenſa ſine partibus, brevis & longa ſimul, ſine horis, ſine minutis, ſine aurora, & abſque occidente, novis creſcere non poteſt luminis gradibus; cùm non cognoſcatur ibi ſucceſſivè ſicut fit apud nos, ſed ſimul præteritum, præſens, & futurum. Hæc ſcientia Divina non præcedit effectum: prædeſtinatio enim in Deo & effectus ſunt idem, & eodem inſtanti æternitatis Deus ſcit, utrùm ego ſim bonus, aut malus; ſed hæc æternitas eſt punctum, quod ſemper præſens eſt, ſine differentia præteriti, præſentis, aut futuri; & actiones hominis non ſunt poſteriores hac cognitione: creatio mundi & conſummatio ejus valde diſtant abinvicem, & tamen utraque eſt præſens Deo æqualiter abſque ulla ſucceſſione prioritatis, aut poſterioritatis temporis, *Æternitas eſt tota ſimul*, & complectitur omnes temporis differentias, præſentia ſunt illi præteritum æquè ac futurum, licèt illa ſucceſſivè complectamur ob imbecillitatem mentis noſtræ, cujus captui accommodans ſe Apoſtolus x, ait in præterito, *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*. Prædeſtinat enim D. Petrum, & reprobat Judam actualiter: D. Paulus autem per hoc verbum, *præſcivit*, intelligit ſcientiam approbationis, qua approbat opera Juſtorum, *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit* y, ſcientia approbationis, quia opera illorum ipſi fuerunt grata. Sed licèt prævideat actiones impiorum, eas tamen non approbat, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* z. Hæc igitur ſcientia, qua Deus videt opera noſtra bona, & noſtras detegit iniquitates, non officit libertati noſtræ, ipſa eſt tota integra; non præcedit actiones noſtras, ſed eas comitatur; & eas non videt niſi quia eas facimus. Promiſerat Deus Abrahæ, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris* a, in Iſaac: ſterilem Iſaac *accepit uxorem* b Rebeccā: quomodo autem complebitur id, quod pollicitus eſt Abrahæ Deus? Iſaac orabit, & Rebecca fœcunda efficietur, *Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ* c. Deus id ſciebat: prævidit Deus talem rem futurā, quia vos agetis id, ſine quo illa nunquam fuiſſet. Ideò non eſt cur queramur de Deo, ſi aliquando ipſe noſtras non exaudiat preces, quia nunquā voluit nobis dare Deus id, propter quod ipſum oramus, niſi ob optimos fines, & ſecreta hominibus incognita licèt adorandā. Prædeſtinati ſalvabuntur, quia facient id, ſine quo nunquam ſalvarentur: reprobati peragunt illud propter quod tales evadunt; ideò nullam Deus illis facit injuriam, quia ipſi ſuam moliuntur ruinam.

s Oſee 13 9.

t Matth. 26 75.

u Boet. lib. 5. de Conſol. Philoſ. proſ. 6.

x Rom. 8 29.

y Rom. 11. 2.

z Pſ. 5. 5.

a Gen. 22 17.

b Gen. 24 67.

c Gen. 25 21.

Deus

Deus prædeſtinat nos ab æterno, ſed oportet ut liberum arbitrium noſtrum cooperetur ad iſtam ſalutem peragendam: Deus enim in hoc actu prædeſtinationis intuitus eſt bona noſtra opera, nec unquam ſuam nobis dabit gloriam niſi intuitu eorumdem bonorum operum: dicere enim quòd voluerit ſalvare nos ab æterno nullâ habitâ ratione noſtrorum bonorum operũ, hoc eſt aliis eligere pulvinar ad pigritiam, & aliis aperire præcipitium ad deſperationem. Non faciamus igitur Deũ ita liberalem ut det nobis bona, è quibus anſam arripiamus indulgendi vitiis; nec perſuadeamus nobis, quòd miſericordia ejus noſtræ blandiri velit puſillanimitati, *Non eſt bona & ſolida fides, ſic omnia ad voluntatẽ Dei referre, & ita adulari ad unumquemque, dicendo nihil fieri ſine juſſione ejus; ut non intelligamus aliquid eſſe in nobis ipſis*, ait Tertullianus d. Si autẽ hoc eſſet, quid non jure merito dicere poſſet ſuper hoc reprobus Deo? Heu Domine, ubi ſunt illa *viſcera miſericordiæ* e, quam omnes pennæ deſcribunt, quam cunctæ voces publicant, & quam univerſæ Leges inſtituunt? Illa erat igitur mel aliis, & abſinthiũ mihi? Unde õritur ut abſque ullâ notitiâ meritorũ eduxeris iſtum ex iſtâ magnâ maſſâ corruptionis, *ut adoptionẽ filiorũ* f reciperet ad hæreditandam gloriam tuã; & me deſerueris ut victimam atram charactère mortis æternæ notatã? Quid meâ intereſt, quòd in hâc primâ electione, quã peregiſti, non me condemnaveris? Satis erat mali de me cogitare, ac nihil cogitare boni. Poteramne *reſiſtere contra faciem Potentis*, & conari *contra ictũ fluvij* g rapidi potentiæ tuæ? Electorum tuorũ præfixo numero, quid agere debebã ego in iſtâ excluſione mihi funeſtâ, niſi tuam accuſare bonitatem, ne dicam ſævitiam, & meã deplorare infelicitatẽ? Aut enim prædeſtinatio Dei eſt infallibilis, aut non. Si infallibilis eſt, infallibiliter ſalvus ero; & quidquid agam, non potero damnari. Si reprobatus ſum, quid ſerviet mihi, ſi benè agã, cùm nullus retribuendus unquã mihi ſit paradiſus? Actum eſt de ſalute meâ. Ecce pyxis Pandoræ, è quâ oriuntur omnia infortunia, quæ noſtrarum impetunt infirmitatẽ mentiũ, & ad extremas redigunt nos deſperationis anguſtias, ut viam nobis aperiant ad perpetranda effræni libertate omnia ſcelera. Si enim incurrenda eſt damnatio æterna, ſeriò eſt moliẽda; & ſi decreta Dei ſunt immutabilia, *Ego enim Dominus, & nõ mutor* h; acta eſt ſalus mea, aut perditio, & jacta eſt alea. & cõſequenter nullum eſt remedium. Reſpondeo, Auditores, quòd Deus nunquã damnabit nos niſi ob peccata noſtra, & quòd per miſericordiam ſuam daturus eſt nobis gloriã ſuã propter opera noſtra bona, *Uſq; ad delictũ hominis Deus à primordio tantũ bonus, exinde Judex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt, ſævus*, ait Tertullianus i. *Quapropter Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem* ad gloriam, quæ eſt unus ex effectibus prædeſtinationibus, *faciatis* k.

Quantùm ad præſcientiã Dei, prædeſtinatio noſtra peracta eſt; eã facim' bonis noſtris operibus, orationibus, eleemoſynis, & pœnitentiis. Non timeamus autẽ judicia Dei, quæ ex ſe non ſunt niſi juſtitia & bonitas. Certos vos facio de bonitate ejus erga nos, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi* l. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* m, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sãguine ſuo* n. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionẽ ſemetipſum pro omnibus* o. *Nam idẽ*

d Tert. lib. de Exhort. Caſtit. c. 2.
e Luc. 1. 78.
f Galat. 4. 5.
g Eccl. 4. 32.
h Malach. 3. 6.
i Tert. lib. 2. cõt. Marcion. c. 11. n. 69
k 2. Petr. 1. 10.
II. Pars.
l 1 Jo. 2. 2.
m 2. Cor. 5. 15.
n Apoc. 1. 5.
o 1. Tim. 2. 5. & 6.

Dominus omniũ, dives in omnes qui invocãt illũ p. Sed vereamur *omnia opera* q noſtra, quæ ſic exiguam habent certitudinem, & tantã præ ſe ferunt iniquitatẽ; nec dicamus de noſtrâ actũ eſſe ſalute, & quòd cùm Deus illã decreverit ab æterno, nedũ vocaret nos ad conſilium ſuum, bona opera nihil proſint ad promovendã felicitatẽ noſtrã, & mala non cõcurrant ad machinandũ infortunium noſtrum. Hæc eſt fraus diaboli, qui impedire vult ne eorũ incumbamus exercitio: ſed veritas eſt, quòd nunquã dabitur nobis cœlũ niſi intuitu bonorum operũ, *Bonũ certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quã reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Judex* r. Idcircò vult Deus ſuam nobis dare gloriã titulo mercedis, propter bona opera: ubinã autem eſſet juſtitia *Dei, qui reddet unicuiq; ſecundùm opera ejus* s? Si autẽ in Scripturâ t inveniri videatur excluſio meriti, *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundùm ſuã miſericordiam ſalvos nos fecit*: Ubi videtur tota cauſa prædeſtinationis Bonorũ eſſe ſola bonitas & voluntas Dei, nullâ habitâ ratione bonorũ operum: Sciendum eſt, quòd prædeſtinatio duo dicit, gratiam, per quã meretur homo, & quã Deus voluntariè nobis dat abſque ullo merito, *Si autẽ gratia, jam nõ ex operibus, alioquin gratia jã non eſt gratia* u. Secundò, Prædeſtinatio dicit gloriã æternã, ad quã eligimur per bona opera, & eorũ interventu conciliamus nobis illius fruitionẽ, *Gratiã & gloriam dabit Dominus* x. Hæc autem duo ingrediuntur definitionẽ prædeſtinationis, & ſunt illius effectus, *Prædeſtinatio eſt gratiæ & gloriæ præparatio*, ajunt Theologi. Cùm ergo Scriptura totũ videtur attribuere puræ miſericordiæ Dei, nõ loquitur illa de primo effectu prædeſtinationis, qui eſt prima gratia, quam mereri non poſſumus, quia, juxta Theologiã, *Principiũ meriti non cadit ſub meritũ*, quæ gratia nobis eſt abſolutè neceſſaria ad conciliandã nobis gloriam, cùm ipſa impẽdat omne noſtris operibus pretium & pondus. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus, *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos* †. Nõ enim poſſumus habere ex nobis ipſis hanc primam gratiã, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt* y. Propterea ſciendũ eſt, quòd Deus, qui nos vocat per bonitatẽ ſuã, nõ vult ſalvare nos, nec nos perdere niſi per juſtitiã. Non igitur perſuadeamus nobis, neceſſitatẽ operari iſtud opus. *Deus per gratiã ſuã nos ab initio conſtituit & reliquit in manu conſilij* noſtri. *Adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt* z nos, & tales nos conſtituent, quales deſiderabimus judicari: cooperemur gratiis, quibus nos prævenit Deus *in benedictionibus dulcedinis* a. Et pro certo habeamus, quòd quicumque bonus erit, nunquã experietur Deus ſeverum, *Quieſcite agere perversè, diſcite benefacere. Et venite, & arguite me, dicit Dominus* b. Non eſt igitur Deus cauſa damnationis noſtræ, ſed ſolum peccatum noſtrum. Incumbamus operibus bonis, & noſtram operabimur ſalutem. Prædeſtinatio non eſt præterita; ipſa fit hâc horâ, quâ vos alloquar. Sumuſne peccatores? deſeramus peccatũ, & ſancti efficiemur. Prædeſtinatio non eſt ſicut decretum alicujus temporalis Judicis, quod tranſit in rem judicatam, ut dicunt Juriſperiti: idcircò ſatagamus ut noſtra *hic agat anima Pœnitentiam, ut ille poſſit mutare ſententiam*, nimirum Deus, ut dicebat ſupra D. Auguſtinus c.

p Rom. 10. 12.
q Job. 9. 28.
r 2. Tim. 4. 7. & 8
s Rom. 2. 6.
t Tit. 3. 5.
u Rom. 11. 6.
x Pſ. 83. 12.
† Tit. 3. 5
y 2. Cor. 3. 5.
z Eccl. 15. 14. &c.
a Pſ. 20. 4
b Iſai. 1. 16.
c D. Aug. lib. 3. de ſymbol. c. 8.

Eò pervênit uſque noſtrorum cæcitas Hæreticorum ut audeant aſſerere, quòd ſalus noſtra pẽdeat è ſola prædeſtinatione, & perditio noſtra è reprobatione, & quòd, ſi prædeſtinati ſimus, ſalvi erimus; & è contrà, ſi reprobati ſimus, damnationẽ æternã incurremus c. Dicant quidquid illi voluerint, ſed ſana doctrina Eccleſiæ tenet, quòd prædeſtinatio noſtra pendet è miſericordiâ Dei, habitâ ratione bonorum noſtrorum operũ; ſicut & quòd reprobatio adimpletur in nobis ob ſcelera noſtra, cùm *in peccato* d noſtro morimur. Quomodo igitur? Si Deus prævidit ab æterno, quòd talis *in peccato* ſuo morietur lethifero, poteritne ille ſalvari? In vanum erunt ejus bona opera? dicetis mihi. Sed ego reſpondeo, quòd deprimenda ſunt vela mentis noſtræ, & fatenda ignorantia noſtra, cùm noſtrûm non ſit pervadere ſecreta Dei myſteria, de quibus ſubtiliſſimi ſilent Doctores. His occurrere poſſumus cogitationibus ſolâ fide, quâ credamus, quòd præſcientia Dei non poſſit nos inducere ad ipſum offendendum. Noſtrûm non eſt cogitare, Utrùm Deus nos prædeſtinaverit, an non; an prævideri, num ſimus è numero Electorum, vel reproborum; utrùm ſe exhibuerit liberalem, & miſericordem, vel ſecus: noſtrâ intereſt ſedulo incumbere virtutum & bonorum operum exercitio, cùm fides nos doceat, quòd infallibiliter Deus *reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt; vitã æternã. Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio* e.

Pro comperto igitur tenendum eſt, quòd nullus reprobatur à præſcientiâ Dei, ſed propter ſua demerita. Præſcientia Dei *eſt ſpeculũ ſine maculâ* f, repræſentans unamquamque rem eo modo, quo ipſi eſt oppoſita. Cùm *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, iter faceret ac appropinquaret Damaſco*, repræſentabatur humi proſtratus, ſordidus, & abominãdus, *Et cadẽs in terram*. Sed ſtatim ac ſe convertit, *& tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere?* repræſentavit ipſum iſtud *ſpeculum ſine macula* præſcientiæ Dei, ſtantẽ, & Deo gratum, *Surrexit autem Saulus de terrâ* g. Non quòd mutatio fieret in ſpeculo, ſed in ſolo Saulo. Licèt ſpeculũ mihi oppoſitum repræſentet me ſincerè in ſtatu, in quo poſitus ſum, nõ tamen compellit me ut contineã me in hoc ſtatu, in quo ego volo eſſe in meipſo: ſic Deus videt me ab æterno in eodẽ ſtatu, in quo ego eſſe volo, nedum præſcientia ejus ſit cauſa propter quã ego ſim in tali ſtatu: authores ſumus noſtræ felicitatis, ſi benefaciamus; ſi bonis vacemus operibus, præſcientia Dei nobis erit propitia; non judicabimur à præſcientiâ Dei, ſed propter bona, aut mala noſtra opera: quidquid enim videt Deus hâc claritate præſcientiæ ſuæ, exhibetur ipſi tale quale ipſum eſt, & erit; & hæc Intelligentia ſuperior ita parùm pendet à varietate objectorum, quorum mens noſtra tot diverſas format ideas, quot in illis deprehendit inconſtantias & alterationes, ut aliqui auſi ſint dicere, quòd multi magni peccatores deditи vitiis, & rejecti ab Eccleſiâ per hæreſes, plus valeant quàm multi Catholici qui mandata Dei & Eccleſiæ fideliter cuſtodiunt. Ratio iſtius eſt, inquiunt illi, quia Deus prævidet illorum cõverſionem, futuras intuetur eorum lacrymas, quandiu illorum diſſimulat *peccata propter pœnitentiam* †, quã præſcit illos tandẽ exercituros, & quòd aliquando non ſint amplius futuri *ipſi rebelles lumini* h gratiæ divinæ.

Sed ſi quis ſit reprobatus, & obſtinatus in malitiâ ſuâ, quis non videat quòd iſte ſit Pharao? Tamen Deus nõ eſt cauſa reprobationis illius; ſed ipſemet Pharao opifex eſt perditionis ſuæ. Mittit ad illum Deus primâ vice Moyſen ad monendum eũ ne dimitteret *populum* i Iſraël: Voluntas Dei erat ut Pharao Iſraëlitas dimitteret: nolebat igitur eũ indurare: voluntas enim Dei in hoc erat efficax; illud præcipiebat; igitur illud volebat. Præterea, Si voluntas Dei fuiſſet ut induraretur Pharao, cõformans ſe Pharao voluntati Dei, non peccaſſet: voluntas enim Dei eſt menſura omnis boni. Deinde, Deus punivit Pharaonem, ſua multiplicans *ſigna & oſtenta in terrâ Ægypti* k, cùm divinæ noluit iſte morẽ gerere Voluntati: atqui Deus non eſt Author illorum, de quibus ſe ulciſcitur, ut ait D. Fulgentius l, *In Sanctis coronat Deus juſtitiã, quã eis gratis ipſe tribuit, gratis ſervavit, gratisq; perfecit: iniquos autẽ cõdẽnabit pro impietate, quam in eis ipſe nõ fecit. In illis enim opera ſua glorificat; in iſtis autem opera ſua non condẽnat. Hoc itaque prædeſtinavit Deus, quod erat ipſe facturus, aut quod fuerat largiturus. Illud verò nullatenus prædeſtinavit, quod ſive per gratiã, ſeu per juſtitiam facturus ipſe non fuit.* Inſuper, Pharao ceſſit Deo, Moyſi, & Hebræis, cùm permiſit iſtis primò, ut abirent abſque liberis, & gregibus, *Ite tantũ viri, & ſacrificate Domino* m. Secundò, Cùm liberis, ſed abſque armẽtis, *Ite, ſacrificate Domino, oves tantùm veſtræ, & armẽta remaneant, parvuli veſtri eant vobiſcũ* *. Tertiò, Cùm permiſit eis penitus, *Surgite & egredimini à populo meo, vos & filii Iſraël: ite, & ſacrificate Domino, ſicut dicitis. Oves veſtras, & armenta aſſumite, ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi* n. Flectebat ſe igitur, & indurabat ſe ex ſemetipſo: ſic licèt impius eſſet, indurationem ſuã ſibi ipſi attribuebat, & nõ Deo, dum *dixit, Peccavi in Dominũ Deũ* o. Reprobatus eſt igitur propter obſtinationẽ & malitiam ſuam. *Et ingravatum eſt cor Pharaonis* p.

Cùm igitur certiſſimum ſit, quòd prædeſtinatio non fiat niſi intuitu bonorum operum, neque reprobatio niſi habitâ ratione pravarum actionum; vultiſne cognoſcere utrùm ſitis è numero Prædeſtinatorum, aut reproborum? Una è notis infallibilibus prædeſtinationis eſt, ſuſtinere patienter omnia quæ accidunt, *Beati, qui perſecutionẽ patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum* q. Sed ecce alia ſigna. Si nũquam, aut rarò quis adeat Confeſſariũ ad manifeſtanda ei peccata ſua: Si non recedat quis à pravis ſuis habitibus, proponendo firmiter in eos non ampliùs relabi: Si nunquam cogitet de Deo, aut de Paſſione ejus: Si nõ compatiatur pauperibus, neque det eis *manducare, & potum* r illis deneget: ecce notæ reprobationis. Sed ſi quis lapſus in peccatum, ex eo ſtatim reſurgat, & veniã illius efflagitet à Deo, & vocem ejus audiat, & exequatur; *& tollat crucem ſuam, & ſequatur* s illum, is in numero conſtitutus eſt Prædeſtinatorum, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit* t.

Petens à Deo David u quinam futuri eſſent ex hoc numero fortunato, ait illi, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Et reſpondet, *Qui ingreditur ſine maculâ*. Iſtud accidit nobis per Baptiſma, quod eſt janua cœli, quia ibi renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* x; & mundamur ab omnibus ſordibus. Sed propterea non debemus eſſe otioſi, ideò ſubditur in Pſalmo, *Et operatur juſtitiam*. Ecce bona opera. Oportet,

Auditores,

c D. Aug. lib. 3. de ſymbol. c. 4.
d Jo. 8. 21.
e Rom. 2. v. &c.
f Sap. 7. 26.
g Act. 9. 1. &c.
† Sap. 11. 24.
h Job 24. 13.
i Exod. 5. 1.
k Exod. 7. 3. &c.
l D. Fulgen. lib. 1. ad Monim. c. 13.
m Exod. 10. 11. &c.
* Exod. 10. 24.
n Exod. 12. 31. & 32.
o Exod. 10. 16.
p Exod. 8. 32.
q Matth. 5. 10.
r Matth. 25. 42.
s Matth. 16. 24.
t Jo. 8. 47.
u Pſ. 14. 1. &c.
x Jo. 3. 5.

Auditores, ut manum operi applicemus, & laboremus ad ſatagendam ſalutem noſtram, debellãtes inimicos noſtros, qui ei ſe opponũt, *Nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit* y. Pugnare debemus, ſi victoriam referre velimus; & reluctari iis, qui noſtrorum adverſantur ſanctitati conſiliorum. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* z. Peragenda ſunt bona opera, & quia illa fiunt corde, linguâ, & manibus, illa omnia ſpecificat David. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Qui non egit dolum in linguâ ſua. Nec fecit proximo ſuo malũ.* Hæc opera cordis, linguæ, & manuũ ſunt notæ præcipuæ prædeſtinationis noſtræ ad gloriã.

y 2. Tim. 2. 5.

z Matth. 11. 12.

FERIA IV. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ut cognovit, dilexit multùm. Luc. 7. 37. &c.

a D. Diõ. lib. de Div. Nõ c. 4.

DIonyſius a ait, omnes homines non eſſe quidem Deo præſentes, licèt Deus ipſe univerſis ſe præſentem exhibeat; Deum eſſe prope omnes homines, ſed omnes homines non eſſe prope Deum; ideòque orationem cum conſcientiâ purâ nobis exhibere Deum præſentem, & nos efficere Deo præſentes, non attrahendo Deum ad nos, ſed trahendo nos ad illũ, *Ipſa quidem omnibus præſens eſt* (inquit, loquens de Trinitate) *non tamen ei præſentia ſunt omnia, ſed tum eam & ſanctis precibus, & tranquilla mente, & apto ad Divinam conjunctionem animo appellamus, tam denique nos etiam ei præſentes ſumus. Nos igitur ipſos precibus ad altiorem Divinorum benignorumq; radiorum conſpectum contendamus. Ut ſi funis magna luce nitens è ſummo cælo penderet, & huc uſq; demiſſam, ſemper ante nos manibus viciſſim ſuccedentibus arriperemus, eum quidem trahere videremur, re autem vera eum, qui & ſupra, & infra præſto eſſet, non deduceremus; ſed nos ipſi ad ſublimiores magno lumine fulgentium radiorum ſplendores eveheremur.* Si interventu orationis, quæ eſt velut catena lucida, pervenire poſſumus ad Deum uſque, nam *oratio eſt elevatio mentis in Deum*, ut definitur, non verò depreſſio Dei ad hominem, qui non poteſt illum attrahere ad ſe. Sola glorioſa Virgo Maria eo donata eſt privilegio, ut Dei Filium attraxerit in ſinum ſuum b. Si autem Maria Magdalena huic communicavit prærogativæ attrahendi illius in animam ſuam, in quam idem Dei Filius venit per gratiam ſuam, & hanc mulierem, *quæ erat in civitate peccatrix*, nunc famoſam pœnitentem, etiam viventem adhuc in catalogum Sanctorum retulit, dicens de eâ, *Dilexit multùm*, poſt cognita merita ipſiuſmet Filii Dei, qui ſinceriſſimos illius merebatur affectus; id effectum eſt mediâ alterâ Maria, quæ Dei Filiũ attraxit in ſinum ſuum, ut eum traheret ad homines. Neceſſarius eſſet mihi favor iſte attrahendi Dei ad me, ut me illuminaret. Hanc impetrare non poſſum meliùs gratiam, quàm ſi dicam Deiparæ, *Ave Maria.*

b Luc. 1. 28.

Duæ obſervantur creationes in mundo, prima in naturâ, ſecunda in gratiâ. Prior eſt creatio Adæ, cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculũ vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* c. Poſterior eſt incarnatio Verbi Divini in ſinu Mariæ, in quo *Verbum caro factum eſt* d. Inter utramque tamen datur hæc differentia, quòd in priori, Adam eſt principium, è quo Deus traxit Evam: in poſteriori verò Pater æternus creavit Jeſum Chriſtum operante Spiritu ſancto in ſinu Mariæ. In priori, mollivit Deus hominem, & tranſmiſit quaſi fortitudinem ejus ad mulierem, & reliquit illi debilitatem, dum *tulit unam de coſtis ejus*, quæ coſta eſt ſymbolum fortitudinis, *& replevit carnem* mollem & debilem *pro eâ* e. In poſteriori, tranſmiſit Deus fortitudinem in Mariã, & illius retinuit debilitatem, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* f. In priori, *immiſit Dominus Deus ſoporem in Adã*, educturus Evam è latere illius. E contrà in poſteriori, illuminavit Deus Mariam, & aperuit ei mentis oculos æquè ac myſterium Incarnationis, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* g. In priori, ex eſſe Adæ Deus formavit Evam, ut hæc eum diligeret ut partem ſuîipſius; ſed amor iſte ſic fuit funeſtus ut nos omnes miſeros effecerit h: & in poſteriori, Deus formavit Jeſum Chriſtum è guttis ſanguinis Mariæ ad accendendum cor ejus, & amore; ſed amor iſte ſic fauſtus fuit, ut noſtræ fuerit principium felicitatis i. In priori, creavit Deus Adam & Evam, qui vetito *de fructu* k comedentes, Parentes fuerunt omniũ miſerorum: & in poſteriori, produxit Jeſum Chriſtum, & ſic reddidit Mariã Matrem omnium Prædeſtinatorum, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* l. In gratiâ eſt creatio ſecunda, quæ habet convenientiam cum primâ, quia communicat privilegiis ejus, & immunis eſt ab illius defectibus. In prima, ſi in productione mulieris homo debilitatur; in hac è cõtrà, è debilitate Magdalenæ educta eſt multa fortitudo in plures, in quo convenit cum Maria, quæ è debilitate ſua produxit nobis virorũ omnium fortiſſimum. In priori, *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam.* Et in poſteriori, illuminavit Mariã; quod intueor in Magdalena, *Ut cognovit.* In priori, Adam & Eva Parentes fuerunt omniũ infortunatorum: in poſteriori, Maria fuit Mater omnium Prædeſtinatorum: Magdalena eſt etiã mater omniũ Electorum. Hæc docet illos, quòd ſit cognoſcendum, antequàm amandum; & hoc eſt quod oſtendo.

c Gen. 2. 7.

d Jo. 1. 14

e Gen. 2. 21.

f Philipp. 2. 7.

g Luc. 1. 35.

h Rom. 5 12.

i Luc. 19 10.

k Gen. 3 6

l Rom. 8. 29.

Propoſitio.

Deus ubique eſt, *Numquid non cælũ & terram ego impleo, dicit Dominus* m? In omnibus rebus eſt. Supra omnes res eſt, quia eas gubernat, *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* n. Intra omnes eſt, quoniam illas ſuſtinet, *Appẽdit tribus digitis molem terræ* o. Et circum omnes eſt, quia univerſas circumcingit, *Juxta te eſt Sermo valdè* p, intelligendo tamen hæc verba quoad ſolos homines. Licèt autẽ Deus ſit in omnibus rebus, omnes nihilominùs nõ ſunt in eo. Ipſe eſt in peccatore, & peccator non eſt in eo. Deus eſt in anima mea magis quã anima mea ſit in corpore meo: animâ enim meâ deficiente, corpus meũ non propterea deſinit eſſe, quia ſemper aliquid eſt; ſed ſi Deus deeſſet animæ meæ, illa *ad nihilũ* q confeſtim redigeretur. Magdalena *ut cognovit* Deum ſuum, eum ſemper habebat in ſe, *& in ſuperioribus domus ſuæ*, id eſt, animæ ſuæ inſtar alterius Judith, fecerat *ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis*, id eſt, cum caſtis cogitationibus ſuis *clauſa morabatur* r, & eum mentis oculis ordinariè videbat, qui ibi loquebatur *ad cor ejus* s. Nam anima, quæ eſt in ſtatu

m Jer. 23 24.

n Sap. 8. 1

o Iſa. 40 12.

p Deut. 30. 14.

q Pſ. 72. 22.

r Judith. 8. 5.

s Oſee 2. 14

gratiæ poſita, non differt ab eâ, quæ eſt beata in cœlo; ſicut illa quæ eſt in peccato, non diſſonat ab ea quæ eſt in inferno: anima enim beata nihil habet plus niſi quòd Deum videat, quem non intuetur anima quæ gratiæ conſors eſt in hoc mundo; ſed omnino eadem res eſt, gloria eſt in animâ quæ eſt in gratiâ. Hanc veritatem oſtendit S. Paulus *t*, dicens, *Exiſtimo quòd non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Dicit, *revelabitur*. Ergo erat, ſed quaſi abſcondita; & tunc apparere incipiet. Anima autem quæ eſt in peccato, nihil habet magis ſupra animam quæ eſt in inferno, niſi quòd lapſa in peccatum, è ſuis reſurgere poteſt caſibus, cùm tamen à ſuis ſuſcitari nequeat anima damnata ſceleribus. Non videmus Deum, etiamſi ſimus in gratia: non enim ſe intuendum exhibet niſi iis, qui cor mundum præ ſe ferunt. Ut videat quis objectum, debet habere oculum ſanum, cùm minima vel macula impediat ne videat talis oculus, *Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt* u. Magdalena poſt converſionem ſuam oculos mentis ſuæ habebat puros, & immunes ab omni mixtione & imperfectione, ideò & ipſa vidit, *Ut cognovit*. Multis illuſtrata fuit ipſa luminibus & notitiis, quæ præceſſerunt amorem ipſius, *Dilexit multùm*. Amor ejus fuit amor patiens: plus enim ipſa paſſa eſt quàm Martyres: alii quippe Martyres patiebantur in corpore; ipſa verò compatiebatur in animâ, dum *ſtabant juxta crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene* x. Et ipſa dicere poterat cum Job y, *Quam ob rem elegit ſuſpendium anima mea*, ſuſpenſa in aëre, nedum tangeret terram ex adverſo cœli, quia tunc nullum ſubminiſtrabatur ampliùs auxilium à terrâ, quæ nec ampliùs fulcit. Magdalena quantùm ad cœlum, ſeu quoad Dilectum ſuum, non poterat eo frui, ſicut ipſa deſiderabat, quippe qui ipſam affligebat, & amor illius ipſam excruciabat: amor enim deſiderare facit poſſeſſionem rei amatæ, & cùm non poſſumus eam habere, amor iſte paſſionem & tolerantiam producit in nobis: ſic Magdalena ex adverſo terræ (quia intuebatur ipſa creaturas omnes præ faſtidio) patitur, & vellet mori inſtar S. Stephani deinceps lapidibus obrui z: ſed ipſa obrui debet alio lapide, qui non eſt alius niſi Dei Filius, cujus Cruci debet ipſa inſeparabiliter adhærere, *Petra autem erat Chriſtus* a. Deſideraret ipſa interire ſicut poſt ipſam, mortem oppetivit S. Laurentius igne b examinatus; ſed aliis debet ipſa conſumi flammis. Alii Martyres conſolationibus perfundebantur à Deo, ſed ipſa ab eo martyrii ſui motivum trahit: patitur, quia diligit, ſed non diligit priusquàm cognoverit, *Ut cognovit, dilexit multùm*. Ideò nunquam approbabo modum procedendi illorum, qui cuilibet obvio ſuos alligant affectus objecto, antequàm perfectam ſibi comparaverint illius cognitionem; cùm amor, qui cæcus deſcribitur, quique nullos præ ſe fert oculos, quibus diſcernat ea quæ ipſi exhibentur probanda, nullum ſcienter ſortiatur effectum, & terminetur utplurimùm & ordinariè ad funeſtam & deplorandam pœnitere. Sic Satyrus quidam deceptus à pulchritudine ignis, quem nunquam viderat, voluit illum amplecti; & didicit, comburendo ſe, quòd non eſt diligenda res, quæ priùs non fuerit cognita, & cujus fruitio non poteſt producere niſi dolorem. Ut diligat quis, & deinde non ſit obnoxius improperio, debet priùs cognoſcere perfectè, quàm diligere.

t Rom. 8. 18.
u Matth. 5. 8.
x Joan. 19. 25.
y Job. 7. 15.
z Act. 7. 59 & 60.
a 1 Cor. 10. 4.
b Pſ. 16. 3.

Hæc eſt ratio, propter quam Deus, qui fecit *cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat majeſtati* c ejus; quique produxit hominem in tota extenſione perfectionis conſonæ naturæ ejus (*Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* d) & dedit voluntati facultatem exercendorum actuum amoris, voluit etiam ut illa foret cæca, ut, cùm intellectus dux ejus proponet ei objecta, quibus ipſa ſuum alligare debet amorem, ea conſeſtim ipſa amplectatur, & cætera deſpiciat. Admiramur Amorem ſacrum Patris & Filii in æternitate, & mentes noſtræ, quæ illius pervadere non poſſunt excellentiam, ſatis habent ſi ſciant eum ſuam deſumere originem ex cognitione utriusque iſtius Divinæ perſonæ, per quam ambæ hæ Divinæ perſonæ operantur hanc productionem admirabilem, quam vocamus Deum Amoris, cùm mutuo & æterno ſe proſequentes Amore, producunt hunc *Spiritum veritatis* e in unitate principii. In ſtuporem nos rapit dilectio æterna, quâ animæ Beatæ afficientur in ſempiternum erga objectum adorandum Divinitatis, quæ immergens ipſas abyſſo deliciarum, & inebrians ſuæ *ubertate domus, & torrente voluptatis* f ſuæ ipſas potans, frui facit ipſas felicitate, quam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit* g. Nec dubitamus quin hæc dilectio proveniat ex cognitione, quam ipſæ habent, perfectionum Dei, cujus *in lumine Lumen* h Divinum vident.

c Eſth. 13. 10. & 11.
d Gen. 9. 6.
e Joan. 15. 26.
f Pſ. 35. 9.
g 1 Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4.
h Pſ. 35. 10.

Verum eſt igitur, Auditores, quòd cognitio eſt mater quæ parit amorem, & quòd dilectio eò perfectior eſt, quò ſcientia, quam habemus objecti illius, eſt conſummatior: hæc enim ipſa eſt aurora hujus ſpecioſæ diei, gubernatrix iſtius navis, & dux iſtius viatricis, id eſt, voluntatis, quæ ſemper irreprehenſibilem peragit electionem, cùm ſeria & profunda inquiſitione præclaras perſcrutatur qualitates ſubjecti, cui ſuos vult ipſa affectus conſecrare. Ex hac autem veritate eruere ego volo certitudinem ſacræ dilectionis glorioſæ noſtræ Magdalenæ, quæ ſuos in Dei Filio non collocat affectus, niſi poſt perfectam comparatam ſibi notitiam meritorum ejus; *Ut cognovit, quòd Jeſus accubuiſſet, dilexit multùm*. Verùm enim verò melior hinc educi non poteſt conſequentia, quàm ut dicatur, quòd amor ſic perſpicax non poterat non pervenire ad excellentiam ſuam, ſicut de ſpecioſis judicamus diebus, quando videmus cœlum à nebulis immunem; & de bonitate aëris, cùm experimur eum temperatum. Felix amor igitur, qui fulcitur notitiâ Jeſu! Dilectio ſacra, quæ ſuam capeſſit originem ex electione ſic eximia! Scientia eò perfectior, quò non educitur ipſa è prolixis ſtudiis, quæ perſæpè evadunt ſterilia, poſtquàm diu ſolleoſis incubuerunt mentibus, voluntatem frigidam relinquendo! Electio mirabilis, quæ efficit ut dicat Magdalena cum Salomone i, *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus!*

i Cant. 5. 10.

Si deſideretis ſcire quamnam notitiam dilectio Magdalenæ habeat Jeſu, qui eſt objectum deliciarum ipſius; dicam vobis, eam eſſe per fidem, quæ eſt cognitio infinitè certior notitia, quam habemus mediis ſenſibus, qui utplurimùm nos decipiunt, & apparere nobis faciunt colles in planitiebus, oceanos in ſylvis, audire concentus muſicos in profundo ſilentio, & judicare de amaritudine ciborum per dulcedinem delicioſiſſi-

ſiſſimam: ſic illi nos fallunt; & ſic decipimur nos perſæpè in amoribus noſtris, cùm tandem deprehendimus, quòd hæc grata & jucunda temperamenta apparentia, de quorum bonitate judicavimus ex facie & ex converſatione, ſunt ſimilia pomis Gomorrhæ, quæ lætificant ad extrà ſolo ipſorum intuitu, ſed quæ horrorem incutiunt ab intùs, ubi nihil eſt aliud præter cineres invenire. Quotidianâ nobis etiam licet experientiâ comprobare, quòd plures inveniantur homines gementes, & lugentes ſuos inſanos amores, qui cùm ſuum duxiſſent ortum è ſenſibus externis, ſpinas produxerunt, cùm germinare deberent roſas. *Et ecce mulieres ſedebant plangentes*

k Ezech. 8. 14. *Adonidem* k. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, quandiu fundavit amorem ſuum ſuper notitiam ſenſuum, ipſa decepta eſt, & electio, quam ipſa fecit, infortunata fuit: innixa enim eſt ipſa maximis omnium deceptoribus, quorum pollicitationes, quibus amantium mentes faſcinant, non ſunt flores; aut, ſi flores ſint, ex iis ſanè ſunt qui marceſcūt; aut, ſi fructus ſint, ex illis ſunt qui nunquam ad perfectam veniunt maturitatem: ſed ſtatim ac collocavit fundamenta dilectionis ſuæ ſuper fidem, non poterat aliter judicari, niſi quòd, cùm hæc fundamenta eſſent infallibilia, dilectio illius debebat eſſe irreprehenſibilis. Hæc cognitio neminem unquam decepit, & loqui aliter, eſſet velle reddere Deum unicum objectum illius falſitatis conſcium, quod eſſet blaſphemia, quam ignis inferni non poſſet ſatis plectere. Fides intuetur Deum ut ſcopum ſuum: & ſicut inter objecta & potentias debet admitti ſympathia, concludendum eſt quòd perfectiones utriuſque ſunt communicabiles. Atqui quòd cognitio, quam Magdalena habuit Jeſu, & quòd origo dilectionis, qua erga eum affecta eſt, ſit innixa fidei, non poteſt credi contrarium: non enim ſtetit illa in ſequenda opinione vulgi, quæ ſatis erat diviſa; nec in adhærendo ſententiæ Scribarum & Phariſæorum, quorum ſermones magnam conciliabant authoritatem ſuper populum, præſertim verò ſuper mulieres, quæ non habentes ſcientiam Scripturarū ſacrarum, nec qualitatum Meſſiæ, nec temporis quod electurus erat ad veniendum *quærere, & ſalvum*

l Luc. 19. 10. *facere quod perierat* l, ſuſcipiebant etiam faciliùs ab ipſis doctrinam falſam mentibus ſuis impreſſam.

Dulcedo converſationis Salvatoris non produxit etiam in Magdalena hanc Divinam cognitionem, cùm ipſa cum Chriſto non fuiſſet priùs familiariter converſata, quandiu *in terris viſus*

m Baruch 3. 38. *eſt, & cum hominibus converſatus eſt* m. Hanc igitur, per fidem comparavit ſibi prærogativam inſignem: virtus iſta fidei, inquam, præbuit illi notitiam Divinitatis, cùm ipſa recurrat ad illum ad impetrandam miſericordiam ejus, & veniam culparum ſuarum generalem, nec ambigat quin

n Baruch. 3. 25. potentia ejus, quæ *non habet finem* n, poſſit ab ipſa ejicere *ſeptem dæmonia* o, quæ anxiabant

o Marc. 16. 9. animam ipſius, & ad extremas uſque redigebant eam deſperationis anguſtias; certa ipſa eſt de bonitate ejus, quæ ſine intermiſſione ſe communicans creaturis rationalibus, irrationalibus, ſenſitivis, vegetantibus, & inſenſibilibus, ipſam inducit ad credendum, quòd illa non futura ſit minùs liberalis ad effundendas in ſe ſuas influentias ſacras, etiamſi vita ipſius anteacta medias inter diſſolutiones obicem videatur opponere hujuſmodi influentiis. Tandem, Notitiam habuit Magdalena ſapientiæ, & cæterorum attributorum ejus omnium. Propter omnes iſtas rationes dicit Evangeliſta, quòd *ut cognovit quòd Jeſus accubuiſſet*, confeſtim ac ſcivit quænam eſſent perfectiones ejus, & ubinam ille eſſet, illico omnia deſeruit, &, ſicut Sponſa Canticorum p, cucurrit *in odorem unguentorum* illius. Non fuit ſatis doloſus diabolus ad perſuadendas illi rationes contra Divinitatem ejus, cogitationes ejus erant rotæ Divinæ; credidit illa firmiter, & nunquam inventa eſt rupes firmior fide illius, quæ ſtipata perfectâ charitate, æternam meruit illi ſalutem, *Fides tua te ſalvam fecit*.

p Cant. 1. 3.

Felix Magdalena, quæ ſic perfectè fuit illuminata ad cognoſcendum objectum adorandum dilectionum ſuarum, quæque non amavit niſi poſt ita ſanctam cognitionem! Divinus amor, qui condemnat amores noſtros, qui præ ſe nullos ferunt oculos ad contemplanda, ut decet, objecta, quibus alligare ſuos debent affectus; unde fit ut electiones agamus perniciosas (ſicut illa fecerat ante converſionem ſuam) & damnoſas ſtatui Chriſtiano! Is, quem videmus in illis affectibus noſtris inordinatis, ſucceſſus infelix, eſt ſufficiens teſtimonium hujus veritatis, quam vobis annuncio. Nonne eſt planè non habere oculos, ac eligere mundum ut objectum affectuū noſtrorum? Nunquid non eſt eſſe quid pejus quàm ſint cæci, ac tendere in objectum, è quo nullam deſumere poſſimus ſatisfactionem, quam ſtatim innumera non ſequantur faſtidia? Non miror ſi Narciſſus pereat miſerè in amoribus ſuis: ſicut neſcit quid amet, nec ſibi præbet otium agendæ electionis dignæ ſe; ſic non poteſt quin miſerum incurrat naufragium; affectu potiùs ducetur erga umbrā, quàm erga Deam, quæ ipſum dulciter vocat. Fabula eſt, ſed ex illâ hanc eruamus veritatem, quòd amare mundum, qui nihil eſt niſi phantaſma, *Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus* q, eūque præferre Chriſto, eſt amare ſine cognitione, & præferre imaginationem illi, qui eſt centrum omnium deliciarum imaginabilium. Si autem dicitis mihi, vos cognoſcere mundum: in hoc ſanè majorem præ vobis fertis cæcitatem, cùm hoc ſit velle amare eū, qui nullā habet niſi ad vos perdendos voluntatem.

q 1. Jo. 2. 17.

Verum eſt, ingenuè fateor, aliquid eſſe ac cognoſcere & eligere ſubjectum, quod debemus amare; ſed tandem perfecta dilectio non ſiſtit ibi; hæc enim non eſt niſi aurora, quæ nobis afferre debet diem, & initium conſiliorum noſtrorum. Philoſophi vituperati fuerunt, quibus ſatis viſum fuit cognoſcere eum, quem debebant diligere; *Ita ut ſint inexcuſabiles: quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum* r. Diaboli, qui nihil amiſerunt donorum ſuorum naturalium, ſunt incapaces meriti, cùm cognoſcant Deum, quem diligere nolunt. Et nunquid non Apoſtolus s nos docet, quòd *ſi* habuerit ipſe *omnem ſcientiam, & omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non* habuerit, *nihil* ipſe ſit? & quod mediâ iſtâ virtute charitatis bona conciliare ſibi poſſit merita? Magdalena duas virtutes iſtas fidem & charitatem inſeparabiles fecit, *Ut cognovit* Jeſum mediâ fide, eum *dilexit multùm* charitate eximiâ. Unus è præcipuis effectibus dilectionis eſt currere poſt objectum unicum, quod amatur, ut habeatur obvium, & ut cognitio nullam det intermiſſionem diligenti quan-

r Rom. 1. 20. & 21.

s 1. Cor. 13. 2. &c.

quandiu inquirit. Sponſa Canticorum t nunquã meliùs ſuam erga Dilectum ſuum exhibuit charitatem, quàm cùm eum circumquaque quærere ſategit, *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea: quæſivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Quæſivi illum, & non inveni.* [t Cant. 5. 1. &c.] Et poſt omnes iſtas inquiſitiones, eo non invento, interrogat quoſcunque ſibi obvios, ſic, *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Et aliquantò pòſt u ait, *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis Dilectum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* [u Cant. 5. 8.] Quòd ipſius ſeparatio continuus afficiat me languoribus & tædiis, quæ ſolari poſſet ipſe acceſſu ſuo. Hæc Amans ſacra nũquid non eſt figura Magdalenæ? Nulla unquam creatura tanto ducta eſt affectu inveniendi objecti amorũ ſuorum, quanto Magdalena obvii habendi Jeſu: quotieſcumque eum non habet ipſa præſentem, ſacris cietur commotionibus; nullus eſt locus, in quo ipſa exiſtimat ſe præſentiâ illius fruituram, in quem non pergat; nec ulla eſt actio, quæ poſſit ipſi polliceri iſtud oblectamentum, quã ipſa non exerceat. *Fortis eſt ut mors dilectio* x. [x Cant. 8. 6.] Sic nullæ ſunt catenæ, ſeu difficultates, quas non infringat vel ſuperet charitas Magdalenæ ut currat poſt Jeſum, qui eſt objectum deliciarũ ipſius, *Et ecce ut cognovit, quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Propterea *venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum* illius, & non inveniens Redemptorem ſuum, circumquaque illum quærit, quandiu per lacrymas ſuas dolore ſe exhibet affectam ex abſentiâ ejus, *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentũ. Mulier quid ploras? Quia tulerunt Dominum meum: & neſcio ubi poſuerunt eũ* y. [y Jo. 20. 1. &c.] Nũquid jure meritò nõ habebat unde deflere deberet toto tempore vitæ ſuæ? Charitas, quâ accenſa erat anima ejus, nullã indulgebat ei remiſſionẽ, nec ſinebat ut ipſa viveret ullo momento extra præſentiam Jeſu; ideò illum ſic ſolicitè quærit. *Quâ in re penſandum eſt, hujus mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ à monumento Domini etiam diſcipulis recedentibus non recedebat. Exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, & amoris ſui igne ſuccenſa, ejus, quem ablatum credidit, ardebat deſiderio. Unde contigit ut eũ ſola tunc videret, quæ remanſerat ut quæreret. Certè jam monumentum vacuum viderat, jam ſublatum Dominum nunciaverat. Quid eſt quòd ſe iterùm inclinat, iterùm videre deſiderat? Sed amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit, quia vis amoris intentionẽ multiplicat inquiſitionis. Quæſivit ergo prius, & minimè invenit: perſeveravit ut quæreret, unde & contigit ut inveniret. Actũque eſt ut deſideria dilata creſcerent, & creſcentia caperent quod inveniſſent*, ait D. Gregorius z. [z D. Greg. hom. 25 in Evang.] Quinimò dilectio illius ſic ardẽs eſt ut Jeſum adhuc ipſa quærat, poſt quàm illum obviũ habuit, non propter aliam cauſam, niſi ut meliùs ad ſanctam promoveat ſe dilectionem.

Diſcurſus iſte in meam revocat memoriã verba iſta Pſalmiſtæ a, *Quærite faciem ejus ſemper*, [a Pſ. 104. 4.] quæ nos edocent occurſum Dei noſtras nõ debere terminare inquiſitiones, ſed præſentiam illius debere potiùs augere in nobis curas inquirendi illius, *Ut non huic inquiſitioni, quâ ſignificatur amor, finem præſtet inventio, ſed amore creſcente inquiſitio creſcat inventi*, ait D. Auguſtinus b. [b D. Aug. in Pſ. 104. 4.] Hoc conſuevit Divinus iſte Redemptor, cùm ſe vult unire alicui animæ, omnirum differre fruitionem Divinæ ſuæ præſentiæ illi animæ exhibere, ut illius augeat amorem. Idcircò moras protraxiſſe perhibetur, *Moram autẽ faciente Sponſo*, quando celebraturus erat *nuptias* c cum virginibus, ut charitatem illarum erga ſe magis accenderet: ſed [c Matt. 25. 5. & 10.] dilectio Magdalenæ eſt ſpecialis, inquiſitiones ejus ſunt extraordinariæ, charitas ejus eſt extra cõmunes, nam creſcit in abſentiâ Jeſu præ deſiderio illius denuò inveniendi; & augetur eo invento præ timore illius amittendi. *Eſt ſine fine quærendus, quia ſine fide amandus*, ait D. Auguſtinus d. [d Aug in Pſ. 104. 4.] Conformiter ad hoc, memini illius, quod dicebant aliàs Platonici, quòd, cùm egenus eſſet Amor, & propter ſummam penuriam ſuam, nõ haberet unde domum ſibi compararet, ideò ſine intermiſſione itineraretur: talis eſt amor noſtræ Magdalenæ, quæ modò dicere poteſt cũ Sponsâ Canticorum e, *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* [e Cant. 3. 4.]

Amor eſt admirabilis in inquiſitionibus, quibus applicat amantem ad inveniendum ſubjectum, quod ipſe amat; ſed omnem ſuperat admirationẽ in unione duorum iſtorum cordium Jeſu & Magdalenæ. Hoc eſt ſanè totum id, quod ipſe poteſt operari, & ad quod tendit jugiter, cùm ſit terminus perfectionis ipſius, & cùm omne, quod eſt in mundo ſemper ſatagat pervenire ad ultimam excellentiæ ſuæ periodum. Iſtud appoſitè manifeſtatur in amore rationali: Cùm enim homo ſit ſtatus politicus directus regimine omnium ſubliſſimo, omnes ſuas habet potentias ſic voluntati ſuæ ſubditas, ut eæ non operentur niſi juxta affectum ejus, & inducantur ferri abſque diſpenſatione ad objectum, ergo quod illa afficitur. Sic de eo continuas fovet mens cogitationes, perpetuas memoria recordationes, illud oculi perpetuò contemplantur, ſi non in perſonâ, ſaltẽ in aliquo qui præ ſe ferat characteres ſimilitudinis ejus; lingua laudes illius ſemper proclamat; & aures indeſinenter ſunt attentæ ad eas auſcultandas. Hinc non vivit ampliùs anima in ſeipsâ, ſed in objecto amorum ſuorum, circa quod omnes occupantur ipſius potentiæ. Ecce quomodo formatur unio amantis cum re amatâ, en imago amoris eximii, & terminus perfectionis cõſummatæ illius. Unio ſancta & ſacra, cujus aliquod habemus exemplum in terrâ, id eſt, illius quæ fit animæ cum Deo ſuo, ſed quæ ſit nunquam invenitur perfecta ac in cœlo, *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt* f. [f 1. Jo. 3. 2.] Cujus tamen aliquam videmus ideam in Magdalenâ. Vix enim ea experta eſt dulcedines præſentiæ Jeſu, vix iſte *Sol juſtitiæ* g prævênit eã [g Malach. 4. 2.] influentiis gratiæ ſuæ *in benedictionibus dulcedinis* h, cùm amor ejus, qui creſcebat inſtar ignis [h Pſ. 20. 4.] magnarum illarum fornacum, in quas ingẽs projicitur ligni copia, non tendebat niſi ad unionẽ ſacram ipſius cum hoc objecto adorando, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait D. Dionyſius i. [i D. Dion. lib. de Div. Nõ. c. 4.] Ideò abſque errore dicere poſſum, quòd nunquam ſic *anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David*, ut animæ Jeſu & Magdalenæ erant unitæ: nam ſi *dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam* k; [k 1. Reg. 18. 1.] hæc Jeſum *dilexit multùm*, & plùs. Vita enim ejus, quaſi ſimilis fuiſſet vitæ Beatorum, non occupabatur ampliùs niſi in contemplan-

templandâ ſpecie & *pulchritudinis* l Sponſi ſui; & colloquia ejus chariſſima miſcebantur cum eo, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* m. Videbatur tunc paradiſus eſſe in terrâ, & viſio quæ fit in cœlo, & fruitio animarum Beatarum inveniri in hâc ſacrâ Amante: ſi enim Sancti Divinam contemplantur Eſſentiam, ſi inter abyſſum iſtarum deliciarum, quibus perfunduntur, nihil amplius habent deſiderandum, Deoque ſic ſtrictè uniuntur, ut *neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque creatura alia ſeparare à charitate Dei* n poſſit eos; cùm ſancta fiat metamorphoſis inter Deum & eos, & ſic impoſſibile ſit ut operentur niſi cum illo, & diligant aliud objectum præter ipſum, cùm ſolum diligatur bonum, & omnia bona inveniantur in eo, qui eſt *omne Bonum* o, & ſummè *Bonus* p, & Bonitas per eſſentiam, quæ ſe communicat omnibus creaturis ſecundùm diverſas diſpoſitiones illarum: amor Magdalenæ cumulavit ipſam dulcedinibus, gaudiis, & deliciis ſuis, cùm effecit eam inſeparabilem à Jeſu, nec permiſit potentiis animæ ejus ut operarentur niſi propter obſequium illius Divinum, & ad exhibendas ei cordis ſui teneritudines. Sic urgens erat illius dilectio, ut eam ferret in omnem locum, quem Salvator adibat, cui adhærebat ipſa catenis ſuavioribus, ne dicam fortioribus adamante. Damnetur Chriſtus ad mortem, *& bajulans ſibi crucem, in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* q, exeat: muniant *Principes Sacerdotum & Phariſæi ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus* r: Magdalenam removere non poſſunt à præſentiâ Jeſu: nunquid enim non ſtetit *juxta crucem Jeſu* s, ad colligendas guttas Sanguinis ejus, cujus valor *non habet finem* t? Et nonne ipſa *venit videre ſepulchrum* u? Sic dilectio ejus elaborabat unionem ſacram ipſius cum ſuo Dilecto, quamdiù ille erat in hoc mundo. Sed quid non egit illa poſt mortem ejus ob eandem cauſam? Si inimici Sponſi ipſius exponunt eam alto pelago, conſtitutam in navi deſtrutâ velis, remis, nauclero æquè ac gubernaculo, rati, quòd abſtrahentes eam è locis, in quibus ipſa vidit mori Dei Filium objectum amoris ipſius, confeſtim cogitationem illius ab ejus corde auferrent, profectò hallucinantur: dilectio enim hoc habet proprium, ut objectum ſibi formet præſens in abſentiâ illius corporeâ; ideò Magdalena, quæ cordi ſuo impreſſam deferebat unionem Sponſi ſui, illius perpeti non poterat ſeparationem, ſi non corporalem, ſaltem ſpiritualem: & cùm verum ſit, quòd vita contemplativa directè intuetur dilectionem Dei, cui proprium eſt unire creaturam Creatori, ut docet S. Thomas x, cupiens Magdalena huic ſancto incumbere exercitio, & reliquum vitæ ſuæ in productiones dilectionis impendere, ſeceſſit ab hominibus in deſertum memor quòd ibi Deus alloquatur animas, *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus* y. Ecce igitur ipſa conſtituta in ſacrâ Cavernâ, quam poſſidemus in Provinciâ noſtrâ; ubi vixit ipſa more Angeli, & ardentium Seraphinorum inſtar, triginta annis *non in ſolo pane*, qui illi deerat, *ſed in omni Verbo quod procedit de ore Dei* z. Et unde elevabatur ſepties diebus ſingulis ab Angelis ad faſtigium illarum rupium. Ha quales deliciæ, quibus perfundebatur Magdalena, teſtes infallibiles unionis, quam habebat ipſa cum Deo ſuo! Sed creditiſne, Auditores, quòd inter hæc ſancta exercitia formaret illa aliquas de voluptatibus terrenis cogitationes? auderetiſne imaginari, quòd in iſtâ familiaritate cum Angelis, & in his ſanctis colloquiis cum Deo ſuo, invitaretur illa ab eo ſe diſſolvere, ut corde adhæreret creaturis labilibus? Ha quid deſiderare poſſunt Animæ in cœlo, cùm inebriantur Divinæ *ab ubertate domus, & torrente voluptatis* a ejus potantur, viventes in Deo, & in eum ſe intuentur abſorptas, ſedentes in menſa ejus, *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* b? Quid autem concupiſcere poterat Magdalena communicans in hac ſolitudine omnibus iſtis prærogativis, quantùm conditio naturæ mortalis ejus id poterat permittere?

Loquens S. Paulus iis, qui felicem peregerunt è mundo receptum in ſolitudinem, qui operibus vacant mortificationis, quique circa nihil aliud occupantur niſi ad uniendos ſe Jeſu objecto dilectionum ſuarum, hæc præclara promit illis verba, *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* c. Vitam ducitis ſic glorioſam, ut eam tranſigatis abſconditam in vita Jeſu Chriſti, imò verò celatam in vita ipſius Dei, ut commentatur S. Anſelmus d, *Quia intùs apud Deum cum Chriſto vivit affectus deſideriorum veſtrorum, ut extinctus mundo lateat, & à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra ſinum intimi amoris ſe abſcondat.* Talem re vera conſiderare poſſumus vitam Magdalenæ, ejus *vita abſcondita cum Chriſto in Deo* erat, *quia intùs apud Deum cum Chriſto* vivebat *affectus deſideriorum* ejus, *ut extinctus mundo* lateret, *& à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra ſinum intimi amoris ſe* abſconderet, cùm mundus ignoraret modum vivendi, quem ipſa elegerat, & eam non cognoſceret, cùm à terrenis eſſet ipſa diſſoluta, ut omnes cogitationes ſuas & affectus ſuos in ſolum Jeſum refunderet. Audire mihi videor in hoc ſtatu poſitam illam dicentem Dilecto ſuo, Adorande Salvator, fœdus, quod pepigimus mutuum, in hoc eſt ſitum ut non ampliùs victura ſim mihi, ut tota vitam tibi, & ut gloriæ ducam ſilentium cuſtodire, cùm ſermones tui futuri ſint cogitationum mearum interpretes, nec alias datura productiones niſi tuas. Ecce igitur, Auditores, Magdalenæ *vita abſcondita cum Chriſto in Deo*. Et prophetia Davidis e adimpleta, *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ*, & educes eos ex inquietudinibus, quæ anxiant corda hominum, ſicut unio amoris Magdalenæ cum Deo quandiu vivebat in mundo, eſſet imago unionis Beatorum cum Eſſentia Divina, *cujus ſimilitudinem præſignabat Maria ſedens ad pedes Domini, & intenta in verbum ejus, quieta ſcilicet ab omni actione, & intenta in veritatem ſecundùm quendam modum, cujus capax eſt iſta vita, quo tamen præfiguraret illud, quod futurum eſt in æternum. Marthâ quippe ſorore ſuâ in neceſſitatis actione converſante, quamvis bona & utili, tamen cùm requies ſucceſſerit, tranſitura, ipſa requieſcebat in verbo Domini. Et ideò Dominus conquerenti Marthæ, quòd eam ſoror non adjuvaret, reſpondit: Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea*, ait S. Auguſtinus f. Per iſtas ſanctas mulieres figurantur nobis duæ vitæ; præſens & futura, laboris & quietis, miſera & fortunata, temporalis & ſempiterna. Nonne igitur jure merito dicere poſſumus? *Porrò unum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit.* Non enim electionem fecit ipſa illius, quòd eſt tranſiturum,

l Pſ. 44. 3.
m 1. Petr. 1. 12.
n Rom. 8. 38. & 39.
o Exod. 33. 19.
p Pſ. 118. 68.
q Joan. 19. 17. &c.
r Matth. 27. 66.
s Joan. 19. 25.
t Baruch. 3. 25.
u Matth. 28. 1.
x S. Thom. 2. 2. q. 82. a. 2. ad 1.
y Oſee 2. 14.
z Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3.
a Pſ. 35. 9.
b Iſai. 32. 18.
c Coloſſ. 3. 3.
d S. Anſel. in Coloſſ. 3. 3.
e Pſ. 30. 21.
f S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 10. ex Luc. 10. 39. &c.

turum, ſed illius quod in æternum durabit, cùm incumbens uni neceſſario, & fruens per anticipationem felicitate, quæ reſervatur gloriæ beatæ incolis, dicebat cum Davide g, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* g Pſ. 72. 28.

Ite, ite nunc poſt creaturas, amantes miſeri, alligate veſtres affectus his rebus terrenis, quæ nullum ſolidum præbere vobis poſſunt oblectamentum: currite quantùmcumque poteritis, expoſiti inclementiæ aëris, caloribus æſtivis, & frigoribus brumalibus eò usque ut lento igne conſumamini media inter conſilia, quæ aggredimini, ut concilietis vobis affectus creaturæ caducæ & obnoxiæ morti. Stultitia mundi! abuſus ſeculi! Currite, amaſii deplorandâ percuſſi cæcitate, currite poſt phantaſmata: ſed quid reſpondebitis ipſo extremi judicii die, cùm improperabit vobis Deus inquiſitiones veſtras inutiles, exercitia veſtra infortunata, & infames praxes veſtras? Ha! mihi videor audire ſermones veſtros, & querelæ veſtræ meis videntur auribus inſonare, *Erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia tanquam umbra* h. Quaſi dicerent, Aſcendimus montem, inceſſimus in itineribus pravis, & inquiſitiones noſtræ fuerunt infortunatæ, quia non inquirentes niſi creaturas, juſtè meruimus ut Solis æterni præſentia ad nos usque non perveniret, nec ſuas nobis communicaverit influentias. Utinam illi, qui iſtis moventur agitationibus continuis ad fruendum felicitate duntaxat apparenti, vacarent, inſtar Magdalenæ, quærendo ſoli Jeſu; ſic illi cognoſcerent cum ea, quòd ſi amores terreni minus habent dulcedinis in fruitione, quàm in inquiſitione ſua, quia anima noſtra, quæ tendit ad infinitum, invenit ſe deceptam à ſubjectis ita exiguæ extenſionis; ſic oblectamenta ſunt inſignia inter labores, quando quis amat objectum, in quo plus eſt pulchritudinis, quàm ſit virium in eo qui illud amat, ad illud adorandum; & cujus inquiſitiones terminantur feliciter ad unionem ſacram cum Jeſu, ut videmus in Magdalena.

h Sap. 5. 6. &c.

Amemus, quæſo, cùm ſit nobis amandum, amemus Jeſum: dignus eſt enim cordibus noſtris; amemus eum ut cumulum oblectamentorum noſtrorum. Sed deſiderantes eum amare, oportet ut eum cognoſcamus. Non ſimus ergo ex his falſis amantibus, de quibus loquitur S. Auguſtinus i poſt S. Joannem, *Et mundus eum non cognovit. Sed qui non cognoverunt? Qui amando mundum dicti ſunt mundus. Amando enim habitamus corde. Amando autem hoc appellari meruerũt, quod ille ubi habitabãt.* Fruimur nos prærogativis, quæ non ſunt conceſſæ Judæis, & Ethnicis, cognoſcimus enim Divinitatem & humanitatem per fidem; hac irradiati lampade ſupernaturali in Deo intueri poſſumus perfectiones, quæ amorem noſtrum accendent. Illuminet igitur hæc lampas Divina mentes noſtras; ut reſulſit in intellectu Magdalenæ, & producat in cordibus noſtris ſicut in corde hujus ſacræ Amantis calorem Divinæ dilectionis, ita ut continuetur in gloria ſempiterna.

i D. Aug. tract. 2. in Jo. i. 10.

FERIA VI. POST DOMIN. PASSIONIS.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. &c.

VErum eſt quòd tranquillitas debet ſemper eſſe ſuſpecta tempeſtatis, & quantùmvis peccatum videatur mare, hoc tamen non impedit quin jure merito verendæ ſint procellæ. Loquebar vobis heſterna die de dilectione Magdalenæ erga Salvatorem & Dominum ſuum: & ecce hodierna die, *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* a! quàm immodica eſt rabies & inauditum odium hominum! *Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit* b. Quàm inuſitata eſt malitia Scribarum & Phariſæorum æquè ac conſilia eorum ſunt pernicioſa Salvatori, dum in conſilio ſuo concludunt, quòd oportet ut *Filius hominis,* qui venit *quærere & ſalvum facere quod perierat* c; & ideò exivit *à Patre, & in mundum* d venit ob illum finem *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant* e ipſi, morti tradendus ſit ignominioſæ æquè ac doloroſæ nullam aliam propter cauſam, niſi quia ipſos ſuis devinxit ſibi beneficiis, *Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit.* Eximia conſequentia! *Hic homo multa ſigna facit.* Ergo *expedit vobis ut moriatur.* Nunquid non eos inſimulare juſtè poſſumus illius, quod ipſi improperabant eidem Chriſto, *Nonne benè dicimus nos, quia dæmonium* f habent illi? Cùm *ipſi rebelles lumini* g, quod caligine ſuffundit ipſorum oculos, tot mirabilium ab eo patratorum non poſſint ſplendorem ſuſtinere. Obſervant Aſtrologi, quòd tranſiens Sol per diverſa Zodiaci ſigna, quæ ſunt variæ illius domus, diverſas habet influentias ſecundùm varietatem ſignorum, per quæ tranſit, earumque experimur effectus ſecundùm naturam cujuslibet ſigni. Tranſiens heſternâ die *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* h per ſignum leonis, combuſſit & areſecit omnem viriditatem & humorem juventutis, ſeu diſſolutionum Magdalenæ, non ſecus ac Sol materialis plantas adurit & exiccat menſe Auguſto, aut Julio; & confeſtim abrenunciavit illa ſuis omnibus vanitatibus, & more fulguris ſuum adivit Salvatorem, *Et ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* E ſigno leonis ingreſſus eſt in ſignum virginis, unde ſuaviores & gratiores fudit influentias, *Remittuntur tibi peccata, vade in pace.* Hodiernâ die intrat in ſignum aquarii, & inducit Magdalenam ad fundendas lacrymas pœnitentiæ. Sacratiſſima Virgo nobis hunc Divinum protulit Solem, *Mulier amicta Sole* i, quem ipſa concepit k confeſtim ac ſalutavit ipſam ſic Archangelus, *Ave Maria.*

a Jer. 2. 12.
b Jo. 11. 47. &c.
c Luc. 19. 10.
d Jo. 16. 28.
e Jo. 10. 10.
f Jo. 8. 48.
g Job 24. 13.
h Eccleſia in Antiph. 4. 1.
i Apoc. 12. 1.
k Luc. 1. 38.

Intuitus

Intuitus varios amoris effectus, de eo formare vix poſſum conceptus qui non ſint ei injurioſi; cùm ipſe, qui præ ſe nihil ferre deberet niſi ridens & jucundum, & cujus amica deberent eſſe tela, lacrymas excitet præ dolore, & ſatis ſuavem exerceat adversùs ſubjectum, erga quod afficitur, tyrannidem, & ideò vocetur à S.

15. Chryſoſtomo *l Amor quædam tyrannis.* Ingenuè fateor me neſcire quomodo illum nuncupare debeam; ſuavem an amarum; gratum, aut injucundum. Loquor de amore ſacro Jeſu. Si aſſeruero eum eſſe ſuavem, experior in illo aliquam ſtillam amaritudinis: ſi gratum illum prædicem, invenio in illo quandam auſteritatem. Sed audeo dicere utrumque, cùm rudis ſit æquè ac dulcis. Nullum aliud volo vobis exemplum ſubminiſtrare ad probationem iſtius veritatis, niſi experientiam Magdalenæ, quæ affecta hâc dilectione ſacrâ, ſupernaturali languens *amore* m, ſeu Divinæ *vulnerata charitate*, ut vertunt LXX. lacrymas fundit, & ſuam invenit ſatisfactionem in dolore ſuo, cùm dolor iſte ſit ampla gaudiorum ipſius ſeges. Fuiſtisne unquam admirati adinventionem clibani ærei, aut vitrei, quomodo poſitis in ventre, aut in capacitate ejus internâ plantis, aut floribus, operculo ſuperpoſito, & igne ſuppoſito, ex ejusdem clibani tubo ſtillet aqua conformis plantæ, aut flori, unde ipſa exprimitur? Conſtitutus eſt amor Jeſu in pectore Magdalenæ, & applicatus ei ignis Divinus, inde fluere facit aquam lacrymarum per canales oculorum ejus, ſed lacrymarum quæ ſtupore cient totum cœlum, & admirationem pariunt Principio, è quo ipſæ procedunt. Lacrymæ delicioſæ! lacrymæ Divinæ, cùm ipſæ lætificent Angelos, qui veluti diem feſtum agunt in converſione peccatorum! *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* n. Et S. Bernardus o ait, *Deliciæ Angelorum lacrymæ meæ.* Si autem fletus noſtri faciunt delicias beatorum illorum ſpirituum, ideò quia noſtras cibare debent animas, noſtros corroborare ſenſus, noſtras reficere mentes, & noſtra abſolvere & lavare ſcelera, ſi præ nobis feramus *cor contritum & humiliatum* p intuitu peccatorum noſtrorum, quorum verè nos pœniteat. Sed hæc encomia non ſatis commendant lacrymas, ulteriùs progredior, & dico eas eſſe cibos exquiſitiſſimos, & potum delicioſiſſimum Dei, quippe qui eo veluti inebrietur, ut iſto utar termino cum Scripturâ q, ſic in eo ipſe ſibi complacet, *Inebriabo te lacrymâ meâ.* Ait Iſaias, *Lacrymâ.* Quia unica ſufficit lacryma ad inebriandum Deum. Nihil ergo utilius lacrymis, quod inducit me ad texendam vobis earum panegyrim in gratiam noſtræ Pœnitentis, quæ incipit lacrymas effundere ut illas nunquam terminet, *Lacrymis cœpit.* Deducendas igitur habeo vobis lacrymarum utilitates & explicanda commoda in progreſſu diſcurſus iſtius.

m Cant. 2. 5. — n Luc. 15. 10. — o S. Bern. ſerm. 68. in Cant. — p Pſ. 50. 19. — q Iſai. 16. 9. — Propoſitio.

Quis neſciat, quòd occluſo nobis per peccatum originale, cœli oſtio, nulla nobis ſuperſit alia clavis cujus adminiculo nobis illud reſeretur, præter Baptiſmum *aut in re, aut in voto*, ut ajunt Theologi? Baptiſma *in re*, aut in effectu quoad infantes, *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei* r. Vel Baptiſma *in voto*, ſeu deſiderio aut voluntate quantùm ad adultos, cùm deeſt illis copia ſuſcipiendi Baptiſmi aquæ, *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto* ſ. Quod ſic *intelligendum cenſetur, Spiritu ſancto implebimini, qui & mentes veſtras ab omni ſorde lavabit*, ait Dionyſius Carthuſianus t, loquens de Apoſtolis, qui ſuſcepturi erant Spiritum ſanctum, quodque dici poteſt hoc in occurſu de omnibus adultis. Hæc eſt veritas, cui contradici non poteſt abſque blaſphemiâ, ſicut nec iſti, quòd cùm homo ſemel in peccatum actuale lapſus eſt poſt ſuſceptum Baptiſmum, nullum habet medium opportunius ad reſurgendum ex eo, nec aliam clavem ad aperiendum ſibi cœlum, quàm lacrymas. Pœnitentia eſt inſtar *portæ domus Domini orientalis* u. Verum eſt, ſed lacrymæ ſunt illius *portæ orientalis* clavis, quæ nobis illam aperit, cùm ſecundi Baptiſmi munus perfunguntur fletus, ut docet S. Chryſologus x, *Lacrymæ peccata baptizant.* Et S. Bernardus y, *Lacrymæ pœnitentium pro Baptiſmate reputantur apud Deum.* Sumo infantem diei unius, & eandem ago petitionem, quæ propoſita fuit alias de S. Joanne Baptiſtâ, *Quis putas, puer iſte erit* z? Quid videtur vobis, Auditores, de hoc infante? quodnam de illo promitis judicium? Ego autem dico de eo, quòd ſit *naturâ iræ* a filius, abortivus inferni, progenies diaboli, & exulâ paradiſo. Et poſt ſuſceptum ab eo Baptiſma, eandem propono petitionem, ut ei reſponſum præbeam favorabile, *Quis putas, puer iſte erit?* Reſpondeo, quòd collocatus ſit inter eos qui ſunt *filii Dei: ſi autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* b. Idem dico de peccatore, de adulto, qui poſt ſuſceptum Baptiſma lapſus eſt in aliquod peccatum lethiferum: *Quis putas, puer iſte erit?* Cum verè ſit puer mente & judicio quilibet peccator, quia, ut dicitur, *Omnis peccans ignorans.* Et, ut ait Propheta c, *Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Dico, quòd tunc *inimicus Dei conſtituitur* d; captivus diaboli, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* e. Tandem, *Homo peccati, filius perditionis* f. Sed ſi lacrymas fundat intuitu ſcelerum ſuorum, quæ deteſtetur, reſtituitur in cathegoriam fortunatam illorum, quibus Deus *dedit poteſtatem filios Dei fieri* g, redintegrando ipſum in amicitiam ſuam, & reſtituendo ei jus amiſſum prætendendi ad gloriam.

r Joan. 3. 5. — ſ Act. 1. 5. — t Dion. Carth. art. 8. in Act. 1. 5. — u Ezech. 10. 19. — x S. Chryſol. Serm. 107. — y S. Bern. lib. de Modo benè vivendi. item. 10. — z Luc. 1. 66. — a Epheſ. 2. 3. — b Rom. 8. 16. & 17. — c Iſai. 65. 20. — d Jacob. 4. 4. — e Joan. 8. 34. — f 2. Theſſ. 2. 3. — g Joan. 1. 9.

Pœnitens noſtra, quandiu immerſa erat *volutabro luti* h voluptatum ſuarum, immunda erat penitus & ſordibus vitiorum circumquaque ſic ſcatens ut intolerabiliorem exhalaret naribus Dei fœtorem, quàm ſpirent fœdiſſima quæque cadavera; criminoſam ſeſe effecerat ipſa ſpurcitiis ſuis; lacrymatur, balneum ſibi conficit ex fletibus ſuis, in eo ipſa ſe lavat, & ibi ſic nitida efficitur, ut conciliare ſibi mereatur amicitiam Dei, & evadere Sponſa Jeſu Chriſti Filii ejus, cùm lacrymæ ipſius puriorem ipſam efficiant Angelis, & nive candidiorem, *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* i. Antequàm funderet ipſa lacrymas, carbonibus erat atrior, erat *denigrata ſuper carbones facies* k illius. Sed imitatur ipſa pictorem ad reſtituendam hanc imaginem ad priſtinam perfectionē, ſpongiam ſumit & aquam, & maculas, quæ in hujusmodi erant imagine, expungit. *Lacrymis cœpit rigare.* Filia erat ipſa diaboli, & lacrymis ſuis efficitur filia Dei. Lacrymæ generant, propterea ab

h 2. Petr. 2. 22. — i Pſ. 50. 9. — k Thren. 4. 8.

ab Eccleſiâ vocatur S. *Monica*, *Sancti Auguſtini dupliciter mater, quæ eum & mundo, & cœlo peperit* ſuis lacrymis, cum prius eſſet filius diaboli, diſſolutionibus & vitiis indulgens. Tales converſiones ſunt effectu lacrymarum. Quid potentius? *Lacrymæ peccata baptizant*, dicebat
k S. Chryſol. ſerm. 107.
ſuprà S. Chryſologus k. Non ſolùm autem abluunt ſcelera lacrymæ, nec tantùm veniam expoſcunt à Deo, ſed illam ab eo extorquent, *O lacryma humilis, tua eſt potentia, tuum eſt regnum! Tribunal Judicis non vereris; amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis, quandoque ſententiam rapis, etiam ab ore Judicis!* ait Petrus
m Celleſ. lib. de Pamb. c. 12.
Cellenſis m, *Audes ubi timet Angelus. Non eſt qui te perturbet ab ingreſſu ſecretorum. Sola ſi intraveris nunquam tamen ſola, vel vacua redibis!*

Baptiſma delet peccata præterita: ſed lacrymæ expungunt ſcelera, quæ ſequuntur Baptiſmum. Non extinguit Baptiſmus fomitem peccati, fermentum iſtud iniquitatis, hanc inclinationem ad crimen, quæ manet in nobis, ſalutaribus aquis Baptiſmatis ablutis, ut querebatur Apoſtolus, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis* n.
n Rom 7. 23.
Sed peccata mortalia, quæ lacrymæ ipſæ expongunt. Baptiſmus delet culpam & pœnam: Si enim Turca, aut Ethnicus baptizatur, abſolvitur à pœnâ æquè ac à culpâ, & ſi confeſtim poſt ſuſceptum Baptiſma moreretur, ſine morâ ad gloriam paradiſi perveniret. Si autem relabatur poſt Baptiſmum ad aliquod novum peccatum, cùm Baptiſma non poſſit reiterari, lacrymæ reparant id quod fuerat diſſipatum, & quod Baptiſmus non poterat ampliùs remittere.

Aliqoid amplius dico, Baptiſma baptizant ipſæ lacrymæ. Sic eſt, Auditores. Sed quomodo? Baptiſmus duos habet effectus. Primus eſt, ut imprimat characterem, qui eſt quid diſtinctivum & indelebile, id eſt, nota quæ nunquam deletur, quæ remanet in damnatis, illos manifeſtat & diſtinguit ab aliis. Secundus effectus eſt, ut conferat gratiam, ſed amiſſa hac gratia per peccata actualia, cùm Baptiſmus non poſſit ampliùs conferri, ſolæ ſuperſunt lacrymæ ad illam recuperandam; & ſic, ut videtis, id, quod peragit Baptiſmus ſemel, pluries operantur lacrymæ, quæ nos in priſtinum reſtituunt ſtatum noſtrum, non ſecus ac ſi nunquam peccaſſemus. Statim ac *lavit in Jordane ſepties juxta ſermonem viri Dei*, id eſt, Eliſei, Naaman leproſus, *reſtituta eſt caro ejus ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt* o.
o 4 Reg. 5.14. &c.
Ita ſi immergamus nos, & lavemus nos aquis lacrymarum *in Jordane juxta ſermonem* Filii *Dei*, noſtræ mundabuntur animæ, & tales efficientur quales erant ipsâ die, quâ baptizati ſumus, etiamſi lutoſæ eſſent eæ non ſecus ac plateæ civitatum: cùm enim pluit, plateæ lutoſæ mundantur; ſic conſcientiæ lacrymis purificantur. Vel ſicut cùm cœlum diſſipat nubem per pluviam, quæ ſecum videbatur invehere diluvium; ita lacrymis ira cœli, ſeu Dei, quem mitigant, diſſipatur, *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua* p.
p Iſai. 44. 22.

Baptiſmus fuit inſtitutus in monte Calvariâ à Jeſu Chriſto, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit Sanguis, & aqua* q.
q Joan. 19 34.
Nunquid autem in lacrymis noſtris non eſt invenire aquam & ſanguinem? In Baptiſmo eſt *Sanguis*, ut oſtendatur Sacramentum iſtud habere virtutem delendorum peccatorum noſtrorum, meritis ortis à *Jeſu Chriſto*, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* r.
r Apoc. 1. 5.
In lacrymis noſtris eſt reperire ſanguinem, in iis eſt gratia, quæ oritur à Deo, dolor iſte, hæc compunctio, quâ conterimur ob Deum offenſum, non poteſt à nobis naturaliter procedere, & eſſe ſine merito Filii Dei. S. Joannes loquens de viſione eorum *qui amicti ſtolis albis* erant, ſibi factâ in Apocalypſi s ſuâ, ait, *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in Sanguine Agni.*
s Apoc. 7. 13. & 14.
Sed quomodo? Nunquid proprium non eſt ſanguini ut rubere faciat id omne, cui applicatur? Nemo eſt qui de hoc ambigat. Sed ſciendum eſt, quòd duplex datur ſanguis, unus albus calore coctus, alter verò rubicundus in venis, præ hâc differentiâ, quòd prior habetur ſine violentiâ, poſterior verò non educitur niſi per inciſionem; illum videmus in nutricibus; iſtum verò intuemur in illis qui ſunt vulnerati. In lacrymis videmus ſanguinem & aquam: videre hunc ſanguinem in Magdalenâ, qui facto erubeſcere pudore illam efficit *in domo Phariſæi*. Sed *erubuit, Salva res eſt*, dicebat Quidam. Ibi enim omnium virtutum praxi incumbit, & ſuorum ſuſcipit abſolutionem criminum, ac baptiſmum diſſolutionum ſuarum: ſicut autem in Baptiſmo Deus inſumit aquam ad delendum peccatum originale; ſic etiam adhibet noſtrarum aquam lacrymarum ad abolenda peccata actualia. Unde dixit S. Chryſoſtomus t, *Si conſolatio lugentium eſt ceſſatio luctus pœna: qui ſua lugent peccata, conſecuti indulgentiam, conſolabuntur in ſeculo illo.*
t S. Chryſoſt. Hom 6. in Matth. 5. 5.
Et S. Bernardus u ſuprà jam citatus, *Lacrymæ pœnitentium pro Baptiſmate reputantur apud Deum.*
u S Bern. lib. de Modo benè vivendi. ſerm. 10.
Mediis iſtis lacrymis omnes exercet Magdalena virtutes. Gratitudinem, adorans Salvatorem ſuum, *Stans retro ſecus pedes ejus*. Charitatem, *Dilexit multùm*. Deſpectum ſuî, cùm æquo patiatur animo ſe intueri contemptam à Phariſæo, & vocatam peccatricem, *Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ, & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Hujuſmodi contemptum exigui ducebat hæc Pœnitens, ait S. Gregorius x, *Quia ſemetipſam graviter erubeſcat intùs, nihil eſſe credidit quòd verecundaretur foris. Conſideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret*, rata quòd omnes lacrymæ, quas ipſa poſſet effundere, exigua tantùm forent teſtimonia ſui magni doloris, habitâ ratione probationum quas voluiſſet ipſa exhibere Dilecto ſuo affectus ſui erga illum.
x S Greg. Hom. 33. in Evang.
Ecce igitur Magdalena omnium virtutum incumbens exercitio; faſtidiens illud omne, quod ipſa priùs ſic ſolicitè inquirebat; contemnens id, quod ipſa adorabat anteà; & ſuas exhibens reverentias illi, cui priùs ipſa illudebat. En igitur hæc Pœnitens, *amore* y languens, ſeu *vulnerata charitatis* z, quæ tota converſa eſt in lacrymas, & ideò *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*.
y Cant. 2. 5.
z LXX. in Cant. 2. 5.
Et conſequenter verificatur ſupradictum S. Chryſologi proloquium, *Lacrymæ peccata baptizant.* Immergit ipſa *currus & equites Pharaonis*, id eſt omnia peccata ſua mari rubro ſuarum lacrymarum: *nec unus quidem ſuperfuit ex eis* a. Triumphat ipſa de Jeſu Chriſto, & indulgentiam ab eo extorquet, *Remittuntur tibi peccata* id eſt, *univerſa*.
a Exod. 14. 28.

Larga

b Dion. Carth. a. 19. in Luc. 7. 49.

Larga enim Dei pietas veniam non dimidiat, ait Dionyſius Carthuſianus b. Qui ſubdit, quòd *in hac vice Chriſtus indulſit Mariæ Magdalenæ peccata ſua, quantùm ad pœnas eis debitas, plenè ſive totaliter propter ardentem eius ad Chriſtum amorem, & vehementem ſuarum horrorem culparum. Remiſſio quippe peccati mortalis, aut nulla eſt, aut totalis: ſed remiſſio pœnæ communiter fit per partes, & non tota ſimul, quamvis interdum fiat tota ſimul, ob charitatis ingentem ardorem, peccati ruborem, contritionis intenſionem, confeſſionis humilitatem, vitiorum deteſtationem, quæ omnia fuerunt in Magdalena, quia & ſi verbis non confitebatur, lacrymis tamen, ſuſpiriis atque operibus hoc agebat; nec tunc Sacramentum confeſſionis requirebatur.*

c Pſ. 6. 7

d Apud Genebr. in Pſ. 6. 7

e Pſ. 118. 136.

Lacrymatur Rex Pœnitens, *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo* c. Ex illis balneum conficere vult & rivum, in quo natet cubile ſuum juxta lectionem Hebraicam, *Natare faciam* d. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei* e. Sed quare, Auditores, Propheta tot effundit lacrymas? cùm una ſola ſufficere potuiſſet ei, ſicut unica ſatis fuit Regi Ezechiæ lacryma. Nam cùm *ægrotavit Ezechias uſque ad mortem, & introivit ad eum Iſaias, & dixit ei; Hæc dicit Dominus, Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives: convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & flevit. Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens, Vade, & dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui, Vidi lacrymam tuam. Ecce, ego adjiciam ſuper dies tuos annos quindecim* f. Unica Ezechiæ lacryma de Deo triumphavit, & impetravit ab eo quidquid voluit. Sed quare David tot effundit lacrymas, & ait? *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. Ipſe ſtatim ſubdit iſtius rationem, *Quia non cuſtodierunt legem tuam.* Lacrymabatur David, ait D. Ambroſius g, quia intuebatur adulterium cum Bethabee, & homicidium adversùs virum ejus Uriam à ſe parratum h; & verebatur ne hæc peccata impedirent, quin è progenie ſuâ eſſet naſciturus Meſſias, & ne ipſe tanto honore ac beneficio privaretur ob ſcelera ſua. Deflet Magdalena anteactas diſſolutiones ſuas, & verita ne propter eas deſtituenda ſit in æternum dulciſſimis amplexibus cœleſtis ſui Sponſi, ſic amaras effundit lacrymas, ut ſuarum virtute lacrymarum audire mereatur ſuorum indulgentiam proferri criminum ipſo ore Filii Dei dicentis ſibi, *Remittuntur tibi peccata.* Quàm potentes lacrymæ ſunt, Auditores, cum ipſæ triumphent de Deo! Sed quàm neceſſariæ poſt Baptiſmum, ubi homo in peccatum actuale lapſus eſt! Propterea de illis loquens Petrus Cellenſis, ait h, *Aqua hæc paradiſum irrigat; Eccleſiam, ut ſit ſine maculâ, lavat. Aut facit, aut invenit paradiſum.* Sed quomodo lacrymæ poſſont facere id quod jam factum eſt? Hoc innuit lacrymas tantæ eſſe potentiæ, ut ſi nulla eſſet gloria ad eas remunerandas, quod impoſſibile eſt, ipſæ poſſent novam gloriam conſtituere.

f Iſai. 38. 1. &c. ex 4. Reg. 20. 1. &c. & ex 2. Par. 32. 24.

g D. Ambr. ſerm. 17. in Pſ. 118. 136.

h 2. Reg. 11. 4. &c

h Cellēs. lib. de Panib. c. 12.

Bis unctionem pedibus Salvatoris applicuit Magdalena. De priori ait D. Lucas, *Attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* De poſteriori autem D. Joannes i dicit, *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Jeſu.*

i Jo. 12. 3

Unde autem oritur ut, cùm priori vice pergeret ipſa ad impetrandam peccatorum ſuorum veniam, & videretur ipſa debuiſſe ferre ſecum unguentum pretioſius, quàm tulerit poſteriori vice, D. Lucas non meminerit illius circumſtantiæ, quam ita exactè obſervat D. Joannes ab ipſa fuiſſe cuſtoditam, dum ait de poſteriori vice, quòd *accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi*? Reſpondet Toletus k Cardinalis, loquens de poſteriori unctione, *Hic defuerunt lacrymæ.* Non autem in priori, in quâ, juxta D. Lucam, *lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Et hæc eſt ratio propter quam D. Lucas non loquitur de pretio hujus unguenti, quia multò pretioſiores unguento ſunt lacrymæ.

k Tolet. Card. in Jo. 12. 2.

l Luc. 22. 44.

m Matth. 26. 37 &c

n Marc. 14. 33. &c

o Jo. 18. 1

Sermonem habens idem D. Lucas l de doloribus Chriſti in horto Olivarum; ait, *Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.* Et D. Matthæus m, & D. Marcus n ſaltem loquuntur de illius agone in eodem horto: D. Joannes o autem loquens de eodem horto, *in quem introivit ipſe & diſcipuli eius*: iſtam omittit circumſtantiã. Sed iſtud eſt myſterium, Auditores, quia quod tunc omiſit, jam adimpleverat per lacrymas, Lazarum ſuſcitaturus; *Et lacrymatus eſt Jeſus* p. Non loquitur igitur D. Joannes de Sanguine, quem ſudit Chriſtus in horto, ſed ipſi ſatis videtur dixiſſe quòd *lacrymatus eſt Jeſus.* Quia poſt Sanguinem Chriſti, nihil tanti eſt æſtimandum, quanti ejus lacrymæ, & conſequenter lacrymæ aliorum, ſunt æſtimandæ.

p Jo. 11. 35. &c.

Una Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento. Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumẽtum: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat Corpus Jeſu. Dicũt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum: & neſcio ubi poſuerunt eũ. Hæc cùm dixiſſet, converſa eſt retrorſum & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus eſt. Dicit ei Jeſus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei, Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum: & ego eum tollam q. Supponamus autem Chriſtum fuiſſe verum hortulanum, quem alloquebatur Magdalena, eumque ſuſtuliſſe Corpus Domini ipſius reverà: ſi voluiſſet illud reddere ipſi inquirenti tantâ inquietudine, quid retribuiſſet Magdalena hujuſmodi hortolano pro Corpore Domini ſui ibi reddito? Reſpondet appoſitè Drogo r Cardinalis, *Si fieri potuiſſet, redimendo corpori totum ſepulchrum lacrymis impleſſet.* Intra ſe cogitans Magdalena, quodnam pretium ſufficere potuiſſet ad tollendom tantum theſaurum, rata nihil eſſe æquiparandum lacrymis, earum tantam effudiſſet copiam, ut illarum abundantiâ repletus fuiſſet ejus tumulus.

q Jo. 20. 1. &c.

r Drogo Card. ſerm. de Paſſ.

Titulus, quo inſignitur Dei Filius à D. Joanne s, à quo vocatur *Primogenitus mortuorum*, noſtro conſonat propoſito, & iſtam cõfirmat veritatem. Sed quale elogium eſt iſtud? quænam mater fuit ita felix, ut ab eâ ſit in lucem editus iſte *Primogenitus mortuorum*? Nullæ aliæ niſi felices diſcipulorum animæ, quæ veluti matrum munia obierunt, quoniam è vivis excedenti Dei Filio, donec à mortuis ſuſcitaretur, ſuis affectibus maternis veluti lacrymis ſunt compaſſæ: illorum enim lacrymæ fuerunt veluti

s Apoc. 1. 5.

genitrices Jeſu Chriſti, & reſurrectionem ejus feſtinatè fecerunt. Unde dicere poſſumus, Jeſum Chriſtum eſſe Filium lacrymarum, & earum Primogenitum, tanti ſunt illæ æſtimandæ: & ideò jure meritò nuncupatur *Primogenitus mortuorum*. Quaſi genitus ab animabus lacrymantibus Apoſtolorum. Propterea Petrus Cellenſis t volens oſtendere earum pretium & valorem lacrymarum, ait *Satan tolerabiliùs ſuſtinet flammam ſuam, quàm lacrymam noſtram; acriùſque contriti cordis lacrymâ, quàm flammâ incendij infernalis torquetur.* Huic Abbatis iſtius conceptui concordat illud, quod ait D. Antiochus. Nam poſtquàm *cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem*, id eſt, Dominum ſuum *Petrus*, *egreſſus foras, flevit amarè* u, & conatus eſt delere crimen linguæ ſuæ, lacrymis oculorum ſuorum. Sed quid accidit? *Hanc Petri magnanimitatem hoſtis cùm vidiſſet, nulli dubium ſit, quin ſtatim concitus proripuerit ingentis eius ejulatu ac ſi igni illi faciès conflagraſſet*, ait D. Antiochus x. Iratus hunc generoſum animum inimicus humani generis, & pretioſas admiratus margaritas fluentes ex iſto corde pœnitenti, coactus eſt fateri infirmitatem ſuam, & ſe fuiſſe ſuperatum. Potentia inaudita lacrymarum, quæ non ſolùm triumphant de Diabolo, ſed etiam de Deo?

t Cellenſ. lib. de Panib. c. 12.
u Matth. 26. 74. &c.
x D. Antioch. hō. 27. de Deſperat.

Dei Filius ait, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* y. Et, *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum* z. Sed quomodo conciliabimus hæc duo loca Scripturæ? Prior locus violentiam à nobis inſumendam exigit, ut ad Regni cœleſtis fruitionem nobis pandamus aditum. Poſterior autem redigit nos in anguſtias deſperationis illius nobis unquam conciliandi Regni, niſi inſtar parvulorum evadamus. Unus fortitudinem requirit, alter verò imbecillitatem præcipit. Quamnam adhibere poſſumus nos violentiam, & quinam conatus exeri poſſunt à parvulis? Vultiſne ſcire, Auditores, in quo ſitum ſit myſterium? In eo ſanè quòd omnis fortitudo, & omnis conatus parvulorum cumuletur in lacrymis: cùm enim aliquid impetrare volunt, confeſtim ad lacrymas recurrunt, nec à lacrymis effundendis ſe continent, donec illud, quod efflagitant, aut cupiunt, fuerint conſecuti; & iſtud medium adimplendis ipſorum petitionibus, vel deſideriis eſt præ omnibus aliis accommodum & opportunum. Poſt peccatum à nobis patratum, ſi conſequi velimus poſſeſſionem Regni cœleſtis, violentiam nobis inferre debemus mediis lacrymis, quia *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Id eſt, per violentiam quandam acquiri prædicatur*, exponit Dionyſius Carthuſianus a. *Ioannes enim primò ſic legitur prædicaſſe, Pœnitentiam agite, quia appropinquabit Regnum cœlorum* b. *Sed pœnitentiam agere, eſt ſibi ipſi bonam violentiam facere, affligendo & reprimendo ſeipſum. Et violenti, id eſt, ſuperantes ſeipſos, qui contra ſeipſos & concupiſcentias, cunctaque vitia efficaciter pugnant; rapiunt id eſt, cum labore & bona violentia capiunt illud pro præmio ſui certaminis. Violenti ſunt ergo qui deſiderio patriæ, ſeipſos quotidie mortificant. Dicitur itaque Regnum cœlorum vim pati, quoniam propter ipſum adipiſcendum, infert homo ſibi ipſi vim bonam, & patitur affligendo ſeipſum.* Magdalena lacrymas effudit, *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Et ideò audire meruit indulgentiam peccatorum ſuorum ejuſdem Filii Dei ore prolatam *Remittuntur tibi peccata.* Occluſerat illa ſibi Regni cœleſtis aditum peccatis ſuis, & illius ſibi reſerat oſtium ſuis lacrymis; & tota violentia, quam ipſa inſumit ad hunc effectum, non eſt alia, niſi flere. Idcircò Dei Filius tanti duxit hanc aquam, quam Magdalena fudit è canalibus oculorum ſuorum, ut, cùm ipſemet dignatus ſit *cœnâ factâ lavare pedes diſcipulorum* c ſuorum, nunquam tamen ſuos laviſſe, aut permiſiſſe lavandos perhibeatur, eò quòd illos ſuis rigaſſet Magdalena *lacrymis*, cùm quodlibet aliud balneum minùs pretioſum non fuiſſet dignum quod illos lavaret, cùm eis ſplendorem (ſi ita loqui fas eſt) quem ſpecioſæ iſtæ lacrymæ in eis reliquerant, eripere viſum eſſet; ideòque Salvator legeſſit eo modo, quo illi, qui laverunt manus ſuas exquiſito aliquo unguento, cujus odorē conſervare conantur, ideòq; aliâ aquâ eas lavare nolunt, ne hujuſmodi odorem amittant; ita Chriſtus meliùs cuſtoditurus odorem delicioſum lacrymarum Magdalenæ, quas maximi æſtimat ut pretioſiſſimas, quodlibet aliud balneum noluit admittere ſuis pedibus applicandum. Vel potiùs dicamus, Chriſtum non permiſiſſe ut ſibi lavarentur pedes in vitâ ſuâ, poſt admiſſas lacrymas Magdalenæ, ut eos poſt mortem ipſius, noſtris lacrymis irrigaremus, quas à nobis exigit ut obſequia reverentiæ noſtræ erga ipſum. Specioſas lacrymas, pretioſas lacrymas, dignas quæ ad officium ſic honoratum aſſumantur, ut pedes Salvatoris irrigent, & nobis ejus miſericordiam impetrent?

y Matth. 11. 12. &c.
z Matth. 18. 3.
a Dion. Carth. in 22. in Matth. 11. 12.
b Matth. 3. 2.
c Joan. 13. 2. & 5.

Ha! Auditores, tanta præ ſe ferunt lacrymæ lenocinia, dum effunduntur propter motivum ſic glorioſum, ut ſuper nos cœleſtes trahant benedictiones. Deus ipſe illis ſe teſtatur ſauciatum, *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, in uno oculorum tuorum* d. Quannam virtutem, & quàm immodicam fortitudinem lacrymarum! Sed ulteriùs progredior in gratiam lacrymarum noſtræ Pœnitentis, & audeo aſſerere eas mereri eundem honorem, quem meretur Crux Jeſu Chriſti ob contactum; non os, eò quòd oſculatum fuerit hanc ſacram humanitatem; non capillos, eò quòd terſerint *pedes eius*, quia cùm pars ſint phyſica integrans corporis, debetur ipſis adoratio & cultus ſpecialis: ſed lacrymæ, quibus Magdalena *cœpit rigare pedes eius*, poſſunt adorari eadem adoratione, qua Crux ob contactum. Quale privilegium, quiſnam honor, & quanta gloria lacrymarum! Ipſæ ſunt potentiſſimæ: & re vera fuitne unquam in mundo aliquid magis deplorandum, quàm lapſus primi hominis, quàm viſu eum, cui *benedixit Deus, & ait, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram* e, redactum in talem ſtatum confeſtim ac vetito *de fructu comêdit* f, ut illis loquitur? *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* g. Quænam autem poteſt eſſe cauſa tantæ infelicitatis? Nulla alia, niſi quia ante peccatum noſtri Protoplaſti nullæ erant lacrymæ. Quid mirum igitur ſi ita facilè lapſus eſt Adam, ſic efficaci deſtitutus auxilio lacrymarum, quæ invincibilem naturam Dei, qui *fortis & potens* h eſt, ſuperant? quaſi verò Deus non haberet ſatis fortitudinis & potentiæ ad reſiſtendum poteſtati lacrymarum, in quarum favorem Petrus Damianus i Cardinalis ait,

d Cant. 4. 9.
e Gen. 1. 28.
f Gen. 3. 6
g Pſ. 48. 13. & 21.
h Pſ. 23. 8
i Damian. opuſc. 13. de Laud. Lacrym. c. 12.

Lacry-

Lacrymæ ſunt in fœderandâ inter Deum & hominis pace ſequeſtres. Homo inimicitiam Dei incurrerat per peccatum ſuum: quodnam medium renovandæ huic amicitiæ opportunum? Lacrymæ præ ſe ferunt ſatis potentiæ ad conciliandam hanc pacem homini cum Deo, & ad impetrandum ab eo quidquid homo intendit. Iſtud eſt, quod ait Rex Propheta k in ſenſu myſtico, *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Super quod Lorinus l ait, *Æthiopia nec minùs quam Ægyptus pro peccatoribus omnibus, ſed propter nigredinem, uſurpatur, ut docet Origenes, dicens eorum figuram fuiſſe Moſis uxorem Æthiopiſſam, propter quam murmuravit Maria ſoror, id eſt, Synagoga.* Hinc per legatos intelligunt gemitus, ſuſpiria & lacrymas quæ veniũt ex intimis penetralibus cordium peccatorum, quorum *denigrata eſt ſuper carbones facies, & non ſunt cogniti in plateis* n. Qui legati pacem negotiantur cum Deo, & mitigant iracundiam ejus, eumque reddunt placatum peccatoribus iiſdem, qui ejuſdem Dei deditionem ſubeunt juxta eum, quem *Caſſiodorus obſervat morem bellicum ut qui timent ab hoſtibus interitum dedant manus, armaque deponant*, ait ibidẽ Lorinus. *Cùm audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quod Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valdè, & pro nihilo duxit in unum Mardochæũ mittere manus ſuas: audierat enim quod eſſet gentis Judææ; magiſque voluit omnem Judæorum, qui erant in Regno Aſſueri, perdere nationem. Menſe primo, miſſa eſt ſors in urnam coram Aman, quo die & quo menſe gens Judæorum deberet interfici: & exivit menſis duodecimus* o. Rabie percitus Aman projiciendam ſortem ſatagit quaſi menſe Januario apud nos, ſed illa cecidit menſe Decembri, & ideò ipſe deceptus eſt, cùm annus integer effluxerit ante cædem Judæorum, quam decreverat. Sed quare ita longum permiſit Deus dari intervallũ? Reſpondet Rupertus p, quòd Aman *in hoc illuſus eſt, quod dum ſuſceptâ morâ tanta dilationis interim pendet ſententia mortis, opportunum facit univerſæ genti ſpatium, quod ſufficere poſſet ad legationes mittendas in longinquum, id eſt, in altitudinem cœli, unde auxiliares copiæ debeant conduci, id eſt jejunia lacrymæ, & preces, quæ nimirum idoneæ legationes erant, & ſunt ad invitandum ſeu invocandum de cœlo auxilium Domini*; præſertim verò lacrymæ, quæ tantam exercent potentiam erga Deum, ut eum veluti quodam modo cõpellant ad impertiendum nobis id, quod ab illo efflagitamus. Proptereà refertur, quòd, cùm alicubi viſitarentur omnes libri concinendis Divinis laudibus accommodi, & deprehenderentur in eis deleta omnia nomina Dei, Domini, Jeſu Chriſti, & interrogaretur ſuper hâc novitate inuſitatâ D. Julianus Anachorita, his verbis, *Quis obſecro hoſce libros corrupit, quippe in quibus ubi ſcriptum erat, Deus, Dominus, aut Jeſus Chriſtus, literarum elementa deleta reperiuntur?* reſpondit idem D. Julianus, *Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens, lacrymis pedes ipſius rigavit, & ego ubicumque nomen Dei mei ſcriptum cõperio, lacrymis meis rigabo.* Sed quare permiſit Deus ut iſtæ lacrymæ ſuper nomen ſuum cadentes, illud delerent? Profectò ad oſtendendum quanta ſit potentia lacrymarum.

k Pſ. 67. 32.

l Lorin. in Pſ. 67. 32. citans Orig hõ 1. & 2. in Cant 1. 5 m ex Nũ. 12, 1.

n Thren. 4. 8.

o Eſth. 3 5, &c.

p Rupert. in Eſth. 3 7.

Nunquam diſcurſui iſti in laudem lacrymarum, limites imponerem, niſi illum ad hunc D. Auguſtini q conceptum terminarem, *O lacryma, tu paſſionis Chriſti es Vicaria.* Tres Vicarios reliquit Chriſtus in terrâ: D. Petrum, qui habet eandem cum ipſo poteſtatem, *Tibi dabo claves Regni cælorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis* r. Baptiſmum, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei* s. Et Lacrymas, ſeu Pœnitentiam, quæ lacrymas in ſuo conceptu eſſentiali includit, *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* t. Vicarius Diœceſis, aut Conventus; eandem habet authoritatem quam Prælatus, aut Superior in abſentiâ illius. Paſſio Chriſti aperit nobis oſtium paradiſi, & claudit nobis januam inferni, *Propter quod dicit, Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus* u. Idem operantur lacrymæ. A peccati captivitate liberavit nos Paſſio Chriſti; *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* x. Hoc etiam peragunt fletus. *Lacrymæ peccata baptizant*, ut dixit ſuprà D. Chryſologus. Quis igitur ex nobis maximi non æſtimabit lacrymas? Sed quis illas in uſus expendere volet depreſſos & abjectos, ſciens quanta ſit illarum excellentia, poteſtas, & quàm ingens meritum? Medici ajunt, *Optimum eſt remedium curativum.* Nimirum cùm affulget in ægroto ſpes recuperandæ citò priſtinæ ſanitatis deperditæ. Defletis jacturam uxoris, viri parentum, liberorum, propinquorum, familiarium & amicorum; ſi iſtæ lacrymæ, quas effunditis, eos in vitam revocarent amiſſam, eſſent profectò *optimum remedium.* Si autem fletus iſti hunc effectum non operantur, manifeſtum ſignum eſt quod non eſt hoc *optimum remedium*, quin imò nec eſſe poteſt bonum. Ha! nolite inſumere lacrymas veſtras in res depreſſas; ſed impendite illas in res bonas, quæ ſpectent Deum, inſtar Davidis dicentis eidem Deo, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam* y. Ha! Auditores, ſi tanto afficimur dolore, cùm amittimus aliquid quod nobis eſt charum, cùm eripiuntur nobis bona noſtra, & honor noſter; cur non lacrymabimur propter peccatum, quod nos incurrere fecit jacturam gratiæ Dei? *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* z: & eripuit nobis jus ad gloriam & honorem paradiſi? cùm Pater æternus receſſerit à nobis, noſtram non valens ſuſtinere præſentiam: Spiritus ſanctus nos deſeruerit ut ſacrilegos profanatores templi ſancti ſui, *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus* a. Et perdiderimus amicum noſtrum Jeſum Chriſtum, & videamus animam noſtram mortuam per peccatum, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* b. Ploremus igitur hanc jacturam, & lacrymis perfuſi *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* c, & conſequenter gloriam.

q D. Aug. ſerm. 11. a Fratr. Erem.

r Matth. 16 9.

s Jo. 3. 5.

t Luc 13. 3.

u Epheſ. 4. 8 ex Pſ. 67. 19

x Apoc. 1. 5.

y Pſ. 118. 136.

z Iſai. 59 2.

a 1. Cor. 3 16. & 17

b Ezech. 18. 4. & 20.

c Hebr. 4 16.

DE DOLORIBUS B. V. M: PRO SABBATHO POST DOMINICAM PASSIONIS.

O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Thren. 1, 12. Vel, *Stabat juxta Crucem Ieſu Mater ejus.* Eccleſia ex Jo. 19. 25.

DUo ſunt greſſus in vitâ valdè lubrici, proſperitas, & adverſitas. Vix poteſt ſe continere quis, cùm proſperâ gaudet fortunâ, & omnia ſuccedunt ipſi ad deſiderium; magna requiritur hoc in occurſu modeſtia, immodica conſtantia, & magnanimitas incomparabilis & inalterabilis, ne ponderi adverſitatum ſuccumbat ille, qui proſperitatibus exuberat. a Prov. 31. 10. &c. Deſcribit nobis Salomon a *mulierem fortem*, prædiram duabus iſtis qualitatibus. Nimirum modeſtiâ in proſperitate, cùm ipſa ſe humiliaret uſque ad colum, *Et digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Et fortitudine in adverſitate, *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Sed iſte Rex qui quærebat hanc fœminam fortitudine inſignem, non invênit eam, *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus*, ait ipſemet. *At ubi venit plenitudo* b Galat. 4. 4. *temporis* b, id eſt, Legis gratiæ, habemus hanc *mulierem fortem*, invulnerabilem, & inalterabilem inter omnes dolorum acerbiſſimorum anguſtias, & modeſtam in altiſſimis proſperitatibus, ſcilicet Divinam Mariam. Heu! quantùm mihi diſplicent pictores illi, qui repræſentant nobis B. Virginé Mariam deliquium animi paſſam, & humi proſtratam inter brachia D. Joannis Evangeliſtæ, & B. Mariæ Magdalenæ: hujuſmodi pictura non eſt conſona veritati, quin imò magnam irrogat conſtantiæ B. Virginis injuriam, *Stabant juxta Crucem Jeſu Mater ejus, & Maria Magdalene.* Nedum B. Virgo eſſet humi proſtrata: ideò tribui debet illi hæc inſcriptio conſtantiæ, *Nec fracta, nec frangar.* In omnibus doloribus ſuis atrociſſimis fuerunt *fortitudo & decor indumentum ejus.* Cum legatur ſtans in monte Calvariâ, & reperiatur decôre gratiæ ornata ab Angelo dicente ipſi, *Ave Maria.*

Si profundâ & verâ mentis applicatione conſideremus omnia momenta vitæ Jeſu Chriſti, & B. Mariæ Genitricis illius, non invenio in illis omnibus niſi exceſſus. Diſcurramus per totum vitæ illorum tempus, & hanc perfectè edocebimur veritatem. In Nativitate Salvatoris, obſervo exceſſum exinanitionis, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, &* c Philipp. 2. 6 & 7 *habitu inventus ut homo* c. Quantus exceſſus, ait d D. Bern. Serm. 3. in Vig. Nativ. Dom. D. Bernardus d, *Voluit infirmiora noſtra abundantiori gloriâ ſublimare; & contraxit ſe Majeſtas, ut quod melius habebat, videlicet ſeipſum limo noſtro conjungeret, & in perſona una ſibi invicem unirentur Deus & limus, Majeſtas & infirmitas tanta, vilitas & ſublimitas tanta. Nihil tamen Deo ſublimius, nil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaque dignitate limus aſcendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur tam ineffabili quàm incomprehenſibili ſacramento.* Ingens exceſſus, ſed exceſſus dilectionis! Spiritus ſanctus exponens amorem Patris æterni erga genus humanum, non utitur aliis terminis niſi ut dicat, *Sic Deus dilexit mundum* e. e Jo. 3. 16. Utitur hoc verbo, *Sic.* Quaſi dicat, quòd ad exprimendam hanc dilectionem omnis lingua ſit muta, nec ad illam cognoſcendam ulla mens ſit ſatis perſpicax. *In charitate perpetua dilexi te* f. f Jer. 31. 3 Et, *Deus propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos* g. g Epheſ. 2. 4. Exceſſus amoris ejus eò ipſum induxit, ut ipſe qui *magnus eſt, & non habet finem,* h Baruch. 3. 25 *excelſus, & immenſus* h, limitibus circumſcriberetur: ut ipſe qui eſt *accinctus potentia* i, i Pſ. 64. 7 infirmus fieret; *Verbum* k; k Pſ. 44. 2 Infans in præſepio m reclinaretur. m Luc. 2. 7. Sed majorem exceſſum invenio *poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer* n. n Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3. In Nativitate ejus invenitur exceſſus dilectionis, & humilitatis; ſed in Circumciſione illius, repetitur exceſſus obedientiæ. In Nativitate ſuâ eſt homo; ſed in Circumciſione ſuâ apparet peccator. Nihil eſt magis diſtans à Deo quàm peccatum, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, ait Iſaias o. o Iſai. 59 2. Et D. Bernardus p p D. Ber. ſerm. 3. in Circumciſ. Dom. dicit de Patre æterno, *Imò verò ſi quo modo poſſet non agnoſcere Filium, in quo ei bene complacuit* q, q ex Matt. 17. 5. *ex hoc maximè ſigno poterat ignorare eum inventa in eo circumciſione, quam peccatoribus ipſe providerat ob purgationem utique delictorum* r. r ex Levit. 12. 3. Circumciſio non erat inſtituta niſi propter peccatores, ipſe verò, quaſi eſſet peccator, obedivit huic Legi, qui exceſſus eſt maximus omnium: cùm enim peccator eſſe non poſſet (*Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* s) s Pſ. 5. 5. peccatoris ſumpſit apparentias, *In ſimilitudinem carnis peccati* t. t Rom 8, 3. Tertius exceſſus fuit dolorum & tormentorum, ita ut Iſaias u vocet eum *Virum dolorum.* u Iſai. 53. 3. Et de hoc exceſſu dolorum, quibus affligendus erat ipſe, in monte Thabor *loquebantur cum illo Moyſes & Elias, viſi in majeſtate: Et dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem* x. x Luc. 9. 30. & 31. Id eſt, dolorũ, & tormentorum.

B. Virgo Deipara convenientiam habet cum Filio ſuo: nihil enim intueor niſi exceſſus toto tempore vitæ ejus. Exceſſum humilitatis, & devotionis in Annunciatione ipſius, cùm mox eſſet futura Mater Dei, *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur; nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendicavit, quæ faceret quod juberetur. Mitem enim, humilemque* y *paritura, humilitatem debuit etiam ipſa* y ex Matt. 11. 29. *præferre*, ait D. Ambroſius z. z D. Ambr. lib. 2. in Luc. 1. 38. Omnes magnitudines ſuas refert Maria ad nihilum ſuum, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* a. a Luc. 1. 48. Id eſt, *nihilitatem*, ut fert verſio. Quantus exceſſus humilitatis! Poteratne ipſa ſe magis humiliare? Intueor & in illâ exceſſum obedientiæ, *poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus* b. b Luc. 2. 22. Voluit ipſa obedire Legi quæ non erat inſtituta niſi propter mulieres immundas, quæ viâ conceperant ordinariâ: Lege enim Levitici c c Levit. 12. 2. ferebatur, *Mulier, ſi ſuſcepto*

ſemino

ſemine pepererit maſculum immunda erit. Atqui B. Virgo *Maria inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* d. Enim illâ impletum eſt, quod de ea præ dixerat Iſaias e, *Ecce, Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Sicut & verò *Joſeph non cognoſcebat eam donec peperit Filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jeſum* f. Et tamen immunis ab hac Lege, voluit ei ſe ſubmittere præ exceſſu obedientiæ. Tertius exceſſus ejus fuit doloris in monte Calvariam morte Filii ſui, ita ut ipſa diceret, æquè ac Filius ipſius *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam* †. Ut autem oſtendam vobis exceſſum doloris hujus, duas à vobis exigo res. Primò fidem, *Niſi credideritis, non intelligetis* g. Deinde charitatem, ut compati poſſitis. Et hæ ſunt diſpoſitiones, quas à vobis expeto. *Propter quod peto, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati & fundati ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum* h. id eſt, doloris Mariæ in morte Filii ſui, ut illi compatiamini. Attendite ſi placet, & incipio Primò loqui vobis de ſublimitate aut magnitudine hujus doloris B. Mariæ Virginis in morte Filii ſui, Secundò de longitudine. Tertiò de latitudine. Quartò de profunditate. Iſtæ quatuor dimenſiones exceſſus doloris B. Virginis quadruplicem conſtituent diſcurſus iſtius partem.

d Matth. 1.18.
e Iſai. 7. 14.
f Matth. 1. 24. & 25.
† Pſ. 68. 2.
g Iſai. 7. 9. juxta LXX.
h Epheſ. 3.17. &c.
Diviſio.

I. Pars.

Ut concipiatur menſura ſublimitatis aut magnitudinis doloris Mariæ, conſiderandum eſt, quòd ſentiendo dolorem tria ſunt nobis attendenda. Primum, teneritudo temperamenti; menſura enim unius facit magnitudinem alterius: animalia non ſunt capacia ſuſcipiendi tanti doloris, quanti ſunt homines, quia temperamentum hominum eſt delicatius conſtitutione beſtiarum, & ideò homines magis ſentiunt dolores: atqui inter homines inveniuntur aliqui temperamenti delicatioris, quàm ſint alii: nobiles delicioſè educati, magis ſentiunt dolores, quàm illos experiantur ruſtici & plebeii homines, & menſura doloris illorum nobilium educitur è teneritudine temperamenti corporum ipſorum; atqui poſt *Jeſum Chriſtum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto* m, nemo unquã habuit têperamentũ delicatius quã B. V. natura elaboravit hoc opus per quatuor millia annorũ, & corpus illud eximiũ eduxit è Regibus, è ſummis Sacerdotibus, è Ducibus, è ſanguine nobiliſſimo tribus Juda n, corpus autê optimè diſpoſitum, & delicatiſſimum, & maximè ſentiendis doloribus præ omnibus aliis corporibus accommodatum.

m Eccleſ. ex Matth. 1.18. & 20.
n Matth. 1. &c.

Secundum, quod nobis eſt conſiderandum, eſt, quòd ſublimitas & magnitudo doloris educitur è magnitudine cognitionis, *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem*, ait Eccleſiaſt. 1 o. Scientia reddit miſerum, *Intelligere eſt quoddam pati*, aiunt Philoſophi. Et maximi dolores procedunt è viva imaginatione: propterea Magnates mundi qui imaginationem habent fortiorem, magis patiuntur in adverſis fortunis, quas prævident, *Qui addit ſcientiã, addit & dolorem*. Atqui B. Virgo maximam habebat notitiam perfectionum Filii ſui, tam naturalem, quàm ſupernaturalem; immò verò ſcientiam experimentalem triginta trium annorum, ſcientiam autem certiſſimam, quæ habetur è diverſis eventibus: atqui omnibus iſtis cognitionibus, quæ erant maximæ omnium illarum quas ullus unquam habuerit, patiebatur ipſa magis, quàm paſſi fuerint unquã univerſi alii homines, cogitans quidnam agendũ eſſet de Filio ſuo: omnes enim intuitus, quos ipſa projiciebat, in memoriam ipſius revocabant infame ſupplicium crucis, quod fuerat ipſi revelatum; jugibus erat ipſa perfuſa lacrymis internis, ſingulis moriebatur ipſa diebus dolore, cogitans ignominioſum illum finem Filii ſui. Menſura ſublimitatis & magnitudinis doloris Mariæ eruitur è magnitudine cognitionis ipſius; & ſicut cognitio ipſius fuit maxima, ita & dolor ejus fuit incomparabilis.

o Eccl. 1. 18. juxta Manuſcript.

Tertium, quod venit nobis perpendendum, eſt, quòd ſublimitas aut magnitudo doloris eruitur è magnitudine amoris. Amor eſt aliquo modo crudelis, & paſſionem amanti infert, & quò major eſt amor, eò etiam dolor eſt acutior, *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum, ut nuntietis ei quia amore langueo* p. Seu, ut vertunt LXX, *Quia vulnerata charitatis ego ſum.* Amor & dolor ſunt inſeparabiles. *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum* q. Super quod de Ponte r ait, *Magna quidem eſt fortitudo mortis, ſed major multò fortitudo charitatis. Dura ſicut infernus æmulatio. Etſi enim mors terribilis ſit homini, & amara, eùm tamen terribilior, cùm maximis doloribus & cruciatibus extorquetur, qui ſimiles videntur doloribus inferni omnium graviſſimis: unde hyperbolicè David dicebat, Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumdederunt me. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Repetitio hæc ejuſdem ferè nominis, ignis atque flammarum, & non flammæ, ſed flammarum, ſignificat eſſe ignem vehementiſſimum, atque inflammatiſſimum.* Hoc igne ardebat B. Virgo, ita ut mori parata fuiſſet ad redimendum Filium ſuum à morte, niſi decreto æterno mori debuiſſet Filius ipſius ad reparandum genus humanum, *Quia dilectio & æmulatio non tantùm eſt fortis ſicut mors, & dura ſicut infernus, ſed etiam ejus lampades ſunt lampades ignis atque flammarum, per quas, & non per gladium, vel aquam, hanc mortem efficit. Hæc autem cupida, & quantùm ex ſe eſt, efficax voluntas ponendi animam pro Chriſto, & per compaſſionem charitatis illi condolere, & commori, eſt certum dilectionis ſignum, & effectus, ad quem Sponſus exhortatur. Eſt enim ſingularis modus ponendi animam pro ipſo, de quo Simeon Deiparæ dixit: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* ſ. *Nam licèt juxta Crucem corpus ejus ex Dei ordinatione traditum non ſit ferreo gladio, lanceæ, vel clavis, ut illud transfigerent, anima tamen poſita eſt acerbiſſimo inſtar mortis gladio amoris, & doloris transfigenda. Amor enim, qui lampades habet, alas, ſagittas, & jacula quaſi ignis & flammarum, imitatur aliquando fulmen, quod mollia relinquens, dura conterit, ſicut intactâ vagina enſem conſumit: ſic amoris igneus gladius carnem intactam prætermittens, animam urit & transfigit, atque ita eam pro Chriſto ponit:* Cùm ergo amor B. Virginis erga Filium ſuum fuerit fortiſſimus, dolor illius fuit vehementiſſimus, cùm in cruce vidit morientem eundem chariſſimum Filium ſuum, qui ipſi fuerat ita *ſubditus* u, & qui erat *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* x. Quòd ſi gloria parentum eſt habere filios bonis moribus inſtructos, *Filius ſapiens lætificat patrem* y: judicate de illorum dolore, ſi eorundem liberorum morum jacturam incurrant, (*Quia non*

p Cant. 5. 8.
q Cant. 8. 6.
r De Ponte lib. 10. in Cant. 8. 6. exhort. 8. parag. 8. & exhort. 10. initi.
ſ Pſ. 17. 5. & 6.
ſ Luc. 2. 35.
u Luc. 2. 51.
x Pſ. 44. 3.
y Prov. 15. 20.

velim-

relinquitur ſine dolore, quod cum lætitiâ poſſidetur, ait D. Auguſtinus z) & metimini magnitudinem doloris eorum ex menſurâ magnitudinis amoris ipſorum, præſertim verò ſi iidem liberi ipſis abripiantur morte violentâ. Heu quid affligentius! Ex his tribus motivis inferimus ſublimitatem & magnitudinem doloris B. Virginis, è teneritudine temperamenti ſeu corporis ejus, ex illius cognitionibus, & è maximâ ipſius dilectione: ex iſtis, inquam poſſumus *comprehendere quæ ſit ſublimitas* a hæc.

z S. Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in monte c. 3.
a Epheſ. 3 18.

II. Pars.

Ex iiſdem capitibus tribus poſſumus *comprehendere quæ ſit longitudo* doloris ejus, cùm duraverit toto tempore vitæ ipſius, præſertim verò ex quo, *poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur* b *Puer*; *& poſtquàm impleti ſunt dies purgationis ejus, ſecundùm Legem Moyſi* c; *& cùm inducerent Puerum Jeſum Parentes ejus ut facerent ſecundùm conſuetudinem Legis pro eo: Simeon dixit ad Mariam Matrem ejus, Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur; & tuam ipſius animam pertranſibit gladius* d. *Hoc eſt amariſſimus dolor compaſſionis, quo anima tua implebitur, cùm videris Filium tuum occidi, & perſecutiones pati. Imò Virgo beata frequenter ante Chriſti Paſſionem præcogitando quanta ille eſſet paſſurus, amariſſimè affligebatur; qui dolor cœpit in eâ in Chriſti infantiâ. de quâ re in Revelationibus S. Brigitta multa credibiliter ſcripta ſunt. Iſte eſt gladius ſpiritus, de quo fertur in Pſalmo, Lingua eorum gladius acutus* e. *Et, Gladius in labijs eorum* f. *Ibi tamen accipitur gladius pro cauſâ doloris. Sic ergo gladius pertranſiit animam Virginis glorioſæ, quomodo de Joſeph in Pſalmo* g *cantatur, Ferrum pertranſiit animam ejus, hoc eſt, dura afflictio. Ambroſius* h *per gladium intelligit Verbum, ſeu Sapientiam. Unde & Paulus ad Epheſios* i, *Accipite (ait) gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei. Itaque ſenſus eſt; Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, id eſt, intellectum tuum intimè illuſtrabit Verbum, vel Sapientia myſteriis crucis: ita quod illud non ignorabis, ſed præcognitio Paſſionis Filij tui tua intima penetrabit*, ait Dionyſius Carthuſianus k. Ideò ex tunc gladio doloris transfixum eſt cor B. Virginis. Heu quàm immodicus fuit iſte dolor quo vulneratum fuit cor Deiparæ!

b ex Levit. 12. 3.
c ex Lev. 12. 6 &c.
d Luc. 2. 21. &c.
e Pſ. 56. 5
f Pſ. 58 8
g Pſ. 104 18. ex Gen. 39. 20
h D. Ambr. lib 2. in Luc. 2 35. ex Hebr. 4. 12.
i ex Eph. 6. 17.
k Dion. Carth a 7. in Luc. 2, 35.

Ut autem meliùs poſſimus *comprehendere quæ ſit longitudo* doloris hujus, conſiderandum eſt quàm appoſitè locutus eſt ille qui dixit, *Generatio Verbi, ſicut generatio apis*. Apes generari dicuntur beneficio roris, ipſæ ſunt virgines, non ſunt inter eas mares, ſed omnes ſunt fœminæ, ipſarum generatio eſt ſpecialis; producunt enim interventu roris: proprium eſt illis conficere mel, & per accidens habent aculeum; mel per naturam, & ſtimulum pro tutelâ: utentes autem aculeo ſuo, illum deſerunt infixum ſubjecto, quod ſtimulaverunt, & ipſæ ſtatim moriuntur, ut ait Poëta l,

l Virg. 4. Georg. citat. à Mendoc. in 1. Reg. 8. ſect. 5.

Spicula cæca relinquunt
Affixa in venis, animaſque in vulnere ponunt.

Generatio Verbi, ſicut generatio apis. Id eſt, eſt inſtar apis: mel confecit ſuper arbore Crucis, quæ fuit alveat ipſius: Verbum iſtud Divinum, more apis, perforavit aculeo ſuo S. Matrem ſuam, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Poſtquàm ergo aculeo ſuo ſtimulavit S. Genitricem ſuam, ipſum mortuum eſt, & aculeus ipſius remanſit defixus cordi B. Matris ipſius, quæ inde maximo dolore affecta eſt. Ecce longitudinem doloris hujus. Videamus utrùm poſſimus *comprehendere quæ ſit latitudo* doloris ejuſdem.

III. Pars.

Menſura pœnarum Filii, ut dixi, facit magnitudinem dolorum Matris. Filius, quem Iſaias m vocat *Virum dolorum*, patiebatur omnes dolores, quantùm ad genus, quantùm ad ſpeciem, & quantùm ad individuum. Quantùm ad genus tormenta è parte hominum, è parte Dei, è parte ſuìipſius, corporis ſui, & animæ ſuæ, *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit* n. Perpeſſus eſt *languores* quantùm ad animam in horto Olivarum, cùm *cœpit pavere, & tædere, & ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* o. E parte corporis omnes dolores poſſibiles: tanta eſt enim ſympathia inter membra corporis & caput, ut, ſi aliquod membrorum patiatur, ſtatim queratur caput, in quo reſident ſenſus, quodque per conſequens ſentiendi doloris eſt capacius. Conculcatur alicui pes ab aliquo, & ſtatim lingua queritur, Dolorem mihi inſers: & videmus quòd naturaliter ſi immineat aliquis ictus capiti noſtro inſligi, omnia membra cauſam illius amplectuntur, ut ictum hujuſmodi avertant, & tuendo capiti conſulant, imò & ipſa manus excipiendo ictui ſe exponat: hoc eſt effectum amoris naturalis. Sed hæc eſt differentia inter naturam & gratiam, quòd natura, ut dixi, debet exponere omnia membra, eaque in diſcrimen adducere ad cuſtodiendum caput; gratia verò exponit Caput ad conſervationem membrorum. Videte quomodo Jeſus Chriſtus, qui *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* p, tamen ſe exponit ad ſuſcipiendos ictus pro nobis, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* q. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* r. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livere ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Oblatus eſt quia ipſe voluit Propter ſcelus populi mei percuſſi eū* s. Et, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* t. Et quemadmodum cautam hominum peccatorum cauſam præſtitit, ſic & pro peccatis illorum omnium juſtitiæ ſui Patris ſatisfecit. Paſſus eſt quantùm ad ſpeciem, omnia ſupplicia, & omnes pœnas aliorum membrorū. D. Stephanus lapidibus obrutus eſt u, D. Petrus cruci ſuffixus †. D. Bartholomæus vivus excoriatus. D. Laurentius *igne* x examinatus, D. Sebaſtinus poſitus *quaſi ſignum ad ſagittam* y. *Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt* z. Sed Jeſus Chriſtus crudeliùs exceptus eſt quàm excepti fuerint omnes iſti, qui aliquâ perfundebantur conſolatione, cùm carnifices ſola affligerent ipſorum corpora: ſic de Job *dixit Dominus ad Satân, Ecce, in manu tuâ eſt, veruntamen animam illius ſerva* a. D. Stephanus patiebatur præ gaudio, *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei* b. Et D. Paulus c anguſtiis impetitus dicebat, *Superabundo gaudio*

m Iſai. 53. 3.
n Iſai. 53. 4.
o Marc. 14. 33. & 34.
p Coloſſ. 1. 18.
q Epheſ. 5. 30.
r Zach. 2. 8.
s Iſai. 53 5. &c.
t Epheſ. 5. 2.
u Act. 7. 57.
† Jo. 21. 18. juxta Gloſſ. Ord.
x Pſ. 56. 3
y Thren. 3. 12.
z Hebr. 11 36. &c.
a Job 2. 6
b Act. 7. 55.
c 2. Cor. 7. 4.

dio in omni tribulatione noſtrâ. Sed Jeſus Chriſtus omni genere conſolationis deſtitutus eſt, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me* d? Quantùm ad individuum, cùm nulla pars corporis ipſius ſana ipſi relicta ſit, quippe qui percuſſus ipſe ſit, ut alter *Job, ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem* e. Ex iſtis igitur doloribus Filii inferre poſſumus dolores Matris: ipſa enim in ſuo corde pertulit id omne, quod Filius ipſius in ſuo Corpore paſſus eſt, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Et quantùm ad genus, & quantùm ad ſpeciē, & quantùm ad individuum. *Ut poſſitis comprehendere profundū* f doloris B. V, perpendite id quod illi ait Jeremias g ſpiritu Prophetico, *Magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Flumina, quæ ingrediuntur mare, nomen ſuum amittunt, ut ſumant nomen maris, ipſorum dulcedo mutatur in amaritudinem: omnes dolores comparati doloribus B. Virginis non ſunt dolores, ſuum amittunt nomen: quis enim concipere poſſet quouſque pervenerit hæc dolorum profunditas? *Virtus unita fortior eſt diſperſâ.* Omnes dolores, quibus Dei Filius affligebatur, uniti erant in Mariâ ipſius Genitrice. Aliæ matres non patiuntur ſolæ, compatiuntur & patres, in illis dolor eſt diviſus; hìc autem dolor non dividebatur: B. Virgo patiebatur ſola: Pater enim æternus in ſtatu ſuæ beatitudinis incapax eſt doloris ſuſtinendi, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* h. Fungebatur ipſa muniis & Patris, & Matris. Prætereà, Amici alibi compatiuntur: ſed hîc Jeſus poterat dicere ſicut Job i, *Neceſſarii receſſerūt à me.* Et David k dicit in perſonâ ipſius, *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me.* Nam *tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt* l. Fidem habebant intùs, & non foris: ſi habebant fidem, hæc fides ipſorum erat debilis & infirma, fides mortua, quæ non apparebat: vera fides erat in totâ Virgine Deiparâ, in cujus probationem Hebdomodâ majori extinguuntur omnes candelæ trianguli, excluſâ ſupremâ, quæ oſtendit quòd fides B. Virginis nunquam defecerit, ſed tota in ipſâ fuerit unita, ſicut in ipſâ uniti erant dolores univerſi.

Quàm profundus eſt iſte dolor? Alii ſancti patiebantur in corpore; ipſa verò in animâ quæ eſt corpore nobilior: alii in corpore, quod oderāt ut inimicum ſuū; ipſa verò in animâ, quàm odiſſe nō poterat, cùm eſſet *gratiâ plena* m. Alii ab hominibus, manu carnificū; ipſa verò manu Dei. Si autē ſe ſeverè exceptū queritur Job n, licèt ſolâ manu Dei tactus eſſet, *Quia manus Domini tetigit me* n. Hic Deus nō tantùm tangit, ſed percutit. Quanta gravitas, quale ſupplicium, affligi à Deo! B. V. aliquo modo plus paſſa eſt, quàm paſſus fuerit Filius ipſius, quippe qui non ſenſit dolorē ex inflictu lateri ſuo ictu lanceæ, cùm *unus militū lanceâ latus ejus aperuit* o, cùm eſſet jam mortuus: ſed ipſa repercuſſionem ejuſdem lanceæ ſuſtinuit in corde ſuo præ cōpaſſione: ipſa poteſt igitur nobis dicere præ veritate, *O vos omnes, qui tranſitis per viā, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Heu! quanto dolore affecta eſt B. Virgo, audiens omnia decreti mortis lati adverſùs Filiū ſuū, ipſa quæ unicū hoc habebat fulcrū, quod ipſam gaudio & conſolatione perfundebat in ſtatu viduitatis, in quo ipſa erat, audiens quòd eundem Filiū ſuū chariſſimum Judæis *Pilatus tradidit, ut tranſfigeretur* p. Heu! quid agetur de ipſâ? quid faciet ipſa? nunquid ipſa loquetur? ipſane ſilebit? derelinquetne adorandū Filium ſuū? annon omnes ſuos inſumet ipſa conatus ad eripiendū illum è manibus carnificū? ſi autem ipſa nō ſufficiat ad hoc, nonne ſuos ad charitativū iſtud ipſa adhibebit amicos officiū? nunquid non inſtabit ad liberandū eum? nonnè lacrymarum torrētem effundet, ut illæ loquantur in favorē illius, & ut ſic innocentia Filii ſui agnoſcatur, ne morte ignominioſâ, æquè ac doloroſâ crucis interimatur?

Dolor ejus ſic eſt profundus, ut infallibiliter ipſa moreretur, niſi Deus illi vires ſuppeditaret ad magis patiendū, & meliùs cōpatiendum Filio ſuo. Heu! qualia non emittit ipſa ſuſpiria? quàm ingentes lacrymarū imbres non effundunt ejus oculi? & in quantas non erumpit querelas hæc turtur deſolata? Adam & Eva *de fructu* q comedentes prohibito, offendiſtis Dominū veſtrū, mandatum illius prætериiſtis, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris* r. Ruinam veſtrā machinati eſtis, ſicut & totius poſteritatis veſtræ, *Sicut per unum hominē peccatū in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverūt.* s Vos commiſiſtis culpam, & nunc oportet ut Filius meus adorabilis illam ſolvat, ſicut ipſe queritur, *Quæ non rapui, tunc exſolvebam* t. Ut innocens patiatur pro reis; ut ipſe *qui peccatū non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* u: imò nec illud poterat, *Quoniā non Deus volens iniquitatē tu es* x: ſatisfaciat pro offenſâ peccatorū. Filii Iſraël, Prophetæ, ajebat ipſa ad alleviandū cor ſuū tot faſtidiis oppreſſum juſtis querelis ſuis, quid egit Filius meus ut tātas mereretur pœnas? diſplicuitne unquā alicui? nonne ſuis omnes ſibi devinxit beneficiis? *Qui pertranſiit benefaciendo* y. Nunquid non magnificus fuit erga omnes? pium ne ſuū alicui unquā denegavit ſubſidiū? *Qui ſolem ſuū oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos* z. Nullane reddetur Filio meo juſtitia? nunquid in illū univerſæ cōgerentur pœnæ? & oportebitne ut ille qui tota erat vita animæ meæ, vitā ſuā ſic injuſtè amittat? Hæ lacrymæ, iſta ſuſpiria nimiā præ ſe ferebant efficaciā, nedū ſenſibiliter non afficerent & intimè penetrarent corda Protoplaſtorum noſtrorū Adami & Evæ, qui pudore ſuffuſi reſpōdent illi in perſonâ noſtrâ & in favorem noſtrum, Fœmina potentiſſima illarū omnium quæ fuerunt unquā, per Filium tuū ipſa *contriviſti caput ſerpentis* a infernalis: in Filio tuo ſita eſt univerſa ſpes noſtra; intuemur te ut aſylū noſtrum, ut portum noſtrum inter procellas quibus exagitamur: habemus per te *fortiſſimum ſolatiū, qui confugimus ad tenendā propoſitā ſpem, quā ſicut anchorā habemus animæ tutā ac firmū* b Filius tuus ipſe ſolus eſt, à quo noſtram expectamus ſalutem, *Et non eſt in alio aliquo ſalus* c. *Mater Miſericordiæ, intercede pro nobis* d. *Ut Deus miſereatur noſtri: & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri* e. Si enim Filius tuus eſt Frater noſter, cùm *ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* f, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* g, nonne nos ſumus filii tui? ſi autem ita felices ſumus ut habeamus te Matrem, quomodo non compatieris infortunio noſtro? Si autem non ſinas ut Filius tuus mortem obeat pro nobis in cruce, de nobis actū eſt, *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* h. Nullus eſt è nobis qui poſſit unquam ad cœlum pervenire aliter, & nobis erit illud ſemper clauſum ut exulibus: noli igitur repellere preces noſtras, fac ut ce-

d Matth. 27. 46. & Pſ. 21. 2.
e Job. 2. 7.
f Ephes. 3. 18.
g Thren. 2. 13.
h Pſ. 90. 10.
i Job. 6. 13.
k Pſ. 141. 5.
l Matth. 26. 56.
m Luc. 1. 28.
n Job. 19. 21.
o Jo. 19. 34.
p Jo. 19. 16. & 12.

q Gen. 3. 6.
r Gen. 2. 17.
s Rom. 5. 12.
t Pſ. 68. 5.
u 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
x Pſ. 5. 5.
y Act. 10. 38.
z Matth. 5. 45.
a Eccleſia ex Gen. 3. 15.
b Hebr. 6. 18. & 19.
c Act. 4. 12.
d Eccleſia
e Pſ. 66. 2.
f Rom. 8. 29.
g Philipp. 2. 7.
h Jo. 11. 50.

ſub hujuſmodi eſcâ noſtram inveniamus ruinam. *Latet anguis in herba*, ut proverbium. Arma mundi ſottiliſſima ſunt blanditiæ, quæ magis ſunt attendendæ. Eva non ſeducta fuit à ſerpente, quòd illam ſolum cibi vetiti comedendi deſiderium inflexerit, aut quòd eam mandati Divini oblivio deſtituerit, ſed quòd ipſam pollicitæ magnitudinis ambitio illecebroſa â diabolo propoſita deceperit, *Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum* z.

z Gen. 3. 4. &c.

Sed eſto, concedere volo amicis mundi, quòd mundus præ ſe ferat aliquod lenocinium ſatis validum ad inducendos ipſos ad obſequium ſuum; confitebuntur tamen ipſi mihi, quòd voluptates, quibus afficit eos, quos amat, ſic ſunt exiguæ durationis, ut hæc ſola conſideratio brevitatis deliciarum ejus deberet ipſos invitare ad faſtidiendũ ſervitium ejus, & ad peragendum divortium cũ eo. Ita ſentit S. Gregorius *a* ſuper hæc verba Evangelii, *Appropinquavit Regnum cœlorum*, dicens, *Hoc jam, Fratres chariſſimi, etiamſi Evangelium taceat, mundus clamat. Ruina namque illius, voces ejus ſunt. Qui enim tot attritus percuſſionibus à gloria ſua cecidit, quaſi jam nobis è proximo Regnum aliud, quod ſequitur, oſtendit. Ipſis jam & à quibus amatur, amarus eſt. Ipſa ruina ejus prædicant quòd amandus non ſit. Si enim ruinam ſui domus quaſſata minaretur, quiſquis in illa habitaret fugeret. Et qui ſtantem dilexerat, recedere quantocius à cadente feſtinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur, opprimi volumus potiùs quàm habitare: quia nulla nos ratio à ruina illius ſeparat, quos ejus paſſionibus amor ligat.*

a S Greg. Hom. 4 in Evang. ex Matth. 10. 7.

Non me latet, & ſanæ conſonum eſt veritati, nunquam tam pravam fuiſſe aliquam cauſam, quam amplexi non fuerint aliqui Advocati. Dicunt amatores mundi, quòd ſuas mundus permanentes habet delicias, quæ jure merito devinciunt ſibi corda propriâ diuturnitate; & potenter attrahit ad voluptates ſuas. Fateor, quòd mundus ſua habeat lenocinia, nolo eum deſtimere amplexibus ipſius; ſed ſcio etiam eos eſſe ſimiles oſculis, quæ ſunt viæ ad crimina perpetranda. Nunquam mundus aliquod munus offert, aut blanditur alicui, niſi ad avertendum eum ab obſequio conditioni ſuæ congruo, & ad ſolicitandum illum ut terga vertat Deo: ideò jure merito applicare decrevi mercatori ita perfido emblema illius, qui pinxit hederam adhærentem arbori, quam alligabat, præ iſta ſpecioſa inſcriptione, *Amplectendo necat*. Mundus blanditiis ſuis mortem infert iis, quos majori ſimulat amore ſe proſequi; decipit & prodit, cùm videtur oſculari, ſicut *dixit Joab ad Amaſam, Salve mi frater: & tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum: porrò Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Joab; qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina ejus in terram, & mortuus eſt, nec ſecundum vulnus appoſuit* b. Similis eſt mundus ſcorpioni, qui quandiu magis blanditur cauda ſua, magis diſponit ſe eadem cauda percutere, & venenum ſuum diffundere. Jeruſalem, hæc magna & populoſa civitas veniens obviàm Jeſu, gaudio apparente exultans, parat ſe ad inferendam ei mortem ignominioſam æquè ac doloroſam, mutans hanc vocem, *Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis*: in iſtam, *Non habemus Regem niſi Cæſarem* c. Univerſa civitas fatetur eum Regem, totus populus ſe publicat vaſſallum illius, & tamen *amplectendo necat*, dicens, *Tolle, tolle crucifige eum* d.

b 2. Reg. 20. 9. & 10.

c Joan. 19. 16.

d Joan. 19. 15.

Revertere ad te, amator mundi, & cogita num ab eo meliùs excipiendus ſis, quàm ille, qui eum creaverat, qui eum non agnoſcit niſi diſſimulationibus, ut eum tradat realitatibus; & cujus omnes blanditiæ probationes ſunt malitiæ ipſius, ſi in nobis ſint oculi ſatis perſpicaces ad agnoſcendas ejus iniquitates. Nemo eſt qui ſtupore nõ percellatur, ſi cogitet de inconſtantia mundi, & de apparatu diſſimulato, quo excipit hodie Dei Filium intrantem Jeroſolymas; mente revolvendo quanta ſit diſſimilitudo ramorũ, quibus ſternitur à Judæis via, per quam incedit Jeſus Chriſtus; & crucis, quam illi parant, & cui brevi ſatagent illum ſuffigendum; quantùm diſcrepet hæc ceremonia, quà ſternuntur *veſtimenta in via*, ab ea, qua Chriſto exuto veſte ſuâ, ſors miſſa eſt ſuper eam, *ut Scriptura impleretur, dicens. Partiti ſunt veſtimenta mea & in veſtem meam miſerunt ſortem* e. Hinc S. Auguſtinus *f* apprehendit anſam monendorum noſtrî, ut attendamus nobis à blãditiis mundi, et illas ſemper habeamus ſuſpectas, quia medus illis inſtar hederæ no mundus *amplectendo necat*, dicens, *O munde immunde, fallax & proditor! nunquid non periculoſior es blandus, quàm moleſtus? nunquid non magis timendus es, dum allicis quàm dum ſpernis? nunquid non magis odiendus dum diligere diſſimulas, quam dum odire te oſtendis? O munde immunde, in te habitare & non dolere, impoſſibile eſt. In te ſperare, & non timere, vanum eſt. In te tua amare, & non periclitari, impoſſibile eſt.*

e Joan 19. 24. Pſ. 21. 19

f S. Aug. ſerm. 5 ad Frat. in Erem.

Quantùmvis propitio enavigemus hoc ſeculi mare vento, ſemper habemus unde jure merito tempeſtatem vereamur. Hiſtoriæ & eventus infauſti non ſinunt ut de hâc ambigamus veritate, quam familiari comprobamus etiam experientiâ. Hoc autem dico, ut excutiamus jugum ejus, & eruamus nos è captivitate ejus, cùm non ſtet promiſſis, per quæ ſe nobis alligavit mundus, Auditores. Satagamus igitur extricare nos citò ex imperio, dicam melius ex tyrannide illius, conſiderantes, quòd Deus exiguum nobis indulget tẽpus ad pœnitendum; mora eſt periculoſa, terminus eſt brevis; ſi eum labi ſinamus, actum eſt de ſalute noſtrâ, nec à vinculis ejus nos ampliùs diſſolvere poſſumus. Inſumamus ergo diligentiam, maximi res eſt iſta momenti, & vehementiſſimè ſpectat nos; elapſo termino nihil ampliùs peragendũ ſupereſt: irrita efficiamus omnia fœdera, quæ cum mũdo pepigimus, & per quæ nos obſtrinximus ei miniſtrare, ejus regulas obſervare, illius agẽdi modis adhærere, ne pœnitentia noſtra ſit nimis ſera, & fiat tempore, quo ex eâ nullum proficuũ nobis capeſſere poſſimus remediũ. Et licèt Deus nullũ pœnitẽtiæ noſtræ imponeret limitẽ, & nobis indulgeret totum vitæ noſtræ tempus, nunquid non timere ſemper debemus ne conſuetudo mutetur in alteram naturam, ita ut deinde illam non poſſimus infringere, & ab ea nos diſſolvere?

Suam Mathematici promunt ſententiam, ut oſtendãt amatoribus mundi, in quanto verſentur periculo vacare deliciis apparẽtibus ejuſdẽ mundi, & gloriæ imaginariæ, quã ipſi pollicetur, cõfidere, dicẽtes, quòd conſtellatio, quæ vocatur Corona, oritur tertia die Octobris, & eſt ſignum veluti infallibilibile tẽpeſtatũ, quibus impetuũtur ii,

qui explicatis velis mari ſe commiſerunt; tunc enim venti tantâ perflant rabie & violentiâ ut in diſcrimen vitæ nautas adducant: infauſtum eſt ergo præſagium cùm Corona ſplendet & emicat in mundo; ortus enim ejus eſt indicium tempeſtatum. Videte hanc veritatem in apparatu magnifico, quo Judæi excipiunt hodie Dei Filium Jeroſolymas ingredientem; terra veſtimentis & ramis arborum ſtrata, & aliæ hujuſmodi pompoſæ ceremoniæ fuerunt intinum præambulare tempeſtatis, quæ impetivit eum poſt quatuor aut quinque dies, poſtquàm hæc Corona fatali illum iu ortu ſuo illuminavit. Ille igitur præ ſe ſatis ſanam non fert mentem, qui deſiderat aſpectum aſtri ſic infortunati: propterà recedamus à gloriâ & vanitate mundi, cùm ſuos ad tantas infelicitates ducere ſoleat adoratores. *O munde immunde & ſi floreret, quid facerent amatores tui? Sed verè non flores, & ſtabilitatem nullam habes, ſed mella tua & dulcedo tua aſperitatem habent, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam lætitiam, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, & ſpem beatitudinis inanem!* exclamat idem S. Auguſtinus loco ubi ſuprà.

Idem dicit Medicina quod Mathematica & Aſtrologia: ſuſpectam quippe habet hominis ſanitatem, cùm ad ſupremum ſuum evecta eſt faſtigium; & perita non ignorat quòd *homo natus de muliere, nunquam in eodem ſtatu permanet* g. [g Job. 14. 1. & 2.] Et ideò morbum prædicit infallibilem, niſi citò hæc humorum ſymmetria diſſolvatur. *Athletarum ſummè firma corporis conſtitutiones periculoſa, ſi ad extremum progreſſa fuerint, neque enim eodem in ſtatu conſiſtere poſſunt, neque interquieſcere. Cùm verò non quieſcunt, jam in melius proficere haud poſſunt. Reſtat igitur ut in deterius vergant*, ait Hippocrates †. [† Hippocr. ſect. 1. aphoriſm. 3.] Cùm igitur id, quod eſt exquiſitiſſimum in mundo, nihil habeat conſtans & permanens, nihilque per conſequens quod ſit eo dignum, nunquid non iſtud, quod eſt homo, debet mundum contemnere ut ſuis indignum affectibus. Hæc eſt praxis ſapientiſſimorum quorumcumque hominum, qui recedentes à laqueis ejus, non aſpirant neque reſpirant niſi ad fruitionem filiorum Dei, ne ſuas impendentes operas in mundum, ſuum recipiant præmium in hoc mundo, & dicatur ipſis ad ipſorum confuſionem, ſicut diviti, *Recepiſti bona in vitâ tuâ* h. [h Luc. 16. 25.] Univerſa fluxa ſunt in mundo, laboremus ob æternitatem, quando Deus erit noſtra *merces magna nimis* i. [i Gen. 15. 1.] Cùm è contrà gloria mundi tranſeat, & omnis ejus ſplendor non ducat nos niſi ad præcipitia, *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Spera in Domino, & fac bonitatem* k. [k Pſ. 36. 1. &c.]

[II. Pars.] Suas impendant operas amatores mundi in mundum, quantùmcumque voluerint: ſed diſcipuli Jeſu ab eo ſibi attendant, cùm expectent alias mercedes ex triumpho & contemptu omnium vanitatũ ejus, ſicut de illis triumphavit, eaſque ſprevit ipſorum Dominus, qui pedibus proterit illius *veſtimenta*, eaque ſuis lacrymis irrigat veluti impedimenta ne perveniret ipſe ad gloriam Crucis ſuæ, quæ debebat eſſe thronus triumphi ipſius, & trophæum victoriarum, quas relaturus erat de mundo, de carne, de morte, & de diabolo, *Ego vici mundum* l. [l Joan. 16. 33.] *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne*, m. [m Oſee. 13. 14.] Sic provecturâ triumphi eligit aſellum, cui nullus unquam inſederat, *Invenietis pullum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit* n. [n Marc. 11. 2.] Animal iſtud indomitum ſignificat carnem inſolentem, quæ à nullo ſic unquam fuit ritè domita ac à Jeſu Chriſto. Pompa & faſtus veſtimentorum, ramorum arborum, quibus ſtrata erat via, oſtendunt contemptum divitiarum. Lacrymæ triumphatoris inter acclamationes totius iſtius populi, cujus excidium ipſe deplorat (*Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam* o) [o Luc. 19. 41.] docent nos, quòd blanditiæ mundi ſunt vigiliæ alicujus infortunii. Oportet igitur ut veluti generoſi athletæ adhærentes exemplo Domini noſtri, contemnamus id omne, de quo mundus gloriatur, ipſumque pedibus proteramus: ut triumphemus de illo, & de omnibus vanitatibus ejus, ſtare debemus è partibus Dei medio bello aperto, quod indicemus mundo; niſi enim contemnamus unum, noſtra non poterimus exhibere alteri obſequia, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ* p. [p Matth. 6. 24.]

Ut victores evadamus ex hoc prælio, obſervandus eſt nobis modus vincendi & triumphandi Filii Dei. Jeſus Chriſtus promiſcuè & indiſcriminatim pedibus calcavit quæcumque habuit obvia, nedum rationem haberet pretioſorum quorumcumque veſtimentorum: in hoc enim ſita eſt aſtutia diaboli, ut conſulat mundo ut præ noſtris ponat oculis id quod habet ipſe ſpecioſiſſimum, ut allectis nobis lenociniis iſtis & ſpecioſis apparentiis de noſtrâ ſic ipſe triumphet infirmitate. Hæc *veſtimenta*, hæ pulchritudines, iſta omnia objecta non ſunt niſi ſpecies exteriores, quæ per noſtrã tranſeunt phantaſiam, quia, juxta Philoſophiam, *oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata*. Exteriores iſtæ ideæ validiſſimè acuunt appetitum ad inquiſitionem & fruitionem ſuam ſub illâ falsâ & doloſâ credulitate, quòd ſub ipſarum lenociniis aut eſcâ nullus delitеſcat hamus, & quòd omnia non ſint niſi ad ſublevandam naturam: & ſic appetitus, qui proprio ſuo pondere vergit ad ruinam ſuam, inclinat voluntatem, & inducit illam ad conſenſum, qui facit totum peccatum in iſto commercio. *Unuſquiſque tentatur, à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* Et, quod pèjus eſt, *Peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem* q. [q Jacob. 1. 14. & 15.]

Siſara Dux militiæ Jabin Regis Chananæorum ſub ſpecioſis iſtis apparentiis mortem invênit. Nam poſtquàm *perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus ejus, univerſamque multitudinem in ore gladii ad conſpectum Barac: in tantum ut Siſara de curru deſiliens, pedibus fugeret, & Barac perſequeretur fugientes currus, & exercitum, & omnis hoſtium multitudo uſque ad internecionem caderet: Siſara fugiens pervênit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Erat autem pax inter Jabin Regem Azor & domum Haber Cinæi. Egreſſa igitur Jahel in occurſum Siſaræ, dixit ad eum, Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas. Qui ingreſſus tabernaculum ejus, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam, Da mihi, obſecro, paululum aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitque Siſara ad eam, Sta ante oſtium tabernaculi: & cùm venerit aliquis interrogans*

to,

& illum ſacrificaſſet, ſi defuiſſent carnifices: *Parata enim ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris*, ait S. Hildephonſus †. Ut intelligatur iſtud, obſervandum eſt quòd D. Matthæus k faciens genealogiam B. Virginis, facit illam deſcendere ex Abrahamo, & ex Davide, *Liber generationis Jeſu Chriſti Filij David, filij Abraham*, &c. Quare hoc? Mementote illius quod contigit Abrahæ, qui eſt *Pater omnium credentium* l. Deus ait illi: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum. Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam* m. Sed quomodo? *Et non infirmatus eſt fide: nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ: ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere* n. *Viſitavit autem Dominus Saram. Concepitque & peperit filium in ſenectute ſua. Vocavitque Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac. Dixitque Sara, Riſum fecit mihi Deus* o. Abraham unicum habet iſtum filium, qui eſt cauſa riſus, ſeu gaudii domus ipſius, & tamen Deus illi præcipit ut illum ſibi ſacrificet, *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens* p, &c. diſponit ſe ad immolandum filium ſuum, ut obediat voluntati Dei. B. Virgo eſt filia Abrahæ, cùm juxta D. Matthæum deſcendat ex hoc Patriarchâ, *qui contra ſpem in ſpem credidit* q. Cùm ait Angelus ei, *Maria, Ecce concipies in utero, & paries Filium* r; ipſa credidit, *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et beata, quæ credidiſti* s. Videns igitur quòd voluntas Dei erat ut ipſa hunc riſus *Filium, unigenitum Iſaac in holocauſtum* offerret, ipſa conſentit, ipſamet illum offert voluntate, & ſimul ſemetipſum cum illo immolat, & ſicut filia David dicit Deo ſicut iſte Pater ſuus, *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* t.

† S. Hildeph. ſerm. 2. de Aſſump.
k Matth. 1. 1. &c.
l Rom. 4. 11.
m Gen. 15. 5. & 6.
n Rom. 4. 19. &c.
o Gen. 21. 1. &c.
p Gen. 22. 3. &c.
q Rom. 4. 18.
r ex Iſai. 7. 14.
s Luc. 1. 30. &c.
t Pſ. 56. 8.

Mulierem fortem reverâ! Aliàs inventæ ſunt mulieres generoſæ aliquæ, Machabæorum *mater mirabilis, & Bonorum memoriâ digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem quam in Deo habebat: ſingulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter* u. Et D. *Symphoroſa Tiburtina, Getulij Martyris uxor*, quæ *ex eo ſeptem filios peperit, qui omnes propter Chriſtianæ fidei profeſſionem unà cùm matre, Adriano Imperatore comprehenſi ſunt*: hæc, inquam, *mater quæ filijs magiſtra fuerat, Dux eiſdem ad martyrium extitit* x. B. Virgo eſt fortior & conſtantior illis matribus, cùm facta Mater omnium fidelium ſuper monte Calvariæ per hæc verba Filii ſui morientis, *Mulier, ecce Filius tuus* y, ipſa ſacrificet Filium ſuum naturalem pro filiis ſuis adoptivis ſalvandis: ipſa eſt igitur fortis, & conſtans, *Stabat juxta crucem Jeſu, Mater ejus*. Compatiamur doloribus ejus, Auditores, exhibeamus nos ei comites paſſionum ipſius: iſtud eſt quod ei maximè placet, ſicut ipſa dicitur id aliquando revelaſſe B. Birgittæ, quærens de oblivione Chriſtianorum, qui in meditationibus ſuis nunquam recogitarent dolores ipſius, ſed ſiſterent in myſteriis ipſius glorioſis, & quòd ipſa mallebat ut incumberent illi meditandis myſteriis ipſius doloroſis; & quòd animæ meditantes ipſius myſteria doloroſa, erant veluti ſpecioſa & fidelia ſpecula quæ ipſam verè repræſentabant, in quibus ipſa ſe intuebatur præ ſatisfactione, ſicut mulieres intuentur ſe in ſpeculis ipſas ritè repræſentantibus, & in quibus ipſæ ſeipſas adorant, inſtar Narciſſi. Compatiamur igitur ei, exprimamus in nobis dolores illius; adeò dico vobis de Matre id, quod D. Paulus ait de Filio, *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu* z. *Si compatimur, ut & conglorificemur* †. Diſcamus ab eâ conformare voluntatem noſtrâ voluntati Dei, velle id omne quod Deus vult, quomodo vult, & quando vult, pati æquanimiter, exinanire nos, ſi velimus ut ipſe aliquando nos elevet ad gloriâ.

u 2. Mach. 7. 20. &c.
x Eccleſia in Legendâ D. Symphoroſ. 18. Julii.
y Jo. 19. 26.
z Philipp. 2. 5.
† Rom. 8. 17.

DOMINICA PALMARUM.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum.
Matth. 21. 5. &c. ex Iſai. 62. 11. & ex Zach. 9. 9.

ILle, qui verâ & Chriſtianâ præditus eſt ſapientiâ, ſuam metiri & moderari debet vitam ad principia oppoſita illis principiis, quorum curſus eſt uſitatus in mundo, cujus maximæ & regulæ contrariæ ſunt pietati & innocentiæ, quæ decet eos qui fidem Jeſu Chriſti profitentur; & improperio invehi generali in illud omne, quod ex hoc malo oritur principio, ut nullo modo fortunæ declinationem ſubiens, ei arma eripiat offenſiva, & per conſequens ab eâ omnia media quibus illa ipſi nocere poſſit, auferat. Propter hanc rationem referuntur ab hiſtoriis Heliopoli in Ægypto Sacerdotes Solis aluiſſe taurum, cujus pili naturaliter erant præpoſteri, & oppoſiti ſitui aliorum, qui eos deferunt versùs caudam tendentes & inclinatos, quaſi innuerent, quòd Sol, qui eſt verum ſymbolum hominis vitæ probatæ, motum peragit ſpecialem, & contrarium curſui reliquæ maſſæ cœlorum. Sacratiſſima Virgo Deipara perfectiſſima omnium hominum (ſi excludatur *Verbum caro factum* a in viſceribus ejus ſanctiſſimis) imitata eſt iſtud ſpecioſum *luminare majus* mundi, *ut præeſſet diei* b gratiæ; cùm peragens ſemper curſum ſanctitatis, *tota pulchra, & ſine maculâ* c, nunquam fuerit immerſa vitio communi filiorum Adæ, *in quo omnes peccaverunt* d: &, *A primo homine uſque ad noviſſimum protenditur, & in ſingulis quoque à plantâ pedis uſque ad verticem* e *diffunditur hoc venenum*, ait D. Bernardus f, loquens de peccato originali: ſed ipſa fuit ſemper pura ab ipſo conceptionis ſuæ momento, ſicut etiam cùm Genitrix Dei effecta eſt. *Angelus* g illam talem prædicat in ipſius annunciatione, & nos iſtam confirmamus veritatem verbis ejuſdem Angeli dicentis ei, *Ave Maria.*

a Jo. 1. 14.
b Gen. 1. 16.
c Cant. 4. 7.
d Rom. 5. 12.
e ex Iſai. 1. 6.
f D. Bern. Fer. 4. Hebdom. Pœnos.
g Luc. 1. 26. &c.

Digitized by Google

te, & dicens, Nunquid hîc eſt aliquis? Reſpondebis, Nullus eſt. Tulit itaque, Jahel clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa abſcondité, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: qui ſoporem morti ſocians defecit, & mortuus eſt r. Iſtud docet nos, Auditores, ut nunquam ſiſtamus in apparentiis exterioribus mundi. Omnes blanditiæ ejus nobis debent eſſe ſuſpectæ, ſi in nobis vigeat adhuc aliquis radius rectæ rationis. His pulchritudinibus & ſpeciebus apparentibus nihil aliud intendit mundus niſi excidium noſtrum, quale molîta eſt hæc mulier perfida huic Duci exercitus operturâ illius pallii, quod fuit pannus illius funebris, quandiu ipſe confiſus eſt melleis ſermonibus mulieris hujus inimicæ, quæ ſub ementitâ ſpecie amicitiæ & hoſpitalitatis, mortem ipſi intulit, ſimulans ſe ipſi voluiſſe vitam conſervare. *Ecce mundus fallit, & fidelis reputatur; occîdit, & velut vita deſideratur; flectit, & amplectitur*, exclamat S. Auguſtinus s. Felices nos ſumus, ſi aliorum infortunia ſint inſtructiones noſtræ, ſi illorum caſus ſit noſtra ſuſcitatio, & ſi illorum impenſis ſapientes evadamus,

r Judic. 4. 1 … &c.

s S. Aug. ſerm. 11 ad Frat. in erem.

Felix, quam faciunt aliena pericula cautum.

Objecta alliciunt oculos, oculi illabuntur ad ſenſus, ipſi ſenſus decipiunt voluntatem, inducentes eam ad proſequendum bonum quod non eſt bonum niſi apparenter, & quod tamen cauſat malum realiter.

Eodem deceptus eſt Giezi diſcipulus Eliſei dolo. Ob magnam familiaritatem quam contraxerat cum Domino ſuo, illius virtutem patrandorum miraculorum ſibi effecerat communem aliquâ ratione: propterea mundus qui ſemper alienæ invidet felicitati, ſuſtinere non potuit virtutis naſcentis ſplendorem, unde elevati potuiſſet diſcipulus ad poteſtatem Domini ſui, & ideò aggreſſus eſt eum, poſuitque ab oculos ejus decôrem ſpecioſum duplicis veſtimenti: nimirum cùm Eliſeus Dominus ejus, recuſaſſet accipere pretioſas veſtes, quas attulerat Naaman è Syriâ ad agnoſcendum beneficium ſanitatis, quâ donatus ipſe fuerat à Prophetâ; Giezi qui tantâ non erat præditus virtute, quantâ Dominus ipſius, ſed è contrà avaritiâ æquè ac ambitione ductus *duo talenta argenti, & duplicia veſtimenta* duabus accepit manibus, admiratus divitias & induſtriam elaborationem hujuſmodi veſtium: quod ſciens Eliſeus, lepram Naaman Syri illi imprecatus eſt in ultionem criminis ipſius, *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, uſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix* t.

t 4. Reg. 5, 15 &c.

Ne igitur, Auditores, de noſtris ſua peragat mundus trophæa ſpolia, neve de noſtris triumphet ruinis, noſtris gloriando diſpendiis, & noſtram irridendo ſtultitiam, adhæreamus exemplo Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui de eo glorioſum refert triumphum, & pedibus conterens omnia *veſtimenta*, quæ ipſi offert, pergit victoriâ nitens, & gloriâ onuſtus ad crucem. Omne igitur, quod mundus nobis præſentat, indignum ſit quod noſtra concilîet ſibi corda, & noſtros poſſideat affectus; cùm omne illud, quod noſtris intuendum exhibetur oculis, nihil præ ſe ferat ampliùs quàm apparentiam exteriorem, & ſplendorem fallacem, quibus ſublatus nihil in eo ſupereſt, quod noſtras ſibi devincire queat admirationes; cùm illud omne nihil ſit niſi ſpolia animalium, pelles beſtiarum, & excrementa vermium, quæ nobis horrorem cauſarent, niſi opinio hominum ea nobis redderet pretioſa. Tandem, Mundus totus ſimul, & quidquid eſt in eo magnificentiſſimum, noſtris ſatisfacere non poteſt affectibus & deſideriis. Videte hanc veritatem comprobatam in Alexandro Magno, qui lacrymas effundit poſt victoriam de eo reportatam, audiens à quodam Philoſopho, quòd daretur etiam alter mundus. Eſt igitur à nobis contemnendus mundus, ſi pervenire velimus ad delicias cœli, & communicare triumpho Jeſu Chriſti. Hoc ita ſenſit, & exercuit Moyſes; ſed iſtud etiam invexit in eum omnia beneficia ſingularia, quibus Deus illum cumulavit, *Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem* u. Re autem verâ iſtud fuit indicium magni animi, cùm Moyſes adhuc puer pedibus contrivit diadema Regium, quod Pharao cum ipſo ludens, capiti ipſius impoſuerat: hoc erat præludium eorum, quæ peracturus erat vir perfectus, cùm egreſſurus erat è terrâ ſuâ natali, & contemnens delicias Curiæ, perrecturus erat in deſertum, ubi voluptatibus ſolitudinis perfuſus, & ſacris cogitationibus futuræ nativitatis Meſſiæ, cujus flammis cor ipſius accenſum erat, foret ad Deum exclamaturus, *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es* x. Et ſic adhæſit Chriſto, cùm exiit è mundo, & è vanitatibus ejus.

u Hebr. 11 24. &c. ex Exod. 2. 11. &c.

x Exod. 4 13.

Recenſetur quidam è Regibus Angliæ allectus exemplo eximio hujus Ducis populi Iſraelitici, ſuam dereliquiſſe coronam, valedixiſſe mundo, ut meliùs adhæreret & ſerviret Jeſu Chriſto, ſuumque diadema impoſuiſſe capiti hujus Crucifixi, dicens, quòd res probroſa foret aſciſcere ſibi gloriam, quam tot diverſis conciliaverat ſibi hic Dei Filius titulis; & deinceps noluiſſe unquam uti hoc faſtu, memor auguſtorum verborum iſtorum Triumphatoris, *Confidite, ego vici mundum* y. Si autem infletur aliquis vanitate, quaſi referens ſpolia de mundo, ſi trophæa ſua agat de omnibus iſtis ineptiis, nonne re verâ conſcius eſt inſipientiæ, cujus inſimulatur Caligula, qui inſanâ ductus ambitione triumphandi, egreſſus Româ cum ingenti exercitu, perrexit ad litus maris, ibique ordinatis ſuis ſubditis, quaſi certamen eſſent inituri cum hoc elemento, quod deridebat minas ejus, nihil aliud peregit niſi quod coacervandas juſſit aliquas conchas, quas mare ad ſuum præ deſpectu projiciebat litus, & cum hac mirabili victoria ingreſſus eſt Romam cum omnibus apparatibus gloriæ & univerſis acclamationibus, quibus excipi triumphator conſueverat, quaſi de hoſte triumphaſſet fortiſſimo, & glorioſiſſima ejus abſtuliſſet ſpolia. Ha qualem inſaniam, cùm hæc anſam ridendi ſubminiſtraverit omnibus Principibus, & omnibus mente ſanis inſipientiam ejus! Heu intolerabili percuſſi cæcitate mundani, qui ore aperto inhiatis vanitatibus mundi; nunquid non eâdem perciti eſtis vos inſipientiâ, nedum tamen exiſtimetis eidem vos obnoxios defectui, & ejuſdem privationis rationis conſcios eſſe? *Filii hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium* z? cùm eidem praxi vacetis. Utinam memores eſſetis conſuetudinis, quæ vigebat aliàs in florentiſſima

y Joan. 16 33.

z Pſ. 4. 3.

ma civitate Roma, qua Senatus expreſsè prohibuerat, ne honores triumphales decernerentur niſi illi, qui priùs quinque millia hominum partis adverſæ internecione deleviſſet, & novam Provinciam Imperio Romano adeptus eſſet. Utinam iſtud ſenatusconſultum vim haberet etiam in noſtra politia morali, & nemo admitteretur ad honorem triumphi, niſi poſt mandatum executioni id, quod exigebat Senatus. In eo duas obſervo conditiones. Prior ſpectat numerum quinarium. Poſterior verò victoriam requirit. Oportet ergo ut prævaleamus ſuper quinque ſenſus externos, per quos ingreditur ad nos interitus, niſi illos mortificemus, *Quia aſcendit mors per feneſtras noſtras* a. Sed heu quàm pauci inveniuntur! Non opus eſt ut parentur honores triumphales, cùm nemo fortaſſis ſit illos meriturus. Senſus triumphant de unoquoque, & omnes proſternont; circumquaque pervadunt, & nullam aut exiguam inveniunt reluctantiam. Heu! omnis ſanctitas hodierna eſt tantùm exterior, tota virtus non eſt ſita niſi in labiis, *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me* b, ut queritur Deus. Univerſa pietas, quæ exercetur ab hominibus, utplurimùm ſimilis eſt *ſepulchris dealbatis* c. Et ideò utſic hypocryſis, dolus, & non ſanctitas eſt. Si autem interrogemus etiam hos ambitioſos ductos cupiditate triumphandi, num debellaverint & de novo addiderint aliquam Provinciam imperio Dei; nonne examen iſtud confuſione & pudore facies illorum operiet? nunquid non habebunt unde erubeſcant, videntes ſe adhuc mundi tyrannide oppreſſos, ſeque nondum catenas illius dirupiſſe? Quis autem è nobis, Auditores, non eſt adhuc ſuarum vento agitatus vanitatum? Neſcio utrùm ſit aliquis qui Provinciam ſuam, id eſt, Animam ſuam ut decet Deo conſecraverit, quod maximarum debet eſſe occaſio effundendarum lacrymarum, nedum captetur fumus auræ popularis, vanitatis, & ambitionis. Ne autem animo excidamus ſpectare Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum quantùm ad triumphum ipſius, mente revolvamus ejus labores, agonem illius attendamus, ut ingredientes idem ſtadium, eandem mereamur comparare nobis coronam. Iſtud conſilium ſalutare ſubminiſtrat nobis Apoſtolus d, dicens, *Ideòque & nos deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen; aſpicientes in Authorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ.* Quòd mundus fuerit inimicus Jeſu Chriſti; quòdque eum ad ſupplicium crucis ignominioſum æquè ac doloroſum damnaverit, parùm intereſt, cùm univerſa rabies Judæorum, & tota inferni malitia nihil detrahere potuerit gloriæ illius: Sed iſto uſus eſt ipſe opprobrio tanquam ſcalâ ut aſcenderet ad faſtigium altiſſimum honorum, quos poſſidet in cœlo, quia contempſit eos in terrâ. Re autè verâ lacrymas fundit, ut jam audiſtis, inter hos magnificos apparatus, quos mundus agit die triumphi ipſius, cùm ſciat hunc diem eſſe vigiliam funeſtæ ſuæ mortis imminentis, & iſtum apparenter ſpecioſum diem cauſaturum brevî hanc furioſam tempeſtatem, *Tolle tolle, crucifige eum* e. Hæc lectio dirigitur ad nos, quos docet, ut attendamus nobis à blanditiis mundi, quia, ut diximus ſuprà, inſtar hederæ *amplectendo necat*. Temperanda ſunt ſen. per noſtra gaudia aliquâ cogitatione luctus, qui ea ſequitur, aut ſequi poteſt: re enim verâ gaudium reproborum eſt validum argumentum proximæ & imminentis triſtitiæ dignæ fletibus, ſi infortunium illorum tantâ non percuteret eos cæcitate ut ignorarent veritates ita manifeſtas, & quas ipſis licèt quotidianâ comprobare experientiâ. Videte illius ſucceſſum in civitate Jeroſolymitanâ gaudio exultante immodico, & diem feſtum agente in recipiendo Salvatore ſuo, quem intra dies paucos patibulo ſuffigendum debet ſatagere: nihilominùs Jeſus *ut appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam* f, è malis præmiſſis eruens certas, ſed funeſtas conſequentias. Proprium eſt miſeris gaudere in miſeriis ſuis, cùm earum non agnoſcant infelicitatem: & hoc eſt imitari ſtultos illos, qui regnum acceptabant præ hâc durâ conditione, quòd expleto anno æquè ac regno ſuo internecione forent delendi. Cæcitatem ſanguineis deflendam lacrymis!

Lacrymæ inſignium iſtorum pœnitentium qui plorant quandiu contemnunt vanitates mundi, comparant ipſis nova loca, & aſſociant ipſos triumpho Jeſu Principis ipſorum. Hanc confirmat Moyſes veritatem, mentionem peragens ſtationum populi errantis in deſerto, *Venerunt in Elim filii Iſrael, ubi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtra metati ſunt juxta aquas* g. Ubi obſervate, ſi placet, quomodo aquæ ſocientur palmis, nimirum quanam ratione lacrymæ & triumphi ſint inſeparabiles. Anima Chriſtiana memorare igitur, nihil eſſe quod triumphet meliùs de mundo, & quod glorioſiora erigat ſpolia ſuper ruinas ejus, quàm fletus & lacrymæ contemptus ejus: lacrymæ in tuam revocabunt memoriam peccata tua præterita, & vitam tuam criminoſam, ſed ad purgandam eam, ſanctificandam, & reddendam omnigenarum virtutum fructibus fertilem. Nihil præ ſe fert mundus quod ſit gloria dignum, niſi judicium hominum ſemper doloſum honorabilem in mente ipſorum præberet ei locum, quem non poſſidet niſi in eorundem hominum opinione, quia nihil habet firmum & ſtabile.

Ideò, Auditores, jure merito debemus eò majori ardore conciliare nobis æterna, quò advertimus velociùs deſeri nos à temporaneis. *Ecce mundus qui diligitur, fugit*, ait S. Gregorius h. Si autem allegetis, quòd in vobis non eſt ſans virium ad imitandum Jeſum Chriſtum, qui eſt *Sanctus ſanctorum* i, in deſpiciendo mundo, auſcultate quid ſtatim ſubdat idem S. Gregorius, *Sancti iſti, ad quorum tumbam conſiſtimus; florentem mundum mentis deſpectu calcaverunt. Erat tunc vita longa ſalus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturnâ pace: & tamen cùm in ſeipſo floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam mundus in ſeipſo aruit: & adhuc in cordibus noſtris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur: & tamen cæcâ mente carnalis concupiſcentiæ, ipſas ejus amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur quem cadentem tenemus. Penſate ergo quia nulla ſunt, quæ temporaliter currunt. Hæc ergo, Fratres chariſſimi, ſolicitâ conſideratione penſate: in æternitatis amore cor figite, ut dum terrena culmina adipiſci contemnitis; perveniatis ad gloriam, quam per fidem tenetis.* Si ſalutari huic adhæreatis conſilio, ſpernetis id omne, quod maxi-

mi

a Jer. 9, 21.
b Matth. 15, 8. ex Iſai 29. 13.
c Matth 23. 27.
d Hebr. 12, 1. & 2.
e Joan. 19. 15.
f Luc. 19. 41.
g Exod. 15. 27.
h S. Greg. Hom. 28. in Evan.
i Dan. 9. 24.

mi mundus æſtimat, pro certo tenentes, quòd illi qui immodicâ ducti ambitione immortale nomen ſuum reddere ſatagunt in terrâ, nunquam felicitate potientur, cujus trophæa ſolis conceduntur victoribus, *Vincenti dabo manna abſconditum* k. Iſtud eſt, quod valdè pugnantibus & vincentibus mediâ gratiâ, rependitur ut merces in gloriâ.

k Apoc. 2. 17.

FERIA V. IN COENA DOMINI:

Ante diem feſtum Paſcha, ſciens Ieſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, Ioan. 13. 1.

HÆc ſunt verba diſcipuli, *quem diligebat Jeſus* a, quibus docet nos continuationem Divinæ dilectionis erga nos; quæque tot ſunt ſagittæ quæ noſtra ſauciare poſſint corda, ut teſtatur Sponſa, *Amore langueo* b. Seu, *Vulnerata charitatis ego ſum*, ut vertunt LXX. Et tot carbones ardentes ad ea accendenda, niſi propter nimiam eorum frigiditatem, & ob immodicam illorum duritiem, quâ ſint indurata *tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* c, ſtricta, reſiſtentiam inveniant. Iſta verba inouunt, nos pertinere totos ad Deum, præſertim verò ſacratiſſimam Virginem Genitricem ejus, quæ licèt ſit tota ei conſecrata, non eſt minùs nobis intenta, ſed de nobis eſt ſolicita, quia, cum ipſius *venit Filius quærere & ſalvum facere quod perierat* f, volens ipſa occurrere neceſſitati, & confuſioni quâ operienda erat facies ſponſorum recentium Canæ in Galilæâ, ob defectum vini, *dicit ei, Vinum non habent. Et dicit ei Jeſus, Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea* g. Sanctiſſima Virgo, indigeo auxilio tuo, infirmitates meas ſubleva, nedum ſimiles verearis excuſationes à Filio tuo tibi propoſitas, *Nondum venit hora mea*: cùm modò advenerit, *Sciens Jeſus quia venit hora ejus*. Efflagita audacter, & tuarum impetrabis effectum ſupplicationum, ſicut ego meorum adipiſcar finem conſiliorum, poſtquàm tibi dixerimus, *Ave Maria.*

Verbum Divinum, quod ipſo indiviſibili beatæ æternitatis ſuæ, quæ *eſt tota ſimul*, juxta Theologiam, momento concipitur à Patre, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* h, qui ſinus eſt fornax ardens & accenſa dilectione; *ubi venit plenitudo temporis* i, *caro factum* k in ſinu Virginis Deiparæ, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis* l, non poteſt quin flammas producat charitatis, ut verus & legitimus Filius caſti amoris. Propterea voluit antiquitùs apparere ſub formâ ignis, ut cùm Moyſi *apparuit in flammâ ignis de medio rubi* m: ita ut vocaretur ignis, *Deus tuus ignis conſumens eſt* n. Ut oſtenderet nobis, quòd veniens in hunc mundum ſub tegumento noſtræ naturæ infirmæ, accenderet nos igne iſto, cùm omnia opera ejus futura eſſent amoris opera, præſertim verò opus ſui tranſitus *ex hoc mundo ad Patrem*. Hæc enim admittitur differentia inter motum naturalem & violentum, quòd iſte fortis eſt ab initio, ſed paulatim minuitur, deficit, & perit, ille verò quò magis progreditur, eò magis etiam roboratur, ſive propter minorem reſiſtentiam quam invenit, ratione influentiarum, quæ ipſi ſunt adjumento, plures habens virtutes prope centrum; ſeu ratione ejuſdem centri, ſi verum eſt, quod habeat virtutem attractivam, ut multi aſſerunt. Amor

a Joan. 21. 20.
b Cant. 2. 5.
c Job 41. 15.
f Luc. 19. 10.
g Joan. 2. 3. & 4.
h Joan. 1. 18.
i Gal. 4. 4.
k Joan. 1. 14.
l Eccli. 24. 24.
m Exod. 3. 2.
n Deut. 4. 24.

noſter & motus iſte, quem dirigimus ad Deum poſt peccatum, eſt veluti violentus, unde fit ut fervor ejus tepeſcat citò: ſed amor, quo erga nos Deus afficitur, eſt amor naturalis, unde oritur ut in progreſſibus ſuis ſemper ſit fortior: & ſicut Sol materialis quò magis progreditur ad ſuum meridiem, eò majorem diffundit lucem & calorem; ita etiam myſticus *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* o ubi *in Sole poſuit tabernaculum ſuum; & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio ejus; & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, ait Pſalmiſta p. Et ipſemet apud S. Joannem q, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Amavit nos in æternitate, *In charitate perpetua dilexi te* s. Amavit nos in tempore, amavit nos in vitâ ſuâ, ſed magis in morte ſuâ, *Sciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Ne autem aliquid afferam ſine probationibus, incipio vobis oſtendere, Quomodo Chriſtus majores dilectionis ſuæ notas in morte ſuâ nobis exhibuerit.

Tantâ erga nos affectus eſt Dei Filius dilectione, ut dies ſuos feſtos auguſtiſſimos & ſolemniſſimos peregerit, cùm ſenſibiliores amoris ſui probationes nobis exhibere potuit, *Ante diem feſtum Paſcha*, qui erat vigilia illius, quo crucis patibulo ſuffixus fuit, quique fuit ipſi verus dies Paſchalis, ratione magni deſiderii, quo ferebatur, exhibendi nobis amoris ſui præ effectibus, qui ſunt paſſiones & tolerantiæ, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar* t. Sicut cùm aliquem diligimus, maximâ afficimur oblectatione, cùm offert ſe nobis occaſio probationum exhibendarum illi amoris ejus, quo eum proſequimur. Dei Filius ſemper concupierat perpeti propter amorem noſtrum, & ab inſtanti Conceptionis ſuæ in utero beatiſſimæ Virginis Genitricis ſuæ, ſuſpirabat ad ultimum vitæ ſuæ momentum ſuper arbore crucis conſummandum; & *quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum* y; *& ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui* z; ille ad ſe refrigerandum, & iſte ut finito labore ſuo perfundatur conſolationibus; ita Filius Dei præ oculis mentis ſuæ ſemper habebat poſitum motivum ſuæ commiſſionis, quæ non erat alia niſi ſalus hominum promovenda; conſolatione cumulatur cùm cogitat de morte ſuâ, quæ eam eſt conſummatura: & quia dies Nativitatis ſuæ erat illius initium, more gigantis velocibus properabat greſſibus ad conſummandum citiùs curſum ſuum, & ad conſequendum deſideriorum ſuorum terminum,

o Eccleſia ex Malach. 4. 2.
p Pſ. 18. 6 & 7.
q Joan. 12. 32.
s Jer. 31. 3.
Propoſitio.
t Luc. 22. 15.
y Pſ. 41. 2
z Job. 7. 2

a Pſal. 18. 7.

Exultavit ut gigas ad currendam viam a. Sua vult exequi citò conſilia, & operi mandare promiſſum ſuum, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia; & ungatur Sanctus ſanctorum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus* b. Velociter vult homines redimere, & nihil ipſi planè ſatisfaciet, donec iſtud *opus in medio annorum notum* c fecerit, & perfecerit, quod eſt maximi momenti quoad operandam ſalutem noſtram, & vehementiſſimè ab ipſo concupitum. Memoria & approximatio illius ipſum lætificant, ſicut dilatio & mora ejus erat cauſa tædiorum ipſius. Cur autem exiſtimatis eum fundere lacrymas, & vagitus edere naſcendo? Sanè quia ſitus ille, in quo tunc eſt, non eſt conformis illi, quem habiturus eſt in Cruce, ubi maximum ſuum exhibere nobis debet amorem, & conſummationem illius: ipſum tædet videre ſe remotum ab hoc termino, ad quem ſummo anhelitu incipit ſuſpirare, quamdiu

b Dan. 9. 24. & 26.
c Haba. 3. 2.

Vagit Infans inter arcta
Conditus præſepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat d.

d Eccleſia ex Luc. 2. 7. in Paraſc.

Dies paſſionum ejus eſt dies ipſius Paſchalis, quo nobis meliùs ſuam exhibet dilectionem: tunc enim Sol iſte Divinus adeptus meridiem ſuum, meliùs ſuos diffundit radios, & majorem nobis communicat calorem, quandiu ſenſibiliùs ſuſcipiendam nobis exhibet dilectionem ſuam.

Ha! Auditores, quantus amoris exceſſus! Dei Filius vocat horam mortis ſuæ horam ſuam, *Sciens Jeſus, quia venit hora ejus. Id eſt, quod tempus ſuæ paſſionis Divinitùs præſtitutum de proximo immineret*, ait Dionyſius Carthuſianus e. Quod miro extollit modo amorem illius erga nos, cùm hâc horâ ultimâ, quæ tota debebat eſſe illi conſecrata, ut eſt conſuetudo hominum morientium cogitandi de negotio ſuo, & obliviſcendi omnium terrenorum, ut meliùs intendant ad id, quod *porrò unum eſt neceſſarium* f, nimirum ad operandam ſalutem ſuam; è contrà Cor iſtud Jeſu totum amans, oblitum eorum quæ ipſius erant, non cogitet niſi de nobis, iſtâ eâdem horâ, quam ſuam vocat, & totam nobis impendit, totamque noſtram facit; etiamſi magnam haberet anſam arripiendam obliviſcendi noſtrî tunc cùm *rebelles lumini* g gratiarum, quibus ipſum præveniebat nos *in benedictionibus dulcedinis* h, præ intolerabili ingratitudine validiſſimè adverſabamur amori ejus, ipſum mirabili conſilio ardentiores vibrabat flammas ad meliùs accendendum cor noſtrum, glaciei inſtar conſtrictum, ſibique devinciendum. Propterea ſalutis efficitur veluti proditor Filius Dei, ut meliùs medeatur noſtræ, *In quâ nocte tradebatur, accepit panem* i, &c. Nos eum tradimus, ut ei mortem inferamus, ipſe verò tradit ſe, ut vitam nobis impertiatur præ amore, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* k. Omnia tradit Dei Filius quæ habet. In Cœnâ Corpus & Sanguinem ſuum ſuis tradit diſcipulis. In horto reſtituit aurem Malcho vulnerato, *Jeſus cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum* m. In palatio Caiphæ indulgentiam tribuit S. Petro, qui ipſum negaverat, *Et converſus Dominus reſpexit Petrum* n. In cruce Matrem ſuam dilecto diſcipulo ſuo, *Dicit diſcipulo, Ecce mater tua* o. Paradiſum Dimæ, ſeu bono Latroni, *Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiſo* x. Et ſalutem toti humano generi. O fortunatam horam, & totam noſtram, cùm impendatur tota ad utilitatem noſtram in diſpendium vitæ ipſius Salvatoris! *Sciens Jeſus quia venit hora ejus.* Quòd nimirum horologium pulſaſſet horam, quâ ipſe ſatisfacturus erat Patri æterno pro peccatoribus, & reſtituturus mundum in ſtatum priſtinum, è quo exierat; nam *formavit Dominus Deus hominem* y hunc microcoſmum ut ſpecioſum horologium, quod eximiâ incedebat conſonantiâ, & præclarus hic ordo ipſum ditaverat juſtitiâ originali, ut omnes illius poſteri eandem participarent: ſed ſicut cùm horologium eſt deordinatum, totus populus in confuſione verſatur; ita deordinati ſumus nos omnes in Adam Protoplaſto noſtro poſt fatalem & deplorandum caſum ejus, *in quo omnes peccaverunt* z homines, poſtquàm ipſe vetito *de fructu comedit* a. Propterea Deus alterum fecit horologium, ſed prorſus admirabile & Divinum, cujus librationes non ſunt niſi motus amoris, ut homo in priſtinum reſtitueretur ordinem. In iſto horologio, ſicut *in horologio Achaz reverſus eſt Sol decem lineis* ut ægrotus *de ſuâ infirmitate* b convaleret. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis* c, audientem pulſari horam adventus ejuſdem interitus, cujus virtute & merito homo reparetur: idcircò rotæ ejus diſſolvuntur, & majori moventur velocitate ad ampliora exhibenda nobis amoris indicia. Horologium iſtud igitur pulſabit horam, ſed horam miſericordiæ quoad nos, horam verò juſtitiæ quantùm ad ipſum, *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis* d. Hæc hora autem nunquam habuit ſimilem in utroque ex his duobus attributis *propter paſſionem mortis, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*, ait Apoſtolus e.

e Dion. Carth. a. 33. in Joan. 13. 1.
f Luc. 10. 42.
g Job. 24. 13.
h Pſal. 20. 4.
i 1 Cor. 11. 23. &c.
k Epheſ. 5. 2.
m Luc. 22. 51.
n Luc. 22. 61.
o Joan. 19. 27.
x Luc. 23. 43. &c.
y Gen. 2. 7.
z Rom. 5. 12.
a Gen. 3. 6. &c.
b Iſai. 38. 8. & 9.
c Hebr. 2. 9.
d Habac. 3. 2.
e Hebr. 2. 9.

Job maledixit diei ſuo, & horæ in quâ natus eſt, & conceptus eſt homo g, propter peccatum: ſed hæc *hora* benedicta eſt, cùm eâ *conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna*, quâ *occidetur Chriſtus* h. Dum iſtum *Abraham diem vidit*, & hanc horam, *gaviſus eſt* i. Hæc igitur eſt hora noſtra, cùm facta ſit propter ſalutem noſtram. Hæc eſt hora Scribarum & Phariſæorum, cùm Dei Filium quærant ad inferendam ei mortem, *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum* k. Iſta eſt hora Jeſu, & paſſionum ejus, quibus amor ipſius & rabies inimicorum ſuorum furore percitorum immodico initium præbent. Hæc eſt hora ejus, cùm ipſe magis deſideret effundere Sanguinem ſuum propter amorem noſtrum, quàm Scribæ & Phariſæi inimici ejus cupiant eundem Sanguinem è venis illius mediis tormentis educere præ odio & invidiâ. Ha! adorande Salvator dic, obſecro, quòd hæc hora mea eſt, & non tua, cùm ex eâ nulla tibi cedat utilitas, ſed ſolus tibi proveniat labor & dolor, & *ſpinis* * ſis aculeatus, quandiu totus nobis deſeris. Hæc eſt *hora ejus*, Auditores, quia eſt noſtra, quippe quæ nobis proficua, quoniam hac hora ſuum intuendum nobis exhibet amorem, ſed præ exceſſu, vocans mortem ſuam vitam ſuam, quia vitam nobis impertitur gloriæ, æquè ac gratiæ, *Ego veni ut vitam habeant, & abun-*

g Job. 3. 3. &c.
h Dan. 9. 24. & 26.
i Joan. 8. 56.
k Luc. 22. 53.
* Joan. 19. 2.

& abundantiùs habeant l [l Joan. 10. 10.]. Contemptus illius eſt gloria noſtra, quia in priſtina reſtituit nos jura noſtra, & in primos honores noſtros; depreſſio ejus eſt noſtra exaltatio; & ignominiæ ipſius ſunt apex & faſtigium magnitudinum noſtrarum, cùm ex iis procedant.

Ergo *ſciens Jeſus, quia venit hora ejus*, quâ mortem erat oppetiturus, gaudio perfuſus eſt immodico propter amorem, quo erga nos afficitur, intuitus quòd mediâ morte ſuâ largiturus nobis eſſet vitam, & quòd cùm *tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, aperiret nobis viam, per quam pervenire poſſemus ad Deum eundem Patrem ipſius, quæ nobis occluſa fuerat à peccato primi Parentis. Mirabile dictu! cùm majorem habebamus nos anſam formidandæ iræ ejus, tunc ſenſibiliùs experiri facit nos tenerrimos amores ſuos. Erat jure merito timendum ne Divinæ flammæ illius amiſiſſent aliquid ſui ardoris propter extremam malitiam atque ingens frigus peccatorum, quia *in propria venit, & ſui eum non receperunt* n [n Joan. 1. 11.], & ita indignè exceptus eſt toto curſu vitæ ſuæ mortalis, ut *Samaritanus, & dæmonium* o [o Joan. 8. 48.] habens ab inimicis ſuis vocatus ſit. Niſi autem amore ductus eſſet qui *non habet finem* p [p Baruch. 3. 25.], & niſi *in charitate perpetua* q [q Jer. 31. 3.] dilexiſſet homines; proculdubio flammæ dilectionis illius ſuam inveniſſent ruinam inter tot contraria. In Nativitate ſuâ nullum invenit domicilium in civitatibus, oportet ut Dei Filius collocetur in ſtabulo beſtiarum, expoſitus rigoribus hybernis, & derelictus ab omnibus, *Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio* r [r Luc. 2. 7]. *Cùm ergo natus eſſet Jeſus, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum* s [s Math. 2. 1. & 13.]. Et per totam vitam ejus inſecuti ſunt illum Scribæ & Phariſæi, inter alia autem, dum *miſerunt miniſtros ut apprehenderent eum* t [t Joan. 7. 32.]. Et tamen, ô charitas ineffabilis! nunquam deſtitit ab amandis nobis; & omnes anguſtiæ, quibus impetitus fuit, nullo minuere potuerunt ardores illius modo, & circa terminum vitæ ſuæ ut propior centro ſuo, ſuos reduplicavit ardores, majores & validiores illorum exhibendo nobis probationes, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Cùm parentes alii ſuorum obliviſcuntur liberorum, quos aliàs ita teneris proſecuti fuerant affectibus, tunc iſte *Pater noſter* u [u Math. 6. 9.], qui totus *bonus* x [x Pſ. 118. 68.] eſt, majorem noſtri curam ſuſcipit, & ingentiorem erga nos demonſtrat affectum. Et ne ullus ambigeret de ſinceritate amorum ipſius, ipſo permittente & ſic ordinante, *unus militum lancea latus ejus aperuit* y [y Joan. 19. 34.] poſt mortem ipſius, ut ingredientes in cor ejus, videre poſſimus ibi hanc ardentem fornacem charitatis, quæ ipſum inducit ad nos amandos tanto fervore. Omne quod ipſe fecerat pro nobis, erat effectus potentiæ abſolutæ, quâ *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis* z [z Pſ. 134. 6.]. Sed nihil peregerat quod poſſit æquiparari ei quod agere incipit hodie, & quod perfecturus eſt cras: iſtud eſt ſumma omnium *mirabilium ſuorum* a [a Pſ. 110. 4.], & terminus univerſorum affectuum ipſius, & verè poteſt dicere, *Omnis conſummationis vidi finem* b [b Pſ. 118. 96.]. Cùm ipſe nihil majus agere poſſit, aut nobis utilius. Queritur Patri ſuo, advertens ſibi vires deficere, & quòd ipſe non poſſit ampliùs pro nobis pati, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* c [c Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.]? Toleratinas ſitit, & ideò vellet ampliùs vivere, ut poſſet ampliùs paſſiones pro nobis ſuſtinere, *Poſteà Jeſus dicit, Sitio* d [d Joan. 19. 28.]. Quia *ſpiritualiter ſitiebat noſtram ſalutem, pro qua omnia fecit, ac pertulit*, ait Dionyſius Carthuſianus e [e Dion. Carth. art. 46. in Joan. 19. 25.]. O exceſſus amoris! quis unquam ſic dilexit? Ubi alii amores ſuum inveniunt terminum, ibidem amor, quo Deus erga nos afficitur, ſuum nanciſcitur initium, *In finem dilexit eos.* In hoc autem Dei Filius ſuæ ſcintillas emittit Divinitatis, cùm plus agat quàm fides poſſet exigere, prætergrediendo ſpes hominum, tradendo ſemetipſum, quod jure merito non poterant homines ſperare. Summa perfunditur conſolatione, cum inter occaſiones gaudii miſceri audit ſermones paſſionum ſuarum, *Et facta eſt ſpecies vultus ejus altera; & veſtitus ejus, albus & refulgens: & ecce loquebantur cum illo Moyſes & Elias, & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem* f [f Luc. 9. 29. &c.]. Hoc ſermone teſtatur nobis, quàm validâ proſequatur nos dilectione; cùm patiatur tantum propter nos, quos *in finem dilexit.* Et cùm proprium ſit amoris unire amantem rei amatæ, ut ait S. Dionyſius g [g S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.], *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*: Et Dionyſius Carthuſianus † [† Dion. Carth. art. 31. in Luc. 10. 34.], *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quam ubi animat*: hoc veſpere inſtituere voluit iſtud Sacramentum h [h 1. Cor. 11. 23. & 24.] amoris, & unionis, ut nos uniret ſibi omnino, ſicut unitur cibus ei qui ipſum comedit, cùm alimentum convertatur in ſubſtantiam aliti, & unum quid cum eo efficiatur: & per hanc admirabilem unionem Salvatori noſtro fiet ſatis, cùm adimpletas intuebitur ſuas voluntates. Sicut enim ſponſa, licèt multa & ſpecioſa munera ſuſcipiat à ſponſo ſuo, non eſt tamen contenta, niſi fruatur ipſa jucunda illius præſentia, quam cuilibet alii rei exiſtimat præponendam; ſic præclara ſuſceperamus nos dona, Sponſus animarum noſtrarum pluribus ipſas donaverat gratiis, & Sacramentis i [i Luc. 53. 3.]; ſed illa exigui pendenda erant, niſi ipſe ſemetipſum præbuiſſet, ut fieret idem cum nobis, *Caro mea verè eſt cibus; & Sanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo* k [k Joan. 55. & 56.]. Sic dicere poſſumus præ veritate, *Date magnificentiam Deo noſtro* l [l Deut. 32. 3.]. Quia ad magnificentiam requiritur donum maximi momenti, quantùm ad naturam doni, & quantùm ad illum qui illud facit, quod reperitur in hoc occurſu, cùm donum ſit ditiſſimum & pretioſiſſimum eorum omnium quæ ſint in cœlo, aut in terrâ, cùm is, qui illud agit, ſit Deus ipſe, qui fecit *cœlum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat majeſtati* m [m Eſth. 13. 10. & 11.] ejus. Inſtituit igitur Chriſtus Sacramentum Altaris ſanctiſſimum ante mortem ſuam. Quare autem iſto tempore, & non alio? Id egit ſanè præ amore, ne fortè Pater æternus exaudiret preces ipſius, cùm exoraturus eſſet paulò pòſt eum ut ſe à futuris & imminentibus pœnis eximeret, *Pater mi, ſi poſſibile eſt,*

tranſeat à me calix iſte n. Amor ipſius fecit ut dederit nobis pignora & certitudines promiſſi, cui ſe alligaverat, pollicendo ſe moriturum pro nobis, cùm *aſcendens Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis, Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* o. Ideò tradit eis Corpus ſuum ſanctiſſimum, *Et dixit, Accipite & manducate; hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur* p. His verbis obſtringit ſe ad mortem, & ipſe meliùs hoc confirmat illis ſequentibus, *Hic eſt calix novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur* q. Nihil eſt oblitus Dei Filius illorum, quæ verum decerent amantem, maxima amoris ſui ſpecimina ad terminum uſque vitæ ſuæ reſervando. Amor prævaluit adversùs juſtitiam: nam cùm decreto Dei æterno latum eſſet, ut *ubi venit plenitudo temporis* r, *Verbum caro* s fieret, & ut cato iſto patibulo crucis ſuffigeretur t: voluit Dei Filius amanter mori myſticè in hoc Sacramento, antequàm Juſtitia rigidum exequendum ſatageret decretum in cruce. Sic, ſecundùm Jura, injectiones manus Regiæ præcedunt ſemper executiones. Jeſus Chriſtus devinctus erat & juſtitiæ, & amori, duobus validis creditoribus: juſtitiæ debebat mortem crucis; amori verò plures mortes. Sic incepit ſolvere debitum amoris ſui ab Abel in ſacrificiis, cùm *Domino Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*. Vel potiùs cùm *conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum* u. Propterea Scriptura repræſentat eum ſub figurâ *Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi* x. Et nocte iſtâ prævidens Jeſus, quòd debitum, quo alligatus ipſe erat juſtitiæ Patris ſui, erat ipſi perſolvendum, inſtituit ſanctiſſimum Sacramentum, quod eſt Sacrificium, & in quo moritur ipſe myſticè, antequàm moriatur realiter in cruce: & iſtud Sacrificium ad finem uſque mundi durabit, *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis: neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum: ſed per proprium Sanguinem introivit Semel in Sancta æternâ redemptione inventâ* y. Suum perduxit Jeſus amorem ad altiſſimum excellentiæ ipſius apicem ac faſtigium, *In finem dilexit eos*. In ſuis habebat ideis omnes labores ſuos & univerſas pœnas ſuas præſentes, *Sciens Jeſus, quia venit hora ejus*. Hæc omnia ſciebat ab ipsâ æternitate, *ab itineribus æternitatis ejus* z. Quæ verba ſic vertit S. Auguſtinus a, conformiter ad propoſitum noſtrum, *Ingreſſus æternos ejus pro laboribus vidi: hoc eſt, non ſine mercede æternitatis laborem charitatis aſpexi*. Ha quàm immodicos dolores! Non legitur decretum mortis reo niſi duabus aut tribus horis antequàm executioni mandetur, ne præ horrore necis in extremas deſperationis redigatur anguſtias: ſed Juſtitia Divina ab inſtanti conceptionis ſignificat Chriſto decretum mortis ab ipſo oppetendæ in cruce, *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei* b. Ab hoc primo inſtanti ſeſe reſignavit ad mortem, ad tradendum Sanguinem ſuum, nedum expectaret donec cruci ſuffigeretur; *Sciens quia venit hora ejus*, hujus probationes amoris vult exhibere, *Semetipſum exinanivit* e. Morti ſe addicit, *Sitio* f. Plura vellet perpeti, licèt propter amorem noſtrum conſtâter omnia ſemper ſuſtinuerit. Suos ſatagit abire diſcipulos, ut ipſe ſolus pati poſſit, ſic alloquens miſſos ad ſe comprehendendum miniſtros, *Sinite hos abire* g. Et æquo non ſuſtinuit animo, cùm *ecce unus ex his qui erant cum ipſo*, nempe Petrus, *extendens manum, exemit gladium ſuum: & percutiens ſervum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus* h. Unde dixit Tertullianus i, *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt*. Amor Filii Dei pactum inierat cum patientiâ ipſius, ut ipſum ſolum ſineret perpeti: amor enim ipſius gloriæ ducit pro nobis tolerare, & exiſtimat ſplendorem ſuum obſcurari ictu gladii à Petro evaginati, quia Petrus eripiens ipſi Malchum, privaſſet ipſum injuriâ, quâ afficiendus erat ob hoc inſolente, qui paulò pòſt ipſi *dedit alapam* k. Ita ut patientiam Jeſu plùs læſerit ictus inflictus Malcho, quàm ipſum Malchum, qui eo ſauciatus eſt, cùm ſemper magis ac magis pati deſideraret, *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat*, ait idem Tertullianus l.

Appropinquate, Auditores, ad hanc originem bonitatis & ſuavitatis, & intuemini exceſſum amoris Divini veſtri Sponſi, *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus* m. Quantâ proſecutus eſt nos dilectione, præſertim verò nocte iſta, hac hora, qua *in finem dilexit* nos. Et ſic hac nocte, & hac hora completum eſt deſiderium ejuſdem Davidis, *Mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te* q. Nunquam hæc fornax amoris violentiores flammas edidit. Lavacrum vult peragere ex Sanguine ſuo, ad lavandas ibi animas noſtras peccato inquinatas, eiſque reſtituendum candorem priſtinum, quem amiſerant, cùm erat *denigrata ſuper carbones facies* r earum; ſine quo candore nunquam ad cœlum admitterentur, ut prædixit ipſe Petro, *Si non lavero te, non habebis partem mecum* s: ſignificans hoc ablutione pedum externa hanc internam, qua loturus erat *nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* t. Hæc enim aqua, quam *miſit in pelvim*, renovat ei memoriam Sanguinis, quem fuſurus eſt in cruce, ſemper oculis mentis ſuæ mortem habens præſentem, ut unicum remedium malorum noſtrorum, & ſuorum complementum votorum; & in ea ipſe ſuam deprehendit ſatisfactionem, dummodò nos in illa noſtram inveniamus curationem: ſicut è contrà dolore affligitur, imò plusquàm innumeris mortibus (ſi eas omnes poſſet tolerare) ſi intueatur nos ut reprobos, & ingratos, negligentes remedia ipſius inſtar Judæ, qui præ deſperatione Divinæ Miſericordiæ, *laqueo ſe ſuſpendit* u. Nihil æquè ipſum affligit ac noſtra inſenſibilitas inter omnes probationes dilectionis ipſius. Labores ſunt ei ſuaves, modò iis proficuè velimus uti. *Jeſus fremens in ſemetipſo* eſt, quòd *lapis ſuperpoſitus* x ſit nobis per obſtinationem, id eſt, quòd ſit induratum noſtrum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* y ſtrictum. Ipſum tædet videre, quòd poſt tot paſſiones toleratas, nihil profecerit, *In vacuum laboravi, ſine causâ, & vanè fortitudinem meam conſumpſi* z. Ipſe prævidet ſe conculcandum, *& Sanguinem Teſtamenti pollutum* ducendum, *in quo* a *ſanctificaverit homines*. Proteſtatur ſe nihil oblitum fuiſſe eorum, quæ ſalu-

n Matth. 26.39
o Matth. 20.18 &c.
p 1 Cor. 11.24.
q Luc. 22. 20.
r Galat. 4. 4.
s Joan. 1. 14.
t Joan. 19. 18.
u Gen. 4. 8. &c.
x Apoc. 13. 8.
y Hebr. 9. 11 & 12.
a Habac. 3. 6.
a S. Aug. lib. 18. de Civit. c. 32.
b Pſ. 39. 9.
e Philipp. 2. 7.
f Joan. 19. 28.
g Joan. 18. 8.
h Matth. 26. 51.
i Tert. lib. de Patient. c. 3.
k Joan. 18. 22.
l Tert. lib. de Patient. c. 3.
m Pſ. 33. 9.
q Pſ. 16. 7.
r Thren. 4. 8.
s Joan. 13. 8. &c.
t Apoc. 1. 5.
u Matth. 27. 5.
x Joan. 11. 38.
y Job. 41. 15.
z Iſai. 49. 4.
a Hebr. 10. 29.

ſaluo noſtræ promovendæ forent conſona, *Quid eſt quod debui ultrà facere, & non feci* b? Et ait jacturam noſtram nobis imputandam, non ſibi, *Perditio tua Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum* c.

Ha! Auditores, dies hodierna eſt dies donorum & miſericordiarum; craſtina aperiet omnibus cœlum, & in illud admittentur ſceleſtiſſimi quique latrones d Sanctuarium. Nunquid in noſtram hæc munera non convertemus utilitatem? Remanebimuſne damnati cùm Juda? Inibimuſne pactum cum inimicis Jeſu, ut Dei Filium morti tradamus e? Adibimuſne hortum iſto veſperè, ut in eum manus injiciamus violentas f? Trahemuſne Jeſum Mariæ Natum è tribunali ad tribunal? Damnabimuſne eum ad mortem? Suffigemuſne eum cruci cum ſatellitibus g? Dicemuſne cum Judæis? *Non hunc, ſed Barabbam* h dimittendum. Sed quomodo? fierine poterit ut nullo ducamur affectu intuitu amoris immodici Filii Dei, qui *in finem dilexit* nos? Pro nobis ipſe peregit quidquid potuit, *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* i. Iſtud eſt altiſſimum dilectionis ſuperexcellentiſſimæ faſtigium: ſed poſt exhibitum nobis amorem tantum, nunquid charitatem ab eo nobis impenſam reciprocâ dilectione compenſare non ſatagemus? cùm nihil æquè Dei Filium affligat ac ingratitudo.

Cùm viciſſet in bello Cyrus Regem majoris Armeniæ, refertur cepiſſe filium ejus, qui nominabatur Tigranes, cum uxore illius, & quòd cùm petiiſſet ab eo, quonam pretio ſuam redimere vellet conjugem, quam detinebat captivam, iſque reſpondit illi, quòd libenter ipſe ſuam vellet impendere vitam ad redimendam eam; admiratus hanc fidelem amoris probationem, utrumque liberum abire permiſit. Sed cùm ambo in ſuum reverſi eſſent Regnum, Tigranes petiit ab uxore ſuâ, quidnam videretur ipſi de decôre, de potentiâ, & de magnanimitate Cyri. Cui illa reſpondit, ſe nunquam ſuos projeciſſe obtutus niſi ſuper eum, qui ſuam obtulerat vitam ad ſe redimendam. Ha! Auditores, iſtud eſt obſequium quod debetis rependere, cogitantes, quòd dilectio Dei veſtri, qui re verâ tradidit Sanguinem ſuum ad vos redimendos, mutuâ & reciprocâ dilectione eſt agnoſcenda, cùm verum ſit commune proloquium, quòd *amor amore compenſatur*, & non aliter. Deus nihil aliud à vobis exigit pro tot & tantis, quibus cumulavit vos, beneficiis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* k. Propterea, Ipſi ſit ſatis, ſi dilectione veſtra gratias ipſius agnoſcatis: nam, ut ajunt Philoſophi Morales, *Amoris conſolatio non eſt in utilitate, ſed in redamatione.* Nihil eſt quod æquè affligat ac amate, & non amari: nec tantum Jeſus patitur rigorem inter omnes tolerantias ſuas, ſputa l, flagella, *coronam de ſpinis* m, clavos, crucem, & omnia vulnera ſua; quantum infert ei ingratitudo noſtra dolorem, *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui agnoſceret me* n. Hæc

b Mich. 5. 4.
c Oſee 13. 9.
d Luc. 23. 43.
e Matth. 26. 15.
f Matth. 26. 47.
g Matth. 27. 2. &c.
h Joan. 18. 40.
i Joan. 15. 13.
k Matth. 22. 37.
l Marc. 15. 19.
m Joan. 19. 5. &c.
n Pſ. 141. 5.

eſt tanto doloris eſus. Amare, & non amari, amantes affligit immodicè.

Tantùm Jeſus zelat hunc amantem, ut nullum perpeti poſſit rivalem, & ideò dicat, *Prabe, fili mi, cor tuum mihi* o. Quia non eſt illum rectè amare, ac aliquid eum eo diligere, quod non propter eum diligamus, ut dicit ei S. Auguſtinus, *Minùs te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat* p. *Fortis eſt ut mors dilectio* q Jeſu erga nos; imò verò fortior ipſa morte, quia de ea triumphavit: ſed zelus & dolor procedens ex hoc amore, ut intuetur ſe amore mutuo non compenſari, ita validus eſt ut aſſimiletur inferno, eoque potentior videatur, cùm infernum ipſe æquè ac mortem devicerit, *Ero mors tua ò mors, morſus tuus ero inferno* r. Et ideò, *dura ſicut infernus æmulatio* s. Infernus nullum imponit pœnis ſuis limitem, quia *ſupplicium æternum* t habet: ſic amor Jeſu *non habet finem* x, & *in finem dilexit*. *Inferni ignis non extinguitur* y. Sic dilectio Jeſu, ut ait illi S. Auguſtinus z, *O amor qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus, accende me.* Hic amator hominum vult ut ipſum deferamus velut ſignum cordi & brachio noſtro impreſſum, ut hæc memoria inducat nos ad ipſum ſine intermiſſione diligendum, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum; ut ſignaculum ſuper brachium tuum* a. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* b. Amemus eum, quoniam in hoc amore, quem præcedit cognitio, ſita eſt tota noſtra felicitas, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* c, *qui replet in bonis deſiderium* d noſtrum. Cùm ipſe *pauper in laboribus à juventute* e ſua fuerit, & in tota ſua vita, quam tandem morti tradidit, ut nobis vitam daret, inſumamus vitam noſtram ad agnoſcendam dilectionem ejus; gloriæ ducamus pati ſicut ille perpeſſus eſt, & veluti *diem feſtum Paſcha* agamus medias inter tolerantias quaſcumque obvias nobis futuras, ſitiendo pati: *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus* f.

Salvator adorande, impares ſumus ad agnoſcendam tantam dilectionem tuam: charitas noſtra nimis eſt infirma nedum pertingere poſſit ad hanc perfectionem, ut tuam dilectionem compenſare queat; tot ſolvendis non poſſumus incumbere debitis: ſicut favores tui ſunt æterni in ſuo principio, ſic & infiniti ſunt in progreſſu ſuo; ſemper tibi debitores erimus quantùm ad gratiarum actionem: beneficia tua ſic noſtras excedunt capacitates, ut ea debito nequeamus agnoſcere modo: ideò adhibemus organa omniũ creaturarum, laudes univerſorum Angelorum, imò verò os tuum, ut pro iis tibi gratias agamus (ſicut tu *elevatis oculis gratias* g egiſti Patri tuo) ut indigentiæ noſtræ fiat ſatis. Tui ſumus ob infinitos titulos, Creationis h, Conſervationis i, & diebus iſtis dedicatis paſſionibus tuis, Redemptionis k; *Sub umbrâ alarum tuarum protege* l nos per gratiam tuam in hoc mundo, ut frui poſſimus gloria tua in altero ſeculo.

o Prov. 23. 26.
p S. Aug. lib. 10. Conf. c. 29.
q Cant. 8. 6.
r Oſee 13. 14.
s Cant. 8. 6.
t Matth. 25. 46.
x Baruch 3. 25.
y Marc. 9. 44. ex Iſai. 66. 24.
z S. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 29.
a Cant. 8. 6.
b 1. Joan. 4. 19.
c Joan. 17. 3.
d Pſ. 102. 5.
e Pſ. 87. 16.
f 1. Petr. 2. 21.
g Joan. 11. 41.
h Gen. 2. 7.
i Matth. 6. 26.
k Apoc. 13. 8.
l Pſ. 16. 8.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Secundâ Matth. cap. 26. & 27. Marc. 14. & 15. Luc. 22. & 23. & Joan. 18. & 19.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

POſſibilene eſt, Auditores, ut rabies Judæorum eò pervenerit ut ſuas elevaverit magnus ſacrilegas ad deſtruendum *Templum* a vivum Divinitatis? ut furor dæmonum voluerit removere Verbum Divinum è throno ipſius Regio, non ad aſſimilandum ſe ei, ſicut aliàs *Lucifer ſimilis Altiſſimo* b eſſe concupivit, ſed ad operiendum illud opprobrio & confuſione? ut *Rex gloriæ* c ſaturetur *opprobriis* d, ut ille, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, † derideatur ab hominibus? ut Templum myſticum pacifici Salomonis e, id eſt, humanitas ſacta Jeſu Chriſti decor & gloria Ieruſalem militantis & triumphantis f deſtruatur ab inſolentiâ Judæorum inimicorum ſanctitatis? Verum quidem eſt quòd temeritas hominum eò proceſſit, ut ſuas injecerit manus violentas ſuper eum, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium* g. Quòd malitia Scribarum & Phariſæorum operi mandavit, quod in corde ſuo meditati fuerant, dicentes, *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit* h? Quòd, *quia corruit in plateâ veritas, & æquitas non potuit ingredi* i, ille qui eſt *Sanctus Dei* k damnatur præ timore, & intuitu proprii commodi à Præſide mercenario. Quòd ille, qui *libertate nos liberavit* l, incarceratur. Quòd *Redemptio* m venditur. Quòd *Sanitas* n patibulo crucis ſuffigatur. Et quòd *Vita* o moriatur. Quis ſuas continere poterit lacrymas audiens narrationem ſpectaculi tantâ miſeratione digni! *Fili mi Abſalom Abſalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom* p? Si licuit Davidi hæc verba doloris promere in morte filii ſui, qui arma ſuſceperat adversùs ipſum, quique ipſi eripere volebat vitam æquè ac Regnum præ ingratitudine intolerandâ q: quantò potiori ratione debemus nos concupiſcere mori pro Chriſto, qui moritur præ exceſſu amoris pro illis, qui ipſum offenderunt, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* r. Et dicere eodem affectu, quo Ieremias, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei* s? *Nos autem Chriſtum Crucifixum* t? Intuitus Ieremias u diſſipatam civitatem Ieruſalem, Templum & altaria deſtructa, ſacrificia abolita, ceremonias profligatas, vaſa ſacra profanata, Sacerdotes inhonoratos, virgines violatas, mulieres proſtitutas, pulchritudinem Nazaræorum deformatam, juventutem captivam, nobilitatem vinculis conſtrictam, populum pereuntem fame, & liberos occiſos, jure merito tantas lamentabatur ſtrages. Heu, Auditores, ubi ſunt corda noſtra, oculi noſtri, pectora noſtra ut non cruentur compaſſione, lacrymis, & ſuſpiriis præ morte doloroſâ & ignominioſâ, in qua *non eſt ſpecies ei, neque decor* x, qui *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis* y: in qua deſtruitur *Templum* z Dei; *Vas admirabile, opus Excelſi* a profanatur à Judæis; Nobilitas inhonoratur manibus carnificum; *Jeſus ſecundùm ordinem Melchiſedech, Pontifex factus in æternum* b, occiditur, Gloria obſcuratur; Sanctitas contemnitur; uno verbo Filius Mariæ chariſſimus traditur, deridetur, injuriis afficitur æquè ac tormentis, & cruci tandem ſuffigitur *cum ſceleratis reputatus* c, veluti Dux eorum?

O mors crudelis & ſanguinaria auſane es aggredi Filium Dei? quònam audaciæ prorupiſti ut non dubitaveris eam quam, quam præ te fers, poteſtatem inſumere adversùs eum, *apud* quem *eſt fons vitæ* d? Annon tuam exercere veritus es ſævitiam contra eum Dominum qui *mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit* e? Numquid jure merito formidare non debebas potentiam Filii Dei, qui ſolo ictu vel oculi univerſum deſtruere poteſt orbem? O dies crudelis! O dies ſanguinolente, & lacrymis deflende æternis, quo nihil audio niſi injurias, blaſphemias, opprobria, & ignominias; & nihil aliud intueor præter proditiones, funes, virgas, flagra, ſpinas, clavos, crucem, ſputa, lanceam, amaritudinem fellis, aceti propinationem, ſanguinem, vulnera, lacrymas, atque occiſiones!

Confeſtim ac *mortuus eſt Moyſes ſervus Domini*, & Dux populi Iſraëlitici, *fleverunt eum filii Iſrael triginta diebus* f. Heu! Auditores, Jeſus Chriſtus, qui non ſolùm eſt *ſervus Domini*, prout homo, ſed etiam *Dominus omnium* g, prout Deus, ſicut Pater ſuus, *Ego & Pater unum ſumus* h: quem q; hic *Pater* ſuus *dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* i, hodie *mortuus eſt* ille, nunquam *Moyſes, centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt* k. Iſte verò trigeſimum quartum duntaxat annum inceperat, cùm è medio ſublatus eſt. Ille *mortuus eſt jubente Domino*. Sive, ut Alii vertunt, *in oſculo Domini*. Iſte verò *in oſculo* proditoris, poſtquàm *dixit, Juda, oſculo Filium hominis tradis*. Uni fratres Ioſeph *vendiderunt eum Iſmaëlitis, tulerunt tunicam eius, & in ſanguine hædi quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc invenimus: vide utrùm tunica filii tui ſit, an non. Quam cùm agnoviſſet pater ait: Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph. Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore* l. Quid agemus, cùm videbimus non tunicam, ſed ipſam humanitatem Jeſu Chriſti Sanguine ſuo tinctam, *à plantâ pedis uſque ad verticem* m percuſſam?

Scriptura n ſacra refert de Andronico, quòd, *cùm veniſſet ad Oniam, & datis dexteris cum jurejurando (quàmvis eſſet ei ſuſpectus) ſuaſiſſet de aſylo procedere ſtatim eum peremit, non veritus juſtitiam. Contriſtatus itaque eſt Antiochus propter Oniam, & flexus ad miſericordiam, lacrymas fudit recordatus defuncti ſobrietatem, & modeſtiam.* Si Rex infidelis lacrymatus eſt in morte ſummi Sacerdotis viri probi; cur non flexi *ad Miſericordiam, lacrymas* fundemus, *habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum Filium Dei* o, qui eſt *Sanctus ſanctorum* p, præ oculis noſtris morientem? Si amittat quis amicum, maximo afficitur dolore propter jacturam illius, cælum ipſe accuſat, queritur de ſorte ſua, deplorat infortunium ſuum, & lacrymis perfuſus ait, Heu amice dulciſſime, ut quid te mors ſeparavit à me? Heu! Auditores, Jeſus Chriſtus hodie damnatur ad mortem contra jus & æquitatem, fideliſſimus omnium amicus, quippe qui *in charitate perpetuâ* q dilexit nos. Cur ergo lacrymas non effundemus? Sanè diſcuſſus Paſſionis

Jeſu

a Ioan. 2. 19. b Iſai. 14. 12. & 14. c Pſ. 23. 7. &c. d Thren. 3. 30. † 1 Petr. 1. 12. e 3. Reg. 6. 2. f Apoc. 21. 25. h 1 Timoth. 6. 10. & Apoc. 19. 16. h Ioan. 11. 47. &c. i Iſ. 59. 14. k Marc. 1. 24. l Galat. 4. 31. m 1. Cor. 1. 30. n Malach. 4. 2. o Ioan. 14. 6. p 2 Reg. 18. 33. q 2 Reg. 15. 9. &c. r Hebr. 6. 6. s Ier. 9. 1. t 1. Cor. 1. 23. u Thren. c. 1. & ſeq. x Iſai. 53. 2. &c. y Sap. 7. 26. z Ioan. 2. 19. a Eccli. 43. 2. b Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18. & Pſ. 109. 4. c Iſai. 53. 12.

d Pſ. 35. 10. e 1. Reg. 2. 6. f Deut. 34. 5. & 8. g Eſth. 13. 18. h Ioan. 10. 30. i Epheſ. 1. 17. &c. k Deut. 34. 7. l Gen. 37. 28. &c. m Iob 2. 7. n 2 Mach. 4. 34. & 37. o Hebr. 4. 14. p Dan. 9. 24. q Ier. 31. 3.

Jeſu Chriſti omnia corda in lacrymas deberet diſſolvere, cùm omnes creaturæ ſuo lacrymentur modo; quin imò & eæ quæ ſenſus ſunt ex, ertes, quodam videantur ſenſu affici in morte Creatoris ſui. Re autem verâ obſervamus Solem obſcuritate ſe induere, diem ſe in noctem præ tenebris convertere, terram ſe timore & tremore concutere: Solem, ne intueatur illum cruci ſuffixum, diem, ne aſpiciat illum interemptum; terram ne trucidati corpus excipiat: omnes illæ creaturæ ſuis ſolitis non perfunguntur hodie muniis, ne criminis & ſacrilegii Judaici conſcias ſe exhibeant, & tam enormi deicidio conſenſiſſe videantur: & homo ipſâ inſenſibilitate inſenſibilior non compatietur Jeſu patienti & morienti pro ipſo? O crimina! ô ſcelera! ô inhumanitates! Flete Sacerdotes Pontificem veſtrum, qui tradit *ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* r. Plorate Doctores *Præceptorem* s veſtrum. Lacrymas effudite Nobiles, quia *cecidit Corona capitis* t veſtri. Flete milites *Ducem* u veſtrum. Plorate pauperes, quia perit *Refugium* x veſtrum. Lacrymas edite infirmi in morte Medici veſtri, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* y. Viduæ effundite *loquelam gemitus* z in interitu Conſolatoris veſtri. Plorate *pupilli abſque Patre* a efficiendi. Flete mercatores eum, qui *infinitus Theſaurus* b erat vobis. Plorate mulieres *Dilectum* c, & Sponſum veſtrum. Flete omnes tandem Fratrem veſtrum, cùm *ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* d. Ipſe enim damnatur ad mortem crucis præ infamiâ oppetendam. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte* e *Chriſtum Crucifixum* f? Maria lacrymatur, Magdalena flet, omnes Apoſtoli gemunt, & omnes creaturæ ſuo dolent modo; nunquid nos ſoli non collacrymabimur?

Mallem equidem eſſe in conclavi meo occupatus in meditandis his myſteriis amoris, affectu compaſſionis & doloris, quàm in ex, licandis iiſdem, vobis: ſed cùm mihi incumbat ex officio mihi commiſſo ea vobis annunciare, ſolitus eram recurrere ad Mariam ad ſuſcipiendas influentias luminum illius, ſed hæc Deipara *pulchra ut Luna* g, hodie eclypſi ſuffunditur, *Ne vocetis me Noemi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt amaram.)* Eam dimitto, licèt invitus, cùm ipſa ſtatim ſubjungat, *Quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens* h. Sed quàmvis ipſa ſit amaritudinibus æquè ac doloribus oppreſſa, non renuet ipſa mihi ut ab ipſâ petam, *Qualis eſt Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò abiit, quò declinavit Dilectus tuus, & quæremus eum tecum* i? *Indica mihi, quem diligit anima mea*, æquè ac tua, *ubi paſcat, ubi cubet in meridie* k. Reſpondet pro eâ de Ponte l, dicens hunc meridiem eſſe *locum Crucis, ad quam Chriſtus aſcendit hora ſexta, ſcilicet in meridie & cubuit in ea uſque ad horam nonam: & quàmvis tunc Sol fuerit obtenebratus, quaſi lugens mortem Creatoris, & tenebras perſecutorum indicans; tamen Chriſto Domino hora illa fuit verus ſpiritualis meridies, tum quia eius tribulationum æſtus pervênit ad ſummum; tum quia ardor charitatis non habuit altius quò aſcenderet: & ex utroque meridie eum cognoſcimus immenſum*

r Epheſ. 5. 2.
s Iſai. 55. 4.
t Thren. 5. 16.
u Iſai. 55. 4.
x Pſ. 45. 2
y Luc. 19 10.
z Eccl. 36 17.
a Thren. 5. 3.
b Sap. 7. 14.
c Cant. 1. 7.
d Rom. 8 29.
e Jer. 9. 1.
f 1. Cor. 1 23.
g Cant. 6 9.
h Ruth. 1 20.
i Cant. 5. 9. & 17.
k Cant. 1 7.
l De Ponte lib. 3. in Cant. 1. 7 exhort. 3. parag. 4.

Redemptorem, ſapientiſſimum, & amantiſſimum Salvatorem, ac Protectorem omnipotentiſſimum. Crux igitur eſt cubile Salvatoris, ibi enim ſuffigitur: eam ergo adire debemus, ejuſque auxilium implorare, cùm in illâ invenire debeamus Salvatorem, qui *eſt Dilectus* animarum noſtrarum. O Crux tu ſola exultas, quandiu totus mundus plorat; tu exaltaris, cùm Chriſtus inhonoratur; & tu honoraris, cùm Jeſus blaſphematur. Tu es *Arca ſuper aquas* lata m, cujus beneficio à diluvio damnationis declinabimus. *Altare holocauſti* n, ſuper quo ſacrificabitur Jeſus Chriſtus. Tu es patibulum, ſuper quod exaltandus eſt ſerpens myſticus Filius *hominis* o. Tu es currus, ſuper quo triumphabit ille qui futurus eſt mortis *mors*, infernique *morſus* p. Te conſidero ut *clavem domus David ſuper humerum eius, & aperies, & non erit qui claudat; & claudes, & non erit qui aperiat* q. Uno tandem verbo, Tu es inſtrumentum redemptionis noſtræ, ideò tuas hoc in occurſu mortis Redemptoris, imploro ſuppenas.

m Gen. 7 18.
n Exod. 38 1.
o Jo. 3. 14 ex Num. 21. 9.
p Oſee 13 14.
q Iſai. 22. 22.

O Crux ave ſpes unica, &c.

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti omnium quæ unquam futuræ ſunt, paſſionum maxima, imò verò quas lingua poſſit exprimere, & intellectus concipere. *Paſſio.* Auditores, ſed *Domini noſtri Jeſu Chriſti. Paſſio*, quæ eſt nomen crudele, ſed *Jeſu Chriſti*, qui eſt nomen dulciſſimum, *Oleum effuſum Nomen tuum* r. *Paſſio*. quæ dicit & invehit mortem, ſed *Jeſu Chriſti* qui dicit vitam, *Ego ſum Vita* s. *Apud te eſt Fons vitæ* t. *Paſſio*, quæ ſignificat ruinam, ſed *Jeſu Chriſti*, qui denotat ſalutem, *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* u. *Paſſio*, quæ nos monet eorum, quæ Patiens ſuſtinuit in ſe, ſed *Jeſu Chriſti*, qui docet nos ea quæ ipſe Patiens lucratus eſt pro nobis, cùm *ipſe peccata multorum tulit* †. Id eſt, omnium noſtrum. *Paſſio*, quæ nobis hiſtoriam texit, ſed *Jeſu Chriſti* qui ſuis anguſtiis medis pertundit nos conſolatione. *Paſſio* cauſata à peccato, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* x. Crudeliter operi mandata à Judæis aut militibus inhumanis; ſed *Jeſu Chriſti*, qui eam patienter ſuſtinet in Animâ ſuâ æquè ac in Corpore ſuo. Sed quare *Paſſio* ſolùm modò, cùm tota Vita Chriſti fuerit continua *Paſſio*? Primò, Natus reclinatus eſt *in præſepio* y. *Poſtea eſuriit* z *pauper*, *& in laboribus à juventute* a ſuâ. *fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem* b. Vocatus eſt *Samaritanus, & dæmonium* habens à Judæis, qui conſequenter *tulerunt lapides ut jacerent in eum* c, ad perimendum illum, ſicut eum jam priùs quæſierant *interficere* d, velut etiam cùm *duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum* e. Sed hodie vocatur ſpecialiter *Paſſio*, quâ Chriſtus traditur, capitur, ligatur, percutitur, flagellatur, laceratur, injuriis afficitur æquè ac verberibus, interrogatur, à falſis Teſtibus falſorum criminum inſimulatur, conſpuitur, alapis cæditur, ſpineo diademate redimitur, veſte lacerâ purpureâ aperitur, & ſceptrum arundineum præ deriſu manibus impoſitum geſtans à miniſtris illudentibus & genua flectentibus præ honore ementito, exploditur & exhibilatur, quandiu ducitur è judicio ad judicium, ex opprobrio ad opprobriũ, & ex ſupplicio ad ſupplicium, donec ſudore & Sanguine opertus crucifigatur

r Cant. 1 2.
s Jo. 14 6
t Pſ. 35. 10.
u Matth. 1. 21.
† Iſa. 53. 12.
x Iſai. 53. 5.
y Luc. 2. 7.
z Matth. 4. 2.
a Pſ. 87. 16.
b Jo. 4. 6
c Jo. 8. 28. & 59.
d Jo. 7. 20
e Luc. 4. 29.

Paſſio

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

POſſibilene eſt, Auditores, ut rabies Judæorum eò pervenerit ut ſuas elevaverit manus ſacrilegas ad deſtruendum *Templum* a vivum Divinitatis? ut furor dæmonum voluerit removere Verbum Divinum è throno ipſius Regio, non ad aſſimilandum ſe ei, ſicut aliàs *Lucifer ſimilis Altiſſimo* b eſſe concupivit, ſed ad operiendum illud opprobrio & confuſione? ut *Rex gloriæ* c ſaturetur *opprobriis* d? ut ille, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, † derideatur ab hominibus? ut Templum myſticum pacifici Salomonis e, id eſt, humanitas ſacra Jeſu Chriſti decor & gloria Jeruſalem militantis & triumphantis f deſtruatur ab inſolentiâ Judæorum inimicorum ſanctitatis? Verum quidem eſt quòd temeritas hominum eò proceſſit, ut ſuas injecerit manus violentas ſuper eum, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium g*. Quòd malitia Scribarum & Phariſæorum opere mandavit, quod in corde ſuo meditati fuerant, dicentes, *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit h*? Quòd, *quia corruit in plateâ veritas, & æquitas non potuit ingredi* i, ille qui eſt *Sanctus Dei k* damnatur præ timore, & intuitu proprii commodi à Præſide mercenario. Quòd ille, qui *libertate nos liberavit* l, incarceratur. Quòd *Redemptio* m venditur. Quòd *Sanitas* n patibulo crucis ſuffigatur. Et quòd *Vita* o moritur. Quis ſuas continere poterit lacrymas audiens narrationem ſpectaculi tantâ miſeratione digni! *Fili mi Abſalom Abſalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom* p? Si licuit Davidi hæc verba doloris promere in morte filii ſui, qui arma ſuſceperat adversùs ipſum, quique ipſi eripere volebat vitam æquè ac Regnum præ ingratitudine intolerandâ q: quantò potiori ratione debemus nos concupiſcere mori pro Chriſto, qui moritur præ exceſſu amoris pro illis, qui ipſum offenderunt, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* r. Et dicere eodem affectu, quo Jeremias, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei* s? *Nos autem Chriſtum Crucifixum* t? Intuitus Jeremias u diſſipatam civitatem Jeruſalem, Templum & altaria deſtructa, ſacrificia abolita, ceremonias profligatas, vaſa ſacra profanata, Sacerdotes inhonoratos, virgines violatas, mulieres proſtitutas, pulchritudinem Nazaræorum deformatam, juventutem captivam, nobilitatem vinculis conſtrictam, populum pereuntem fame, & liberos occiſos, jure meritò tantas lamentabatur ſtrages. Heu, Auditores, ubi ſunt corda noſtra, oculi noſtri, pectora noſtra ut non crepantur compaſſione, lacrymis, & ſuſpiriis præ morte doloroſâ & ignominioſâ, in qua *non eſt ſpecies ei, neque decor* x, qui *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis* y: in qua ſolvitur *Templum* z Dei; *Vas admirabile, opus Excelſi* a profanatur à Judæis; Nobilitas inhonoratur manibus carnificum; *Jeſus ſecundùm ordinem Melchiſedech, Pontifex factus in æternum* b, occiditur, Gloria obſcuratur; Sanctitas contemnitur; uno verbo Filius Mariæ chariſſimus traditur, deridetur, injuriis afficitur æquè ac tormentis, & cruci tandem ſuffigitur *cum ſceleratis reputatus* c, veluti Dux eorum?

Secundùm Matth. cap. 26. & 27. Marc. 14. & 15. Luc. 22. & 23. & Joan. 18. & 19.
a Ioan. 2. 19.
b Iſai. 14. 12. & 14.
c Pſ. 23. 7. &c.
d Thren. 3. 30.
† 1 Petr. 1. 12.
e 3. Reg. 6. 2.
f Apoc. 21. 20.
g 1. Timoth. 6. 16. & Apoc. 19. 16.
h Ioan. 11. 47. &c.
i Iſ. 59. 14.
k Marc. 1. 24.
l Galat. 4. 31.
m 1. Cor. 1. 30.
n Malach. 4. 2.
o Ioan. 14. 6.
p 2. Reg. 18. 33.
q 2. Reg. 15. 9. &c.
r Hebr. 6. 6.
s Ier. 9. 1.
t 1. Cor. 1. 23.
u Thren. c. 1. & ſeq.
x Iſai. 53. 2. &c.
y Sap. 7. 26.
z Ioan. 2. 19.
a Eccli. 43. 2.
b Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18. & Pſ. 109. 4.
c Iſai. 53. 12.

O mors crudelis & ſanguinaria auſane es aggredi Filium Dei? quònam audaciæ prorupiſti ut non dubitaveris exiguam, quam præ te fers, poteſtatem inſumere adversùs eum, *apud* quem *eſt fons vitæ* d? Annon tuam exercere veritaes ſævitiam contra eum Dominum qui *mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit* e? Numquid jure merito formidare non debebas potentiam Filii Dei, qui ſolo ictu vel oculi univerſum deſtruere poteſt orbem? O dies crudelis! O dies ſanguinolente, & lacrymis deflende æternis, quo nihil audio niſi injurias, blaſphemias, opprobria, & ignominias; & nihil aliud intueor præter proditiones, funes, virgas, flagra, ſpinas, clavos, crucem, ſputa, lanceam, amaritudinem fellis, aceti propinationem, ſanguinem, vulnera, lacrymas, atque occiſiones!

Confeſtim ac *mortuus eſt Moyſes ſervus Domini*, & Dux populi Iſraëlitici, *fleverunt eum filii Iſrael triginta diebus* f. Heu: Auditores, Jeſus Chriſtus, qui non ſolùm eſt *ſervus Domini*, prout homo, ſed etiam *Dominus omnium* g, prout Deus, ſicut Pater ſuus, *Ego & Pater unum ſumus* h: quem que hic *Pater* ſuus *dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* i, hodie *mortuus eſt* ille, nimirum *Moyſes, centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt* k. Iſte verò trigeſimum quartum duntaxat annum inceperat, cùm è medio ſublatus eſt. Ille *mortuus eſt jubente Domino*. Sive, ut Alii vertunt, *in oſculo Domini*. Iſte verò *in oſculo* proditoris, poſtquàm *dixit, Juda, oſculo Filium hominis tradis*. Ubi fratres Joſeph *vendiderunt eum Iſmaëlitis, tulerunt tunicam eius, & in ſanguine hœdi quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent, Hanc invenimus: vide utrùm tunica filii tui ſit, an non. Quam cùm agnoviſſet pater ait Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph. Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore* l. Quid agimus, cùm videbimus non tunicam, ſed ipſam humanitatem Jeſu Chriſti Sanguine ſuo tinctam, *à plantâ pedis uſque ad verticem* m proteuſſam?

Scriptura n ſacra refert de Andronico, quòd, *cùm veniſſet ad Oniam, & datis dexteris cum jurejurando (quamvis eſſet ei ſuſpectus) ſuaſiſſet de aſylo procedere ſtatim eum peremit, non veritus juſtitiam. Contriſtatus itaque eſt Antiochus propter Oniam, & flexus ad miſericordiam, lacrymas fudit recordatus defuncti ſobrietatem, & modeſtiam.* Si Rex infidelis lacrymatus eſt in morte ſummi Sacerdotis viri probi; cur non flexi *ad Miſericordiam, lacrymas* fundemus, *habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum Filium Dei* o, qui eſt *Sanctus ſanctorum* p, præ oculis noſtris morientem? Si amittat quis amicum, maximo afficitur dolore propter jacturam illius, cælum ipſe accuſat, queritur de ſorte ſua, deplorat infortunium ſuum, & lacrymis perfuſus ait, Heu amice dulciſſime, ut quid te mors ſeparavit à me? Heu! Auditores, Jeſus Chriſtus hodie damnatur ad mortem contra jus & æquitatem, fideliſſimus omnium amicus, quippe qui *in charitate perpetuâ* q dilexit nos. Cur ergo lacrymas non effundemus? Sanè diſcurſus Paſſionis

Jeſu

d Pſ. 35. 10.
e 1. Reg. 2. 6.
f Deut. 34. 5. & 8.
g Eſth. 13.
h Ioan. 10. 30.
i Epheſ. 1. 22.
k Deut. 34. 7.
l Gen. 37. 28. &c.
m Iob 2. 7.
n 2 Mach. 4. 34. & 37.
o Hebr. 4. 14.
p Dan. 9. 24.
q Ier. 31. 3.

Jeſu Chriſti omnia corda in lacrymas deberet diſſolvere, cùm omnes creaturæ ſuo lacrymentur modo; quin imò & ex quæ ſenſus ſunt expertes, quodam videantur ſenſu affici in morte Creatoris ſui. Re autem verâ obſervamus Solem obſcuritate ſe induere, diem ſe in noctem præ tenebris convertere, terram ſe timore & tremore concutere: Solem, ne intueatur illum cruci ſuffixum, diem, ne aſpiciat illum interemptum; terram ne trucidati corpus excipiat: omnes illæ creaturæ ſuis ſolitis non perfunguntur hodie muniis, ne criminis & ſacrilegii Judaici conſcias ſe exhibeant, & tam enormi deicidio conſenſiſſe videantur: & homo ipſâ inſenſibilitate inſenſibilior non compatietur Jeſu patienti & morienti pro ipſo? O crimina! ô ſcelera! ô inhumanitates! Flete Sacerdotes Pontificem veſtrum, qui tradit *ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* r. Plorate Doctores *Præceptorem* s veſtrum. Lacrymas effudite Nobiles, quia *cecidit Corona capitis* t veſtri. Flete milites *Ducem* u veſtrum. Plorate pauperes, quia perit *Refugium* x veſtrum. Lacrymas edite infirmi in morte Medici veſtri, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* y. Viduæ effundite *loquelam gemitus* z in interitu Conſolatoris veſtri. Plorate *pupilli abſque Patre* a efficiendi. Flete mercatores eum, qui *infinitus Theſaurus* b erat vobis. Plorate mulieres *Dilectum* c, & Sponſum veſtrum. Flete omnes tandem Fratrem veſtrum, cùm *ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* d. Ipſe enim damnatur ad mortem crucis præ infamiâ oppetendam. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte* e *Chriſtum Crucifixum*? Maria lacrymatur, Magdalena flet, omnes Apoſtoli gemunt, & omnes creaturæ ſuo dolent modo; nunquid nos ſoli non collacrymabimur?

r Epheſ. 5. 2. s Iſai. 55. 4. t Thren. 5. 16. u Iſai. 55. 4. x Pſ. 45. 2. y Luc. 19. 10. z Eccl. 36. 27. a Thren. 5. 3. b Sap. 7. 14. c Cant. 5. 8. d Rom. 8. 29. e Jer. 9. 1. f 1. Cor. 8. 23.

Mallem equidem eſſe in conclavi meo occupatus in meditandis his myſteriis amoris, affectu compaſſionis & doloris, quàm in explicandis iiſdem vobis: ſed cùm mihi incumbat ex officio mihi commiſſo ea vobis annunciare, ſolitus eram recurrere ad Mariam ad ſuſcipiendas influentias luminum illius, ſed hæc Deipara *pulchra ut Luna* g, hodie eclypſi ſuffunditur, *Ne vocetis me Noemi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt amaram.)* Eam dimitto, licèt invitus, cùm ipſa ſtatim ſubjungat, *Quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens* h. Sed quàmvis ipſa ſit amaritudinibus æquè ac doloribus oppreſſa, non teneor ipſa mihi ut ab ipſâ petam, *Qualis eſt Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò abiit, quò declinavit Dilectus tuus, & quæremus eum tecum* i? *Indica mihi, quem diligit anima mea*, æquè ac tua, *ubi paſcat, ubi cubet in meridie* k. Reſpondet proca de Ponte l, dicens hunc meridiem eſſe *locum Crucis, ad quam Chriſtus aſcendit hora ſexta, ſcilicet in meridie & cubuit in ea uſque ad horam nonam: & quàmvis tunc Sol fuerit obtenebratus, quaſi lugens mortem Creatoris, & tenebras perſecutorum indicans; tamen Chriſto Domino hora illa fuit verus ſpiritualis meridies, tum quia eius tribulationum æſtus pervênit ad ſummum; tum quia ardor charitatis non habuit altiùs quò aſcenderet: & ex utroque meridie eum cognoſcimus immenſum* *Redemptorem, ſapientiſſimum, & amantiſſimum Salvatorem, ac Protectorem omnipotentiſſimum*. Crux igitur eſt cubile Salvatoris, ibi enim ſuffigitur: eam ergo adire debemus, ejuſque auxilium implorare, cùm in illâ invenire debeamus Salvatorem, qui *eſt Dilectus* animarum noſtrarum. O Crux tu ſola exultas, quando totus mundus plorat; tu exaltaris, cùm Chriſtus inhonoratur; & tu honoraris, cùm Jeſus blaſphematur. Tu es *Arca ſuper aquas lata* m, cujus beneficio à diluvio damnationis declinabimus. *Altare holocauſti* o, ſuper quo ſacrificabitur Jeſus Chriſtus. Tu es patibulum, ſuper quod exaltandus eſt ſerpens myſticus Filius *hominis* o. Tu es currus, ſuper quo triumphabit ille qui futurus eſt mortis *mors*, inferni que *morſus* p. Te conſidero ut *clavem domus David ſuper humerum eius, & aperies, & non erit qui claudat, &* claudes, *& non erit qui aperiat* q. Uno tandem verbo, Tu es inſtrumentorum redemptionis noſtræ, ideò tuas hoc in occurſu mortis Redemptoris, imploro ſuppetias.

g Cant. 6. 9. h Ruth. 1. 20. i Cant. 5. 9. & 17. k Cant. 1. 7. l De Ponte lib. 3. in Cant. 1. & exhort. 3. parag. 4.

m Gen. 7. 18. n Exod. 38. 1. o Jo. 3. 14. ex Num. 21. 9. p Oſee 13. 14. q Iſai. 22. 22.

O Crux ave ſpes unica, &c.

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti omnium quæ unquam futuræ ſunt, paſſionum maxima, imò verò quas lingua poſſit exprimere, & intellectus concipere. *Paſſio.* Auditores, ſed *Domini noſtri Jeſu Chriſti. Paſſio*, quæ eſt nomen crudele, ſed *Jeſu Chriſti*, qui eſt nomen dulciſſimum, *Oleum effuſum Nomen tuum* r. *Paſſio*, quæ dicit & invehit mortem, ſed *Jeſu Chriſti* qui dicit vitam, *Ego ſum Vita* s. *Apud te eſt Fons vitæ* t. *Paſſio*, quæ ſignificat ruinam, ſed *Jeſu Chriſti*, qui denotat ſalutem, *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* u. *Paſſio*, quæ nos monet eorum, quæ Patiens ſuſtinuit in ſe, ſed *Jeſu Chriſti*, qui docet nos ea quæ ipſe Patiens lucratus eſt pro nobis, cùm *ipſe peccata multorum tulit* †. Id eſt, omnium noſtrum. *Paſſio*, quæ nobis hiſtoriam texit, ſed *Jeſu Chriſti* qui ſuis anguſtiis medius perfundit nos conſolatione. *Paſſio* cauſata à peccato, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* x. Crudeliter operi mandata à Judæis aut militibus inhumanis; ſed *Jeſu Chriſti*, qui eam patienter ſuſtinet in Animâ ſuâ æquè ac in Corpore ſuo. Sed quare *Paſſio* ſolùm modò, cùm tota Vita Chriſti fuerit continua *Paſſio*? Primò, Natus reclinatus eſt *in præſepio* y. *Poſtea eſuriit* z *pauper. & in laboribus à juventute* a ſuâ, *fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem* b. Vocatus eſt *Samaritanus, & dæmonium* habens à Judæis, qui conſequenter *tulerunt lapides ut jacerent in eum* c, ad perimendum illum, ſicut eum jam priùs quæſierant *interficere* d, velut etiam cùm *duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum* e. Sed hodie vocatur ſpecialiter *Paſſio*, quâ Chriſtus traditur, capitur, ligatur, percutitur flagellatur, laceratur, injuriis afficitur æquè ac verberibus, interrogatur, à falſis Teſtibus falſorum criminum inſimulatur, conſpuitur, alapis cæditur, ſpineo diademate redimitur, veſte lacerâ purpureâ aperitur, & ſceptrum arundineum præ deriſu manibus impoſitum geſtans à miniſtris illudentibus & genua flectentibus præ honore ementito, exploditur & exibilatur, quandiu ducitur è judicio ad judicium, ex opprobrio ad opprobrium, & ex ſupplicio ad ſupplicium, donec ſudore & Sanguine opertus crucifigatur.

r Cant. 1. 2. s Jo. 14. 6. t Pſ. 35. 10. u Matth. 1. 21. † Iſai. 53. 12. x Iſai. 53. 5. y Luc. 2. 7. z Matth. 4. 2. a Pſ. 87. 16. b Jo. 4. 6. c Jo. 8. 58. & 59. d Jo. 7. 20. e Luc. 4. 29.

Paſſio

Paſſio iſta fuit neceſſaria, non ſimpliciter, ſed propter neceſſitatem finis, ut docet D. Thomas f, *Quanquam neceſſarium non fuerit Chriſtum pati aliqua coactionis neceſſitate, vel ex parte Dei, qui ipſum pati deſiniverat, nec ipſius qui voluntariè paſſus fuit: neceſſarium tamen, & expediens fuit, ut ſibi, & nobis vitam promereretur æternam, pro nobis Patri ſatisfaciens. Fuit autem neceſſarium neceſſitate finis: qui quidem poteſt tripliciter intelligi. Primò quidem ex parte noſtrâ, qui per ejus Paſſionem liberati ſumus, ſecundùm illud, Oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam* g. *Secundò ex parte ipſius Chriſti, qui per humilitatem paſſionis meruit gloriam exaltationis. Et ad hoc pertinet quod dicitur, Nonne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam* h? *Tertiò ex parte Dei, cujus diffinitionem circa paſſionem Chriſti prænunciatam in Scripturis, & præfiguratam in obſervantiâ veteris Teſtamenti, oportebat impleri. Et hoc eſt quod dicitur, Filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit* i.

f D. Th. 3. p. q. 46 a. 1. in corp.
g ex Jo. 3. 14. & 15.
h ex Luc. 24. 26.
i Luc. 22. 22.

Præter iſtas rationes Paſſio Jeſu Chriſti fuit etiam neceſſaria ad mitigandam iracundiam Dei Patris exacerbati contra genus humanum propter peccatum primi Parentis qui vetito *de fructu comêdit* k. Et hoc propter tria capita. Primum ratione ingratitudinis Adæ, cui Deus tantos conceſſerat favores, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum* l. Secundum fuit facilitas præcepti, cùm paradiſus terreſtris alios contineret fructus & ſpecioſiores & meliores eo, cujus uſum ei prohibuerat, cùm *præcepit ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* m. Tertium fuit magna extenſio & generalitas hujus peccati, quod in homines ſe diffudit univerſos per Adam, *in quo omnes peccaverunt* n. Tantum ergo peccatum ſatisfactionem requirebat infinitam: atqui nemo poterat ſatisfactionem impendere infinitam niſi Filius Dei: quia prout homo patitur, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis* o. Quatenus verò Deus eſt, *& non habet finem* p, pretium ſuis tolerantiis impertitur infinitum. Omnes homines & omnes Angeli iſtam peragere non poterant ſatisfactionem infinitam, cùm vires eorum eſſent finitæ, & crimen hominis infinitum: Filius Dei igitur ſibi proponit mori, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus* †. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi* q. Hoc confirmat ratio, Ille, qui alium offendit, non poteſt illum meliùs mitigare, quàm interventu alicujus, qui ſit ei valdè amicus; Filius Dei eſt ſubjectum amoris Patris æterni, ut ipſe Pater æternus teſtatur, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* r. Nemo igitur meliùs poteſt mitigare iracundiam ipſius, quàm ille, & ideò ſuum exponit caput ſuſcipiendis fulminibus iræ ejus, ut innocens *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* s. Et ſic effuſio Sanguinis ipſius demulcet iram Patris æterni. Secunda ratio fuit, ut purgaret nos à ſceleribus, *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* t, ſolo charitatis ſuæ Divinæ allectus motivo, *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio* u, ait Pſalmiſta. Et Eccleſia concinit hoc tempore Paſſionis,

k Gen. 3. 6. &c.
l Sap. 2. 23. ex Gen. 1. 27.
m Gen. 2. 15. & 17.
n Rom. 5. 12.
o 1 Petr. 4. 1.
p Baruch. 3. 25.
† Rom. 5. 10.
q 1. Jo. 2. 2.
r Matth. 17. 5.
s Jo. 1. 29.
t Apoc. 1. 5.
u Pſ. 129. 7.

Ut nos lavaret crimine,
Manavit undâ & Sanguine.

Medicus videns hominem lethaliter vulneratum, debet ei ſuccurrere, eique ſanando remedia opportuna applicare, aut applicanda decernere. Dominus noſter ſe vocat Medicum, *Jeſus ait, Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus* x. Genus humanum erat vulneratum quoad corpus, & quantùm ad animam, ſignificatum hâc parabolâ recenſitâ à D. Luca y, & applicatâ à D. Auguſtino z, *Parabolam illam notiſſimam attendite, ubi homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui eum graviter vulnerantes, ſemivivum in viâ reliquerunt. Tranſiit quidam Sacerdos, neglexit eum: tranſiit Levita, & ipſe præteriit: tranſiit quidam Samaritanus, ipſe eſt Cuſtos noſter, ipſe acceſſit ad ſaucium, ipſe impendit miſericordiam, eique ſe præſtitit proximum, quem non deputavit alienum.* Oportebat igitur ut iſte Divinus Medicus proprio Sanguine ſuo hanc plagam lethalem curaret. In Lege *a* veteri erat *hic ritus leproſi quando mundandus* erat: Adducebatur *ad Sacerdotem, qui egreſſus de caſtris* præcipiebat *ei qui purificabatur ut offerret duos paſſeres vivos pro ſe, & unum ex paſſeribus immolari* jubebat, *&* dimittebat *paſſerem vivum, ut in agrum* avolaret. Genus humanum erat leproſum, & ut ſic illud *emiſit Dominus Deus de paradiſo voluptatis* b. Chriſtus *Jeſus ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* c, duas ferens naturas, Divinam & humanam, avolare fecit Divinam, relinquens humanam in puris ſuis viribus naturalibus, *Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto* d, Pelicanus inveniens pullos ſuos mortuos, roſtro ſibi pectus percutit præ compaſſione, & ſanguine quem inde eruit, ſatagit eis vitam reſtituere; huic avi etiam ſe comparat Chriſtus, qui Sanguine ſuo vitam gratiæ nobis impertitur, *Similis factus ſum pelicano ſolitudinis* e. Tertia ratio fuit, ut homini daretur acceſſus ad paradiſum, qui clauſus erat ob peccatum primi parentis, & per crucem aperitur. Hoc patet, Quia, ut dicitur, *Deus & natura nihil faciunt fruſtrà.* Atqui Deus creaverat hominem ad poſſidendum ſummum & *omne Bonum* f, ipſum amando, & poſſidendo: peccatum impediebat ne homo perveniret ad gloriam; propterea *ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna*, & conſequenter introducatur homo ad gloriam, *occidetur Chriſtus* g.

x Matth. 9. 12.
y Luc. 10. 30. &c.
z D. Aug. tract. 43. in Io. 8. 48.
a Levit. 14. 2. &c.
b Gen. 3. 23. &c.
c Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18. & Pſ. 109. 4.
d Pſ. 101. 8.
e Pſ. 101. 7.
f Exod. 33. 19.
g Dan. 9. 24. & 26.

In eâdem Lege h veteri debebat *profugus uſque ad mortem Pontificis in urbe reſidere*, hoc eſt, in civitate refugii, *poſtquam autem ille obierat, homicida in terram ſuam* revertebatur, & priſtinâ ſua donabatur libertate: ſic per mortem ſummi Pontificis Jeſu Chriſti omnia noſtra diſrumpuntur *vincula* i, & in antiqua libertatis noſtræ jura reſtituimur, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* k. Una è proprietatibus ſanguinis hircini in hoc eſt ſita, ut ſi calidus effundatur ſuper adamantem, illum in duas partes dividat, ut ait D. Bonaventura l, *Sanguine hircino adamas frangi dicitur.* Sic *nunc in Chriſto Jeſu vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in Sanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra; qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſuâ: legem mandatorum*

h Num. 35. 28.
i Pſ. 115. 8.
k Gal. 4. 31.
l S. Bon. ſerm. 4. in Paraſc.

rum decretis evacuans : ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet amboſin uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo m.

m Epheſ. 2. 15. &c.

Tres Leges, Lex Naturæ, Lex Moſaica, & Lex Evangelica pacificatæ fuerunt per ſanguinem. In Lege Naturæ, *Domino Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum : & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* n. *Ædificavit autem Noë altare Domino : & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis, & ait ad eum : Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines* o. Et, *Abraham vidit poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio* p. In Lege Moſaicâ offerebant Aaron, *& filij Aaron Sacerdotis ſanguinem, fundentes per altaris circuitum* q, &c. Et in Lege Evangelicâ Pater æternus ſibi *complacuit per* Filium ſuum *reconciliare omnia in ipſum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* r. Sed ut meliùs ſciamus quæ egit, & paſſus eſt Jeſus Chriſtus, fecit ſicut modò faciunt peregrini, qui adeuntes Romam ad lucrandas indulgentias, viſitant ſeptem Eccleſias : ſic ipſe ut *peregrinus* s impetraturus nobis indulgentiam plenariam omnium peccatorum noſtrorum, ſeptem peregit ſtationes, Primam in horto, Secundam in domo Annæ, Tertiam in palatio Caiphæ, Quartam in prætorio Pilati, Quintam in regiâ Herodis, Sextam rurſum in prætorio Pilati, Septimam in mõte Calvariâ. Hæc eſt diviſio iſtius diſcurſus.

n Gen. 4. 4. & 4.
o Gen. 8. 20. & 21.
p Gen. 22 13.
q Levit. 1 5. &c.
r Coloſſ 1. 19. & 20.
s Pſ. 68. 9.
Diviſio.

I. Pars. Incipiamus igitur ab horto Olivarum, & videamus quomodo cùm *Jeſus egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe & diſcipuli ejus* : ſtatim *cœpit pavere & tædere : & ait illis, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Sed unde oritur iſtud, Auditores? Nunquid non ipſe eſt, *Dominus virtutum* t, & *Dominus Deus exercituum* u? Et ut ſic quomodo poteſt in eo locum habere timor, qui eſt apprehenſio alicujus rei formidabilis; & tædium, quod eſt faſtidium vitæ, quod omnibus privat oblectamentis; & triſtitia, quæ eſt moleſtia, quâ aliquis afficitur ob jacturam illius, quod amat? Dixerat modò ipſe iiſdem diſcipulis ſuis, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Se nimirum ardenti affectu concupiſſe hunc diem paſſionum ſuarum. *Legalis etenim ille agnus præfiguravit immolationem Chriſti in arâ Crucis*, exponit Dionyſius Carthuſianus x. Et nunc ſermonem ſuum mutat. Unde procedere poteſt metamorphoſis ita ſubitanea? Sed quid? deſuntne illi vires, & animus? Non latet nos, & iſtud nos edocent hiſtoriæ, quòd puellæ ætatis teneræ, & ſexus infirmi tanto advolaſſe ad mortem martyrii viſæ ſunt animo, quanto ſi ad nuptias perrexiſſent; & quòd ex iis plurimæ deridentes Tyrannos & eorum ſupplicia, innumeris in eos inveherentur injuriis; quin imò quòd inter eas inventæ ſint aliquæ quæ invitaverint Tyrannos ut decernerent graviora ſibi infligenda ſupplicia, verùm etiam & nova adinvenienda, ut illa ipſæ experirentur. Si autem Chriſtus eſt Rex Martyrum, ut ei concinit Eccleſia y,

t Pſ. 23. 10.
u Iſai. 6. 3
x Dion. Carth. 2. 47. in Luc. 22 16.
y Eccleſia ex Apoc 20. 4.

Rex glorioſe Martyrum.

utquid eâdem non viget magnanimitate, quâ Martyres; & eâdem cordis alacritate obviàm morti procedit? Heu! Auditores, dolores illius ſic ſunt ingentes, & labores ſic immodici, ut dicere cogatur, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Quia licèt ante incarnationem ſuam nulli foret obnoxius infirmitati, aut timori, ut dicitur ei, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* z: tamen poſt incarnationem ſuam iis ſubjacuit: ideò mirari non debemus, ſi ipſe pavore, tædio, & triſtitiâ afficiatur : ſicut nec ſtupore cieri debemus, videntes magnanimitatem Martyrum *igne a examinatorum* : quia Filius Dei *ubi venit plenitudo temporis* b factus homo, *formam ſervi accipiens* c, noſtram ſumpſit infirmitatem; & ſuam dans nobis magnanimitatem, noſtrum cepit timorem. Contriſtatur igitur propter crimina hominum, ob ſcandalum Apoſtolorum, ratione dolorum Matris ſuæ, & intuitu ingratitudinis hominum, qui è tormentis, quibus erat ipſe expoſitus, deſumpturi non eſſent utilitatem.

z Pſ. 90. 10.
a Pſ 26 3
b Gal. 4. 4.
c Philipp. 2. 7.

In hoc ſtatu poſitus, orationi incumbit, ut doceat nos quomodo in afflictione conſtituti debeamus ad Deum recurrere. Formula orationis ejus quinque præ ſe fert conditiones bonæ orationi conſonas. Prima eſt locus ſolitarius, *Avulſus eſt ab eis*. Secunda humilitas, *Procidit*. Tertia perſeverantia, *Oravit tertiò, eundem ſermonem dicens*. Quarta reſignatio voluntati Dei, *Fiat voluntas tua*. Quinta dulcedo, modeſtia, & fiducia, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, trãſeat à me calix iſte* præ conditione: neſcimus enim utrùm expediat an id, quod petimus, nobis ſit concedendum. *Ipſe avulſus eſt ab eis*. Res eſt Jeſu difficilis derelictu diſcipulos ſuos. *Attollens Joſeph oculos, vidit Beniamin fratrem ſuum; feſtinavitque, quia commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ : & introiens cubiculum flevit* d. Joſeph erat figura Jeſu Chriſti; cùm *avulſus eſt ab eis*, id eſt, à diſcipulis ſuis, *erumpebant lacrymæ* ab eo, cujus ſunt *deliciæ, eſſe cum filijs hominum* e, quos tanto proſequitur amore. *Procidit in faciem ſuam*, Quia impoſitum ſuis deferebat humeris onus grave peccatorum hominum, ſicut ipſe de iis queritur, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam* f. Ipſe repræſentabat perſonam omnium peccatorum, *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum* g. *Procidit in faciem ſuam*, abſcondendo eam, quaſi verò non auderet eam erigere adversùs nos; aut ne videret tot horribilia & deformia ſcelera, *Ponet in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes* h. *Procidit*. Quaſi vellet oſculari terram, ad ſignificandam pacem quam relinquebat in diſceſſu ſuo, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* i; ſicut illam attulerat in adventu ſuo, *Gloria in altiſſimis Deo : & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* k. *Procidit*, ſicut Aſſuerus *cùm elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit. & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput* l. Ita humanitas Jeſu Chriſti intuita jacula terribilia Juſtitiæ Divinæ vibrata quaſi ex oculis Patris æterni, *procidit in faciem ſuam* contra terram, volens amplecti eam, è quâ diſcedebat, quaſi diceret, O Terra dilecta mea, ecce recedo à te, ad quam veni præ ſummo amore, in io quâ mihi maximè complacendo *converſatus* m *ſum*. *Et nunc vado ad eum qui me miſit. Exivi à Patre, & veni in mundum : iterum*

d Gen. 43 29. & 30
e Prov. 8 31.
f Pſ. 128. 3
g Iſai. 53. 6.
h Thren. 3. 29.
i Jo. 14. 27
k Luc. 2. 14.
l Eſth. 15 10.
m Baruch 3. 38.

n Jo. 16. 5. & 28. *rùm relinquo mundum, & vado ad Patrem* n.
Diceſſus meus non oritur ex irâ, aut ex odio,
ſed ex dilectione: in cœlo enim tuî ſemper
recordabor. *Procidit*, videns quòd Pater
ſuus *Deus Judex juſtus* contra Terram exa-
cerbatus; *arcum ſuum* tetenderat, & *illum*
o Pſ. 7. 13. &c. paraverat ad vibrandas *ſagittas* o vindictæ
ſuæ adversùs illam; idcircò inclinans ſe, *pro-
cidit*, malens in ſe ſuſcipere tela Divinæ Ju-
ſtitiæ, quàm ſi eis Terra læderetur. O incom-
parabilis amor! *Propter ſcelus populi mei per-*
p Iſai. 53. 8. *cuſſi eum* p. Heu! Salvator adorande nimis
q Gen. 3. 18. ſerò fœdus inis cum illâ: hæc *maledicta ter-
ra ſpinas & tribulos germinabit tibi* q. Ipſa
enim produxit lignum patibulare, cui ſuffi-
gêris; ferrum, clavos, malleos, & lanceam
quibus tuum ſacrum perforabitur Corpus:
r 3 Reg. 19. 7. ſed macte animo, *Grandis enim tibi reſtat
via* r. *Pater mi, ſi poſſibile eſt*. Conſidera,
Anima Chriſtiana, quomodo ille, *in quem*
s 1. Petr. 1. 12 *deſiderant Angeli proſpicere* s, quippe qui ſit
t Iſai. 9. 6 lætitia & gaudium cœlorum, triſtitiâ & affli-
ctione afficitur; *Deus fortis* t pavore & tæ-
u Jo. 14. 6 dio percellitur; *Veritas* u eſt attonita; &
x ibid. *Vita* x horrore mortis concutitur. *Circum-
dederunt me dolores mortis, & torrentes ini-*
y Pſ. 17. 5 *quitatis conturbaverunt me* y. *In me turbatum*
a Pſ. 142. 4. *eſt cor meum* a: *repleta eſt malis anima mea* b.
b Pſ. 87. 4. Idcircò *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me
calix iſte. Id eſt, paſſio tam acerba*, ut ſub-
c Dion. Carth. a. 42. in Matth. 26. 39. dit Dionyſius Carthuſianus c, & ait. *Non orat
abſolutè, nec ſecundùm rationem deliberatam
ut liberetur à morte, ſed conditionaliter & ſe-
cundùm naturalem appetitum, quo refugit
mortem: tamen ſecundùm voluntatem & ra-
tionis judicium paratiſſimus fuit ad paſſionem,
ideò ſubdit, Veruntamen non ſicut volo, hoc
eſt, appeto ſecundùm ſenſitivum, naturalem
& inferiorem appetitum, ſed ſicut tu vis, ſic
fiat. Ecce quam blanda, humilis, ſobria &
affectuoſa oratio, cujus formam imitari debe-
mus, Deum in oratione Patrem vocando, ei
aot humiliter preſternendo, rationabilia poſtu-
lando, noſtramque voluntatem Divinæ in om-
nibus ſubjiciendo.*

Iſto luctans agone *venit ad diſcipulos
ſuos*, ut aliquam haurire poſſit ex eorum con-
verſatione conſolationem; ſed nedum aliquod
ab illis levamen ſuſcipiat, *invenit eos dormi-
entes*. Alloquitur ergo Petrum qui erat Ca-
put ſui Collegii Apoſtolici, cui ipſe dederat
c Matth. 16. 19. *claves Regni cœlorum* d. *Et ait Petro, Si-
mon, dormis?* Vocat eum nomine ipſius an-
tiquo Simonis, & non Petri, quod eſt nomen
dignitatis ipſius, ut oſtendat, quòd ille, cui
incumbit cura animarum, non meretur no-
men Prælati & Paſtoris, niſi muniis ſuis invi-
gilet. *Simon dormis?* O Prælate, ô Paro-
che, ô Magiſtratus, ô Paterfamilias, ô Ma-
terfamilias quomodo appoſitè peragentur ne-
gotia veſtra, ſi dormitis? *Vigilate, & orate,
ut non intretis in tentationem. Spiritus qui-
dem promptus eſt, caro autem infirma.* Heu!
Salvator mi, poſſum equidem hæc tibi dicere
d Thren. 2. 13. verba Prophetæ d, *Magna eſt velut mare
contritio tua, quis medebitur tui?* Cùm ipſe
iſta proferas organo alterius Prophetæ, *Et ſu-
ſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit;*
e Pſ. 68. 21. *& qui conſolaretur, & non inveni* e, fusâ de-
nuò oratione. *Clamabo per diem, & non ex-
audies; & nocte, & non ad inſipientiam mi-*

hi f. Heu quomodo ſuper te cecidit hæc ma- f Pſ. 21. 3
ledictio? *In ſudore vultus tui veſcêris pane
tuo* g. Cùm ſudore ſis opertus ſanguineo u- g Gen. 3. 19.
niverſali, *Et factus eſt ſudor eius ſicut gutta
Sanguinis decurrentis in terram.* Timor op-
pugnat amorem duplici armorum genere, hor-
rore tormentorum, & infamiâ crucis. Ho-
mines de famâ cuſtodiendâ ſoliciti iſta jure ve-
rentur merito. Dux magnanimus præliatur
mente æquè ac corpore, timore & amore.
Animus videns decretum Dei, recedere vole-
bat à corpore; & Corpus advertens ſe jam
jam deſerendum ab Animâ ſic ſpecioſâ, præ-
liatur, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut gutta San-
guinis decurrentis in terram*, quaodiu priùs
apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum,
eique ſimilia dicens verba circùm circà quæ di-
xit alter Angelus Joſue poſt mortem Moyſis,
ad animandum eum ad prælium, *Confortare,
& eſto robuſtus* h. Niſi fortè iſte ſit idem An- h Joſue 1. 6.
gelus, qui apparuit Joſue, cùm omnes appa-
ritiones Dei in veteri Teſtamento fierent per
Angelos, ut docet Cornelius i; & dicat i Cornel. in Gen. 17. 1. &c.
Dionyſius Carthuſianus, *Probabile eſt Ange-
lum iſtum fuiſſe Michaëlem tunc Principem
Synagogæ, cuius Chriſtus fuit perſona digniſ-
ſima: apparuit autem Angelus iſte de cœlo,
hoc eſt, deſcendens de cœlo, & prope ac ante
Chriſtum ſtans viſibiliter in corpore aſſumpto,
confortavitque eum, hoc eſt, verba conſolato-
ria & confortatoria laude plena loquebatur
ad Chriſtum, dicendo hæc, ſive ſimilia* k. Con- k Dion. Carth. a. 48. in Luc. 22. 43.
fortare, ecce flagella, quæ erunt thorax,
quem indues. *Confortare*, en vincula, quæ
erunt cingulum militare. *Confortare*, ecce
crux, quæ erit equus, cui inſidens exercitum
hoſtium debellabis, & de illo glorioſum re-
feres triumphum. *Confortare*, ecce clavi, qui-
bus ut ſubicibus & fulcris ephippiatus faciliùs
hunc equum furioſum crucis aſcendes; hi
clavi perforabunt tibi *manus & pedes* l. Ecce l Pſ. 21. 17.
ſpongia quæ poſt tibi ſubminiſtratum tuam *in
eſcam fel, in ſiti aceto* m te potabit, poſt ex- m Pſ. 68. 22.
hauſtas vires tuas media inter certamina. Ecce
lancea, quæ erit ultimum ornamentum, ipſa
erit velut clavis, quâ Divinorum aperietur arca
theſaurorum, & quæ reſerabit fontem, cujus a-
quis Sanguine mixtis abluentur maculæ filio-
rum Adam.

Ecce appropinquant hoſtes tui, tempus eſt ut
illis procedas obviàm; injuriis, maledictioni-
bus, & blaſphemiis te impetent, ſed Angeli te in
æternum benedicent, *Confortare, & eſto robu-
ſtus*. Ecce ipſe guttas per poros emittit ſangui-
neas propter amorem noſtrum, Auditores; en
Deus ſudorem effundit ſanguineum ſub gravita-
te peccatorum noſtrorum, *Poſuit Dominus in* n Iſai. 53. 6.
eo iniquitatem omnium noſtrûm n. Propterea
ipſe dixit, *Non veni facere voluntatem meam,
ſed ejus, qui miſit me* o. Et hodie iſtud confir- o Jo. 6. 38.
mat, dicens, *Fiat voluntas tua*. Et hâc ductus
cogitatione diſponit ſe ad *calicem ſalutaris* p p Pſ. 115. 4
Paſſionis accipiendum, & ad amplectendam
crucem, *Paratum cor meum, Deus* †; in quâ † Pſ. 107. 2.
totum effundet Sanguinem ſuum, quem jam in-
cipit foras emittere. Heu Maria ubinam es
modò ad exhibendum aliquod obſequium
charitativum Filio tuo tantâ anguſtiâ affe-
cto? Quàm libentiſſimè tergeres faciem
ejus pretioſo tinctam ipſius Sanguine &
oculos illius lacrymis madentes. Sed heu

nec

nec tibi licet hujuſmodi obſequium illi impendere, nec ei illud à te ſuſcipere! Heu, Salvator adorande, quibuſnam poſteà afficieris doloribus, cùm nunc tantâ vexeris anguſtiâ? quid ages patiendo tormenta, cùm ſola eorum cogitatio è poris Corporis tui ſudorem educat ſanguineum? Vos autem Auditores nunquid non compatiemini Chriſto? lacrymas effundere intuitu dolorum ejus & anguſtiarum illius: ſi autem defectu amoris flere non poteſtis, ſaltem plorare ob multitudinem peccatorum veſtrorum; quæ ſunt cauſa dolorum ejus. Non illum flagellis excipiunt carnifices, nec *milites plectentes coronam de ſpinis, capiti ejus* imponunt, nec hujuſmodi ſpinæ, clavi, & lancea eruunt Sanguinem è Corpore ejus, ſed onus peccatorum veſtrorum hunc educit ex eo ſudorem cruentum. Fuci veſtri, ô mulieres, deformant & cruentant faciem ejus; & concupiſcentiæ & avaritiæ veſtræ operiunt Corpus ejus ſanguine.

Surgite, eamus: ecce, qui me tradet, propè eſt. Jeſus ſuos animat diſcipulos, & ſicut perfectâ præditus eſt charitate, ſic ejus *perfecta charitas foras mittit timorem* q. Apoſtoli erant veluti incolæ civitatis improvisò ab hoſtibus obſeſſæ: re autem verâ quare tantus exercitus ad debellandos duodecim Viros inermes? cur ad quærendos eos nocte, cùm diebus ſingulis converſaretur Jeſus inter Judæos? *Dederat autem traditor ejus ſignum eis, dicens, Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum, & ducite cautè.* Cujus rationem reddit Dionyſius Carthuſianus r, *Sciebat nempe ſubtilem eſſe Magiſtrum ſuum, propter quod timuit, ne elaberetur è manibus miniſtrorum, quemadmodum ſæpè elapſus fuit de manibus Judæorum* s. Sic agunt mundus, diabolus, & caro adversùs peccatorem. Cùm diabolus ſemel vinxit eum funibus ſuggeſtionum ſuarum, clamat, *Ducite cautè.* Cùm mundus tenet illum conſtrictum vinculis vanitatis, ambitionis, & avaritiæ, contentâ voce inclamat, *Ducite cautè.* Quando caro ipſum alligavit catenis voluptatum ſenſualium, vociferatur, *Ducite cautè.*

q 1. Jo. 4. 18.

r Dion. Carth. a. 42. in Matth. 26. 48. ex Marc 14. 44.

s ex Jo. 8. 59.

Jeſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit, & dixit eis, Quem quæritis? Reſponderunt ei, Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus, Ego ſum. Sed attende tibi, Salvator mi; ſi te manifeſtes, non minùs quàm de capite tuo agitur: huc convenerunt iſti miniſtri ad te capiendum. *Ego ſum.* Quaſi diceret, *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates* veſtras *propter me, & peccatorum non recordabor* t veſtrorum, ſi eorum vos pœniteat. *Ut ergo dixit eis, Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* In eos ſic corruentes invehitur hoc modo D. Auguſtinus u, *Ubi nunc militum cohors, & miniſtri Principum ac Phariſæorum? Ubi terror munimen armorum? Nempe una vox dicentis, Ego ſum, tantam turbam odiis ferocem armiſque terribilem, ſine telo ullo percuſſit, repulit, ſtravit. Deus enim latebat in carne: & ſempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris. Ego ſum, dicit, & impios dejicit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus* hoc potuit? Tu verò Juda quid cogitas? Ubi ſunt fraudes tuæ, & perverſa conſilia tua? Surge modò è terrâ, ſi potes, & tuas exequere pollicitationes. Tu autem Salvator mi, quid amplius concupiſcis? Victoria penes te eſt, proſtrati ſunt hoſtes tui, revertere cum diſcipulis tuis in locum tuum. Ha! ipſe hoc actu oſtendere vult mundo ſe libenter velle mori, *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio* x. Et ſic occaſionem præbet Judæ, & univerſæ cohorti Divinitatis ſuæ agnoſcendæ, virtute cujus fortitudinem habet incomparabilem. Si vox illius, qui erat *quaſi agnus manſuetus* y inter lupos, eos proſtravit ſolo balatu; quid non aget ipſo judicii extremi die, cum iracundiâ fervens rugitum edet inſtar leonis, *Leo rugiet, quis non timebit* z.

t Iſai. 43. 25.

u D. Aug. tract. 112. in Jo. 18. 6.

x Jo. 14. 31.

y Jer. 11. 19.

z Amos 3. 8.

His non abſtantibus *Judas confeſtim accedens ad Jeſum, dixit; Ave Rabbi: & oſculatus eſt eum.* O proditor nefande quomodo tuum vocas, Magiſtrum eum, quem manibus inimicorum ejus tradis? Hominum ſceleſtiſſime attende ad ea quæ dicis. Quid eſt, *ave*, niſi ſine væ? Quid eſt *Rabbi*, niſi Magiſter? Si ergo Jeſus Chriſtus eſt ſine væ, id eſt, abſque peccato, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* a, utquid dolus in ore tuo invenitur, ut tradas eum quaſi malefactorem? Si eſt *Rabbi*, hoc eſt, Magiſter tuus, cur non revereris illum? ſicut ipſe queritur de te, *Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus, dicit Dominus Deus exercituum* b: Ubi eſt obedientia quam exhibere debet diſcipulus Magiſtro ſuo? & ubi eſt reverentia quam impendere debet Apoſtolus illi, qui *elegit* c ipſum ad Apoſtolatum? Ha! iſtud non eſt oſculum, quod petit Magiſter tuus à fratribus ſuis, quorum eſt natu maximus, *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* d. Iſto ſalutari non vult *oſculo*. Oſculum petit ipſe pacis, & tu infigis ei oſculum interitus. O dilectio Jeſu incomparabilis! *Dixitque illi Jeſus, Amice, ad quid veniſti? Juda, oſculo Filium hominis tradis.* Vocat Judam amicum ſuum. Intereà perpendite obſtinationem hujus proditoris, cujus *cor tanquam lapis* e induratur, nedum emolliatur videndo ſe vocari amicum à Filio Dei, quaſi diceret, Si veneris quæſitum veniam culpæ tuæ, benè veneris: ſi verò ad me tradendum, iſtud ego non fui meritus. *Amice* utquid te Ducem meorum conſtituiſti inimicorum? Jamne oblitus es favorum, quibus te cumulavi? Eſtne hæc proditio merces, quam pro iis impendis mihi? Tu ſalutas me *ave*, quaſi mihi longam deſideres vitam; & procuras mihi mortem: tu vocas me Dominum tuum; & me vendis ut ſervum: tu me oſcularis ut amicum; & tradis me ut inimicum. Cogita ea quæ agis, *Juda, oſculo Filium hominis tradis.* Noli credere eum eſſe Filium Dei, licèt ipſe iſtam te docuerit veritatem f; ſed *Filium hominis tradis.* Hoc eſt, unum è fratribus tuis, de ſanguine tuo, de carne tuâ, & de natione tuâ, cum quo ita diu converſatus es, ſed eum *oſculo tradis*, quod eſt pignus amoris & ſignum pacis.

a 1. Petr. 2. 22 ex Iſ. 53. 9.

b Malach. 1. 6.

c Luc. 6. 13 & 16.

d Rom. 8. 29.

e Job. 41. 15.

f Jo. 14. 10. &c.

Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum. Sed heu nunquid non eſt aliquis qui defendat eum? *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quaſi diceret, non decere ut Eccleſiaſtici tractent arma, quorum uſus ipſis interdicitur abſque licentia: ipſorū enim arma ſunt jejunia, vigiliæ, orationes, & lacrymæ. *Et ligaverunt eum.* Ecce nonne *Arca Dei capta eſt* g. Ecce nunc caſtus *Joſeph* jam venditus, & proditus h, vinculis conſtrictus, jam jam *in carcerem* i projiciendus. Ecce generoſus *Samſon catenis* k vinctus. Sed Salvator mi, tu es *omnipotens* l; & ideò facilè hos omnes potes funes infringere. Verum eſt, Auditores, ſed noſtra ſic eum tenent alligatum peccata ut evadere nequeat, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, ait David m. Et Lorinus n, *Iſtis funibus flagellatus Chriſtus.* Et ego dico cum illo, *Iſtis funibus Chriſtus* ligatus, dicit, *Circumdederunt me canes multi: circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me* o. Ecce, Anima mea, *Virtus* p ligatur, *Sanctus Dei* q captivatur, *Sapientia* r deridetur, *Rex gloriæ* s inhonoratur, *Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* t obſcuratur? O amor cordis mei, o ſuavitas animæ meæ, nonne ergo te conſtringunt vincula, ut mihi concilient libertatem?

Sed heu ubinam deſero ego Apoſtolo? *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves gregis* u. Ubi eſtis Apoſtoli? Quò fugitis ita velociter? quis expellit vos? quid timetis; ubinam dereliquiſtis Dominum veſtrum; Fugiſne ô Petre, qui dicebas modò ei, *Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire*? Tu verò Joannes, qui recubuiſti *ſupra pectus Jeſu* x, quemnam amorē rependis ei, tu, inquam, qui jactas te *diſcipulum, quem diligebat Jeſus* y? Tu autem Thoma, qui dicebas aliàs, *Eamus & nos, ut moriamur cum eo* z, quamnam præ te fers charitatem erga eum? Tu verò, Jacobe, qui interrogatus cum fratre tuo Joanne, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* reſpondiſti cum illo, *Poſſumus* a; excidiſtine animo ſicut ille? Vos autem Jacobe *Alphæi*, & b Juda Thadææ, qui ei ſic strictà eſtis ligati cognatione c, dereliquiſtiſne eū ſic? O puſillanimitatem! o exiguā fidē: *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Heu! nullus invenitur qui ei ad extremæ neceſſitatis anguſtias redacto ferat opem. Ubi ſunt infirmi, quos ſanavit d? Ubi *decem viri leproſi* e? Ubi paralyticus *triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ* f? Vbi homo cæcus *à nativitate* g? Vbi *adoleſcens* h ab eo ſuſcitatus? Vbi *manducantium numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis* i? Nemo eſt qui agnoſcat eum, ut ipſe queritur, *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni* k. *Conſiderabā ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me* l. Nos autem non ſimus ingrati, Auditores, ſequamurque nos eum uſque domum Annæ. Vos autem conſiderate paulìſper ea quæ ibi Chriſtus patitur, quandiu ego tantiſper requieſcam.

g 1. Reg. 4. 11. h Gen. 37. 17 &c. i Gen. 39. 20. k Judic. 16. 20. & 21. l Eſth. 13. 9. m Pſ. 118. 61. n Lorin. in Pſ. 118. 61. o Pſ. 21. 12. 17. & 13. p Pſ. 45. 2. q Marc. 1. 24. r 1 Cor. 1. 30. s Pſ. 23. 7. &c. t Sap. 7. 26. u Matth. 26. 31. ex Zach. 13. 7. x Joan. 13. 25. y Joan. 21. 20. z Joan. 11. 16. a Matth. 20. 22. b Marc. 3. 18. c Marc. 6. 3. d Matth. c. 8. & ſeq. e Luc. 17. 12. &c. f Joan. 5. 5. &c. g Joan. 9. 1. &c. h Luc. 7. 14. i Matth. 14. 21. k Pſ. 68. 21. l Pſ. 141. 5.

Et adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Introductum domum iſtam Ieſum derident omnes qui in eâ ſunt, & qui eum ſunt in illā comitati, *Id eſt, priuſquàm ducerent eum ad Caipham: Nam primò occurrit eis ab extrà venientibus domus Annæ. Voluerunt ergo eum lætificare, præſentando ei ligatum quem oderat: item ut ei reverentiam exhiberent tanquam affini Caiphæ, quemadmodum ſubditur, Erat autem ſocer ipſe Annas Caiphæ, quia habuit filiam Annæ, qui Caiphas erat Pontifex anni illius. Quamvis enim ſecundùm Legem* m *debuit eſſe unus ſummus Sacerdos uſque ad finem vitæ ſuæ, cui ſuccederet filius eius, jam tamen per ambitionem Judæorum, quolibet penè anno mutabantur Pontifices. Annas verò & Caiphas tanquam pecunioſiores, frequentiùs præſidebant vicibus alternatis,* ait Dionyſius Carthuſianus n. *Pontifex ergo interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis.* Ieſus autem nihil reſpondit ad hoc, cùm nullum dicere poſſet bonum *de diſcipulis ſuis*, qui ipſum dereliquerant; maluit tacere, quam de illis malè loqui: tunc autem verā oportuiſſet ut diſſiſſet, eos fuiſſe inconſtantes & infideles, & quòd ipſum deceperant in promiſſis ſuis, ad edocendus nos, ut non ita facilè de alienis loquamur culpis, præſertim ſi ſint occultæ. Sed *obſtupeſcite cæli ſuper hoc* o! Vt *Pontifex interrogavit Ieſum de doctrinâ eius: & reſpondit ei Ieſus, Ego palàm locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagogâ, & in Templo, quò omnes Iudæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil: quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego: hæc cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici?* Poteratne meliùs reſpondere Chriſtus, quàm ſic, quis non crediturus fuiſſet in facto ſuo? Agitne malè, dum ait ut interrogentur illi, qui ipſum audierint? Quamnam commiſit irreverentiam? & tamen, ô impudentia inaudita! alapa percutitur à ſervo: ille qui *formavit hominem de limo terræ* p, colaphum ſuſcipit à manu, quam ipſe finxit. O Adam qualem injuriam irrogaſti Creatori tuo, cùm vetito *de fructu* q comediſti? Tunc Deus tuus primo ictu manus percuſſus fuit. Servus, qui aliàs libertate donabatur, colapho percutiebat manu Domini ſui: *Libertate Chriſtus nos* r liberare volens Dominus noſter à ſervitute peccati, diaboli, & mortis, injuſtè alapâ cæditur. Eò quòd Rex Achab monitus eſſet à Propheta Michæa, ne crederet falſis Prophetis, alapa percuſſus eſt Michæas coram Rege à Sedecia, qui ſe Prophetam dicebat: *Acceſſit Sedecias, & percuſſit Michæam in maxillam, & dixit, Mene ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi* s? Sed Ieſus Chriſtus percutitur ab homine vili. Ierobuam *exaruit manus, quam extēderat contra* t Prophetam quendam: hîc non percutitur tantùm Propheta, ſed Deus. Res inaudita! Deus cæditur à famulo. Suavitas Dei mei! Ipſe in praxim redigere voluit id, quod nos docuit, *Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram* u. *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?* Infamis iſte ſervus colaphum infligit Jeſu, & Jeſus ipſum patitur. Petrus negat Chriſtum, & hanc negationem Chriſtus ſuſtinet, *Secundùm Auguſtinum* x, *& eius imitatores, qui dicunt trinam negationem Petri in domo Annæ completam*, ait Dionyſius Carthuſianus y. Heu Petre quid cogitas? cùm ais, *Non novi illum.* Amiſiſtine notitiam Domini tui, qui *ambulans juxta mare Galilææ*, videns te & *Andræam fratrem tuum mittentes rete in mare*, dixit vobis *Venite poſt me: faciam vos fieri piſcatores hominum* z. Nonne vidiſti hunc aliàs transfigura-

m ex Num. 35. 25. n Dion. Carth. art. 41. in Ioan. 18. 13. o Ier. 2. 12. p Gen. 2. 7. q Gen. 3. 6. &c. r Galat. 4. 31. s 3. Reg. 22. 23. & 24. t 3. Reg. 13. 4. u Luc. 6. 29. x ex D. Aug. lib. 3. de Conſens. Evangeliſt. c. 6. y Dion. Carth. art. 44. in Ioan. 18. 24. z Matth. 4. 18. & 19.

tum in monte Thabor, ubi dicebas, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe* a? Ignoraſne quòd quondam dixiſti ei, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi* b? PETre re vera tu es *amicus ſocius menſæ, & non in die neceſſitatis* c permanens, cùm hodie quando nihil tibi ſupereſt cum eo lucrandum præter verbera, & contumelias, & mortem, ab eo recedas, *Homo, neſcio quid dicis. Et converſus Dominus reſpexit Petrum*. Beatus intuitus Salvatoris, qui perfungens officio linguæ, & intima pervadens Petri viſcera, dicebat ei, Siccine diſcipule ingrate me negas? nunquid dilectionem, quâ te ſemper proſecutus fui, compenſas hâc immemoris animi labe? ubi eſt fides tua? iſti cruciant Corpus meum, tu autem Animam meam miro vexas modo. Quàm validus eſt aſpectus oculi tui, Salvator mi, cùm penetrans cor iſtius Apoſtoli, ex eo eruas lacrymas ita abundantes contritionis & pœnitentiæ, *Et egreſſus foras Petrus, flevit amare*. Felices lacrymæ, quæ extinxerunt ignem æternum, qui accendebatur ad puniendum illud crimen! Beata ſuſpiria, quæ audita fuerunt à Salvatore! Suavis amaritudo, quæ purgavit infidelitatem! *Egreſſus foras*. Egrediendum eſt foras ad agendam pœnitentiam, fugiendæ ſunt occaſiones: nam *qui amat periculum, in illo peribit* d. Deinde, *Flevit amarè*. Væ illis peccatoribus, qui ſunt ſine lacrymis & pœnitentiâ, licèt jugiter Deum negent, eumque blaſphement; ſed pro certo teneant, quòd niſi agnoſcant eum pro eo quod eſt, ſimiles erunt reprobis, & Jeſus Chriſtus non agnoſcet ipſos ut ſuos, ſed dicet ipſis, *Amen dico vobis, Neſcio vos* e.

Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes, Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit. Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum. Ha Chriſtiane! quid putas te agere, cùm æquo ferre non potes animo leve aliquod verbum, & vindictam meditaris referre de illo, qui aliquam tibi irrogavit injuriam? Sed nunquid non ipſemet injuriam inferas Salvatori tuo? nonne illi colaphos impingis, velut puſillanimo, eò quòd paſſus ſit ſe interrogari à Pontifice, ipſe qui eſt *ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* f? Eò quòd permiſerit ſe malè excipi à Judicibus, *ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* g? Quòd tulerit ſe à ſervis colaphizari, ipſe qui eſt *Dominus & Magiſter* h? Nunquid non dicis, ulciſcendo te, eum non fuiſſe magnanimum, eò quòd de injuriâ ſibi multoties irrogatâ nullam vindictam retulerit? Audeſne dicere, quòd ſi illi, qui ita malè exceperunt Salvatorem, tecum rem habuiſſent, eis tu vitam abſtuliſſes; aut priùs illi tibi tuam eripuiſſent vitam, quàm aliquid tuî à te abſtuliſſent? Et ecce Filius Dei, qui eſt *Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat majeſtati* i ejus, qui ad nihilum redigere poteſt omnes eos, qui ipſum aggrediuntur, multas perpetitur indignitates propter te, qui tantâ tumes ſuperbiâ ut aſpiciendum te torvis non ſinas oculis, nec dicendum tibi aliquod verbum niſi appoſitiſſimè. Ipſe ſinit conſpuendum vultum ſuũ, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* k, *cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* l, in quo renitet pulchritudo cœli, & intuendæ exhibentur omnes perfectiones creaturarum; quandiu mulieres ſuam pigmentis fucantes faciem, in hunc Dei Filium ſputa denuò conjiciunt. Vos autem Judæi ingrati, qui percutitis *faciem ejus, dicentes, Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit?* dubitatiſne quòd ipſe non ſit Propheta? Si autem plenam veritatis iſtius conciliare vobis velitis notitiam, interrogate Prophetas nationis veſtræ, & eam vos illi edocebunt? Quid ais de eo Joannes Baptiſta, qui annuntiaviſti hunc magnum Prophetam? Nunquid non dixiſti? *Venit fortior me poſt me: cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus* m. Moyſes quid dicis de illo? Nonne ipſe eſt, quem Divinâ ductus inſpiratione prædixiſti? *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, & ponam verba mea in ore ejus* n. Tu verò popule rebellis & *duræ cervicis* o, nonne confeſſus es eum eſſe magnum Prophetam? *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam* p. Nonne illi ex vobis qui *diſcubuerunt viri, numero quaſi quinque millia, ut impleti ſunt, cùm vidiſſent quod Jeſus fecerat ſignum, dicebant? Quia hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum* q. Quomodo igitur audes eum nunc percutere, & deriſoriè vocare eum Prophetam, dicendo, *Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit?* Cùm non ſolùm ſit Propheta, ſed etiam ille qui omnes loqui facit Prophetas. Quis intellectus concipere poteſt, nedum aliqua poſſit exprimere lingua, pœnas & tormenta, quæ Jeſus Chriſtus iſtâ pertulit nocte? Populus eum maledictionibus impetit, miniſtri illum excruciant, jactura Judæ ipſum affligit, negatio Petri illi triſtitiam infert; & infortunium quod illum ſequitur populum, immodicum generat ei faſtidium. O nox obſcura & tenebroſa Apoſtolis, qui eum dereliquerunt; Petro, qui illum *negavit*; & Judæ, qui ipſum tradidit! O nox caliginoſa Mariæ, quâ ipſa non poteſt videre Filium ſuum! Maria ubi es? Genitrix deſolata quomodo agis? cur non quæris dilectum tuum? Tu quæſiviſti eum aliàs, *& illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos* inveniſti, quandiu *ſtupebant omnes qui eum audiebant, ſuper prudentiâ & reſponſis ejus* r, eumque honorabant ut Magiſtrum ſuum: invenies quidem eum modò in civitate inter Doctores, ac non præ honore, ſed præ infamiâ & dedecore, non ut Salvatorem, ſed quaſi malefactorem vinculis conſtrictum; non libenter auditum à Sacerdotibus, qui gaudeant de doctrinâ & reſponſionibus illius, ſed qui furore rabido adversùs illum commoventur. Heu quàm meliùs poſſes ei modò dicere quàm tunc! *Dolentes quærebamus te* s. Quæres eum tamẽ inter Apoſtolos, & invenies eũ inter duos latrones pergentẽ ad montem Calvariam, ut ibi patibulo crucis mediâ luce ſuffigatur. Intereà omnes Apoſtoli errantes quaſi oves abſque Paſtore, vagi ſine aliquo Duce, adeunt Virginem ſacratiſſimam. Quanto dolore affecta eſt hæc ſanctiſſima Deipara, cùm illos eſt intuita? Omnes lacrymas effundunt, & ab eâ veniam efflagitant ſe ita puſillanimiter dereliquiſſe Filium ipſius media inter pericula conſtitutum: ipſi lapides compaſſione fuiſſent perculſi, ſi ſenſu viguiſſent, præ tantis lacrymis. O miſeranda familia Jeſu! Tuæ verò lacrymæ, Salvator mi, qui pœnas tuas experiris, ſunt gaudium meum; labores tui ſunt requies mea; fleo & lacrymando gaudeo de fletibus tuis, & conſolor me propter tormenta tua.

Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem generum ſuum, quaſi malefactorem inſi-

a Matth. 17. 3. &c.
b Matth. 16. 16.
c Eccl. 6. 10.
d Eccl. 3. 27.
e Matth. 25. 12.
f Hebr. 6 20. ex Gen. 14 18. & Pſ. 109. 4.
g Act. 10 42.
h Jo. 13. 14.
i Eſth 13. 11.
k 1. Petr. 1. 12.
l Hebr. 1 3.
m Marc. 1. 7.
n Deut. 18. 18.
o Exod. 32 9.
p Luc. 7. 16.
q Jo. 6. 10. &c.
r Luc. 2. 46. & 47
s Luc. 2. 48.

inſignem, præ inſolentiis intolerandis, quæ nullo concipi poſſunt modo. Ibi gerebantur negotia Eccleſiaſtica, ibi erat circulus & congregatio Antiquorum, Sacerdotum, Scribarum, & Phariſæorum, *Principes autem Sacerdotum & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum ut eum morti traderent; & non invenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt, Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei,*
t ex Joan. 2. 19. *& poſt triduum reædificare illud* t. *Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi, Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adversùm te teſtificantur? Jeſus autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi, Adjuro te per Deum vivum: ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dicit illi Ieſus, Tu dixiſti. Veruntamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce, nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis.* Cujus reſponſionis rationem dat Dionyſius
u Dion. Carth. art. 42 in Math 26 60 & 67 Carthoſianus u, *Quia ſecundùm Legem blaſphemi interficiebantur* x. Et ſtatim ſubdit ex
x Ex Levit. 24. 14. ſequelâ ejuſdem S. Matthæi. *His dictis omnes indignati ſunt contra Jeſum, eumque cordialiter ac vehementiſſimè ſpernentes, unanimiter irruerunt in eum pœnis atque injuriis afficientes, quemadmodum ſubditur, Tunc expuerunt immundiſſimi illi canes in faciem ejus ſanctam, gratioſiſſimam, atque dulciſſimam, in quam deſiderant*
y Ex 1. Petri 1. 12 *Angeli ſancti proſpicere* y: *& colaphis eum ceciderunt. Hæc expoſitione non indigent, ſed admirationem & compaſſionem requirunt. Cùm hæc*
z Iſai. 50. 6. *agerentur, impletum eſt quod per Iſaiam* z *loquitur Chriſtus, Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.*
a Ex Iob 30. 11. *Tunc quoque impletum eſt illud Job* a, *Aperuerunt ſuper me ora ſua, exprobrantes tenuerunt cervicem meam, percuſſerunt maxillam meam, ſaturati ſunt pœnis meis. De hoc & Sibylla legitur propheta ſſe, Dabunt Deo alapas manibus inceſtis. Inſuper ſecundùm Lucam, Alia multa blaſphemantes dicebant contra Ieſum. Unde & David* b
b Pſ. 21. 14. *in perſonâ Chriſti prædixit, Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens.*

Salvator adorande quantâ perfunderis conſolatione inter has injurias & iſta verbera intuitu innocentiæ tuæ medias inter has omnes perverſas accuſationes: ſed tamen quis poſſet audire, quin lacrymas effundat ſanguineas, quonam modo iſti impii ſuas injecerunt manus ſacrilegas in adorandam humanitatem tuam, cujus alligantes manus, quarum opera ſunt cœli æquè ac terra; *Et, Tu in principio Domine terram fun-*
c Hebr. 1. 10. ex Pſ. 101. 26. *daſti; & opera manuum tuarum ſunt cœli* c: inſtar agni innocentis duxerunt te ad carnificinam? *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non a-*
d Iſai. 53. 7. *periet os ſuum* d. Quandiu ipſe in hoc ſtatu poſitus non deſtitiſti effundere ſuper illos Divinæ tuæ miſericordiæ radios, & ſtillare mel ſuavitatis tuæ ordinariæ mediis aſpectibus amanobus, quos perſæpè in eos ejaculabatis. Præſentatus es circulo perverſo Scribarum & Phariſæorum, & ibi confeſſus veritatem ſecundùm formulas & apices Juris, ibi damnatus es ad mortem, tanquam ſi enormis conſcius fuiſſes blaſphemiæ.

Quantas indignitates, & quàm ingentia opprobria perpeſſus es à natione tuâ! In tuum conſpuerunt vultum, quem *multi Prophetæ & Iuſti cupierunt videre, & non viderunt* e. Deriſerunt e Matth. 13. 17.
te quaſi *deſpectum & noviſſimum virorum* f. *Ego* f Iſai. 53. 3.
autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & moverunt caput g. Et licèt verum ſit quòd *Dominus o-* g Pſ. 21. 7 & 8.
mnium es h; te tamen diriùs exceperunt, quàm viliſſimum quemque excipere potuiſſent ſervum. h Eſth. 13. 11.
Ha! Auditores, ſi innocentes eſſemus & juſti coram Deo, nullo paſſionis motu afficeremur propter opprobria & injurias quæ nobis arrogantur, nec ullam de illis meditaremur expetere vindictam, qui noſtræ offecerunt famæ, & ideò nullo proſequeremur odio proximum noſtrum, & aliter ageremus quàm fecerunt Caiphas & alii Sacerdotes, qui dirè non exceperunt Chriſtum niſi ex odio quod in corde ſuo conceperant contra innocentiam & ſanctitatem ejus: non conſpueremus ampliùs *in faciem ejus.* Id eſt, eò non procederemus impudentiæ ut offenderemus eum præ oculis ipſius, coram ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; neque percuteremus ampliùs *eum colaphis* cædendo, id eſt, voluptatibus noſtris, avaritiâ, & ſuperbiâ noſtrâ, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* i. Sed noſtras moderaremur delicias, & noſtra colloquia inhoneſta, avaritiæ imponeremus limites conſonos, & ſuperbiam retunderemus, humilitati Chriſtianæ incumbendo. i 1. Ioan. 2. 16.

Adducunt ergo Jeſum à Caipha in prætorium VI. Pars.
Pilati Præſidis Tyberii Cæſaris Romanorum Imperatoris, & Regis Jeroſolymorum, ligatum magis *vinculis charitatis* k ſuæ, quàm funibus k Oſee 11. 4.
Sacerdotum, Scribarum, Phariſæorum, & Doctorum Legis, qui præ inſolentiis & ſubſannationibus ordinariis ipſum comitantur, & ne vel unico greſſu ipſum deſerunt. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accuſationem affertis adversùs hominem hunc? Reſponderunt, & dixerunt ei, Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & ſecundùm Legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quemquam. Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixit, ſignificans quâ morte eſſet moriturus* l. Pilato autem compellente Scribas l Ex Math 20. 19.
& Phariſæos ut dicerent quidnam criminis perpetraſſet Jeſus, *cœperunt illum accuſare, dicentes, Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari* m, *& di-* m Ex Math. 22. 21. & ex Marc. 12. 17.
centem ſe Chriſtum Regem eſſe. Ut audivit Præſes omnes accuſationes iſtas adinventas malitiâ & odio iſtorum Sacerdotum *introivit iterùm in prætorium, & vocavit Jeſum, & dixit ei, Tu es Rex Judæorum? Reſpondit Jeſus, A temetipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Reſpondit Pilatus, Nunquid ego Judæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? Reſpondit Ieſus, Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Iudæis: nunc autem Regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque ei Pilatus. Ergo Rex es tu? Reſpondit Ieſus, Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, au-*

dit

dit vocem meam. Dicit ei Pilatus, Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterùm exivit ad Judæos, & dicit eis, Ego nullam invenio in eo cauſam. Hæc reſponſio Pilati Judæis non ſatisfecit, ſed è contra illos incitavit ad illum conſtantiùs accuſandum de novo, nedum tamen Jeſus aliquid propriæ juſtificationi opportunum promeret, quod ſanè Præſidem mirò percellebat ſtupore admiratum patientiam ejus, & malignum illorum animum.

Hæc invicta Jeſu Chriſti Domini noſtri conſtantia docet nos, ut firmiter proponamus nobis nunquam quem cùm homines calumniabuntur innocentiam conſcientiæ noſtræ Deo cognitæ, adhærendo Salvatori, compatiendo injuriis, & contumeliis quæ ei irrogantur, & æquo animo patiendo eas quæ nobis inferuntur, ſecundùm conſilium ſalutare, quod ſubminiſtrat nobis Dionyſius Carthuſianus *n*, *Mirandum eſt enim quòd unigenitus Filius Dei, Dominus virtutum, Rex gloriæ †, tanta pro nobis pati dignatus eſt: & prorsùs dignum & juſtum eſt, ut ei compatiamur, ejus paſſionibus conformemur, ejus veſtigia imitemur, omnia adverſa æquanimiter ſuſtinentes, in illis gaudentes, irriſiones, contemptus, vituperia, injurias, pro Chriſti amore fortiter tolerantes: quia, ut Petrus o ait, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus: quia cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.* Proptereà obſervat Evangelium *p*, Regem illum parabolicum ibi deſignatum, nunquam rudibus verbis excepiſſe ſervum ſuum *qui debebat ei decem millia talenta*, donec cognovit quòd ille idem ſervus malè excepiſſet *unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios*; dum *tenens ſuffocabat eum, dicens, Redde quod debes: & procidens conſervus ejus, rogabat eum dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: ille autem noluit; ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Nam poſtquàm *miſertus Dominus ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei*; videns quòd ita diré excepiſſet conſervum ſuum, *tunc vocavit illum; & ait illi, Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Unde diſcere debemus, quòd iniquo ferre teneamur animo injurias, quæ Deo irrogantur, & de illis injuriis vindictam referre ſatagamus, nedum cogitemus de ulciſcendis illis, quæ nobis inferuntur, quas libenter debemus ſuſtinere. Poſtquàm *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus: qui teſtâ ſaniem radebat ſedens in ſterquilino: dixit illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ? benedic Deo, & morere r. Id eſt*, ut exponit Hugo *s* Cardinalis, *Maledic, quaſi dicat, tranſgredere; quod eſt ſpiritualiter maledicere. Et morere, id eſt vives, per contrarium: quia tranſgreſſoribus vita longior conceditur. Juſtus perit in juſtitiâ ſuâ: & impius multo tempore vivet in ſua malitia t.* Job ait ad illam, *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es.* Et aliquibus impiis dicentibus, *Vanus eſt qui ſervit Deo, & quod emolumentum quia cuſtodivimus præcepta ejus? Tunc locuti ſunt timentes Dominum u.* Id eſt, Juſti audientes has blaſphemias, poſt toleratas omnes injurias ſibi illatas æquo animo, nullo ſuſtinere potuerunt modo eas quæ Domino irrogabantur, *Tunc Juſti & Pii ſibi contra blaſphemos & atheos defendendam ſuſceperunt Dei cauſam*, ait Cornelius *x*.

Cùm publicaſſet *Pilatus* innocentiam Jeſu, ſic alloquens *Principes Sacerdotum & turbas; Nihil invenio cauſæ in hoc homine: illi invaleſcebant, dicentes, Commovit populum, docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit, quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Jeſu gaviſus eſt valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo: & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat.* Non miror equidem, quòd Filius Dei noluerit reſpondere Herodi, qui erat inceſtuoſus publicus, & qui velut immundus *ſus in volutabro luti y* impudicitiæ jacebat *propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam z.* Prætereà, Chriſtus docuerat, *Neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus a.* Ideò noluit prodigere margaritam Divini Verbi ſui coram Herode, qui erat porcus & impudicus, quippe qui violabat thorum fratris ſui, etiamſi dixiſſet illi S. *Joannes, Non licet tibi habere uxorem fratris tui b.* Quia illud prohibebat Lex *c*, *Uxorem fratris ſui nullus accipiat.* Noluit ſatisfacere vanæ curioſitati Regis iſtius, & Aulicorum ejus, qui ordinariè accommodant ſe captui & affectibus Principis, ut plus pateretur pro nobis, prævidens quidem ſe proptereà malè excipiendum ab iſto Rege, cui non potuit reſpondere, quia Rex iſte eripuerat ipſi vocem ſuam, cùm *miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput* Joannis Baptiſtæ *in diſco, & decollavit eum d*, qui erat *vox e* Salvatoris, qui proptereà *nihil illi reſpondebat* Regi curioſè interroganti, & miracula ab ipſo expectanti. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo*, intuitus quòd ſibi reſpondere nollet, nedum illum laudibus extolleret, & admiraretur, ſicut jam egerat Pilatus, ſed illum deriſit cum omnibus Aulicis ſuis quaſi inſanæ mentis virum; *& illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum*, ut eum magis contemneret, & pro inſano haberi satageret. *Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die, nam anteà inimici erant adinvicem.* Diſſidium enim erat inter eos quoad juriſdictionem ſuper Jeruſalem, & tunc mutatum eſt in unionem & in amicitiam mutuam, & reconciliati ſunt inter ſe, & ſua depoſuerunt odia confeſtim ac Herodes vidit quòd Pilatus ſe ſubmiſiſſet ad mittendum ad ſe hunc innocentem Reum, qui erat è vaſſallis ipſius, ut illius cauſæ notitiam ſumeret, *Pilatus enim honoravit Herodem mittendo ad eum hominem ſuæ Provinciæ, & cauſam illius diſcretioni Herodis committens: nam anteà inimici erant adinvicem, quia Pilatus occiderat injuſtè quoſdam Galilæos, qui fuerant de poteſtate Herodis, in quo derogavit Herodi, ſubditos ejus ita occidens, & manum ſuam in alienam meſſem extendens* ait Dionyſius Carthuſianus *f*.

Heu, Auditores, quis non compatietur præ nimiâ cordis induratione huic Sapientiæ increatæ & incarnatæ, quæ reputatur pura ſtultitia ab hominibus; & non conſiderabit quòd ſtatus inſani, in quo ipſum collocaverunt peccata ſua, eſt cauſa propter quam patitur Jeſus Chriſtus ſe inſanum reputari? Sed quid nunquid non plorabimus?

n Dion. Carth. art. 42. in Matth. 26. 67.
† Ex Pſ. 23. 10.
o Ex 1. Petr. 2. 21. & 23.
p Matth. 18. 24. &c.
r Job. 2. 7. &c.
s Hug. Card. in Job. 2. 9.
t Ex Eccl. 7. 16.
u Malac. 3. 14. & 16.
x Cornel. in Malac. 3. 16.
V. Pars.
y 2. Petr. 2. 22.
z Marc. 6. 17.
a Matth. 7. 6.
b Marc. 6. 18.
c Levit. 18. 16.
d Marc. 6. 27. & 28.
e Joan. 1. 23. ex Iſai. 40. 3.
f Dion. Carth. art. 49. in Luc. 23. 12.

Digitized by Google

ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur, violando jus & æquitatem, veritus ne inimicitiam Cæſaris incurreret, pronunciando decretum mortis crucis in Jeſum Salvatorem mundi.

VII Pars. Audito hoc decreto injuſto miniſtri *ſuſceperūt Jeſum*, exuerunt eū veſtimēto purpureo, quo circumdederant illum, induerunt eum veſtibus ſuis ut meliùs agnoſceretur ab omnibus; *& eduxerūt*; & impoſuerunt humeris ejus portādū grave crucis onus, & lateribus ejus duos latrones infames è carcere erutos, ut majori pudore ſuffūderetur, quaſi verò latronum Rex ipſe foret. *Et bajulans ſibi crucem exivit in eū, qui dicitur Calvariæ locum*, deferendo pondus iſtud præ magno labore, quia cùm Corpus ipſius eſſet omnino contritum, ſingulis greſſibus in faciem ſuam cadebat. Judæi diverſimodè de iſto loquebantur Reo innocente; carnifices trahebāt eum fune collo illius alligato; alii tetro percutientes eū calceis & baculis, & haſtis compellebāt eum ut progrederetur; ipſe curvus incedebat, & ſi illi auxiliabantur ei ad deferēdum onus tam grave, & ſi *exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; & hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus*; id non egerūt præ compaſſione, ſed ut ſupplicium ejus promoveri curarent. Hæc omnia magnam ſubminiſtrabant doloris anſam beatiſſimæ ejus Genitrici, ita ut mirum eſſet quomodo illa ſtare poſſet; ſed roborata conſtantiâ Divinâ cuſtodiebat ipſa ſe ad videndum extremum paſſionis illius. Magnus concurſus & ſævitia hujus populi impediebat ne ipſa videret Filium ſuum: tandem ipſa intuetur eum magno labore trahentem pondus crucis humeris impoſitum, & verberibus æquè ac injuriis à miniſtris & carnificibus laceſſitum. Accedit ipſa ad Dilectum ſuum, ſed dolor cor ejus ſic conſtrinxerat ut ne vel ullum potuerit ei proferre verbum. Hic acceſſus novum cauſavit dolorem Jeſu Chriſto videnti Matrem ſuam ſic immodicè afflictam. Hanc magnis ictibus compellunt recedere carnifices: & tunc S. Veronica tribuit illi linteum ad extergendam faciem ſuam Sanguine & ſputis opertam, cujus uſque nunc ſanctam habemus penes nos imaginem.

Quænam novitas eſt iſta, Auditores, quòd Deus debilitetur oneroſâ crucis gravitate? Si ipſe eſt
p Ephes. 5. 2. victima, ut ait Apoſtolus p, *Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*; quis unquam vidit quòd victima detulerit lignile & ignem, quo ipſa eſſet conſumenda? Scio quidem quòd *Abraham ligna impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium* q, quo erat eum
q Gen. 22. 9. &c. ſacrificaturus. Ipſe ſolus es, Salvator mundi, qui deſers lignile tuum, quo offerêris in holocauſtum: ipſe portas *in manibus gladium*, qui præcidere debet caput victimæ; ipſa eſt crux: & Cor tuum erit fornax continens *ignem* amoris ad inflammandam victimam, ut ait de te idem Apoſtolus tuus, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſe-*
r Ephes. 5. 2. *metipſum pro nobis oblationem* r, &c. Noli autem petere ſicut efflagitabat Iſaac, *Ubi eſt victima holocauſti?* Ipſemet es hoſtia, & aries *inter vepres* hærens citò immolandus, quia *coronam de ſpinis capiti* tuo impoſitam deferens citò offerêris in holocauſtum igne amoris tui *pro nobis.*

Cùm perveniſſet Jeſus ad apicem montis Calvariæ circa feſtum Paſchæ, quo innumerus Jeroſolymam concurrerat populus, circa horam ſextam, quæ eſt meridiana apud nos, ut meliùs videretur ab omnibus, exutus fuit veſtibus ſuis, & nudus conſtitutus ad conciliandum ei majorem pudorem, & violenter in terram projectus ſuper crucem, quod novum cauſavit ei dolorem; nam cùm præ violentiâ eruerentur ab ipſo veſtimenta ſua, hoc omnia renovavit ipſi vulnera ſua; quin imò carnifices extrahebant Carnem cū veſte, quæ erat conglutinata Sanguini, præterquàm quòd abſtulerunt de capite ejus *coronam de ſpinis*, & iterùm impoſuerunt eam illi, poſtquàm ſuis fuit exutus ipſe veſtibus. Intereà alii parant crucem, & locum in quo erat illa plantanda; extendere faciunt eum brachia, ut appoſitè perforent crucem in loco, cui infigendi erant clavi; ipſum cruci ſuffigunt, ſumentes manum ejus, & applicantes eam foramini cum clavo in medio ejus, malleum elevantes, ut clavum intra manum ſuppoſitam & foramen intromittant, eodem malleo clavum percutiunt, & repercutiunt, donec intra crucis foramen perveniat. His ictibus nervi manus attriti ita contrahuntur ut altera manus ad foramen ex adverſo diſpoſitum pervenire non poſſit: ſed hi immites miniſtri brachium ejus funibus alligantes, ita violenter illud trahunt, ut compages ejus ſolvantur, pectus illius diſſcindatur, vulnera augeantur, quin imò & vultus manus jam clavo cruci confixæ, ita ut parùm abfuerit quin illa in fruſta conſciſſa fuerit: huic igitur alteri manui mediæ alterum clavum ſuperponunt juxta locum foraminis, & clavum repetitis percutientes malleorum ictibus, in foramen crucis illum introducunt præ tantâ violentiâ, ut nervi his ictibus concuſſi ita retrahantur ut pedes pervenire non poſſint ad foramen inferius, aut ad foramina inferiora (ſi duo fuerint, ut multi ſentiunt) eos igitur funibus alligatos ita violenter trahunt, ut oſſa illius diſjungantur; clavum igitur, vel clavos, foramini, vel foraminibus ſuppoſitis pedibus applicantes, malleo in ipſam intrare faciunt illum vel eos crucem. Ecce igitur Chriſtus clavis confixus, ecce Dei Filius in crucem elevatus; en quatuor rivi Sanguinis fluentes è ſacro Corpore ejus, *ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Jeſum* miniſtri iſti & carnifices, ad augenda magis ejus opprobria, & ad ſuffundendum eum majori pudore, quaſi verò ipſe Dux eſſet ſceleratorum.

His omnibus ita completis, *Prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes. Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus die-*
bus readificas s: *ſalvum fac temetipſum deſcen-* s Ex Joan. 2. 19.
dens de cruce. Similiter & ſummi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant, Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvū facere. Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de cruce ut videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei. Jeſus autem dicebat, Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. Ut edoceret nos quòd adire debemus *cum fiducia ad thronum gratiæ; ut miſericordiam conſequamur,*
& gratiam inveniamus in auxilio opportuno t, t Hebr. 4. 16.
cùm excuſet eos qui ipſum crucifigunt; & quòd nullam referre debemus ultionem de injuriis nobis irrogatis. Secundum verbum eſt iſtud quod Dimæ, ſeu bono Latroni, in cruce, *dixit Jeſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Quod inſtruit nos, quòd nunquam deſperare debemus de noſtrâ ſalute, quantumvis magni ſimus peccatores; ſed etiam quòd nec de Divinâ præſumere debemus miſericordiâ, eò quòd ignoverit huic Latroni. Tertium ejus verbum eſt iſtud, quo, *cùm vidiſſet Jeſus Matrem, & diſcipulum ſtantem,*

tem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce Mater tua. Ad edocendos nos amorem, quo affici debemus erga parentes noſtros; & curam, quam ſuſcipere debemus eorum, qui noſtræ commiſſi ſunt ſolicitudini. Quartum verbum eſt hoc, *Deus meus,*
u Ex Pſ. 21. 2. *Deus meus, ut quid dereliquiſti me* u? Hinc diſcere debemus, quòd, cùm Pater æternus Filium ſuum omni conſolatione ſenſibili deſtituerit, iſtud animare debet nos ad tolerandas æquanimiter humanæ vitæ anguſtias. Quintum, *Sitio*. Ut diſcamus ſitire ſalutem animæ noſtræ, & aliorum; & mortificare guſtum noſtrum, quia inimici Jeſu *dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*. Sextum, *Conſummatum eſt*. Ut innuatur, quod tunc contenti erimus ipſâ noſtræ mortis horâ, *cùm omnia quæ præcepta ſunt* nobis fecerimus, & *quod*
x Luc 17. 10. *debuimus facere* x, peregerimus, adimpletâ Lege Dei. Septimum tandem, *Et clamans voce magnâ Jeſus, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiri-*
y Ex Pſ. 30. 6. *tum meum* y. Ut ſignificetur, quòd anima, quæ eſt præ manibus Dei, in loco eſt conſtituta ſecuro. *Et hæc dicens, expiravit. Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Vere hic homo juſtus erat. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur.* Dolor Chriſti fuit indicibilis in hâc ſeparatione Animæ ſuæ à Corpore ſuo: afflictio Deiparæ fuit immodica: & aliæ ſanctæ mulieres lamentabantur intuitu jacturæ Filii; & doloris Genitricis. Quin imò ipſæ creaturæ inſenſibiles quodam videntur affici doloris ſenſu ob mortē Creatoris ſui, *Et obſcuratus eſt Sol; & velum templi ſciſſum eſt medium: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt.* Omnes igitur creaturæ ſuo compatiuntur modo morti Domini ſui, & homo ſolus, propter quem hæc omnia fiunt mirabilia, manet induratior ipſis lapidibus, & inſenſibilior ipſis creaturis motus & vitæ expertibus. Univerſæ creaturæ inclamant
z Iſai. 9. 6. nobis, quòd *Princeps* z & *Rex* a ooſter *expiravit*;
a Apoc. 19. 16. quòd ille, qui erat *Vita* b animarum noſtrarum,
b Joan. 14. 6. *emiſit ſpiritum*. Heu eritisne abſque aliquo doloris affectu? Conſervabitiſne ſemper ignem cupiditatum veſtrarum in cordibus veſtris, quæ ſunt fornaces ardentes impuritatibus? Quid? rivi Sanguinis, qui fluxerunt è Corpore Salvatoris mei in flagellatione ipſius, & illi qui ſaliunt adhuc è vulneribus, manuum, pedum, & lateris illius, nunquid iſtos extinguere non poterunt ardores? Si autem ipſe totum ſuum effundit Sanguinem propter amorem veſtrum, nonne unam ex oculis veſtris eruetis lacrymam contritionis ad agnoſcenda beneficia ejus? Ipſe in figurâ *ait, Caput meum doleo,*
c 4. Reg. 4. 19. *Caput meum doleo* c. Sed illi non ſunt membra hujus capitis, qoi viventes ſecundùm maximas carnis, non compatiuntur doloribus ejus. *Pudeat ſub ſpinato Capite membrum fieri delicatum* ait
d S. Bern. ſerm. 1. in feſt. omn. Ss. S. Bernardus *d*. Tu verò Pater æterne vide *in quē transfixerunt* †. Ipſa peccata noſtra eum ſic vulneraverunt, & occiderunt, ſuſcipe hunc Sanguinē
† Ex Zach. 12. 10. effuſum pro nobis, & *preces ſupplicationeſque cum clamore valido & lacrymis* e à Filio tuo tibi oblatas ante mortem ſuam; & dimitte nobis ingrati-
e Hebr. 5. 7. tudines noſtras; *Reſpice in faciem Chriſti tui* f. Ip-
f Pſ. 82. 10. ſa eſt operta confuſione, ad liberandos nos à confuſionibus æterni; ipſa eſt tecta Sanguine, ſed qui non inclamat vindictâ, ut *vox ſanguinis* g Abel,
g Gen. 4. 10. ſed miſericordiam nobis impertiendam. Nunquid non iſtam indulgebis huic populo miſericordiam? Macti animo, Auditores, ſublevate ſpes veſtras, Deus miſericordiam vobis largietur. *Mi-*
h Pſ. 122. 3. *ſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri* h. Ipſe miſereatur veſtri, interventu Crucis, quam vobis relinquo.

†.

IN FESTO PASCHÆ:

Surrexit, non eſt hic. Mat. 16. 6.

IMmodicâ ſanè dignus eſſem reprehenſione, & proculdubio ſilentium meum eſſet tota criminis mei cauſa, ſi poſt annunciata vobis Evangeliſtæ verba, meam non animarem vocē more præconis ad inducendas linguas veſtras ad celebrandas Redēptoris noſtri victorias. Omnes conſcii eſſemus nos ſceleris, ſi die iſtâ corda noſtra gaudio & lætitiâ non perfunderentur, die triumphante & æquè glorioſa Jeſu Chriſto ac dies Veneris præcedens, qua ipſa ſuſtinuit *propter* nos
a Pſ. 68. 8. *opprobrium, operuit confuſio faciem* a ejus, fuit illi ignominioſa. *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus:*
b Pſ. 117. 24. *exultemus & lætemur in eâ* b. Hac die, Auditores, lacrymæ vertuntur in gaudia, dolores in oblectamenta, ſupplicia in voluptates, ſpinæ in flores, cruces in trophæa, contemptus in honores, bella in paces, ſævitiæ in ſuavitates, blaſphemiæ in benedictiones, & mors in Reſurrectionem glorioſam Domino noſtro Jeſu Chriſto, *Hæc eſt dies* ſpecioſa, qua Jeſus Chriſtus *Lux vera, quæ illuminat o-*
f Joan. 1. 9. *mnem hominem venientem in hunc mundum* f, de ſuis triumphat inimicis æquè ac de noſtris, ſicut
g Oſee. 13. 14. ipſe prædixerat per Prophetam *g*, *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Quis ex nobis, Au-
h Eccleſia ex Luc. 24. 34. ditores, non concinet hodie cum Eccleſia *h? Surrexit Dominus verè alleluja.* Habemus ſanè unde immodicè exultemus gaudio die iſta Reſurrectionis Domini noſtri, qui eſt *pacificans per Sanguinē Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* i. Lacrymas effudimus die Veneris præce-
i Coloſſ. 1. 20. dente cū Virgine Deipara, cujus *animā gladius* k
k Luc. 2. 35. pertranſibat doloris, cùm ſtabat *juxta Crucē Jeſu* l morientis; conſolemur modò nos cum illa die
l Joan. 19. 25. iſta, qua ſic glorioſè reſurrexit Filius ſuus. Ut autē melius congratulemur ei, dicamus illi cum Eccleſia, *Regina cæli lætare.*

Unus ex articulis difficillimis creditu Religionis noſtræ, & maximi momēti præ omnibus fidei noſtræ, eſt ille feſtivitatis hodiernæ, id eſt, reſurrectionis. Facundiſſimi quilibet Oratores vix præ ſe ferunt ſatis eloquentiæ ad eum perſuadendū; & diſertiſſimi quique de eo balbotiunt, dum de illo ſermonem texere aggrediuntur. Job *m* qui apprimè ſciebat quanti foret ille momenti, quique no-
m Job. 19. 23. &c. verat illius difficultatē, annunciaturus illū mundo, utitur velut diſcurſo præambulari ut iſtius articuli reſurrectionis manifeſtet gravem neceſſitatem, dicens, *Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* Sed eximie Vir, quid habes dicendū tanti momenti, ut utans hujuſmodi rhetorica, & deſideres ut illud, quod habes annunciandum, ſcribatur non in papyro communi, nec penna conſueta, aut atramento ordinario; ſed ut calamus tuus ſit ſtylus ferreus, papyrus lamina plumbea,

aut

aut ſilex prædurus & ſolidus *l*? *Quia in plumbo quod ſcribitur, ipſa metalli mollitie citius deletur: in ſilice verò tardius quidem valent litera imprimi, ſed difficilius deleri.* *Scio quòd Redemptor meus vivit. Ac ſi apertis vocibus dicat*, ait S. Gregorius *o*: *Infidelis quiſque illum flagellatum, deriſum, palmis caſum, corona ſpinea coronatum, ſputis illitum, crucifixum, mortuum p noverit: ego illum poſt mortum vivere certâ fide credo, libera voce profiteor: quia Redemptor meus vivit, qui inter impiorum manus occubuit. Sed quid beato Job per Reſurrectionē illius etiā de ſua carnis reſurrectione confidis, apertâ, quæſo, voce profitere. Sequitur: Et in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Quia videlicet Reſurrectionem, quam in ſe oſtendit in nobis etiam quandoque facturus eſt. Reſurrectionem quippe quam in ſe oſtendit, nobis promiſit: quia ſui Capitis q gloriam ſequuntur membra. Redemptor ergo noſter ſuſcepit mortem, ne mori timeremus. Oſtendit Reſurrectionem ut nos reſurgere poſſe confidamus. Unde & eandem mortem non pluſquàm triduanam eſſe voluit, ne ſi in illo Reſurrectio differretur, in nobis omnino deſperaretur. Quod benè de illo per Prophetam r dicitur r: De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput. Quaſi enim de quodam flumine noſtra paſſione non in manſione bibere, ſed in via dignatus eſt: quia mortem tranſitoriè, id eſt, ad triduum contigit, atque in ea morte quam contigit, nequaquam ſicut nos uſque ad finem ſeculi remanſit.* Videte, ſi placet, quanti ſit momenti diſcurſus iſte Job, & difficultas quam ipſe inveniebat perſuadendæ noſtræ reſurrectionis hominibus; ut patet ex expoſitione S. Gregorii. Nec miror ſi in eâ perſuadendâ laborabat Job, cùm ipſe Salvator, de quo aliàs miſſi à Principibus & Phariſæis, *reſponderunt miniſtri, Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo s*, vix eam ſuorum mentibus imprimere poſſit Apoſtolorum: nam poſtquàm *ſubſecutæ mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa t, una Sabbathi valdè diluculo venerunt ad monumentum: & invenerunt lapidem revolutum à monumento. & ingreſſa non invenerunt Corpus Domini Jeſu: & factum eſt, dum mente conſternata eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti: cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, Quid quæritis viventem cum mortuis? non eſt hic, ſed ſurrexit: recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet, dicens, Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere u: & recordatæ ſunt verborum ejus: & regreſſæ à monumento, nunciaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus: viſa ſunt ante illos ſicut deliramentū verba iſta, & non crediderunt illis x.* Quin imò *ſtetit Jeſus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis: ego ſum nolite timere. Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis, Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. Et cùm manducaſſet coram eis z*, voluit illinc oſtendere ſe non fuiſſe phantaſma. *Thomas autem unus ex duodecim,*

n S. Greg. lib. 14. c. 26. Moral. in Job 19. 25.
o S. Greg. lib. 14. Mor. c. 29. in Job 19. 25.
p Ex Joan. 19. 1. &c.
q Ex Epheſ. 1. 22.
r Ex Pſ. 109. 7.
s Joan. 7. 46. &c.
t Luc. 23. 55.
u Ex Luc. 9. 22. &c.
x Luc. 24. 9. &c.
z Luc. 24. 36. &c.

non erat cum eis, quando venit Jeſus. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et poſt dies octo, iterùm erant diſcipuli ejus intùs; & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus a. a Joan. 20. 24. &c.

S. Paulus, hic torrens eloquentiæ, qui corda ſecundùm ſuum diſponebat beneplacitum, eaque ſic ſuaviter ſibi conciliabat, ut quiſque ſe beatum exiſtimaret qui illum concionantem audire poſſet, cùm loquitur de hoc myſterio futuræ corporum noſtrorum reſurrectionis, ab auditoribus ſuis habetur ut imperitus, & ab eis deridetur præ ſubſannatione. *Et quidam dicebant; Quid vult ſeminiverbius hic dicere? Alii verò, Novorum dæmoniorum videtur annunciator eſſe: quia Jeſum, & reſurrectionem annunciabat eis b.* b Act. 17. 18. Et coram Rege Agrippâ eadem *hæc eo loquente, & rationem reddente, Feſtus magnâ voce dixit, Inſanis Paule: multæ te literæ ad inſaniam convertunt c.* c Act. 26. 24 &c. Ecce, Auditores, quàm difficilis creditu ſemper fuit iſta veritas, licèt maximi momenti, Valdè neceſſaria, & certiſſima fidei noſtræ. Propterea hunc diſcurſum rectè inſumptum exiſtimavero, ſi lucem huic veritati concilians probare vobis ſatagam, quòd, cùm Chriſtus reſurrexerit, futuræ noſtræ reſurrectionis arrhas habemus certiſſimas. Propoſitio.

Ut aliquod lumen afferā myſterio reſurrectionis explicando, obſervare debetis mecū, ſi vobis placet, triplicem habere nos cognitionem in hoc mundo. Prima eſt ea, quam haurimus à ſenſibus. Secunda eſt ea; quā deſumimus à ratione. Tertia verò illa eſt, quā comparamus nobis mediâ fide. Cognitio ſenſuū decipit, notitia rationis corrigit, & ea quæ provenit nobis ex fide, utramq; perficit, quippe quæ utrâq; excellentior, cùm præ ſe ferat veritatē pro fundamēto, *Fides ex auditu, auditus autē per verbū Chriſti d*, qui eſt *Veritas e* per eſſētiam; & revelationē Dei pro principio, quò tendere debērent omnes curioſitates noſtræ, *in captivitatē redigentes omnē intellectū in obſequium Chriſti f.* Huic cæleſti lāpadi fidei adhærere debemus, alioquin enim caligine offūderetur mēs noſtra in cōſiderandâ myſteriorum noſtrorum profunditate, ſi vellemus ſiſtere in ſimplici notitiâ eorum, quam haurimus à ſenſibus, quæ nobis communis eſt cū brutis; aut ſi ſolis inniteremur rationis radiis qui cōveniūt nobis prout Chriſtianis; niſi hæc omnia lumina perficeremus lumine fidei, quod intuetur nos ut fideles & Chriſtianos fidem Chriſti profitentes, *Quia membra ſumus corporis ejus h.*
d Rom. 10. 17.
e Joan. 14. 6
f 2. Cor. 10. 5.
h Epheſ. 5. 30.

Propter quod Deus, qui *ſuperbis reſiſtit, humilibus autē dat gratiā i*, confuſione operuit Philoſophos, qui ſolâ fulti ratione naturali exiſtimabāt ſe potuiſſe intimā pervadere notitiā profundiſſimarū veritatū Religionis noſtræ, non putantes quòd myſteria noſtra excederent conceptus noſtros, & captū prætergrederentur mentium noſtrarū, & rationis purè humanæ, etiāſi non ſint contra rationem, ſed ſupra rationem. Idcircò hoc abuſu decepti, tenebris involuti ſunt denſiſſimis, & infirmitas oculorū interiorum illorum nunquā intuita eſt, aut cognovit noſtras magnitudines, & myſteria
i Jacob 4. 6. & 1. Petr. 5. 5.

ſteria Dei: *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deũ glorificaverunt aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorũ: dicẽtes enim ſe eſſe ſapiẽtes, ſtulti facti ſunt* k. Circa hunc articulũ hallucinãtur graviter, & æquè miſerè errãt ac pertinaciter, nõ valẽtes credere aut admittere reſurrectionem corporũ, volẽtes quòd ſufficiat ad conſtituẽdam hominis felicitatẽ, ut ejus anima ſit immortalis; & quòd ad hoc ut ſit hæc anima omnino beata, debeat ipſa declinare à cõmercio & à ſocietate corporis, ut ſit, inquiũt ipſi, ſimilior Deo, qui eſt purus Spirit'. Fatemur nos, quòd *Spiritus eſt Deus* l. Sed quàm ignari ſũt illi, quippe qui non cõſiderãt, quòd anima eſt pars iſti' totius quod eſt homo, & quòd ob ſuam perfectionem, & ut ſimilior ſit Deo, oportet ut ſuo uniatur corpori, cùm res ſit ſimilior Deo, cùm ipſa habet id omne quod requiritur ad integritatem ipſius perficiendam.

k Rom. 1. 20. &c.

l Joan 4. 24

Convenio cum Philoſophis, nec cum illis hanc diſcutere volo veritatem, nimirum, quòd reſurrectio corporum non ſit naturalis; ideò ad eam probandam, rationes non ſumo naturales. Non me latet, quòd, ſecundùm illorum maximas, *à privatione ad habitum non datur regreſſus*. Impoſſibile igitur eſt naturaliter ut res naturalis corrupta, eadem numero ſit iterùm quæ erat priùs; cùm enim natura non poſſit eam ſervare in individuo, illam in ſpecie conſervat continuis generationibus: ſed cùm reſurrectio non ſit naturalis, ut ſuppono, ipſa non eſt contra naturam: ea igitur eſt poſſibilis virtuti omnipotenti, qualis eſt Virtus Dei: ſi enim ad hoc ut introducatur forma in materiam ſola requiritur cauſa efficiens, Deus, qui *formavit hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* m, nunquid non priſtinam reſtituere poterit ei vitam, poſtquàm illam per mortem amiſerit? Abſit ergo à nobis ut dicamus, ſicut *dixerant impii cogitantes apud ſe non rectè, Quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tanquam non fuerimus* n. Deus igitur, qui *creavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* q *ex nihilo*, quia limus, è quo *formavit hominem*, eductus eſt *ex nihilo*, nunquid non poterit eum reficere ex aliquo? *Qui poteſt majus, poteſt & minus*, ajunt ipſimet Philoſophi. Omnia in homine inveniuntur poſt mortem ipſius requiſita ad ipſius reſurrectionem: anima quæ eſt forma informans; materia prima quæ eſt incorruptibilis; & Deus qui eſt cauſa efficiens. Deus illum poteſt creare, *qui creavit omnia ſimul* r. Cur autem non poterit eum reſuſcitare? *Ecce, non eſt abbreviata manus Domini ut ſalvare nequeat* s corpus æquè ac animam, illud è pulvere ſuſcitando. *Idem ipſe* t ſemper eſt & eadem cauſa ſemper eoſdem producit effectus, cùm in iis eædem ſunt diſpoſitiones.

m Gen. 2. 7.

n Sap. 2. 1. &c.

q Gen. 1. 27.

r Eccli 18. 1.

s Iſa. 59. 1.

t Pſ. 101. 28. & Hebr. 1. 12.

Si autem inveniretur impoſſibilitas in Manu omnipotente, dicendum eſſet neceſſariò, quòd hæc impoſſibilitas orietur ex uno trium iſtorum, aut à materiâ, aut à formâ, vel à causâ efficiente. Non à materia, quia materia ſemper manet, nec unquam ad nihilum redigitur, nam *materia prima eſt incorruptibilis*. Difficultas non oritur à Deo, qui eſt cauſa efficiens, quia *creavit Deus hominem ex nihilo*, ut ſuprà oſtenſum eſt; neque credibile eſt eum minorem habere authoritatem ſuper pulverem, quàm ſuper nihilum. Impoſſibilitas non ſe tenet ex parte formæ, quæ immodicum habet appetitum ad reunionem ſuam, cùm tota hominis beatitudo ſita ſit non in ſolâ animâ, ſed in toto compoſito. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem* u. Non procedit igitur obſtaculum à materia, nec à formâ, nec à causâ efficiente: dicendum eſt conſequenter quòd Deus illud poſſit; ſi illud poteſt, illud vult, quia voluntas Dei non diſtinguitur à potentiâ ipſius, & voluntas ipſius eſt eſſentialiter eadem ac ipſius potentia, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis* x. Jeſus Chriſtus propriâ virtute quâ Deus eſt ſicut Pater ſuus, *Ego & Pater unum ſumus* y, ſeipſum reſuſcitavit, *Chriſtus reſurrexit* z. Hoc autem ſic expediebat, *Chriſtus reſurrexit, & per hominem reſurrectio mortuorum* a.

u 1. Cor. 15. 53.

x Pſ. 134. 6

y Joan. 10. 30.

z Rom. 14. 9.

a 1. Cor. 15. 20. & 21.

Si autem ſola ratio non ſufficit, ipſa natura nos iſtam ad plenum edocet veritatem, ſi noſtram applicare velimus mentem conſiderationi diverſorum operum, quæ ipſa ſingulis in lucem emittit diebus. Quæ profuſio igitur ita ſummæ potentiæ? & quidnam ſentire debemus de hujuſmodi potentiâ, quæ ſolos præſcribit ſibi limites voluntatem ſuam ſemper beneficam. Non immoror in enumerandis prodigiis quæ noſtris ſe produnt oculis in hoc eximio mundo naturæ, cùm Chriſtianos alloquar, qui de iſtâ non ambigunt veritate, quippe qui nolunt intelligere ut credant myſteria fidei noſtræ, ſed credunt ut intelligant, quia *qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloriâ* b.

b Prov. 25. 27.

Ezechiel c ait, *Oſſa arida audite verbum Domini. Et ecce ſuper ea nervi, & carnes aſcenderunt: & extenta eſt in eis cutis deſuper: & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt: ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valdè*. Nunquid non poterit idem peragere Deus, quod fecit Propheta juxta mandatum ipſius? *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum* d, cujus exequitur voluntates. Non eſt igitur hæc reſurrectio opus naturæ, nec etiam eſt illa contra naturam, ſed ſupra naturam, cùm ſit opus Potentiæ quæ *non habet finem* e. Pro lucto Divinitatis, effectus Omnipotentis, tandem ſigillum Potentiæ abſolutæ, cui nihil poteſt reſiſtere: *Voluntati enim ejus quis reſiſtet?* f Hinc Deus ſuam manifeſtat Divinitatem, & oſtendit ſe verè Deum eſſe æque ac hominem, & dicere poteſt præ veritate, *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me* g.

c Ezech. 37. 4. &c.

d Matth. 10. 24.

e Baruch. 3. 25.

f Rom 9. 19.

g Joan. 5. 36.

Dei Filius qui eſt *Lux, in tenebris lucet* h. Clariſſimum affert lumen mediæ nocti obſcurarum difficultatum iſtarum, & ſic apprimè iſtam demonſtrat veritatem, ut vix poſſit eam quis diffiteri, niſi rectæ rationis inops velit exiſtimari, *Præbuit ſeipſum vivum poſt Paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei, & conveſcens* i. Ubi obſervare, ſi placet, verba S. Lucæ, *in multis argumentis*. Ideò ibi ſunt præmiſſæ, conſequentiæ & illationes; ex iis, quæ fecit Chriſtus, perveniri poteſt in notitiam hujus veritatis. Ecce apparitiones non imaginariæ, ſed reales; ipſe loquitur cum diſcipulis ſuis quadraginta dierum ſpatio, cum iis converſatur, & comedit, quæ omnia ſunt notæ indubitatæ Reſurrectionis ejus, & quòd ipſe non ſit phantaſma. Hâc igitur die Corpus ejus reunitum eſt Animæ ipſius in poſſeſſione gloriæ. Hodie Dominus imperium incipit æternum in Eccleſia

h Joan. 1. 5.

i Act. 1. 3. & 4.

cleſia ſua militante, in qua ipſe debet eſſe *omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi* m, ſicut in Eccleſia triumphante, quia *Pater æternus ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* n. Hodierna die *Dominus regnavit, decôrem indutus eſt; indutus eſt Dominus fortitudinẽ, & præcinxit ſe virtute* o. Qua intima usque pervaſit inferorum penetralia, ut ait Euſebius Emiſſenus q, *Ingreſſus igitur Dominus loca tenebrarum, omnia circumquaque ſuo ſplendore illuminavit. Fit clamor permixtus Bonis præ lætitia exultantibus, malis verò præ timore fugere cupientibus.* Noctes æternæ inferni viſitatæ fuerunt & illuminatæ radiis hujus Solis *Juſtitiæ* r. Querelæ & clamores ceſſaverunt, catenæ funeſtæ ceciderunt, oſtia atrorum ergaſtulorum attonita ſunt, & omnes incolæ pœnis æternis addicti tremore concuſſi ſunt immodico ſub pedibus admirabilis Victoris iſtius, *Tunc conturbati ſunt Principes Edom* s. Id eſt, dæmones, ut exponit Origenes t.

Immodicis igitur exultemus gaudiis, innumeris reſonet aër impoſterùm acclamationibus per totius orbis ambitum; ibi nihil audiatur niſi, Vivat Jeſus, cujus triumphi, victoriæ, Reſurrectio, & gloria celebrentur: *Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem dejecit in mare* c. Die iſtâ ipſe excutit jugum potentiæ & Tyrannidis crudeliũ inimicorum ſuorum, ut alter Joſeph eductus *de carcere, veſte mutatâ* d, indutus veſtimento immortalitatis glorioſæ, *formoſus in ſtolâ ſuâ, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ, & propugnator ad ſalvandum* e, exhibendo ſe *Salvatorem mundi* f. Exit triumphans de morte g, ut relato de Aman triumpho *Mardochæus de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus Regiis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo. Omniſque civitas exultavit, atque læta eſt* h, quandiu manebat *ſuſpenſus Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo* i. Egreditur, ut alter Jonas è ventre ceti k, abſque ullâ læſione & corruptione è ſepulchro ſuo l, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* m. Exit è tumulo ſuo, ut *eductus eſt Daniel de lacu* leonum voracium, & *nulla læſio inventa eſt in eo* n. Ideò dicebat, *Salva me ex ore leonis* o. *Per leonem ſignificatur diabolus*, ait Incognitus p. Et deinde ſubdit, *Volens ergo Chriſtus, quod per ſuam Reſurrectionem diabolus ſubjugetur, per modum orationis prædicit, quod futurum erat. Salva me ex ore leonis; id eſt, ſalvabis meos de ore diaboli.* Sicut in figurâ idem *Daniel ait, Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo juſtitia inventa eſt in me* q. De ſuis triumphat inimicis, ut Samſon de Philiſthæis: nam *cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebruiſſet apud eos, intraſſe urbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in portâ civitatis cuſtodibus: & ibi totâ nocte cum ſilentio præſtolantes, ut facto manè exeuntem occiderent. Dormivit autem Samſon uſque ad medium noctis: & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſerâ, impoſitaſque humeris ſuis portavit ad verticem montis* r. *Principes Sacerdotum & Phariſæi munierant ſepulchrum* Chriſti, *ſignantes lapidem cum cuſtodibus* s. Sed ipſo jubente, *ecce Angelus Domini deſcendit de cœlo; & accedens revolvit lapidem. Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, &*

m Matth. 28. 20.
n Epheſ. 1. 22. & 23.
o Pſ. 92. 1.
q Euſeb. Emiſſ. ſerm. in die Reſurrect.
r Malac. 4. 2.
s Exod. 15. 15.
t Orig. hom. 6. in Exod. 15. 15.
c Exod. 15. 1.
d Gen. 41. 14.
e Iſai. 63. 1.
f Gen. 41. 45.
g Oſee 13. 14.
h Eſth. 8. 15.
i Eſth. 7. 10.
k Jo. 2. 11.
l Matth. 12. 40.
m Pſ. 15. 10.
n Dan. 6. 23.
o Pſ. 21. 22.
p Incogn. in Pſ. 21. 22.
q Dan. 6. 22.
r Judic. 16. 2. & 3.
s Matth. 27. 62. & 66.
t Matth. 28. 2. &c.

facti ſunt velut mortui. Surrexit enim t Chriſtus, invitis illis æquè ac diabolis, quorum portas confregit, ut prædixerat Iſaias u in perſonâ Cyri: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram. Ego portas æreas conterã, & vectes ferreos confringam.* Quod ſic exponit Hugo x Cardinalis. *Hoc myſticè poteſt exponi de Chriſto: & ſatis planum eſt. Ipſe enim eſt, cujus Pater apprehendit dexteram: quia in omnibus fuit cum illo: ante quem portas æreas & vectes ferreos confregit; id eſt, omnem poteſtatem diaboli.* Et ut uno dicatur verbo, Ut alter *Moyſes de aquâ* y fertur, ut conſtituat eum Pater ſuus *Deum Pharaonis* z, & omnium hominum, *qui eſt Primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* a.

Sic, Auditores, hæc Reſurrectio erat neceſſaria, & expediens; cùm ſit proprium & naturale cuicumque rei ut ſit in proprio ſuo loco, cùm in ſtatu collocetur violento, quando ex eo educitur, ut videmus in elementis, in igne V. g. qui ex effectibus, quos producit in naturâ, deducit nos ad cognoſcendam veritatem hujus propoſitionis: atqui Corpus Chriſti unitum Divinitati, non erat in proprio loco, ſitum in ſepulchro, non debebat corrodi à vermibus, nec corrumpi, quæ ſunt effecta peccati: ſed cùm formatum eſſet à *Spiritu ſancto* e, *nec videre corruptionem* f debebat, ſed immune eſſe ab omnibus his imperfectionibus naturaliter inſeparabilibus à corporibus humanis: & cùm eò uſque ſe humiliaverit Chriſtus, ut *vermis, & non homo* g vocari voluerit; ideò hanc glorioſam merebatur exaltationem, *Propter quod & Deus exaltavit illum* h.

Naſci Jeſus poterat, & circumcidi, aut non ſinere ut reclinaretur *in præſepio*, aut *ut circumcideretur* i, & ſubiret Legem k, quæ ſolos intuebatur peccatores, cùm ipſe eſſet *Sanctus Dei* l. Sed cùm mortuus eſſet, neceſſariò reſurgere debebat, & ecce neceſſitas reſurrectionis. Et licèt alia omnia myſteria Filii Dei fuerint contingentia, iſtud tamen fuit neceſſarium, cùm fieri non poſſet ut Filius Dei maneret præda & ſpolium mortis. Probatio iſtius eruitur è Philoſophiâ; nimirum quòd *duo contraria non poſſunt eſſe ſimul & ſemel in eodem ſubjecto, & mutuò ſe expellunt.* Frigus expellit calorem, ſiccitas ſuccedit humori, & ſic de aliis contrariis, cùm abſentia unius ſupponat præſentiam alterius, & acceſſus iſtius receſſum illius. Cùm igitur Chriſtus ſit *Vita* m per eſſentiam, *Apud te eſt fons vitæ* n, cum ſolùm nos habeamus vitam per participationem, & per dependentiam, *In ipſo enim vivimus* o; fieri non poterat ut maneret cum morte; & licèt emiſerit *ſpiritum* p, non deſivit tamen eſſe *Vita*, quia nõ deſivit eſſe Deus, qui eſt *Vita* vera. Deſivit quidem eſſe homo moriendo, quia homo conſtat ex corpore & animâ, & ideò Animâ ſeparatâ à Corpore illius, ipſe non fuit homo illis *tribus diebus & tribus noctibus* q quibus fuit *in monumẽto* r. Sed Divinitate permanente ſemper unitâ hypoſtaticè huic Corpori licèt mortuo, omnino impoſſibile erat ut Corpus hoc ſic unitum Divinitati, fieret præda & ſpolium mortis. Videtis igitur, Auditores, neceſſitatem reſurrectionis Filii Dei à morte ad vitam glorioſam. Ideò mortem alloquens, ait illi, *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne* s. Adversùs meam imaginabaris infirmitatem te prævaliturum, ô mors inſolens; & hâc va-

u Iſai. 45. 1. & 2.
x Hug. Card. in Iſai. 45. 1. & 2.
y Exod. 2. 10.
z Exod. 7. 1.
a Apoc. 1. 5.
e Matth. 1. 18. & 20.
f Pſ. 15. 10. & Act. 2. 27.
g Pſ. 21. 7.
h Philipp. 2. 9.
i Luc. 2. 7. & 21.
k Levit. 12. 3.
l Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
m Jo. 14. 6.
n Pſ. 35. 10.
o Act. 17. 28.
p Jo. 19. 30.
q Matth. 12. 40.
r Matth. 27. 60.
s Oſee. 13. 14.

nâ ſpe paſcebaris, te glorioſum relaturam de me triumphum; ſed ecce devicta es. Idem ei accidit quod videmus advenire piſcibus natantibus in fluviis, qui ſtatim ac ipſis præſentatur aliqua eſca, accedunt ad eam deglutiendam; ſed oblatam ſibi eſcam, ſub quâ latet hamus, quem non advertũt, imaginari eam aliis ſimilem, non prævifo infortunio ſuo, capiunt, ſed capiuntur: mors in vaſtâ maris hujus mundi deambulabat extenſione, prædam peragebat indifferenter omnium generalem; non habet ipſa oculos, quibus hominum diſcernat merita, deprimit ipſa Poteſtates, ſceptra contemnit, & diademata evertit: deſtituta eſt corde, quo illis compatiatur; falce ſuccîdit ſuâ quoſcumque habet obvios, nedum alicui parcat, aut querelas illius & rationes auſcultet: Jeſus Chriſtus occurrit illi Crucis ſuffixus patibulo, ipſa eum aggreditur, proſternit, & deglutit, rata eum ſimilem aliis: ſed miſera! in eo invenit ipſa latentem Divinitatis hamum, ibique ruinam ſuâ incurrit, *Ero mors tua, ô mors.* Chriſtus triomphat de morte, quæ inde captiva effecta eſt, & legibus ſubjacuit ſervituris, unde ſe ditandam exiſtimabat: Ecce igitur Victor noſter glorioſè triumphans de omnibus inimicis ſuis, ecce ipſe palmis onuſt' victoriæ ſymbolis. Gaudere igitur debet Deipara, ſicut ipſam invitat ad exultandum Eccleſia t, æquè ac Filius ipſius, cùm illa ei concinat,

t Eccleſia ex Luc. 24. 34.

Gaude & lætare Virgo Maria, alleluia.
Quia ſurrexit Dominus verè, alleluia:

Chriſtus autem illi dicat, *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea. Jam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit* u. Conſolare Genitrix mea amantiſſima; Corpus, quod aſſumpſi à te *de Spiritu ſancto* x, eſt nunc glorioſum, & lucidum, *Joſeph Filius tuus vivit, & ipſe dominatur in omni terrâ Ægypti* y. Id eſt, in univerſum orbem imperium ſuum extendit. Re autem verâ ita bonus Filius ſic gratus eſſe debebat ſic amanti Matri ut eam viſitatione ſuâ honorare dignaretur primam, ſicut & fecit ob rationes, quas recenſet D. Vincentius Ferrerius z, licèt illius primæ apparitionis conſecratæ Mariæ à Filio ſuo non meminerit Evangelium, quia Chriſtus reſurgens materno Virginem fraudare non debebat amore.

u Cant. 2. 10. & 11.
x Matth. 1. 20.
y Gen. 45. 26.
z D. Vinc. Ferr. ſer. 1. Paſch.

Dei Filius igitur à mortuis reſurrexit. Juſtum autem erat ut Pater æternus Filium ſuum exhiberet glorioſum & triumphantem poſt mortem ipſius, quia ipſe deſcendit *de cælo* a ad reparandam injuriam ipſi Patri æterno ab hominibus irrogatam. Tenebatur etiam Pater æternus reciproco juris debito (ſi ita loqui fas eſt) liberare Filium ſuum ex ignominiâ crucis, *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus* b. Oportebat ut aliquo modo Divinitas Chriſti Reſurrectione ſuâ clareſceret. Principium noſtræ reſurrectionis incepit in Chriſto, quem Pater æternus *dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* c, ut contionaretur hæc reſurrectio in nobis, *Quia membra ſumus corporis ejus* d. Inde ergo animati debemus ad virtutem, expectantes futuram iſtam reſurrectionem, quæ eſt motivum opportunum accendendis animis noſtris ad exercitium omnium bonorum operum, cùm ſpes mercedis puſillanimos quoſque inflammet, tædia & moleſtias hujus vitæ demulceat, rigores mitiget, intentiones purificet, virtutes omnes augmentet, & univerſa merita coronet. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* e. Proficua nobis conſequentia! Jeſus Chriſtus eſt cauſa efficiens noſtræ reſurrectionis, *Ego ſum reſurrectio, & vita* f. Ubi eſt caput, ibi debent eſſe membra: Jeſum Chriſtũ adoramus *Caput ſupra omnem Eccleſiam* g. *Ipſe aſcendit ſupra omnes cælos* h. Illuc ergo ſperare debemus nos aſcenſuros, *Quia membra ſumus corporis ejus* i. Cùm ipſe dicat, *Volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum* k. Miles eò pergit, ubi eſt Dux ſuus; & ubi eſt Rex, ibi eſt & Curia ſua Jeſus Chriſtus eſt Dux & Rex noſter, ut prædixit de eo Michæas l, *Aſcendet pandens iter ante eos, & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Nunquid igitur non oportet ut ſequamur eum tanquam vaſſalli ejus, ut ei obſequia noſtra exhibeamus? *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*, ajebat D. Paulus o Corinthiis. *Sed in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* p.

a Jo. 6. 38.
b Pſ. 138. 12.
c Epheſ. 1. 22. & 23.
d Epheſ. 5. 30.
e 1. Cor. 15. 20. &c.
f Jo. 11. 25.
g Epheſ. 1. 22.
h Epheſ. 4. 10.
i Epheſ. 5. 30.
k Jo. 17. 24.
l Mich. 2. 13.
o 1. Cor. 15. 14.
p Pſ. 18. 5.

Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram r. Chriſtus mori voluit ad occidendam mortem noſtram, & reſurgere ad nos reſuſcitandos primò quoad animam, ſecundò verò quantùm ad corpus; exequamur conſilia ejus, reſurgamus hâc die glorioſâ Paſchæ: ſi aliquis ſit adhuc mortuus per peccatum, ſurgat ex hoc ſepulchro tenebroſo, & ſuſcitetur ad gratiam, confiteatur, & in bonâ emendatæ vitæ ſe recipiat frugem, ut dicatur de ipſo, ſicut dicitur ab Angelis de Chriſto die hodiernâ, *Jeſum quæritis Nazarenum, crucifixum: ſurrexit, non eſt hic.* Magnatum tumulis ſuperponitur, *Hic jacet* N. Sed ſepulchro Jeſu Chriſti ſuperpoſitum audimus, *Non eſt hic.* Efficiamus ut ita ſit de nobis. Fortaſſis *quæritis* hunc peccatorem, *Non eſt hic.* Non eſt ampliùs in eo miſero ſtatu, ad quem uſque nunc videratis illum redactum; non indulget ampliùs diſſolutioni, ſordibus, vindictæ, inimicitiis, non ſibi complacet ampliùs in priſtinis vitiis ſuis, *Surrexit, non eſt hic.* Iracundus erat, & evaſit manſuetus; impurus, & factus eſt caſtus, non eſt ampliùs in infami civitate Sodomâ s voluptatũ carnalium, *eductus eſt de lacu* t leonum odiorum & inimicitiarum; non eſt ampliùs ſepultus in divitiis, quæ erant ejus *theſaurus*, quia *ibi & cor* u ejus erat: ejus *converſatio in cælis eſt* x, ubi theſaurizat ſibi *theſauros* veros; quippe *ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur* z. Non eſt ampliùs mortuus, ſed vivit gratiæ, & charitati Dei, *Quia Chriſto reſurgenti debemus etiam ſecundùm animam conformari, ut ſicut, ſecundùm Apoſtolũ* a, *Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: & ſicut ipſe reſurgens ex mortuis, jã nõ moritur, ita & nos exiſtimemus nos mortuos eſſe peccato, ut iterùm vivamus cum illo,* ait D. Thomas b. Cùm hæc ſit intentio Chriſti morientis, & deinde reſurgentis pro nobis, ut vitam ducamus novam, & ſpiritualem, nos *exſpoliantes veterem hominem cũ actibus ſuis, & induentes novum* c. Mutemus antiquam pellem noſtram more ſerpentis, ut renovemus nos, & ut, *ſine timore, de manu inimicorum noſtrorũ liberati, ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitiâ, coram ipſo, omnibus diebus noſtris* d. Et hæc eſt nota, quam nobis dat Apoſtolus

r Rom. 4. 25.
s Gen. 19. 20.
t Dan. 6. 23.
u Matth. 6. 21.
x Philipp. 3. 20.
z Matth. 6. 20.
a ex Rom. 6. 4. &c.
b D. Th. 3. p. q. 56. a. 2. in concl.
c Coloſſ. 3. 9.
d Luc. 1. 74. & 75.

lus, reſurrectionis noſtræ, quâ cognoſcere poſſumus utrùm verè reſurrexérimus, *Si conſurrexiſtis cum Christo, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram* e. Dirigamus igitur omnes cogitationes noſtras ad bona incorruptibilia & æterna, caveamus ne poſtquàm è noſtris ſurreximus lapſibus, in eoſdem recidamus; ſed purgati à criminibus noſtris, in hâc ſanctâ permaneamus innocentiâ, nedum evadamus ſimiles corvis, qui candidi in nativitate ſuâ, efficiuntur deinde nigri; cuſtodiamus ſanctitatem nobis conciliatam, *ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus* f, & gratiæ, & aliquando gloriæ.

e Coloſſ. 3. 1.
f 1. Petr. 2. 24.

FERIA II. POST PASCHA.

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem? Luc. 24. 17. &c.

CErtum eſt, majorem non eſſe adhibendam curam & ſolicitudinem ad conſervandos theſauros ſuos, quàm ad cuſtodiendam linguam ſuam; cùm theſauri amiſſi recuperari poſſint, ſermo verò prolatus revocari nequeat,

Et ſemel elapſum volat irrevocabile verbum.

Abbas Pambo hâc refertur excelluiſſe virtute cuſtodiendæ linguæ ſuæ; cùm dicatur de eo, ipſum nunquam pœnituiſſe eſſe malè locutum: ſic recenſetur ipſe trium menſium moram expoſtulaſſe, antequàm reſponderet ad ea, ſuper quæ interrogabatur: multum ſanè efflagitabat ille tempus; ſed reſpondebat ſatis citò cùm reſponderet ſatis benè, juxta tritum proloquium, *Sat citò, ſi ſat benè*. Hæc cautela ſermonis à nobis prudenter eſt obſervanda, quam perfectè exercuit Virgo Deipara, paucis reſpondens verbis iſtis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuũ* a, Angelo annuncianti ſibi myſterium Incarnatio-Incarnationis, & dicenti, *Ave Maria*.

a Luc. 1. 38. &c

Deus, qui *creavit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* b, quantùm ad naturam; vult etiam ut homo ſibi ſimilis ſit, quantùm humana pati poteſt infirmitas, quoad Divinas perfectiones, *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt* c. Sed in quo, dicetis mihi, conſiſtit hæc virtus, & hæc perfectio? In diverſas abeunt Patres & Doctores opiniones circa hoc quæſitum. D. Auguſtinus g ſentit, quòd perfectio, quam conciliare nobis poſſumus in hoc mundo, in hoc eſt ſita ut non intueamur id, quod egimus, quod nihil eſt, ſed ut oculos projiciamus ſuper id, quod poſſumus, & debemus agere, *Semper tibi diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad id quod nondum es. Si dixeris, Sufficit, & periſti.* Alii conſtituunt conſummationem perfectionis in incedendo jugiter palam Deo, juxta id quod Abrahæ idem *Dominus dixit*, *Ambula coram me, & eſto perfectus* h. Quod LXX. vertunt, *Place in conſpectu meo, & eſto inculpabilis*. Re autem verâ hæc cogitatio jugis præſentiæ Dei modus eſt efficax conciliandæ ſibi perfectionis. Cicero Chriſtianus Lactantius m dicit, quòd *nemo perfectiſſimus eſt, niſi qui omnes gradus impleverit*. Id eſt, qui in omnibus virtutum gradibus excelluerit. *Quis eſt hic, & laudabimus eũ* n? D. Jacobus o aliter opinatur, dicens, *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Ex abũdantia enim cordis os loquitur* u. Foras enim promit os illud, quod latet in corde; lingua profert id, quod ipſi cor ſuggerit: ſi verò lingua nõ offendit exteriùs, ſignum eſt nihil eſſe offenſivi interiùs, loquela enim eſt indiciũ animæ, & ſymbolum vitæ: ex loquelâ cognoſcitur homo; & ſicut ad ſonitum dolii cognoſcitur utrùm illud ſit vino repletum, aut inane, ſeu aëre plenum; ad tinnitum cymbali, an ſit integrum, aut diruptũ; ad ſonum vocis animalis, num ſit lupus, aut agnus; philomela, aut corvus: ſic ad loquelam hominis cognoſcitur quiſnam ſit ille interiùs, bonus, aut malus; vitioſus, aut virtuoſus; Catholicus, aut Hæreticus; ſanæ mentis compos, aut judicii inops, *Loquela tua manifeſtum te facit* x. Ad loquelam diſcernitur Gallus à Germano, Italus ab Hiſpano, & Græcus à Latino. Dicamus ergo, verbum eſſe umbram operis, imaginem vitæ, & ſpeculum cordis, juxta id quod dicebat cuidam adoleſcenti Socrates, *Loquere, ut noverim te*. Et cùm homo cognoſcatur ad loquelam, & ab ipſâ pendeat noſtra perfectio ex ſententiâ D. Jacobi, videamus Primò quid nobis ſit agendum ad conſequendam hanc perfectionem interventu bonæ loquelæ. Et quia bonæ loquelæ præ omnibus malis loquelis opponitur blaſphemia, & juramentum, de hâc malâ loquelâ blaſphemiæ, & juramenti reſecandâ Secundò vobis diſſeràm, ut ad hanc perfectionem conciliandam pateat nobis aditus.

b Gen. 1. 27.
c Matth. 5. 48.
g D. Aug. ſerm. 15. de Verbis Apoſt. c. 15.
h Gen. 17 1.
m Lactãt lib. 5. de Juſtit. c. 15.
n Eccl. 31 9.
o Jacob. 3. 2.
u Matth. 12. 34 & Luc. 6. 45.
x Matth. 26. 73.
Diviſio.

D. Paulus Coloſſenſibus y iſtud præ aliis tribuit monitum ſalutare, *Sermo veſter ſemper, in gratiâ ſale ſit conditus: ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere*. Verba veſtra condiat ſal prudentiæ & diſcretionis, ita ut ii, qui illa audiunt, ea addiſcant, & illis ædificentur. *In gratia, id eſt, in dulcedine charitatis ſemper ſit conditus ſale ſapientiæ, ſicut bonus animæ cibus, ut quaſi cibus ſapidus recipiatur ab ore cordis audientium*, ait D. Anſelmus a, explicans hæc verba Apoſtoli, *Sermo veſter*, &c. Et D. Chryſoſtomus b, *In gratia & ſale conditus, hoc eſt, ne ſermonis gratia & lepor eò deveniat, ut eo utantur citra diſcrimen. Licet enim, licet urbanè & lepidè loqui, ſed cum ea qua par eſt honeſtate, & decore*. Verba enim noſtra debent eſſe præſervativa à corruptione, ſicut ſal eſt præſervativum à putrefactione, reſecantibus nobis ab oribus noſtris ea omnia quæ aliis patere poſſunt ſcandalum. Et hoc eſt quod edocere nos voluit Chriſtus, cùm *expuens, tetigit linguam* c muti, juxta expoſitionem D. Gregorii d dicentis, *Quid eſt quòd expuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis eſt ex ore Redemptoris, accepta ſapientia in Eloquio Divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore. Et ergo ſapientia quæ ipſe eſt* e, *dum lingua noſtra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur*. Quaſi diceret, quod cùm ſaliva è cerebro deſcendens, quid habeat ſalis, docet nos, quòd diſcurſus noſtri eſſe debeat conditi ſale ſapientiæ, ita ut neminem offendant.

y Coloſſ. 4. 6.
a D. Anſelm in Coloſſ. 4 6.
b D. Chryſoſt. orat. 11. in Coloſſ. 4. 6.
c Marc. 7 33.
d D. Greg. lib. 1. in Ezech. hom. 10.
e ex 1. Cor 1. 30

D. Petrus f noſtros directurus diſcurſus ita ut ex illis alii ædificationis & propriæ ſalutis agendæ anſam apprehendant, hoc nobis exhibet prototypon imitandum, *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei*. Id eſt, nonniſi de Deo loquatur, ita ut ad minùs verba ſua ad Dei referat gloriam & honorẽ, ſintque utilia juxta illud ad Epheſios g, *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat*, *ſed*

f 1. Petr. 4. 11.
g ex Epheſ. 4. 29.

ſed quæ utilis eſt ad ædificationem, ut det gratiam audientibus, exponit Dionyſius h Carthuſianus. Cui ſubſcribit cum Propheta, quòd ſermones iſti Dei ſunt veri. *Principium verborum tuorū veritas. Quaſi dicat: A veritate tua verba procedunt, & ideò veracia ſunt, & neminē fallunt*, ait Incognitus k. Quia ipſe eſt *Veritas* l per eſſentiam. Et ideò oportet ad hoc ut perfectionem ſtatui noſtro debitam adipiſcamur, ut veraceſſimus in ſermonibus noſtris, remoti ab omni falſitate & mendacio, cujus diabolus *mēdax eſt pater* m: efflagitantes cum Davide n à Deo, *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque*. Ut cōformentur, ſecundùm quod nos docet Incognitus o, noſtra *verba factis*. *Veritas enim eſt adæquatio ad intellectum. Intellectus autem per verba exprimitur: tunc ergo eſt veritas in ore, quando bonum, quod intellectus dictat, lingua loquitur, & quod lingua loquitur, exteriùs operibus adimpletur. Quando autem qui verum loquitur, ſed quod loquitur, non operatur, tunc verbum veritatis de ore ſuo cadit. Et tales Lex Evangelica* p *reprehendit; Dicunt enim, & non faciunt*. Prætereà, *Rectum eſt verbum Domini* q. Non utitur ambagibus & amphibologiis ut Satan, qui *loquitur mendacium, quia mendax eſt, & pater ejus* r. Sermo Dei cōformis eſt cogitationi ſuæ, in quo debemus eum imitari, ut imitabatur illum Job, qui dicitur quòd *erat vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* †. Ita ut ſimpliceſſimus in diſcurſibus noſtris, ſinceri, & recti eo modo quo *rectum eſt verbum Domini*. Unde Incognitus s, *Rectum dicitur, cujus medium non exit ab extremis. Verbum autem eſt medium inter intentionem loquentis & ejus effectum. Et ideò tunc verbū dicitur rectum: quando concordat cum intentione loquentis & exteriori opere. Verbum ergo Domini ideò dicitur rectum, quia quod ſonat ab intentione procedit, & per effectum perficitur*. Et in hoc illi conformari debemus. Sermo Dei deinde dulcis eſt, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo* t. Debemus loquentes cūm proximo imitari hanc dulcedinem. Verbum Domini eſt purum & caſtum, *Eloquia Domini eloquia caſta: argentum igne examinatū, probatum terræ, purgatum ſeptuplum* u. Quod idem Incognitus x miro explicat modo, *Duplex malum in præſenti vita abundat, ſcilicet, carentia boni, & malorum abundantia. Sic per oppoſitum in Eloquiis Divinis eſt carentia omnis mali, & omnis boni abundantia. Ibi enim eſt carentia omnis mali, ſcilicet, culpæ: quæ ſcilicet eſt triplex, ſcilicet voluptatis luxuria, ſuperbia, & avaritia. Unde iſtorum omnium carentia oſtenditur, & primò mali luxuriæ, Eloquia Domini eloquia caſta, quia ſcilicet contra luxuriam caſtitatem prædicant, & munditiam. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt* y. Juxta hoc cavere debemus ne labia noſtra ullo verbo inquinemus inhoneſto, claudentes ora noſtra omnibus ſermonibus, qui Chriſtianum dedecent ſtatum, ut conſulit nobis Apoſtolus z, *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos*. Incognitus proſequitur, *Secundò, Excludunt malum ſuperbiæ: quia ſunt argentum igne examinatum. Eloquia ergo Domini ſunt argentum igne examinatum: quia charitatem & dilectionem ad proximum prædicant, quâ ſuperbia excluditur, propter quod Chriſtus dicebat, Diligite inimicos veſtros* a, *&c. Unde & Pſal-*

h Dion. Carth. a. 8. in a. Pſ. 4. 11.
i Pſ. 118. 160.
k Incogn. in Pſ. 118. 160.
l Jo. 14. 6.
m Joan. 8. 44.
n Pſ. 118. 43.
o Incog. in Pſ. 118. 43.
p Matth. 23. 3.
q Pſ. 32. 4.
r Joan. 8. 44.
† Job 1. 1.
s Incogn. in Pſ. 32. 4.
t Pſ. 118. 103.
u Pſ. 11. 7.
x Incog. in Pſ. 11. 7.
y Matth. 5. 8.
z Ephes. 5. 3.
a Matth. 5. 44.

mus b, *Ignitum eloquium tuum vehementer*, illuminans non ſolùm mentem, ſed etiam inflammans voluntatem amore Dei. Talia debent eſſe colloquia fidelium, nimirum ardentia ad inflammandos illos quibuſcum converſantur, dicentes cum Davide c, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum*. Si diligimus ſervum, de eo ubique benè loquimur, ut alii eum diligant, ſicut nos eum amamus: ſi autem diligimus Deum, ſatagamus ut alii eum diligant; narrātes effectus bonitatis ejus, id quod egit, *& paſſus eſt pro nobis* d. Et *quæ præparavit iis qui diligunt illum* e. Ut accendamus corda eorum igne amoris ejus. Sic ſermones noſtri erunt ſimiles ſermonibus Domini noſtri, qui verbis ſuis accendit corda diſcipulorum ſuorum euntium *in caſtellum Emmaus. Et dixerunt ad invicem. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Continuat Incognitus, *Tertiò, Excludunt peccatum avaritiæ: quia ſunt argentum purgatum terra. Hic enim genitivus, terra ponitur pro ablativo, more Græcorum, unde eſt ſenſus: purgatum terra, id eſt, ſeparatum à terra: nihil terrenitatis habent, vel docent. Sic enim eloquium Chriſti purgatum erat à terra, & à terrenis, quando dicebat, Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra* †, &c. Talis eſſe debet ſermo noſter, ita ut *avaritia nec nominetur in vobis*, ſicut vobis conſulit idem Apoſtolus f. Concludit autem Incognitus, *Sic ergo eloquia Domini ſunt caſta per caſtitatis continentiam contra luxuriam: ſunt igne examinata per charitatis amicitiam contra invidiam: ſunt probata terra per paupertatem voluntariam contra avaritiam. Unde ergo continent omnis mali carentiam. Et ideò ut per eloquium Domini timeamus in aliquod dictorum vitiorum incurrere, orando, Deo dicamus illud: Statue ſervo tuo eloquium tuum in timore tuo* g. *Secundò, Principaliter in eloquiis Domini eſt abundantia omnis boni: quod notatur, cùm dicitur, Quòd eſt probatum ſeptuplum. Dicitur enim dictum eloquium Chriſti, probatum ſeptuplum: quia ſeptem donis Spiritus ſancti ornatum, in quibus omnis virtus continetur, quæ dona ſunt ſeptem, ſcilicet timor Domini pietas, ſcientia, fortitudo, conſilium, intellectus, & ſapientia* h, *quæ omnia Chriſtus in illo ſermone prædicavit*, id eſt, habito in monte i: *& ſic eloquium ſuum ſeptuplum probavit, id eſt, ſeptem illis virtutibus ornavit, ut oſtendit Auguſtinus libro primo de Sermone Domini in monte*. Fatigari non poſſum in enumerandis proprietatibus, ſeu perfectionibus verbi Dei, ne, quæſo, fatigemini in iis audiendis. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax* k. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* l. *Verbo Domini cœli firmati ſunt* m. Sermone ejus infirmi priſtinam recuperaverunt ſanitatem. Ut audivit ſurdus Chriſtū dicentem ſibi, *Ephpheta quod eſt, adaperire: ſtatim apertæ ſunt aures ejus* n. Nō priùs audivit hoc verbum Chriſti *leproſus, Mundare: cùm confeſtim mundata eſt lepra ejus* o. Ut audivit *cæcus quidam* quòd *Jeſus dixit illi, Reſpice, confeſtim vidit* p. Paralytico habenti *triginta & octo annos in infirmitate ſuâ dicit Jeſus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuū, & ambulabat* q. Non ſufficit ut verbum Dei ſanitatem reſtituat infirmis: imò verò vitam mortuis reddit. Filiæ Jairi ait Chriſtus, *Puella (tibi dico) ſurge, & confeſtim ſurrexit puella* r, quæ mortua

b Pſ. 118. 140.
c Pſ. 33. 4.
d 1. Petr. 2. 21.
e 1. Cor. 2. 9. ex Iſa. 64. 4.
† Matth. 6. 19.
f Ephes. 5. 3.
g Pſ. 118. 38.
h ex Iſa. 11. 2. & 3.
i Matth. cap. 5.
k Hebr. 4. 12.
l Pſ. 148. 5.
m Pſ. 32. 6.
n Marc. 7. 34. & 35.
o Matth. 8. 2. &c.
p Luc. 18. 35. &c.
q Jo. 5. 5. &c.
r Marc. 5. 41.

mortuus erat. Idem Jeſus, quando *defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, ait, Adoleſcens,* a Luc. 7. 12. &c. *tibi dico, ſurge : & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui* s. Et ut idem Chriſtus *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras, ſtatim prodiit qui* ſ Jo. 11. 43. & 44 *fuerat mortuus* t. Nos verò Chriſtiani, effecti *imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi, & in* u Epheſ. 5. 1. *dilectione* u ambulantes, ſatagamus ut ſermo noſter ſit efficax ad perſuadendum proximo noſtro, ut diligat ſuo x Matth. 22. 37 *Deum ex toto corde, & in totâ animâ, & in totâ mente* x ſuâ, eumque deprecetur ut amoveat ab ipſo *viâ* y Pſ. 118. 29. & 37. *iniquitatis*, & avertat *oculos* ipſius, *ne videant vanitatem* y: & efficiat per gratiam ſuam, ut ipſe z Pſ. 36. 27. declinet *à malo, & bonum* z faciat. Verbum a Epheſ. 6. 17. Dei eſt etiam gladius anceps, *Aſſumite gladium ſpiritus. quod eſt verbum Dei* a. Hoc gladio muniti, nulla eſt putredo vitii, & corruptio morum, quam non reſecemus; nullum apoſtema, quod non diſcindamus; nec ullus affectus inordinatus erga uxorem. virum, liberos, parentes, propinquos, & affines, quem non præcidamus. Satagite igitur ut ſermones veſtri ſimiles ſint ſermonibus Dei, ad præcidenda & averruncanda vitia, errores, ſuperſtitiones, & ſcandala, quæ regnant inter homines : Judices authoritate juſtitiæ; privati verò homines monitis & conſiliis ſab 1. Petr. 4. 11. lutaribus, *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei,* Dicit D. Petrus *b*. Qui ait, quòd verbum Dei non ſolùm ſuſcitat mortuos ad vitam præſentem. ut dicebam modò ex Evangelio; ſed etiam præc Jo. 6. 69. bet illis vitam æternam; dum Chriſtum alloquēs, ait *ei, Domine, verba vitæ æternæ habes* c. Eodem geramus nos modo, ita ſanctè noſtra dirigamus verba, ut ea & nobis & proximo noſtro ad vitam æternam pandant viam.

Sic loquitur Deus. Sed heu loquimurne nos ita? Heu! Domine, ſi peteres à maximâ parte hominum, *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem?* invenires ſanè eorum diſcurſus valdè differre ab illis, quos habebant diſcipuli tui euntes *in caſtellum Emmaus.* Imò verò maximè oppoſitos ſermonibus tuis. Propterea ſinite, Auditores, ut per modum deambulationis perducā vos in varia loca, & in diverſa conſortia, ad auſcultandos diſcurſus, qui ibi habentur; & cùm illuc mecum acceſſeritis, audacter petam ab illis, qui aderunt, id, quod Chriſtus efflagitavit hodie à Cleopha & à ſocio illius, *Qui ſunt hi ſermones,* † Ezech. 9. 6. *quos confertis ad invicem?* Incipiamus igitur *à Sanctuario* †, Domini mei Eccleſiaſtici, *qui ſunt* d Pſ. 133. 1. &c. *hi ſermones,* &c? Profitemini vos ſpecialiter ſervos Dei; ſic enim vocamini à Prophetâ d, *Servi Domini, qui ſtatis in domo Domini.* Servi diligentes Dominum ſuum, non loquuntur niſi de illo, de bonis, magnitudine, ſuavitate, & liberae Pſ. 47. 2 litate ejus, ut eum commendabilem unicuique f Pſ. 111. 3 exhibeant : vos verò loquimini de Deo, de magnitudine illius e, de gloriâ & divitiis domus *ejus* f, g Luc. 13 3. &c. de bonis quæ nobis parat, & de modis illuc perveniendi g? Egrediamur è Templis, & è Monaſteriis, & ingrediamur in caſtella & palatia Magnatum, & petamus ab eis, *Qui ſunt hi ſermones,* &c? Loquimini ne de Deo, & de myſteriis Religionis? Hæc colloquia Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices decent, & homines melancholicos, inquient illi. Diſcurſus eorum ordinarii non ſunt niſi de canibus, de avibus, de venatione, de equis, de nobilitate, de cognatione, & de affinitatibus. De virtute, in quâ ſolâ ſita eſt nobilitas? de victoriâ voluptatis, quæ eſt omnium inſigniſſima? de triumpho ſuiipſius, & paſſionum ſuarum, qui eſt univerſorum nobiliſſimus? Nullo modo. E caſtris Magnatum veniamus ad caſas paſtorum, & agricolarum, *Qui ſunt hi ſermones,* &c? De meſſe, de vindemiâ, de colligendis granis & fructibus, de paſcendis ovibus & pecoribus, & de colendis agris. De purganda conſcientiâ, virtutibus inſtruendâ, & de vitio ab ea evellendo? Nequaquam. Animales iſti homines *non percipiunt ea quæ ſunt* h 1. Cor. 2. 14. *Spiritus Dei* h. Ingrediamur denuò in civitatem, & auſcultemus ea, quæ dicuntur in foro & in tribunalibus; ibi nihil audiemus niſi citationes libello & ſcripto, in judicium vocationes, petitiones, inquiſitiones, informationes, condemnationes, à ſententiis appellationes, & alios terminos forenſes. Si adeamus choreas & ſaltationes, & inquiramus ab illis, qui iis interſunt, *Qui ſunt hi ſermones,* &c? Heu! quantas eructant ibi ſordes & impudicitias, quanta proferunt ibi verba obſcœna, & quot inſumendæ eſſent ſcopæ ad evertendas hujuſmodi ſpurcitias. Si petamus à mercatoribus, *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis adinvicem* in officinis veſtris? Et reſpondebunt, De lucro, de emolumento, & de negotiationibus peragendis, & de nundinis adeundis. Sed de commercio cœli, de negotiando paradiſo, ſicut conſulit eis Dei Filius, *Negotiamini, dum venio* i: Nulla omnino cogitatio. i Luc. 19. 13. Si tandem tranſeamus ad caupones, & ad alios hujuſmodi artifices, & ad milites otio vacantes & efflagitemus ab illis, *Qui ſunt hi ſermones quos confertis adinvicem?* Loquimini ne de Deo in diverſoriis, officinis, & caſtris veſtris? Etiam, Sed blaſphemando, & aſſumendo *nomen* k Exod. 20. 7. *Domini Dei in vanum* k, non conſiderando quòd *nec aliud nomen eſt ſub cœlo datum ho-* l Act. 4. 12. *minibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri* l Ha! infortunati homines derelinquite nefandam hanc loquelam dæmonibus, qui deſperatione & rabie agitati, *blaſphemaverunt Deum cœli* m Apoc. 16. 11 m. Ha nunquid non alia occurrerunt tractanda, nedum immiſceantur linguæ his ſordibus blaſphemiarum, & juramentorum? Ut autem ſciatis quid ſit blaſphemia, & juramentum, ut ab iis declinetis, iſtud æquè ac illam aggredior vobis explicare.

Lingua ex natura ſua eſt inſtrumentum, quod inſervire poteſt indifferenter ad bonum, & ad malum peragendum; ſed illam bonam, aut malam reddit animæ diſpoſitio. Si cor eſt immundum, lingua eſt impura; ſicut è contrà ſi cor eſt purum, lingua eſt munda : *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt* n. n Matth. 15. 18. & 19. Atqui omnium malorum, quæ lingua perpetrat aut contra Deum, aut adversùs proximum, quorum unum procedit *de corde* impio & irreligioſo adversùs Deum; alterum verò *de corde* perverſo & maligno contra homines; *De corde enim exeunt falſa teſtimonia, blaſphemia* : cùm mala lingua ordinariè Deum impetat, vel proximum, ut † Pſ. 72. 9. ait Propheta †, *Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terrâ*; cùm nihil ſit in cœlo ita Divinum, & in terrâ ſic ſanctum, quod prava lingua non aggrediatur; invenio blaſphemiam, aut juramentum eſſe graviſſimum.

Blaſphemia igitur eſt peccatum oppoſitum religioni, quæ ſita eſt in honorando & adorando

Deo præ reverentiâ, & affectu laudis potentiæ *o* ejus, ſapientiæ *p*, bonitatis *q*, miſericordiæ *r*, providentiæ *s*, juſtitiæ *t*, & magnitudinis ejus, quia *Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non eſt finis* u: & quoniam ipſe *Dominus omnium* x eſt. Sic blaſphemia injuriam & dedecus infert Deo, negando corde aut ore, cogitatione aut verbo, directè vel indirectè ſummas ejus perfectionès, aut attribuendo ei imperfectiones majeſtate ipſius indiguas. *Blaſphemia eſt maledicentia contra Deum ex malo voluntatis affectu*, ajunt Theologi. Peccatum autem iſtud diverſis perpetratur modis. Aut affirmando de Deo id, quod ipſe non eſt, ut cùm dicitur, Deus eſt injuſtus, crudelis, &c. Aut negando de Deo id, quod ipſe eſt, ut dicendo, Deus non eſt potens, ſapiens, bonus, & providens, ut dixerunt quidam impii, *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat: Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat; & circa cardines cœli perambulat* y. Aut deteſtando, ſicut cùm dicitur, Pereat Deus, Maledicatur Deus, Deus. Aut deridendo, ſicut deridebant Jeſum Chriſtum *milites*, qui *dicebant ei, Ave Rex Judæorum* z. Sicut & *prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua; & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas* a, *ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce* b. Aut per præſumptionem, ſicut peccant illi, qui gloriantur ſe facturos aliquid invito Deo, velit aut nolit Deus. Aut per contemptum, ſicut fit ab illis, qui injurioſè nominant Caput, Pedes, Sanguinem, aut alias partes Corporis, quas pro nobis aſſumpſit Dei Filius, cùm *habitu inventus ut homo* c eſt. Iſtis modis omnibus blaſphematur cõtra Deum, & quot perpetrantur hujuſmodi blaſphemiæ præ deliberatione plenâ, tot committuntur peccata lethifera, in quâlibet materiâ aut exiguâ, aut gravi peragantur. Si autem ex inadvertentiâ, vel ex motu aliquo paſſionis ſubito, poteſt aliquando caſus excuſari à peccato lethifero, cùm ille, qui blaſphemavit, non eſt aſſuetus ſimiles proferre blaſphemias; ſed in eas labitur aliquando inadvertenter, & per præcipitationem. Si verò quis blaſphemias frequentes & ordinarias præ ore ferat, & ab iis ſeſe emendare negligat, toties peccat mortaliter, quoties blaſphemat, ſive ad eas attendat blaſphemias, ſive non; quia ſemper verſatur in culpâ prævia negligentiæ ſuæ voluntariæ, nullam adhibens ſolicitudinem deſerendæ occaſionis ſui peccati, quæ eſt prava ſua conſuetudo. Sed ille qui ſibi firmiter proponit deſerere hoc vitium, & remedia ei deſerendo & ſanando opportuna capeſſit, & in illud tamen aliquando inadvertenter cadit, peccatum veniale perpetrat.

Prætereà, Blaſphemia etiam perpetratur contra Virginem Deiparam, & adversùs Sanctos, prout injuria quæ irrogatur Genitrici Dei, & amicis ejuſdem Dei, qui ſedent *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulentâ* d, redundat in ipſum Deum. Atqui ut videatur gravitas & enormitas blaſphemiæ, quando profertur cum plenâ deliberatione, aut præ conſuetudine voluntariâ, cui non reſiſtitur: obſervanda ſunt quatuor capita. Primum, eſt objectum, quod blaſphemia aggreditur, quod eſt Deus, qui quoniam *Magnus eſt, & non habet finem; excelſus, & immenſus* e; omnes noſtras meretur adorationes (quas ipſe exigit f) & reverentias infinito modo, id eſt, quantùm creatura poteſt ipſum adorare & revereri. Secundũ, eſt virtus, quam aggreditur blaſphemia, quæ eſt religio, cui blaſphemia directè opponitur. Tertium, eſt ſubjectum, quod illam producit, quod eſt lingua hominis, quæ ei ob nullum alium finem data eſt, niſi ut Dei *ſemper laus in ore* g ejus ſit, & eidẽ Deo gloriam tribuat infinitam. Quartum verò, eſt gravitas ſuppliciorum contra blaſphemos decretorum à Legibus humanis, & Divinis. Et in hoc ſiſto.

o Pſ. 6. 7. p Pſ. 103. 24. q Pſ. 118. 63. r Pſ. 144. 5. s Sap. 8. 1. t Pſ. 118. 137. u Pſ. 144. 3. x Eſth. 13. 11. y Job. 22. 13. & 14. z Jo. 19. 2. & 3. a ex Jo. 2. 19. b Matth. 27. 39. & 40. c Philipp. 2. 7. d Iſai. 32. 18. e Baruch. 3. 25. f Exod. 20. 2. &c. g Pſ. 33. 2.

Galliarum noſtrarum Reges præ omnibus Eccleſiæ Monarchis Chriſtianiſſimi nuncupati, contra blaſphematores ſeveriſſima protulerũt edicta. Supremæ Curiæ varia ediderunt ſenatusconſulta ad exequenda hujuſmodi edicta, eò uſque ut decreto lato præceperint omnibus Judicibus & magiſtratibus ut apprehenderent quoſcumque obvios haberent blaſphemantes in compitis & plateis, & in carcerem eos detrudendos ſatagerent. Lege h Moyſia cavebatur, *Educ blaſphemũ extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.* Super quod ait Cornelius i. *Meritò autem, inquit Theodoretus quæſt 33. blaſphemia aptavit legem & pœnam homicidii, eiuſque reum lapidari juſſit, quia blaſphemator Creatorem cùm interficere non poſſit, linguâ ferit. Unde S. Auguſtinus in illud, Blaſphemavit* k, *Non minùs, ait, peccant qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt* l *ambulantem in terris; ut non mirum ſit, leges omnes Civiles, Canonicas, & Divinas tam ſeverè in blaſphemos animadvertere.* Quin imò dico cum eodem D. Auguſtino m, quòd *minùs peccaverunt Judæi crucifigentes in terrâ ambulantem, quam qui contemnunt in cœlo ſedentem.* Præter iſtas autem pœnas temporaneas decretas cõtra blaſphemos, infligentur ei, etiam æternæ, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum* n. Et poſt reſurrectionem, dicitur, quòd dracones eorum labia rodent, & ſerpentes illorum corda ſtimulabunt in æternum.

Heu, Auditores, auderemusne perpetrare crimen ſic enorme ac eſt blaſphemia, poſtquàm Deus per Prophetam *o* ſuum in blaſphematores ſic invehitur? *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus: qui ſimul mecum dulces capiebas, cibos, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu.* Quaſi diceret, Si Turca, ſi Ethnicus, ſi maledictus aliquis Hæreticus, aut apoſtata à fide, blaſphemiis me impetiviſſet, aliquo injuriam hanc irrogatam mihi perpeterer modo, veluti procedentem ex ignorantiâ, aut ex falſo zelo; ſed quòd Chriſtianus, Catholicus, domeſticus Eccleſiæ meæ, in *adoptionem filiorum* p receptus, vocatus ad familiaritatem meam, & ad menſam meam, ibique Carne meâ ſaginatus, & Sanguine meo potus *q*, poſt ſuſceptos à me tot favores, benedictionibus meis maledictiones impendat, & blaſphemet contra mea Sacramenta, quæ ipſum alunt; adversùs Genitricem meam, quæ eſt ipſius Advocata; in Sanctos meos, qui ipſum protegunt; in meum Sanguinem, cujus *pretio magno* r emptus eſt, & in Nomen meum, *in quo* s ſignatus eſt, hoc ſuſtinere nequeo.

Quoad juramentum, D. Thomas t dicit, *Cùm juramentum ſit Divini teſtimonii, ad alicujus rei certam confirmationem efficiendam, prolatio, patet hinc jurare nihil aliud eſſe, quàm Deum teſtem*

h Levit. 24. 14. i Cornel. in Levit. 24. 14. k Matth. 26. 65. l ex Jo. 19. 15. m D. Aug. conc. 2. in Pſ. 68. 21. n Matth. 25. 46. o Pſ. 54. 13. &c. p Galat. 4. 5. q Jo. 6. 55. r 1. Cor. 6. 20. s Epheſ. 1. 13. t D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 1. in concl.

teſtem invocare. Poteſt autem fieri juramentum, aut invocando Deum ipſum, aut Virginem Deiparam, Sanctos, cœlum, terram, ventum, & alias creaturas, prout potentia u, *Sapientia* x, & bonitas y Creatoris lucent in iſtis creaturis, per quas juratur, ut jurabat Moyſes, *Teſtes invoco cœlum & terram* z. Atqui juramentum non eſt malum ex naturâ ſuâ ſicut blaſphemia quæ nunquam poteſt eſſe bona, cùm ſit maledictio Dei, *Quanquam jurare, interdum licitum & honeſtum ſit,* ut docet idem D. Thomas a. Immò verò bonum & laudabile quando fit præ circumſtantiis & conditionibus requiſitis; Quoniam *juramentum eſt actus latriæ, ſeu religionis, quo quis profitetur Deum indefectibilis veritatis, & ſuper omnes excelſum & ſapientem,* ait idem D. Thomas b. Non eſt igitur illicitum juramentum, *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis* c. Et, *Laudabuntur omnes qui jurant in eo* d. Ratio iſtius eſt manifeſta: Non enim negari poteſt, quin actio quæ oritur è bono principio, quæ tendit ad finem rectum, & exercetur circa rem juſtam, ſit honeſta; atqui juramentum, cùm exercetur ut decet, procedit è bonâ origine, nimirum ea æſtimatione quam agimus infallibilitatis Dei, qui *verax* e eſt, tendit ad bonum finem, nimirum ad terminandas lites, quibus diſſidemus cum proximo, & exercetur in re legitima, quæ eſt neceſſitas interponendi teſtimonii Dei, cùm probationes humanæ non ſufficiunt ad exhibendam fidem iis, quibuſcum agimus: & ideò cùm principium eius ſit bonum, finis eius ſit rectus, & motivum illius ſit legitimum, nulla ei deficit qualitas requiſita ad bonitatem actionis. Sed juramentum non eſt bonum, cùm conditiones comites juramenti, ei deficiunt: Quia *cùm juramentum non ſit de iis quæ ſunt per ſe expetenda, ſed de iis quæ præſenti vitæ ſunt neceſſaria, ipſum, niſi magnæ utilitatis, vel neceſſitatis causâ urgente, uſurpandum non eſt,* ait D. Thomas f.

Hinc fit ut Theologi dicant, neceſſitatem juramenti eſſe unam è pœnis primi peccati g, quod totam naturam inquinavit, & quod nobis eripuit authoritatem conciliandæ fidei proximorum noſtrorum fultorum ſimplici affirmatione aut negatione noſtra; authoritatem, qua vigebat homo in ſtatu innocentiæ creatus *ad imaginem & ſimilitudinem* h Dei. Idcircò providit nobis Deus remedium juramenti, ad ſubveniendum huic defectui; ut invocatio teſtimonii ipſius noſtris addat verbis pondus & fidem quæ eis deſunt. Ita ſentire videtur D. Auguſtinus i, cùm ait, *Quàm pulchrum ac decorum eſſe ſentimus, vel in loquendo, vel in aſſentiendo; eſt, non: profectò & ob hoc ipſum eſt via iſta miſera, quâ vivimus quòd ei nonnunquam ut non amittatur, error eſt neceſſarius.* Et paulò poſt, *Sit in ore veſtro, eſt, eſt, non, non: quod enim amplius eſt, à malo eſt. Propter quod malum, quia ſubrepere in hac mortalitate non deſinit, etiam ipſi cohæredes Chriſti* k *dicunt, Dimitte nobis debita noſtra* l. Propterea Deus tres exigit conditiones ad juramentum, ſine quibus juramentum in nomine ipſius, per Virginem Deiparam, per Sanctos, & per creaturas nunquã eſt licitum, *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia* m. Et confirmat D. Thomas n, dicens, *Jurantem omnem oportet in judicio, veritate, & juſtitia jurare.* Et poſtquàm dixit, *Quòd juramentum non eſt bonum, niſi ei qui benè utitur juramento;* ſubdit, *Ad bonum autem uſum juramenti duo requirũtur. Primò quidem,*

u Pſ. 64. 7.
x Sap. 7. 24.
y Pſ. 118. 68.
z Deut. 4. 26.
a D. Tho. 2. 2. q. 89. a. 2. in concl.
b Idem Ibid. a. 4. in concl.
c Deut. 6. 13.
d Pſ. 62. 12.
e Matth. 22. 16.
f D. Tho. 2. 2. q. 89. a. 5. in concl.
g Gẽ. 3. 6.
h Gen. 1. 27.
i D. Aug. in Enchiridion. c. 37. & 22. ex Matth. 5. 37. & ex Iacob. 5. 12.
k ex Rõ. 8. 17.
l Matth. 6. 12.
m Ier. 4. 2.
n D. Tho. 2. 2. q. 89. a. 3. in corp.

quòd aliquis non leviter, ſed ex neceſſariâ causâ, & diſcretè juret. Et quantùm ad hoc requiritur judicium, ſcilicet diſcretionis, ex parte jurantis. Secundò, quantùm ad id, quod per juramentum confirmatur, ut ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat quod licitum eſt. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax: juſtitiâ autem juramentum iniquum ſive illicitum. Si juretur ob rem vanam, juramentum eſt vanum & temerarium contra hoc, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum* o. Si propter rem falſam, perjurium eſt. Si pro re illicitâ, injuſtitia eſt. Ideò præſentiſſimum remedium ad evitanda innumera perjuria, in quæ labuntur ii, qui ſæpè jurant, eſt firmiter in corde ſuo proponere nunquam jurare, imò propter res veras, niſi in caſu magnæ & gravis neceſſitatis. Propterea conſulit nobis D. Jacobus p, *Nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram.* Et ipſe Chriſtus, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.*

Non licebat in Lege antiquâ pronunciare nomen Dei Tetragrammaton r, niſi ſoli ſummo Sacerdoti ſemel per annum *quando Sanctuarium in conſpectu Domini* s ingrediebatur, quod peragebatur ab eo præ magnis ceremoniis, quæ præ ſe ferebant reverentiam, quâ erga illud afficiebatur nomen Dei: tu verò peccator nomen Dei immiſces ſermonibus tuis ſemper, ubique, in omni re, ſive verâ, ſive falsâ, ſive malâ, abſque reverentiâ majeſtatis, quã profanas. Difficile eſt, inquis, victu hanc pravam conſuetudinem. Non diffiteor illud eſſe difficile, ſed illud facinus ſuperare potes gratiâ Dei adjutus, *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium* t. Oratio impetrat à Deo gratiam vincendi juramenti: jejunium verò, quod efficit ut os luat ſuorum pœnas juramentorum, efficit etiam ut eadem faſtidiat juramenta; abſtinentia ciborum edocet ipſum impenſis ipſius, abſtinentiam jurandi. Si autem ſcires quænam reſervet Divina Juſtitia blaſphematoribus, & iis qui nomen ipſius vanè jurant; non ſolùm inſumeres abſtinentiam & jejunium ad emendandum te à crimine ſic deteſtabili, ſed quidquid eſt moleſtiſſimum in exercitio pœnitentiæ. Ubi agitur de ſalute animæ, non eſt corpori blandiendum. Idcircò reſecare has omnes blaſphemias, & hæc juramenta, quæ omnes ferè linguas inquinant.

Hanc tulit aliàs Deus Legem u, *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit.* Ut doceret nos, quòd, cùm ſimus vaſa animata, vaſa rationalia, vaſa *in honorem* x in domo Dei, in quâ fuimus *ſanctificati, ſed juſtificati in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* y; qui gratiæ *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus* z & corruptibilibus corporum noſtrorum, niſi ſatagamus ſuperponere aperturæ vaſis noſtri, ſcilicet ori noſtro *operculum* ſilentii, & *ligaturã* timoris Dei, immundi erimus præ oculis Divinæ ipſius Majeſtatis. Simus igitur vaſa nõ immunda, defectu operculi, & ligaturæ; ſed vaſe pura & ſanctificata religioſo ſilẽtio, quod noſtra claudat ora præ reverentiâ ſacrâ nominis Dei, eaque ligata teneat. *Vas quod non habuerit operculum* iſtud ſilentii, *nec ligaturam* timoris aut reverentiæ nominis Dei *deſuper, immundum erit.* Ne-

o Exod. 20. 7.
p Jacob. 5. 12.
q Matth. 5. 34.
r Exod. 6. 3.
s Exod. 28. 35.
t Matth. 17. 20.
u Num. 19. 15.
x Rom. 9. 21.
y 1. Cor. 6. 11.
z 2. Cor. 4. 7.

quibit eſſe *vas electionis* a, & *vas in honorem*,
a Act. 9. 15. ſed *in contumeliam* b. *Vir multum jurans im-*
b Rom. 9 21 *plebitur iniquitate* c. Eos, qui juramentis aſſue-
veruit, tradit *Deus in reprobum ſenſum, ea quæ*
c Eccl 23 12 *non conveniunt* d facientes. Ideòque evadunt
vaſa reprobationis infringenda manibus indig-
d Rom 1 28 nationis feveræ Dei, *Vaſa iræ apta in interitum* e.
e Rom. 9 22 Sed heu Chriſtiani quònam redacti ſumus? Ha!
Deus meus, accende me tuis flammis, ut zelo tuo
accenſus, in hujuſmodi pravas linguas invehar.

O ſtulti, crudeles vobis ipſis & proximis ve-
ſtris, cùm ſermonibus veſtris profanis & ſacrile-
gis vobiſmetipſis officiatis æquè ac illis, quos
ſcandalizatis! O infortunati homines! Deus in-
dulſit vobis linguam ut inſtrumentum laudibus
ipſius decantandis opportunum, & ex eâ cloacâ
efficitis inquinamenti, *Sepulchrum patens eſt*
f Pſ. 5. 11 *guttur eorum* f. *O ſtulti*! Deus præbuit vobis os
ad ſanctificandas animas veſtras cõfeſſione pec-
catorum veſtrorum; & nedum eas ſanctifi-
cetis, ô ſacrilegium! è contrà profanatis eas
blaſphemiis & juramentis. *O ſtulti*! Deus in
oribus veſtris poſuit confeſſionem ſalutis, &
profeſſionem fidei: *Corde enim creditur ad ju-*
g Rom. 10 10. *ſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem* g. Et
ex iis conficitis inſtrumentum damnationis. *O*
ſtulti! Deus poſuit vobis in ore *panem Angelo-*
rum h, immortalitatis, ſeu *futuræ gloriæ pig-* h Pſ. 77. 25.
nus i, & antidotum peccati: & in eo vos po-
nitis verba profana, atque ſacrilega. *O ſtulti*! i Eccleſia
Deus honorat ora veſtra ingreſſu ſuæ Divinita- ex Jo. 6. 51
tis & humanitatis ſuæ in Euchariſtiâ, dicens,
Caro mea, verè eſt cibus: & Sanguis meus, verè
eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit
meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo k. k Jo. 6. 55
Et vos ea inhonoratis egreſſu tot infamium ver- & 56
borum. Non poſſum ſatis admirari, dicam me-
liùs, deteſtari ſans hanc cæcitatem animi, &
iſtam oris deordinationem, quæ regnat hodie.
Utinam, Auditores, imitaremini noſtros pere-
grinos, loquendo de Deo, & de myſteriis ejus.
Si ita nos habeamus, *Jeſus appropinquans*, ſeſe
nobis ſociabit in peregrinatione hujus vitæ,
nobis interpretabitur *in omnibus Scripturis quæ*
de ipſo erunt. Franget nobis *panem* Corporis ſui
ad ſuſtentandas animas noſtras; aperientur ab
eo *oculi* noſtri, & *cor noſtrum ardens in nobis*
erit dilectione ejus, ut cognoſcamus & diliga-
mus eum in hoc mundo, donec eum cognoſca-
mus & diligamus in altero.

FERIA III. POST PASCHA.

Nos autem ſperabamus, Luc. 24. 21. &c.

HÆc ſunt colloquia duorum peregri-
norum, qui ſunt ejuſdem fortunæ cõ-
ſortes, de quibus dicitur in Evangelio
heſterno, quod reſumo & proſequor,
Et ecce duo ex illis ibant ipsâ die in caſtellum,
quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeru-
ſalem, nomine Emmaus. Et ipſi loquebantur ad-
invicem de his omnibus quæ acciderant. Et
factum eſt dum fabularentur, & ſecum quære-
rent, & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis.
Quod ſic exponit Hugo a Cardinalis, *Et ecce*
a Hug. Card. in Luc 24. 13, &c *duo charitate conjuncti, ex illis, ſcilicet Chriſti*
diſcipulis ibant pedibus mentis, & corporis,
ipsâ die Reſurrectionis. Et ipſi loquebantur ad-
invicem de his omnibus quæ acciderant in Jeruſa-
lem de Chriſto; non de vanis, vel malis. Et quia
iſti loquebantur de bonis, & de ipſo: ideò Chri-
ſtus ipſe apparuit eis. Unde ſequitur. Et factum
eſt dum fabularentur, id eſt, dum loquerentur
adinvicem; & ſecum quærerent quomodo omnia
facta fuiſſent: & quid poſſet eſſe quod mulieres
narraverant: & ipſe Jeſus appropinquans corpo-
raliter & ſpiritualiter, ibat cum illis. Apparuit
autem eis Dominus, ut reſurrectionem ſuam eis
intimaret; eoſque edoceret, quòd ſicut ipſe
reſurrexerat, ita ipſi eſſent reſurrecturi. Idcircò
Lyranus in moralitatibus ſuper hæc verba, *Ibant*
ipsâ die, ait, *Nam ipsâ die Reſurrectionis aperta*
fuit via beatitudinis, quæ per Emmaus ſignifi-
catur, eò quòd mater dulcedinis interpretatur;
& ex tunc Chriſti diſcipuli per viam conſequen-
dæ beatitudinis gradiuntur. Sed, ut ait Hugo,
pedibus mentis & corporis, cùm dicat D. Ber-
b D. Ber. ſerm. 13. in Pſ. Qui habit. nardus *Pes tuus affectio tua* b. Conceptus Do-
ctorum iſtorum invitant me ad dicendum my-
ſticè, quòd iſti *duo* peregrini ſunt corpus no-
ſtrum & anima noſtra, quæ communicant ei-
dem ſorti, & eandem participare debent feli-
citatem, & quòd motivum ſpei ipſorum eſt
Corpus & Anima Chriſti reſuſcitati, & ſpes po-
tiendi aliquando privilegiis reſurrectionis. In-
cipio autem vobis oſtendere in duplici parte di- Diviſio.
ſcurſus iſtius, quomodo corpus noſtrum & ani-
ma noſtra debent ſperare reſurrectionem, intui-
tu reſurrectionis Corporis & Animæ Chriſti.
Dicamus, *Ave Maria.*

1. Pars. Locuturus vobis de ratione propter quam
corpora noſtra ſperare debent reſurrectionem,
duo ſuppono. Primum, quòd homo ſecundùm
idem corpus, & quoad iſtam partem mate-
rialem eſt finis & ſcopus omnium operum Dei.
Formavit igitur Dominus Deus hominem de
limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpira-
culum vitæ, & factus eſt homo in animam vi-
ventem c. Propterea formatus fuit ultimus c Gen. 2. 7.
poſt omnes creaturas, ut videre eſt ex ſerie pro-
ductionis aliarum, & colligitur ex iſtâ parti-
culâ illativâ, *igitur*: Quia cùm omnia feciſſet
Deus propter eum, & mundus eſſet domus,
quam ille inhabiturus erat, & cùm Deus hunc
mundum produxiſſet, oportebat ut ei provide-
ret omnia requiſita ad conſervationẽ ejus, & ad
decôrem illius: decebat ut Sol illuminaret eum
radiis, ut planetæ benignas ſuas ſuper eum effun-
derent influentias, ut illarum beneficio fœ-
cundaretur terræ, & fructus produceret ad a-
lendum hominem: collocandæ erant aquæ in
loco, & in ſecluſorio, in quo poſuit eis Deus
terminum, quem non tranſgredientur, neque
convertentur operire terram d, aut officere d Pſ. 103 9.
homini, propter cujus uſus creatæ fuerant.
Propterea dixit Picus e Mirandulanus, *Eſt con-*
ſuetudo à Regibus uſurpata & Principibus terræ, e Pic. Mirand de Omnibus Mundis. lib. 5. cap. 6.
ut ſi fortè magnificam & nobilem civitatem con-
diderint, jam urbe abſolutâ imaginem ſuam in
medio illius viſendam omnibus ſpectandamque
conſtituant. Haud aliter Principem ſomnium f ex Apoc 19. 16.
Deum feciſſe videmus, qui totâ mundi machinâ
conſtructâ, poſtremum omnium hominem in me-
dio illius ſtatuit ad imaginem ſuam & ſimilitudi-
nem

Digitized by Google

nem g *formatum.* Ideò adveniente fine mundi, igne conflagrabunt creaturæ, & in cineres redigentur, quia cùm factæ fuerint ob obſequium hominis, ipſo homine recedente à palatio iſtius mundi, oportebit etiam ut cætera ab eo diſcedant, *Adveniet autem dies Domini: in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſâ ſunt opera, exurentur* h. *Quia non ſolùm terra igne purgabitur, partimque caloris vehementiâ conſumetur: ſed & plantæ ac bruta, ac cætera mixta, ſecundùm ſe tota corruptibilia penitùs corrumpentur*, ait Dionyſius i Carthuſianus. Et Hugo k Cardinalis dicit, *Ardebit enim terra illo igne maximo qui præcedet faciem Judicis: & etiam aer, quantum potuerunt attingere humana corpora, quibus coinquinaretur.*

g Ex Gen. 1.27. &c.
h 2. Petr. 3. 10.
i Dion. Carth. art. 3. in 2 Petr. 3. 10
k Hug. Card. in 2. Petr. 3. 10.

Secundum, quod ſuppono, eſt, quòd finis nobis eſt charior mediis: quia omnia agentia non amant media niſi propter finem, amore relativo ad finem: V. g. liberis veſtris tribuitis præceptorem virtute, ſapientiâ, & ſcientiâ præditum; diligitis quidem præceptorem, ſed propter liberos veſtros quos majori dilectione proſequimini: & ſi amatis perfectiones hujus præceptoris, eas refertis ad utilitatem liberorum veſtrorum: cùm igitur homo ſit finis operum Dei, imò verò quantùm ad corpus, oportet ut ipſe amet magis corpus, quàm alias creaturas, quæ non ſunt niſi media ad iſtum finem ordinata. His duobus ita ſuppoſitis.

Inveniuntur aliqui qui adversùs noſtra invehuntur corpora, dicendo ea eſſe ſimilia *ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt omni ſpurcitiâ* l. Et ſua areſaciunt ora æquè ac ſuos exiccant calamos ut ea opprobriis onerent tanquam ſtercoris ſaccos, & putredinis acervos. Non diffiteor, quòd ſi ea in malos convertamus uſus, ſint ipſa omnibus injuriis digna; ſed in ſuo eſſe ſimpliciter naturali nobiliſſima ſunt opera manuum Dei. Quantùm ad ordinem rerum materialium Deus amat illa ut finem omnium operum ſuorum: & ſicut amor Dei eſt ſemper effectivus, & beneficus, cùm ea amet, debet illis benefacere. Duplex autem datur bonum, ait Theologia. Bonum intenſivum, & bonum extenſivum. Bonum intenſivum eſt illud, quod eſt in nobis ipſis, quod eſt magnum in ſe, & in ſuâ virtute. Extenſivum bonum eſt id, quod extenditur ad extrà. Deus igitur amans corpus hominis ut finem, & cæteras creaturas amore relativo ad iſtum finem, debet ei communicare hoc duplex bonum fuſiùs quàm reliquis creaturis; cùm carnem ejus amet ut *manuum ſuarum operam, ingenii ſui curam, adflatus ſui vaginam, moliтionis ſuæ reginam, liberalitatis ſuæ hæredem, Chriſti ſui ſororem* m. Et tamen videtis eas magis participare hoc duplex boni genus, quàm communicet ei homo. Quantùm ad bonum intenſivum, quod eſt ſanitas, agilitas, diſpoſitio corporis, animalia majori vigent ſanitate, quàm valeat homo; corpora præ ſe ferunt robuſtiora, & labori ſuſtinendo aptiora. Homo egreditur *nudus de utero matris* n ſuæ, & cogitur veſtes ſuas emendicare ab animalibus, quæ indumenta ſecum habent, & quæ ipſi homini accommodant. Aërem incolunt & reſpirant aves puriſſimum, quem nos reſpiramus impuritatibus permixtum: ſunt agiliores nobis; aquila enim, imò verò columba intra unam horam integras pervolat Provincias, & majus iter peragit intra medium diem quàm velociſſimi equites noſtri intra unam hebdomadam; tantâ vigent ipſæ aves induſtriâ, & animalia ſupra homines. Atqui cùm Deus magis diligat homines, quàm reliquas creaturas, & conſequenter teneatur ex quâdam decentiâ velle illis magis bonum intenſivum; videndo eum majus bonum intenſivum communicare animalibus in hâc vitâ, inde concludendum eſt, eum parare nobis majora bona in alterâ vitâ iis, quibus donavit animalia. Auſcultate quomodo Apoſtolus o enumeret glorioſas prærogativas, quibus beabuntur corpora noſtra, cùm advenerit *reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione: ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate: ſurget in virtute. Seminatur corpus animale: ſurget corpus ſpiritale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt, Factus eſt primus homo Adam in animam viventem* p: *noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Tunc enim ſanitate potientur inalterabili, ſubtilitate excedente agilitatem avium, firmitate inconcuſſa, & fruentur aëre delicioſo gloriæ, *Nos autem ſperabamus.*

l Matth. 23. 27.
m Tert. lib. de Reſurrect. Carn. c. 9
n Job. 1. 21.
o 1. Cor. 15. 42. &c
p Ex Gen. 2. 7.

Videamus modò motivum ſpei noſtræ quantùm ad reſurrectionem corporis noſtri intuitu bonorum extenſivorum. Pro compertu eſt, quòd animalia ea bona extenſiva abundantiùs & perfectiùs poſſideant, quàm fruatur illis corpus hominis. Inter bona extenſiva locum vita obtinet præcipuum; cæteræ creaturæ inanimatæ majorem habent durationem (quæ eſt quaſi vita ipſarum, ſi ita loqui liceat) quàm habeat homo. Jam à ſex millibus annorum circùm circà præſunt *Luminare majus diei, & Luminare minus nocti: & ſtellas in firmamento cœli ſuper terram* q lucere ſcimus; nedum tamen hæc *duo Luminaria magna*, & ſtellæ aliquid ſplendoris ſui amiſerint. *Terra in æternum ſtat* r. *Dominus etenim firmavit orbem terræ, qui non cõmovebitur* s: ſicut nec commotus fuit ex quo *in principio creavit Deus cœlum & terram* t. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterùm fluant* u. Et ſic ſemper idem permanet Oceanus. Elephantes & corvi inter animalia, aliquot vivere dicuntur ſeculis; quandiu *dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: & ampliùs eorum labor & dolor* x. Propheta, ut ait Incognitus y, *hic in particulari determinat vitæ præſentis brevitatem, dicens, quòd durat uſque ad ſeptuaginta annos, quia ſcilicet ad illud tempus poteſt durare fortitudo hominis, pulchritudo, & hujuſmodi: quo tempore tranſacto, ut communiter iſta deficiunt in hominibus. Et quia aliqui aliis ſunt meliùs complexionati: ideò tales aliquando, ſed rarò, vigent uſque ad octoginta annos, quibus tranſactis, vita hominis non eſt niſi quædam miſeria.* Efficitur enim tunc cloaca & ſentina fluxionum, omnes nervi ejus concutiuntur, cuncta illius membra contremunt, oculi caligine offunduntur, capilli caneſcunt, & calvus tandem evadit Homo. Atqui cùm Deus magis diligat homines, quàm cæteras creaturas, nec tamen dederit illis majora bona extenſiva, vitam longam ſicut animalibus, & talem durationem, qualem cæteris creaturis; inferendum eſt hinc, quòd ipſe reſervet nobis majora ad alteram vitam: ſic corpora noſtra poſt reſurrectionem non erunt ampliùs morti obnoxia, & non habebunt alios limites niſi æternitatem. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale*

q Gen. 1. 16. & 17.
r Eccl. 1. 4
s Pſ. 92. 1.
t Gen. 1. 1.
u Eccl. 1. 7
x Pſ. 89. 10
y Incognit. in Pſ. 89. 10.

z 1. Cor. 15. 51. *hoc induere immortalitatem* z. Et ecce ratio propter quam ſperare debemus reſurrectionem corporum noſtrorum, fultam reſurrectione Corporis Jeſu Chriſti, *Nos autem ſperabamus.*

Hæc tamen reſurrectio valdè erit diverſa, nec omnibus accommoda. Alii enim ſurgent è ſepulchro ſuo ut latrones, qui toto vitæ ſuæ tempore percurrerunt ſylvas ad interimendos quoſcumque illac tranſeuntes, quique expergiſcentes, ſeſe apprehenſos intuentur à ſatellitibus, & vinculis conſtrictos ſe vident pertrahi in carcerem, ut ibi concludantur donec inde eruantur, ut ſentiant ſibi confringi oſſa à carnifice, *Et multi de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium* a. Cæteri verò egredientur è tumulis ſuis, ut gloriâ circumcingantur, & beatitudine fruantur, & mutent corpora hæc corruptibilia, paſſibilia, & mortalia, in corpora gloriæ, ſanctitatis, & immortalitatis, *Et mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur* b, *id eſt, immortalitatis gloriam conſequemur*, ſubdit Dionyſius c Carthuſianus, minimum quantùm ad corpus. Sed tranſeamus ad ſecundam partem, quæ ſpectat animam.

a Dan. 12. 2.
b 1. Cor. 15. 52.
c Dion. Carth. art. 16. in 1. Cor. 15. 52.
II. Pars.

Nihil eſt æquè difficile cognitu ac anima noſtra; propterea in varias circa eam abierunt ſententias Philoſophi. Quorum Alii opinati ſunt, eam eſſe portionem Divinitatis in corporibus noſtris reconditam. Alii compoſitam illam eſſe ex aere. Alii eam eſſe ſubſtantiam antiquam. Alii ambigunt utrùm ipſa operetur immediatè ſemetipſâ, aut potentiis & facultatibus à ſubſtantiâ ipſius diſtinctis: & Animaliſtæ noſtri anxiantur ad perſuadēdum nobis, quòd anima operetur multis formis partialibus ſubordinatis uni formæ ſuperiori & inviſibili. Dubitaverunt aliàs Ethnici, utrùm ipſa eſſet immortalis, aut num interire ipſa deberet unà cum corpore. Et ideò cùm Epicureus quidam capulo vicinus, & extremâ decumbens ægritudine, magnâ laboraret anxietudine intuitu & conſideratione naturæ animæ; & huic Philoſopho extremum vitæ agonem agenti interesset quidam Stoicus, & is didiciſſet rationem, propter quam timore percelleretur ille Epicureus, dixit, Ecce homo inſanus, qui cùm unicā rem haberet ediſcendam, eam non ſategit edoceri. Ne autem obnoxii evadamus defectui hujus Epicurei, & ne idem nobis improperetur jure merito, non obſtantibus omnibus difficultatibus quæ occurrunt ad cognoſcendam naturam animæ, intendo vobis monſtrare, eam debere reſuſcitari, ſeu denuò uniri corpori ſuo. Meas etiam rationes è duabus potentiis ejus, apprehenſivâ, & appetitivâ, quibus plenè ſatisfieri non poteſt in hâc vitâ, nec tempore ſeparationis ipſius à corpore noſtro. Ibi autem totam ego formo ſpem meam.

Anima igitur conſiderari poteſt duobus modis; vel duplex à nobis formari poteſt animæ noſtræ conceptus. Primus conceptus eſt ille, quo conſideramus illam prout ſubſtantia eſt ſpiritualis completa, quæ poteſt ſubſiſtere ſemetipſâ. Secundus conceptus eſt is, quo intelligimus eam quatenus eſt ſubſtantia incompleta, id eſt, inquantùm eſt pars compoſiti noſtri, & ſecundùm hanc conſiderationem poſteriorem, juxta hunc ſecundum conceptum, potentiis ſeu facultatibus ejus geminis appetitivæ & apprehenſivæ omnino ſatisfieri non poteſt. Quantùm attinet ad facultatem ſeu potentiam apprehenſivam tot ſunt res cognoſcendæ in corporibus noſtris, ut illarum notitiam nullo poſſit modo anima ſibi comparare: innumeræ enim ſunt proportiones differentes in corporibus noſtris; multigena ſunt in illis oſſa differentia, conformiter ad ipſorum functionem. Alia enim ſunt curua, ut coſtæ, ut ſint antemurale cordis. Alia recta, ut oſſa pedum, cum ſint ut baſes noſtri corporis: ita ut difficile ſit ut anima noſtra has omnes oſſium e nervorum & rectorum diſpoſitiones cognoſcat; & ſi homo vellet corpus pingere cum omnibus proportionibus illius, oporteret ut innumeras formaret ideas ſuper iiſdem proportionibus. Valdè etiam delectabile eſſet viſu totam noſtri corporis œconomiam: ergo cùm cognitioni animarum noſtrarum omnino ſatisfieri non poſſit hâc primâ unione, oportet ut uniantur denuò corporibus noſtris, ut notitiā perfectiorem hanc ſibi concilient, *Nos autem ſperabamus.* Quantùm ad potentiā appetitivam, exiſtimo nihil magis eſſe rectæ conſonum rationi in animâ ſupremi Principis, quàm ut habeat ſibi ſubditos, ſupra quos imperium ſuum præ ſummâ exerceat authoritate: idcircò anima, quæ eſt præcipua pars noſtri compoſiti, videns ſe deſtitutam vaſſallo ſuo, ei uniri deſiderat, ut ſupra illud imperet. Re autem verâ ſi corpus ſubjicit ſe authoritati hujus ſupremæ Dominæ, & licèt iſtud aliquando reluctetur corpus, ſi ipſa anima eſt generoſa, nec ſuam deprimit nobilitatem, nec deſerit titulum ſummæ Dominæ ut ancillam agat; corpus ipſi animæ morem gerit, ſuas exhibet illi reverentias, ſuam exponit vitam, & ſeſe conſumit ob gloriam ejus. Propterea ſi inter cœleſtes quæro hierarchias, & peto à choro Virginum, quidnam ipſas in hoc ordine collocarit, & ad tantam gloriam ipſas evexerit? Reſpondebunt illæ mihi profectò, ſe ad tantæ felicitatis gradum perveniſſe, quia corpora ſua ſibi ſubjecerunt mediis mortificationibus, quibus incubuerunt, ut animabus ſuis reverentiam exhiberent; & concupiſcentiis reſtiterunt ob promerenda præmia, quibus propriæ animæ erant donandæ; in praxim redigendo conſilium Apoſtoli d, *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Si eodem modo Confeſſores interrogem, & Martyres: reſpondebunt mihi iſti æquè ac illi, ſe mediis afflictionibus, quibus exceperunt, aut excipienda permiſerunt ſua corpora, ſibi tantam conciliaſſe felicitatem; efficiendo ut corpora ſua animabus ſuis ſubjicerentur, exercendo monitum ejuſdem Apoſtoli, *Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtrâ mortali.* Atqui cùm obedientia corporis ſic noſtris fuerit animabus accommoda; & ſi nihil eſt ita rectæ rationi conſonum, quàm ut ſupremus Dominus authoritatem ſuam ſupra ſibi ſubditos exerceat præ maximâ libertate; oportet ut anima ducatur hoc deſiderio ingrediendi denuò in hanc authoritatem præcipiendi corpori, & revertendi in dominium ſuum, *Nos autem ſperabamus.* Nō habet anima majus bonū poſt Deum, qui eſt ſummum & *omne Bonum* m, & *qui replet in bonis deſiderium* n ipſius, quàm corpus ſuum; propterea conſervat ipſa appetitus inſatiabiles uniendi ſe illi denuò, qui appetitus ipſam affligerent, niſi ipſa eſſet *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* o. Ne igitur deſiderium iſtud ſit inutile, neve improperetur naturæ, quòd ipſa dederit animæ potentias, quæ reduci non poſſunt ad actum; & deſideria, quibus ſatisfieri non poſſit, oportet ut animæ noſtræ uniantur denuò

d 2. Cor. 4. 10.
g 2. Cor. 4. 11.
m Exod. 33. 19
n Pſ. 102. 5.
o Iſai. 32. 18.

cor-

corporibus noſtris in reſurrectione, ſicut Anima Chriſti unita eſt Corpori ejus, *Nos autem ſperabamus.*

Anima collocata fuerat in corpore noſtro ut Domina, ſicut audiviſtis: & quia perſæpè fuit illi corpus inobediens, conſilia formavit adversùs eam, & rebelliones molitum eſt contra ipſam: *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animã: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* p: ita ut liberè ſuis perfungi non poſſet hæc anima muniis, ut innuere videtur Hugo q Cardinalis, hæc verba Sapientis exponens, *Ecce duo dicit. Corpus corruptum corrumpit affectum inani voluntate. Terrena cogitatio deprimit intellectum vanâ curioſitate; ut jam non liceat cogitare utilia, id eſt, quæ antè ſunt, & quæ retrò: quæ ſuprà ſunt, & quæ infra. Retrò ſunt peccata; antè mors: ſuprà præmia: infra ſupplicia*: Quia, inquam, rebellavit frequenter corpus adversùs animam, credibile eſt, quòd ſecunda unio reddet hoc corpus ſubditum & obediens animæ, magis quàm eſſet anteà, cùm rationabiliter concupiſcat Princeps ſubditos, quibus dominetur; & illa deſideria ſint laude digna, quibus optat ſummus Dominus invenire vaſſallos in omnibus morem gerentes voluntatibus ſuis. Sciens igitur anima futurum ſibi magis obediens corpus ſecundo fœdere pacis cum eo ineundo; quo ſubjiciet illud ipſa ad exhibendam ſibi obedientiam, magno duci debet ipſa deſiderio conciliandi ſibi hujus dominii: ſicut autem intuentur animæ noſtræ in conſiliis Dei, quòd corpora ſibi ſubjicienda ſint per reſurrectionem, ideò hanc deſiderant reſurrectionem, & ſpem illius fulciunt reſurrectione Jeſu Chriſti, cujus Anima unita eſt denuò Corpori ipſius, *Nos autem ſperabamus*. Propterea dixit Apoſtolus r, *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors* s: *& per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

p Sap. 9. 15.
q Hug. Card. in Sap. 9. 15.
r 1. Cor. 15. 20. &c.
s Ex Gen. 3. 6.

Habemus ergo ſpem reſurrectionis noſtræ conſideratâ gloriâ Capitis x *noſtri*, ait S. Gregorius y, explicans hæc verba Job, *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem viſurus ſum ego ipſe: & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Nos autem beati Job fidem ſequentes, & Redemptoris noſtri poſt reſurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem noſtram poſt reſurrectionem futuram, & eandem, & diverſam: eandem per naturam, diverſam per gloriam: eandem per veritatem, diverſamque per potentiam. Erit itaque ſpiritalis* z, *quia & incorruptibilis: erit palpabilis, quia non amittet eſſentiam veracis naturæ. Sed ſanctus Vir eandem reſurrectionis fiduciam quâ ſpe teneat, quanta certitudine præſtolettur, adjungit, Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Nil nos habere certius credimus, quàm hoc quod in ſinu tenemus. In ſinu ergo ſuo ſpem repoſitam tenuit, quia vera certitudine de ſpe reſurrectionis præſumpſit.* Hanc autem expectationem reſurrectionis noſtræ conſideremus, ut vitam noſtram emendemus.

x Ex Eph. 1. 22.
y S. Greg. lib. 14. Mor. c. 30 & 33. in Job. 19. 25. &c.
z Ex 1. Cor. 15. 44.

Intereà ſit *benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto* a. Quadrageſimæ æquè ac laborum noſtrorum finem attigimus ſanâ vigentes valetudine. Verebamur ne moreremur, ab ipſis temporis iſtius primordiis, intuitu jejunii, quod imaginabamur intolerabile; & fortè ii, qui illud inviolatè cuſtodierunt, firmiori potiuntur ſanitate, quàm illi, qui ab eo ſe diſpenſaverunt; præterquàm quòd gaudio & conſolatione perfuſi ſunt, hujuſmodi jejunio vacantes, & comparatis ſibi meritis, majorem conceperunt ſpem futuræ beatæ reſurrectionis ſuæ, innixam Reſurrectioni Domini ſui Jeſu Chriſti. Utinam, Auditores, conſecuti fuerimus finem, propter quem hæc Quadrageſima inſtituta eſt, nimirum remiſſionem peccatorum. Sed jure merito timeo ne nobis accidat id, quod evênit filiis Iſraël, qui *egreſſi* b *de Ægypto, profectique in deſertum, comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti ſunt, uſquequò tangerent fines terræ Chanaan* c. Et tamen ex illis omnibus nullus, hujuſmodi *non* intravit *terram, præter Caleb filium Jephone, & Joſue filium Nun* d. Exivimus omnes è peccato, incepimus pœnitentiam peragere in deſerto Quadrageſimæ, quâ finitâ confeſſi ſumus, & *panem Angelorum* e manducavimus. Sed quoniam et editis juſtificatos? Dicetis mihi, vos id credere de vobis, quia Sacramenta gratiam conferunt, & vos ea ſuſcepiſtis. Respondeo vobis, ſimulque concedo efficaciam Sacramentorum prædictorum, quando cum debitis ſuſcipiuntur diſpoſitionibus, quarum præcipua in Sacramento Pœnitentiæ eſt contritio, quæ dicit eſſentialiter firmũ conſilium non relabendi ampliùs in peccatum, & declinandi ab omnibus occaſionibus ad peccatum inducentibus: ſed quiſnam eſt ille, cui non contigit illud veri Proverbii f? *Canis reverſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti* g. *Quis eſt hic, & laudabimus eum* h. Sed vultiſne, Auditores, ut vobis detur ſignum juſtificationis veſtræ? Ecce ipſum in promptu eſt. Jeſus Chriſtus ipſe vobis illud proponit, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum* i. Quod ſic exponit Dionyſius k Carthuſianus, *Qui ex Deo eſt per prædeſtinationem æternam, per gratiæ reformationem, per Bonitatis Divinæ imitationem; verba Dei audit, non ſolùm auribus corporis, ſed etiam mentis, id eſt, verba Divina libenter audit, memoriter tenet, diligenter adimplet: quemadmodũ ait Pſalmiſta* l, *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Si quis ſermonem meum ſervaverit per fidem & charitatem, id eſt, verbis meis fideliter obedierit, mortem non videbit in æternũ, id eſt, nunquam experietur, ſeu ſentiet mortem ſpiritualem, quia nec in præſenti privabitur vita gratia, nec in futuro vita gloriæ, & nec pœnam ſenſus, nec pœnam damni in inferno habebit. Juſti enim in perpetuum vivent, ut Sapiens* m *ait. Videre in Scriptura ad omnes ſenſus refertur, & ad ſenſitivam atque intellectivam notitiam. Unde nunc ſumitur pro guſtare, vel experiri, ſeu pati. Sic accipitur, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* n. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.*

a Epheſ. 1. 3.
b Exod. 15. 22.
c Exod. 16. 1. & 35.
d Num. 14. 30.
e Pſ. 77. 25.
f Ex Prov. 26. 11.
g 2. Petr. 2. 22.
h Eccli. 31. 9.
i Joan. 8. 47. & 51.
k Dion. Carth. art. 23 in Joan. 8. 47 & 51.
l Pſ. 118. 11.
m Ex Sap. 5. 16.
n Act. 13. 35 & ex Act. 2. 31 & ex Pſ. 15. 10.

Huic concordat id, quod refert Scriptura o, *Quærebat Saul Davidis animam. Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David, eò quòd diligeret illum. Dixitque ad eum Jonathas, Cras Calendæ ſunt, & requirêris. Deſcendes ergo feſtinus, & venies in locum, ubi celandus es in die quando operari licet, & ſedebis juxta lapidem, cui nomen eſt Ezel. Et ego tres ſagittas mittam juxta eum, & jaciam quaſi exercens me ad ſignum. Mittam quoque & puerum, dicens ei, Vade, & affer mihi ſagittas.*

o 1. Reg. 20. 1. &c.

gittas. Si dixero puero, Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali, vivit Dominus. Si autem ſic locutus fuero puero, Ecce ſagittæ ultra te ſunt: vade in pace, quia dimiſit te Dominus. Volebat Jonathas reconciliare Davidem Patri ſuo Saul, ſed non potuit. *Venit Jonathas in agrum juxta placitum David & puer parvulus cum eo, & ait ad puerum ſuum, Vade, & affer mihi ſagittas, quas ego jacio. Cùmque puer cucurriſſet, jecit aliam ſagittam trans puerum. Venit itaque puer ad locum jaculi, quod miſerat Jonathas: & clamavit Jonathas poſt tergum pueri, & ait, Ecce ibi eſt ſagitta porro ultra te. Et ſurrexit David, & abiit.* Ecce myſterium in hâc hiſtoriâ contentum. Iratus eſt Deus contra peccatores, Jonathas, id eſt, Prædicator ſatagit pacem procurare, conatur mitigare iram Dei, illique eos reconciliare. Vultiſne ſcire utrùm ſit vobis *pax*? & an Deus vobis pepercerit? Interroget ſe unuſquiſque veſtrûm, & dicat intra ſe, *Sagittæ intra te ſunt? Sagittæ ultra te ſunt?* Iſtæ *ſagittæ* ſunt puncta, loca, ſententiæ, & verſus, quæ
pPſ. 44.6 propoſui vobis, de quibus ait Deo Pſalmiſta p, *Sagittæ tuæ acutæ, populi, ſub te cadent in corda inimicorum Regis.* Inſpirationes, gratiæ, & vocationes tuæ, Domine, mediis Concionatoribus tuis infiguntur cordibus peccatorum, qui ſunt inimici tui, & virtute earum proſternunt ſe ante pedes tuos, contriti & pœnitentes. Idcircò, Anima Chriſtiana, ſi iſtæ *ſagittæ intra te ſunt*, cordi tuo infixæ maneant, *pax tibi eſt, & nihil eſt mali. Si autem ſagittæ ultra te ſunt*, & non ſuſcipias eas, id eſt, ſi ingrediantur per unam aurem, & egrediantur per alteram, ut dicitur, *vade in pace, quia dimiſit te Dominus. Id eſt, ab ejus amicitia*
qHug. Card. in *cecidiſti*, ait Hugo q. Hoc eſt, Auditores, ſignum
s Reg. 20 inimicitiæ, & quod Prædicator non potuit re-
21. conciliare vos Deo, quia *ipſi rebelles luminis* r ſiu-
r Job. 24. ſtis gratiæ ejus, æquè ac verbi ipſius: auſcultare
13 illud, & juſtificabimini.

Sed antequàm à vobis diſcedam, duo habeo vobis commendanda. Primum, Ut recordemini, quòd *hæc locutus ſum vobis: ut cùm venerit hora,*
sJoan. 16 *eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis* s: nimi-
4. rum, quòd prædicaverim vobis doctrinam verá, Catholicam, Orthodoxam; quòd vos exhortatus
tPſ. 36 27 fuerim ad declinandum *à malo, & bonum* t faciendum. Ad omendum *Deum, & mandata ejus*
uEccl. 12 obſervanda; *hoc eſt enim omnis homo* u. Ad the-
13 ſaurizandos *vobis theſauros in cœlo* x. non autem
x Matth 6 20. *in terra* y. Ad frequentandas bonas ſocietates, &
y Matth. 6 ſugiendas pravas: ad memoranda veſtris *in omni-*
19. *bus operibus noviſſima* z veſtra. Ad patiendam
z Eccli 7. æquanimiter *perſecutionem propter juſtitiam* a.
40 Et ad configendas Divino *timore carnes* b ve-
a Matth. 5 ſtras. Maximâ triſtitiâ afficerer, ſi dicendum mihi
10. eſſet poſt hæc, *In vacuum laboravi ſine cauſa, &*
b Pſ. 118. *vanè fortitudinem meam conſumpſi* c. Et ſi me
120. *vociferante, & clangentibus tubis, poſtquàm in*
c Iſa. 49. *aures veſtras, Verbi Divini vox ſonitùſque increpuit, & muri illico corruerunt* d, id eſt, peccata
4. veſtra, obſtinationes & rebelliones veſtræ contra
d Joſue 6 Dominum, eoſdem muros viderem, aut audirem
20. reædificari, id eſt, vos ad priſtinas reverti diſſolutiones. Pro totâ mercede meorum laborum nihil aliud à vobis efflagito, niſi ſalutem veſtram: nolite mihi hunc denegare favorem, & hoc afficite me oblectamento, ut diſcedens à vobis, ſciam, quòd deinceps ſecundùm maximas vivere velitis Chriſtianas.

Si intima pervadere poſſetis penetralia mea, deprehenderetis *quòd habeam vos in corde* e uni- e Philipp. 1.7.
verſos impreſſos, & ibi veſtra nomina legeretis in particulari, & quod totâ iſtâ Quadrageſimâ nihil æquè concupivi ac conciliare converſionem veſtram & reverſionem *ad Patrem* f veſtrum. Ni- f Luc. 15. 18.
hil omiſi eorum, quæ exiſtimavi ad illam ſatagendam requiſita, & vobis dicere poſſum præ veritate id, quod dicebat Moyſes populo Iſraëlitico, poſt impenſam ei Legem Dei, *Teſtes invoco hodie cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem* g. g Deut. 30. 19.
Exhibui vobis intuendum bonum & malum, docendo vos Legem Dei, tot annunciavi vobis ego prædicationes, tot propoſui vobis monitiones & correctiones ſalutares, oſtendi vobis paradiſum & infernum, *benedictionem* impendendam Bonis, *& maledictionem* retribuendam malis; & quòd *ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam* h. Quia Deus *reddet unicuique* h Malach. 25. 46.
ſecundùm opera ejus: iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio i. Præ veſtris poſui oculis mercedes & i Rom. 2. 6. &c.
pœnas, pulchritudinem virtutis, & deformitatem vitii: ſi autem fortè poſt iſta omnia, æternam incurreretis jacturam, præ abuſu intolerabili gratiarum Dei, objectum iræ Dei æternum evaderetis, titiones inferni, & abortivi gehennæ, ac inimici Dei, non ſolùm *teſtes invoco hodie cœlum & terram*; ſed etiam iſtam cathedram, hos lapides, hæc monumenta, hæc cadavera mortuorum, & quotquot hîc interſunt Auditores; imò verò omnes & ſingulos *conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominùs annunciarem omne conſilium Dei vobis* k. *Perditio tua Iſraël: tantummodò in* k Act. 20. 26. & 27.
me auxilium tuum l. l Oſee 13. 9.

Secundum, quod habeo vobis dicendum, eſt, quòd ſi verbum aliquod inter tot diſcurſus à me coram vobis habitos, mihi elapſum eſt, quod præ ſe tulerit tantillum acritudinis & aſperitatis ad emendationem veſtram peragendam, è quo quis fortaſſe anſam moleſtiæ deſumpſerit, & aliquo odii affectu ductus fuerit, enixè vos deprecor ut credatis, me illud impetu animi & zelo ductum protuliſſe, nedum intenderem alicui moleſtiam inferre, nedum vel ſolùm diſplicere. In hoc ſita mea fuit ſemper intentio, in exclamando contra vitium, & in ſatagendo illud à veſtris averruncare cordibus: illud eſt bellum, quod ei indixi *ſuper communicatione veſtra in Evangelio Chriſti à prima die uſque nunc* m. In neminem intendi m Epheſ. 1. 5.
unquam invectus in ſpecie; contra vitium inſurrexi, Et non adversùs perſonas: remedium infirmis afferre curavi, nedum infirmos ad deſperationem redigere voluerim anguſtias; ſi autem contrariú mihi acciderit præter intentionem; aut præ imprudentiâ, hujuſmodi inadvertentiæ veniam à vobis ſupplex efflagito. Sed priuſquàm vobis valedicam, munus habeo vobis offerendum ut pignus affectuum meorum, quo vobis omnino ſunt acquiſiti, ſed munus pretioſiſſimum omnium donorum, & omnibus ac ſingulis accommodum, nimirum *Chriſtum crucifixum* n cum toto ſuo n 1. Cor. 1. 23.
apparatu. In eo erit unde omnibus ac ſingulis vobis fiat ſatis. Illius, ſi placet, diſtributor eſſe volo.

Tribuo igitur Domino Epiſcopo iſtius Diœceſis, gallum, qui eſt ſymbolum vigilantiæ, qui in memoriam Petri revocavit peccatum ipſius, *Gal-*

lus

micantavit. Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat, Priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, flevit amarè o. Ut meminerit dictus Dominus Antiſtes ſe eſſe Gallum N, cui incumbit invigilare & attendere *univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit* ipſum Epiſcopum, *regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo* p. Domiuis meis Eccleſiaſticis, qui ſunt *Regale Sacerdotium, gens ſancta* †, *coronam de ſpinis* q. Ut ſuas agnoſcant dignitates; ſed *de ſpinis*, ut diſcant quòd *ſi compatimur, ut & conglorificemur* r. Nobiles, qui maximi ducunt honorem, honoro *lanceâ* s; imò verò eis indulgeo *gladium* t. Non ut iis inſtructi ineant certamen ſingulare, aut præcîdant poplites ſubditis ſuis, aut *latus* Salvatoris denuò aperiant, ſed ut Religionem & Fidem Catholicam tueantur. Judicibus *titulum*, quem *Pilatus poſuit ſuper crucem: Erat autem ſcriptum, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* u. Quo continebatur decretum mortis latum adversùs Chriſtum, ut diſcant judicare alios, ſicut ipſi volunt judicari à Deo: nec duci affectibus, commodis, aut ſanguine, ſed conſervare innocentes, & reos plectere. Recentibus Cauſidicis, quibus nondum commiſſa eſt praxis, relinquo praxim Pilati, *Non invenio in eo cauſam* x. Id eſt, ut nunquam amplectantur, aut tueantur cauſam injuſtam, ſed intrepidè dicant, *Non invenio in eo cauſam*. Hoc eſt contra canonem & jus. Divitibus, Officialibus & cæteris hujuſmodi *triginta argenteos* y conſtituo, non ut pecuniam Judæ ad vendendum Chriſtum, ſed ut faciant ſibi *amicos de mammona iniquitatis: ut cùm defecerint, ipſos recipiant in æterna tabernacula* z. Mulieribus *arundinem* a, ſignum inconſtantiæ & fragilitatis, ut diſcant, quòd *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo* b. Et quòd voluptates, honores, vanitates, & cætera id genus, quæ ipſæ tanti ducunt, non ſunt niſi inconſtantiæ & ineptiæ. Bibulis, qui ſunt cauponarum baſes, *ſpongiam* c, ut inſtrumentum Paſſionis Chriſti dicentis, *Et dederunt in eſcam meam fel; & in ſiti mea potaverunt me aceto* d. Ut ſciant, quòd diſſolutiones ſuæ ſunt loco fellis & aceti Chriſto, quandiu ipſi ſunt *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* e eundem. Adoleſcentibus otioſis & æquo liberioribus, qui continuis indulgent voluptatibus, ludum alearum, qua *milites in veſtem* Chriſti *miſerunt ſortem* f. Non ut addiſcant ludere omnia usque ad veſtes ſuas; ſed quòd ludus aleæ, & ſ. liorum eſt jactura juventutis, ſcopulus ad quem illiduntur adoleſcentes, & familiarum ruina. Scholaſticis, & peccatoribus pœnitentibus virgas & flagella g. Illis, ut diligentes evadant ad obeundum officium ſuum. Iſtis verò, ad expianda peccata ipſorum. Mercatoribus clavi h ſunt accommodi, quia ſymbola ſunt timoris, *Confige timore tuo carnes meas* i. Ut contenti ſint iis, quæ lucro rationabili conveniunt, nec immodicum inquirant. Concionatoribus, Confeſſariis, Parochis, & aliis curam animarum agentibus, malleus & forcipes k congruunt. Malleus, ut ejus adminiculo introducant timorem Dei in homines, quorum eſt induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* l eſt ſtrictum; & illud confringant correctionibus ſuis. Forcipes verò, quibus reprimant & reſecent imperfectiones, paſſiones, odia inveterata, vindictas, &c. Ecce pro ſingulis in ſpecie.

In genere relinquo vobis ſcalam m, inſerviet vobis illa ad deſcendendum, & ad aſcendendum; ipſam vobis deſero ut eam, quam *Jacob vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque aſcendentes & deſcendentes per eam: & Dominum innixum ſcalæ* n. Per illam deſcendetis præ compaſſione ad proximum veſtrum; deſcendetis præ humilitate ad nihilum veſtrum, & ad contemptum mundi, ut aſcendatis ad gloriam, ad felicem ſtatum patriæ cœleſtis. *Fides, ſpes, charitas, tria hæc* o, & cætera bona opera erunt veluti illius gradus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* p. Sed impendendo omnia aliis, rectæ rationi conſonum eſt, ut mihi aliquid reſervem. Sola mihi Crux q ſupereſt, *Dominus, pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi* r. Felix hæreditas deliciarum mearum! ſpecioſum objectum beatitudinis meæ, diligo te ex intimis viſceribus meis, adoro te, in te totam colloco ſpem meam, tu eris protectio mea, fulcrum meum, & pons ſuper quem tranſibo torrentem miſeræ vitæ iſtius, tu eris Dux mea inter tenebras hujus mortalitatis, & peregrinationis hujus mundi, in quo tot occurrunt pericula ſubeunda: in te impoſterùm requieſcent omnes cogitationes meæ, cùm ſis miniſtra noſtræ redemptionis. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo* s. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam* t, & mihi, & vobis conciliando gratiam ejus in hoc mundo, & gloriam illius in altero.

o Matth. 26.74. & 75.
p Act. 20 28.
† 1. Petr. 2.9.
q Joan. 19 2.
r Rom. 8 17.
s Joan. 19 14.
t Joan. 18 10.
u Joan. 19 19. &c.
x Joan. 19 6.
y Matth. 26.15.
z Luc. 16 9.
a Matth. 27.29.
b Prov. 31 30.
c Joan. 19 29.
d Pſ. 68 22.
e Hebr. 6 6
f Joan. 19 23. & 24. ex Pſ. 21. 19.
g Joan. 19 1.
h Joan. 19 18.
i Pſ. 118. 120.
k Joan. 19 18
l Job. 41. 15.
m Joan. 19.38.
n Gen. 28 10. & 12.
o 1. Cor. 13. 13.
p Matth. 19. 17.
q Joan. 19. 17.
r Pſ. 15. 5.
s Galat. 6 14.
t Philipp. 3.8.

DOMINICA I: POST PASCHÆ:

Accipite Spiritum ſanctum. Ioan. 20. 22.

Mirandi nobis anſâ porrigit illud quòd legimus in Scripturâ a ſacrâ de bello quod indixerunt ſibi Eſau & Jacob in ventre matris ſuæ. Res inaudita! Infantes iſti nondum beneficio luminis uſi fuerant, & tamen contentis brachiis decertabant, ſed tantâ violentiâ ut Rebecca ipſorum mater deſideraſſet quidem fuiſſe ſterilis ut fuiſſet immunis ab illis aggreſſionibus quæ peragebantur in ventre ipſius, *Sed collidebantur in utero ejus parvuli: quæ ait, Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Deſiſtamus ab admirationibus noſtris, Auditores: non enim mirari debemus videre effectum in ventre Rebeccæ, cùm videamus ibi cauſam quæ illum producit: cauſa certaminis iſtorum duorum fratrum erat ambitio, cùm vellet uterque abripere jus primogenituræ, *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu*. Ecce reverâ id quod eſt admirabile viſu, quòd infantes præ ſe ferant titulũ militis confeſtim ac nomen hominis, & decertent pro honore priusquàm illius naturam noverint. Ne

a Gen. 25. 22. &c.

miremur videre hanc inordinationem in illis, cùm videamus in eis peccatum, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* b. Et conſequenter, *Nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius dies vita ſuper terram* c. Illud eſt quod creat interna bella ſenſuum cum ſpiritu: *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem: hac enim ſibi invicem adverſantur* d. Ipſum eſt principium invidiæ & ambitionis, & origo omnium malorum quæ videmus in naturâ ſucceſſu temporis evenire: non igitur immeritò dicitur Rebecca deferre bellum in ſemetipsâ, cùm portet peccatores. Omnes filii hominum veniunt in mundum cum armis ad prœliandum, nullo ducuntur affectu ergà pacem, habentes in ſemetipſis occaſionem belli; amare non poſſunt tranquillitatem, deferentes motivum tempeſtatis: iſti dolores quos inferunt matribus ſuis in nativitate ſuâ, ſatis oſtendunt quòd ipſi jam ſuſtinent inordinationem in animabus ſuis, & quòd cùm ſint *naturâ filii iræ* e, non poſſunt quin perturbationem & inordinationem invehant in naturam. Bellum non intermiſſum in animabus eorum, & ſi progreſſu temporis mentes eorum illuminare ſatagunt voluntates ipſorum, iſtæ potentiæ cæcæ parvi pendunt hæc lumina ſibi oblata, ipſæ ſibi potiùs complacent in diligendo ſubjecto digno amore, licèt parùm honeſto, quàm in ſequendis regulis propoſitis ſibi ab iiſdem mentibus quæ ipſas dirigunt. Eò uſque ſe protendunt defectus noſtri, & terminantur infortunia noſtra. Peccatum vires ſubminiſtrat appetitibus noſtris, & permittit eis ut impugnent rationem noſtram, imò verò leges Dei: ſed gratia quæ potentiſſima eſt, venit præſtitum auxilium infirmitati noſtræ: Dei Filius nobis offert eam hodie, ut deſtruamus conatus diaboli, ſicut ipſemet *in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* † ejuſdem, cùm dicit nobis in perſonâ Apoſtolorum ſuorum, *Accipite Spiritum ſanctum*. Sed ſalutemus Matrem gratiæ, dicentes ei, *Ave Maria*.

b Rom. 5. 12.
c Job 25. 4. juxta verſion. S. Leon. ſerm 1. de Nati vit. Dom. c. 1. & S. Bern. ſerm 4. in Vigil. Nativit. Dom. poſt LXX.
d Gala. 5. 17.
e Epheſ. 2. 3.
† 1. Jo. c. 3. 8.

Ante lapſum Protoplaſti noſtri, priuſquàm communis iſte naturæ noſtræ propagator vetito *de fructu* f comederet, non erat aliquid facilius quàm perventu ad gloriam, cùm ille primus homo jam ſic strictè unitus eſſet Deo per gratiam, *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, ait Scriptura g. Et Cornelius h, *In homine eſt imago Dei ſcilicet ſupernaturalis, quæ ſita eſt in gratia & juſtificatione hominis, quâ ipſe Divinæ fit conſors naturæ* l, *quaque in gloria & vita æterna firmabitur, & perficietur. Gratia enim eſt anima animæ, ait S. Auguſtinus* k. *In hac gratia conditum eſſe Adamum. eamque hic etiam ad literam intelligi imaginem Dei, patet ad Coloſſ. 3. 10. Epheſ. 4. 24. Ita paſſim Patres.* Cœlum non erat tunc arx inexpugnabilis, ſine multo labore dabatur acceſſus ad paradiſum conſervando innocentiam: ante lapſum noſtrum in crimen cùm omnes res naturæ eſſent in primis ordinibus ſuis & in priſtinis pulchritudinibus ſuis conſtitutæ, reddebant nobis iſtud iter ſatis facilè, nulla erat quæ non ſubminiſtraret nobis aliquod medium eidem gloriæ adipiſcendæ opportunum: ratio veris illuſtrata luminibus, ſicut Regina in throno ſuo cùm non ſuſciperet niſi ſubjectiones ab eo quod erat infra ipſam, habebat omnes vires ſuas quorum adminiculo illuc ſe elevaret: ſed ex quo noſter *adverſarius diabolus* l induxit nos ad conſentiendum peccato, & è throno ubi imperabamus, depreſſit nos infra beſtias, ita nos excæcavit ut nullum nobis reliquerit lumen niſi ad deducendos nos in præcipitium: *Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* m. Omnes creaturæ rebelles effectæ contra nos, non videntes nos ampliùs in ordine noſtro, nec in honoribus noſtris priſtinis conſtitutos, confeſtim ſteterunt è partibus adverſarii noſtri, & vice obedientiæ quam nobis debebant exhibere, nobis bellum indixerunt, & ſunt miniſtræ quibus utitur ille ad nos ſeducendos. Et quia non ignorat, quòd redacti ad hanc ſervitutem, cui nos ipſemet immerſit (*Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* n) jugiter cuſtodimus illuſtrem Regum charactèrem, qui nobis auferri non poteſt, licèt tollatur nobis ſceptrum, & eripiatur nobis diadema, potuit quidem nos elongare à fine noſtro, ſatagens ut amitteremus innocentiam noſtram, ſed non pervertere in nobis affectum quo ducimur erga illam: hic affectus nobis eſt naturalis, & deleri non poteſt quin prorſus exinaniatur natura noſtra. Inde fit, Auditores, ut iſte Tyrannus intolerabilis videns ſemper in voluntate ſemina rebellionis in hâc inclinatione, quæ in eâ remanſit ex peccato, ut queritur Apoſtolus o, dicens, *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*, conetur hanc voluntatem ſibi conciliare, omnes ſuas adhibeat induſtrias ad ſibi devinciendos affectus ejus, ad hoc inſumat totam naturam, imò verò pactum ineat cum ſenſibus noſtris quibus veluti ſtipendia annua & perpetua è rationario publico ſuæ malitiæ tribuit, quique crudeliſſimi ſunt hoſtes noſtri, *Et inimici hominis domeſtici ejus* p. Et cùm intellectui non præbeat niſi lumina quibus vult ut voluntas utatur, mirandumne eſt ſi eam ita facilè decipiat, & ſi abripiat aſtutiâ id, quod vi merâ nunquam poteſt abripere. Non latet ipſum, quippe qui calliſſimus eſt, *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus* q, quòd cùm malum non ſit homini naturale, idem homo non poteſt quin illud odio habeat, non autem illud amore proſequatur; & ideò quòd illud vult deſtruere: propterea ipſe ſe ſemper aliquâ tegit apparentiâ boni, ut ſe nobis exhibeat intuendum, lucem induit, & non tenebras: *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis* r. Suum abſcondit hamum in muneribus quæ nobis offert, conatur ſe dulciter inſinuare in cor noſtrum mediâ voluptate oculorum, quò cùm ſemel irrepſit ſub emeritâ amici ſpecie, in eo peragit omne genus hoſtilitatum & vaſtitatum. Heu! ſi creaturæ minus haberent pulchritudinum, inde minùs miſeri fierent homines: miratine debemus igitur quòd voluntas deficiat circa electiones ſuas, ut ſumat cryſtallum pro adamante, cùm non ſit illuſtrata niſi falſo die, qui non permittit ipſi ut clarè diſtinguat bonum à malo. Inde fit ut ipſa diligat objecta, quæ nullum præ ſe ferunt meritum, ut prorumpat in impatientiam contra homines, & contra eventus, qui ipſam ab iis penitus avertunt, aut qui illorum retardant poſſeſſionem & fruitionem. Diabolus igitur ubi ſic interturbavit voluntatem per intellectum, qui eſt ſeductus à ſenſibus, quos objecta externa corrumpunt, inducit nos ad collocandam felicitatem noſtram in rebus quæ non exigunt niſi jacturam & ruinam noſtram omni-

f Gen. 3. 6. &c.
g Gen. 1. 27.
h Corn. à Lap. in Gen. 1. 26.
l Ex 2. Petr. 1. 4.
k Ex S. Aug. in Pſ. 70. conc. 2.
l 1. Petr. 5. 8.
m Pſ. 48. 13. & 21.
n Joan. 8. 34.
o Rom. 7. 23.
p Mich. 7. 6. & Matth. 10. 36.
q Gen. 3. 1.
r 2. Cor. 11. 14.

nimmodam. Sic nos projicimus nosmetipſos in novas inquietudines, quæ magis ac magis irritant deſideria noſtra, quandiu cogitamus ea replere, & rati nos ſupremum adeptos noſtræ libertatis apicem, invenimus nos magis adſtrictos ſervituti. Iſtud eſt malum quod peccatum nobis cauſavit, quod in hoc eſt ſitum ut currere nos faciat ad perditionem noſtram, quandiu exiſtimamus nos moliri felicitatem noſtram. Sed macti animo, Auditores, malum noſtrum non eſt abſque remedio, Dei Filius venit impenſum nobis auxilium ſuum, & deſtructum luminibus ſuis tenebras Satanæ, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli s.* *Quia lux venit in mundum t.* Propterea dicit nobis hodierna die in perſona Apoſtolorum ſuorum, *Accipite Spiritum ſanctum.* Offert nobis gratiam ſuam quæ eſt medium opportunum conſequendo huic fini ſupernaturali qui eſt gloria, ſed gratiam quæ facit ut obſervemus mandata Dei *u*, quorum obſervatio viam nobis ad illam pandit *x*. Iſtud eſt igitur quod oſtendere volo vobis in progreſſu diſcurſus iſtius, nimirum, Quòd mandata Dei cuſtodiri poſſunt ab omnibus hominibus adjuti gratiâ ejuſdem Dei.

s 1. Joan. 3. 8.
t Joan. 3. 19.
u Ezech 11. 19. & 20. & Joan. 15. 5.
x Matth. 19. 17.
Propoſitio.

Ad intelligendam veritatem propoſitionis iſtius Catholicæ, quòd mandata Dei cuſtodiri poſſint ab omnibus hominibus adjutis gratiâ Dei: ſupponendum eſt Primò, quòd duo ſunt genera mandatorum. Alia ſunt naturalia, quæ cognoſci poſſunt ſolo lumine naturali, & continentur in duabus tabulis Decalogi *y*. Alia verò ſunt ſupernaturalia *z*, ad producendos actus virtutum Theologicarum & ſupernaturalium fidei, ſpei, & charitatis, & ad ſuſcipienda, & adminiſtranda Sacramenta. Secundò, Supponendum eſt, quòd obſervantia mandatorum conſiderari poteſt, aut quantùm ad ſubſtantiam actus, & veluti materialiter, id eſt, ut fiat id quod præcipitur, aut ut non fiat id quod prohibetur; aut quantùm ad modum, & ſicut formaliter, id eſt, ut illud quod imperatur, agatur cum omnibus circumſtantiis requiſitis, & præ charitate, ſecundùm intentiones Legiſlatoris, quatenus talis obſervantia eſt meritoria vitæ æternæ, propter quam Deus vitam tribuit homini, eumque adſtrinxit huic obligationi, quæ ſola pandere poteſt illi aditum ad gloriam. Quibus ita ſuppoſitis,

y Exod. 20. 2 &c.
z Matth. 22. 37 &c.

Dico cum S. Bonaventurâ *a*, quòd homo poteſt quidem cuſtodire omnia mandata Dei naturalia quantùm ad eorum ſubſtantiam ſine gratiâ habituali & ſanctificante; ſed tamen quòd non poteſt ea diu obſervare ſine aliquo auxilio ſpeciali gratiæ actualis: quantùm verò ad id quod ſpectat modum illorum, id eſt, quantùm ad intentionem Legiſlatoris, quòd non poteſt ea obſervare ſine gratiâ habituali. Doctor iſte Seraphicus dicit primò, quòd homo poteſt quidem cuſtodire omnia mandata naturalia quantùm ad eorum ſubſtantiam ſine gratiâ habituali. Et ratio iſtius eſt: Quia ſi gratia ſanctificans requireretur ad obſervantiam præceptorum naturalium quantùm ad eorum ſubſtantiam, ſequeretur quòd omnia opera quæ fiunt extra gratiam in ſtatu peccati, eſſent peccata, & quòd ſic ante juſtificationem omnes actiones noſtræ eſſent criminoſæ, quod condemnatur à Concilio Tridentino *b*: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema ſit.* Secundò, S. Bonaventura dicit, quòd homo diu non poteſt obſervare mandata Dei ſine aliquo auxilio ſpeciali gratiæ actualis. Hanc expreſſè docet Scriptura veritatem: ait enim S. Paulus *c*, ſe non poſſe liberari ab aculeis carnis, quibus exagitatur, niſi per gratiam Jeſu Chriſti, *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Concilium Milevitanum *d* II. aſſerit contra Pelagium, quòd liberum hominis arbitrium ſic eſt infirmatum per peccatũ, ut non poſſit adimplere totam legem ſine auxilio gratiæ Dei, *Placuit, ut quicumque dixerit, ideò nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberũ jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquã etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiã ſine illa implere Divina mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficiliùs poteſtis facere; ſed ait: Sine me nihil poteſtis facere e.* Et ſancti Patres colligunt hanc veritatem Orthodoxam ex orationis neceſſitate, ne ſuccumbamus tentationi, quia homo in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt eſſe diu quin ſuſtineat commotiones & tentationes adverſariu: propterea Dei Filius nos hortatur in perſona Apoſtolorum ſuorum, *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem f.* Et Apoſtolus *g* victoriam de tentatione ſuâ reportatã attribuit gratiæ, cùm ait, *Virtus peccati lex: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Cùm nemo reddat gratias niſi pro beneficiis ſuſceptis. Et quem ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *h*, *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam jam in ſpe & partim in re, poſteà autem dabit perfectè in re. Victoriam, inquam, peccati, & mortis, non noſtris meritis, ſed per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, id eſt, virtute ac merito Chriſti.* Tertiò, S. Bonaventura dicit, quòd quantùm ad modum, id eſt, quantùm ad intentionem Legiſlatoris, homo non poteſt cuſtodire mandata Dei naturalia ſine gratiâ habituali: & hoc compertiſſimum eſt ex eo quòd nemo poteſt habere charitatem, & conſequenter mereri vitam æternam, niſi habeat gratiam habitualem & ſanctificantem, ſicut unanimis eſt omnium Catholicorum fides.

a S. Bon. in 2. ſent. diſt. 28. a. 1. q. 3. in concl.
b Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.
c Rom. 7. 23. &c.
d Conc. Milevit. II. cap. 2.
e Joan. 15. 5.
f Matth. 26. 41.
g 1. Cor. 15. 57.
h Dion. Carth. art. 10. in 1. Cor. 15. 17.

Dico ſecundò cũ eodem S. Bonaventura, quòd homo nullum cuſtodire poteſt mandatum ſupernaturale ſine auxilio gratiæ Dei. Et ratio iſtius eſt: Quia hæc mandata ſpectant actus fidei, ſpei, & charitatis, & ſuſceptionis, & adminiſtrationis Sacramentorum, prout hæc omnia concurrunt ad operandam ſalutem noſtram: ideò modus illorũ ſupernaturalis pertinet ad ipſorum ſubſtantiam, & ſic ſupernaturalia ſunt quantùm ad ſubſtantiã, & conſequenter ſuperant naturæ vires: requirunt igitur principiũ ſupernaturale, virtute cujus poſſint agere, quia inter effectum & cauſam debet eſſe proportio: non poſſunt ergo mãdata iſta cuſtodiri ſine auxilio gratiæ. Et primò quantùm ad fidem, Dei Filius hoc expreſſè docet, cùm ait, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum i.* Quaſi diceret, Non poteſtis credere in me, niſi auxilio gratiæ meæ adjuti, ait Dionyſius Carthuſianus *k*, *Nemo poteſt venire ad me, id eſt, non ſolùm nõ venit, ſed nec poteſt venire ad me interiori acceſſu per fidẽ, niſi Pater qui miſit me, traxerit*

i Joan. 6. 44.
k Dion. Carth. art 17. in Joan 6. 44.

xerit eũ, hoc eſt per ſuã charitatẽ & pietatẽ inclinaverit atque perduxerit mentẽ ejus ad me, infundẽdo ei fidem & gratiam, quibus mihi ſpiritualiter uniatur & incorporetur. *Non eſt enim volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis* l, *cujus donum eſt omne bonum quod ineſt nobis* m. Sic etiam ipſemet Dei Filius explicat hæc verba, cùm ait paulò antè: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille* n. Atqui actus fidei non poteſt eſſe opus Dei, niſi ratione auxilii ſpecialis gratiæ. Hoc confirmat Concilium Tridentinum o, dicens, *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere poſſe ſicut oportet, anathema ſit.* Et ratio iſtud perſuadet: Quia diſpoſitio debet eſſe ejuſdem ordinis, cujus eſt forma, ut habeat proportionem cum illâ: atqui fides eſt prima diſpoſitio ad gratiam habitualem, quæ eſt ſupernaturalis: ſic fides debet eſſe ſupernaturalis. Quantùm ad ſpem, dicit S. Petrus p, *Regeneravit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti.* Et quantùm ad charitatem, S. Paulus q, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Tandem, Quantùm ad id quod ſpectat mandata ſuſcipiendorum & adminiſtrandorum Sacramẽtorum, nemo eſt qui neſciat, quòd ea adimpleri non poſſint ſine gratiâ: licèt enim poſſit homo ſuſcipere, & adminiſtrare Sacramenta ſine gratiâ, ſed ſolis viribus naturæ, cùm illa ſuſcipit, aut adminiſtrat in ſtatu peccati mortalis, cùm tunc inveniatur in peccato, Deus non providet huic homini qui ſuſcipit Sacramenta, vel illa adminiſtrat in hoc ſtatu criminis, auxilium ſupernaturale gratiæ, quia Deus nunquam concurrit ad peccatum, nunquam favet crimini, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* r. Eſt tamen aſſerendum quòd ille qui ſuſcipit, aut adminiſtrat Sacramenta in hoc ſtatu, adimplet obligationem ſuſcipiendorum, aut adminiſtrandorum Sacramentorum, licèt hæc Sacramenta non ſint inſtituta, niſi in quantùm ſpectant ſalutem noſtram, & ſunt media operandæ noſtræ ſaluti opportuna.

Dico tandem, quòd homo in ſtatu naturæ corruptæ poteſt beneficio gratiæ adjutus obſervare omnia mandata Dei, tam ſupernaturalia, quàm naturalia, aut moralia, imò verò quantùm ad illorum modum, quatenus ſunt æternæ vitæ meritoria. Hæc propoſitio eſt de fide, contra fidem erroneam Hæreticorum; cùm enim verum ſit, quòd Deus offert auxilium neceſſarium ad ſalutem omnibus hominibus generaliter abſque ullâ reſervatione; & ſinguli ex illis ſuſcipiant gratias ſufficientes ad applicanda ſibi merita Jeſu Chriſti per obſervantiam Divinorum mandatorum ejus, cùm gratia ſufficiens nemini denegetur, ut innuunt hæc verba Dei apud Salomonem s, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*: Et expreſſiùs iſta S. Pauli t, *Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei*: ſeu, ut ait Dionyſius Carthuſianus u, *Contemplantes, id eſt, ſolicitè præcaventes, ne quis deſit gratiæ Dei, id eſt, ne aliquis veſtrûm elongetur, ac ſeparetur à gratiâ Dei, quæ omnibus præſto eſt, dummodò fecerint quod in ſe eſt: Vel, ne quis deſit gratia Dei, id eſt, ne gratia Dei in vobis imperfecta ſit propter negligentiam veſtram*: ſimiliter verum eſt, quòd unuſquiſque ex illis poteſt illa cuſtodire, alioquin Deus illos falleret, offerendo eis ſanguinem & merita infinita Filii ſui Jeſu Chriſti Salvatoris, qui *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* x, *& lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo* y ad ſalvandos nos, ſi mandata ipſius obſervemus, & tamen ex ſuppoſitione reddendo ea impoſſibilia.

l Ex Rom. 9. 16.
m Ex Jacob. 1. 17.
n Joan. 6 29.
o Conc. Trid. ſeſſ. 6. can 3.
p 1 Petr. 1 3.
q Rom. 5. 5.
r Pſ. 5. 5.
s Prov. 1 24. & 25.
t Hebr. 12 15.
u Dion. Carth. art. 12 in Hebr. 12. 14.

Præterea, Ad obſervanda mandata Dei duo requiruntur duntaxat, nimirum gratia quæ tangat voluntatem hominis, & conſenſus quem præbeat voluntas iſta gratiæ motui, ut oſtendunt iſta verba S. Pauli, *Non ego, ſed gratia Dei mecum* z. Seu, ſecundum Dionyſium Carthuſianum a, *Non ego ſic laboravi propria poteſtate, vel tanquam principalis cauſa operum bonorum, ſed gratia Dei mecum, ſcilicet cooperata & auxiliata eſt mihi, fuitque principalior cauſa bonorum, quam ego, ſeu natura mea. Gratia enim ſe habet ad liberum arbitrium, ut ſeſſor ad equum.* Atqui gratia nulli denegatur homini in particulari, & quilibet particularis liber eſt ad conſentiendum voluntariè inſpirationi gratiæ: ergo omnes homines, & quilibet homo in particulari, poſſunt obſervare mandata Dei. Sed maxima probatio veritatis iſtius eſt, quòd Deus eſſet injuſtus, imò verò crudelis, ſi mandata ejus eſſent obſervatu impoſſibilia; & ipſe nos exciperet ut Dominus inhumanus, cujus ſervus lapſus in præcipitium, dirupiſſet ſibi brachia & crura, & redactus eſſet in ſtatum, in quo nullum efflagitare poſſet auxilium, cui tamen imperaret ut aſcenderet ſurſum, nedum ullum præberet ei ſubſidium, & alioquin minitaretur ei ſe combuſturum ipſum ignibus, quos in ipſum projiceret, & quem effectivè, niſi aſcenderet, combureret: eodem enim modo ſe gereret Deus adversùs homines, quos, cùm ſe præcipitaſſent in abyſſum peccati, & non poſſent ex ſemetipſis inde exire, imò nec auxilium expoſcere, tamen ipſe induceret ſub pœnâ ignium æternorum inferni incurrendâ ad revertendum ad ſe per integram & inviolatam Divinorum mandatorum ipſius obſervantiam, nedum provideret eis ullum ſubſidium, cujus beneficio adimplerent voluntates ipſius, & effectivè damnaret eos ad flammas æternas: numquid non modus iſte agendi eſſet injuſtitia & ſævitia incomprehenſibilis in Deo? Sed nonne verum eſt, quòd ſi mandata ejus eſſent penitùs cuſtoditu impoſſibilia, non eſſent ampliùs præcepta? *Quia ad impoſſibile nemo tenetur*, ut communi dicitur proloquio. Nulla eſt Lex, quæ obſtringere poſſit aliquem niſi ad id quod factu poſſibile eſt; alioquin nullum eſt peccatum; & nemo ſe reddit conſcium criminis, refragari & opponere ſe Legi, cùm nullus peccet in eo quod agit præ neceſſitate.

Scriptura ſacra non enunciat aliquid clariùs iſtâ veritate, *Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, atque judicia: & cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ* b. *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis* c. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* d. Et, *Si diligitis me, mandata mea ſervate* e. Poſſumus igitur obſervare omnia mandata Dei, non viribus naturæ, ſed auxilio gratiæ adjuti, ut ait S. Paulus f, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum g, *Omnia poſſum, non propriis viribus, ſed in eo qui me confortat, id eſt, per adjutorium Chriſti.* Illa poſſumus obſervare, cùm difficilia non ſint, nedũ impoſſibilia ſint, *Et mandata ejus gravia nõ ſunt*, ait S. Joannes h. Cujus multiplicẽ reddit Dionyſius Carthuſianus i rationem, dicens,

x Epheſ. 5 2.
y Apoc. 1. 5.
z 1. Cor. 15. 10.
a Dion. Carth. art. 25. in 1. Cor. 15 10.
b Deut. 26. 16.
c Pſ. 118 4
d Matth. 19. 17.
e Joan. 14 15.
f Philipp. 4. 13.
g Dion. Carth. art. 4. in Philipp. 4 13.
h 1. Joan. 5. 3.
i Dion. Carth. art. 7. in 1. Joan. 5. 3.

Pri-

Primò, Quia virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ſunt ex ſuâ naturâ ſuaves & convenientes, habentque delectationes ſinceras actibus ſuis annexas. Secundò, Ex adjutorio Dei, qui per dona gratiæ, præſertim per charitatem, hominem ſic confortat, inflammat, & conſolatur, ut ei dulceſcat via ſalutis, & obſervantia præceptorum: imò cum ingenti alacritate & gaudio illa adimpleat. Propter quod ait Propheta, In viâ teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitijs. Et, Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum k. *Iterùmque hortatur, Servite Domino in lætitiâ* l. *Tertiò, Ex inæſtimabili magnitudine præmij deſuper repromiſſi: cujus reſpectu omnis labor & omnis difficultas & pœna vitæ præſentis eſt tanquam momentum. Propter quod dicitur, Conſideratio præmij minuit vim flagelli. Paulus quoque ad Corinthios* m, *Id, inquit, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hinc ait Salvator, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* n. *Quartò, Mandata Evangelicæ Legis levia ſunt ob ſuam paucitatem, comparatione præceptorum Moſaicæ legis, quæ multitudine ſuâ erant omnia tam gravia, ut Princeps dicat Apoſtolorum, Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus* o*? Nempe, ut Rabbi Moſes ſcribit, tot erant in Lege præcepta quot ſunt dies in anno, & quot ſunt oſſa in homine, ita quòd horum par extitit multitudo. Porrò difficultas implendi præcepta conſurgit ex noſtrâ infirmitate, & hoſtium impugnatione, ac objectorum validâ motione, alijſque cauſis diverſis.* Concilium Tridentinum p hanc expreſsè confirmat veritatem, *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Et, *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratiâ conſtituto eſſe ad obſervanda impoſſibilia, anathema ſit.*

Dicat quantùmvis voluerit Calvious q, *Sit extra controverſiam, Impoſſibile eſt in hac carne Legis implementum.* Inſimulatur mendacii à D. Auguſtino s, cùm ait, *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini eſſe à Deo præceptum, & mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in commune ſervari poſſe.* Et D. Thomas t confundit illum, cùm dicit, *Illud quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſervandum.*

Quod cùm ita ſit, Auditores, nimirum, quòd nunquam nobis gratia deſit ad obſervanda mandata Dei, ut docet idem D. Thomas u, *Gratia Dei nulli deeſt*, &c. quaſnam gratiarum actiones retribuere debemus ei pro beneficio ita ſingulari? Pſalmiſta x ſacro ductus affectu gratitudinis, juſtè reflectendo ſe ſupra beneficia incomparabilia, quibus immenſa liberalitas & bonitas magnifica Dei ipſi gratificata fuerat, in has exclamationes erumpebat, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Cœlum, terra, elementa, & vos omnes creaturæ quæ repletis utrumque mundum, auxiliamini mihi inter anguſtias, ad quas interior me redactum, ut rependam Deo meo juſtum pro collatis ab eo mihi beneficiis tributum: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nefcit Propheta quidnam Deo debeat retribuere, cùm

Marginal notes:
k Pſ. 118. 14. & 32.
l Pſ. 99. 2.
m 2. Cor. 4. 17.
n Matth. 11. 28. & 30.
o Act. 15. 10.
p Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. & can. 18.
q Calvin. lib. 2. Inſtit. c. 7. citat. in quodam parvo Catech. Catholi.
s D. Aug. ſerm. 191. de Tẽp.
t D. Th. de Verit. q. 24. a. 14. ad 2.
u D. Th. lect. 3. in Hebr. 12. 14.
x Pſ. 115. 3. & 4.

id omne quod ipſe poſſidet, ſit acquiſitum Deo: ſed tandem S. Spiritus ipſum edocet, ut calicẽ ſalutaris ipſi offerat, *Calicem Salutaris accipiam.* Super quod Incognitus y obſervat triplicem dari calicem, qui à nobis eſt Deo offerendus, cùm loquens de Pſalmiſtâ, dicit, *Hic ſe Deo exhibet per affectionem, & voluntatem. Cùm enim quæreret ſuperiùs, dicens, Quid retribuam Domino, &c. non invenit, quòd aliquid retribuere poſſit ex iis, quæ gratis recepit à Domino. Et nota, quòd calix eſt triplex, quem Deo debemus reddere: ſcilicet, calix conſecrationis Chriſti ſanguinis* z*: calix paſſionis Chriſti hominis* a*: calix pœnitentiæ contriti hominis* b. *Primum calicem accipimus, cùm dignè Chriſti corpus, & ſanguinem ſumimus, & Chriſto per fidem copulamur. Secundum calicem accipimus, quando mortem, quam pro nobis Chriſtus tulit, pro gloriâ nominis eius patiendo, ei reddimus. Sed tertium calicem accipimus, quando nosmetipſos pro eius nomine affligimus. Sed quantùm ad literam ſpectat, maximè de calice paſſionis Chriſti intelligitur, ut eius paſſionem & mortem in corde ſemper accipiamus, & pro ipſo mori, ſi articulus requirat, parati voto ſimus.* Juxta quem ſenſum Spiritus ſanctus conſulit Pſalmiſtæ ut accipiat & offerat Deo calicem iſtum in gratiarum actionem pro beneficiis ab ipſo ſuſceptis. Conformiter ad quod dixerat D. Hieronymus c, *In Hebraico ita habet: Calicem Jeſu accipiam. Quis eſt iſte calix Jeſu? Pater, ſi ſi poſſibile eſt, tranſeat iſte calix à me* d. *Et, Poteſtis, inquit, calicem meum bibere? Et continuò ſequitur. Calicem quidem meum bibetis* e. *Hoc autem quare dixi? Ut intelligamus calicem paſſionis, martyrium eſſe. Grandis res eſt martyrium. Quomodo grandis res? Quoniam retribuit Domino quod accepit à Domino. Chriſtus pro ipſo paſſus eſt, & ille pro nomine ipſius patitur. Quoniam diximus, quod Martyr nihil aliud habet, quod retribuat Domino. Calicem ſalutaris, aut Jeſu accipiam. Et hoc ipſum martyrium, inquit, non eſt mea virtutis, ſed gratia Dei. Propterea non poſſum eum bibere, niſi nomen Domini invocavero. Jeſus vincit, in ſuo Martyre coronatur. Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius* f. Iſte calix non eſt alius, niſi obedientia, quam Jeſus Chriſtus exhibuit legibus & voluntatibus ſui Patris æterni, uſque ad moriendum ſuper infami patibulo, *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*, ait D. Paulus g. Spiritus ſanctus igitur edocet Pſalmiſtam, ut exactam retribuat obedientiam legibus Dei ſui, ut inviolatâ diligentiâ Divina cuſtodiat ipſius mandata, ut ſe gratum reddat ipſi pro beneficiis incomparabilibus ab ipſo ſuſceptis. Unde iſtam eruo, Auditores, conſequentiam, quòd cùm teneamur, æquè ac David retribuere Deo obſequia noſtræ gratitudinis pro favoribus, quos ipſe nobis eſt impertitus, debemus accipere hunc calicem Salutaris, aut Jeſu, id eſt, debemus eſſe obedientes voluntatibus Patris noſtri cœleſtis uſque ad moriendum potiùs, quàm illas violemus. Si autem per hunc calicem velitis intelligere calicem pœnitentiæ & afflictionum, quæ nos perducunt ad gloriam, ad quam Dei Filius pervênit interventu pœnarum ſuarum, & tormentorum ſuorum, *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* h? conſiderate, quòd cùm milites Holofernis eſſent admirati Judithæ *faciem & pulchritudinem, dixerunt ad eum;*

Marginal notes:
y Incog. in Pſ. 115. 4.
z ex Matt. 26. 27.
a ex Matt. 26. 39.
b ex Luc. 13. 3. & 5.
c D. Hier. in Pſ. 115. 4.
d ex Matt. 26. 39.
e ex Matt. 20. 22. & 23.
f Pſ. 115. 6.
g Philipp. 2. 8.
h Luc. 24. 26.

Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus i? [i Judith, 10. 14. &c.] Et quòd Regis Saulis *filiam*, *David* ſperans ſibi eſſe deſponſandam, auſus eſt aggredi gigantem, *& proceſſit adversùs Philiſthæum* k: [k 1. Reg. 17. 21. &c.] nos verò pro compertiſſimo tenentes, quòd poſſidebimus gloriam pro mercede, ſi fideles nos exhibeamus obſervatores mandatorum Dei, nonne per labores tranſibimus momentaneos, ſed qui æternum ſecum invehunt oblectamentum? *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur æterna ſunt* l. [l 2. Cor. 4. 17. & 18.]

Sed quàm admirabilis eſt Dei *Sapientia* m! [m Sap. 7. 24.] *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* n. [n Sap. 8. 1.] *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere* o, [o ex Gen. 1. 1. &c.] *ipſe illuxit in cordibus noſtris* p. [p 2. Cor. 4. 6.] Id eſt, eruere vult radios gloriæ noſtræ ex obſcuritate noſtrâ interventu regulatum & maximarum quas nobis tribuit, & ablactare nos vanitate voluptatum: & quia conſilium ipſius in hoc eſt ſitum, ut ingredi nos faciat iſtud templum æternum, ideò purgare nos vult malleo afflictionum, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* q. [q Act. 14. 21.] Noſtram vult ipſe depreſſionem, quia nos ipſemet elevat; contemptum noſtrum, quoniam deſpectus iſte nobis debet eſſe glorioſus; jacturas noſtras, eò quòd ex illis haurire poſſumus utilitates; mala noſtra, quandoquidem ea in nos bonum invehunt: & quemadmodum ipſe vult ut cum ipſo regnemus in gloriâ, ſic & vult ut ipſi ſociemur medias inter afflictiones & amaritudines, *Si compatimur, ut & conglorificemur* r. [r Rom. 8. 17.] Felices igitur illi, qui inviolatè cuſtodientes mandata Dei, correſpondent ſanctis intentionibus ejus: fortunati illi qui ſe ſpoliantes rebus omnibus, quique ut ſibi compingant iter è floribus, à ſe procul amandant *ſpinas divitiarum* s, [s Matth. 13. 7. & 22.] ut ſibi cœlum comparent, *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum* t. [t Matth. 5. 3.] Beatæ lacrymæ illorum qui plorant malum quod egerunt, aut quod patrati vident ab aliis, cùm eæ ſint ſicut *diluvium* quod elevat animæ *arcum in ſublime à terra* u [u Gen. 7. 17.] uſque *in montes* x [x Pſ. 120. 1.] æternæ beatitudinis. Felices lacrymæ quæ ſunt oſtia cœli, iſtæ januæ ſunt è margaritis, *Duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt* y. [y Apoc. 21. 21.] Margaritæ autem, ſeu uniones non ſunt aliud niſi lacrymæ, ut inquiunt Naturales. Beatæ lacrymæ, quæ ſubmergunt peccata, & ſpecioſum faciunt ſpeculum, in quo ſe Deus intuetur. Tandem, Fortunatæ lacrymæ, cùm Deus illas jugiter habere velit coram ſe. *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo* z. [z Pſ. 55. 9.] *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur* a. [a Matth. 5. 5.] Ne deſeramus unquam cœlum intuitu, aut cogitatione; hic aſpectus, aut iſte conceptus animabit & roborabit conſilia noſtra: intuitu iſtius objecti beatifici, labores nullos præ ſe ferent ampliùs aculeos, amaritudines nobis erunt dulcedines, & tormenta deliciis ipſis nobis erunt gratiora.

Sed permitteturne mihi, Auditores, ut contentâ voce exclamem contra negligentiam hominum, eò quòd ita parvi ducant tantam felicitatem, & ſic facilem acquiſitu? Chriſtiane, ſi cœlum eſt intuitus tuus, unde fit ut terra ſit ſolus affectus tuus? Et ſi crux & pœna tibi proponuntur ut media conſequendæ gloriæ quæ tibi promittititur, opportuna, ſi fideliter & inviolatè Divina mandata cuſtodias, unde poteſt oriri ut curæ tuæ non inſumantur à te, niſi ad ſatiandas concupiſcentias tuas? Quomodo mundus retinere poteſt cor, cujus fides intuetur Deum? & voluptates ſiſtere animam, quæ per profeſſionem ſuam expectat omne bonum ſuum à cruce? Aut non credis quòd Deus ſit *Finis* b [b Apoc. 8.] tuus, & ſummum *Bonum* c [c Exod. 33. 19.] tuum; aut ſi id credis, renuncias ei ex hilaritate cordis, cùm iter quod carpis, ita te removeat à ſcopo, quem tua fides tibi proponit aſſequendum. Sed ſciſne, peccator, quænam eſt iſta gloria, quam contemnis? Conſidera pretium ejus, æſtima, ſi potes, id quod valet ſanguis Dei, & agnoſces id quod valet corona empta *pretio magno* d. [d 1. Cor. 6. 20.] Hæc corona non conſtat minori quàm Deo ipſo: & tamen peccator eam vendit diabolo pro nihilo, id eſt, pro peccato, &, ut ait D. Chryſtomus e, [e D. Chryſoſt. hom. 33. ex c. 9. Matth.] *Magnus dæmon peccatum eſt*. Carni pro fœno, *Omnis caro fœnum* f. [f Iſai 40. 6.] Mundo pro ſomnio, *Velut ſomnium ſurgentium, Domine, imaginem ipſorum ad nihilum rediges* g. [g Pſ. 72. 20.] Avarus pro auro, quod eſt lutum, *Sternet ſibi aurum quaſi lutum* h. [h Job. 41. 21.] Ambitioſus pro honore, qui non eſt niſi ventus: Voluptuoſus pro carne quæ non eſt niſi *putredo & vermis* i. [i Job. 25. 6.] Diſſolutus pro ventre, qui non eſt niſi ſpurcitia: Iracundus pro puſillanimo appetitu vindictæ: Injuſtus pro lucro inhoneſto: Adulator pro reſpectu humano: Detractator pro ictu linguæ: Aulicus pro aurâ & fumo Curiæ: Tandem, Omnes peccatores amittunt hanc *coronam incorruptam* k [k 1. Cor. 2. 9.] propter peccatum, ſeu *nihilum* l. [l Pſ. 72. 22.] Heu! pro nihilo iſto datur totum, pro hoc nihilo venditur Deus, pro hac umbrâ quæ præterit, amittitur Regnum æternum, *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem* m. [m Pſ. 105. 24.] Intuemini, ſi placet, Auditores, ad quamnam redacti ſunt peccatores cæcitatem. Ad acquirendam nobis gloriam iſtam, Deus ivit uſque ad exceſſum amoris, *Moyſes & Elias viſi in majeſtate* ſuper monte Thabor in transfiguratione Salvatoris, *dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem* n. [n Luc. 9. 31.] Et ad perdendam eam projicimus nos in exceſſum ingratitudinis. Ad nos elevandos Deus ſe depreſſit uſque ad exceſſum tormentorum: & nos ad amittendam hanc exaltationem, nos volutamus in exceſſu vitiorum. *Filii hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* o? [o Pſ. 4. 3.] Quânam ratione veſtris invigilatis commodis? Si ita cupidè gloriam quæritis, quare non elevatis mentes veſtras? Putatiſne, quòd eam ſitis ingreſſuri, ſequentes honores & vanitates terræ? Curritis poſt ſervitutem veſtram, & imaginamini, quod veſtra felicitas ſita ſit in aggregandis divitiis ſupra divitias: miſeri & cæci homines quid agitis? Lutum non decet niſi vermes, terra niſi talpas, exilium niſi reos, & carcer niſi fures: quare volutamini in luto, qui deſtinati eſtis ad cœlum poſſidendum? ita ut contigerit vobis illud Propheticum p, [p Mich. 7. 17.] *Lingent pulverem ſicut ſerpentes*. Id eſt, ut ait Hugo Cardinalis q, [q Hug. Card. in Mich. 7. 17.] *Lingent cum magna aviditate, pulverem ſicut ſerpentes, terrena, ſterilia,*

lia, levia & instabilia, ſicut ſerpens, cui dictum eſt, Terram comedes r. Cur repitis ſuper terram, quaſi deſurſum non eſſetis? Utquid vos oneratis tot catenis, quibus ſplendor non aufert gravitatem, quæque, licèt aureæ ſint, non deſinunt propterea eſſe intolerabiles? Cæci qui non vultis institui exemplis aliorum, & non agnoſcitis infortunium veſtrum, niſi cùm non poteſtis amplius illud evitare, & cùm evecti ad ſupremum rotæ apicem, ſiſtere non poteſtis inconſtantiam ejus, nec impedire quin unico momento labamini in præcipitia. Conculcate pedibus omnes iſtas vanitates, ut altiùs elevemini: iſte eſt modus peragendæ ſublimi aſcenſioni accommodus, ac mundum præ generoſo deſpectu ſub pedibus habere. Nonne ſcitis quòd terræ magnitudines oppoſitæ ſint magnitudinibus cœli? Quomodo autem currere poteritis ad gloriam perennem niſi vos diſſolvatis ab eo quod tenet vos alligatos? Nonne ſatis cognoſcitis præcipitia fortunæ, & naufragia quæ incurrunt illi omnes qui confiſi ſunt inconſtantiæ ejus? Ignoratiſne modum procedendi illius? Scitote quòd ipſa non adulatur ſpebus noſtris, niſi ad eas decipiendas. Errorem deponite: ſi ipſa ridentem vobis exhibet faciem intuendam, eodem modo ſe gerunt Sirenes; ſi ipſa vos attrahit blanditiis ſuis, hunc procedendi modum obſervant pantheræ; ſi querelæ ejus vos alliciunt; ſuſpiria crocodili vobis eſſe debent inſtructionis loco; ſi ipſa lucet, ſplendor ipſius non eſt ideò amabilior: Domini *jugum ſuave eſt, & onus leve* s. *Et mandata ejus gravia non ſunt* t. Si conſtantia veſtra agitetur in obſervantiâ illorum, Deus illam confirmabit & ſtabiliet: nolite igitur animum deſpondere, ſed confidite gratiæ ejus, quæ vobis vires providebit ad ea obſervanda, ut inde conciliare poſſitis vobis gloriam.

r Gen. 3. 14. — s Matth. 11. 30. — t 1 Jo. 5. 3.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.
Jo. 10. 14.

Sicut entia viventia habent principium activum motus ſui ab intrinſeco, juxta doctrinam Ariſtotelis a, & entia non viventia recipiunt motum ſuum ab extrinſeco, & illum non inveniunt in ſemetipſis: ſic entia rationalia & intellectualia, quæ vivunt in Deo; *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* b: aut Deo, *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei* c: habent in ſeipſis principium internum, quod eſt gratia Dei, cujus beneficio elevari poſſunt ad cœlum propter obſervantiam mandatorum Dei, quæ non ſunt cuſtoditu impoſſibilia, imò verò nec difficilia, ut oſtendi vobis Dominicâ præcedenti, *Et Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambulatis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini* d: Et illa quæ non vivunt Deo, aut in Deo, non habent in ſeipſis hoc principium Divinum: ita impoſſibile eſt ut manentia in hoc ſtatu infortunato, elevent ſe ad cœlum, id eſt, agere poſſint opera meritoria gloriæ æternæ, cùm ſint privata gratiâ, quæ ipſa deberet animare vitâ ſupernaturali. Et ſicut natura eſt principium & cauſa motus & quietis, ut docet idem Ariſtoteles e, *Tanquam natura motionis & quietis, ejus rei, in qua eſt, primum & per ſe, & non ex accidenti, principium quoddam ſit & cauſa*: Id eſt, in ſubjecto, in quo reperitur: ſic gratia aut charitas Dei quæ diffunditur in [...]nas noſtras à Spiritu ſancto, ut docet Apo[...]us, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* f: ſuam faciens in nobis manſionem, eſt principium & cauſa motus, qui nos defert ad Deum per praxim operum ſupernaturalium; ſicut & quietis, cùm beneficio hujus principii & cauſæ ſupernaturalis diſſolvamur ab affectu erga res ſenſibiles, ut adhæreamus Deo, cùm cor noſtrum quieſcere non poſſit, quin ſit unitum iſti centro, quod ſiſtere debet omnes motus ipſius, ut dixit D. Auguſtinus g, Deum alloquens, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Propterea dicit hodiernâ die Dei Filius in Evangelio noſtro, *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Non reputat ut oves illos qui reſiſtunt gratiis ipſius, de quibus dicit Job h, *Ipſi fuerunt rebelles luminis, neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus.* Sed ſolùm agnoſcit velut oves eos, qui abripi ſe ſinunt ſuavibus lenocinius earundem gratiarum ipſius, quique illuſtres præ ſe ferunt characteres chariſmatum ipſius: ſi autem ipſe agnovit unquam aliquem ſpecialiter prout ovem, agnovit præ omnibus ſanctiſſimam Matrem ſuam, quæ vocatur à D. Epiphanio i *Ovis immaculata, quæ peperit* k *Agnum* l *Chriſtum.* Et Archangelus hanc fatetur veritatem, cùm ſic ſalutat illam gratiis plenam, *Ave Maria.*

a Ariſt. lib. 8. Phyſ. c. 3 text. 26. — b Act. 17. 28. — c Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3 — d Ezech. 36. 27. — e Ariſt. lib. 2. phyſ. c. 1. text. 3. — f Rom. 5 — g D. Aug. lib. 1. Conf. c. 1 — h Job. 24 13. — i D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. — k ex Luc. 2. 7 — l ex Jo. 1 29

Non eſt aliquid æquè conſtans in mundo ac propria ſua inconſtantia; ipſamet Regum diademata non habent ſatis firmitatis ut liberent ſe à caſu, & florentiſſimarum magnitudo Monarchiarum non ita profundas figere poteſt in terra radices ut adverſa fortuna non commoveat earundem Monarchiarum ſtabilitatem, & illarum fundamenta concutiat, tandemque ſuffodiat: negotia Principium terrenorum non ita poſſunt eſſe ſtabilita proſperitate, quin vergant ad ruinam ſuam, & habeant, quidquid agatur, aliquam partem infirmam, quæ ipſis ſemper anſam tribuat formidandi præcipitii, cùm aliquando una dies immenſas divitias auferat, & evacuet theſauros qui nunquam videbantur exhauriendi, & è ſupremâ magnitudine dejiciat Monarchas in ultimam depreſſionem: teſtis eſt Dionyſius Tyrannus Syracuſanus, qui è Monarchâ factus eſt Ludimagiſter Corinthi, poſtquam regnaviſſet ſuper Siciliam, & qui præclaram ut ſic nobis exhibet intuendam in perſonâ ſuâ inconſtantiæ fortunæ imaginem, *Qui cùm civitatem Syracuſanam cædibus repleſſet, expulſus eſt. Iterùmque receptus, cùm crudelior in dies fieret, rurſus extorris Corinthum in exilium proficiſcitur*

tur : ubi in ſordidiſſimum vitæ genus deſcendit, in popinis, lupanaribuſque reſidens, ut contemnendus magis quàm metuendus videretur. Unde proverbialis allegoria, Dionyſius Corinthi, quâ ſignificamus aliquem è ſummâ dignitate atque imperio ad privatam humilemque redactum fortunam. Noviſſimè ſe Ludimagiſtrum profeſſus, pueros in trivio docebat : ut quoniam viris imperare non poterat, ſaltem pueris imperaret. Erat enim eruditus, utpote Platonis auditor olim. Interrogatus jam exul, quid ei Philoſophia profuiſſet, ſapienter reſpondit, Ut æquo animo ferrem talem fortunæ mutabilitatem, ſicut recenſet Calepinus m. Verum quidem eſt, quòd aliquando Fortuna blanditur nobis oblationibus favorum ſuorum, ſed ipſa nunquam ſe privat jure quod ipſa habet eorumdem repetendorum quotieſcumque ipſi placet ; ſi ſavores ſunt potiùs commodata, quàm munera, quæ ipſa exigit à nobis præ tantâ poteſtate ut quantùmvis pertinax & improbus quis ſit creditor, ab ipsâ cogatur ad illa reſtituenda, quia ipſa ſemper invenit propria ſua beneficia in eſſentiâ, quorum habet ipſa jus & authoritatem repetendorum ; ipſa novit æquè citò repetere ac offerre, deſtruere ac ædificare, deprimere ac elevare : non enim minùs eſt ipſa rigida quàm liberalis, & ſedula ad reſumendum quàm prodiga ad dandum : quantoſuis tamen adhibeat ipſa rigores adversùs aliquem, nunquam ita recedere facit illum à proſperitate, ut immergat illum in miſerias, quin relinquat ei ſemper aliquam viam apertam, per quam reaſcendere poſſit ad gloriam ſuam : & ipſa viſa eſt perſæpè in pedes erigere id quod videbatur irreparabile, & reportare ſubitò in altiſſimos gradus honoris eos, quos ipſa illinc evulſerat, ut illos in abyſſum miſeriarum præcipitaret. Ipſa reſumere fecit purpuram miſeros Monarchas, quam manus ipſius rigidæ illis abſtulerant ignominiosè, ut eos vilibus mendicorum veſtimentis indueret : ipſa ſedere fecit Nabuchodonoſor ſuper eodem throno Regio, è quo ipſa eum deturbaverat, & ejecerat in ſylvas, ut inſtar beſtiæ per ſolitudines erraret, *Ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ut bos comèdit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt : donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium*, ait Scriptura n ſacra de iſto Rege, quem immediatè pòſt ſic introducit loquentem. *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi : & ad honorem Regni mei, decòremque pervèni : & figura mea reverſa eſt ad me : & optimates mei, & magiſtratus mei requiſierunt me, & in Regno meo reſtitutus ſum : & magnificentia amplior addita eſt mihi.* Ipſa contrivit catenas & dirupit compedes quibus alligatus fuerat Manaſſes Rex Jeruſalem, ut reſtitueret ei ſceptrum quod ab ipſo fuerat ablatum, ut teſtatur eadem Scriptura Divina o, *Manaſſes ſeduxit Judam & habitatores Jeruſalem, ut facerent malum ſuper omnes gentes, quas ſubverterat Dominus à facie filiorum I[illegible]. Locutuſque eſt Dominus ad eum, & ad populum illius : & attendere noluerunt. Idcircò ſuperinduxit eis Principes exercitus Regis Aſſyriorum : ceperuntque Manaſſen & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui poſtquam coangustatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum, & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in Regnum ſuum.* Ipſa ludos facit ſtatum familiarum & conditionum hominum, ſicut cœlum ludos facit ſtellas, quas extinguit & reaccendit, quas abſcondit & exhibet, quas deprimit uno tempore, & elevat alio ; & ſicut mare ludos facit naves quas defert ſuper undas ſuas, quas extollit ad nubes uſque, poſtquàm depreſſit illas ad profundiſſimas uſque abyſſos. Non propoſuiſſem vobis omnes res iſtas ad probandas res alias, quas vel ipſi cæci vident, niſi intendiſſem illis uti ad tranſeundum è rebus naturalibus ad ſupernaturales, & ad oſtendendum vobis, quòd cùm gratia ſit inconſtans in ſubjectis, in quæ ipſa ſuſcipitur, ipſi reſiſti poteſt. Quod inducit me ad monſtrandum vobis in ſequelâ diſcurſus iſtius, Quòd reſiſti poteſt interiori gratiæ in ſtatu naturæ corruptæ.

m Calepin. in Diction. V. Dionyſius.

n Dan. 4. 30. &c.

o 2 Paral. 33. 9. &c.

Propoſitio.

Dico igitur quòd gratiæ reſiſti poteſt : & hæc veritas ſequitur ex illâ, quam oſtendi vobis Dominicâ præcedenti, quòd Deus nemini recuſat gratias p, quas Jeſus Chriſtus, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* q, meruit nobis per mortem ſuam : & intentio ejus eſt, ut illæ proficiant omnibus qui volent eas ſuſcipere, & iis uti legitimè, cùm hoc ſitum ſit in eorum libertate adjutâ hoc auxilio ſupernaturali : & tamen multi ſunt, qui jacturam æternam incurrunt per peccata ſua : quod ſignum eſt manifeſtum, eos tenuere gratias iſtas quæ poſſent, ſi ipſi vellent eis conſentire, cauſare in illis fruitionem beneficii ineffabilis redemptionis : atqui iſtæ gratiæ ſufficientes ſunt illæ quæ defectu cooperationis hominum nullum habent effectum, & tamen illum poſſent habere, ſi illi quibus eæ offeruntur, vellent eis conſentire : atqui non cooperari gratiæ, quæ ex ſe nos attrahit, & nos ſollicitat, quantùm poteſt, eſt ei reſiſtere : eſt igitur verum, quòd ſint gratiæ, quibus reſiſti poteſt in ſtatu naturæ corruptæ.

p Prov. c. 24. & 25. & Hebr. 12. 15.

q Apoc. 1. 5.

Præterea, Si voluntas hominis tacta aliquâ inſpiratione & motione internâ Spiritus ſancti, non poteſt illam rejicere, nullam habet ampliùs libertatem, cùm libertas ſita ſit in acceptando aut rejiciendo eo quod nobis offertur, ut dixit Eccleſiaſticus r, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua. ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem : ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors : bonum [illegible] malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ita ut, [illegible] homo nullam habet ampliùs libertatem, juxta illam ſuppoſitionem, conſequenter ſit dicendum, quòd idem homo non peccet, cùm nullum ſit peccatum, niſi fiat cum libertate : nam, ut ait D. Auguſtinus s, *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullomodo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium.* Et conſequenter nec juſtitia Dei, nec noſtra hominum poſſent illum rationabiliter punire propter ipſius crimina, quia ea perpetraſſet ductus neceſſitate, cùm non poſſet aliter agere defectu gratiæ. Sic nemo queri poſſet de injuriis à proximo ſuo ſibi illatis ;

r Eccli. 15. 14. &c.

s D. Aug. lib. de Verâ Relig. c. 14.

nec

nec aliquis corripere poſſet alium exceſſuum ab ipſo patratorum;nec ullus deberet exhortari ſibi ſubditoad declinandum *à malo* t. Omnes
t Pſ. 36. 27. enim haberent eandem excuſationem.

Eodem modo ratiocinandum eſt quantùm ab bona opera:non enim videtur quomodo illa mereri poſſint aliquam mercedem, ſi omnis gratia eſt efficax, cùm homo ea peragens, conſenſum ſuum neceſſariò gratiæ præbeat, & ipſi impoſſibile ſit ut aliter agat: atqui hæc doctrina ſic recedit ab omni veritate, & ita manifeſtè deſtruit omnem Moralem, ut eſſet inutile excitatu homines ad exercendas ſanctas actiones, & ad reſiſtendum tentationibus ſub ſpe mercedis in cœlo pro illis ſuſcipiendæ. Suppoſito enim quòd aliquis habeat gratiam, oportet neceſſariò, ſecundùm hanc opinionem erroneam, ut obediatet; & ſi aliquis alius eam non habeat, impoſſibile eſt ut illi obediat: ſic invanum inſtituuntur adoleſcentes, & ſalutaria præbentur eis conſilia ad orandum Deum, ad fugienda prava conſortia, & ad deſerendas diſſolutiones, quia hæc omnia neceſſariò adimplebunt, ſi habeant gratiam. Sic nemo multùm debet ſollicitus eſſe de ſalute ſuâ operandâ, ſed relinquere agere Deum. Et ex hoc principio proculdubio ſequitur in aliquibus effrænis libertas, & in aliis deſperatio, quia cum totum detur gratiæ, & nihil cooperationi hominis; alii capeſſent inde occaſionem indulgendi genio, & laxandarum habenarum vitiis omnibus, rati quòd ſi Deus ipſis communicet gratiam ſuam, infallibiliter non obſtantibus diſſolutionibus ſuis non deſinunt operari ſalutem ſuam: iſti verò è contrà neſcientes utrùm Salvator pro ipſis mortuus ſit, & num gratiæ quas ipſis meritus eſt, ſibi ſint communicandæ, vehementer diffident de ſalute ſuâ, & tandem labentur in deſperationem.

Sed ratio evidens, quòd interiori gratiæ reſiſti poteſt, eſt, quòd nemo eſt qui non ſentiat & non cognoſcat clarè ſe aliquando reſiſtere ſanctis inſpirationibus, & rejicere bonas cogitationes quæ ipſum invitant ad incumbendum alicui actioni laudabili, aut ad fugiendum aliquod peccatum: imò verò ſanctiſſimi quique homines accuſant ſe negligentiæ & puſillanimitatis, & confitentur præ lacrymis, ſe non correſpondiſſe gratiis Dei eo modo quo debebant: quod eſſet falſum, ſi omnis gratia ita eſſet efficax ut homo ſemper ei neceſſariò conſentiret. Quòd ſi aliquando ſancti Patres gratiam vocant victricem, inde volunt nobis innuere, quòd Deus in theſauris ſuis gratias habeat ſic potentes & quæ ſic ſuaviter & fortiter alliciunt voluntatem hominis, ſecundùm quòd cognoſcit eam, ut ipſa ſequatur infallibiliter attractionem earum, ſed ſemper liberè & abſque neceſſitate, ut teſtatur ipſemet Deus, homines alloquens, *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini* u. Unde Cornelius x, *Nota, methaphoricè*
u Ezech. 36. 26. & 27. *cor lapideum dici voluntatem liberam, ſed vitiis aſſuetum: unde illam aufert Deus, non aliam potentiam, aut libertatem tollendo: ſed,*
x Corn. in Ezec. 36. 26 *ut ſequitur, dando ſpiritum novum, ſcilicet mulcendo & molliendo eam ſuis minis, promiſſis, conſolationibus, aliiſque ſanctis inſpirationibus, quibus allecta ipſa, corroborata, ac elevata liberè ſe flectit ad Dei nutum. Hoc ergo modo Deus etiam rebelles hominum voluntates ad ſe compellit, non vi cogendo, ſed ſuadendo; non tantùm per leges & Concionatores exteriùs, ut volebat Pelagius, ſed etiam interiùs mentem vel terrendo, vel ſuaviter alliciendo, ac affectiones pias ei indendo: itaque facit, ut in præceptis ſuis ambulent, itaque operatur in nobis velle & perficere, ut ait Apoſtolus* y.
His gratiis & inſpirationibus internis abſolutè y ex Philipp. 2. 13.
poſſet homo reſiſtere, ſi vellet, licèt nunquam reſiſtat illis ob ſuavitatem quâ tangitur ipſius voluntas: alioquin amiſiſſet liberum arbitrium ſuum, quod ſitum eſt in indifferentiâ acceptandi aut renuendi illius, quod ipſi offertur & conſequenter mereri non poſſet, nec demereri.

Adverſarii noſtri fatentur, quòd gratia ſanitatis, id eſt, ea quæ data fuit Angelis, quos Deus,
ut ait D. Auguſtinus a, *creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*: & Protoplaſto noſtro ante rebellionem ſuam, cùm idem *creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* b: unde Cornelius c dicit, *In homine eſt imago Dei, ſcilicet ſupernaturalis, quæ ſita eſt in gratiâ & juſtificatione hominis, quâ ipſe Divinæ fit conſors naturæ* d, *quæque in gloria & vita æterna firmabitur, & perficietur: Gratia enim eſt anima animæ, ait S. Auguſtinus* e: *In hac gratia conditum eſſe Adamum patet ad Coloſſ. 3. 10. Epheſ. 4. 24. Ita paſſim Patres*: confitentur, inquam, Adverſarii noſtri, quòd hæc a D. Aug. lib. 12. de Civi. Dei c. 9. ex Gen. 1. 8 b Gen. 1. 27. c Corn. in Gen. 1. 26. d ex 2. Petr. 1. 4. e ex D. Aug. in Pſ. 70. conc. 2.
gratia ſanitatis, relinquebat voluntati poteſtatem agendi, aut non agendi, ſi vellet: ſed ſuſtinent, quòd gratia medicinæ, id eſt, ea quæ nobis datur in hoc ſtatu naturæ infirmæ & languentis, nõ relinquit nobis eandem poteſtatem agendi, aut non agendi, ſi velimus; ſed quod nos obſtringit ad neceſſitatẽ ſequendæ ipſius. Præcipuum fundamentũ quo fulciunt hanc doctrinam, eſt famoſus iſte locus D. Aug. f, *Tale erat adjutoriũ, quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet; non quo fieret ut vellet, hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adã*. Quem ſuo modo explicant. f D. Aug. lib. de Corrept. & Grat. c. 11.
Calvinus g utitur hâc differentiâ duarũ gratiarũ ad contẽnendas deciſiones Concilii Trid. eaſque ventilandas ut Pelagianas. Conciliũ h illud ſacrũ definiverat, *Si quis dixerit, liberũ arbitriũ à Deo motũ & excitatũ, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti quoad obtinendã juſtificationis gratiã ſe diſponat ac præparet, neq; poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddã nihil omnino agere, mereq; paſſive ſe habere, anathema ſit*. g Calvin. ſuper Cõc. Tri. ſeſſ. 6. h Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4.
Sacra Synodus igitur determinaverat, quòd poſſet homo rejicere inſpirationẽ Spiritus S. eiq; non conſentire, ſi ipſi placeat: & Calvinus iraſcitur contra Patres qui fecerunt hoc decretũ: Hallucinantur, inquit, in eo quòd nõ obſervant differentiã quæ eſt inter gratiã regenerationis quæ noſtrã roborat infirmitatẽ, & eam quæ data fuit Adæ. Quod D. Auguſtinus exactè explicat ſupracitato loco, *Tale erat adiutoriũ, quod deſereret cũ vellet, & in quo permaneret ſi vellet; nõ quo fieret ut vellet, hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam*. Triumphat hic Hæreſiarcha conſequenter, quaſi monſtraſſet authoritate inviolatâ, quòd Patres Concilii Tridentini confundant gratiam naturæ corruptæ cum gratiâ naturæ innocentis, & quòd iſti termini quibus utuntur, vel qui eruuntur ex ipſorum præfato canone.

Homo poteſt non conſentire inſpirationi, ſi velit, ſunt veluti nota gratiæ ſanitatis, id eſt, [illegible]tus quæ data eſt Angelis, & primo homini in ipſorum creatione.

Doctores collegerunt numerum ſic ingentem locorum & teſtimoniorũ, & ita formalium, ut legi non poſſint ampliùs quin manifeſta fiat veritatis iſtius convictio. Unum è fortiſſimis teſtimoniis, & quod alia omnia concludit in ſubſtantiâ, Auditores, & in ſynopſi, eſt illud quod ipſi educunt è D. Auguſtino k, cùm ait, *Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire, propria voluntatis eſt*. Et paulò pòſt, *Profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prævenit nos* m. Adverſarii noſtri dicunt, quòd D. Auguſtinus non intendit, quòd voluntas noſtra habeat poteſtatem conſentiendi aut non conſentiendi gratiæ, ſicut habebat eam voluntas Adæ: ſed ſolùm quòd velit dicere, quod *conſentire, vel diſſentire*, ſint actiones voluntatis, ſicut eſt actio mentis ratiocinari: Iſtud eſt commentũ Kemnitii, quod refellit Bellarminus o ſuper hæc verba præfata D. Auguſtini, *Conſentire, vel diſſentire, propria voluntatis eſt*, dicens, *Piget repellere hoc loco nugas Kemnitianas. Auguſtinus, inquit, dicit conſentire & diſſentire propriè, adverbialiter, eſſe voluntatis, ſicut dicimus, intelligere proprium eſſe mentis velle voluntatis. Illa ſententia poſtea ita depravata eſt. Conſentire in ſpiritualibus, propria eſſe voluntatis, hoc eſt, ex propriis viribus. At quis noſtrûm exponit*, proſequitur Bellarminus, *propria voluntatis, id eſt, ex propriis viribus? No hoc dicimus, ſed conſentire ad voluntatem pertinere docemus, poſteaquàm præventa eſt à Domino, & ſic accepit conſentiendi poteſtatem. Deinde, Quis dedit Kemnitio facultatẽ commutandi nomina in adverbia? Nam in omnibus codicibus legitur propria, nõ propriè. Deniq;, Sive propria, ſive propriè legas, quis non videt tribui hoc loco ipſi voluntati poteſtatem eligendi inter contraria, id eſt, liberum arbitrium propriè dictum, ſi legantur quæ paulò ante præcedunt? nam opponit Auguſtinus conſenſum voluntatis noſtræ Vocationi Divinæ, ac dicit, vocationem non eſſe in noſtrâ poteſtate, ſed conſenſionem eſſe noſtræ voluntatis; ubi ipſa antitheſis cogit, ut intelligamus, conſenſum eſſe in poteſtate noſtræ voluntatis. Attendat (inquit) & videat, non ideò tantùm iſtam voluntatem Divino muneri tribuendã, quia ex libero arbitrio eſt, quòd nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiã quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus: ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata Legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominẽ infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire, propria voluntatis eſt. Quid facit, Kemniti, illa particula adverſativa ſed? Nonne indicat, neminem habere in poteſtate quid ei veniat in mentem, dum per gratiam prævenientem præparatur voluntas à Domino; tamen poſt eam præparationẽ habere planè in poteſtate, ut conſentiat, vel diſſentiat?* Atqui evidens eſt, iuxta D. Auguſtinum, quòd gratia præveniens, eſt actio voluntatis: & verum non eſt, quòd tantùm velit dicere, quòd conſenſus ſit actio voluntatis, cùm iſte modus loquendi ipſius, *conſentire, vel diſſentire*, notet infallibiliter indifferentiam voluntatis.

k D. Aug. lib. de Spirit. & Lit. c. 34.

l ex Philipp. 2. 13.

m ex Pſ. 58. 11.

o Bellar. lib. 6. de Gra. & lib. Arb. c. 11.

Secondùm Calviniſtas, D. Auguſtinus p videtur dicere, quòd gratia, quæ data eſt Angelis & primo homini, relinquebat eis poteſtatem ipſam ſequendi, aut ipſam reiiciendi, ſi vellent; ſed quòd ea, quæ eſt propria oaturæ corruptæ, abripit conſenſus noſtros cùm neceſſitate. Sed doctiſſimi defenſores fidei oſtenderunt hoc non attribuendum argumento, ſed impudentiſſimo mendacio, ut ait Bellarminus q, *Teſtimonium profert Calvinus ex libro de Correptione & Gratiâ, c. 11. ubi dicit Auguſtinum aſſirmare, Adamum habuiſſe gratiam, per quam poſſet non peccare; nos habere multò maiorem, per quam fit ut non poſſimus peccare. Sed hoc non argumentum, ſed impudentiſſimum eſſe mendacium. Non enim dicit Auguſtinus, nos non poſſe peccare, ſed in futurâ vitâ eam libertatem Sanctos habituros, ut non poſſint peccare.* Seu, iſta non eſt opinio D. Auguſtini, ſed congregatio & ſequela multorum mendaciorum adinventorum à Calvino. Compendium & ſubſtantia reſponſi Doctorum iſtorum eſt, quòd D. Auguſtinus non loquitur in iſto loco de gratiis efficacibus, quas Deus communicavit bonis Angelis, ſed ſolùm de gratiâ ſufficienti, quæ data fuit Adæ ● perſeverandum: & quòd non comparat eam cum omnibus gratiis, quas Deus effundit ſuper omnes homines in hoc ſtatu oaturæ corruptæ, ſed ſolùm cum efficaci, quæ perſeverare facit infallibiliter Prædeſtinatos, ſed abſque oeceſſitate. Ecce verba D. Auguſtini: *Tale quippe erat adiutorium quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam, ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim quâ fit, ut habeat homo iuſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt quâ etiam fit ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, quâ demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrij, quoniam ſic adiuvabatur, ut ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium, ſi vellet, deſereret. Hæc autem tantò maior erat, ut parùm ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parùm ſit denique non poſſe ſine illâ, vel apprehendere bonum; vel permanere in bono, ſi velit, niſi etiam efficiatur ut velit. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illâ quippe eum fecerat qui fecerat rectum s: Dederat & adiutorium, ſine quo in eâ permanere non poſſet ſi vellet, ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere, ſi vellet: quia non deerat adiutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere t, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi u, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa [illegible] manſuros. Si autem hoc adiutorium vel Angelo vel homini cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adiutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent: Adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

p D. Aug. lib. de Correpti. & Grat. c. 11.

q Bellar. lib. 6. de Grat. & lib. Arb. c. 14.

s ex Eccl. 7. 30.

t ex Gen. 3. 6.

u ex Apoc. 12. 7. &c.

Nunc

Digitized by Google

Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum x, & tantò ampliùs, datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verum etiam tantum ac tale ſit, ut velimus. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus.

x Ex Rom. 9. 16.

Idem Bellarminus y dicit, quòd S. Auguſtini nec deſunt alia loca, quæ pro adverſariis facere videntur, ut illud, *Totum Deo dandum eſt, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia, quæ autem non præcedit in eis eſt & ipſa z.* *Reſpondeo*, dicit Bellarminus, *Hoc argumentum vehementer nos terrere potuiſſet, ſi obliti eſſemus quàm frequenter dicentem Auguſtinum audiverimus; quod nos ad Deum convertimus, niſi ipſo excitante & adjuvante non poſſumus. Et velle ſuum, eſſe voluit & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Et, in opere credendi, cùm incipimus velle credere, nos operari opera Chriſti, & cooperari Deo. Summa autem ſolutionis hæc eſt, Deum operari in nobis ſine nobis, ut velimus, uno quodam genere cauſæ, nimirum moralis, non autem omni genere cauſæ. Nam efficit in nobis Deus, ut velimus internâ inſpiratione & ſuaſione, quo modo nos non operamur, ut velimus: non enim nos ipſi nobis perſuademus: ſi enim id faceremus, jam vellemus. Sed quamvis Deus ſine prævio noſtro conatu nos moveat ad volendum, non tamen efficit ipſum velle, ſine nobis cooperantibus conſentiendo. Et ideò non ait Auguſtinus, Velle facit ſine nobis: ſed, Ut velimus, facit ſine nobis. Eodem modo voluntatem bonam præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam; quia illo genere cauſæ, quo facit ut velimus, ſine nobis facientibus ut velimus, præparat voluntatem nobis non præparantibus eandem ſimili excitatione, & ſuaſione. Et ideò in hâc re non juvamur, cùm ſine nobis fiat. Sed tamen alio genere cauſæ nos præparamus voluntatem adjuvante Deo, cùm Vocationi Divinæ conſentimus. Homo, inquit Auguſtinus a, præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei, qui tangit cor.* Innumera affert alia loca S. Auguſtinus b, quæ huic veritati conciliant authoritatem, præſertim cùm ait, *Videtis quia nec ipſa converſio ſine Dei adjutorio. Sed totum ex Deo; non tamen quaſi dormientes, non quaſi ut non conemur, non quaſi ut non velimus. Sine voluntate tuâ non erit in te juſtitia Dei. Voluntas quidem non eſt niſi tua, juſtitia non eſt niſi Dei. Eſſe poteſt juſtitia Dei ſine voluntate tua, ſed in te eſſe non poteſt, niſi per voluntatem tuam. Sine te fecit te Deus. Non enim adhibuiſti aliquem conſenſum ut te faceret Deus. Quomodo conſentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem.*

y Bellarm. lib. 6. de Grat. & Lib. Arb. c. 14.
z S. Aug. in Enchirid. c. 32.
a S. Aug. lib. 2. ad Bonif. c. 8.
b S. Aug. ſerm. 15. de Verbis Apoſt. c. 8. & 11.

Noſtrum liberum arbitrium ſub influentiâ gratiæ Salvatoris, conſervat eandem indifferentiam & eandem poteſtatem agendi, & non agendi, quam habebat voluntas bonorum Angelorum, præventa gratiâ ſanitatis. Theologi Eccleſiæ Romanæ qui ſcripſerunt contra ultimos Hæreticos, hoc ſuſtinent ut veritatem Catholicam, & hac impugnant Hæreticos ratiocinatione: Primus Angelus & primus homo ita peccaverunt, ut poſſent non peccare: & boni Angeli ita firmi & conſtantes permanſerunt, ut cadere poſſent, ſicut fatentur Calviniſtæ: dicendum eſt igitur quòd in hoc ſtatu naturæ vulneratæ & languentis, homines faciunt bonum & malum cum eadem indifferentia ad agendum, & non agendum, & quòd efficacia gratiæ non aufert eis hanc libertatem, quæ opponitur neceſſitati, de qua vobis ſum locuturus in ſermone ſequentis Dominicæ. S. Proſper d diſcipulus S. Auguſtini, & acerrimus defenſor doctrinæ Magiſtri ſui roborat iſtam rationem, cùm ait, *Multis, qui jam judicio rationis utuntur, ideò liberum eſſe diſcedere, ut non diſceſſiſſe ſit præmium: & ut quod non poteſt niſi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Homo igitur poteſt non cooperari Deo in ſe operanti, ſi velit, & propterea rectè ſe gerit modo, & meritum ſibi comparat cooperando gratiæ Dei tangenti cor ipſius, quia poterat ei conſenſum ſuum & cooperationem ſuam renuere. Et Stapletonus e ait ſuper hæc verba S. Joannis, *Vis ſanus fieri? Locus pro libera hominis cooperatione in omnibus Divinæ gratiæ beneficiis recipiendis: quam ſemper impius Calvinus negat. Hac enim interrogatione nobis ſignificat Dominus ſe hominis libero arbitrio in ſalute conſequenda uti. Salvat quippe & juſtificat Dominus homines indigentes & impotentes, & longa ſæpè peccatorum ægritudine languentes (qualis hic maximè languidus erat) in quibus ſanè ſanandis majori gratiæ latitudine & efficacia opus eſt; ſed nonniſi ſanari volentes, ſuaque libera cooperatione excitanti, & quocumque tandem modo operanti gratiæ Dei conſentientes. Et quia ipſum primum velle ſanari gratia Dei eſt, propterea hac ſua interrogatione ad hoc ipſum languentem hunc excitat. Quo excitanti Chriſto conſentiente, ſuumque deſiderium exponente, eadem gratia qua languentem excitavit, conſentientem confeſtim ſanavit. Chriſtus enim interrogando, ſuaque interrogatione (quæ præveniens ejus gratia erat) eum excitando, paratiorem eum reddidit ad ſanitatis gratiam ſuſcipiendam f. Qui enim Dei gratia ad bonum excitatus, ei ſe morigerum præbet, & ab eo ſe duci patitur, ab eadem adjuvatur ut plenè ac libero conſentiendo, eidem ad ſuam ſalutem cooperetur.*

d S. Proſp. lib. 2. de Vocat. Gen. c. 12.
e Staplet. Fer. 6. Dom. 1. Quadrag. in Joan. 5. 6. &c.
f Ex S. Cyril. Alex. lib. 2. c. 124. in Joan. 5. 6.

Omnes iſtæ rationes oſtendũt manifeſtè, quòd reſiſti poteſt interiori gratiæ: & in hoc eſt expreſſa Scriptura, *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, ait nobis S. Paulus g. Et, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei* h. Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus i, *Contemplantes, id eſt, ſolicitè præcaventes, ne quis deſit gratiæ Dei, id eſt, ne aliquis veſtrûm elongetur, ac ſeparetur à gratia Dei, quæ omnibus præſto eſt, dummodò fecerint quod in ſe eſt. Vel, Ne quis deſit gratiæ Dei, id eſt, ne gratia Dei in vobis imperfecta ſit propter negligentiam veſtram. Sed potiùs in ea proficite.* Et Hugo Cardinalis k, *Contemplantes, id eſt, ſolicitè attendentes, ne quis veſtrûm deſit gratiæ Dei, quæ vobis offertur. Gratia enim eſt ſicut radius Solis, qui præſto eſt te illuminare, niſi clauſam teneas feneſtram cordis tui. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo, & cœnabo cum illo* l. *Tanquam filiis offert ſe Deus* m. *Sperate in eam quæ vobis offertur, gratiam* n: *ſed etiam gloriam: Gratiam & gloriam dabit Dominus* o. *Timeamus ergo ne fortè relicta pollicitatione intro-*

g 2. Cor. 6. 1.
h Hebr. 12. 15.
i Dion. Carth. art. 22 in Hebr. 12. 15.
k Hug. Card. in Hebr. 12. 15.
l Ex Apoc. 3. 20.
m Hebr. 12. 7.
n 1. Petr. 1. 13.
o Pſ. 83. 12.

introeundi in requiem ejus exiſtimetur aliquis deeſſe p. *Et nota quod homo aliquando deeſt gratia, aliquando reſiſtit gratia, aliquando impugnat eam. Deeſt enim gratia per pigritiam, quando ſubtrahit ſe ad cooperandum ei ſimul ad operandum in eâ; ſicut miles deeſt gladio cùm pigritatur operari ſtrenuè in eo. Reſiſtit autem per malitiam quantùm ad ſe: & impugnat in aliâ per invidentiam, Ipſi rebelles fuerunt lumini* q. Et Concilium Tridentinum r ait, *Tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, homo inſpirationem illam recipiens poteſt abjicere.*

p Hebr. 4. 1.
q ex Job 24. 13.
r Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5.

Calvinus s opponit ſe directè huic veritati, verbis iſtis, *Gratia voluntatem movet, non qualiter multis ſeculis traditum & creditum eſt, ut noſtra poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari. ſed illam efficaciter afficiendo.* Sed D. Auguſtinus & D. Thomas illum mendacii inſimulant. D. Auguſtino u ait: *Animæ rationali quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium. Sic enim poſſet habere meritum. ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus.* Et iterùm x, ut ſuprà jam audiviſtis. *Nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propria voluntatis eſt. Ergo quando Deus agit cum animâ rationali, ut ei credat: neq; enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat: profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine* y. *& in omnibus miſericordia eius præveniet nos* z: *conſentire autem vocationi Dei, vel ab eâ diſſentire, ſicut dixi, propria voluntatis eſt.* Conformiter ad hoc dicit D. Thomas a, *Illi ſoli gratiâ juvantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum non præſtant.* Et alibi b ait, *Etiamſi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter eâ utuntur, ſed unus ſtudioſius in eâ proficit, alius per negligentiâ gratiæ Dei deeſt.* Sed unde procedit iſtud, Auditores? Hinc ſanè, quia potentiæ animæ noſtræ ſunt infirmatæ peccato, nec niſi vix & præ magnâ difficultate cõſenſum ſuum gratiæ tribuunt, & ei perſæpè reſiſtunt, & r[illegible]ntur,

s Calvin. lib. 2. Inſtit. c. 3. pag. 10.
u D. Aug. lib. cõtra Fortunat. aliquantò poſt init.
x Idem lib. de Spirit. & lit. c. 34.
y ex Philipp. 2. 13.
z ex Pſal. 58. 11.
a D. Th. lib. 3. cõt. Gē. c. 159.
b Idem 3. p. q. 69. a. 8. ad 2.

Creaturæ mortales ducemini-ne adhuc aliquo affectu erga vitium? audebitiſne committere crimina? Vaſtitates, quas peccatum operatum eſt in animabus veſtris, nonne ſufficientia motiva ſunt ad ſiſtendos impetus paſſionum veſtrarum? Poteritiſne ſuſtinere ut cauſa ſic maligna deinùm producat effectus ſic funeſtos, ut deſtruat totam naturam, & veſtigia relinquat adhuc impreſſa nequitiæ ſuæ animabus noſtris poſt redemptionem noſtram, quaſi hæc non poſſet ea abolere? Ha! expugnemus iſtud monſtrum, quod edidit iſtas ſtrages, faciamus illud perire in ruinis ubi nos jam perivimus; ſatagamus ut iſtud ſacrilegum, quod noſtra combuſſit templa, nõ vivat ampliùs in mundo, ut memoria ejus in oblivionis tumulo ſepeliatur, cùm accenderit ignes in domo Dei; ut pereat tandem, cùm nobis eripuerit primum charactêrem pulchritudinis animæ, nimirum ordinem rectum potentiarum noſtrarum, noſtræ mentis obedientiam rationi, & noſtræ voluntatis ſubjectionem voluntati Dei, & gratiæ ejus: & agnoſcentes infirmitatem noſtram, agnoſcamus ſimiliter, quòd ſi quid boni peregimus, illud eidem gratiæ Dei referre debemus acceptum: *Dicente enim*, ait D. Auguſtinus c, *diſcipulis ſuis Domino, Sine me nihil poteſtis facere* d: *dubium non eſt, hominem bona agentem, ex Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Unde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium cohortatur: Cum timore, inquit, & tremore veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate* e. *Et hac Sanctis cauſa eſt tremendi atque metuendi, ne ipſi pietatis operibus elati deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Præbeamus igitur attentiones noſtras & conſenſus noſtros cum timore gratiæ Dei, & Deus dabit nobis gloriam ſuam.

c D. Aug. ſerm. 3. Epiph. qui eſt 59 de temp. & 28. in Append. de Diver.
d Jo. 15. 5.
e ex Philipp. 2. 12. & 13.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me. Jo. 16. 17.

NAtura, ut ſenſerunt antiqui Philoſophi, eſt vita, aut quædam vis diffuſa per corpora noſtra, quorum capeſſit ipſa regimen & moderationem: & charitas quæ eſt diffuſa in corda noſtra per Spiritum ſanctum, qui reſidet in noſtro interiori, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ qui datus eſt nobis* a: Et, *Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* b: eſt vita animarum noſtrarum, eas elevat, illas dirigit, eas gubernat, eis adhibet ſe comitem inſeparabilem, cùm charitas motum tribuat omnibus actionibus noſtris, ut dicebat D. Auguſtinus c, *Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror.* Sed ſicut illi antiqui Philoſophi fuerant imaginati, quòd natura eſſet quædam ſubſtantia, quæ procedebat à Deo, quæ dividebatur in has res inferiores, ita ut cuilibet reſponderent partes majores aut minores, ſecundũ quòd plùs aut minùs accederent ad Deum: *Ideas primus Plato appellaſſe perhibetur*, ait Calepinus d. Et ſtatim pòſt ſubdit: *Sunt autem ideæ exemplaria æterna eorum, quæ naturaliter fiunt, immortales, immutabiles, inviolabiles: & ut res apertior fiat, opus eſt, præter omnes homines, intelligere quendam hominem: & præter omnes equos, equũ: & præter animalia, animal ingenitum: & quemadmodum ex uno ſigillo complures fiunt impreſſiones, ſic ex uno homine ſexcenta millia hominũ: & hæc eſt Platonis idea: Euſebius lib. Præp. ideã ſic definit: Idea eſt perpetua ſubſtantia, cauſa & principium, ut ſingularia talia ſint, qualis eſt ipſa: & quemadmodum ſenſibilium exemplaria ad hæc corpora præcedunt, ſic quæ omnia in ſe ipſâ continet pulcherrima atq; perfectiſſima, hujus mundi exemplar eſt ad quam à Creatore Deo ab univerſa ſubſtantia mundus ſimillimè formatus eſt*: ſic quò magis creatura rationalis accedit ad Deum per ſanctas praxes virtutum, eò majores recipit communicationes Divinæ charitatis & gratiæ, quam Deus influit in animam ipſius: propterea Dei Filius dicit in Evangelio hodierno diſcipulis ſuis, & in eorum perſonâ omnibus fidelibus, *Modicum, & non videbitis me; & iterùm modicum, & videbitis me.* Super quod ait de Trugillo e, *Modicum vocat tempus paſſionis ſuæ Chriſtus Dominus: erat ſiquidem tanta eius in nos charitas atque amor ad toleranda tam graviſſima pro nobis tormenta, ut quaſi modicum videretur reputare tantum pro nobis perpeſſum atque exantlatum tormentorum genus, atque pelagus. Non ita ſe gerunt nobiſcum illi, qui*

a Rom. 5. 5.
b 1. Jo. 4. 16.
c D. Aug. lib. 13. Conf. c. 9.
d Calep. in Dictiõ. V. Idea.
e De Trugill. Dõ. 3 poſt Paſcha. in Theſaur. Concion.

cum

càm pauca *quædam conferant beneficia atque exigua, ea tamen ſæpè nobis ante oculos opponunt, atque exprobrant: quibus congruit illud Eccleſiaſtici* f: *Exigua dabit, & multa improperabit*: Ipſe replebit nos gratiâ ſuâ, quæ orta eſt è paſſione ipſius, animas noſtras cumulabit charitate ſuâ, aut nos illâ penitus deſtituet, ſecundùm bonum aut malum uſum ad quem inſumpſerit noſtra libertas gratiam, quam ipſe nobis offert, & quâ perfectiſſime Maria ſemper uſa eſt, ſemper eâ repleta, ut innuunt hæc verba Angeli, *Ave M.*

f Eccl. 20. 15.

Etiamſi verum ſit, quòd Deus propter immenſitatem ſuam reperitur ubique communiter per operationem, per cognitionem, & per ſubſtantiam, *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* g? Operatio reddit eum ubique præſentem: ubique adeſt, quia ubique operatur, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* h: Ubique omnia facit, omnia producit, omnia cõſervat, & omnia gubernat: Eſt ubique per cognitionem, quia omnia videt, cuncta cognoſcit, & univerſa comprehendit, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* i: Ubique præſens eſt per ſubſtantiam ſuam quia omnia occupat, & immenſitate ſuâ replet omnia mundi ſpatia, *Magnus eſt, & non habet finem; excelſus, & immenſus* k: Tamen præter iſtos modos communes, quibus ipſe eſt ubique, ſunt alii ſpeciales, quibus magis eſt in quibuſdam creaturis, quàm in aliis, non quòd in eis ſit limitatus aut conclutus, ſed iſtud intelligitur tantùm de quâdam præſentiâ, quâ communicat dona ſua & gratias ſuas magis aliquibus, quàm aliis: ſic licèt ſit pro comperto, quòd anima rationalis eſt in toto corpore, cùm non ſit minùs in parvo digito quàm in reliquo corpore, tamen ipſa ſuam potiùs habet ſedem in cerebro, aut in corde, quàm alibi, quia ibi nobiliſſimas ſuas producit operationes: inde patet ſimiliter, quòd Deus eſt ubique, ſed quòd habitat ſpecialiùs ibi, ubi magis ſuas manifeſtat ſanctas operationes, ut in humanitate ſanctâ Jeſu Chriſti, ubi eſt per unionem hypoſtaticam, *Verbum caro factum eſt* l. In ſanctis ſuis per gratiam, *Regnum Dei intra vos eſt* m. In Eccleſiâ ſuâ per directionem, *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* n. Et, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* o. In cœlo per majeſtatẽ & gloriam, *Gloria & divitiæ in domo ejus* p. In inferno per juſtitiam vindicativam & per punitionem, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* r. In terrâ per providentiam, *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* s. Et in Sacramentis per virtutem, ut Nicodemo *Jeſus dixit, Amen, amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnũ Dei* t. Seu, ut deinceps expoſuit Dionyſius Carthuſianus u, *Niſi quis renatus fuerit, id eſt, ſpiritualiter regeneratus in fonte Baptiſmatis, ex aquâ, quæ eſt materiale elementum corpus lavans, & diſpoſitivè regenerans, & Spiritu ſancto, qui eſt inviſibilis ablator intùs mentem purificans, & efficienter regenerans gratiam influendo, quæ eſt res Sacramenti, & cauſa formalis intrinſeca hujus regenerationis, non poteſt introire in Regnũ Dei, quod eſt triumphans Eccleſia, vita æterna, ſeu patria Electorum.* Atqui hoc quod videmus cum tantis mirabilibus in Deo, reperimus in cruce eum magnâ admiratione: ipſa enim non ſolùm eſt ubique per quatuor dimenſiones ſuas, longitudinis, latitudinis, altitudinis, & profunditatis; ſed ipſa eſt ſpecialiter in Deo ut inſtrumentum opportuniſſimum eorum omnium, quæ habuerit idem Deus, reparando mundo, & trahendis ad ſe omnibus creaturis, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia trahã ad meipſũ* x. Seu, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, id eſt, in cruce levatus, omnia genera hominum traham ad meipſum, non violenter, ſed amorosè, id eſt, per fidem & charitatem convertam eos ad me: Chriſtus enim moriendo ſatisfecit pro omnibus, quantùm fuit in ipſo, & merito ſua paſſionis, infuſa Electis in toto mundo gratia, per quam audita Evangelica prædicatione, ad Chriſtum cõverſi ſunt, ſecundùm quod Iſaias* y *prædixit Gentes, quæ non cognoverũt te, ad te current* z. Iſta crux eſt in Juſtis ut *baculus* a, qui ipſos ſuſtinet & fulcit inter varios fluctus inconſtantiæ mundi: & ſicut *virga* b, quæ ipſos dirigit inter medios anfractus hujus vitæ mortalis. Ipſa eſt in peccatoribus velut pertica, quæ defert myſticum ſerpentem Jeſum, quò projiciunt morſus ſuos, ut ſanentur à morſibus peccati, *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* c. Quòd ſi ipſa ſplendet in Eccleſia, non aliter quàm ut currus Regius, *Dominus regnavit* d. Id eſt, *à ligno*, ut exponunt Patres e. Ut nos perducat eum ſecuritate ad curiam Electorum: currus triumphalis, ſuper quem aſcendit magnus iſte *Rex Iſrael* f, ſuo ſanguine purpuratus; aut, ſicut legitur, ſuper quem iſte myſticus *Eliſeus aſcendit, & incubuit ſuper eum* g, ut ſuſcitaret naturam humanam à morte peccati. Videmus eam ſuper terra plantatam in medio *Calvariæ* h, ſuper quam Jeſus aſcendit, ut aſcendere faceret hominem in cœlum: ubi ſuſpenſus eſt, *Ubi crucifixerunt eum* i, ut nos elevaret ſpiritu: ubi *non erat ſpecies ei, neque decor, & non erat aſpectus* k, ſed deformis apparuit, ut reformaret nos quantùm ad mores noſtros: ubi habet brachia aperta, ut nos ſuſcipiat in gratiam ſuam, *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas* l. Ubi pedes habet alligatos, expectans cõverſionem noſtrã *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam* m. *Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis* n. Ubi irrigatus eſt ſanguine ſuo, ut lavaret nos à ſordibus noſtris, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* o. Ubi *vidimus eum virum dolorum* p, ut cumularet nos gaudio: ubi ſitivit, dicens, *Sitio* q, ut nos refrigeraret aqua gratiarum ſuarum: & ubi *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* r, ut videre nos faceret & experiri flammas Divini amoris ſui, cùm crux ſit origo omnium meritorum noſtrorum, prout eſt cauſa inſtrumentalis Sacramentorum, quæ operentur virtute crucis, & quæ ſunt ſacri canales, per quos gratia fluit in animas noſtras, ſi bonum faciamus uſum libertatis noſtræ. Propter hunc finem intendo vobis mõſtrare, Quòd actio ad hoc ut præ ſe ferat meritum, non ſolùm debet eſſe libera libertate quæ eſt immunis à coactione, ſed etiam debet habere libertatem quæ eſt expers neceſſitatis.

g Jer. 23. 24.
h Jo. 5. 17
i Hebr. 4. 13.
k Baruch, 3. 25.
l Jo. 1. 14
m Luc. 17 21.
n 2. Petr. 1. 21.
o Matth. 28. 20.
p Pſ. 111. 3.
r Iſai. 66. 24.
s Sap. 8. 1
t Jo. 3.
u Dion. Carth. a. in Jo.
x Jo. 12. 32.
y ex Iſai. 55. 5.
z Dion. Carth. a. 11. in Jo. 12. 12.
a Pſ. 22. 4
b Ibid.
c Jo. 3. 14. ex Num. 21. 9.
d Pſ. 95. 10.
e D. Aug. in Pſ. 95. 10 D. Cypr. de Montib. Sina & Sion. n. 49. Et Tert. lib. 3. contr. Marcion. c. 19.
f Matth. 27. 42.
g 4. Reg. 4. 32, & 34.
h Jo. 19. 17.
i Jo. 19. 17.
k Iſai. 53. 2.
l Iſai 65. 2.
m Sap. 11 24.
n Iſai. 30 18.
o Apoc. 1 5.
p Iſai. 53, 2 & 3.
q Jo. 19. 28.
r Jo. 19. 34.

Propoſitio.

Ad intelligendam differentiam quæ eſt inter libertatem à neceſſitate, quam Adverſarii noſtri dicunt non requiri ad hoc ut quis mereatur & demereatur in ſtatu naturæ cor-

ruptæ, & libertatem à coactione, quam dicunt ad hoe ſufficere, ſopponenda eſt triplex libertas cum D. Bonaventurâ s, & eum omnibus Theologis. Prima, vocatur libertas naturæ. Secunda, libertas gratiæ. Tertia, libertas gloriæ Libertas naturæ eſt duplex. Una eſt à ſimplici coactione, quæ vocatur complacentiæ. Altera eſt libertas à neceſſitate. Libertas à ſimplici coactione, aut complacentiæ, eſt ea quâ quis liber eſt à coactione cùm agit, ſed tamen non eſt liber à neceſſitate; id eſt, quâ quis agit non quidem præ coactione, ſed æquo animo, & tamen neceſſariò, eodem modo quo Beati diligunt Deum in cœlo: hoc enim agunt non inviti, nec coacti, ſed tamen neceſſariò. Libertas à neceſſitate eſt ea quâ quis liber eſt in actione ſuâ, non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate, id eſt, quâ quis agit, non ſolùm æquo animo, ſed etiam liberè, ita ùt poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit non agere. Hæc autem duplex eſt. Una contrarietatis, aut quantùm ad ſpeciem actus, qua quis ferri poteſt ad objecta contraria; aut, ſi unicum eſt objectum, ad illud ferri poteſt per actus poſitivos contrarios, V. g. amaſſe, odiſſe; velle, & non velle. Altera, vocatur contradictionis, aut quantùm ad exercitium, quâ quis poteſt agere & non agere, producere actionem & eam non produeere, aut ab eâ ceſſare: iſtud enim totum eſt contradictorium, ut ens & non ens, affirmatio & negatio. Libertas gratiæ eſt ea, quâ quis liber eſt à ſervitute peccati. Et libertas gloriæ eſt ea, quâ quis liber eſt ab omni genere miſeriarum. De libertate naturæ intelligendum eſt iſtud Eccleſiaſtici t, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Per hæc verba, *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui*, diſertè Salomon explicat libertatem à neceſſitate: & quia libertas hæc eſt duplex, ut dixi, una contradictionis, & altera contrarietatis; exemplum utriuſque profert: ad libertatem enim contradictionis pertinet cuſtodire & non cuſtodire mandata: & ſpectat ad libertatem contrarietatis eligere bonum aut malum, aquam aut ignem, vitam aut mortem, quæ omnia ſunt contraria. De libertate gratiæ intelligendum eſt illud quod ait D. Paulus u, *Liberati à peccato, ſervi autem facti Deo* Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus x, *Liberati à peccato per Chriſti paſſionem, tanquam per cauſam meritoriam univerſalem, per propriam quoque Pœnitentiam, ſeu Baptiſmum, tanquam per cauſam meritoriam particularem, per gratiæ autem infuſionem formaliter, ſervi autem facti Deo obediendo ejus preceptis, ſeu acquieſcendo ejus conſiliis.* Et de libertate gloriæ id quod idem dicit Apoſtolus y, *Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Et, ſecundum eundem Carthuſianum z, *Ipſa creatura, videlicet homo, liberabitur in futurâ reſurrectione à ſervitute corruptionis, id eſt, corruptione iſtâ ſervili & corporali, vel magis propriè à ſervitute corruptionis, id eſt, ſolicitudinibus vitæ præſentis, videlicet à curâ quærendi veſtitum ac victum* a, *ac alia quibus hæc corruptibilis vita ſuſtentatur eique ſervitur: Liberabitur autem pertingendo in libertatem gloriæ, id eſt, in dominium & ſecuritatem felicitatis. Vel, in glorioſam libertatem filiorum Dei, id eſt, Electorum ſeu Beatorum in patriâ, qui Deo perfectè aſſimilantur, & plenâ dilectione inceſſabiliter conjunguntur.* Atqui liberum noſtrum arbitrium non vocatur tale per libertatem gratiæ, aut per libertatem gloriæ, ſed per libertatem naturæ, quia cùm hæc ſola detur à naturâ, communis eſt Boris & malis, ſicut liberum arbitrium commune eſt illis ac iſtis. Concilium Tridentinum b conſiſtere facit libertatem noſtram, per quam convertimur ad Deum, in eo quòd tangente Deo cor noſtrum gratiâ ſuâ, poſſimus ei conſenſum noſtrum præbere, vel renuere, *Ita ut tangento Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt, neque tamen ſine gratiâ Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit.* Et licet Calvinus c neget liberum arbitrium, *Optarem nomen liberi arbitrij penitus de medio eſſe ſublatum*, aut non poſſit audire diſſeri de eo, in ſtatu naturæ lapſæ; tamen pro comperto eſt, quòd liberum arbitrium fuit commune homini in triplici ſtatu, innocentiæ, culpæ aut naturæ corruptæ, & gratiæ. Sed cùm Adverſarii noſtri non loquantur niſi de ſtatu naturæ corruptæ, punctum eſt fidei noſtræ, quòd homo per peccatum non amiſit liberum arbitrium ſuum, ut ait Scriptura d: *Optio vobis datur: Eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis.* Et expreſsè docet Concilium Tridentinnm e, *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium nihil cooperari, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.* Præterea, Si poſt peccatum primi hominis nullum eſſet liberum arbitrium, ut vult Calvinus, conſequenter nullum eſſet peccatum, & homines non puderet, nec ipſis opus eſſet ut quærerent tenebras ad parranda crimina ſua, cùm tamen contrarium videamus: *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* f. Dicamus igitur cum D. Auguſtino g, *Habemus liberum voluntatis arbitrium & nonniſi eo peccamus. Deinde, Illud bonum, quo commendatur ipſa juſtitia, in damnandis peccatis, rectèque factis honorandis, quomodo eſſet, ſi homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum eſſet, aut rectè factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc & pœna injuſta eſſet & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam. Debuit autem & in ſupplicio, & in præmio eſſe juſtitia, quoniam hoc unum eſt bonorum quæ ſunt ex Deo. Debuit igitur Deus dare homini liberam voluntatem.* Et concludamus cum D. Thoma h: *Et ideò in electione gratia non imponit neceſſitatem, ſed habens gratiam poteſt eâ uti, & peccare.* Sumus igitur liberi in omnibus actionibus noſtris, cùm eruamus, ſi velimus, è gratiâ maximas utilitates.

Hoc ſuppoſito, cùm oſtenderim vobis Dominicâ præcedente, quòd homo in ſtatu naturæ corruptæ poterat reſiſtere gratiæ per malū ſuæ libertatis uſum, dico hodiernâ die, quòd omnis actio hominis, ad hoc ut habeat meritum, non ſolùm debet eſſe libera hâc libertate quæ eſt immunis à coactione, ſed etiam debet eſſe libera hâc liber-

s D. Bon. in 2 ſent. diſt. 25. a. 1. q. 3

t Eccl. 15 14 &c.

u Rom. 6 22.

x Dion. Carth. a 9. In Rō. 6 22.

y Rom. 8 21.

z Dion. Carth. a. 11. in Rō. 8. 21.

a ex Matt. 6. 31. &c.

b Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 13.

c Calvin. lib. 2. Inſtit. c. 2. parag. 4.

d Joſue. 24. 15.

e Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4.

f Jo. 3. 20

g D. Aug. lib. 2. de lib. Arbitr. c. 1.

h D. Th. 1. p. q. 62 a. 3. ad 2.

libertate quæ ſoluta eſt à neceſſitate. Peſantius tractans qualis fuerit libertas Chriſti, dicit, *Libertas à coactione non eſt vera libertas, ut docent omnes Patres, Origenes* k *Auguſtinus* l. *In Chriſto autem debuit eſſe vera & propria libertas. Deinde, In Chriſto fuit libertas neceſſaria ad meritum, aliàs non potuiſſet mereri: hæc autem non tantùm eſt libertas à coactione, ſed etiam à neceſſitate, ut probatur ubi id S. Thomas* m *docet cum ſuis. Et patet, quia aliàs poſſet eſſe meritum in pueris amentibus, in quibus eſt libertas à coactione* n. *Confirmatur ex ſententiâ omnium Patrum* o, *qui ad meritum requirunt libertatem à neceſſitate. Confirmatur ratione: quia actus neceſſarius, non eſt moralis* p, *nec dignus laude, vel vituperatione: ergo non poteſt eſſe meritorius.* Et poſtquàm dixit id, quod jam prælibavimus, *Duplex eſt libertas ex Ariſtotele* r: *Una contraria coactioni, quomodo id quod fit ſponte, dicitur liberum, etiamſi neceſſario fiat: ſic Beati liberè amant Deum, & Pater & Filius ſe mutuò amando producunt Spiritum ſanctum* s: *verùm hoc non eſt propriè eſſe liberum, ſed ſpontaneum: Altera opponitur neceſſitati, quæ non eſt aliud, quàm indifferentia quædam voluntatis, propter quam in poteſtate ejus eſt, poſitis omnibus circumſtantiis operari, & non operari, velle hoc, vel aliud: hæc autem dupliciter eſt, quoad exercitium ſcilicet, quæ eſt indifferentia ad operandum, & non operandum id quod bonum eſt: & quoad ſpecificationem: quæ eſt indifferentia ad bonum & malum:* dicit, *In Chriſto debet eſſe libertas neceſſaria ad meritum: aliàs non potuiſſet nobis mereri gratiam, & alia dona ſupernaturalia: hæc autem eſt libertas cum indifferentia, quia cùm aliquid ita fit, ut non poſſit non fieri, quantùmvis ex ſuppoſitione neceſſariò fit: ubi autem eſt neceſſitas operationis, nullum poteſt eſſe meritum. Deinde, de intrinſeca ratione libertatis eſt aliqua indifferentia, ut colligitur ex Eccleſiaſtico* t, *& ex Concilio Tridentino* u, *quod ait, liberè homines accipere gratiam, cùm moventur à Deo, quia ei poſſunt aſſentire, & non aſſentire: quare ſi in Chriſto non eſt voluntas cum aliqua indifferentia, neque etiam erit libertas.* Tandem, dicit, *In Chriſto fuiſſe libertatem cum indifferentiâ, ut potuerit operari, & non operari. Eſt communis ſententia Patrum & Scholaſticorum, & patet ex dictis,* inquit, *quia de fide eſt, in Chriſto fuiſſe libertatem, hæc autem intrinſecè includit indifferentiam. Unde Vualdenſis* x *refellit contrariam ſententiam tanquam errorem Vuiclef, qui concedebat ſine ulla indifferentia libertatem: quod etiam faciunt omnes qui de libertate ſcripſerunt contra Calvinum.*

i Peſant. ſin 3. p. D. Thom. q. 18. a. 1. diſp. 2.
k Orig. 3. Periarch.
l S. Aug. lib. 3. Lib. Arb. c. 2. & 3.
m S. Thô. 1. 2. q. 114. a. 4.
n Ex Ariſt. lib. 3. Ethic. c. 1. in princip.
o Ex S. Aug lib. 2 de Lib. Arb. c. 1.
p Ex S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 1. in corp.
r Ex Ariſt. lib 3. Ethic. c. 4. & 5.
s Ex Joan. 15. 26.
t Eccli. 15. 14. &c.
u Ex Côc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4.
x Vuald. lib 1. Doctrin. Fid. art. 1. cap. 21.

Bellarminus condemnat hanc maximam ſeu doctrinam Calvini, qui eam vellet haberi ut veritatem orthodoxam, nimirum, Quòd quantamvis oeceſſitatem gratia afferat voluntati, modò hæc non ſit coactio, & violentia interior, non eſt timendum ne hæc offendat liberum arbitrium. Sic autem loquitur magnus iſte Cardinalis z, *Joannes Calvinus* a *ſcribit, hominem eſſe liberum à coactione, non à neceſſitate. Et addit hanc ipſam fuiſſe mentem Petri Lombardi* b: *Pronunciat* (inquit) *tandem Lombardus, non liberi arbitrii ideò nos eſſe, quòd ad bonum, & malum, vel agendum, vel cogitandum peræquè polleamus, ſed duntaxat, quòd coactione ſoluti ſimus. Cæterum Calvinus pro ſuo more non ſolùm perperam exponit Lombardi ſententiam, ſed etiam ſecum ipſe pugnat: nam ſic ait* c, *Lombardus cùm neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciret, pernicioſo errori materiam dedit.* Hæc ſunt verba Calvini, quibus reſpondet Bellarminus, *At ſi Lombardus neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciebat, quomodo paulò antè pronunciavit, non ideò nos eſſe liberi arbitrii, quòd ad malum, & bonum, vel agendum, vel cogitandum peræquè polleamus, ſed duntaxat quòd coactione ſoluti ſimus? Idem quoque Calvinus* d *diſertis verbis pronunciat, ſe pro Hæretico habiturum, ſi quis neget liberum arbitrium à coactione, modò non aſſerat liberum à neceſſitate.*

z Bellarm lib. 5. de Gra. & Lib. Arb. c 4.
a Ex Calvin. lib. 2. Inſtit. c. 2. parag. 6.
b Ex Mag. ſent. in 2. diſt. 25.
c Calvin. lib. 2. Inſtit. c 3. par. 5.
d Ex Calvin. lib. 2. advers. Pighium

Ad majorem confirmationem iſtius veritatis, quòd actio ad hoc ut ſit meritoria, non ſolùm debet eſſe libera hâc libertate quæ eſt immunis à coactione, ſed quòd inſuper habere debet hanc libertatem quæ eſt expers neceſſitatis, idem Bellarminus e dicit, *Si non eſſet homo liberi arbitrii in operibus pietatis, ſequeretur non peccare eos qui nolunt credere in Chriſtum, aut nolunt converti à peccatis, aut nolunt propter Deum bona opera facere. Deinde, Sequeretur non eſſe laudandos, nec ullo præmio dignos eos, qui volunt credere, ſperare, diligere, converti, aut propter Deum quidvis arduum & acerbum pati. Tertiò, Nullum haberent locum in ejuſmodi rebus præcepta, conſilia, cohortationes, admonitiones, reprehenſiones, exemplaque, aliaque id genus. Quartò, Tolleretur è medio omnis diligentia, atque induſtria in fide, & pietate augenda & excolenda. Hæc autem omnia vehementer eſſe abſurda, ne ipſi quidem adverſarii negare poſſunt. Sequi autem certiſſimum eſt, quia non alia de cauſa bruta animantia non peccant, nec laude aut præmio digna ſunt, nec præcepta, vel conſilia illis dantur, nec denique diligentia, vel induſtria eis convenit, niſi quia libero carent arbitrio. Pari ratione nulla alia cauſa eſt, cur homines in iis actionibus, quæ ad finem ultimum pertinent, quales ſunt velle bonum, & fugere malum, in genere, neque peccare, neque bene mereri poſſint, neque præceptis, aut conſiliis egeant, nec diligentiam aut induſtriam ullam adhibere teneantur; niſi quoniam libertas arbitrii non eſt circa finem, ſed circa media ad finem.*

e Bellarm lib. 6. de Gra. & Lib. Arb. c. 12.

Calvinus f fatetur, quòd libertas quæ non excludit niſi coactionem, non ſufficit ad meritum in creaturâ innocenti; & quòd ſi Adam peccaſſet eâdem oeceſſitate, quâ Jeſus Chriſtus illuſtratus lumioe gloriæ diligebat Deum, nullo modo fuiſſet conſcius criminis: debet igitur ſuſtinere, quòd eadem libertas non ſufficit ad meritum in creaturâ innocente, & quòd Jeſus Chriſtus oon eſt meritus hoc amore neceſſario. Doctrina enim eſt omnium Patrum, quòd eâdem libertas eſt neceſſaria ad meritum, & demeritum. Præterea, Certum eſt teſtimonio omnium Patrum qui ſcripſerunt contra inimicos liberi arbitrii, quòd ſi Præſcientia Divina, aut anima eſſentialiter bona, nos induceret ad faciendum bonum eâdem neceſſitate, quâ Jeſus Chriſtus diligebat Deum amore Beatorum, nullum haberemus metitum: dicendum eſt igitur etiam, quòd Jeſus Chriſtus non eſſet meritus hoc amore oeceſſario. Facilè eſt oſtenſu eâdem ratiocinatione, quòd gratia Jeſu Chriſti extingueret totum meri-

f Calvin. lib. 3. de Lib. Arb.

tum omnium bonarum noſtrarum actionum, ſi ipſa abriperet conſenſus noſtros ſimplici neceſſitate. Peto enim ab Adverſariis noſtris: Quare neceſſitas iſta veniens è gratia Jeſu Chriſti, non deſtruet æque omne meriti genus, ac ſi veniret ab anima eſſentialiter bona, aut à præſcientia Dei? Cùm proponitur eis eadem quæſtio circa demeritum, reſpondent ipſi, quòd ſimplex neceſſitas peccandi nos excuſaret, ſi ipſa veniret à Præſcientia Divina, aut à principio naturali, quia ipſa non eſſet nobis libera in origine ſua: ſed quòd veniens è concupiſcentia, non poteſt nos excuſare, quia ipſa nobis eſt libera in cauſa ſua, id eſt, in peccato Adæ. Non poſſunt facere ſimile reſponſum quantum ad meritum. Dicentne quòd ſimplex neceſſitas, quæ comitaretur gratiam Jeſu Chriſti, nobis eſt libera in origine ſua? Iſtud tolerari non poteſt, cùm prætendant, quòd Jeſus Chriſtus nos redemerit actionibus, quæ ſunt etiam magis neceſſariæ quàm ſint noſtræ: & poſito quòd illæ ſolutæ eſſent ab omni genere neceſſitatis, illæ non ſunt actiones noſtræ, ſicut peccatum Adæ eſt peccatum noſtrum. Dicentne quòd crimen Protoplaſti noſtri, ſuam libertatem communicat bonis operibus, quæ neceſſariò facimus, æquè ac malis? Iſtud eſt etiam ineptius: hoc enim peccatum nullam habet influentiam ſuper bonum quod agimus, ſicut habet ſuper malum: & eſſet ridiculum ſuſtentu, quòd è duobus hominibus, qui Deum diligerent eadem neceſſitate ſimplici, unus mereretur hac actione, quia contraxiſſet peccatum originis; & alter nullo modo prorſus mereretur, quia nunquam fuiſſet infectus hoc crimine.

k Bellarm. lib. 5. de Grat. & Lib. Arb. c. 5.

Multifariàm probat Bellarminus k propoſitionem noſtram, dicens, *Ex definitione Eccleſiæ habemus Concilium Arauſicanum can. 25. Ubi declaratur, poſſe hominem baptizatum, ſi velit, benè vivere: conſtat autem experientiâ, poſſe eum, ſi velit, etiam non benè vivere. Proinde poteſt velle, & non velle; bene vivere, & malè vivere. Concilium item Tridentinum, quod ſaltem apud Catholicos magnam habere debet authoritatem, ſeſſ. 6. cap. 5. docet hominem liberè conſentire Divinæ inſpirationi, quippe quam rejicere etiam poteſt. Et can. 4. dicit, liberum arbitrium concurrere in diſpoſitione ad juſtificationem, quia ſicut conſentire, ita etiam & diſſentire poteſt. Quo loco non eſt omittendum, Concilium hoc poſtremò, ſine dubio aliquid voluiſſe declarare adverſùs errores nuper exortos. Nullus autem eſt, nec fuit, qui doceret hominem non eſſe liberum à coactione, ſed tota quæſtio eſt de libertate a neceſſitate, quam ſolam Hæretici negant. Igitur hanc ipſam Concilium aſtruere voluit. Et ſanè qui poteſt conſentire, vel diſſentire; acceptare, vel rejicere, non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate liberum ſe eſſe demonſtrat. Adde quòd etiam extat decretum Pii V. Pontificis à Gregorio XIII. rurſus renovatum: in quo damnantur ſententia illa, Quod voluntariè fit, etiam neceſſariò fit. Et, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Ubi Pontifices illi non voluerunt docere, id quòd voluntariè, ſed neceſſariò fit, nullo modo liberè fieri: ſed non fieri eâ libertate, quæ ad liberum arbitrium conſtituendum requiritur.* Jam ex Patribus idem probatur. Origenes l dicit, *liberum arbitrium eſſe facultatem diſcernendi bonum à malo, & eligendi quod probaverit.* S. Gregorius Nazianzenus m, *Arbitrii libertas,* inquit, *parem in utramque partem motum habet.*

l Ex Orig. lib. 3. Peri archon c. 1.

m S. Greg. Naz. in Apologetici procul ab initio.

S. Auguſtinus n ait, quòd mandata Dei non eſſent homini utilia, ſi privatus eſſet libero arbitrio, cujus interventu mercedem ſibi conciliaret æternam, *Quia ipſa Divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret.* Et ſtatim reddit rationem, propter quam Deus illa eidem præbuerit homini, dicens, *Ideò enim data ſunt, ut homo excuſationem de ignorantiâ non haberet: ſicut Dominus dicit in Evangelio o de Judæis: Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. De quo peccato dicit, niſi de illo magno, quod præſciebat eorum futurum quando iſta dicebat, id eſt, quo eum fuerant occiſuri? Neque enim nullum habebant peccatum, antequàm Chriſtus veniſſet in carne ad eos.* Et poſt allatas multas authoritate ex Scripturâ, dicit, *Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri p & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Pſalmus q dicit, quòd in lege Domini fuit voluntas ejus: nonne ſatis indicat voluntate ſua hominem in lege Dei conſiſtere? Deinde tam multa mandata, quæ ipſam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem, ſicut eſt, Noli vinci à malo r: & alia ſimilia ſicut ſunt, Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus s: &, Noli repellere conſilia matris tuæ t: & innumerabilia talia in veteribus libris Divinorum Eloquiorum quid oſtendunt, niſi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam novis Evangelicis, & Apoſtolicis quid aliud oſtenditur? ubi dicitur, Nolite vobis condere theſauros in terra u. Item, Nolite diligere mundum x: & cætera hujuſmodi. Nempe ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in Divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.* Et diſcipulus ejus S. Proſper y ait, *Gratia quidem Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed & voluntas hominis ſubjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut Divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate, ſi deficit: de gratiæ opitulatione, ſi proficit.* Et, *Fit manifeſtum, quòd diverſis atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire z: ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur.* Tandem, S. Thomas a dicit, *Quidam dixerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id, cujus principium eſt extrà. Unde & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſarii, non tamen violenti. Violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario, quia utriuſque principium eſt intrà, violenti autem principium*

n S. Aug. lib. de Grat. & Lib. Arb. c. 2.

o Joan. 15. 22.

p Ex Pſ. 118. 4.

q Ex Pſ. 1. 2.

r Rom. 12. 21.

s Pſ. 31. 9.

t Ex Prov. 1. 8.

u Ex Matth. 6. 19.

x 1. Joan. 2. 15.

y S. Proſp. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 26. & 28.

z Ex 1. Timoth. 2. 4.

a S. Thō. Quæſt. Diſput. q. 6. de Malo, Art. 1. & Lib. Arb. in concl.

cipium eſt extrà. *Hac autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus : non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium , quod aliquis ſic ex neceſſitate agit quod vitare non poſſit.* Non poteſt igitur meliùs exprimi opinio Calvini quàm verbis iſtis.

Cùm igitur certum ſit, quòd actio ad hoc ut ſit meritoria , non ſolùm debet eſſe libera hâc libertate, quæ eſt immunis à coactione , ſed etiam debet habere hanc libertatem , quæ eſt ſoluta à neceſſitate , interventu gratiæ , hauriamus dulciſſimas utilitates noſtras ex hâc gratiâ, quam Deus nobis omnibus offert , ne fortè recedat à nobis propter contemptum , quem ipſius fecerimus, *Modicum , & non videbitis me.* Super quod dicit de Trugillo b, *Quòd tempus hoc vitæ noſtræ modicum ſit, & præſertim ſi comparetur cum futuro ſeculo , inſinuari videtur illis verbis, Deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam , ſciens quòd modicum tempus habet* c, &c. *Tum, Ecce venio citò ; tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* d. *Non ſolum modicum eſt vita noſtra tempus , ſed etiam & hoc ipſum modicum expoſitum eſt ſexcentis periculis & infortuniis , tum animi , tum corporis. Unuſquiſque enim facilè videre poterit , incipiens jam inde à primo egreſſu noſtro ex materno utero , & percurrens ſingulos ætatis noſtræ gradus, quantis calamitatibus & incommodis expoſita ſit vita noſtra corporea. Jam verò quid dicam de ſpirituali ? an non pluribus & majoribus multo expoſita eſt diſcriminibus atque periculis ? adeò profectò ut cùm nobis ſecuri videmur , non deſinat Apoſtolus nos adhortari, dicens , Qui ſe exiſtimat ſtare , videat ne cadat* e. Propterea præ noſtræ mentis oculis ponamus cogitationes amoris , quibus à tot annis Deus nos inſequitur, & dicamus ſinguli intra nos , Recepine me io meliorem emendatioris vitæ frugem ? A tam longo tempore gratia Divina pulſat fores cordis mei , cooperatuſne unquam fui huic gratiæ Dei? Attendite ad ea quæ vobis dico, ſi placet, Auditores : non latet vos quòd Deus ſit zelotes gratiarum ſuarum ; cogitate quòd inſpirationes ſacræ contemptæ evaneſcunt , & conſequenter quòd gratia tranſit cum illis , *Modicum , & non videbitis me.* Sed cùm Deus loquitur vobis , & tangit cor veſtrum , ſi ſapientes eſtis, præbete ei conſenſum veſtrum , & benè utimini libertate veſtrâ: auſcultate ergo eum dicentem : *Ecce ſto ad oſtium , & pulſo : ſi quis audierit vocem meam , & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo , & ipſe mecum* f. *Et ſecundùm Dionyſium Carthuſianum* g , *Ecce ſto ad oſtium, id eſt, oſtio cordis, ſcilicet libero arbitrio, ſeu voluntati, aſſiſto ſeu præſens ſum : qui omnia impleo* h, *& nullibi deſum. Et pulſo per ſacram Scripturam hortando , per Vicarios meos loquendo, per Angelicam inſpirationem , per motionem internam quâ moveo mentem ad ſupernaturale bonum, per beneficiorum collationem , per adverſitatum exercitationem. His ſiquidem modis Deus omnipotens cordis noſtri pulſat quotidie januam. Unde & loquitur Sponſa ſeu anima amoroſa , Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea* i. *Hinc de increatâ Sapientiâ legitur, Sapientia præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat : qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet* k. *Itaque Chriſtus pulſat, ſicut ſcriptum eſt, Vox dilecti mei pulſantis* l. *Præterea , Continendum quòd gratia interdum accipitur pro habitu eſſentiam rationalis creaturæ Deo gratam faciente , interdum pro Divinâ motione quâ Deus animam movet ad ſupernaturale bonum : quemadmodum motione naturali ac generali movet omnia ad ſibi connaturalia. Propter quod dicitur , Attingit à fine uſque ad finem fortiter , & diſponit omnia ſuaviter* m. *Hæc autem Divinus inſtinctus ſive influxus , vel motio hæc communiter fit cunctis hominibus quamdiu in vita præſenti ſubſiſtunt. Quem quidem influxum quidam ſequuntur per liberi conatum vel cooperationem arbitrii ad ſupernaturale bonum ſe diſponentes. Alii non ſequuntur , propter quod merentur ſibiipſis relinqui , ſicque ex ſua defectibilitate de peccato in peccatum labuntur. Si quis audierit vocem meam , id eſt, inſpirationi Divinæ, ſive Angelicæ, vel verbis ſacræ Scripturæ conſenſerit atque paruerit , & aperuerit mihi januam cordis ſui, id eſt , mentem cum affectu ſpiritaliter dilataverit ſeu patefecerit ad me ſuſcipiendum , ſecundùm illud Prophetæ , Præparare in occurſum Dei tui* n ; *intrabo ad illum , dona gratiæ infundendo, infuſa augendo , miſericorditer conſolando , varios effectus in ſecretis animæ producendo : & cœnabo cum illo, id eſt, ejus ſaluti atque profectui congratulabor, ſicut ſcriptum eſt, Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo* o. *Et iterùm, Gaudium Domini eſt fortitudo veſtra* p. *Et ipſe mecum delectando in me per conſcientiæ puritatem , & de cœleſtis gloriæ promiſſo lætando per ſpem. Et in iſto ineffabiliter commendatur nobis clementia, charitas atque dignatio Dei noſtri ad nos tantillos vermiculos. Hinc etenim conteſtatur dicens, Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* q. *Et iterùm , Lætabor ſuper eis , cùm benefecero eis* r. *Tantùm igitur pulſorem non repellamus, cum tanto hoſpite cœnare quotidie properemus : quidquid ejus introitum impedit , quidquid vultum ipſius offendit, vitemus. Porrò , Ipſe lux eſt* s, *peccata & paſſiones ſunt tenebræ : & ſcimus , quòd non ſit conventio luci ad tenebras* t. *Ab his ergo mentis cœnaculum emundare oportet. Sed cur potiùs ait , cœnabo cum illo , quàm prandebo ? Eſt reſpondendum, ut innuat ſcilicet, ſe velle pernoctare nobiſcum , atque in thalamo mentis quieſcere : ut in pace in idipſum dormiamus & requieſcamus* u. *Sic cœnat cum Chriſto, atque in ejus caſtis quieſcit amplexibus, qui corde devoto pergit ad ſtratum , & in meditationibus ſanctis obdormit. Talis non timet à timore nocturno* x, *ſed de mentis ſecuritate reficitur. Secura enim mens, quaſi juge convivium* y.

Sed dicet mihi aliquis : Heu! tot ego gratias amiſi , & induratum meum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* z ſtrictum , à tot annis illis reſiſtit , ut annumeratus ſim cum illis , de quibus dicitur, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus , nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* a. Sed huic ego reſpondeo , Amice mi, oportet ut mediis lacrymis veræ pœnitentiæ revoces gratiam, alioquin de tuâ conclamatum eſt ſalute, & pernicies tua certiſſima eſt ; & ideò memoreris quòd Deus eſt totus miſericordiâ plenus ad ſuſcipiendos peccatores ad ſe revertentes, ut ait illi Salomon, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam* b. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ , ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* c. Quàmvis

b De Trugill. Dom. 3. Dom. poſt Paſch.
c Ex Apoc. 12. 12.
d Ex Apoc. 3. 11.
e 1 Cor. 10. 12.
f Apoc. 3. 20.
g Dion. Carth. art. 4. in Apoc. 3. 20.
h Ex Jer. 23. 24.
i Cant. 5. 2.
k Ex Sap. 6. 14. & 15.
l Cant. 5. 2.
m Sap. 8. 1.
n Amos 4. 12.
o Pſ. 149. 4.
p 2 Eſdr. 8. 10.
q Prov. 8. 31.
r Ex Jer. 32. 41.
s Ex 1. Jo. 1. 5.
t Ex 2. Cor. 6. 14.
u Ex Pſ. 4. 9.
x Ex Pſ. 90. 5.
y Ex Prov. 15. 15.
z Job. 41. 15.
a Job. 24. 13.
b Sap. 11. 24.
c Hebr. 4. 16.

vis enim multis gratiis defuerimus, Auditores, non debemus propterea in deſperationis abyſſum detrudi, ſed è contra implorare Divinam Miſericordiam, eamque ad nos attrahere lacrymis: ſed cùm illam ad nos traxerimus interventu fletuum pœnitentiæ noſtræ, ne ſimus contenti vitâ ordinariâ, *ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt* l, faciamus intra unum diem id, quod facere debuiſſemus intra menſem unum; ſumamus gratiam veluti ſemen, & ſatagamus eam fructificare propter gloriam.

d Ephes. 5. 15. & ſeq.

DOMINICA IV: POST PASCHÆ.

Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.
Ioan. 16. 13.

ILlud eſt pro comperto in Philoſophiâ, quòd entia quæ nullam habent vitam, non poſſunt habere in ſeipſis principium activum motus ſui, ut docet Ariſtoteles a, dicens, quòd corpora gravia & levia non habent in ſemetipſis principium activum ad operandum, ſed quòd recipiunt activè motum ab eo qui ipſis tribuit eſſe, beneficio cujuſdam virtutis, quam ipſis imprimit, quæ vocatur principium inſtrumentale, *Moventium, & eorum quæ moventur, ea naturâ dicimus moveri, quorum principium in eis eſt. Ac maximè quidem ab alio moveri, id quo movent, in huce manifeſtum eſt, quæ præter naturam moventur, propterea quòd conſtet ab alio moveri. Eorum quæ ab alio moventur, alia poſſumus præter naturam moveri: alia verò opponenda reſtant, quoniam natura. Atque hæc ſunt quæ afferunt dubitationem à quonam moveantur, ſeu gravia & levia.* Veritas eſt etiam conſtans quòd peccatores, qui non vivunt in Deo, non habent in ſeipſis principium aut virtutem ad ſe movendum è ſtatu deplorabili peccati ad ſtatum gratiæ, ſed quòd expectandum eſt principium motus iſtius ſupernaturalis ab eo qui author illius eſt, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* b: qui operatur in animabus hunc motum media gratia eadem, quæ eſt ſalutis inſtrumentum, abſque quo non poſſunt animæ operari, ut ait ipſemet Dei Filius, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* c. Et Dionyſius Carthuſianus d, *Ipſa prima mentis ad Deum converſio, Dei donum eſt, & à Deo. Propter quod Jeremias e precatur, Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Propterea dicit nobis hodie idem Dei Filius, quòd nos *Spiritus veritatis, docebit omnem veritatem.* Et ego volo vobis oſtendere, Quòd Deus offert unicuique in particulari gratias ſufficientes ad operandam ſalutem ſuam. Et quia hæc materia eſt graviſſimi momenti, hanc propoſitionem aggrediar probare ſtatim ac ſanctiſſimæ Deiparæ dixero, *Ave Maria.*

a Ariſt. lib. 8. Phyſ. c. 4. text. 27. & ſeq.
b Joan. 1. 17.
c Joan. 15. 5.
d Dion. Carth. art. 37. in Joan. 15. 5.
e Thren. 5. 21.
Propoſitio.

Res eſt manifeſta, quòd unicuique hominum in particulari tribuit Deus gratias ſufficienter, quarum adminiculo & virtute ſuam poſſit operari ſalutem: quia cùm Deus bonitate ſua creaverit hominem propter finem ſupernaturalem, qui non eſt alius niſi gloria ipſius, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* f & volens ut unuſquiſque potiatur iſtâ felicitate, juſtitia ipſius exigit etiam ex condecentia quadam ut ſingulis provideat hominibus media pariter ſupernaturalia ſaluti illorum peragendæ opportuna: & hæc media ſunt gratiæ, quas nobis meritus eſt Salvator, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* g: ſine quibus impoſſibile eſſet ut quis illam conſequeretur felicitatem, cùm ſine gratiâ non poſſimus aliquid agere meritorium vitæ æternæ, ut modò dicebat nobis idem Dei Filius; & eadem gratia, quæ incipit in nobis opus bonum, præbeat eidem opem complementum ſuum, ut docet Apoſtolus ſcribens Philippenſibus h, *Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate.* Quod verum non eſſet, ſi homo ſine gratiâ poſſet incipere aut perficere aliquod opus bonum ſpectans ſalutem ſuam æternam. Præterquàm quòd cùm gloria, quam merentur opera noſtra bona, quæque coronat labores noſtros, & quam ideò ſibi pollicebatur idem Apoſtolus i intuitu bonorum ſuorum operum gratiâ fultorum, dicens, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex:* ſit ſimpliciter ordinis ſupernaturalis, & ut ſic nullam habeat proportionem cum actionibus purè naturalibus, quales ſunt omnes eæ quæ præcedunt gratiam, & producuntur ſolis viribus naturæ, requiruntur etiam media ſupernaturalia eidem gloriæ aſſequendæ conſona; & hæc media non ſunt alia niſi gratiæ: inde infertur ſequelà neceſſaria; quòd, cùm Jeſus Chriſtus habuerit voluntatem redimendorum omnium hominum morte ſuâ & meritis ſuis, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* k: voluerit conſequenter eis mereri & providere omnibus & ſingulis in particulari gratias, virtute quarum per ipſum non ſtaret quin ſua paſſio eis applicaretur, & quin conſequenter illi redimerentur, quod erat finis quem ipſe ſibi propoſuerat, ut ait ſuper hæc Apoſtoli verba Dionyſius Carthuſianus l *multipliciter. Primò, Quod Deus vult omnes ſalvari quantùm in ſe eſt, ita ut ex parte ejus non ſit defectus, neminemque ad ſe venientem repellat, & ſingulis gratiam dare paratus ſit, ſi fecerint quod in ſe eſt. Reſponſio, quæ melior eſt, & a Damaſceno aſſignatur, eſt, quòd Deus vult omnes ſalvari voluntate antecedente, non autem voluntate conſequente: quæ duplex voluntas in Deo ſola ratione diſtinguitur. Dicitur enim voluntas antecedens, quâ quis aliquid vult ſecundum conſiderationem communem & abſolutam rei quam vult. Conſequens verò quâ vult aliquid conſideratis particula-*

f Prov. 16. 4.
g Apoc. 1. 5.
h Philipp. 1. 6. & 2. 13.
i 2. Tim. 4. 7. & 8.
k 1. Tim. 2. 4.
l Dion. Carth. art. 2. in 1. Tim. 2. 4.

calaribus circumſtantiis atque conditionibus ejus. Primo modo vult Rex omnes ſuos ſubjectos vivere, inquantùm videlicet conſiderat eos ut cives & membra Regni ſui. Secundo modo vult quoſdam eorum perire, inquantùm ſunt bono communi contrarii, vel enormiter ſcelerati. Similimodo vult Deus omnes homines ſalvari, voluntate antecedente, videlicet conſideratis eis ut ſunt rationales natura, ad Dei imaginem factam, *beatitudiniſque capaces. Sed conſiderando nonnullos ſecundùm actus & circumſtantias ſuas particulares, non vult eos ſalvari, ſed damnari, quod pertinet ad voluntatem conſequentem.*

m Ex Gen. 9. 6.

Prætereà, Deus obſtringit omnes & ſingulos homines rationis capaces, & ſufficienter edoctos mandata ſua, ut ea obſervent, ſicut ejuſdem Dei Filius cuidam adoleſcenti *dixit*, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* n. Et, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum o, *Si vis ad vitam gloriæ ingredi, id eſt, æternam beatitudinem adipiſci, ſerva mandata decalogi. Tanquam dicat, Hoc requiritur, & ſufficit ad ſalutem. Unde in Proverbus* p *habetur, Serva mandata, & legem quaſi pupillam oculi tui. Liga eam digitis tuis, & in tabulis cordis ſcribe. Et in Eccleſiaſtico* q, *Si volueris mandata cuſtodire, conſervabunt te.* Atqui non poſſunt homines ea ſervare, ſaltem ſicut expedit, abſque ſubſidiis iſtis ſupernaturalibus: eſt ergo neceſſarium ut ipſos Deus adjuvet hujuſmodi mediis naturæ vires excedentibus; alioquin præciperet ei res abſolutè obſervatu impoſſibiles: & ideò cùm quis peccavit adversùs aliquod mandatum Dei, cùm gratia eſſet ipſi neceſſaria ad illud obſervandum, Deus præbuit ipſi gratiam, & tamen iſte offendit, non adimplens hujuſmodi mandatum: eſt igitur credendum, quòd hæc gratia, quæ præbebat ipſi poteſtatem faciendi illius, quod ipſe reverà non fecit, non fuit ipſi niſi ſufficiens, quia ipſe noluit ei cooperari, & privavit actionem ſuam effectu, quem Deus prætendebat, eam ipſi offerendo. Iſtæ gratiæ ſunt ſanctæ cogitationes & interna lumina in intellectu, & piæ affectiones in voluntate hominis, quæ ipſum inducunt ut declinet *à malo, & bonum* r faciat medio ſancto motivo tali quale naturaliter ipſe non poſſet ſumere, quidquid aliàs aſſerere voluerint Semipelagiani, quòd initium noſtræ ſalutis dependêret priùs à nobis, ſicut etiam perſeverantia in virtute & in ſanctitate vitæ, nedum deberemus omnino hanc glorioſam prærogativam, acceptam gratiæ referre Divinæ, quæ eſt origo omnium bonorum noſtrorum operum: atqui ſicut unuſquiſque habet unum Angelum cuſtodem in particulari, qui curam ipſius agit, &, ut ipſum dirigat ad gloriam, inſpirat ipſi, & ipſum deguſtare facit has cogitationes, iſtos motus Spiritus ſancti, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* s? ſic & unuſquiſque ſuſcipit opportuno tempore, & in loco congruo gratias iſtas interiores, quæ, ſi eis correſpondeat ipſe, iiſdem gratiis adjutus, ſunt efficaces, ſic appellatæ, quia ſuum ſortiuntur tunc effectum; ſi autem ipſe non cooperetur eis, eædem gratiæ non ſunt niſi ſufficientes. Ecce differentia quæ admittitur inter gratiam ſufficientem & gratiam efficacem: ipſæ non differunt niſi quantùm ad eventus, prout ſcilicet gratia ſufficiens privatur effectu ſuo, & gratiam efficacem ſequitur ſemper effectus ſuus, quia voluntas cooperatur ei conſenſu ſuo.

n Matth. 19. 17.
o Dion. Carth. art. 33 in Matth. 19. 17.
p Ex Prov. 7. 2. & 3.
q Ex Eccli. 15. 16.
r Pſ. 36. 27.
s Hebr. 1. 14.

Hæc diviſio quam facimus gratiæ in ſufficientem & efficacem, eſt punctum fidei noſtræ, ſed nobis diſputatur à reformatoribus noſtri temporis, qui prætendunt quòd illi qui moventur & tanguntur interiùs à Deo gratiâ præveniente & excitante, operantur neceſſariò bonum, & quòd ut ſic omnis gratia eſt efficax, & nulla datur ſufficiens. Sed tota Scriptura ſacra convincit hunc errorem contrarii. Propheta enim Iſaias t loquens in favorem gratiæ ſufficientis, introducit Deum ſic loquentem, *Viri Juda judicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectavi ut faceret uvas & fecit labruſcas?* Et S. Matthæus repræſentat nobis Dei Filium, poſtquàm *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* u, ſic alloquentem civitatem Jeroſolymitanam, ſeu illius incolas, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti* x? Et S. Paulus y jure meritò corripit hominem, quem Deus vocat ad pœnitentiam gratiâ ſuâ, quam tamen ingratus hujuſmodi homo deſpicit, *An divitias bonitatis ejus contemnis? An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Unde manifeſtè patet, quòd Deus dat hominibus auxilium quoddam, virtute cujus converti poſſent, ſi vellent, & tamen non convertuntur. Hoc autem auxilium vocatur gratia ſufficiens.

t Iſai. 5. 3. & 4.
u Baruch. 3. 38.
x Matth. 23. 37. ex 4. Eſdr. 1. 30.
y Rom. 2. 4.

Ratio autem quæ confirmat hanc veritatem, eſt, quia nemo corriperetur unquam in ſacrâ Scripturâ, ſi non daretur ei ulla alia gratia quàm gratia efficax: atqui conſtat, quòd Scriptura multos corripit pro eo quòd non convertantur ad Deum: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent* z. Eſt ergo ſignum manifeſtum, quòd incolæ civitatum iſtarum Corozain & Bethſaidæ ſuſceperant auxilium ſufficientis ad operandam converſionem ſuam; & hoc auxilium ſupernaturale non erat aliud niſi gratia ſufficiens, quam Deus offert omnibus & ſingulis hominibus: ſi enim Deus hoc non ageret, ſi omnis gratia eſſet efficax, impoſſibile eſſet ut aliquis ageret pœnitentiam, quia contritio eſt unus ex actibus neceſſariis ad veram pœnitentiam, & hæc contritio nihil eſt aliud niſi dolor animæ, & deteſtatio peccati commiſſi, cum firmo conſilio non peccandi ampliùs impoſterùm, ut definit Concilium Tridentinum a, *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Atqui nec iſte dolor, aut iſta deteſtatio peccati commiſſi contra adorandam Dei majeſtatem, nec iſtud firmum propoſitum non peccandi ampliùs, poſſunt concipi ſine certitudine quam Deus nobis dat gratiarum ſufficientium: verum eſt igitur quod ſine iſta gratia ſufficienti impoſſibile eſt ut quis agat pœnitentiam. En probatio quantùm ad id quod ſpectat dolorem propter peccatum commiſſum: Illum enim, qui credit ſe non potuiſſe evitare peccatum, pœnitere peccati non poteſt: illum ergo, qui videt ſe non potuiſſe evitare peccatum, eò quòd ipſi gratia defuerit, ejuſdem peccati pœnitere non poteſt: atqui omnis peccator debet judicare ſe non ſuſcepiſſe gratiam quando lapſus eſt in peccatum, quia, ſi omnis gratia eſt efficax, certè ſi eam ſuſcepiſſet,

z Matth. 11. 21.
a Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.

Deum

Deum non offendiſſet, & ideò Deum alloquens, dicere ei poteſt : Heu! Deus mi, ego non defui gratiæ, ſed potiùs gratia defuit mihi, quod non eſt dolor de peccato. Si autem è contrà, ſecundùm veros Catholicæ fidei ſenſus, agnoſcit ſe propriâ culpâ ſuâ non correſpondiſſe gratiæ, quæ ipſi inſpirabat horrorem peccati, ipſum facilè pœnitebit peccati ſui, & ipſe dicet : Heu! Deus mi, ignoſce mihi, ſi placet, ego defui gratiæ tuæ, quæ mihi non deerat. Idem dico de ſecunda parte contritionis, quæ eſt firmum propoſitum non relabendi ampliùs in peccatum, quia hæc emendatio fieri non poteſt ſine gratia : ſi autem omnis gratia eſt efficax, non opus eſt ut formet quis hoc firmum conſilium ſuipſius recipiendi in meliorem emendatioris vitæ frugem, & non ampliùs offendendi Dei : quia ſuppoſito quòd gratia operetur ſemper neceſſariò, ille neceſſariò ſe emendabit; ſicque contritio non erit ampliùs actus Pœnitentiæ contra deciſionem Concilii Tridentini dicentis contritionem ſibi primas ſedes inter actus pœnitentis vendicare; & hoc modo nulla erit ampliùs Pœnitentia.

Prætereà, Si homo, qui non convertitur per Pœnitentiam, non haberet gratiam ſufficientem ad operandam converſionem ſuam, non imputaretur ei ad crimen quòd non converteretur : ſicut enim non poteſt imputari ad defectum quòd quis omittat aliquid præ ignorantiâ purè invincibili; ſic meritò reprehendi non poteſt ille qui præ impotentiâ facere non poteſt id quod ipſi præceptum eſt : propterea Concilium Tridentinum *b* ait : *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum; ita perficiet operans velle & perficere c.* Sacra Synodus inquit, quòd deeſſe poſſunt aliqui gratiæ : eſt ergo pro comperto, quòd omnes gratiæ non ſunt efficaces, & quòd inter eas datur ſufficientes.

b Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 13.

c Ex Philipp. 1. 6. & 2. 13.

S. Auguſtinus *d* ſibi proponit duos homines æqualiter diſpoſitos corpore & animo, qui videndo eandem eximiam aliquam pulchritudinem corpoream, ſi erga eam diverſo afficiantur modo, licèt eâdem impuritatis tentatione impetiti, & unus reſiſtat tentationi, & perſeveret in caſtitate, alter verò ſuccumbat tentationi; nulla alia ratio iſtius diſparitatis eſt, ait, niſi quia iſte peccare voluit contra caſtitatem, alter verò in eâ perſiſtere, nec voluit ab eâ deficere : *Si aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua viſa unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quæ illam rem fecit in quo facta eſt? Neque enim pulchritudo illa corporis : nam eam non fecit in ambobus : quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus. An caro intuentis in cauſa eſt? Cur non & illius? An verò animus? Cur non utriuſque? Ambos enim & animo & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt, alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni & qualicumque ſuaſioni propria voluntate conſenſerit? Hanc igitur conſenſionem : hanc malam quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſtâ quæſtione tollatur, ſi eâdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat : alter idem qui fuerat, perſeveret : quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde niſi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio. Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo : ambobus pariter inſtitit occulta tentatio? Propriam igitur in uno eorum voluntatem malam, quæ res fecerit ſcire volentibus, ſi benè intueantur, nihil occurrit.* S. Auguſtinus ſupponens quòd iſti duo homines ſunt æqualiter diſpoſiti mente, vult innuere, quòd utriuſque anima tangitur æqualiter inſpiratione & gratiâ Divinâ alioquin non probaret id quod intendit, nimirum, quòd unius conſenſus tentationi, & alterius reſiſtentia eidem tentationi, non provenit niſi ex eorum voluntate : *Hoc exemplo*, dicit Coquæus ejus Commentator, *vult oſtendere voluntatem, & nihil aliud præter illam, cauſam eſſe malitiæ, vel mali affectus, quòd ſuperius inductione demonſtravit, quia non eſt natura aliqua ſuperior, neque inferior, nec etiam diabolus per ſuggeſtionem abſque proprio conſenſu : & concludit tandem; ipſam facultatem voluntatis, non quatenus natura eſt & bona, ſed quatenus eſt ex nihilo, cauſam eſſe mali effectus. Ponamus igitur duos ſimiliter affectos tentari ex intuitu alicujus pulchritudinis, etiamſi cætera paria ſint, & eodem modo afficiantur, fieri poterit ut unus ſequatur rationem rectam, & non conſentiat tentationi, quia bonum honeſtum ſibi proponit, alius verò ſequatur paſſionem & delectabile ſibi bonum proponat, & conſentiat tentationi: certè in illo qui conſenſit tentationi, non aliunde voluntas mala efficitur, quàm ex ſe ipſâ. & cùm ponatur indifferens ad conſentiendum, vel non conſentiendum, quod oſtendit quia uterque ponitur eodem modo affectus, & unus conſentit, alter reſiſtit tentationi, certè non aliunde quàm ex ſeipsâ voluntas determinatur ad conſenſum.* Atqui cùm unus ſuccumbat tentationi, & alter ei reſiſtat, & ambo ſint æqualiter adjuti gratiâ, conſequenter eſt concludendum, quòd ea eſt in uno efficax, in altero verò tantùm ſufficiens, quia non habet in eo effectum, quem poterat habere, defectu cooperationis ipſius qui non reſiſtit huic eidem tentationi. Eſt igitur certum juxta ſententiam S. Auguſtini, dari gratias ſufficientes.

d S. Aug. lib. 12 de Civit. Dei c. 6

Tota doctrina Adverſariorum noſtrorum ſuper hanc materiam duas partes includit. Quarum prima eſt, quòd ſubſtinent, quòd nunc, & in hoc ſtatu naturæ infirmæ, nulla eſt gratia interior, quæ non ſit efficax, & quod ſufficiens, de quâ ſic perſæpè ſermo fit in ſcholis, non eſt niſi phantaſma & chimæra. In ſecundâ, prætendunt quòd ſit hæreſis, ac ſuſtinere quòd Deus præparet omnibus hominibus gratias ſufficientes, quæ ſunt neceſſariæ ad non peccandum, & conſequenter ad operandam ſalutem. Propter hunc effectum, Auditores,

Calvi-

f Calvin. in Anti. 3. ad ſeſſ. 6. cita in quodam parvo Catech. Cathol.
g Synod. Dordrac. pag. 741.
h Ferrius orthod. cap. 13.
i Chamier tom. 3. l. 3. c. 5.

Calvinus f dicit; [Motus Spiritus ſancti ſic eſt efficax ut fidem ſemper gignat.] Nunquid non hæc eſt doctrina diſcipulorum Calvini ejuſdem, qui deciderunt in ſuâ Synodo Dordracenâ g, Quòd ſi agatur de motu interiori Spiritus ſancti, hæc diſtinctio gratiæ ſufficientis & efficacis non eſt recipienda: quia Spiritus ſanctus dat omnibus illis quos trahit, non ſolùm poteſtatem, ſed etiam effectum. Propterea omnes Miniſtri, qui poſt iſtam Synodum ſcripſerunt, ſuſtinent hanc magnam maximam, Nulla eſt gratia ſufficiens, quæ non ſit efficax. Ita Ferrius h, & Chamier i. Probationes & authoritates, quibus iſti hæretici conantur doctrinam iſtam ſtabilire; & rationes, quas allegant, fulciuntur omnes authoritate D. Auguſtini, præſertim verò duobus locis, quæ omnia alia includunt in ſubſtantiâ. Primus locus eſt iſte, ubi ſanctus iſte Doctor dicit: [Sic enim docet Deus eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt k, ſimul donans & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere l.] Atqui ille qui ſcit id quod debet agere, & qui illud non facit, nondum eſt inſtitutus à Deo ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem, ait Calvinus, non eſt inſtitutus ſecundum ſpiritum, ſed ſecundùm literam: prætendendo quòd D. Auguſtinus in primo illo loco jam citato, & in iſto ſecundo modò citando velit, quòd gratia ſemper abripiat conſenſum voluntatum noſtrarum, & quòd pertinaciſſimi quique eam nunquam renuant: Ecce verba D. Auguſtini: [Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur m.] Unde concludit hic Hæreſiarcha n, quòd nulla eſt gratia in hoc ſtatu naturæ infirmæ & languentis, quæ non ſit efficax. Sed ſi Calvinus mente ſanâ conſideraſſet hæc verba D. Auguſtini, vidiſſet quòd ſanctus iſte Doctor loquebatur de potentiâ & energiâ Divinæ gratiæ: immediatè enim pòſt ſubdit D. Auguſtinus; [Ideò quippe tribuitur: ut cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo Pater intùs auditur, & docet ut veniatur ad Filium o, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Prophetâ p prædicante promiſit. Sic quippe facit filios promiſſionis, & vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam q.] Sed in his omnibus nulla eſt violentia ex parte Dei, qui ſolùm corda demulcet humana ſuavitate gratiæ ſuæ potentis.

k ex Rom. 8. 28.
l D. Aug. lib. de Gratiâ Chriſti. c. 13.
m D. Aug. lib. de prædeſt. Sanct. c. 8
n Calvin. lib. de Prædeſt. pag. 696.
o ex Jo. 6. 45.
p ex Ezech. 11. 19.
q ex Ro. 9. 23.

Quoad illud, quod reſpicit alteram partem doctrinæ Adverſariorum noſtrorum contra eos qui ſuſtinent, Quòd Deus offert omnibus & ſingulis hominibus gratias quæ ſunt eis neceſſariæ ad ipſum non offendendum, D. Thomas s confundit Calvinum, dicens, [Lex nova, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.] Et iterùm, t [Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii ſui, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad eum poſſumus.]

s D. Th. 1. 2. q. 106 a. 2. ad 2.
t Idem lect. 1. in 1. Cor. 1.

Caſpenſis u dicit, [Neceſſariò affirmandum eſt, quædam auxilia hominibus conferri, quæ reipsâ non conſequuntur effectum: quædam verò quæ conſequuntur: & per conſequens quædam eſſe efficacia, & quædam ſufficientia, ſeu inefficacia. Hæc concluſio eſt de fide, contra hæreticos hujus temporis, omnino negantes hanc diviſionem; & exiſtimantes, eos qui moventur à Deo prævenienti auxilio, & excitatione, neceſſariò bonum operari: è contrà verò, qui non moventur tali excitatione, non poſſe operari: ac proinde omnem Divinam motionem verè eſſe efficacem; & nullam ſufficientem. Ita Calvinus x. Eſt etiam contra Pelagianos, ex alio capite, eandem diviſionem rejicientes, & aſſerentes: liberum hominis arbitrium eſſe ſufficiens auxilium perveniendi ad gratiam juſtificationis, & ad vitam æternam conſequendam: neque aliquod aliud auxilium ulterius requiri. Ita colligitur ex Auguſtino y. Contra utramque hæreſim eſt concluſio. Et prior pars probatur ex ſacris Literis. Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi z. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis a. Ex quibus ſatis conſtat, Deum quibuſdam hominibus auxilium, & facultatem conferre, ut convertantur, quos tamen non converti ipſa Scriptura teſtatur. Poſterior pars, ſcilicet, præter gratiam ſufficientem, quâ communiter omnes habent poſſe benè operari; potendam eſſe gratiam efficacem, quâ Deus paucioribus confert, non tantùm poſſe, ſed etiam velle operari: eſt etiam omnino certa, & colligitur ex doctrinâ Concilii Tridentini, & Sanctorum Patrum, & ex ſacrâ Scripturâ. Nam in Concilio Tridentino b definitur, Neminem juſtum poſſe ſibi aliquid certò promittere de perſeverantiæ munere, quod non eſt niſi à Deo. Ubi per donum perſeverantiæ, non intelligitur ſola poteſtas perſeverandi: quia in eodem Concilio c definitur: Omnes juſtos ex auxilio gratiæ, hanc poteſtatem habere. Ergo illa propoſitio intelligenda eſt de dono aliquo perſeverantiæ, per quod hominibus conferatur, non tantùm ut poſſint, ſed etiam ut velint perſeverare: hoc autem intelligitur per gratiam efficacem: quia hæc eſt donum & motio Dei, quâ voluntas applicatur ad volendum id quod poteſt.] Deinde, aliquas affert authoritates ex D. Auguſtino, & ex Scripturâ, quas omitto, propterea quòd non diſputent nobis Adverſarij noſtri gratiam hanc efficacem, ſed tantùm gratiam ſufficientem, quam nolunt admittere.

u Caſpens. Capuc. tract. de Grat. diſp. 3. ſect. 7.
x ex Calvin. lib. 1. Inſtit. c. 23.
y ex D. Aug. lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelag. c. ult.
z ex Iſai. 65. 2.
a Act. 7. 51.
b ex Con. Trid. ſeſſ. 6. cap. 13.
c Ibid. ex can. 22.

Stapletonus d ait ſuper hæc verba Calvini e, [Movet voluntatem Deus, non qualiter multis ſeculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſteà ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiare neceſſè eſt, Quem trahit, volentem trahit. Quo inſinuat Dominum porrectâ tantùm manu expectare, an ſuo auxilio juvari nobis adlubeſcat, &c. Hæc Calvinus, ut doceat Chriſti gratiam non ſanare eos, qui volunt ſanari, ut hoc Evangelium dicit, ſic videlicet ut operanti gratiæ cooperetur homo per ſuam voluntatem à Deo excitatam & adjutam; ſed ſanare eos quos gratia per ſeipſam efficax efficaciter ſanare vult. Primùm ſententiæ ſuæ abſurditatem & impietatem prodit ipſemet, dum disertè profitetur bis multis ſeculis aliter traditum & creditum fuiſſe. Fatetur ergo efficacem à ſeipsâ gratiam quam ponit, novellum eſſe, ſuique cerebri commentum.] Bellarminus f explicat hæc verba Calvini, & dicit: [Iſta autem multa ſecula intelligit, ut minimum ſpatium annorum ſupra mille & centum. Nam ſtatim ſubjungit, illud ergo à Chryſoſtomo toties repetitum, &c. Chryſoſtomus autem ante annos mille & centum floruit. Itaque vel adverſario teſte, ſententia noſtra non eſt à Scholaſticis Theologis introducta, ſed in veteri & verâ Chriſti Eccleſiâ celebrata, quod unum argumentum prudentibus hominibus ſatisfacere debuiſſet. Quid quòd non ſolùm ab annis mille, & centum, ſed etiam mille & quadringentis, atq; adeò ab initio Eccleſiæ

d Staplet. Fer. 6. Dom. 2. Quadrag. in Jo. 5. 6.
e Calvin. lib. 2. Inſtit. cap. 3. num. 10.
f Bellarm. lib. 2. de Grat. & Lib. Arb. c. 11.

ſiæ eadem hæc ſententia doceri ac recipi cœpit? Nam S. Ignatius in Epiſtolâ ad Magneſianos, non ſolùm in moralibus, ſed etiam in piis & ſanctis operibus liberum arbitrium agnoſcit, cùm ait: Si quis pietati ſtudet, Dei homo eſt; ſi impiè agat, diaboli eſt, non id factus per naturam, ſed per animi arbitrium. Et clariùs S. Ireneus g ſic loquitur: Non tantùm in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſervavit Dominus, dicens, Secundùm fidem tuam fiat tibi h: propriam fidem hominis oſtendens, quoniam ſuam habet ſententiam. Et propterea is qui credit ei, habet vitam æternam, & qui non credit Filio, ira Dei manet ſuper eum i. Item S. Cyprianus k hoc argumentum præfixit, credendi & non credendi libertatem in arbitrio poſitam. Idem l citans illud Joannis m, Vultis & vos abire? Servat, inquit, Dominus legem, quâ homo libertati ſuæ relictus, & arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe mortem appetit, vel ſalutem.] Proſequitur Stapletonus refutare Calvini ſententiam, [Dicit repudiandam eſſe hanc Chryſoſtomi ſententiam, Quem trahit Deus, volentem trahit. Et quare? Quia inquit, hoc modo inſinuat, Deum porrectâ tantùm manu expectare an ſuo auxilio juvari homo velit. Atqui ſi per porrectam Dei manum, prævenientem Dei gratiam intelligit Calvinus, quæ non ſolùm pulſat ad oſtium cordis, ſed & ſtat ad oſtium cordis parata ulteriùs adjuvare, ſi homo per conſenſum cor ſuum Deo aperuerit, per conſenſum, inquam, à Deo excitatum & adjutum, nihil abſurdi dicitur, Deum ſic paratâ manu expectare interdum an homo ab ipſo excitatus, auxilio illo Dei juvari velit. Hoc enim nihil aliud eſt quàm quod disertè Deus in Scripturâ n dicit: Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo, & ille mecum. Deus enim porrectâ manu gratiæ ſuæ, oſtium cordis humani pulſat, ac pulſando ſtat, id eſt, expectat utrùm aperiatur ei, id eſt, utrùm homo auxilio Dei oblato juvari velit, ut quæ fuit gratia præveniens, fiat gratia adjuvans: cooperante jam porrectæ gratiæ liberâ hominis voluntate. Et quia porrectâ hâc gratiæ Divinæ manu, Deoque expectante, an ejus gratiæ auxilio juvari homines velint, multi re verâ juvari nolunt, ſed, ut Paulus loquitur, Gratiæ Dei deſunt o, non cooperantes illi, nec eâ juvari volentes. Proptereà ad tales Scriptura p dicit, An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et q: Patienter agit Deus propter vos. Id eſt, propter omnes homines converſionē ſuā differentes. Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Apud hos enim omnes Deus, porrectâ manu expectavit, & diu expectavit, an auxilio ſuo juvari vellent. Si autem Calvinus per porrectā tantùm Dei manum, & per terminum illum reſtrictivum doloſè additum, intelligat docere Chryſoſtomum, aut alios Catholicos, homines à Deo ſemel per ſolam prævenientem gratiam excitatos (hæc enim eſt porrecta tantùm Dei manus) ulteriùs à Deo non adjuvari, ſed factâ illâ cordis excitatione Deum expectare an homines ſibi poſteà relicti, Dei pulſum ſequi velint, repudianda illa doctrina eſt, quaſi quæ nonniſi prævenientem Dei gratiam ponat, & gratiam Dei perpetuò adjuvantem neget. Quod certè nec Chryſoſtomus, nec ullus Catholicus unquam dixit. Omnes enim cum Auguſtino r docent, Ideò totum Deo dandum eſſe, quia hominis voluntatem adjuvat præparatam, & præparat adjuvandum. Præparat adjuvandam porrectâ manu: ſed prætereà adjuvat præparatam non retractâ manu, ſed ſtando ad oſtium, ut aperiatur ei.]

g S. Iren. li. 4 c. 72.
h ex Mat. 9. 29.
i ex Jo. 3. 36.
k S. Cypr lib. 3. ad Quirin. c. 52. nu. 97.
l ex eod. lib. 1 Ep. epiſt. 3. n. 34.
m ex Jo. 6. 67.
n ex Ap. 3. 20.
o ex Heb 12. 15.
p Rom 2. 4.
q ex 2. Pet. 3. 9.
r ex S. Aug. li. 2. de Peccat. Merit. & Remiſſ c. 17.

Bellarminus ſ citat S. Auguſtinum t dicentem, [Niſi quiſquam voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt. Quod in noſtrâ poteſtate eſſe poſitum, alio loco Dominus docet, ubi ait, Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum u. Quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt, mutare voluntatem: ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi detur à Deo, de quo dictum eſt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri x. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in poteſtate, quàm noſtra voluntas eſt, ſed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem.] Unde concludit Bellarminus, [Itaque ex ſententia B. Auguſtini, voluntas præparata per gratiam prævenientem, in poteſtate habet ſuâ ſtare, vel cadere, Deum ſequi vocantem, vel eidem pro arbitrio refragari.]

Catholici afferunt hæc loca Scripturæ ſacræ, [Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti y? Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis z.] Et, [Spiritum nolite extinguere a.] Adverſarii noſtri, ut ſe defendant contra iſta loca, quæ ſunt ſic formalia, reſpondent ad duo poſtrema, quòd S. Stephanus & S. Paulus non loquuntur niſi de gratiâ exteriori, quæ eſt gratia prædicationis, & cui fatentur quòd quotidie reſiſtitur. Quantùm ad primum locum, qui eſt Filii Dei loquentis apud S. Matthæum, Stapletonus c oſtendit, dari gratiam ſufficientem, quæ non eſt efficax, ſcribens contra Calvinum. Et Concilium Senonenſe congregatum ſub CLEMENTE VII. anno Domini M. D. XXVIII. decreto de libero Arbitrio, ait ſuper hæc tria loca Scripturæ, Quòd inſpiratio Dei quæ nos trahit, non eſt talis ut ei reſiſti non poſſit. Quoties enim Salvator voluit congregare filios Jeruſalem, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos, & ipſa noluit? Quòd S. Stephanus immeritò reprehenderet Judæos, quòd eſſent pertinaces, & quòd ſemper Spiritui ſancto reſtitiſſent: & quòd S. Paulus non deberet exhortari Theſſalonicenſes ad hoc ut non extinguerent Spiritum, ſi omnes inſpirationes Dei abriperent conſenſus noſtros modo invincibili.

Nonne dici poſſet quòd Deus amplectitur tutelam ſalutis noſtræ, & quòd ex omnibus gratiis, quas deſtinaverat ad operandam ſalutem noſtram nobis dare, facit veluti quoddam ſecluſorium, ut eas omnes ſimul effundat in corda noſtra, quando ap[...]iuntur, & ſe diſponunt ad ſuſcipiendas eaſdem g[...]es quas illis offert ſingulis? dicens ſingulis animabus Sponſabus ſuis, [Aperi mihi Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium d.] Super quæ verba ſic disertè loquitur de Ponte e, [Cùm ex parte animæ ſit quædam velut capacitas infinita ad recipiendum cuncta dona gratiæ, quæ ei Deus voluerit elargiri; ex parte verò Dei ſit etiam immenſa virtus & infinita bonitas, ſuorum donorum prout libet diffuſiva, continuò inquit animæ dilectæ, Aperi mihi Soror mea. Aperi cor tuum per conſenſum & præparationem ad mea dona recipienda: nam quantò magis te aperueris, & cor tuum dilata-

ſ Bellar. lib 6 de Grat & Lib. Arb. c. 11.
t S Aug. lib 1. Retract. c. 22.
u Matth. 12. 33.
x Jo. 1. 12
y Matth. 23. 37. ex 4. Eſd. 1. 30.
z Act. 7. 51.
a 1. Thes 5. 19.
c Staplet. Antidot. in Matth. 23. 37. nu. 47.
d Cant. 5. 2.
e de Pont. lib. 8. in Cant 5 & exhort. 9. parag. 1.

dilataveris, tantò intimiùs ad te intrabo, & amplior tibi conferam dona, quibus melior & ſanctior ſias. Subdit autem egregiè Nicænus f, quòd dum Sponſus inquit, Aperi, ſimul cum exhortatione ſuggerit, quemadmodum oporteat aperire oſtium, veluti præbens quaſdam claves, per quas aperiatur. Claves autem ſunt horum nominum ſignificationes, quæ clauſa aperiunt; nempe, Soror, & propinqua, & columba, & perfecta g. Si vis, inquit, aperire oſtium, & attollere portas animæ, ut Rex ingrediatur, oportet te meam fieri ſororem, faciendo voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt h, & appropinquare veritati, & adeò exactè eſſe propinquam, ut nullo intermedio disjungaris. Oportet etiam habere in naturâ columbæ perfectionem, & nullâ in re deficere; & eſſe plenam omni innocentiâ & puritate. Hæc ille. Habes ergo quatuor claves ad aperiendum cordis oſtium Deo tuo, quoties ad inſigne efficiendum opus te vocat. Prima quidem quæ omnes antecedit, eſt obedientia, quæ Chriſti perfectam ſororem, & fratrem conſtituit. Nam qui paratus eſt Divinis præceptis, & inſpirationibus obedire, ſtatim ac Dei vocem audit, januam cordis aperit, dicens Deo: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum i. Tu Domine pulſa, & ego per te illud aperiam. Altera clavis, eſt amica familiaritas, & converſatio cum Deo, quæ per unionem amoris ei ſemper appropinquat, & adhæret. Tertia verò, ſimplicitas intentionis inſtar columbæ ſoli Deo placere ſtudens in omnibus operibus ſuis, quæ plurima eſſe oportet, ut ſit etiam ſicut columba fœcunda, quæ ſingulis menſibus prolem creat: ita fructus Sanctorum operum ſicut lignum paradiſi ſingulis etiam menſibus ferat k, jugiterque ſua opera in Dei obſequium renovare ſatagat. Tunc ſupereſt quarta clavis, nempe puritas vitæ immaculatæ, quæ ab omni maculâ etiam levi quoad poſſit, ſe omnino vindicet, aut purget, immaculatum ſe cuſtodiens ab hoc ſæculo l, nec eſt cur deſpondeas animum: nam ipſa Sponſi vox, ejuſq; inſpiratio, ad hæc omnia vires præſtat. Nam dum hæc quatuor nomina refert, virtutem & ſanctitatem per ea ſignificatam, conferre decernit, auxilium opportunum ad eam obtinendam exhibendo.] Re autem verâ effectus eſt amoris ejus ac dare nobis auxilia neceſſitatibus noſtris ſublevandis opportuna, ſanare morbum violentum potentioribus remediis, & lætificare animas noſtras tot conſolationibus, quot opus eſt ad vincendos dolores quibus illæ appetuntur, ut confitebatur et David m, [Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.] Ipſe nos ſibi vult conciliare liberalitatibus & favoribus majoribus incomparabiliter quàm ſint favores & liberalitates mundi, & efficere ut oblectamentum ſenſibile reperiamus in adeptione noſtræ ſalutis æternæ. Non eſt aliquid impoſſibile Bonitati omnipotenti, quæ poteſt ex exiguo magna facere, æquè ac è nihilo, quæ ſibi complacet in elevandis pauperibus ſuper thronos, & quæ è magnis peccatoribus ſibi facit amplam materiam ut ſuper eos effundat immenſas miſericordias ſuas. Magdalena, [mulier quæ erat in civitate peccatrix n,] evadit prototypon charitatis, & pœnitentiæ: [Quoniam dilexit multùm.] Matthæus publicanus, deſerit negotiationem ſuam avaritiæ, ut ſequatur Dei Filium in eminenti paupertate, [Jeſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum o.] E perſecutore [Saulus p], Apoſtolus q] factus eſt, qui præ omnibus laboravit ad convertendum mundum, [Gratiâ Dei ſum id quod ſum: & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum r.] Tandem, Quotidie videntur ſimiles effectus bonitatis Dei cumulantis nos jugiter gratiis ſuis, ſive internis, ut motionibus Spiritus ſancti, ſive externis per prædicationem verbi ſui Divini, quas è ſufficientibus reddere poſſumus efficaces, cùm hoc in noſtrâ ſitum ſit poteſtate, ut ait D. Thomas s, [In natura humanâ eſt, ut mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi.] Sed heu! multi non conſentiunt gratiæ Dei corda ipſorum pulſanti, & alii nolunt credere verbo Dei, quod Spiritus ſanctus vult eos docere, [Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Ratio iſtius hæc eſt, quam dat Filius Dei: [Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis t.] Conſentiamus gratiæ Dei, & audiamus verbum ejus, & dabitur nobis gloria.

f ex D. Greg. Nic. ho. 15. in Cant. 5. 2.
g ex LXX
h ex Mat. 12. 50.
i Pſal. 107. 2.
k ex Apoc. 22. 2.
l ex Jacob. 1. 27.
m Pſal. 93. 19.
n Luc. 7. 37. &c.
o Matth. 9. 9.
p Actor. 9. 1.
q Ro. 1. 1.
r 1. Cor. 15. 10.
s D. Tho. 2. 2. q. 10. a. 1. ad 1.
t Jo. 8. 46. & 47.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Ipſe Pater amat vos quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.

Ioan. 16. 27. & 28.

PRoprium eſt corpori naturali attrahere ad ſe corpora, quibus præbere debet manſionem, quantùmvis ſint illa diſtantia ab ipſo, non quòd imprimat eis aliquam qualitatem, ſed quia eſt bonum, quod eis eſt congruum: & pro comperto eſt, [Sanctam civitatem Jeruſalem a,] quæ eſt manſio deſtinata ad æternam fœlicitatem noſtram, juxta verbum Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui aſcenſurus hac hebdomada in cœlū, ait Apoſtolis ſuis ſe vadere paratum ipſis habitaculum, [Vado parare vobis locum b,] debere attrahere ad ſe mentes noſtras, licèt quandiu ſumus in iſto mundo peregrini, ab eâ multùm diſtemus, eamq; ſalutare non poſſimus niſi ab hac valle miſeriarum, in quâ ſuſpiramus cum Apoſtolo c: [Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, nō nudi inveniamur d. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vitâ. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Audentes igitur ſemper, & ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino,

a Apoc. 21. 2. &c.
b Jom. 14. 2.
c 2. Cor. 5. 1. &c.
d ex Apoc 16. 15.

(per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.] Et in hoc ſtatu, in quo, ſicut dicit Dionyſius Carthuſianus e poſt eundem Apoſtolum, [Quoniam dum ſumus, id eſt vivimus in corpore iſto mortali, peregrinamur à Domino, id eſt, patriâ ſeparamur, atque à Deo diſtamus, converſando in valle lacrymarum, in carcere mortis, in gravi exilio,] dicere debemus cum Pſalmiſtâ f, [Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!] Certum eſt, inquam, quòd locus iſte felicitatis ſempiternæ debet attrahere mentes noſtras, cùm ſit bonum & unicum bonum quod nobis eſt conveniens, quodque Deus promiſit Moyſi, dicens, [Ego oſtendam omne bonum tibi g.] Et ſicut motus naturalis ita movet efficaciter corpus, quod ipſe recipere debet in ambitu ſuo, ut iſtud corpus impediri non poſſit quin illuc perveniat, non obſtantibus omnibus repagulis, quæ poſſent ipſi opponi; ſicut videmus quòd terra concutitur, non valens retinere aërem concluſum in ſinu ſuo, qui non eſt illius locus naturalis: ſic gloria, quæ eſt locus, propter quem vitam ſuſcepimus, [Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus h,] movere nos debet ſic efficaciter, ut quandiu diſponimus nos ad carpendam illius viam, non ſit aliquid quod ſiſtere poſſit nos, mundus, caro, aut quælibet creatura. Ad eam nobis pandet viam Sanctiſſima Virgo Deipara, ſi dixerimus ei, AVE MARIA.

e Dionyſ. Carthuſ. art. 5. in 2. Cor. 5. 6.
f Pſal. 119. 5.
g Exod. 33. 19.
h Prov. 16. 4.

Scimus quòd gloria nihil eſt aliud quàm complementum & perfectio omnis illius, quod incipitur perfecti & ſancti ſuper terrâ; ita ut ſi in cœlo ſit lux perfecta, [In lumine tuo videbimus lumen i:] Sol qui illuminat mentes Beatorum, [Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quē miſiſti Jeſum Chriſtum k:] & gloria conſummata, de quâ Pſalmiſta l dicit Deo, [Satiabor cùm apparuerit gloria tua:] Iſta lux gloriæ, & iſte Sol fœlicitatis debeant habere auroram ſuam & orientem ſuum; iſta lux debeat incipere lucere ex iſtâ vitâ; & ipſa eſt fides quæ eſt oriens iſtius luminis gloriæ, quæ fides ſic nobis eſt neceſſaria ut abſq; ea non poſſimus eſſe grati Deo, & conſequenter ſine eâ nequeamus adipiſci fœlicitatem: [Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit,] ait Apoſtolus m. Et poſt illum, Dionyſius Carthuſianus n: [Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Oportet namque habere habitum fidei, & interiorem actum ejus ad hoc ut opus ſit meritorium, quoniam fides dirigit intellectum ad finem ſupernaturalem. Unde Romanis dixit Apoſtolus o Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Credere enim oportet accedentem ad Deum, id eſt, colentem ſeu exorantem ipſum Deum. Quia eſt, hoc eſt, quòd Deus verè ſit unus Deus, cui maximè convenit eſſe p. Hoc tamen per naturalem rationem cognoſci poteſt, & multis Philoſophis ex proprii ingenii ſtudio patuit q. Nihilominùs credendum proponitur, quia communitas hominum cui providet Deus, non vacat hujuſmodi conſiderationibus de Deo. Credere quoque oportet, quòd & inquirentibus ſe remunerator ſit, id eſt, quòd Deus cultoribus ſuis mercedem impendat. Sine horum duorum fide nemo adultus unquam ſalvari potuit.] Si gloria eſt poſſeſſio & fruitio integra Dei, hæc fruitio in hâc vitâ debet incipere beneficio gratiæ, quæ nobis tribuit prærogativas paradiſi, & poſſeſſionem Dei; quia ille qui eſt in gratiâ, reperitur fœliciter in Deo, & hoc glorioſo potitur privilegio poſſidendi Dei in corde ſuo, [Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo r.] Sic gloria vocatur gratia conſummata, & gratia dicitur gloria inchoata. Si in gloriâ perfectè diligere debemus, hæc dilectio ſuas primas flammas emittere debet ex iſtâ vitâ, quia ille qui non amat, juxta [diſcipulum quem diligebat Jeſus s,] verſatur inter horrores & tenebras mortis, [Qui non diligit, manet in morte t.] Et conſequenter eſt incapax gloriæ, quæ eſt ſtatus vitæ, [Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata u. diliges x.] Alia prærogativa, quæ habetur in cœlo, eſt, quòd corpus omnino ſubjicitur voluntati & ſpiritui; & hæc ſubjectio debet incipere in hâc vitâ. Propterea D. Paulus y exhortatur nos propriis exemplis ſuis, æquè ac verbis, ut ſubjiciamus rationi corpus interventu mortificationis, cùm ait, [Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.] Debemus igitur habere in iſtâ vitâ principium omnis illius quod perficitur in gloriâ ad exemplum Jeſu Chriſti, qui non pervênit ad gloriam niſi mediis paſſionibus & tormentis mortis: [Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam z?] Ipſe nobis iter ad illam aperuit aſcenſione ſuâ, æquè ac paſſionibus ſuis & morte ſuâ, juxta vaticinium Michææ a: [Aſcendet enim pandens iter ante eos, divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.] Ipſe igitur viam nobis aperuit ad gloriam morte ſuâ. Intendo igitur monſtrare vobis in progreſſu diſcurſus iſtius, Quòd Jeſus Chriſtus mortuus eſt, reſurrexit, & aſcendit in cœlum pro omnibus & ſingulis hominibus, ut viam panderet illis ad gloriam.

i Pſal. 35. 10.
k Jo. 17. 3.
l Pſ. 16. 15
m Hebr. 11. 6.
n Dionyſ. Carthuſ. art. 11 in Hebr. 11. 6.
o ex Rom 14. 23.
p ex Exod 3. 14.
q ex Rom 1. 19. & 20.
r 1. Joan. 4. 16.
s Joan. 21. 20.
t 1. Joan. 3. 15.
u Matth. 19. 17.
x Matth. 22. 37. & 39.
y 1. Cor. 9. 27.
z Luc. 24. 26.
a Mich. 2. 13.
Propoſitio.

Jeſus Chriſtus mortuus eſt pro omnibus illis, quibus gratia ipſius offertur, cùm ea ſit merces & pretium ſanguinis ipſius: [Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt b. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit c.] Gratia offertur omnibus & ſingulis hominibus d, ut probavi vobis Dominicis iſtis præcedentibus: conſtat igitur quòd Jeſus Chriſtus mortuus eſt pro omnibus & ſingulis hominibus. Eccleſia e Sancta nos omnes & ſingulos obſtringit ad credendum id, quod ipſa quotidie recitat in Symbolo fidei noſtræ, nimirum, [In Jeſum Chriſtum, qui eſt paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus] propter ſalutem noſtram: ipſa vult igitur ut omnes & ſinguli Catholici in particulari id credant, & pro eo rependant gratias Salvatori ſuo, & in eo conſtituant omnes ſpes ſuas. Quòd ſi opinio contraria eſſet vera, & ſi Jeſus Chriſtus non eſſet mortuus, niſi pro aliquibus hominibus, ipſa non poſſet extendere hanc obligationem ſuper quemlibet hominem particularem abſolutè & ſine conditione, & nemo teneretur ei obedire, cùm non eſſet evidenter certus utrùm eſſet ex hoc exiguo numero illorum, pro quibus Jeſus Chriſtus Sanguinem ſuum fudit (juxta doctrinam Adverſariorum noſtrorum) nemo poſſet eum orare, aut appellare Redemptorem; nemo auderet eum diligere ſub hâc qualitate, aut ei gratias agere pro eo quòd dediſſet vitam ſuam, & habuiſſet hanc bonam voluntatem applicandi meriti paſſionis ſuæ pro ipſo, cùm nullam haberet de tali bonâ voluntate ejus erga ſe certitudinem; ſed præſertim horâ mortis ſuæ, nullâ conſolatione perfunderetur ex

b Jo. 1. 17
c 2. Cor. 5. 15.
d Iſai 53. & 4.
e Eccleſia ex Joan. 19. 1. & c.

morte

morte Dei ſui, & ex meritis paſſionum ejus.

f D. Aug. in Pſal. 95. 13.

D. Auguſtinus f ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, [Judicabit orbem terræ in æquitate,] dicit, quòd Jeſus Chriſtus erit Judex generalis omnium hominum abſque ullâ exceptione: [Judicabit orbem terrarum in æquitate. Non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.] Jeſus Chriſtus redemit igitur univerſos homines ſine aliquâ exceptione, cùm nullus ex illis ſit, cujus ipſe nō ſit Redemptor, ſicut nullus eſt, cujus ipſe non ſit Judex, quippe cui paſſiones redemptionis ipſius adeptæ ſunt gloriam ipſius ſupremæ poteſtatis judicandi: [Quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum g. Id eſt,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus h, [Univerſorum, qui vel ante finem mundi erunt defuncti, vel circa finem mundi invenientur, & in igne conflagrationis i morituri dicuntur. Porrò, in judicio duo conſiderantur. Primum, eſt authoritas judicandi, & illa tribus perſonis communis & una eſt. Secundum, eſt judicij executio, ſeu prolatio ſententiæ, quæ competit Chriſto ſecundùm naturam humanam, quā & ſuâ humiliatione ac paſſione promeruit. Propter quod ait, Poteſtatem dedit ei & judicium facere, quia filius hominis eſt k. Itemque, Neque enim Pater judicat quemquam, ſed judicium omne dedit Filio l.] Alioquin dicendum eſſet, quòd Jeſus Chriſtus futurus eſſet Judex omnium hominum generaliter abſque ullâ exceptione, quia ſolùm redemit aliquos ex omni genere hominum, quod eſt contrarium ratiocinationi D. Auguſtini, qui vult oſtendere Jeſum Chriſtum futurum Judicem omnium ſecundùm eandem totalitatem, juxta quam Redemptor fuit omnium, cùm qualitas Redemptoris ſit ipſi merita qualitatem Judicis; & omnes homines ſubjiciendos eſſe tribunali ejus, ſicut omnes homines redempti ſunt cruce illius, cùm illius juriſdictio & ejus redemptio formas ſint eaſdem habituræ, [Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.] Si autem aliquis non eſt è numero illorum qui redempti ſunt, quomodo erit è numero eorum qui judicabuntur? Si limites præfigatis amori ejus, conſequenter & terminos imponere debetis authoritati illius.

g Act. 10. 42.
h Dion. Carthuſ. art. 10. in Act. 10. 42.
i ex 2. Pet. 3. 10.
k Joan. 5. 27.
l ex Jo. 5. 22.

Cùm Jeſus Chriſtus mortuus fuerit pro omnibus hominibus, oſtendit in hoc potentiam ſuam, & bonitatem ſuam. Intuendum exhibet potentiam ſuam: cùm enim Dei Filius venerit pro omnibus, opus redemptionis ejus eſt perfectius. Et ſicut diabolus omnes homines fecerat ſervos in perſonâ Adæ, [in quo omnes peccaverunt m: Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati n:] ita omnes homines abſque aliquâ exceptione ſuſceperunt libertatem in perſonâ Jeſu Chriſti, [Quâ liberate Chriſtus nos liberavit o.] Et, [Libertati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ p.] Maxima gloria liberatoris eſt, videre quòd nullus è captivis excipiatur à liberatione ipſius: & maximus eſt pudor tyranni & uſurpatoris, intueri quòd omnes generaliter eripiantur è tyrannide ipſius, niſi fortè captivi illi afficiantur erga catenas ſuas, & diligant ſervitutem ſuam. Jeſus Chriſtus ibi magnificat bonitatem ſuam: non enim ſufficit oſtendere id quod potuit, niſi oſtendatur id quod voluit: non ſatis eſt monſtrare, pretium Sanguinis ejus eſſe ſufficiens omnibus, ſed inſuper eſt monſtrandum, quòd habuerit ipſe voluntatem applicandi illius omnibus. Propter hanc voluntatem devincti ſumus nos omnes Redemptori, & non ob ſolam poteſtatem redimendorum omnium noſtrûm: alioquin etiam eſſet Salvator dæmonum, cùm habeat poteſtatem ſalvandorum omnium illorum: ſed omnes homines abſque ullâ exceptione ſacrificare tenentur amorem ſuum Redemptori, ob hanc voluntatem generalem quam habuit ſalvandorum ipſorum omnium & ſingulorum, [nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti q.]

m Rom. 5. 12.
n Joan. 8. 34.
o Galat. 4. 31.
p Rom. 6. 18.
q 2. Petr. 3. 9.

Scriptura ſacra expreſsè docet iſtam veritatem, cùm loquens de Jeſu Chriſto, ait, [Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi r. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus ſ.] Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus t, [Unus enim Deus, utpote in eſſentiâ ſimplex, & in perſonis trinus, qui eſt Trinitas ſuperbenedicta, unus verus, ſimpliciſſimus Deus. Unus eſt & Mediator, id eſt, reconciliator & ſequeſter Dei Trinitatis & hominum, homo Chriſtus Jeſus cum utroque extremo conveniens, cum Deo ſecundùm naturam Divinam, & cum hominibus ſecundùm aſſumptam humanitatem. Eſtq; Mediator Dei & hominum, propriè loquendo, nec ut Deus, neque ut homo, ſed ut Deus homo, ſeu Deus incarnatus. Sic quippe competit ei & ſatisfacere, ſeu reconciliare, & idoneitas vel efficacia reconciliandi. Quorum primum convenit ei ratione aſſumptæ naturæ: ſecundum verò ratione Deitatis unitæ, ex quâ opera & pœnæ Chriſti hominis infinitam quodammodo dignitatem & efficaciam ſortiuntur, intantùm ut minima gutta Sanguinis ejus fuiſſet ſufficientiſſima ad totius humani generis liberationem.] Et Concilium Tridentinum u, [Etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ij duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.]

r 1. Joan. 2. 2.
ſ 1. Tim. 2. 5 & 6.
t Dion. Carthuſ. art. 2. in 1. Timo. 2. 5. & 6.
u Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 3.

Calvinus x cum diſcipulis ſuis impugnat hanc veritatem: explicans enim ſupradicta verba D. Joañis, [Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,] &c. ait, [Sub omnibus reprobos non comprehendit.] Sed D. Leo z illum mendacij inſimulat, cùm dicit, [Judas mortuo pro omnibus impijs Domino potuiſſet etiam fortè conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum.] Et D. Thomas a explicans ſupradicta verba D. Joannis, [Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,] ait, [Pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter; quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium: ſed non habet efficaciam, niſi in electis propter impedimentum.] Verum igitur eſt, quòd Deus vult ſalutem omnium hominum, & ſingulorum, cùm dederit eis Filium ſuum, [Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum b.] Qui mortuus pro omnibus & ſingulis illis, meritus eſt eis, & providet illis omnibus & ſingulis gratias quæ requirunt ipſorum cooperationem, & virtute quarum ſervare poſſunt Divina ipſius mandata, & mereri gloriam cœli: ſic non ſtat niſi per nos ut æternam fœlicitatem conſequamur: ut enim exprimat D. Paulus quomodo ardenter Deus noſtram voluerit ſalutem, & nihil omiſerit eorum quæ neceſſaria erant ad hoc ut ad exitum perduceret iſtam voluntatē, ait, [Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.] Cùm verbum iſtud, [omnibus,] non ſit ſine energiâ, & ſatis nitidè oſtendat univerſalitatem hominum abſque exceptione alicujus particularis. In quo ſignificat,

x Calvin. in 1. Joan. 2. &c.
z D. Leo ſerm. 11. de Paſſ. c. 3. ex Mat. 27. 5. &c.
a D. Tho. lect. 1. in 1. Jo. 2. 2.
b Rom. 8. 32.

quòd cùm Deus elegerit mortem Filij ſui, ut potentiſſimum medium ſalvandis omnibus & ſingulis hominibus opportunum, proculdubio vult etiam illorum ſalutem, nec poteſt velle media quæ tendunt ad hunc finem quin velit ut ille compleatur. Quòd ſi interim multi non ſalvantur, iſtud non eſt attribuendum voluntati Dei, nec bonitati mediorum quæ ipſe providit, cùm ad hunc eminentem effectum non pepercerit proprio Filio ſuo; ſed imputandum eſt illis, qui malâ voluntate ſuâ damnationem incurrunt æternam, eò quòd non reſponderint conſiliis Dei, & quòd non cooperati fuerint, ſicut debebant, gratiis quas mors iſta Salvatoris nobis merita eſt, & quæ illis non deerant. Per nos igitur ſolos ſtat, ſi non ſumus è numero eorum qui ſalvantur, cùm Deus nihil omiſerit ad hunc effectum ex parte ſuâ; & ſi multi non potiuntur hâc æternâ fælicitate, hoc attribuere debent perverſitati ſolius ſuæ voluntatis: [Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te: ſi nolueris

e D. Aug. ſerm. 31. ex novis.

eſſe, non eſt datus pro te,] ait D. Auguſtinus e. Salvator effudit Sanguinem ſuum pro omnibus hominibus, ait iſte Sanctus Doctor immediatè antè, [Habuit ille ſanguinem, unde nos redimeret: & ad hoc accepit Sanguinem, ut eſſet quem pro nobis redimendis effunderet.] Ad nos ergo ſpectat velle cooperari gratiis, quas iſte Sanguis nobis meritus eſt ad operandam ſalutem noſtram: quòd ſi quis nolit eis cooperari; [Sanguis Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti ſupplicium,] dicit conſequenter idem D. Auguſtinus. Et D. Proſper d

d D. Proſp. lib. 2. de Voc. Gent. c. 28

e ex 1. Tim. 2. 4.

diſcipulus ejus conformiter ad doctrinam Magiſtri ſui ait: [Fit manifeſtum, quòd diverſis atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire e: Sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, ſuâ pertinaciâ reluctantur.] Et in Reſponſionibus f adversùs calumniatores doctrinæ ejus,

f D. Proſp. lib. 1. Reſponſ. pro B. Aug. c. 1.

dicit, [Quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicuntur redempti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus Princeps mundi miſſus eſt foras g, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti.

g ex Jo. 12. 31.

Cujus mors non ita impenſa eſt humano generi ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: ſed ita ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare Sacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtrâ & virtute Divinâ, habet quidem in ſe ut omnibus proſit: ſed ſi non bibitur, non medetur.]

Filius Dei igitur mortuus eſt pro omnibus & ſingulis hominibus, ut patet ex prædictis: ſed etiam pro omnibus & ſingulis iiſdem hominibus

h Marc. 16. 6. & 19.

[ſurrexit, & aſſumptus eſt in cœlum h.] Hæc conſequentia eſt neceſſaria, Salvator mundi mortuus eſt, reſurrexit, & aſcendit glorioſus in cœlum pro omnibus & ſingulis hominibus: ergo omnes & ſinguli homines, qui erunt uniti ei per fidem & per charitatem, poſt mortem & reſurrectionem ſuam, illuc aſcendent glorioſi ſicut ille: [Et mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur: ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviàm Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus,] ait D. Paulus i. Et D. Dionyſius Carthuſianus k, [Et mortui qui in

i 1. Theſſ. 4. 16. & 17.

k Dion. Carthuſ. a. t. 4. in 1 Theſſ. 4. 16. & 17.

Chriſto ſunt, id eſt, qui interim in Chriſto per mortem quieverunt, reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus, id eſt, qui tunc vivi invenientur; qui relinquimur, id eſt, qui uſque ad diem illum in vitâ dimittentur, & reſidui erunt; ſimul, id eſt, pariter & eodem momento rapiemur ab Angelis cum illis qui ante nos quieverunt, in nubibus quæ nos ſuſcipient, ſicut Chriſtum aſcendentem nubes ſuſcepit l; obviàm Chriſto in aëra, quia & nos in

l ex Act. 1. 9.

aërem transferemur, ſive levabimur, & Chriſtus deſcendet in aërem ſuper vallem Joſaphat. Propter quod apud Matthæum m inducitur, Mediâ

m Matth. 25. 6.

nocte clamor factus eſt, Ecce Sponſus venit, exite obviam ei. Unde in Joële n Deus loquitur, Con-

n Joël. 3. 12.

ſurgant & aſcendant Gentes in vallem Joſaphat: quia ibi ſedebo ut judicem omnes Gentes in circuitu. Et ſic ſemper, id eſt, æternaliter cum Domino erimus in patriâ, prolatâ illâ ſententiâ, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi o.] Cùm

o ex Matt. 25. 34.

p Luc. 1. 18.

q Luc. 2. 7. &c.

conceptio p, nativitas q, vita, paſſio, mors, reſurrectio, & aſcenſio Jeſu Chriſti nullum alium finem habuerint niſi glorificationem omnium & ſingulorum hominum. Quare oportuit ut Filius Dei reſurgeret & aſcenderet in cœlum? Præcipua iſtius ratio, & ea ad quam omnes aliæ poſſunt reduci, eſt, quòd juſtitia Dei id exigebat. Deus eſt juſtus, [Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit r.] Et ita juſtus eſt ut etiam dæmoni juſti-

r Pſ. 10. 7.

tiam cuſtodiat: licèt enim poſſit homines authoritate abſolutâ è manibus illius, ſeu ex illius tyrannide eruere, hoc tamen non vult: & quia crudelis hic hoſtis generis humani aliquod jus erat adeptus ſuper hominem, cùm homo voluntariè ſe ſubjeciſſet imperio illius, [Quia omnis qui facit peccatũ, ſervus eſt peccati ſ:] &, [Magnus dæmon

ſ Joan. 8. 34.

t D. Chryſ. hom. ex c. 9. Matth.

peccatum eſt,] ait D. Chryſoſtomus t: Deus non vult hominem eruere ex hâc moleſtâ ſervitute præ violentiâ, ſed præ juſtitiâ vult conſtituere dæmonem in arce ſuâ: quòd ſi Deus juſtitiam ſervet ipſi dæmoni, quantò magis reddere debet illam proprio Filio ſuo: atqui juſtitia conſiſtit in quâdam æqualitate, quæ reperitur cùm unuſquiſque habet id quod ſibi debetur, ſive quantùm ad animam, ſive quantùm ad corpus: oportet igitur ut Deus ad hoc ut ſit juſtus, tribuat corpori & animæ Salvatoris id, quod illis debetur ad utriuſque ſummam perfectionem & complementum. Sed quidnam debetur animæ Jeſu Chriſti? Plenitudo omnium gratiarum, & totius gloriæ, propter hypoſtaticam ipſius unionem verbo Divino: & hæc juſtitia fuit illi reddita vel ipſo Incarnationis momento, cùm Jeſus Chriſtus non minus gratiæ & gloriæ poſſideret in ſinu Matris ſuæ, quàm poſſideat [in ſinu Patris u.] Præterea, Quia hæc a-

u Jo. [illegible]

nima divinitùs humana & humanitùs Divina uniri debet corpori, debetur ei corpus congruum & adæquatum gloriæ ipſius: & ideò ſicut hæc anima eſt glorioſa, debetur ipſi corpus glorioſum: iſtud eſt juſtum & conforme legibus gloriæ. Quòd ſi per ſpatium aliquanti temporis, hæc anima glorioſa non informavit corpus glorioſum, hoc actum eſt ſupremâ diſpenſatione Divinæ Sapientiæ, præ miraculo amoris. Ubi, ſi placet, obiter obſervare Divinæ dilectionis adinventiones, ut ſe manifeſtet hominibus: cùm enim amor ubique faciat uniones, ut ait D. Dionyſius x, [Dimovet de ſtatu divinus Amor, nec ſuos eſſe aman-

x D. Dio. lib. de Div. No. c. 4.

tes

Digitized by Google

res partiatur, ſed eorum etiam quæ amantur; videtur è contrà complacere ſibi in faciendis diviſionibus & ſeparationibus intuitu Chriſti, privans corpus ejus gloriâ, quæ debebatur ei, ipſumque ſeparans ab animâ ſuâ interventu mortis crudelis, ſed amantiſſimæ. De cætero tamen ut juſtitia reddatur, tribuendum eſt huic animæ corpus glorioſum, & huic corpori præbenda eſt felicitas conformis majeſtati ſubſtantiæ unitæ hypoſtaticè Verbo Divino. Sed quia corpus eſt, & debetur ipſi locus congruus gloriæ ipſius, ſicut eſt primum & nobiliſſimum omnium corporum, quippe quod [natum eſt de Spiritu Sancto y:] requirit primum & auguſtiſſimum omnium locorum: atqui certum eſt, auguſtiſſimum & magnificentiſſimum omnium locorum non eſſe terram: ſi in eâ immoratus poſt reſurrectionem ſuam, in eâ non ſiſtit niſi per exiguum tempus, [Per dies quadraginta z.] Terra eſt locus corruptionis; & corpus iſtud debet eſſe incorruptibile, [Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem a.] Terra eſt locus exilii, corpus autem iſtud communicare debet animæ ſuæ ſplendoribus: ita ut verum ſit igitur quòd juſtitia requirebat ut Salvator reſurgeret, & elevaretur ejus [Magnificentia ſuper cœlos b.] Cùm illud eſſet corpus Dei, quid juſtius quàm ut tale corpus elevaretur ad hanc gloriam, corpus informatum animâ nobiliſſimâ omnium earum quæ unquam fuerint, aut futuræ ſint? Et ſi corpus ſequi debet conditionem animæ; ſicut anima Jeſu Chriſti eſt infinitè ſupra omnes ſpiritus, nonne æquum erat ut corpus ejus reſurgeret glorioſum, & elevaretur [ſupra omnes cœlos c?] Et ſi res quas legitimè acquiſivimus, & juſtè meriti ſumus, nobis debentur omni genere juris, gloria triumphantis reſurrectionis & aſcenſionis nunquid non juſtè debebatur corpori, quod ipſam toties meruerat paſſionibus ſuis mediis? cùm gloria corporis Jeſu Chriſti ſit fructus crucis & mortis ipſius, juxta iſtud verbum D. Pauli d, [Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.] Ego autem dico, Auditores, quòd eadem ratio quæ tribuit Jeſu Chriſto jus reſurgendi & aſcendendi glorioſè in cœlum, evidenter oſtendit, quòd omnes & ſinguli homines qui ſunt uniti eidem Filio Dei per gratiam, debent etiam neceſſariò reſurgere glorioſi, aſcendere in cœlum, & communicare felicitati ejus. Iſtud exigit juſtitia Dei: quia ſi Deus ipſemet juſtum judicat ut corpus Filii ſui, quia Filius ſuus eſt, reſurgat, & elevetur ſuper cœlos, peto, Eccleſia, cujus membra ſumus, eſtne minùs corpus Chriſti quàm illud quod reſurrexit, & aſcendit ſuper aſtra? Nequaquam: [Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus e. Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens f.] Et ſi ita res ſe habet, nonne dicendum eſt, quòd corpori iſti myſtico debetur gloria ſimilis ei, quæ impenſa eſt corpori Jeſu Chriſti naturali?

y Matth. 1. 20.
z Act. 1. 3.
a Pſ. 15. 10.
b Pſ. 8. 2.
c Epheſ. 4. 10.
d Philip. 2. 8. &c.
e Epheſ. 5. 30.
f Coloſſ. 1. 18. & ex Apoc. 1. 5.

Dico aliquid amplius: Si intueamur dilectionem & æſtimationem quâ Dei Filius afficitur erga ſecundum corpus iſtud quod eſt Eccleſia, dici poſſet abſque temeritate, quòd Pater æternus magis ſatagere debet ut hoc glorificetur, quàm illud, cùm evidens ſit, quòd Jeſus Chriſtus magis dilexerit, & majoris æſtimaverit corpus ſuum myſticum quàm corpus ſuum naturale, cùm iſtud dederit pro illo, [Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis g.] Præterea, Si corpus naturale Filii Dei reſurgere debet, & elevari ſupra cœlos, quia eſt informatum animâ glorioſâ: dico audacter, Jeſu Chriſti corpus myſticum, quod eſt Eccleſia, eſt informatum animâ glorioſiori. Corpus Filii Dei naturale eſt informatum animâ reverâ excellenti, ſed animâ tamen creatâ, ſed ſpiritu creato: at anima informans corpus Eccleſiæ, ſpiritus illud animans, & illud movens, ut principium operationum ejus, eſt Spiritus ſanctus, & ipſemet Deus, ſicut ipſe Dei Filius dicebat Apoſtolis ſuis, & in eorum perſonâ omnibus fidelibus, [Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem h.] Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus i, [Non ſimpliciter omnem, ſed omnem de quâ nunc loquor; videlicet omnia quæ habeo vobis dicere ad veſtram ſalutem, atque Eccleſiæ inſtructionem, quomodo dixi, Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis k. Hoc fuit in die Pentecoſtes l impletum, quando Spiritus Domini replevit m primitivam Eccleſiam in omnibus ad ipſam ſpectantibus.] Inſuper, Si corpus Filii Dei naturale tantam gloriam præ ſe fert, eò quòd formatum fuerit à Spiritu ſancto è ſanguine B. Virginis, [Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt n:] corpus myſticum Eccleſiæ nunquid non hoc habet magis ut formatum ſit manu ejuſdem Spiritus ſancti, non è ſanguine Virginis, ſed è Sanguine Chriſti? [Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis o.] Tandem, Si gloria & honor triumphantis reſurrectionis & aſcenſionis debentur corpori Jeſu Chriſti, quia hanc gloriam & honorem iſtum ſibi comparavit mediis paſſionibus & tormentis ſuis, [Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam p?] non vereor dicere, quòd corpus myſticum Eccleſiæ magis participat merita paſſionis Jeſu Chriſti, quàm corpus ipſius naturale. Si Filius Dei mortuus eſt, non ideò præcipuè ut mereretur gloriam ſuam ſacro corpori ſuo; hæc gloria debebatur ei aliis titulis; Dato quòd Jeſus Chriſtus non mortuus eſſet, non deſtitiſſet proptereà conſequi gloriam ſuam: mortuus eſt principaliter pro Eccleſiâ ſuâ, & ut mereretur ei poſſeſſionem paradiſi, [Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ: ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata q.] Poſt hæc judicate, num Eccleſia, id eſt, omnes fideles qui eam componunt, cum Eccleſia non ſit aliud niſi omnium fidelium congregatio, jus non habeat videndi ſe aliquando glorioſè ſuſcitatam, & ſuper cœlos exaltatam. Anima Chriſtiana, quæ es membrum corporis myſtici Eccleſiæ, judica num ſpes tuæ non ſint ſolidè fundatæ, cùm ſperas te viſuram aliquando Solem, Lunam, & ſtellas ſub pedibus tuis, cùm illæ fulciantur meritis vitæ, paſſionis, mortis, reſurrectionis, & aſcenſionis Jeſu Chriſti qui mortuus eſt, reſurrexit, & aſcendit in cœlum pro omnibus & ſingulis hominibus.

g Epheſ. 5. 2.
h Joan. 16. 13.
i Dion. Carth. art. 39. in Joan. 16. 13.
k Joan. 15. 15.
l ex Act. 2. 2. &c.
m ex Sap. 1. 7. & ex Iſai. 6. 3.
n Matth. 1. 20.
o D. Aug. Conc. 4. in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34. & ex Gen. 2. 22.
p Luc. 24. 26.
q Epheſ. 5. 25. &c.

Ecce Filius Dei mortuus, ſuſcitatus, & elevatus in cœ-

in cœlum, ut nos omnes & ſingulos redderet glo-
rioſos inſtar ſui ipſius: debemus nos omnes & ſin-
gulos ei & totum quod ſumus pro eo quòd nos
r Gen. 1. 27. creaverit [ad imaginem & ſimilitudinem ſuam r.]
Quid poſſumus ei retribuere pro eo quòd nos re-
creaverit per redemptionem ſuam ? ut ait S. Pe-
ſ 1. Petr. 1. 18. &c. trus s nobis, [Scientes quòd non corruptibilibus
auro vel argento redempti eſtis de vanâ veſtrâ
converſatione paternæ traditionis : ſed pretioſo
ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incon-
taminati, præcogniti quidem ante mundi conſti-
tutionem, manifeſtati autem noviſſimis tempori-
bus propter vos; qui per ipſum fideles eſtis in Deo
qui ſuſcitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam,
ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo.] Benedicamus
t 1. Petr. 1. 3. &c. eum, dicentes cum eodem S. Petro t, [Benedictus
Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſe-
cundùm miſericordiam ſuam magnam regenera-
vit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu
Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorrupobi-
lem & incontaminatam, & immarceſcibilem,
conſervatam in cœlis in nobis, qui in virtute Dei
cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam reve-
lari in tempore noviſſimo.] Propterea dicebat
u Pſ. 115. 3. Pſalmiſta u intuitu beneficiorum ſic ingentium,
[Quid retribuam Domino pro omnibus quæ re-
x Hug. Card. in Pſ. 115. 3. tribuit mihi ?] Et poſt eum Hugo Cardinalis x,
[Quid ergo retribuam Domino pro omnibus
quæ retribuit mihi, id eſt, iteratò & multoties tri-
buit ? In creatione enim noſtrâ tribuit nos nobis,
& omnes creaturas quæ factæ ſunt propter homi-
nem. In recreatione autem dedit nobis ſeipſum
Filius, ſeu Pater Filium. Et hæc fuit retributio, id
eſt, iterata tributio. Super hoc dicit beatus Bernar-
dus. Si totum me debeo pro me facto, quid ad-
dam pro me refecto, & ſic refecto? Nec enim tam
facile fuit reficere, quàm facere. Quia ipſe dixit,
y Pſ. 148. 5. & facta ſunt y. In refectione autem & fecit mira,
& pertulit dura, nec tantùm dura, ſed & indigna.
In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe mihi
reddidit: Datus ergo & redditus, me pro me bis
debeo; quid Deo retribuam pro ſe ? Nam etiamſi
millies me rependere poſſem, quid ego ſum ante
Deum ?] Et tamen Deus, Auditores, miſeretur
impotentiæ noſtræ; licèt non poſſimus illi redde-
re æquivalens ei quod ipſe nobis dedit, ipſi tamen
fit ſatis, dummodò ipſum diligamus, & offeramus
ipſi ſacrificium cordis noſtri, ſicut ipſe Patri ſuo
obtulit ſacrificium vitæ ſuæ pro nobis, ut ait idem
z S. Bern. ſerm. de Paſſ. Dom. S. Bernardus z, Deum ſic alloquens, [Gratias tibi,
Pater, referat omnis lingua pro ſuperabundantiâ
bonitatis tuæ, qui unico Filio cordis tui non pe-
a Ex Rom. 8. 32. percisti, ſed pro nobis omnibus illum tradidiſti a
in mortem, ut eum tanquam fidelem Advoca-
b Ex 1. Joan. 2. 1 tum b coram te haberemus in cœlis. Et tibi, Do-
mine Jeſu fortiſſime Zelotes c, quid gratiarum re-
tribuam, ut dignè retribuā ego homo pulvis d, &
vile figmentum? Quid enim pro meâ ſalute facere
c Ex Exod. 20 5. debuiſti, & non feciſti e ? Ab imo pedis uſque ad
ſummum verticis f te totum in aquas paſſionum
d Ex Gen. 3. 19. demerſiſti, ut me totum extraheres de illis, & in-
traverunt uſque ad animam tuam g. Nam & ani-
mam tuam in mortem perdidiſti h, ut meā perdi-
e Ex Iſa. 54. tam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obli-
f Ex Job. 2. 7 gaſti. Nam & pro eo quòd dediſti tuam, debitor
tibi ſum; & pro meâ quidem animâ bis à te mihi
g Ex Pſ. 68. 2. datâ, ſemel in creatione, & ſemel in redemptione,
quid magis juſtè tibi reddam quàm ipſam, non ha-
h Ex Iſai. 53. 12. beo. Pro tuâ autem animâ ita contribulatâ, quid
ab homine dignè rependi poſſit non invenio.
Nam etſi cœlum & terram, & omnem ornatum
eorum pro eâ poſſem rependere, certè nec ſic uſ-
que ad menſuram debiti ullatenus attingere poſ-
ſem. Ut autem ipſum quod & debeo, & poſſibile
mihi eſt, retribuam, tui Domine muneris eſt. Dili-
gendus es, mi Domine, toto corde, totâ animâ, to-
tâ virtute i, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro i Ex Luc. 10. 27.
me mori dignatus es. Et quomodo fiet iſtud in
me niſi per te ? Adhæreat anima mea poſt te, k k. Ex Pſ. 62. 9.
quia tota virtus ejus pendet ex te. Et nunc, Domine
Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te
confido, in te ſpero, & quibus poſſum deſideriis
ad te ſuſpiro, adjuva imperfectum meum. Ad tuæ
paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem me-
am operatus es l, totum me inclino. Tuæ victo- l Ex Pſ. 73. 12.
rioſæ crucis Regale vexillum in nomine tuo, Chri- m Ex Joan. 19. 2. &c.
ſte, adoro. Tuum ſpineum diadema m, tuos ru-
bentes ſanguineos clavos, tuo ſacro lateri immer-
ſam lanceam, tua vulnera, tuum ſanguinem, tu-
am mortem, tuam ſepulturam, tuam glorioſam &
victorioſam reſurrectionem & glorificationem,
Chriſte, ſupplex adoro & glorifico.]

Præceperat aliàs Deus, ut ille qui offenderat a-
lium, tot teneretur ſuſtinere plagas in corpore ſuo,
quot inflixiſſet vulnera corpori inimici ſui, ut pœ-
na adæquaret injuriam, & ſatisfactio reſponderet
crimini, [Qui irrogaverit maculam cuilibet civi-
um ſuorum: ſicut fecit, ſic fiet ei: fracturam pro
fracturâ, oculum pro oculo, dentem pro dente re-
ſtituet: quam inflixerit maculam, talem ſuſtine-
re cogetur n.] Per iſtam legem ſuſtinere tenemur n Levit. 24 19. & 20.
tot approbria quot [opprobriis o] ſaturatus eſt Je-
ſus, exponere corpus noſtrum perforandum [ſpi- o Thren. 3. 30.
nis,] clavis, & [lanceâ p] Salvatoris, ut ſinguli è
nobis offeramus ei ſacrificium vitæ noſtræ, cùm p Joan. 19. 2. &c.
illi fuerimus crudeliores Judæis, & cùm vitam a-
miſerit manibus noſtris ſacrilegis ſæviùs quam
manibus carnificum ſuorum, ut ait Pater æternus,
[Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et ipſe
peccata multorum tulit q.] Sed ipſe parcere vult q Iſai. 53 8. & 12.
ſanguini noſtro, efflagitando cor noſtrum tan-
tùm, dicens nobis ſingulis, [Præbe, fili mi, cor tu-
um mihi r:] & præcipiens nobis ut amor ſit pre- r Prov. 23. 26.
tium ſuppliciorum ſuorum. Peccator, ama Sal-
vatorem tuum, & ipſe contentus eſt omnibus vul-
neribus, quæ ipſi inflixiſti, denigrando etiam ho-
norem ipſius, horribilibus blaſphemiis tuis, & ju-
ramentis; & ſi vis ipſum diligere, ipſe pollicetur ti-
bi, ſe nunquam tibi improperaturum injurias quas
ipſi irrogaſti, & poſt tranſactam vitam tuam inter
impietates quæ moliuntur jacturam tuam, &
ipſum offendunt, ſi tamen ad ipſum vis reverti, ſua
brachia aperit ut te recipiat, & libentiſſimè recipi-
et reſiduum vitæ tuæ, licèt exiguum, poſt impen-
ſum à te florem & fructum ejuſdem vitæ tuæ ini-
mico tuo. Ha! quomodo non diliges eum, qui
nulli vacavit actioni per totam vitam ſuam, quam
ſervitio tuo non conſecraverit ? Ipſe fuſti moti-
vum omnium paſſionum ipſius, quæ nullam in-
dulſerunt ipſi remiſſionem toto vitæ ipſius curri-
culo: ha! fierine poterit ut te tædeat illi tribuere
id quod ſupereſt vitæ tuæ ? Vix cœperat vitâ frui,
cùm ſe diſponebat ad amittendam illam propter
amorem tuum, effundens Sanguinem ſuum in cir-
cumciſione ſuâ [poſtquàm conſummati ſunt dies
octo s] à nativitate ipſius; tu verò poſt quadragin- ſ Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.
ta aut quinquaginta annos tranſactos inter vo-
luptates tibi prohibitas, jam capulo vicinus, hac
ultima vitæ tuæ periodo non offeres ei victimam
cordis tui? ha! dediſti juventutem tuam, & primi-
tias ætatis tuæ deſideriis & concupiſcentiis carnis
tuæ; tribue ſaltem Jeſu Chriſto infirmitatem ætaſ-

tus

tis quæ tibi ſupereſt; prodigus fuiſti virium tuarum ad obediendũ ſenſibus & dæmonibus, noli eſſe avarus infirmitatis quæ tibi ſupereſt, erga Jeſũ Chriſtũ qui requirit, illã à te; noli renuere ei illud quod habes adhuc dierum, qui ſunt non ſolùm minima portio vitæ tuæ, ſed etiam peſſim a; & ora illum ut trahat te, ad hoc ut poſſis te ei conſecrare, dices ei, [Loquere Domine, quia audit ſervus tuus t.] Præcipe, & conabor adimplere præ voluptate id, quod deſidero continuare in gloriâ paradiſi.

t 1. Reg. 3. 9.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Viri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cælum? Eccleſia ex Act. 1. 11.

VAnitas quæ videtur incepiſſe ſemel ita ut nunquam ſit terminanda, & cujus progreſſus perſæpè ſunt æquè infelices, ac ipſius principia fuerunt ardentia, affectat ſemper ſe producere ſeque exhibere, & novas reperire jugiter adjuventiones, ut ſuis meliùs faveat conſiliis ambitioſis: propterea Imperatores Romani ſuum faciebant aliàs ingreſſum Romam totius orbis matrem, & affectabant intuendam exhibere aliquam ſingularitatem, cujus novitas poſſet ipſis admiratione conciliare: ſic Veſpaſianus victor rediens de Judæâ, deferendam ſategit in triumpho ſuo plantam balſamum ut rem rariſſimam, & quæ nunquam usque ad illud tempus viſa fuerat in hâc famoſâ civitate: eſt enim, ut ait Calepinus a, [Balſamum, arbuſcula uni terrarum Judææ quondam conceſſa, viti ſimilior, quàm myrto.] Salvator noſter, Auditores, licèt agat ob alia principia, & omnes actiones ipſius ſint inſtructiones omnigenarum virtutum admirabiles, ſe tamen accommodat ad hanc antiquam conſuetudinem victorum, nedum tamen communicet illorum vanitati: [Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ, à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris b.] Sic ingrediens hodiernâ die victor & triumphans in cœlum, intuendam exhibet Angelis raritatem nondum viſam in illo loco beatitudinis, nimirum plantam balſamum, quæ planta non non eſt alia niſi humanitas ſua, ſic vocata ab ipſo apud Eccleſiaſticum c, [Sicut balſamum aromatizans dedi ſuavitatem odoris.] Grande gaudium omnibus incolis cœli, videntibus ibi talem novitatem: magnus favor & honor ingens hominibus, quòd ipſorum natura ſit elevata ad dexteram Dei ſupra omnes choros Angelorum, quandiu ipſorum [Dominus Jeſus aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei d.] Et immenſa gloria eidem Jeſu Chriſto pro eo quòd ipſius [elevata eſt magnificentia ſuper cœlos e.] Ut meliùs interſimus huic triumpho, & meliùs aſcendamus cum Jeſu Chriſto triumphante, deſeramus, Auditores, id omne quod habemus grave & materiale, purificemus mentes noſtras, corda noſtra, & affectus noſtros ab omni eo quod eſt terrenum, ut meliùs contemplemur eum in aſcenſione ipſius glorioſâ. Ut autem conſilium noſtrum nobis ſuccedat ad deſiderium, auſcultate, ſi placet, monitum ſalutare, quod ſubminiſtro vobis, ne ſcilicet appropinquemus ad montem Olivarum, unde Jeſus Chriſtus aſcendit in cœlum, & ubi adeſt B. Virgo Mater ejus, quin priùs reverenter dixerimus ei, [Ave Maria.]

a Calep. Dictio. V. Balſamum.
b Iſai. 55. 8. & 9.
c Eccli. 24. 20.
d Marc. 16. 19.
e Pſ. 8. 2.

Glorioſa ſolemnitas hodierna facit conſummationem fortunatam omnium aliarum ſolemnitatum, & limites imponit felices toti itinerario & omnibus peregrinationibus Filii Dei ſuper terram: ille enim qui deſcendit aliàs è cœlo in terram [ubi venit plenitudo temporis f,] ipſemet hodie in cœlum aſcendit, & facit quaſi circulum totius vitæ ſuæ, eò rediens per gloriam, unde exiverat per amorem, [Exivi à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem g.] En circulus reditus ipſius. Dei Filius quatuor magnas peregit itinerationes. Prima, fuit è cœlo in terram, cùm venit aſſumptum carnem humanam [in utero h] B. Virginis, [Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Mariâ Virgine, & homo factus eſt,] canit Eccleſia poſt Concilium Nicænum. Secunda, fuit è mundo iſto ad infernum, [Deſcendit ad inferos,] ait Symbolum Apoſtolorum. Et S. Paulus i, [Deſcendit in inferiores partes terræ. Id eſt, ad Limbum Patrum, qui eſt ſecus infernum ſitum in medio terræ. Inde enim captivam duxit captivitatem k,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus l. Et hoc eſt quod ei prædixerat Iſaias m, [Ut diceres his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini.] Tertia, fuit ab inferis redeundo in mundum, cùm relato de Poteſtatibus infernalibus triumpho, glorioſè reſurrexit. [Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo n. Surrexit enim, ſicut dixit o.] Quarta, fuit hodierna, cùm aſcendit è terrâ in cœlum intuentibus diſcipulis ipſius, qui aſcenſum ipſius admirantur, [Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum p.] Prima itineratio, fuit laborioſa, cùm aſſumpſerit omnes miſerias noſtras, [Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit q.] Si excludamus ignorantiam, [In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter r.] Etſi ab illo pariter removeamus peccatum, [Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus s.] Secunda, fuit victorioſa, cùm triumphaverit de inferno, & abſtulerit ab eo omnia ſpolia ipſius, [Nunc judicium eſt mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum t.] Tertia, fuit glorioſa, quia glorioſus ſurrexit u propriâ poteſtate x,] nedum ſit ampliùs obnoxius inſultationibus mortis, [Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur y.] Quarta, fuit gaudioſa, & tota plena ſatisfactione, quandiu rediens glorioſus in cœlos, ſtipatus eſt ſpiritibus Angelicis qui cōcinunt in favorem ipſius, & præ exceſſu gaudii videntes ipſũ glorioſum in triumpho ipſius, [Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ z.] Et hæc eſt ſolemnitas hodierna, quam vocamus Aſcenſionem Filii Dei, cujus glorioſus apparat' defert Apoſtolos in admirationem, æquè ac Angelos in gaudium: ſi enim [gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente a;] quia deſerens mores ſuos depravatos, & in bonam emendat vitæ frugem ſe recipiens, occupaturus eſt aliquando ſedem alicujus ex illis malis Angelis, qui [in terram miſſi ſunt b,] id eſt, [ad infernum in profundum laci c] detracti cum Principe ſuo Lucifero: quantò majus erat tunc ipſorum gaudium,

f Galat. 4. 4.
g Joan. 16. 28.
h Matth. 1. 18 &c. & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
i Epheſ. 4. 9.
k Ea Epheſ. 4. 8. & ex Pſ. 67. 19.
l Dion. Carth. art. 4. in Epheſ. 4. 9.
m Iſai. 49. 9.
n Coloſſ. 2. 15.
o Matth. 28. 6 & ex 20. 19.
p Act. 1. 9.
q Iſai 53. 4.
r Coloſſ. 2. 3. & 9.
s 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
t Joan. 12. 31. & 32.
u Matth. 28. 6.
x Dion. Carth. art. 4. in Matth. 28. 6.
y Rom. 6. 9.
z Pſ. 46. 6.
a Luc. 15. 10.
b Apoc. 12. 9.
c Iſai. 14. 15.

cùm viderunt Dominum ſuum ſtipatum tot ſanctis Patribus, quos ſecum ducebat in fruitionem gloriæ, [Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem d?] Sed quanta erat admiratio Apoſtolorum, & aliorum diſcipulorum Filii Dei, cùm videbant Dominum ſuum aſcendentem in cœlum? mirum fuit quòd animæ eorum non raperentur præ ſuavitate extra ſemetipſas, ut comitarentur exeundo è corporibus ſuis triumphum Domini ſui usque ad gloriam: ideò dicunt eis Angeli, [Viri Galilæi quid admiramini?] Reſpondeo, Auditores, quòd admirantur, & quòd nos debemus etiam mirari cum illis hodie hæc tria admirabilia attributa, Potentiã, Sapientiã, & Bonitatem in perſonã Jeſu Chriſti in tribus partibus hujus diſcurſus.

d Epheſ. 4.8. ex Pſ. 67.19

Diviſio 1. Pars.

Incipio primam partem, ſi obſervetis mecum ad majorem intelligentiam eorum quæ dicturus ſum, quòd Angeli ſub hoc nomine Galilæorum, [Viri Galilæi,] intelligunt Apoſtolos & diſcipulos Jeſu Chriſti, qui quantùm ad ipſorum partem maximam erant Galilæi e, aut ſi tales non erant natione, ſequebantur Jeſum Chriſtum, qui venerat è Galilæâ, quæ erat locus educationis ipſius f, ſicut Bethlehem erat locus nativitatis ipſius g, & Capharnaum locus converſationis ipſius h: [Quid admiramini?] Galilæus Hebraicè, idem eſt Latinè ac volubilis: cùm tales ſimus à nativitate noſtrâ, ſemper inconſtantes, & mutabiles, [homo vanitati ſimilis i, nunquam in eodem ſtatu permanet k.] Sumus igitur Galilæi, ſicut Apoſtoli & diſcipuli, ſic illud demonſtramus verbis & actionibus noſtris, quæ ſunt iſtius probationes: [Viri Galilæi quid admiramini?] Admiramur primò potentiam Jeſu Chriſti hâc die triumphi ipſius. Sic eſt, Auditores: hodie admiramur potentiam Jeſu Chriſti in triumphanti aſcenſione ipſius in eo quòd videmus gravitatem, quæ ex naturâ ſuâ fertur ſemetipſa deorſum, elevari ſurſum; terram, quæ ut viliſſimum elementorum debet habere ultimum locum, occupare ſedem aëris; corpus elevari in regionem ſpirituum; & hoc eſt quod admiratione ciet Apoſtolos, & nos; & in hoc cognoſcimus potentiam Salvatoris, cùm potentia alicujus rei nunquam meliùs appareat quàm in productione effectuum extraordinariorum & admirabilium; & cùm potentia Jeſu Chriſti teneat è naturâ miraculorum, ſic mentes noſtras abripit in admirationẽ, quæ eſt probatio noſtræ ignorantiæ ad cognoſcẽdos iſtos effectus extraordinarios & penitus admirabiles.

e Matth. 4. 18 & c.
f Luc. 2. 51.
g Luc. 2. 7.
h Luc. 4. 23.
i Pſ. 143. 4.
k Job. 14. 2.

Præterea, Educo potentiam Jeſu Chriſti è diſtantiâ loci diſceſſus ipſius à loco acceſſus ipſius; è terræ, quam deſerit, diſtantiâ à cœlo ad quod aſcendit: nam cùm, ſecundùm Philoſophos, omnis motus & omnis aſcenſio ſit & procedat ab aliquâ virtute motrice, eò velociùs aliquid movetur, quò virtus ipſi impreſſa major eſt, quod experientiâ comprobamus in ſagittâ vibratâ à brachio potentiori: atqui cùm Jeſus Chriſtus ſe ſubtraxiſſet aſpectibus ſuæ ſanctæ Genitricis, & Apoſtolorum & diſcipulorum ſuorum velut unico inſtanti aſcendit è terrâ usque ad Empyreum, licèt immenſa ſit inter illud cœlum & terram diſtantia: Jeſus Chriſtus igitur aſcendit ita velociter propriâ virtute ſuâ ſuper omnes cœlos, & iens ſeſſum ad dexteram Patris ſui; tantam nobis exhibet intuendam potentiam, ut ipſa ſit cauſa admirationis noſtræ, æquè ac reverentiarum noſtrarum, [Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cœlos,] ait S. Paulus l. Et Dionyſius Carthuſianus m dicit, quòd Jeſus [Chriſtus deſcendit ad hunc mundum inferiorem, humanam naturam aſſumendo, atque in mundo viſibiliter operando. Unde ipſe ait, Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo n. Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit in die aſcenſionis ſecundùm corpus & animam, ſuper omnes cœlos materiales, & habitationes eorum. Aſcendit autem loco & dignitate, vel potiùs dignitatis ſuæ manifeſtatione ſuper omnes creaturas corporales ac ſpirituales. Sunt autem ſeptem cœli planetarum: octavum cœlum eſt firmamentum, quod appellatur ſidereum: eſtque partim diaphanum, & partim lucidum. Nonum eſt cœlum cryſtallinum, ſeu aqueum, omnino diaphanum, quod Philoſophi nominant nonam ſphæram. Ultra quod aliqui ponunt decimam ſphæram, ſeu decimum cœlum, quod nominant primum mobile. Ultra hos cœlos, eſt cœlum Empyreum maximè uniforme ac ſimplex atque immobile, quod eſt manſio Beatorum. Denique, Præter hos cœlos ſuperiores, & ſecundùm ſubſtantiam prorſus incorruptibiles, ſunt cœli elementares, videlicet cœlum aëreum, æthereum, olympium, & igneum.] Igitur [aſcendit ſupra omnes cœlos] iſtos velut unico inſtanti virtute propriæ potentiæ quam habet indiviſibiliter cum Patre ſuo, ſicut ipſemet ait, [Ego & Pater unum ſumus n.] Unde dicit idem Carthuſianus o, [Quòd verò utriusque ſit una poteſtas ſeu omnipotentia, pandit, Ego (ſecundùm naturam Verbi) & Pater unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti.] Propterea myſterium iſtud vocatur Aſcenſio.

l Epheſ. 4. 10.
m Dion. Carth. art. 4. in Epheſ. 4. 9. & 10.
n Joan. 3. 13.
n Joan. 10. 30.
o Dion. Carth. art. 27. in Joan. 10. 30.

Ubi obſervare debetis differentiam quæ eſt inter aſcenſionem aſſumptionem & elevationem. Aſcenſio pertinet ad Jeſum Chriſtum. Aſſumptio ſpectat B. Virginem. Elevatio verò propria eſt Sanctis. Aſcenſio Filii Dei fit propriâ virtute Jeſu Chriſti, ut ait idem Carthuſianus p ſuper hæc verba S. Marci, [Aſſumptus eſt in cœlum. Id eſt, propriâ virtute aſcendit ad cœlum Empyreum. Denique, Chriſtus aſcendit non ſolùm Divinâ virtute, ſed & humanâ per dotem agilitatis, Corpus namque glorificatum obedit ad nutum voluntati atque imperio animæ. Sed & in Actis q habetur, quòd videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, &c. hæc autem nubes, & Angeli apparentes, atque cum Chriſto aſcendentes non affuerunt propter Chriſti indigentiam, ſed reverentiam: ad demonſtrandum, quòd Eccleſia, & inferiora, corporalia ac ſpiritualia ad Chriſti obſequium eſſent parata.] Aſſumptiò B. Virginis Deiparæ fit miniſterio Angelorum, & virtute proprii Filii ipſius, [Innixa ſuper dilectum ſuum r.] Elevatio Sanctorum fit potentiâ Dei, ſicut legimus de Enoch, [Tulit eũ Deus s.] Et de Eliâ, [Cùmq; pergerent, & incedentes ſermocinarentur,] id eſt Elias & Eliſeus, [ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumq;: & aſcendit Elias per turbinẽ in cœlum t.] Unde S. Gregorius dicit u, [Notandum eſt, quòd Elias in curru legitur aſcendiſſe; ut videlicet apertè demonſtraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa & oſtenſa ſunt adjumenta, quia nec in cœlum quidem aëreum per ſe aſcendere poterat, quem naturæ ſuæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noſter non curru, non Angelis ſublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia *, nimirum ſuper omnia ſuâ virtute ferebatur. Illò etenim revertebatur, ubi erat; & unde redibat, ubi remanebat, quia cùm per humanitatem aſcenderet in cœlum, per Divinitatem ſuam, & terram pariter contine-

p Dion. Carth. art. 16 in Marc. 16. 19.
q Ex Act. 1. 9. &c.
r Cant. 8. 5.
s Gen. 5. 24.
t 4. Reg. 2. 11.
u Greg. hom. 29. in Evãg.
* Ex Eſth. 4. 10.

bat,& cœlum.] Jeſus Chriſtus igitur aſcendit triumphans, non miniſterio Angelorum, cùm ipſe eos ſuſtineat, [Portans omnia verbo virtutis ſuæ,
x Heb. 1. 3. ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis x.] Nec alieno indiget auxilio, ſed propriâ virtute elevatur, ut [Rex gloriæ, Dominus virtutum y.]
y Pſ. 23. 10. Auſcultate quomodo verbis iſtud enunciet Iſaias z
z Iſai. 63. 1. expreſſis, [Iſte formoſus in ſtolâ ſuâ, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.] Ecce quomodo potentia Jeſu Chriſti manifeſtatur hâc dieglorioſæ & triumphantis aſcenſionis ipſius, operando mirabilia, ad quæ omnes effectus naturæ non poſſunt pervenire, cùm corpus ipſius glorioſum & ditatum quatuor dotibus gloriæ elevans ſe in aërem propriâ virtute ſine aliquâ læſione, & abſque ullâ aperturâ pertranſeat transverſos [cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt,] ut dicitur apud
a Job. 37. 18. Job a. Hæc eſt res nova in perſonâ Salvatoris noſtri, quæ ſublimiter extollit potentiam ipſius, ac penetratio dimenſionum, cùm duo corpora occupant eodem tempore eundem locum, ut ait
b S. Thom. 3 p. q. 57. a. 4. ad 3. S. Thomas b, [Quòd quàmvis de naturâ corporis non ſit, quòd poſſit eſſe in eodem loco cum alio corpore, tamen poteſt hoc Deus facere per miraculum, quòd in eodem loco poſſit eſſe ſimul
c Ex Matth. 1. 25. & ex Luc. 2. 7. cum alio corpore, ſicut & fecit ut corpus Chriſti de clauſo utero B. Virginis exiret c, & quòd intravit januis clauſis ad diſcipulos d, ſicut dicit B.
d Ex Joan. 20. 19. Gregorius e. Corpus ergo Chriſti ſimul poteſt eſſe cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis, ſed per virtutem divinam aſſiſtentem, & hoc operantem.]
e Ex S. Greg. hom. 26. in Evãg. Si igitur Dei Filius penetravit lapidem, quo opertum erat monumentum ſuum, in reſurrectione ſuâ, cùm [ſurrexit f
f Matth. 28. 6. propriâ poteſtate g,] atque ac lignum, cum [venit januis clauſis, & ſtetit in medio h] Apoſtolorum ſuorum: quare non penetrabit cœlos in
g Dion. Carth. art. 41. in Matth. 28. 6. aſcenſione ſuâ? Hanc veritatem credite, Auditores, cùm eam S. Paulus i authoritate ſuâ cautam
h Joan. 20. 26. præſtet, [Habentes Pontificem qui penetravit cœlos, Jeſum Filium Dei.] Potentia Jeſu Chriſti, prima
i Hebr. 4. 14. cauſa admirationis Apoſtolorum & diſcipulorum.

II. Pars. [Viri Galilæi quid admiramini] adhuc die iſtâ? Admiramur ſecundo loco, ſpiritus Angelici, Sapientiam quæ conſiſtit in ordinandis rebus, &
k Sap. 7. 24. dirigendis illis feliciter ad finem, [Sapientia k attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit
l Sap. 8. 1. omnia ſuaviter l. Quæ autem ſunt, à Deo ordi-
m Rom. 13. 1. nata ſunt m.] Sapientia Jeſu Chriſti manifeſtatur igitur iſtâ die in adimplendis ita exactè omnibus Prophetiis, in ſatagendo ut ita ritè veritas reſponderet figuræ, & executio prædictioni rerum quæ debebant evenire. Attendite, ſi placet. Arca
n Gen. 7. 7. &c. Noë n quæ ſalvavit id omne quod fuit, quod eſt, & quod erit hominum ſuper terrâ à diluvio, nonne figurabat humanitatem Filii Dei Salvatoris generis humani? atqui hæc [requievit arca ſuper
o Gen. 8. 4. montes Armeniæ o,] qui ſunt altiſſimi totius terræ, poſtquàm diu fuit impetita ventis & procellis, & tempeſtatibus agitata: ſic humanitas Sacra Jeſu Chriſti agitata & impetita innumeris contradictionibus, conſtituta [in laboribus à juventu-
p Pſ. 87. 16. te p] ſuâ, ſpatio [quaſi annorum triginta q] trium
q Luc. 3. 23. &c. perpeſſa turbines & procellas doloroſæ & igno-
r Joan. 6. 18. & 19. minioſæ paſſionis ſuæ r, eſt ingreſſa hodie quietem ſuam, ſicut ipſi prædixerat ipſius avus Da-
ſ Pſ. 131. 8. vid ſ, [Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.] Ipſa eſt collocata in faſti-
t Marc. 16. 19. gio montium cœleſtium altiſſimo, [Sedet à dextris Dei t.]
u 1. Reg. 4. 11. Præterea, [Arca Dei capta eſt u.] Quæ contine-

bat tabulas legis, & conſequenter irreverenter excepta à Philiſthinis inimicis Dei, & populi ipſius, [Tuleruntque Philiſthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon x.] Sed tandem egreſſa victrix è ma- x 1. Reg. 5. 2. &c.
nibus eorum reducta fuit præ triumpho in proprium locum ſuum, Davide & omni populo procedentibus illi obviàm in gaudio & lætitiâ cum hymnis & canticis laudis, [Et David, & omnis domus Iſraël ducebant Arcam teſtamenti Domini, in jubilo, & in clangore buccinæ. Et introduxerunt Arcam Domini, & impoſuerunt eam in loco ſuo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David y.] Quod figurabat quòd Arca fœderis y 2. Reg. 6. 15. &c.
novi, quæ eſt humanitas ſacra Salvatoris noſtri, in quâ continetur manna noſtrum cœleſte, noſtra lex animata, [& virga directionis z] noſtræ (ſicut de z Pſ. 44. 7.
illâ Arcâ veteris teſtamenti dicit S. Paulus a, [In quâ urna aurea habens manna, & virga Aaron a Hebr. 9. 4.
quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti]) capienda erat, ſicut & capta eſt b, & malè excepta à Princi- b Joan. 18. 12. &c.
pibus Sacerdotum, Scribis & Phariſæis, & à Romanis interventu machinationum iſtorum c: ſed c Joan. 19. 1. &c.
hodie aſcendit victrix & triumphans in cœlum: animæ Patriarcharum & Prophetarum & aliorum ſanctorum hominum comitatæ ſunt eam, quas ipſius anima eduxerat è limbo, juxta vaticinium Iſaiæ d, [Ut diceres his qui vincti ſunt, exite: & his d Iſai. 49. 9.
qui in tenebris, Revelamini.] Angeli proceſſerunt ei obviàm, concinentes ei hunc præfatum verſum Davidicum, [Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.] Audiſtis jam ſuprà quodnam fuerit gaudium Angelorum hoc in occurſu. Sed quid dicemus de lætitiâ ſanctorum iſtorum Patrum, qui tot annis manſerant in limbo, cùm inde fuerunt educti ut tranſirent à tenebris ad lumen, ab exilio ad patriam, à miſeriis ad felicitatem, & è limbo ad paradiſum? Audite quomodo concinant, [Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi e.] Et quomodo converſi ad e Pſ. 67. 5.
Angelos, dicant, [Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum, à facie ejus f.] Et, [Attollite portas, Principes, veſtras, & f Pſ. 67. 2.
elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ g.] g Pſ. 23. 9. & 10.

Tandem, [In horologio Achaz reverſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat h.] Et h Iſai. 38. 8. ex 4. Reg. 20. 11. & ex 2 Par. 32. 24.
ſtatim priſtinam viam ſuam reſumpſit, & reſtitutus eſt in primum punctum ſuum, unde receſſerat, ut innueretur nobis, quòd verus [Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter i] debebat reverti tot gradibus, quot regreſſus eſt ſol materialis, cùm reverſus fuerit ſubter novem choros Angelorum, [Qui mo- i Eccleſia ex Malach. 4. 2.
dico quàm Angeli minoratus eſt k.] Et aliquo modo ſubter homines, cùm dicat, [Ego autem k Hebr. 2. 9.
ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis l.] Sed hodie reverſus eſt l Pſ. 21. 7.
in primum punctum ſuum, & elevatus eſt ſupra omnes homines, & ſupra univerſos Angelos, ſicut David m prædixerat, [Aſcendit ſuper Cherubim, m Pſ. 17. 11.
& volavit.] Et ſicut Incarnatio fuerat feſtum exinanitionis Dei, juxta iſtud verbum Apoſtoli n, n Philipp. 2. 7. & 8.
[Semetipſum exinanivit:] & Paſſio fuerat feſtum humiliationis hominis Dei, ſecundùm iſtud ſequens ejuſdem S. Pauli verbum, [Humiliavit ſemetipſum:] & Reſurrectio fuit feſtum gloriæ ipſius, in quam intravit, ut ipſemet aſſerit, [Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam o?] Sic Aſcenſio fuit feſtum elevationis ipſius, o Luc. 24. 26.
[Elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos p.] Et p Pſ. 8. 2.
hoc ut adimpleret omnes Prophetias, & omnia

conſilia ſui Patris æterni: ita ut dicere meliùs poſ-
q Joan. 19.30. ſit quàm unquam, [Conſummatum eſt q.] Nihil ſupereſt ampliùs agendum, [Omnis conſummationis vidi finem †.]
† Pſ. 118. 96. Sapientia Jeſu quæ eſt ſecunda cauſa admirationis Apoſtolorum.

III Part. [Viri Galilæi quid admiramini] adhuc? Admiramur inſuper, Angeli paradiſi, bonitatem Dei, cui proprium eſt unumquemque ſibi devincire, & omnibus benefacere. Sic [Bonum eſt diffuſivum
r S. Dion. lib. de Div. No. c. 4. ſui,] ait S. Dionyſius r. Licèt enim aſcenderit in cœlum, primò ut triumpharet de hoſtibus ſuis, & ſuſciperet coronam meritis ſuis æquè ac certami-
ſ Philip. 2. 8. & 9. nibus ſuis debitam, quia ut ait ſacer Textus ſ, [Humiliavit ſemetipſum: propter quod & Deus exaltavit illum:] & juxta hanc maximam Evan-
t Luc. 14. 11. gelicam t, [Qui ſe humiliat, exaltabitur:] tamen in illud aſcendit propter nos & ob commoda no-
u S. Bern. ſerm 4. de Aſc. ſtra, ut aſſerit S. Bernardus u: [Sicut enim cætera omnia ejus qui nobis natus eſt, & nobis datus x:
x ex Iſai. 9. 6. ita ipſa quoque ipſius aſcenſio propter nos facta eſt, & facit pro nobis.] Sed propter quæ bona? Ha! quàm magna ſunt illa, ſi ſatis eſſemus perſpicaces ad illa cognoſcenda. Si autem ignoratis illa,
y S. Greg. hom 29. in Evãg. Auditores, interrogate circa illa S. Gregorium y, & dicet ipſe vobis: [Sed hoc nobis magnoperè, Fratres chariſſimi, in hâc ſolemnitate penſandum eſt, quia deletum eſt hodiernâ die chirographum
z ex Coloſſ. 2. 14. damnationis noſtræ z: mutata eſt ſententia corruptionis noſtræ. Illa enim natura, cui dictum
a ex Gen. 3. 19. eſt, Terra es, & in terram ibis a, hodie in cœlum ivit. Pro hâc ipsâ namque carnis noſtræ ſublevatione per figuram B. Job Dominum auem vocat. Quia enim aſcenſionis ejus myſterium Judæam noo intelligere conſpexit: de infidelitate
b Job. 28. 7. ejus per figuram B. Job b ſententiam protulit, dicens: Semitam ignoravit avis. Avis enim rectè appellatus eſt Dominus: quia corpus carneum ad æthera libravit. Cujus avis ſemitam ignoravit, quiſquis eum ad cœlum aſcendiſſe non credit.]

Jeſus Chriſtus aſcendit in cœlum coram Apoſtolis ſuis, ut doceat nos exemplo ſuo contemnere
c Deut. 34. 4. terrena, & aſpirare ad terram promiſſionis c gloriæ: quod etiam David d ſignificare nobis voluit,
d Pſalm. 103. 18. cùm dixit, [Herodii domus Dux eſt eorum.] Super quod ſcribens Lyranus, ait, [Herodius eſt nomen avis prædalis, quæ Gallicè vocatur Griffon.] Obſervant autem Naturales, quòd ſpeciei avis iſtius dantur aliquæ ita prodigioſæ formæ ut habeant pedes agni, corpus leonis, & caput aquilæ: ſic Jeſus Chriſtus in paſſione ſuâ [ad occiſionem ductus, ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce,
e Act. 8. 32. ex Iſai 53. 7. & ex Mat 26. 63. & 27. 14. ſic non aperuit os ſuum e.] In reſurrectione ſuâ [Vicit Leo de tribu Juda f.] Sed in aſcenſione ſuâ [ſicut aquila provocans ad volandum pullos, ſuos, & ſuper eos volitans g.] Refertur de aquilâ, quòd licèt præpeti volatu ſuo approximet ad nubes, nunquam tamen ſic recedit è terrâ ut non in-
f Ap. 5. 5. g Deut. 32. 11. tueatur nidum pullorum ſuorum, ne fortè quid illi patiantur ab aliis avibus prædalibus in ipſius abſentiâ: Jeſus Chriſtus, qui eſt Aquila myſtica, licèt volet hodiernâ die ſupra nubes uſque ad dexteram Patris ſui, ſuos tamen non retrahit oculos è pullis ſuis, qui ſunt fideles; ſemper paratus eſt illis
h Deut. 33. 26. ſuccurrere, [Aſcenſor cœli auxiliator tuus h.] Et, [Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum
i 1. Joan. 2. 1. Chriſtum juſtum i.] Et ipſemet ait, [Cum ipſo
k Pſal. 90. 15. ſum in tribulatione. k.] Comitem ſe ſociat illis individuum medias inter tentaciones, nec illos unquam deſerit, niſi cùm intuetur illos ſinere ſe vinci puſillanimiter & voluntariè ab inimicis ſuis. Moyſi [apparuit Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non com-
l Exod. 3. 2. bureretur l.] Præſentia Dei ita temperabat ardorem ignis ut comburere non poſſet rubum. Non ſolùm autem Deus eſt nobiſcum, ut ſuccurrat nobis conſtitutis in neceſſitate, ſed etiam adeſt omnibus afflictionibus & tentationibus, quibus impetimur ob amorem ipſius, ot illarum mercedem nobis impertiatur. Nunquid non [Nabuchodonoſor Rex obſtupuit, & ait optimatibus ſuis: Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio
m Dan. 3. 91. & 92. Dei m.] Quod innuit, quòd Deus nunquam deſerit ſuos amicos, qui ferventi ducti voluntate æquanimiter ſuſtinent omnia incommoda ipſis obvia propter amorem ipſius. Cur enim putaretis quòd Jeſus Chriſtus, qui eſt Aquila Regalis, tantam habens curam pullorum ſuorum, qui ſunt fideles, ut etiam aſcendens in cœlum ad dexteram Patris ſui, ſuos tamen ab eis oculos non retrahat; hodie cùm ſurſum elevatur coram Apoſtolis ſuis, qui repræſentant Eccleſiam ipſius, pedum ſuorum veſtigia relinquit impreſſa loco unde ipſe è terrâ ſe ſublevat in Empyreum, ita ut ex tunc non potuerint unquam deleri, aut injuriâ tempeſtatum, aut impudentiâ malitioſâ inimicorum fidei Chriſtianæ, qui omnes ſuos inſumpſerunt conatus ad illa delenda, niſi quia deſiderabat ut adhæreremus veſtigiis ipſius, & ſic ipſum ſequeremur ad gloriam ſimul cum ipſo poſſidendam? [Annun-
n Job. 36. 33. ciat de eâ amico ſuo, quòd poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere n.] Aditus ad illam nunc eſt apertus, omnia obſtacula ſunt ablata, Tyrannus victus eſt, & non videmus ampliùs [Cheru-
* Gen. 3. 24. bim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ *.] Quò facilis nunc patet nobis ingreſſus. Quàm immodica bonitas Jeſu Chriſti!

Sed ſi incarnatio verbi fuit beneficium ſingulare, & teſtimonium amoris Patris æterni erga homines ſalvandos, nonne videtur nunc idem Pater æternus hoc revocare beneficium, revocans verbum ſuum ad ſe, & mutare hunc amorem in odi-
o Joan. 3. 16. um & in indignationem? Et ſicut S. Joannes o dixit, [Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret:] videmur aliquo modo poſſe dicere, Sic Deus odit mundum, ut Filium ſuum
p Rom. 11. 29. tollat ab eo. Et licèt S. Paulus p dixerit, quòd Deum nunquam pœniteat hominibus benefeciſſe: [Sine pœnitentiâ enim ſunt dona & vocatio Dei:] videtur tamen Patrem æternum pœnitere dediſſe Filium ſuum hominibus, cùm hodie illum revocet in magnum Eccleſiæ ſuæ detrimentum. Quibuſnam tenebris non obvolveretur mundus, ſi lumine cœlorum eſſet deſtitutus? Quânam ſterilitate noo laboraret terra, ſi mare retineret aquas quas diſtribuit? Salvator eſt proculdubio utilior Eccleſiæ, quàm hæc omnia ſint utilia terræ. Non obſtantibus his conſiderationibus expediebat, imò neceſſarium erat ob bonum Eccleſiæ ut ipſa privaretur præſentiâ corporali illius: ſuppoſito enim quòd Spiritus ſanctus non deberet deſcendere niſi per diſceſſum Salvatoris, ut ipſemet Dei Filius dicebat Apoſtolis ſuis, [Expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclêtus non venìet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad
q Joan. 16. 7. vos q:] neceſſarium erat ut ipſemet Dei Filius abiret, ut ultimum ſuſciperet Eccleſia ſuæ perfectionis complementum per adventum Spiritus ſancti. Pater æternus igitur non eſt irritatus cùm

aufert

aufert à nobis Filium ſuum, ſed ideò eo modo ſe gerit ut nobis tribuat Spiritum ſanctum; in quo procedit more nutricum erga alumnos ſuos lactentes, quibus, cùm ſufficienter lac unius uberis ipſi ſuxerunt, operiunt ipſæ illud uber, eiſque detegunt alterum, & illud eis ſugendum offerunt, ut potiantur illi beneficio utriuſque: atqui Deus duo habet ubera, [Ecce ego lactabo eam r.] Horum uberum, quibus lactat animas, primum, eſt [unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris ſ,] procedens ab ipſius intellectu. Secundum, eſt [Paraclêtus, qui à Patre procedit t,] id eſt ab ipſius voluntate in unitate principij, cùm ſpiritus ſanctus procedat à voluntate Patris & Filij ut ab unico principio: homines diu ſuxerunt uber Filij, Deus ſufficienter eis ſugen- los porrexerat theſauros æternæ ſapientiæ, [In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter u.] Nunc operit eis iſtud uber, & ipſum ad ſe vocat; & detegit eis uber Spiritus ſancti x, cuius beneficio communicat nobis Divinum amorem ſuum. Unde videtis bonitatem Patris, æquè ac Filij, qui [aſcendens in altum, dedit dona hominibus,] ait S.Paulus y. Et Dionyſius Carthuſianus z addit immediatè pòſt, [Maximè in die ſancto Pentecoſtes, quando diſcipulis mittens ſpiritum ſanctum, implevit corda eorum diverſis chariſmatibus Spiritus ſancti.]

r Oſee 2. 14.
ſ Jo. 1. 17
t Joan. 15. 26.
u Coloſſ. 2. 3. & 9.
x Act. 2. 1. &c.
y Epheſ. 4. 8. ex Pſ. 67. 19
z Dion. Carthuſ. art. 4. in Eph. 4. 8.

Nunquid igitur, Angeli beati, jure merito non admiramur altitudinem potentiæ ejus, ſublimitatem ſapientiæ illius, & excellentiam bonitatis ipſius? Etiam. Sed vos, ô [adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis a,] quid miramini? ex intuitu enim faciérum veſtrarum judicamini aliquo veluti ſtupore perciti. Admirantur Angeli proculdubio, Auditores, eò quòd videant, quòd, etiamſi Pater æternus Filium ſuum vobis dederit [Ducem ac Præceptorē b,] tamen vos non vivitis ut diſcipuli; & quòd, cùm teneamini illum imitari, & actiones ejus debeant eſſe prototypon veſtrarum, intueantur tamen in vobis omnes res contrarias illis, quas admirati ſumus in Domino noſtro, in triumphanti ipſius aſcenſione. Primò, Admirati ſumus in eâ potentiam illius; illi verò è contrà admirantur infirmitatem noſtram, ſed tantam ut nihil ex nobiſmetipſis poſſimus quod mereatur cœlum, [Sine me nihil poteſtis facere c.] Et, [Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis d.] Et tamen ita criminosè præſumamus de nobiſipſis ut polliceamur nobis nos illuc eſſe aſcenſuros, ſuperbè viventes: error iſte non poteſt eſſe niſi criminoſus, deponite eum, quæſo, Auditores: non enim ſuperbia ſubminiſtravit alas Domino & Magiſtro veſtro, ut aſcenderet ad gloriam; vanitas non extulit eum illuc, ſed humilitas, ſed contemptus ſuiipſius: [Quòd autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm e?] Exaltationem illius præceſſit depreſſio ipſius, & elevationem humiliatio: [Propterea, Dilectiſſimi,] ait nobis S.Bernardus f, [Perſeverate in diſciplinâ, quam accepiſtis, ut per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis: quia hæc eſt via g, & non alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potiùs quàm aſcendit, quia ſola eſt humilitas quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Chriſtus enim cùm per naturam Divinitatis non haberet quo creſceret, vel aſcenderet, quia ultra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret invênit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum. Propter quod Deus exaltavit illum h, quia reſurrexit i,

a Hebr. 1. 14.
b Iſai. 55. 4.
c Jo. 15. 5.
d 2. Cor. 3. 5.
e Epheſ. 4. 9.
f S. Bern. ſerm. 2. de Aſc.
g ex Iſai. 30. 21.
h ex Phil. 2. 9. &c.
i ex Mat. 28. 6.

aſcendit, ſedet ad dexteram Dei k. Vade, & tu fac ſimiliter l. Neque enim aſcend re potes, niſi deſcenderis: Quia (ut æternâ lege fixum eſt) omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur m.]

k Mar 16. 19.
l Luc. 10. 37.
m Luc. 14. 11.

Secundò, Admirati ſumus ſapientiam Omnipotentis in adimpletione figurarum Aſcenſionis ipſius: Angeli verò mirantur immodicam hominum ſtultitiam, qui elevant ſemetipſos uſque ad cœlum, ad quod alludere viſus eſt quidam Ethnicus, [Cœlum ipſum ſtultitiâ petimus, neque per noſtrum patimur ſcelus iracunda Jovem ponere fulmina.] Re autem verâ nonne immodica eſt ſtultitia noſtra? Ubi enim eſt ſana mens noſtra? Quotidie dicimus, [Pater noſter, qui es in cœlis n,] &c. Credimus quòd paradiſus ſit patria noſtra, [Patriam noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus: quid non properamus & currimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus?] ait S.Cyprianus o. Non dubitamus quin mundus iſte ſit locus exilij, [Ad te clamamus exules filij Evæ, ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hâc lacrymarum valle p.] Et tamen nec deſiderium illam manſionem aditum patefecit, & ad eam vult noſocianfi nos Patri noſtro, nec amor quo proſequi debemus patriam noſtram, nobis eripit affectum erga terrena. Ha! quis ex nobis dixit hodiernâ die in ſuo corde præ firmo conſilio? Oportet ut aſcendam in cœlum, aut deſcendam in infernum. Quis ex nobis quæſivit modum opportunum peragendo unt, & evitando alteri? Sumimuſne viam quæ ducit ad domicilium fælicitatis? Adhæremuſne veſtigiis Salvatoris, qui nobis ad cœleſtem illam manſionem aditum patefecit, & ad eam vult nos veluti manuducere? [In hoc enim vocati eſtis,] ait nobis S.Petrus q; [Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.] Quin potiùs nonne contrariam omnino viam ſequimur? Heu! non cogitamus niſi de terrâ, non habemus cor noſtrum niſi terræ alligatum, omnis affectus noſter eſt erga terram, quæ tantùm noſtris eſt indigna proſecutionibus, quantùm noſtros contemptus meretur, & odia noſtra, cùm propter nimium amorem erga terrena terreſtres efficiamur, [Ipſi facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt,] ait Oſee r. Et S.Auguſtinus ſ. [Salvator noſter, dilectiſſimi Fratres, aſcendit in cœlum: non ergo turbemur in terrâ. Ibi ſit mens, & hic erit requies. Aſcendamus cum Chriſto interim corde: cùm dies ejus promiſſus advenerit, ſequemur & corpore. Scire tamē debemus, Fratres, quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia non luxuria, nullum vitium noſtrum aſcendit cum Medico noſtro. Et ideò ſi poſt Medicum deſideramus aſcendere, debemus vitia vel peccata deponere. Omnia vitia inimica ſunt Deo. Non enim amat Deus habitare cum avaritiâ immundâ, ſordidâ, & inſatiabili, cui infideles homines ſervire volunt, & Deum vitare cupiunt.] Recordemur, Auditores, quòd Dei Filius aſcendit in cœlum, ut nos traheret poſt ſe, ſicut Magnes trahit ferrum, & Sol vapores: ad hoc autem ut ſequamur eum, renunciare debemus affectibus erga terrena, ut dicere poſſimus præ veritate & omni affectu poſſibili cum S. Bernardo t, [Jeſus ad Patrem rediit, Cœleſte Regnum ſubijt, Cor meum à me tranſijt, Poſt Jeſum ſimul abijt.]

n Matth. 6. 9.
o S. Cypr. lib. de mortalit. n. 47. &
p Eccleſiæ.
q 1. Petr. 2. 21.
r Oſee 9. 10.
ſ S. Aug. ſerm. 2. & 175. de Temp.
t S. Bern. in Jub. de Com. nom. Dom. Paſſ.

Tandem, Admirati ſumus bonitatem Jeſu in aſcenſione ipſius: Angeli autem mirantur malitiam hominum, etiamſi tot habeant lenocinia, quæ ipſos trahunt ad bonum, ita potenter ſolicitentur

ad virtutem amplectendam, & teneantur eſſe boni ratione tot viarum, quæ ipſos ad bonitatem capeſſendam deducunt. Heu! peccator inſenſate, qui tibi cumplaces in criminibus tuis, qui in illis manes ſicut in propriu elemento tuo, qui affectas indulgere malitiæ, & qui ita inſœliciter recedis à vijs ſalutis tuæ, ut velles eas ignorare ad hoc ut non

u Pſal. 35.4.

tenereris illis adhærere, juxta id quod ait David u, [Noluit intelligere ut bene ageret:] Dic mihi, infortunate, quare ita malus es? [Quis] te [faſcinavit x?] Deus qui te [creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam y,] nonne [bonus z] eſt, & ſummè bonus, cùm Scriptura dicat eum eſſe [omne Bonum a?] Anima tua in creatione tuâ, cùm idem [formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem b,] nunquid non erat bona, imò verò opus eximium manuum Dei? Corpus tuum, panis, vinum, cibus, & reliquum quod tribuit tibi, bonum? Et nonne vis ut omne quod tuis ſervit uſibus, ſit bonum? Etiam, reſpondes mihi. Quare ergo, inſortunate, ita es inimicus tuiipſius ut velis ſolus eſſe nequam, & ita alienus à ſanâ mente ut cogites te aſcenſurum in cœlum cum malitiâ tuâ? Auſculta S. Auguſtinum c, ſi mihi non vis credere: [Nam cum bonitatis Authore non aſcendit malitia, nec cum Filio Virginis, libido neque luxuria. Non, inquam aſcendunt vitia poſt virtutum Parentem, peccata poſt Juſtum, nec infirmitates ac morbi poſſunt ire poſt Medicum.] Vitia ſunt obſtacula infortunata, quæ impediunt quin poſt illum aſcendamus, & onera gravia quæ nos opprimunt, ut querebatur inſignis quidam peccator, ſed verè pœnitens, dicens, [Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me d.] Illa ſunt gradus per quos deſcenditur ad abyſſos, ſicut virtutes ſunt ſcalæ, imò verò alæ, quarum beneficio aſcenditur in cœlum, [Beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion e.] Deſerite igitur peccata, Auditores, vos [qui quaſi aquam iniquitatem f] bibitis, ſi aſcendere velitis cum Magiſtro veſtro, cùm illa vos impediant, quin hanc admirabilem peragere poſſitis cum illo aſcenſionem: deſerite onus grave

x Galat. 3. 1.
y Gen. 1. 27.
z Pſal. 118.68.
a Exod. 33. 19.
b Gen. 2. 7.
c S. Aug. ſerm. 4. de Aſce & 176. de Tēp. & 58. in Append. de Diverſ.
d Pſ. 37.5.
e Pſ. 83. 6 &c.
f Job 15. 16.

peccatorum veſtrorum, ut leves eſſe poſſitis ad ſequendum Dominum veſtrum. Hanc lectionem nos edocent Angeli in perſonâ Apoſtolorum, [Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis qui & dixerunt, Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum g?] Quaſi dicerent eis, & nobis in perſonâ illorum, Homines volubiles & viatores quid ſiſtitis hîc in intuendo cœlo? Nonne vidiſtis viam quam Dominus veſter, æquè ac noſter tenuit? Penes vos eſt ut ſequamini eum, ut adhærentes veſtigijs ejus, ſi communicare velitis hæreditati gloriæ, ad quam perrexit poſſidendam. [Quid ſtatis,] Auditores? Nonne ſcitis id quod ait S. Paulus h? [Non habemus hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.] Ha! [Quid ſtatis?] Quid quæritis ſuper terra? [Si conſurrexiſtis cum Chriſto; quæ ſurſum ſunt quærite; ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram i?] Ha! [Quid ſtatis?] Quæritiſne abundantiam omnium rerum? In cœlo inter Beatos, [Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud,] ſi nobis transferre liceat hæc verba Pſalmiſtæ k, quæ ad literam dicuntur de temporalibus, ad res cœleſtes. Vultiſne pulchritudinem corporalem? [Juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum l.] Deſideratiſne honores? [In ſæcula ſæculorum laudabunt te m.] Blanditntur ne vobis divitiæ? [Ipſa civitas aurum mundum n. Gloria & divitiæ in domo ejus o.] Vultiſne ſpecioſa ædificia? [Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſraël p. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini q.] Vultiſne gaudium ſpirituale? [Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium, & lætitiam tenebunt r.] Arridetne vobis Muſica? [Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis Juſtorum ſ.] Vultiſne habere pacem completam, & perfectam quietem? [Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulentâ t?] Vultiſne delicias? [Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos u. Satiabor cùm apparuerit gloria tua x.] Uno verbo, Vultiſne fœlicitatem? [Beati qui habitant in domo tua Domine y.] Sic ſi ſequamini Dominum, ipſemet vobis [gratiam, & gloriam dabit Dominus z.]

g Act. 1. 10. & 11.
h Hebr. 13. 14. ex Mich. 2. 10.
i Coloſſ. 3. 1. & 2.
k Pſal. 141. 11.
l Matth. 13. 43.
m Pſal. 83. 5.
n Apoc. 21. 18.
o Pſal. 111. 3.
p Numer. 24. 5.
q Pſ. 83. 2. & 3.
r Iſai. 51. 11.
ſ Pſal. 117. 15.
t Iſai. 32. 18.
u Pſ. 35. 9
x Pſ. 16. 15.
y Pſ. 83. 5.
z Pſal. 83. 12.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Cùm venerit Paraclètus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Ioan. 15. 26.

SI res eſt aliqua in mundo, quæ poſſit facere relabi homines in ſimilitudinem primi nihili ſui, vel quæ immergat illos in chaos maſſæ confuſæ, ubi fuerunt priuſquàm exiſterent, & crearet ipſos [Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam a,] ipſa eſt nox tenebroſa quæ ſuccedit diebus ipſorum, & interrumpit intercapedine neceſſariâ voluptatem naturalem quæ ipſis conceditur beneficio ſenſuum: ſicut enim videtur quòd Spiritus qui vitam dat univerſitati creaturarum ſublunarium, eſt iſte ſpecioſus & ſplendens Sol, qui lumine ſuo & innumeris qualitatibus occultis animat, lætificat, & fœcundat id omne quod ab ipſo attingitur; privatio iſtius luminis, & omnium iſtarum qualitatum, quæ fit per receſſum Solis iſtius, videtur debere dare hominibus imaginationem vivam iſtius primi ſtatus, in quo nondum habebant vitam, nec motum, nec lætitiam: ſed ſi nox, quæ eſt imago mortis, operatur effectum ſic triſtem in ipſorum cogitatione; reditus ejuſdem luminis æquè ſuſcitare poteſt animos ipſorum, eiſque citò reddere primum ſtatum eſſe, vitæ, & perfecti oblectamenti, imò verò eò perfectioris, quò priùs experti ſunt faſtidia quæ afferebat ipſis abſentia ſpecioſi iſtius Solis. Alter Sol ſpecioſior iſto, putà Dei Filius, [Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter b,] apparuit aliàs ſuper Horizonte mundi iſtius per magnum diem integrum qui duravit [quaſi annorum triginta c] trium ſpatio, dans hominibus vitam gratiæ, & motum ad cœlum, ſicut ipſemet ait,

a Gen. 1. 27.
b Eccleſia ex Malach. 4. 2.
c Luc. 3. 23 &c.

ait, [Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant d,] poſtquàm eduxit eos è primo chao erroris, & antiquæ idololatriæ. Sub finem iſtius diei occidit hic Sol obſcurâ & funeſtâ morte, cùm [inclinato capite tradidit Spiritum e,] & conſtituit illos in nocte, quæ videbatur ipſis æquè deploranda, ac prima ipſius pulchritudo cauſaverat illis voluptatem & oblectamentum. Non diu manſit ibi f, & apparens denuò, reaſcendit ſuper hunc Horizontem promptâ reſurrectione: [Surrexit etiam g propria poteſtate h,] quæ reſtituit hominibus magnitudinis ipſius novum teſtimonium, [Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi,] dicit Pſalmiſta i. Et Dionyſ. Carthuſianus k, [Hoc eſt, qui omnem mortalitatem, paſſibilitatem, ac defectibilitatem in reſurrectione tranſcendit, quoniam teſte Apoſtolo l, Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur.] Hic autem Sol manifeſtat illis iterùm radios ſuos per ſpatium quadraginta dierum, ediſſerens ipſis de mirabilibus alterius mundi, [Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei m.] Sed quia non eſt niſi diſcurſus, non autem realitas, oſtendit illis, quòd adhærere non debent viſui Solis iſtius quandiu ſunt in hâc carne, & pergens in cœlum per myſterioſam aſcenſionem, rejicit eos in tenebras, & in primam noctem, dicens eis, [Vado ad eum qui miſit me n,] involutus nube, [Elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum o,] ut interrumperet illorum voluptates mediâ ſucceſſione noctis, & obſcuræ fidei cauſatæ à diſceſſu Solis, [Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum p.] En igitur Apoſtoli & totum corpus Eccleſiæ ſine Sole, & ſine Duce, cùm Pater æternus dederit [populis eum Ducem, & Præceptorem Gentibus q,] præ hoc mandato ut illum audirent, [Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite r.] Sed tamen non ſine ſpe videndi citò novi diei cauſati à Sole æquè ſplendenti ac erat primus, putà à Spiritu ſancto, qui intra dies aliquot venturus eſt retributum eiſdem Apoſtolis claritatem ſic inauditâ ut certi ſint futuri, quòd licèt non videant ampliùs hunc Solem qui ipſis apparebat, tamen cum ipſis eſt interventu ſplendoris iſtius ultimi, qui ritè præſentiam teſtatur ipſius, ſicut ipſe promiſit eis ante diſceſſum ſuum, [Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.] Oremus eum ut largiri nobis dignetur ſcintillam [ignis ſ] ſui, ad illuminandas mentes noſtras, & ad inflammanda corda noſtra ſuper intelligentiam iſtius myſterij, interventu Sponſæ ſuæ, [AVE MARIA.]

d Joan. 10. 10. e Joan. 19. 30. f Joan. 19. 42. g Matth. 28. 6. h Dion. Carthuſ. art. 45. in Matth. 28. 6. i Pſ. 67. 5. k Dion. Carthuſ. in Pſal. 67. 5. l Ro. 6. 9. m Act. 1. 3. n Jo. 16. 5. o Act. 1. 9. p Jo. 16. 6. q Iſai. 55. 4. r Matth. 17. 5. ſ Act. 2. 3.

Si verum eſt, ſicut eſt, univerſaliter loquendo, quòd principium rei debet eſſe ſimiliter finis ipſius, & quòd omnis cauſa, aut principium intellectuale operatur motu quodam, qui hujuſmodi cauſam vel principium inducit ad talem operationem; illud quod inde exivit, non ſolùm illuc redire debet, ſed etiam reditus iſte correſpondere debet motivo, propter quod principium ipſius ipſum produxerat: nemo eſt qui non ſciat, quòd Filius Dei in adventu quem fecit in mundum, agnoſcit pro principio ſuo Patrem ſuum æternum, e quo exivit per æternam generationem, & per eandem deſtinatus eſt ut eſſet [Mediator t] noſter ad recuperandum cœlum: Sed etiam nullus ignorat quin motivum officij ſic eximij fuerit amor, quo hic idem Pater diligebat genus humanum.

t 1. Tim. 2. 5.

Nam quantùm ad primum, Filius ipſemet ait, [Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem u.] Vel, [Miſit me vivens Pater, id eſt, Pater æternus omnis vitæ fontale principium, qui eſt ſubſtantialiter ſua vita. Et ego vivo propter Patrem. Hoc præcipuè intelligendum eſt de Chriſto ſecundùm naturam aſſumptam, ut ſit ſenſus, Et ego vivo propter Patrem, id eſt, vitam meam refero ad Patrem, videlicet ad honorem & gloriam ejus, ſicut ad ſuperiorem & ultimum finem. Imò ſic Chriſtus retulit vitam ſuam ad totam Trinitatem, quæ eſt omnis creatæ naturæ ultimus finis. Poteſt quoque exponi de Chriſto, ſecundùm naturam Divinam hoc modo, Vivo propter Patrem, id eſt, à Patre vitam accepi, non aliam, ſed eandem quam poſſidet ipſe,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus x. Quantùm verò ad ſecundum dicitur, [Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret y.] Seu, ſecundùm eundem Carthuſianum z, [Sic Deus dilexit mundum, id eſt, tam ardenter Deus Pater dilexit genus humanum, præſertim homines prædeſtinatos, ut Filium ſuum unigenitum, non adoptivum, ſed naturalem, conſubſtantialem, & unicum, daret hominibus in Filij ſui incarnatione, ac paſſione. Dedit enim eum nobis, quemadmodum cecinit Iſaias a, Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis. Et Apoſtolus b, Proprio (inquit) Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum. Dedit ergo eum nobis, in incarnatione faciens eum Filium noſtræ ſororis, videlicet ſacratiſſimæ Virginis, fratrem noſtrum, Mediatorē, ac ſocium noſtrum. Qui enim ante incarnationem erat Deus & Dominus noſter, per incarnationem factus frater & ſocius noſter. Dedit quoque eum nobis in totâ converſatione ejus in ſæculo iſto. Nam quidquid Chriſtus fecit, prædicavit, & pertulit, ordinavit Pater & etiam Filius ad noſtram ſalutem, & nobis meritorium fuit, non ipſi Chriſto, quantùm ad præmium eſſentiale: quia hoc habuit anima Chriſti à primo ſuæ creationis inſtanti. Dedit etiam eum nobis in Sacramento Altaris, quemadmodum infrà teſtatur, Pater meus dat vobis panem verum c. Poſtremò dedit eum nobis in paſſione, exponens Filium ſuum dilectum tantis tormentis pro noſtrâ ſalute, quemadmodum Iſaias d prænunciavit, Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et Filius tempore paſſionis, Calicem, ait, quem dedit mihi Pater, non bibam illum e? In paſſione enim Creator noſter, factus eſt Salvator noſter; Judex noſter, factus eſt Reconciliator noſter, Advocatus, ac Mediator noſter.] Eſt igitur inde neceſſariâ concludendum ſequelâ; quòd ſi exit ex iſto mundo, redire debet ad Patrem ſuum; & oportet eâdem neceſſitate, ut ſucceſſus miſſionis ipſius referatur ad primum amorem, quo ductus venerat in mundum. Iſtud eſt, quod ipſemet ait, [Exivi à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem f.] Et ſciens quòd motivum, quo ductus erat Pater ſuus, non eſt aliud niſi amor hominum, vult ut reditus ſuus ita referatur ad hunc primum amorem, ut, ſi de ipſo ſuperſit aliquod dubium in mente Apoſtolorum ipſius qui faciebant Eccleſiam ipſius, ſanctus Spiritus amborum, qui non eſt niſi Amor ipſorum, veniat latum teſtimonium de ipſo, eiſque perſuaſum, quòd id omne quod ipſe fecit, non procedebat niſi ex amore, dicens eis, [Cùm venerit Paraclêtus,] &c. Et cùm Filius Dei remittat Spiritui ſancto juſtificationem cauſæ ſuæ, & ſui procedendi modi, appoſitum erit, ad hoc ut fidem

Diviſio.

u Jo. 6. 58. x Dion. Carthuſ. art. 18. in Jo. 6. 58. y Jo. 3. 16. z Dion. Carthuſ. art. 9. in Jo. 3. 16. a ex Iſai. 9. 6. b Rom. 8. 32. c Jo. 6. 32. d Iſai. 53. 8. e Joan. 18. 11. f Joan. 16. 28.

præbe-

præbeamus teſtimonio quod de ipſo nobis daturus eſt, ut examinemus ſufficientiam teſtimonij hujus, & authoritatem infallibilem verbi Spiritus ſancti, Primò quantùm ad id quod pertinet ad jus Filij Dei, Secundò quoad id quod noſtrarum juſtificationem ſpectat animarum.

I. Pars. Id quod authoritatem præbet teſtimonio, & conciliat illi fidem, removendo illud ab omni genere ſuſpicionis, eſt ſcientia, bonitas, & magnitudo perſonæ. Tres iſtæ conditiones apprimè reperiuntur in perſonâ Spiritus ſancti: Scientia, ut ritè ſciat veritatem; bonitas, ut nullam malam præ ſe ferat intentionem ad decipiendum, aut ad dicendum falſum; & magnitudo vel authoritas, ut fide dignus judicetur ab iis qui debent ipſum audire. Authoritas & ſcientia Spir. S. in eo quòd procedit à Patre, cui poteſtas attribuitur; & à Filio, cui ſapientia aſſignatur, & bonitas ipſius videtur in hoc quòd procedit per amorē, qui non ſpectat niſi bonitatem. Prætereamus, ſi placet, ſuccinctè & breviter hæc tria maximi momenti motiva ad reddendum certum teſtimonium authenticum, quod ipſe debet perhibere de Domino noſtro Jeſu Chriſto. Dico quòd habet potentiam Patris, quia procedit à Patre, & procedit non ad modum creaturarum, quæ ſunt quidem effectus omnipotentiæ Dei, ſed non exhauriunt hanc omnipotentiam: Deus enim faciens eas, ſolùm communicat illis aliquam è perfectionibus ſuis, & hoc agit ipſe præ quâdam menſurâ; & ſic creaturæ quantùmvis excellentes ſint, manent intra terminos perfectionis limitatæ, nec impediunt quin Deus poſſit præter id ſe communicare infinitè aliis creaturis, cum ipſe ſemper remaneat infinitè [perfectus g, & potens h.] Sed Spiritus ſanctus procedens à voluntate Patris, recipit ab hâc voluntate totam vim amoris ſui: & ſicut perfectus amor nunquam ſatiatur benefacere perſonæ amatæ, hæc vis amoris quæ facit produci Spiritum ſanctum, inducit Patrem æternum ad benefaciendum ipſi, & ad dandum illi è ſuo ſecundùm totam extenſionem potentiæ ſuæ: nec poteſt eſſe contentus in hoc amore ſuo, quin ſimul ei tribuat hanc eandem potentiam, & hanc eandem authoritatem. Et ſicut hic idem Spiritus procedit non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio; qui facit eundem conatum, & intuens Patrem ſuum, eâdem voluntate producit Amorem ſacrum, qui eſt inter ipſos ambos, qui eſt hic Spiritus ſanctus, oportet etiam ut largiatur id omne quod ipſe habet, huic Spiritui ſecundùm extenſionem infinitam perfectionum quas poſſidet: & licèt ipſe habeat omnes perfectiones Patris per communicationem earum ab illo ſibi factam, ipſe tamen ſpecialiùs adſcribit ſibi ſapientiam, prout productus à mente Patris ſui, quæ eſt ſicut officina totius intelligentiæ, & quæ ipſi tribuit per naturam ſuæ productionis, aperturam theſaurorum ſuorum, & ſecretiſſimarum cogitationum ſuarum, quod efficit ut vocetur Scientia & Sapientia Patris, prout hæres & depoſitarius univerſalis illius, [In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi i. Quem conſtituit hæredem univerſorum k.] Et ut ſatisfaciat motui voluntatis ſuæ, quæ tota fertur ad benefaciendum Spiritui ſancto, ipſe ſe videt velut obſtrictum ad dandam ei intelligentiam eorundem ſecretorum, & earundem cogitationum, quibus Pater ſuus ipſum illuminaverat. En igitur ipſe hæres Patris, & omnipotentiæ ejus, productus ab illo, & productus à Filio, & ſtatim communicans Divinæ ſapientiæ ejus, conſubſtantialis ambobus, habens authoritatem illius, & ſcientiam iſtius. Et ſicut amor operatus eſt hanc productionem inter Patrem & Filium, & amor iſte nullum aliud habet objectum præter infinitam bonitatem Dei, ſicut ipſe [magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus l.] Hic amor ſe projicit in hanc eandem bonitatem ut in rem amatam, & ſe reddit eandem rem cum hâc eâdem bonitate, quæ ipſi manet veluti jure perſonalis affectationis. Amor igitur & bonitas & Spiritus ſanctus eſt eadem omnino res. Habemus ergo in hoc Spiritu tres perfectiones eximias, potentiam Patris, ſapientiam Filij, & bonitatem quæ ipſi eſt propria. Per primam peragere poteſt opera miraculoſa ad conciliandam authoritatem doctrinæ ſuæ. Per ſecundam ipſe ſcit univerſa. Et per tertiam ita bonus eſt, ut præ ſe ferre non poſſit intentionem decipiendi nos, aut dicendi nobis rem aliquam pro aliâ. Et ſi tres iſtæ ſolæ ſufficiunt ad reddendum validum teſtimonium alicujus, ſapienter egit Dei Filius, cùm cauſam ſuam remiſit Spiritui ſancto, & dixit Apoſtolis ſuis, quòd ſi ipſis ſupereſt adhuc aliquod dubium circa fidem, quam ipſis prædicavit, deſurſum implendi forent virtute Spiritus ſancti, qui capaces ipſos efficeret veritatum, quas ipſos ipſemet edocuerat, & & ut illum ſumerent teſtem gloriæ ſuæ, [Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos m. Id eſt, ipſum omnipotentem Spiritum ſanctum vobis in ſenſibili ſigno donatum. Vel, virtutem, id eſt, fortem gratiam, & præclara chariſmata Spiritus ſancti, qui citò deſuper deſcendet in vos. Dicitur autem Spiritus ſanctus ex à Patre & Filio, imò & à ſeipſo dari atque infundi, quibus dona ejus ad gratiam gratum facientem pertinentia dantur, ſeu infunduntur. Unde Spiritus donum Dei vocatur. Nam à Patre Filioque procedit tanquam donabilis, cùm ipſe ſit amor, in quo prima ratio doni relucet, & in quo cætera dona donantur. Deſcendit quoque atque ſupervenit Spiritus ſanctus in homines nō per loci mutationem (cùm incircumſcriptibilis, invariabiliſque conſiſtat) ſed per donorum ſuorum infuſionem,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus n. Vult Filius Dei ut Apoſtoli ſui reſolutas intueantur omnes difficultates ſuas per adventum Spiritus ſancti, qui ſcit omnes veritates, qui habet intentiones bonas, nec dare poteſt falſum teſtimonium, aut præ ignorantiâ, vel præ malitiâ, & qui prætereà habet totam poteſtatem & authoritatem patrandorum miraculorum, ad qualificandum teſtimonium ſuum, prout procedens per amorem à Patre omnipotente, & à Filio ſapientiſſimo, [Cùm venerit Paraclētus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.] Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum o, [Cùm venerit, non locum mutando, ſed in ſigno viſibili de novo operando, & maximam gratiam infundendo, Paraclētus, hoc eſt, Conſolator Spiritus ſanctus, qui ſpem veniæ imprimendo lætificat pœnitentem, & Divinorum ſapidam cognitionem præſtando exhilarat contemplantem. Quem ego mittam vobis, dando, & influendo mentibus veſtris munera ejus: imò & ipſum, juxta illud Apoſtoli p, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Porrò, Per hoc quod Chriſtus aſſerit, quem ego mittam vobis, oſtendit quòd Spiritus ſanctus ab ipſo procedat. Non enim uni Divinarum perſonarum competit dare vel mittere aliam ſecundùm naturam Divinam, niſi ratione originis ſeu authoritatis ad illam; ideò nunquam

legitur

g Matth. 5. 48.
h Pſ. 23. 8.
i Coloſſ. 2. 3.
k Hebr. 1. 2.
l Baruch. 3. 25.
m Actor. 1. 8.
n Dion. Carthuſ. art. 2. in Act. 1. 8.
o Dion. Carthuſ. art. 38 in Joan. 15. 26.
p Rom. 5. 5.

legitur Pater miſſus à Filio, vel Spiritu ſancto, ſed è contrà. Non itaque congrueret Filio mittere Spiritum ſanctum, niſi eſſet in Filio authoritas reſpectu Spiritus ſancti, videlicet niſi à Filio emanaret. Quod verò adjecit, à Patre, accipi poteſt dupliciter. Primò ſic, quem mittam vobis à Patre, quaſi à fonte, de quo profluit Spiritus ſanctus: vel quem procedentem à Patre, mittam vobis. Secundò ſic, quem mittam vobis à Patre, hoc eſt, virtute Divinâ quam ſuſcepi à Patre, à quo habeo quòd Spiritus ſanctus procedit à me, proceſſione æternâ, & mittitur à me miſſione temporali. Spiritum veritatis, hoc eſt, Spiritum meum, qui ſum Veritas q, & Sapientia r Patris. Dicit enim Apoſtolus ſ de Spiritu ſancto, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non eſt ejus. Qui à Patre procedit. Hoc addit Salvator, ne putaremus quòd à Filio duntaxat procederet Spiritus ſanctus, eò quòd dixit, Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio, non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed inquantùm ſunt unum in naturâ & voluntate. Eſt namque Spiritus ſanctus amor. Amor verò eſt germen atq; proceſſio voluntatis. Quemadmodum ergo mundus creatus eſt à tribus perſonis, non inquantùm ſunt diſtincta ſuppoſita, ſed ut ſunt unus Deus in eſſentiâ, atque potentiâ indiſtinctæ, ita quòd tres perſonæ ſunt unus Creator: ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, per id in quo idem ſunt, ſcilicet, per voluntatem, propter quod ſunt unus ſpirator, unus fons, unumque principium Spiritus ſancti.]

q Jo. 14. 6.
r ex 1. Cor. 1. 30.
ſ Rom. 8. 9.

Non me latet, quòd aliqui inimici fidei noſtræ, ſuos malè inſtituti, putà Græci, ex hoc loco arripuerunt anſam dicendi, quòd Spiritus ſanctus non procederet niſi à Patre ſolo, & non à Filio, quia dicitur in Textu, [Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.] Sed graviter hallucinantur, non conſiderantes quòd idem Filius Dei ait ibidem, [Quem ego mittam.] Atqui non poteſt illum mittere, niſi eum producat, & niſi ſit principium proceſſionis ejus. Præterea, S. Cyrillus Alexandrinus t ritè obſervat, quòd dicendo, [Spiritum veritatis,] apertè demonſtrat, quòd procedit à Filio, qui eſt, ut diximus, velut arcarius veritatum æternarum, [Spiritum veritatis, id eſt, ſuum, ipſe enim veritas u eſt, Paraclêtum appellaverit, ex Patre ipſum procedere ait. Nam ſicut Filij Spiritus eſt naturaliter in ipſo manens, & per ipſum procedens; ſic certè Patris quoque Spiritus eſt.] Occaſione cujus, Eccleſia directa à Spiritu ſancto, [Sed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines x,] iſtud punctum reſolvit, & præcepit in Symbolo fidei noſtræ dicendû juxta Concilium Nicænum, [Credo in Spiritum ſanctum, qui ex Patre Filioq; procedit.] Sic ut ex Textu noſtro cognoſcere poſſimus eos eſſe tres perſonas diſtinctas. Mittitur enim Spiritus ſanctus à Filio, [Quem ego mittam vobis.] Procedit à Patre, [Qui à Patre procedit.] Venit ad nos, [Cùm venerit Paraclêtus.] Et ſi Filius ait, quòd illum mittet à Patre, [Quem ego mittam vobis à Patre,] inde innuit quòd ſuſcepit à Patre authoritatem mittendi illum, & eandem voluntatem quâ producit eum, & mittit eum ſicut ille. Secundò, Videri poteſt è quâ ſubſtantiâ: ſi enim Filius eſt conſubſtantialis Patri, quia eſt genitus ab eo, ſicut ipſemet ait, [Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te y;] & ideò dicit, [Ego & Pater unum ſumus z:] Spiritus ſanctus erit etiam illi conſubſtantialis, quia procedit ab eo, & propterea ipſi tres ſunt ejuſdem ſubſtantiæ. [Quoniam tres ſunt qui teſtimonium

t S. Cyrill. Alexand. lib. 10. c. 33. in Joan. 15. 26.
u ex Jo. 14. 6.
x 2. Petr. 1. 21.
y Ps. 2. 7.
z Joan. 10. 30.

Tomus III.

dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt,] ait S. Joannes a. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus b conformiter ad Textum noſtrum, [Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, id eſt, tota ſuperessentialis & ſuperdigniſſima Trinitas in cœlo Empyreo ſpecialiter habitans, præſtat coram omni cœleſti militiâ teſtimonium, quòd Chriſtus ſit Veritas: quia declarat Trinitas adoranda cunctis cœleſtibus civibus ſemetipſam, & qualiter Verbum procedit à Patre, & Spiritus ſanctus ab utroque, juxta illud in Pſalmo c, In lumine tuo videbimus lumen. De quo teſtimonio loquitur Chriſtus Patri, Clarifica me tu Pater apud teipſum, claritate quam habui priuſquàm mundus eſſet d. Et rurſus, Pater, quos dediſti mihi, volo ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi e. Et hi tres unum ſunt, quoniam tres ſuperbenedictæ & ſupervenerandæ perſonæ ſunt una eſſentia, unus Deus, unum univerſorum principium, & unus omnium ultimus finis: unum ſummum bonum, unum plenæ fælicitatis objectum, quo ſolo fruendum eſt. Divinitatis quippe natura nequaquam poteſt multiplicari, ſed eſt numero una in trib⁹: & quidquid abſolutè competit Deo, toti Trinitati, ſingulisque perſonis commune eſt, & unum in tribus. Propter quod loquitur Chriſtus, Ego & Pater unum ſumus f. Superexcellentiſſimæ quoque Trinitatis perſonalem diſtinctionem, eſſentialemque unitatem Chriſtus pandit, dicens, Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti g.] Tertiò, Diſcimus quòd, licèt Spiritus ſanctus producatur à Patre, ſicut Filius, tamen non eſt Filius ejus, nec ipſius productio vocatur generatio, contra errorem quorundam hæreticorum, qui intelligere non poterant, quomodo proceſſio quæ fit per intellectum, vocatur ſola generatio, ut tendat ad perſonam quæ debet eſſe ſimilis principio ſuo in naturâ & in ſubſtantiâ: & ea quæ fit per voluntatem, ſeu per amorem, qui eſt actus voluntatis, eò dirigitur ut dilectione adhæreat perſonæ jam productæ, licèt cùm ſit Amor Divinus & ſubſtantialis, producat ſimul perſonam amoroſam, quæ eſt Spiritus ſanctus. Deniquè, Videri poſſunt duo præcipua munia, ad quæ Spiritus iſte ſanctus eſt deſtinatus, quæ in hoc ſita ſunt, ut nos edoceat veritates, quæ pertinent ad ſalutem noſtram, & conſoletur animas noſtras, & inflammet eas amore Dei. Propter illud vocatur Spiritus veritatis: & propter iſtud Paraclêtus, [Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.] Quaſi diceret Dei Filius, Apoſtolos ſuos alloquens, Propter utrumque iſtud officium Spiritus ſanctus certa feret teſtimonia de eo quod ego ſum: vos autem cùm ſuſceperitis hunc Spiritum, capaces efficiemini qui teſtimonium perhibeatis de vitâ meâ, & de Doctrinâ meâ quam didiciſtis, & experti eſtis ab initio vocationis veſtræ, [Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Id eſt, ab exordio prædicationis meæ, vel converſionis veſtræ, & mihi inſeparabiliter adhæſiſtis, propter quod eſtis idonei teſtes, quaſi certiſſimi de re geſtâ, & digni eſtis recipere gratiam teſtificandi de me,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus h.

a 1. Joan. 5. 7.
b Dion. Carthuſ. art. 7. in 1. Jo. 5. 7.
c Pſal. 35. 10.
d Jo. 17. 5.
e Joan. 17. 24.
f Joan. 10. 30.
g Matth. 28. 19.

S. Auguſtinus l ait, non eſſe duo teſtimonia differentia, teſtimonium Spiritus ſancti & teſtimonium

h Dion. Carthuſ. art. 38. in Joan. 15. 27.
l S. Aug. tract. 93. in Joan. 16. 1 &c.

Ooo

nium Apoſtolorum, ſed quòd Spiritus ſanctus ſuum teſtimonium perhibet interventu Apoſtolorum, inſumens illos ad patranda miracula in probationem fidei, quam didicerunt à Jeſu Chriſto, qui dicebat iiſdem Apoſtolis ſuis: [Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri
k Matth. 10. 20. qui loquitur in vobis *k*.] Et, [Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæâ, & Samariâ,
l Act. 1, 8. & uſque ad ultimum terræ l.] Sic autem loquitur ſanctus iſte Doctor, [In his quæ præcedunt hoc Evangelij capitulum, Dominus diſcipulos ſuos ad inimicorum odia perferenda confirmans, ſuo quoque præparavit exemplo, ut eum imitando fierent fortiores: addens & promittens eis, quòd venturus eſſet Spiritus ſanctus, qui de illo teſtimonium perhiberet, & adijciens quòd & ipſi fierent teſtes, hoc utique in eis operante Spiritu ſancto. Sic enim ait, Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis: utique quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis. Ille in cordibus veſtris, vos in vocibus veſtris. Ille inſpirando, vos ſanando: ut poſſit impleri, In om-
m Pſ. 18. 5 nem terram exivit ſonus eorum *m*. Parum quippe fuerat eos adhortari exemplo ſuo, niſi impleret Spiritu ſuo.] Et ideò appoſitè ſapientia Filij Dei, quæ [attingit à fine uſque ad finem fortiter, & di-
n Sap. 8. 1 ſponit omnia ſuaviter *n*] decrevit ut teſtimonium Spiritus ſancti præcederet totum teſtimonium Apoſtolorum, ut citò perderent omne genus timoris, qui cauſari poterat eis ab obſtaculis & difficultatibus quæ ipſis occurrebant. Primò, Quia commendabilem reddere debebant eum, qui in crucem actus erat interventu machinationis Judæorum. Secundò, Quoniam dicendum erat, quòd talis homo erat Filius Dei, quod videbatur paradoxum. Tertiò, Propter periculum, cui ſeſe exponebant: cùm enim didiciſſent à Domino ſuo, quòd propter id ipſe ſuffigendus eſſet cruci, [Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis, Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illuden-
o Matth. 20. 17. &c. dum, & flagellandum, & crucifigandum *o*:] jure merito vereri debebant ne ſibi idem contingeret. Et tandem, Eò quòd ipſi ſeipſos agnoſcebant rudes, nunquam fuiſſent auſi prædicare veritates ſic ſublimes, & myſteria ſic ſplendentia, niſi priùs apprimè fuiſſent edocti ea, quæ erant annunciaturi. Et ſuper iſtud omne Dominus ipſorum ipſos animat: Nam dicens eis, [Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me;] idem eſt ac ſi diceret illis, Nolite cogitare quòd res probroſa ſit ac publicare nomen meum, cùm Spiritus ſanctus qui procedit à Patre, & qui eſt Deus ſicut Pater, iſtud ſit acturus; nec quòd vobis ſit impoſſibile perſuaſu hominibus, quòd homo crucifixus poſſit eſſe Deus, [Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.] Habebitis enim pro directore [Spiritum veritatis,] qui nihil ignorat, & qui cùm ſit Spiritus Dei, univerſa pervadit, & talem collocare poteſt fidem qualem volet in cordibus eorum, qui applicabunt aures ſuas prædicationibus veſtris: [Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam pro-
p 1. Cor. 2. 10. funda Dei *p*.] Nolite autem terrore percelli, quàmvis allocuturi ſitis Reges & Tyrannos: hic enim Spiritus non ſolùm faciet vos contemnere omnia pericula mortis, & martyrij; ſed faciet vos deſiderare ea, & in ijs percipere conſolationem: eſt enim paraclêtus, & omnino conſolator: [Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos: & ad Præſides & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis & Genti-
bus *q*.] Tandem, Ne attendatis ſuper ignoran- q Matth. 10. 17. & 18.
tiam veſtram: Spiritus enim quem ego vobis dabo, providebit vobis capacitatem ſimul & animum, ſuggerens vobis ita profundam ſcientiam, ut peritiſſimi quique Philoſophi nunquam valituri ſint vos convincere falſitatis, [Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa horâ quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed
Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis *r*.] r Matth. 10. 19. & 20.
Ipſe vos reddet cœleſtes & Divinos, quia Spiritus eſt: dabit vobis virtutem patrandorum miraculorum, quia procedit à Patre, qui [omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terrâ, in mari, &
in omnibus abyſſis *ſ*.] Chariſſimè vos diliget, quia ſ Pſal. 134. 6.
ipſe eſt amor quo ego & Pater meus diligimus vos, qui efficit ut ipſum mittamus ad vos.

Dei Filius igitur vult ut Spiritus ſanctus eos præveniat, ut oſtendat eis quòd ſine hoc Spiritu incipere non poſſunt officium ſic ſublime; & ut illis innuat, quòd hic idem Spiritus planas faceret omnes difficultates quæ ipſis eſſent occurſuræ ad exequendum tantum conſilium. Re autem verâ res ſucceſſit juxta deſiderium ipſius: nam S. Paulus ait, [Non erubeſco Evangelium: virtus enim Dei
eſt *t*.] Et, [Sermo meus & prædicatio mea non in t Rom. 1. 16.
perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in u 1. Cor. 2. 4.
oſtenſione ſpiritus & virtutis *u*.] Et, [Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chri-
ſto *x*.] Et, [Omnia poſſum in eo qui me confor- x 2 Cor. 12. 10.
tat *y*.] Ecce quatuor effectus præfati, quos Spiri- y Philipp. 4. 13.
tus ſanctus operatus eſt, ut redderet Apoſtolos idoneos teſtimonio perhibendo de Filio Dei, [Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.]

Quis igitur dubitabit de ſufficientiâ talis teſtimonij? Sed quis arguet Filium Dei pro eo quòd ſe commiſerit huic Divino Spiritui ad qualificandam perſonam ſuam, & ad purgandum ipſum à
tot calumnijs, quarum ipſum, & doctrinâ ipſius *z*. z Joan. 7. 12.
inſimulaverant Judæi? Oportebat quidem ut
Salvator, qui rediturus erat [ad Patrem *a*,] & e- a Joan. 16. 28.
repturus præſentiam ſuam oculis hominum, qui eâ erant indigni, eò quòd cùm [in propria venit,
ſui eum non receperunt *b*;] & aſcenſurus in hanc b Jo. 1. 7.
ſupremam Curiam cœli, ubi omnes Aulici honorant ipſum ut Filium Dei, ſe tueretur ſimul ab innumeris detractionibus, quas in ipſum poſſet mundus invehere ad vilipendendam gloriam ipſius, ad obſcurandum nomen ipſius, ad annihilanda opera ipſius mirabilia, ad detrahendum fidei ipſius, ad ſuffocanda præcepta ipſius, ad impugnandam ſanctam [Eccleſiam Dei, quam acquiſi-
vit ſanguine ſuo *c*,] & ad deſtruenda noſtræ re- c Actor. 20. 28.
demptionis univerſa myſteria. Ha! Dei Filius, Auditores, nimium laborem inſumpſit, ne dum abſentiâ ſuâ profligari ſinat id quod emit ipſe *pre-
tio magno* d. Et ſi memoria hominum eſt abbre- d 1. Cor. 6. 20.
viata, & ſi mens illorum eſt infirma, & ſi pigritia eorum eſt magna, & ſi invidia Satanæ eſt immodica, & ſi perſecutiones Tyrannorum ſunt violentæ, & ſi doctrina mundi eſt fallax, & iſtud omne propter ipſius abſentiam non poteſt invehere niſi ingentem deordinationem in Eccleſiam ipſius, ipſemet occurrere debet huic deordinationi, & o-

portet

portet ut citò poſt adventū ſuum in cœlum, mittat in terram Divinum Spiritum ſuum, qui effectibus ſuis mirabilibus, & efficaciâ ſuâ conſervet, augeat, & fœcundet id omne quod Jeſus Chriſtus in eâ reliquit, & det ſemper teſtimonium, quòd hoc eodem Spiritu docuerat Apoſtolos ſuos, & confirmaverat documenta ſua omnia operibus miraculoſis, quæ ſortiri non poſſunt effectum ſuum niſi interventu ſolius iſtius Spiritus. Etiam, Auditores: nam mihi videor intueri Solem, cogitans de Patre æterno; lucem Solis iſtius, memor Filii ejus; & calorem qui inde procedit, imaginatus Spiritum ſanctum, qui tuetur jura Filij Dei, ſicut & juſtificationem animarum noſtrarum. Et hoc eſt quod nobis ſupereſt breviter videndum.

II Pars. Omne iſtud eſt verum, Auditores: hæc ſunt effecta mirabilia, quæ Spiritus ſanctus producere poteſt in illis qui ſe ſinunt agi motibus ipſius, & ſuavitate gratiarum ipſius amoroſarum: ipſe enim poteſt nos introducere [in terram lacte & melle
e Deut. 31. 20. manantem e,] ut fruamur ibi theſauris, qui ibidem abundant. Sed quis poterit ſibi polliceri quòd dirigatur ab hoc Spiritu? Oportet ut is, ſit homo qui ad hanc terram promiſſionis jus aliquod habeat: alioquin inde repelleretur ex ipſo vel introitu à cuſtodibus cœli, qui ſunt, meâ quidem ſententiâ, Cherubini pleni igne, ſimiles illi Cherubino, quem [Dominus Deus collocavit ante paradiſum voluptatis, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vi-
f Gen. 3. 23. & 24. tæ f.] Quis autem poteſt ad illam jus habere præter filios domus, qui prætendere poſſunt hæreditatem Dei? [Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Si autem filij; & hæredes: hæredes quidem Dei, cohære-
† Rom. 8. 16. & 17. des autem Chriſti †.] Sed qui ſunt illi qui audebunt gloriari ſe eſſe è numero filiorum Dei, niſi de hâc eximiâ qualitate magnas habeant certitudines? Cùm ſcientiæ hominum quæ ſpectant res naturales & ſenſibiles, ſint ita fallaces & mendaces, quomodo certitudinem præſtare poterunt illius quod ſpectat ſecreta inſcrutabilia prædeſtina-
g Rom. 11. 33. tionis Dei? cùm S. Paulus g inclamet voce contentâ, [O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus!] Ego putabo me eſſe è numero Prædeſtinatorum, quia in conditione meâ videor accedere ad conditionem Beatorum. Ipſi ſunt magni & divites, [Gloria & divitiæ in
h Pſal. 111. 3. domo ejus h.] Et ego magnus ſum, & dives: Inebriantur ejuſdem cœleſtis ab ubertate domus, &
i Pſ. 35. 9. torrente voluptatis i] ejus potantur; & ego delicus diffluo: Nullis afficiuntur faſtidiis & adverſitatibus, [Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus,
k Apoc. 21. 4. ex Iſa. 25. 8. neque clamor, neque dolor erit ultrà k.] Et ego ſum è numero illorum, de quibus prædixit Pſalmiſta l, [In labore hominum non ſunt, & cum
l Pſ. 72. 5. hominibus non flagellabuntur.] Habent illi mentem ſanam & firmam; & ego ſimiliter; Hæc omnia ſunt conjecturæ ſufficientes totidem, quòd ſim è numero Prædeſtinatorum: incipio enim ex iſto mundo tenere hunc ſtatum per juſtificationem, quæ fit per gratiam Spiritus ſancti, quæ eſt principium gloriæ, ſicut juſtificatio eſt effectus prædeſtinationis. Sed putatiſne, Auditores, quòd iſtud ſufficiat ad hoc ut benè ſitis inſtituti juſtificatione veſtrâ, & veſtra prædeſtinatione? Ha! malè inſtructi eſtis: errorem deponite; & cùm ſcire velitis bonam fortunam veſtram, eam vos paucis edocebo.

Sed non ignoratis quòd illi qui profitentur alios edocere bonā ſortem, ſatagunt eorum manus ſibi exhibendas. præbete mihi manus veſtras intuendas, & infallibiliter vobis dicam id quod eſtis, & id quod evadetis. Sciamus, ſi placet, cuinam rei vos applicetis, quiſnam ſit ſpiritus qui vos regit, num ſpiritus ambitionis, aut ſpiritus humilitatis; num ſpiritus invidiæ, aut ſpiritus charitatis; num ſpiritus carnis, aut ſpiritus mortificationis: inde enim cognoſcam utrùm ſitis filij adoptionis, aut reprobationis; luminis, vel tenebrarum; Dei, vel diaboli: & licèt omnia teſtimonia humana videantur fallacia, tamen vera ſunt cùm teſtimonium Spiritus ſancti præſtat ipſis authoritatem: [Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro,
quòd ſumus filij Dei,] dicit S. Paulus m. Et S. Jo- m Rom. 8. 16.
annes n, [In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij n 1. Joan. 3. 10.
diaboli.]

Ille ſanè loquebatur appoſitè, qui hominem comparabat horologio propter multas eximias rationes & analogias, quæ reperiuntur inter utrumque: ſed ad propoſitum noſtrum ipſe videtur oculos injeciſſe in præfatum locum S. Pauli, [Ipſe enim Spiritus,] &c. In horologio ſunt quatuor res præcipuæ, rotæ quæ moventur, momenta quæ aſcendunt & deſcendunt, & moveri faciunt rotas, ſtylus qui notat à foris, & cymbalum quod tinnit; duæ res quæ videntur, & duæ quæ non videntur: rotæ & momenta ſunt abſcondita, ſtylus & cymbalum apparent oculis & auribus. Momenta ſignificāt leges Dei ſupremas & infimas, aut
mandata quæ ſpectant [Deum, & proximum o,] o Matth. 22. 37. & 39.
quæ movere debent cætera: Rotæ denotant intentiones & cogitationes hominis, quæ movendæ ſunt juxta inclinationem momentorum: Cymbalum quod tinnit, innuit verba hominis: Et ſtylus qui notat coram omnibus, oſtendit actiones & opera quæ fiunt palam univerſis. Atqui quandiu rotæ moventur ſecundum momenta, omnia benè ſe agunt in horologio, & cymbalum rectè pulſat horas, & ſtylus ritè notat illas, & videntur momenta per id quod apparet à foris, dare certitudines quòd rotæ moventur appoſitè, & quòd horologium eſt bonum: ſed ſi in eo ſit aliqua rota depravata aut fracta, hæc impedit operationem momentorum, & facit ut eadem per ſuam deordinationem teſtentur quòd omnia ſint ibi diſſoluta: quandiu ſpiritus & intentiones hominis moventur ſecundùm Spiritum Dei, & mandata illius, apparet à foris, & per verba, & per opera, quòd hic homo benè incedit, quòd juſtificatus eſt, quòd eſt filius adoptionis & gratiæ, & conſequenter quòd eſt Filius Dei; & motus ſancti Spiritus apparet in totâ hujuſmodi directione: [Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſu-
mus filij Dei p.] Sed ſtatim ac intentio corrum- p Rom. 8. 16.
pitur, operatio ſancti Spiritus interrumpitur, & id quod debebat eſſe Spiritus ſancti, evadit ſpiritus Satanæ. Fœlix ille qui per juſtificationem animæ ſuæ habebit teſtimonium ſic authenticum, & qui ſic accommodabit univerſos motus ſuos ad inſpirationes iſtius Divini Spiritus, ut poſtquàm juſtificatus fuerit ab eo in iſto mundo interventu gratiarum ipſius, glorificari poſſit ab illo in altero ſæculo, quæ glorificatio eſt ultimus effectus prædeſtinationis ad gloriam ſempiternam.

IN FESTO PENTECOSTES:

Adhuc multa habeo vobis dicere : ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioan 16. 12. & 13.

NAtura quæ ſemper principia tribuit operibus ſuis infirma, mihi ſemper videtur veluti judicio prædita in directione ſuâ, cùm ipſa perficit dare eis conſummationem, quam ipſa recuſaverat eis in nativitate ipſorum, per curam illorum quos ipſa ſubſtituit : ſi ipſa exponit animalia cum infirmitatibus, quæ deberent, ut videtur, cauſare eis mortem, ipſa providit eis auxilium beneficum parentum, quibus indidit ipſa ſic ingentem & ſolicitum amorem, ut prodigi ſint vitæ ſuæ, ad hoc ut extendant vitam filiorum ſuorum, quorum videtur eis ipſa commiſiſſe directionem : Dei Filius, Auditores, hodiernâ die ſe gerit eâdem ſapientiâ erga Eccleſiam ſuam naſcentem : ſicut ipſe videbat eam infirmam in principio ſuo, & omnes potentiæ mundi armari debebant adversùs eam ad inferédam ei mortem antequàm ſumpſiſſet ipſa vires per incrementum, voluit ei providere aliquem, qui ſerviret ipſi loco Patris in diſceſſit ſuo, cujus amor erga ipſam foret ſic vehemens & ita tener, ut perficeret curis ſuis dare ei hanc firmitatem quam nõ habebat, illamque ſic ſtabiliret, ut foret ipſa velut inconcuſſa rupes in medio mari, cui fluctus, qui percutiunt ima ipſius, nullum aliud malum inferunt, quàm ut ipſam dealbent ſpumâ ſuâ : iſtud eſt quod peregit Spiritus ſanctus cùm deſcendit ſuper hanc infirmam Eccleſiam, totam tunc incloſam
a Act. 2. 1. &c. in cœnaculo a: ipſe perfecit id quod deerat huic novæ productioni Salvatoris, & ultimam applicuit manum iſti operi quod Dei Filius duntaxat delineaverat. Quod videbimus in iſto
b Matth. 10.20. diſcurſu, ſi [Spiritus Patris qui loquitur in b] ignaris & timidis, ſicut locutus eſt in Apoſtolis, velit animare linguam meam & cor meum, ſicut iſtud ego ab eo efflagito interventu Sponſæ ipſius B. Virginis Deiparæ : [Sancta enim Puella Virgo
c S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. Maria eſt Sponſa Trinitatis c,] dicendo ei, [AVE MARIA.]

Quodcumq; mundus includit ſpecioſiſſimum & perfectiſſimum, omnes creaturæ quæ apparent oculis noſtris, nunquam ſuſceperunt à principio ſuo in nativitate ſuâ perfectionem ſpeciei ſuæ, niſi per progreſſum æquè dulcem ac minùs eſt ſenſibilis, & per motum qui diſpenſat ipſis ſapienter & menſurabiliter univerſas prærogativas quas ſuſcipere poſſunt. Re autem verâ natura non tribuit nobis opera ſua in nativitate ipſorum niſi delineata cum principiis infirmis, & quantamcumque præ ſe ferant inclinationem accedendi ad excellentiam quæ eſt ipſis permiſſa, quantumcumque conatum inſumant ad acquirendum id quod deeſt ipſis perfectionis, omnis ipſorum induſtria, & univerſa ipſorum artificia nõ perficiuntur niſi cum tempore ; cunctæ res progrediuntur per gradus, & dandum eſt ipſis tempus, cujus interventu perveniant ad ſupremum excellentiæ ſuæ apicem, [Nihil ſine ætate, & omnia tempus expectant. Aſpice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur. Deinde rami & frondes invaleſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine ſolvitur, & de flore fructus aperitur,] ait Tertullianus d. Plantæ non explicant virtutem
d Tert. lib. de Virginib veland. c. 1. ſuam eâdem die quâ ſatæ ſunt ; arbores, quæ videntur nubes tangere, non veniunt in mundum instructæ floribus ſuis, folijs ſuis, & fructibus ſuis : emittunt primò folia extra ſemen ſuum, caulis ipſarum ſeu truncus incipit aſcendere, poſteà producunt inſenſibiliter exiguos ramos motu & progreſſu, qui viſum fugit, deinde nobis oſtendunt flores ſuos, qui etiam non apparent in principio niſi in gemmis & oculis, & librum dimittunt, quando nodi, quibus adhærent, creſcunt ut formentur in fructus, & fructus accedant ſuaviter ad maturitatem ſuam : Dies quæ nobis datur à luce Solis, ab iſtâ qualitate, quæ non exigit niſi inſtans unicum ad ſe diffundendam in totum ſpatium loci ab ipsâ illuminandi, non eſt tamen integra ſuper Horizonte noſtro, niſi tempore quod requirit iſte Planeta ad elevandam ipſam uſque ad meridiem ſuum: Homo tandem, licèt opus eximium naturæ, cùm ſit iſtius orbis incola, per iſtam qualitatem ſe videt obſtrictum huic juri, quod nulli permittit fruitionem perfectionis ſuæ, niſi poſt partam illius acquiſitionem motu : natura non ditat ipſum in nativitate ſuâ omnibus prærogativis & donibus, quas ſuſcipere & poſſidere poteſt in extenſione ſpatii ſui; ſuum non ſuſcipit implementum niſi per gradus, & obſervat hanc legem Rerumpublicarum benè moratarum, in quibus tranſire debet quis per minores gradus honoris, ut mereatur eminentiores, [Is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens, eruditur in manſuetudinem ſaporis,] proſequitur idem Tertullianus. Ex quo ingreditur mundum per conceptionem, non vivit niſi ſicut vegetans, qui alitur ut perveniat ad juſtam magnitudinem, inſtitutus juribus ſpeciei ſuæ, donec natura applicuerit ultimam manum conformationi organorum ipſius : cùm exit è loco in quo formatus eſt, ingreditur infirmitates infantiæ, quæ alligant ipſum ineptiis, quas deridet ipſius adoleſcentia, ſtatim ac hæc inſumit ipſum ad exercitia ſeria : & tandem cùm pervênit ad ætatem perfectam, in quâ liberatus eſt ab omnibus levitatibus infantiæ, & ab univerſis infirmitatibus adoleſcentiæ & juventutis, non perficit tamen nobiliſſimas actionum ſuarum, nec ſuas conſummat cognitiones niſi per progreſſum, qui maturè diſpenſat ipſi lumina ſua, & hoc per hanc legem invariabilem in naturâ, à quâ non indulget ipſa diſpenſationem, quòd requiratur tempus & terminus ad hoc ut progreſſus fiat ad perfectionem : [Sic & juſtitia (nam idem Deus juſtitiæ & creaturæ) primò fuit in rudimentis, naturâ Deum metuens : dehinc per legem & Prophetas promovit in infantiam : dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem : nunc per Paraclêtum componitur in maturitatem,] dicit conſequenter idem Tertullianus. Sanctitas ſeu perfectio Chriſtiana ſimiliter ſecuta eſt iſtam legem communem naturæ ; ipſa petivit tempus ad jungendum altiſſimum gradum excellentiæ ſuæ; ipſa non apparuit, ait iſte magnus Africanus, in nativitate mundi in lege naturæ, niſi ſicut embrio in loco ſuæ formationis cum omni-

bus infirmitatibus iſtius primæ ætatis : ipſa deinde tranſivit ex hoc infirmo principio in infantiam ſuam in lege Moyſis & in Prophetis , qui paulò majorem præ ſe tulerunt ardorem & zelum ad obſequium Dei : ipſa roborata eſt conſequenter , & ſuſcepit adoleſcentiam ſuam per incarnationem Filii Dei , qui nobis oſtendit ſuper exempla perſonæ ſuæ , naturam ſanctitatis , cujus non habebamus niſi leviſſimas adumbrationes : tandem , ipſa ſuſcepit die iſtâ ultimum complementum ſuum per deſcenſum Spiritus ſancti , qui liberavit , Apoſtolos ab omnibus infirmitatibus ipſorum, & ultimam applicuit manum ſanctitati ipſorum perficiendæ a ipſa non recepit igitur complementum ſuum , niſi per hanc ſequelam menſuratam, quæ dedit ipſi perfectionem excellentiæ ſuæ. Hæc autem perfectio ſeu conſummatio materiam præbebit exercendis attentionibus veſtris , cùm velim vobis oſtendere , quòd Spiritus ſanctus eſt complementum ſanctitatis &

Diviſio. perfectionis , quam Jeſus Chriſtus venerat doctum ſuper terram , & hoc propter duas rationes, quæ duas conſtituent diſcurſus iſtius partes.

I. Pars. Voco in iſto loco ſanctitatem & perfectionem Chriſtianam , quandam firmitatem in gratiâ, quam Deus nobis communicat , ut nos educat è peccato; quæ nos ſanctificat, & nos reddit immobiles in virtute, & hæc gratia eſt eò perfectior, quò majorem fortitudinem nobis inſpirat ad nos cuſtodiendos in hoc felici ſtatu , & ad præveniendos caſus noſtros ; providet nobis media progreſſui noſtro peragendo opportuna, nedum nobis permittat ut labamur ex hâc altâ fortunâ , ita ut altiſſimus gradus excellentiæ , quem ipſa poſſit habere in hoc mundo, imo verò in cœlo , ſit , ut reddat homines ita ferventes in bono , ut cadere non poſſint ex hoc ſublimi ſtatu ; ut illud omne quod artificium carnis & mundi poteſt explicare deliciarum, aut theſaurorum, corrumpere non poſſit illorum fidelitatem, aut tentare eorum conſtantiam ; & ut triumphent de inimicis ſuis. Sic Beati honorantur titulo Sanctorum ab Eccleſiâ, quia ſunt in ſtatu ita firmo ut nihil amittere poſſint dignitatis ſuæ : & gloria , quam poſſident, non eſt niſi gratia conſummata, quæ reddit ipſos immobiles in bono , & eripit ipſis libertatem amittendarum prærogativarum ſuarum vel per exiguum crimen. Nemo mortalis , in hoc mundo ſibi poteſt aſciſcere qualitatem Sancti , quia virtus , quantùmvis excellens ſit , non eſt ita ſecura quin vereri debeat occurſum inimi-(e Luc. 6. 13. &c.) corum ſuorum; & caſus ordinarii , à quibus ſuam (f Matth. 26. 14. & 15.) tueri non poteſt puritatem , debent ipſum edocere quantæ ſint infirmitates ſuæ. Apoſtoli ex ipſo ſuæ vocationis e momento , verè ſanctificati fue-(g Matth. 26. 70.) rant à Filio Dei : id eſt , ab eo fuerant educti è (h Matth. 26. 56.) peccato ad gratiam Chriſtianiſmi , & mundati ab omnibus ſordibus, quibus erant inquinati : ſed (i Luc. 24. 11. &c.) ipſorum ſanctitas non erat ſic conſtans ut foret invulnerabilis inter aggreſſiones inimicorum ſuo-(k S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103 ex Joan. 19. 14. & ex Gen. 2.) rum: proditio Judæ f, negatio Petri g, fuga Apoſtolorum h, eorumque fides orbans i poſt mortem Domini ſui, teſtatur ipſorum inconſtantiam, & puſillanimitatem : & Eccleſia, cui Deus Filius nativitatem dederat ſanguine ſuo , [Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis k,] non perſe-(l Luc. 23. 53. &c.) veravit poſt mortem ipſius , & non conſervata (m S. Bern. ſerm. de Lament. Virg. Mar.) fuit in mundo toto illo tempore quo corpus ipſius jacuit [in monumento l,] niſi in ſolâ B. Virgine, quæ nunquam dubitavit de puritate Filii ſui , ſicut docet S. Bernardus m , [in ipſâ enim ſolâ in tri-

duo illo fides Eccleſiæ ſtabat : & dum unuſquiſque hæſitabat , hæc quæ fide concepit n , fidem (n Ex Luc. 1. 38.) quam à Deo ſemel ſuſcepit , nunquam perdidit, ſpeque certiſſimâ Domini reſurgentis gloriam expectavit.] Ipſa ſola cuſtodivit in corde ſuo Eccleſiam Filii ſui (ſaltem juxta mentem S. Bernardi) ſicut arca Noë conſervavit totam naturam o : (Gen. 7. 23.) ſed fides Apoſtolorum non fuit ſatis fortis ad ſuſtinendum hunc conflictum , & ad credendum, quòd is , quem viderant [inclinato capite ſpiritum p] emiſiſſe, reparaturus eſſet mundum ; quòd (p Joan. 19. 30.) iſte , in quo obſervaverant omnes infirmitates communes hominibus , & quem viderant amiſiſſe vitam malitiâ inimicorum ſuorum , triumpharet de morte , & ſumeret vitam, quam non deberet ampliùs perdere : fides ipſorum ceſſit in hoc certamine ; & Jeſus dicere poterat , quòd non haberet ampliùs Apoſtolos in mundo : propter-eà [illis undecim exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis , quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt q.] Corripuit (q Marc. 16. 14.) ipſos poſt reſurrectionem ſuam infirmitatis amoris ipſorum , quòd Petrus dilexiſſet ipſum ſuper monte Thabor *, & poſteà dereliquiſſet ipſum † (* Matth. 17. 4.) cùm captus eſt ut duceretur in montem Calvari-(† Matth. 26. 70.) am : ſed cùm pepercisſet eis hanc injuriam, poſt mortem ſuam volens illos exponere palàm , ut in totum mundum deferrent ipſius nomen , & fundarent ipſius Eccleſiam , prævidens certamina , quæ neceſſariò debebant ipſi inire , pericula quæ ipſi rationabiliter metuenda habebant , & inimicos quibuscum erat eis dimicandum , dubitans de illorum magnanimitate in hôc occurſu , in quo mundus & infernus adhibere debebant id quod haberent rabiei ad impediendam ruinam dæmonum , & ad ſatagendum ne ſtabiliretur Crux , ut ſe cuſtodirent in poſſeſſione imperii mundi , quod ipſemet Salvator volebat abripere, veritus ne virtus illorum non poſſet omnibus iſtis violentiis reſiſtere , & ne deditionem illarum ſubiret, volens amorosè prævenire hunc lapſum ; dixit eis antequàm illos relinqueret , & aſcenderet ad Patrem ſuum, Apoſtoli mei, ego vos elegi ad prædicandum Evangelium Poteſtatibus mundi, ad ferendum nomen meum , & ad tollendam crucem meam ad extremas uſque totius orbis oras , eamque plantandam in medio templorum, ubi dæmones ſuſcipiunt adorationes & ſacrificia ab omnibus hominibus , ut teſtimonium perhibeatis vitæ meæ, & mortis meæ, & eorum quæ pertuli propter ſalutem mundi , [Vos teſtes eſtis horum r.] Sed ſicut totus infernus opponere (r Luc. 24. 48.) ſe debet miſſioni veſtræ, & oportebit ut ſuſtineatis exceſſus furorum ejus , ad quos tolerandos veſtra virtus nondum eſt parata , cavete ne zelus veſter vos abripiat ad volendum prædicare citiùs quàm ſit par in diſpendium virium veſtrarum, manete adhuc diebus aliquot Jeroſolymis , donec Spiritus ſanctus quem promiſi vobis, deſcendat ſuper vos , & induatis hanc fortitudinem , quæ dabit vobis animum ſine pavore , & conſtantiam ſine puſillanimitate , [Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto s.] Et (s Luc. 24. 49.) iſte divinus Spiritus non ſolùm reddet vos peritos myſteriorum , quæ veſtra non poteſt nunc infirmitas ſuſtinere ; ignis iſte cœleſtis non ſolùm illuminabit mentes veſtras ad vos edocendos id, quod nunc ignoratis , ſed calefaciet etiam cor veſtrum, ardorem dabit animo veſtro, tantum vobis inſpirabit calorem , quantum lumen , tandem perficiet in vobis id quod deeſt virtuti veſtræ ad

hoc ut ſitis perfecti, & ex ovibus quales nunc eſtis, reddet vos Paſtores Eccleſiæ, [Et eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ t.] Contentâ voce prædicare poteritis in Synagogis, virtus veſtra non erit ampliùs ſuſpecta, nihil habebitis timendum ſub protectione iſtius Paracleti; audacter loqui poteritis de Crucifixo, & triumphabitis de inferno, qui vellet impedire & exinanire verbum veſtrum.

Sic, Auditores, S. Petrus qui aliàs tremore concuſſus fuerat ſub verbo mulieris, qui paverat ſe confiteri diſcipulum Jeſu Chriſti coram ancillâ u; ex quo Spiritus iſte divinus honoravit ipſum viſitatione ſuâ, & ſe collocavit in medio **cordis ipſius**, cùm ignis iſte Sacer intimè pervaſiſſet **pectus ipſius**, loquitur ſine timore, fronte intre**pidâ impro**perat Judæis ingratitudinem ipſorum, generosè confitetur ſe eſſe diſcipulum illius, quem ipſi cruci ſuffigendum ſategerunt, ſe paratum eſſe ad obſignandum ſanguine ſuo & morte ſuâ innocentiam Crucifixi, quem tamen ipſi damnaverunt quaſi reum †, & ſceleſtiſſimum omnium hominum: & vel ex ipſo egreſſu è cœnaculo, in quo ſuſceperat hanc cœli virtutem, ipſe qui palluerat aliàs coram fœminâ, triumphat in primo occurſu de tribus millibus animarum, è quibus facit populum acquiſitionis Filio Dei: [Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illâ animæ circiter tria millia x.] Quia Spiritus iſte calefaciens amorem ipſius, extinxerat in ipſo omnes affectus timoris; virtus ipſius firma in principio ſuo, ſtabilita eſt per hanc viſitationem cœli, ita ut nunquam ceciderit ex hoc ſublimi ſtatu: Roma armata legionibus illis victricibus mundi, nullum incuſſit ipſi pavorem; ipſe voluit, ſicut fecit, collocare ſedem ſuam in illâ magnâ civitate, & facere Caput Chriſtianiſmi eam, quæ erat caput idololatriæ. Reliqui Apoſtoli ſe geſſerunt eodem modo, timor ipſorum diſſipatus eſt coram hoc igne cœleſti; non pudent ipſos ampliùs annunciare Evangelium, & in faciem reſiſtere Tyrannis armans irâ & ſævitiâ; virtus ipſorum ſic ſtabilita eſt, ut ipſa fuerit inconcuſſa ad omnes inferni conatus; ſanctitas ipſorum ſuſcepit primum ſigillum ſuum, quòd reddidit ipſos immobiles ſicut rupes in medio fluctuum, qui ipſas percutiunt; & Spiritus ſanctus tribuit ipſis hanc conſtantiam, hanc firmitatem, hanc immobilitatem, quam omnes promiſſiones, & univerſæ minæ noo potuerunt evertere. Propterea S. Auguſtinus y vocat eum Vicarium Jeſu Chriſti, quia conſummavit opera, quæ Jeſus Chriſtus inceperat, [Ecce iterùm nova de ſupernis medicina mittitur: ecce iterùm infirmos ſuos per ſeipſam Majeſtas viſitare dignatur. Ecce iterùm humanis divina miſcentur, id eſt, Vicarius Redemptoris: ut beneficia quæ Salvator Dominus inchoavit, peculiari Spiritus ſancti virtute conſummet: & quod ille redemit, iſte ſanctificet; quod ille acquiſivit, iſte cuſtodiat.] Spiritus ſanctus igitur complementum dedit operibus Jeſu Chriſti flammis ſuis, & perfecit mundare calore ſuo id, quod Salvator laverat [in Sanguine ſuo z.] Sed id peractum non fuit niſi interventu Spiritus ſancti, qui ſuſcipit hodie formam [ignis a,] ad conſumendam hanc infirmitatem Apoſtolorum, & ad dandum eis vigorem qui reſiſtere poſſit univerſis potentiis inferni, & mundi.

t Act. 1. 8.
u Matth. 26. 70. &c.
† Matth. 26. 66.
x Act. 2. 41. &c.
y S. Aug. ſerm. 1. Fer. 2. Pent. qui eſt 185. de Tem.
z Apoc. 1. 5.
a Act. 2. 3.

Si autem vultis, Auditores, ut Salvator mittat ad vos Spiritum ſanctū ſuum, debetis illum ab eo petere more Apoſtolorum, & ſatagere ut illum alloquantur pupillæ oculorum veſtrorum, ut repræſentent ei infirmitatem veſtram, & dicant illi præ corde anguſtiis conſtricto, [Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ b.] Dignare, Domine, mittere Spiritum ſanctum tuum, & renovabis totum ſtatum animæ meæ; ſi hæc eſt infirma, vivificabis omnes languores meos; ſi in eâ nulla ſint ſancta deſideria, hæc in eâ naſci facies: ſi nulli ſunt in eâ habitus virtutum, iſtos ei tribues; ſi in eâ ſunt mala deſideria, hæc in illâ conſumes: tandem, me mutabis in hominem novum, ita ut ex me fiat à te [nova creatura c,] ſecundùm deſiderium tuum, [Et renovabis faciem terræ.] Quantùncumque bonum deſiderium nunc præ me feram ſerviendi tibi, cor meum tamen declinationem ſubit ad minimam vel occaſionem; & creaturæ, quas aliàs dilexi, triumphant de voluntatibus meis, quando occurrunt: ſed Spiritus tuus principalis d, quem efflagito à te, operabitur in corde meo eundem effectum, quem peregit in cordibus Apoſtolorum, & ſic potero [omnia in eo qui me e] confortabit, nedum, cùm fultus ero illius protectione, aliquid ſit in mundo quod ſeparare me poſſit à te: è contrà omnes contradictiones reaccendent flammas meas: quia Spiritus iſte me renovans, dabit mihi cor ſecundùm cor tuum; & è ſubjecto rebelli uſque ad diem iſtam, faciet filium obedientem, qui in omnibus morem geret voluntati tuæ: & ex hâc etiam qualitate filii, quam Spiritus ſanctus nobis dat, eruo ſecundam rationem meam.

II. Pars.

Secunda ratio, quæ nobis perſuadet, quòd Spiritus ſanctus eſt complementum ſanctitatis & perfectionis, eſt, quia dat nobis titulum filiorum Dei, & quòd non habeamus virtutem & ſanctitatem niſi inquantùm participamus hunc titulum. Relinquo Scholæ diſcutiendum, num [Verbum caro factum f] eſſet, ſuppoſito quòd Adam ſic ſapienter ſe geſſiſſet ut ſe cuſtodiviſſet in illo felici ſtatu juſtitiæ originalis & gratiæ, quam Deus ei dederat, cùm illum [creavit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam g.] Hæc opinio nondum ita clarè dilucidata eſt, ut ſententiæ contrariæ ſe defendere oon poſſint æqualitate rationum: ſed unum ſcio, quòd ex hoc infelici lapſu, qui è culpâ particulari fecit peccatum publicum, [Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt h:] præcipuum conſilium Filii Dei in incarnatione ſuâ, non erat aliud quàm reparatio imaginis ſuæ, quam crimen iſtud deleverat: [Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat i.] Eò tendebat Filius Dei, [qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo k,] ut reficeret in nobis hanc imaginem, quam deferebamus excellentiarum ipſius ſuper omnes creaturas, quæ ſunt quidem veſtigia Creatoris ſui: [Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas l:] ſed homo eſt illius imago; *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* m. Sed ſicut ipſe eſt Ens intelligens, expers impuritatis materiæ, nec mortis legibus ſubjacet: *Spiritus eſt Deus*, ait S. Joannes n: *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex Eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata: eſt tamen hono-*

ratus

b Eccleſia ex Pſ. 103. 30.
c 2. Cor. 5. 17.
d Pſ. 50. 14.
e Philipp. 4. 13.
f Joan. 1. 14.
g Gen. 1. 27.
h Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6.
i Luc. 19. 10.
k Philipp. 2. 6. & 7.
l Rom. 1. 20.
m Gen. 9. 6.
n Joan. 4. 24.

Digitized by Google

ratiſſimus intellectus, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *o*: Deus tribuit ei animam rationalem, liberam à ſordibus materiæ, & immunem à legibus interitus. Sed Deo non fuit viſum ſatis hoc teſtimonium primum amoris ſui erga nos: & ſicut ipſe ſibi complacet in devinciendis nobis ſibi favoribus novis, addere voluit homini ſecundam imaginem perfectionum ſuarum, quæ foret novus character excellentiarum ipſius, præſagium gloriæ quam præparabat ei, & novum pignus amoris ipſius; cumulavit eum juſtitiâ originali & gratiâ. Juſtitia originalis conſtituebat perfectum ordinem in interiori ejus, dabat vera lumina menti illius, & legitimos affectus voluntati ipſius: hæc perfectam ſocietatem formabat inter animam & corpus, conſervans ſemper præeminentiam animæ, & non permittens appetitibus ſenſuum ut eſſent prope appetitus rationis, niſi ut perſungerentur erga eam promptiori obedientiâ. Gratia verò reddebat illum gratum oculis Dei; hæc dabat ei vires non ſolùm ad ſuperandum id omne quod mundus & diabolus explicare poterant artificii ad corrumpendam fidelitatem ipſius; ſed etiam addebat incrementum pulchritudinis omnibus actionibus ejus, quas reddebat gloriæ meritorias: & hæc ſecunda imago, quam homo ferebat Divinitatis, eò erat ipſi utilior, quò felicitatem pollicebatur ipſi in cœlo, & faciebat ipſum mirè amicitiam eum Deo.

o Dion. Carth. art. 11 in Joan. 4. 24.

Tertullianus *p* obſervat, quòd Deus duas iſtas nobis ſenſibiliter oſtendit imagines, quas dederat homini per verba quæ dixit ipſo creationis ejus momento: *Interrogo quomodo unicus & ſingularis pluraliter loquitur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: cùm debuerit dixiſſe, Faciam hominem ad imaginem, & ſimilitudinem meam, utpote unicus & ſingularis.* Oportebat, inquit eximius iſte vir, ut Deus formare volens hominem ſuper ideam & exemplar perfectionum ſuarum, cùm diceret, *Faciamus ad imaginem noſtram*, & non, *ad imaginem meam*, ſuos projiceret oculos plùs quàm ſuper unum exemplar, & ut duo intueretur exemplaria, quorum homo foret tranſumptum & repræſentatio: *Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat ſimilem: Filio, qui erat induturus hominem: Spiritu verò, qui erat ſanctificaturus hominem, quaſi cum Miniſtris & Arbitris ex unitate Trinitatis loquebatur.* Deferimus igitur imaginem Jeſu Chriſti per ſolas prærogativas naturæ noſtræ, & cùm Deus præ ſuis habebat manibus iſtud lutum, è quo primum *formavit hominem q*, in eo exarabat novum characterem excellentiæ Filii ſui, & Salvatoris noſtri futuri, dicit idem Tertullianus *r*: *Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Sic facti ſumus ad imaginem Jeſu Chriſti; ſed deferimus imaginem Spiritus ſancti per ſanctitatem animarum noſtrarum, id eſt, per gratiam iſtam, quæ nos collocabat in illo ſtatu ſublimi, qui nos adæquabat intelligentiis: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei s.* Per peccatum primi hominis, fueramus vulnerati in primâ imagine, quam deferebamus perfectionum Filii Dei, mens noſtra erat obſcurata, & voluntas noſtra corrupta: illæ duæ præcipuæ facultates animæ noſtræ erant offenſæ; appetitus noſter evaſerat rebellis rationi, nec reddebat ei ampliùs obedientiam: ſed deſtituti penitus ſecundâ, quam deferebamus Spiritus ſancti per gratiam, cum crimen noſtrum nos reddidiſſet objectum iræ Dei, ſicut eramus objectum amoris ejus per hanc imaginem: *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus t.* Sed Deus videns quòd non eramus pauperes niſi ex profuſionibus primi hominis, nec ægri niſi exceſſibus ejus, æquè ac infirmati lapſu illius, neque onerati niſi crimine ipſius, quod nimirum non commiſeramus, miſertus eſt noſtri; & conſiderans quòd peccatum noſtrum non erat niſi conſequentia ſceleris Protoplaſti noſtri, *In quo omnes peccaverunt* homines, ut ſuprà dixit Apoſtolus *u*: providere nobis voluit Mediatorem, qui reficeret in nobis duas iſtas imagines, quas amiſeramus. Verbum autem divinum exiens à *Patre*, *& in mundum x* veniens, uniens ſe naturæ noſtræ, reſtituit nos in priſtina jura noſtra. Et fides nos docet, quòd quantum ad id quod ſpectat corpus, hic Dei Filius incarnatus, cæcos illuminavit *y*, infirmos ſanavit *z*, dæmones è corporibus ejecit *a*, & mortuos ſuſcitavit *b*. Quoad verò illud quod reſpicit animam, quòd ſic clara & pura tribuit menti noſtræ lumina, ut mundus nullum habeat artificium quo poſſit eam decipere; & ſic ardentes voluntati noſtræ affectus erga virtutem, ut nullum lenocinium ſit ita ſuave, & ſic potens, de quo ipſa non triumphet; & appetitus nullos excitare poſſit motus, quos ratio non domet. Sed non contentus hàc primâ reparatione, nobis mereri vult gratiam & ſanctitatem, quæ erat ſecunda imago, quam deferebamus excellentiarum Spiritus ſancti, & per quam poſſumus audacter vocare Deum, Patrem noſtrum, & nobis aſciſcere titulum filiorum ejus: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus, Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei c.* Propterea idem Filius Dei commendans Patri ſuo Apoſtolos ſuos, & totum hunc novum mundum, quem acquiſiverat, illum exorat ut amor quo ipſemet ab eo dilectus eſt, ſit in eis, *Ut dilectio, quâ dilexiſti me, in ipſis ſit d.* Ubi, ſi placet, obſervate quòd Salvator à Patre ſuo non petit ut diligat Apoſtolos ſuos eodem amore, quo ipſum dilexit: non enim ait, Ut dilectione, quâ dilexiſti me, eos diligas: ſed, *Ut dilectio quâ dilexiſti me, in ipſis ſit.* Id eſt, ut amor, quo ipſum amavit, ſit in illis. Licèt Deus diligat generaliter omnes creaturas, *Diligis enim omnia quæ ſunt*, ait illi Salomon *e*: eas tamen non diligit cunctas eodem amore. Diligit amore generali creaturas univerſas, quas manus ipſius eduxit è nihilo, quia benefacit eis, & juvat illas concurſu ſuo, & tribuit eis inſtrumenta, quibus mediantibus ſatisfacere poſſint inclinationibus ſuis, & deſideriis ſuis; ſed non communicat eis amorem ſuum, quo ipſe diligit Filium ſuum, quia illæ non ſunt amoris iſtius capaces: amor enim quo ipſe diligit Filium ſuum, eſt Spiritus ſanctus: & Theologia nos docet, quòd Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, id eſt, quòd diligentes ſe dilectione reciprocâ producunt hunc *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit f* & à Filio, ſicut terminus amoris ipſorum: ita ut Spiritus ſanctus ſit amor Patris, quo diligit Filium ſuum: ſed diligit Juſtos & fideles amore magis ſingulari, quàm reliquas creaturas, non ſolùm benefaciendo eis, ſicut cæteris creaturis, ſed etiam communicando eis realiter amorem ſuum, qui non eſt aliud niſi Spiritus ſanctus: propterea Jeſus Chriſtus efflagitans à Patre ſuo, ut amor quo ipſum dilexit, eſſet in Apoſtolis ſuis, innuit quòd, cùm Spiritus ſanctus ſit amor Patris ſui, idem Pater communi-

p Tert. lib. adverſ. Prax. c. 12. ex Gen. 1. 26.
q Gen. 2. 7.
r Tert. lib. de Reſurrect. Carn. c. 6.
s Rom. 8. 16.
t Sap. 14. 9.
u Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6.
x Joan. 6. 28.
y Joan. 9. 6. & 7.
z Luc. 4. 39.
a Luc. 11. 14.
b Joan. 11. 43.
c Rom. 8. 14. &c.
d Joan. 17. 26.
e Sap. 11. 25.
f Joan. 15. 26.

municans eis Spiritum ſuum & amorem ſuum, tribuit illis hunc Divinum Spiritum, qui dat eis hanc ſecundam imaginem, & iſtam ſanctitatem, quæ tribuebat illis titulum filiorum ipſius. Et iſtud eſt quod ritè S. Joannes *g* obſervavit, cùm dixit, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Non ait, Videte quali charitate dilexit nos Deus, ſed, *Videte qualem charitatem dedit nobis.* Sic enim nos reddit filios ſuos per charitatem, ut nobis etiam communicet hanc charitatem, quæ non eſt aliud niſi Spiritus ſanctus, cujus interventu ſumus filii Patris æterni, & cujus defectu non poſſumus eſſe tales, ut modò dixit nobis S. Paulus, *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Et iſte Divinus Paraclêtus non deſcendit hodie ſuper Apoſtolos, & ſuper Eccleſiam naſcentem Jeſu Chriſti, niſi ut daret eis hanc ſanctitatem, quam Salvator illis meruerat, & ut conſummaret in ipſis hanc perfectionem, quæ reddebat illos gratos oculis ipſius: & imaginem ſuam omni parte abſolveret. Ut autem meliùs iſtam Divinam charitatem concipiatis, auſcultate Dionyſium Carthuſianum *h* ſic ediſſerentem ſuper præfata S. Joannis verba, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus. Hoc dupliciter poteſt exponi. Primò ſic, Qualem charitatem dedit nobis Pater, id eſt, quàm magnam ſuam erga nos dilectionem nobis oſtendit, ſeu quantum ſe diligere nos monſtravit, per hoc quòd contulit nobis gratiam iſtam talem ac tantam, ut adoptivi filii ejus vocemur & ſimus. Eſt enim conſuetudo Scripturæ, ut aliquid dicatur fieri ſeu donari, quando ejus factio ſeu donatio innoteſcit ſeu manifeſtatur. Quemadmodum poſt reſurrectionem Chriſti diſſeruit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ i. Quæ utique poteſtas ſibi ab incarnationis exordio fuit collata. Sicque Deus Pater magnam charitatem nobis dedit per hoc quòd eximiam ſuam dilectionem nobis per Chriſtum monſtravit, intantùm quòd per Chriſtum ejuſque diſcipulos proteſtatus eſt, nos eſſe adoptivos filios ſuos per fidem & charitatem. Unde Salvator in Evangelio ſæpius loquitur, Sitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt k. Atque ad Galatas l fertur, Omnes filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu. Et alibi inducitur, Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri m. Sicque per Deum Patrem hoc loco ritè intelligitur Trinitas Deus, cui aſſiduè dicimus, Pater noſter qui es in cœlis n. Totius enim ſuperdigniſſimæ Trinitatis, una eſt erga nos dilectio, & una charitatis ad extrà effuſio: quoniam operatio ejus ad extrà eſt indiviſa o, cùm trium ſupereſſentialium perſonarum ſit una eſſentia, eademque poteſtas. Secundò exponitur ſic, Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, id eſt, quàm ſublimis, digna & efficax ſit charitas ipſa infuſa, virtus Theologica, quam Deus per creationem nobis largitus eſt: cujus tanta eſt virtus, ac eminentia, ut per eam potiſſimè adoptivi filii Dei efficiamur & vocemur. Propter quod loquitur Paulus p, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*

g 1. Joan. 3. 1.
h Dion. Carth. art. 4 in 1. Joan. 3. 1.
i Matth. 28. 18.
k Matth. 5. 45.
l Galat. 3. 26.
m Joan. 1. 12.
n Matth. 6. 9.
o Ex S. Aug. in Enchirid c. 38.
p Rom. 5. 5.

Sed ſcitisne, Auditores, quòd Spiritus iſte cœleſtis eſt *Deus Zelotes q*, & quòd nunquam ingreditur animam, ut repleat illam amore ſuo, niſi reperiat eam vacuam amore mundi? Apoſtoli, licèt puri & mundi ab omni affectu erga carnem, quippe quibus conſcientiæ ipſorum nullum crimen improperabant, illum non ſuſceperunt priùs quam integram feciſſent inquiſitionem diſpoſitionis cordium ſuorum, & renunciaſſent omnibus quæ poterant hæc captivare: & videte quomodo Salvator videns eos afflictos ob diſceſſum ſuum, ſeu propter aſcenſionem ſuam imminentem; quòd cogitatio ſeparationis iſtius, erat mortalis amori eorum, & intuens cor illorum ſenſibili amaritudine oppreſſum, conatus eſt eos conſolari, *Et nunc vado ad eum qui miſit me. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclêtus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos r.* Unde dicit S. Bernardus *s*, *Grande myſterium, Fratres mei. Quid enim ſibi vult, niſi ego abiero, Paraclitus non veniet? Itane inviſa Paraclito præſentia Chriſti; aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus ſanctus horrebat, quòd ſicut Angelo prænunciante cognovimus nec concipi quidem niſi eo ſuperveniente potuerit t? Quid eſt ergo: Niſi ego abiero, Paraclitus non veniet? Niſi carnis præſentia veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videtur, Fratres? Si hæc ita ſunt, imò quia ita ſunt, audeat quis de cætero phantaſticis quibuſdam illecebris deditus, ſectans lenocinia carnis ſuæ, carnis utique peccatricis genitæ in peccatis u, aſſuetæ peccatis, in quâ denique bonum non eſt x, illum pariter expectare Paraclitum? Audeat, inquam, qui huic ſterquilinio ſemper inhæret, qui carnem fovet y, in carne ſeminat, carnem ſapit, illam nihilominùs conſolationem ſupernæ viſitationis, torrentem voluptatis illum z, illam ſperare gratiam ſpiritus vehementis a, quam, ut Veritas ipſa teſtatur, ne cum ipsâ quidem Verbi carne percipere illatenus Apoſtoli potuerunt? Errat omnino, ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, Divinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa Spiritus miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur.* Quodnam ergo judicium faciemus de nobis, Auditores? Blandiemurne nobis eò uſque ut autumemus nos ſuſcepiſſe Spiritum ſanctum? Examinemus nosmetipſos, ſi placet, ingrediamur corda noſtra, & videamus quodnam objectum ea poſſideat. Affectus noſtri ſuntne alligati objecto ita ſancto quale erat humanitas Jeſu Chriſti, qui eſt *Sanctus Dei b*? Eſtne noſter amor ſic rectæ rationi conſonus, & ita innocens in ſubjecto quod fovet flammas ipſius, ac erat amor Apoſtolorum? Heu! ſæpè ſæpiùs, & fortaſſe ſemper criminoſus eſt, & ſi aliqua creatura eſt illius domina & idolum, cui conſequenter offerimus quotidie ſacrificia; turpiter hallucinamur ſi poſtquàm creaturam collocavimus in cordibus noſtris, hæc putamus eſſe etiam ſatis lata ad ſuſcipiendum Deum intra eorum ambitum: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ c.* Mementote quid aliàs ab ipſis mundi naſcentis incunabulis cùm homines nimis erant alligati pulchritudini creaturarum, dixit Deus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum: quia caro eſt d.* Id eſt, ſubdit Cornelius *e*, *Quia carnalis, & in vitia carnis ſuâ culpâ projectus eſt. Ita S. Chryſoſtomus, & Ambroſius.* Iſtud areſtum irrevocabile perſeverat adhuc, & iſte Spiritus Divinus, qui vult ſemper regnare ibi ubi adeſt, nunquam ſe communicabit animæ quæ dividit cor ſuum. Quandiu ergo infamis hæc creatura diligetur ab aliquibus ex vobis, fruſtrà acceditis ad ſacram Communionem, æquè ac ad Confeſſionem, ſi vultis, ſingulis hebdomadibus cum modeſtiâ externâ quæ ſanctitatis opi-

q Exod. 20. 5.
r Joan. 16. 5. &c.
s S. Bern. ſerm. 3. in die Aſcenſ.
t Ex Luc. 1. 35.
u Ex Job. 14. 4. & ex Pſ. 50. 7.
x Ex Rom. 7. 18.
y Ex Epheſ. 5. 29.
z Ex Pſ. 35. 9.
a Ex Act. 2. 2.
b Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
c Matth. 6. 24.
d Gen. 6. 3. &c.
e Cornel. in Gen. 6. 3.

opinionem vobis conciliabit apud eos qui intuebantur vos frequentandis incumbere Sacramentis, ſed qui non ſunt teſtes cogitationũ veſtrarum; nolite ergo cogitare quòd Spiritus ſanctus veniat ſe vobis communicatum; niſi ejiciatis è cordibus veſtris hanc pulchritudinem quæ in iis ſedem ſuã collocavit, dato quòd eſſet ipſa æquè ſancta ac erat B. Virgo Deipara, cùm oportuerit ut Apoſtoli neceſſariò fuerint obliti humanitatis Jeſu Chriſti, ad hoc ut hunc eumdem Spiritum ſanctum ſuſciperẽt. Videte ergo diſſoluti non eſſe debeatis ab omni amore carnis ad merendum deſcenſum Spiritus ſancti, cùm amor carnis unitæ Divinitati, eo ſuſcipiendo prorſus ſit indignus. Putamusne nos potiri majori privilegio quàm fuerentur Apoſtoli, quos ſcimus Chriſti fuiſſe *amicos* f, ut, poſtquàm corda noſtra ſordibus & diſſolutionibus probroſis addixerimus, nedum earum nos aliquando pœnituerit, cum impuritate amorum noſtrorum, quibus fovemus animas noſtras & corda noſtra, nedum velimus iſtas infringere carnis ſocietates, poſſimus eſſe etiam diſpoſiti ad ſuſcipiendum Spiritum ſanctũ, cùm Apoſtoli, qui erant prodigia ſanctitatis, non potuerint illum mereri, eò quòd haberent innocentem adhæſionem ſubjecto ſancto & Divino? Nequaquam. Cor ſociatum mundo, non poteſt illum mereri, cor diviſum, ſeu tantiſper alligatum creaturæ, non ſuſcipiet eum: oportet ut diſcat nihil diligere eorum quæ ſunt in mundo, ut ſciat diligere Deum; ut vacuet ſe creaturis, ad hoc ut repleatur Spiritu ſancto; & ei *gratiam & gloriam dabit Dominus* g.

f Joan. 15. 15.
g Ps. 83. 12.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Joan. 3. 16.

MAgnâ perfundimur voluptate, cùm nocte ſplendenti ſtellas videmus innumeras in cœlo micantes, & oculi noſtri tantam percipiunt ex iis ſatisfactionem, quantam ſi omnes raritates imaginabiles huic eſſent alligatæ firmamento: ſed confeſtim ac Sol ſuper noſtrum ſuos radios diffundit horizontem, majeſtate ſuorum coruſcans luminum, nocturnas illas pulchritudines offundit caligine, nec ullas habemus ampliùs admirationes, nec ullos oculos niſi propter eum; idem ſentire debemus de homine ditato virtutibus omnibus ſplendentibus in cœlo myſtico cordis ſui, ſicut ſtellis in firmamento, in corde noctis hujus vitæ. Fides ipſum elevat, ipſumque reddit dignum qui adoret Deum ſummo modo adorabilem, *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit* a. Spes inter tenebras facit ipſum emicare promiſſione quam ipſi facit, futurum ipſum aliquando beatitudinis Angelorum conſortem, *Adveniat Regnum tuum* b. Humilitas depreſſiones ſublevat ipſius, *Qui ſe humiliat, exaltabitur* †. Et juſtitia facit ipſum frui claritate immuni ab omnibus tenebris, ut dicitur de Zacharia & Elizabeth parentibus S. Joannis Baptiſtæ, *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querelâ* c. Sed ſtatim ac conſideramus hunc hominem indutum charitate Dei, amor iſte ſanctus eſt inſtar Solis qui videtur præſentiâ ſuâ cæteras virtutes obſcurare, earumque ſplendorem eclypſi operire, ut ſiſtat ipſe ſolus admirationes & cogitationes noſtras. Siſtamus igitur in hoc amore, cùm *Deus dilectionis* d nobis illum mutuâ dilectione proponat agnoſcendum: ſed prius imploremus auxilium Spiritus ſancti, qui eſt flatus amoris Patris & Filii, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit* e, ait Filius, qui & ipſe hodie à ſuo Patre mittitur. Et exhibeamus reverentias noſtras Virgini Deiparæ, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis* f, dicendo ei cum Archangelo, *Ave Maria*.

a Hebr. 11. 6.
b Matth. 6. 10.
† Luc. 14. 11.
c Luc. 1. 6.
d 2. Cor. 13. 11.
e Joan. 15. 26.
f Eccli. 24. 24.

Etiamſi Deus ſit miſericors, nihilominùs eſt juſtus, nec ſuam minùs exercet juſtitiam, quàm magnificat miſericordiam ſuam, *Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur* g. Ambas perfectiones iſtas in Evangeliò noſtro videmus exaratas: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus h: *Sic enim Deus dilexit mundum, id eſt, tam ardenter Deus Pater dilexit genus humanum, præſertim homines prædeſtinatos, ut Filium ſuum unigenitum, non adoptivum, ſed naturalem conſubſtantialem & unicum daret hominibus, in Filii ſui incarnatione, ac paſſione. Dedit enim eum nobis, quemadmodum cecinit Iſaias* i, *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis.* Et *Apoſtolus* k, *Proprio (inquit) Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Dedit ergo eum nobis in Incarnatione, faciens eum Filium noſtræ ſororis, videlicet ſacratiſſimæ Virginis, fratrem noſtrum, mediatorem, ac ſocium noſtrum. Poſtremò, dedit eum nobis in Paſſione, exponens Filium ſuum dilectum tantis tormẽtis pro noſtrâ ſalute: quemadmodum Iſaias* l *pronunciavit, Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et Filius tempore Paſſionis, Calicem (ait) quem dedit mihi Pater, non bibam illum* m? Miſertus igitur noſtri Deus Pater tradit in mortem Filium ſuum, *quem conſtituit heredem univerſorum* n. Et quare? Ut nos hæreditatis ejus participes efficiat, *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Videamus igitur Primò quomodo miſericordia & juſtitia ſplendeant in morte Filii Dei. Secundò quâ ratione non poteramus adipiſci hæreditatem Filii Dei niſi per mortem ejus, & per merita Sanguinis illius. Tertiò quonam pacto hunc amorem reciprocâ compenſare poterimus dilectione.

g Pſ. 114. 5.
h Dion. Carth. a. l. 9. in Joan. 3. 16.
i Ex Iſai. 9. 6.
k Rom. 8. 32.
l Iſai. 53. 8.
m Joan. 18. 11.
n Hebr. 1. 2.
Diviſio.

S. Joannes qui ſuprà pectus Domini in cœnâ recubuit, ut concinit Eccleſia o, & qui ideò *fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit*; hanc primam nos edocet veritatem, quod in morte Filii Dei juſtitiam æquè ac miſericordiam ſimul intueamur, cùm ait immediatè ante verba Textus noſtri, *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* p. Quemadmodùm elevatio ſerpentis peracta à Moyſe in ſolitudine, fuit ſignum juſtitiæ quam Deus exercuit ſuper populum ſuum ad puniendâ peccata Iſraëlitarum morſibus ſerpentium; & ſymbolum miſericordiæ, quia intuitus ſerpentis illius ænei ſanabat

I. Pars.
o Eccleſia ex Joan. 13. 25.
p Joan. 3. 14. & 15.

q Num. illos ab hujuſmodi morſibus, ut refert Scriptura q,
21. 4. &c. *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutuſque contra Dominum, & Moyſen, ait, Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ; anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo: quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccavimus; quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora ut tollat à nobis ſerpentes: oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno; qui percuſſus aſpexerit eum, vivet: fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur:* ſic elevatio Jeſu Chriſti in cruce erit ſignum juſtitiæ Dei Patris, qui morte crimina noſtra puniet in perſonâ Filii ſui: & miſericordiæ, cùm per iſtam mortem daturus nobis ſit vitam, cùm ad eum ſolum pertineret hoc jus, quia ipſe ſolus ſatisfacere poterat juſtitiæ Patris ſui. Et hoc eſt quod ait Dionyſius Car-
r Dion. thuſianus r: *Ita exaltari, id eſt, in cruce levari oportet*
Carth. *neceſſitate conditionatâ, non abſolutâ: vel oportet, id eſt,*
art. 8. in *decens & utile eſt. Chriſtus enim oblatus eſt, quia volu-*
Joan. 3. *it s, non quia neceſſitate fuit aſtrictus: oportuit tamen,*
14 & 15. *quia præordinatum à Deo, & ut implerentur Scriptu-*
s Ex Iſai. *ræ Filium hominis. Sæpius nominat ſe Chriſtus Filium*
53. 7. *hominis quam Filium Dei, ut humilitatis præſtaret exemplum. Ratio quoque finalis exaltationis Chriſti in cruce, & fructus Dominicæ Paſſionis ſubjungitur, Ut omnis qui credit in eum fide formatâ, ac operatoriâ, id eſt, charitati unitâ & procedente in opus, Dummodò operandi opportunitas adſit: charitas namque eſt forma, ſeu decor, atque perfectio fidei, propter quod fides charitati conjuncta vocatur formata; non pereat, incurrendo mortem ſpiritualem, damnationemque perpetuam. Sed quia non ſufficit liberari à malo, ſed indigemus apprehendere bonum, ſubjungitur, ſed habeat vitam æternam, id eſt, ad beatificam Dei viſionem pertingat, quæ nunc habetur in ſpe, ſed poſt habetur in re ab puram mentem*
t Matth. 5. *habentibus, ut apud Matthæum t promittitur, Beati*
8. *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. De quâ in-*
u Ex Ioan. *frà u habetur, Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te ve-*
17. 3. *rum Deum.* Dei Filius igitur hanc poterat exhibere ſolus juſtitiæ Dei ſatisfactionem: non enim valebat eam homo, nec Angelus impendere. Homo non poterat illam Deo reddere, quia cùm ipſe comprehenſus eſſet in culpâ Protoplaſti, *in quo o-*
x Rom. 5. *mnes peccaverunt* x, qualitas criminoſi non erat ſo-
12. ex ciabilis qualitati mediatoris; & infortunium ipſius
Gen. 3. 6. eripiebat meritum omnibus actionibus ipſius; & ſuppoſito quòd illæ præ ſe ferre poſſent aliquod meritum, illud eſſet limitatum, ſicut natura ipſius eſt limitibus circumſcripta, & utſic inſufficiens ad ſatisfaciendum Juſtitiæ Divinæ pro crimine infinito, quippe patrato contra Majeſtatem Dei, qui
y Baruch. eſt infinitus, *Magnus eſt & non habet finem* y. Pro-
3. 25. pter hanc rationem nulla creatura, imò nec Angelus hanc peragere ſatisfactionem poterat in rigore juſtitiæ, quia eſſe Angeli, licèt nobilius eſſe hominis, nihilominùs concluditur intra limites, qui impediunt ne proportionem habeat cùm infinito. Prætereà, Cùm Angelus non eſſet ejuſdem naturæ cujus eſt illa quæ criminis erat conſcia, non erat ſuſcipiendus ut pars ad peragendam hujuſmodi ſatisfactionem Divinæ Juſtitiæ pro tali crimine. Et ſicut merita hominis extranei nullius momenti ſunt ad reſtituendam familiam in antiqua jura nobilitatis ipſius, ſed ad aſſequendam gratiam iſtam oportet ut aliquis ortus ex eâdem progenie, è quâ proceſſerat ille qui offendit Principem, ſerviat eidem Principi in aliquâ expeditione militari magni momenti, & ſic magnanimitate ſuâ operiat demerita majorum ſuorum: ſic Angelus, qui non erat è naturâ noſtrâ, ſatisfacere non poterat juſtitiæ Dei pro nobis; nos etiam propter rationes præfatas peragendæ hujuſmodi ſatisfactioni eramus inidonei; ita ut reſtauratio noſtra maneret impoſſibilis, ſi oportuiſſet ut homo ſatisfaceret Deo, quia omnes homines naſcuntur criminoſi, *In utero damnati antequàm nati: quia de peccato & in*
peccato concepti, ait S. Bernardus z. Et utſic eum vi- z S. Bern.
ribus limitans, & conſequenter nimis infirmus ad ſerm. 2.
peragendam ſatisfactionem infinitam: ſolum *Ver-* Pent. ex
bum caro factum a poterat ab his nos impotentiis Pſ. 50. 7.
ſublevare: quia cùm ſit homo, ingreditur naturam & ex Iob.
humanam iſte Filius Dei, *qui cùm in formâ Dei eſſet,* 14. 4.
non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſe- a Ioan. 1.
metipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimili- 14.
tudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo b. b Philipp.
Ut legitimè cautam præſtare poſſet hominis cau- 2. 6. & 7.
ſam, & debitam juſtitiæ Dei peragere ſolutionem pro eodem homine, *Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur: in ſcientiâ ſuâ juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe*
portabit, ait Pater æternus per Iſaiam c. Et per Cor- c Iſai. 53.
nelium d, *Et iniquitates (pœnas iniquitatibus debitas)* 11.
eorum ipſe portabit, ſicut bajulus onus & pondus alteri- d Cornel.
us, ſuis humeris bajulat. Hoc enim eſt cauſale. ſignificat in Iſai.
enim cauſam & modum juſtificandi Chriſti, ſcilicet, 53. 11.
quod ex parte ſuâ portaverit ipſe iniquitates noſtras, meruerit que nobis juſtitiam: ex parte verò noſtrâ requirat fidem, quâ credamus eum hoc feciſſe, noſque per ejus paſſionem & merita juſtificari: Hæc eſt Scientia Sancto-
rum e qua eos juſtificat. Cùm ſit Verbum Patris, eſt e Ex Sap.
perſona Divina, expers omnis peccati, *Quoniam* 10. 10.
non Deus volens iniquitatem tu es f. Et ſic fieri poterat f Pſ. 5. 5.
ritè *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus: qui redemptionem ſemetipſum pro omnibus dedit*, ait
Apoſtolus g. Nam, ut ait Dionyſius Carthuſia- g 1. Ti-
nus h poſt eundem Apoſtolum, *Unus eſt & Media-* mo. 2. 5.
tor, id eſt, reconciliator & ſequeſter Dei Trinitatis & & 6.
hominum, homo Chriſtus Jeſus cum utroque extremo h Dion.
conveniens, cum Deo ſecundum naturam Divinam, & Carth.
cum hominibus ſecundùm aſſumptam humanitatem. art. 2. in 1.
Eſtque Mediator Dei ac hominum, propriè loquendo, nec Tiroch.
ut Deus, neque ut homo, ſed ut Deus homo ſeu Deus in- 2. 5. & 6.
carnatus. Sic quippe competit ei & ſatisfacere ſeu reconciliare, & idoneitas vel efficacia reconciliandi. Quorum primum convenit ei ratione naturæ aſſumptæ: ſecundum verò ratione Deitatis unitæ, ex quâ opera & pœna Chriſti hominis infinitam quodammodo dignitatem & efficaciam ſortiuntur, intantum ut minima gutta Sanguinis ejus fuiſſet ſufficientiſſima ad totius humani generis liberationem. Qui Chriſtus dedit, id eſt, ſponte & charitativè obtulit redemptionem, id eſt, in cauſam & pretium noſtræ redemptionis, ſemetipſum pro omnibus, tanquam ad ſufficientiam. Sic actiones ejus erant meriti infiniti ad peragendam ſolutionem infinitam juſtitiæ Dei, qui *eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, ait
S. Paulus i. Et poſt illum S. Auguſtinus k, *Id eſt, ſa-* i 2. Cor. 5.
crificium pro peccato factus eſt. Peccatum oblatum eſt, 21.
& deletum eſt peccatum. Fuſus eſt Sanguis Redempto- k S. Aug.
ris, & deleta cautio debitoris. Ipſe eſt haſ g.as qui Serm. 4.
pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum l. de Verb.
Sic ecce conditio noſtra à tiro defectu ſuble- Dom. ca.
vata; juſtitiæ Dei plenè ſatisfit, miſericordia 1. Ex
ejus, maximos explicat theſauros ſuos in favorem Matth.
noſtrum, cùm ipſa provideat nobis gratias Jeſu 26. 28.
Chriſti, ad purgandos nos à criminibus noſtris, & ad nos animandos vitâ ſupernaturali, *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, convivificavit cum illo; Do-*
nans

Digitized by Google

nans vobis omnia delicta, delens quod adverſùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci m. Et hoc modo è captivis quales eramus, tribuit nobis libertatem, *quâ libertate Chriſtus nos liberavit* o, & *ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Si autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* o. Ecce quomodo mors Jeſu Chriſti miſta eſt miſericordiâ & juſtitiâ. Videamus quomodo per mortem hanc hæreditati ejus communicabimus.

m Coloſſ. 2. 13. & 14.
n Galat. 4. 31.
o Rom. 8. 15. &c.

II. Pars.

Certum eſt, quòd prætendere non poſſimus ad hæreditatem, quæ non eſt noſtra, & quam perdidimus criminibus noſtris, ſine conſenſu Domini, ad quem pertinet, & quem offendimus, & cui debemus ſatisfactionem: hæreditas igitur gloriæ, quam amiſimus, non poteſt nobis tribui ſine conſenſu Filii Dei, qui eſt illius hæres legitimus, *Quem conſtituit hæredem univerſorum* p, id eſt, Pater æternus. Atqui cùm iſte Filius Dei nunquam præbuerit conſenſum ſuum, quin debitum noſtrum tolerantiis ſuis & morte ſuâ juſtitiæ Patris ſui ſolverit, conſequentia eſt bona, quòd cœlum non poſſumus titulo hæreditatis poſſidere niſi merito Sanguinis ejuſdem Filii Dei, juxta modò allata S. Pauli verba: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater:) Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, ad quem ſolum propriè pertinet hæreditas. Sed ſicut ipſe non pervênit ad gloriam ſuam, niſi per viam crucis, licèt ipſe ejuſdem gloriæ eſſet Dominus, *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* q? oportet, ut, ſi velimus participare coronas ejus, communicemus tolerantiis illius, *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, proſequitur idem Apoſtolus. Membra debent eſſe ſimilia capiti ſuo, ſervi conformari Domino ſuo, & filii ſequi iter quod aperuerunt ipſis patres ſui: aſſimilari debemus Jeſu Chriſto, *Quia membra ſumus corporis ejus* r, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* s, *Dominus noſter* t, & *Pater noſter* u. Ingreſſus eſt ipſe hæreditatem gloriæ per iter paſſionum: oportet igitur ut eandem participemus per eandem viam: ſed ne credatis quòd ad eam poſſidendam noſtræ tolerantiæ ſufficiant, audite quid conſequenter & immediatè pòſt ſubdat idem Apoſtolus: *Exiſtimo enim quòd non ſunt condigna paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus x, *Exiſtimo enim, id eſt agnoſco ego qui de talibus veraciter judico: Dicit autem, exiſtimo, non quaſi incertus, aut dubitans, ſed ſobrium modum loquendi ſervans ac edocens, ne immoderati ſimus in aſſerendo, quòd non ſunt condigna, id eſt, æquales, ſufficientes, ac proportionatæ ſecundùm rigorem juſtitiæ, paſſiones, id eſt, perſecutiones, tentationes, labores hujus temporis, id eſt, quas in hoc brevi vita hujus curriculo ſuſtinemus, ad futuram gloriam, ſcilicet vitam æternam promerendam, quæ revelabitur in nobis, id eſt, clarè & coram omnibus nobis prædeſtinatis præſtabitur. Unde Salvator, Cum feceritis (ait) omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus* y. *Hæc enim gloria, eſt beatifica viſio Divinæ Eſſentiæ, plena mentis in Deo lætitia, ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus* z, *conſummata animæ & corporis glorificatio ſempiterna, ad quam promerendam temporales paſſiones condignæ non ſunt.*

p Hebr. 1. 2.
q Luc. 24. 26.
r Epheſ. 5. 30.
ſ Coloſſ. 1. 18.
t Pſ. 8. 2.
u Matth. 6. 9.
x Dion. Carth. art. 12. in Rom. 8. 18.
y Luc. 17. 10.
z Ex Boët. lib. 3. de Conſol. Philoſ. prof. 2.

David antequàm pacificè poſſideret Regnum Judææ, magnas ſuſtinuit perſecutiones a; oportuit ut præliaretur cum Philiſthæis in perſonâ Goliæ, quem *interfecit, præciditque caput ejus: videntes autem Philiſthiim, quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt* b, &c. Quod innuit, quòd, ſi Filius Dei figuratus per Davidem, pacificè potiri velit Regno, quod ipſi debetur jure naturæ, oportet ut perſecutiones ſuſtineat à Judæis c, & triumphet de Goliâ infernali ſuper patibulo crucis, expugnando paſſionibus ſuis omnes potentias dæmonum, *Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo* d. Atqui cùm Jeſus Chriſtus *ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* e, id eſt prædeſtinatis, tenemur illum ſequi, ſi velimus eſſe prædeſtinati cum illo: *Sic enim prædeſtinati ſunt conformes fieri imaginis Filii Dei, ut ſint cohæredes Chriſti, & ſicut portaverunt imaginem terreni, ſic portent imaginem cœleſtis* f, *ut ſit ipſe Filius Dei Primogenitus in multis fratribus, id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam Caput eorum, & jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque aliis diſtribuendo*, ait Dionyſius Carthuſianus g. Et quia paſſiones noſtræ non admitterentur, niſi cautæ præſtarentur à JeſuChriſto, fundare debemus omnes actiones noſtras ſuper actiones ejus, quæ ſolæ ſalvare nos poſſunt, *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati eſtis*, ait nobis S. Petrus h. Paſſionibus ejus igitur attribuere debemus omnem curationem noſtram. Quòd ſi Jeſus Chriſtus non eſt ingreſſus gloriam ſuam niſi per viam crucis, nos autem poſſidere debemus hæreditatem ejus per eandem viam, cùm noſtræ paſſiones ita glorioſum producere non poſſint effectum, concludendum eſt, quòd non poſſumus eſſe hæredes illius, niſi virtute paſſionum earundem Domini noſtri.

a 1. Reg. 18. 19. & 19. 1. &c.
b 1. Reg. 17. 51. &c.
c Ioan. c. 18. & 19.
d Coloſſ. 2. 15.
e Rom. 8. 29.
f Ex 1. Cor. 15. 49.
g Dion. Carth. art. 12 in Rom. 8. 29.
h 1. Petr. 2. 24. ex Iſai. 53. 5. & 12.

Altera ratio iſtius eſt hæc: Quia cùm Deus offenſus fuerit, ad eum pertinebat condonare injuriam ſibi irrogatam; & cùm offenſus fuerit ab homine, oportebat ut iſtam perageret homo ſatisfactionem, ne juſtitia Dei ſua jura amitteret. Iſta ratio duas habet partes. Prima eſt; quòd Deus ſolus tribuere poſſet abolitionem criminis adverſùs ſe patrati. Secunda, quòd ad obtinendam hanc remiſſionem oportebat, ut homo criminis ejuſdem ſatisfactionem Deo impenderet. Probemus priorem partem: Si conſideretis quòd crimina generis humani Deum offendebant, facile eſt concluſu, quòd ipſe ſolus illorum poſſet indulgentiam concedere, cùm injuriæ ſint remittendæ ab eo qui offenſus eſt: ſpectat ad Principem tribuere abolitionem criminum læſæ Majeſtatis; Sol ſuam pingit ipſemet faciem ſuper nubes, quæ attentaverant ipſum obſcurare: ſic voluit Deus ipſemet ſalvare homines, qui adverſus ipſum inſurrexerant, è peccato illos in gratiam reſtituere, ut ſic inducerentur ad promptiùs ipſi conſecranda corda ſua, videntes quòd ipſi ſint obſtricti de ſalute ſua: *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit. Tetendit enim adverſùs Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit adverſùs eum erecto collo*, ait Jobi. Sed quid dicit Evangeliſta k? *Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* Deus igitur ſolus homini poteſt parcere, quia ſolus ipſe eſt offenſus, ſic ipſum ſolum deprecatur David l poſt peccatum ſuum, *Miſerere meî, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Et con-

i Job 15. 20. &c.
k Luc. 19. 10.
l Pſ. 50. 1.

feſtum ſuæ ſupplicationis rationem reddit, *Quoniam tibi ſoli peccavi.* Quia Divina majeſtas tua fuit offenſa deordinationibus vitæ meæ diſſolutæ: ad ipſam igitur ſolam recurro ut ab ipsâ criminum meorum indulgentiam impetrem. Sed videamos quomodo nobis illam tribuat. Nobis eam præbet beneficio Sanguinis Filii ſui qui fit homo, ut dignè poſſit juſtitiæ ipſius ſatisfacere pro pœnis & infelicitatibus, quibus obnoxius erat homo propter peccatum ſuum, & hæc eſt poſterior pars præfatæ rationis, quæ requirit, ut ſicut in priori Deus ſolus poteſt parcere, quia ſolus offenſus eſt, ita in hâc poſteriori ſolus homo poſſit ſatisfacere, quia homo erat peccator: & quoniam culpa erat infinita, oporteret ut homo, cujus ſatisfactiones eſſent infinitæ, reparationem illius aggrederetur: atqui cùm ſolum *Verbum caro factum* m producere poſſit ſatisfactiones infinitas, ſanctificamur ſatisfactionibus ejus, cùm earum præcipua peracta fuerit ſuper cruce: ſalvamur igitur per crucem Jeſu Chriſti, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* n. Dicamus igitur quòd non poſſidebimus unquam gloriam titulo hæreditatis niſi per mortem Jeſu Chriſti.

m Joan. 1. 14.
n Apoc. 1. 5.

Si judicatur de violentiâ morbi & extremis remediis quæ ipſi curando applicantur, oportebat ut ſuperbia hominum magna foret, malitia eorum tetra, impietates illorum eſſent abominabiles, & ipſorum voluptates criminoſæ, ut indigerent ſanari humilitate, depreſſionibus, tolerantiis, *lacrymis* o, *ſanguine* p, & morte Filii Dei, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus* q. Offert igitur hoc ſacrificium cruentum Patri ſuo juſtè irato adversùs nos, ut juſtitiæ ejus pro noſtris ſatisfaciat criminibus, non pro ſuis, quæ nulla erant, ut ait Cornelius r ſuper hæc verba Prophetæ. [Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Nimirum non Chriſti, ſed noſtræ iniquitates Chriſtum vulnerarunt & attriverunt, eum lacrymari, ſuſpirare, & gemere fecerunt. Tua, ô guloſe, gula Chriſtum felle & aceto potavit s: Tua, ô ſuperbe, ambitio Chriſtum inter latrones ſuſpendit: Tuus, ô comptule, veſtium luxus Chriſtum ſpineâ coronâ coronavit. Tua, ô maledice, maledicta & blaſphemiæ, Chriſti faciem, in quam deſiderant Angeli proſpicere t, ſputis onerarunt. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Pro diſciplinâ, Hebraicè eſt caſtigatio. Senſus ergo eſt, quaſi diceret, Chriſtus caſtigatus, flagellis & plagis divexatus & excruciatus eſt, ut nos reconciliaret Deo, utque pacem cum eo haberemus. Sanches Hebr. vertens retributionem, ſic explicat. Diſciplina retributionis noſtræ ſuper eum, id eſt, ſupplicium quod nos retribuere & rependere debebamus pro peccatis noſtris, hoc ſuper eum impoſuit Deus. Quaſi diceret, Quidquid pœnarum Deus à nobis pro peccatis exigere debuit, aut potuit in omnem æternitatem, id ab innocenti Filio Pater exegit. Livore ejus ſanati ſumus. Vatablus vertit, Et in livore ejus nobis medicatum eſt. Hoc eſt pretioſum pharmacum, quod non ex herbarum ſuccis, non ex adipe beſtiarum, non ex alieno corpore & ſanguine, ſed ex proprio confecit Chriſtus. Hoc pharmacum in S. Sacramentis à ſe inſtitutis recondidit; inde enim Sacramenta habent vim juſtificandi, ſanandique animæ morbos, ſcilicet ex livore, ſanguine, & vulneribus Chriſti.] Qui ut vivere nos faciat, exponit ſe morti, & ut nos reddat hæredes gloriæ ſuæ, ſemetipſum noſtrarum conſtituit hæredem miſeriarum. Judicate ex hoc diſcurſu de veritate propoſitionis meæ, an non oporteat ut Jeſus patiatur & moriatur in cruce, ſi gloriam titulo hæreditatis poſſidere velimus. Judicate etiam, ſi placet, de horrore & malitiâ peccati, cùm ad peragendam juſtitiæ Dei pro ipſo ſatisfactionem condignam oporteat ut Deus moriatur ſuper cruce. Et tamen homines offendunt absque ullo metu hanc infinitam Majeſtatem, & habenas laxant omnigenis vitiis ſectandis, nedum fulmina juſtitiæ Dei formident. Quotiam videmus ex iis, qui ſimiles Judæis, ut æquo liberiùs vitam ducant effrænem, contemnunt, & malè excipiunt eos qui ipſos volunt charitativè corripere? Si Concionator, qui eſt organum Jeſu Chriſti, dicit eis *veritatem* n cum Chriſto eodem, nimirum ſi præ oculis eorum ponit impietates innumeras, quas committunt, quòd fœnoribus ſuis viduas & orphanos opprimant, & quòd totidem faciant xenodochia, quot ſunt familiæ, quibuscum ipſi negotia habent tractanda, ita ut ipſis ſingulis applicari jure merito poſſit iſtud effatum Propheticum x, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum*; ipſi exacerbantur adversùs eundem Prædicatorem, ei minas intentant, illique detrahunt. Nonne iſtud eſt abuti gratiis Divinis, & reſpuere merita Jeſu Chriſti, quæ Pater æternus nobis offert, ſi poſſidere velimus gloriam titulo hæreditatis, ut filii adoptivi? [Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, in ipſum: ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio ſuo. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus (remiſſionem peccatorum) ſecundùm divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis,] ait S. Paulus y. [Vis ergo, ô peccator,] inquit Cornelius z, [videre vivam imaginem animæ tuæ peccantis? Inſpice Chriſtum flagellatum, conſputum, coronatum, & crucifixum: inſpice totum corpore cruentatum & lividum, ut totum corpus non videatur eſſe niſi una plaga, livor, & vulnus a: inſpice defiguratum quaſi leproſum. Hæc eſt forma, hæc ſpecies animæ tuæ, quam Chriſtus in ſe ſuſcepit & expreſſit. Ora eum ut ſuis plagis, plagas animæ tuæ, ſuis vulneribus, tua vulnera curet. Rurſum vide & admirare abyſſum amoris Chriſti, qui ſe pro te in hâc informi formâ, in hiſce pœnis & cruciatibus coram Deo ſubſtituit, qui propter te hæc omnia pati voluit, qui ſe hoſtiam pro tuis peccatis Deo b obtulit, hoſtiam, inquam, ita concisam & laniatam, quot in corpore ejus cernis vibices, livores, & ſtigmata, tot notas, tot charactêres immenſi amoris intueris.] Et hunc amorem reciprocâ dilectione compenſare ſatage.

o Hebr. 5. 7.
p 1. Petr. 2. 19.
q Iſai. 53. 5.
r Cornel. in Iſai. 53. 5.
s Ex Matth. 27. 34. &c. ex Pſ. 68. 22.
t Ex 1. Petr. 1. 12.
n Joan. 8. 46. &c.
x Ier. 2. 34.
y Epheſ. 1. 5. &c.
z Cornel. in Iſai. 53. 5. &c.
a Ex Iſai. 1. 6.
b Ex Epheſ. 5. 2.

III. Pars.

Homo animatus Divinâ charitate, quæ tribuit ipſi eſſe Divinum, & operationes quæ ſe protendunt ferè ad infinitum usque, nihil invenit impoſſibile: res difficillimæ videntur ipſi executionis facillimæ, & quicumque ardet amore, dicere poteſt ſe perveniſſe ad apicem virtutis & ad faſtigium perfectionis, quæ invenitur in charitate, quod ritè S. Paulus c expreſſit, tribuens effectus omnium virtutum charitati, ſicut charitas illos iis omnibus impendit, *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, &c. Et ſic illas mercede dignas efficit. Sic per eam poſſidemus Deum in terra, & conſequenter hîc noſtram ſuſcipimus anticipativè beatitudinem, ſicut ipſe eam detulit in terram

c 1. Cor. 13. 4. &c.

cum

cum igne quem ipſe proteſtatur ſe feciſſe deſcendere ſuper nos eâ intentione ut in nobis ardeat, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* d? Ipſa eſt invincibilis inter agones, inſeparabilis à Deo principio ſuo & objecto ſuo, & inſatiabilis in laboribus, ut ait Ricardus e, *Charitas inſuperabiliter pugnat, inſatiabiliter guſtat, & inſeparabiliter hæret.*

d Luc. 12.49.
e Ricard. par. 1. de Gradib. Charit. c. 4.

Non eſt aliquid in mundo creato quod non ſit admirabile, licèt illius non concipiamus magnitudines, eò quòd ſit nimis commune: unaquæque pars univerſi orbis non eſt niſi miraculum, & maximum omnium eſt, quòd omnia ibi ſint igne animata: ubicumque dominatur ignis, ubique dominium exercet ignis ſupremum; in cœlo, in elementis, & in mixtis dominari videmus ignem, & exiguas ſcintillas quæ inde exeunt: cœlum Empyreum non eſt aliud niſi ignis, aſtra, æquè ac planetæ præ ſe ferunt ignem: aër exhibet ipſe nobis cometas ignitos ſub diverſis figuris intuendos: terra quibuſdam in locis emittit flammas quæ accêdunt civitates & Provincias, lapides producit pretioſâ flammâ prædivites: quin imò & ipſi piſces recenſentur in quibuſdam aquis ardere, quæ deberent ardores extinguere: exire cernuntur è cœmeterijs exiguæ quædam ſcintillæ prodeuntes è cadaveribus quæ ibi ſunt ſepulta, & quæ reſolvuntur in ignem: ſed ſi naturam circumquaque cingit ignis, potiori ratione gratia circundare debet igne Eccleſiam, quæ eſt æraria favorum cœli: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati* f. Propterea Deus ait per Zachariam g, *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* Imò verò Abdias h aſſerit, eam eſſe ignem & flammam, *Erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma.* Et cùm dicit Daniel i, *Thronus ejus, flamma ignis: rota ejus ignis accenſus*, nihil aliud nobis voluit innuere niſi id, quod concinit hodie Eccleſia poſt S. Lucam k, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Iſte eſt ignis amoris & charitatis invincibilis, qui accendit Eccleſiam, eam reddit triumphantem, & tribuit membris ejus, nimirum fidelibus, victoriam inter agones de omnibus inimicis ipſorum, carne, mundo, & inferno. Ideò ille apprimè ad rem noſtram fecit, qui expreſſurus hominem conſtantem & invincibilem, repræſentavit adamantem in medio ignis præ hâc inſcriptione, *Semper Adamas.* Jugiter invincibilis eſt, cùm certum ſit, quòd ferrum dometur igne, lapis ferro conteratur, quandiu adamas nec ferro, nec igni cedit, & ſi amor eſt tutus potens, ideò quia omnia pro dilecto poteſt perpeti, *Quia omnipotens & omnipatiens eſt.* Hoc adimpletum videmus in Juſtis: ignis enim amoris ipſorum non cedit igni tribulationum, nec malleo perſecutionum quibus impetuntur, ſed de omnibus illis triumphant, ut dilectionem Dei mutuo amore compenſare ſatagant, unuſquiſque eorum *ſemper adamas* remanet inter ignes, & contuſiones, *Quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum* l. Sicut non me latet, quòd hodierna die refrigeſcit in Chriſtianiſmo *charitas multorum* m. Id eſt, impiorum, & quòd violentior eſt ignis concupiſcentiæ ipſorum, igne amoris Dei. Flamma Divinæ charitatis eſt invincibilis in Juſtis jugiter; & flamma amoris mundani eſt ſemper inſuperabilis in malis Chriſtianis, cùm in illis, æquè ac in Juſtis eſſe deberet Dei charitas invincibilis, ſicut eſt & inſeparabilis.

f Sap. 7. 14.
g Zach. 2. 5.
h Abd. v. 8.
i Dan. 7. 9.
k Act. 2. 1. &c.
l Cant. 8. 6.
m Matt. 24. 12.

Admirot deſiderium Dilecti Canticorum n invitantis dilectam ſuam, id eſt, animam fidelem, ut ipſum cordi imprimat, & manui tanquam ſigillum, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Sublimis Philoſophia hæc eſt, quâ Sponſus aperit Sponſæ ſuæ modum uniendi ſe ipſi vinculo amoris, qui cùm poteſtate vigeat alligandi corda, tribuit eis omnes prærogativas amoris, quem Beati experiuntur in cœlo, ubi inſeparabiliter adhærent objecto ſoli digno dilectione ipſorum, quod eſt Deus, qui voluit ut ſigillum ſuum honoraret cor & brachium Sponſæ ſuæ, animæ fidelis, & utrumque ſuaviter amore alligaret, ut, ſicut cor eſt principium cogitationum, & brachium inſtrumentum principale actionum, nulla deinceps formaretur in hominis corde cogitatio, nec ulla prodiret actio è manibus ejus, quæ non eſſet imagine Dei priùs inſignita: aut ut interius animæ, quod eſt ſemper ditius, & ſpecioſius, repræſentatum per cor; & exterius corporis figuratum per brachium, quod eſt interpres interioris, cujus teſtimonium perhibere debet ſanctis actionibus ſuis, adhæreret penitus ipſi, cujus ſolus intuitu cor formare & fovere deberet cogitationes, & brachium actiones reddere; & ſic utrumque arderet hoc igne, qui ipſum redderet inſeparabile à Deo ſuo, ut proteſtabatur Propheta o ſe concupiviſſe, dicens Deo, *Ure renes meos, & cor meum.* Sed heu! ubinam eſt hodie amor iſte? Quem Chriſtianum invenire poſſem hodie in mundo, qui verè poſſet dicere, ſe eſſe indiſſolubiliter unitum Deo, & poſſidere charitatem inſeparabilem, cùm minimum infortunium quod ipſi accidit, & quod ipſe æquo ſuſtinere non poteſt animo, ipſum ſeparet ab amore ejus? Exiguus timor mortis, judicij, inferni, promiſſio fallax creaturæ, minæ tantillæ vobis ab aliquo intentatæ, parva flamma ambitionis, aut avaritiæ, vel cupiditatis, motus appetitus inordinati, & ſimilia ſeparant vos ab amore Dei. Chriſtiane, cui exprobrari poteſt id, quod improperabat Jacob Ruben filio ſuo, *Effuſus es ſicut aqua* p. Id eſt, ſeparando te à Deo: nulla deinceps igitur creatura te ſeparet ab eo, & ſatage ut charitas tua non ſolùm ſit inſuperabilis, & inſeparabilis, ſed etiam inſatiabilis.

n Cant. 8. 6.
o Pſ. 25. 2.
p Gen. 49. 4.

Apoſitè locutus eſt Salomon q cùm ſic effatus eſt, *Ignis nunquam dicit, Sufficit.* Quia lignum quod in flammas ipſius projicitur, eas fovet, eiſque majorem vim tribuit augendæ actionis ſuæ, & nutriendæ potentiæ ſuæ inſatiabilis. Hæc veritas ſatis nota in naturâ, & comprobata quotidianâ experientiâ, eſt certior in gratiâ, quæ nobis oſtendit, quomodo ignis Divini Amoris nullos imponit limites actioni ſuæ, imò verò laboribus quos perpetitur; quò magis agit, eò majorem vim habet ad agendum, quia in praxi amoris eſt ſemper progrediendum: nam non progredi, retrocedere eſt, ait S. Bernardus r, *Itaque ſi proficere currere eſt: ubi proficere, ibi & currere deſinis. Ubi verò non currere, ibi & deficere incipis.* Quod non ſolùm debemus intelligere de actione, ſed etiam de paſſione, quia ſicut omnia entia naturalia ſubſiſtunt actione & paſſione; ſic etiam ignis ſupernaturalis amoris Dei fovetur & creſcit in animâ, actionibus, quæ ſunt veræ probationes amoris, *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis* ſ. Et paſſionibus quæ ſuſtinentur pro objecto dilecto. Hæc eſt proprietas, quam educit

q Prov. 30. 16.
r S. Bern. Epiſ. 253 & 1 Cor. 9. 24.
ſ S. Greg. hom. 30 in Evang.

amor

amor ex hoc igne qui non eſt niſi amor, quem Dei Filius nobis attulit, ut ſuprà recenſui, & qui nullos invenit limites in hoc Salvatore, qui *oblatus eſt, quia ipſe voluit* t. Quique tantam vim tribuit Apoſtolis u, & Martyribus x, ut tormenta riderent, & Tyrannos ſubſannarent. Verum quidem eſt, amor eſt inſatiabilis inter homines: ſed quinam amor? Amor creaturarum, amor divitiarum, quibus avarus inhiat, & quibus nunquam eſt repletus; amor honorum, quibus ambitioſus nunquam contentus eſt; amor voluptatum, quibus nunquam poteſt expleri diſſolutus; amor curioſitatis, videndi, & audiendi, *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*, y. Amor etiam inordinatus perſonarum eſt inſatiabilis, quandiu è contra Deo ſervitur pæ menſurâ & cum reſtrictione, & limites præfiguntur amori erga illum qui totam requirit potentiarum noſtrarum extenſionem, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tua* z. Diligamus igitur Deum, qui *ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

t Iſai 53.7
u Actor. 5. 41.
x Hebr. 11,33.&c.
y Eccl. 1 8.
z Matth. 22.37.

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.

Act. 2. 2. &c.

CUm res extraordinariæ, & eventus inuſitati ſint cauſa admirationum noſtrarum, proculdubio, Auditores, admiramini tanquam prodigium illud quod accidit aliàs Apoſtolis *cùm complerentur dies Pentecoſtes.* Id eſt, ut exponit Dionyſius Carthuſianus a, *quinquageſimo die à Christi reſurrectione, ita quòd illâ die quinquaginta dies computabantur, & implebantur à die reſurrectionis Dominica. Pentecoſte autem dicitur à pente quod eſt quinque, & coſte quod eſt decem, quaſi quinquies decem, quæ faciunt quinquaginta, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, ſcilicet in cœnaculo. Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, id eſt, inſtar grandis tonitrui, ſeu venti impetuoſi. Et replevit totam domum ubi erant ſedentes, id eſt, manentes, ſeu quieſcentes Christi diſcipuli. Itaque fiebat tunc ſonitus grandis & vehemens, ad declarationem majeſtatis paraclêti Spiritus ſancti deſuper venientis, & ut per ſonitum illum corda diſcipulorum ad reverentialem Dei concuterentur timorem, ac profundiori humilitate ad Spiritus ſancti diſponerentur influxum. Sic &* Ezechiel b *in viſione quatuor animalium, & throni, ac Dei reſidentis in eo, magnam ſe audiſſe commotionem teſtatur. Illa tamen imaginaria fuit, iſta realis, quam aliqui dicunt non ſolùm à diſcipulis, ſed à totâ Jeruſalem fuiſſe auditam. Porrò quod ait, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, intelligi poteſt de Spiritu ſancto, ut ſit ſenſus, Factus eſt ſonus repentinus de cælo, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, id eſt, ſicut decuit Spiritum ſanctum, utpote talis, qualem fieri condecebat ad ejus efficaciam majeſtatemq; monſtrandam. Juxta quem modum ſcriptum eſt in Ezechiele, Audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei. Appellatur autem Spiritus ſanctus, ſpiritus vehemens, quaſi va adimens, & mentem à terrenis ad cæleſtia vehens. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, id eſt, igneæ linguæ multipliciter diviſa atque diſtincta. Seditque ſupra ſingulos eorum, id eſt, Spiritus ſanctus in his linguis igneis ſuper unumquemque diſcipulorum quievit, quemadmodum ſuper Chriſtum in Baptiſmo deſcendit ac manſit in formâ columbæ* c. *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Quemadmodum enim domus, in quâ reſidebant, impleta fuit ſono, & igneis linguis; ita & corda eorum perfuſione, fervore & illuſtratione Spiritus ſancti: & utique ante horam hanc, gratiam ſancti Spiritus ſuſceperunt etiam in abundantiâ quadam, præſertim cùm Chriſtus inſufflatione, eis Spiritum ſanctum infudit* d, *ſed nunc in præexcellenti plenitudine Spiritum ſanctum ſortiti ſunt.* Cœlum & Eccleſia ſtupent ad memoriam deſcenſus iſtius admirabilis Spiritus ſancti, cùm decernant nobis diem, quo meliùs contemplemur illud prodigium, quod æquè noſtras exigit reverentias, ac admirationes: & ideò eſt hoc idem quod quotidie nobis accidit, cùm ſuſcipimus Spiritum ſanctum; longè quærimus id, quod agitur apud nos; & illud nobis eſt familiare, quod credimus eſſe nobis extraordinariũ: eſt enim idē ventus, idem ignis, & ſunt eædem linguæ, quibus ſuſcipimus hoc idem donum. *Præterea, Advertendum quòd duplex eſt miſſio Spiritus ſancti. Utpote ſpiritalis & inviſibilis, quâ mentibus puris aut purificandis infunditur, de quâ legitur, Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed non ſcis unde veniat, aut quò vadat* e. *Alia eſt viſibilis, quando in aliquo ſigno ſenſibili demonſtratur ac datur, ad inſinuandum quòd earum rerum, in quarum ſpecie apparet, proprietatem operatur in cordibus, quibus illabitur. Hinc nunc in duplici ſigno viſibili demonſtratus ac datus eſt, ſcilicet in igne, & linguis: ſic tamen quòd ignis ſpeciem linguæ habebant, & linguæ igneæ apparebant, ita quòd equivalenter fuit ſignum duplex ſenſibile*, ait ibidem idem Carthuſianus. *Beata Virgo, nubes* f *cæleſtis, quæ tonitruum Spiritum ſanctum ſe ipſâ reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus ſancti in univerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demiſit*, ait S. Epiphanius g, viam nobis aperiet ad hæc myſteria intelligenda ubi ipſi dixerimus, *Ave Maria.*

a Dion. Carthuſ. art. 2. in Act. 2. 1. &c.
b ex Ezech. 1. 24. &c.
c ex Mat. 3. 16.
d ex Jo. 20. 22.
e ex Jo. 3 8.
f ex Iſai. 19. 1.
g S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

Myſterium hodiernum deſcenſus Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos in formâ venti, ignis, & linguarum, ſic eſt elevatum ſupra captum mentium noſtrarum, ut comprehendi non poſſit in dignitate ſuâ niſi ab eo qui ſe dat, & ab illo qui ipſum ſuſcipit: nulla verba ſunt quæ explicare poſſint illius magnitudinem, linguæ quælibet vel diſertiſſimæ neſciunt quid de illo enuncient, & mutæ permanent; ideò de ipſo taceo, nec immorari volo in explicando vobis illius ſecreto; ſed tantùm meam intumere volo operam ad inſtruendos vos omnibus illis quæ neceſſaria ſunt ad dignè ſuſcipiendum donum iſtud Divinum. Oſtendam vobis igitur in priori parte diſcurſûs iſtius, quòd Spiritus ſanctus nobis communicatur eodem modo quo datus fuit Apoſtolis. In poſteriori verò vos edocebo, quare deſcendit ſuper eos in formâ venti, ignis, & linguarum. Diviſio.

Spiritus Dei, qui non erit otioſus *in æternum, &* I. Pars.

h Exod. 15. 18.
ultra h, nunc operatur, nedum interrumpat unquam ſeriem cœleſtium & Divinarum operationum ſuarum, ſicut ajebat aliàs Dei Filius, Pater meus uſque modò operatur, & ego operor i. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum k. Pater meus cœleſtis & naturalis uſque modò operatur, id eſt, à principio mundi uſque in præſens, imò & uſque in ſempiternum indeſinenter agit in rebus, totum univerſum in eſſe conſervando, gubernando, corrupta reſtaurando: agit quoque animas rationales quotidie creando, impios juſtificando, purgatos ab omni reatu in cœlis beatificando, panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſubſtantiando l, & alia ineffabilia jugiter operatur, præſertim in Eccleſiâ triumphante, quæ ignoramus: Pauca quippe videmus operum ejus, ut dicitur in Eccleſiaſtico m, ubi & ſcribitur, Multa ſunt abſcondita majora his. Quod verò in Geneſi n legitur, Requievit Deus ab omni opere, quod patravit, intelligendum eſt quantùm ad productionem novarum ſpecierum entis. Et ego operor, ſicut & Pater, imò eadem qua Pater, quia indiviſus ab illo in naturâ & opere. Deus igitur qui manere non poteſt quin operetur, ſicut cœli non poſſunt eſſe ſine motu, Angelus ſine cognitione actuali, facultas vegetativa ſine actione, & mens hominis abſque cogitatione, Spiritus iſte Divinus agens fœcunditate intellectus ſui exprimit conceptum, verbum, imaginem ſuiipſius, & eodem puncto indiviſibili ſuæ æternitatis beatæ quo producit hunc terminum ſuæ cognitionis, infundit in eum omnes perfectiones Divinas; ita ut hæc imago ſit repræſentativa & poſſeſſiva ejuſdem ſubſtantiæ, & ejuſdem ſpiritus: Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius o. Et S. Bonaventura p: Candor enim eſt lucis æternæ, id eſt, lux puriſſima de luce æternâ, ſcilicet à Patre procedens. Unde cantatur, Lux de luce, apparuiſti Chriſte. In iſtâ luce, lux æterna videtur, ſecundùm illud Pſalmi q, In lumine tuo videbimus lumē. Item, Qui videt me, videt & Patrem r. Eſt ergo candor lucis æternæ, quantùm ad repræſentationem ſapientiæ. Et ſpeculum ſine maculâ majeſtatis Dei, quoad repræſentationem Divinæ majeſtatis & potentiæ, ſecundùm illud ſ: Quæcumque enim ille (ſcilicet Pater) fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit ſ. Sine maculâ, nunquam peccavit, quia peccatum non fecit t, &c. Et imago bonitatis illius. Gloſſa, Et plena repræſentatio bonitatis ejus: Qui eſt imago Dei inviſibilis u. Notandum, quòd ſpeculum eſt Dei Filius immaculatum actu & potentiâ.

i Jo. 5. 17.
k Dion. Carthuſ. art. 11. in Jo. 5. 17.
l ex 1. Cor. 11. 24. & 25.
m ex Eccli. 43. 36.
n ex Gen. 2. 2.
o Sap. 7. 26.
p S. Bonav. in Sap. 7. 26.
q Pſal. 35. 10.
r Joan. 14. 9.
ſ Jo. 5. 19.
t ex 1. Petr. 2. 22. & ex Iſai. 53. 9.
u ex Coloſſ. 1. 15.

Et hoc Verbum genitum, viſum ſic perfectum à Patre, diligitur ab ipſo, non ut res aliena, ſed ut propria ſubſtantia ſua: & iſte Filius videns Patrem ſuum, invenit ſe amore captum, & veluti ſentit cor ſuum aperiri admirabili reditu reciprocæ dilectionis erga ipſum, quæ dilectio, licèt oriatur à duabus perſonis, fluens tamen ab eodem corde, & ab eâdem ſolâ bonitate, terminatur ad tertiam perſonam, quam vocamus Spiritum ſanctum, cùm ſit idem Spiritus Patris & Filij, qui deſcendit hodie ſuper Apoſtolos, & quem iiſdem promittebat idem Filius cùm dicebat eis, Cùm venerit Paraclètus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me x. Seu, ſecundùm Carthuſianum y, Cùm venerit, non locum mutando, ſed in ſigno viſibili de novo operando, & maximam gratiam infundendo, Paraclètus, hoc eſt, Conſolator Spiritus ſanctus, qui ſpem veniæ imprimendo lætificat pœnitentem, & Divinorum ſapidam cognitionem præſtando exhilarat contemplantem: quem ego mittam vobis, dando & influendo mentibus veſtris munera ejus: imò & ipſum, juxta illud Apoſtoli z, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Porrò per hoc quod Chriſtus aſſerit, quem ego mittam vobis, oſtendit quòd Spiritus ſanctus ab ipſo procedat. Non enim uni perſonarum competit dare; vel mittere aliam ſecundùm naturam Divinam, niſi ratione originis, ſeu authoritatis ad illam: ideò nunquam legitur Pater miſſus à Filio, vel Spiritu ſancto, ſed è contrà. Non itaque congrueret Filio mittere Spiritum ſanctum, niſi eſſet in Filio authoritas reſpectu Spiritus ſancti, videlicet, niſi à Filio emanaret. Quod verò adjecit, à Patre, accipi poteſt dupliciter. Primò ſic, Quem mittam vobis à Patre, quaſi à fonte, de quo profluit Spiritus ſanctus: vel, quem procedentem à Patre mittam vobis. Secundò ſic, Quem mittam vobis à Patre, hoc eſt, virtute Divinâ, quam ſuſcepi à Patre, à quo habeo quòd Spiritus ſanctus procedit à me proceſſione æternâ, & mittitur à me miſſione temporali. Spiritum veritatis, hoc eſt, Spiritum meum, qui ſum Veritas a, & Sapientia b Patris: vel, Spiritum, qui eſt examen & Doctor totius veritatis. Dicit enim Apoſtolus de Spiritu ſancto ad Romanos c, Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Qui à Patre procedit. Hoc addit Salvator, ne putaremus, quòd à Filio duntaxat procederet Spiritus ſanctus, eò quòd dixit, Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio, non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed inquantùm ſunt unum in naturâ & voluntate. Eſt namque Spiritus ſanctus amor. Amor verò eſt germen atque proceſſio voluntatis. Quemadmodum ergo mundus creatus eſt à tribus perſonis, non inquantùm ſunt diſtincta ſuppoſita, ſed ut ſunt unus Deus in eſſentiâ, atque potentia indiſtincta, ita quòd tres perſonæ ſunt unus Creator: ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio per id in quo idem ſunt, ſcilicet, per voluntatem, propter quod ſunt unus ſpirator, unus fons, unumque principium Spiritus ſancti. Ille teſtimonium perhibebit de me per opera ſua miraculoſa. Hoc autem in die ſancto Pentecoſtes conſtat impletum. Per hoc ſiquidem quòd Spiritus ſanctus infudit formidoloſis illis idiotis, rudibuſque diſcipulis, invincibilem, fortiſſimamque conſtantiam, Divinarum Scripturarum copioſam notitiam, omnium quoque linguarum notitiam, apertè monſtravit, quòd Jeſus (pro cujus honore hoc factum fuit) eſſet verus Chriſtus. Unde tam forte teſtimonium perhibuit Chriſto Spiritus ſanctus, quòd multi qui ante crucifixionem eum oderant, pòſt viſo prædicto opere Spiritus ſancti, compuncti ſunt corde, & converſi ad Chriſtum: quemadmodum in Actis Apoſtolorum pleniùs recitatur, ubi legitur, Cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Factâ autem hâc voce convênit multitudo, & mente confuſa eſt. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes, Quidnam vult hoc eſſe? Et poſt pauca, His auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, Quid faciemus viri Fratres? Hic igitur Spiritus non poteſt manere vel unico momento quin cogitet de benefaciendo nobis, quin dare velit ſeipſum nobis, & communicare nobis divinitatem ſuam. Divinitas (obſervate, ſi placet) nobis communicata fuit ipſâ die myſterij ineffabilis Incarnationis d; & die celebri Pentecoſtes idem donum nobis factum eſt quantùm ad ſubſtantiam & eſſentiam rei, ſed modo differenti; nam in Incarnatione Divinitas in perſonâ Filij deſcendit in terram, accepit carnem noſtram, induens corpus formatum operatione internâ Spiritus ſancti in viſceribus B. Virginis, Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt e. Hæc Divinitas ſibi deſponſavit ſibi humanitatem, uniendo eam perſonæ Divinæ, cùm perſona verbi ſervierit loco ſuppoſiti naturæ humanæ, unde reſultavit ut è Deo & ex homine factus fuerit unus Jeſus Chriſtus, qui nobis datus eſt: Parvulus enim

x Joan. 15. 26.
y Dion. Carthuſ. ar. 38 in Jo. 15. 26.
z Ro. 5. 5.
a ex Jo. 14. 6.
b ex 1. Cor. 1. 30.
c Rom. 8. 9.
d Luc. 1. 35. &c.
e Matth. 1. 20.

natus

f Iſai 9.6 g S. Athã. in Symb. *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis*, ait Iſaias f. Et S. Athanaſius g. *Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo : ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Videndo hunc Jeſum Chriſtum, dicere potuerunt ſinguli illi qui ei erant tempore ſuppares, video Dei Filium; audiendo diſcurſus ejus, aſſerere poterant ſinguli illi, quòd ſermones ejus eſſent loquela Dei, ſicut aliàs *reſpondit ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* h. (h Joan. 6.68.) Et quòd actiones ejus eſſent actiones hominis & Dei, Divinæ & humanæ, quemadmodum *Nicodemus, Princeps Judæorum, dixit ei, Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter : nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo* i. (i Jo. 3. 1. & 2.) Sed in dono, quod nobis fit hodie, res non habet ſe eo modo. Verum quidem eſt, quòd Deus nobis eſt communicatus, quòd tertia perſona SS. Trinitatis deſcendit ſub figurà venti, ignis, & linguarum, ſed nemo cogitare debet & credere, quòd univerit ſe ſubſtantiæ venti, ignis, & linguarum : res enim iſtæ non fuerunt niſi ſigna communicationis ipſius. Quòd ſi ſenſus & oculi decepti, videntes hæc ſigna, exiſtimarunt ſe audiviſſe & vidiſſe Spiritum ſanctum, ratio corrigere debuit hunc defectum : ait enim Textus noſter, *Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Ventus nihil aliud egit quàm replere cœnaculum, ignis fuit quidem viſus ſuper capitibus diſcipulorum, ſed Spiritus ſanctus denotatus per ignem, illapſus eſt in corda eorum, ſicut deinceps dixit S. Paulus k, (k Ro 5.5.) *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Hoc modo ſe nobis Spiritus ſanctus communicat in ſuſceptione Sacramentorum. v. g. in Baptiſmo caput infantis aut adulti lavatur aquâ, non videtur in hoc Sacramento niſi hic humor liquidus, qui tangit infantem, vel adultum, & ſtatim Spiritus ſanctus infunditur animæ ejus. Et hoc eſt quod præfato Nicodemo *reſpondit Jeſus, Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum* Dei l. (l Jo. 3. 5. m Dion. Carth. in art. 8. in Joan. 3. 5.) Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum *m*, [Niſi quis renatus fuerit, id eſt, ſpiritualiter regeneratus in fonte Baptiſmatis, ex aquâ, quæ eſt materiale elementum corpus lavans, & diſpoſitivè regenerans, & Spiritu ſancto, qui eſt inviſibilis actor intùs mentem purificans, & efficienter regenerans gratiam influendo, quæ eſt res Sacramenti, & cauſa formalis intrinſeca hujus regenerationis : non poteſt introire in Regnum Dei, quod eſt triumphans Eccleſia, vita æterna, ſeu patria Electorum.] Videmus in hoc Sacramento ſignum viſibile Spiritus inviſibilis : in cœnaculo ignis, hìc aqua denotat adventum ejuſdem Spiritus Divini. In Confeſſione Sacramentali ſtatim ac Sacerdos pronunciavit verba abſolutionis *n*, (n Io. 20. 22 & 23.) Spiritus ſanctus infunditur animæ pœnitentis : non audimus niſi ventum emiſſum è pulmonibus hominis, quem Deus inſtituit miniſtrum hujus Sacramenti, & vox ejus nobis eſt ſignum Spiritus ſancti venientis in nos : non audimus, inquam, niſi ventum, ſicut nec niſi ventum audiverunt diſcipuli in cœnaculo. In Confirmatione ungitur chriſmate frons illius qui confirmatur : hâc unctione peractâ Spiritus ſanctus adeſt animæ confirmati, ſicut cùm Apoſtoli *imponebant manus ſuper illos*, quos confirmabant, *& accipiebant Spiritum ſanctum* o. (o Actor. 8.17.) Hæc unctio nòn eſt niſi ſignum Spiritus ſancti, quem confirmatus ſuſcipit interiùs : ſicut enim fumus eſt ſignum ignis, nedum tamen ſit ignis; ſic omnes iſtæ res, quas diximus, ventus, ignis, linguæ, aqua, verba, & unctio ſunt ſigna ſenſibilia Spiritus ſancti; ſed non ſunt Spiritus ſanctus. Sed heu quàm multi ſunt qui ſuſcipiunt hæc ſigna, nedum tamen favorabiles ſuſcipiant eorum effectus!

Secunda differentia, quam reperio inter hoc donum Divinum factum hominibus duobus iſtis diebus feſtis Incarnationis & Pentecoſtes, in hoc eſt ſita, quòd in Incarnatione Divinitas non venit ad uniendam ſe perſonæ humanæ, ſed ſoli naturæ in individuo, & non in ſpecie, ut nos adjuvaret ad extrà ſolùm prædicationibus ſuis, exemplis ſuis, &, quod præcipuum eſt, meritis ſuis, offerendo ea ſuo Patri æterno, faciens in eo omni quod erat in ſe reconciliationem hominis cum Deo, *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* p. (p Coloſſ. 1.20.) Tribuens nobis omnibus per merita ſua id unde ſalutem noſtram poſſimus operari ſufficienter, ſed non efficaciter, cùm ad eam efficaciter peragendam requiratur concurſus voluntatum noſtrarum cum gratiis ejus, ſicut ait S. Auguſtinus *q*, (q Aug. ſerm. 15. de verb. Apoſt. c. 11.) hominem alloquens, *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te.* Sed Divinus iſte Spiritus die Pentecoſtes ſe dedit ſingulis Apoſtolis ſicut Sponſum, aut velut auxilium ſupernaturale neceſſarium ad benè operandum. Divinitas in carne tractavit Matrimonium; ſed Spiritus ſanctus illud conſummavit : *Verbum caro factum* r, (r Io. 1. 14. ſ Luc 6. 13.) præparavit Apoſtolos ſuos, *Vocavit diſcipulos ſuos* ſ, & illos edocuit; ſed Spiritus ſanctus eos poſſedit : Jeſus Chriſtus docuit diſcipulos ſuos juſtitiam & ſanctitatem; ſed Spiritus ſanctus juſtificavit & ſanctificavit eos : Salvator mundi meruit gratiam pro Apoſtolis ſuis; ſed Spiritus ſanctus eam dedit : Jeſus Chriſtus vigilavit, ſudavit, & meruit pro filijs ſuis; ſed Spiritus ſanctus diſtribuit gratias & merita ipſius : Jeſus Chriſtus meritus eſt adventum Spiritus ſancti, triumphans in cœlo illum miſit, Apoſtoli ipſum receperunt, ſecuti ſunt Jeſum Chriſtum; ſed poſtquàm ſe Spiritus ſanctus infudit ipſis : Tandem, Spiritus ſanctus fælicem conſummationem tribuit omni illi, quod Jeſus Chriſtus inceperat in iſto mundo. Sancti Apoſtoli inſigniti ſunt notis iſtius unionis admirabilis, ſigna ſenſibilia ſuſceperunt quòd Spiritus ſanctus veniſſet in animas ipſorum, *Seditque ſupra ſingulos eorum.* Quòd hæc flamma volans & inſtabilis ſteterit ſuper capita Apoſtolorum, ſignum fuit quòd Spiritum Dei ſuſceperant, ſicut innuunt verba immediatè pòſt ſequentia, *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Id eſt, modo admirabili confirmati in gratiâ, ad quod ipſi ſe diſpoſuerant *perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ Matre Jeſu, & fratribus ejus* t, (t Actor. 1.14.) & in vigiliis, & in ſanctis deſideriis. Sed hodiernâ die quis eos imitatur? Quis ſe præparavit inſtar illorum? quiſnam more ipſorum bonas attulit diſpoſitiones ad ſuſcipiendum hunc Hoſpitem Divinum? Heu! quàm meritò jure aſſerere poſſum ad confuſionem multorum, quòd illi omnes qui ſuſcipiunt ſigna Spiritus ſancti, non accipiunt illum, quia obſtaculum ponunt ipſius receptioni, *Actus activorum ſunt in patiente benè diſpoſito*, dicit Philoſophia. In naturâ, & in gratiâ receptio actionum agentium ſupremorum determinantur à concurſu cauſarum ſecundarum, & ſubjectorum quæ ipſas ſuſcipiunt : peccator, tu ſuſcipis abſolutionem à Sacerdote in Confeſſione

Sacra-

Sacramentalis, ſed quia ibi es potiùs corpore quàm mente, ſine compunctione, abſq; firmo propoſito recipiendi tuipſius in bonam emendatæ vitæ frugem, deſtitutus efficaci voluntate deſerendarum occaſionum peccati tui, tu ſuſcipis ſignum Spiritus ſancti, ſed non accipis Spiritum ſanctum; tu ſuſcipis unctionem in Sacramento Confirmationis, dico tibi quòd eſſet ille ſignum Spiritus ſancti, ſed quia ad iſtud Sacramentum non affers diſpoſitiones requiſitas, ideò ſignum duntaxat accipis, non autem gratiam: accedis ad Sacram Communionem, è manu Sacerdotis accipis corpus Jeſu Chriſti, ſed quia non es in gratiâ, non ſuſcipis Spiritum ſanctum, *Actus activorum ſunt in patiente benè diſpoſito*.

Tertia differentia, quam video inter myſterium Incarnationis & myſterium Pentecoſtes in his duabus communicationibus factis Divinitatis, eſt, quòd perſona Verbi, licèt eſſet altæ & ſummæ majeſtatis æqualis majeſtati Patris & Spiritus ſancti, tamen cùm ſe univerit carni noſtræ, & ſe humiliaverit ad depreſſionem naturæ noſtræ plenæ miſeriis, & innumeris infirmitatibus obnoxiæ, hæc Divinitas dedignata non eſt humiliationem, ipſa ingreſſa eſt *domum Phariſæi*, ibique benignè ſuſcepit peccatricem ad *pedes* u ipſius procumbentem; cucurrit per agros Samariæ, ut diſcurreret cum Samaritanâ x; ſemetipſam invitavit apud Zachæum Principem *publicanorum* y, compaſſa eſt infirmitatibus Apoſtolorũ ſuorum z, æquè ac eſt ingreſſa os Judæ proditoris a horribilius inferno, manibus adverſariorum ſuorum voluntariè ſe tradidit; injuriis & flagellis à Synagogâ & à carnificibus ſibi illatis ſubjacêre, & ignominioſam tandem mortem ſuſtinere voluit b: ſic ignis adhærens materiæ craſſæ, retinetur deorſum quandiu adeſt materia, licèt ejus ſphæra ſit altiſſima, & ipſum ſua natura ſurſum ferat: ſed Spiritus ſanctus qui nulli fuit alligatus materiæ gravi & terreſtri, ipſe qui eſt Spiritus purus ſine ullâ miſtione, non inductus eſt ad deprimendam majeſtatem ſuam, ſed conſervavit magnitudinem & dignitatem ſuam: ſi manere debet ſuper terrâ, debet habere ſanctum templum, aut ſanctum pectus, prout Pſalmiſta d dicit Deo, *Domum tuam, decet ſanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Et juxta quod Apoſtolus ſcribit Corinthijs e, *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos.* Impoſſibile enim eſt ut Spiritus ſanctus maneat cum ſorde peccati, *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* f. Id eſt, *Quia carnalis, & in vitia carnis ſua culpâ projectus eſt. Ita S. Chryſoſtomus, & Ambroſius*, ſubdit Cornelius g. Et, *Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*, ait Sapiens h. Et poſt illum S. Bonaventura i, *Quoniam in malevolam animam, excluſio à conſortio Spiritus ſancti. Quoniam in malevolam animam, quoad ſpiritualia peccata, non introibit Sapientia, ſe illi infundendo; Sapientia, inquam, quæ de ſurſum eſt, quæ primum quidem pudica eſt, & cætera, quàmvis introeat illa, quæ deorſum eſt, terrena ſcilicet, aliàs diabolica* k. *Nec habitabit, permanendo; in corpore ſubdito peccatis. Hoc dicit, quantùm ad peccata carnalia, quæ licèt ſint minoris culpæ, ſunt tamen majoris infamiæ, ut dicit Gregorius. Corpus ibi, non appellatur pars hominis corporea tantùm, ſed per Synecdochen, ſecundùm quam, pars ſolet poni pro toto, ſumitur hic corpus pro toto homine, inquantum ſentit paſſiones corporis. Unde Gloſſa, Qui peccatis ſubjacet, corpus, non ſpiritus eſt. In tali non habitat Sapientia.*

u Luc. 7. 36. &c.
x Jo. 4. 5. &c.
y Luc. 19. 1. &c.
z Luc. 22. 61.
a 1. Cor. 11. 24. & 25.
b Jo. c. 18. & 19.
d Pſ. 92. 5.
e 1. Cor. 3. 16. & 17.
f Gen. 6. 3.
g Cornel. in Gen. 6. 3.
h Sap. 1. 4.
i S. Bon. in Sap. 1. 4.
k ex Jacob. 3. 15.

Ad probationem veritatis iſtius, obſervate, ſi placet, quòd Spiritus ſanctus notat Apoſtolos ſignis, & ſtatim admirantia hanc communicationem iſtius Divini Spiritus factam cum tali abundantiâ, ut, cùm aër appareret repletus vento impetuoſo, cœlum effunderet hanc *pluviam voluntariam* l, & ignis deſcenderet in flammis diverſis, non perflaverit iſte ventus agros Jeruſalem, nec pervaſerit domos civitatis iſtius, nec ignis iſte flammas ſuas ſic diffuderit ut urbem iſtam in cineres redigeret; ſed quòd iſte ventus ſe congregaverit, & iſtæ flammæ ſe univerint ut ſolùm laberentur ſuper cœnaculum; in quo erant diſcipuli. Domus Annæ, & domus Caiphæ recenſentur fuiſſe vicinæ huic cœnaculo, nec ab eo longè remotum fuiſſe dicitur habitaculum Sacerdotum & Levitarum: & tamen omnes iſtæ domus ne vel minimum ſuſcipiunt iſtius venti flatum, nec minimam vel iſtius ignis ſcintillam: Deus *qui producit ventos de theſauris ſuis* m, qui tempeſtatibus habenas laxat, qui tribuit eis etiam frænum cùm vult, qui vocat turbines, & ijs utitur ſicut vult, direxit hunc ventum, & hunc ignem, & noluit ut caderent ſuper domos Annæ, & Caiphæ; ambo ſe reddiderunt indignos hoc dono Divino n, & conſequenter illius ſigno: inimici Jeſu Chriſti non ſuſcipiunt Spiritum ipſius, cùm noluerint cum ipſo communicare doctrinæ ipſius: nam Caiphas damnavit eum o, & Annas conſenſit capturæ ejus p, illumque malè excepit †: & Spiritus ſanctus non deſcendit niſi ſuper ſubjecta benè diſpoſita, & quæ merentur adventum ipſius. Iſtud docet nos, Auditores, quòd licèt Chriſtiani ſimus, & in ſinu Eccleſiæ Catholicæ, niſi ſimus boni, cùm Spiritus ſanctus deſcendet ſuper multos, non veniet ſuper nos. Cogitaſne, alloquor te, qui cuſtodis odium in corde tuo, aut qui exercens juſtitiam, non tenes ſtateram æqualem, qui eripis tibi velum ex oculis, ut conſideres conditionem perſonarum; alloquor te, qui foves in corde tuo flammam illegitimam, qui non ſolùm concupiſcis uxorem, ſed etiam fortunam alienam; alloquor te, qui niterès his myſterijs ſacris cum cogitationibus profanis & criminoſis, qui collocas in ſtomacho tuo pleno ſordibus Divinum Sanctuarium & Arcam Divinitatis q; cogitaſne, inquam, te ſuſcipere hæc ſigna gratiæ? Turpiter hallucinaris: Deus qui ſiſtere facit hunc ventum ſuper cœnaculum, continebit gratiam ſuam? Et quare non? ut quid te compelleret? cur curreret poſt te? quâ ratione non te desereret, cùm tu prior ipſum derelinquas? & quo pacto non denegaret tibi theſaurum gratiæ ſuæ, cùm eum ſic deſpicias? *O cæcitas, triſtatur homo ſi perdit theſaurum mundi, & non curat ſi perdit fidem, charitatem, juſtitiam, & patientiam pretioſum theſaurum Spiritus ſancti! O ſi cogitaremus iſtum quantâ diſtrictione theſaurus iſte ponderetur in die redditionis, id eſt, mortis, vel judicij, antequàm in domum theſaurorum cœli recipiatur; quàm diligenter eum cuſtodiremus!* ait S. Bonaventura r.

l Pſ. 67. 10.
m Pſal. 134. 8.
n Jo. 18. 13. &c.
o Matth. 26. 65. & 66.
p Matth. 26. 15.
† Jo. 18. 19. &c.
q Exod. 24. 8. & 10.
r S. Bon. [illegible] 3. Per. 2. Peni.

II. Pars.

Sinite, ſi placet, Auditores, ut, juxta promiſſum meum, vobis oſtendam quare Spiritus ſanctus hodiernâ die ſe communicat in formâ venti, ignis, & linguarum; ideò ſcilicet ut nobis teſtetur tres præcipuos effectus quos operatur in animâ Apoſtolorum: atqui idem ſanctus Spiritus, idem donum, idem diſtributor gratiarum ſe dat & ſe communicat eodem modo in omnibus Sacramentis Eccleſiæ noſtræ, ſi dignè ſuſcipiantur: ideò non ſine myſterio Sacramenta fuerunt à Jeſu Chriſto inſtituta

ſtituta ſub diverſis ſymbolis & ſignis differentibus, quæ ſignificant diverſos effectus, quos Spiritus ſanctus operatur. Quare fuit inſtitutus Baptiſ-
ſ Jo. 3. 5. mus? Ut abſtergeret ab animâ maculam *ſ* quam contraxerunt originaliter homines ab Adam, *in*
t Ro. 5. 12. *quo omnes peccaverunt* t. Quid agit Spiritus ſanctus in animâ baptizati? Illam lavat, & dealbat, & ſic, cujus exeuntis ex utero materno *denigrata eſt*
u Thren. 4. 8. *ſuper carbones facies* u, totus dealbatus, & purificatus exit è Baptiſmo. Quidnam eſt in mundo idoneum looni peragendæ? Aqua. Ipſa fuit igitur ſapienter ordinata ad denotandum hunc effectum admirabilem, quem Spiritus ſanctus opera-
x Pſ. 50. 9. tur in infante, *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* x? Cur Jeſus Chriſtus inſtituit Extremam unctio-
y Jacob. 5. 14. nem y? Ideò ut Spiritus Divinus nos roboraret adversùs inimicos noſtros inviſibiles, quos debellare debemus, ut haberemus ſpiritum noſtrum agilem, & fortem in agone cum illis ineundo. Athletæ antiqui ungebant corpus ſuum oleo, ut fortiores efficerentur, & difficiliùs arriperentur ab adverſariis ſuis: ergo oleum eſt proprium ſymbolum & ſignum effectus quem producit Spiritus ſanctus, qui roborat animam. Euchariſtia inſtituta fuit à Jeſu Chriſto, ut eſſet cibus ſpiritualis animæ: *Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis*
z Jo. 6. 55. *meus, verè eſt potus* z. Noſtrum corpus indiget cibo, quo alatur, & reparet vires deperditas, & ſpiritus exhauſtos ad ſuſtinendam fatigaonem laboris; ſpiritus noſter qui eſt obnoxius omnibus ferè defectibus corporis noſtri, propter eaſdem rationes requirit alimentum: Spiritus verò Divinus
a Joan. 6. 63. eſt eſca ſpiritus noſtri, *Spiritus eſt qui vivificat* a.
b Dion. Carthuſ. art. 18. in Jo. 6. 63. Id eſt, *Animam vitâ gratiæ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *b*. Quid aptius & univerſalius alimento quàm panis? ergo ſpecies panis erunt ſignum effectus hujus Divini Spiritus. Dico ſimiliter, revertens ad propoſitum meum, Quare Spiritus ſanctus ſe communicat hâc die ſacrâ Pentecoſtes, in formâ venti, ignis, & linguarum? Ad teſtandos tres præcipoos effectus, quos operatur in animâ. Ventus motum præbet illi quod ex ſe eſt immobile: videmus enim quòd turgere facit mare, elevat undas ejus, impellit naves, quas velociter labi facit per fluctus illius propter utilitatem commercij mercatorum: obſervamus ſimiliter quomodo in agris opulentè onuſtis prædivite & ubere meſſe ſpicas agitat, illas impellit, eas extollit, ipſas deprimit, ita ut in agris videantur velut undæ maris; & id quod eſt immobile in radice ſuâ, fugere videatur ab oculis noſtris: ſic ſimus & nos ex oobiſmetipſis & ex natura noſtrâ immobiles ad operandum bonum; poſſumus quidem ex nobis ipſis, infirmari à concupiſcentiâ noſtrâ cadere in peccatum, & in faciem noſtram impingere; ſed impoſſibile eſt ut reſurgamus à caſu noſtro quin adjuvemur ab ali-
c Pſal. 142. 7. enâ manu charitativâ, quam implorabat David *c*, dicens Deo, *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me.* Hæc erectio eſt effectus reſervatus Spiritui ſancto, motui Divino, ſanctæ inſpirationi, gratiæ quâ cum laboramus; ipſa non laborat ſola, nec nos etiam laboramus ſoli, ſed gratia cum noſtrâ libertate, *Laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei*
d 1. Cor. 15. 10. *mecum*, ajebat S. Paulus *d*. Et, *Non quòd ſufficientes*
e 2. Cor. 3. 5. *ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* e. Requiritur concurſus voluntatum noſtrarum cum gratia ejus, ſuavitatum illius attractionem ſequi debent obſequia noſtra: Spiritus ſanctus igitur ſe communicat in formam venti impetuoſi, ad ſignificandum quòd deinceps ipſe foret principium omnium operationum Apoſtolorum, quòd ipſe directurus eſſet eos quòcumque irent, *Spiritus tuus bonus deducet me in*
terram rectam f. Quòd ſi ipſi eſſent rotæ myſticæ *f Pſ. 142. 10.*
currus, quem vidit Ezechiel *g*, ipſemet *Spiritus vitæ* *g Ezech. 1. 21.*
in rotis foret; quòd ipſe quaſi ventus mundaret eos ſemper, & conſervaret, illoſque impelleret ut magnas naves, cùm ituri eſſent ad expugnandum mundum. Tandem, Iſte ventus notat, quòd Spiritus ſanctus eſſet principium bonorum operum, quibus eſſent Apoſtoli ſe deinceps applicituri. Et ecce primus effectus ipſius.

Ignis eſt ſymbolum amoris, qui adhærens cordi Apoſtolorum, eos omnes immutavit Divinâ metamorphoſi: ſi enim ponatur vel unica ſcintilla ignis in magno paleæ cumulo, ſtatim hæc palea convertitur in elementum ignis: ita ſi Spiritus ſanctus ſe communicat cordi, quod erat ignarum exercitiorum pietatis, inconſtans quantùm ad ſancta propoſita, & facilè cedens ventis tentationum,
quale erat cor Petri ad vocem ancillæ *h*, confeſtim *h Luc. 22. 56. &c.*
cor iſtud more paleæ ardet igne Divini Amoris, & ſumit inſeparabiliter qualitates ignis; ita ut omnes ipſius voluptates ibi ſint, ubi priùs erant ipſius faſtidia, & antiquæ ipſius deliciæ vertantur ipſi in ſupplicium, nec ardeat ampliùs niſi flammis hujus Divini Spiritus, *Quàm ſordet terra, cùm cœlum aſpicio*, ajebat S. Ignatius à Loyolâ flammis his Divinis ſuccenſus. Et ſicut internus cordis manifeſtatur per linguam, & per loquelam quæ eſt illius
interpres: *Ex abundantiâ enim cordis os loquitur* i: *i Matth. 12. 34. Luc. 45.*
non habet ampliùs linguam carneam, ſed igneam, cùm fumet inſtar cœleſtis thuribuli, & experiatur effectum piarum orationum ſuarum, & ſanctarum benedictionum quas diu noctuque mittit ad Deum ſuum in gratiarum actionem pro dono Divi-
ni iſtius Paraclêti, dicens Deo cum Davide *k*, *k Pſ. 140. 2.*
Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Et, *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur: & reno-*
vabis faciem terræ l. En, Auditores, quomodo ven- *l Pſ. 103. 30.*
tus eſt principium boni operis, *Tange montes, & fu-*
migabunt m. Nonne videtis ignem Divini Amo- *m Pſal. 143. 5.*
ris? Quid reſtat nobis nunc dicendum, niſi cum eodem Prophetâ? *Laudabo Dominum in vitâ meâ:*
pſallam Deo meo quamdiu ſum n. Ecce ventus, ignis, *n Pſal. 145. 2.*
& linguæ, hieroglypha trium effectuum deſcenſus Spiritus ſancti.

Ha! Auditores, ſi haberem hodiernâ die linguam igneam, & vos haberetis cor diſpoſitum ad ſuſcipiendam flammam Spiritus ſancti, quænam incendia amoris non intueret hâc auguſtâ die? Confiteor quòd peccata mea eripuerunt mihi modum habendæ iſtius linguæ: demerita mea me privant hâc prærogativa; ſed dico etiam quòd glacies & frigora, quæ conſtringunt corda veſtra, impediunt actionem interiorem iſtius ignis Divini. Nunquid non habetis ventum, ignem & linguam ſimul? Cùm dico vobis, quòd Salvator mundi, pœnis & tolerantiis ſuis meruit vobis deſcenſum Spiritus ſancti; nonne iſtud eſt lingua ignis, & ventus impetuoſus potens ad commovendos vos ad contritionem, ad turbationẽ mentis, & ad pœnitentiam? Cùm vobis annuncio, quòd oportuit ut Jeſus Chriſtus fuerit flagellis cæſus, *ſpinis* o
coronatus, patibulo crucis ſuffixus, ibique tradiderit *o Jo. 19. 1. &c.*
in mortẽ animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus p *p Iſai. 53. 12.*
ſit, ut mitteret ad nos ſanctũ Conſolatorem; nunquid non hoc eſt ventus qui poſſit vos impellere ad exercendas actiones quaslibet generoſiſſimas?

Annon

Digitized by Google

Annon iſtud præ ſe fert flammas ad vos accendendos, niſi ſitis frigidi ſicut glacies, & ſit induratum veſtrum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* q ſtrictum? Unde procedit igitur ut quandiu ventus iſte flat impetu toto neceſſario, & linguæ iſtæ igneæ apparent in iſto templo, non ſuſcipiatis id quod iſta ſigna vobis denotant? Ideò, dicam ne? propterea quia non vultis ipſum: ſi enim ipſum velletis, ipſum profectò ſuſciperetis; & ſi ipſum petatis, ſicut decet, ipſum etiam ſuſcipietis: dicite igitur ei mecum,

q Job 41. 15.

Veni ſancte Spiritus,
Et emitte cœlitùs
Lucis tuæ radium.

Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.

Dignare, Divine Conſolator, venire ad nos ſub forma venti, ut eruas nos ex abyſſo criminum, & feras nos ad ſanctitatem. Veni ſub ſymbolo ignis ad diſſolvendas glacies cordium noſtrorum, & ad ea inflammanda tuis ſanctis ardoribus. Veni ub ſigno linguarum, ut feras noſtras ad benedictiones, & ad laudes, nedum proferant ampliùs unquam blaſphemias. Veni igitur, & largire nobis omnia dona tua r, ut iis adjuti vivere poſſimus in gratiâ in hoc mundo, quò regnare poſſimus cum Patre, & Filio, & tecum, qui es Spiritus ipſorum ſanctus, in altero ſæculo.

r Iſai. 11. 2. & 3.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Matth. 28. 19.

RECenſentur antiqui Magi, quaſi nobis repræſentare vellent in hieroglyphis ſuis unitatem Dei in trinitate perſonarum, feciſſe triangulum perfectum, & in medio ejus ſcripſiſſe hoc verbum, *Divinitas.* Unus ex angulis trianguli æquilateralis elevatus figurat nobis Patrem, è quo procedit alter angulus, qui repræſentat nobis Filium, ſicut ipſemet Filius fatetur, cùm ait, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* a. Et qui eſt in perfectâ æqualitate, ſicut idemmet Filius ait, *Ego & Pater, unum ſumus* b. Seu, *Ego (ſecundùm naturam Verbi) & Pater, unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo unum, notatur eſſentiæ unitas individualis, non generica ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus c. E duobus iſtis angulis procedit tertius angulus qui revertitur ſuper utrumque principium ſuum, ſicut ab utroque procedit, qui iſtos duos angulos unit, & claudit figuram, ut eam faciat unam, nedum relinquat in eâ vacuum, aut diſproportionem, & delineat nobis *Spiritum veritatis qui à Patre procedit* d, ſicut etiam à Filio, ſed tamen ut ab unico principio conjuncto. Triangulum veram imaginem Trinitatis perſonarum in ſimpliciſſimâ & perfectiſſimâ unitate eſſentiæ, præ hâc inſcriptione in medio, *Divinitas!* B. Virgo Maria per ſanctitatem ſuam nobis affert lucem ad cognoſcendū meliùs hoc myſteriū, [Itaq; præclaræ Puellæ Mariæ beatū nomen interpretatur Illuſtrata,]dicit S. Epiphanius e, [utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit. Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus. Et Pater miſit arrhabonem de cœlo Spiritum ſanctum, præparavit Virginem unigenito Filio cœleſti Sponſo, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, & Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit f Chriſtus] confeſtim ac [ingreſſus Angelus, ad eam dixit, AVE g MARIA.]

a Pſ. 2. 7.
b Joan. 10. 30.
c Dion. Carthuſ. in Jo. 10. 30.
d Joan. 15. 26.
e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
f ex Pſ. 18. 6.
g Luc. 1. 28. &c.

Vobis non blandior, Auditores, aggredior conſilium, quod æquè captum meæ mentis ſupergreditur, ac veſtræ. Magnitudo myſterij, quod Eccleſia nobis proponit hodiernâ die venerandum, reverentias potiùs exigit quàm ratiocinationes; & ad hoc fides eſt magis neceſſaria quàm quælibet loquela quæ de ipſo formari poſſit, *Quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei* h. Non eſt aliquis qui penetrare poſſit inſcrutabilia myſteria Dei: hæc ſunt ultra cognitionem hominum, & mens eorum non habet ſatis lucis quâ ea comprehendere poſſit. Propterea etiam aliqui antiqui vocaverunt Deum, *Silentio colendum*, ſeu rem quæ debet adorari tacendo. Alij *Inveſtigabilem*, id eſt, apicem excellentiæ ſic ſublimem ut nemo poſſit ad illum pervenire. Alij *Inenarrabilem*, ſcilicet, theſaurum tot perfectionum, ut linguæ quælibet diſertiſſimæ minimam vel earum partem nequeant exponere. Alij *Inexplicabilem.* Nullus eſt enim Theologus ita notitiæ ſacrarum literarum peritus, Philoſophus ita ſubtilis ad pervadendas res naturales, Aſtrologus ita certus in prædictionibus ſuis prognoſticis, & Coſmographus ita callens ſitus & diſtantias terrarum, qui poſſint eum definire. Subtiliſſimæ & acutiſſimæ quælibet mentes hebetantur, & ſermones appriìmè diſpoſiti, & inchoati, confunduntur, cùm agitur de ingrediendis ineffabilibus myſteriorum Divinorum ſecretis. Hoc in occurſu eſt imponendus ori digitus, cùm dicat Eccleſiaſticus i, *Glorificantes Dominum quantùmcumque potuerimus, supervalet adhuc.* Quantùmlibet inſumpſerimus omnem capacitate noſtram, cunctas curas noſtras, & univerſa ſtudia noſtra ad laudandum Deum: licèt reſonare faciamus harmonias vocum noſtrarum diu noctuque, novis aërem ſcindamus canticis, pectus noſtrum omnes conatus ſuos agat, & mentes noſtræ ſpecioſiſſimas ſuas forment conceptiones, *ſupervalet adhuc*, ſemper defectus ſumus conſcij, & impoſſibile eſt ut ad perfectam magnitudinum ejus perveniamus unquam notitiam. Dixerunt antiqui Philoſophi, eum nunquam cognoſci meliùs quàm per privationes. Ad quorum ſententiam videtur accedere S. Dionyſius k, dicens, *Negationes in Divinis rebus veræ ſunt, affirmationes verò non conveniunt, nec dignæ ſunt majeſtate Dei omnium occultiſſimi* l. Ego autem dico, eum non poſſe meliùs honorari, nec eloquentiùs laudari quàm ſilentio. Sed ſi ego taceam, nihil illius diſcetis; ſi verò loquar, ut ei loquar, parùm dicam, cùm myſterium adorabile, de quo tractamus, ſit unum è difficillimis fidei noſtræ: oportet igitur ut illud credamus, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* m, ſi velimus iſtum cognoſcere: *Niſi credideritis, non* intel-

h 1 Cor. 2. 11.
i Eccli. 43. 32.
k S. Dio. lib. de Cœl. Hier. c. 2.
l ex Hab. 3. 4. 5.
m 2 Cor. 10. 5.

n Iſai. 7. 9. juxta LXX.

intelligetis n. Univerſa naturæ lumina cognoſcendam non poſſunt exhibere nobis unitatem eſſentiæ in trinitate perſonarum, ſeu nobis oſtendere quòd Deus ſit unus & trinus: neceſſaria fuit revelatio Divina, quæ certos nos redderet de hâc veritate, quæ captum mentium noſtrarum ſupergreditur: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus ve-*

o Iſai 55. 8. & 9.

ſtris o. Et quemadmodum incedentes ſuper terram, cœlum digito non poſſumus attingere; ita nec lumine mentis noſtræ pervenire valemus ad iſtius notitiam myſterij, nec interior oculus noſter eſt ſatis perſpicax ad intuenda illius arcana: atqui ſicut homo poſſet duobus modis cœlum tangere, aut Deo deprimente illud uſque ad hominem, aut elevante hominem uſque ad illud; ſic homo ſibi poterit conciliare notitiam Trinitatis adorandæ, aut quòd hoc ſacrum myſterium deprimat ſe, reddat ſe ſenſibile, ut ſui notitiam præbeat; aut quòd mens hominis elevetur ad ipſius cognitionem, cùm ſolæ iſtæ duæ viæ nobis hanc notitiam poſſint parere: ſic duos iſtos modos, aut duas vias iſtas obſervat Deus: cœlum enim deſcendit ad nos uſque per Incarnationem Filij Dei, *Inclinavit*

p Pſ. 17. 10

cœlos, & deſcendit p. Ubi videtur Altitudo depreſſa, Magnitudo humiliata, æquè ac exinanita q.

q Philipp. 2. 6. &c.

Et Verbum caro factum eſt, & in nobis habitans, *uni-*

r Joan. 1. 14. & 18.

genitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit r, prædicavit, & declaravit nobis quomodo Deus eſſet unus in eſſentiâ, & trinus in perſonis: mittens enim Apoſtolos ſuos idem *Jeſus, locutus eſt eis, dicens, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Ubi obſervate quòd in hoc verbo, *in nomine*, unitas eſſentiæ nobis ſignificatur, ſicut in iſtis, *Patris & Filij & Spiritus ſancti*, trinitas perſonarum nobis exprimitur. Unde videtis quòd per hanc depreſſionem cognoſcimus hoc adorabile myſterium. Deus elevavit etiam mentem noſtram uſque ad cœlum, ut nobis ampliorem tribueret illius notitiam, ſicut

ſ 2. Cor. 12. 2.

elevavit S. Paulum *raptum uſq; ad tertium cœlum* ſ. Et hanc aquilam Regiam S. Joannem, quæ fixis

t Malach. 4. 2.

oculis contemplata Solem *juſtitiæ* t, & Divinitatis, nobis exhibuit cognoſcendum hoc myſterium, dicens clarè, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater Verbum & Spiritus ſanctus: & hi tres unum*

u 1. Jo. 5. 7.

ſunt u. Iſti ſunt duo modi, quorum interventu pervenimus in notitiam iſtius ineffabilis myſterij SS. Trinitatis, Deo deprimente ſe ad nos, aut elevante nos ad ſe, cùm quælibet alia via perducere non poſſit nos ad iſtam diem Trinitatis adorabilis, quæ cùm ſit myſterium fidei, inducit nos ut ad-

Propoſitio.

hæreamus revelationi Dei. Sed quia fides non eſt contraria rationi, afferam aliquas rationes naturales, quæ ſervient ad illuminandos vos iſtâ cognitione in progreſſu diſcurſus iſtius.

Ad ſtabiliendam primam rationem meam,

x Pſ. 64. 7.

ſuppono quòd in Deo eſt potentia x infinita, ſa-

y Pſ. 103. 24.

pientia y ſine termino, & bonitas z abſque limi-

z Pſ. 118. 68.

tibus; tandem quòd id totum quod eſt in Deo, eſt infinitum, ſicut id nemo negat, & quemadmodum

a Baruch 3. 25.

ipſe *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus.* a. Atqui ratio talis eſt: Aut Deus potuit, & ſcivit, ſed noluit generare alium, qui ipſi eſſet ſimilis & æqualis in omnibus; & ſic Deus eſt invidus, ipſe qui eſt ſuprema Bonitas: quod eſt blaſphemia, quæ vel ſolâ cogitatione patratur, ſi ipſi adhæretur: aut potuit, & voluit, ſed neſcivit; & ſic omnipotentia ipſius, eſt infirmitas, quod, ut videtis, eſt contradictorium & injurioſum Majeſtati Dei: nihil enim ſupereſt amplius concludendum, niſi quòd ſcivit, quòd potuit, & quòd voluit generare unum æqualem ſibi: cùm enim hæc tria concurrunt in aliquem, productio ſemper unitur voluntati: dicamus igitur, quòd ſicut Pater ab æterno voluit, ita & ab æternitate genuit Filium ſuum, cui dedit id totum quod potuit, id totum quod ſcivit, id totum quod voluit, & id totum quod habuit: non enim potuit ei dare partem ſui, cùm in Deo nulla ſit pars, *Spiritus eſt Deus* b. *Id eſt, Spiri-*

b Joan. 4. 24.

tualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus pu-

c Dion. Carthuſ. art. 21. in Jo. 4. 24.

rus; mens ſeparata c. Sic Dei Filius *Jeſus dixit*, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo* d. Et A-

d Matth. 11. 25. & 27.

poſtolus e de eo loquens, ait, *In ipſo inhabitat om-*

e Coloſſ. 2. 9.

nis plenitudo Divinitatis. Et ſic, ut videtis, Pater generat Filium ſibi ſimilem: Nam, juxta Philoſophum, *Omne agens producit ſibi ſimile.* Et ignis qui agit contra lignum, intendit illud convertere in alium ignem, ut illud meliùs ſibi reddat ſimile: ſic homines & animalia intendunt ut productiones ſuæ & filij ſui ſibi ſint ſimiles: quòd ſi contingant monſtra, hæc accidunt præter ipſorum intentionem, & hæc ſunt effectus impotentiæ ipſorum, cùm naturaliter unusquiſque intendat producere ſibi ſimile, & re verâ illud produceret, ſi æquè illud poſſet ac illud intendit.

Secunda ratio eruitur è Divinâ perfectione: totum enim quod eſt perfectionis in creaturâ, reperiri debet cum eminentiâ in Creatore, quia ſecundùm axioma commune, *Nemo dat quod non habet.* Præterquamquòd cauſa melior eſt effectu ſuo, ubi videmus, quod ad perfectionem cujuslibet creaturæ pertinet ut producere ſibi poſſit rem ſimilem, quod perfectio eſt: nam quælibet creatura habet eſſe, & operari: atqui hæc perfectio meliùs & juſtiùs pertinet ad Deum: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus*

f Iſai 66. 9.

Deus f? Nequaquam, cùm creatura nihil habeat, quod creator non poſſideat eminenter. Sed cavete ne erretis in hâc materiâ, rati quòd nulla ſit differentia inter generationem Creatoris & generationem creaturæ: nam in creaturâ generatio eſt opus quod tranſit in ſubjectum externum, ſed in Creatore eſt operatio manens in ſubjecto quod ipſam producit; & hæc generatio Dei eſt tota ſpiritualis, & nullo modo corporalis, cùm Deus non ſit corpus, ſed ſpiritus; unde Filius Dei vocatur verbum, verbum quod eſt conceptus mentis: unde, ſi placet, obſervabitis, quòd Deus intelligit ſeipſum, & diligit ſeipſum, ſicut nos intelligimus nos ipſos, & amamus nos ipſos: Deus igitur intelligens ſeipſum, generat Filium ſuum, qui vocatur Verbum Patris: & ſic hæc relatio quæ eſt in Deo, quatenus intelligit, & prout intelligitur, eſt paternitas, & filiatio: Deus quatenus cognoſcit ſeipſum, Pater eſt; quatenus cognoſcitur à ſeipſo, Filius eſt, licèt Pater & Filius ſint diverſæ perſonæ.

Petivit quidam Saracenus aliàs à quodam Religioſæ vitæ Cultore, quomodo fieri poſſet ut Deus haberet Filium. Reſpondit ei Religioſus: Credi ſne quòd Deus ſit? Quod ille ſtatim confeſſus eſt. Religioſus continuans interrogata ſua, dixit ei, Credi ſne quòd Deus loquatur, aut quòd mutus ſit? Ille reſpondit, Credo quòd loquatur. Ad hæc Religioſus dixit ei: Scito ergo quòd iſtud verbum quod ipſe loquitur, eſt Filius ſuus. Hoc expreſsè docet Scriptura, cùm Patrem æternum ſic introducit loquentem Filio ſuo, *In ſplendoribus ſanctorum ex utero ante Luciferum genui te* g. Et alibi,

g Pſal. 109. 3.

Dixit

Google

Dixit Deus, *Fiat lux.* *Dixit Deus, Fiat firmamen-*
h Gen. 1. 3. & 6. *tum* h. Ut innuat quod Deus omnia fecit Ver-
i Joan. 1. 3. bo ſuo, id eſt, Filio ſuo, ſicut dixit S. Joannes i, *O-
mnia per ipſum facta ſunt.* Quia eſt ſapientia Pa-
tris; ſicut artifex qui ideâ, quæ eſt in mente ipſius, exercet artem ſuam, *Omnia in ſapientia feciſti*, ait
k Pſ. 103. 24. illi David k. Quòd ſi petatis quare Deus Pater non generavit multos filios; Reſpondeo vobis quòd illi ſoli dedit totum id quod habebat, nedum ſuperſit ipſi quid quod ipſe det viâ generationis iſtius; & ſic licèt Pater & Filius ſint duæ perſonæ diſtinctæ, habent tamen ambo eandem naturam & eſſentiam: ſic Filius ait, *Ego & Pater unum*
l Joan. 10. 30. *ſumus* l. Cùm Deus ſeipſum diligit, amor eſt, qui vocatur Spiritus ſanctus; Pater Filium ſuum generans intellectu ſuo, illum diligit, & Filius dilectione reciprocâ diligit Patrem ſuum; & amor iſte qui procedit ex ambobus, non eſt diſtinctus ab eis eſſentialiter, nec accidentaliter, ſed ſolùm perſona-
m S. Athan. in Symbol. fid. V. 24. liter, quia in Divinitate, ut ait S. Athanaſius m, *Totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.* Una ſola generat, & una ſola generatur, & tertia *à Patre*
n Joan. 15. 26. *procedit* n & à Filio, quam vocamus *Spiritum* o
o Ibid. ſanctum. Hoc myſterium repræſentat nobis hæc ſimilitudo pariter: Nos enim ſumus, & cognoſcimus nos eſſe, & diligimus eſſe noſtrum, & cognitionem noſtram: eodem modo proportionabiliter eſt de Trinitate loquendum.

Tertia ratio quæ ſtabilit myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, eruitur è communicatione univer-
p S. Dion. lib. de Div. nom. c. 4. ſali omnium entium: nam, ut ait S. Dionyſius p, *Bonum eſt diffuſivum ſui.* Hanc veritatem videmus in luce quæ circunquaque ſe diffundit, & virtutem ſuam defert usque ad viſcera terræ, in quibus producit metalla, & ſic de elementis, quæ ſe communicant, cùm proprium ſit bono ſe communicare; & quo bonum majus eſt, eò magis eſt
† Exod. 33. 19. communicativum: atqui ſummum *Bonum* † debet eſſe ſummo modò communicabile; & Deus non poteſt ſummo modo ſe communicare producendo bonum creatum, quantùmlibet iſtud magnum ſit, cum ſemper futura ſit inter utrumque diſtantia infinita, & Deus ſit iſtud infinito modo ſuperaturus: credendum eſt igitur quòd generat alium ſeipſum in naturâ, & ſolùm diſtinctum in perſonâ, cui communicat totam potentiam ſuam, totam ſapientiam ſuam, & totam bonitatem ſuam: & iſte eſt Filius ſuus, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis*
q Coloſſ. 2. 3. & 9. *plenitudo Divinitatis* q. Et ſic ipſe ait Patri ſuo,
r Joan. 17. 10. *Omnia tua, mea ſunt* r.

Quòd igitur in unitate eſſentiæ adoremus trinitatem perſonarum, obſequium eſt quod nos obſtringit omnes æqualiter; nec iſtam diffiteri poſſumus veritatem quin confeſtim conſcii ſimus infidelitatis, cùm Deus æquè ſit trinus, ac eſt unus, quia multitudo Deorum, eſſet ipſorum nullitas; & nullus eſſet Deus, ſi multi eſſent Dii. Trinus eſt:
ſ Apoc. 1. 8. nam Deus Pater, hoc primum *Principium* ſ habens naturam infinitam, ſe communicat infinitè, & cognoſcendo ſe, generat Verbum Divinum, quod appellamus Filium, quia eſt in perfectâ ſimilitudine & identitate naturæ; & iſtæ duæ perſonæ Divinæ producunt ſimul tertiam perſonam, quæ cùm ſit terminus reciprocæ dilectionis ipſarum, ut jam dixi vobis, vocatur Spiritus ſanctus. Hâc veritate fidei ſuppoſitâ, ulteriùs hunc diſcurſum protendo, ut majorem prælibatis afferam lucem rationibus.

Deus qui in ſimplici unitate eſſentiæ ſuæ includit omnes perfectiones poſſibiles cum ita vaſtâ extenſione excellentiarum ut abeant in infinitum usque, poteſt operari modo eminenti id omne quod commendabile eſt in reliquis creaturis, dummodò id omne non detrahat perfectionibus eſſentiæ ipſius; & contrarium ſentire, hoc eſſet ſe dignum reddere atrociſſimis ſuppliciis, æquè ac tetterrimi criminum omnium ſe conſcium efficere: atqui fœcunditas eſt magna perfectio, quia naturam ſupponit ſic abundantem ut liberalitates ipſa poſſit exercere, nedum tamen efficiatur inops & egena; & Sol, pater iſte communis generationum, hæc nobilis creatura poſſidens plus luminis quàm poſſideant cæteri omnes planetæ, facit illius etiam abundantiorem & univerſaliorem effuſionem: Deus igitur infinitè *perfectus* t, infinitè ſe commu- t Matth. 5. 48.
nicare potuit in æternitate ſicut vobis jam dixi; cùm poſſet, illud fecit; alioquin tenuiſſet ab æterno potentiam ſine operatione, cùm ſit Bonum infinitum, & proprium ſit bono ſe communicare, dicamus quòd infinitè ſe communicavit; & ut claudamus os inimicis ejus, qui accuſarent ipſum invidiæ, ſi hoc non feciſſet, aſſeramus pro veritate, quòd fœcunditas illius eſt æterna u, æquè ac natu- u Dan. 13. 42.
ra ipſius, & quòd productiones ipſius (loquor de productionibus ipſius ad intra) ſunt infinitè perfectæ, cùm ſint infinitè ſimiles naturæ ipſius Divinæ, identitate quæ excedit omnes ſimilitudines. Iſtud eſt igitur pro comperto, quòd Deus qui eſt Vita ſuprema, ut ait illi David x, *Apud te eſt fons vi-* x Pſ. 35. 10.
tæ, & infinitè fertilis, generat in ſeipſo unam perſonam, quæ eſt ipſi ſimilis & æqualis: & quia natura ipſius quæ eſt infinita, non poteſt multiplicari, & quòd datur contradictio ac dicere, quòd Ens generet ſeipſum, eò quòd ſimul eſſet & non eſſet, concludendum eſt, quòd naturâ Divinâ manente unâ & infinitâ, non ſunt in eâ productiones, niſi perſonarum: ita ut prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis vocetur Pater, eò quòd cognoſcens ſeipſam fœcunditate mentis ſuæ generet Verbum ſuum, quod eſt ipſius imago, & quod vocamus Filium, qui eſt in omnibus æqualis Patri qui ipſum generat, & generando ipſum, communicat ipſi univerſas adorabiles perfectiones ſuas, *Qui eſt imago Dei invisibilis*, ait S. Paulus y. Et ante eum Salomon z, y Coloſſ. 1. 15.
Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ z Sap. 7. 26.
Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.

Si autem concipere non poſſitis quomodo id fiat, ingredimini vosmetipſos, & videbitis in vobis ipſis aliquid ſimile illi. Nonne verum eſt, quòd ſi memineritis propinqui veſtri, aut amici veſtri abſentis, vel defuncti, formatis illius ideam; hæc autem idea eſt effectus virtutis & fœcunditatis mentis veſtræ, quæ producit hoc verbum mentis, ſicut ipſum vocant Philoſophi; quod eſt imago viva & naturalis rei intellectæ: quòd ſi virtus veſtræ mentis eſt talis ut cogitando de aliquo objecto exteriori, perfectam ſibi formet interiùs illius ſimilitudinem; quid mirum reperietis, quòd Pater æternus ſeipſum cognoſcens fœcunditate mentis ſuæ generet Verbum ſimile ſibi, præ hâc differentiâ inter productiones intellectus ſui & productiones mentis noſtræ, quòd productiones ipſius ſunt eſſentiales, & ſubſtantiales ſicut ipſe qui eas producit, noſtræ verò ſunt duntaxat è naturâ accidentium, quæ deleri poſſunt ex animâ, quandiu productiones Dei ſemper manent in ſubjecto quod ipſas producit? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, ait S. Joannes a. Cùm ſit idem a Joan. 1. 1.
cum illo, eò quòd totum id quod eſt in Deo, ſit ipſemet Deus. Et Carthuſianus b, *Porrò æterna* b D. Dion. Carth. art. 2. in
generatio Verbi accipienda eſt ita: Cùm Deus ſit Ens

 ſim-

ſimpliciſſimum, nobiliſſimum, ſimpliciterque perfectum, oportet quòd ſit intellectualis natura, imò intellectus purus ſemper in actu conſiſtens. Deus ergo cognoſcit ſeipſum, & cætera omnia, eſt ergo in ſeipſo, ſicut intellectum ſeu cognitum in intelligente. Intellectum verò, ſeu res intellecta, ſecundùm eſſe quod habet in intelligente, eſt ratio atque intentio intelligentis, & imago vel ſimilitudo intellecti. Ratio autem & intentio ſeu diffinitio, quam intelligens concipit de re intellectâ, vocatur Verbum intelligentis, quoniam eſt quidam conceptus formatus atque expreſſio, quâ intra ſe dicit quod de re intellecta apprehendit, & hic conceptus eſt imago intellecti, quoniam actio intellectus perficitur in aſſimilatione

a Ex Pſ. 198. 50 *intelligentis ad intelligibile a. Hoc ergo quod Deus Pater de ſeipſo concipit, & intra ſe profert ſeu loquitur, appellatur Verbum mentis Paternæ, & Filius Dei Patris. Emanatio itaque Verbi iſtius, generatio nuncupatur, & Verbum emanans vocatur Filius intelligentis intellectualiterque dicentis: quoniam generatio propriè ſumpta, eſt productio rei viventis à vivo, quæ terminatur ad eſſe ejuſdem naturæ, ſecundùm rationem ſimilitudinis adæquatæ. Similiter ad rationem Filii pertinet quòd procedat ex generante vitali ſecundum ſimilitudinem in identitate naturæ ſaltem ſpecificâ: Verbum autem mentis Divinæ hoc modo producitur, & cum generante convenit non ſolum in ſpecificâ, ſed & in numerali ſeu individuâ identitate naturæ: propter quod generatio & filiatio propriiſſimè atque veriſſimè habent locum in Deo, ita quòd ratio Patris & Filii priùs ac perfectiùs competunt Deo quàm creaturis, imò à Deo derivantur ſecundùm quandam imitationem ad*

d Epheſ. 3. 14. & 15 *creaturas: prout Apoſtolus d dicit, Flecto genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terrâ nominatur. Et Verbum erat apud Deum, id eſt, juxta & intra Patrem, tanquam individuum, inſeparabileque ab eo: non enim diſtant loco, duratione, naturâ, ſed ubi & quando Pater, ibi & tunc Filius ejus. Cùm autem dicitur, Verbum erat apud Deum, Deus, accipitur relativè & perſonaliter, non abſolutè & eſſentialiter. Quemadmodum autem Pater*

e Ex Baruch 3. 25 *cùm ſit immenſus e, eſt illocalis & incircumſcriptibilis,*

univerſa tranſcendens, implens f, conſervans ac ambiens, ita & Verbum ejus. Unde cùm Verbum dicitur eſſe

f Ex Jer. 23. 24. *apud Patrem, non eſt ruditer accipiendum, quaſi unus ſit extra & prope alium, imò totus Pater in Filio, & è contrario verè, circumincẽſſibiliterque conſiſtit: ſed ad deſignandum perſonalem diſtinctionem inter Patrem & Verbum, ait Evangeliſta, Verbum erat apud Deum, quaſi perſonaliter diſtinctum à Patre.*

Et ſicut Deus non poteſt habere aliud objectum, niſi ſeipſum, quod objectum ſatisfacere poſſit cognitioni & amori ipſius; ipſe ſeipſum cognoſcit ſemper, & ſeipſum diligit ab æterno: ſicut enim ipſius eſſentia complectitur omnes perfectiones poſſibiles, ita cognitioni & dilectioni ipſius infinitis in capacitatibus ſuis ſatisfacit hoc ſub-

g Baruch. 3. 25. jectum, quod *non habet finem* g; & terminantur ipſæ ab hoc objecto quod eſt illimitatum: & quia in Deo nulla admittenda ſunt accidentia, quæ ſemper denotant imperfectionem naturalem ſubjecti quod veniunt nobilitatum, cùm hæc cognitio & iſta dilectio Dei non ſint actiones ſicut ſunt operationes noſtræ, quæ pendent à potentiâ, & quæ aſpirant ad acquiſitionem finis, ſed ſint ſubſtantia infinita, & infinitum non poſſit eſſe niſi unum; ipſæ non ſunt niſi unica natura, & ſolus Deus, cum hâc diſtinctione, quòd imago quam cognitio format de ipſo, vocatur Verbum, & Filius, prout genitus ſecundùm ſimilitudinem naturæ. Et id, quod vocamus Spiritum ſanctum, eſt Amor qui procedit à Patre & Filio: Pater cognoſcens ſeipſum generat Filium ſuum; Pater & Filius reciprocè ſe diligentes producunt Spiritum ſanctum, qui eſt vinculum & terminus amoris ipſorum: & licèt intellectus & voluntas non ſint potentiæ diſtinctæ in Deo, tamen quia ipſius eſſentia continet formaliter illarum perfectiones, operatur ipſe per eandem tantum & plus, quàm ſi hæc ipſius eſſentia potentias haberet ſeparatas. *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum*

h Joan. 15. 26. *veritatis qui à Patre procedit h, ait Filius. Hoc addit Salvator, ne putaremus, quòd à Filio duntaxat procederet Spiritus ſanctus, eò quòd dixit, Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio, non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed inquantùm ſunt unum in naturâ & voluntate. Eſt namque Spiritus ſanctus Amor. Amor verò eſt germen atque proceſſio voluntatis. Quemadmodum ergo mundus creatus eſt à tribus perſonis, non inquantùm ſunt diſtincta ſuppoſita, ſed ut ſunt unus Deus in eſſentiâ, atque potentia indiſtinctâ, ita quòd tres perſonæ ſunt unus Creator: ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio per id in quo idem ſunt, ſcilicet per voluntatem, propter quod ſunt unus ſpirator, unus fons, unumque principium Spiritus ſancti, ait*

i Dion. Carth. art 38. in Joan. 15. 26. Carthuſianus *i*. Filius procedit per viam intellectus, & Spiritus ſanctus per viam voluntatis: obſervate autem quòd, juxta Philoſophos, *Nihil volitum, niſi priùs cognitum*, & juxta quòd aliquid cognoſcitur, incipit amari, cognitio eſt cauſa amoris, vel ſaltem illius principium; ita ut defectus aut excellentia cognitionis redundet in amorem rei cognitæ: ſi enim eſt error, aut defectus in cognitione; ſimiliter error, aut defectus erit in amore qui procedit à voluntate: ſed ſi cognitio eſt perfecta & vera, amor rei cognitæ erit verus & perfectus; & quò cognitio verior erit, eò amor erit excellentior; quò magis intellectus ſe conformabit ad rem intellectam, eò perfectior erit amor, cùm perfectio & excellentia unius pendeat à perfectione & excellentiâ alterius. Nunc autem ratiocinemur ad propoſitum noſtrum, & dicamus, quòd Pater æternus ab æterno cognovit vaſtam extenſionem, quæ abit in infinitum naturæ ſuæ Divinæ; & ſicut ipſe totam cognovit eam, ſic & produxit unum totum, quod eſt eſſentialiter totum ſuum, conceptum ita æqualem ſibi ut natura amborum non ſit niſi eadem natura; & ſicut eſſentia conceptus & illius qui concipit eſt eadem eſſentia, inde fit ut non ſolùm hæc conceptio ſit vera, ſed ſit & ipſa-

k Joan. 14. 6. met *Veritas* k per eſſentiam & per naturam, cùm habeat eandem eſſentiam illius qui ipſam concipit: atqui cùm amor ſit par veritati cognitionis, ut diximus, cùm veritas ſit per per eſſentiam conceptio ejuſdem ſubſtantiæ cujus eſt ille qui ipſam producit; amor qui procedit à veritate Patris, eſt amor per eſſentiam, amor ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ, cujus ſunt perſonæ, à quibus procedit, amor infinitus: ſicut enim Pater ſemper ſeipſum cognoſcit, ſic & ſemper generat, & cùm diligat id totum, quod ipſe generat, amor ipſius eſt infinitus, independens, bonitas prima: habendo enim infinitatem illius quod ipſe diligit per eſſentiam, nihil ipſi deeſt, perfectus eſt ſicut principium quod ipſum producit: id eſt, Spiritus ſanctus, qui eſt amor Patris & Filii, nihil habet inferius illis, ſed utrique æqualis eſt in omnibus.

Sancti Patres, ut aliquam iſtis obſcuritatibus lucem afferant, & hujus myſterii tantillam nobis præbeant notitiam, aliquas in medium adducunt ſimilitudines ſenſibiles, quæ nobis aliquo modo Divinas proceſſiones repræſentant. Aliqui ut oſtendant quomodo Pater non procedit, d. ab aliis

alii:

aliis perſonis, & quòd Filius procedit à ſolo Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio, ſumunt ſimilitudinem Adæ Evæ & Abelis : Adam non venit ex aliis hominibus *l*; Eva educta eſt ab Adam ſolo *m*; & Abel ortus eſt ab utroque *n*. Alii adhibent ſimilitudinem ſcientiæ, quæ diverſimodè poteſt eſſe in tribus : Muſica V. g. poteſt eſſe primo in eo qui ipſam adinvênit ex ſeipſo ; Deinde, in eo qui ipſam legit in ſcripto ſecundi. Primus habet eam à ſe, ſecundus à primo ſolo, & tertius ab ambobus. Alii aſſerunt ſimilitudines fontis, arboris, & Solis. In fonte eſt origo, concha ; & rivus : Pater eſt origo, Filius eſt concha, & Spiritus ſanctus eſt rivus utriusque. In arbore ſunt radix, truncus, & rami : Pater eſt radix, Filius eſt truncus, & Spiritus ſanctus eſt ramus ab utroque emanans. In Sole eſt ſubſtantia, ſplendor, & calor : Pater eſt ſubſtantia, Filius *ſplendor o*, & Spiritus ſanctus calor : *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus : & hi tres unum ſunt* p. Concipitis igitur ex his, quæ diximus, trinitatem perſonarum, quæ non repugnat unitati nec ſimplicitati Dei, quia non adoramus in eâ niſi unicam eſſentiam. Quòd ſi poſthæc concipere non poteſtis magnitudinem iſtius myſterii, mirum non eſt, cùm ignorantia noſtra redundet ad magnitudinem Dei, qui, quia *non habet finem* q, concipi non poteſt à potentiâ finitâ: & ſi mens noſtra poſſet ipſum concipere, ipſe non eſſet infinitus ; & ſi non eſſet infinitus, non eſſet Deus: atqui ipſe Deus eſt : Ideò eſt omnino *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* r. Et myſteria ipſius potiùs exigunt fidem noſtram, quàm notitiam noſtram : ſufficit autem ut credamus, ad hoc ut obligationibus noſtris ſatisfaciamus, unitatem eſſentiæ, & trinitatem perſonarum; Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum unum Deum ſolum, & in iſto Deo noſtro tres perſonas.

l Gen. 2. 7.
m Gen. 2. 22.
n Gen. 4. 2.
o Hebr. 1. 3.
p 1. Joan. 5. 7.
q Baruch. 3. 25.
r Ier. 32. 19.

Taceo igitur de hoc myſterio, & de ipſo nihil amplius dico niſi ad inſtructionem noſtram : non enim ſufficit intellectum illuminare ſpeculatione, niſi calefiat voluntas praxi : oportet ut aliquid in praxim redigamus ad imitationem cujuslibet perſonæ in particulari. A Patre igitur diſcere debemus communicationem, id eſt, communicare proximo noſtro id quod eſt in nobis : *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ait S. Dionyſius *s*. Et ſicut Pater æternus eſt Bonum ſummum, *Bonus* t, *& omnibonus, & ſuperbonus Deus totus exiſtens bonitas*, dicit S. Damaſcenus a : ita ſe duobus communicavit modis infinitè & ſummè. Ad intrà, ſolùm Filio, & Spiritui ſancto, quibus communicavit omnes perfectiones ſuas. Ad extrà, creaturis ſuis intellectualibus ut Angelis, *ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam*, ait S. Auguſtinus *x*. Hominibus, quos *creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* y. Aliis verò creaturis, quibus impreſſit veſtigium ſuum : *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur : ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* z. Imago Dei conſiſtit in animâ immortali, præditâ intellectu, memoriâ, & voluntate. Veſtigium ejus ſitum eſt in eſſentiâ & in virtute operativâ quæ reperitur in omni creaturâ animatâ & inanimatâ. Sicut autem Pater æternus ſe communicavit, ita communicare debemus nos proximo noſtro, effundendo in eum gratias & dona naturæ quæ Deus poſuit in nobis : Docti communicare debetis ignaris doctrinam veſtram ; vidùs & orphanis conſilium veſtrum ad ritè dirigenda ipſorum negotia : Sani fortitudinem & ſanitatem veſtram infirmis & ægrotis : Divites pauperibus divitias veſtras, *Ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt: qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos : & pluit ſuper Juſtos & injuſtos* a.

s S. Dion. lib. de Div. Nom c. 4.
t Pſ. 118. 68.
u D. Damaſc. lib. 4. de Fid. Orth c. 14.
x S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei c. 9.
y Gen. 1. 27.
z Rom. 1. 20.
a Matth. 5. 45.

Secundò, Diſcere debemus à Filio, agnoſcere beneficia, quæ accepimus à Deo, & pro illis gratias agere ei, promovere ſeu manifeſtare gloriam ejus, & adimplere voluntatem illius in omnibus. Dei Filius ſuſcepit eſſe à Patre ſuo, videte quomodo pro illo ei gratias agit, dicens illi, *Mea omnia, tua ſunt* b. Et quare ? *Et tua, mea ſunt* c. Et, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ* d. Videte quomodo accepta Deo referat beneficia ab ipſo ſuſcepta, & quomodo ſtudet manifeſtandæ gloriæ Benefactoris ſui, *Ego honorifico Patrem meum. Ego non quæro gloriam meam* e. Intuemini quomodo complacet ipſe ſibi in adimplendâ voluntate ejus, *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper* f. Hoc modo agere debemus, Auditores, agnoſcentes quòd id omne quod eſt in nobis, venit à Deo: inſumamus illud totum ad honorem ejus, & ad complendam illius voluntatem.

b Joan. 17. 10.
c Ibid.
d Matth. 28. 18.
e Joan. 8. 49. & 50.
f Joan. 8. 29.

Tandem, A Spiritu ſancto diſcamus eſſe id, quod ipſe eſt, & agere illud quod ipſe facit. Quid eſt Spiritus ſanctus ? Eſt ignis amoris, *Fons vivus, ignis, charitas*, canit Eccleſia. Quid agit ignis iſte? Inflammat Patrem amore Filii, & Filium amore Patris : & venit in formâ linguarum *ignis* g, ad accendendas creaturas amore Creatoris, & ad rurſus incendendam in eis charitatem, quam glacies peccatorum poterant extinxiſſe. Imitemur igitur eum in hoc : ſatagamus ut ſimus in ardoribus ejus ad inflammandos, æquè ac illuminandos eos quibuscum converſamur ; ut ſermones noſtri ſint toti ignei, ut exempla noſtra, & converſationes noſtræ eos accendant, ut diligamus Deum ſuper omnia, & proximum ſicut nos ipſos, ut ipſe nobis præcipit, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Diliges proximum tuum ſicut teipſum* h.

g Act. 2. 3.
h Matth. 22. 37. & 39.

Tandem, Serviamus Deo, honoremus hanc adorabilem Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, cùm id omne quod ſumus, totum id quod habemus, & totum illud quod ſperamus, pendeat ab his tribus Divinis perſonis. Hæc autem Trinitas omnia fecit pro nobis, Pater nos *creavit* i. Filius nos redemit *pretio magno* k. Et ſanctificari debemus *in Spiritu Dei noſtri* l. Quomodo autem non amaremus Deum ? quomodo non ſerviremus ei, cùm ipſe *in charitate perpetuâ* m dilexerit nos ? Ha fieri ne poteſt ut poſt tot probationes amoris peccator illum offendat? *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc* n ! Hæccine eſt actio gratiarum pro tot beneficiis ſuſceptis ? Ha ingrate, nonne ſcis quòd offendendo Deum inſurgis in has tres perſonas SS. Trinitatis ? Peccator, usquequò procedit rabies tua ? Nunquid non vides quòd crimen tuum te projicit in ſtultitiam ? Si tres iſtæ perſonæ eſſent tres Dii, ſperare poſſes aliquo modo quòd poſtquàm offendiſſes unum ex illis, haberes alios duos tibi propitios & favorabiles ; ſed cùm ipſæ non ſint niſi unus Deus, cùm offendis unam perſonam, offendis ſimul ipſas tres ; & eas offendens, amittis Divinitatem, perdendo gratiam, quæ eſt illius emanatio, quæ jactura eſt maxima omnium earum quæ tibi poſſent contingere. Ha quomodo non timenus ne incurras hanc jacturam per peccatum mortale,

i Gen. 1. 27.
k 1. Cor. 6. 20.
l 1. Cor. 6. 11.
m Jer. 31. 3.
n Jer. 2. 12.

cùm

cùm toleratâ à te jacturâ iſtâ, non poſſis ampliùs recuperare Deum tuum, quem amiſiſti pro voluptate, pro concupiſcentiâ, pro actu vindictæ! Ha qualis ingratitudo! Offendere Creatorem ſuum, injuriam inferre Redemptori ſuo, & contemnere Sanctificatorem ſuum! Ha quàm merito jure dicere poteſt Pater intuitu ingratitudinis
o Gen. 6. 7. hominum, *Pœnitet me feciſſe eos* o. Patrem æternum pœnitere videtur creaſſe homines, Filium eos redemiſſe, & Spiritum ſanctum illos ſanctificaſſe.

Sed Deus mi, cùm hodiernâ die nobis præcipias miſericordiam, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pa-*
p Luc. 6. 36. *ter veſter miſericors eſt* p: eſto & tu, *Domine, ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocanti-*
q Pſ. 85. 5 *bus te* q. Tibi pollicemur quòd imposterùm in meliorem emendationis vitæ nos recipiemus frugem; firmiter ſtatuimus adjuti gratiâ tua, quòd
r Pſ. 83. 8. deinceps ibimus *de virtute in virtutem* r, poſtquàm bellum indixerimus vitio, mundo & vanitatibus ejus, carni & voluptatibus illius: ita ut futuro tempore ſimus electuri potiùs jacturam omnium bonorum noſtrorum, inimicitiam mundi, omnia infortunia, univerſa tormenta, imò verò & ipſam mortem quàm à te ſeparemur per peccatum mortale, dicendo cum Apoſtolo s tuo, *Quis nos ſepara-* s Rom. 8. 35.
bit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Sancta & adorabilis Trinitas, oportet ut gratia tua tribuat efficaciam conſiliis noſtris, alioquin univerſæ bonæ voluntates noſtræ non ſortientur effectum ſuum; præſerva nos ab omni peccato, & conſerva in nobis fidem, ſpem, & charitatem: Pater æterne, ſerva in nobis gratiam, quam in nobis creaſti: Tu verò Fili Patris æterni, cuſtodi id quod redemiſti: Tu verò Spiritus ſancte, curam habe illius quod ſanctificaſti, ut poſtquàm vos honoraverimus, vobiſque ſervierimus in tempore, poſſimus aliquando glorificare vos feliciter in æternitate.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.
Luc. 14. 16. &c.

RECenſet Evangelium hodiernum, quòd homo quidam erexit convivium magnum, in quo numerus convivarum non minùs propalat potentiam & liberalitatem illius, qui illud facit, quàm pretium & valor ferculorum, quæ in eo apponuntur, extollit illius magnificentiam: convivium ſumptuoſiſſimum illorum omnium quæ erecta fuerint unquam in mundo, in quo cùm nihil mediocre ſit, totum eſt ibi excellens. Dominus convivii ſervis ſuis præcipit ut inducant unumquemque ex invitans ad conveniendum in convivium ſuum, & nihil ipſum æquè offendit ac deſpectus quem ingrati illi agunt ejuſdem convivii, qui deſpectus efficit ut indigni ab ipſo declarentur hoc honore, *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Hic homo qui facit iſtud convivium, eſt Salvator animarum noſtrarum, vocatus homo per antonomaſiam & per excellentiam. Et licèt
a Dion. Carth art. 37. in Luc 14. 16 verum ſit, quòd, ut ait Dionyſius Carthuſianus a ſuper hæc verba Textus noſtri, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, per hunc hominem intelligitur Chriſtus, qui fecit cœnam, id eſt, beatificam æternæ gloriæ reſurrectionem præparavit Electis: de quâ ait Apoſtolus* b, *Oculus non vidit, nec au-*
b Ex 1. Cor. 2. 9 & ex Isai. 64. 4 *ris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe:* tamen cùm S. Matthæus c hanc eandem parabolam Evangelicam ſub
c Matth. 22. 2. &c. iſtis proponat terminis, *Simile factum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo: & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, dicens, Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi:* & dicat
f Dion. Carth art. 30 in Matth. 22. 1. &c. idem Dionyſius Carthuſianus f ſuper hæc præfata verba S. Matthæi, quòd *per hominem Regem ſignificatur Deus Pater, qui fecit nuptias Filio ſuo unigenito, quando in utero ſacroſanctiſſimæ atque digniſſimæ Virginis, tanquam in thalamo copulavit ei naturam humanam: deinde deſponſavit ei Eccleſiam, cùm cœpit in mundo inter homines converſari, eoſque convertere, & ex ipſis Eccleſiam fabricare: & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, dicens, Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi, id eſt, Sacramentum Euchariſtiæ per Chriſtum inſtitutum: Sapientia quippe ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, &* g Ex Prov. 9. 1. & 2.
poſuit menſam g: ſecundum hæc, quàmvis Interpretes communiter hanc parabolam intelligant de cœnâ gloriæ, tamen illam poſſumus intelligere etiam de convivio Euchariſtiæ, juxta præfata verba Carthuſiani, præſertim cùm Euchariſtia tradatur nobis ſicut arrha gloriæ, quemadmodum concinit Eccleſia, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!* Omnes homines vocantur ad iſtud convivium à Chriſto, ut ibi comedant carnem ipſius, & bibant ipſius ſanguinem. Angeli ſunt ſervi qui eos invitant ad hoc ut interſint hujuſmodi convivio, offerentes eis ut alius Eliis h panem, qui debet eſſe moti- h 3. Reg. 19. 5 &c.
vum fortitudinis ipſorum, & nihil æquè offendit Divinam ipſius bonitatem ac deſpectus qui fit ipſius. Perfungi volo hodiernâ die officio Angelorum, invitando vos ad hoc ut interſitis huic convivio, cujus excellentiam eveho ſuper id omne quod fuit unquam magnificum, & hoc mediis tribus conſiderationibus, quæ totius iſtius diſcurſus ſeriem texent. Primam eruo è magnitudine Diviſio.
illius qui illud facit: ſecundam ex excellentiâ, pretio, & valore ferculorum quæ in eo apponit: Tertiam verò è magno numero illorum, quos ad illud invitat. Multa polliceor; ut ſtem promiſſis ſicut decet, indigeo auxilio: poſtulemus ſubſidium cœli, quod impetrabimus interventu B. Virginis Mariæ ſtatim ac dixerimus ei, *Ave Maria.*

Non poſſum melius perfungi promiſſis meis, I Pars.
nec majorem præbere diem propoſitioni meæ in favorem cœnæ Evangelii noſtri, illius Divini convivii, quàm faciendo convenientias omnis illius quod fuit maximum, magnificentiſſimum & anguſtiſ-

guſtiſſimum ſeculis præteritis in omnibus conviviis, cum convivio de quo diſſerimus. Sequimini me, ſi placet, inter probationes propoſitionis meæ. In principio libri Eſther i fit méno magnifici convivii, quod fecit Rex Aſſuerus ſubditis ſuis, quod propter excellentiam ſuam fert nomen magni: ſic fuit ipſum magnum propter tres rationes. Primò, quia ipſe magnus Rex erat qui illud faciebat, cujus corona includebat in extenſione ſuâ magnum numerum Provinciarum ditioni ipſius ſubditarum. Secundò, quoniam multis diebus duravit. Tertiò, quandoquidem ingreſſus ad ipſum patebat indifferenter omnibus, qui ipſi volebant intereſſe, qui ibi magnificè excipiebantur. *In diebus Aſſueri qui regnavit ab Indiâ uſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem Provincias: quando ſedit in ſolio Regni ſui, Suſan civitas Regni ejus exordium fuit. Tertio igitur anno imperij ſui fecit grande convivium cunctis Principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram ſe, ut oſtenderet divitias gloriæ Regni ſui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ ſuæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. Cùmque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum qui inventus eſt in Suſan à maximo uſque ad minimum.* Quòd ſi è magnitudine illius qui convivium facit, educimus ejuſdem convivii excellentiã, quis non putabit quòd illud quod fecit Julius Cæſar populo Romano, fuerit magnũ, cùm ipſe qui illud agebat, ita ſe in terrâ marique commendabilem reddidiſſet, ubi innumeros ſuæ ditioni hoſtes ſubjecerat, & alios occiderat? Magnum fuit convivium iſtud ob numerum innumerum convivarum, & ob magnum apparatum ferculorum & ciborũ: unicus enim vir, nomine Hircius, recenſetur obtuliſſe ei ſex millia murænarum, *Cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex millia numero muranarum mutuò appendit*, ait Calepinus k. Judicate, ſi placet, de reliquis quæ erant in hujuſmodi convivio. Convivium, quod fecit Patriarcha *Joſeph fratribus* l ſuis, fuit etiam præfatis conviviis magnificentius: cùm enim eſſet Salvator m Ægypti, & in hoc ferens figuram Salvatoris mundi, corã Deo major erat Aſſuero, & Cæſare; & fratres ipſius qui erant Patriarchæ, & patres duodecim tribuum populi Dei, figuræ duodecim Apoſtolorum patrũ novi Teſtamenti, majores erant prædictis omnibus convivis. Sed totum iſtud nihil eſt comparatione admirabilis convivii, quod Salvator animarũ noſtrarum facit hodiernâ die. Illa convivia non erant ad majus niſi exiguæ cœnæ, vel potiùs collationes mediocres ſeu refectiunculæ: Nam ſi e magnitudine illius qui convivium facit, infertur illius excellentia, cùm Jeſus Chriſtus ſit primus & excellentiſſimus omnium hominũ, *Ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit omnẽ plenitudinem inhabitare*, dicit S. Paulus n: Et poſt eũ Dionyſius Carthuſianus o, *Ut ſit in omnibus hominibus, vel, in omnibus, id eſt, præteritis, præſentibus, ac futuris generationibus primatum tenens, id eſt, univerſorum Princeps & Caput exiſtens, ſicut per quendam Sapientem aſſerit, In omni gente, & in omni populo primatum tenui* p. *Habet enim in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium* q: *Et hoc meritò, quia in ipſo Chriſto, prout eſt homo, complacuit Deo Trinitati, omnium plenitudinem, id eſt, plenam perfectionem ſcientiæ ac virtutum inhabitare, id eſt, ſtabiliter permanere: Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum* r *homini Chriſto: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis* ſ: *Vel, omnem plenitudinem Divinitatis, id eſt, veram atq; perfectam Divinitatem, quemadmodum alio loco aſſirmat Apoſtolus, In ipſo, inquiens, inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* t: procul dubio convivium, quod ipſe facit hodie in Evangelio noſtro: eſt magnificentiſſimum omnium quæ fuerunt unquam, vel quæ futura ſunt aliquando in mundo. Ipſe enim eſt potentior Aſſuero, cùm non ſolùm regnet ſuper centum viginti ſeptem Provincias, ſicut iſte Princeps, ſed ſuper omnes creaturas, *dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ* u. Nec facit iſtud convivium ad tempus, nimirum centum octoginta dierum, ſicut erat convivium præfati Aſſueri, ſed ad finẽ mundi uſque, *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi* x.

Dicamus igitur, & præ veritate, *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Ipſe eſt homo particularis, ſed homo Deus: ipſe facit hoc magnum convivium, non more aliorum Magnatum mundi, qui ad majus interventu coquorum ſuorum alterando cibos, reddebant coctum id quod ipſis erat datum crudum, & ad majus ſic condiebant cibos ut ſervirent loco ſtimuli ad meliùs acuendum appetitum: ſed hic homo vocatus talis per excellentiam, facit ipſemet cœnam ſuam, mutans panem in carnem ſuam, & vinum in ſanguinem ſuum, quod eſt ſignum manifeſtum omnipotentiæ ipſius: *Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus* y. Alii homines quantilibet eſſent, deſumebant è terrâ id omne quod habebant optimum, quod eſt indicium indigentiæ ipſorum: ſed iſte dives eſt, nedum indigeat aliquo, ſicut fatetur David, *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges* z. Sic ipſe nihil ab aliquo emendicat, cùm ipſe poſſit ubertim dare omnibus qui ab ipſo efflagitant, *Dives in omnes qui invocant illum* f. Alii in conviviis ſuis ſapiebant ellychnium catapultarium & pulverem tormentarium, deprædationem innocentium, vaſtationem civitatum, & ſpoliationem templorum: ſed hic homo quidam, eſt homo pacis, *Princeps pacis* g, qui reconciliavit hominem Deo: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*, dicit S. Paulus h. Ipſe nihil deprædatus eſt ad faciendum convivium ſuum, niſi more apum, quæ ſuffurantur & ſugunt flores noſtros, ut admirabili velut arte chimicâ convertant illos in ſpecioſam ceram, & in dulce mel in Euchariſtiâ, ſicut concinit Eccleſia poſt Pſalmiſtam, *Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti, & de petrâ, melle ſaturavit nos. Petra autem erat Chriſtus* k. Qui nobis apponit in hoc convivio carnem propriam ſuam in cibum, qui dat vitam quæ nullum eſt habitura finem, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* l. Panis eſt, qui non habet ampliùs niſi nomen & apparentiam panis, ſed realitatem & ſubſtantiam corporis ipſius.

Tu fortè dicis, ait S. Ambroſius m: *Meus panis eſt uſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo deferunt, oratio præmittitur, pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia. Juſſit Dominus, & factum eſt cœlum: juſſit Dominus, & facta eſt terra: juſſit Dominus, & facta ſunt maria: juſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, ut quæ erant,*

Margin notes: i Eſth. 1. 1 &c. — k Calep. in Diction. V. Triumphalis citans Plin. lib. 9. cap. 55. — l Gen. 43. 31. &c. — m Gen. 41. 43. — n Coloſſ. 1. 18. & 19. — o Dion. Carth. art. 4. in Coloſſ. 1. 18. & 19. — p Ex Eccli. 24. 10. — q Ex Apoc. 19. 16. — r Joan. 3. 34. — ſ Joan. 1. 14. — t Coloſſ. 2. 9. — u Matth. 28. 18. — x Matth. 28. 20. — y Joan. 6. 56. — z Pſal. 15. 2. — f Rom. 10. 12. — g Iſai. 9. 6. — h Epheſ. 2. 14. — i Ex Pſal. 80. 16. — k 1. Cor. 10. 4. — l Joan. 6. 59. — m S. Ambr. lib. 4. de Sacramentis c. 4.

erant, in aliud commutentur? *Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipſe dixit,* n Pſ. 148. 5. *& facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* n. *Ergo tibi ut reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem: ſed poſt conſecrationem dico tibi quòd jam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt: ipſe mandavit, & creatum eſt.* Sed quânam actione fecit hæc mirabilia, quorum magnitudo ſtupore percellit mentes noſtras? Nunquid non creatione? Nequaquam: nam per creationem facit aliquid ex nihilo; hîc autem facit corpus ſuum è pane, & ſanguinem ſuum è vino. Nonne generatione? Non: generatio enim fit paulatim, ſucceſſivè per introductionem diſpoſitionum in materiam, & per expulſionem primæ formæ, materiâ manente ſolùm ſub primâ formâ: ſed hîc unico inſtanti tota ſubſtantia materiæ formæ panis mutatur in corpus ipſius, & tota materiæ & formæ vini ſubſtantia in ſanguinem ipſius. Annon quâdam actione, quam aliqui vocant adductivam, quæ trahat & adducat corpus noſtri Salvatoris è cœlo in terram, & illud collocet ſub ſpeciebus panis & vini ſuper altaribus noſtris? Minimè: nam eodem tempore quo velatum eſt ſpeciebus, eſt etiam totum apertum in cœlo. Præterquàmquòd talis actio non eſſet niſi accidentalis, id eſt, translatio localis corporis Salvatoris noſtri è loco in alium: ſed eſt actio ſubſtantialis, non adductiva, ſed productiva ſubſtantiæ corporis Jeſu Chriſti per mutationem ſubſtantiæ panis in mutationem corporis ſui. Dicemus igitur

o Conc. Lateran. Can. 1. cum Concilio Lateranenſi o habito ſub Innocentio III. quòd hæc actio, vocatur tranſubſtantiatio, quæ ſignificat mutationem unius ſubſtantiæ in alteram. ſic enim loquitur Concilium: *Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, in quâ idem ipſe Sacerdos & ſacrificium Jeſus Chriſtus, cujus corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate Divinâ, ut ad perficiendum myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo quod ipſe accepit de noſtro; & hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos qui fuerit ritè ordinatus ſecundùm* p Ex Matth. 10. 19. *claves Eccleſiæ* p, *quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus.* Hæc eſt prima circumſtantia magnitudinis convivii, quam educo ex excellentiâ perſonæ, quæ eſt Dominus noſter, Deus & homo ſimul, qui illud facit.

II Pars. Secundam excellentiam convivii iſtius eruo è qualitate ferculorum quæ in eo apponuntur, nimirum quòd panis & vinum & cibi ſint exquiſita. Panis quem Salvator apponit menſæ ſuæ, eſt proprium corpus ſuum, *Panis quem ego dabo, caro* q Joan. 6. 52. *mea eſt pro mundi vitâ* q. Iſte eſt panis qui continet omnes dulcedines, cunctas delicias, & univerſas voluptates deſiderabiles, ſicut ait Sapi- r Sap. 16. 20. ens r, *Angelorum eſcâ nutriſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem.* Nihil dulcius, nihil amabilius, & nihil deſiderabilius hoc pane: quidquid eſt creatum, eſt inſipidum comparatione ejus. ſ Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14. Iſte eſt panis qui ſubactus eſt *in utero* ſ beatæ Virginis Mariæ, & coctus calore Spiritus ſancti: t Matth. 1. 20. *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* t. Vocat carnem ſuam nomine panis, quia habet eandem proprietatem nutriendi quam panis. u Pſ. 77. 25. Apellat illam *panem Angelorum* u, qui præbet *de-* x Gen. 49. 20. *licias Regibus* x. Et cujus panis nomen oſtendit omnem apparatum convivii, cùm in phraſi Hebræorum id omne quod apponitur menſæ in alimentum, vocetur panis. In cujus veritatis probationem fratres ſuos lautè volens excipere [Joſeph, ait, Ponite panes. Quibus appoſitis, ſeorſum Joſeph, & ſeorſum fratribus, Ægyptiis quoque qui veſcebantur ſimul, ſeorſum (illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuſcemodi convivium) ſederunt coram eo y.] Quis y Gen. 43. 29. &c. autem putabit quòd in hoc convivio, ubi ſanctus hic Patriarcha volebat oppiparè ſuos fratres excipere, reperiretur duntaxat ſimplex panis? Non eſt iſtud credendum, præſertim cùm Joſeph vellet fratribus ſuis intuendam exhibere dilectionem ſuam, æquè ac potentiam ſuam. Præterquàm quòd panis, juxta modum Hebræorum, ſignificat omnem apparatum convivii, & omne id quod nutruit: & iſtud eſt motivum propter quod corpus Jeſu Chriſti quod nutrit animas noſtras ad vitam æternam, retinet hoc nomen, quod nobis oſtendit magnificentiam convivii, quæ eruitur è pretio & valore ferculorum, ſeu ciborum ibi appoſitorum: iſti enim cibi non ſunt alii niſi caro & ſanguis Jeſu Chriſti: nam ſicut ſuper terrâ nihil eſt pretioſius humanitate ſacrâ Jeſu, nec eſt in cœlo quidquam magnificentius Divinitate, concludamus quòd cùm iſti Divini cibi nobis apponantur in hoc convivio Evangelii noſtri, convivium iſtud eſt magnificentiſſimum omnium eorum quæ fieri poſſunt, cùm humanitas & Divinitas Jeſu Chriſti ſint cibi, quibus paſcuntur convivæ: [Caro enim mea, verè eſt cibus; & ſanguis meus, verè eſt potus z. Hoc ait Salvator, ne putaretur para- z Joan. 6. 55. bolicè loqui more conſueto, ita quòd carnem ſuam diceret panem, quia ſignaretur per panem, & eſſet ſub formâ panis ſolùm ſicut in ſigno. Ad inſinuandum ergo quòd caro ſua ſit verè & ſubſtantialiter ſub ſpecie panis, veraciterque ſumatur à communicante: ſanguis quoque ipſius verè ſub ſpecie panis contineatur, & recipiatur, adiecit, caro mea, id eſt, corpus,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus a. a Dion. Carth. art. 18. in Joan. 6. 55. Cibus excellentiſſimus omnium eorum qui fuerunt, vel erunt.

Ad majorem iſtius veritatis intelligentiam, obſervate, ſi placet, quòd ſicut cibus in genere dividitur in proprium & in improprium, in verum & in metaphoricum; ſic verus & proprius dividitur in duas ſpecies, quarum una eſt perfecta, & altera imperfecta. Imperfecta, eſt panis, caro, piſcis, & id omne quod ſumimus ad nutriendum & ſuſtentandum corpus iſtud mortale. Dico autem hunc cibum eſſe imperfectum propter tres rationes. Prima eſt, quia cùm homo ſit compoſitus è duabus partibus, è corpore & ex animâ, quæ ambæ indigent alimento, iſte cibus non nutriens neque ſatians niſi unam ex iſtis partibus, putà corpus, eſt imperfectus intuitu totius hominis. Secunda eſt, quoniam non ſatiat niſi ad exiguum tempus, & deinde fames revertitur ſicut anteà: nam poſt prandium venit cœna, & ſic ſucceſſivè quotidie: & ſic novis jugiter nos ſtimulat fames appetitibus uſque ad mortem. Tertia eſt, quia cibus nutriens alios, ſeipſum alterat & deſtruit. Sumite cibum exquiſitiſſimum omnium illorum qui reperiri potuerunt, & in eo deprehendetis tres iſtos defectus.

Quid

Quid excellentius V. g. fructu ligni vitæ b, cibo terreſtri, cùm non inveniretur niſi in paradiſo terreſtri? Et tamen cibus iſte erat obnoxius imperfectionibus illis: ipſemet enim corrumpebatur: quomodo autem dare potuiſſet incorruptionem? *Lignum vitæ erat corruptibile, alioquin non potuiſſet in nutrimentum aſſumi, quia alimentum convertitur in ſubſtantiam nutriti*, dicit S. Thomas c. Manna, cibus erat hoc fructu ligni vitæ etiam excellentior, cùm Scriptura d vocet illud *panem cæli*, cùm fructus ille eſſet terreſtris; & tamen manna præ ſe ferebat iſtos defectus: non enim nutriebat niſi ſolum corpus, & ad exiguum tempus, & ideò colligendum erat *per ſingulos dies* novum, alioquin incipiebat *ſcatere vermibus, atque* e computreſcere & corrumpi. Et licèt eſſet panis veluti ſubactus & formatus manu Angelorum, tamen ipſum ſtatim Judæi faſtidierunt, dicentes, *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man* f. Et, *Anima noſtra jam nauſeat ſuper iſto cibo leviſſimo* g. Tandem, Sumite quoſcunque cibos volueritis ſuper terrâ, & nullum inter eos invenietis qui prædictas non habeat imperfectiones. Terra nullum providet cibum, qui ſatiare poſſit perfectè quoad corpus, & quantùm ad animam, oportet ut hujuſmodi cibus veniat è cœlo, *Panis qui de cælo deſcendit* h. Sic is eſt cibus, qui nobis apponitur in hoc convivio, quod nobis facit Salvator mundi, *Eſcam dedit timentibus ſe*, dicit David i. Et Lorinus k, *Eſcam intelligit Euchariſtiam datam colentibus Deum*. Sed iſte cibus non ſumitur fide tantùm, ſicut volunt hæretici noſtri, ſed realiter & corporaliter, cùm ſit verè cibus immunis à tribus imperfectionibus quæ reperiuntur in aliis cibis, qui non ſunt cibi niſi imperfectè, ſicut diximus: *Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus* l, ait Dei Filius. Dicit, *verè*, quippe qui tranſit per guttur, & deſcendit in ſtomachum; &, ad modum hæreticorum, non eſt niſi cibus metaphoricus & figurativus, contra id quod dixit Jeſus Chriſtus, *Caro mea, verè eſt cibus*, Iſte cibus non nutrit ſolum corpus, ſed etiam animam; famem explet, non ad exiguum tempus, ſed ad ſemper, cùm perducat hominem ad cœlum m, quò tolerantiæ non habent acceſſum n. Non corrumpitur: nam poſtquàm comeſtum eſt corpus Chriſti, ipſum manet æquè integrum ac anteà, ſicut Eccleſia concinit de iſto cibo poſt S. Thomam, *Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti tantum ille, nec ſumptus conſumitur*. Sed præter quàm quòd iſte cibus eſt expers trium iſtarum imperfectionum communium aliis, habet tres perfectiones quæ ipſi conveniunt modo eminentiori quàm aliis quibuslibet, quæ ſitæ ſunt in conſervandâ vitâ, in dandis viribus corpori; & in ſatiandâ fame, ſaltem ad tempus, ſicut iſtud quotidianâ comprobamus experientia: ſine alimento enim vivere non poſſumus, nullas habemus vires, & exagitamur fame: atqui tres iſtæ perfectiones excellentiſſimè reperiuntur in Euchariſtiâ. Primò, Dat nobis vitam, imò verò tres nobis vitas tribuit, nimirum, vitam corporis, vitam ſpiritus quæ eſt gratia in iſto mundo, & vitam æternam corporis & animæ in altero ſeculo. Quòd præbeat vitam corporis, illud edocet me Tertullianus o, dicens, *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur*. Sicut refertur de S. Catharinâ Senenſi non ſumenſe per quadraginta dies aliud alimentum niſi quotidie Euchariſtiam. Sic iſte cibus vitam præbet corpori humano, quod eſt ipſi commune cum omni alio cibo; ſed multò magis animæ, quod eſt ipſi ſpeciale, *Panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cælo, & dat vitam mundo*, dicit S. Joannes p. Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus q, *Panis enim Dei, hoc eſt, à Deo Patre datus, eſt ille qui deſcendit de cælo, id eſt, Unigenitus Dei, ſeu Verbum incarnatum. Et dat vitam gratiæ mundo, hoc eſt, hominibus in ipſum credentibus. Ipſe igitur Chriſtus, eſt verus panis mentem reficiens, tam ratione ſuæ Divinitatis, per quam reficit Angelos, & gratiam cauſat in nobis, quàm ratione ſuæ humanitatis, cujus virtute & merito omne ſpirituale bonum conſequimur, quaſi per cauſam mediatam ac inſtrumentalem: quia de plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratiâ* r. En in quo conſiſtit vita animæ. Et S. Auguſtinus s reſolvit hoc quæſitum, cùm ait, *Sicut vita corporis anima: ſic vita animæ Deus*. Sicut enim peccatum eſt mors animæ, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* t: ita gratia vita illius eſt. Sed unde venit illi hæc gratia? Principium illius, eſt Sacramentum Baptiſmi; ſicut ejus finis & conſummatio, eſt Sacramentum Euchariſtiæ. Tandem, Cibus iſte dat vitam gloriæ in altero ſeculo, & hanc pollicetur Chriſtus, dicens, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die* u. Sed quæritur quomodo is qui comedit carnem Filii Dei, habeat in ſe vitam æternam? Reſpondet S. Irenæus x, *Quemadmodum lignum vitis depoſitum in terrâ, ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum multiplex ſurgit, per ſpiritum Dei qui continet omnia* y, *quæ deinde per ſapientiam in uſum hominibus veniunt, & ſanguis Chriſti: ſic & corpora noſtra ex eâ nutrita & repoſita in terram, & reſoluta in eam, reſurgent in ſuo tempore, Verbo Dei reſurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris*, Et S. Cyrillus Alexandrinus z, *Qui carnem Chriſti manducat, vitam habet æternam: Habet enim hæc caro Dei Verbum, quod naturaliter Vita* a *eſt: proptereà dicit: Quia ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Quaſi dicerent iſti ſancti Patres, quòd ille qui manducat carnem Filii Dei, habet in ſe radicaliter, virtualiter & fundamentaliter vitam æternam.

Cibus iſte præ ſe fert etiam ſecundum effectum cibi, qui ſitus eſt in dandâ vi & fortitudine ei qui ipſum ſumit. Elias probat hanc veritatem: nam dum perſecutionem Jezabelis fugeret, *perrexit in deſertum viam unius diei. Cùmque veniſſet, & ſederet ſubter unam juniperum, petivit animæ ſuæ ut moreretur, & ait, Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum quàm patres mei. Projecitque ſe, & obdormivit in umbrâ juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, Surge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormivit. Reverſuſque eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi, Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb* b. Quid eſt iſtud, Auditores, niſi figura fortitudinis quam ſuſcipimus in Euchariſtiâ, ad perficiendam peregrinationem hujus vitæ? *Non enim habemus hic manentem civitatem ſed futuram inquirimus* c. Ut tandem à nobis attingatur hic mons æternus, in quo Deus habitat, *Mons Dei, mons pinguis: mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo* d. Quis ambiget igitur, niſi ſit hæreticus, quin caro Chriſti ſit verus cibus, cùm veri cibi præ ſe ferat proprietatê? *Caro enim mea, verè eſt Cibus* e.

Præterea Cibus hic explet famem, quod eſt ultimum effectum cibi materialis; ſed perfectè explet, & ad ſemper, quod non eſt commune aliis ci-

b Gen. 2. 9.
c S. Thom. 1 p. q. 97. a. 4. in princ.
d Pſ. 77. 24.
e Exod. 16. 4. & 20.
f Num. 11. 5. &c.
g Num. 21. 5.
h Joan. 6. 59.
i Pſ. 110. 5.
k Lorin. in Pſ. 110. 5.
l Joan. 6. 56.
m Joan. 6. 59.
n Iſai. 25. 8. & Apoc. 21. 4.
o Tert. lib. de Reſurrect. Carnis. c. 8.
p Joan. 6. 33.
q Dion. Carth. art. 17. in Joan. 6. 33.
r Ex Joan. 1. 16.
s S. Aug. conc. 2. in Pſ. 70.
t Ezech. 18. 4. & 20.
u Joan. 6. 54.
x S. Iren. lib. 5. adverſ. hæreſ.
y Ex Sap. 1. 7.
z S. Cyril. Alex. lib. 4. c. 16. in Joan. 6. 54.
a Ex Joan. 14. 6.
b 3. Reg. 19. 4. &c.
c Hebr. 13. 14. ex Mich. 2. 10.
d Pſ. 67. 16. &c.
e Joan. 6. 56.

bis : & hoc ideò, quia cibus iſte perducit ad Regnum cœleſte, in quo Beati, ſicut canit Eccleſia, *non eſurient, neque ſitient ampliùs.* Et hoc eſt quod ait Salvator, *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* f.

f Ioan. 6. 51. & 52.

Vèrum eſt igitur, Auditores, quòd caro illius, eſt ſola verus & perfectus cibus, cùm ſola habeat omnes perfectiones veri cibi abſque imperfectionibus illius. Dicamus igitur audacter, *Homo quidam fecit magnam cœnam.* Magnum convivium re verâ, cùm habeat fercula ſic pretioſa & ſic exquiſita, nimirum carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti, unita hypoſtaticè Divinitati ipſius. O convivium ſingulare, cùm Dominus noſter ſit convivium, & ipſe qui illud facit! *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur!* canit Eccleſia. O admirabile convivium, in quo ſic pauca verba producunt effectus ſic admirabiles! nam Altor ibi fit alimentum; Creator quem *cœlum & cœli cœlorum capere non poſſunt* g, ibi comprehenditur à creaturâ; corpus ipſius eſt eodem tempore in cœlo h, & in terra i, & in locis innumeris, nedum tamen illa occupet; quotidie comeditur, nec tamen conſumitur; habet guſtum vini, ſed eſſentiam ſanguinis; ſaporem panis, ſed ſubſtantiam carnis. Convivium ergo magnificentiſſimum omnium, cùm fercula perfectiſſima omnium illorum quæ reperiri poſſunt, in eo apponantur.

g 3. Reg. 8. 27.
h Marc. 16. 19.
i Matth. 28. 20.

III Pars

Supereſt ut aliquid dicam de tertiâ circunſtantiâ iſtius convivii, cujus magnitudinem educo è magno numero invitatorũ, *Et vocavit multos.* Convivium Aſſueri fuit magnum, ſed ad illud non vocavit iſte Princeps, niſi ſubditos ſuos, ſicut audiviſtis ſuprà: Epulæ Julii Cæſaris fuerunt ſplendidæ, ſed in illis non excepit hic Imperator, niſi cives Romanos, ut jam dixi vobis: Convivium Joſeph, quòd in principio diſcurſus iſtius recenſui, fuit magnificum, ſed ipſe non fecit illud, niſi fratribus ſuis: ſed convivium Jeſu Chriſti, eſt maximum iſtorum omnium; nam erectum eſt in gratiam omnium hominum, qui ipſi volent intereſſe, cujuslibet ſint conditionis, *Vocavit multos.* Id eſt, omnes homines.

Tantalus Corinthiorum Rex, ob pietatem, Deorum menſis dignatus, ut ait Calepinus k, ventilatur à fabularum concinnatoribus ut honoratiſſimus omnium hominum mundi. Commentum eſt, ſed en illius veritas: Deus cœli inſtituit convivium, de quo loquimur, ut epularetur cum hominibus, honorando eos favore incomparabili: nihil eſt igitur felicius homine, ſi ritè noverit uti hâc glorioſâ prærogativa. Sed unde fit ut, cùm iſtud convivium in favorem omnium hominum ſit erectum, ſic exiguus tamen illorum numerus interſit ipſi: Cauſas iſtius habemus exaratas in excuſationibus invitatorum, quas recenſet Evangelium noſtrum. Auſcultate quid allegent. *Et miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei, Villam emi & neceſſe habeo exire & videre illam: rogo te habe me excuſatum. Per primum hunc invitatum, qui ex occupatione circa villam quam emit, neglexit Dei ſervire [illegible], deſignatur pluralitas ſuperborum [illegible] ambitioſorum: qui ita ſe occupant circa honorem, principatum, & excellentiam acquirendos & ſuſtinendos in ſeculo iſto, quòd Divina negligunt adimplere præcepta, nec ad æternos ſummæ beatitudinis aſpirant honores, ſed temporalia atque præſentia æternis præferunt ac futuris, propriâ excæcati ſuperbiâ, quæ mentem ineffabiliter damnabiliterque obtenebrat, ita quòd fidem formatam & vivam non habent, ſecundum quod talibus ait Salvator, Quomodo poteſtis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis* l? ſubdit Dionyſius Carthuſianus m. Et ſtatim proſequitur poſt Evangelium noſtrum, *Et alter dixit, Juga boum emi quinque, id eſt, quinque paria boum. Per hunc ſecundum intelligitur multitudo hominum avarorum, qui ita circa terrenas divitias congregandas ac conſervandas intenti ſunt, quòd ſpiritualium ac cœleſtium obliviſcuntur bonorum, ſicque circa pecunias & poſſeſſiones ſuas afficiuntur, quaſi eas nunquam eſſent amiſſuri, & quaſi non eſſet vita poſt hanc, & tanquam corpus eſſet nobilius animâ. Et alius dixit, Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Per hunc deſignantur luxurioſi. Nam quamvis Matrimonium ſit bonum ac licitum, atque ad propagandam ſobolem Divinâ Providentiâ inſtitutum, multi tamen per hoc non fœcunditatem prolis, ſed turpitudinem expetunt voluptatis. Ideò per rem juſtam ac licitam non incongruè deſignatur res impia, ut dicit Gregorius. Et quia voluptas carnalis fortiſſimè ligat & occupat, infimisque immergit hominem, ideò tertius iſte non dixit, Rogo te habe me excuſatum, ſed ſimpliciter loquitur, Non poſſum venire: nam & ipſa voluptas carnalis parit acediam, atque faſtidium Divinorum, facitque hominem ad virtutum opera impotentem. Propter quod in Oſeam habetur, Fornicatio & ebrietas & vinum auferunt cor. Itaque Chriſtus in iſtâ parabolâ denotat, quòd per ſuperbiam, avaritiam, atque luxuriam homines à ſuâ præcipuè impediuntur ſalute. Ideò Joannes* o *aſſerit, Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Quàm magna ſunt impedimenta quoad Sacram Communionem, ſuperbia, avaritia, & luxuria. Qualis cæcitas, ut quis pro fumo honoris mundani ſibi comparãdo, pro aurâ populari aucupandâ, renunciet honori communicandi corpori & ſanguini Chriſti: Ut quis adhærens terræ, ſibi claudat oſtium ad ſacram Communionem; ne amittat quinque aſſes, perdat Deum; & abrenunciet voluptatibus cœleſtibus & Divinis, ne nuntium bonis caducis remittat. Ut quis addictus plùsquàm ſit par amori inordinato & illegitimo mulierum, qui ſociari non poteſt iſtius Sacramenti puritati, renuat huic intereſſe convivio, quod requirit virgines quoad puritatem. Quòd ſi Euchariſtia, ſicut dicunt Patres, eſt extenſio Incarnationis, ſequitur quòd tantam deberemus habere ſanctitatem ad ſuſcipiendum Dominum noſtrum intra pectora noſtra, quantã præ ſe tulit B. Virgo Maria puritatem ad concipiendum eum *in utero* p ſuo. Præterea, B. Virgo concepit illũ paſſibilem & mortalem, quandiu nos illum ſuſcipimus glorioſum & immortalem: judicate igitur de diſpoſitionibus quas afferre debemus ad hoc conviviũ, & de puritate quæ neceſſaria eſt ad perceptionem iſtius Divini Sacramenti. Sed cùm unusquisque deſpectum hujusmodi convivii ad quod invitatur amoroſè, ſpecioſis prætexat excuſationibus, & ſic Dominum convivii graviter offendat, ideò & ipſe unumquemque illorum hoc honore declarat indignum, dicens, *Dico vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Caveamus, Auditores, ne geramus nos more horum ingratorum: reddamus nos dignos qui interſimus iſti convivio; diſponamus nos ad hoc ut ei adeſſe poſſimus, non ſolùm ſemel annis ſingulis, ſed ſingulis diebus feſtis anni præcipuis, imò verò ſemel menſibus ſingulis. Ut autem ad iſtam ſacram Communionem certo modo [illegible] fructu accedamus, reſecemus à nobis omnia obſtacula, quæ nos ab illâ removent, quæ ſunt occaſiones ad peccatum inducentes. Id eſt maximus honorum omnium quibus inſigniri poſſimus, ac admitti

k Calepinus in Dict. in V. Tantalus.
l Ex Ioan. 5. 44.
m Dion. Carth. art. 37. in Luc. 14. 18. &c.
n Ex Oſee 4. 11.
o 1. Ioan. 2. 16.
p Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.

ad

ad iſtam ſacram menſam. *Beati qui ad cœnam nupti-*
q Apoc. 19. 9. *arum Agni vocati ſunt* q. Inſumite ergo omnes co-
natus veſtros ad hoc ut dignos vos reddatis iſto
favo c, qui faciet vivere vos eâdem vitâ quâ vivit
Deus, mutans vos in Divinitates. Accedite ad
hanc originem immortalitatis; eò vos Dominus
convivij vocat, imò verò aliquo modo vos ſuavi-
ter compellit; vocando vos, reddit vos eo dignos,
ſi velitis ipſius vocationi conſentire, *Venite, comedite*
r Prov. 9. 6. *panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis* r.
Non erit æquo frequentius illi qui *ſepties* ſ cadit
ſ Prov. 24. 16. diebus ſingulis præ infirmitate, ſi ſemel menſibus
t 3. Reg. 19. 8. ſingulis *fortitudine cibi* t iſtius ſe roboret. Non
erit ſæpiùs quàm ſit par illi, qui quotidie & ſingulis
momentis dilabitur *quaſi aqua in terram, quæ non*
u 2. Reg. 14. 14 *revertuntur* u, ſi ſemel intra menſem recurrat ad
x Gen. 2. 9 *lignum vitæ* x. Non erit nimis frequenter filio, ſi
menſibus ſingulis accedat ad menſam Patris ſui,
y Pſal. 127. 3. *Filij tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ* y.
Accedite confidenter ad hanc menſam, Audito-
res, poſt debitam præparationem: nihil eſt quod
offendat Deum æquè ac contemptus convivii ip-
ſius: appropinquate ergo ad hanc arborem vitæ,
quæ præbebit vobis vitam corporis, vitam gratiæ
& aliquando vitam gloriæ.

Si concio habeatur coram perſonis Religioſis, ſubdi poterit.

Animæ Religioſæ, fælices eſtis, cùm non ſitis de-
tentæ cunctis impedimentis iſtis, cùm generosè
confringatis hæc omnia obſtacula, & deſpiciatis
illa univerſa quæ mundani intuentur ut potens
motivum gloriæ ſuæ, & ſatisfactionis ſuæ. Deus
vocat vos ad menſam ſuam: non excuſetis vos
more mundanorum dicentium, *Villam emi; Juga*
boum emi quinque; Uxorem duxi: cùm nihil poſſi-
deatis, cùm reliqueritis *omnia, & z ſecutæ Domi-* z Matth. 19. 27. &c.
num iſtum qui vos honorat vocando vos ad con-
vivium ſuum, conſecraveritis ei univerſos affectus
veſtros, quos à creaturis abſtraxiſtis: propterea
pergitis ad illum, imò verò ad eum curritis ſine
ullo impedimento ſuperbiæ, cùm magnitudinibus
& honoribus mundanis renunciaveritis per vo-
tum obedientiæ: abſque aliquo obſtaculo avari-
tiæ, cùm nihil poſſideatis, & univerſa deſerueritis
per votum paupertatis: & ſine ullo obice impuri-
tatis, cùm valedixeritis amoribus licitis honeſti
Matrimonij per votum caſtitatis. Vos eſtis igi-
tur fælices: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vo-*
cati ſunt †. † Apoc. 19. 9.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Quis, putas, puer iſte erit? Luc. 1. 66. &c.

Cùm eſſet aliàs conſuetudo concinnandæ pa-
negyris hominum illuſtrium & virtute inſi-
gnium ipsâ die Nativitatis ſuæ, & Spiritus ſanctus
renovet hanc conſuetudinem laudabilem, & hor-
tetur nos ut exerceamus illam in favorem Sancto-
rum ſuorum, *Laudemus viros glorioſos in generatione*
a Eccli. 44. 1. *ſuâ* a: & S. Joannes Baptiſta ſit maximus omnium
hominum qui nati ſunt è mulieribus, & illuſtriſſi-
mus omnium Sanctorum, quid dicemus de eo
die iſtâ glorioſâ nativitatis ſuæ? ſed quid dicere
poterimus de illo poſt id, quod Dei Filius qui eſt
b Ioan. 14. 6. ipſamet *Veritas* b, ipſi tribuit elogium per Evan-
c Matth. 11. 11. geliſtam c ſuum? *Non ſurrexit inter natos mulierum*
major Joanne Baptiſtâ. Et per Dionyſium Carthu-
d Dion. Carthuſ. art. 23. in Matth. 11. 11. ſianum d, *Non ſurrexit, id eſt, ortus non eſt, nec ad*
virtutes aſcendit, nec fuit, inter natos mulierum, id eſt,
inter eos qui ex fœminis à viris impragnatis geniti ſunt,
major, id eſt, dignior aut ſanctior, Joanne Baptiſtâ.
Mulier ergo hoc loco accipitur pro fœminâ cognitâ à
e ex Mat. 1. 25 & ex Luc. 2. 7. *viro: ſicq; Chriſtus natus de Virgine* e, *& Virgo Ma-*
ter quæ fuit inter natas, non inter natos, excipiuntur.
Cœlum proclamat ipſum, Angeli deſumunt voces
ad celebrandas laudes ejus, non eſt aliquis qui il-
lum non evehat encomijs, quin imò & ipſi muti
loquelam recuperant, ut inſumant eam in favo-
rem illius, *Et Zacharias Pater ejus*, qui priùs erat
mutus, juxta prædictionem Angeli, *repletus eſt Spi-*
ritu ſancto: & prophetavit, dicens, Tu puer, Propheta
f ex Malach. 4. 5. *Altiſſimi vocaberis* f: *præibis enim ante faciem Domini*
parare vias ejus, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi
ejus, in remiſſionem peccatorum eorum, per viſcera
miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens
g ex Zach. 3. 9. & 6. 12. *ex alto* g, *illuminare his qui in tenebris, & in umbrâ*
mortis ſedent h: *ad dirigendos pedes noſtros in viam*
h ex Malach. 4. 2. *pacis.* B. Virgo Maria ferta Salvatore, præſens
nativitati ſancti Præcurſoris iſtius, ſuſcipit illum
i Dion. Carthuſ. art. 4. in Luc. 1. inter brachia ſua, juxta communem opinionem,
quam recenſet Dionyſius Carthuſianus i, dicens,
Communiter dicunt Doctores, quòd non receſſerit Ma-
ria, quouſque naſceretur Joannes. Unde in Schola-
ſticâ fertur Hiſtoriâ, quòd ipſa infantem levavit de
terrâ, ut ſcribitur in libro Juſtorum, id eſt, Nazaræorū,
ut quidam explanant. Et Elizabeth quæ illum par-
turiit, Spiritu ſancto illuſtrata, cognatam ſuam pro-
clamat altâ voce Matrem Dei, & fœliciſſimam o-
mnium mulierum, *Et repleta eſt Spiritu ſancto Eli-*
zabeth: & exclamavit voce magnâ, & dixit, Benedi-
cta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui,
Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?
Iiſdem ferè verbis uſus eſt qui *miſſus eſt Angelus Ga-*
briel à Deo ad Virginem eandem, cùm *ingreſſus, ad*
eam dixit, Ave Maria.

Cùm proprium ſit rebus magnis ferre ſpecta-
tores ſuos in admirationem & ſtuporem excel-
lentiarum ipſarum, & S. Joannes Baptiſta ſit poſt
Filium Dei incarnatum, & poſt ſanctiſſimam ejus
Genitricem res maxima rerum omnium, quid
mirum ſi magnitudines illius admiretur unuſquiſ-
que? *Et mirati ſunt univerſi*, dicit Evangeliſta
noſter. Id eſt, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k, k Dion. Carthuſ. art. 5. in Luc. 1. 64
Videntes in proceſſu negotij miracula miraculis jungi,
totque inſolita fieri: item quòd Zacharias & conjux
ejus ſic concordabant, qui ſimul à conceptione Joannis
conferre non poterant. Cùm nativitas ipſius ſit mi-
raculoſa, non pollicetur aliquid quod non ſit ex-
traordinarium: ſic ex fœlicibus præmiſſis non eſt
difficile eruere fortunatas conſequentias: *Et po-*
ſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes,
Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat
cum illo, proſequitur idem noſter Evangeliſta. Et
poſt eum præfatus Carthuſianus l, *Et poſuerunt* l Dion. Carthuſ. art. 5. in Luc. 1. 66.
omnes qui audierant in corde ſuo, id eſt, mentibus ſuis
ita tenaciter impreſſerunt, atque memoriæ diligenter
commendaverunt, dicentes, vel quilibet intra ſe, ſeu
unus ad alium, imò verò utroque; Quis, putas, puer iſte
erit? Quaſi dicerent, Notabilis valde erit, & creſcet in
virum eximium. Talia enim mirabilia non conſue-
verunt contingere, niſi circa valde electas perſonas.

Idcò ſubditur, Etenim manus Domini erat cum illo, id eſt, *virtus, gratia, auxilium, operatio ſupernaturalis ipſius Dei fuit cum Joanne in ejus ſanctificatione, exultatione in utero matris, cæteriſq; præfatis, ex quibus probabiliter arguebant, quòd tempore procedente futura eſſet manus Dei cum ipſo.* Opiniones de ipſo ſunt diverſæ. Aliqui opinantur, quòd ipſe futurus ſit alter Noë, verus Janus (ſicut *Janus antiquiſſimus Italiæ Rex, quem geminam faciem prætuliſſe ferunt* m) qui viderat duo ſæcula, unum ante diluvium, & alterum poſt diluvium. Ante diluvium, *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* n. Poſtquàm *factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram, remanſit ſolus Noë, & qui cum eo erant in arcâ* o. Et ſic quòd iſte puer vidit, ut ſit vetus ſæculum Legis Moſaicæ, & novum Legis Evangelicæ. Proteſtantur alij, quòd ipſe ſit futurus alter Abraham. Nam ſi iſte Patriarcha, ſicut ait Apoſtolus p, *contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, & arena maris* q: *Et non infirmatus eſt fide: nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ: In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ: ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſimè ſciens quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere*: ſic iſte Præcurſor non veniebat niſi ut fidem publicaret mundo, qui eam veluti amiſerat, *Ut omnes crederent per illum*, dicit S. Joannes Evangeliſta r. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus ſ, *Ut omnes homines, primò Judæi, deinde Gentiles, crederent in Filium Dei per illum, hoc eſt, mediante teſtificatione Joannis, ſicque credendo conſequerentur ſalutem æternam.* Alij aſſerunt quòd ipſe futurus ſit ſecundus Iſaac, filius gaudij & riſus. Nam ſicut cùm *natus eſt Iſaac, dixit Sara: Riſum fecit mihi Deus, quicumque audierit, corridebit mihi* t: Sic Zachariæ patri Joannis *ait Angelus, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt.* Alij contendunt, quòd ipſe futurus ſit alter Moyſes, qui *tulit Iſrael de mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum, ambulaveruntque per ſolitudinem* u. Sic *fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi* x. Alij ſentiunt, quòd ipſe futurus ſit alter *Elias* y, qui erat *zelo zelatus pro Domino Deo exercituum* z, juxta prædictionem Angeli factam patri ipſius, *Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Unuſquiſque dicit de illo ſententiam ſuam, & ſcire volens quid de eo ſentiant ſinguli alij, petit ab eis. *Quis, putas, puer iſte erit?* Si mihi liceat ut agam Aſtrologum, probabo vobis bonam fortunam pueri iſtius intuitu horoſcopi ipſius. Videns igitur eum naſci ſub aſtro favorabiliſſimo omnium, prædico vobis infallibiliter, quòd futurus ſit maximus & fortunatiſſimus omnium hominum natorum è mulieribus, *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſtâ* a. Aſtrum quod præſedit ipſius nativitati, fuit Sol, ſed *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* b, qui eſt in ſigno Virginis, quod ſignum eſt fœliciſſimum & fortunatiſſimum, præſagium fortitudinis & virtutis. Nemo laudet ampliùs immitem illum Neronem pro eo quod natus referatur eo tempore quo Sol oriebatur in mundo, quaſi ductus ambitione naturali, voluiſſet ut radij ejus ipſum priùs tangerent, quàm terram. En adulatio, quæ in exceſſum abit immodicum, cùm Imperator ille non habuerit unquam aliquid familiarius quàm vitium, & magis ordinarium quàm crudelitatem: hæc veritas non pertinet niſi ad magnum S. Joannem, qui priùs tangitur à Sole juſtitiæ, qui ſuos immiſit radios in animam ipſius benedictam, quàm tangatur à terrâ: *Cùm enim materni uteri viſcera ſenectute frigeſcerent, & feſſi corporis membra fœcunditatis gratiam perdidiſſent, contra impoſſibilitatem corporis, contra ſterilitatem viſcerum, Zachariæ precibus Elizabeth meritis intumeſcit, & concepit Joannem, non naturâ, ſed gratiâ*, dicit S. Ambroſius c. Nunquid non placet vobis horoſcopus hujuſmodi? Si non arridet, applicate mentes veſtras & attentiones veſtras huic alteri ſubminiſtranti materiam hujus diſcurſus, *Quis, putas, puer iſte erit?* Dico cum altero S. Joanne d, *Lucerna ardens, & lucens.* Id eſt, ardens in voluntate, & lucens in mente. Videamus primò lumina iſtius lucernæ lucentis. Secundò verò experiemur ardores ejus.

Cœlum lumine renitens, nullum habet ignem qui mereatur attentè conſiderari, aut occupare viſum noſtrum, & cogitationem noſtram, comparatione illius, qui hodiernâ die mundum illuminat. Firmamentum cum omnibus ſtellis ſuis, & aſtra cum univerſo ſplendore ſuo, nos relinquebant ignaros theſauri, quem negligebamus, eò quòd illius valorem non cognoſcebamus. Jeſus Chriſtus erat Deus abſconditus in mundo, non erat aliquid in terrâ ipſo pretioſius: *Præpoſui illam regnis, & ſedibus: & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius*, ajebat Salomon e, loquens de Sapientiâ, quæ non eſt alia niſi idem Jeſus Chriſtus. Hic non cognoſcebatur in mundo, & ignorantia quæ habebatur ipſius, erat tota cauſa contemptûs ipſius, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator*, dicebat illi Iſaias f ſpiritu Prophetico. *Perſpicuum eſt enim & clarius luce meridianâ*, ſubdit Pintus g, *hoc dici de Chriſto. Ille eſt enim Deus, & abſque eo non eſt Deus* †, *& Deus eſt in eo. Ipſe enim ait: Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor, à meipſo non loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit opera* h. *Et, Ego & Pater unum ſumus* i. *Sed vide quàm planè, quàm apertè Iſaias hoc in loco affirmet Chriſtum eſſe Deum. Verè, inquit, tu es Deus abſconditus. Poterat quidem dicere: Tu es Deus abſconditus. Sed appoſuit particulam affirmantem, verè, ut dilucidè, firmiter & aſſeveranter Chriſti Numen oſtenderet. Appellatur autem Chriſtus Deus abſconditus propter aſſumpti corporis Sacramentum. Voluit enim Deus in humanâ formâ deliteſcere & abſcondi, ut corpore ſuo impetus ſceleratorum hominum ferret, & morte ſuâ nos è mortis vinculis liberaret. Hic eſt illa Sapientia, de quâ ait Apoſtolus* k: *Loquimur Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. Hic eſt ille Filius, de quo ait Divinus Pſaltes in noni Pſalmi inſcriptione, Pro occultis Filij. Occultabatur enim Divinitas in humanitate. Hic eſt theſaurus ille abſconditus, de quo ipſe ait, Simile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito in agro* l. *Et de quo ait Habacuc Propheta* m, *Ibi (nimirum in cruce) abſcondita eſt fortitudo ejus. Et quoniam bonum eſt communicabile, ut ait Dionyſius* n, *ſuiipſius diffuſivum, voluit ſummum Bonum* o *ſummè ſe hominibus communicare. Sumpſit noſtram naturam* p, *verſatus eſt inter homines* q, *mortuus eſt pro illis* r, *& ſeipſum in admirabili Euchariſtiæ Sacramento nobis reliquit, ut ſemper nobiſcum eſſet* ſ, *& ſummè ſeipſum nobis communicaret.* Ante omnes

m Calepin. in Diction. V. Janus
n Gen. 6. 9.
o Gen. 7. 17. &c.
p Rom. 4. 18.
q ex Gen. 15. 5. &c.
r Jo. 1. 7
ſ Dion. Carthuſ. art. 4. in Jo. 1. 7.
t Gen. 21. 5. & 6.
u Exod. 15. 22.
x Marc. 1. 4. & 5.
y Jo. 1. 21
z 3 Reg. 19. 10.
a Matth. 11. 11.
b Eccleſiæ ex Malach. 4. 2.
c S. Amb. ſerm. 63. qui eſt de S. Joanne Bapt. ex Luc. 1. 13.
d Jo. 5. 35. Diviſio.
I. Pars.
e Sap. 7. 8. & 9.
f Iſai. 45. 15.
g Pint. in Iſai. 45. 15.
† ex Iſai. 44. 8 & 45. 5. &c.
h Joan. 14. 10.
i Ioan. 10. 30.
k 1. Cor. 2. 7.
l Matth. 13. 44.
m Habac. 3. 4.
n ex Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
o ex Exod. 33. 19.
p ex Jo. 1. 14.
q ex Baruch 3. 38.
r ex 1. Cor. 15. 3.
ſ ex Matth. 28. 20.

omnes iſtas expoſitiones, ipſe erat Deus abſconditus, neceſſaria erat lucerna ad ipſum manifeſtandum, requirebatur præco ad ipſum proclamandum, & digito demonſtrandum: Joannes Baptiſta venit ad exercendum hoc officium, & aperiens oculos noſtros, nos clarè videre facit inter tenebras noſtras cauſam fælicitatis noſtræ, [Et ait, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi *t*.] Et clariùs per Dionyſium Carthuſianum *u*, [Ecce Agnus Dei, hoc eſt, immaculata hoſtia, per agnum Paſchalem præfigurata, quam Deus Pater, ſeu Trinitas pro mundo ordinavit ſibi immolandam, quemadmodum ait Apoſtolus *x*, Pro omnibus nobis tradidit illum. Et Chriſtus in paſſione, Calicem (inquit) quem dedit mihi Pater, non bibam illum *y*? Chriſtus itaque dicitur Agnus per proprietatem, non per naturam, ſicut dicitur Lapis angularis *z*, Leo *a*, Vitis *b*. Dicitur autem Agnus, Primò, propter innocentiam. Secundò, propter manſuetudinem. Tertiò, propter utilitatem, quoniam ſpiritualiter veſtit & alit nos. Quartò, propter modum ſuæ occiſionis. Quoniam, Iſaia *c* teſtante, ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente obmutuit. Quintò, quoniam ſicut filij Iſraël liberabantur à tyrannide Pharaonis per agni immolationem *d*: ſic liberati ſumus à poteſtate dæmonis per Chriſti oblationem. Ecce qui tollit peccata mundi. Chriſtus ſecundum quòd Deus abſtulit peccata hominum, tanquam cauſa purgationis effectiva ac principalis. Quia peccata dimittere, gratiamque mundantem ac juſtificantem infundere, Deo ſecundùm propriam naturam eſt proprium, prout ſanctus Job *e* proteſtatur, Quis poteſt facere mundum de immundo? nonne tu qui ſolus es? Sed inquantùm homo, abſtulit peccata, tanquam cauſa meritoria inſtrumentalis & mediativa, ſic tamen quòd idoneitas auferendi peccata competebat Chriſto homini, propter unionem ſuæ humanitatis cum verbo, ex quâ unione habuit dignitatem & efficaciam quodammodo infinitam. Propter quod totius mundi univerſa peccata potuit tollere, omnibus gratiam in præſenti, & gloriam in futuro mereri, quod nulli competit puræ creaturæ. Primò, quia peccatum eſt quodammodo infinitæ gravitatis, inquantùm eſt contra Dominum immenſæ majeſtatis *f*. Secundò, quoniam natura humana in infinitum communicabilis eſt, ideò totam redimere non potuit, niſi Salvator infinitæ dignitatis. Tertiò, quoniam beatitudo, ad quam ordinatur redemptio à peccato, eſt etiam quodammodo dignitatis immenſæ, cùm ſit immediata fruitio boni ſimpliciter infiniti. Has rationes ponunt Anſelmus, Thomas, & Bonaventura. Abſtulit autem Chriſtus omnia peccata mundi. Originale videlicet, actuale ſeu perſonale, quia pro omnibus ſatisfecit. Specialiter tamen ordinabatur paſſio Chriſti contra originale, quia pro illo nemo ſatisfacere potuit, ſed omnes quantùmcumque ſancti, uſque ad Chriſti paſſionem, deſcenderunt in limbum. Originale quippe peccatum corrupit atque infecit naturam communiter, quoniam erat privatio originalis juſtitiæ, debitæ ineſſe, ſecundùm Anſelmum. Unde ſibi debebatur pro pœnâ, carentia viſionis Divinæ. Totam verò naturam ad originalis juſtitiæ conformitatem reducere, non conveniebat niſi univerſali Redemptori gratiarum plenitudinem continenti *g*. Hoc enim fieri non valebat per gratiam particularem. Abſtulit ergo Chriſtus univerſa peccata, ſed oportet ut meritum Chriſti, hominibus per Sacramenta, vel fidem, & charitatem applicetur, ſi ejus effectum conſequentur. Hinc apud Iſaiam *h* legitur, Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Et rurſus *i*, Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et ipſe de ſe ait in Evangelio *k*, Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat. Hoc eſt quod Petrus *l* ait, Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vanâ veſtrâ converſatione, ſed pretioſo ſanguine Agni immaculati. Prædictis inſuper verbis declarat Joannes Baptiſta duplicem Chriſti naturam, putà humanam, dicendo, Ecce Agnus Dei. Et Divinam ſubdendo, Qui tollit peccata mundi. Dicitur quoque Chriſtus Agnus Dei per excellentiam, tanquam penitus immaculatus & innocens. Et licèt aliqui innocentes, mites, ac pij poſſint per imitationem quodammodo dici agni Dei, quemadmodum infrà *m* Chriſtus ad Petrum ait, Paſce agnos meos: de nullo tamen illorum dicere fas eſt, Qui tollit peccata mundi.]

Joannes Baptiſta facit in favorem multorum id, quod ſtella miraculoſa, quæ apparuit aliàs cum ſtupore omnium Aſtrologorum, fecit in gratiam trium Regum, illuminans eos interiùs & exteriùs ut venirent adoratum *Verbum breviatum* n, *in præſepio* o reclinatum, cujus nati viles apparentiæ eripiunt oculis mundi totum ſplendorem magnitudinis ipſius: *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum* p. Joannes Baptiſta, hæc *Lucerna lucens* q, non habet aliquid inferius hâc ſtellâ miraculoſâ, majorem ſuſcepit lucem, cùm venerit in mundum ut illuminaret eum cognitione Dei, *Ut omnes crederent per illum* r. Hoc fuit officium glorioſum, quo ſemper ipſe fideliter perfunctus eſt. Sic iſta lampas Meſſiæ (ſic enim vocatur à Prophetis *s*, *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri*) Divinus iſte Præcurſor Meſſiæ, non naſcitur ante Jeſum Chriſtum, niſi ut manifeſtet eum qui ſequitur, & ut ignis præcedat Principem, prout inſigne dignitatis ipſius. Sic Reges Perſarum, & Imperatores Romanorum nunquam incedebant præ pompâ & magnificentiâ, quin ignis, quem ipſi ſacrum vocabant in idololatriâ ſuâ, ipſos præcederet, *Poſt ignem illum ſequitur Cyrus*, ajunt Hiſtorici illorum. Cœlum quod manifeſtare vult Majeſtatem Meſſiæ venturi, præcedere facit hanc lucernam ſplendentem, Joannem Baptiſtam. Et Dionyſius Carthuſianus *t* attribuit ei hunc verſum Pſalmiſtæ, *Paravi lucernam Chriſto meo. Id eſt, Joannem Præcurſorem, qui paravit viam Domino: de quo dicitur, Ille erat lucerna ardens & lucens.* Et ante eum Tertullianus *u* dixit, *Quare ipſe Chriſtus veniens adimplere Prophetas* x, *dicit ad Judæos: Ille fuit, inquit, lucerna ardens & lucens: utpote qui non tantùm vias parabat in eremo, ſed & Agnum Dei demonſtrando, illuminabat mentes hominum, præconio ſuo; ut eum eſſe intelligerent Agnum, quem Moyſes* y *paſſurum nominabat.* Iſte ſplendor quem præ ſe fert in vitâ ſuâ maximus hominum è mulieribus natorum, iſte zelus qui ardet in corde ipſius, & qui debet aliquando tot alios accendere, cùm venerit tempeſtas producendæ flammæ ſuæ, non ſunt niſi perfectiones relativæ, quæ ſpectant perſonam ſublimiorem quàm ſit illa quæ eſt ſubjectum ipſarummet perfectionum, cùm S. Joannes non reddatur id quod ipſe eſt, niſi ad parandum iter & honorandum

t Joan. 1. 29.
u Dion. Carthuſ. art. 6. in Jo. 1. 29.
x ex Ro. 8. 32.
y Joan. 18. 11.
z ex Act. 4. 11. & ex Epheſ. 2. 20.
a Apoc. 5. 5.
b Jo. 15. 1. & 5.
c ex Iſai. 53. 7. & ex Act. 8. 32.
d ex Exod. 12. 27. &c.
e Job. 14. 4.
f ex Baruch. 3. 25.
g ex Jo. 1. 14.
h ex Iſai. 53. 6.
i Iſai. 53. 5.
k Luc. 19. 10.
l 1. Pet. 1. 18. & 19.
m Joan. 21. 17.
n Rom. 9. 28. ex Iſai. 10. 22. & 23.
o Luc. 2. 7.
p Matth. 2. 1. & 2.
q Jo. 5. 35.
r Jo. 1. 7.
s Iſai. 40. 3.
t Dion. Carthuſ. in Expoſit. Tropolog. in Pſ. 131. 17.
u Tert. lib. contra Jud. c. 9.
x ex Mat. 5. 17.
y ex Exo. 12. 3. &c.

Digitized by Google

randum ingreſſum Domini ſui, cùm lux ipſius non ſit niſi mutuata, nec ipſe teneat eam niſi ex commiſſione: *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*, dicit S. Joannes Evangeliſta z. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus a, *Non erat ille Joannes lux principalis effectivè illuſtrans, lucem gratiæ præſtans, & per eſſentiam lucens: erat tamen lux inſtrumentalis diſpoſitivè illuminans, ad gratiam præparans, lux participata, eo modo quo Chriſtus ait Apoſtolis, vos eſtis lux mundi* b. *Et ad Philippenſes Apoſtolus* c, *Sitis (inquit) ſine querelâ in medio nationis pravæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. Sed ut teſtimonium perhiberet de lumine; hoc eſt, Joannes non fuit Chriſtus in Lege* d *promiſſus, ſed ejus miniſter & præco, ordinatus ad hoc ut Chriſto teſtimonium daret. Hoc fecit Joannes dicendo; Venit fortior poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus* e. Sic hæc ſpecioſa lucerna participata, proteſtatur obedientiam, quam debet Jeſu Chriſto; agnoſcendo eum ut Dominum ſuum, oſtendit ſe à bonitate & gratiâ ejus tenere lumen ſuum, cùm non propter aliud illuminet, niſi ad eum meliùs mundo manifeſtandum: non ſecus ac aliàs illa ſtella, cujus productio fuit miraculoſa, reddit ſe ducem eorum qui illum quærunt, & invitat unumquemque ad conveniendum illum, non oriens niſi ut meliùs ei ſerviat. Sic debemus, Auditores, intueri & conſiderare S. Joannem ut ignem, qui tam defert præſagium noſtræ fælicitatis, quàm fortunæ ſuæ: ideòque naovitas ipſius inducit unumquemque ad gaudium, *Et multi in nativitate ejus gaudebunt.* Et ſicut Sol materialis requirit aliquam ſpeciem reverentiæ & obſequij ab igne & à ſtellis, cùm has & illum diſparere facit coram ſe, & monſtrat quòd lux ſua præeſt omnibus clarionibus, extinguendo alia lumina: ignis qui accenditur coram ipſo, ferè non ſplendet; deliteſcit horâ meridianâ, cùm ſibi tenebras facit ex iiſdem radiis ipſius qui diſſipant noctem; non audet apparere, quia ſervit majori quàm ipſe ſit, qui regnare debet, & qui opprimit ipſum majeſtate ſuâ: diceretis quòd utatur ratione, cùm totus modus procedendi ipſius non tendat niſi ad deferendum Principi & ſummo Domino ſuo: Ha! Auditores, S. Joannes, hæc lux tot radios vibrans in abſentiâ Jeſu Chriſti, non judicat expedire ut affectet ſe manifeſtare coram ſupremo Domino ſuo; latet, eclypſi ſuffunditur, ne aliquid detrahat honori Principis ſui: iſte vir eximius fatetur ſe eſſe ſervum, & non Dominum: *Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus* f. Ipſe recuſat id quod non ipſi debetur, & remittit totam gloriam ad illum qui meretur eam, licèt hæc offeratur ipſi: ipſe recedit, ut locum tribuat Soli, cujus ipſe eſt aurora, non habens lucem niſi à beneficijs ejus: *Illum oportet creſcere, me autem minui* †. Et ſicut hæc nova ſtella miraculoſa, quam cœlum providit aliàs tribus Magis, quæque deduxit eos ab Oriente Jeroſolymas tempore nativitatis Redemptoris mundi, prænunciavit viris illis coronatis, & omnibus alijs juſtitiam & ſanctitatem Regis iſtius recenter nati, qui regnaturus erat in cordibus amore, diſparens Jeroſolymis ubi vitia abundabant, & caſtigans Judæos ſubtractione lucis, quià ipſorum peccata reddebant ipſos indignos: *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſquedum veniens ſtaret ſuprà, ubi erat Puer* g: ſic S. Joannes Baptiſta, lampas iſta micans, eclypſi ſuffunditur in curiâ impij Regis

[z Jo. 1. 8. — a Dion. Carthuſ. art. 4 in Jo. 1. 8. — b Matth. 5. 14. — c Philipp. 2. 15. — d ex Gen. 49. 18. — e Marc. 1. 7. — f Joan. 1. 19. & 20. — † Joan. 3. 30. — g Matth. 2. 9.]

Herodis, deliteſcit, non apparet ampliùs, nullum locum diſpoſitum reperit ad recipiendam puritatem radiorum ipſius in curiâ ſcatente ſordibus: & inſtar illius ſtellæ peracto officio ſuo, ipſe conſentit ut non ſit ampliùs, cùm perfunctus fuerit officio ſibi commiſſo: ipſe moritur ibi, ubi Deus ſuus non erat natus: Herodes extinxit hanc lucernam lucentem, quia non indigebat Sole, quem deſtruere volebat. *Dicebat enim Joannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui* h. *Et Rex miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco, & decollavit eum in carcere* i. Sed quid poſſunt vapores & exhalationes terræ contra Solem? Quòd ſi holocauſtum, quod erat aliàs ſpecies ſacrificij, ubi victima conſumebatur igne, in proteſtationem quòd omne ens pendet à Deo, præfertur alijs oblaoonibus: nunquid non S. Joannes, hæc *lucerna lucens* k, videtur Deum plùs honorare deſtructione ſuâ & morte ſuâ, quàm ſplendore ſuo & vitâ ſuâ? Nam diſſipando ſe, extinguitur, ne videatur tolerare vitium & effrænem libertatem; & poſtquàm demonſtravit Jeſum Chriſtum, prout Salvatorem hominum, dicit ſacrificio ſuo, illum eſſe Deum.

Quantùm devincti ſumus nos, Auditores, huic lucernæ lucenti, quæ lumen ſuum diffundens inter obſcuritatem denſiſſimarum tenebrarum noſtrarum, nos illuminavit cognitione noſtræ fælicitatis, nos edocens hanc ſcientiam quæ operatur ſalutem noſtram: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* l. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum* m. Ignorabamus eum qui venerat in mundum ad medendum malis noſtris: S. Joannes nobis præbuit notitiam Medici noſtri, monſtravit nobis Meſſiam, qui ſanare volebat infirmitates noſtras, *Et ait, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* n. Quanti debemus hunc æſtimare favorem, quàm multùm ſumus huic obſtricti lucernæ. Supponamus enim quòd S. Joannes nondum ſit natus, nec nos illuminaverit notitiâ Meſſiæ, *qui dicitur Chriſtus* o: ubinam quæremus ſalutem noſtram? ſed ubi reperiemus illam? petit S. Bernardus p: *Ponamus tamen nec dum veniſſe Joannem, nec dum ſignificaſſe de Chriſto. Ubi ſalutem quæremus? Peccavi peccatum grande, quod ſanguine vitulorum vel hircorum deleri non poteſt: quia non holocauſtis delectatur Altiſſimus* q. *Memoria mea infecta eſt fæce hujus amurcæ, non eſt novacula quæ membranam hanc radere poſſit: quia tota totam imbibit facem. Si peccati mei oblitus fuero, ſtultus ſum & ingratus. Si in memoriâ meâ permanet, arguet me in æternum. Quid igitur faciam? Ibo ad Joannem, & audiam vocem lætitiæ, miſericordiæ vocem, ſermonem gratiæ, verbum remiſſionis & pacis. Ecce, inquit, Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Ha! qualis ſatisfactio pro peccatis noſtris. Aliàs non erat ſermo niſi de rigore & de punitione; minimæ culpæ puniebantur morte, & ſatis erat ad hoc ut aliquis obrueretur lapidibus, ſi aliqua lignorum fruſta collègiſſet die Sabbathi: [Factum eſt: cùm eſſent filij Iſraël in ſolitudine, & inveniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moyſi & Aaron & univerſæ multitudini. Qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moyſen, Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Cùmque eduxiſſent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus r.] Sæcula illa erant ferrea & ærea, quando

[h ex Levit. 18. 16. — i Marc. 6. 18. &c. — k Jo. 5. 35. — l Jo. 17. 3. — m Luc. 1. 77. — n Joan. 1. 29. — o Joan. 4. 25. — p S. Bern. ſermon. in Nat. S. Jo. Bapt. — q ex Pſ. 50. 18. — r Num. 15. 32. &c.]

juſtitia erat in Regno ſuo, & non faciebat niſi punitiones ſeveras & exemplares : ſed hoc fælici tempore S. Joannes non promittit nobis niſi omne genus manſuetudinis, proſequitur præfatus S. Bernardus, dicens nobis ſingulis, *Audi. Agnus eſt in manſuetudine venit cum lanâ & lacte, ſolo verbo juſtificans impium. Quid enim (juxta Comicum) facilius dictu? Tantùm, inquit, dic verbo, & ſanabitur puer meus* f. Magne Sancte, quantùm tibi ſumus obſtricti : *Lucerna lucens* e, quantas debemus gratias rependere luminibus tuis. Radij tui nos illuminant, ſed ardores tui nos inflammant.

f Matth. 8. 8.
e Joa. 5. 35.

II. Pars.

Eſt enim tantùm lucere vanum, tantùm ardere parùm : ardere & lucere perfectum, ait idem S. Bernardus aliquantò antè. Cùm tota perfectio lucis ſita ſit in hoc ut calefaciat illuminando, & illuminet calefaciendo. Iſti ambitioſi qui requirunt admirationes populorum, qui vivere volunt ſæculis omnibus per famam, hi amatores propriarum laudum ſuarum, qui paſcuntur vento, more chamaleontis, qui, ſicut ait Calepinus u, *Solum animaliũ nec cibo, nec potu alitur, nec alio quàm aeris alimento* : Hæc animalia gloriæ, emittunt aliquem ſplendorem, ſed ſine ardore, cùm totus ipſorum conatus terminetur ad vanitatem : præ ſe ferunt aliquantulam lucem, & præterea nihil. Non ita S. Joannes, de quo Salvator, ſicut proſequitur præfatus S. Bernardus, *Ille erat (inquit) lucerna ardens & lucens. Non ait, lucens & ardens : quia Joannis ex fervore ſplendor, non fervor prodiit ex ſplendore. Sunt enim qui non eò lucent, quia fervent : ſed magis fervent, ut luceant. At iſti planè non fervent charitatis ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis. Vultis noſſe quemadmodum arſit Joannes & luxit? Ego utrumque in eo triplicem poſſe arbitror inveniri, & ardorem ſcilicet & ſplendorem. Ardens enim erat in ſeipſo vehementi auſteritate converſationis : erga Chriſtum intimo quodam & pleno fervore devotionis : erga peccantes proximos conſtantiâ liberæ increpationis* x. *Luxit nihilominùs (ut paucis dixerim) exemplo, digito, verbo : & ſeipſum oſtendens ad imitationem, & luminare majus quod latebat, ad peccatorum remiſſionem, & ipſas quoque tenebras noſtras illuminans, ſicut ſcriptum eſt : Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine : Deus meus illumina tenebras meas* y, *utique ad corruptionem. Conſidera igitur hominem Angelico promiſſum oraculo, conceptum miraculo, ſanctificatum in utero, & novum in novo homine pœnitentiæ mirare fervorem. Victum & veſtitum, ait Apoſtolus* z, *habentes, his contenti ſimus. Apoſtolica perfectio iſta eſt, ſed Joannes etiam hæc contempſit. Denique, Audi Dominum in Evangelio. Venit (inquit) Joannes non manducans, nec bibens* a, *planè nec veſtiens. Sicut enim non eſt locuſta cibus, niſi fortè aliquorum irrationabilium animalium, ſic nec pilus cameli* b *humanum eſt indumentum. Quid tu pilos tuos camele depoſuiſti? utinam gibbum magis depoſuiſſes*. S. Joannes illuminat mentes doctrinâ ſuâ, & calefacit exemplis ſuis & ſanctitate vitæ ſuæ, voluntates; cauſat incendia amoris, accendit cœli flammis pectora quæ ſuſcipiunt ipſius radios, & unumquemque trahit ad Deum. *Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi* c. Ipſius exemplum ſerviebat loco novæ legis, nec aliquid amplius requirebatur quàm illum imitari, ad hoc ut aliquis perveniret ad ſupremæ perfectionis terminum : *Ardebat enim ſibi, nobis autem lucebat*, proſequitur idem S. Bernardus, loquens de hoc Athletâ, quem nobis proponit in ſtadio & palæſtrâ virtutis ut Magiſtrum ſanctitatis. Quàm mirabile erat viſu in corpore humano ſic ingentem pœnitentiam! Ipſe vitam ducebat Angelicam in carne mortali, oſtendens quòd non habebat aliquid commune cum terrâ, ſed quòd fruebatur hâc primâ nobilitate, quâ Adam fuerat honoratus, cùm ipſum *creavit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* d, priuſquàm ſolicitus eſſet de procurando ſibi victu, æquè ac veſtitu e. Non vivebat ipſe, more conchæ unionum matris, niſi rore cœli : ſanctitas ipſius ſic erat ingens, & perfectio ipſius ſic excellens & conſummata, ut nullus eſſet ſanctus, cujus vita non appareret culpabilis, ipſius vitæ comparata : quis enim auſus eſſet exiſtimare ſe juſtum, comparans ſe S. Joanni? Nullus unquam fuit ita ſanctus ac S. Joannes; & nullus unquam ſeveriorem peregit pœnitentiam in ſanctitate ſuâ, quàm peregerit S. Joannes in excellentiâ ſuæ ſanctitatis. Ipſe ſanctificatus fuit in utero matris ſuæ, ſicut patri ipſius ait Angelus, *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Nullum commiſit unquam peccatum actuale : & ingreſſus eſt deſertum ut ageret ibi pœnitentiam natus unum annum & dimidium ætatis ſuæ, juxta Nicephorum f, quaſi fuiſſet ipſe crimnoſus. Ha! quid magis ſtupendum? Iſtud eſt quod ei canit Eccleſia, ut pudore nos operiat & confuſione, & ſimul nos ad imitandum illum animet intuitu ſeveræ pœnitentiæ ab eo exercitæ :

x ex Mar. 6. 18 & ex Luc. 3. 7. &c.
y Pſal. 17. 29.
z ex 1. Tim. 6. 8.
a ex Matt. 11. 18.
b ex Mar. 1. 4.
c Marc. 1. 5.
d Gen. 1. 27.
e Gen. 3. 7. &c.
f Niceph. lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 14.

Antra deſerti teneris ſub annis,
Civium turmas fugiens petiſti,
Ne levi ſaltem maculare poſſes
Famine vitam.
Præbuit hirtum tegumen camelus
Artubus ſacris, ſtrophium bidentes;
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.

Quid agimus, Auditores? Ha! quid non agere deberemus? S. Joannes agit pœnitentiam, quamvis ſit innocens; nos verò quærimus voluptates & delicias noſtras in criminibus noſtris, & in effrænem libertate vitæ noſtræ diſſolutæ : S. Joannes ingreditur ſolitudines, exercet omne genus rigoris adverſùm ſe à tenellâ ætate ſuâ; nos autem tranſigimus & decem, & viginti, & triginta, & quadraginta, & quinquaginta annos, nedum vacemus ullis bonis operibus, qualia ſunt, orare, jejunare, mortificare corpus, more S. Joannis Baptiſtæ, contentâ voce contra vitium inclamare, ardere zelo ad extirpandum peccatum, ad lucrandas animas cœlo, ad parandam *viam Domini* g, & ad diſponenda corda ad illum ſuſcipiendum : fugimus pœnitentiam ut voluptatibus noſtris inimicã, & utimur lucernâ, ut deducamus alios in præcipitia. Circa quid tranſigimus vitæ noſtræ decurſum? ad quid adhibemus totum tempus noſtrum? Ad comedendum, ad bibendum, ad indulgendum exceſſibus, voluptati, & ventri, ut improperare videtur nobis S. Bernardus præfatus aliquantò antè, dicens, [Quid vos irrationabiles fetæ reptilia deſerti, cibos exquiritis delicatos? Joannes ſanctus homo miſſus à Deo h, imò Angelus Dei, ſicut ait Pater, Ecce mitto Angelum meum ante te i. Hic ergo Joannes, quo nullus major in natis mulierum k, innocentiſſimum illud corpus ſic caſtigat, ſic extenuat, ſic affligit : vos indui feſtinatis byſſo & purpurâ, & ſplendidè epulari l. Heu! hic eſt præſentis totus honor diei, hæc Baptiſtæ reverentia tota : hæc nativitatis hujus prophetata quondam lætitia. Cujus enim memoriam agitis, ô nominis delicati cultores! cujus celebratis natalem? Nonne illius qui in eremo fuit hirſutus veſte, confectus inediâ? Quid exiſtis

g Luc. 3. 4. & ex Iſaia 40. 3.
h ex Jo. 1. 6.
i ex Luc. 7. 27. & ex Malach. 3. 1.
k ex Mat. 11. 11.
l ex Luc. 16. 19.

in deſertum videre filij Babylonis ? arundinem vento agitatam ? Quid igitur ? Hominem mollibus veſtitum *m*? [m ex Luc. 7. 24. &c.] Nutritum mollibus ? In his nempe tota verſatur hæc veſtra celebritas : in popularis favoris aurâ ſectandâ, in gloriâ veſtium, & voluptate ciborum. Sed quid hæc ad Joannem ? Neque enim Joannes fecit ſic, aut talibus unquam potuit delectari.] Heu! erubeſcamus igitur, Auditores , videntes quòd vita noſtra nullam habet convenientiam cum vitâ illius , cujus memoriam celebramus : pudore ſuffundamur , eò quòd non imitemur glorioſas actiones S. Joannis, cujus honoramus feſtivitatem, & merita : *Ille erat lucerna ardens & lucens* n. [n Jo. 5. 35.] Extra me rapior, & infirmitas mea ſuſtinere non poteſt ſplendores ſic emicantes, nec ardores illius immodicos. Dicite de S. Joanne quidquid volueritis : *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptiſta nemo eſt* o. [o Luc. 7. 28.] Et, ut ait S. Maximus p, [p S. Maxim. hô. 49. quæ eſt 2. de S. Euſeb. Vercel.] *Ad Sancti, cujus hodie feſta celebramus, laudes addidiſſe aliquid, decerpſiſſe eſt : ſiquidem virtutum ejus gratia non ſermonibus exponenda eſt, ſed operibus comprobanda.*

Magne Sancte parce, ſi placet, infirmitati meæ: feci quidem ad quod fuit in me, ſed non illud quod erat debiti officij mei : neceſſarius erat Jeſus Chriſtus ad debitè concinnandam virtutum tuarum panegyrim : os meum nimis eſt profanum ad loquendum de magnitudinibus tuis : requirebatur Angelus cœli , qui loqueretur de Angelo terræ : eloquentia humana nimis eſt debilis , & colores ipſius non ſunt ſatis vivi & ſubtiles ad magnificendas virtutes tuas : majorem gloriam poſſides, quàm tribuere tibi poſſit aliquis. Ipſe peregiſti munus lucernæ , officium glorioſum Deo, honorabile tibi, & proficuum nobis : pro eo tibi ſumus devincti, proſtrati ad pedes tuos : ipſe es omnipotens in cœlo, ſicut fuiſti mirabilis in terrâ : tuos favores imploramus ; tua fac experiri nos auxilia : & cùm dies iſta ſit dies gaudij & lætitiæ, effice ut ſentiamus in nobis hanc exultationem interiorem , iſtam pacem ſic concupitam, & cujus fruitio nobis ſic eſt neceſſaria, *Fiat pax in virtute tuâ* q. [q Pſal. 121. 7.] Et cùm ſic rudem pœnitentiam exercueris , ſatage ut incumbamus eidem virtuti , ad hoc ut noſtrorum mereri poſſimus indulgentiam criminum. Ipſe fuiſti *lucerna ardens & lucens.* Accende nos igne ſacræ dilectionis, æquè ac nos illumina inter tenebras hujus vitæ , ad hoc ut inſumamus reſiduum vitæ noſtræ ad exercitium virtutis , ut poſtquàm ſecuti fuerimus veſtigia tua , quæ ſunt prototypon verarum virtutum, in hoc mundo, ſociari tibi poſſimus in gloriâ, quam poſſides in altero.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Hic peccatores recipit , & manducat cum illis. Luc. 15 2 &c.

HOmo, quem natura naſci fecit liberum , & præditum abſoluto dominio ſupra ſuas actiones univerſas , quod eſt maxima prærogativa, quam ſuſcepit è bonitate ſupremi ſui Opificis, qui ipſi tribuit eſſe, motum, & vitam : *In ipſo enim vivimus, & movemur , & ſumus* a: [a Actor. 17. 28.] ſuſtinere non poteſt ſe excipi præ violentiâ & coactione : ab ipſo ſemper magis exigitur præ amore quàm præ vi ; & quantalibet adiit neceſſitas ad quam intueatur ſe redactum non valendi denegare exhibitionem obſequiorum ſuorum , & obedientiarum ſuarum, ſua tamen nō reddit ſervitia , nec retribuit id quod ab ipſo prætenditur ſubmiſſionum : niſi mediâ ſuavitate ; & non eſt aliquid in mundo quod ipſe non inſumat in quibuslibet occurſibus obvijs ad excutiendum onus intolerabile tyrannidis , cui ſe ſubjectum putat. Deus, cujus juſtitia facit eſſentiam ſuam ut unum ex adorabiliſſimis attributis ſuis , *Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit; æquitatem vidit vultus ejus* b, [b Pſal. 10. 7.] exceperat homines primorum ſæculorum, qui erant impij & abominabiles , præ ſeveritate incomparabili à cunis mundi naſcentis uſque ad adventum Filij ſui, [ubi venit plenitudo temporis *c*, [c Galat. 4. 4.] & Verbum caro factum eſt , & habitavit in nobis *d*. [d Joan. 1. 14.] Corrupta eſt autem terra coram Deo , & repleta eſt iniquitate : cùmque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram *e*) [e Gen. 6. 11. & 12.] factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram , conſumptaque eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram , univerſi homines , & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terrâ , mortua ſunt *f*.] [f Gen. 7. 17. &c.] Poſtquàm increvit Sodomitarum [clamor coram Domino , Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo : & ſubvertit civitates has , & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium *g*.] [g Gen. 19. 24. &c.] Cùm [Dathan & Abiron Principes populi , ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adverſus Dominum rebellaverunt : aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis , quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte, filij illius non perirent *h*.] [h Num. 26. 9. &c.] Sed ſemper exercita fuit à Deo hæc juſtitia ſine fructu, & abſque aliquo ſucceſſu favorabili : Homines enim illorum ſæculorum in pejus abibant inter remedia quæ debebant eſſe ſummi apparatus, qui darent ipſis animæ ſanitatem , cùm exciperentur manibus illuſtribus Dei : & ipſorum voluntas magis ac magis irritabatur inter ſupplicia, quibus ipſos jure merito plectebat Juſtitia Divina : Propterea Deus qui æquè bonus eſt , ac juſtus , *Miſericors Dominus , & juſtus , & Deus noſter miſeretur* i, [i Pſal. 114. 5.] ſtatuit uti ſuavitate & mitate , *Quoniam ſuavis & mitis , & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* k [k Pſ. 85. 5.] ſe eſt , & attrahere ad ſe per amorem eos , quos juſtitia flectere non poterat, & eos redigere ad obſequij juſti terminos ; & hoc eſt quod ipſemet ait , *In charitate perpetuâ dilexi te , ideò attraxi te , miſerans* l. [l Jer. 31. 3.] Cœpit igitur induere cor Patris erga homines , qui ſic amoroſarum impreſſionum ipſius capaciores efficerentur , quàm omnium rigorum ſeveræ juſtitiæ ipſius. Sub hoc apparatu

ratu manſuetudinis & miſericordiæ nobis repræſentantur *appropinquantes ei publicani & peccatores* in Evangelio hodierno, quod ipſum nobis ſ'anùs oſtendit per *parabolam iſtam, dicens, Quis ex vobis homo qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Hoc fecit unigenitus Filius Dei*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m, *dimiſit cives cœleſtes, putà, Angelicos ſpiritus, in cœlo quod homo deſeruit peccando* n, *reliquit: & non Angelum, non legatum miſit, ſed in propriâ venit perſonâ, aſſumptâ in unitate perſonæ naturâ humanâ, quæſivitque genus humanum, pro illius converſione, reductione, ſalvatione, orando* o, *prædicando* p, *miracula faciendo* q, *moriendo* r, *Spiritum ſanctum mittendo* ſ, *ſeu infundendo* t, *Apoſtolos* u, *cæteroſque diſcipulos deſtinando* x: *ideò ait Apoſtolus* y, *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* Id eſt, beneficio gratiæ ſuæ, cujus plenitudinem jam habebat in ſe Mater ipſius, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* z *Maria.*

m Dion. Carthuſ. art. 38 in Luc. 15. 4.
n ex Gen. 3. 6.
o ex Luc. 6. 12.
p ex Jo. 7. 14.
q ex Matth. c. 8. & ſeqq.
r ex Jo. 19. 30.
ſ ex Act. 2. 4. &c.
t ex Jo. 20. 22.
u ex Luc. 6. 13. &c.
x ex Luc. 10. 1.
y ex 1. Tim. 1. 15.
z Luc. 1. 28.

Aurum eſt Princeps omnium metallorum, & amor eſt omnium affectuum nobiliſſimus: nullus eſt ex ipſis qui non teneatur amori locum cedere, & quantùm ad meritum, & quantum ad durationem: cunctæ paſſiones aliæ citò tranſeunt, ipſæ diu non ſubſiſtunt; ſed amor tandiu durat, quandiu ſubjectum ipſius ſubſiſtit: amor non permanet niſi ferè unico momento, & citò mandatur oblivioni id quod commotionem cauſaverat: ſpes terminatur eodem tempore quo id, quod fuerat objectum deſideriorum noſtrorum, adeſt: deſperatio ſe deſtruit ſemetipsâ, quia ipſa ſemetipſam ſuſtinere non poteſt, & ſic de reliquis affectionibus animæ: ſed amor ſemper ſubſiſtit, imò verò internoſcit omnia infortunia ſua, & infauſtos eventus ſuos; ſed inter univerſos amores nullus eſt fortior aut diuturnior amore patris: ſubſiſtit enim cùm omnes alij pereunt. Amores fortiſſimi & ſanctiſſimi fundantur ordinariè ſuper commodum, ſuper virtutem, & ſuper ſanguinem: triplex iſta manus ipſos ſuſtinet, in tribus iſtis volvuntur ipſi cardinibus: ſed quantuſlibet inveniatur ardor in amoribus iſtis, pereunt tamen ipſi citò, & abeunt in fumum, ac evaneſcunt. Amor enim qui fundatur ſuper commodum, tandiu durat quandiu fortuna illius quem amamus, ſubſiſtit; ipſe eſt fons, ad quem acceditur ad hauriendam aquam, & qui contemnitur ſtatim ac non ampliùs fluit, juxta iſtud effatum Poëticum,

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Amor qui fundatur ſuper virtutem, non habet majorem ſoliditatem: ſicut enim virtus quam poſſidemus ſuper terrâ, eſt inſtabilis & inconſtans, & ſæpè tranſit intra momentum; itaeòam amor qui innitebatur hanc virtutem, pariter eclypſim confeſtim ac perit ipſius fundamentum. Amor qui fundatur ſuper ſanguinem & propinquitatem, ut inter fratrem & ſororem, patrem & filium, ſponſum & ſponſam, licèt videatur meliùs fultus quàm ſtabilin videantur duo priores, non eſt tamen illis ſolidior: terminatur enim ſtatim ac propinqui noſtri mortem oppetunt; & ordinariè videmus fratres in mutuas altercationes abire intuitu vel minimi commodi. Ingratitudo filiis eſt ordinaria reſpectu parentum ſuorum: ſicut enim amor parentum eſt fons qui fluit ſemper deorſum, & nunquam aſcendit; ſic etiam deſtituitur ob difficultatem reditus, ſeu mutuæ compenſationis.

Amor caſtus & innocens in legitimo Matrimonio, licèt multò majorem polliceatur ſtabilitatem, fultus fidelitate reciprocâ partium, tamen eandem præ ſe fert fragilitatem quam habet vitrum, æquè ac eundem ſplendorem; ſufficit vel infidelitas unius è partibus ad ipſum deſtruendum, minima vel ſuſpicio ad invehendam deordinationem in ſtatum qui pollicebatur delicias paradiſi. Solus amor Patris ſemper durat, & quantuſlibet obſervetur rigor in Patre adversùs filium ſuum, ſi poſſet ipſi cor aperiri, deprehenderetur quòd rigoris hujuſmodi principium eſſet amor, & deſiderium quo iſte pater ducitur, ut filius ſuus ſit ſapiens, *Ego perdidi quod erat filij: ille quod Patris eſt, non amiſit*, ajebat filius prodigus apud S. Chryſologum a. Qui S. Anoſtes Ravennas b dicit, quòd mirandum non eſt ſi pater iſte ſuſcepit ſic miſericorditer filium, qui non afferebat ad ipſum niſi crimina & miſerias, quia amor cauſam dicebat in corde ipſius pro illo. In aliis diviſionibus requiruntur mediatores, ſed inter patris & filii, paternus amor ſufficit ad pangendam reconciliationem: amor iſte paternus perſuaſit patri prodigi, quòd filius iſte non eſſet plectendus niſi oſculis, ligandus niſi amplexibus; & includendus eſſet non in carcere, ſed in corde æſtuanti amore: *Sic pater judicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella. Delicta non videt vis amoris, & ideò pater peccata filij redemit oſculo, clauſit amplexu.* Et paulò pòſt, *Cùm filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis.* Iſte eſt, Auditores, amor Dei ut Patris amantiſſimi, qui in hoc eſt ſitus, ut procuret ſalutem filiorum ſuorum, quem inſpirat omnibus cauſis erga effectus ſuos, & quem patres terreni debent habere erga liberos ſuos, ſicut intendo monſtrare vobis in progreſſu diſcurſus iſtius.

a S. Chryſol. ſerm. 2.
Idem ... 3. ex Luc. 15. 20.
Propoſitio.

Qualitatem patrum Philoſophia redigit ad tria officia, quæ tenentur ipſi exercere erga liberos ſuos. Primum officium, eſt eſſe. Secundùm, eſt benè eſſe. Tertium verò, eſt ſtipendium utriuſque. Patres debent liberis ſuis eſſe per generationem ordinariam: benè eſſe per educationem, ſeu inſtitutionem: & ſtipendium amborum, relinquendo eis divitias & commoda temporalia, quæ humanam fovent ordinariè vitam: *Parens tria debet beneficia filio, cauſam eſſendi generando, cauſam diſciplinæ informando, & cauſam nutriendi educando.* Ut aliquam veritatis iſtius graviſſimi momenti concipiatis ideam, elevandæ ſunt mentes veſtræ uſque ad Deum Patrem: nam ſecundùm maximam in Scholis ordinariè agitatam, *Primum in unoquoque genere, eſt regula & menſura cæterorum.* Atqui Pater æternus eſt perfectum prototypon, ad quod Chriſtiani ſuam debent exigere directionem, juxta conſilium quod tribuit ipſis ſalvator, [Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt c perfectione ſimpliciter dictâ, & extra omne genus, ita quòd nulla ei deeſt nobilitas, ſed omne quod abſolutè loquendo melius eſt ineſſe quàm deeſſe, convenit Deo cum plenitudine infinitâ,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus d. Et ſtatim concludit, [Huic ergo perfectioni aſſimilari non poſſumus ſimilitudine æqualitatis, ſed imitationis. Scriptum eſt enim, Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei, & cui aſſimilaſtis me, dicit Sanctus e? De hâc perfectione Deiformi, quâ Deo aſſimilari præcipimur, ait Moyſes f, Perfectus eris, & abſque maculâ cum Domino Deo tuo. O verè quanta eſt bonitas atque dignatio Dei, & quanta eſt dignitas rationalis creaturæ, eò quod Deus immenſus g, in cujus comparatione

c Matth. 5. 48.
d Dion. Carthuſ. art. ... in Matth. 5. 48.
e Iſai. 40. 18. & 25.
f Deut. 18. 13.
g ex Baruch. 3. 25.

b ex Iſai. 40.15.
i ex Gen. 17.1.

totus mundus eſt velut pulvis exiguus *b*, vult ſibi aſſimilari, ſimilemque vocari creaturam ſuam rationalem *i*. Ad hanc quippe perfectionem, etiam in veſteri Teſtamento divinitùs invitamur, juxta illud, Nolite contaminare animas veſtras: ego enim ſum Dominus Deus veſter. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum *k*.] Atqui iſte Pater nonſolùm manifeſtat amorem ſuum erga juſtos & fideles filios qui ſe continent intra terminos modeſtiæ, & obſequij debiti, ſed etiam erga rebelles & inobedientes, ut innuunt verba ejuſdem filij Dei de Patre ſuo paulò antè ſic loquentis, [Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos *l*. Invitat ergo nos Chriſtus exemplo Dei, qui naturalia beneficia nemini ſubtrahit, ut ſimus filij ejus, id eſt, ut ei aſſimilemur, conformando nos ejus bonitati ac pietati. Ratio enim filiationis in quâdam aſſimilatione conſiſtit: propter quod dicit Apoſtolus *m*, Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi,] ſubdit idem Carthuſianus *n*.

k ex Levit. 11. 43. & 44.
l Matth. 5.45.
m Epheſ. 5.1.
n Dion. Carthuſ. art. 12. in Matth. 5.45.

Exemplum iſtius noſtrum nobis perhibet Evangelium per præfatam *parabolam iſtam, dicens, Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?* Dei Filius figuratus per hunc hominem, ductus amore inquirit ovem perditam, quæ eſt peccator: ſicut enim ovis quæ recedit ab ovili, niſi quæratur, non poteſt ad illud redire ex ſemetipsâ; ſed pergens ſemper ulteriùs in ſylvam, jacturam ſuam incurrit: ſic peccator, filius iſte rebellis qui receſſit à Deo ſuo, elongando ſe ab obſequio quod debebat ei exhibere, redire non poteſt in viam ſalutis, niſi Deus præ effectu amoris ſui, ejuſdem ſalutis capeſſendam oſtendat ipſi viam, ipſum quærendo. Simile exemplum habemus in hoc eodem capite S. Lucæ *o* in ſequelâ Evangelij noſtri, in perſonâ filij prodigi, qui licèt crimino ſus, etiamſi diſſipaſſet totam hæreditatem ſuam, miſericordiæ tamen ſuſceptus eſt à Patre ſuo, qui non expectavit ut veniret ad ſe, ſed ſtatim ac ipſum eſt intuitus à procul, cucurrit obviàm ei ad illum oſculandum & amplectendum: *Homo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis Patri, Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtantiam. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè. Et poſtquàm omnia conſummaſſet, in ſe reverſus, dixit, Surgam, & ibo ad Patrem meum. Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.* Aliud exemplum præ noſtræ mentis oculis ponit idem S. Lucas *p* in capite ſequenti in perſonâ divitis epulonis, qui etiamſi nunquam Deum conſideraſſet in vitâ ſuâ ſicut Patrem ſuum, ſuppliciis tamen æternis cruciatus invocavit illum ſub nomine Patris: unde Deus ſic fuit aliquo modo affectus hoc nomine Patris, ut reſponderit ipſi, vocando eum filium, *Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus: cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ divitis, & nemo illi dabat. Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus: & ipſe clamans dixit, Pater Abraham miſerere mei. Et dixit illi Abraham, Fili, recordare, &c.* Quaſi diceret ei, Inconcinnè me Patrem vocas: non eſt modò tempus invocandi auxilij mei. *Fili, recordare*, me feciſſe pro te id quod debebam, & ex me nihil defuiſſe unde ſatagerem ſalutem tuam promovendam, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas q*? Illis mediis ſaluti tuæ peragendæ opportunis uti noluiſti, & ideò procuraſti tibimetipſi damnationem tuam æternam, *Perditio tua, Iſraël: tantummodò in me auxilium tuum r*. Recenſetur enim, Auditores, flagitioſus iſte vir fuiſſe Judæus: nam, ut ait Dionyſius Carthuſianus *ſ*, *Non dicitur hic, quod ſit parabola: ideò communiter dicunt Expoſitores, quòd ſit res geſta, putantque aliqui, quòd homo iſte fuit Nabal, de quo in libris Regum t habetur.* S. Chryſologus *u* ſuper hoc reſponſum Dei dicit, *O mira pietas! ô ſingularis bonitas! Adhuc vocat filium, quem videt extremum mancipium jam gehennæ. Tu vocas Patrem, ego voco filium, ut intelligas judicij eſſe, quod pateris, non furoris.* Videte num Deus non ſit amabilis, cùm vocet damnatum filium ſuum, eò quòd iſte vocaverit ipſum Patrem ſuum. Etenim, Auditores: damnati ſunt filij Dei, nunquam amittunt notam filiorum Dei quam ſuſceperunt in Baptiſmo, in quo renati ſunt *ex aquâ & Spiritu ſancto x*. Sed retinent in æternum charactêrem per *verbum veritatis (Evangelium ſalutis) in quo & credentes ſignati* ſunt eodem *Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ y*. Et Deus nunquam perdit amôrem Patris: ſemper enim procurat ſalutem noſtram, offerendo nobis gratias ſuas (quibus perſæpè tamen abutimur ad condemnationem noſtram) ſicut ipſemet ait, [Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum *z*.] Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum *a*, [Ecce ſto ad oſtium, id eſt, oſtio cordis, ſcilicet libero arbitrio, ſeu voluntati, aſſiſto ſeu præſens ſum, qui omnia impleo *b*, & nullibi deſum: & pulſo per ſacram Scripturam hortando, per Vicarios meos loquendo, per Angelicam inſpirationem, per motionem internam quâ moveo mentem ad ſupernaturale bonum, per beneficiorum collationem, per adverſitatum exercitationem. His ſiquidem modis Deus omnipotens cordis noſtri pulſat quotidie januam. Unde & loquitur Sponſæ, ſeu animæ amoroſæ, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea *c*. Hinc de increatâ Sapientiâ legitur, Sapientia præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat: qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet *d*. Itaque Chriſtus pulſat, ſicut ſcriptum eſt, Vox dilecti mei pulſantis *e*. Præterea, Continendum, quòd gratia interdum accipitur pro habitu eſſentiam rationalis creaturæ Deo gratam faciente, interdum pro Divinâ motione, quâ Deus animam movet ad ſupernaturale bonum: quemadmodum motione naturali ac generali movet omnia ad ſibi connaturalia. Propter quod dicitur, Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter *f*. Hic autem Divinus inſtinctus ſive influxus, vel motio hæc communiter fit cunctis hominibus quandiu in vitâ præſenti ſubſiſtunt. Quem quidem influxum quidam ſequuntur per liberi conatum vel cooperationem arbitrij ad ſupernaturale bonum ſe diſponentes. Alij non ſequuntur, propter quod merentur ſibi ipſis relinqui, ſicque ex ſuâ defectibilitate de pecca-

o Luc. 15. 11. &c.
p Luc. 16. 19. &c.
q Iſai. 5.4.
r Oſee 13.9.
ſ Dion. Carthuſ. art. 39. in Luc. 16. 19.
t 1. Reg. 25. 3. &c.
u S. Chryſol. ſerm. 103.
x Joan. 3.5.
y Epheſ. 1.13. & 14.
z Apoc. 3.20.
a Dion. Carthuſ. art. 4. in Apoc. 3. 20.
b ex Jer. 23.24.
c Cant. 5.2.
d ex Sap. 6.14. & 15.
e Cant. 5.2.
f Sap. 8.1.

cato in peccatum labuntur. Si quis audierit vocem meam, id eſt, inſpirationi Divinæ, ſive Angelicæ, vel verbis ſacræ Scripturæ conſenſerit atque paruerit: & aperuerit mihi januam cordis ſui, id eſt, mentem cum affectu ſpiritaliter dilataverit ſeu patefecerit ad me ſuſcipiendum, ſecundùm illud
g Amos 4.12. Prophetæ, Præparare in occurſum Dei tui g; intrabo ad illum, dona gratiæ infundendo, infuſa augendo, miſericorditer conſolando, varios effectus in ſecretis animæ producendo*: & cœnabo cum illo, id eſt, ejus ſaluti atque profectui congratulabor, ſicut ſcriptum eſt, Beneplacitum eſt Domino
h Pſal. 149. 4. in populo ſuo h. Et iterùm, Gaudium Domini eſt
i 2. Eſdr. 8.10. fortitudo veſtra i. Et ipſe mecum, delectando in me per conſcientiæ puritatem, & de cœleſtis gloriæ promiſſo lætando per ſpem. Et in iſto ineffabiliter commendatur nobis clementia, charitas, atque dignatio Dei noſtri ad nos tantillos vermiculos. Hinc etenim conteſtatur, dicens, Deliciæ
k Prov. 8.31. meæ, eſſe cum filiis hominum k. Et iterùm, Læ-
l ex Jer. 32.41. tabor ſuper eis, cùm benefecero eis l.]

Deus non obſervat modum procedendi multorum patrum mundi, qui pejores tigridibus, Pantheris, & aliis beſtiis crudelibus, deſerunt filios ſuos, nedum ullam ſuſcipiant eorum curam, contenti eo ſolo quòd dederint illis vitam, quam deinceps non ſatagunt illis conſervare, ſimiles in hoc ſtruthionibus derelinquentibus ova ſua ſuper terrâ, & parvipendentibus quòd conculcentur à prætereuntibus. Quod infortunium deplorat Je-
m Thren. 4. 3. remias m, *Filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio in*
n Job 39. 17. &c. *deſerto.* Quippe, ut ait Job n, loquens de hac ave immiti, *Quando derelinquit ova ſua in terrâ, obliviſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui.* Videbitis hominem qui habet in familiâ ſuâ tres aut quatuor liberos alendos cum uxore ſuâ: lucratus iſte fuerit aliquid intra hebdomadam labore ſuo, aut induſtriâ ſuâ; & illud totum diſſipat Dominicâ die ſequenti in cauponâ, quandiu familia ipſius deſolata panem petit, & nemo eſt qui ipſis porrigat, quod
o Thren. 4.4. & lamentatur idem Jeremias o, *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Ecce Dominus talis, qui multas congregat divitias; ſed ſicut fortunatius eſt & fœlix, ita & facilè eas amittit, & illis deſtituitur: ipſe ludit, diſſolutionibus indulget, abit in exceſſus, & in impenſas extraordinarias, quæ deſolant domum, & deſtruunt familiam. Sed quid dicemus de iſto patre prodigo, qui, ut dicitur, omnia projicit per feneſtras, cùm deberet incumbere labori, ut commoda relinqueret liberis ſuis ad vivendum ſecundùm ſtatum ſuum? Sanè quòd redigit illos ad mendicitatem defectu œconomiæ, & mortem cauſat iis, quibus vitam tribuerat.

Omnis inordinatio familiarum non ſolùm procedit à viris, ſed etiam à mulieribus: intuebimini mulierem vanam, quæ ut ſatisfaciat ambitioni ſuæ, quæ in exceſſum abit uſque, defert veſtimenta, quorum valor excedit captum conditionis & redditum ipſius: ipſa feret ſuper ſe intra diem unum id omne quod vir ſuus fuerit lucratus intra unum annum cum multo labore: ipſa fame perimit liberos ſuos; & ſicut ipſa excedit quantùm ad veſtes, & ornamenta, hoc fieri non poteſt aliter quàm ut menſæ ſuæ cibaria reſecet ordinaria, & conſueta fercula ſubtrahat: liberi qui callent conditiones ſuas, qui apprimè noverunt, quòd progenies ſua non ſit depreſſa, quique labori non ſunt aſſueti, non habentes unde neceſſaria vitæ ſuſtentandæ provideant, furantur, perimunt, violant, innumera patrant crimina, quæ conſequenter facient ipſos cadere in manus Præfectorum juſtitiæ, qui ipſos damnabunt ad oppetendam probroſè mortem manu carnificis violentâ cum proſapiæ totius ignominiâ ac dedecore indelebili. Et ecce, mulieres, fructus vanitatum veſtrarum, qui erit cauſa jacturæ illorum propter diſſolutiones veſtras. Scitiſne id quod accidet vobis? Continget quòd numeroſam familiam ſuſcipietis, & non habentes unde neceſſaria provideatis omnibus liberis veſtris, inducetis aliquem è pueris veſtris ad ſerviendum in Eccleſiâ Cathedrali, aut Collegiatâ Canonicorum, ut ſerviant commodis veſtris: ſi hic adoleſcens habet aliquem defectum, ſatagetis ut acquirat aliquod beneficium, & fortè illud ei numeratâ pecuniâ comparabitis, undeſuper vos iram Domini invehetis: ſi multæ ſunt vobis filiæ, & deſunt vobis unde eas collocetis in Matrimonio conformiter ad ipſarum ſtatum, aut juxta ambitionem veſtram, invitas cogetis eas ingredi Monaſterium. Sed ipſæ non ſunt à Deo vocatæ ad profeſſionem Monaſticam: Nihil intereſt: hunc illarum receptum in Religionem requirit ſtatus familiæ. Scitote autem quòd iſtæ puellæ, quas feciſtis captivas in hoc Monaſterio contra ipſarum voluntatem, tandem jacturam ſuam molientur: non enim profitebuntur niſi præ vi, & forſan præ minis: ipſæ vobis maledicent jugiter, & ſuper vos maledictionem Dei attrahent. Vultis ut unica filia maneat in mundo, ut veſtris ambitionibus faciat ſatis, putatis quòd reddetis eam contentam: & ſæpè ſæpiùs ipſa fit infælicitatis victima, quæ eſt ad innumeras anguſtias deſtinata. Deſideratis ut filii veſtri ſolamen aliquod afferant domibus veſtris, cùm judicatis eos inſtructos qualitatibus vitæ in ſæculo peragendæ conſonis. Eſto, dummodò id non fiat contra voluntatem Dei.

Obſervate, ſi placet, Auditores, quomodo omnes effectus currunt & convertuntur ad cauſas ſuas, ut inde trahant auxilium quod ſibi eſt neceſſarium, & quo ipſis deficiente, ipſi ſimiliter deficerent: ſic quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd plantæ ſe convertunt ad Solem qui eſt communis totius naturæ Pater, cujus influentia continua, eſt ipſis vita non intermiſſa: Sic agnellus, qui prodit in lucem, vix è materno exivit utero, cùm ſtatim ſuaviter illabitur in ſinum ejuſdem matris ſuæ, unde vitam ſuſcepit, & unde denuò capeſſat id, quod ſemel inde ſumpſit, quia, ut ait Philoſophia, *Conſervatio eſt continuata productio.* Innocens hoc animal adhæret uberi matris ſuæ, quaſi diceret, Hinc eduxi vitam meam, & hinc eruere debeo omne id quod requiritur ad eam fovendam, & quod mihi deeſt. Idem autem motus qui inſtinctu naturæ ciet hæc animalcula ad quærendas matres ſuas, è quibus eduxerunt vitam; inducit & has matres ad ſe dandas ipſis liberaliùs, communicando eis partem ſuîipſarum, ad conſervandam illis eam, quam dederunt ipſis, vitam. Amiſiſtis igitur rationem, cùm non habeatis affectus quos natura imprimit animalibus, quæ non agunt niſi inſtinctu; minus habetis amoris quàm beſtiæ deſtitutæ cognitione: cogitate igitur de magnâ injuſtitiâ quam patratis, & de crimine quod incurritis; & intra vos ſic ratiocinamini ſingillatim, Liberi tui, ſunt partes tuîipſius: non amatis ergo vos ampliùs, niſi ametis eos: ſi autem hoc nunquam accidit vobis ut obliviſcamini veſtri, quomodo fieri poterit ut deſeratis hos liberos qui ſunt partes charæ ſubſtantiæ veſtræ? Quare non ſequemur ſapientem diſpoſitionem Patris

æterni, quæ debet eſſe regula & menſura omnium
actionum veſtrarum? cùm enim ipſe ſit *Pater no-*
p Matth. 6.9. *ſter* p, non ſolùm nobis tribuit eſſe, ſed ulteriùs
progreditur, & nobis providet omnia neceſſaria
ad conſervationem iſtius eſſe: *Conſiderate corvos,*
quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cella-
rium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Quantò ma-
q Luc. 12. 24. *gis vos pluris eſtis illis* q?
Sed dicet mihi aliquis, Si *Deus Pater omnium* r
r Epheſ. 4. 6. eſt, diligit omnes, cùm dicat ei Salomon ſ *Diligis*
ſ Sap. 11. 25. *omnia quæ ſunt.* Si diligit omnes, debet velle bo-
num omnibus, debet benefacere omnibus, debet
procurare bonum omnibus: amare enim & velle
bonum; aut benefacere, aut procurare bonum
perſonæ amatæ, & illum amare, idem eſt, *Amare*
eſt velle bonum. Quòd ſi Deus diligit omnes, ſi
vult bonum omnibus, benefacere debet omni-
bus, & procurare ſalutem omnibus. Et quis am-
bigit de iſtâ veritate? Ipſa Sole clarior eſt, quòd
t 1. Tim. 2. 4. Deus *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem*
veritatis venire t. Ipſe eſt *Lux vera quæ illuminat o-*
u Joan. 1. 9. *mnem hominem venientem in hunc mundum* u. O-
mnes mentes ſuis luminibus illuſtrat iſte *Sol juſti-*
x Malach. 4. 2. *tiæ* x, & per ipſum non ſtat quin omnia corda &
univerſas voluntates Divinis ardoribus ſuis inflam-
y Pſ. 18. 7. met, *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* y. Sed ſi
velitis accendi ignibus ejus, ſervare debetis legem
z Matth. 19. 17. illius, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* z. Et
hoc juſtum eſt, cum ſimus ſervi ejus, ut aït ille Da-
a Pſ. 115. 7. vid a, *O Domine, quia ego ſervus tuus.* Hæc quis recuſa-
ret cuſtodire præcepta quæ moleſta non ſunt? *Et*
b 1. Joan. 5. 3. *mandata ejus gravia non ſunt* b.
Sed diceris mihi etiam, Si ſalus mea pendeat ab
obedientiâ meâ, ſi eſt alligata obſervantiæ, quam
debeo facere legis Dei, quæ debet eſſe prototypon,
ad quod exigere debeo regimen omnium actio-
num mearum, quomodo potero operari ſalutem
meam, cùm rationabiliter exhibere non poſſim
obedientias meas huic legi Divinæ ſine gratiâ: Et
cùm gratia non ſit in meâ diſpoſitione, quis non
videt quòd cùm non habeam gratiam, mea ſalus
à me nullo pendere poſſit modo? Terminabitur
facilè veſtra difficultas iſta, ſi conſideretis, quòd
Deus nihil nobis unquam præcipit, quin eodem
tempore nobis virtutem tribuat ipſi obediendi;
& quòd conſilium ipſius in hoc eſt ſitum, ut favo-
rabiliter nobis impendat auxilium ſuum: hæc
igitur querela non eſt rectæ rationi conſona, quæ
deſperat quòd obſervari valeant Divina mandata
defectu gratiæ, cùm Deus iſtam nemini unquam
c Hebr. 12. 15. renuat, ut patet ex verbis iſtis Apoſtoli c, *Contem-*
plantes ne quis deſit gratiæ Dei. Id eſt, *ne aliquis ve-*
ſtrûm elongetur ac ſeparetur à gratiâ Dei, quæ omni-
bus præſto eſt, dummodò fecerint quod in ſe eſt, ſubdit
d Dion. Carth. art. 12. in Hebr. 12. 15. Carthuſianus d.
Dicet mihi aliquis alius, Si Deus *omnes homines*
vult ſalvos fieri e, & poteſt eos ſalvos facere, cùm
potentia ipſius non diſtinguatur ab ipſius volun-
e 1. Tim. 2. 4. tate, eò quòd iſta faciat eſſentiam ipſius æquè ac
illa; quare conſilium quod Deus habet ſalvando-
rum omnium hominum, non mandatur execu-
f Joan. 14. 6. tioni? cùm Deus qui eſt *Veritas* f per eſſentiam, ſit
infallibilis in eo omni quod proponit, dicens, *Cæ-*
lum & terra tranſibunt; verba autem mea non præte-
g Matth. 24. 35. *ribunt* g. Hæc propoſitio facilis eſt reſolutu, ſi
placet vobis uti experientiâ familiari: Si petatis
à me nunc clara dies eſt in iſto templo, quandiu
ſunt obſcuræ tenebræ intra domos aliquas civita-
tis iſtius, in quibus aliqui adhuc dormiunt: re-
ſpondeo vobis, quod ratio illius eſt, quòd feneſtræ
Eccleſiæ iſtius ſunt apertæ, & quòd Sol ſuos dif-
fundit radios in capacitatem extenſionis ejus, il-
lamque illuminat: & è contrà quòd feneſtræ do-
morum illarum, in quibus ſunt tenebræ, clauſæ
ſunt, & quòd Sol qui illuminat ibi, ubi nullum re-
perit obſtaculum, nullum habet illic acceſſum.
Applicemus hanc experientiam nunc propoſito
noſtro: Jeſus Chriſtus eſt Sol inviſibilis qui illu-
ſtrat animas noſtras, non ſecus ac Sol iſte materia-
lis qui gyrat ſuper hemiſphærium noſtrum, eſt Sol
viſibilis qui illuminat corpora noſtra; *Sol juſtitiæ*
Chriſtus Deus noſter h. Iſte Sol inviſibilis ſuos ef- h Ex Malach. 4. 2.
fundit radios ſuper Bonos & malos, *Lux vera, quæ*
illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-
dum i. Sed præ hâc differentiâ, quòd Boni ſuſci- i Joan. 1. 9.
piunt radios ipſius æquo animo, & favorabiliter
ſe dirigunt interventu luminum ipſius, cùm è con-
tra mali opponant ipſi voluntates ſuas, *Ipſi fuerunt*
rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per
ſemitas ejus k. *In propria venit, & ſui eum non rece-* k Job. 24. 13.
perunt l. Et ecce ratio propter quam conſilium l Joan. 1. 11.
Dei, *qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitio-*
nem veritatis venire m, non mandatur executioni, m 1. Tim. 2. 4.
Perditio tua (id eſt, ex te.) *Iſraël: tantummodò in*
me auxilium tuum n. Sic eſt, Auditores: tota no- n Oſee 13. 9.
ſtra ſalus venit è Deo: ſed ſi jacturam noſtram in-
currimus, ideò quia ſumus opifices infortunii no-
ſtri, & artifices ruinæ noſtræ.
Tandem, Si miramini quòd Deus volens o-
mnes homines ſalvare abſque ullâ exceptione, &
procurans ſalutem hominum tot viis, ſive viâ in-
ſpirationum ſuarum, ſive per Filium ſuum incar-
natum, ſive per Prædicatores qui annuntiant ipſi-
us intentiones, deſerit tamen aliquos populos in
errore, & in ignorantiâ, ut tot barbaros qui nati
ſunt in ſylvis, qui nullam habuerunt unquam no-
titiam veritatis æternæ, nec ullum Prædicatorem
qui ipſis annunciaret oracula ſancti Evangelii: ceſ-
ſabit admiratio veſtra, ſi conſideretis, quòd Deus,
cujus providentia eſt univerſalis, neceſſaria provi-
debit huic barbaro quem dicitis natum in ſylvâ,
ſemotum ab omni ſocietate & converſatione hu-
manâ & civili, ad hoc ut ſuam poſſit operari ſalu-
tem, quod accidet infallibiliter ſi barbarus hic u-
tatur rationabiliter luminibus ſibi à naturâ im-
preſſis, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domi-*
ne, dicit Deo Pſalmiſta o. Quæ lumina naturalia o Pſ. 4. 7.
ipſum edocent, ut faciat alteri, quod ſibi vellet
fieri; & nemini faciat, quod ſibi fieri nollet, *Quod*
ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri faci-
as p. Et quòd Deus qui *fidelis eſt, qui vocavit* q eum, p Tob. 4. 16.
inſtruet illum, aut per ſe interiùs, aut faciet aliquod q 1. Theſſ. 5. 24.
miraculum in favorem ejus, mittendo ad eum An-
gelum, aut aliquem Prædicatorem ad ipſum in-
ſtituendum, ſicut cum [vir Æthiops, eunuchus,
potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat ſu-
per omnes gazas ejus, venerat adorare in Jeruſa-
lem, & revertebatur ſedens ſuper currum, legens-
que Iſaiam Prophetam, dixit Spiritus Philippo,
Accede & adjunge te ad currum iſtum. Accur-
rens autem Philippus, audivit eum legentem Iſai-
am Prophetam r, & dixit: Putaſne intelligis quæ r Ex Iſai. 53. 7. &c.
legis? Qui ait, Et quomodo poſſum, ſi non ali-
quis oſtenderit mihi? Rogavitque Philippum ut
aſcenderet, & ſederet ſecum. Locus autem Scri-
pturæ quam legebat, erat hic: Tanquam ovis ad
occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram ton-
dente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In
humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Genera-
tionem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur de
terrâ viventium? Reſpondens autem eunuchus
Philippo, dixit: Obſecro te, de quo Propheta dicit
hoc?

Digitized by Google

hoc? de ſe, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens à Scripturâ iſtâ, evangelizavit illi Jeſum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait eunuchus, Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait, Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum. Et juſſit ſtare currum: & deſcenderunt uterque in aquam, Philippus & eunuchus, & baptizavit eum. Cùm autem aſcendiſſent de aquâ, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum eunuchus f.] Scitote igitur, Auditores, quòd Deus faceret potiùs miraculum in ſimili occurſu, quàm ſineret ut periret anima *pretio magno* t redempta. Rem habemus cum Deo fideli, qui ait, *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* u. Ipſe non eſt ſicut patres terreni qui deſunt amore & curâ erga liberos ſuos, quique exponunt eos occaſionibus periculoſis ſaluti eorum, & damnoſis animæ illorum: ipſe vidit ab æterno multa tempora, varios ordines, & diverſas conditiones, in quibus collocare poterat homines: V.g. prævidit, quòd ſi naſci feciſſet Judam, hunc infamé deſertorem collegii Apoſtolici x, alio tempore, ſi expoſuiſſet eum conditioni militis, fidelis fuiſſet cum gratiis ſuis, & operatus eſſet ſalutem ſuam: ſimiliter prævidit, quòd ſi exponeret illum ſtatui Sacerdotii, ſi collocaret illum inter *Apoſtolos* y ſuos, & committeret ei *loculos* z ſuos, abuteretur favoribus iſtis, æquè ac gratiis ſuis, & fieret infidelis, ſacrilegus, & *traditor ejus* a. Et tamen nulla fuit injuſtitia in hoc modo procedendi Dei: æquè enim Deus dederat illi gratias neceſſarias ut operaretur ſalutem ſuam in Apoſtolatu, ſi benè iis uſus eſſet, ac illas tribuiſſet ei in conditione militis, ſi vocaſſet eum ad profeſſionem armorum: periit igitur *Judas* b malitiâ ſuâ, non defectu Dei, qui ipſi non defuit. Non eſt tamé idem dicendum de vobis, parentes terreni. Habetis liberos, quorum cognoſcitis affectus, & merita: habetis primogenitum veſtrum, qui eſt *puer ingenioſus, ſortitus animam bonam* c, id eſt, diſpoſitam ad virtutem, qui proclivis eſt ad Religionem, ad obſequium Dei, vos avertitis illum ab hâc curâ, extinguitis *Spiritum* d, id eſt, omnes bonos motus quos inſpirat ei cœlum; & ideò ut inſpirationes hujuſmodi deleatis è memoriâ illius, applicatis eū commercio & negotiis mundi, inter quæ cogitationem Dei amittit. Quæ charitas parentum erga filium veſtrum? Si autem jacturam ſuam incurrit in conditione, cui illum exponitis, quiſnam ruinæ ejus erit cauſa? Vos, parentes; & ideò rationem de perditione illius reddetis Deo. Habetis filium omnium minimum, qui pravis eſt moribus, æquo liberior, & nequam: Quid agemus de iſto? dicitis. Faciendus eſt Sacerdos. Sed non advertitis quòd tribuitis nebulonem Eccleſiæ, qui erit ſcandalum domûs Dei, quòd datis ei indignum miniſtrum altarium ejus, & ſacrilegum, qui tandem damnationem ſuam peraget infeliciter in hâc conditione, ad quam non erat vocatus. Quiſnam autem erit cauſa iſtius infortunii? Vos parentes, qui prævidiſtis quòd ille non afficiebatur erga ſervitium Divinum, & quòd illo erat indignus: debebatis igitur illum applicare literis, aut armis, quibus idoneus erat; ſerviiſſet communitati, aut Principi, & potuiſſet operari ſalutem ſuam. Videte quàm remoti ſitis à Deo, qui tribuit vobis eſſe, benè eſſe, & ſtipendia utriuſque: diſcite igitur ab exemplo ejus dirigere familias veſtras, & reddere liberis veſtris omnes curas quas natura & charitas Chriſtina petunt à vobis prout parentibus, & ſic vobis idem *gratiam, & gloriam dabit Dominus* e.

f Act. 8. 27. &c.
t 1. Cor. 6. 20.
u Ezech. 33. 11.
x Matth. 26, 14. & 15.
y Luc. 6. 13. & 16.
z Joan. 12. 6
a Marc. 14. 44.
b Matth. 27. 3. &c.
c Sap. 8. 19.
d 1. Theſſ. 5. 19.
e Pſ. 83. 12.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Luc. 5. 4. &c.

SIcut proprium eſt magnis effectib⁹ ferre ſpectatorum ſuorum mentes in admirationem, ſic & eorundem animos ſtatim inducunt ad venerationem cauſæ quæ ipſos producit: Dei Filius *dixit ad Simonem Petrum, Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſet, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſociis qui erant in aliâ navi ut venirent & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jeſu, dicens, Exi à me, quia homo peccator ſum Domine. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in capturâ piſcium quam ceperant.* S. Petrus & ſocii ejus agnoſcunt Salvatorem mundi ut ſolum authorem & unicam cauſam iſtius miraculi, & felicis ſucceſſus iſtius fortunati piſcatus. Sed, ut verum fatear, iſtud nihil eſt comparatione piſcationis admirabilis, quam peregit B. Virgo: cùm enim Verbum, magn⁹ iſte piſcis, ſic vocatum à Tertulliano a, *Et nos piſciculi ſecundùm ἰχθὺν noſtrum Jeſum Chriſtum in aquâ naſcimur*, veluti in immenſo Oceano pectoris ſui Patris æterni deambularet, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* b, quandiu mundus cæcitate percuſſus, maximo indigebat ipſius auxilio ad hoc ut viſum ſuſciperet, & liberaretur à Satana, cujus perpetiebatur tyrannidem; piſcis figuratus per piſcem Tobiæ, per cujus *partem jecoris dæmonium* c relegatum fuiſſe ſcimus, ſicut & non ignoramus quòd ejuſdem *de felle piſcis ſtatim viſum recepit* d idem Tobias: nec poſſet ingens iſte piſcis ab aliquo capi, nec trahi è cœlo in terram; ſola B. Virgo, hæc ingenioſa piſcatrix eſcâ ſuæ humilitatis, pronuncians hæc verba, quæ ipſa Angelo *dixit, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* e, educens ipſum è pectore ſui Patris æterni, induxit ipſum ad veniendum ſumptum carnem humanam *in utero* f ſuo. Propterea ſic illam ſalutat S. Epiphanius g cum eodem Angelo, *Ave gratiâ plena, hamus eſca ſpiritalis: in te ſiquidem hamus Divinitas.* Et nos dicamus ei ſimili reverentiâ, *Ave Maria.*

Deus, cujus procedendi modus nihil præ ſe fert violentum, quippe qui *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* h; & cujus bonitas videtur accommodare ſe ad captum infirmitatum noſtrarum, ne in aliquo noſtra alteret temperamenta; relinquens eiſdem perſæpè eoſdem affectus, & eaſdem inclinationes, nihil aliud agit niſi mutans eorum objecta, & ex impiis & profanis qualia erant, convertens ea in ſancta & virtuoſa. Cùm eſſet *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* i, Deus nihil aliud agit in converſione ipſius, quàm zelum ipſius, qui non erat juſtus, in obſequium rectæ rationi conſonum mutans, reddendo flammas ejus omnino ſanctas, & faciendo eum unum ex acerrimis Religionis noſtræ defenſoribus; & ideò conſequenter ait de illo, *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram*

a Tert. lib. de Baptiſ. c. 1. ex Joan. 3. 5.
b Joan. 1. 18.
c Tob. 8. 2. & 3.
d Tob. 11. 13. & 14.
e Luc. 1. 38
f Matth. 1. 18. & 23. & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
g D. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Luc. 1. 28.
h Sap. 8. 1.
i Act. 9. 1. &c.

ram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël. Magdalena dedita amoribus profanis, *mulier in civitate peccatrix*, ſemper amavit, ſed præ hâc differentiâ, quòd in vanitate ſuâ ipſa ſe tradiderat in prædam amoribus infamibus, ſed finivit per ſanctam dilectionem, propter quam Dei Filius dixit de eâ, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* k. (k Luc. 7. 37. & 47.) Latro furtis aſſuetus, converſus, furatur plus quàm unquàm furatus fuerit, cùm cœlum abripiat ultimâ vitæ ſuæ periodo l: (l Luc. 23. 40. &c.) Hodiernâ verò die Salvator vocans diſcipulos qui erant *piſcatores, piſcatores hominum* m facit illos. (m Math. 4. 19 &c.) *Et ait ad Simeonem Jeſus: Noli timere: ex hoc jam, homines eris capiens* n. (n Luc. 5. 10.) Ut habentes ſemper idem exercitium, ad vacandum eidem ſerventur eâdem inclinatione, (nedum circa illud aliquam violentiam paterentur) per longam conſuetudinem quam circa illud contraxerant. Hoc inducit me ad dicendum vobis, quòd Jeſus Chriſtus ſumit Apoſtolos, & Prædicatores eorum ſucceſſores ut coadjutores ſuos in piſcatu animarum, qui piſcatus fuit præcipuum ipſius officium toto tempore vitæ ſuæ, *Aſcendit Jeſus in templum, & docebat* o. (o Joan. 7. 14.) Videamus igitur Primò mare, in quo fit iſte piſcatus: Secundò piſcatores qui illum faciunt. Tertiò ventos qui eis ſavent: Quartò retia quibus utuntur: Quintò piſces qui ibi capiuntur, in quinque brevibus partibus iſtius diſcurſus. (Diviſio.)

(I. Pars.) Mare, in quo fit iſte piſcatus, de quo loquimur, non eſt aliud niſi mundus: unde dicit Hugo Cardinalis p, (p Hug. Card. in Math. 8. 24.) *Myſticè, per naviculam ſignificatur crux, quâ mare hujus mundi ſine periculo pertranſitur. Unde, Exiguo ligno credunt homines animas ſuas: & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt* q. (q Sap. 14. 6.) Sicut enim mare eſt ſalſum; ſic nulla eſt dulcedo in iſto mundo, ſed ſola amaritudo: nullum eſt ſolidum oblectamentum, quod mari abſinthii non ſit immerſum; maxima gaudia noſtra nunquam ſunt pura, & minima à faſtidio; roſæ noſtræ ſuas habent ſpinas; & ſpecioſiſſimi dies noſtri ſunt eclypſibus obnoxii, ita ut tranquillitates nobis ſemper debeant eſſe ſuſpectæ alicujus tempeſtatis, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat*, ait Sapiens ſ. (ſ Prov. 14. 13.) Et poſt eum inter alias expoſitiones dicit Salazar t, (t Salaz. in Prov. 14. 13. num. 60.) *Hugo id Deo optimo Maximo conſultè facienti tribuit, ut læta mœſtis permiſceat. Itaque ait: Riſus dolore miſcebitur, ſcilicet à Deo: & eodem diſpenſante fiet ut extrema gaudii luctus occupet. Utrumque autem ad ſummam Dei providentiam ſpectat. Divus Auguſtinus ſermone 29. in Matthæum rationem obtulit, cur Deus læta mœſtis temperare ſoleat. Ita enim inquit: Ideò Deus felicitatibus terrenis amaritudines miſcet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non eſt fallax. Chryſoſtomus vero Homiliâ in Pſalmum 123. Ideò (inquit) Deus nec homines ſemper dimittit in triſtitiis, ne deficiant; nec in quiete & proſperitate ſinit, ne fiant ſocordiores: ſed mutationibus ac viciſſitudinibus eorum ſalutem evariat. Alludit autem Chryſoſtomus ad harmoniam, quæ ex diſſimilibus ſonis, acutis ſcilicet, atque demiſſis temperatur, & variatur. Quaſi dicat: Sicut ex acutis, & gravibus ſonis harmonia conficitur: ſic item Deus noſtram ſalutem ex lætis, & triſtibus evariat, & in harmoniam cogit. His adde non boni Authoris non pœnitendam ſententiam (liceat nobis dulcia quoque acribus temperare) Apulejus is eſt, in libro 2. Floridorum, ubi ſic ait: Verum verbum eſt profectò, quod aiunt. Nihil quidquam homini tam lætum divinitùs datum eſt, quin ei admiſtum ſit aliquid difficultatis: ut etiam in ampliſſimâ quâque lætitiâ ſubſit quæpiam vel parva querimonia conjugatione quadam mellis, & fellis: ut ſi quid illud ſolvit, hoc aſtringat. Similitudinem ducit ab ſtomacho, qui dulcibus laxatur, ac ſolvitur: auſteris autem, acribuſque aſtringitur, & coaleſcit. Rurſus, Etiam ex Dei providentiâ fit, ut riſum, & lætitiam noviſſimè luctus & lacrymæ excipiant, ut his finibus velut coërcita non exundet. Quemadmodum fluvios ripæ, ac litora hinc inde continent, ne effluant, & campos longè, latèque impleant: ſic etiam lætitiam, & gaudia affluentia, Deo diſpenſante, luctus, mœrorque hinc inde, antè videlicet ac poſt, tanquam duo fines, aut ripa cohibent, ne exundet, & ſuper menſuram effundatur.* Eſt igitur pro comperto, quòd, ut ait etiam S. Bonaventura u, (u S. Bon. Serm. 3. Dom. ... poſt Epiph.) *Mare eſt ſeculum. Hoc mare magnum* x (x Pſ. 103. 25.) *&c. Motus & fluctus ſunt tribulationes & perſecutiones: Fluctus tui ſuper me tranſierunt* y. (y Pſ. 41. 8.) Sicut enim mare agitatur ventis & tempeſtatibus, & ſcatet undequaque ſcopulis, ad quos multi alliduntur, & deplorandum perpetiuntur naufragium: ſic in iſto mundo quid videtis niſi mille pericula, & innumera præcipitia, ubi animæ, æquè ac corpora perſæpè reperiunt tumulum ſuum, in quibus putabant quòd ſtabilire poſſent fortunam ſuam. *Mundus quippe iſte periculoſior eſt blandus quàm moleſtus, & magis cavendus cùm ſe illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni*, ait S. Auguſtinus z. (z S. Aug. Epiſt. 144.) Et alibi a, (a S. Aug. lib. de Salutar. Docum. c. 7.) *Semper ante oculos cordis pone, quòd nec amicorum turba, nec familia multitudo, non auri argentique congeſtio, non gemmarum lapilli fulgentes, non vindemiarum ubertas, non denſitas ſegetum, non jucunditas extenſa pratorum poſſunt animæ exeunti de corpore ullum præſidium afferre, ſed potius lugent qui ea diligunt.* Mundus prodit oſculando, more alterius Judæ b; (b Matth. 26. 49.) & blanditiæ ejus ſunt potiùs præſagia alicujus infelicitatis; quippe qui amplectendo necat, ſicut *Joab* ſeduxit Abnerem *in dolo, & percuſſit eum in inguine* c. (c 2 Reg. 3. 27.) Et decipit inſtar alterius Labani ſimplices Jacobos d, (d Gen. 29. 23. &c.) quorum non agnoſcit obſequia niſi ingratitudinibus. Tandem, Mundus eſt ſicut caupo, qui ſubminiſtrat & apponit hoſpitibus ſuis cibaria ſalſa, ut eò frequentiùs inducat eos ad bibendum, & ſic ea cariora illis divendat. Mundus igitur eſt mare, in quo fit iſte piſcatus.

(II. Pars.) Piſcatores, qui piſcatum iſtum exercent, duplicis ſunt generis, quorum fines ſunt prorſus differentes, cùm alii piſcentur ad perdendum, alii verò ad ſalvandum: illi ſunt diaboli, iſti verò ſunt Prædicatores Evangelici. Diaboli piſcantur, ut deferant piſces ſuos in coquinam inferni, & eos ibi torreant ſuper carbonibus ardentibus iræ Dei, *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda* e. (e Apoc. 21. 8.) Sed Prædicatores piſcantur, ut piſces ſuos apponant menſæ cœli in æternitate: proptereà S. Bonaventura f, (f S. Bon. ſerm. 3. Dom. 4. poſt Pent.) qui erat Prædicator Seraphicus, dicebat, *Utinam ego miſer peccator hodie unum piſciculum, unum hominem Domino meo Jeſu Chriſto capere poſſem.* Hinc patet, quòd piſces iſtius maris mundi, quos capiunt iſti piſcatores, non ſunt alii niſi homines. Quàm magnus eſt piſcatus diabolorum, & quàm ingens eſt numerus piſcium quos capiunt, cùm proponant eis voluptatem, veram eſcam hominum animalium, qui toti adhærentes terræ & deliciis diffluentes non cogitant de hamo damnationis æternæ, qui latet ſub eſcâ, ſe videntes captos, cùm cogitabant ſe capturos; ideò quia non ſunt ſatis perſpicaces ad obſervandum hujuſmodi hamum, eò quòd nimis adhæreant materiæ, quæ obſcurat ipſis oculos: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*, ait S. Paulus g. (g 1. Cor. 2. 14.) *Unde ſicut piſces, & aves, & mures eſcâ decipiuntur, ut capiantur: ſic anima eſcâ voluptatum, vel rerum temporalium* dicit S. Bonaventura h. (h S. Bon. lect. 3. Dom. 4. poſt Pent.) Et ſtatim ſubdit: *Auguſtinus: Res cùm vis capere, peris in muſcipula: cùm enim tenes alienum, teneris à diabolo.*

Etca

Eſca carnalium eſt voluptas : & certum eſt quòd virtus non reperitur in regno voluptatis, quæ ipſius eſt interemptrix. Iſti maledicti piſcatores utuntur eſcâ ad attrahendos piſces iſtos infortunatos; inſuper habent alia media, quibus illos circumveniant. Induſtrii piſcatores, cùm capiunt magnum aliquem piſcem funiculo & hamo, non trahunt illum confeſtim ex aquâ, nec circa eum præ violentiâ procedunt : alioquin enim piſcis ſentiens ſe captum, conatum faceret, & funiculum dirumperet, quò ſibi libertatem conciliaret, cujus ſuſtinere non poteſt jacturam ; ſed illum ſuaviter trahunt, laxantes ei interim funiculum donec totum deglutiverit hamum, qui eſt cauſa ruinæ & jacturæ ipſius, & tunc in terram facilè trahunt eum, nedum poſſit effugere : eodem ſe gerunt diaboli modo : cùm enim projecerunt hamum opertum eſcâ voluptatis, aut alicujus alius rei temporalis, capiunt homines, & inducunt eos ad aliquod enorme peccatum patrandum; ſed veriti ne fugiant, ſi fortè cognoſcant infortunium ſuum, permittunt eis adhuc ut alicui bono operi incumbant, non ut eos dimittant, ſed ut illos majori ſecuritate teneant. Videte quomodo tenentes Herodem in adulterio
i Marc. 6. 17. & ex Levit. 18. 16. inceſtuoſo i, permittebant ei ut audiret S. Joannem Baptiſtam, & multis aliis vacaret : ſed tandem illum induxerunt ad hoc ut præciperet inferendam illi mortem, ut ipſe ſe meliùs inde præcipitaret in æternam damnationem, in quam effectivè lapſus eſt, juxta iſtud effatum Prophetæ, *Abyſſus abyſſum*
i Pſ. 41. 8. *invocat* i. Ha! quàm aſtuti ſunt iſti piſcatores, & quàm multos decipiunt, permittentes eis ut incumbant alicui actioni, cujus apparentia præ ſe fert aliquid boni, ita ut ſibi blandientes putent, ſe eſſe in viâ cœli, licèt cæco impetu & laxis habenis currant ad omnimodam ruinam ſuam, juxta iſtud Propheticum, *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum,*
k Jer. 8. 6. *quaſi equus impetu vadens ad prælium* k. Cùm id omne quod agunt in ſtatu peccati mortalis, nihil ipſis ſerviat ad ſalutem, cùm non habeant in ſe principium meriti, quod eſt gratia, juxta id quod
l 1. Cor. 13. 1. &c. dixit Apoſtolus l, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam : factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero : nihil mihi prodeſt.* Videtis quàm ingentes ſint aſtutiæ iſtorum piſcatorum, putà diabolorum, atquè ac immodicæ ſtrages atque vaſtitates quas patrant piſcationibus ſuis.

Alii Piſcatores, ſunt Prædicatores Evangelici. Felices illi piſces, qui ſinunt ſe capi ab eis, cùm tota ipſorum felicitas pendeat ab iſtâ ſui ipſorum capturâ, *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Do-*
m Jer. 16. 16. *minus, & piſcabuntur eos* m. Sed quàm merito jure queri poſſunt intuitu exigui ſui ſucceſſus iſti piſcatores, more Apoſtolorum noſtrorum in Evangelio hodierno, *Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Noctu dinque laborant, ſudant, nedum perſæpè vel unicum capiant piſciculum, id eſt, nedum vel unicam convertant animam. Hoc infortunium provenire poteſt partim è piſcatoribus, partim verò è piſcibus. E piſcatoribus, eò quod non ſunt ita rite illuſtrati, nec habeant omnia lumina quæ ipſis eſſent neceſſaria ad intelligentiam Scripturæ, quod efficit interdum ut nihil capiant : aut ſi haberent alias intentiones ſubtilis, propter quas detentas ſunt ad hoc ... officium piſcationis animarum : tunc enim dicere poſſent præ tanto doloris affectu præ quantâ veritate, *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus* ; ſe laboraſſe in vanum, & totum laborem à ſe inſumptum, fuiſſe inutilem. Sed cùm Prædicatores ſunt tales quales eſſe debent, & tantum habent ardorem quantum ſplendorem, ut ſuo miniſterio fungantur præ tanto zelo præ quantâ puritate intentionis, defectus piſcationis non provenit ex ipſis, ſed hujuſmodi defectus ex piſcibus oritur. Hic autem defectus meliùs videbitur in ultimâ parte diſcurſus iſtius : tranſeamus igitur ad tertiam.

Venti qui agitant iſtud mare ſeculi, ſunt iſti III Part.
quatuor venti, quos aliàs in viſione vidit Daniel n, n Dan. 7. 2.
dicens, *Videbam in viſione meâ nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Primus ventus qui flat ex Oriente, eſt ventus ſuperbiæ, ventus vanitatis, qui habet principium ſuum è nativitate majorum, ex eorum nobilitate, ex illorum ſanguine : ventus impetuoſus, cùm florentiſſimas quaſque familias deſtruat ; & homines qui ſibi blandiuntur intuitu antiquitatis domus ſuæ, ſecum non invehant, niſi probrum & pudorem quo ſuffunduntur, ſe non eſſe more illorum, qui ipſos præceſſerunt : præterquamquòd parvi ducitur à Deo nobilitas ſanguinis, ſi deſit nobilitas virtutis, quæ ſola qualitas nos diſtinguit ab aliis, *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt* o, ait Dei Filius. Mitto o Matth. 12. 50.
illud, quod dicebat Poëta,

> *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,*
> *Vix ea noſtra voco.*

In hâc quippe adimpletione Divinæ Voluntatis eſt ſita vera nobilitas : nam quantùm ad nativitatem & mortem, utraque communis eſt omnibus indifferenter hominibus, *Unus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus* p. Deus autem qui meli- p Sap. 7. 6.
ùs ſcit quàm ſcimus nos in quo conſiſtat vera nobilitas, elevat perſæpè eos, qui infima loca tenent in opinione noſtrâ : teſtes ſunt Saül primus Rex Iſraël, & David ſucceſſor ipſius, qui cùm eſſent in contemptu mundi q, fuerunt electi ut eſ- q 1. Reg. 9. 3. &c. & 1. Reg. 16. 11.
ſent illius gloria r. Quid enim prodeſt nativitas illuſtris, ſi pravis moribus ſordeſcat?

Secundus ventus, qui perflat in mari noſtro, eſt r 1. Reg. 10. 1. &c. & 1. Reg. 16. 12. & 13.
Auſter, hic eſt proſperitas & felix ſucceſſus negotiorum, ventus ſuavis, Zephyrus jucundus, qui nos elevat ſurſum, ſed perſæpè ut ruinam noſtram peragat medias inter elevationes iſtas : & ideò debemus nobis attendere : Deus enim qui nunquam permittit aliquid niſi propter ſancta motiva, permittit ut interdum nobis Fortuna rideat, ſed præ hoc conſilio ut inde novâ deſideria concipiamus recipiendorum noſtri ipſorum in meliorem emendatioris vitæ frugem, & poſſidendæ fruitionis ſolidiorum oblectamentorum, *Dedit illis regiones Gentium : & labores populorum poſſederunt.* Sed quare? Ratio illius conſequenter præſto eſt, *Ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant* ſ. Si ſ Pſ. 104. 44. & 45.
autem aliter agimus, hæ proſperitates ſunt veluti tabulæ putridæ ad moliendam ruinam noſtram, ut ait Poëta,

> *Tolluntur in altum,*
> *Ut lapſu graviore ruant.*

Et Pſalmiſta, *Dejeciſti eos dum allevarentur* t. *Quo-* t Pſ. 72. 18.
niam excelſus Dominus, alta à longe cognoſcit u. u Pſ. 137. 6.

ram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël. Magdalena
dedita amoribus profanis, *mulier in civitate pecca-
trix*, ſemper amavit, ſed præ hâc differentiâ, quòd
in vanitate ſuâ ipſa ſe tradiderat in prædam amo-
ribus infamibus, ſed ſinivit per ſanctam dilectio-
nem, propter quam Dei Filius dixit de eâ, *Remit-
k Luc. 7. 37. & 47. tuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* k.
Latro furtis aſſuetus, converſus, furatur plus quàm
unquam furatus fuerit, cùm cœlum abripiat ulti-
l Luc. 23. 40. &c. mâ vitæ ſuæ periodo l: Hodiernâ verò die Salva-
tor vocans diſcipulos qui *erant piſcatores, piſcatores
m Matth. 4. 19. &c. hominum* m facit illos. *Et ait ad Simonem Jeſus: No-
li timere: ex hoc jam, homines eris capiens* n. Ut haben-
n Luc. 5. 10. tes ſemper idem exercitium, ad vacandum eidem
ferrentur eâdem inclinatione, (nedum circa illud
aliquam violentiam paterentur) per longam con-
ſuetudinem quam circa illud contraxerant. Hoc
inducit me ad dicendum vobis, quòd Jeſus Chri-
ſtus ſumit Apoſtolos, & Prædicatores eorum ſuc-
ceſſores ut coadjutores ſuos in piſcatu animarum,
qui piſcatus fuit præcipuum ipſius officium toto
tempore vitæ ſuæ, *Aſcendit Jeſus in templum, & do-
o Joan. 7. 14. cebat* o. Videamus igitur Primò mare, in quo fit iſte
piſcatus: Secundò piſcatores qui illum faciunt.
Diviſio. Tertiò ventos qui eis favent: Quartò retia quibus
utuntur: Quintò piſces qui ibi capiuntur, in quin-
que brevibus partibus iſtius diſcurſus.

I. Pars. Mare, in quo fit iſte piſcatus, de quo loquimur,
non eſt aliud niſi mundus: unde dicit Hugo Car-
p Hug. Card. in Matth. 8. 24. dinalis p, *Myſticè, per naviculam ſignificatur crux,
quâ mare hujus mundi ſine periculo pertranſitur. Un-
de, Exiguo ligno credunt homines animas ſuas: & tran-
q Sap. 14. 5. ſeuntes mare per ratem liberati ſunt* q. Sicut enim
mare eſt ſalſum; ſic nulla eſt dulcedo in iſto mun-
do, ſed ſola amaritudo: nullum eſt ſolidum oble-
ctamentum, quod mari abſinthii non ſit immer-
ſum; maxima gaudia noſtra nunquam ſunt pura,
& immunia à faſtidio; roſæ noſtræ ſuas habent
ſpinas; & ſpecioſiſſimi dies noſtri ſunt eclypſibus
ſubnoxii, ita ut tranquillitates nobis ſemper debe-
ant eſſe ſuſpectæ alicujus tempeſtatis, *Riſus dolore
miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat*, ait Sa-
r Prov. 14. 13. piens r. Et poſt eum inter alias expoſitiones dicit
s Salaz. in Prov. 14. 13. num. 60. Salazar s, *Hugo id Deo optimo Maximo conſultè faci-
enti tribuit, ut læta mæſtis permiſceat. Itaque ait: Ri-
ſus dolore miſcebitur, ſcilicet à Deo: & eodem diſpen-
ſante fiet, ut extrema gaudii luctus occupet. Utrumque
autem ad ſummam Dei providentiam ſpectat. Divus
Auguſtinus ſermone 29. in Matthæum rationem obtulit;
cur Deus læta mæſtis temperare ſoleat. Ita enim inquit:
Ideò Deus felicitatibus terrenis amaritudines miſcet, ut
illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non eſt fallax.
Chryſoſtomus vero Homiliâ in Pſalmum 123. Ideò (in-
quit) Deus nec homines ſemper dimittit in triſtitia, ne
deficiant; nec in quiete & proſperitate ſinit, ne fiant ſo-
cordiores: ſed mutationibus ac viciſſitudinibus eorum ſa-
lutem evariat. Alludit autem Chryſoſtomus ad harmo-
niam, quæ ex diſſimilibus ſonis, acutis ſcilicet, atque de-
miſſis temperatur, & variatur. Quaſi dicat: Sicut ex
acutis, & gravibus ſonis harmonia conficitur: ſic item
Deus noſtram ſalutem ex lætis, & triſtibus evariat, &
in harmoniam cogit. His adde non boni Authoris non
pœnitendam ſententiam (liceat nobis dulcia quoque a-
cribus temperare) Apuleius is eſt, in libro 2. Floridorum,
ubi ſic ait: Verum verbum eſt profectò, quod aiunt. Ni-
hil quidquam homini tam lætum divinitùs datum eſt,
quin & admiſtum ſit aliquid difficultatis: ut etiam in
ampliſſimâ quâque lætitiâ ſubſit quæpiam vel parva
querimonia conjugatione quadam mellis, & fellis: ut ſi
quid illud ſolvit, hoc aſtringat. Similitudinem ducit ab
ſtomacho, qui dulcibus laxatur, ac ſolvitur: auſteris au-
tem, acribuſque adſtringitur, & coaleſcit. Rurſus, Etiam
ex Dei providentiâ fit, ut riſum, & lætitiam noviſſimè
luctus & lacrymæ excipiant, ut his finibus velut coërcita
non exundet. Quemadmodum fluvios ripæ, ac litora
hinc inde continent, ne effluant, & campos longè, lateque
impleant: ſic etiam lætitiam, & gaudia affluentia, Deo
diſpenſante, luctus, mœrorque hinc inde, antè videlicet
ac poſt, tanquam duo fines, aut ripa cohibent, ne exun-
det, & ſuper menſuram effundatur.* Eſt igitur pro
comperto, quòd, ut ait etiam S. Bonaventura t, t S. Bon. Serm. 3. Dom. 1. poſt Epiph.
Mare eſt ſeculum. Hoc mare magnum x *&c. Motus &
fluctus ſunt tribulationes & perſecutiones: Fluctus tui
ſuper me tranſierunt* y. Sicut enim mare agitatur x Pſ. 103. 25.
ventis & tempeſtatibus, & ſcatet undequaque ſco- y Pſ. 41. 8.
pulis, ad quos multi alliduntur, & deplurandum
perpetiuntur naufragium: ſic in iſto mundo quid
videtis niſi mille pericula, & innumera præcipitia,
ubi animæ, æquè ac corpora perſæpè reperiunt
tumulum ſuum, in quibus putabant quòd ſtabilire
poſſent fortunam ſuam. *Mundus quippe iſte pericu-
loſior eſt blandus quàm moleſtus, & magis cavendus
cùm ſe allicit diligi, quàm cùm admonet cogitque con-
temni*, ait S. Auguſtinus z. Et alibi a, *Semper ante* z S. Aug. Epiſt. 144.
*oculos cordis pone, quòd nec amicorum turba, nec fami-
liæ multitudo, non auri argentique congeſtio, non* a S. Aug. lib. de Salutar. Docum. c. 7.
*gemmarum lapilli fulgentes, non vindemiarum ubertas,
non denſitas ſegetum, non jucunditas extenſa pratorum
poſſunt animæ exeunti de corpore ullum præſidium af-
ferre, ſed potius lugent qui ea diligunt.* Mundus pro-
dit oſculando, more alterius Judæ b; & blanditiæ b Matth. 26. 49.
ejus ſunt potiùs præſagia alicujus infelicitatis;
quippe qui amplectendo necat, ſicut *Joab* ſeduxit
Abnerem *in dolo, & percuſſit eum in inguine* c. Et de- c 2 Reg. 3. 27.
cipit inſtar alterius Labani ſimplices Jacobos d, d Gen. 29. 23. &c.
quorum non agnoſcit obſequia niſi ingratitudini-
bus. Tandem, Mundus eſt ſicut caupo, qui ſubmi-
niſtrat & apponit hoſpitibus ſuis cibaria ſalſa, ut
eò frequentiùs inducat eos ad bibendum, & ſic ea
cariora illis divendat. Mundus igitur eſt mare, in
quo fit iſte piſcatus.

Piſcatores, qui piſcatum iſtum exercent, dupli- II. Pars.
cis ſunt generis, quorum fines ſunt prorſus diffe-
rentes, cùm alii piſcentur ad perdendum, alii verò
ad ſalvandum: illi ſunt diaboli, iſti verò ſunt Præ-
dicatores Evangelici. Diaboli piſcantur, ut defe-
rant piſces ſuos in coquinam inferni, & eos ibi tor-
reant ſuper carbonibus ardentibus iræ Dei, *Pars
illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt
mors ſecunda* e. Sed Prædicatores piſcantur, ut pi- e Apoc. 21. 8.
ſces ſuos apponant menſæ cœli in æternitate: pro- f S. Bon. Serm. 3. Dom. 4. poſt Pent.
pterea S. Bonaventura f, qui erat Prædicator Sera-
phicus, dicebat, *Utinam ego miſer peccator hodie u-
num piſciculum, unum hominem Domino meo Jeſu
Chriſto capere poſſem.* Hinc patet, quòd piſces iſtius
maris mundi, quos capiunt iſti piſcatores, non
ſunt alii niſi homines. Quàm magnus eſt piſcatus
diabolorum, & quàm ingens eſt numerus piſci-
um quos capiunt, cùm proponant eis voluptatem,
veram eſcam hominum animalium, qui toti ad-
hærentes terræ & deliciis diffluentes non cogitant
de hamo damnationis æternæ, qui latet ſub eſcâ,
ſe videntes captos, cùm cogitabant ſe capturos;
ideò quia non ſunt ſatis perſpicaces ad obſervan-
dum hujuſmodi hamum, eò quòd nimis adhære-
ant materiæ, quæ obſcurat ipſis oculos: *Animalis
autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*, ait
S. Paulus g. *Unde ſicut piſces, & aves, & mures eſcâ* g 1. Cor. 2. 14.
*decipiuntur, ut capiantur: ſic anima eſcâ voluptatum,
vel rerum temporalium* dicit S. Bonaventura h. Et h S. Bon. Serm. 3. Dom. 4. poſt Pent.
ſtatim ſubdit: *Auguſtinus: Res cùm vis capere, peris in
muſcipula: cùm enim tenes alienum, teneris à diabolo.*

Eſca carnalium eſt voluptas : & certum eſt quòd virtus non reperitur in regno voluptatis, quæ ipſius eſt interemptrix. Iſti maledicti piſcatores utuntur eſcâ ad attrahendos piſces iſtos infortunatos; infinita habent alia media, quibus illos circumveniant. Induſtrii piſcatores, cùm capiunt magnum aliquem piſcem funiculo & hamo, non trahunt illum confeſtim ex aquâ, nec circa eum præ violentiâ procedunt : alioquin enim piſcis ſentiens ſe captum, conatum faceret, & funiculum dirumperet, quò ſibi libertatem conciliaret, cujus ſuſtinere non poteſt jacturam ; ſed illum ſuaviter trahunt, laxantes ei interim funiculum donec totum deglutiverit hamum, qui eſt cauſa ruinæ & jacturæ ipſius, & tunc in terram facilè trahunt eum, nedum poſſit effugere : eodem ſe gerunt diaboli modo : cùm enim projecerunt hamum opertum eſcâ voluptatis, aut alicujus alius rei temporalis, capiunt homines, & inducunt eos ad aliquod enorme peccatum patrandum; ſed veriti ne fugiant, ſi fortè cognoſcant infortunium ſuum, permittunt eis adhuc ut alicui bono operi incumbant, non ut eos dimittant, ſed ut illos majori ſecuritate teneant. Videte quomodo tenentes Herodem in adulterio

i Marc. 6. 17. & ex Levit. 18. 16. inceſtuoſo i, permittebant ei ut audiret S. Joannem Baptiſtam, & multis aliis vacaret : ſed tandem illum induxerunt ad hoc ut præciperet inferendam illi mortem, ut ipſe ſe meliùs inde præcipitaret in æternam damnationem, in quam effectivè lapſus eſt, juxta iſtud effatum Prophetæ, *Abyſſus abyſſum*

i Pſ. 41. 8. *invocat* i. Ha! quàm aſtuti ſunt iſti piſcatores, & quàm multos decipiunt, permittentes eis ut incumbant alicui actioni, cujus apparentia præ ſe fert aliquid boni, ita ut ſibi blandientes putent, ſe eſſe in viâ cœli, licèt cæco impetu & laxis habenis currant ad omnimodam ruinam ſuam, juxta iſtud Propheticum, *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum,*

k Jer. 8. 6. *quaſi equus impetu vadens ad prælium* k. Cùm id omne quod agunt in ſtatu peccati mortalis, nihil ipſis ſerviat ad ſalutem, cùm non habeant in ſe principium meriti, quod eſt gratia, juxta id quod

l 1. Cor. 13. 1. &c. dixit Apoſtolus l, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam : factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero : nihil mihi prodeſt.* Videtis quàm ingentes ſint aſtutiæ iſtorum piſcatorum, putà diabolorum, atque ac immodicæ ſtrages atque vaſtitates quas patrant piſcationibus ſuis.

Alii Piſcatores, ſunt Prædicatores Evangelici. Felices illi piſces, qui ſinunt ſe capi ab eis, cùm tota ipſorum felicitas pendeat ab iſtâ ſui ipſorum capturâ, *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Do-*

m Jer. 16. 16. *minus, & piſcabuntur eos* m. Sed quàm merito jure queri poſſunt intuitu exigui ſui ſucceſſus iſti piſcatores, more Apoſtolorum noſtrorum in Evangelio hodierno, *Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Noctu diuque laborant, ſudant, nedum perſæpè vel unicum capiunt piſciculum, id eſt, nedum vel unicam convertant animam. Hoc infortunium provenire poteſt partim è piſcatoribus, partim verò è piſcibus. E piſcatoribus, eò quod non ſint ita ritè illuſtrati, nec habeant omnia lumina quæ ipſis eſſent neceſſaria ad intelligentiam Scripturæ, quod efficit interdum ut nihil capiant : aut ſi habeant alias intentiones ab illis, propter quas deſtinati ſunt ad hoc eminens offi-

cium piſcationis animarum : tunc enim dicere poſſent præ tanto doloris affectu præ quantâ veritate, *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus* ; ſe laboraſſe in vanum, & totum laborem à ſe inſumptum, fuiſſe inutilem. Sed cùm Prædicatores ſunt tales quales eſſe debent, & tantum habent ardorem quantum ſplendorem, ut ſuo miniſterio fungantur præ tanto zelo præ quantâ puritate intentionis, defectus piſcationis non provenit ex ipſis, ſed hujuſmodi defectus ex piſcibus oritur. Hic autem defectus meliùs videbitur in ulnmâ parte diſcurſus iſtius: tranſeamus igitur ad tertiam.

Venti qui agitant iſtud mare ſeculi, ſunt iſti III Part.
quatuor venti, quos aliàs in viſione vidit Daniel n, n Dan. 7. 2.
dicens, *Videbam in viſione meâ nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Primus ventus qui flat ex Oriente, eſt ventus ſuperbiæ, ventus vanitatis, qui habet principium ſuum è nativitate majorum, ex eorum nobilitate, ex illorum ſanguine: ventus impetuoſus, cùm florentiſſimas quaſque familias deſtruat; & homines qui ſibi blandiuntur intuitu antiquitatis domus ſuæ, ſecum non invehant, niſi probrum & pudorem quo ſuffunduntur, ſe non eſſe more illorum, qui ipſos præceſſerunt : præterquamquòd parvi ducitur à Deo nobilitas ſanguinis, ſi deſit nobilitas virtutis, quæ ſola qualitas nos diſtinguit ab aliis, *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt* o, ait Dei Filius. Mitto o Matth. 12. 50.
illud, quod dicebat Poëta,

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

In hâc quippe adimpletione Divinæ Voluntatis eſt ſita vera nobilitas : nam quantùm ad nativitatem & mortem, utraque communis eſt omnibus indifferenter hominibus, *Unus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus* p. Deus autem qui meli- p Sap. 7. 6.
ùs ſcit quàm ſciamus nos in quo conſiſtat vera nobilitas, elevat perſæpè eos, qui infima loca tenent in opinione noſtrâ : teſtes ſunt Saül primus Rex Iſraël, & David ſucceſſor ipſius, qui cùm eſſent in contemptu mundi q, fuerunt electi ut eſ- q 1. Reg. 9. 3. &c. & 1. Reg. 16. 11.
ſent illius gloria r. Quid enim prodeſt nativitas illuſtris, ſi pravis moribus ſordeſcat?

Secundus ventus, qui perflat in mari noſtro, eſt r 1. Reg. 10. 1. &c. & 1. Reg. 16. 12. & 13.
Auſter, hic eſt proſperitas & felix ſucceſſus negotiorum, ventus ſuavis, Zephyrus jucundus, qui nos elevat ſurſum, ſed perſæpè ut ruinam noſtram peragat medias inter elevationes iſtas : & ideò debemus nobis attendere : Deus enim qui nunquam permittit aliquid niſi propter ſancta motiva, permittit ut interdum nobis Fortuna rideat, ſed præ hoc conſilio ut inde novâ deſideria concipiamus recipiendorum noſtri ipſorum in meliorem emendationis vitæ frugem, & poſſidendæ fruitionis ſolidiorum oblectamentorum, *Dedit illis regiones Gentium : & labores populorum poſſederunt.* Sed quare ? Ratio illius conſequenter præſto eſt, *Ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant* ſ. Si ſ Pſ. 104. 44. & 45.
autem aliter agimus, hæ proſperitates ſunt velut tabulæ putridæ ad moliendam ruinam noſtram, ut ait Poëta,

Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

Et Pſalmiſta, *Dejeciſti eos dum allevarentur* t. *Quoniam excelſus Dominus, alta à longe cognoſcit* u. t Pſ. 72. 18. u Pſ. 137. 6.

Tertius ventus venit ab Occidente, ventus impetuoſus, & qui cauſat naufragia, & is eſt vitium carnis inducens hominem ad capeſſendas voluptates ſuas, ad ſe tradendum in prædam deliciis, & ad volutandum ſe more porci infamis in volutabro luti naturæ corruptæ: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* x. Maledictum peccatum, quod blandiens corpori, animæ mortem infert, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* y. *Homo autem occidit quidem per malitiam animam ſuam* z. Et quod pro momento voluptatis, acquirit æternitatem ſupplicii, *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* Vitium indignum Chriſtiano, quod faciens eum deſerere naturam hominis, mutat illum in naturam bruti, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, ait Pſalmiſta a. Et Apoſtolus b, *Ergo, Fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus c: *Id eſt, quamvis aliquo modo obligemur carni, videlicet ut ei neceſſaria miniſtremus in victu atque veſtitu, non tamen ſic ei obligati ſumus, ut ejus concupiſcentiis acquieſcamus, carnaliterque vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini morte culpæ in hoc ſeculo, & morte perpetuâ in inferno.*

x Gen. 8. 21.
y Ezech. 18. 4 & 20.
z Sap. 16. 14.
a Pſ. 48. 13. & 21.
b Rom. 8. 12. & 13.
c Dion. Carth. art. 11. in Rom. 8 12. & 13.

Quartus ventus qui perflat mare noſtrum, in quo Diabolus exercet piſcationem ſuam, eſt ventus Aquilo, *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ*, ait Jeremias d. Et Cornelius e, *Symbolicè, Aquilo eſt frigidus, aſper, & læva mundi regio: hinc læva, triſtia ſignificat. Aquilo ergo ſignificat tempeſtatem, Id eſt, calamitatem fore maximam. Nullus enim ventus tam vehemens quàm Aquilo, nullus tam rapidus, tam frigidus, tam urens. Unde, Frigidus ventus Aquilo flavit, & gelavit cryſtallus ab aquâ: ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut loricâ induet ſe aquis. Et devorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride, ſicut igne* f. Ventus tentationum, quæ nos invitant & inducunt jugiter ad malum, niſi fortes & induſtrii ſimus ad reſiſtendum eis; & à quibus immunis eſt nemo, cùm ne vel ipſe Salvator ab illis liber fuerit, quippe qui *ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* g. Et, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, dixit Job h. Et poſt eum Hugo Cardinalis i: *Alia litera habet, Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Nec dicitur tentari vita, ſed ipſa tentatio: quia caro corrupta ex ſe, contra ſe moleſtias gignit. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* k. *Tentatur autem homo exteriùs à carne, & à mundo, interiùs à diabolo.* Cum igitur impetamur ventis ita contrariis in mari hujus mundi, attendere nobis debemus, ne naufragium perpetiamur inter tot ſcopulos, & ſic manifeſta pericula quæ nobis imminent. Iſti ſunt quatuor venti, qui favent piſcatui dæmonum in mari hujus mundi.

d Jer. 1. 14
e Cornel. in Jer. 1. 14.
f Eccli. 43. 22. & 23.
g Matth. 4. 1. &c.
h Job. 7. 1
i Hug. Card. in Job. 7. 1.
k Rom. 7. 23.

IV Part. Si autem videre velitis retia, quibus homines, iſti piſces infortunati capiuntur, *Cadent in retiaculo ejus peccatores* l: obſervate quòd eorum ſex genera ſunt, quibus diaboli piſcantur illos ſecundùm occaſiones. Primum eſt levitatis, ſecundum multitudinis, tertium bonitatis Dei, quartum exempli, quintum juventutis, ſextum neceſſitatis ratione Præſcientiæ Divinæ. Primum, rete levitatis in hoc eſt ſitum, quòd diabolus perſuadet homini, quòd peccatum non eſt tantum malum quantum Prædicatores in ardore ſermonum ſuorum illud proclamant, excandeſcendo adverſùs illud in cathedris; unde capit ipſe diabolus anſam inſpirandi eidem homini, quòd ipſe non ſit ita ater ſicut depingitur, nec ſic horribilis qualis repræſentatur, quod potiùs eſt figmentum & exaggeratio Oratoris, quàm pura veritas. Horribile mendacium, & digna productio tali patre qualis eſt diabolus! *Quia non eſt veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus* m. Et S. Gregorius n ſuper hæc verba Job, *Vadent & venient ſuper eum horribiles*, dicit, *Qui hoc loco horribiles, niſi maligni ſpiritus appellantur, bonis videlicet mentibus pavendi atque fugiendi? Et quia iidem maligni ſpiritus certis quibuſque vitiis ſinguli obſequi ſunt credendi: cùm perverſus iſte alia quidem vitia ad momentum deſerere videtur, ſed alia agere incipit, ſuper hunc profectò horribiles vadunt & veniunt: quia perverſi mentem, etſi alia mala deſerunt, alia occupant. In cujus ergo mentem vitia vitiis ſuccedunt, rectè de eo dicitur: Vadent & venient ſuper eum horribiles, quia quot vitiis decedentibus, & ſuccedentibus premitur, tot malignis ſpiritibus ejus animus quaſi euntibus ac redeuntibus devaſtatur.* Sed ſi ſic horribiles ſunt dæmones, quanta pœna tolerabitur à damnatis in inferno ex illorum viſione? Si enim Beati in cœlo perfunduntur inexplicabili gaudio ex viſione Dei, cùm iſta viſio unita dilectioni faciat paradiſum, ſicut Patrem ſuum alloquens *Jeſus*, *ſublevatis oculis in cœlum dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* o: *Et nunc qui redempti ſunt à Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt* p: damnati ſuſtinent tormenta intolerabilia, videntes dæmones in inferno. Præterea, Ignis inferni, ſuggerit diabolus, non eſt ita violentus ſicut figuratur. Heu! quàm durum eſt fieri peritum illius, propriâ experientiâ, *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* ait nobis Iſaias q. Errorem deponite, Auditores, putantes, quòd ſalus non eſt ſic difficilis executionis, ſicut dicitur. *Arcta via eſt quæ ducit ad vitam* r, dicit Salvator. Si autem Dei Filius vocat illam ſtrictam, quis audebit eam facere latam, niſi præſumat impudenter eum inſimulare mendacii? *Si Juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* inquit S. Petrus ſ.

l Pſ. 140 10.
m Joan. 8 44.
n S. Greg lib. 19. Mor. c. 13 in Job. 20 25.
o Joan. 17 1. & 3.
p Iſai. 51. 11.
q Iſai. 33. 14.
r Matth. 7. 14.
ſ 1. Petr 4 18.

Secundum eſt rete multitudinis, cùm diabolus ſuggerat peccatori, ipſum non eſſe ſolum qui committat tale crimen, ad quod ipſum ſolicitat, & quòd multi patrant illud cum ſpe ſuæ ſalutis operandæ. Abuſus, Auditores, cum non peccet quis minus cùm peccat in ſocietate quàm cum ſolus offendit. Si autem intueri debemus multitudinem, ſanè noſtros projicere debemus oculos ſuper exempla Bonorum, ut illis adhæreamus.

Tertium, eſt rete bonitatis Dei, cùm diabolus inſpiret peccatori, quòd Deus ipſi multoties pepercit, quòd ipſi gratiam tribuit confitendorum peccatorum ſuorum, quòd ipſum à tot & tot eripuit periculis, & quòd curam ipſius egit in tali & tali occaſione, ſeu periculo. Reſpondeo, quòd Deus eo ſe geſſit modo erga peccatorem, ut illum induceret ad elaborandam converſionem ſuam, & ad faciendos *fructus dignos pœnitentiæ* t. Quòd ſi amor, quo Deus nos diligit, facit ipſum noſtra diſſimulare *peccata propter pœnitentiam* †, quandiu manemus ſteriles, præ noſtrâ memoriâ ponamus Evangelicam u *hanc ſimilitudinem*. *Arborem*

t Luc. 3. 8
† Sap. 11. 24.
u Luc. 13 6. &c.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vineâ ſuâ : & venit quærens fructum in illâ, & non invênit. Dixit autem ad cultorem vineæ , Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hâc , & non invenio. Succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ? Et inde diſcamus, quòd quò plures à Deo gratias ſuſcepetimus , eò majorem earum rationem reddemus eidem Deo : *Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur , & in ignem mittetur* x. Heu ! quàm ingens eſt infortunium noſtrum , cùm inde , unde debemus ei ſervire majori fidelitate , offendamus illum majori ingratitudine , *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo* , ait S. Lucas y. *Cùm enim augentur dona , rationes etiam creſcunt donorum* , dicit S. Gregorius z.

Quartum, eſt rete exempli , cùm diabolus proponat Davidem peccatorem *a* & pœnitentem *b*, Magdalenam peccatricem & contritam *c*, Petrum negatorem Domini ſui & converſum *d* , Saulum perſecutorem & defenſorem *e*. Ha ! quàm aſtutus eſt ille : nihil ait de Salomone *f*, qui ſalutem ſuam dereliquit ſuſpectam poſt tot lumina , quibus fuerat illuſtratus , quippe qui præceſſit *omnes ſapientiâ, qui fuerant ante ipſum in Jeruſalem* g. Nihil de Pharaone obſtinato *h*, & aliis hujuſmodi, qui *ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus* i. Nihil de Antiocho reprobato , de quo ait Scriptura *k*, *Orabat hic ſceleſtus Dominum , à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Et tacet de Juda impœnitente , qui *laqueo ſe ſuſpendit* l : Offert calicem , ſed abſcondit venenum. At reſpondeo , quòd non debemus eos conſiderare ut exempla quæ nos inducant ad peccatum , ſed ad agendam pœnitentiam, *Spes impiorum peribit* m.

Quintum , eſt rete juventutis , cùm Diabolus ſuggerat ſupereſſe ſat temporis ad agendam pœnitentiam , & ideò perſuadeat ad indulgendum genio & voluptati , & inducat juvenes ad dicendum , *Venite , & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus : & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequàm marceſcant : nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra* n. Ha ! Auditores , nolite blandiri vobis , & auſcultate Scripturam dicentem vobis ſingulis , *An ſperas in baculo arundineo atque confracto , ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus , & perforabit eam* o ? Juvenibus , æquè ac ſenibus *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori* p. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram , quæ non revertuntur* q. Cùm aliquid noſtri eſſe ſingulis amittamus momentis. *De die autem illo vel horâ nemo ſcit. Videte , vigilate , & orate : neſcitis enim quando tempus ſit* r. Et, *Stulte , hâc nocte animam tuam repetunt à te* ſ. Et S. Auguſtinum t , *Propter iniquitates converſo tibi indulgentiam Deus promiſit, ſed craſtinum diem tibi nemo promiſit.*

Sextum & ultimum , eſt rete neceſſitatis , cùm ſuggerat Diabolus , quòd jacta eſt alea , & actum eſt de ſalute noſtra ; cùm alleget quòd ſtabilia ſint decreta Dei, qui *dicit* , *Ego Dominus, & non mutor* u. Ego verò reſpondeo quòd ſicut S. Auguſtinus *x* nos ſingulos alloquens , ait , *Qui fecit te ſine te , non te juſtificat ſine te* : ſic Deus non perdet nos ſine nobis , id eſt , niſi ipſum inducamus criminibus noſtris ad moliendam jacturam noſtram : Prædeſtinatio enim nullam imponit Electis neceſſitatem benè operandi , ſicut nec ullam reprobis malè agendi Præſcientia Divina : *Sicut enim Prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam ; ita reprobatio includit voluntatem aliquem cadere in culpam , & inferendi damnationis pœnam pro culpâ* , ait S. Thomas y. Et Tertullianus z , *Uſque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus, exinde Judex & ſeverus , & quod Marcioniſtæ volunt, ſævus.* Nihil timere debemus ex parte Dei, ſed de noſtris ambigere debemus operibus : non igitur neceſſitas , ſed ſola voluntas operatur ſalutem, aut jacturam noſtram : ipſa enim eſt origo & principium vitii & virtutis. [Ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam : ſed in ſanctificationem †.] Ecce retia, quibus hi maledicti piſcatores , putà diaboli capiunt tot piſces , id eſt, tot homines , ut illos ire faciant [in ſupplicium æternum ?] Et quare ? Propter defectum ſuum. Et iſtud nobis ſupereſt videndum.

x Luc. 3. 9.
y Luc. 12. 48.
z D. Greg. hom. 9. in Evang.
a 2. Reg. 11. 2. &c.
b 2. Reg. 12. 13.
c Luc. 7. 37. &c.
d Luc. 22. 57. &c.
e Act. 9. 1. &c.
f 3. Reg. 11. 1. &c.
g Eccl. 1. 16.
h Exod. 14. 10.
i Exod. 15. 10.
k 2. Mach. 9. 13.
l Matth. 27. 5.
m Prov. 10. 28.
n Sap. 2. 6. &c.
o 4. Reg. 18. 21.
p Hebr. 9. 27.
q 2. Reg. 14. 14.
r Marc. 13. 32. & 33.
ſ Luc. 12. 20.
t S. Aug. Serm. 10 de Verb. Dom. c. 9. ex Ezech. 18. 21.
u Malach. 3. 5. & 6.
x S. Aug. ſerm. 15 de Verb. Apoſt. c. 11.
y S. Thom. 1. p. q. 23. art. 3 in corp.
z Tert. lib. 2. adverſ. Marcion. c. 11.
† 1 Theſſal. 4. 4. & 7.

[Piſces ſunt homines,] ait S. Bonaventura *b*. Quod patet ex ſupradictis , ex quibus audiviſtis, quòd piſcatores ſunt Prædicatores Evangelici, qui eos piſcari conantur ad ſalutem , ſicut diaboli piſcari nituntur illos ad perditionem. Et hoc confirmat idem S. Bonaventura immediatè antè ſuper verba Evangelii noſtri, dicens : [Sedens in navicula docebat turbas , & ut ceſſavit loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, & laxate retia veſtra in captionem. In hâc naviculâ tot ſunt piſcatores , quot ſunt Eccleſiæ Doctores. Piſces ſunt homines. Faciam vos fieri piſcatores hominum *c*.] Non capiuntur iſti piſces ab his piſcatoribus Evangelicis ; quia ipſi ſunt, aut nimis aſtuti, aut nimis magni , aut nimis parvi. Nimis aſtuti , cùm aſtutiis ſuis declinent ab iſtorum retibus, ſicut agunt homines qui ſe excuſant ab exequendo officio ſuo , qui quærunt ſubterfugia, qui renuunt venire ad concionem , ne audiant veritates quæ ipſis eſſent moleſtæ & injucundæ , quippe quæ diſſolutionibus ipſorum non blandirentur. Sed ſciant, quòd, ſi non ſinant ſe capi à Prædicatoribus , ipsâ mortis horâ capientur à diabolis. Prætereà , Vel quia ſunt nimis magni : & ideo ut ſic dirumpunt retia , id eſt , infringunt præcepta, peccata peccatis accumulant , crimina criminibus aggerant , vivunt more aliorum Pharaonum *d* ſine affectu erga cœleſtia , obſtinati in malitia ſuâ , & univerſi ſermones Evangelici nihil agere poſſunt ſuper mentes ipſorum : & licèt verum ſit id quod [dicit Dominus , Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis , & quaſi malleus conterens petram *e* :] manet tamen induratum eorum [cor tanquam lapis , & quaſi malleatoris incus *f*] ſtrictum , nedum igne Divini Amoris liqueſieri poſſit ipſorum [anima , ut Dilectus locutus eſt *g*] organo Miniſtrorum ſuorum. Et ideò nonniſi difficilè ſuam poſſunt operari ſalutem. [Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas : & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum *h*.] Tandem, Vel quia ſunt nimis parvi , & ideò facilè exeunt è retibus : & hi ſunt timidi & puſillanimi , qui tremefacti rigore parvæ & ſuavis pœnitentiæ, quam ſuſtinere non poſſunt in deliciis ſuis , terga vertunt , malentes eligere [ſupplicium æternum *i*] ſuſtinendum in alterâ vitâ, quam tolerandam in iſtâ momentaneam paſſionem. Et de his queritur Deus , [Et verterunt ad me terga , & non faciem : cùm docerem eos diluculo & erudirem, & nollent audire ut acciperent diſciplinam *k*.] Heu ! Auditores , Prædicatores nihil proficiunt,

V. Parag. b S. Bon. Serm. 2. Dom. 5. poſt Octav. Epiph.
c Matth. 4. 19.
d Exod. 5. 2. &c.
e Jer. 23. 29.
f Job 41. 15.
g Cant. 5. 6.
h Jer. 13. 23.
i Matth. 25. 46.
k Jer. 32. 33.

& dicere poſſunt ei, [Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.] Et nunquid non eſt infortunium deplorabile viſu, quòd diabolus tot lucretur animas ad perditionem, & quòd Deus & Prædicatores ipſius ne vel unicam convertant? cùm capi poſſint [homines à diabolo, à proximo, à Deo,] ait S. Bonaventura *l.* Deus Pater, [qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos *m*,] miſertus cæcitatis miſerorum iſtorum piſcium, [miſit Filium ſuum in mundum,] ut piſcaretur eos, non ut eis mortem inferret, ſicut intendit ſemper diabolus, [ſed ut ſalvetur mundus per ipſum *n*.] Id eſt, ut eos vivere faceret in fluvio [aquæ vitæ *o*:] ſicut ipſemet Filius ait, [Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant *p*.] Etiam, Auditores: Salvator voluit eſſe piſcator & piſcis, cùm [ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo *q*.] Et diabolus conatus eſt illaqueare eum retibus ſuis: mementote aſtutiarum ejus cùm [Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur *r*] ab eo. Sed myſticus iſte piſcis nutritus [in ſinu Patris *ſ*,] aquis cryſtallinis cœli, ſimilis fuit Torpedini, quæ inter Ægyptios erat ſymbolum defenſoris multorum, & liberatoris Reipublicæ: quia cùm retibus capta eſt cum aliis piſcibus, torporem quaſi venenum ſic immittit manui piſcatoris, ut cogatur is ipſam dimittere cum aliis piſcibus, [Torpore Torpedines ſe tutantur,] ait Cicero *t*. Idem contigit dæmoni, qui illaqueare volebat Dei Filium cum cæteris hominibus retibus ſuggeſtionum ſuarum: ſed omnes virtute ejuſdem Filii Dei liberati ſunt, ſicut ipſemet ait, [De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne *u*.] Ita ut dicere poſſimus ei in actionem gratiarum, [Dirupiſti Domine vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis *x*. Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus *y*. Quâ libertate Chriſtus nos liberavit *z*.] Idem piſcis ſit piſcator hominum, cùm trahit [in funiculis Adam eos, in vinculis charitatis *a*] in hoc mundo, ut inebriet eos ſua [ubertate domus, & torrente voluptatis *b*] ſuæ potet illos in altero: & non ſicut

l D. Bon. Serm. 3. Dom. 4. poſt Pent. *m* Matth. 5. 45. *n* Joan. 3. 17. *o* Apoc. 22. 1. *p* Joan. 10. 10. *q* Philipp. 2. 7. *r* Matth. 4. 1. &c. *ſ* Joan. 1. 18. *t* Cic. lib. 2. de Nat. Deor. citat. a Calep. in Dict. V. Torpedo. *u* Oſee 13. 14. *x* Pſ. 115. 7. *y* Pſ. 123. 7. *z* Gal. 4. 31. *a* Oſee 11. 4. *b* Pſ. 35. 9.

diabolus, qui blanditur in hoc mundo, ut torqueat in altero. Jeſus Chriſtus piſcatur è cœlo pœnis & ſuppliciis; eſcæ ejus non ſunt niſi flagella, ſpinæ, clavi, ſpongiæ, amaritudines, & lanceæ *c*: ſed ſuprà nihil eſt intueri præter felicitatem & gloriam, [Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei *d*.] Diabolus è contra nihil præ ſe fert niſi delicias, [Latet anguis in herbâ,] ait proverbium. Ideò ut mortem inferat, [Si mordeat ſerpens in ſilentio *e*.] Euge igitur, piſces rationales, quis ex vobis capi ſe ſinet ab eo, qui capiens vos, mortem vobis cauſabit æternam? Quis ex vobis projiciet ſe in retia ejus, & fugiet ab iſto piſcatore Divino, qui non vult capere vos niſi ut vos libertate donet, educendo vos è ſervitute & tyrannide Satanæ, qui vos reddere vult victimas rigoris ſui? Quænam oves quæ fugiant Paſtorem, ut ſequantur lupum rapacem *f*? Peccator, oportet ut eligas è duobus iſtis unum, aut Deum, aut diabolum: utri ex iſtis tua dicabis obſequia? Fortè dices, ſicut aliàs Synagoga, [Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum *g*.] Nunquid non vides quòd diabolus eandem tibi proponit, quam piſci piſcator, eſcam? Et quomodo credere potes quòd ille te diligat, qui nonniſi tuam ruinam machinatur? Hoc eſt convivium Baltaſſar, in quo Princeps iſte ſuſcipit decretum mortis *h*. Cave ne idem tibi contingat, quod populo Iſraëlitico, [Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos *i*.] Hæc fercula ſunt infecta veneno: quis autem ſic ſtultus erit ut hujuſmodi velit ali cibariis? H[...]perite oculos mentis veſtræ, & videbitis quòd eſt [mors in ollâ *k*.] Conſiderate propinari vobis [poculum aureum, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis *l*.] Audebitiſne illa cibaria, & iſtud poculum deguſtare? [Ante hominem vita & mors *m*.] Penes nos eſt ire in retia Dei, aut Prædicatorum ejus, aut in retia diaboli; ſi eatis in hæc, moriemini; ſi in illa, vobis [gratiam & gloriam dabit Dominus *n*.]

c Joan. 19. 1. &c. *d* Act. 14. 21. *e* Eccl. 10. 11. *f* Joan. 10. 12. &c. *g* Oſee 2. 5. *h* Dan. 5. 1. &c. *i* Pſ. 77. 30. *k* 4. Reg. 4. 40. *l* Apoc. 17. 4. *m* Eccli. 15. 18. *n* Pſ. 83. 12.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Si offers munus tuum ad altare. **Matth. 5, 23.**

AGnus *a* Paſchalis fuit in lege antiquâ Moyſis una è celeberrimis figuris adorabilis myſterii Euchariſtiæ, cùm inter multas rationes, quas non eſt ad propoſitum hîc examinare, quippe non ſpectantes ſubjectum quod habeo tractandum, ſerviret Judæis loco ſacramenti & ſacrificii ſimul: ſacramenti, quatenus manducabant hunc agnum legalem cum quibuſdam ceremoniis religionis: & ſacrificii, prout illud offerebant ſummæ majeſtati Dei. Dominus noſter Jeſus Chriſtus dedit Eccleſiæ ſanctæ, quæ eſt ipſius Sponſa, quippe *quam acquiſivit ſanguine ſuo* b, ſacrum corpus ſuum, quod ipſi diſpenſatur à Sacerdotibus, qui ſunt fideles miniſtri ipſius, *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti* c, ut ſerviat ei loco Sacramenti, & ſacrificii: Sacramenti, cùm fideles illud comedant ut cibum animarum ſuarum, ſicut Judæis ipſemet *dixit Jeſus, Caro mea, verè eſt cibus* d. Et ſacrificii, cùm Sacerdotes illud offerant pro iiſdem fidelibus Deo ſuper altaribus noſtris, *Si offers munus tuum ad altare.* Sed antequàm progrediamur ulteriùs, offeramus beatæ Virgini Deiparæ ſacrificium orationis iſtius, *Ave Maria.*

a Exod. 12. 5. &c. *b* Act. 20. 28. *c* 2. Cor. 3. 6. *d* Joan. 6. 52. & 55.

Veritas eſt indubitata, quòd omnes Religiones tam veræ quàm falſæ, quæ fuerunt ab initio mundi, ſemper habuerunt aliquod ſacrificium, ut partem præcipuam & eſſentialem cultus quem exhibebant Divinitati. Ethnici habuerunt ſacrificia omni tempore, & in omni natione: poſſunt enim reperiri civitates aliquæ deſtitutæ mœnibus quæ ipſas cingant, vel literis quæ ipſas benè moratas reddant, aut Principibus qui ipſas regant; ſed nullus reperitur locus deſtitutus cognitione Divinitatis, & conſequenter qui ſine ſacrificio ſit: & civitas eſſet potiùs ſine fundo & abſque terra, quàm ut non redderet aliquod obſequium, & offe-

offerret aliquam victimam Deo quem agnoſcit. Sed ſicut Dii, quos Ethnici adorabant, nihil valebant; ſic & ipſorum ſacrificia non poterant eſſe bona, & habere ullas qualitates quibus commendarentur, cùm ſua deberent offerre ſacrificia vero Deo, quem naturaliter cognoſcebant: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* e. Hebræi, ſolus populus inter omnes populos terræ, qui ante adventum Domini habebat bonam Religionem, quia ipſa ſolus adorabat Deum verum, *Notus in Judæâ Deus, in Iſrael magnum nomen ejus* f, utebantur multis ſacrificiis relatis in libris Moyſis g, quæ S. Paulus h vocat *infirma & egena elementa.* Quia non poterant delere peccatum, nec conferre gratiam. Solum ſacrificium quod habemus in Lege novâ, eſt perfectum, & omni parte abſolutum, quod David i appellat *Sacrificium juſtitiæ*. Tam quia in eo continetur *Juſtus* k *juſtorum*, & *Sanctus ſanctorum* l, Dominus noſter, quàm quia ex ſe juſtificat animas per infuſionem gratiæ; & aliorum donorum, quæ ipſe Salvator communicat. Et ſicut ſacrificium eſt punctum præcipuū, anima, & eſſentia cujuslibet Religionis, & quòd noſtra antecellit omnes alias quæ fuerunt, & quæ unquam erunt, oportet etiam ut ſacrificium quo ipſa honorat Divinitatem, ſit nobiliſſimum & excellentiſſimum omnium: *Ab Ortu enim Solis uſq; ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum* m. Cùm iſtud ſacrificium, ſeu hæc oblatio, nempe miſſa, ſit res præ omnibus quas habemus hîc, quæ Primò majus oblectamentum afferat Eccleſiæ triumphanti, Secundò majus auxilium Eccleſiæ patienti, Tertiò abundantius emolumentum Eccleſiæ militanti.

e Rom. 1. 19. &c.

f Pſ. 75. 2.

g Levit. c. 1. & ſeqq.

h Gal. 4. 9.

i Pſ. 4. 6.

k Pſ. 118. 137.

l Dan. 9. 24.

m Malach. 1. 11.

Diviſio.

I. Pars.

Ad majorem intelligentiam & inſtructionem ſubjecti quod tractamus, eſt obſervandum quòd erant in veteri Lege quatuor genera ſacrificiorum, quæ erant diſtincta per fines diverſos, ad quos referebantur. Prima vocabantur holocauſta, quæ habebant pro fine ſolam gloriam Dei, *Si holocauſtum fuerit ejus oblatio* n, ait Deus. Et Cornelius o, *Holocauſtum vox Græca eſt, quaſi dicas ὅλον καυστόν, id eſt, totum combuſtum; quòd in eo tota victima Deo combureretur. Hinc rurſum Græcè vocatur ὁλοκάρπωμα quòd totum in Dei fructum cederet. Holocauſtum ergo erat ſacrificium Deo oblatum purè ad laudem Dei, & honorem ſupremæ majeſtatis ejus, atq; amorem ſummæ bonitatis ejuſdem, etſi ab ea nihil expectaremus gratiæ*, ait Philo. Secunda nominabantur propitiatoria, quibus petebatur à Deo venia peccatorum commiſſorum, *Facietis & hircum pro peccato* p, dicit idē Deus. *Facietis, id eſt, ſacrificabitis*, ſubdit præfatus Cornelius q. Tertia appellabantur euchariſtica, ad reddendas Deo gratiarum actiones pro beneficiis ab illo ſuſceptis, *Si immolaveritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino* r, dicit idem Deus. Quarta dicebantur impetratoria, & fiebant ut nova peterentur beneficia, *Hi qui offerebant ſacrificia Domino, ex toto corde ſuo omnes orabant Deum, ut viſitaret populum ſuum Iſrael* ſ. Holocauſtum fuit inſtitutum ad reddenda ſummæ Dei majeſtati omnia obſequia, cùm in eo combureretur totum animal, homine inde proteſtante Deo, quòd ſicut omnia tenebat è manu ipſius, cùm eſſet ſuum *Principium, & Finis* t ſuus ultimus, & Creator ſuus, à quo omnino pendebat, cui debebat vitam, & id omne quod habebat, & ad cujus gloriam referre debebat omnes actiones ſuas; ſic totum ſe conſecrabat ipſi: & quòd non ſecus ac deſtruebat & immolabat hanc victimam; ſic ipſe Deus habebat plenam poteſtatem deſtruendi & interimendi ipſum: *Hâc enim de causâ in holocauſto tota victima cremabatur, ut per hoc ſignificaretur ſummum Dei dominium in res omnes, omniaque referenda ad ipſum ipſiuſque gloriam. Secundò, Offerentes per hoc proteſtabantur ſe totos eſſe Deo, ſeque quaſi cum holocauſto totos Deo conſecrabant, ut quaſi corpore proſtrato, animam cum beſtia ſua fumo in cælum ſuſtollerent, atque in Deum transferrent*, ait Cornelius u. Prætereà, Sicut quotidie peccamus contra majeſtatem Dei: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, ait S. Joannes x: & Dionyſius Carthuſianus y, *Hoc communiter de venialibus culpis exponitur, ſine quibus præſens vita non agitur, cùm in Proverbiis z dicatur, Juſtus ſepties in die cadit: Et iterùm Salomon conteſtatur. Non eſt homo ſuper terram, qui faciat bonum, & non peccet* a: *Unde & Jacobus ait Apoſtolus* b, *In multis offendimus omnes: Auguſtinus quoque de venialibus exponit hunc locum: Aliqui verò exponunt de mortali peccato, quia & ſi quis juſtus exiſtat, tamen ſine revelatione Divinâ non valet certitudinaliter ſcire eſſe ſe abſque mortali; idcircò ſi aſſerat ſe illo carere, peccatum incurrit ſuperbiæ atque jactantiæ, imò & falſitatis, ſi ſe aſſerat ſcire mortale ſe vitium non habere*: ſic debemus diebus ſingulis ab eodem deo noſtrorum peccatorum veniam poſtulare, ſatisfacere juſtitiæ ejus, & mitigare iram illius: ſacrificia autem propitiatoria erant propter iſtud. Et cùm homo mereatur in pœnam cujuslibet peccati quod committit, imò verò pro minimo veniali, amittere bona, vitam, & honorē, Deus olim miſericordiâ ſuâ ductus, transferebat iſtam pœnā mortis ſuper animal quod ipſi ſacrificabatur; propterea homo peccator imponebat manus ſuas capiti victimæ, velut declarans & dicens, quòd ſe agnoſceret dignum morte, quæ mox inferēda erat illi animali, [Ponetque manum ſuper caput ejus c.] Inſuper, E manu Dei jugiter beneficia ſuſcipimus, tam generalia quàm particularia, tā naturæ quàm gratiæ: [Omne datum optimum, & omne donum perfectū, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminū d.] Pro quibus omnibus & ſingulis beneficiis debemus ei continuas gratias agere: & hoc eſt quod illi faciebant mediis ſacrificiis euchariſticis. Tandem. Quemadmodum rebus indigemus innumeris, & quantùm ad corpus, & quantùm ad animam, & ipſe ſolus poteſt nobis eas dare, oportet ut illas ab eo poſtulemus, & utamur mediis idoneis & efficacibus ad eas impetrandas, & hæc erant ſacrificia impetratoria. Nunc autem, ut veniamus ad propoſitum noſtrum, ſanctiſſimum, auguſtiſſimum, & adorabiliſſimum ſacrificium Miſſæ, quod eſt ſacrificium incruentum novæ Legis, quod offerimus in Eccleſiâ Catholicâ, ſucceſſit virtute ſacrificii cruenti crucis, omnibus ſacrificiis Legis antiquæ & Moyſis, & adimplet ipſum ſolum cum prærogativâ infinitè excellenti omnia eorum officia. Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd ſacrificium quod offerimus Deo, eſt idem in eſſentiâ cum illo quod ipſi fuit in cruce oblatum, & quòd nulla eſt differentia inter utrumque niſi per aliquas ceremonias, & per aliqua

n Levit. 1. 3.

o Cornel. in Levit. 13.

p Levit. 23. 19.

q Cornel in Levit. 23. 19.

r Levit. 22. 29.

ſ Judith. 4. 16. & 17.

t Apoc. 1. 8.

u Cornel in Levit. 1. 3.

x 1. Joan. 1. 8.

y Dion. Carth. art. 1. in 1. Joan. 1. 8.

z Ex Prov. 24. 16.

a Ex 3. Reg. 8. 46.

b Jacob. 3. 2.

c Levit. 4. 4.

d Jacob. 1. 17.

aliqua accidentia: *Ipſa eſt ſacrificium, & Sacerdos, & Hoſtia: eundem enim ſemper offerimus: non nunc quidem alium, ſed ſemper eundem*, dicit S. Chryſoſtomus e, loquens de noſtro ſummo Pontifice Jeſu Chriſto.

e S. Chryſoſt. hom. 17. in c. 9. ad Hebr. in fine.

Cùm enim iſte Dominus noſter nobis eripere deberet præſentiam adorabilem corporis ſui, & illud transferre præ triumpho in cœlum, oportebat ut ipſe in favorem noſtrum conſecraret hoc idem corpus, & hunc ſanguinem pretioſum ſuum, & ut ipſum nobis relinqueret ut maximum & auguſtiſſimum Eccleſiæ ſuæ Sacramentum, ut faceret in hoc ſacro & adorabili myſterio memoriam continuam pretij noſtræ ſalutis, quod oblatum fuit & ſolutum ſuper altari crucis ſemel; cùm rectæ rationi maximè conſonum ſit, ut, ſicut diebus ſingulis effectum ſolutionis iſtius experiuntur homines, iidem homines repræſentent & offerant quotidie Deo Patri hanc ſolutionem factam pro ipſis à Filio ipſius, & ut hæc ſacra Hoſtia immolata vivat jugiter in ipſorum memoriâ, ſicut hæc perpetuò confert ipſis gratiam: Hoſtia verè unica & perfecta, quæ intuenda eſt, non oculis corporis, ſed oculis mentis, & judicanda non ex apparentiâ exteriori, ſed juxta informationes quas fides de ipſâ nobis dat: *Nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu potentiæ, præſentiâ majeſtatis, in Dominici corporis tranſire poſſe naturam, cùm ipſum hominem videat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum. Sicut autem quicumque ad fidem veniens ante verba Baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his verò commemoratis mox exuitur omni face peccati: ita quando benedicenda verbis cœleſtibus creatura ſacris altaribus imponuntur, antequàm invocatione ſancti nominis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti corpus & ſanguis Chriſti*, dicit S. Cæſarius f.

f S. Cæſar. hom. 7. de Paſchate in fine.

Atqui differentiæ accidentales, quæ diſtinguunt hæc duo Sacrificia, ſunt, quod Sacrificium crucis eſt Sacrificium redemptionis, ſatisfactionis, & ſolutionis: Sacrificium verò altaris eſt Sacrificium applicationis & commemorationis, inſtitutum ad applicandam in particulari hanc ſolutionem & virtutem illius primi Sacrificij, & ad illud repræſentandum: *Quoniam Dominus Jeſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquàm cœnavit, dicens, Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine; hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis donec veniat*, ait S. Paulus g.

g 1. Cor. 11. 23. &c.

Et Dionyſius Carthuſianus h, *Hoc facite, id eſt, conſecrationem hujus Sacramenti continuate. Quod pertinet ad Sacerdotes duntaxat. Vel, Hoc facite, id eſt, corpus meum accipite atque comedite in meam commemorationem, id eſt, ad memoriam actualem eximiæ dilectionis, ac acerbiſſimæ paſſionis meæ, imò & omnium beneficiorum meorum. Quod pertinet ad omnes fideles. Hoc prædixiſſe videtur Pſalmiſta i, cùm ait, Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.*

h Dion. Carthuſ. art. 21. in 1. Cor. 11. 24. &c.

i Pſal. 110. 4.

Similiter, ſicut de acceptione panis jam dictum eſt, & calicem cum vino quod erat in calice, Chriſtus accepit, & ſanguinem ſuum conſecravit, poſtquàm cœnavit, hoc eſt, agno Paſchali comeſto, dicens: Hic calix, id eſt, contentum in calice iſto, videlicet ſanguis meus, qui verbis conſecrationis prolatis continetur in calice, novum teſtamentum eſt, id eſt, novæ promiſſionis ſtabilimentum. In veteri enim Teſtamento promittebantur bona temporalia & carnalia k. In novo autem cœleſtia & æterna l. Vel, novum teſtamentum, id eſt, nova ac Evangelica doctrina, ſeu novi teſtamenti confirmativum in meo ſanguine, id eſt, virtute & pretio effuſionis ſanguinis mei. Per effuſionem enim Sanguinis Jeſu Chriſti, præparata ſunt nobis bona cœleſtia, & horum bonorum promiſſio ſtabilitur in fide & merito Sanguinis Chriſti. Ipſum quoque novum Teſtamentum in ſanguine Chriſti ratificatur, juxta illud ad Hebræos m, Teſtamentum, in mortuis confirmatum eſt.

k ex Exod. 3. 8.

l ex Jo. 6. 51.

m Hebr. 9. 17.

Hoc facite, id eſt, calicem iſtum accipite, & potate, quotieſcumque ſumitis eum, in meam commemorationem, ſicut dictum fuit de corpore. Deinceps Apoſtolus quaſi exponens verba Chriſti immediatè prædicta, ſubjecit; Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, hoc eſt, corpus Chriſti, quod dicitur panis per proprietatem, quoniam alit: unde ait Salvator, Ego ſum panis vivus n: item quia ſub accidentalibus formis panis continetur: & calicem, id eſt, contentum in calice ſanguinem Chriſti, bibetis, mortem Domini, id eſt, Chriſti paſſionem annunciabitis, prædicando, commemorando, vel repræſentando, donec veniat judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem in die noviſſimo.

n Joan. 6. 51.

Unde fit ut Sacerdos qui Miſſam celebrat, exprimat in veſtibus ſuis ſacris, & in actionibus ſuis Dominum noſtrum, quantùm ad circumſtantias paſſionis, & mortis ipſius. En eadem officia quæ peragit Sacrificium noſtrum novæ legis, relata ad Sacrificia veteris Teſtamenti poſt ſecundam differentiam, quæ admittitur inter utrumque ſacrificium, crucis videlicet, & altaris, quæ in hoc eſt ſita, quòd ſacrificium crucis fuit viſibile, & cruentum, & oblatum eſt vice unicâ, quâ pro omnibus peccatis ſatisfecit juſtitiæ Dei: *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, ait S. Paulus o. Et Dionyſius Carthuſianus p, *Unâ enim oblatione, id eſt, merito ſuæ unicæ paſſionis, ſeu immolationis in cruce, conſummavit, id eſt, plenè redemit, & quantùm in ſe eſt, ad perfectionem adduxit in ſempiternum ſanctificatos, id eſt, Electos, ſeu omnes qui in hoc ſæculo per gratiam ſanctificantur. Æternam enim beatitudinem eis promeruit, imò gratiam in præſenti, & gloriam q in futuro.*

o Hebr. 10. 14.

p Dion. Carthuſ. art. 10. in Hebr. 10. 14.

q ex Pſ. 81. 2.

Sacrificium verò altaris eſt inviſibile, & incruentum, & quotidie reiteratum, *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi r*, ait Dei Filius. *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſiâ per Sacramentalem præſentiam*, ſubdit idem Dionyſius Carthuſianus ſ.

r Matth. 28. 20.

ſ Dion. Carthuſ. art. 45. in Matth. 28. 20.

Sacrificium eſt perfectiſſimi holocauſti, quod affert maximum oblectamentum toti Eccleſiæ triumphanti cœli: quia Sacerdotes offerentes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Deo, exhibent ei honorem infinitum, agnoſcunt quòd eſt primum *Principium* t. Et præſentantes ei verbum ſuum, ſeu Filium ſuum, *qui eſt imago Dei inviſibilis, Primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt univerſa u in cœlis, & in terrâ, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant: Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt Principium, Primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens x*: ut facere poſſit de univerſis creaturis quidquid ipſi placuerit, proteſtantur quòd eſt *Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat Majeſtati y* ejus.

t Apoc. 1. 8.

u ex Jo. 1. 3.

x Coloſſ. 1. 15. &c.

y Eſth. 13. 11.

Quia ad nutum ſignum voluntatis illius, ſubſtantiæ panis & vini quæ ſunt in terrâ, & præcipuæ earum quæ ſuſtentant vitam noſtram, deſtruuntur in hoc myſterio: & humanitas Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ eſt *in cœlo* z elevata ſupra omnes creaturas, ponitur ſub accidentibus Hoſtiæ, ubi eſt quidem vivens in ſe, ſed repræſentans ſacrificium

z Pſ. 10. 5.

mortis

a Apoc. 1.8.

mortis ſuæ : & quòd eſt ultimus *Finis* a, ad cujus gloriam refertur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & in illo omnes homines ſicut membra in capite ſuo, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* b. Et prout ſubditi in Rege ſuo dicente, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ* c. Et generaliter omnia, ut colligantur, & & contineantur naturaliter in illo, quatenus homo eſt, & ſupernaturaliter ac Divinitùs, prout homo Deus eſt, *Verbum caro factum* d. Hoc modo teſtamur Deo, quòd propter magnitudinem ſuam, cujus *non eſt finis* e, meretur ſacrificium excellentiæ infinitæ : & offerentes ei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in ſancto ſacrificio Miſſæ, facimus ei ſacrificium iſtud, quod nobis eſt re verâ fœlicitas inæſtimabilis, ubi Dei Filius offert ſacrificium ſui Patri ſuo, ſed ſacrificium ſic excellens & ita perfectum ut adæquet magnitudinem & dignitatem ipſius infinitam, & tantam exhibeat ipſi laudem ac gloriam quantam meretur. Sacrificium Miſſæ eſt igitur gratiſſimum & glorioſiſſimũ Deo, eorum omnium quæ poſſiut illi offerri per totam æternitatem. Primò, Propter rem oblatam, ſicut diximus, quæ eſt Jeſus Chriſtus homo Deus, & *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* f, excellentiæ & dignitatis abſolute infinitæ, & cujus oblatio eſt gratior Patri æterno, quàm ſi darentur ei mundi innumeri repleti Cherubinis & Seraphinis. Secundò, Propter primum & præcipuum offerentem, qui eſt etiam Dominus Jeſus Chriſtus: nam cùm Sacerdos Miſſam celebrat, Dominus noſter Jeſus Chriſtus dicit illam in perſonâ illius, & denuò ſe ſacrificat & offert ſe Patri ſuo æterno per manus ejus : Propterea vocatur *Sacerdos in æternum* g. Id eſt, qui jugiter perſeverat exercere officium ſuum : & evidens eſt, quòd verba Sacramentalia, quæ operantur hoc magnum myſteriũ, *Hoc eſt corpus meum* h, non poſſunt intelligi de homine, qui non ponit corpus ſuum ſub ſpeciebus, ſed de Domino noſtro qui ea pronunciat ore miniſtri ſui : non enim eſt homo, is qui è rebus propoſitis, nimirum è pane & è vino facit corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti; ſed eſt ipſemet Jeſus Chriſtus, qui *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* i. Sacerdos celebrat quidem ceremoniam, ſed gratia & virtus Dei, facit totum. Ipſe ait, *Hoc eſt corpus meum.* Et hæc verba mutant res propoſitas. Et ſacrum Concilium Tridentinum k dicit ad propoſitum noſtrum, *Una, eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſâ.*

b Epheſ. 5.30.
c Matth. 28.18.
d Joan. 1.14.
e Pſal. 144.3.
f Joan. 1.18.
g Pſal. 109.4.
h 1. Cor. 11.24.
i Epheſ. 5. 2.
k Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2.

Hinc inferenda eſt hæc magna & mirabilis cõſequentia : Ergo Sacerdotes deberent jugiter meminiſſe, quòd ſanctum Miſſæ ſacrificium eſt res ſic excellens & ita Divina, ut, ſi ponerentur ſimul omnes virtutes, & omnia bona opera univerſorum hominum, & cunctorum Angelorum, imò verò Reginæ eorundem hominum & Angelorum, & omnes laudes, univerſi honores, & cuncta obſequia quæ illi unquam exhibuerant, & exhibebant in æternum Deo; quin & addamus omnia hæc quæ omnes creaturæ poſſibiles poſſent illi reddere, univerſa hæc nunquam ſint, nec unquam futura ſint ſic grata Divinæ Majeſtati eius, nec dent, aut datura ſint illi tantam gloriam, quantam exhibet ei unica Miſſa celebrata vel à malo Sacerdote, propter rationem prædictam, nimirum quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus in eâ offert ſe Patri ſuo, & hâc oblatione, omnem facit ei ſuſceptius, honorat eum, laudat illum, glorificat ipſum, & placet ei cum perfectione ſuperante infinitè propter eminentiam perſonæ ſuæ, id omne quod creaturæ in generali, & in particulari poſſunt ei reddere.

Prætereà, Miſſa, eſt id quod magis glorificat Dominum noſtrum, quatenus hominem : tam quia ſcit, quòd excellentiùs per eam, quàm aliquo alio medio ardentiſſimum deſideriorum ſuorum adimpletur, quod eſt manifeſtatio gloriæ Patris ſui; quàm quia videt quòd certamina ſua, & victoriæ ſuæ, paſſio ſua, & mors ſua, quibus mediis reparatæ ſunt injuriæ irrogatæ Divinitati, ſalvatum eſt genus humanum, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* l, & deſtructa eſt tyrannis diaboli Principis *hujus mundi* m, in eâ repræſentantur, non ſimpliciter & velut imago, ſed ad vivum, & per realem exhibitionem rei ipſius, licèt ſine ſanguinis effuſione. Præterquàm quòd evidens eſt quòd maxima gloria, & ſuaviſſima voluptas, quam ſuſcipere poteſt Dominus noſter, eſt videre, quòd pœnæ ſuæ ſerviunt, quòd labores ſui redduntur fructuoſi, & quòd non fruſtrà ſe fecit hominem, & pertulit mortem infamem crucis. Quod cùm executioni mandari non poſſit abundantius quàm per Euchariſtiam conſideratam ut Sacramentum, & ut ſacrificium, Dominus noſter eam non poteſt intueri niſi ut objectum chariſſimarum deliciarum ſuarum. Sed non ſatis eſt, ut hoc ſacrificium ſit gratum Deo, & det oblectamentum Eccleſiæ triumphanti : Eccleſiæ patienti ſubſidium dat etiam Miſſa, cùm ſit ſacrificium impetrationis in favorem animarum languentium in purgatorio.

l Luc. 19. 10.
m Joan. 12.31.

II. Part.

Illud eſt pro comperto, quòd per ſanctum ſacrificium Miſſæ poſſumus impetrare ſine difficultate omnia bona corporis & animæ, temporalia & æterna, quibus indigemus, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſt pretium pluſquàm juſtum eorum omnium quæ petere poſſumus à Deo : & ille qui bonitate ſuâ infinitâ prævenit ſupplicationes noſtras, quomodo renuet aliquid nobis cùm illud efflagitabimus ab ipſo, quandiu offeremus ipſi Filium ſuum ad illud ſuſcipiendum? Atqui ſanctum ſacrificium Miſſæ habet vim impetrandi in gratiam animarum languentium in purgatorio. Primò, Per repræſentationem quam Dominus noſter facit Patri ſuo, & quam nos facimus in earum favorem, meritorum vitæ, & mortis ipſius. Secundò, Quoniam Dominus noſter jugiter orat in cœlo, tibi ſi conditio ſua ipſi eripit modum merendi, non aufert tamen ipſi modum intercedendi : *Hic autem eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum : ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, ait S. Paulus n. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus o, *Hic autem Chriſtus, eò quòd maneat in æternum, non ſolùm ſecundùm Divinitatem, ſed & ſecundùm humanam naturam poſt reſurrectionem : Unde Judæi dixerunt, Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum p: ſempiternum habet ſacerdotium. Ex his elicit Apoſtolus efficaciam ſacerdotii Chriſti. Unde, id eſt, propter ſempiternitatem ſacerdotii ſui, & ſalvare, id eſt, ſalutem conferre in perpetuum poteſt, videlicet quandiu eſt aliquis ſalvandus. Vel ſalvare in perpetuum, id eſt, perpetuam beatitudinem dare, accedens ſpirituali acceſſu per ſeipſum, id eſt, in propriâ perſonâ, ſecundumquòd homo, non per aliquem mediatorem ſeu aliam hoſtiam, ad Deum Patrem, tanquam Advocatus noſter ac Mediator. Semper vivens, id eſt, vigoroſus ac vivax exiſtens. Reſurgens enim ex mortuis, jam non moritur* q. *Ad interpellandum pro nobis. Quomodo autem con-*

n Hebr. 7. 24. & 25.
o Dion. Carthuſ. art. 7. in Hebr. 7. 24. & 25.
p Jo. 12. 34. ex Pſ. 109. 4. & Pſ. 116. 2. & Iſa. 40. 8. & Ezech. 37. 26.
q ex Ro. 6. 9.

veniat

venat Chriſto interpellare, id eſt, orare, diligenter tractatum eſt ad Romanos, ubi hæc eadem verba ponit Apoſtolus, ab eodem Carthuſiano r, qui ait ibi, *Qui etiam interpellat pro nobis, ut Mediator Dei & hominum* ſ. *Scriptum eſt enim: Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum* t. *Secundùm quoſdam, Chriſtus interpellat pro nobis, non voce, ſed miſeratione ac repræſentatione, dum indeſinenter naturam quam pro nobis aſſumpſit, & diram mortem quam pertulit, Patris vultui offert. Ut enim ait Bernardus, Mater oſtendit Filio pectus & ubera. Filius oſtendit Patri latus & vulnera: nec poteſt eſſe repulſa, ubi tot concurrunt amoris inſignia. Veruntamen cùm dicat Apoſtolus, Chriſtus ſempiternum habet ſacerdotium, unde & ſalvare poteſt in perpetuum, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis: non videtur cur Chriſto, ut Mediatori, non competat voce interpellare pro nobis. Denique, Oratio eſt explicatio deſiderij, & interpres ac nuntia voluntatis. Secundùm Auguſtinum quoque, Illud licet orare, quod licet deſiderare. Cùm ergo Chriſtus noſtram ſalutem deſideret, & ob id Patri latus ac vulnera repræſentet, ut noſtri miſereatur, cur non voce expleret hanc voluntatem pro nobis orando? Et cùm ipſe magis cupiat noſtram ſalutem, quàm aliquis Beatorum, cur non orat vocaliter, eo modo quo Virgo Maria, vel cæteri Sancti? Si autem ideò dicatur non orare vocaliter, quia non eſt opportuna in patriâ vocalis oratio, eâdem ratione nec Virgo beata non oraret vocaliter, nec Chriſtus in hoc ſæculo oraſſet voce pro nobis.* Orat igitur Jeſus Chriſtus pro illis, qui offerunt ſacrificium Miſſæ, aut pro quibus offertur: & ſic Sacrificium Miſſæ habet vim impetrandi in favorem animarum detentarum in ergaſtulo purgativo Juſtitiæ Divinæ, liberando eas citiùs à pœnis immodicis quas ſubire debebant in illis ignibus accenſis ab eâdem Juſtitiâ Divinâ. Quòd accidit per applicationem, quam facit ipſis iſtud ſacrificium meritorum & ſatisfactionem Jeſu Chriſti. Sed illud non eſt totum quod agit hoc ſacrificium, cùm inſuper afferat emolumentum maximum Eccleſiæ militanti, cùm ſerviat ei veluti ſacrificium propitiationis, æquè ac gratiarum actionis.

r D. Carthuſ. in c. 8. ad Rom. ſ ex 1. Tim. 2. 5. t 1. Joan. 2. 1.

III. Pars.

Miſſa eſt ſacrificium propitiationis, ſicut fides nos docet, ſuam vim ſumens à cruce, quæ *Sanguine* u in ipsâ effuſo delevit omnia peccata hominum, & fecit cum ſuperabundantiâ & exceſſu ſolutionem ab ipſis debitam Juſtitiæ Divinæ. Sanctum ſacrificium Miſſæ frui nos facit illis bonis, quæ ſacrificium crucis nobis meruit: dat nobis libertatem x, quam illud nobis acquiſivit: eſt apparatus perpetuus redemptionis & ſalutis noſtris vulneribus applicitus: & pharmacum ſacrum quod noſtras omnes ſanabit infirmitates.

u Apoc. 1. 5. x Gal. 4. 31.

S. Chryſoſtomus y ait, quòd Angeli ſemper orantes Deum pro nobis, id agunt præcipuè tempore Miſſæ, *Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant, habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in favore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes, movere Reges conſueverunt; eo quòd arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem: ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant, Pro his, Domine rogamus, quos tu adeò dilexiſti, ut pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares* z, *pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.* Propterea ritè debemus uti medio iſto ad conciliandam nobis veniam peccatorum noſtrorum, ad mitigandam iram Dei, & ad avertendam à nobis ultionem illius. Sic cùm Sacerdos elevat hoſtiam ſacram in Miſſâ, debemus eam elevare cum illo, ut opponamus hunc Agnum *Dei, qui tollit peccatum mundi* a, jaculis & fulminibus quæ Juſtitia Divina vibrare decreverat ad conterenda impia noſtra capita. Nunquid non, Auditores, iſtud eſt potens ſacrificium propitiationis? Nonne devincti ſumus in æternitatem illi qui nobis providit medium ſic efficax ad continendam juſtam iram Patris æterni? Annon ei debemus actiones gratiarum perpetuas rependere pro ſic inſigni beneficio, quo bonitas ipſius nos ſic proficuè cumulavit?

y S. Chryſoſt. hom. 3. de incompreheнſ. Dei Naturâ. z ex Jo. 19. 30. a Joan. 1. 29.

Sic Miſſa eſt, ultra id quod diximus, etiam ſacrificium eucharisticum, ſeu actionis gratiarum, per quod grates exhibemus Deo, ſicut decet, pro beneficiis, quibus ipſe nos ſibi devinxit. Propterea myſterium iſtud vocatur Euchariſtia, *Habemus gratiarum actionis ſymbolum, Panem qui Euchariſtia vocatur,* ait Origenes b. Quia eſt actio gratiarum pro multis beneficijs. Propterea Dei Filius illud inſtituturus, Patri ſuo *gratias egit* c. Ut oſtenderet quòd ſervire nobis deberet ad hunc finem. Propter quem in primitivâ Eccleſiâ cani ſolebat in Miſſâ Canticum eucharisticum, *Pontifex reverſus ad Divinam aram ſacros Pſalmos canere incipit, canuntque cum eo omnes Eccleſiaſtici Ordines. In Divino altari proponunt panem, benedictionisque calicem* d, *cùm anteà Eccleſiaſtici omnes laudem hymnumque generalem Deo tribuerint: cum quibus Pontifex acceptâ datâque Divinâ Communione, in ſacram gratiarum actionem deſinit,* ait S. Dionyſius e.

b Orig. lib. 8. contra Celſum aliquanto ante finê. c Luc 22. 17. & 19. d ex 1. Cor. 10. 16. e S. Dion. li. de Eccleſ. Hier. c. 3.

Toti repleti ſumus bonis Dei; in quamcumque partem nos convertamus, non videmus niſi favores & effectus amoris, quo Deus ipſe nos diligit: eſt igitur rectæ rationi conſonum, ut pro hujuſmodi favoribus exhibeamus ei actiones gratiarū? Sed quomodo iſtud faciemus? Quid dabimus ei ad agnoſcenda tot bona? Lege gratitudinis fertur, ut tantum reddatur, quantum ſuſceptum eſt, imò verò quid amplius, ut perfectè exerceatur, ut, ſicut ſignificat nomen, ſit ibi aliquid gratis: *Gratia recompenſatio ad hoc ſemper tendit, ut majus ſemper aliquid accepto beneficio retribuatur pro poſſe ſuo. Et ideò qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honeſtatis, ut ſimiliter aliquid gratis impendat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, niſi excedat quantitatem accepti beneficij: quia quandiu recompenſat minus, vel æquale, non videtur facere gratis, ſed reddere quod accepit* f. Sed quidnam Deo reddemus, ut huic ſatisfaciamus obſequio? *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* g? Si damus ei corpora noſtra, animas noſtras, bona noſtra, & honores noſtros, non reddimus ei niſi dona & beneficia ſua; Hæc enim omnia ab illo habemus, & pro illis devincti ſumus ei, *Quid autem habes quod non accepiſti?* dicit ſingulis nobis S. Paulus h. Prætereà, Quid ſunt iſta omnia comparatione bonorum ſupernaturalium, quibus nos cumulavit? cùm ſe dederit nobis per gratiam, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* i. Et ſit futurus noſtra *merces magna nimis* k per gloriam. Et ſingulariter quia *ſic dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret* l. Qui propter ſalutem noſtram induit naturam noſtram, & tranſactâ totâ vitâ ſuâ *pauper & in laboribus à juventute* m *ſuâ, tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & Hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* n. Quid inveniemus in ciſtis noſtris, quod valore non ſit infinitè infra minimam pœnarum illius, & tenuiſſimam guttam ſanguinis ejus? Quidnam reddemus Deo pro beneficiis ipſius?

f S. Thom. 2. 2. q. 106. a. 6. in corp. g Pſal. 115. 3. h 1. Cor. 4. 7. i Ro. 5. 5. k Gen. 15. 1. l Joan. 3. 16. m Pſal. 87. 16. n Epheſ. 5. 2.

Sanè non habemus aliquid, quod illi valeamus offerri. Propterea Dominus noſter miſertus indigentiæ noſtræ, ditavit nos theſauris ſuis: ipſe *qui dives eſt in miſericordiâ, propter nimiam charitatem ſuam quâ dilexit nos* o, dedit nobis ſanctum Miſſæ ſacrificium, in quo ſe tribuit nobis, ut ipſum ſumamus, & offeramus ipſum Patri ſuo, ad agnoſcenda omnia bona quæ ipſe nobis eſt dilargitus, & ad excellenter exercendam gratitudinem. Quod adimplemus eximiè, quia hoc quod ei offerimus, valet infinitè plus quàm omnia bona creata, quæ ipſe nobis tribuit; & licèt ipſe nobis hoc dederit, nihil tamen intereſt, cum verè demus ei rem, quæ ad nos pertinet, & quam amor, quo ipſe nos diligit, fecit noſtram. Sic poſtquam Pſalmiſta p dixit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* addit confeſtim per prophetiam, perque monitum illius quod agere debebamus in Lege novâ, *Calicem Salutaris accipiam.* Quaſi diceret, Ego autem nihil habeo: Divitiæ meæ ſunt nimis abbreviatæ quantùm ad hoc: ſed offeram ei Filium ſuum, ſicut rem meam, in ſancto Miſſæ ſacrificio, & hoc modo cum munere ſic prædivite exhibebo illi obſequia actionis gratiarum perfectæ & conſummatæ.

o Ephes. 2. 4.
p Pſ. 115. 3.

Hinc equidem vellem ut Domini mei Sacerdotes has neceſſarias educerent conſequentias. Prima eſt, Quòd ſtrictè tenentur ob eminentem dignitatem ad quam Sacerdotium ipſos elevat, excellenter incumbere virtuti, & vitam omnino ſanctam ducere. Proportio reperiri debet inter ſtatum & vitam, alioquin deordinatio ibi erit enormis. Inter maxima dona, quibus Deus cumulare poteſt homines, ſunt Sacerdotium, & Regia dignitas: quia per illud ipſe tribuit adminiſtrationem negotiorum ſuorum, & per iſtam dat regimen hominum: ſed Sacerdotium eſt apex omnis gloriæ, & univerſorum bonorum quæ homo poſſidere poſſit in terrâ. Re autem verâ ad quemnam gradum honoris non eſt evectus Sacerdos, habens duas poteſtates maximas omnium illarum quæ ſint in terrâ, quarum unâ deſcendere facit Dei Filium vivum in terram per Sacramentum Euchariſtiæ q; alterâ verò aſcendere facit homines in cœlum per Sacramentum Pœnitentiæ r? Quod oſtendit ipſi quantâ puritate tractare debeat ipſe corpus Jeſu Chriſti, & quàm propè conari debeat accedere ad ipſum imitandum, quæ puritas innuitur etiam ipſi ex ablutione extremitatis digitorum ſuorum antequàm ipſum conſecret. Secunda eſt, Quòd Domini mei Sacerdotes firmiter ſtatuant Miſſam diebus ſingulis celebrare, *Ego Deo immolo quotidie immaculatum agnum in altari*, dicebat S. Andreas Tyranno. Quia non celebrantes, niſi adſit cauſa rationabilis, privant SS. Trinitatem laude, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum honore & oblectamento, Beatos gaudio novo, animas purgatorii ſubſidio, Juſtos & peccatores multis bonis, & ſeipſos maximo emolumento. Tertia eſt, Quòd ſe præparare debeant & ſe colligere cum maximâ reverentiâ ad ritè celebrandam Miſſam. Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſe præparavit per triginta tres annos per omnes actiones vitæ ſuæ ſanctiſſimæ ad offerendum Patri ſuo ſacrificium Crucis, quod idem eſt ſubſtantialiter cum ſacrificio Miſſæ. Intueamur, Domini mei Sacerdotes, & Auditores, fines propter quos hoc ſacrificium inſtitutum eſt, & nobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* ſ.

q Matth. 26. v. 26.
r Joan. 20. 23.
ſ Pſ. 83. 12.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Et ſi dimiſero eos jejunos, deficient in viâ. Marc. 8. 2. & 3.

ILli qui dixerunt nobis, quòd libertas hominis eſſet radius & emanatio Divinitatis, eodem verbo docuerunt nos, & nobilitatem ejus & fragilitatem illius: Non eſt aliquid re verâ ſpecioſius radio ſplendentiſſimus planetæ lucidi, qui nos illuminat per diem, quandiu affixus eſt globo Solis: ſed etiam non eſt aliquid eodem radio fragilius, nec quod pereat citiùs quàm iſte idem radius, qui ceſſat eſſe confeſtim ac ſe ſeparat à principio ſuo, quandiu multa entia minoris momenti quàm ſit ipſe, ſubſiſtunt extra cauſas, è quibus egreſſa fuerunt: ſic nihil eſt nobilius libertate hominis, quæ ipſi data eſt, ut haberet dominationem & imperium mundi, quandiu ſubditus eſſet Deo; ſed etiam nihil eſt fragilius & inconſtantius eâdem libertate, cùm recedit à principio ſuo, cùm hanc excutit ipſa dependentiam, quam debet ipſa ſupremo dominio Dei, qui eſt principium ſuum, qualis eſt eorum, [qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt Omnipotens, ut ſerviamus ei? & quid nobis prodeſt ſi oraverimus illum a?] Seu, juxta Hugonem Cardinalem b, [Qui dixerunt, ſi non verbis, tamen factis, Deo, Recede à nobis. Gregorius c: Dicere Deo, Recede à nobis, nihil aliud eſt, quàm ei ad ſe veniendi aditum non præbere. Scientiam viarum tuarum, id eſt, præceptorum tuorum, quibus venitur ad te. Vel, Viæ Domini ſunt virtutes, pax, humilitas, patientia, &c. quibus itur ad Deum, quas qui deſpiciunt, dicunt, Scientiam viarum tuarum nolumus. Iſti non ſunt neſcientes, ſed ſcire nolentes, ſive ignorantes, de quibus dicitur, Ignorans ignorabitur d. Et, Noluit intelligere, ut benè ageret e. Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis f. Et adhuc dixerunt, Quis eſt omnipotens, ut ſerviamus ei? Dedit enim ſe Deus exterioribus inviſibilem g: ideò eum non eſſe ſuſpicantur. Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus h. Dixit Pharao, Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam i. Vel, Quis eſt Omnipotens, id eſt, qui ingratus eſt ſuis, qui patitur eos totâ die tribulari? Unde dicitur, Vanus eſt qui ſervit Domino; & quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta ejus k. Et, Eamus, & diſponamus teſtamentum cum Gentibus quæ circa nos ſunt: quia ex quo receſſimus ab eis, invenerunt nos multa mala l. Et quid nobis prodeſt, ſi oraverimus illum? Quaſi dicerent, Nihil. Quia non dat quæ ipſi in oratione ſecundùm temporalia quærunt. Deus enim ſe, non ſua vult amari: & æterna, non caduca poſtulari, juxta illud, Primum quærite Regnum Dei m.] Perfecta libertas conſiſtit in voluntariâ dependentiâ voluntatis hominis à voluntate Dei: gratia autem Dei non violat hanc libertatem, ſed è contrà eſt fulcrum ipſius.

a Job 21. 14. & 15.
b Hug. Card. in Job 21. 14. & 15.
c ex S. Greg. li. 15. Mor. c. 19. & 20. in Job 21. 14. & 15.
d ex 1. Cor. 14. 38.
e Pſ. 35. 4.
f ex Prov. 28. 9.
g ex 1. Tim. 1. 17.
h Pſ. 13. 1. & 52. 1.
i Exod. 5. 2.
k ex Malach. 3. 14.
l 1. Mach. 1. 12.
m ex Matth. 6. 33.

Videmus iſtud in Evangelio noſtro, quod meminit magnæ multitudinis hominum, qui voluntariè & liberè ſequuntur Filium Dei, confiſi curis amoroſæ providentiæ ejus, non deſpondentes animum ſequendi illum propter itineris longitudinem, *Quia ecce jam triduo ſuſtinent me : quidam enim ex eis de longè venerunt.* Jeſus Chriſtus, prout *Verbum caro factum* n, oſtendens ſummam providentiam ſuam erga homines iſtos, qui ipſum ita liberè & ſine coactione ſequebantur, attrahendo ipſos ad ſe ſuavitatibus ſuis, & ipſis neceſſaria providendo quantùm ad corpus, nos inde docere vult ſuavitatem amoroſam gratiæ ſuæ, quæ devincit ſibi corda noſtra dulcibus lenociniis ſuis, nedum libertati noſtræ officiat. *Viam trium dierum neceſſe eſt nobis in hoc deſerto,* id eſt, in iſto mundo, *agere. Primus dies, eſt timor pœnæ, qui noſtræ primordia converſionis exercet. Secundus, ſit pietatis dies, quâ reſpiramus in luce miſerationum Dei. Tertius, eſt obedientia, quam neceſſe eſt præſtare mandatis Dei*, ait Stapletonus o. Sed per tres iſtos dies quos peragimus in hoc mundo, ſemper ſumus in plenâ fruitione noſtræ libertatis, quam Deus nunquam violat, malens potiùs cedere juribus ſuis, quàm ei officere, quandiu nos utimur eâ nonniſi ad reddendos nos ſervos. B. Virgo, quæ nunquam uſa eſt libertate ſuâ, niſi ut ſe ancillam *Domini* p perfectam exhiberet, favorabilis nobis erit, ſi dixerimus ipſi, *Ave Maria.*

n Joan. 1. 14.
o Staplet. in Prompt. Moral. hyem. Dom. 6. poſt Pent. ex S. Bern. ſerm. de Evang. Septem Panum.
p Luc. 1. 38.

Non eſt Deus, cui ſervimus, ſicut homines inconſtantes, qui videntur non habere duas manus, niſi ut unâ deſtruant id, quod ædificaverunt alterâ: labefactiones quæ remanent poſt ipſorum opera, accuſant ipſorum opifices imprudentiæ: ſed Deus, qui, ut ſumma *Sapientia* q, *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* r, *in menſurâ, & numero, & pondere* ſ: & qui immunis à quolibet defectu, quippe qui *perfectus eſt* †, nunquam facit aliquid in tempore, cujus exitum & ſucceſſum non præviderit in puncto indiviſibili æternitatis ſuæ beatæ: & licèt plerùmque malos & infortunatos obſervemus eventus in operibus ejus, inſimulari tamen ipſe non debet imprudentiæ: & ſi fœlicitas non eſt ſemper alligata juſtitiæ ipſius, ideò quia ipſe violentiâ non utitur adversùs eventus fatales qui eam oppugnant.

q Sap. 8. 1.
r Sap. 8. 1.
ſ Sap. 11. 21.
† Matth. 5. 48.

Deus eſt origo æterna ſummæ bonitatis, quæ dividitur in tempore in tres canales uberes, & terminatur ad productionem differentium partium, quæ ſunt natura, politia, & Religio. Et licèt Religio ſit ſtatus auguſtior, & diuturnior duobus ſtatibus prioribus, cum omnibus fidelibus in perſonâ diſcipulorum ſuorum dixerit [Jeſus, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi t: Verbum dulce & conſolatorium,] ſubdit Dionyſius Carthuſianus u, [Et ecce res notabilis magna & ponderanda, omnique conſideratione digniſſima, utpote, ego vobiſcum, hoc eſt, cum vobis & ſucceſſoribus veſtris, cunctiſque fidelibus, ſeu militanti Eccleſiâ omnibus diebus naturalibus, videlicet die & nocte, quandiu in hoc mundo verſamini tanquam viatores & peregrini ac exules, uſque ad conſummationem, hoc eſt, finem ſæculi incluſivè: Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſiâ: Primò, per gratiam inhabitando corda fidelium: Secundò, per Sacramentalem præſentiam: Tertiò, per continuam providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam ſuæ poteſtatis, ac pietatis in nos: hinc enim teſtatur, Ego ſto ad oſtium, & pulſo x: Et, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum y: Nunquam ergo deficiet fides in toto, ſed uſque in finem ſæculi perſeverabit in aliquibus Chriſtiana Religio: Poſtremò, Tam ineffabiliter, dignanter, & intimè adeſt nobis Chriſtus, ut multò ampliùs quàm Moyſes, ſeu populus olim Judaicus dicere valeamus, Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Dominus Deus noſter z unigenitus Filius a Dei, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per ſæcula infinita ſuper omnia Deus ſublimis, & benedictus b:] & in hoc ſtatu duo præcedentes ſtatus deberent huic ſtatui Religioſo ſervire: perſæpè tamen contrarium contingit: & videmus quòd leges Religionis cum juribus ſuis, cedunt commodis naturæ, & ſtatus civilis. Et ratio iſtius eſt, quia Deus omnia fecit in perfectione ipſorum, *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia* c. *Quaſi dicat*, id eſt, Moyſes, ſubdit Cornelius d, *Deus invocandus & magnificandus eſt, quòd opera ejus uſquequaque perfecta ſint, ita ut nullâ ex parte culpari, reprehendi, vel emendari poſſint. Et omnes viæ ejus, omnia opera ejus, ſunt judicia: id eſt, ſunt juſta & æqua: uſurpant enim ſæpè Hebræi abſtractum pro concreto, maximè ubi eſt emphaſis.* Et non corrigit primas productiones ſuas per poſteriores. Sic viſus eſt Julius Cæſar deſtruere Senatum, & Rempublicam, cujus interventu & beneficio ipſe fuerat exaltatus, nedum aliquis ſe conſiliis illius opponeret: Et Alexander Magnus ita fortunatus & fœlix in omnibus ſuis conſiliis, ut ambitiones ſuas ad extremas uſque totius orbis oras extenderet: & qui nunquam præ ſe tulit dolorem, niſi cùm veritus eſt, ne ſuis materia deeſſet victoriis: ideò quia viri illi venerunt in mundum quâdam tempeſtate, quâ omnia ſic erant diſpoſita ut ipſorum fortunæ blandirentur univerſa. Prætereà, Deus non ſtatuit reluctari violentiæ hominum illorum æquo liberiorum & nequam, qui evertunt naturam ad ſtabiliendum aut magnificandum ſtatum ſuum, quia omnia relinquit in ſtatu naturali, in quo ea collocavit. Sic Deus Religionem facit aliquo modo ſervire naturæ: nam ecce infans qui venit in mundum ſemimortuus; omnes vicini qui accurrerunt ad nativitatem ejus, ſunt in commotione, & univerſi propinqui in luctu; cuncti tamen ſe diſponunt, & ſolicitè ſatagunt ut procurent ei Baptiſmum, ut renaſcatur *ex aqua & Spiritu ſancto* e, & ſic ſalvetur anima ejus: proptereà efflagitatur ab eis ut afferatur aqua, currunt famuli ut eam captum eant, contingit tamen ut quandiu famulus qui illam defert, eſt præ foribus cubiculi, infans expiret: unde fit ut unuſquiſque fleat, & affligatur ob jacturam illius innocentis criminoſi: nunquid non poterat Deus extendere vitam illius infantis per aliquot adhuc momenta, aut retardare mortem ejus adhuc per quadrantem horæ? Eſtne ſalus animæ ſic exigui momenti ut Deus, præterquàm quòd innitetur tot lacrymas familiæ afflictæ, & vicinorum lugentium, non dignetur illi infanti vitam tantiſper prolongare, ut lavet illum ab originali peccato *in ſanguine ſuo* f, & ſalvum faciat eum *ſecundùm ſuam miſericordiam, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* g: Omnia ſunt parata ad auxiliandum huic infanti, & ad tribuendum ei Baptiſma: Deus retardare poterat mortem ejus: ſed eam retardare noluit. Theologia, ut juſtificet ſapientem procedendi Dei in hoc occurſu modum, dicit, quòd Deus inſtituit leges toti naturæ, licèt differentes ſecundùm diverſitatem ſubje-

t Matth. 28. 18. & 20.
u Dion. Carthuſ. art. 45. in Matth. 28. 20.
x ex Apoc. 3. 20.
y ex Mat. 18. 20.
z ex Deut. 4. 7.
a Joan. 1. 18.
b ex Rom. 9. 5.
c Deut. 32. 4.
d Cornel. in Deut. 32. 4.
e Jo. 3. 5.
f Apoc. 1. 5.
g Tit. 3. 5. &c.

Digitized by Google

ſubjectorum particularium, & quòd ſic exactus eſt
ad cuſtodiendas eas illis abſque ullâ diſpenſatione,
ut malit cedere juribus ſuis, quàm violare tantiſper
leges naturæ : & ſic quòd licèt poſſet retardare
mortem infantis recenter nati, ad præbendum ei
otium ſuſcipiendi Sacramenti Baptiſmatis, quod
eſt abſolutæ neceſſitatis ad ſalutem ; tamen illam
non retardavit, quia pollicitus eſt ſe relicturum
h Sap. 16. 24. & 25. agere cauſas ſecundas. Propterea Sapiens *h* vocat
gratiam nutricem naturæ, eundem Deum ſic al-
loquens: *Creatura enim tibi Factori deſerviens. Pro-
pter hoc & omnia transfigurata, omnium nutrici gra-
tiæ tuæ deſerviebant.* Sicut enim lac non ſervit niſi
ad incrementum & alimentum infantis; ita gratia
producit ſic opera & effecta ſua ut non noceat na-
turæ, ſed illam potiùs adjuvet. Et ecce duæ partes
Diviſio. diſcurſus mei. Prima eſt, quòd Deus ceſſare
facit jura ſua, ne violet libertatem hominis. Se-
I. Pars. cunda verò eſt, Quòd homo non utitur libertate
ſuâ niſi ut ſervum ſe reddat.

Tertullianus verbum protulit egregium, quo ipſe
docet nos ſapientem modum procedendi Dei
quantùm ad id quod ſpectat hominem, & veluti
reverentiam quâ excipit illius libertatem : ait i-
gitur eximius ille vir, quòd Deus non excepit ho-
minem more cæterarum creaturarum; nec locu-
tus eſt de illo velut de ſervo, ſed ſicut de filio di-
lecto, in quo ipſe ſibi benè complacet, quem non
eduxit è nihilo, & cui vitam non tribuit ſermone
i Gen. 1. 3. &c. iſto faſtuoſo pronunciato majeſtate pompaticâ,
quâ dixit, *Fiat lux: Fiat firmamentum* i, &c. ſed
ſuavi verbo: illius igitur ecce verba, *Quis dignius
incoluit Dei opera quàm ipſius imago & ſimilitudo?
Eam quoque Bonitas & quidem operantior operata eſt,
non imperiali verbo, ſed familiari manu, etiam verbo
blandienti præmiſſo: Faciamus hominem ad imaginem,
k Tert. lib. 2. cõtra Marcion c. 4. ex Gen. 1. 26. & 27. & ſimilitudinem noſtram. Bonitas dixit, Bonitas
finxit hominem de limo* k. Prout Judex, *in principio
creavit Deus cælum & terram* l, & cæteras creatu-
ras, quod nobis innuitur hoc verbo, *Deus*, quòd
Hebraicè, Elohim, ſignificat Judex, aut Judices.
l Gen. 1. 1. &c. *Elohim itaque dicitur Deus, quà Creator, Gubernator,
Judex, Inſpector, & Vindex univerſorum: hocque no-
mine Elohim utitur hic Moſes. Primò, Ad hoc, ut ſciant
homines eundem eſſe Conditorem mundi & Judicem,
qui ſicut mundum creavit, ita & judicabit quaſi Elohim,
id eſt, Judex. Secundò, Plurale Elohim ſignificat plu-
rimam, ſummam & immenſam Dei fortitudinem, &
potentiam creandi, gubernandi, & judicandi. Tertiò,
Elohim plurale innuit in Deo pluralitatem perſona-
m Corn. in Gen. 1. 1. rum, ſicut unitas eſſentiæ in Deo innuitur per verbum
ſingulare, bara, id eſt, creavit,* ait Cornelius *m*. Sed
meditatur nativitatem hominis veluti præ affecti-
bus amoris, & imprimit intimæ ejus animæ liber-
tatem, ut notam nobilitatis ipſius, & charactêrem
imperij, quod dabat illi ſuper omnes creaturas,
ſicut conſequenter poſtquàm eundem *creavit ho-
minem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, maſcu-
lum & fœminam creavit eos; benedixit illis, & ait,
Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſub-
jicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus
n Gen. 1. 27. & 28. cæli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper
terram* n. Et hunc hominem tantâ veluti reve-
rentiâ excipit ut nullam velit inferre vim aut co-
actionem libertati ipſius. Iſtum ponit inter ignem
& aquam cum libertate ut feratur ad hanc, vel ad
illum, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit
illum in manu conſilij ſui. Adjecit mandata & præ-
cepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſerva-
bunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Ap-
poſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige
manum tuam. Ante hominem vita & mors; bonum* o Eccli. 15. 14. &c.
& malum; quod placuerit ei, dabitur illi o. Conſti-
tuit illum Dominum appetituum ſuorum, cum
jure imperandi illis, *Sub te erit appetitus ejus, & tu* p Gen. 4. 7.
dominaberis illius p, ait Deus Caino. *Quaſi dicat,* q Cornel in Gen. 4. 7.
ſubdit Cornelius *q*, *Potes, ô Cain, per arbitrij liber-
tatem, & gratiam meam tibi præparatam, tuæ concu-
piſcentiæ, & appetitui inſolentiæ, tanquam mancipio
dominari. Quid clariùs pro arbitrij libertate dici po-
tuit? Unde Targum Jeroſolymitanum ita vertit: In
manum tuam tradidi poteſtatem concupiſcentiæ tuæ,
& tu dominare ei, ſive ad bonum, ſive ad malum. Ita* r ex S. Ambr. lib. 2. de Abel & Cain c. 7.
exponunt S. Ambroſius r, *& S. Auguſtinus* ſ. Cùm
homo non vult ſequi inſpirationes Dei, & adhæ-
rere motibus gratiæ ejus, Deus laxat ipſi habenas,
ut dicitur, eumque relinquit propriæ directioni ſ ex S. Aug. lib. 15. de Civ. Dei c. 7
ſuæ, quia liber eſt: *Propter quod tradidit illos Deus in
deſideria cordis eorum*, ait S. Paulus *t*, loquens de
illis, *qui cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glo-* t Rom. 1. 24. & 21.
*rificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in co-
gitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.*

Fœlix libertas! Si homo eâ ritè ſciret uti, ut ex
illâ glorioſas ſuas educeret prærogativas, nihil eſt
quod ei poſſet reſiſtere, nihil quod poſſet illam
flectere; nec promiſſiones, nec minæ poſſent illam
ad minimam puſillanimitatem patrandam indu-
cere. ſic Martyres deriſerunt carnifices, & ag-
greſſi ſunt Tyrannos ſuis thronis aut tribunalibus
inſidentes: Sic S. Agatha contempſit Judicem
ſuum qui intendebat ipſam minis terrefacere, aut
blanditiis ipſam demulcere: [Nam cùm pari pul-
chritudinis & caſtitatis laude commendaretur,
Quintianus Siciliæ Prætor ejus amore captus eſt.
Sed cùm tentatâ modis omnibus ejus pudicitiâ:
Agatham in ſuam ſententiam perducere non poſ-
ſet, Chriſtianæ ſuperſtitionis nomine comprehen-
ſam, Aphrodiſiæ cuidam mulieri depravandam
tradit. Quæ Aphrodiſiæ conſuetudine cùm de
conſtantiâ colendæ Chriſtianæ fidei, & ſervandæ
virginitatis removeri non poſſet: nuntiat illa
Quintiano ſe in Agathâ operam perdere. Quare
ille ad ſe virginem adduci jubet, &, Nonne, inquit,
te pudet nobili genere natam, humilem & ſervi-
lem Chriſtianorum vitam agere? Cui Agatha:
Multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſer-
vitus, Regum opibus ac ſuperbiâ. Quamobrem
iratus Prætor hanc ei optionem dat, velitne potiùs
venerari Deos, aut vim tormentorum ſubire. At
illa conſtans in fide, primùm colaphis cæſa mitti-
tur in carcerem, unde poſtridie educta cùm in ſen-
tentiâ permaneret, admotis candentibus laminis
in equuleo torquetur: tum ei mamilla abſcinditur.
Quo in vulnere Quintianum appellans Virgo,
Crudelis, inquit, Tyranne, non te pudet amputare
in fœminâ, quod ipſe in matre ſuxiſti?] canit Ec-
cleſia in legendâ illius. [Ita S. Chriſtina Virgo &
Martyr, patris ſui Urbani, Tyri Italiæ oppidi Præ-
fecti, idola argentea confringens, blandimenta il-
lius voluntate firma deſpexit, minas irriſit, non
flagellis, non ungulis dilaniata conſtantiam muta-
vit, quin imò laceræ carnis fruſtum in patrem pro-
jiciens, ait, Satiare carnibus, miſer, quas genuiſti:
filiam comedere potes, ac certè ut impietati tuæ
conſentiat, facere non potes. Hinc rotis alligatur,
& ſubdito igne uritur, in lacumque dejicitur. Mox
defuncto patre, à Dione ejus ſucceſſore in oleo,
retinâ, & pice coquitur; inde ad Apollinis ſta-
tuam adorandam ducta, eam ſuâ precatione ſub-
vertit. Dioni ſubitò mortuo ſurrogatur Julianus,
qui Chriſtinam in fornacem ardentem mitti juſſit,
ſed miſſa noxam non ſenſit: ſerpentibus morden-

dam objecit: ſed ſerpentes illâ dimiſsâ veneficum invaſerunt: interemptum ipſa ſuſcitavit. Julianus illi mamillas amputari jubet, linguam præſcindi, iiſque ſagittis confici. Tali demum martyrio conſumpta in cœlum evolavit. Ecce quàm voluntas reſoluta dominatur affectibus, Tyrannis, & morti. Hâc Chriſtina patrem (Abel fratrem, ait Cornelius *u*, loquens de libertate iſtius primi Martyris innocentis à fratre ſuo Caino occiſi) [ſuperavit, non pugnando, ſed patiendo. Ita habet ejus vita, quam edidit Surius.] Sic [Beatus Laurentius dum in craticulâ ſuperpoſitus ureretur, ad impiiſſimum Tyrannum dixit: Aſſatum eſt jam, verſa, & manduca: nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cœleſtes theſauros manus pauperum deportaverunt,] canit Eccleſia. Iſti Martyres agnoſcebant ſe liberos: non ignorabant quòd perſecutiones non poſſent eripere ſibi niſi vitam corporis; ſed quòd lædi non poſſet anima ſua, quæ erat origo fœcunda libertatis ſuæ.

u Cornel. in Gen. 4. 7. citâs Surium tom. 4. 24. Julij

Præclaro ſimiliter celebrat encomio poſteritas generoſitatem illuſtris Catonis, quam præ ſe tulit eximius iſte vir libertatis acerrimus defenſor, adversùs reum quendam accuſatum multorum criminum, cujus proceſſus erat inſtructus, & contra quem Senatus erat congregatus, ut decretum capitis ipſi decerneret infligendum, cùm ecce nuntius afferens literas commendatitias à Pompejo, qui ſe manifeſtum rei accuſati, imò vero convicti declarabat protectorem: non priùs lectæ fuerunt Pompeij literæ, cùm Senatores cogitabant de hujuſmodi reo liberando, quia verebantur authoritatem Pompeij: Solus Cato ſuſtinere non valens illorum puſillanimitatem, proteſtatus eſt affectu generoſo erga libertatem, quòd ille mori debebat, & obtulit ipſe Senatui legem, quæ prohibebat ne ſolicitationes Magnatum ſuſciperentur. Verbum iſtud tantam præ ſe tulit poteſtatem, ut in ſententiam ſuam attraxerit omnes Senatores, qui decretum mortis tulerunt adversùs reum, quod ſtatim executioni mandatum eſt non obſtantibus ſolicitationibus Pompeij. Heu! quid non timere debebat Cato? Jure merito formidare debebat ne amitteret dignitates ſuas, bona ſua, libertatem ſuam exteriorem, imò verò & vitam ſuam, quia irritaverat magnum Principem, cujus tantùm erat amicitia diligenda, quantùm indignatio metuenda. Nihil intereſt, ait Cato; liber ego ſum, & præditus hac illuſtri qualitate meæ libertatis, eò uſque generoſus eſſe debeo ut non ſerviam fortunæ, aut favori, criminosè ei complacendo. Magna libertas, Auditores, manens inconcuſſa præ minis, neque cedens promiſſis. Proculdubio multa ſibi Cato polliceri poterat è favore Pompeij, quem ſibi devinxiſſet, procurando conſervandum illum reum, ſi conſenſiſſet liberationi ejus; ſuos tamen clauſit oculos omnibus iſtis conſiderationibus, & adhæſit dictamini conſcientiæ ſuæ, & generoſâ libertate audacter explicuit verbis id, quod intra conſcientiam ſuam conceperat. Qualis libertas viri probi, Auditores, cùm in Curijs ſupremis, in quibus eſt conſtitutus arbiter vitæ & mortis, æquè ac fortunæ hominum, non ſe ſinit abripi favore, minis, promiſſis, reſpectibus humanis, aut corruptione generali; ſed generosè reſiſtit injuſtitiæ, & venalitati, & oſtendit manifeſtè ſe eſſe liberum.

Libertas hominis ſic eſt generoſa, ipſa ſic ritè eſt ſtabilita, ut nulla ſit poteſtas quantùmlibet abſoluta, quæ poſſit ipſam commovere, imò verò nec dæmonis, de quâ ait Job *x*, *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei.* Propterea dixit David *y*, *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum qui habitat in Jeruſalem. Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.* Poteſt quidem diabolus poteſtate ſuâ montes altiſſimos evertere, terræ motus cauſare, naturam alterare, & totam orbis univerſi molem deordinare, ſed non poteſt obſtringere aut cogere animam, quæ libera eſt, ad patrandum vel minimum peccatum veniale: *Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortiferâ ſecuritate conjunxerit. Jam videte, Fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catenâ poſitus mordet. Tu te illi per voluntates, & cupiditates ſæculi noli conjungere, & ille ad te non præſumet accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet: nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit*, ait S. Auguſtinus *z*. At quomodo cogere nos poſſet? cùm Deus, qui eſt origo fœcunda noſtræ libertatis, non cogat nos. Non eſt Chriſtianiſmus inſtar triremis, in quâ non ſunt niſi captivi: ſed eſt congregatio, in quâ unuſquiſque eſt liber, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* a.

x Job 41. 24.

y Pſ. 124. 1. & 2.

z S. Aug. ſerm. 197 de Tẽp. ex Matth 12. 29.

a Galat. 4. 31.

Magnæ libertatis exemplum habemus in perſonâ cujuſdam illuſtris Matronæ, ſed prorſus admirabilis, quam Philippus Rex Macedonum, pater Alexandri Magni damnavit ad mortem, licèt præ injuſtitiâ, quia tunc vino immerſus, liberum non habebat rationis uſum. Cùm igitur Prætor acceſſit ad illam cum Commiſſario, ut pronunciaretur ei decretum mortis, ipſa non fuit commota, ſed tantùm dixit tono gravi, qui denotabat ipſius generoſitatem, Appello. Ad quem appellas? reſpondit illi Commiſſarius; Princeps interfuit judicio tuo. Appello, proſequitur ipſa, à Principe ebrio ad Principem, qui debet eſſe ſobrius. Verbum illud relatum fuit Principi, qui evigilans ab ebrietate ſuâ ut à profundo ſomno, præcepit Judicibus, ut viderent proceſſum ejus, & seriò examinarent innocentiam ejus, quâ agnitâ, & ipſa liberata eſt, *Hoc extorſit, & quod innocentia non potuit, hoc à libertate mutuavit*; dicitur de illâ. Diſcite, parentes, hinc quomodo veſtros excipere debeatis liberos. Deus conſtituit vos ſuper illos eodem modo, quo ipſe *Pater & Dominus* b eſt omnium hominum: & ſicut ipſe non dirigit eos ut Tyrannus, ſed prout Pater, quia fecit eos liberos: ſic tractare debetis liberos veſtros cum amore, & non cum tyrannide: eo tamen non geritis vos modo, cùm avertitis illos ab obſequio Dei. Ha! pater crudelis & barbare, tu vis eripere filio tuo libertatem, quam Deus illi tribuit: Deus accipit libertatem tuam veluti præ reverentiâ, & tu audes violare & cogere libertatem filij tui: cùm Deus illum vocat c inſpirationibus ſuis, motibus ſuis internis, & ſuavitate gratiarum ſuarum, non compellit eum, non minitatur illi, nec utitur coactione adversùs ipſum; attrahit eum dulcedine amoris ſui, & tu inſumis omne genus rigoris, ut illum ab eo avertas. Quænam promiſſiones, quàm ingentes minæ, quotnam lacrymæ, & quàm inſtantes orationes non inſumuntur, modò à patre, mox à matre, & nunc à propinquo, aut ab amico, ut revocetur iſte filius, aut hæc filia ab obſequio Dei? Ha barbari! non eſtis ampliùs parentes, ſed peremptores liberorum veſtrorum: vos eripitis illis vitam: Deus vocaverat illos in Religionem ut in portum gratiæ, ut operarentur ibi ſalutem ſuam in omni ſecuritate extra patrandi criminis occaſiones, & ut viverent extra libertatem effrænem, quæ eſt or-

b Malach. 1. 6.

c Prov. 1. 24. &c. & Cant. 5. 2 & Apoc. 3. 20.

eſt ordinaria in mundo, cujus maximæ & regulæ contrariæ ſunt innocentiæ, & vos illos ab eâ avertitis, & exponitis eos ſtatui & conditioni, ubi jacturam ſuam infæliciter incurrent. Satius eſſet ut illos pugione confodiſſetis, quàm ut averteſſetis eos à loco ſacro, ad quem Deus ipſos vocaverat, cùm pugionem infigentes ſinui eorum, mortem dumtaxat intuliſſetis eis corpoream, cùm interitum animæ eorum irrogetis, cùm ſeparatis eos à Deo, qui eſt vera ipſorum *Vita* d. Scitote autem, parentes, qui illo vos geritis modo, quòd non ſolùm mortem veſtris infertis liberis, ſed etiam quòd ſacrilegium patratis adversùs Deum: nam eripitis ei victimas. Amor ejus triumphaverat amorosè de animabus eorum ſuper vanitatem mundi, & eos immolaverat pietati, & pœnitentiæ, & vos eripitis ei hoſtias iſtas. Quòd ſi non licet rapere res quæ oblatæ aut conſecratæ fuerunt Deo, & eas aſſumere ad uſus profanos, *Res ſacra nullius ſunt*, ait Lex: quodnam crimen patrare poſſetis majus, cùm obſtringitis liberos veſtros qui ſe Deo voverant, ad ſerviendum mundo, & vanitati? Parentes, qui cogitis filias veſtras ad ingredienda Monaſteria, licèt invitas, ut faveatis uni è filiis aut filiabus veſtris, ut honorabiliùs collocentur, actum injuſtitiæ peragitis, quia vim infertis illarum libertati, quam Deus aliquo modo reveretur. Ha! quid non agitis ut inducatis hanc puellam ad ingrediendum Monaſterium? Minis, injuriis, deſpectibus, & colaphis eam vexatis, denegatis ei veſtimenta, pejus illam excipitis quàm ancillam, ita ut videatur aliena, & non filia familiæ. Ha! parentes crudeles, tigrides immites, neſcitis quid agatis cùm cogitis ſic filiam veſtram: alligans illam ſtatui in quo vitam ſuam transiget inter deſperationes, & ubi forſan incurret damnationem ſuam. Ad ſerviendum Deo in Religione requiritur gratia ſpecialis Dei, qui ducit *in ſolitudinem* e eos quos vult: quis autem vobis dixit quòd eam dederit filiæ veſtræ? Sed dicite mihi, Quis dedit vobis jus dandi ſervos, aut ancillas Deo? Sineretiſne ut vobis invitis daretur ſervus aut ancilla, qui nollent, nec poſſent vobis ſervire? Cogitate ergo quanta ſit injuſtitia veſtra, & diſcite quòd Deus excipit homines, qui ſunt filij ſui, maximâ ſuavitate, & quòd mavult cedere juribus ſuis, quàm violare eorum libertatem. Sed heu! homines non utuntur libertate ſuâ, niſi ut ſe ſervos efficiant.

d Joan. 14. 6.

e Oſee 2. 14.

II Pars.

Triplex eſt libertas oppoſita triplici ſervituti. Prima, eſt libertas naturæ. Secunda, eſt libertas gratiæ. Tertia, eſt libertas gloriæ. Libertas gloriæ nos liberat ab omnibus miſeriis vitæ, *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* f. Libertas gratiæ nos eximit à ſervitute peccati: *Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ* g. *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* h. Libertas verò naturæ nos eximit à coactione: *Alioquin fruſtrà eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & pœnæ*, ait S. Thomas i, poſtquàm recenſuit hæc verba Eccleſiaſtici, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. Gloſſa, id eſt, in libertate arbitrij.* Tamen licèt homo ſit liber ab omni violentia per jura naturæ ſuæ; & liber à peccato per gratiam, ſi eâ velit uti; & habeat jus valendi aſpirare ad gloriam, ſi velit eam mereri: tamen non utitur libertate ſuâ naturali, niſi ad amittendas alias duas, & tot ſibi format catenas, quot facit actiones malas, facilè & libenter fertur ad peccatum, ſed ex eo non exit cùm vult, quia peccatum conſtringit ipſum tantâ ſævitiâ ut nullam indulgeat ipſi quietem: quamnam enim requiem habet anima, quæ patravit peccatum mortale, quo nondum ipſa ſe purgavit? quibusnam non concutitur ipſa timoribus ſingulis momentis? Ipſa nunquam pergit ad ſtratum, quin metuat ne moriatur *in peccato* b. Heu! inquit ipſa, ſi morerer in hoc ſtatu, damnata eſſem. Videte Baltaſſar in convivio inter concubinas ſuas diſſolutioni indulgentem: *In eâdem horâ apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur* c. Et quare? *Præſumit ſæva perturbata conſcientia* d.

f Apoc. 21. 4. ex Iſai. 25. 8.

g Rom. 6. 20.

h Joan. 8. 34.

i S. Thom. 1. p. q. 83. a. 1 in conc. citans Eccli. 15. 14. & Gloſſ. Interl.

b Jo. 8. 21.

c Dan. 5. 5. &c.

d Sap. 17. 10.

Parum eſſet, aut, ut meliùs dicam, favorabile nobis eſſet, ut peccatum nos turbaret, ſi permitteret nobis ut ipſum dereremus: ſed tale ſumit imperium ſuper animam noſtram, quæ ipſi apud ſe præbet ingreſſum, ut non permittat ipſi ut faciat aliquem bonum conatum ut exeat ab ipſo: tenet eam captivam, ligat illam tot catenis, quot ipſa colit paſſiones & vitia: ipſa deplorat ſervitutem ſuam, ſed abſque ſpe valendi ab eâ liberari: fundit ipſa lacrymas, ſed hæ non diſſolvunt ipſius vincula. Videte mulierem, quæ tranſegit aliquot annos in adulterio, ſeu in proſtitutione: vellet ipſa pravas deſerere praxes ſuas, ſed non poteſt, quia eſt alligata peccato ſuo. Ratio difficultatis iſtius eſt, quia anima inveterata eſt in peccato, ipſa nullam fecit ei reſiſtentiam, ipſa permiſit ut peccatum profundas in ſe figeret radices: ſic peccatum tranſivit in naturam, & ex hâc perversâ naturâ ſequitur neceſſitas, quam impoſſibile eſt vincere ſine auxilio cœli extraordinario, *In quâ vix ulla futuræ reſipiſcentiæ ſpes reliqua eſt*, ait Salazar e, loquens de adulterâ, ſeu meretrice ſuper hæc verba Salomonis, *Talis eſt & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit, Non ſum operata malum.* Ut concipiatis aliquid iſtius tyrannidis, quam exercet peccatum ſuper animam, auſcultate S. Auguſtinum f, qui tranſegerat juventutem ſuam inter ſordes carnis, & expertus fuerat conſequenter rigores iſtius ſervitutis, ſic loquentem, [Cui rei ego ſuſpirabam ligatus; non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perversâ facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet annexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus: voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, ſola certè jocunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova: illa carnalis, illa ſpiritalis confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipſe experimento id quod legeram, quomodo caro concupiſceret adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem g. Ego quidem in utroque; ſed ego magis in eo quod in me approbabam, quàm in eo quod in me improbabam. Ibi enim magis jam non ego, quia ex magnâ parte id patiebar invitus, quod faciebam volens. Sed tamen conſuetudo adversùs me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens quò nolens perveneram. Et quis jure contradiceret, cùm peccantem juſta pœna ſequeretur?] Eu ordo & prog. eſ-

e Salaz. num. 194. in Prov. 30. 20.

f S. Aug. l. 8. Conf. c. 5.

g ex Gal. 5. 17.

progreſſus peccati : negligentia quam præ nobis ferimus ad reſiſtendum peccato à principio, nos inducit ad infamem neceſſitatem offendendi Dei. Hæc mulier infælix, quæ converſata eſt impudicè cum amaſio ſuo, nunquam audit prædicari contra vitium ſuum, vel annunciari rigores judicii Dei, quin tremore concutiatur : ipſa conatum facit ad hoc ut exeat è peccato ſuo : ſed iſte niſus non ſervit ipſi niſi ad experiendam impotentiam ſuam : ipſa tantam difficultatem reperit ut putet impoſſibile abſtinere ſe à peccato ſuo. Unde procedit iſtud ? Ex hoc quòd in ipſâ formata eſt neceſſitas ſuper uſum diuturnum quem ipſa fecit proſtitutionis ſuæ : tamen ejus non erat multùm grave in principio ſuo, nec multùm difficile victu ; ibi erat magis infirmitatis quàm malitiæ : ſed in progreſſu ſuo fragilitas non eſt ipſius cauſa, ſed perverſa voluntas : peccatum illius cœpit per quendam affectum ſecretum inhoneſtum, quo ipſa ducta eſt erga hominem illum lubricum, quia hic apparuit ipſi jucundus, & diſertus : hic affectus effecit ut ipſa ſibi complaceret in actionibus illius, deinde in videndo, & audiendo illo, & in exhibendo ei amore ſuo : inde tranſivit ipſa ad exiguas libertates, quæ non reſectæ in origine ſuâ, cauſaverunt malum in conatu ſuo : & quia ipſa non prævidit malum, quod peccatum ſuum ferret, ſi continuaretur, ex eo fecit ipſa conſuetudinem : hæc conſuetudo fecit ipſi catenam, quæ ipſam neceſſariò inducit ad peccatum, è quo ipſa exire non poteſt, niſi faciat conatum iſtum.

In triplici genere ſunt perſonæ, quæ ex neceſſitate faciunt malum, dæmones, Juſti, & peccatores. Dæmones pravâ voluntate malum faciunt ex neceſſitate, & nunquam deſiſtent ab inſurgendo in Deum, quia mala ipſorum voluntas eſt fixa & alligata huic malo conſilio *h*. Juſti ex neceſſitate faciunt peccatum in ſenſibus ſuis, quia deferunt naturam infirmam, & uſſic proclivem ad malum : *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſuâ* i. Et, *Non enim quod volo bonum, hoc facio : ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio : jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ajebat S. Paulus *k*. Quantamlibet iſti Juſti curam & diligentiam præ ſe ferant ad ſe cuſtodiendos in gratiâ, quam tamen non amittunt, compelluntur nihilominus aliquo modo ad patrandum aliquod peccatum veniale, *Septies cadet Juſtus* l. Et in hoc Juſti quandam veluti patiuntur neceſſitatem peccandi. Tandem, Impii ſuſtinent neceſſitatem offendendi ex longâ & forti conſuetudine quam contraxerunt in peccato, eo modo, quo ſuprà deſcripſit eam S. Auguſtinus : ſtatus autem impiorum iſtorum ſic eſt infœlix, ut non differant à dæmonibus, niſi loco ; ideòque ſupplicium ſuum ſecum deferant, & ſint ſuimetipſorum carnifices, *Juſſiſti, Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus*, ait idem S. Doctor *m*, Deum alloquens. Heu quotnam carnifices habent iſti miſeri, qui non ſolùm alunt unicam paſſionem, ſed plures ? Propterea poſtquàm *conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum ; dixit ad Dominum, Omnis qui invenerit me, occidet me* n. *Quia ex tremore corporis, & furiata mentis agitatu, quiſque eum me eſſe intelliget, qui mereatur interfici*, ait Hieronymus o. *Quaſi dicat : Sum catharma, ſum anathema, ſum odium Dei & hominum, non potero evadere quin ab aliquo occidar. En omen, en pavor malæ conſcientiæ. Ita S. Ambroſius* p, ſubdit Cornelius †.

Peccatores, quicumque ſitis, *obſecro itaque vos per miſericordiam Dei* q, qui vos *creavit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* r, qui vos conſervat, & alit, dicens vobis, *Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos : quantò magis vos pluris eſtis illis* ſ ? & qui *tradidit ſemetipſum pro* vobis, æquè ac pro *nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* t, ut vos ſicut & nos eriperet à ſervitute & tyrannide dæmonis, cui eramus addicti propter peccata noſtra, *aliquando converſati in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri* u propter malum noſtræ libertatis uſum : ut benè intimatis hanc eandem libertatem, quam multùm debetis judicare pretioſam, cùm Deus eam præ tantâ eſt uti reverentiâ tractet, ut malit cedere juribus ſuis quàm illam violare vel cogere : ſequimini igitur amoroſas impreſſiones quas vobis ſuggerit idem Deus ſuavitatibus dilectionis & gratiæ ſuæ, quam vobis offert in hoc mundo, quod vos diſponet ad ſuſcipiendam gloriam illius in altero ſeculo.

h Iſai 14. 13. &c. & Apoc 12. 3. &c.
i Gen. 8. 21.
k Rom 7 19. & 20
l Prov. 24. 16.
m S. Aug. l. 1. Conf. c. 12.
n Gen. 4. 8 &c.
o ex S. Hier. Epiſt. 125. ad Damaſ. qu. 1.
p ex S. Ambr. l. 2 de Abel & Cain. c. 9.
† Cornel in Gen. 4 14.
q Rom. 12. 1.
r Gen. 1. 27.
ſ Luc. 12. 24
t Epheſ. 5. 2
u Epheſ. 2. 3.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falſis Prophetis. Matth. 7. 15.

VEra Philoſophia confitetur, quòd filii ſunt productiones patrum, portio & emanatio ſubſtantiæ ipſorum æquè ac ipſorum imago : tamen ipſa nondum agnovit quòd filii concurrerint cum patribus ſuis ad productionem ſuam, aut quòd ſoliciti fuerint de procurandâ nativitate fratrum ſuorum : iſtud mirabile quod Philoſophia ſemper ignoravit, nunquam apparuit niſi in myſterio Incarnationis Verbi Divini, in quo Filius Dei, qui eſt productio æterna Patris ſui, ſicut ipſemet ait, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* a, *qui eſt imago Dei inviſibilis* b : *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* c, *cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* d : concurrit *ubi venit plenitudo temporis* e, cum Patre ſuo ad productionem naturæ humanæ particularis & individuæ ad hunc finem ut uniat ſe illi perſonaliter, & ut faciat multos fratres per gratiam : quod exequitur ipſe fœliciter in vitâ ſuâ, & per mortem ſuam, elevans omnes homines ad gloriam filiorum adoptivorum, [Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus,] ait S. Joannes *f*. Et poſt eum Dionyſ. Carthuſianus *g*, [Quotquot autem receperunt eum per fidem formatam, univerſaliter loquitur, dicendo, Quotquot, Quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus *h*, dedit eis poteſtatem, hoc eſt, idoneitatem, ſeu gratiam efficacem, filios Dei fieri, hoc eſt, per quam fiunt filii Dei adoptivi. His qui credunt in nomine ejus, loquendo de nomine nominato, hoc eſt de in ipſo Chriſto fide formatâ. Cùm itaque Verbum ſit Filius naturalis, qui ei per fidem uniuntur, atque per charitatem incor-

a Pſ. 2. 7.
b Coloſſ. 1. 15.
c Sap. 7. 26.
d Hebr. 1. 3.
e Galat. 4. 4.
f Joan. 1. 12.
g Dion. Carthuſ. art. 4. in Jo. 1. 12.
h ex Act. 10. 34.

incorporantur, efficiuntur filij adoptivi. Filiatio autem adoptiva quæ fit per gratiam, quâ homines fiunt participes hæreditatis Patris adoptantis, eſt participatio filiationis naturalis. Hinc ad Romanos *i* dicit Apoſtolus, Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Et rurſus, Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.] En, Auditores, extenſio charitatis Filij Dei, qui vult habere multos fratres participes hæreditatis ſuæ cœleſtis, moriendo pro omnibus & ſingulis hominibus abſque aliquâ exceptione, *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, ait Apoſtolus *k* contra falſos aliquos Prophetas qui præſumpſerunt dicere, quòd Filius Dei non eſſet mortuus pro omnibus hominibus. Iſtud dogma hujuſmodi falſorum Prophetarum eſt cōtrarium communi fidei Eccleſiæ. Spiritus ſanctus qui eam dirigit, quippe quo *inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines* l, lumina nobis præbebit ad illud impugnandum interventu Sponſæ ſuæ confeſtim ac dixerimus ei, *Ave Maria.*

i Rom. 8. 17 & 15.
k 2. Cor. 5. 15.
l 2. Petr. 1. 21.

Quæſtio eſt æquè ſpinoſa ac jucunda eſt, quâ petitur num deſiderandum eſſet, ut primogenitus patris clauderet & ſiccaret originem fœcundam, quæ dedit ipſi vitam, aut ut relinqueret eam apertam ad producendos alios: quod idem eſt ac dicere, num melius ſit ut quis ſolus ſit, quàm ut habeat fratres ſocios fortunæ ſuæ, ſicut & vitæ ſuæ. Illi qui metiuntur omnia juxta conſiderationem commodi, terminant opinionem per excluſivam: quia hæreditates terræ ſunt circumſcriptæ limitibus, inquiunt ipſi, & minuuntur interventu diviſionis: ſatius ergo foret, ut pater unicum duntaxat haberet filium, eò quòd domus ipſius ſemper ſubſiſteret in eâdem abundantia, cùm è contrà multum amittat fortunæ ſuæ per multitudinem, quia non poteſt dare ſingulis magnitudini nativitatis ipſorum conformem hæreditatem. Prætereà, Multitudo eſt motivum diviſionis & belli: parum eſſet quòd natu minor in mundum veniens, eriperet partem bonorum fratri ſuo natu majori, niſi eodem tempore auferret ab eo amorem parentum ſuorum, qui ordinariè teneriùs diligunt filios ſuos natu minores, qui viciſſim ſuos ſenſibiliùs redamant progenitores. Sic Jacob ſupplantat Eſau fratrem ſuum natu majorem, & eripit ei cum jure primogenituræ *m*, eodem tempore cor patris ſui: & ſanè res eſt miſeranda, quòd cedrus procera cedere cogatur exiguo rubo. Videtis igitur quomodo multitudo filiorum eſt injurioſa familiæ, & propter paupertatem quam introducit, & ob diviſionem mentium. Cujus habemus etiam exemplum in familiâ ejuſdem Jacob, cujus filij tantam æmulationem conceperant adversùs fratrem ſuum Joſeph, ut non poſſent ei dicere verbum amoroſum, *Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plùs cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui* n. Multitudo eſt etiam injurioſa gloriæ domus, quæ ſe elevaret in aliam fortunam, aut ſaltem ſuum ſplendorem conſervaret, ſi tota ſubſtantia patris, & acquiſitiones quas fecit, eſſent unitæ in perſonâ ſolius; & ſic ejus potentia eſſet ſemper ſpectabilis: unitas eſt igitur præferenda multitudini.

m Gen. 27. 33.
n Gen. 37. 4.

Tamen ſi cœlum mihi commiſiſſet deciſionem iſtius quæſtionis, concluderem in favorem fratrum, per eaſdem rationes, propter quas auctores opinionis contrariæ intendunt illos dirimere. Primò enim familia numeroſa tutior eſt quoad ſecuritatem hæreditatis: nullos habet ferè liberos, qui unicum duntaxat habet filium, ſemper expoſitus eſt periculo amittendi illius, & ſuſcipiendæ iſtius moleſtiæ, ac videre tranſire hæreditatem ſuam, nomen ſuum, & ſtemmata ſua in familiam alienam. Et licèt aliqua domus appareat potentior in occurſu ſolius hæredis, quia abundantior eſt; de eo tamen ſe res habet non ſecus ac de illis arboribus expoſitis magnæ viæ, contra quas omnes viatores efficiuntur inſolentes, quippe quibus eripiunt fructus ſuos, ut ait Poëta,

Nux ego juncta viæ, cùm ſim ſine crimine vitæ,
A populo ſaxis prætereunte petor.

Sic miſerandus pupillus unumquemque habet inimicum. Unitas igitur eſt injurioſa, ſed multitudo eſt illi præferenda ratione unionis & amoris. Nedum multitudo ſit cauſa diviſionis, è contrà eſt cauſa mutuæ & reciprocæ affectionis: fratres enim conſiderantes quòd non habent meliores amicos quàm ſemetipſos, ſibi mutuam præbent manum ad ſuam reciprocam protectionem; ſic, ait Sapiens *o*. *Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma.* Et alibi *p* ſic concludit, *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm unum: habent enim emolumentum ſocietatis: ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* Quilibet alius amicus eſt periculoſius: non eſt enim amicitia certior, & minùs commodis ſuis invigilans amicitiâ ſanguinis: & ſe res habet de hâc familiâ ſicut de ſpecioſo pomo latente in aliquâ ſylvâ, circundatâ magnis arboribus, quarum rami denſi operiunt fructus ejus oculis noſtris; & ſpinæ quæ cingunt truncum illius, impediunt & prohibent acceſſum illis, qui ad ipſam vellent appropinquare. Addite quòd familia, in quâ multi ſunt fratres, glorioſior eſt eâ, in quâ duntaxat unicus eſt hæres: quia ſicut in illâ multi ſunt, ſic & diverſas habent idoneitates ad exercenda differentia munia, & ad poſſidenda varia officia, quæ ipſos exponentia oculis hominum intuendos, eorundem hominum conciliant ipſis etiam æſtimationem, cùm ſolus non poſſit extendere gloriam ſuam longiùs quàm à ſe. Virtus autem facit in illis id, quod fortuna operatur in hoc. Sed dato quòd iſtud totum non eſſet, mihi ſufficit ut vobis proponam exemplum Jeſu Chriſti, qui voluit habere multos fratres, & eſſe, ſicut loquitur Apoſtolus *q*, *Primogenitus in multis fratribus. Id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam caput eorum, & jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque alijs diſtribuendo*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *r*. Hoc tamen in occurſu miror œconomiam Patris æterni: alij enim patres habent aliquam rationem deſiderandi habere multos liberos, aut quia metuunt ne amittant hæreditatem ſuam, aut quia filios ingratos habent, vel quia ſe perpetuare concupiſcunt: ſed Pater æternus non habet cur ullum timeat ex his eventibus: eſt enim immortalis, *Qui ſolus habet immortalitatem* ſ. Et Filius ipſius ſimiliter & conſequenter ipſius hæreditas nullam ſuſtinere poteſt jacturam *t*. Prætereà, Habet Filium æquè perfectum ac ipſe *perfectus eſt* u, & ſic obedientem *x*, ut ad commendandam obedientiam ſuam, ſe fecerit hominem, habitare voluerit novem menſibus *in utero* y B. Virginis, vitam tranſegerit *pauper, & in laboribus à juventute* z ſuâ, & *pro omnibus mortuus* a ſit tandem & ſingulis hominibus contra ſententiam falſorum aliquorum Prophe-

o Prov. 18. 19.
p Eccl. 4. 9. & 10.
q Rom. 8. 29.
r Dion. Carthuſ. art. 12 in Ro. 8. 29.
ſ 1. Tim. 6. 16.
t Pſ. 101. 26. & 27. & Hebr. 1. 11. & 12.
u Matth. 5. 48.
x Pſ. 39. 7. &c.
y Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
z Pſ. 87. 16.
a 2. Cor. 5. 15.

Prophetarum, contra quos afferens rationes iſtius œconomiæ Filij Dei mortui pro univerſis & ſingulis hominibus, volo vobis oſtendere, quòd hæc eſt effectus dilectionis & benevolentiæ Jeſu Chriſti, qui nobis eſt meritus qualitatem filiorum adoptivorum. Ecce tota diſcurſus iſtius ſeges.

Propoſitio.

Error eſt ordinarius mundi, ut condemnet id omne quod non poteſt ipſe intimè pervadere. Ideæ Platonis, quæ reputatæ ſunt uſque nunc ut deliramenta, quia non benè fuerunt intellectæ, nec dignè explicatæ, habitæ ſunt ut monſtriferæ ab ipſius diſcipulo Ariſtotele, ut ei partem ſuæ authoritatis eriperet, [Ideas primus Plato appellaſſe perhibetur. Sunt autem ideæ exemplaria æterna eorum quæ naturaliter fiunt, immortales, immutabiles, inviolabiles. Et ut res apertior fiat, opus eſt, præter homines intelligere quendam hominem: & præter animalia, animal ingenitum. Et quemadmodum ex uno ſigillo complures fiunt impreſſiones, ſic ex uno homine ſexcenta millia hominum. Et hæc eſt Platonis idea: à quo Ariſtoteles diſſentiens, nullas putat eſſe ideas,] ut Calepinus *b*. Sed ſufficit ut induamus eas more Chriſtiano, ad hoc ut noſtris reddamus eas dignas venerationibus, [Euſebius ideam ſic definit, Idea eſt perpetua ſubſtantia, cauſa, & principium, ut ſingularia talia ſint, qualis eſt ipſa: & quemadmodum ſenſibilium exemplaria ad hæc corpora præcedunt, ſic quæ omnia in ſeipsâ continet pulcherrima atque perfectiſſima, hujus mundi exemplar eſt, ad quam à Creatore Deo ab universâ ſubſtantiâ mundus ſimillimè formatus eſt,] proſequitur idem Calepinus. Eximius ille vir, putà Plato, cui antiquitas tribuit nomen Divini, obſervabat magna ſpatia & immodicam diſtantiam inter Deum & homines: contemplabatur tamen inter hos & illum, hominem medium, naturæ incorruptibilis, perfectæ, & immunis ab omnibus defectibus. Quis modus uniendi naturam Divinam, & Deum, qui eſt actus & ſpiritus puriſſimus, *Spiritus eſt Deus*, ait S. Joannes *c*, *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *d*, cum naturâ humanâ quæ immerſa eſt impuritati, & quæ innumeris eſt obnoxia defectibus? Fœdus iſtud fit in hoc homine, qui eſt in ſtatu medio: ipſius puritas & incorruptibilitas reddunt ipſum capacem ſocietatis illius; ipſius perfectio elevat ipſum, & ipſum reddit dignum Deo: & Deus nihil amittit per iſtud commercium, quia unit ſe ſubjecto quod eſt expers cujuslibet defectus, nimirum naturæ humanæ, quæ propter impuritatem ſuam non erat capax commercij Dei, eoque digna redditur per commercium hominis Dei. En, Auditores, conceptus illius Philoſophi antiqui, qui haberetur ut ridiculus, niſi fides nos edoceret, quòd id quod Plato non vidit niſi in ideâ, contigit effectivè, & quod iſtud fœdus facit unum ex auguſtiſſimis Chriſtianiſmi noſtri myſterijs. Quid eſt enim, ſi placet, hic homo medius naturæ incorruptibilis, niſi Jeſus Chriſtus, qui ſociavit in perſonâ ſuâ duas naturas, naturam Divinam & naturam Humanam? Verè ſumpſit in ſe naturam humanam, ſed naturam immunem à crimine & à quolibet defectu, ut pangeret iſtud fœdus, quod alioquin fuiſſet impoſſibile. Homines nihil habebant, quod eſſet dignum Deo, ſed potiùs erant conſcij innumerorum criminum, quæ removent viſum ipſius ab eis, ut ait illis Iſaias *e*, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis.* Et Natura Divina erat nimis auguſta ne dum ſe deprimeret ad naturam ſic infamem: requirebatur igitur ſubjectum quod participaret duo extrema, quod haberet perfectiones Dei, & immune eſſet a defectibus naturæ humanæ. Subjectum iſtud eſt Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui ſociavit omnes homines Deo in perſonâ ſuâ, ſicut canit Eccleſia, *O admirabile commercium, Creator generis humani, animatum corpus ſumens de Virgine naſci dignatus eſt f, & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem!* Ipſe ſumpſit verè naturam humanam, ſed non communicavit defectibus illius, qui ſunt ignorantia, & peccatum. Non ignorantiæ: *Vivus eſt enim Sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* g. Nec peccato, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* h. Præterea, Erat ipſe, Deus verè, & in hâc conditione poterat illos infinitis gratiis cumulare. Conſilium Dei in hâc aſſociatione, eſt ut faciat ſibi multos fratres, & acquirat Patri ſuo multos filios per gratiam, ſicut ipſe Filius ejus eſt per naturam. Motivum iſtius, fuit amor: & ratio iſtius eſt, quia Deus reparat creaturas eâdem viâ, quâ illas produxit: & cùm Deus producit aliquod opus, producit illud per ſe, aut vocat aliquod inſtrumentum, vel aliquam cauſam ſecundam: & cùm producit aliquid interventu inſtrumenti, vocat hoc idem inſtrumentum ad illius reparationem: ſic producit lumen interventu Solis, & illam reparat medio Sole: ſed cùm producit aliquid ſeipſo, illud reparat etiam ſeipſo: atqui creaverat Angelos verbo ſuo, *Dixitque Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux* i. Debet illos igitur eodem verbo ſuo reparare, non ſecus ac cùm pictor pinxit aliquam tabellam ſuper aliquod exemplar, ſi hæc tabella deformata fuit, aut deleta, non reparatur niſi ſuper ideam primi ſui exemplaris: atqui homo deformatus fuerat per peccatum, ipſe deleverat imaginem Dei ſui, ut ſumeret figuram dæmonis, ſicut id lamentatur Jeremias *k* de ſingulis hominibus in perſonâ Nazaræorum, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* Erat igitur hæc imago reparanda ſuper exemplar ſuum primum: atqui ille idem qui fuerat exemplar hominum, erat illorum principium, nimirum Jeſus Chriſtus: oportebat igitur ut Jeſus Chriſtus imaginem ſuam repararet in homine: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* l. Jeſus Chriſtus autem, ut dixi ſuprà poſt Apoſtolum *m*, *eſt imago Dei inviſibilis.* Atqui bonitas ipſius ſic fuit abundans, & dilectio ipſius fuit tantæ extenſionis, ut mori voluerit pro omnibus, ut acquireret omnibus mediâ morte ſuâ eundem favorem, qui eſt gratia adoptionis, quâ perficitur hæc reparatio: non enim efficimur filij Dei, niſi cùm deſinimus eſſe filij diaboli: per mortem igitur Jeſu Chriſti ſuſcipimus hanc gratiam, quæ offertur generaliter omnibus, & Judæis, & Turcis, & Hæreticis, æquè ac Catholicis, *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* n. Propterea appoſitè obſervatum eſt, quòd Jeſus Chriſtus mortuus effudit ſanguinem ex omnibus vulneribus corporis ſui, *Et exivit aqua* o duntaxat è latere ipſius, ad notandum differentiam quæ admittitur inter diluvium ſanguinis qui effuſus eſt in morte Jeſu Chriſti, & diluvium aquæ quod *factum eſt ſuper terram* p tempore Noë: illud enim fuit univerſalius iſto. Deus præbuit induſtriâ æquè ac mandatum Noë, ut ſibi

b Calep. in Dictionar. v. Idea. citans Euſeb. lib. Præparat.

c Joan. 4. 24.

d Dion. Carthuſ. art. 1. in Jo. 4. 24.

e Iſai. 59. 2.

f ex Luc. 2. 7.

g Hebr. 4. 12. & 13.

h 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.

i Gen. 1. 3.

k Thren. 4. 8.

l Gen. 9. 6.

m Coloſſ. 1. 15.

n 2. Cor. 5. 15.

o Joan. 19. 34.

p Gen. 7. 17. &c.

ut ſibi faceret *arcam* q, in quâ poſſet ipſe conſulere ſaluti ſuæ, & totius familiæ ſuæ, ſic ut hoc diluvium non fuerit univerſale, *In quâ pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* r. Sed diluvium Sanguinis, quem Jeſus Chriſtus effudit ſuper cruce, fuit generalius, quia fuſus eſt pro omnibus & ſingulis hominibus generaliter & indifferenter. Jeſus Chriſtus eſt imitatus in hoc bonitatem ſui *Patris qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos* ſ. Ipſe *eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter*, ſicut canit Eccleſia poſt Malachiam t. Ipſe defert radios ſuæ lucis, & ſuæ dilectionis indiſcriminatim ſuper omnes homines, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ait S. Joannes u. *Id eſt, illuminat lumine gratiæ omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, omnem qui illuminatur gratiâ ſpirituali, quam nullus ſortitur niſi à Filio. Juxta hunc ſenſum habetur in Pſalmo* x, *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.* *Non quòd omnes corruentes, & eliſi alleventur ac erigantur, ſed quòd nemo talium alleventur, aut erigatur, niſi à Deo. Vel, illuminat omnem hominem quantum in ſe eſt, ſicut vult omnes ſalvari* y, *ita quòd nemo excuſatur, ſi non fuerit illuſtratus*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus z. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, dicit Pſalmiſta a. *Id eſt, nemo ſe excuſare poteſt à Chriſti amore, quoniam iſta beneficia tanta, tamque patentia ſunt, ut ignorantia nullum excuſet. Idcircò Chriſtum omnes ſuper omnia amare tenentur*, ſubdit idem Carthuſianus b. Videte igitur quantus ſit error falſorum aliquorum Prophetarum qui præſumpſerunt aſſeverare, quòd Jeſus Chriſtus non eſſet mortuus pro omnibus & ſingulis hominibus. Ut autem decidam hunc errorem in favorem veritatis, eumque deſtruam cum majori efficaciâ; illum volo impugnare per Scripturam ſacram, per rationem, & per authoritatem ſanctorum Patrum Eccleſiæ.

q Gen. 6. 14. &c.
r 1. Petr. 3. 20.
ſ Matth. 5. 45.
t ex Malach. 4. 2.
u Jo. 1. 9.
x Pſal. 144. 14.
y ex 2. Petr. 3. 9.
z Dion. Carthuſ. art. 4. in Joan. 1. 9.
a Pſ. 18. 7.
b Dion. Carthuſ. in Pſal. 18. 7.

Et primò ſuppono unam rem, quam hæretici noſtri ſuſcipiunt ut articulum fidei, nimirum quòd Scriptura ſacra eſt ſola regula veritatis c, & quòd nulla ſit admittenda gloſſa. Hoc ſuppoſito, S. Joannes d loquens de Jeſu Chriſto, ait, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Quòd ſi Jeſus Chriſtus ſatisfecit pro peccatis totius mundi, cùm mundus ſit compoſitus è prædeſtinatis & è reprobatis ſimul, ſequitur quòd mortuus ſit pro iſtis, æquè ac pro illis. Quòd ſi ſecundùm maximam Philoſophiæ, *A majori parte ſit denominatio*, cùm numerus Prædeſtinatorum ſit minor numero reprobatorum, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi* e: dici non poteſt quòd Jeſus Chriſtus non ſit etiam mortuus pro reprobatis. Sed iſtud eſt intelligendum eo modo quo præfata verba S. Joannis exponit Dionyſius Carthuſianus f, *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, id eſt, non ſolùm Chriſtus propitiatio eſt pro peccatis eorum, quibus hæc primò ſcripſit Sanctus Joannes, ſed & pro totius mundi peccatis, id eſt pro culpis totius Eccleſiæ, toto orbe terrarum diffuſa. Imò pro vitiis univerſi generis humani ſufficienter, quàmvis pro ſolis Electis efficienter. Humanitas etenim Chriſti ex unitâ ſibi Deitate habuit idoneitatem ſatisfaciendi quodammodo infinitam. Ex eminentiâ quoque virtutum quas habuit, ineffabilem habuit efficaciam promerendi ac reconciliandi.*

c 2. Tim. 3. 16. & 2. Petr. 1. 20. &c.
d 1. Joan. 2. 2.
e Matth. 22. 14.
f Dion. Carthuſ. art. 2. in 1 Jo. 2. 2.

S. Paulus g ſcribens diſcipulo ſuo Timotheo, præcipit ei ut faciat orationes publicas pro omnibus hominibus, præſertim verò pro Regibus, & pro illis qui ſunt in dignitate conſtituti, *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt. Hoc enim bonum & acceptum eſt coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quòd ſi S. Paulus hortatur diſcipulum ſuum ut faciat orationes, & offerat ſupplicationes Deo pro univerſis hominibus, quia, inquit, illud placet Deo, nullam facit igitur diſtinctionem inter Prædeſtinatos & reprobatos, cùm inter eos qui poſſidebant officia & dignitates, multi eſſent impii & infideles, æquè ac inter illos qui profitebantur Chriſtianiſmum. Et aliquantò pòſt h ait, quòd dedit ſanguinem ſuum pro omnibus, ſed præſertim pro fidelibus, *eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Quicumque dicit totum, nihil excludit: & cùm Apoſtolus dicit, quòd Jeſus Chriſtus eſt mortuus præcipuè pro fidelibus, docet nos, quòd idem Jeſus Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, ſed quòd mors illius non proderit omnibus, ſed ſolùm illis qui futuri ſunt ei fideles, cooperando gratiis ejus. Quòd ſi dicunt Hæretici, quòd S. Paulus loquens de omnibus, non intelligit loqui niſi de Prædeſtinatis: iſtud eſt igitur gloſſa quam ipſi faciunt ſuper Scripturam, contra proteſtationem & ſuppoſitionem quam ſuprà fecimus. Prætereà, Si Apoſtolus non intenderet loqui niſi de Prædeſtinatis, modus loquendi ipſius eſſet ridiculus. Supponite enim, Auditores, quòd dicatur, Multi ſunt captivi in nitrito propugnaculo Regio, nobiles, & ignobiles: Rex Chriſtianiſſimus vult indulgentiam & gratiam largiri nobilibus, eoſque libertate donare: ergo omnes ſunt criminoſi; Hæc conſequentia eſſet riſu digna, quia ex antecedente particulari educeretur ſequela univerſalis, quod non licet in bonâ Philoſophiâ: ſic cùm S. Paulus ait, quòd Jeſus Chriſtus ſe reddidit Mediatorem inter Deum & homines, & quòd mortuus eſt pro univerſis hominibus, ſi non intenderet loqui niſi de Prædeſtinatis, modus loquendi ipſius eſſet riſu dignus, quia educeret conſequentiam univerſalem, applicans mortem Jeſu Chriſti univerſis hominibus, licèt ſciret quòd non eſſet mortuus niſi pro Prædeſtinatis, juxta ſuppoſitionem iſtam. *Unus eſt Mediator, id eſt, Reconciliator & Sequeſter Dei Trinitatis & hominum, homo Chriſtus Jeſus, cum utroque extremo conveniens, cum Deo ſecundùm naturam Divinam, & cum hominibus ſecundùm aſſumptam humanitatem. Eſtque Mediator Dei ac hominum, propriè loquendo, nec ut Deus, neque ut homo, ſed ut Deus homo, ſeu ut Deus incarnatus. Sic quippe competit ei & ſatisfacere ſeu reconciliare, & idoneitas vel efficacia reconciliandi. Quorum primum convenit ei ratione aſſumptæ naturæ: ſecundùm verò ratione Deitatis unitæ, ex quâ opera & pœna Chriſti hominis, infinitam quodammodo dignitatem & efficaciam ſortiuntur, ut in tantum ut minima gutta ſanguinis ejus fuiſſet ſufficientiſſima ad totius humani generis liberationem. Qui Chriſtus dedit, id eſt, ſponte & charitativè obtulit redemptionem, id eſt, in cauſam & pretium noſtræ redemptionis, ſemetipſum pro omnibus quantum ad ſufficientiam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus i poſt Apoſtolum.

g 1. Tim. 2. 1. &c.
h 1. Tim. 4. 10.
i Dion. Carthuſ. art. 2. in 1. Tim. 2. 5. & 6.

Sed veniamus ad rationem: Si Jeſus Chriſtus non eſſet mortuus pro omnibus hominibus, ſed ſolùm pro Prædeſtinatis, daretur injuſtitia in modo procedendi ipſius: numquid enim magnæ conſcius non eſſet injuſtitiæ Judex, qui pronunciaret ſententiam condemnationis & decretum mortis

adverſus hominem qui nullum patraſſet crimen? Atqui Deus committeret eandem injuſtitiam, niſi ſalvare vellet omnes homines, aut ſi non eſſet mortuus niſi pro Prædeſtinatis ſolis. Quòd ſi creditis quòd homo & Judices terræ committere non poſſunt injuſtitiam iſtius naturæ: ſiccine poſſet ut Deus illius conſcius eſſe poſſet, ipſe qui eſt *juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus*

k Pſ. 10. 7.

ejus, ait David k? *Deus quippe naturaliter & ſubſtantialiter juſtus eſt. Et ſicut Divinus Intellectus eſt menſura, & fons omnis veritatis; ita Divina Voluntas eſt menſura, cauſa, & fons omnis juſtitiæ. Unde ſcriptum eſt, Cùm ergo ſis juſtus, Domine, omnia juſtè diſ-*

l ex Sap. 12. 15. & 16

ponis, virtus enim tua juſtitiæ initium eſt l. *Quidquid ergo Deo juſtum videtur, & quidquid ab eo procedit, eo ipſo quo et juſtum videtur, vel ab ipſo cauſatur, juſtum eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m.

m Dion. Carthuſ. in Pſal. 10. 7.

Hæretici dicunt, quòd Deus elegit aliquos homines ut ſint filij ſui, ductus motivo ſuæ bonitatis & miſericordiæ, & rejecit alios ut indignos dilectione ipſius, & qui ſuſcipiant effectus gratiarum ipſius, quia illud ita ipſi placet, & tale eſt ipſius beneplacitum, nedum tamen illi, nec iſti concucurrerint ex parte ſua ad hanc electionem, aut ad iſtam rejectionem; ſed tamen quòd executio decreti pronunciati contra reprobos & impios, non fit niſi poſt ipſorum peccata. Sed quis procedendi modus, ſi placet? Hæretici, ut Deum ſalvare videantur ab improperio, duplex eidem irrogant: ſicut enim duplex eſſet injuſtitia Judici, pronunciaſſe decretum mortis contra hominem innocentem, cujus vita ſemper probata fuiſſet, & immunis à crimine, & differre illius executionem donec ille homo patraſſet aliquod crimen, ad juſtificandam ſævitiam ſuam, & malitiam ſententiæ ſuæ: ſic idem dici poſſet de Deo. Deus eſt totus miſericordia, & totus juſtitia, *Miſericors Dominus, & juſtus*, ait

n Pſal. 114. 5.

Pſalmiſta n. Differenter tamen exercet hæc duo ſumma attributa: ſuam enim miſericordiam redigit in exercitium per ſeipſum; ſed in praxim non reducit juſtitiam ſuam, niſi quatenus exercendæ ipſius anſam reperit, *Uſque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus, exinde Judex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt, etiam ſævus*, ait Ter-

o Tert. l. 2. contra Marcion c. 11.

tullianus o. Et expreſſiùs S. Bernardus p, *Et benè dicitur Pater miſericordiarum* q, *cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere* r. *Sed forte quis dicet: Quomodo illi proprium eſt miſereri, cujus judicia abyſſus multa* ſ? *Neque enim dicitur: Omnes viæ ejus ſola miſericordia, ſed miſericordia & veritas* t. *Non minus juſtus quàm miſericors eſt, cui miſericordia & judicium decantatur* u. *Verum id quidem. Cui vult miſeretur, & quem vult indurat* x: *Sed quòd miſeretur, proprium illi eſt: ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quòd judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longè aliter de corde ipſius miſeratio, quàm animadverſio procedere* y *videatur. Ipſum audi dicentem: Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non magis ut convertatur & vivat* z? *Rectè igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum: non modò quòd Pater videatur miſereri potiùs quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum miſereatur timentium ſe* †: *ſed eo magis quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro.* Sicut Sol qui illuminat per ſeipſum, eſt ſemper calidus, ſed non ſemper comburit, niſi quatenus exponitur ipſi materia ſuſcipiendis impreſſionibus ignis idonea: ſic Jeſus Chriſtus exercet miſericordiam ſuam ſuper omnes homines; ſed non

p S. Bern. ſerm. 5. in Natali Dom.
q ex 2. Cor. 1. 3.
r ex Eccleſia
ſ ex Pſal. 35. 7.
t ex Pſal. 24. 10.
u ex Pſal. 100. 1.
x ex Rò. 9. 18.
y ex Pſal. 102.
z ex Ezech. 18. 23.
† ex Pſ. 102. 13.

redigit in exercitium juſtitiam ſuam niſi intuitu impiorum, & inquantùm invenit in eis peccata & crimina punienda: ſimili modo Jeſus Chriſtus commiſiſſet duplicem injuſtitiam intuitu impiorum, ſi eos excluſiſſet à gloriâ ſuâ ſine ullo motivo, & retardaſſet executionem iſtius ſententiæ poſt peccatum: eſſet enim ut ſic cauſa primitiva jacturæ ipſorum, quia induceret illos ad peccatum: qui enim vult abſolutè finem, intendit etiam neceſſariò media congrua quæ perducunt ad eundem finem: atqui media quæ deducunt impios ad reprobationem, ſunt peccata: ergo ſi Deus voluit ex ſeipſo damnare reprobos, voluit etiam ex ſeipſo peccatum, quod eſt motivum ſuper quod differtur executio damnationis ipſorum, quod eſt execrabilis blaſphemia. Jeſus Chriſtus eſt igitur mortuus pro omnibus hominibus ſine aliquà exceptione: alioquin enim fruſtrà diceret apud Iſaiam a, *Judicate inter me & vineam meam: quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Reprobati improperare poſſent ei, quòd nihil fecit pro ipſis, cùm ex ſuppoſitione non eſſet mortuus pro ipſis, ſicut mortuus eſt pro Prædeſtinatis; quòd ſi communicaſſet ipſis ſanguinem ſuum, & benevolentiam ſuam, ſicut his, ipſi non perijſſent. Dicendum eſt igitur rationabiliter & verè, quòd Jeſus Chriſtus mortuus eſt pro omnibus & ſingulis hominibus, cùm offerat ſe ſubeundo judicio, & petat ut examinetur ſuus procedendi modus, num ipſe defuerit hominibus omnibus & ſingulis quantum ad procurandam ipſorum ſalutem.

a Iſai. 5. 4.

Sed auſcultemus loqui, ſi placet, ſanctos Patres Eccleſiæ ſuper materiam tam momenti. Quoad Græcos, S. Chryſoſtomus b ſuper hæc verba S. Pauli, *Quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*, inquit: *Ergo ita loquitur Paulus, tanquam mortales omnes perijſſent. Neque enim pro omnibus Chriſtus mortem oppetijſſet, niſi omnes mortem obijſſent. Proinde, Charitas, inquit, Dei nos conſtringit, nec ſinit conquieſcere. Extrema enim miſeria fuerit, ac vel gehennâ ipſâ atrocius, cùm ille tam præclarum facinus ediderit, inveniri quoſdam, qui e tantâ ipſius curâ & providentiâ nullum fructum capiant.* Jeſus Chriſtus igitur mortuus eſt pro omnibus & ſingulis hominibus. Sed peto a vobis, num credatis quòd Judas ſit ſalvatus, aut damnatus. Nemo eſt ſanæ mentis compos, qui non aſſerat quòd damnatus eſt, cùm Scriptura ſacra c fidem faciat, quòd *laqueo ſe ſuſpendit*. Quin imò Jeſus Chriſtus vocat eum dæmonem: alloquens enim Apoſtolos ſuos, ait illis, *Ex vobis unus diabolus eſt. Dicebat autem de Juda Simonis Iſcariotis: hic enim erat eum traditurus* d. Scitote ergo quòd Jeſus Chriſtus mortuus eſt pro hoc damnato, æquè ac pro maximo Sancto paradiſi: infælix hic apoſtata, iſte deſertor infamis collegij Apoſtolici, nimis præcipitanis fuit quoad actionem deſperationis ſuæ; ſi diſtuliſſet adhuc aliquot horas, poterat operari ſalutem ſuam, & reperire pretium ſuæ redemptionis in morte illius quem ipſimet vendiderat e, ut ait inter Latinos S. Leo f, *Mortuo pro omnibus impijs Domino, potuiſſet etiam hic conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum.*

b S. Chryſoſt. hom. 11. in 2. Cor. 5. 14. & 15.
c Matth. 27. 5.
d Joan. 6. 70. & 71.
e Matth. 26. 14. & 15.
f S. Leo. ſerm. 12. de Paſſ. c. 5.

Ne dicamus igitur ampliùs, quòd Dei Filius non eſt mortuus pro omnibus & ſingulis hominibus, aut quòd non adjuvit eos omnes & ſingulos, cùm dederit ſanguinem ſuum adorabilem etiam pro Juda, & aſſociaverit univerſos & ſingulos homines in perſonâ ſuâ. Ipſe vocavit eos omnes ad gloriam filiorum adoptivorum: quòd ſi non ſalvamus

Digitized by Google

mus nos, non debemus accuſare Deum defectus iſtius, [illegible] propriam malitiam noſtram, quæ contempſit gratias ipſius, ſicut ipſemet nobis improperat, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia* g. Seu, per Dionyſium Carthuſianum h, *Quia vocavi, id eſt, variis modis ad emendationem & pœnitentiam vos invitavi, ac monui, per inſtinctum Divinum, per Angelicas inſpirationes, per Apoſtolos, & Prophetas, per Prælatos, & Prædicatores, ac proximos [illegible] & renuiſtis converti. Extendi manum meam, beneficia largiendo, & per adverſa [illegible] ando. Hoc eſt potestatem meam [illegible] per proſpera & adverſa: quatenus per [illegible] vos ad obſequium meum allicerem, & me [illegible] accenderem. aut per adverſa terrerem & ill[illegible] Ita quod [illegible] ratio vobis intellectum conferr[illegible] illud Caſtigabo te [illegible] & non [illegible] innoxium* k. *Et Oſee* l *ait: [illegible] non fuit qui aſpiceret, id eſt, mente [illegible] rat, & viſitationes pr[illegible] attenderet. Quemadmodum in Jeremia* m *habetur, [illegible] & noluerunt reverti. [illegible] omne conſilium meum, id eſt, exhortationes quas in Divinis ſuis Scripturis, & conſilia quæ dedi de [illegible] in occaſionibus tranſgreſſionum, ac [illegible] ſu erogationes, Evangelica quoque conſilia Chriſti. Unde Paulus diſſerit, Non ſubterfugi, quominus annuntiarem vobis omne conſilium Dei* n. *Et increpationes meas, quibus per verba aut verbera redargui vitia veſtra neglexiſtis, non attendendo, aut velociter obliviſcendo. De talibus incorrigibilibus & induratis diffuſe loquitur Dominus, Dedi inquiens, vobis ſtuporem dentium, & indigentiam panum, & prohibui a vobis imbrem, & percuſſi vos vento urente & ærugine, & non rediſtis ad me* o. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo [illegible] per modum ridentis ac conſolati habebo me in morte veſtra & in veſtro particulari judicio ac condemnatione, exercendo in vobis cum gaudio effectum juſtitiæ meæ, juxta illud. Conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis* p. *Et [illegible] juxta ſenſum [illegible] cum vobis id quod timebatis [illegible] nerit, ſcilicet [illegible] pœna pro [illegible] veſtris [illegible] Dominus conſtatur. Complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam, & conſolabor* q. *Hoc jam ante Salomonem pater ejus dixit in Pſalmo* r: *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos: Cum irruerit repentina calamitas, id eſt, improviſum periculum ac tormentum: & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, juxta illud in Pſalmo* s: *Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam. Quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia cordis & corporis, quod præcipue fit in morte quæ miris & ineffabilibus modis moleſtat, premit, ac tribulat morientem. Poteſt quoque iſtud referri ad horam extremi ac generalis judicii.* Quando Deus ad judicium [illegible] modum procedendi dicet [illegible] præfata exarata apud Iſaiam t, *Judicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, &*

non feci ei? Quidnam facere debebam pro omnibus & ſingulis hominibus quod non feci? Permiſi ne elabi aliquam occaſionem favorabilem, quam non apprehenderim, ut vocarem [illegible] ad ſalutem? Nunquid non *exivi a Patre, & veni in mundum* u pro illis? Nonne prædicavi x? Annon vocavi eos prædicationibus meis, ſicut & Apoſtolorum meorum y? miraculis meis z, quem admodum & illorum a? ſecretis inſpirationibus meis, adverſitatibus et beneficiis, de promiſſis et [illegible] nis f? *Quid ultrà* Nunquid non tradidi *inclinato capite ſpiritum? Sed unus militum lancea latus meum aperuit* b, *& continuò exivit ſanguis* [illegible] ultimam uſque guttam pro illis. *Judicate.* Et ſi inveniatur quòd ego [illegible] defuerim quantùm ad [illegible] gendam illorum ſalutem, libenter patiar ut improperetur illud mihi, & initur [illegible] defectus illius.

Quid dices, [illegible] tor infortunate, [illegible] Deus irritatus perſonabit [illegible] hæc terribilia verba tuis auribus, cum te vocabit ad judicium univerſale coram univerſo [illegible] terræ, & dicet tibi: Intuere hæc vulnera [illegible] ita, quæ detuli ad Empyreum uſque cælum, ut oſtenderem omnibus cœleſtibus ſpiritibus quid [illegible] pro ſalute hominum: [illegible] hoc pectus flagellis [illegible] hanc faciem obſcuratam & deformatam, ho[illegible] capu[illegible] d ſpinis [illegible] coloratum. *Infer digitum tuum huc & vide manus meas & affer manum tuam, & mitte in latus meum* i. Id eſt, tracta viſcera m[illegible] non fuerint ſatis charitativa pro te: & ſi oculos habes [illegible] nomen tuum quod habeo in manibus meis exaratum, *Ecce, in manibus meis deſcripſi te* k. Tandem, Obſerva diſpoſitionem totius corporis mei lacerati, & vulneribus operti, ac ſanguine diffluentis. Iſtud erat pretium ſalutis tuæ, ſed ingrate, illo abuſus es. Quare non reſpondiſti bonis voluntatibus, quibus ducebar erga te? Ego non efflagitabam niſi conſenſum tuum: ego te ſæpè vocavi, & nunquam me audire voluiſti, *Quid debui ultrà facere, & non feci* l? Noli me accuſare, cum præbuerim tibi omnia auxilia neceſſaria ad operandam ſalutem tuam: defer hoc improperium contra obſtinationem tuam. Non [illegible] honoraſti me [illegible] mundo, ſed etiam oportet ut velut pudore particulari ſuffundar propter [illegible] am tuam coram hoſtibus meis. Etiam, Salvator adorande: non ſatis eſt, ait S. Cyprianus m, ut ſemel rubueris ſanguine ſuper monte Calvariâ; ſed oportebit ut erubeſcas denuò præ pudore, cùm diabolus improperabit tibi *cum ſervis* [illegible] *id eſt, cum populo perditionis ac mortis. Ego pro iſtis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis & cruoris redemi; ſed nec Regnum illis cæleſte promitto, nec ad paradiſum reſtituo immortalitate denuò revoco: & munera nihil quàm preti[illegible] quam grandia quam nimio & longo labore quæſita ſumptuoſiſſimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris comparatione, vel renditis, &c.* Hæc attende, peccator, & impoſterum melius inſume gratias tibi oblatas, ſ[illegible] cum majori honore qualitatem filii Dei in hoc mundo, quæ tibi conciliabit hæreditatem gloriæ ejus in altero.

g Prov. 1. 24. &c. h Dion. Carthuſ. art. 1. in Prov. 1. 24. &c. i ex Iſai. 28. 19. k ex Jer. 31. l Oſee 2. 6. m ex Jer. 3. n ex Act. 20. 27. o ex Amos 4. 6. &c. p Iſai. 1. 24. q Ezech. 5. 13. r Pſ. 2. 4. & 5. s Pſal. 72. 19. t Iſai. 5. 4. u Jo. 16. 28. x Jo. 7. 14. y Matth. 10. 7. z Jo. 10. 37. &c. a Luc. 10. 7. &c. b Matth. 23. 37. &c. c Eſdr. 1. 10. &c. d Exod. 7. 20. &c. e Jo. 15. 3. &c. e Jer. 5. 12. &c. f Pſal. 70. 13. &c. g Jo. 19. 30. & 34. h Jo. 19. 1. &c. i Ioan. 20. 27. k Iſai. 49. 16. l Iſai. 5. 4. m S. Cypr. ſerm. de Oper. & Eleem. num. 46.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. 2. &c.

ILli qui dixerunt quòd homo ſimilis erat avi, ſatis appoſitè locuti ſunt; [illegible] bene quidem dixerunt, ſed tamen eſt ingenuè fatendum quod non dixerunt totum. Avis, quæ eſt conſt[illegible] in caveâ, incluſa in hoc exiguo ergaſtulo, licèt incomparabiliter melius alatur, quàm ſi eſſet in agro, quantamlibet curam ſuſcipiat a Domino ſuo, & quàmvis ſit in ſtatu præferendo ſtatui priſtino, in quo erat antea; ſemper tamen & capite & roſtro percutit carcerem ſuum ad infringendum eum, ſi poſſet; & quantumlibet ſibi [illegible] commodum, tamen ibidem ſe videre non poteſt coactam: & ſi contingat quòd illinc poſſit evadere, ſtatim teſtatur aliquo modo gaudium [illegible] cantibus ſuis, & percuſſione alarum ſuarum: eodem modo ſe res habet de hominibus, quibus Deus *dedit poteſtatem filios Dei fieri a*, id eſt, quos reddidit filios ſuos per adoptionem & per gratiam ſuam: hic illorum fœlicitas, eorumque libertas ſita ſit in vivendo ſub regimine amoroſo Patris ſui, qui ipſos ſummoperè diligit, ſicut ipſemet teſtatur, ſingulos ipſos alloquens, *In charitate perpetuâ dilexi te: ideò attraxi te miſerans b*: quàmvis perfecta beatitudo Chriſtiani conſiſtat in perfectâ dependentiâ à Deo, tamen ipſe conatus exerit, & violentias indicit gratiæ, quæ ſuavitatibus ſuis amoroſis ipſum captivat, ut dingat ſe marte proprio, licèt proprii directio ſua ſit ipſi futura injurioſa. Propterea Deus qui repræſentatur in parabolâ hominis iſtius divini Evangelij noſtri, diſcens pravum regimen iſtius villici, cui commiſerat bonum ſuum, obſtringit illum ad reddendam rationem exactam ſuæ villicationis: [Homo quidam erat dives qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et vocavit illum, & ait illi, Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.] Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum c, [Homo quidam, videlicet Unigenitus Dei propter nos incarnatus, de quo in Baruch d ſcriptum eſt, Qui fecit ſtellas, hic eſt Deus noſter: & poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Erat dives, qui ſecundum naturam Divinam dives eſt in ſeipſo infinitis divitiis, quoniam Patris ac Filij & Spiritus ſancti una eſt opulentia, ſicut & una eſſentia: & hæc opulentia eſt Divinitas adoranda, in qua eſt, vel potius quæ eſt omnium bonorum atque pulchrorum [illegible] delectabilium [illegible] plena & interminata poſſeſſio. Un[illegible] & in libro de Cauſis habetur, Cauſa prima eſt [illegible] in ſe, & dives in aliis. P[illegible], Secundùm aſſumptam humanitatem Chriſtus quoque eſt dives [illegible] or univerſis, quoniam ejus humanitas præ[illegible] eſt omni enti creato, omniſque creatura ſub[illegible] eſt, propter quod in Matthæo e dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ. Spiritualis quoque opulentia animæ Chriſti eſt maxima in donis gratiæ, bonique gloriæ. Qui habebat villicum, id eſt, diſpenſatorem. Quàmvis autem villicus [illegible] or & cuſtos propriè nuncupetur, [illegible] pro œconomo, ſeu domus procuratore & [illegible] cipitur, qui univerſam ſubſtantiam domus diſpenſat: œconomus quippe tam pecuniæ, quàm frugum & omnium quæ paterfamilias poſſidet, diſpenſatorem deſignat. E[illegible] diffamatus, id eſt, accuſatus, eſt apud illum, ſcilicet, Chriſtum omnium Judicem, quem latere nihil poteſt. Quaſi diſſipaſſet bona illius, id eſt, bona ſibi ad e[illegible] m atque utendum commiſſa inutiliter conſumpſiſſet & expend[illegible].] Per villicum iſtum intelligi poteſt quilibet Chriſtianus. Nam quilibet Chriſtianus donis naturæ, & gratiæ, ac fortunæ ſibi conceſſis legitime ad Dei honorificentiam uti tenetur. Omnia equidem quæ habemus, dona ſunt Dei f, & eorum diſpenſatores aut Domini ſumus [illegible] rationem de eis daturi:] Deus dedit homini libertatem, ſicut bonum præcipuum, quo poterat ipſum cumulare, ſed ab illo de hujuſmodi prærogativâ rationem requiret exactam. *Redde rationem villicationis tuæ*, niſi eam diſponat ipſe juxta voluntatem ipſius, ſed ſi illam inſumat ad nutum ſuum, inobediendo Deo, qui non intendebat inde niſi reddere ipſum filium ſuum adoptivum, ipſe ita induſtrius eſſet ut appoſitè uteretur hâc libertate, nedum [illegible] per ſemetipſum. Hoc tamen modo [illegible] geſſit Primogenitus ipſius Chriſtus, *Primogenitus in multis fratribus g*. Qui perfectè ſemper obedivit P[illegible] tri ſuo *h*, eò uſque ut carnem ſumpſerit humanam *in utero* B. Virginis Mariæ poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave Maria*.

Ex omnibus inclinationibus quas Deus impreſſit creaturis, nulla eſt generalior, nec magis extenſa quàm ſit inclinatio libertatis. Nulla [illegible] creatura, quæ generoſos non [illegible] rat [illegible] tus ad excutiendum jugum, & ad fu[illegible] ndum [illegible] omne quod imprimit ipſi aliquam [illegible] Ignis incluſus in foſſilibus, totam naturam [illegible], ut ille exeat; & ſi inv[illegible] nire poteſt aliquem [illegible] exhala[illegible] im, teſtatur [illegible] voluptatem [illegible] libertatis, interventu flammarum ſu[illegible] rum ſuorum. A[illegible] concluſus in terra, ill[illegible] movet, montes evertit, & [illegible] naturali concilietur libertati ſuam: [illegible] vius [illegible] net tot catenas quot exiguos [illegible] ipſa fi[illegible] los, quos texuit ipſi natura ad adh[illegible] endum [illegible] mento, licèt ipſa ſit, ut videtur, [illegible], huic tamen non adhæret ipſa niſi [illegible] tione, quâ ipſa ducitur erga libertatem, & ad elevandam ſe è terrâ ubi ipſa eſſet expoſita manibus & pedibus prætereuntium: Nec hedera ſe captivam reddit parietis [illegible] ot velut compedes, quot format gradus, niſi propter ſimil[illegible] m finem. I[illegible] omnibus animalibus, quæ repentur ſuper terra, aliqua ſunt rari, ut habeant unde poſſint eſſe ſecura [illegible] & declinare ab inſidijs inimicorum [illegible] rum, qui non poſſent eſſe niſi [illegible] Alia ſunt [illegible] ſi veloces, ut intuentia ſe expoſita periculo [illegible] cipiet di nocumentum ab adverſariis ſuis, ſecur [illegible] faciant libertatem [illegible] interventu fugæ: [illegible] ta quædam ex illis ſic inſtruxit [illegible] bus, [illegible] cornibus, ut generosè præli[illegible] adv[illegible] ſus invadentes ipſa, & conſtanter libertatem ſuam æquè tueantur ac vitam ſuam. T[illegible] dem, Homo qui eſt nobiliſſimus omnium operum Dei, & ille qui factus erat ut haberet dominium ſuper univerſas creaturas, ſicut fatetur D. vid *k*, D[illegible] om [illegible] al[illegible] oquens: *Domine Dominus noſter, quid eſt homo quòd memor es ejus?*

a Jo. 1. 12.
b Jer. 31. 3.
c Dion. Carthuſ. art. 39. in Luc. 16. 1. & 2.
d ex Baruch. 3. 35. &c.
e Matth. 28. 18.
f 1. Cor. 4.
g Rom. 8. 29.
h [illegible] 14.
k Pſ. 8. 2. &c.

ejus: aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi. Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris: Non minùs fortes habet inclinationes erga libertatem, quæ eſt titulus honoris [illegible] ſuis excellentiſſimus [illegible] rum omnium, quos Deus ipſi dare poterat. Sic [illegible] mus qu[illegible] [illegible] per quamlibet ex actionibus ſuis: & he [illegible] multi ſunt qui ſe [illegible] captivos, qui fa[illegible] libenter [illegible] & catenas, & qu[illegible] endunt [illegible] ſuam nimis [illegible] quod oderunt libertatem, & [illegible] vehementer affi[illegible] [illegible] procurant illius prærogativas [illegible] omnino contrariâ, & ſic fugiendo veram libertatem, profundiùs [illegible] quod non [illegible] [illegible]. [illegible] inter omnes inclinationes nulla eſt quæ [illegible] [illegible] quàm inclina[illegible], & qui homo qui ſuo gloriam poteſt [illegible] liberum, non habet inclinationem fortiorem [illegible], quia afficitur erga libertatem, [illegible], ut apparentem. Intend[illegible] tamen edo[illegible] [illegible] die in prima parte diſcurſus iſtius [illegible] libertas conſiſtit in [illegible] dependentia à Deo. Et in ſecundâ, quia vidi [illegible] Angeli [illegible] bona Domini ſui juxta [illegible] illo [illegible] bonorum idem Dominus formaverat, oſtendam vobis, quòd homo non unit in libertate ſua quam Deus ipſi dedit, niſi ad [illegible] opponendum eidem Deo.

a Gen. 1. 28.

Diviſio.

1. Pars. Vita rationalis, quæ eſt hæc vita intellectualis, cui inſita eſt libertas, eſt univerſaliſſima, quia non eſt limitata ab ulla materia, magnæ extenſionis eſt in judiciis ſuis, & largiſſima eſt in affectionibus ſuis. & hæc libertas acquirit ipſi capacitatem poſſidendi Dei, qui ſolus ipſi pote[illegible] occupare ſpiritum ipſius, & [illegible] univerſos app[illegible] ipſius. *Qui replet in bonis deſiderium tuum*, dicit David, animam ſuam alloquens. *Id eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus, *rationabile tuum aff[illegible] ſeu piam orationem ad æterna peramet dando [illegible] quod cupit & poſtulat. Omnis enim qui petit, accipit. b. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus* c. *Nihil deeſt timentibus eum* d. *Nam ita quæ replet Deus deſiderium noſtrum gratiâ atque virtutibus, non ſimpliciter atque perfectè juxta quod dictum eſt, Satiabor cum apparuerit gloria tua* e. Et S. Bernardus f. *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capax enim Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit. Inde eſt quod naturali quidem deſiderio ſummum quæris probatur appetere bonum, nullam niſi adepto eo requiem habitura*s. Ne autem hæc natura aberr[illegible] in cognitionibus & judiciis ſuis, ſumendo verum pro falſo, & apparens pro reali, & ne decipiatur in affectionibus ſuis; Deus imprimit ipſi gratiam ſuam, quæ ipſam ſubmittit omnino Deo ut filiam vero Patri ſuo, edocens ipſam quòd felicitas ipſius pendet abſolutè [illegible] directione Dei, & hæc gratia quæ ipſam ſubmittit Deo, ipſam elevat ſuper omnes creaturas, ſiſtens ut ipſa non conſideret eas amplius niſi ut res, quæ [illegible] viunt uſibus ipſius, non autem ſatisfactionibus ipſius. Quantum ergo homo accedit ad Deum, tantùm recedit à creaturis, nec iſtas contemnit, niſi ut Deum majoris æſtimet.

a Pſal. 102. 5.
b Dionyſ. Carthuſ. in Pſal.
c Luc. 11. 10.
d Pſ. 18. 17.
e ex Pſ. 33. 10.
f Pſal. 16. 15.
f S. Bern. in Declam. circa med.
s ex Gen. 9. 6.

Eodem modo ſe res habet, Auditores, in hoc occurſu quantum ad id quod ſpectat libertatem noſtram, ac [illegible] Gubernatore [illegible] inter [illegible] homo eſt Vicarius Dei in terrâ, & [illegible] ras villici, quam Evangelium noſtrum ipſi dat, eſt probatio & nota veritatis iſtius. Qualitas Gubernatoris duas ſpecies præ[illegible] fert. Una [illegible] dependentiæ intuitu Principis [illegible] a quo officium ſu[illegible] ſuſcepit aut hoc titulum. Altera, eſt poteſtas abſoluta [illegible] ſubditorum totius Provinciæ, quæ ſubmiſſa [illegible] diſpoſitioni [illegible] ipſius. Per primam ipſe ſuas reddere debet obed[illegible] & obſequium ſuo Principi ſuo; & nullum jus habet expendendarum obed[illegible] niſi quia illas reddit ipſemet ei à quo ipſe dependet: & quemadmodum ſi iſte Gubernator ingratitudine inaudità, & perfidià incomparabili rebellionem moliretur adverſus Principem ſuum, & induceret ſubditos Provinciæ ad renuendas obedientias [illegible] ſupremo Domino ſuo, hoc non [illegible] exercitium [illegible] munerum ſuorum, ſed abuſus officij ſui, contra quem nemo poſſet ſatis exclam[illegible] ſicere: ſic quocunque inſinuitus [illegible] Dei. Dei [illegible] augu[illegible] eminentiæ qualitate filij adoptionis & gratiæ, ſicut [illegible] imaginem Dei, *Et creavit Deus hominem ad imaginem* [illegible] *ſimilitudinem ſuam* a: [illegible] Cornelius x, *In homine eſt imago Dei, ſeilicet ſupernaturalis, quæ ſita eſt in gratia* [illegible] *juſtificatione hominis, qua ipſe Divinæ ſit conſors naturæ*, [illegible] *quem gloriæ* [illegible] *vita æterna ſe* [illegible] *perfic*[illegible] [illegible] *nimi* [illegible] *anima animæ*, ait S. Auguſtinus z. [illegible] ab [illegible] ſubmittere Deo, [illegible] vult uſum rationabilem [illegible] ſuæ, nec [illegible] debet [illegible] juxta conſilium D[illegible] conformit[illegible] ad voluntatem [illegible] ſi autem [illegible] utatur non eſt liber, ſed æquo liberior.

a Gen. 1. 27.
x Cornel. in Gen. 1. 26.
ex 2. Petr. 1. 4.
z ex S. Auguſt. conc. 2. in Pſ. 70.

Illud vobis app[illegible] bit etiam manifeſtius in exemplo familiari. [illegible] pater [illegible] habet duos filios, unum natu majorem, alterum verò natu minorem. Natu major filius reveretur ſemper patrem ſuum, obedit voluntati ejus, pergit eo quò vult pater ſuus, fideliter exequitur id omne quod pater ſuus ab ipſius exigere poteſt obedientiis & ſubmiſſionibus, & perfectè [illegible] accommodat ad illud omne quod [illegible] ſi præcipit, & quod ipſe ſeit eſſe [illegible] voluntatis [illegible]. Natu minor, è contrà eſt [illegible] oſus, nebulo, nequam, inobediens, rebellis [illegible], [illegible] et reverentiam, [illegible] de primo dicitur, quòd liber eſt, de [illegible] quòd [illegible] liberior. Ecce duæ filiæ [illegible] eodem tecto, in eadem domo. Una [illegible] ſapiens [illegible] unquam recedit à præſentia bona [illegible] domo non [illegible] ejus, & [illegible] mandato ipſa velut ſemper adhæret illius [illegible], ſicut vulgo dicitur. Altera vero eſt diſſoluta, & petulans, quæ non vult facere niſi id quod ipſi placet, nec vivere niſi ad nutum ſuum, blandiendo pravis affectionibus ſuis, & volendo converſari in circulis periculoſis & parum honeſtis; tandem, ipſa eſt inobediens, quia ipſa non ſe dirigit ſecundum voluntatem matris ſuæ, ſed juxta leges paſſionum ſuarum inordinatarum: de priori dicitur, quòd libera eſt, de [illegible] autem poſteriori ediſſeritur quòd æquo liberior eſt. & nemo eſt qui eam non condemnet: eodem modo ſe res habet de [illegible] voluntate. [illegible] ipſa ſe conſervat in [illegible] dentiâ, [illegible] ipſa habet à Deo, quando [illegible] [illegible] regulam ac tionum ſuarum, [illegible] lucernam quæ dirigere debet ped[illegible], [illegible] *Pes tuus affectio tua*, dic[illegible] dus a, juxta praxim Pſalmiſtæ [illegible] loqui [illegible] Deo, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, [illegible] *meis*: Sed, juxta Dionyſium Carthuſianum t, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, hoc eſt, ſacra Scriptura eſt intellectui meo, & cunctis; viribus meis lux* [illegible] quia

a S. Bern. Serm. 1. in Pſalm. Qui habitat.
o Pſal. 118. 105.
t Carth. in Pſ. 118.

quia illuminat me ne ambulem in tenebris vitiorum. Et verbum iſtud eſt lumen ſemitis meis, id eſt, directio mea in obſerva[illegible] ubus co[illegible]liorum Chriſti, quæ dicuntur ſemita, quia ſunt ſtrictiores compendioſioresque via perveniendi ad Deum, quàm præcepta. Hoc eſt quod Salomon [illegible] aſſerit. *Mandatum lucerna eſt, & [illegible] lux, & via vitæ increpat[illegible] diſ[illegible]lina.* Et alibi e, *Apprehende*

d Prov. 6.23.
e ex Baruch. 4.2.

legem, & ambula per viam ad ſplendorem ejus. tunc [illegible] eſt perfectè libera: [illegible] ac[illegible] ſa[illegible] ab iſtâ lege, & ſe [illegible]git per [illegible]pſam, non eſt [illegible] plus liber, ſed æquo liberior: quia amiſit ideam per[illegible]-ectæ libertatis, perdidit fulcrum ſuum, quod eſt manus Dei.

Videt[illegible] igi[illegible] iſtam [illegible]tatem in totâ luc[illegible]ſua, quod perfecta libertas fi[illegible] Dei, conſiſtit in [illegible]gia dependentiâ a Deo, & ab adorabilibus volunt[illegible]ibus ejus, & quòd error [illegible] oleiab.lis eſt ac[illegible] ita, quòd ad hoc ut quis ſit liber ſufficiat ut habeat poteſtatem faciendi mali [illegible] ac boni. Eſto quòd homo habeat poteſtatem faciendi mali, [illegible] patrandi criminis, quod tamen non eſt verum: Deus enim nullam inſtituit pot[illegible] ſ[illegible] em propter [illegible], ut dicam modò, non ſequitur tamen quod [illegible] hoc ut quis liber ſit, illud exequi debeat: nam Deus [illegible]xit, quod ſubmiſit appetitum hominis cum plena authoritate imperandi ei, & cogendi illum [illegible] *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius* f. Id eſt, ut ait Cornelius g, *Tu illi dominari potes, ideoque debes. Si enim non poſſes, nec deberes. Deus enim hominis non præcipit impoſsibilia.* Nota hic, *quantum ſit dominium voluntatis, non tantùm in motus & actiones externas, ſed etiam in appetitus & paſsiones internas. Senſus licet æſtus cholera aut libidinis maximos, voluntate tuâ forti & conſtanti iis renitere, duc[illegible]que. Nolo iis conſentire, y mihi diſplicent, eos deteſtor; & dominaberis cholera, ac libidini, erisque coram Deo & hominibus, non cholericus, ſed mitis [illegible] choleræ domitor, non inceſtus, ſed caſtus libidinis victor. Tanta eſt vis & imperium voluntatis.* Solerter ergo & vere ſanctus quidam Doctor dixit: *Quidquid toto corde, totâ intentione, toto deſiderio vis, id es certiſsime. Vis toto corde & efficaciter eſſe humilis; hoc ipſo reipsâ es humilis. Vis efficaciter eſſe patiens, obediens, conſtans; hoc ipſo reipsâ es patiens, obediens, conſtans.* *Quare prudenter ſuadet: Si magna, inquit, dare, aut facere non potes, magnam ſaltem habeto voluntatem, eamque ad immenſa extende. V. g. pauper es, habeto voluntatem efficacem dandi largiſsimas eleemoſynas, ſi facultates ſuppeterent; & vere eris largi[illegible]mus & liberaliſsimus: parva habes talenta, parvas vires Dei gloriam & ſalutem animarum promovendi; concipe efficax deſiderium, & ex toto corde offer Deo mille animas, mille vitas, mille corpora, ſi ea haberes; offer ingens deſiderium laborandi & patiendi ardua quæque ad ejus amorem, & plurimorum ſalutem: atque Deus voluntatem tuam pro facto computabit: voluntas enim [illegible] & eſoluta omnis virtutis & vitij, omnis meriti & demeriti fons eſt & cauſa. Ita S. Chriſtina Virgo & Martyr, patris ſui Urbani, Tyri Italiæ oppidi Præfecti idola argentea confringens, blandimenta illius voluntate firma deſpexit, minas irriſit: non flagellis, non ungulis dilaniata conſtantiam mutavit: quin imò lacera carnis fruſtum in patrem projiciens, ait: Satiare carnibus, miſer, quas genuiſti; filiam [illegible]medere potes, at ce[illegible] impietati tuæ conſentiat, [illegible]re non potes. Hinc rotis alligatur, & ſubdito igne uritur, in lacumque dejicitur: mox defuncto patre, à Dione ejus ſucceſſore in oleo, reſinâ, & pice coquitur; inde ad Apollinis ſtatuam adorandam ducta, ejus ſua precatione ſubvertit. Dioni ſubito mortuo ſurrogatur Julianus, qui Chriſtinam in fornacem ardentem mitti juſsit, [illegible]ed meſſa n[illegible] cam non [illegible]ſit ſerpentibus mordendam obj[illegible]e; ſed ſerpentes ſibi dimiſsa, veneficum inva[illegible]nt: interemptum ipſa ſuſcitavit. Julianus illi mamillas am[illegible]tari jubet linguam præcidi, ipſamque ſagittis conf[illegible]. Talis denuum mar[illegible]rio conſumpt[illegible] in cœlum evolavit. Et ce quàm voluntas reſoluta dominatur a[illegible]bus tormentis tyrannis, [illegible] morti. Hâc Chriſtina patrem, Abel fratrem ſuperavit, non pugnando, ſed patiendo. Ita habet ejus vita, quam edi[illegible]t Sur[illegible] 24. Jul.*

[illegible] Liberta[illegible] eſt [illegible] potentia[illegible]. ipſa d[illegible] bet igitur h[illegible] verum effectum: atqui p[illegible]ca[illegible]um non eſt [illegible] d[illegible] [illegible]ius, [illegible] *peccatum nihil eſt, & nihil ſiunt homines cùm peccant*, ait S. Auguſtinus h. Igitur eſt po[illegible] [illegible] potentia faciendi mali, [illegible] nota magnæ infirmitatis, quàm ſi[illegible] alicujus virtutis.

Peccatum eſt deordin[illegible], & everſio potentiæ quæ [illegible] dirigi ad Deum, ab illo [illegible] non ſecus [illegible]lle [illegible] cui propoſitus eſſet ſcopu[illegible] terminus, [illegible] ad illum recta tenderet, aberraret ab [illegible], & [illegible] latus d[illegible] ſ[illegible]vergeret: ſed gratia Jeſu Chriſti [illegible] hanc [illegible]ordinationem q[illegible] ipſa ſubmittit animum Deo. Filij vivere debent in plena [illegible] a patre ſuo, quia felicitas ipſorum pendet ab illius regimine. Lex trib[illegible]bat illa [illegible] nibus pe[illegible] authoritatem [illegible] di filius ſuis [illegible] inobedientes fuiſſent, pro[illegible] placuiſſet [illegible] hæredandi [illegible]os, imò occ[illegible] illos, talis a [illegible] ipſorum l[illegible]be[illegible]te, *Nec[illegible] quod l[illegible] ei eos exhæredare [illegible] quod occidere licebat[illegible] Et, libertati a majoribus tantum impenſum eſt ut [illegible] tribus [illegible] qui[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & ſe poteſtas olim erat permiſſa [illegible] libertatem eripere non l[illegible]eret* [illegible]. Si lex iſta [illegible] [illegible] hodie [illegible] [illegible] ſanct[illegible] in veniretur [illegible] rebelles, [illegible] [illegible], & d[illegible] lori P[illegible]

A[illegible] [illegible] omnes qui rebelles eſ[illegible] & ino[illegible] [illegible] rentibus veſtris, filij diſſoluti & æquo liberiores, [illegible] vitam proge[illegible]toribus v[illegible], qui v[illegible] in lucem, qui nul[illegible]lum ex [illegible] [illegible]orum, aut ſi aliq[illegible] ex [illegible]lis mandatis executi [illegible] id non agit[illegible] niſi murm[illegible]o, qui pron[illegible] blaſphemias, imprecationes & maledictiones ſuper eos, quos D[illegible] [illegible] buit ut eſſent gub[illegible]tores [illegible] n[illegible] non juſtam timentes iram Dei. Nonne ſen[illegible] rigores illius, qui eos ſubſtituit in locum ſuum, ut eſſent [illegible]arij ipſius, & imagines [illegible] quod habet ipſe ſu[illegible] per v[illegible] [illegible]ctore quòd Deus invig[illegible] illorum protectioni, & quò[illegible] [illegible]rias & maledictiones quas [illegible]eſtris irrogatis parentibus, & quòd [illegible] ſuper has aliq[illegible]do jus eſt redditurus. Ha! quàm remoti eſtis ab affec[illegible]bus [illegible]orum barbarorum, qui [illegible]po[illegible]uerunt [illegible] ſuam pro tuen[illegible] p[illegible] tu[illegible] ſuorum cineribus. Ref[illegible]unt hiſt[illegible] quod [illegible] Darius aggrederetur [illegible]thas, qui ſunt populus barbarus & ferox, & iſti [illegible] p[illegible] retrogrediendo, quod ipſorum [illegible] non [illegible] æquale[illegible] [illegible]ibus [illegible] Principis hoſtis ipſorum, Darius miſit ad [illegible]os ut ipſum [illegible]pectarent pede firmo, non autem ut [illegible]ogre[illegible]ntur interventu receptus probroſi [illegible] qui oſtend[illegible] [illegible]ſorum puſillanimitatem, ut terminat [illegible] diſſidium quod inter ipſos erat, medio certamine. [illegible] hæc reſponderunt huic Monarchæ, quòd cùm ipſi perveniſſent ad tumulos pa-

trum

trum ſuorum, edocturi eſſent ipſum quàm generoſi eſſent, & tractandorum armorum periti, nedum puſilli forent animi. Cùm autem perveniſſent ad loca, in quibus erant hujuſmodi tumuli, ibi ſe muniverunt, & inde præliabantur adversùs hoſtes ſuos: Darius urgebat eos: ſed cùm iſti Scythæ viderunt quòd Darius & milites ejus videbantur velle evertere tumulos iſtos parentum ipſorum, affectus pietatis ſic fortiter accendit animos Scytharum iſtorum, ut deſerentes munitiones, egreſſi ſint cum tanto ardore ut repulerint hoſtes ſuos, & certamen perduxerint ad victoriam. Ha! liberi rebelles, barbari & immanes, ſi haberetis unicam guttulam ſanguinis populorum iſtorum ferocium, & minimam partem affectus pietatis Scytharum, non renueretis fovere vitam parentibus veſtris, quibus eſtis obſtricti propter vitam quam vobis præbuerunt; non improperaretis eis panem, quem comedunt domi veſtræ, &, quod pejus eſt etiam, & nota teterrimæ ingratitudinis, & impietatis ſine exemplo, non ferretis ſacrilegas manus veſtras ad eos percutiendos, aut offendendos, quod æquo frequentiùs agitis. Scitote igitur vos omnes qui malè excipitis parentes veſtros, quòd Deum offenditis in illis. Debetis honorare Deum in perſonâ parentum veſtrorum, qui ſunt imagines ſenſibiles Divinitatis; & offendendo eos, offenditis ipſummet Deum: *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, ait S. Paulus l. Et poſt eum Dionyſius Car-

l Rom. 13. 1. & 2.

thuſianus m: *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo omnipotente, à quo proceſſit atque dependet omnis poteſtas creata ac limitata. Quamvis enim poteſtatis abuſio ſeu nocendi voluntas ſit ab animo creato, ipſa tamen poteſtas à Deo profluxit. Propter quod dixit Chriſtus Pilato, Non haberes poteſtatem adversùs me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper* n. *Et Sapiens* o *dicit, Præbete aures, qui continetis multitudines, quoniam data eſt vobis poteſtas à Deo, & virtus ab Altiſſimo. Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt, id eſt, ſapienter, & rationabiliter inſtituta ſunt. Omnia namque in menſurâ, numero, & pondere conſtituit Deus* p. *Denique, Sapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit univerſa ſuaviter* q. *Ad ſapientem enim pertinet ordinare. Itaq; qui reſiſtit poteſtati per rebellionem, Dei ordinationi, id eſt, rei à Deo ordinatæ, ſeu juri Divino, vel etiam Deo reſiſtit quantùm in ſe eſt. Unde Deus dixit ad Samuelem, Non te abjecerunt, ſed me* r. *Et Chriſtus, Qui vos ſpernit, me ſpernit* ſ. *Moyſes quoque ad filios Iſrael, Non contra nos, inquit, eſt murmur veſtrum, ſed contra Deum* t. *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem æternam acquirunt, peccando mortaliter.* Liberi, poteſtas quam parentes veſtri exercent, eſt lex quam Deus inſtituit in mundo; ipſa conformis eſt regulis rationis & juſtitiæ: propterea tenemini obedire eis, nec deeſſe poteſtis huic officio, de quo nulla datur diſpenſatio, quin offendatis Deum ipſum. Perſona parentum veſtrorum ſic debet vobis eſſe pretioſa, ut diligatis eam ſuper creata omnia. Iſtud addiſcetis officium ex reſolutione quæſtionis hujus. Petitur, num, ſi homo haberet patrem ſuum & filium ſuum, ambos ad æqualem neceſſitatem redactos, v. g. qui aquis immergerentur, utrum ex ambobus deberet potiùs adjuvare. Fortaſſis judicabitis, quòd debet potiùs auxiliari filio ſuo.

m Dion. Carthuſ. art. 17. in Rom. 13. 1. & 2.

n ex Jo. 19. 1.

o ex Sap. 6. 3. &c.

p ex Sap. 11. 21.

q ex Sap. 8. 1.

r 1. Reg. 8. 7.

ſ Luc. 10. 16.

t ex Exod. 16. 8.

E contrà ſalvare debet patrem ſuum. Sed filius abit in profundum. Nihil intereſt: mandatum ſuccurrendi patri eſt antiquius: ergo debet prius habere effectum ſuum.

Mandatum, quo Deus præcepit nobis ut honoraremus parentes noſtros, præ ſe ferre videtur aliquid Divinum. Deus diviſit mandata ſua in duas tabulas. Prima tabula continet mandata quæ ſpectant adorabilem ipſius perſonam, *Non habebis Deos alienos coram me. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Memento ut diem Sabbathi ſanctifices* u. Secunda tabula præ ſuo capite fert mandatum honorandorum parentum, quod primum eſt illorum omnium, quæ reſpiciunt proximum, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram* x. Ubi obſervandum eſt, quòd Deus nullam mercedem pollicetur, niſi in favorem illorum qui honoraverint parentes ſuos: quod edocet nos, quòd ſi eſt aliquid humanum in hoc mandato, in eo eſt etiam aliquid Divinum. Ecce, liberi, obligatio quæ inducit vos ad diligendos & honorandos parentes veſtros, quæ eſt lex, & decretum æternum Dei. Sed attendite etiam, parentes, quòd perſæpè vos eſtis cauſa deordinationum & diſſolutionum liberorum veſtrorum. Habetis filium qui eſt æquo liberior, vitioſus, & nequam, qui laxat habenas exceſſibus, qui ſecum invehent ſucceſſu temporis peſſimas & periculoſiſſimas conſequentias: hujuſmodi vos videtis exceſſus, ſed ita complacetis huic filio diſſoluto ut non audeatis illum corripere talium exceſſuum, quibus indulget: iſti magni contemptus quos facit veſtri, iſtæ injuriæ, imprecationes, & maledictiones quas quotidie vibrat ſuper capita veſtra, ſunt funeſtæ ſequelæ libertatum criminoſarum quas indulſiſtis ei quandiu erat adhuc in teneris annis: extinguere poteratis, ſi voluiſſetis, hujuſmodi deordinationes in ipſarum nativitate. Habetis filiam, quæ ſibi complacet in amicitiis, quæ ornat ſe extraordinariè & cum exceſſu ſupra conditionem ſuam, imò ſupra id quod modeſtia Chriſtiana non poteſt ipſi permittere, niſi cum crimine: non latet vos quòd ipſa converſetur cum adoleſcentibus, qui pravas præ ſe ferunt intentiones adversùs famam ejus: non ſatagitis prævenire malum, quod ferè nihil apparet in principio ſuo: hæc immanis indulgentia quam indulgetis iſti puellæ, inducet aliquando vos ad fundendas lacrymas; ipſa concipiet affectum erga hunc adoleſcentem, qui ipſam frequentat, hic affectus acquiret ipſi libertates criminoſas, quæ inducent ipſam tandem ad patrandum ſcelus aliquod ſecretum, quod erit poſteà publicum, aut fortaſſis homicidio extinguendum. Ecce defectus parvæ correctionis, en negligentia veſtra: ſi dilexiſſetis filiam veſtram, curam illius habuiſſetis, invigilaſſetis actionibus ejus, reſecuiſſetis id omne quod in ejus procedendi modo fuiſſet mali, & dolor qui nunc vos affligit, non accidiſſet vobis. Hoc non eſt deficere amore erga liberos ac illos tenere in dependentiâ; hoc eſt eſſe crudeles ac illos ab eâ diſpenſare: tenemini uti poteſtate quam Deus vobis tribuit ſuper illos. Sed heu! licèt fœlicitas hominum ſita ſit in obedientiâ præſtandâ Deo, & ipſorum libertas conſiſtat in hâc dependentiâ; tamen ipſi non utuntur hac libertate ſuâ, niſi ad indicendum bellum Deo.

u Exod. 20. 3. &c.

x Exod. 20. 12. &c.

Triplex

II. Pars. Triplex admittitur libertas ſecundùm tres convenientias quæ reperiuntur in homine. Relationem habemus ad Deum, ad nos ipſos, & ad proximum noſtrum. Relatio quam habemus erga nos ipſos, nos facit liberos, quia facit nos ſuperare appetitus noſtros, & facit nos referre glorioſam victoriam de paſſionibus noſtris. Libertas quæ nos refert ad Deum, eſt bona, quia nos ſubmittit ei, à quo pendemus cum tanto imperio. Sed libertas quam habemus per relationem ad alios & ad proximum noſtrum, non poteſt eſſe niſi mala, quia nos inducit ad communicandum paſſionibus illorum. Eodem modo ſe res habet de homine qui non utitur libertate ſua ad vacandum omnino Deo, ac de phrenetico qui offendit omnes illos qui audent ad ipſum accedere, quàmvis id agant ad ſuccurrendum ipſi, aut ad ſublevandum morbum ipſius; ipſe mordet, ipſe percutit, ipſe ſua vincula infringit, ipſe renuit id omne quod eſt ipſi utile & proficuum, ipſe ſumit id omne quod eſt ipſi noxium & damnoſum, & velut equus indomitus ruit ſuper id omne quod ipſi placet juxta nutum ipſius; nihil eſt ſpecioſum quod pedibus ipſe nō proterat, nec aliquid eſt ſplendidum quod ipſe non ſpernat: ſic homo qui deſeruit Deum ad ſequendum motum paſſionum ſuarum, ubi conſiſtere facit ipſe ſuam perfectam libertatem, non dirigitur amplius luminibus rationis, nullis ducitur amplius affectibus erga Deum, minæ terrore non percellunt ipſum, promiſſiones reddunt ipſum inſolentem ad extremam uſque petulantiæ periodum, deſpicit ipſe illud omne quod eſt ſanctiſſimum, auguſtiſſimum, & venerabiliſſimum in myſteriis noſtris, deridet ipſe judicium, in quo cogetur reddere rationem eorum omnium quæ egerit in totâ vitâ ſuâ, ſicut anticipativè dicitur ipſi in Evangelio noſtro, *Redde rationem villicationis tuæ.* Ipſe nihili ducit *ſupplicium æternum* y, quod erit portio inſolentiarum ipſius,

y Matth. 25.46.

æquè ac illorum de quibus dicitur, [Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda z.] Inſpirationes Divinæ nullum habent acceſſum aut ingreſſum in animam ipſius: & licèt ad ipſum dirigatur hæc [vox dilecti pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium:] ipſe tamen reſpondet, [Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos a?] Hæc, juxta de Ponte b, [ait igitur peccatrix anima, Deo ad ejus oſtium pulſanti reſpondens, Expoliavi me tunicâ meâ, id eſt, gratiâ, charitate, & virtutibus mihi conceſſis, exui me tunicâ bonorum operum, & actuum pœnitentiæ, ac aſperæ vitæ, quomodo induar illâ? non poſſum iterum me illâ induere: Lavi pedes meos, aſſueſcens rebus mollibus & ſuavibus, quomodo inquinabo illos? nolo iterùm eos ſordidis & auſteris pœnitentiæ operibus inquinari.] Ipſe non habet ampliùs oculos ad videndum infortunium ſuum, nec ſenſum ad illud experiendum. Tandem, Labitur in præcipitium capite depreſſo, & ſicut *abyſſus abyſſum invocat* c; ſic ex uno peccato ipſe tranſit in alterum, primum eſt cauſa ſecundi, hoc tertij, & iſtud quarti, & ſic operatur ipſe damnationem ſuam æternam, & ſibi fabricat catenam tot annulis gravem, quot ipſe committit peccata, & iſtud juſto judicio Dei,

z Apoc. 21. 8.
a Cant. 5. 2. & 3.
b De Ponte lib. 8. in Cant. 5. 3. Exhort. 10. parag. 1.
c Pſ. 41. 8.

qui punit unum peccatum altero peccato. Primum peccatum dat nativitatem ſecundo, iſtud eſt punitio primi, & cauſa tertij, & ſic conſequenter. Et ratio iſtius eſt, quia impoſſibile eſt, ut quis abſtineat ſe diu à peccato ſine auxilio gratiæ. Quemadmodum homo qui incedit oculis clauſis ante præcipitium, licèt procedat greſſus tres aut quatuor, nedum tamen cadat, ſe tandem præcipitabit in quinto, quia non videt; gratia eſt lampas quæ nos illuminat, ipſa ſervit loco directionis mentibus noſtris, non ſecus ac viſus ſervit ad incedendum; ipſa eſt etiam fulcrum voluntatum noſtrarum: non eſt igitur mirum ſi impoſſibile eſt ut quis diu ſe abſtineat ab offendendo Deo, & ſi peccator labatur in præcipitium, cùm deficiat lumine ad ſe dirigendum, & fortitudine ad abſtinendum ſe in greſſu ſic lubrico, *Via illorum tenebræ, & lubricum*, dicit David d, loquens de peccatoribus.

d Pſal. 34. 6.

Videte, peccatores, injuriam quam vobiſipſis irrogatis cùm deſeritis amoroſum regimen Dei: non poteſtis ullo modo recedere ab eo quin ſtatim cadatis. Eſtiſne ſic inimici veſtri ipſorum, ſic injurioſi veſtræ fœlicitati æternæ, & eò uſque cæci ut ſequamini motum propriæ voluntatis veſtræ, quæ velut equus indomitus vos ducet in præcipitium infortunij æterni? Hoc eſt perire ac deſerere Deum, [Qui elongant ſe à te, peribunt,] ait David e, Deum alloquens, [perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.] Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum f, [Qui elongant ſe per peccatum mortale à te omnium Salvatore, peribunt, quoniam ibunt in ignem æternum g. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te, id eſt, in præſenti perdis, eis gratiam ſubtrahendo: & in futuro perdes, à gloria repellendo, omnes qui adulterinis & peſſimis cogitationibus à te recedunt, & rebus caducis inhærent. Eſt enim quædam fornicatio ſpiritualis, quâ anima ſummæ Trinitatis imagine inſignita h, quæ eſſe deberet ſui Creatoris filia, Chriſtique Sponſa, Deo ſuo infidelis efficitur, & creaturis potiùs quàm Creatori innititur, delectatur, & fruitur: ſic fornicantes à Deo, conteruntur, ſicut ſcriptum eſt, Contrivi cor eorum fornicans & recedens à me, dicit Dominus i. Et iterùm, Noli lætari Iſraël, quia fornicatus es à Deo tuo k.] Et velle perire nonne eſt inſaniam & inſenſibilitatem præ ſe ferre? Libertas, peccatores, non eſt ſequi motus ſuæ propriæ voluntatis, ſed eſt libertas æquo ſolutior: vera libertas conſiſtit in ſe ſubmittendo omnino Deo, more filij obedientis bono patri ſuo; vos verò utimini voluntate veſtrâ ad indicendum bellum Deo: is non eſt verus uſus, quem debetis illius facere: Deus vobis illam tribuit ut eſſet origo fœcunda bonarum actionum & meritorum & non occaſio fatalis jacturæ veſtræ. Deflebitis aliquando malum quod vobis procuratis, illud nondum ſentitis, illud experiemini ipsâ veſtræ mortis horâ, cùm veſtra mens ſoluta à nebulis paſſionum quæ vos obſcurant, clarè videbit injuriam quam irrogaviſtis Deo, ſicut & vobis: tunc manifeſtè videbitis quòd potentiæ veſtræ non fuerint vobis datæ niſi ad honorandum Deum obedientiâ veſtrâ. Cùm ergo videbitis malum uſum quem illarum feceritis, irritabitis vos contra vos ipſos, & contra malam voluntatem veſtram, in quam ſic invehemini. Heu! prava voluntas tu nunquid data fueras ut eſſes ſubdita Deo: tu te debebas conformare voluntatibus æternis iſtius Domini, qui te creaverat,

e Pſ. 72. 27.
f Dion. Carthuſ. in Pſ. 72. 27.
g ex Mat. 25. 41.
h ex Gen. 9. 6.
i Ezech. 6. 9. & c.
k Oſee 9. 1.

verat, in hoc ſita erat tua fœlicitas. Heu, quomodo tam receſſiſti ab hâc regulâ? tu mihi data fueras ut eſſes inſtrumentum ſalutis meæ, & tu fuiſti organum meæ damnationis. O voluntas infamis, quem uſum feciſti linguæ meæ? non poteras ignorare quòd illa mihi data fuiſſet ad reddendas actiones gratiarum bonitati Dei: ad quid inſumpſiſti eam? Ad blaſphemandum, ad negandum ſanctum nomen Dei, ad jocandum de auguſtiſſimis Eccleſiæ myſteriis, & nullus eſt locus infamis, in quo tuæ non reliqueris impietatis notas. Ad quid adhibuiſti illam? Ad detrahendum honori proximi tui, ad invehendas calumnias perſonis Eccleſiaſticis, ad pronuncianda verba ſordida & obſcœna, & indigna quæ exirent ex ore hominis, qui profitetur adorare Filium Virginis, qui eſt *Sanctus Dei* l, id eſt, Puritas per eſſentiam. Infortunata voluntas, cuinam applicuiſti hanc manum, quæ mihi data fuerat ad ſuccurrendum proximo meo? Tu inſumpſiſti illam ad ſuffurandum bonum alienum, & ad patranda homicidia, & ſacrilegia. Tandem, Quemnam uſum feciſti affectuum tuarum? Num ad diligendum Deum? An ad compatiendum miſeriis proximi tui? Nequaquam: ſed è contrà non foviſti niſi odia, vindictas, affectus ſuperbiæ, vanitatis, & contemptus Dei. O bonitas Dei mei, oportebatne ut uſum ſic pravum facerem pignoris ita pretioſi? Ecce id quod dicetis ipsâ veſtræ mortis horâ; ſed non erit tunc tempus ampliùs recipiendorum veſtri ipſorum in meliorem emendatæ vitæ frugem: prævidendum erat hujuſmodi infortunium. Cùm igitur bonitas Dei vobis continuet vitam, ſtatuite eam emendare, facere bonum uſum voluntatum veſtrarum, & imitari Jeſum Chriſtum, de cujus obedientiâ loquens S. Bernardus m, ait, *Ipſe Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quam obedientiam* n *non implere.* Si iſto vos geratis modo, acquiretis gratiam in iſto mundo, & vobis gloriam conciliabitis in altero ſeculo.

l Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.

m S. Bernard. in Declamat in princ.

n ex Philipp 2. 8.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Luc. 19. 44.

LIcèt conflictus mentium ſint æquè frequentes ac crebra ſunt certamina corporum, in iis tamen diverſimodè dimicatur: conveniunt nihilominùs in hoc, quòd utrobique dimicentur; ſed differunt in iſto, quod pugnandi modus eſt ibi oppoſitus. In prœliis corporis incipitur cum multo ardore; ſic nihil eſt periculoſius & formidabilius primis ictibus, qui ſunt ordinariè fatales, unde pendet totus fœlix ſucceſſus victoriæ: ſed è contrà in certaminibus mentium non videntur micare niſi exiguæ ſcintillæ, quæ tamen ſunt diſpoſitiones ad magna incendia: ictus, qui ſuſcipiuntur ibi in principio, ſunt leviſſimi, ſed ſunt præſagia certa ictuum mortalium, qui ſuſcipiuntur ibi in progreſſu certaminis, niſi dimicantes caveant ſibi in prœlio, quod tandiu durat, quandiu ſubjecta permanent, & ubi partes nunquam deſerunt arma niſi per ruinam integram unius ex ambabus. Diebus Dominicis iſtis præcedentibus oſtendi vobis Dei regimen intuitu hominum, quòd vult eſſe *Pater noſter* a. Quòd *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* b, *mediator Dei & hominum, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* c, ut aſſociaret omnes homines in conditione fratrum, *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* d, & in qualitate filiorum Dei adoptivorum: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* e. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filii Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* f. Quòd dat eis liberum arbitrium, quod debet ipſos ſubmittere Deo: quòd nunquam violat illorum libertatem, & mavult perdere quidquam jurium ſuorum, quàm illi vim inferre; & quòd tamen homines non utuntur libertate ſuâ niſi ad indicendum bellum Deo, & ad moliendam ruinam ſuam: hodiernâ verò die oſtendit extenſionem amoris ſui, cùm omnia bona ſua collocet inter manus eorundem hominum, ad procurandam illorum ſalutem, *Eo quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus † ſuper hæc verba, *Chriſtus Filius Dei, Deus & homo viſitavit genus humanum, ſicut Creator creaturam, ſicut Dominus ſervum, ſicut Medicus ægrum, ſicut Redemptor captivum, ſicut Salvator damnatum, ſicut vita mortuum, ſicut Magiſter ignarum. Unde per Zachariam Prophetam* g *hortatur, Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui. Sed heu! reprobi & ingrati filii hominum non cognoverunt Creatorem, Salvatorem, Doctorem, & Medicum ſuum, imò inſtar phreneticorum & tanquam furioſi infirmi, inſilierunt in eum, & manus ſacrilegas injecerunt in ipſum, juxta illud Joannis* h, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cognoverunt. In propria venit, & ſui eum non receperunt. In quibus impletum eſt, quod per Oſeam* i *Dominus proteſtatur, Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. Et ego erudivi eos, ipſi autem receſſerunt à me, & in me cogitaverunt malitiam.* Ipſi abutuntur gratiis, quas præparavit eis *in utero* k B. Virginis, quam cœlum vocat gratiâ plenam per os Angeli dicentis illi, *Ave Maria*

Uſque nunc, Auditores, hæc cathedra fuit theatrum, in quo vidiſtis dimicare bonitatem Dei contra malitiam hominum. Deus offert eis gratiam ſuam, Jeſus Chriſtus tribuit illis ſanguinem ſuum, præparat eis perfectam libertatem ut regulam regiminis ipſorum, & illam eò uſque veluti reveretur, ut malit amittere quidquam jurium ſuorum, quàm eam cogere: homines tamen nedum agnoſcant talem favorem dilectione reciproca, irritantur adverſùs Deum, inſurgunt in eum, fœdus ineunt cum diabolo, nec utuntur bonis & charismatibus, quæ bonitas ejus ipſis tribuit, quàm ad eum affligendum, & non inſumunt libertatem ſuam quàm ad machinandam ruinam ſuam. Hodiernâ die idem Deus conatum facit amoris ſui, offert eis id quod habet ipſe chariſſimum, ſanctiſſimum, & augu-

a Matt. 6. 9.

b 2. Cor. 5. 15.

c 1. Tim. 2. 5. & 6.

d Rom. 8. 29.

e Joan. 1. 12.

f Rom. 8. 14. &c.

† Dion. Carth. art. 42. in Luc. 19. 44.

g Zach. 2. 10.

h ex Joã. 1. 5 & 11.

i ex Oſee 7. 13. &c.

k Matth. 1. 18. & 23. & Luc. 1. 31 &c. ex Iſai 7. 14

& auguſtiſſimum, præ manibus eorum ponit illud quod habet ipſe pretioſiſſimum, licèt cum minori ſucceſſu: inde enim ſuam homines incipiunt ingratitudinem unde Deus ſuas incipit liberalitates, quod ipſum inducit ad dicendum in Evangelio hodierno intuitu iſtius ingratitudinis hominum, ſingulos eorum alloquendo, *Eò quòd non cognoveris*

Diviſio. *tempus viſitationis tuæ.* En, Auditores, ſubjectum diſcurſus iſtius, quod in hoc eſt ſitum, ut oſtendam vobis in Primâ illius Parte, quòd Deus nulli rei parcit ad operandam ſalutem hominis: & in Secundâ, quòd homo non ſuſcipit bona, quæ Deus ipſi offert ad agendam ſuam ſalutem æternam, niſi ad ea diſſipanda.

I. Pars. Uſque ad diem hanc, Auditores, natura & mundus fuit theatrum, ſuper quo repræſentatæ fuerunt duæ differentes comœdiæ. Juſtitia Divina eſt velut inter actores, qui apparuerunt ſuper hoc theatro, cùm ipſa vacavit creationi, & conſervationi hominis, *Et creavit Deus hominem ad imaginem*
l Gen. 1. 27 *& ſimilitudinem ſuam* l. *Conſiderate corvos, quia*
non ſeminant neq; metunt, quibus non eſt cellarium neq;
m Luc 12 24 *horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris*
n Ephes. 5, 2. *eſtis illis* m? Et Amor Divinus fuit ut ſecundus actor, qui apparuit ſuper hoc eodem theatro, incumbens reparationi ejuſdem hominis, *Sicut &*
o S. Diō lib. de div. no. c. 8. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* n. Et licèt veluti ſint differentes actores, & repræſentaverint differentes actus, eos tamen repræſentarunt ſuper idem ſubjectum. Juſtitia Divina apparuit prima, & licèt ipſa exerceat differentia officia, vel diverſos actus, hujuſmodi varia munia tamen redigit S. Dionyſius *o* ad tria præcipua; primum, eſt eſt ornamentum; ſecundum, eſt protectio illius, quod ipſa ornavit; & tertium, eſt conſervatio ejuſdem ſubjecti: *Juſtitiâ Deus laudatur, quòd ſua cuique pro dignitate tribuat: quòd modum, pulchritudinem, ordinem, ornatum, unueſque diſtinctiones, & ordines termino, qui verè æquiſſimus eſt, unicuique diſſinat. Ita munia tuetur, ut nec in ſe miſceantur, nec ſecum diſcordent, nec in deterius pejuſque vertantur. & omnia ſine inimicitiis & bello, ſuis quidque rationibus deſcripta cuſtodit. Cuſtos & conſervatrix eſt juſtitia, cùm omnia in omnibus per mixta confundi minime patiatur, ſed ea, quæ ſunt omnia unicuique ſpeciei, in quo natura ea eſſe voluit, cuſtodiat.* Amor Divinus ſequitur juſtitā, ſed greſſibus differentibus & oppoſitis Juſtitiæ divinæ & diſtributivæ. Primum officium Juſtitiæ ſitum eſt in ornandis creaturis, & inſtruendis eis omni illo, quod eſt neceſſarium ad perfectionem eſſe ipſarum, non indifferenter & æqualiter, ſed cum diſcretione meritorum: ſic dat ipſa minus imperfectioribus, & plus nobilioribus: hoc modo entia inanimata ſuſcipiunt minus quàm animata, ſenſibilia plus quàm hæc, ſenſibilia minus quàm rationalia, & Angeli tandem plus quàm homines. Secundus actus Juſtitiæ Dei diſtributivæ conſiſtit in hoc, ut tueatur omnia entia, & opponat ſe omni illi, quod interturbare poteſt vel alterare quietem illorum; elongare debet & diſſipare omnes inimicos, qui intendunt turbare pacem ſtatus ipſorum. Tandem, Tertius actus illius in hoc eſt poſitus, ut unamquamque rem cuſtodiat in ſuo loco, in diſpoſitione quam inſtituit, ut univerſas creaturas cuſtodiat in juribus ſuis naturalibus contra illud omne, quod eorum impedire poteſt poſſeſſionem. Sed obſervate, ſi placet, œconomiam amoris divini, & differentes illius inceſſus: Ipſe ſequitur maximas omnino contrarias regulis Juſtitiæ: nam ſi Juſtitia obſervat diſcretionem in ornamento rerum; Amor dat ſine diſcretione: ſi Juſtitia tuetur entia, quæ ipſa ornavit; Amor ea exponit inimicis ipſorum: ſi Juſtitia conſervat univerſa in juribus ſuis; Amor illa derelinquit. Atqui videamus hunc procedendi modum in reparatione hominis: Primus actus Juſtitiæ divinæ ſitus eſt in ornando, ſed cum diſcretione; Amor tamen evertit hanc maximam: & licèt imitetur eam in inæqualitate, dat tamen abſque diſcretione: nam Juſtitia requireret, ut Angelus præferretur homini, ut in conſilio quod Deus habet ſalvandi, ſalvaret Angelum, quia eſt naturæ nobilioris & excellentioris, & ut derelinqueret hominem, qui non eſt niſi *putredo & vermis*

p Job. 25. 6. p. Sed amor divinus nullos habet oculos ad faciendam hanc diſcretionem, deſerit Angelum in infortunio ſuo, *Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone. & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi*

ſunt q. Ipſe flecti facit cedros altiſſimas, & facit illas cedere minimæ herbæ, quæ repit ſuper terram: ipſe ſe deprimit uſque ad hominem, & educit illum è luto ſuo, illum laudat, eum purgat, & ipſum ornat omni illo, quod eſt ſanctiſſimum & auguſtiſſimum in cœlo & in terrâ, *Suſcitans à terrâ inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Ut collocet eum cum Principibus populi ſui*, ait David r. *Suſcitans Deus per gratiam ſuam à terrâ, id eſt, à vitâ carnali, ab amore rerum terrenarum, à cogitatione temporalium rerum*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus ſ: *Et de ſtercore, id eſt, de habitatione hujus corruptibilis corporis elevans ad habitationem regni cœleſtis, pauperem ſpiritu, ſcilicet humilem; Quia qui ſe humiliat, exaltabitur* t: *juxta illud, Qui humiliatus fuerit, erit in gloriâ* u. *Propter quod ſubditur, Ut collocet eum in patriâ cum Principibus, id eſt, cum Angelis ſanctis, cum Principibus populi ſui, hoc eſt, cum majoribus Electorum, videlicet cum Apoſtolis & Prophetis. Eccleſia namq; triumphans una eſt ex hominibus bonis, & Angelis ſanctis unica. Horum autem duorum ſententia verſuum in Cantico Annæ cōtinetur, ubi de Deo ſic legitur, Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem. Ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Vel, ut collocet eum in die judicii ad dexteram ſuam cum Principibus, de quibus ab Iſaia* y *ſcriptum eſt, Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & Principibus ejus.* Ecce prima injuſtitia Amoris Divini.

q Apoc. 12. 7. &c.
r Pſ. 112. 7 & 8.
ſ Dion. Carth in Pſ. 112. 7. & 8.
t Luc. 14 11.
u Job 22 29.
x 1. Reg. 2. 8.
y Iſai. 3. 14.

Secunda injuſtitia Amoris Dei, quæ opponitur directè ſecundo actui Juſtitiæ diſtributivæ, in hoc ſita eſt, quòd iſta tuetur ſubjecta, quæ ipſa ornavit, adverſus id omne quod ipſis nocere poteſt, elongat ab eis omnes inimicos, & diſſipat id omne, quod poteſt eis eſſe injurioſum: è contrà Amor Dei ſumit ſubjectum, quod ipſe ditavit, & exponit illud occaſionibus, in quibus perit: Satis eſt Amori, ut illud armaverit Amore Divino; hoc eſſet extinguere illius animum, ac pugnet ei præbere manum. Re autem verâ nullam Deus unquam dat alicui animæ gratiam, niſi eo conſilio, ut inducat eam ad ſuſtinendum certamen aliquod furioſum propter ipſius gloriam: videtur tamen aliquando illam deſerere ſine auxilio, & delectatur videre eam prœliari, *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Dicit S. Paulus z. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *a*, *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari, id eſt, impugnari à dæmone, vel malis*

z 1. Cor. 10. 13.
a Dion. Carth. art. 10 in 1. Cor. 10 13.

bona-

hominibus, ſupra id quod poteſtis, id eſt, ultra vires. Tunc enim non pugnaremus, ſi vinceremur. Sed faciet cum tentatione proventum, id eſt, ſpiritualem profectum, dando gratiam reſiſtendi. Ut poßitis ſuſtinere, id eſt, per patientiam prævalere.

Tertius actus Divinæ Juſtitiæ finis eſt in hoc, ut ſua ſubjecta cuſtodiat in juribus ſuis, eaque conſervet in ſtatu, in quo illa collocavit: Amor Divinus è contra præ exceſſu amoris ea deſerit. Deus fecerat hominem liberum, ſed tamen ipſimet Deo ſubditum: amor ipſius reparat hanc libertatem, reponit illam in primâ dependentiâ ſuâ per gratiam ſuam; & licèt deberet illam conſervare in hoc jure, & hominem cuſtodire in hoc ſtatu ſervitutis, *reliquit illum in manu conſilii ſui; appoſuit aquam & ignem* b ei. Id eſt, Deus relinquit illum dirigendum proprio nutu, & mavult amittere aliquid jurium ſuorum, quàm violare ejus libertatem, non utitur coactione, nec aliquâ violentiâ, ut reſtituat aut retineat hunc filium intra limites juſti obſequii; ſed potiùs onerat illum beneficiis, & amor ipſius conatum novum facit ad ſuccurrendum ei, omnia committit manibus ejus, licèt omnia ipſius bona ſervire debeant ſaluti illius. O inaudita œconomia Dei mei! O amoroſa injuſtitia! Non eramus digni niſi ſuppliciis, non erant expectandæ niſi punitiones ab amore irritato; & tamen ecce multiplicat ipſe beneficia ſua, ſicut oſtendo.

b Eccli. 15. 14 & 17.

Lex eſt fundamentalis in naturâ, quam Juſtitia Divina inſtituit, ut res ſuperiores ſint fines inferiorum, & minùs perfectæ ſerviant nobilioribus, *Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Cephas* c. Chriſtianus regeneratus *à Jeſu Chriſto, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* d, eſt nobiliſſimus omnium creaturarum: oportet igitur ut omnes ei ſerviant: *Omnia enim veſtra ſunt, id eſt, veſtræ ſervituti & utilitati parata & deputata,* dicit nobis Dionyſius Carthuſianus e poſt S. Paulum. Et Prædicatores, & Prælati, & Confeſſarii nobis ſervire debent. Et quia Deus illud ſic inſtituit, Jeſus Chriſtus nos edocet hanc veritatem in Evangelio, in illo dialogo, quem habuit cum S. Petro, *Dicit Simoni Petro Jeſus. Simon Joannis diligis me plùs his? Dicit ei, Etiam Domine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Joannis diligis me? Ait illi, Etiam Domine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Joannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me. & dixit ei, Domine, tu omnia ſcis: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce oves meas* f. Quænam inaudita Philoſophia eſt iſta, ſi placet, Auditores? Quantam eſt hæc conſequentia, quam Jeſus Chriſtus elicit ex his præmiſſis, & ex hoc antecedenti? S. Petrus proteſtatur ſe diligere Dominum ſuum, *Domine, tu ſcis quia amo te.* Et Jeſus Chriſtus inde concludit, ut, ſi ipſum diligit, curam ſuſcipiat ovium ipſius. *Paſce oves meas.* Nonne meliùs ratiocinatus eſſet Dei Filius in conſequentiâ ſuâ, ſicut videtur, ſi dixiſſet, Mane mecum, cùm amor habeat pro ſpeciali & præcipuo effectu unire amicus, eoſque aſſociare? *Divinorem de ſtatu Divinus Amor, nec ſinit eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur,* ait S. Dionyſius g. Et Dionyſius Carthuſianus h, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Sed ecce Jeſus Chriſtus eos dividit [illegible] præcipit S. Petro ut agat cum fratribus [illegible] Ratio iſtius eſt, quia Juſtitia Divina [illegible], ut omnia ſerviant entibus nobilioribus: non eſt aliquid in

c 1. Cor. 3. 22.
d Apoc. 1. 5.
e Dion. Carth. art. 5 in 1 Cor. 3. 22.
f Joan. 21. 15 &c.
g S. Dion. lib. de divin. nom. c. 4.
h Dion. Carth. art. 33 in Luc. 14. 24.

mundo ſanctius Chriſtiano dealbato *in ſanguine Agni* i. Oportet igitur ut univerſa ſerviant illi: & omnia deſerenda ſunt ad hoc ut ſerviatur ei. Eſtne aliquis infirmus in extremis conſtitutus? Cuncta deſerere debemus ut eamus ſuccurſum ei, Deus ſuos propterea nos inſtituit miniſtros, *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti* k. Dico quid amplius, non ſolùm relinquenda ſunt omnia negotia particularia, ſed & Deus deſerendus eſt. Etiam, Auditores: deſerere debeo Deum ipſum, ut eam ſervitum fratri meo, pauperi, æquè ac divini: nón enim ſervimus fortunæ, ſed animæ renatæ *ex aquâ & Spiritu ſancto* l. Cùm vaco orationi, cùm guſto Deum, totus collectus in me, & meditor illius magnitudines & beneficia, ſi dicatur mihi, Ecce N. peteris ut eas auxiliatum infirmo in extremis anguſtiis conſtituto; Ha! Deus mi, deſero te, quia debeo ſervire ei, cui me dediſti: ſervire debeo fidelibus tuis: *Omnia enim veſtra ſunt* m, Auditores. Sed mementote quòd *non eſtis veſtri.* n. Habetis Dominum, qui eſt Jeſus Chriſtus, *vos autem Chriſti* o. En, Auditores, qualis eſt procedendi modus & œconomia Juſtitiæ Divinæ, quæ decrevit ut res minùs perfectæ referrentur ad nobiliores. Sed ecce Divinus Amor evertit omnes iſtas maximas, deſtruit id omne, quod Juſtitia Divina decreverat, & novas leges inſtituit in favorem peccatorum. Amor Divinus ſervire facit res nobiliores minùs perfectis. Certum eſt quòd non eſt aliquid in mundo vilius, depreſſius, & indignius peccatore; & quòd in hoc ſtatu non meretur ampliùs, ut uſum faciat alicujus creaturæ, aut ullius è potentiis ſuis: ſed amor Dei, qui nullam obſervat mediocritatem in effectibus ſuis, inducit creaturas imò verò cum coactione ad ſerviendum peccatori: *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe,* dicit S. Paulus p. Et poſt eum Cornelius q, *Vanitas, hic eſt defectus mutabilitatis, & opera ſervilia, labores, paßiones, & corruptiones, quibus creatura occupantur propter hominem. Non volens, id eſt, non ſponte (ut legit commentarius S. Hieronymo aſcriptus, & Hilarius) hoc eſt, non ex naturali inclinatione: quæque enim creatura naturaliter amat ſuum eſſe, & conſervari, ſuamque perfectionem, ideòque abhorret ab hâc vanitate & corruptione. Ita S. Thomas. Creatura ergo huic vanitati ſubjecta eſt non ſponte ſuâ, ſed propter eum (Deum, Deique ordinationem) qui huic vanitati eam ſubjecit, propter hominem, ut ſcilicet illi ſerviat in hoc mortali ſtatu. In ſpe. ſub ſpe liberationis & commutationis in melius in communi hominum rerumque omnium reſurrectione & renovatione.* Omnes creaturæ ſerviunt ergo cum coactione homini criminoſo, quia Divinus Amor impoſuit eis hanc obligationem. Non eſt tamen ſatis, quòd creaturæ inferiores homine ſerviant eidem homini; ſed Divinus Amor inducit etiam Angelos ad ſerviendum eidem homini. Juſtitia Divina requireret juxta ordinem inſtitutum, ut homines ſervirent Angelis, quia iſti ſunt nobiliores illis: tamen Amor Divinus per regulam contrariam obligat Angelos ad ſerviendum hominibus, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus: in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* ait S. Paulus r. Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus ſ, *Nonne omnes Angeli ſunt adminiſtratorii Spiritus, id eſt, Divino imperio ſervientes, in miniſterium, id eſt, ad obſequium ſeu adjutorium Electorum. Miſsi, à Deo, miſſione interiori, vel exteriori.*

i Apoc. 7. 14.
k 2. Cor. 3. 6.
l Joan. 3. 5.
m 1. Cor. 3. 22.
n 1. Cor. 6. 19.
o 1. Cor. 3. 23.
p Rom. 8. 20.
q Cornel. in Rom. 8. 20.
r Hebr. 1. 14.
ſ Dion. Carth. art. 1 in Hebr. 1. 14.

Propter eos, id eſt, eorum profectum, qui hæreditatem capiunt ſalutis? id eſt, cœleſtem atque beatificam hæreditatem patriæ, ſcilicet beatificam Dei viſionem adipiſcuntur? Amor Divinus non ſiſtit ibi, ſed inducit Deum ipſum ad ſerviendum homini. Sic eſt, Auditores: effundendus eſt ſanguis Filij Dei ſub cultro circumciſionis t [t Luc. 2. 21. & Levit. 12. 3.], & omnes venæ ejus non ſunt aperiendæ, niſi ad effundendum illum totum ad ultimam uſque guttam ſuper patibulo, poſtquàm exiverit *bajulans ſibi crucem, in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi eum* u crucifixerint milites; [u Jo. 19. 17 &c.] & hoc propter ſervitium hominum, cui ſe dedit eis: *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* x. [x 1. Tim. 2. 5. & 6.] Et ipſe manebit ſuper altaribus noſtris uſque ad finem mundi, ut ſerviat illorum uſibus, quoniam ſe tradidit illis, ſicut ipſemet ait, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* y. [y Matth. 28. 20.] *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus z; [z Dion. Carthuſ. ar. 45. in Matth. 28. 20.] *Primò, per gratiam inhabitando corda fidelium. Secundò, per Sacramentalem præſentiam. Tertiò, per continuam providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam ſuæ poteſtatis ac pietatis in nos. Hinc enim teſtatur, Ego ſto ad oſtium, & pulſo* a. [a ex Apoc. 3. 20.] *Et, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* b. [b ex Mat. 18. 20.] *Nunquam ergo deficiet in toto, ſed uſque in finem ſæculi perſeverabit in aliquibus Chriſtiana Religio. Poſtremò, Tam ineffabiliter, dignanter & intimè adeſt nobis Chriſtus, ut multò ampliùs quam Moyſes ſeu populus olim Judaicus dicere valeamus, Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Dominus Deus noſter* c, [c ex Deut. 4. 7.] *unigenitus Filius Dei.* Rem aliquam voco meam, qua uti poſſum toties quoties mihi placuerit: Hi! nunquid non Jeſus Chriſtus eſt hominis, quia ſe præbet uſibus ejus die ac nocte?

Si Deus eſſet capax ſuſtinendæ moleſtiæ, non ſuſciperet eam niſi à bonitate ſuâ. Thronus ipſius ſic eſt elevatus, ut omnia jacula maneant ſubter ipſum, nec ullum infortunium poſſit ad ipſum pervenire, ſicut ait illi David d, [d Pſ. 90. 10.] *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sola bonitas ipſi poſſet eſſe injurioſa: & ecce quomodo: Deus eſt ultimus omnium finis, *Ego ſum principium & finis* e. [e Apoc. 1. 8.] *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* f. [f Prov. 16. 4.] *Id eſt,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus g, [g Dion. Carthuſ. art. 16. in Prov. 16. 4.] *ex propria liberalitate ac bonitate, & propter ſuiipſius gloriam ac honorem, non ob aliquam indigentiam, aut profectum, ſeu commodum ſui, qui bonorum noſtrorum non indiget* h, [h ex Pſ. 15. 2.] *ſed ut ex ſuâ plenitudine ac munificentiâ ſeipſum creaturis communicaret, ſuamque perfectionem ac beatitudinem eis multipliciter participaret. Hinc magnus Theologus Dionyſius aſſerit, quòd Divinus Amor non reliquit eum ſine germine eſſe. Ideò per Iſaiam* i [i Iſai. 43. 7.] *teſtatur Dominus: Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. Et alibi* k, [k ex Ezech. 36. 22.] *Non propter vos ego faciam, notum ſit vobis, ſed propter nomen ſanctum meum. Unde & Plato cauſam finalem productionis mundi inquirens, ait in primo Timæi, Dicendum cur Conditor & Fabricator univerſi omne hoc inſtituendum putaverit. Optimus erat, ab Optimo porrò invidia longè relegata eſt. Itaque conſequenter ſui ſimilia cuncta prout cujuſque natura capax beatitudinis eſſe poterat, effici voluit, quam quidem voluntatem Dei originem rerum certiſſimam ſiquis ponat, rectè eum putare conſentiam. Hinc Deus dicitur omnium cauſa, non ſolùm effectiva, ſed & finalis ac exemplaris. Nam ſicut omnia ex propriâ bonitate & voluntate produxit: ſic ad ſeipſum cuncta finaliter ordinavit, & ſecundùm Ideales ſuæ æternæ ſapientiæ rationes cuncta inſtituit.* Tamen duo ſpecioſiſſima operum ipſius, duæ excellentiſſimæ productionum ipſius, recedunt ab hoc ordine cum conſilio formato conſtituendi ſe proprium finem ſuum, inſurgunt in Deum conatibus ſacrilegis, & nituntur omnibus viis poſſibilibus eripere ſplendidiſſimum radium coronæ ipſius, qui eſt qualitas eminens ultimi finis. Nemo eſt è nobis qui non judicet quòd Juſtitia Divina facere deberet exemplum in perſonâ hujuſmodi rebellium interventu alicujus ſeveri ſupplicij. Re autem verâ procedit ad illius executionem, pronunciat anathemata, vibrat fulmina ſuper Angelos l: [l Apoc. 12. 9.] ſed Amor Divinus eripit ipſi hominem, ſalvat eum, & præ exceſſu bonitatis infinitæ vult illi ſervire m: [m Pſ. 39. 7. &c.] & hoc accidit ei per incarnationem Verbi Divini.

Magnum pronunciavit S. Paulus n verbum, [n Philipp. 2. 6. & 7.] cùm aſſeruit de *Chriſto Jeſu, Semetipſum exinanivit.* Nimirum, quòd Deus ſeipſum annihilavit. Tertullianus o vertit, [o Tert. l. 5. contra Marcion. c. 20.] *Exhauſit ſemetipſum.* Et Cornelius p [p Cornel. in Philipp. 2. 7.] poſt Tertullianum, *Evacuavit, vel inanivit, id eſt, inanem & vacuum effecit, ut qui erat plenus majeſtate, gloria, robore, adeòque plenitudo totius entis, eâ ſe evacuarit, & ex omni quaſi ad nihilum ſe redegerit, factuſque ſit ex Domino ſervus, ex Deo homo, ex Creatore creatura.* Amor Divinus exhauſit ſemetipſum per myſterium Incarnationis in favorem hominis; ſicut cum vultis replere vas liquore qui erat in altero vaſe, exhauritis & evacuatis unum confeſtim ac repletis alterum: Deus eſt magnum vas, ipſe ſe effundit ſuper hominem qui erat vacuus omni genere bonorum, *Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne meâ bonum,* dicebat S. Paulus q. [q Rom. 7. 18.] Deus ſe deprimit uſque ad hominem, & extollit hominem uſque ad ſe, ſubſtituit ſe in locum hominis, & ponit hominem in loco Dei: atqui homo erat inferior Deo, & Deus ſuperior homine: cùm ergo Deus ſe ſubſtituit in locum hominis, ſe poſuit in ſtatu inferioritatis, & in diſpoſitionibus ſerviendi homini. Obſervate, ſi placet, modum procedendi amoris Dei, qui ſervit homini veluti fini ſuo.

Recenſetur Judas tempore ultimæ cœnæ magnis perculſus convulſionibus ſuper difficultatem quam præ ſe ferebat determinandi ſe ad vendendum Dominum ſuum. Avaritia urgebat ipſum ad eum vendendum, ſed reverentia perſonæ illius ſiſtebat eum. Cùm ſic angeretur velut indeterminatus, *dicit ei Jeſus, Quod facis, fac citius* r. [r Joan. 13. 27.] Quaſi diceret illi, Perfice citò te determinare, ne metuas vendere me: tuus ego ſum, potes me vendere, me mutare, me commodare, & me morti tradere: perfice ergo citò ſtatuere id quod tibi agendum eſt, quia omnino tuus ego ſum. Sic cùm Salvator procubuit in genua ante Judam, ad lavandos ei *pedes* ſ, [ſ Jo. 13. 5.] tradidit ei poſſeſſionem omnium magnitudinum perſonæ ſuæ, & univerſarum divitiarum cœli. S. Joannes t enim ait, [t Jo. 13. 3.] quòd *omnia dedit ei Pater in manus.* Quòd ſi omnes divitiæ cœli & terræ ſunt præ manibus Jeſu Chriſti, Jeſus Chriſtus ponens manus ſuas ſub pedibus Judæ, dedit ei poſſeſſionem omnium. Quid enim eſt, ſi placet, poſſeſſio? Olim cùm quis ibat ſumptum poſſeſſionem alicujus rei, domus, vel agri, ſolum ponebat ibi pedem, & hoc ſufficiebat ad capiendam poſſeſſionem rei quæ ad ipſum pertinebat: ſic poſſeſſio eſt quaſi pedis poſitio. Et conformiter ad hoc legimus de primis fidelibus, *Quotquot poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum* u. [u Act. 4. 34. & 35.] Admiramini igitur, Auditores, amorem Dei, qui præ exceſſu bonitatis ſuæ tradit omnia non inter manus hominum, ſed ſubter

pedes

pedes eorum, ut illorum poſſeſſionem præbeat eis integram.

Deus eſt ens à ſe, in ſe, & propter ſe, quibus verbis comprehenduntur univerſæ Dei quidem ma-
x Exod. 3.14.
gnitudines. Deus eſt à ſe, *Ego ſum qui ſum* x. Quia nullum habet principium, ſed potius eſt principium omnis illius quod eſt extra ipſum, *Ego ſum*
y Apoc. 1. 8.
Principium y. Eſt in ſe, quia ſubſiſtit ſe ipſo ſine aliquo fulcro alieno, ſicut fatetur David z, eum al-
z Pſ. 15. 2.
loquens, *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Tandem, Eſt propter ſe,
a Apoc. 1. 8.
quoniam eſt ultimus finis ſuus, *Ego ſum finis* a. Et
b Galat. 4. 4.
ultima ſua fœlicitas. Sed per myſterium Incarnationis, *ubi venit plenitudo temporis* b, Deus non videtur amplius eſſe à ſe, nec in ſe, quia indiget manu quæ ipſum ſuſtineat in infirmitatibus infantiæ ſuæ; matre quæ ipſum alat, & ipſum fulciat in ſinu
c Luc. 2. 7. &c.
ſuo c. Tandem, Non eſt amplius propter ſe, quoniam ſe fecit hominem ad ſerviendum hominibus peccatoribus. *Venit enim Filius hominis quærere &*
d Luc. 19. 10.
ſalvum facere quod perierat, ait S. Lucas d. Et S. Ber-
e S. Bern. ſerm. 3. in Circumciſ.
nardus e, *Venit namque Dominus propter nos non ſolùm redimendos ſanguinis effuſione, ſed & docendos verbis, & exemplis nihilominus inſtruendos.* Et aliquantò pòſt ſic gloriatur, *Totus ſiquidem mihi datus, & totus in meos uſus expenſus eſt.* Hic Amor Divinus invenit finem non terminantem, ſed perfici-
f S. Aug. tract. 55. in Joan. 13. 1.
entem, ut ait S. Auguſtinus f ſuper hæc verba S. Joannis, *In finem dilexit eos. Ut & ipſi de hoc mundo ad ſuum Caput dilectione tranſirent. Quid eſt enim in finem, niſi in Chriſtum? Finis enim legis Chriſtus:*
g Rom. 10. 4.
ad juſtitiam omni credenti g. *Finis perficiens, non interficiens.* Sed intolerabilis ingratitudo! Homo incipit ingratitudinem ſuam & jacturam ſuam inde, unde ſuas perficit liberalitates Deus.

Peccatum eſt ſimius Dei, non quòd conetur eum imitari, ſed illum perdere. Diabolus iſte qui ſtatuit perdere Deum (nam, ut ait S. Chryſoſto-
h S. Chryſoſt. hom. 33. ex c. 9. Matth.
mus h, *Magnus dæmon peccatum eſt*) conatur imitari eum, & adhærere iiſdem veſtigiis illius. Divinus Amor nobis apparuit in tribus diverſis ſta-
i Gen. 1. 27.
ribus, in Creatione i, in Redemptione k, & in In-
k Joan. 19. 30.
carnatione l. In Creatione Deus dat nobis bona
l Jo. 1. 14.
naturæ: per Mortem ſuam communicat nobis gratiam ſuam: ſed per myſterium Incarnationis nobis offert præſentiam ſuam: atqui per peccatum homines amittunt bona naturæ; per malum uſum creaturarum, diſſipant gratiam; & per contemptum ejuſdem gratiæ, mortem denuò inferunt Jeſu Chriſto, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Fi-*
m Hebr. 6. 6.
lium Dei m. Videamus, Auditores, hanc veritatem in totâ luce ſuâ: attendat unuſquiſque quomodo diſponat bona, quibus cumulatus eſt à Divinâ Bonitate. Dicite mihi, ſi placet: Quid agitis de bonis veſtris? ad quid inſumitis ea? utiminine illis ad conſolandas afflictiones & captivitates Jeſu Chriſti in perſonâ pauperum, qui ſunt membra illius? divitiæ veſtræ ſerviuntne vobis ad retrahendam è vitio hanc miſeram puellam vel fœminam quæ ſe proſtituit præ neceſſitate? Nequaquam, ſed potiùs ad corrumpendam aliquam innocentem. Quomodo diſponitis ſuperfluitates veſtras? Nunquid ad alenda vel induenda membra nuda Jeſu Chri-
n Matth. 25. 45. &c.
ſti? Minimè n, ſed potiùs ad ſuperbiendum, & ad diffluendum deliciis, vacandum gulæ, & ventri. Heu! audetiſne renuere eleemoſynam huic mulieri mendicæ, quæ ſe vobis offert intuendam cum infante uberibus ipſius adhærente, ſicco, & nudo, quia mater ejus non habet unde ipſum alat, & operiat? Adhibetiſne bona veſtra ad ornanda altaria vel templa Dei vivi? Quin è contra illa inſumitis

ad operienda ſepulchra viventia, ſcatentia fœtore, putredine, & vermibus, cùm ſit *homo putredo, &*
o Job. 25. 6.
filius hominis vermis o.

Ingenuè fatendum eſt, quòd magnus Sacerdos Aaron magno ſtupore percuſſus eſt, cùm populus Iſraël efflagitavit ab ipſo ut faceret ipſi Deum, *Populus congregatus adversùs Aaron, dixit, Surge, fac no-*
p Exod. 32. 1. &c.
bis Deos qui nos præcedant p. Petitio inſolens & ridicula, quæ re verâ in admirationem rapuit Aaron; tamen ſicut ipſe cognoſcebat affectus hujuſmodi Iſraëlitarum, qui vehementer amabant divitias, & adorabant argentum & aurum, *dixit ad eos, Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Et ſic illos dimiſit, ratus hac induſtriâ, quod eſſet avaritia prævalitura ſuper affectum Religionis, & quòd mulieres & liberi ſua perdere nollent ornamenta, licèt ex iis compingendus eſſet Deus, & ſic denegando hujuſmodi ornamenta ſua, hunc actum impietatis impedirent. Res tamen aliter accidit quàm ſibi propoſuiſſet Aaron, *Fecitque populus quæ juſſerat, deferens inaures ad Aaron.* Ecce materia, fac nobis ex illâ Deum. Cogitate ſeriò, ſi placet, id ad quod agendum me inducitis, reſpondit eis Aaron; vultiſne deſerere Deum, qui ſibi vos ſic multùm devinxit, quique tot operatus eſt mirabilia in favo-
q Exod. c. 12. & ſeq.
rem veſtrum q, ut adoretis vitulum aureum, & reddatis operi manuum humanarum, adorationes
r Exod. 20. 4. & 5.
quæ non debentur niſi majeſtati Dei ſummæ r? Etiam, reſponderunt illi. Sed nunquid non formidatis iram Dei? Nihil intereſt, inquiunt iſti ingrati. Volumus ut facias nobis Deum. Oportuit igitur ut Aaron ſatisfaceret impietati hujus populi: *Quas cùm ille accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Videamus autem, ſi placet, iſtud, Auditores, in modo procedendi Chriſtianorum. Ecce homo qui excidit è lite, quæ ipſi fuerat intenta: oportet ut ſolvat impenſas juſtitiæ; deeſt ipſi pecunia, urgetur tamen ad ſolvendum, alioquin adhibebitur adversùs ipſum violentia & coactio. Quid agit ipſe? Adit aliquem ex amicis ſuis, qui multum fuerat alias ipſi pollicitus circa affectum ſuum erga ipſum, & ait illi, Domine, doleo vehementer quòd tibi moleſtus videar, ſed agnoſcuntur amici medias inter neceſſitates: ipſa neceſſitas obſtringit me ad recurrendum ad te ut ad optimum amicorum meorum: excidi è quadam lite, urgeor ad ſolvendos ſumptus juſtitiæ, alioquin adhibebitur adversùs me violentia & coactio, hâc afficiar moleſtiâ ut viſurus ſim transferri domo meâ ſupellectilem meam per vicos & compita civitatis, ut in plateâ præcone inclamante voce contentâ divendatur in magnam confuſionem meam: Heu! Domine mi, ſalva famam meam, commoda mihi, ſi placet centum nummos. Sed ecce Dominus iſte complicat humeros ſuos, proteſtatur ſe compati afflictioni illius, quòd hâc afficitur ipſemet moleſtiâ, quòd non poſſit ipſum adjuvare, ſed quòd neceſſitates ſunt communes, tandem quòd non habeat pecuniam quam ipſi commodare queat. En iſta Domina, quæ vadit ad templum ornata ſicut Dea: accedit ad ipſam mendicus, qui petit ab ipſâ eleemoſynam, quâ emat panem, Heu, inquit ipſa, non deſunt mihi pauperes domi meæ, ad exercendam charitatem; eſt mihi familia numeroſa, cum Deus ita velit: amice mi, Deus auxilietur tibi: ecce praxis ordinaria Chriſtianorum. Sed ſi faciendus eſt vitulus aureus, ſi excipiendi ſunt tres aut quatuor guloſi in cauponâ, non deerit tunc pecunia, invenietur quidem nummus pro ſingulis erogandus;

ſed pro mendico qui eſt membrum Jeſu Chriſti, nihil invenitur. Si Dominus iſte vult facere pretioſum veſtimentum uxori ſuæ, non deeſt pecunia quæ impendatur ad conflandum vitulum aureum, qui eſt Deus iſtius Dominæ, faciendus eſt tunc conatus, & potiùs oppigneranda domus: & quare? Quia agitur de vitulo aureo, de Deo Dominæ iſtius. Eu, Auditores, uſus quem agitis bonorum veſtrorum, quandiu pauperes pereunt fame & frigore: fovens corpus quod corrumpitur, & deſeritis membra viva Jeſu Chriſti: & pro fruſto pomi derelinquitis gloriam cœli, more Protoplaſtorum

f Gen. 3. 6. noſtrorum, qui maluerunt *de fructu* f *vetito* comedere, quàm Dei voluntatem adimplere.

Sed videte num bonum faciatis uſum gratiarum Jeſu Chriſti. Certum eſt, quòd illarum æquè pariter eſtis boni diſpenſatores, ac bonorum fortunæ. Quis pudor mulieri recenter conjugatæ, ſi ipſa daret annulum nuptialem, quem ipſa ſuſcepit à viro ſuo ut arrham fidelitatis ſuæ, & in ſignū amoris ſui, alieno, erga quem ſecretas foveret ipſa flammas in teſtimonium affectuum ſuorum impudicorum? Quodnam crimen, ſi ipſa tribueret ei ornamenta ſua, ad fovendum commercium iſtud æquo liberius? Heu! Chriſtiane, iſtud eſt quod ipſemet agis: anima tua deſponſata eſt Jeſu Chri-

t Oſee 2. 20. ſto, *Sponſabo te mihi in fide* t. Ipſe tibi præbuit gratiam; quæ eſt pretioſiſſimum donorum omnium quibus cumulare te poſſit, quod donum meritis antecellit univerſas mundi divitias, cùm ſuſcepiſti Baptiſmum, in quo es *renatus ex aquâ & Spiritu*

u Jo. 3. 5. x Dion. Carthuſ. art. 8. in Joan. 3. 5. *ſancto*, ait S. Joannes u. Et Dionyſius Carthuſianus x, *Id eſt, ſpiritualiter regeneratus in fonte Baptiſmatis, ex aqua quæ eſt materiale elementum, corpus lavans, & diſpoſitivè regenerans, & Spiritu ſancto, qui eſt inviſibilis Actor intùs mentem purificans, & efficienter regenerans gratiam infuendo, quæ eſt res Sacramenti, & cauſa formalis intrinſeca hujus regenerationis.* Tu verò tribuis iſtud donum adultero, inimico Dei, dæmoni, & conculcas *Filium Dei, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducis, in quo ſanctificatus es, &*

y Hebr. 10. 29. *ſpiritui gratiæ contumeliam* y *facis*, cùm miſces in corde tuo affectus alienos erga creaturas. Cogita tantiſper de enormitate criminis tui: & ſi Deus eſt nimis liberalis erga te, noli inde capeſſere occaſionem infidelitatis ei reddendæ. Scito quòd amor tuus eſt illi acquiſitus, & quòd non potes illum alicui alij tribuere, quin ſis infidelis Deo. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & al-*

z Matth. 6. 24. *terum contemnet* z. Quod ſi malè inſumpſiſti gratias ejus, reverentiam ſaltem exhibe perſonæ illius. Amor Dei nunquam meliùs apparuit quàm in myſterio Incarnationis, in quo Deus non ſolùm gratiam ſuam dedit hominibus, ſed etiam adorabilem perſonam ſuam: & peccatum nunquam apparet magis injurioſum Deo quàm in hoc occurſu, in quo non diſſipat bona naturæ, vel gratias cœli duntaxat, ſed inſurgit in perſonam Jeſu Chriſti, & toties dat ei mortem, quoties peccator crimina

† Hebr. 6. 6. patrat, juxta illud Apoſtoli † de hujuſmodi peccatoribus ſic ediſſerentis, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.* Expergiſcere igitur, peccator, ad hæc verba, & ſi nondum didiciſti quouſque abit exceſſus ſcelerum tuorum, ſcito quòd pertingit uſque ad inferendam Deo mortem. Intuere amorem Dei, qui exceſſu ſuo impugnat exceſſum malitiæ tuæ, qui evertit univerſas leges Juſtitiæ ſuæ, ut inducat te ad amorem ſuum. Aſpice Deum, qui præ manibus tuis ponit omnes theſauros ſuos, & univerſa quæ habet, ad hoc ut operari valeas ſalutem tuam. Obſecro igitur te *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens ex al-*

* Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12. *to* *, ut non incipias ingratitudines tuas inde, unde ſuas ipſe perficit liberalitates; ſed potiùs generoſo conatu diſce facere bonum uſum gratiarum ejus in iſtâ vitâ, quæ te præparabunt ad gloriam illius in alterâ ſuſcipiendam.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Aſſumpta eſt Maria in cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Eccleſia.

HOdiernâ die taceo, cùm Angeli loquantur; & juremento mihi perſuadeo quòd in hoc occurſu ſilentium meum erit diſertius & eloquentius linguâ meâ, & verbo meo: ſi enim opus fuit ut Archangelus Gabriel annunciaret nativitatem B. Virginis ſuper terrâ, & revelaret parentibus ejus, quòd Deus exaudiſſet preces ipſorum, & quòd ſuſcepturi eſſent Puellam, quam vocarent Mariam, quæ foret Mater Meſſiæ & Salvatoris mundi; quod erat rectæ rationi conſonum, ut nimirum Archangelus hoc fauſtum nuncium afferret de cœlo, quod lætificaturum erat cœlum & ter-

a Gen. 18. 10. b Judic. 13. 7. c Luc. 1. 13. d S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip. ram, cùm nativitates Iſaac a, Samſonis b, & S. Joannis Baptiſtæ c annunciatæ fuerint ab Angelis parentibus eorum: & conſequenter orta *eſt de tribu Regis Davidis ſancta Virgo*; *ſancta*, ait S. Epiphanius d, *& ſanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim & Anna, qui quidem in vitâ ſuâ Deo placuerunt, atque etiam fructum ejuſmodi germinarunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul, & Matrem Dei: Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo: Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, propterea quòd Joachim & Anna gratiam acceperunt ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti: Joachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo: Anna verò gravida effecta, cœlum & thronum*

e ex Pſ. 98. 1. *Cherubicum* e *peperit, ſanctam Puellam Mariam: illa enim reperietur eſſe cœlum, templum & Thronus:*

f ex Luc. 2. 7. g ex Pſ. 141. 6. *quia Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem: peperit* f *enim Dominum, qui eſt ſpes* g *totius mundi, nempe Chriſtum*: potiori ratione putare debeo, quòd Archangelus eſſet neceſſarius ad annunciandam novam nativitatem ejuſdem B. Virginis Deiparæ in cœlo. Eſſem igitur temerarius in hâc occaſione, ſi vellem vobis diſcurrere de aſſumptione incomparabilis Mariæ in cœlum: decet ſpiritus beatos loqui de ingreſſu illius glorioſo & triumphante in Empyreum, quandiu homines terræ continere ſe debent in ſilentio. Diſſolvo linguam meam, Auditores, præ hac ſatisfactione, quâ me perfundit hæc cogitatio fiduciæ, quòd ſi perficere non poſſim diſcurſum iſtum linguâ Archangeli, ſim tamen illum incepturus verbis Archangeli dicentis eidem B. Virgini, *Ave Maria.*

Quòd gaudeat hodiernâ die totum cœlum, & Angeli paradiſi lætentur, & gratiarum actionibus incumbant, non miror, cùm acclamationibus vacent & applauſibus intuitu favoris qui aliquod augmentum gloriæ affert fœlicitati ipſorum: hæc eſt æqua compenſatio juſti obſequii ipſorum, & officii quo perfunguntur, agnoſcentes ſe devinctos B. Virgini Mariæ ob aſſumptionem illius in cœlum. Cœlum honoratur triumpho illius, & ingreſſus quem ipſa in eum facit, gloriam illius auget præſentiâ ſuâ: illuc ſuſcipiunt Angeli ſupremam Dominam ſuam, *Maria interpretatur Domina, & ipſa utique eſt cœli Regina, Domina mundi, quoniam Genitrix Dei*, ait Dionyſius Carthuſianus h. Et hoc poſt victoriam quam ipſa retulit de illo ſpiritu rebelli, cujus *cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram; qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* i. Sed Victoriam delineatam verbis illis, quibus ait Dominus *Deus ad ſerpentem, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum* k. *Mulier enim*, ſubdit Cornelius l, *eſt beata Maria Evæ filia: ſemen ejus eſt Jeſus & Chriſtiani: ſerpens eſt diabolus: ſemen ejus ſunt infideles, omneſque impii: ergo beata Maria contrivit ſerpentem: quia ipſa ſemper plena & glorioſa fuit victrix diaboli, omneſque hæreſes (quæ caput ſunt ſerpentis) in univerſo mundo contrivit*, ut canit Eccleſia. Quomodo igitur iſtâ fœlici die gaudio non exultarent Angeli? Quâ ratione cœlum non ageret diem feſtum? Quonam pacto Curia cœleſtis non incumberet actionibus gratiarum pro tanto & ſic inſigni favore, qui nunquam habuit ſimilem poſt aſcenſionem glorioſam humanitatis Verbi Dei *in cœlum* m. Cœli, aperite vos; portæ firmamenti, accendite ignes lætitiæ, & ingreſſum præbete illi, quæ pergit vos honoratum præſentiâ ſuâ: Angeli paradiſi, accurrite, compingite coronas, concinite hymnos & cantica, lætitiæ voces promite; Omnes Sancti cœli, properate ut interſitis iſti triumpho: Adorabilis Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, decernite in hoc domicilio gloriæ veſtræ, ſolemnitatem publicam ab omnibus ejuſdem manſionis incolis celebrandam, cùm hæc beata Virgo illuc aſcendat, ut augeat ibi ſatisfactiones illorum? Mortales, eritiſne ſoli die iſtâ qui non participetis iſta gaudia? nunquid non abſtergetis lacrymas veſtras? annon querelis veſtris fines imponetis? quereminine ſemper cœlo pro eo quòd vobis abſtulerit id quod vobis erat pretioſiſſimum ſuper terrâ? Non diffiteor: affectus doloris veſtri ſunt juſti, nec vitupero S. Bernardum n, cùm ad lacrymas invitat univerſam terram, quandiu totum cœlum gaudio perſonat, *Meritò proinde reſonat in excelſis gratiarum actio & vox laudis, ſed plangendum magis eſſe videtur. Quantùm enim de ejus præſentiâ cœlum exultat, nunquid non conſequens eſt ut tantùm lugeat hic noſter inferior mundus ejus abſentiam.* Nihil tamen intereſt, ſupprimo libenter, Auditores, omnes rationes quæ juſtificare poſſent dolores veſtros, & dico vobis cum eodem S. Bernardo immediatè pòſt, *Ceſſet tamen querela noſtra, quia nec nobis hic eſt manens civitas, ſed eam inquirimus* o, *ad quam hodie Maria benedicta pervenit: in quam ſi conſcripti cives ſumus* p, *dignum profectò eſt etiam in exilio, etiam ſuper flumina Babylonis* q, *ejus nos recordari, ejus communicare gaudiis, ejus participare lætitiam, maximeque eam quæ tam copioſo impetu lætificat hodie civitatem Dei* r, *ut ſentiamus & ipſi ſtillicidia ſtillantia ſuper terram* ſ. Hactenus igitur omnes ingentem anſam gaudendi, & Juſti & peccatores, & Angeli & homines, imò verò Deus ipſe & tota Trinitas, cum Maria non exaltetur hodie in gloriam niſi propter conſilia omnibus proficua, *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole.* t *Ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus* u, ait idem S. Bernardus x. Sed ne longiùs hunc diſcurſum protraham, illum termino ad Deum, & ad homines, & dico Primò quòd Maria aſcendit hodie in cœlum ut exerceat ibi officium Sponſæ SS. Trinitatis: ecce quantùm ad id quod ſpectat Deum, juſtum motivum ſatisfactionis Deo in hoc triumpho: Secundò, ut perfungantur ibi muniis Matris & bonæ Matris erga nos: ecce quantùm ad id quod hominum conſolationem reſpicit.

h Dion. Carthuſ. art. 2. in Luc. 1. 27

i Apoc. 12. 4. & 9.

k Gen. 3. 14. & 15.

l Cornel. in Gen. 3. 15.

m Marc. 16. 19.

n S. Bern. ſerm. 1. de Aſſumpt. B. V.

o ex Hebr. 13. 14. & ex Mich. 2. 10.

p ex Hebr. 12. 23.

q ex Pſ. 136. 1.

r ex Pſ. 45. 5.

ſ ex Pſ. 71. 6.

t Applicatio ex Joel. 2. 16.

u ex Pſ. 18. 6.

x S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1. Signum magnum &c.

Diviſio.

I. Pars.

Virgo ſanctiſſima ab iſtâ die fortunatâ aſſumptionis ſuæ in cœlum Empyreum fungitur officio Sponſæ SS. Trinitatis in favorem generis humani. Hæc eſt prior propoſitio mea, ad cujus probationem utor nominibus quæ S. Epiphanius attribuit Mariæ in ſermone quem concinnavit de Laudibus illius: quomodo putaretis quòd illam vocat? Facilem reddit propoſitionem meam per qualitatem quam illi præbet, & quæ jam probat id quod aſſero: appellat illam Sponſam adorabilis Trinitatis. Nolite me vituperare, Auditores: nihil aliud ago niſi ut referam fideliter verba ejus: *Sancta Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus.* Quòd ſi ipſa eſt Sponſa illius, quærere poſſumus quænam fuerint dona prævia nuptiarum ejus, & qualis dos illius. Ad quod reſpondeo cum eodem S. Antiſtite, eam accepiſſe pro donis Spiritum ſanctum, & pro dote gloriam cœli, *Quomodo Virgo invenitur eſſe cœleſtis Sponſa, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratiâ, cœlum unà cum paradiſo?* Quod ſi hodiernâ die ipſa ſit Sponſa SS. Trinitatis, videamus conſequenter quomodo perfungatur ipſa his muniis, cùm verum ſit iſtud quod ait Philoſophia, *Operari ſequitur eſſe.*

Nolite credere mihi, quæſo, quantùm ad id quod annuncio vobis circa hanc veritatem, cùm ego eandem non ſtabiliam, ſed Spiritus ſanctus, cui debemus omnem fidem, qui deſcribens in Eccleſiaſtico y præclaras qualitates quas habere debet bona ſponſa, inter eas obſervat quatuor, quarum prima eſt, ut ipſa debeat eſſe ſpecioſa, ut lenocinis ſuis abigens omnia tædia à ſponſo ſuo, repleat illum gaudio & lætitiâ, reddendo vultum illius ſerenum, poſt diſſipatas ab eo nebulas, quæ totum illius ſplendorem offundebant caligine, *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui.* Secunda proprietas ſponſæ, eſt, ut ſit ſapiens, & diſcreta in verbis ſuis, ut mitiget virum ſuum, & inducat illum ad manſuetudinem, reſtituendo illum in ſtatum pacificum quietis inter ardentiſſimas occaſiones iræ, *Si eſt lingua curationis, eſt & mitigationis, & miſericordiæ.* Tertia qualitas bonæ ſponſæ eſt, ut rem ſuam ſolicitè & cogitatè tractet, & œconomicè adminiſtret ſupellectilem domeſticam, ut augeat commoda viri ſui, & cum eo collaboret ad componendam prædivitem hæreditatem, *Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem.* Quarta & ultima proprietas, quam requirit Spiritus ſanctus à bonâ ſponsâ, eſt, ut remedia curandis infirmitatibus ſponſi ſui afferat opportuna, *Ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens.* Vel, *ingemiſcit æger*, ut vertunt

y Eccli. 36. 24. &c.

Digitized by Google

runt aliqui. *Mulieres enim ſunt vires miſericordiores,* ut Lyranus *a*. Ex iſtæ quatuor qualitates ſunt omnia officia & munia, quibus honoratur beata Virgo ut Sponſa SS. Trinitatis ex iſtâ die in cœlo in gratiam hominum.

a Lyran. in Eccli. 36. 27.

Nam primò, Si pulchritudo requiritur in Sponſâ ad mitigandum cor ſponſi ſui, ad ejicienda ex eo omnia tædia, quæ poſſent illum contriſtare, quæ unquam creatura poſſedit hanc Divinam qualitatem excellentiùs quàm B. Virgo, quam proclamare debemus ut puram productionem gratiæ, cui natura dedit cum profuſione totum id quod habebat rariſſimum & exquiſitiſſimum in theſauris ſuis, *Quia cæteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ*, ait S. Hieronymus *a*. Ipſa eſt ſpecioſiſſima omnium creaturarum, & non utitur hoc ſplendore Divino, hâc jucundâ qualitate niſi ad mitigandam iram Dei irritati contra peccatores. Homines criminibus ſuis exacerbant Deum, contriſtant *Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati in die redemptionis* b ſint: & hæc incomparabilis creatura lenociniis ſuis innocuis & ſuavibus conſolatur eum, illumque lætificat, ſic vultus ejus ita eſt ſerenus & jucundus ut S. Andreas Jeroſolymitanus *c* ſic eam ſalutet cum Angelo, *Ave gratioſa, Dominus tecum. Salve lætitiæ organum, per quod delicti noſtri condemnatio expiata eſt, ac veri gaudii plena facta compenſatio eſt. Salva ſis immenſi gaudij Genitrix. Gratioſam te dixi, quòd ſtola tua verè ſit gratioſa Divinorum donorum ſplendore.* Spiritus ſanctus adornavit eam omnibus gratiis ſuis, inſtar ſpecioſarum facierum Matronarum iſtius temporis, quæ lotæ aquis artificialibus, tanto ſplendore micant ut cor humanum vix impedire ſe poſſit quin eas diligat, ita potens eſt imperium pulchritudinis ut ſibi corda devinciat abſque ulla reſiſtentiâ, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna* d. Advertiſtiſne unquam id quod obſervat Textus *e* ſacer de filiabus Job? *Non ſunt inventa mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Job in univerſâ terrâ.* Quare cœlum gratificatum eſt filiabus iſtis tantâ pulchritudine? Myſterium fuit iſtud, Auditores, & arcanum adorabile Divinæ bonitatis; ideò ut è corde Job expellerentur tot faſtidia, quibus earum pater fuerat affectus, ut terminarentur tot lacrymæ quibus iſte perfuſus fuerat tempore infortuniorum quæ illum oppreſſerant *f*; pro efficaci remedio neceſſaria erat cordi afflicto miſeri Patris illius, in perſonâ filiarum ejus ſpecies extraordinaria. Hoc eſt ergo conſilium quod ſtatuit adorabilis Trinitas iſtâ die; ipſa capit B. Mariam in Sponſam, ut decore ſuo conſoletur ipſam in faſtidiis ipſius, & ipſam repleat gaudio & lætitia in omnibus occaſionibus moleſtiarum, quas ipſi cauſant peccatores peccatis ſuis; & iſtud eſt quod agit B. Virgo, ut *formoſa* g, & *tota pulchra* h, ſicut Spiritus ſanctus ait de bonâ ſponsâ, *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui.*

a S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. B. V. M.
b Epheſ. 4. 30.
c S. Andr. Jer. ſerm. in Annunciat. ex Luc. 1. 28.
d Pſal. 44. 5.
e Job 42. 15.
f Job c. 1. & ſeqq.
g Cant. 1. 5.
h Cant. 4. 7.

Secundum officium bonæ ſponſæ, ſecundùm Spiritum ſanctum, eſt quòd ipſa mitigare debet iram Domini domus; propterea Regina Angelorum facit hodie glorioſam ſuam aſſumptionem in cœlum; ob hunc finem eminentem SS. Trinitas deſponſat eam ſibi, ut habeat Sponſam, quæ in occaſionibus mitiget iram ipſius, cùm crimina & vitia hominum *ad iracundiam* i ipſam provocant, ipſamque inducunt ad capienda arma & ad ulciſcenda illorum peccata, quam iram ipſa continere non poteſt ſine lenimento ſapientis & eloquentis Sponſæ, idcircò Arnoldus Carnotenſis *k* ait, *Securum acceſſum jam habet homo ad Deum, ubi Mediatorem* l *cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera, Maria Chriſto pectus & ubera, nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni linguâ diſertiùs, hæc clementiæ monumenta, & charitatis inſignia. Dividunt coram Patre inter ſe Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inviolabile teſtamentum. Maria Chriſto ſe Spiritu immolat, & pro mundi ſalute obſecrat, Filius impetrat, Pater condonat.* Et Cornelius *m*, *Hæc enim cùm ſit Dei Patris Filia, Filij Dei Mater, Spiritus ſancti Sponſa, quidvis obtinet. Quid enim non impetret Filia à Patre, Mater à Filio, Sponſa à Sponſo?* Mirabiliter eloquens eſt Maria erga ſanctiſſimam Trinitatem ad mitigandos rigores ejus, & ad reddendam illam propitiam peccatoribus, innumeras allegans rationes, quæ faciunt ut experiantur illi effectus dulcedinis ipſius: ipſa eſt tota eloquens & convincens in eloquentiâ ſuâ: quod induxit S. Bonaventuram *n* ad dicendum, in Mariâ eſſe gratiam in exceſſu, virtute cujus ipſa mitigat iras Dei, eumque reddit ſuavem & beneficum, *Conſideranda eſt Mariæ gratia labiorum.* Et hoc eſt ſecundum officium bonæ ſponſæ, *Si eſt lingua curationis, eſt & mitigationis, & miſericordiæ.*

i Baruch. 4. 6.
k Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.
l 1 ad Timoth. 2. 5.
m Corn. in Act. 2. 14.
n S. Bon. in Specul. B. M. lect. 6.

Tertia qualitas bonæ ſponſæ eſt, ut ſuas impendat operas ad acquirenda & augenda bona & commoda ſponſi ſui, quia juxta oraculum Spiritus ſancti prædictum, *Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem.* Et ecce verum officium, quo beata Virgo perfungitur in cœlo ab ipſo fœlici ſuæ aſſumptionis die; ipſa ſuas omnes curas adhibet ad conciliandas animas Deo, invigilat ipſa converſioni peccatorum, tota incumbit ſaluti eorum promovendæ, univerſa ipſius conſilia non tendunt niſi ad incrementum hæreditatis Sponſi ſui, non quærit ipſa niſi animas, quas ipſa ſcit eſſe poſſeſſionem & ditiſſimos ac pretioſiſſimos theſauros Dei, ſatagit illas defæcare à rubigine quam contraxerunt ex peccatis ſuis, ut eas puras efficiat, & illas jucundas offerat oculis Divinæ Majeſtatis inſpiciendas, quod induxit Joannem Geometram *o* ad vocandam Mariam ſpongiam miſeriarum noſtrarum, dicendo ei,

o J. Geometr. hymn. 1. & 4. in Deip.

Gaude, quæ abſtergis vitij commenta nefandi
Humens humani ſpongia ut ingenij.
Noſtræ ſpongia nequitiæ.

Quia ipſa noſtras attrahit miſerias virtute ſuæ potentis interceſſionis, & jugiter elaborat ut nos puros & mundos reddat, ne pereamus involuti tenebris criminum & peccatorum noſtrorum.

Quartum officium bonæ ſponſæ ſitum eſt in hoc, ut ritè ſciat curare infirmitates ſponſi ſui, *Ubi non eſt mulier ingemiſcit egens*, dixit ſuprà Eccleſiaſticus. Et verſio, *ingemiſcit æger.* Cui applicari poteſt illud quod ſuprà dixit S. Bernardus, *Ut de plenitudine ejus, æger curationem accipiat.* Propter hunc autem eminentem finem Regina cœlorum aſcendit in Empyreum, ideò Deus deſponſat illam ſibi; *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis*, ut uſurpem præfata S. Epiphanij verba. Ut applicet remedium infirmitati ipſius curandæ opportunum. Sed quid? dicetis mihi; eſtne Deus æger? Etiam, Auditores. Auſcultate, ſi placet, quomodo S. Joannes *p* videtur aſſerere ſe audiviſſe Beatos qui deſiderabant & efflagitabant veluti ſanitatem Deo ſuo impendendam, *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.*

p Apoc. 7. 10.

& Agno. Sed quænam eſt hæc infirmitas? Ut illam ritè concipiatis, obſervate, ſi placet, quòd in Canticis q (q Cant. 1. 2.) dicitur Deus habere ubera, *Meliora ſunt ubera tua vino*. Atqui hæc ubera tument, & ſunt penitus repleta favoribus, gratiis, & miſericordiis; & cùm peccatores renuunt præ pertinaciâ illis uberibus adhærere, & nolunt ex illis ſugere lac iſtud admirabile, quo ipſe comprimitur, ipſemet Deus æger efficitur propter hanc nimiam abundantiam lactis miſericordiæ, *Aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat* r (r Iſai 59. 16.). Et in hoc ſenſu Sancti deprecari videbantur pro ſanitate Dei, ſicut Joannes audivit in revelationibus ſuis. In hoc igitur conſiſtit officium B. Virginis, hujus ſapientis Sponſæ, nimirum in curandâ infirmitate Sponſi ſui, quærendo ei, & adducendo ad eum undequaque peccatores, ut eos alliget uberibus illius, & illos ſugere faciat copioſè lac abundans miſericordiæ ejus; ſicut quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd nutrix incipit ægrotare, cùm alumnus ipſius, affectus faſtidio renuit adhærere uberibus ipſius, ipſamque exonerare à lacte, quod ipſam comprimit, eique dolorem cauſat; propterea quærit ipſa inter vicinas ſuas aliquem alumnum, qui ipſam ſublevet, defectu cujus tenetur ipſa ſumere catulos, ſeu exiguos canes, qui adhærentes uberibus ipſius, ea exonerant à gravitate illorum, & ipſi levamen afferunt. Ecce officium Mariæ incomparabilis, Sponſæ iſtius cœleſtis & Divinæ; confeſtim ac ipſa videt quòd Sponſus ſuus incipit ægrotare propter abundantiam lactis miſericordiæ ſuæ, & quòd peccatores voluntariè ablactent ſe ab uberibus ejus, æquè ac criminosè, ipſa adducit ad eum canes Argeriâ, & Conſtantinopoli, Mauros, Turcas, & infideles, qui in Scripturâ vocantur canes, ſicut Dei Filius dixit mulieri Chananææ, quæ erat infidelis, nempè à partibus *Tyri & Sidonis*, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Qui canes converſione ſuâ ſolantur ac ſublevant Sponſum hunc Divinum, quandiu ſugunt pretioſum iſtud lac, quod ipſe prodigè in nos effundit, & nobis communicat, *Ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens*, dixit ſuprà Eccleſiaſticus. Vel, *ingemiſcit æger*, juxta verſionem aliquorum. *At illa*, id eſt, Chananæa, *dixit*, *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſâ Dominorum ſuorum* ſ.

(ſ Matth. 15. 22. &c.) Ecce igitur quatuor officia, quæ B. Virgo, ut bona Sponſa, exercet in cœlo Empyreo in gratiam hominum, & quæ utſic illos inducit hâc die fortunatâ triumphi ſui, & glorioſæ exaltationis ſuæ, ut jungentes voces ſuas vocibus Angelorum, grates rependant Deo pro favore, qui cùm ſit ipſis communis, debet eſſe publicus, *Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum*. Utilitates, quæ nobis proveniunt, & quas hâc die glorioſâ ſuſcipimus, obſtringunt nos omnes ad gaudia, ad lætitias, & ad acclamationes. Si *ſancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus*; & ſi hæc *Virgo invenitur eſſe cœleſtis Sponſa & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratiâ, cœlum unà cum paradiſo*, ſicut ſuprà dixit S. Epiphanius: & ſi Sponſa poteſt diſponere de dote ſua ſecundùm beneplacitum viri ſui, & in favorem cujuſcumque ipſi placuerit, præ liberalitate ejuſdem ſponſi ſui, juxta diſpoſitionem Juris, & conſuetudinem regionis in quâ ipſa commoratur & vivit: cùm B. Virgo Mater, æquè ac Sponſa, ſit Domina cœli, regionis favoris, gratiæ, & miſericordiæ, & datus ſit ipſi pro donis antenuptialibus theſaurus Spiritus ſancti, & pro dote paradiſus, & omnes portæ cœli aperiantur omnino ad nutum ipſius, quis ambigit quin boni & fideles ſervi ipſius, qui rogati noverint reddere teſſeram excubiarum, quæ eſt affectio, quâ ducti fuerint erga ipſam, & erga obſequium ipſius, & deſiderium ipſi complacendi, illuc ſtatim admittantur? Re enim verâ per manus ejus tranſit omnis fœlicitas, quam ipſa fluere facit ſuper nos. Proptereà ſic illam ſalutat paulò poſt idem S. Epiphanius t (t S. Epiph. ſerm. de Laud. D. ip.) poſt Angelum, *Ave gratiâ plena* u (u Luc. 1. 28.), *quæ es urna aurea continens manna* x (x ex Heb. 9. 4.) *cœleſte. Ave gratiâ plena, quæ ſitientes perennis fontis dulcedine ſatias*. Gaudeamus igitur iſtâ die glorioſâ triumphi ejus, cùm, præterquam quòd eſt illi ſplendens, ſit etiam nobis proficua, eò quòd hâc eâdem die exercens iſta B. Virgo officium Sponſæ SS. Trinitatis, perfungatur etiam in favorem noſtrum munijs bonæ Matris, & iſtud eſt quod nobis ſupereſt diſcutiendum in hâc poſteriori parte.

B. Virgo Maria eſt Mater noſtra, & ipſa exercet (II. Pars.) iſtud officium in gratiam noſtrî ex iſtâ die in cœlo, hæc eſt ſecunda mea propoſitio. Ipſa eſt Mater noſtra: hæc propoſitio manet omnino conſtans, & negare nemo poteſt, quòd cùm ſit *Jeſu Mater* y (y Jo. 19. 25. &c.), ipſa non ſit etiam Mater omnium filiorum ejuſdem Salvatoris, quia, juxta axioma Philoſophicum, *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*. Quòd ſi Scriptura ſacra aſſerit, quòd Sara genitrix fuit omnium Judæorum, quia *peperit Iſaac* z (z Gen. 21. 2. & 3.), è quo omnes Judæi deſcenderunt, & orti ſunt ſicut rami è trunco ſuo, quemadmodum vir ejus Abraham *pater eſt omnium noſtrûm* a (a Rom. 4. 17.), id eſt, Judæorum, ait S. Paulus, qui erat *vir Judæus* b (b Act. 22. 3.) ortus ex eodem Iſaac (*ſicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te* c (c Rom. 4. 17. ex Gen. 17. 5.): & ſi Deus teſtatus eſt Rebeccæ nurui ejuſdem Saræ, quòd ipſa duos geſtaret populos in viſceribus ſuis, qui præliaturi erant ſimul in alvo ipſius, id eſt, duos geminos Eſau & Jacob, quibus ipſa tunc erat fœta, *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur* d (d Gen. 25. 23. &c.): quare potiori ratione incomparabiliter non aſſeremus, quòd B. Virgo habens *in utero* e (e Matth. 1. 23. ex Iſai 7. 14.) ſuo Filium Dei, habebat in eo ſimiliter totum populum Chriſtianum? *Ipſa nubes* f (f ex Iſai. 19. 1.) *tenuis & formoſa, quæ fulgur interius in utero geſtat: ſermonique meo atteſtatur Divina Scriptura* g (g ex Cāt. 7. 2.), *dum ait, Venter tuus acervus frumenti vallatus in liliis. Ipſa eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti ſuſcipiens, etiam manipulum germinavit*, ait S. Epiphanius h (h S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.). Cujus conceptum ſic elucidat de Ponte i (i De Pōt. lib. 9. in Cant. 7. exhort. 11. parag. 2.), *Virtute enim Altiſſimi obumbrante* k (k ex Luc. 1. 35. &c.) *concepit in utero, atque portavit in ventre Chriſtum Dominum, qui ſe grano tritici comparavit, cùm dixit, Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolùm manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert* l (l Jo. 12. 24.). *Propter quod, ut dicit S. Ambroſius* m (m ex S. Ambr. lib. de Inſtitut. Virg. c. 14.), *venter Virginis dicitur acervus tritici, non terreni, ſed cœleſtis: nam deſcendens de cœlo, & cadens in terram uteri Virginei, cùm poſteà mortuus eſt in cruce, fructum attulit, non tantùm conteſimum* n (n ex Matt. 13. 23.), *aut milleſimum, ſed quem nullus poſſet numerare. Ejus enim fructus ſunt omnes Sancti, qui ab initio mundi uſque ad finem gratiam, & gloriam adepti ſunt, vel adipiſcentur. Unde etſi beatiſſima Virgo unum tantùm conceperit Chriſtum, unicumque duntaxat receperit tritici granum, venter ejus tamen acervus tritici nominatur, quia in illo uno coacervantur innumeri: ſi enim Anna, Samuelis mater, etſi unum tantùm genuiſſet filium, laudans Deum canens ait, Donec ſterilis peperit*

o 1 Reg 2 5.

plurimos o, quia ille unus pro pluribus computabatur; quantò magis glorioſiſſima Deipara poſſet dicere: Quoniam Virgo peperit plurimos, etſi unum tantùm pepererit, in quo tamen continebantur innumeri? imò omnes quotquot fuerunt, & erunt filij huic non æquiparantur. Propter quem etiam virgineus uterus vocatur vallatus liliis, id eſt, ipſomet Filio, quem portabat, qui ſe vocat lilium convallium p; & quàmvis unum ſit, tamen plura lilia vocatur, & acervus liliorum, ſicut & granorum tritici, quia ipſe omnia Virginum lilia germinavit. Ita hunc locum interpretatur S. Ambroſius, dicens, *In quo Virginis utero ſimul acervus tritici, & lilij flores gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat, & lilium, &c.* Quis igitur ambiget vocare Mariam Matrem omnium illorum qui Patrem habent Redemptorem, qui vocatur *Pater futuri ſæculi* q? Iſtud eſt clarius ipſo Sole coronato radijs ſuis ſplendentibus, & quod ideò induxit Guerricum r ad dicendum, *Nata eſt hodie Mater nova, quæ primæ matris maledictionem diſſolvit: ut per iſtam benedictionem hæreditatem poſſideant, qui per illam ſub præjudicio maledicti æterni fuerant nati.* Iſtud eſt pro comperto, & non eſt aliquid certius hâc veritate, quam nemo ſanæ mentis compos debet in dubium revocare, quin ſcilicet B. Virgo, quæ eſt Mater Jeſu Chriſti, ſit etiam Mater omnium hominum. Nihil amplius ſupereſt ſuper hoc dicendum, quo benè ſtabilito in mentibus noſtris, videamus duntaxat quomodo hæc Imperatrix cœli exerceat omnia bonæ Matris officia, cum, ſicut diximus, ferat axioma Philoſophicum, *Operari ſequitur eſſe.*

p ex Cât. 2. 1.

q Iſai. 9. 6.

r Guerric. ſerm. 1. de Nativit. B. M. V.

Niſi metuerem ne nimis prolixus eſſem, & fatigarem patientias veſtras protractione diſcurſus faſtidioſi, facilè vobis oſtenderem deſideria & bonas voluntates, quibus hæc S. Virgo ſemper erga nos fuit affecta, quomodo nos ipſa concipiat in ſinu ſuo, quâ ratione nos ipſa deferat in viſceribus ſuis, tempus partus ipſius, dolores quos ipſi cauſavimus ut alij *Benoni, id eſt, doloris* ſ ipſius filij, eo momento quo ipſa nos parturivit. Præ veſtræ mentis oculis etiam ponere poſſem curas, quas ipſa adhibuit ad nos ritè educandos & inſtituendos, blanditias quibus ipſa ſibi nos devincit, ſuavia oſcula quæ ipſa nobis imprimit, quomodo ipſa nos deferat inter brachia ſua, quo pacto ipſa nos alat lacte ſuo per infantiam noſtram, & præbeat nobis ſolidum cibum juxta quod in ætatem provehimur: deducere poſſem vobis ſanctas ſolicitudines ipſius quantùm ad omne illud, quod nos ſpectat, quomodo ipſa nobis providet univerſa neceſſaria ad ſublevandas indigentias noſtras affectu incredibili, quâ ratione nobis ipſa procurat illud omne, quod concurrere poteſt ad profectum noſtrum corporalem, æquè ac ſpiritualem; tandem, quo pacto cuſtodit ipſa nobis hæreditatem noſtri Patris cœleſtis, faciens illam accreſcere tempore minoritatis noſtræ, donec ipſa noſtris committat manibus directionem bonorum noſtrorum, & videat nos in ſecurâ fruitione noſtræ fœlicitatis, quam ipſamet nobis procuraverit. Eximiam Matrem! Ha! Auditores, quàm multùm ſumus illi obſtricti pro curis quibus afficitur erga nos. Debemus illi nativitatem noſtram, alimur lacte ejus, & animamur ſpiritu illius, ipſa noſtræ invigilat cuſtodiæ, & nos deſtinat ad Regiam dignitatem in cœlo cum ipſâ & cum Filio ipſius poſſidendam. Quantâ fœlicitate donamur, ut habeamus talem Matrem. Sic eſt, Auditores: nunquam talis viſa eſt tota natura mater iſti ſimilis: revocate tempus præteritum, legite hiſtorias, petite ab antiquitate, & certus ſum quòd nunquam reperietis matrem quæ mereatur cum iſtâ comparari: quin imò, abſque timore iſtud dico, Ponite vobis ab oculos veſtræ mentis, optimam matrum omnium quæ fuerint unquam in mundo, aut, ut dicatur meliùs, Imaginamini matrem, quæ habeat corda & affectus univerſarum matrum totius orbis, vix judicabitis quòd illa mereatur nomen matris, ſi comparetis eam Mariæ, ſi conſideretis ejus curas, & affectum extraordinarium quo affecta perfungitur omnibus officiis bonæ & jucundæ Matris. Intueor in veteri Fœdere Matrem, quæ filium ſuum diligit ut viſcera ſua, & cujus abſentiam vix poteſt ipſa ſuſtinere, ita ut jugibus perfundatur ipſa lacrymis, quas interrumpere non poteſt, cogitans eum ſuis ereptum conſpectibus, *Flebat mater* Tobiæ *irremediabilibus lacrymis, atque dicebat. Heu heu me fili mi, ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis* t. Aliam video, quæ omnes ſuas curas adhibet ut filius ſuus Salomon habeat ſucceſſionem Regni patris ſui Davidis, *Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad Regem in cubiculo. Quæ cùm fuiſſet ingreſſa coram Rege, & ſtetiſſet ante eum, juravit Rex, & ait, Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtiâ, quia ſicut juravi tibi per Dominum Deum Iſrael, dicens, Salomon filius meus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium pro me: ſic faciam hodie* u. Alia mater procurat filiis ſuis primas ſedes Regni, quod imaginatur ipſa poſſidendum à Jeſu Chriſto in iſto mundo, *Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei; Quid vis. Ait illi, Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo* x. In novo Teſtamento canit Eccleſia, *Monica, ſancti Auguſtini dupliciter mater, quia eum & mundo & cœlo peperit; in aſſiduis ad Deum orationibus pro filio qui in Manichæorum ſectam inciderat, lacrymas effundebat: quem etiam Mediolanum ſecuta eſt: ubi ipſum frequenter hortabatur, ut ad Epiſcopum Ambroſium ſe conferret. Quod cùm ille feciſſet, ejus & publicis concionibus, & privatis colloquijs Catholicæ fidei veritatem ab eodem edoctus, baptizatus eſt.* Illæ fuerunt quidem bonæ matres in terrâ, inter innumeras alias, quas omitto: ſed, ut verum fatear, non merentur vel ipſum nomen Matrum, ſi comparemus illas cum incomparabili & bonâ Matre noſtrâ B. Virgine: præfatæ omnes curæ illarum non ſunt niſi glacies intuitu ardorum iſtius, aut, ſi velitis, non ſunt ampliùs quàm exigui ignes qui diſparent coram iſtâ magnâ fornace, quæ ſic vocatur à S. Epiphanio y, *Clibanus intellectualis, qui ignem z & panem vitæ a calidum mundo in eſum attulit, de quo Salvator mundi Chriſtus ait, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur b in remiſſionem peccatorum. Locuples eſt, Chariſſimi, virtutibus plena menſa Virginea, optimis quibuſcunque cibis abundans, quibus terra fruatur.* Quòd ſi hæc bona Mater nos ita dilexit quandiu adhuc viatrix erat in hâc vitâ mortali, ſi ſic commodis noſtris invigilavit promovendis; quid non aget nunc cùm beata eſt in cœlo? ibi ipſa poteſt id omne quod ipſa vult. Ut Sponſa SS. Trinitatis, ibi poteſt omnia. Nec eſt aliquid quod ipſa non velit ut bona Mater quæ quærit id quod eſt filiis ipſius proficuum. Quòd ſi domicilium gloriæ collocat nos in ſtatu perfectionis conſummatæ, ſi ibi noſtra charitas eſt ardentior, & jure merito, cùm gratia perficiat naturam,

ſ Gen. 35 18.

t Tob. 10. 4. & 5.

u 3. Reg. 1. 15. &c.

x Matth. 20. 20. & 21.

y S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

z ex Luc. 12. 49.

a ex Jo. 6. 48.

b ex Mat. 26, 26.

& gloria det utrique ultimum complementum, ha quid non ſperare debemus de curis hujus bonæ Matris ! Profectò cùm ſic tenerè nos dilexerit in mundo, nos ardentiùs diliget in cœlo, quò non aſſumitur hodie, niſi ut ex illo loco elevationis meliùs noſtras intueatur neceſſitates, eiſque promptiora æquè ac opportuniora ſublevandis applicet remedia. Aſcendit igitur in Empyreum ad hunc finem, ut ibi ſit nobis favorabilior, & effundat ſuper nos ſuaviſſimas & benigniſſimas influentias ſuas, ut ſuper hæreditatem Filii ſui, & ſuper productiones curarum ſuarum.

Mater incomparabilis, quàm immodicè tibi ſumus obſtricti ! Ha ! id dico ad confuſionem filiorum tuorum; obligationes quibus tibi ſunt devincti, prætergrediuntur ipſorum merita, & magnitudo beneficiorum tuorum quæ ipſos opprimit, reddit ipſos impotentes ut tibi debitas pro illis rependant gratiarum actiones. Sed quanti debetis æſtimare, Chriſtiani, ut ſitis filij ſic dignæ Matris ? quanti ducere debetis hunc favorem, & hunc titulum, quem præponere debetis cuilibet aliî, quantùmvis excellenti, quem poſſidere valeatis in hoc mundo ? Filij quanam debetis . . . erga Matrem ſic dignam reverentia, & quanto ardore erga obſequium . . . Ipſa jugiter vigilat ſuper vos, ut à vobis a . . . at id omne quod vobis eſſe poſſet noxium, & invehat ſuper vos totum illud quod vobis poteſt eſſe proficuum, inſumens omnia entia, & univerſas creaturas cœli & terræ ad amplectendam cauſam veſtram, ad tuendos vos, voſq; reddendos victores de cunctis conatibus hoſtium veſtrorum, qui veſtram moliuntur jacturam: filij eritiſne immemores tot curarum, ingrati intuitu tot beneficiorum, obliviſcendo blanditiarum ſic bonæ Matris ? Ha ! audacter illud dico, Tales eſſe non poteſtis, niſi ſtatim ſitis adulterini, & immanes, & ideò indigni qui præ vobis feratis titulum filiorum ſic dignæ Matris. Si autem ferre velitis hoc nomen filiorum cum veritate, imitamini hanc bonam Matrem, ſequimini exemplum ejus, adhærete veſtigiis illius, diligite id quod ipſa dilexit, & abhorrete ab illo quod ipſa ſuis dignum judicavit odijs: alioquin aſſeram de Matre id, quod Apoſtolus *e* edixerit de Filio, *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Id eſt, Si non conformetis vos Spiritui Mariæ, non pertinetis ad illã, & falsò qualificatis vos glorioſo filiorum ejus titulo: Monſtrate igitur praxibus veſtris, & imitatione eximiarum virtutum illius, vos eſſe veros filios ejus, ut dici poſſit de vobis ſingulis intuitu actionum veſtrarum id, quod ait S. Auguſtinus *d* de hâc Deiparâ, & de Filio ipſius Divino, *Qualis eſt Mater, Talis Filius.* Reveremini eam, afficimini erga obſequium illius, diligite illam ut bonam Matrem veſtram, & ipſa diliget vos ut veros filios ſuos, providendo vobis, prout potens, omnia neceſſaria in tempore, & in æternitate. In tempore, filii Mariæ, quânam re indigetis ? Heu! intueor vos innumeris periculis expoſitos, & addictos ſuſtinendis infinitis infortuniis quæ capitibus veſtris imminent, peſtis vos . . . , ſames præ veſtris eſt foribus, bella vos deſolant, bona Mater, ad ima altarium tuorum procumbunt filij tui, adeuntes aſylum clementiæ tuæ; *Monſtra te eſſe Matrem, mala noſtra pelle, bona cuncta poſce.*

e Rom. 8. 9.

d S. Aug. ſerm. . . . F . . . in Eremo.

Adorabilis Maria, cujus nomen *interpretatum Maris ſtella dicitur, & tibi Matri Virgini convenienter aptatur, nobilis ſtella ex Jacob orta e*, prout aſtrum boni augurij, diſſipa benignis aſpectibus tuis omnia funeſta phenomena, quæ nihil præſagiunt nobis boni. Imperatrix cœli, protege Galliam, cujus es ſumma Domina: Chriſtianiſſimus Rex noſter non tenet coronam ſuam niſi è manu tua, cùm honoratiſſimus pater ſuus Ludovicus XIII. actu juſtitiæ ſuæ, ut meliùs repleret nomen Juſti, quod ferebat, conſecraverit tibi ſceptrum ſuum, coronam ſuam, & Statum ſuum, ita ut ex decentiâ & quaſi intuitu proprii commodi tui teneatis invigilare conſervationi Regni illius, æquè ac tui: actus juſtitiæ eſt, reddere unicuique quod ſuum eſt: Ludovicus Juſtus offerendo tibi populum ſuum, & Statum ſuum, ſanctè exercuit hunc actum juſtitiæ, tibi tribuit coronam quæ tua erat à longo jam tempore, conſecravit tibi nationem quæ pridem tua erat: ſapientia hujus magni Regis æternæ memoriæ, adæquat ſplendorem juſtitiæ ipſius, eligendo diem tuæ glorioſæ Aſſumptionis, quæ eſt dies tuæ coronationis in cœlo, ut meliùs te redderet Reginam Status ſui, faciendo conſecrationem, quam Angeli celebrant in cœlo, ſicut illam colere debent homines ſuper terrâ. Conſilium Regis illius tendebat ad obtinendam pacem: Hæc eſt etiam ſupplicatio quam tibi proponunt omnes boni Galli, ſubditi ejus, & filij & alumni tui proſtrati præ pedibus tuis, *Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis f.* Bona Mater, *cœli & terræ Mediatrix, unionem naturaliter g* perage noſtrî cum Deo: & ſic nobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus h.*

e S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt. *x* Num. 24. 17.

f Pſal. 121. 7.

g S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

h Pſal. 83. 12.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Deus, gratias ago tibi. **Luc. 18. 11. &c.**

NOn ſum ſapientior Salomone, propterea decidere nolo id quod ipſe non potuit comprehendere. Princeps iſte, qui ſapientiſſimus fuit omnium Regum, & univerſorum hominum, cùm ipſemet dicat de ſe, *Ecce præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Jeruſalem a*, & dicat alibi de eo Scriptura ſacra *b*, *Dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris: & præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus*; proteſtatur ſe inveniſſe in extenſione omnium creaturarum, tres res quæ exagitaverunt ipſius mentem, & omnino ſe ignoraſſe quartum, dicens, *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio maris, & viam viri in adoleſcentiâ c.* Ingenuè fatetur iſte Monarcha ſe non potuiſſe intimè pervadere inceſſus adoleſcentis qui deſerit domum patris ſui, ut ſe dedat diſſolutioni: *In adoleſcentiâ namque ſanguine fervente, cogitationes, deſideria, verba, & opera adoleſcentium*

a Eccl. 1. 16.

b 3 Reg. 4. 29. & 30.

c Prov. 30. 18. & 19.

um inveſtigabiliter ineffabiliterque mutantur, ait Dionyſius Carthuſianus *d*. Adoleſcens iſte nequam & æquo liberior, cum tanto ardore fertur ad malum, ut diceretis quòd nunquam cognoverit virtutem, & quòd vitium eſt ipſi æquè naturale ac vita. Non ambigam etiam, Auditores, fateri ignorantiam meam poſt iſtum Principem, & ingenuè propalare ſtuporem quo perculſus ſum ſuper modum procedendi peccatoris, quem Deus fecerat filium ſuum adoptivum per mortem ſuam, & per gratiam ſuam, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* e. Quem fecerat liberum, relinquens *illum in manu conſilij ſui* f, ut eſſet ipſi ſubditus, & beatus per hanc ſubmiſſionem: & qui tamen deſerit directionem Dei, ut ſequatur motum paſſionum ſuarum: non ideò quòd Deus non obtulerit ei gratias ſuas, cùm, ut dicebam vobis Dominicâ præcedente, ponat præ manibus ejus omnes theſauros ſuos; & non ſe fecerit hominem *in utero* g B. Virginis Mariæ, quàm ad præparandam ei abundantiam gratiarum ſuarum, pro quâ debet illi gratias agere, more Phariſæi Evangelij noſtri, *Deus, gratias ago tibi*. Sed gratiarum, quibus eadem Maria fuit prima repleta, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria*.

d Dion. Carthuſ. art 30. in Prov. 30. 19.
e Joan. 1. 12.
f Eccli. 15. 14.
g Matth. 1. 18. & & 23. & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
h Luc. 1. 28.

Omnes inclinationes quibus ducimur erga res extraneas, ſunt motus, quos natura nobis imprimit, eo fine ut nos inducat ad procurandas perfectiones naturæ noſtræ, propter inquiſitionem & acquiſitionem boni quod eſt ipſi congruum, & quod ipſi deeſt. Hæc inclinatio eſt generalis omnibus ſtatibus qui ſunt productiones naturæ: Sic lapis habet motus ſuos qui ipſum ferunt & ipſum inclinant ad centrum ſuum, in quo invenit quietem ſuam: Sic hedera ſuper noſtros aſcendit parietes, & eis adhæret veluti tot manibus, quot emittit funiculos, ad quærendum locum quem non haberet, ſi reperet ſuper terram. Et eadem inclinatio quæ inducit entia ad quærendam perfectionem ſuam, animat ipſa ad fugiendum id omne quod ipſis eſſe poteſt damnoſum: Sic animalia inter infinitatem herbarum comedunt ſolùm eas quæ ſunt juxta guſtum ipſorum, & relinquunt eas quæ ſunt ipſis contrariæ: Sic canes & equi ſequuntur eos qui ipſis benefaciunt, & armant ſe ac generoſos faciunt conatus adversùs eos qui vellent ipſis nocere: Sic parvus agnus inter numerum multorum animalium, inviolatè pergit ad matrem ſuam, & fugit lupum, licèt illum nunquam viderit, aut expertus fuerit illius inſultationes & impetus. Hæc propenſio quæ eſt communis toti naturæ, non eſt minùs generoſa in homine, quæ, ſicut ipſe ſe cognoſcit ratione, quæ ipſum diſtinguit, & extollit ſupra alias creaturas, ſic & ſenſibiliores dat effectus iſtius inclinationis naturalis, quæ animat omnes ipſius actiones ad proſecutionem illius quod ipſi blanditur, & immodicas agit violentias adversùs id omne quod ipſum poteſt impedire. Nulla requiritur alia probatio veritatis iſtius, quàm modus procedendi generalis omnium hominum, quorum actiones non terminantur niſi ad inquiſitionem alicujus boni, aut voluptatis, & ad fugam alicujus mali, vel moleſtiæ. Sed id quod eſt admirabilius in œconomiâ naturæ, eſt, quòd ipſa non imprimit ſolùm hos motus ſecretos entibus ut incumbant acquirendæ perfectioni ſuæ, ſed ipſa etiam urget ea ad ſe elevanda ſupra conditiones ſuas, & ad aſpirandum ad ſtatum nobiliorem eo quem poſſident. Obſervate, ſi placet, hanc ambitionem ſecretam in modo procedendi uniuſcujuſque è nobis. Quàmvis terra ſit omnium creaturarum graviſſima, aſpirat tamen ipſa ſecretâ ambitione ad vitam; ſic ipſa ſuaviter illabitur plantis per nutritionem quam eis communicat, per radices, & per exiguas venas, quæ ad eam aperiunt ipſi acceſſum: Plantæ non ſunt contentæ eſſe vivente & vegetabili quod poſſident, ſed aſpirant ad ſenſitivum, & ſic emittunt caules ſuos, aperiunt folia ſua, & expandunt flores ſuas, ut inducant animalia ad ipſa devoranda, ad hoc ut acquirant per converſionem ſubſtantiæ ſuæ, ſtatum nobiliorem ſtatu ſuo originali, nimirum eſſe ſenſitivum, quod eſt elevatum uno gradu ſupra vegetabile: Et arbores non ferunt fructus niſi propter eundem finem: Animalia quæ non ſunt hominibus inferiora niſi ratione, hoc unico duntaxat gradu, ſuas impendunt jugiter operas ad hoc ut imitentur homines eoſdem in actionibus ipſorum, & tantam præ ſe ferre videntur induſtriam, ut perſæpè putaretur quòd non deſit ipſis niſi verbum ad ſe explicanda, & ad nos edocendos ſe acquiſiviſſe quandam veluti ſpeciem rationis, quæ eſt regula omnium operationum ipſorum. Unde videns quòd tota natura muta, & ſenſibilis non ſolùm ducitur inclinatione ſuæ perfectionis acquirendæ, ſed etiam fert in intimâ eſſentiâ ſuâ ſecretam ambitionem ad ſe elevandam; & ad acquirendum ſtatum nobiliorem & excellentiorem eo quem ipſa poſſidet: atqui licèt appareat hæc inclinatio in omnibus entibus animatis, & inanimatis, ſplendet ipſa præ majori admiratione in homine, qui eſt natura rationalis: homo enim videns ſe elevatum ſupra omnes creaturas, & ſolùm inferiorem Deo, aſpirat ad conditionem ejus: & licèt poſſideat rationem & libertatem cum illo, prætendit tamen ad qualitatem, quam non habet, nimirum, ad independentiam à ſupremâ majeſtate Dei: & licèt ipſius fœlicitas, ut videbitis in ſequelâ diſcurſus iſtius, ſita ſit in hoc ut adhæreat & uniatur ipſe Deo, vult tamen ab illo ſe ſeparare præ ingratitudine intolerabili, nedum ei gratias agat pro hoc beneficio, cum Phariſæo Evangelij noſtri, *Deus, gratias ago tibi*. Licèt hæc diviſio futura ſit cauſa omnium infortuniorum ipſius. Sed, ut ait Dionyſius Carthuſianus i, *Mirum alicui poteſt videri, cur, unde, & quomodo iſte Phariſæus ſuit ſuperbus, qui bona ſua Deo adſcripſit tanquam Datori, & ei gratias egit? Sed multiplici laboravit ſuperbiâ. Primò, quia etſi omne bonum cognovit eſſe à Deo, bona tamen ſua ſibi à Deo præſtita æſtimavit, non ſolùm ex Divinâ clementiâ, ſed etiam pro ſuâ induſtriâ, ſive juſtitiâ. Secundò, quia ex verbis gratias egit, tamen mente ad ſeipſum reflectebatur, videri cupiens & laudari, imò & de ſuâ gratiarum actione vanitatem concepit. Tertiò, quia de bonis ſuis ſuper alios inſipienter ſe extulit. Quartò, quoniam alios temerè judicavit & ſprevit, ſpecialiter publicanum, cujus interiora non vidit. Qui ſicut peccator advenit, ſic peccator reverſus eſt, imò major peccator quàm antè, quia in templo multa incidit peccata, ut patuit. Quia omnis qui ſe exaltat per ſuperbiam, id eſt, magnum & præclarum vanè ſe reputat, laudem cupit humanam,*

i Dion. Carthuſ. art. 41. in Luc. 18. 11. &c.

manam, ad prælationem, honores, excellentiam ſuiipſim aſpirat: humiliabitur, id eſt, à Deo Judice deprimetur, reprobabitur, atque in tartarum dejicietur poſt vitam præſentem, niſi ſe interim per pœnitentiam veram ſponte humiliet. Et quia, ut ait idem Carthuſianus, *Phariſæi erant Religioſi Judæorum, ſicut nunc Monachi Chriſtianorum, erantque Phariſæi ab aliis in habitu, in obſervantiis multis, caltuque Religionis diſtincti, propter quod dicebantur Phariſæi, id eſt, diviſi, eratque Secta eorum inter Judæos celebris & famoſa: Unde in Actibus* k *Paulus fatetur, Secundùm certiſſimam Sectam noſtræ Religionis vixi Phariſæus:* Ex hâc diviſione occaſionem arripio oſtendendi vobis bonitatem Dei impetitam à malitiâ hominum, ſeu, Deum blandientem hominibus, eoſque ſibi devincientem omnibus viis poſſibilibus ad hoc ut ipſi adhæreant, & homines immemores tot beneficiorum, ac promiſſis ſuis non ſtantes univerſis.

k Act. 26. 5.

Propoſitio.

Videtur quòd ſi Deus minùs eſſet beneficus, eſſet magis potens; & quòd ſi bonitas ipſius non eſſet ita larga in communicationibus ſuis, imperium ipſius eſſet majoris extenſionis. Hæc propoſitio, quæ novitate ſuâ ſtupore percellit animos, magnam lucem educit è diverſitate creaturarum, quæ quò plus ſuſceperunt à Deo, minùs ſunt ei ſubditæ. Iſtud reperio, Auditores: Creaturæ quæ plus ſuſceperunt à Deo, minus habent dependentiæ. Videamus iſtius effati veritatem in ſincerâ deductione. Terra, quæ eſt graviſſima omnium productionum Dei, & petræ, quæ ſunt ipſius inſenſibilitatis imago, ſunt magis dependentes, & magis ſubditæ illius imperio. Tandem, Deus imperat *ventis & mari: & venti & mare obediunt ei.* l. Quia minus ſuſceperunt à bonitate ejus. Plantæ, quæ ſuſceperunt eſſe cum incremento, videntur intendere ſe diſſolvere ab imperio ejus, cùm emittunt caules ſuos, & cùm extendunt folia ſua; & diceretis quòd ipſæ non ſe elevant niſi ad excutiendum jugum dependentiæ à Deo, qui dedit ipſis hanc capacitatem. Animalia ſunt magis obſtricta Deo quàm lapides & plantæ, quia ſupra eſſe habent vitam, & incrementum, & facultatem ſenſitivam, & veluti quandam ſpeciem libertatis, quæ ipſa ducit quòcumque ipſa attrahit ipſorum inclinatio; proſequuntur omnia objecta, quæ blandiuntur ipſorum appetitibus; & ſic quemadmodum minus habent ſtabilitatis, minus habent dependentiæ, quia plus ſuſceperunt à Deo: ita verum eſt quòd Dei bonitas videtur aliquid amittere potentiæ ſuæ eo ipſo quo ſe communicat extra ſe. Tandem, Hæc veritas clarè juſtificatur in modo procedendi hominis, qui cùm addictiſſimus ſit Deo præ omnibus creaturis, quia plus ſuſcepit à bonitate Dei, qui tribuit ipſi rationem ſupra omnes gradus, ſicut fatetur David m, eundem Deum alloquens, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine;* eſt tamen minùs dependens, ſibi falsò perſuadet, quòd libertas, quam ſuſcepit, conſtituit ipſum ſui juris, & quòd eâ non debet uti niſi ad ſatisfaciendum inclinationibus ſuis, & quòd eſſet amittere jura illius ac ſe ſubmittere alicui. Ipſe videt in ſe notas imperii, voluntas ipſius eſt regina mundi: putat igitur ſe poſſe rationabiliter obedientias exigere, nedum eas exhibeat. Quis exiſtimaret, Auditores, quòd cùm homo fuerit creatus liber, & ſuſceperit libertatem, non deberet eâ uti ſecundùm conſilia Dei? Aut quis perſuadere ſibi poſſet, quòd bonitas Dei ſe vellet unire homini, ut perficeret devincire eum ſibi, & micare faceret characteres imperii ipſius? Verum eſt, Auditores: Deus præ effectu bonitatis ſuæ unit ſe homini, ponit in illo gratiam, quæ eſt vinculum unionis inter hæc duo extrema; & per iſtam gratiam fit fœdus & ſocietas inter Deum & hominem, ſicut inter ſponſum & ſponſam: re enim verâ eſt matrimonium ſpirituale unio Dei cum homine, *Sponſabo te mihi in miſericordiâ & in miſerationibus* n. Sicut enim in Matrimonio vir & mulier mutuo conſenſu conveniunt habitare ſimul, *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ* o: ſic in Matrimonio ſpirituali, quod fit inter Deum & animam, Deus ſibi complacet habitare in animâ, & anima cum Deo ſuo, *Qui manet in me, & ego in eo* p. Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum q, *Qui manet in me, cujus videlicet intellectus mihi unitur per fidem, voluntas per dilectionem, memoria per ſtabilitatem, & ego in eo permaneo, conſervando dona gratiæ meæ in animâ ejus.* In Matrimonio temporali fit contractus, per quē fit unio bonorum, & ſponſus ingreditur ſocietatem bonorum cum ſponſâ ſuâ: Sic in Matrimonio ſpirituali anima ingreditur communicationem omnium bonorum Dei, gratiæ, & gloriæ: gratiæ in iſto mundo per veram poſſeſſionem: & gloriæ per jus & prætentionem: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus,* ait Pſalmiſta r. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus ſ, *Gratiam in præſenti, & gloriam in futuro dabit Dominus. Ab eo enim deſcendit omne bonum optimum, & omne donum perfectum* t. Tandem, In Matrimonio terræ fit unio cordium & affectuum: ſic per gratiam cor hominis unitur cordi Dei, & communicat unitati ſpiritus ejus, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt,* ait Apoſtolus u. Et poſt illum idem Carthuſianus x, *Qui adhæret Domino adhæſione amoroſâ & obedientiali, unus ſpiritus eſt, id eſt, Divino Spiritui per charitatem unitur, in Deum transformatur, eique indiſſolubiliter colligatur. Unde aiebat Salvator, loquens ad Patrem, Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis ſit, & ego in eis* y. *Amor namque eſt virtus unitiva diverſos conjungens, quamvis eſſentialiter differant.* Ecce verus contractus Matrimonii, & ſancta ſocietas. Quid dico contractus? Sanè vera unio eſt. Matrimonium ſpirituale animæ cum Deo, eſt imago ſocietatis, quæ reperitur inter tres perſonas divinas: Pater enim eſt in Filio & in Spiritu ſancto, Filius in Patre & in Spiritu ſancto, & Filius & Spiritus ſanctus ſunt in Patre, *Ego in Patre, & Pater in me eſt,* ait Dei Filius apud S. Joannem z. Et apud eundem Carthuſianum a, *Ego ſecundum Divinitatem ſum in Patre, & Pater in me eſt per identitatem ſubſtantiæ. Cùm enim Pater ſit ſua eſſentia, Filius quoque ſit eadem eſſentia. Ubi eſt eſſentia Patris, & ibi Pater: & ubi eſſentia Filii, ibi & Filius. In tribus vero divinis perſonis eſt una eſſentia, adeò ſingulæ earum in ſingulis ſunt. Hunc modum ponit vir magnus S. Hilarius. Damaſcenus ait, unamquamque divinam perſonam eſſe in aliâ per circuminſeſſionem. Inſuper, Palam eſt quòd Pater in Filio, ſicut in naturali imagine, Patrem perfectè repræſentante. Filius quoque in Patre, tanquam in proprio ſempiternoque fonte, à quo immanenter egreditur, & ingreſſibiliter oritur. Certum enim eſt, quòd quælibet divina perſona eſt in aliâ, ſicut amatum & cognitum in amante & cognoſcente: ſed quia hoc creatis prædeſtinatiſque mentibus & Deo commune eſt idcircò dicendum, quòd quælibet divina perſona eſt in aliâ, ſicut amatum & comprehenſum in amante & comprehendente plenariè, ita quòd quælibet divina perſona cognoſcit ac diligit aliam, quantùm amabilis cognoſcibiliſque conſiſtit, utpote amore penitus infinito,*

l Matth. 8. 26. & 27.

m Pſal. 4. 7.

n Oſee 2. 19.

o Gen 2. 24.

p Joan. 15. 5.

q Dion. Carth. art. 37.

o Joan. 15. 5.

r Pſal. 83. 12.

ſ Dion. Carth. in Pſal. 83. 12.

t Ex Jacob. 1. 17.

u 1. Cor. 6. 17.

x Dion. Carth. art. 6. in 1. Cor. 6. 17.

y ex Joan. 17. 26.

z Joan. 14. 11.

a Dion. Carth. art. 31 in Joan. 14. 11.

immenſum ardorem habente, & cognitione claritatis immenſæ: propter quod qualibet eſt in aliâ incomprehenſibiliter, intimè & ſuperintimiſſimè: quia quò amor ferventior, eò intimiorem efficit unionem. Deus eſt in homine, & homo in Deo. Sed ſicut ſocietas Patris & Filii non eſſet perfecta, ſi Pater eſſet ſolùm in Filio, & Filius non eſſet in Patre: ſic ſocietas Dei cum homine non eſſet conſummata, ſi Deus non eſſet niſi in homine, & homo non eſſet cum Deo. Deus eſt in omnibus creaturis per immenſitatem ſuam, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* b? Sed eſt in homine per gratiam ſuam. Per immenſitatem ſuam eſt in creaturis per præſentiam, per potentiam, & per eſſentiam: non inſtituit tamen ſocietatem cum illis, ſed eam inſtituit ſolùm cum homine per gratiam, per quam homo debet uniri Deo, ſicut Deus eſt illi unitus.

b Jer. 23. 24.

Eja ergo anima mea, effecta ſocia Dei, nunquid non debes ei eſſe fidelis? Poſſesne ſine injuſtitia habere cogitationes aut affectiones erga quemlibet alium, quàm erga illum, qui te ſibi ſponſavit cum tanta miſericordia? Tu es ſponſa Dei tui: fœlicitas tua dependet à fidelitate tua: nullum debes igitur alium admittere amicum præter eum: gratia enim quam ſuſcepiſti, non habet capacitatem niſi Dei ſolius: *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis* c, *cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit*, ait S. Bernardus d. Re autem verâ, peccator, non ſuſcepiſti gratiam niſi ad diligendum *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* e, ad vacandum ei, ad uniendum te illi. Quilibet alius amor alienus eſt illegitimus. Vos verò, mulieres, quæ fovetis affectus erga alios à viris veſtris, duplicem patratis injuſtitiam intuitu gratiæ, quam ſuſcepiſtis, cujus capacitas non permittit vobis, niſi ut diligatis viros veſtros: & prætereà conſciæ eſtis injuſtitiæ adversùs viros veſtros, quibuscum ſolis iniviſtis ſocietatem: ipſi ſoli jus habent ſuper vos. Non poteſtis rationabiliter offerre munera, quia bona veſtra non ſunt ampliùs veſtra, ſed ſunt in communi per contractum Matrimonii. Sic illæ, quæ imagines ſuas præbent amaſiis ſuis, inſignem committunt injuſtitiam; quia tribuentes imagines ſuas, ipſæ proteſtantur ſe jam dediſſe prototypon & cor ſuum. Nihil eſt expectandum boni à muliere, quæ ſimilibus incumbit praxibus: quia mulier, quæ ſemel tribuit imaginem ſuam, non denegabit perſonam ſuam, cùm ſuper famam ſuam inquiretur. Et inde naſcuntur infortunia, quæ quotidie interturbant fœliciſſima Matrimonia, ubi ſponſus ſe ſeparat à ſponſa ſua, non ratione infidelitatis unius è partibus, ſed vel ad minimum affectum zelotypiæ. Matrimonia terræ ſunt imagines Matrimoniorum cœli: Jeſus Chriſtus ſemel deſponſavit ſibi naturam noſtram, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* f. Sed eo conſilio ut naturam iſtam nunquam desereret, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*. Jeſus Chriſtus ſibi deſponſavit *Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo* g. Et ipſe nunquam deſerturus eſt eam, *Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*. h. *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia: Primò, per gratiam inhabitando corda fidelium. Secundò, per Sacramentalem præſentiam. Tertiò, per continuam providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam ſuæ poteſtatis ac pietatis in nos. Hinc enim teſtatur, Ego ſto ad oſtium, & pulſo* i. Et, *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* k. *Nunquam ergo deficiet fides in toto, ſed uſque in finem ſeculi perſeverabit in aliquibus Chriſtiana Religio. Poſtremò, Tam ineffabiliter, dignanter, & intimè adeſt nobis Chriſtus, ut multò ampliùs quàm Moyſes ſeu populus olim Judaicus dicere valeamus, Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Dominus Deus noſter* l, *unigenitus Filius Dei*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m. Matrimonia terræ ſunt etiam propter eandem rationem indiſſolubilia: quia id, quod Deus ſemel ligavit per ſemetipſum, debet ſemper durare, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* †. Non habet ſe res de Matrimoniis ſicut de fœderibus aliis, quæ fecit Deus creaturarum, quas univit inter ipſas: hæc fœdera facilè pereunt, quia ipſorum vinculum eſt corruptibile: ſic anima facilè ſe ſeparat à corpore, quia non eſt ei alligata niſi vinculo naturæ: ſed id, quod gratia ſemel ligavit, tandiu durare debet quandiu vinculum, quod ipſum ſtringit: nam gratia eſt æterna in duratione ſua, *Charitas nunquam excidit* n. Matrimonia ergo debent eſſe indiſſolubilia. Non me latet, Auditores, quòd aliquando contingunt caſus, qui permittunt ut infringantur Matrimonia: tamen hoc debet eſſe rariſſimum; & cùm accidit ut ſponſus ſe ſeparet à ſponſa ſua, hic eventus ipſi debet eſſe æquè gravis ac mors: *Natura turturis eſt, ut ſi per occaſionem perdiderit conjugem, alterum ampliùs non quærat. O Sponſa Chriſti, eſto ſimilis turturi, & luge die ac nocte cum deſiderio Jeſu Chriſti Sponſi tui, quia jam aſcendit ad cœlos, ut aliquando faciem illius videre merearis in dextera Patris* o, ait S. Bernardus p. Anima mea, plora more viduæ, quæ amiſit virum ſuum: amiſiſti Sponſum tuum, cùm perdidiſti gratiam ejus, quæ erat vinculum, quod uniebat te illi: *Igitur, ſoror chariſſima, indeſinenter peccata tua cum lacrymis lava. Quotidie lava tuas negligentias, per compunctionem & lacrymas. Transgreſſiones tuas ordinis ſine intermiſſione ablue cum lacrymis: & per lacrymas & compunctionem acquire tibi tuorum remiſſionem peccatorum: per lacrymas & crebra ſuſpiria acquire tibi æterna gaudia. Plange iniquitates tuas, mala ſcelerum tuorum deplora; mala quæ egiſti, flendo commemora. Mœroris unda te irriget. Compellat te plangere fluvius lacrymarum; quæ geſſiſti pravè, fletibus dele; quæ illicitè commiſiſti, lacrymis ablue*, proſequitur S. Bernardus. Plora, anima mea, ſi aliquo dolore afficeris ob jacturam tuam: alioquin dicam quòd nunquam dilexiſti Sponſum tuum. Eſto ſolitaria, anima mea, nec ampliùs tribuas cor tuum niſi ipſi, qui illud à te expetit, dicens, *Præbe cor tuum mihi* q. Amiſiſti Sponſum tuum, ſed revertere ad eum: non enim es digna aliquo alio, tu non es niſi propter ipſum, & ipſe te ſuſcipiet, ſicut ipſemet tibi ait, *Revertere, revertere Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te* r. Et, *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te* ſ. Vidua aliqua quæ ornat ſe, quæ circulis intereſt, quæ ſibi complacet in deambulatione, & multos habere ſequaces amaſios, teſtatur ſe non multùm dilexiſſe virum ſuum, cùm ita citò amiſerit illius cogitationem & memoriam; converſatio ipſius detrahit veſtimentis ipſius; & luctus, quem ipſa præ ſe fert exteriùs, ipſam accuſat, quia non conciliat interius ſuum exteriori ſuo. Quàm multùm, viduæ, diſtatis ab affectibus Artemiſiæ, quæ fuit aliàs uxor Mauſoli Regis Cariæ. Hæc Regina ſic afflicta fuit ob mortem viri ſui,

ut

c ex Gen. 9. 6.
d S. Bern. in declamat. in mod.
e Matth. 22. 37.
f Philipp. 2. 6. & 7.
g Act. 20. 28.
h Matth. 28. 20.
i ex Apoc. 3. 20.
k ex Matt. 18. 20.
l Ex Deut. 4. 7.
m Dion. Carth. art. 45. in Matt. 28. 20.
† Matth. 19. 6.
n 1. Cor. 13. 8.
o ex Marc. 16. 19.
p S. Bern. lib. de modo benè vivendi. ſerm. 10.
q Prov. 23. 26.
r Cant. 6. 12.
ſ Jer. 3. 1.

Digitized by Google

ut nullo modo ſuſtinere poſſet hanc ſeparationem, quam mors fecerat cordium ipſorum: tamen amor inſpiravit ipſi cogitationem, cujus praxis eſt extraordinaria, & ſtupore percellit inſolito, quippe cùm amor ipſius non eſſet mediocris: *Hunc tam ingenti amore proſecuta eſt uxor Artemiſia, ut ejus fato perfuncti cineres vino permiſtos tradatur ebibiſſe. Ad hæc ſepulchrum eidem ſumptuoſiſſimum extruxit*, ait

t Calep. in Dictió V. Mauſolus.

Calepinus t. Præter hoc ſepulchrum magnificentiſſimum quod ipſa conſtruendum ſategit viro ſuo, præparavit inſuper in corpore ſuo ſepulchrum vivum corpori ejuſdem viri ſui, quem ipſa ſic ardenter dilexerat, ut totâ vitâ ſuâ eſſet unita ei: ipſa rata eſt, quòd non poſſet ei præparare nobilius, vel auguſtius ſepulchrum animâ ſuâ, dicens, *Mauſoli vivum ero ſepulchrum.* Si haberetis ſcintillam iſtius amoris, tantam curam non afferretis ad ornandas vos, ad complacendum vobis in hujuſmodi converſationibus, quæ ſunt aliquando & ſæpè ſæpiùs crimmoſæ; &, ut uno verbo dicam, eſſetis veræ viduæ.

u 1. Tim. 5. 3. &c.

S. Paulus u pronunciavit præclarum verbum; ſed ſi tantillo ſtupore percellit, non deſinit eſſe verum. Ait autem ſcribens diſcipulo ſuo Timotheo, *Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt.* Sed quid? eſtne diſtinctio inter viduas? Nunquid non ſufficit ad hoc ut aliqua ſit vidua, ut amiſerit virum ſuum? S. Paulus explicàt ſemetipſum, cùm dicit, quòd nota veræ viduæ hæc eſt, ut ſit afflicta, *Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata.* Vidua, ſi eſt verè vidua, debet eſſe afflicta, & ſolitaria more turturis, de

x S. Bern loco ubi ſupra.

qua S. Bernardus x ait, *Turtur eſt avis caſtiſſima, quæ in excelſis & in arboribus ſemper nidificare vel morari ſolet, quæ & gemitum habet pro cantu. Natura turturis eſt, ut ſi per occaſionem perdiderit conjugem, alterum ampliùs non quærat.* Sic vera vidua, ſemper debet eſſe ſolitaria, apud ſe recepta, fugere debet ipſa conſortium præſertim æquo liberiorum: & ſi ipſa dilexit virum ſuum, jugiter eſſe debet afflicta, & pallor vultus ipſius debet eſſe ſignum veri doloris ipſius. Sed quantùm ad viduas, proſequitur Apoſtolus, quæ ſibi complacent in voluptatibus; hæ ſunt cadavera viventia, nec ullum merentur honorem, nec aliquam æſtimationem: *Nam quæ in deliciis eſt: vivens mortua eſt.* Peccator, qui amiſit Deum ſuum, eodem ſe gerere debet modo; vitam ſuam tranſigere debet in pœnitentia & in luctu, quia ipſius anima perdidit ſponſum ſuum. Quomodo autem non fleret ille, qui cogitat de prima fœlicitate ſua, cùm erat unitus Deo, ſicut Sponſo ſuo, & fruebatur amore, favoribus, & gratiis illius. Heu quàm ingens beatitudo! *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*, dicebat David y. Sed quàm

y Pſ. 72. 28.

immodica infœlicitas cùm ſe ſeparat à Deo ſuo, quam ſeparationem ſolum mortale peccatum operatur: *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis*, ait Iſaias z, peccatores alloquens.

z Iſai. 59. 2.

Tunc enim homo peccator in omne genus infortuniorum ſe præcipitat, ſicut idem Pſalmiſta immediatè antè dicit Deo, *Quia ecce, qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.* Certum eſt, Auditores, quod non eſt major fœlicitas quàm uniri Deo: ſed non ingentius infortunium, quàm ſeparari ab eo. Beati in cœlo non ſunt fœlices, niſi quia Deo ſunt uniti, & ipſorum fœlicitas eſt prototypon noſtræ beatitudinis. Tres uniones obſervo in Sanctis oppoſitas tribus diviſionibus, quæ intertuibarent fœlicitatem cœli, ſi acceſſus illuc ipſis liceret. Prima unio Sanctorum eſt unio ſubſtantiæ, per quam animæ ipſorum ſunt intimè unitæ Deo, medio *lumine* a gloriæ: atqui

a Pſ. 35. 10.

hæc unio eſt imago primæ unionis, quam homines terræ habent cum Deo. Juſti ſunt uniti Deo unione ſubſtantiæ: anima Juſti eſt unita Deo per gratiam, quæ eſt vinculum quod ligat animam Deo, & Deus communicat animæ omnes favores interventu gratiæ, quæ eſt canalis, per quem Deus ſua beneficia traducit in animam: ſed peccatum invidens huic ſanctæ ſocietati, præcidit hoc vinculum, tranſire faciens infidelitatem in animam, quæ inducit Deum ad ſe ſeparandum ab ipſa, quia ipſa ſe indignam reddidit ſocietate ejus: & quemadmodum erat ipſa priùs pulchra, & innixa, quia habebat gratiam, quæ erat totum ipſius ornamentum, & fulcrum, evadit ipſa, per privationem ejus, deformis & infirma, ita ut non ſit ampliùs ipſa niſi objectum horroris. Et ſicut Deus diligebat ipſam anteà, ſibi complacens in ipſa, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* b: poſt peccatum repudiat ipſam

b Prov. 8. 31.

ſicut adulteram, nec habet ampliùs niſi odium & indignationem adversùs ipſam, *Similiter autem odio ſunt Deo impius & impietas ejus* c. Ecce ſtatus

c Sap. 14. 9.

animæ in peccato, elongatæ à Deo, & ſeparatæ à Sponſo ſuo. Si autem metin velitis receſſum & diſtantiam ejus, ſequimini conceptum meum.

Quinque ſunt diſtantiæ inter Deum & peccatorem, quæ accedunt ad infinitum. Prima eſt Dei à gratia. Secunda eſt gratiæ à ſpiritibus. Tertia ſpirituum à corporibus. Quarta eſt corporum à nihilo naturæ. Quinta verò nihili naturæ à nihilo gratiæ. Ecce quinq; inceſſus, quos facit peccator, cùm ſe ſeparat à Deo. Judicate num receſſus ejus non ſit magnus, cùm accedat ad infinitum. Primò, datur diſtantia infinita inter Deum & gratiam: Deus enim eſt eſſe infinitum & increatum, *Ego ſum qui ſum* d. Gratia verò eſt eſſe limitatum

d Exod. 3. 14.

& creatum, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* e. Atqui admittitur differentia infinita inter

e Joan. 1. 17.

Creatorem & creaturam, quia menſura ordinariè ſumitur è ſubjecto nobiliori. Secunda differentia eſt inter gratiam & ſpiritus, quæ eſt etiam infinita: gratia enim eſt ordinis ſuperioris ſpiritibus, eſt ſupernaturalis, infinitè elevata ſupra ſpiritus & naturam. Tertia eſt inter ſpiritus & corpora, quæ accedit ad infinitum, quia nulla eſt ſocietas vel proportio materiæ ad ſpiritus, qui ſunt in ordine ſuperiori corporibus. Quarta differentia eſt corporum à nihilo naturæ, quæ eſt infinita, quia requiritur potentia, quæ *non habet finem* f, ut agat

f Baruch 3. 25.

in nihilum: propterea dicunt Theologi, quod creatio eſt opus proprium Deo, quia requirebatur potentia infinita ad hunc effectum, & quæ ageret ſuper ſubjecta infinitè diſtantia, qualia ſunt eſſe & nō eſſe. Tandem, Diſtantia reperitur infinita inter nihilum naturæ & nihilum gratiæ: licèt enim conveniant in hoc, quòd ambo ſint nihilum, tamen nihilum naturæ poteſt eſſe aliquid, ſed nihilum gratiæ eſt privatio omnis eſſe & univerſæ capacitatis, ut poſſit eſſe aliquid. Et ecce locus, in quo reperitur peccator, cùm recedit à Deo, *Et ego ad nihilum redactus ſum. Id eſt, quantùm ad ſpirituale eſſe nihil factus ſum, antequàm converſi fuerant renes mei, quando peccatis ſubjacui, & concupiſcentiis deſervivi*, dicit Dionyſius Carthuſianus g poſt Pſalmiſtam

g Dion. Carth. in Pſ. 72. 24.

in perſona peccatoris. Judicate, Auditores, num miſer non ſit. Sed id, quod eſt magis inauditum, eſt, quòd licèt omnes inceſſus iſti ſint infinitè remoti à Deo, non poteſt miſer iſte peccator ſiſtere in aliquo, ſed neceſſariò pervenit uſque ad infimum præcipitii. Primò, Non eſt in Deo, *Receſſit à Deo Salutari ſuo* h. Secundò, Non eſt in gratia,

h Deut. 32. 15.

cum

cùm extinxerit eam per peccatum. Tertiò, Non eſt in ordine Spirituum, cùm non vivat ampliùs niſi vitâ ſenſuum. Fuit quidem in illo ordine, ſed tranſivit ad corpus. Ego verò auſim dicere quòd peccator pejor eſt beſtiis: ſi enim uteretur ratione, fugeret id, quod eſt ipſi noxium; ſed ipſe procurat ſibi malum, quod beſtiæ fugiunt, licèt ipſæ ſint expertes rationis. Ubinam igitur erit? In inferis cum dæmonibus? Etiam inferiùs: nam demeritum dæmonum eſt finitum & limitatum, ſed peccator offendit Deum ſine menſura, nec ullos conſtituit fines malitiæ ſuæ, vel concupiſcentiæ ſuæ. Ubi ergo erit? Forſan inveniemus eum in nihilo naturæ. Ibi non eſt: licèt enim nihilum non ſit in ordine rerum, habet tamen aurem ſecretam, quâ audit vocem Dei, & ſe præparat ad obediendum ei,

i Rom. 4. 17. *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt* i. Sed peccator non vult audire vocem Dei, *Quia vocavi,*

l Prov. 1. 24. *& renuiſtis* l, ait Deus, peccatores alloquens. Eſt igitur in nihilo gratiæ, *Adam ubi es* m: heu pecca-

m Gen. 3. 9. tor, ubinam es? Tu *in tenebris, & in umbra mortis* n

n Luc. 1. 79. ſedes, & non cogitas exire è miſeriâ tuâ: ingredere temetipſum, & revertere ad Deum tuum, ad Sponſum tuum totum miſericordiâ plenum.

Secunda unio, quæ eſt inter Deum & Sanctos, eſt unio cogitationis: non enim vident niſi Deum, vident Deum in ipſo, in ſeipſis, & omnia in illo: ſic in unione, quæ fit inter hominem & Deum, fit unio cogitationum, ubi anima ſemper videt Deum ſuum, eumque conſiderat ut filius patrem ſuum, & matrem ſuam, ut ſervus dominum ſuum, ut ancilla dominam ſuam, & ut ſponſa ſponſum ſuum. Si filii intuerentur Deum in perſona patris ſui, & matris ſuæ, ſanè majorem exhiberent eis reverentiam, non inſurgerent in eos, non contemnerent illos, neque renuerent obedire illis: Si ſervi & ancillæ reſpicerent Deum in perſona Dominorum ſuorum & Dominarum ſuarum, non diſſiparent bona eorum & ſubſtantiam illorum, ſicut faciunt, non eſſent inſolentes, ſed ſubditi, quia ſibi perſuaderent veritatem, quæ eſt quòd obedientes dominis & dominabus ſuis, obediunt Deo: Tandem ſi ſponſæ oculos ſuos projicientes ſuper ſponſos ſuos, intentos eos haberent in Deum, ipſæ eos diligerent; ſi ipſæ eos diligerent, non reſpicerent, nec amarent alios præter eos.

o Tert. lib. de habitu mulieb. c. 1. ex Gen. 3. 16. Dictum fuit primæ mulieri, juxta verſionem Tertulliani o, *Ad virum tuum converſio tua.* Quaſi dictum eſſet ei, Non habetis amorem, applicationem, & cogitationem, niſi erga virum tuum. Dicere poſſumus pro veritate, quòd omnes deordinationes, quæ contingunt in Matrimoniis, non procedunt niſi ex eo, quòd uxores recedunt ab aſpectu virorum ſuorum: niſi enim timor Dei ſiſteret mentes ipſarum, ſaltem præſentia virorum ipſarum impediret ne laberentur in actiones, quas patrare non auderent coram infante, *Ad virum tuum converſio tua.* Mulieres, affectus veſtri ſunt criminoſi, ſi non terminantur ad perſonam virorum veſtrorum: quilibet alius receſſus eſt criminoſus, & pœnâ dignus. Quare putatis quòd Eva

p Gen. 3. 6. &c. offendit Deum, comedendo *de fructu* p vetito, & decepta eſt à ſerpente? Sanè quia receſſit à viro ſuo:

q Gen. 2. 8. &c. ſtatim enim ac Deus ipſam collocaſſet in paradiſo q, ipſa excurrit per paradiſum, & invenit ſerpentem, qui ipſam decepit: ſi ipſa fuiſſet in conſortio viri ſui, iſtud ipſi non accidiſſet. Perſæpè contingit vobis, mulieres, ut tenuatis conſortium virorum veſtrorum, licèt ſine pravo conſilio, ſi velitis: interdum tamen vobis accidit infortunium, & occaſio malefaciendi ſe offert vobis, quam vitare non poteſtis, & à quâ præſentia virorum veſtrorum vos liberaſſet. Hæc infœlicitas advenit peccatori, cùm offendit Deum ſuum per peccatum mortale. Dicitur animæ tuæ, peccator, æquè ac Evæ, *Ad virum tuum converſio tua.* Non debes intueri niſi Deum tuum, qui eſt Sponſus tuus; non debes habere amorem & intuitus niſi erga eum, nec intueri debes creaturas niſi ut imagines Sponſi tui. Si ſiſtas in eis, injuriam facis Sponſo tuo.

Tertia unio, quæ eſt in cœlo, eſt unio cordium. Sancti non habent niſi eandem voluntatem cum Deo: Sic Chriſtianus, qui eſt Jeſu Chriſto unitus nodo gratiæ, debet eſſe unitus corde & affectu Deo: quilibet alius amor eſt profanus & illegitimus, & ipſe debet potiùs mori quàm patrare infidelitatem adversùs Deum ſuum, non ſecus ac non licet ſponſis terræ infringere fidem partibus ſuis, nec alienas amicitias fovere. Habemus exemplum iſtius in perſona ſpecioſiſſimæ, ſed caſtiſſimæ mulieris, putà Suſannæ, cujus Hiſtoria ſatis eſt communis: erat tamen ipſa conſcia defectus ordinarii ſexûs, ſin ſo hoc, ut facilè ſua caperet oblectamenta, quàmvis non illicita: *Ingreſſa eſt aliquando cum duabus ſolis puellis, voluitque lavari in pomario: æſtus quippe erat: & non erat ibi quiſquam, præter duos ſenes abſconditos, & contemplantes eam. Dixit ergo puellis, Afferte mihi oleum, & ſmigmata, & oſtia pomarii claudite, ut laver. Et fecerunt, ſicut præceperat, clauſeruntque oſtia pomarii, & egreſſæ ſunt per poſticum, ut afferrent quæ juſſerat: neſciebantque ſenes intùs eſſe abſconditos. Cùm autem egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt, Ecce, oſtia pomarii clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus: quam ob rem aſſentire nobis & commiſcere nobiſcum: quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum juvenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te. Ingemuit Suſanna, & ait, Anguſtiæ ſunt mihi undique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini* r. Quaſi dice- r Dan. 13. 15. &c.

ret, ſubdit Pintus ſ, *Potiùs volo mori, quàm Deum* ſ Pintus in Dan. 13. 23.
offendere, & me nefario flagitio polluere. Mortem corporis potiùs eligo propter Deum, quàm turpiter peccare. Magna profectò honeſtas, & conſtantia, & glorioſâ famâ digna, quæ nos docet exemplo, ut eximiam mortem turpi vitæ anteponamus. Nam vitæ curriculum breve eſt, curſus gloriæ ſempiternus: corpus eſt caducum, anima immortalis. Ecce, mulieres, inſtructio præclara, quam ſuſcipitis à perſona ſexus veſtri. Cùm ſequiremini ſuper famam veſtram, aut cor veſtrum inducetur ad aliquam pravam cogitationem contra munia animæ Chriſtianæ, ſtatuite potiùs mori, quàm offendere Deum. Tandem, Peccator, quicunque ſis, quotieſcunque diabolus, mundus, & caro tibi perſuadere conabuntur aliquod peccatum, vel aliquam injuſtitiam, oppone te potenter hujuſmodi ſibilis per hæc verba, *Potiùs volo mori, quàm Deum offendere.* Sic non infringes unionem, quam Deus pepigit tecum, nec amittes gratiam, quæ ſtrictiſſimas ligat hîc ſocietates, ut perficiat eas in gloria.

IN OCTAVA ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Aſſumpta eſt Maria in cœlum gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Eccleſia.

INterrogatus aliàs *Iphicrates, vir Athenienſis, non tam magnitudine rerum geſtarum, quàm diſciplinâ militari nobilitatus, qui primus omnium ſpoliis bello captis nomen ſuum inſcripſit, cum anteà ſolius civitatis nomen inſcriberetur* a: quare nullum ſatagebat erigendum nomini ſuo trophæum, ut ſui memoriam poſteritati relinqueret, & ſic per famam ſeculis venturis vivere poſſet, reſpondit, quòd ad hoc, ut fieret aliquid quod à longè accederet ad meritum ſuum, congreganda eſſent univerſa trophæa, quæ per totum orbem erant huc illucque diſperſa, & literis aureis inſcribendum in ſingulis victoriis. *Iphicratis trophæum.* Audax profectò & ſuperba propoſitio, quippe quæ tota ſcatens vanitate! Sed audeo dicere cum veritate, quòd hæc verba decenter forent in ore beatiſſimæ Virginis Deiparæ, quę cùm neminem habeat, qui adæquare poſſit ipſius merita, eminentiſſimas quaſque poſſidet omnium creaturarum qualitates; ita ut ad hoc, ut dignè celebrari poſſent & agnoſci actiones illius, in unum congregari deberent omnes virtutes, & cuncta merita Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, imò verò glorioſiſſimæ qualitates cœleſtium ſpirituũ; & ex omnibus illorum trophæis magnificus erigi deberet apparatus præ hac inſcriptione, *Privilegia Mariæ.* Quippe quæ omnes illos antecellat dignitate, ſicut ait illi S. Epiphanius b, *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit: naturâ formoſior eſt ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum.* Sed quamvis hæc incomparabilis Virgo redigat in captivitatem legum ſuarum, æquè ac ſub reverentiam & fidem magnitudinum ſuarum altiſſimos ſpiritus cœleſtes, neque linguæ noſtræ ineloquentes ipſius laudibus celebrandis ſint pares, non dedignabitur tamen, ſicut illam deprecamur, ſuſcipere cum votis cordium noſtrorum, ſalutationem, quæ fuit præſagium gloriæ ipſius eo momento, quo *ingreſſus Angelus, ad eam dixit: Ave* c *Maria.*

a Calepin. in Diction. V. Iphicrates.

b S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.

c Luc. 1. 28.

Decus virtutum, & ſplendor meritorum perſæpè ſub oblivionis tumulo ſepulta jacent, ſive quia humiliationes externæ, aut viciſſitudines ordinariæ ſeculorum gloriam inſignium hominum in offundunt caligine; vel quia corpus, cùm ſit velut ſepulchrum, abſconditas tenet omnes illorum magnitudines, nedum ſplendor eorum poſſit enucare. Hâc antiqui ducti cogitatione, Principibus ſuis erigebant aliàs columnas & pyramides admirabiles, quæ deſignabant magnanimitatem eorum, quorum pompaticæ illæ machinæ ſepelire debebant infirmitatem; tam quòd præclara illorum facinora per omnia ſecula ſic eſſent commendatum, & ab interitu vindicatum: ad idem peragendum mihi videor obſtrictus aliquo modo ad celebrandam memoriam immortalem Dominæ noſtræ incomparabilis; non quidem veritus ne infirmitates aut depreſſiones ejus hebetent aciem meritorum ipſius, cùm contemptus & humiliationes ſuæ ipſius ad ſupremum tot magnitudinum ipſam evexerint faſtigium, ſicut ipſamet fatetur, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* d. Aut ne tempus officere poſſit illius memoriæ, cùm viciſſitudines annorum reddant eam ſemper celebriorem mediâ praxi devotorum ipſi populorum, qui diebus ſacris, quos Eccleſia dedicat gloriæ actionum illius celebrandæ, certatim æmulantur reddere recordationem ejus æternam, ita ut dicere poſſimus de ea illud, quod enunciat Scriptura e de Rege Joſia, *Memoria Mariæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel indulcatur ejus memoria.* Infirmitates corporis non poſſunt etiam obſcurare ſplendorem illius, cùm per redundantiam gloriæ animæ ſciamus effectum quoque glorioſum iſtud, quod *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus* f. Quòd ſi anima ejus ſeparata fuit à corpore ipſius, ſurrexit tamen hoc corpus è tumulo ſplendidius mille Solibus: ſic ipſum nunquam fuit ſpolium mortis: *Quia fortis ut mors dilectio* g clauſit ei oculus ſomno amorosè mortis, ut illos ei aperiret cùò ad gloriam immortalem, quâ nunc ipſa potitur, unde cœpit Eccleſia deprecandæ illius auxilium, *Quam etſi pro conditione carnis migraſſe cognovimus, in cœleſti tamen gloria pro nobis intercedere ſentiamus.* Non erit ipſi tamen injucundum, ſi ad hoc in piis veſtris expectationibus faciam ſatis, & in ſignum zeli & reverentiæ, quibus affici debemus erga tot illuſtres & eminentes qualitates, quibus eximiè cœlum decoravit ipſius animam, vobis oſtendam Primò excellentias virtutum & gratiarum ipſius: Secundò mirabilia gloriæ ipſius. Hæc autem duo in duabus partibus diſcutimus, quibus ſunt nobis veneranda.

d Luc. 1. 48.

e Eccli. 49. 1. & 2.

f Pſ. 45. 5.

g Cant. 8. 6.

Diviſio.

I. Pars.

Sicut effectus tantam habent convenientiam cum cauſis, quæ ipſis eſſe præbuerunt, ut antequàm ſuam ſortiantur exiſtentiam, adhuc incluſi in illarum potentia, communicarent eſſe earum: ſic eſt pro comperto, quòd cùm Deus ſit cauſa creatrix totius orbis, & univerſarum, quæ intra illum continentur, creaturarum, & quæ omnes ab illo dependent, ſicut *Mardochæus deprecatus Dominum, memor omnium operum ejus, dixit, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati: tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur: Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat majeſtati tuæ* h: oportet neceſſariò ut quælibet ex illis antequàm exiſteret, habuerit eſſe in illo, qui eſt mundus archetypus & idealis omnium effectuum, qui emanaverunt, & emanant è Divinitate, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* i. Et is eſt maximus honorum omnium, qui poſſint eſſe in creaturis, ac fuiſſe in eſſentia Creatoris ſui priuſquàm exiſterent in ſemetipſis dicente S. Anſel. k, creaturam in Deo eſſe creatricem eſſentiam. Nam tunc cùm omnia erant immerſa abyſſo nihili ſui, hoc magnum Totum comprehendens ſemetipſum l, & clarè videns divitias Divinitatis ſuæ m, intuens eſſentiam ſuam infinitam & immenſitatem magnitudinum ſuarum illimitatam n, examinans eſſe ſuum ſine fine o, vitam ſuam ſine morte p, voluntatem ſuam ſine malo q, intellectum ſuum ſine errore r, & univerſas perfectiones ſuas abſque defectu ſ, gaudens in hoc beato ſtatu, & aſpiciens hoc inſtanti indiviſibili fœlicis æternitatis ſuæ creaturas t, quæ naſci poterant è potentia t ſuâ, & per imitationem communicare perfe-

h Eſth. 13. 8. &c.

i Joan. 1. 4.

k S. Anſelm. in Monolog. c. 35.

l Pſ. 2. 7

m Exod. 8. 4.

n Baruch 3. 25.

o Dan. 13. 42.

p 1. Tim. 6. 16.

q Pſ. 5. 5.

r Dan. 13. 42.

ſ Matt. 5. 48.

t Pſ. 64. 7

perfectionibus ipſius æternis, aſſignabat cuilibet ex illis qualitates conditioni ipſius accommodas; obſervans, quantùm ad infimas, ſolam communicationem eſſentiæ ſuæ; mediis ultra eſſe communicabat vitam, æquè ac ſenſum, & motum multiplicem; ſupremis autem, quales ſunt homines & Angeli, cum eſſe, vitâ, & cæteris, quorum ſunt ipſi capaces, tribuebat rationem & intelligentiam: & ſicut ipſe decernebat inter iſtas extollere aliquas altiùs quàm alias; ſic & ſtatuebat eligere inter homines, & aliquos ex illis tantis inſignire prærogativis, ut illarum magnitudo cauſaret æmulationem cœleſtibus ſpiritibus, ſi illorum mentes impreſſionum paſſionum noſtrarum eſſent capaces: talis autem fuit B. Virgo Maria. Sicut enim ſapiens hic

† Pſ. 64. 7. Opifex eſt æquè infinitus in *potentia* † ſua, ac *in*
u Pſ. 103. 24. *ſapientia* u ſua; quippe qui in utraque è perfectionibus iſtis ſuis *magnus eſt & non habet finem, excelſus*
x Baruch 3. 25. *& immenſus* x, cùm potuiſſet ſuper theatro mundi iſtius, creaturas quas admiramur; in ſua conſilia compleret, intuendum exhibere voluit hoc opus eximium, iſtud prodigium gratiæ cum omnibus prærogativis, quas pura creatura deſiderare poteſt: ſi enim Deus tribuit gratias hominibus, non tamen eo modo, quo illas ubertim effudit in Mariam. *Quia cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Quia etſi in ſanctis Patribus & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena: in Mariam verò totius gratiæ quæ in Christo eſt, plenitudo venit, quanquam aliter,* ait

y S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. B. V. S. Hieronymus y. Hæc autem gratia communicata Mariæ, ſic fuit abundans, ut licèt illius multum ſuſceperint Angeli à Deo, qui *eos creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam,* ait S. Augusti-
z S. Aug. lib. 12. de civ. Dei. c. 9. ex Gen. 1. 3. nus z; & iſtud multum in bonis Angelis mirabile ſuſceperit incrementum, cùm tempore rebellionis ſociorum ſuorum apoſtatarum ipſi fideliter divinis morem geſſerunt voluntatibus, *Et factum eſt prælium magnum in cælo. Michaël & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli*
a Apoc. 12. 7. *ejus* a: quàmvis etiam Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines tantam gratiam ſuſceperint à Deo, ut eam ſolus ipſemet Deus poſſit comprehendere, nos verò poſſimus illam duntaxat admirari: tamen infinitè excellentiùs eam recepit B. Virgo. Propterea S. Gre-
b S. Gregor. lib. 1. c. 1. in 1. Reg. 1. 1. gorius b ait de illa, *Beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei Genitrix mons fuit, qua omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. Annon mons ſublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros uſq; ad ſolium Deitatis erexit? hujus*
c Iſai. 2. 2. *enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias c vaticinatus ait: Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit.* Et S. Epiphanius d, *Virgo ſublimior*
d S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip. *Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim, & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla e digna Mater.* Et Arnoldus Carnoten-
e ex Luc. 1. 38. ſis f, *Maria linguâ Syriacâ Domina dicitur. Chriſtus Dominus, Maria Domina: & licèt ipſa Chriſti ſe profi-*
f Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip. *teatur ancillam, hoc ſervitutis genus omni regno ſublimius eſſe intelligit. Conſtituta eſt quippe ſuper omnem creaturam: & quicunque Jeſu curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat & acclivis. In ſupernis & inferis admirationi eſt Virgo Puerpera: Stupent dæmones, gaudent homines, in cælo gloriam Deo concinunt Prin-*
g ex Luc. 2. 13. &c. *cipatus & Poteſtates* g. *Non cadit in Angelos zelus, nec invidia livore candidatus ille tabeſcit exercitus, nec de prepoſito ſibi carnis ordine offenduntur: quia & ſi Chriſtus aliquando paulominus ab Angelis propter paſſibilitatem ſit imminutus* h, *modo gloriâ & honore*
h ex Pſ. 8. 6. &c.
i ex Heb. 2. 9. &c. *coronatus* i, *ſub pedibus ſuis continet omnia ſubjecta. Nec à dominatione vel potentiâ Filii, Mater poteſt eſſe ſejuncta.* Et Damianus k, *Quid grandius Virgi-*
k Damiā. ſerm. de nat. B. M. citatus à Salaz. in Prov. 31. 29. num. 180. *ne? Attende Seraphim, & in illius ſuperioris naturæ ſupervola dignitatem, & videbis quidquid majus eſt, minus Virgine, ſolumque Opificem opus iſtud ſupergredi.* Quæ omnia encomia complectitur verbis iſtis Salomon l, *Multæ filiæ congregaverunt*
l Prov. 31. 29. *divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Et quæ Sala-
m Salazar. in Prov. 31. 29. n. 172. & ſeq. zar m ſic interpretatur ad propoſitum noſtrum, [Locum iſtum præter Eccleſiam Virgini dedunt Bonaventura in Speculo, & alii non pauci. Et quidem hic locus Virgini etiam adaptandus eſt, ut ſonat. Quia verò illa univerſalis propoſitio, Tu ſupergreſſa es univerſas, poteſt accipi collectivè, & diſtributivè, & ſenſus evadit duplex. Prior eſt ad hunc modum. Multæ filiæ congregaverunt divitias. Id eſt, multæ animæ juſtæ ſtudio incredibili ſibi merita comparârunt: tu verò viciſti univerſas, id eſt, omnibus ſingillatim enumeratis nulla eſt, quæ ad meritorum tuorum cumulum longo intervallo pervenerit.] Et poſt allatas aliquas authoritates è ſanctis Patribus, præſertim verò è S. Gregorio, & Damiano mox citatis, ſic proſequitur: [Illud ſanè in ancipiti eſt, an exceſſus iſte non ſolùm talis ſit, ut Virgo ſingulorum merita cum ſingulis collata excedat, ſed etiam omnium hominum atque Angelorum unum in cumulum conjecta merita ſuperet, & gratiam vincat. Ita ut verba illa, Multæ filiæ congregaverunt divitias, Tu ſupergreſſa es univerſas, in poſteriori ſenſu illi adſcribi poſſint: nimirum, etiamſi omnes animæ juſtæ, & omnes ſpiritus Deo grati ſuorum meritorum lucra in unum conferant, tu Virgo ſanctiſſima omnes facilè ſuperas. Et quidem non longè ab hoc ſenſu abit S. Bonaventura in Speculo: nam licèt capite octavo juxta priorem ſenſum ſic ſcripſerit: Et quia Dominus opulentiſſimus opulentiſſimè eſt tecum, ideò tu es opulentiſſima, ſive ditiſſima ſecum; ut ita verè dici tibi poſſit illud Proverb. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Filia Agnes, filia Lucia, filia Cæcilia, filia Agatha, filia Catharina, & multæ aliæ filiæ, & multæ aliæ Virgines ſanctæ, & multæ animæ juſtæ congregaverunt divitias virtutum, & gratiarum, divitias meritorum, & præmiorum: ſed Maria univerſis divitiis ſupergreſſa eſt excellentiſſimè univerſas. Nimirum univerſis divitiis aucta, & ditata, univerſas ſuperavit.] Subdit Salazar: *Quæ verba de diverſis ſpiritualium divitiarum ſpeciebus accipi debent. Tamen cap. 10. ubi iterùm incidit in hæc verba, abſolutiſſima quædam verba promit, quæ ad ſecundum ſenſum referri poſſe videntur. Supergreſſa, inquit, eſt Maria cunctas filias, ſupergreſſa eſt in natura, ſupergreſſa eſt in gratia, ſupergreſſa eſt in gloria, univerſas filias, id eſt, univerſas animas, & univerſas intelligentias Angelicas. Nimirum has & illas per cumulum acceptas,* interpretatur idem Salazar. *Sed luculentiùs loquitur cap. 2. O quàm longè inquit, ab iſto væ multitudinis tormentorum fuit in Maria multitudo præmiorum & meritorum, cui contra multa damnatorum mala in inferno jam Deus præparaverat multa bona in cælo, ita ut nullus Angelus, nullus Sanctorum ei æquari poſſit in multitudine & congregatione bonorum cæleſtium, juxta illud, Multæ filiæ, &c. Si filias iſtas intelligamus ſanctas animas, vel intelligentias Angelicas, nunquid nō ſupergreſſa eſt divitias Virginum, Confeſſorum, Martyrum, Apoſtolorum, Prophetarū, Patriarcharum, Angelorum? cùm ipſa ſit primitiva Virginum, ſpeculum*

Confeſ-

Confeſſorum, roſa Martyrum, regiſtrum Apoſtolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, Regina Angelorum. Quid enim de divitijs omnium bonorum illi deſit? Hieronymus enim ait, Mariam ſi diligentiùs aſpicias, nihil ſplendoris eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris & gloriæ, quod in ea non reſplendeat. Hactenus S.Bonaventura, & Salazar, *Perpende illud, Quid de divitijs omnium bonorum illi deſit? ac confer cum his, quæ ipſe ſtatim attexit capite ſequenti, ubi Mariam cum mari contulit, in quam omnes omnium gratiæ, ſeu flumina quædam magna, collectis undique ſingulorum rivis fluenta ſua exonerant.*

Eſt igitur pro comperto, quòd B.Virgo non ſolùm plus habuerit gratiarum quàm omnes homines & Angeli in particulari, ſed etiam plusquàm omnes in generali, nec à ratione recta recedit hæc propoſitio. Sicut enim ordinarium eſt cauſis, ut ſibi complaceant in effectibus ſuis, etiamſi Deus habeat in ſe ſolum & unicum objectum amoris ſui, in cujus fruitione ſatisfacit ipſe penitus volun-

n Sap.11. 25. tati ſuæ, tamen diligit *omnia quæ ſunt*, n, ſed præ hac differentia quòd diligit Filium ſuum præ omnibus creaturis, ut teſtatur hæc ipſius *vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi*

o Matt. 17.5. *benè complacui* o. Quia ejus humanitas, quæ eſt perſonaliter unita Divinitati, *Verbum caro factum*

p Joan.1. 14. *eſt* p, reddit ipſum dilectione omnium maximâ dignum: poſt ipſum verò, Maria tenet primum ordinem, quia caro ejus fieri debebat caro Filii ipſius, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro*, ait Arnoldus

‡ Arnol. Carnot. tract. de Laud B. V. Carnotenſis †, *unus ſpiritus, una charitas.* Sicut igitur Deus dilexit Filium ſuum præ omnibus creaturis; ſic etiam poſt illum magis amavit Mariam, quàm omne id, quod emanavit ex ipſius potentia. Quòd ſi beneficia dantur juxta menſuram amoris, has quales abundantias gratiarum ipſa non ſuſceperit! Si ipſa dilecta fuit à Deo plusquàm omnes creaturæ ſimul, nunquid non habebit ipſa plus gratiarum quàm univerſæ ſimul? Iſtud clarè videtis, Auditores, & tamen mea fulcitur oraculis

q Pſ 86. 2. cœli, *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob*, ait Pſalmiſta *q*. Tabernacula Jacob, ſunt Angeli, *Qui ſedes ſuper Cherubim*, dicit idem

r Pſ. 98.1 David *r*, Deum alloquens. Et Beati ſeu Juſti, *Anima enim Juſti ſedes eſt Sapientiæ*, inquit Euſebius

ſ Euſeb. Emiſſ. Dom. 1. Advêt. ex Sap. 7. 2. Emiſſenus *ſ* poſt Sapientem. Portæ Sion, ſunt Jeſus, ſicut ipſemet ait, *Ego ſum oſtium* †. Et Maria, ut dicitur ei,

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli
Porta manes

‡ Joan. 10.9. Ille abſolutè. *Unus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro*

t 1. Tim. 2.5. & 6. *omnibus*, ait S.Paulus *t*. Hæc ut Cooperatrix redemptionis, & Mediatrix inter eundem Deum & eoſdem homines: *Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit*, inquit S.Epi-

u S Epiphan. ſerm. de Laud. Deip. phanius *u*. Et poſt illum S.Bernardus *x*, *Et tunc jam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ* y, *in*

x S Bern ſerm. 2. Pent. *utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad me-*

y ex Pſal 73.12. *dium, ſicut ad arcam Dei* z, *ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cœlo*

z ex Pſ. 131.8. *habitant, & qui in inferno*, id eſt, in Purgatorio, *& qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cœlo,* ■ *reſarciantur, & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur*

a Eccli. 36.18. *a; qui ſequuntur, ut glorificentur: eo beatam te di-*

b ex Luc 1.48. *cunt omnes generationes*, b, *Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generationes cœli & terræ. Pater Spirituum*, ait

c ex Epheſ. 3.15 *Apoſtolus* c: *Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Ex hoc ergo beatam te dicunt omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, Juſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.* Sed quid conſequenter accedit ex hac dilectione: *Fundamenta ejus in montibus ſan-*

d Pſ 86.1 *ctis*, ut idem Pſalmiſta *d*. Non dicit David, quòd prima gratia Mariæ ſit major gratiâ Cherubinorum, aut Seraphinorum, ſed ait in plurali, quòd elevata ſit ſuprà gratiam omnium Angelorum & Sanctorum, ſub illo nomine montium, juxta expoſitionem S.Gregorii ſuprà allatam: ita ut, ſicut omnes ſenſus inveniuntur in noſtro capite, & in alijs partibus ſolus tactus; quemadmodum omnia flumina ſunt in mari, unde ſit refluxus; omnes gratiæ diviſæ in creaturis, ſint excellenti modo in Maria; ita ut, ſicut aquæ congregantur in ſinum Oceani, ut inde ſuum curſum ſumant, & effundantur per totum orbem; Maria effundat abundantiam tot bonorum ſuper nos, qui languimus præ pedibus ejus, expectantes ab ea remedium opportunum miſeriis noſtris.

e S.Chryſoſt. hó. 13. in 1. Cor. 4. S. Chryſoſtomus *e* loquens de S.Paulo, dicit quòd illius anima eſſet ſtatua virtutis & perfectionis, *Ponatur nobis tabula Pauli anima. Contemplare ergo ſtatuam auream, vel potius ea pretioſiorem.* Titulus iſte meliùs decet B. Virginem Mariam; hæc enim congregatio gratiarum, miraculoſus iſte cumulus perfectionum eſt ſtatua omnium virtutum, aut potiùs, hæc congregatio non debet habere alium titulum niſi Mariam Deiparam: ſic ſi contempler illuſtres illos homines antiquitatis, qui floruerunt in Lege naturæ, & in Lege ſcripta, ſi conſiderem prærogativas eorum, qui vixerunt in Lege gratiæ, admiror quidem potentiam Opificis, qui ſuper ſubjecta ſic depreſſa operatus eſt ſic alta mirabilia, ſtuporem me ciunt hæc prodigia ſanctitatis, ſed inter hanc admirationem caligine me ſuffundit ſplendor incomparabilis iſtius ſanctæ Dominæ, & intuitu iſtius miraculi, *Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, Mulier amicta Sole*, ait

f S. Epiphan. ſerm de Laud. Deip. ex Apoc. 12. 1. S. Epiphanius *f*, humiliter, æquè ac amanter procumbo ante hoc exemplar omnium virtutum.

Eſt aliàs Antiquitas admirata ingenium Archimedis, qui ictens manibus ſuis & induſtriâ ſuâ, imitatus eſt arcus cæruleos cœli, & accendit eos innumeris ſtellis in ſphæra cryſtalli. Res autem verè jucundum erat viſu currere has exiguas ſtellas, & veluti volare fixo & immobili pergere ab Oriente in Occidentem, & reliquas ſphæras cœleſtes ſequi motum primi mobilis: mirabatur velut Sol videre alterum Solem currentem in hac cryſtallo, & inſtar ipſius formantem in ſuo Zodiaco cryſtallino horas, dies, menſes, & annos: tandem, eximius opifex ille ſic aptè exegerat exiguos illos orbes ad motum cœli, ut admiraretur tota natura videre in illa cryſtallo id totum, quod ipſa continet in vaſto ſinu ſuo admirabiliſſimum: iſtud eſt, quod antiquitas eſt aliàs admirata præ ſtupore; & quod nos admiramur præ majori prærogativa & gloria in incomparabili Reginâ noſtra. Diligentiâ, quâcum ipſa currebat *viam mandatorum* g Dei, & ſenu-

g Pſ. 118. 32. tam perfectionis, eſt cœlum Lunæ; ipſa præceſſit ex ipſis primis greſſibus ſuis, à primo inſtanti ſuæ conceptionis, ex actu primo, quem ipſa produxit, altiſſimos Seraphinos, ſicut vidimus: ardebat ipſa quotidiè novis incrementis, & cùm eſſet conſecuta plenitudinem gratiæ, humilitas

h Luc. 1. 28 & 45.
i Cant. 6. 9.
k S. Ambr. lib. 2. de Virginib. ab init.
l De Pont. lib. 6. in Cant. 6. 9. exhort. 5. parag. 4.
Petrus Damian. ſerm. de Aſſumpt.

ipſius h fecit ipſam decreſcere præ tanto miraculo, quanto cœlum fuerat priùs admiratum progreſſus ipſius, *Quæ eſt iſta quæ progreditur pulchra ut Luna* i? Id eſt, *Quæ ingreſſu affectuque venerabilis non tam veſtigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret*, ait S. Ambroſius k. Et poſt illum, æquè ac poſt Scripturam de Ponte l, *Per hos autem greſſus progrediens uſque ad Angelicam annunciationem, tunc novo & prodigioſo modo apparuit, Pulchra ut Luna. Agnovit hoc Gabriel Angelus, qui ingrediens ad eam, dixit, Ave gratiâ plena. Quid eſt gratiâ plena, niſi pulchra ut Luna? & quidem plena omni plenitudine gratiæ quæ tali Virgini conveniebat, in quâ nunquam diminutionem paſſa eſt, aut defectum, cujus pulchritudinem humana & Angelica natura miratur. Nam, ut inquit Petrus Damianus: Quantùmcunque alia ſtella reluceant, Luna tamen & magnitudine præeminet, & ſplendore: ſic utramque naturam Virgo ſingularis exuperat, & immenſitate gloriæ, & fulgore virtutum.* Cognitio perfectiſſima, quam ipſa habuit myſteriorum Divinorum, ſcientia profundior notitiâ Cherubinorum, eſt cœlum Mercurij: Propterea ſic illam ſalutat S. Epiphanius m poſt Angelum, *Ave gratiâ plena, quæ es ſplendidum cœlum. Ave gratiâ plena, quæ habes radium de cœlo lucidis facibus coruſcantem, utpote Solem Chriſtum. Virgo plurium nominum & multocula, effecta eſt Seraphim incomprehenſæ viſionis: quæ inventa eſt velamentum quoddam intellectuale corporis univerſalis, Cherubim tranſcendens. Illa enim avertuntur, cùm nequeant ſpiritalem ignem Divinitatis, fixis oculis intueri: Hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehenſibilem* n *& ſomni expertem oculum Chriſti, cum deſiderio & oſculo ſalutabat. Exercitus Angelorum (qui ſunt ſcabellum pedum Chriſti* o*) procidentes nec videre poſſunt, nec contingere, hæc verò labra labris conjungens, incomprehenſum ſalutabat. O Virgo incomprehenſi Myſterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicaſti.* Amor ejus, quo inſignitur ipſa ut *Mater pulchræ Dilectionis* p, eſt cœlum Veneris. Bonitas illius erit Sol, *Hinc Angelus ulteriùs addit, Dominus tecum, quod eſt electa ut Sol*, proſequitur præfatus de Ponte. *Dominus enim fuit in Mariâ ſingulari quâdam ratione, quia elegit eam in Matrem; in quâ per carnem eſſe & habitare decreverat: quare meritò electio ejus eſt ut Sol, id eſt, ad modum ipſius Chriſti, ut, ſicut ipſe unicus eſt inter viros, ita illa unica eſſet inter fœminas: ille Deus & homo, cui nullus hominum, vel Angelorum poteſt comparari; hæc fœmina, ſed Mater Dei, quâ quiſquis non eſt Deus, inferior invenitur, & minor.* Magnanimitas illius, quæ reddidit ipſa *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, eſt ſphæra Martis. Unde conſequenter ait idem de Ponte, *Sed quod ſubditur, Benedicta tu in mulieribus, idem eſt quod, Terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Quod ne appareat novum, memento Deum, cùm primis parentibus propter peccatum maledixit, unicam tantùm appoſuiſſe benedictionem, dicendo ſerpenti: Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum* q. *Ubi promulgatur bellum acre futurum inter diabolum & ejus ſectatores ac inter mulierem & filios ab eâ progignendos, inter quos futurus erat unus Chriſtus, & una mulier Mater ejus quæ hanc benedictionem obtineret: tantâque polleret fortitudine, ut ſerpentis caput contereret, regnum ac potentiam everteret.* Dominium ejus, eſt cœlum Jovis, *Maria interpretatur Domina, & ipſa utique eſt cœli Regina, Domina mundi, quoniam Genitrix Dei*, dicit Dionyſius Carthuſianus r. Cœlum Saturni, eſt innocentia ipſius originalis, propter quam ait ei Sponſus ſuus, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* ſ. Non poſſum quin admiter firmamentum ſpecioſæ animæ illius, ditatum innumeris his ſplendoribus ignium iſtorum qui accenduntur: videte quomodo ipſa ſit opulentè ornata omnibus virtutibus, quæ veluti ſtellæ fixæ & immobiles reddunt illam prodigium gratiarum & pulchritudinum, *Interim ſanè ingredimini magis*, ait nobis S. Bernardus t, *& videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius ſuus. In capite* inquit, *ejus corona ſtellarum duodecim. Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clariùs micans ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis. Supra hominem eſt coronæ hujus rationem exponere, indicare compoſitionem.* Ha! impoſſibile eſt conceptu diverſitatem iſtorum ignium, non ſecus ac ſtellas firmamenti: ſi enim primo vel inſtanti conceptionis ſuæ habuit ipſa in tanto gradu perfectionis gratiam cœleſtem, ut ſuperaret gratiam omnium Sanctorum, & Angelorum, ut ſtipendium debitum excellentiæ ipſius; ipſa non manſit in hoc ſtatu conſiſtentiæ, cùm iſtud ſit impoſſibile: talis eſt enim amor quo Deus nos diligit, & voluntas quâ ducitur ut creſcamus in eo, quo erga ipſum debemus affici, ut omnia ſumat in emolumentum noſtrum, & univerſa reddat nobis utilia: ſicque omnia opera è charitate procedentia tribuunt incrementum virtutibus. Si ergo hoc primo inſtanti habuit ipſa plus ſplendoris in intellectu, & plus flammarum in voluntate quàm ulla pura creatura, nec ullam unquam paſſa eſt dilectionis intermiſſionem in progreſſibus ſuis: non enim ſolùm merebatur ipſa, cùm ardenter ſuſpirans in cœlum offerebat corpus ſuum, & animam ſuam Deo; cùm agnoſcens neceſſitatem generis humani Redemptorem ſuum deſiderantis, humiliabat ſe Deo in annunciatione ſuâ; cùm *abijt in montana cum feſtinatione in civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth; manſit autem cum illâ quaſi menſibus tribus* x: cùm tempeſtate totius anni frigidiſſimâ *aſcendit Bethleem, & peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio; quia non erat eis locus in diverſorio* y: ſed etiam cùm aliquam requiem indulgebat corpori ſuo, ita ut dicere poſſet ſicut Sponſus ſuus, *Ego dormio, & cor meum vigilat* z: quotnam ſtellæ debebant facere naſci dilectionem iſtam in cœlo? quotnam ignibus ardere, æquè ac ſplendere debebat hoc firmamentum, ſi inſtanti vel ipſo ſuæ conceptionis, nondum habens verbum in ore, habuit meritum in corde; ſi per primum actum quem produxit, meruit duplum illius quod ſuſceperat è liberalitate Dei, nec unquam deſtitit ab exercitio dilectionis per ſexaginta duos, aut ſeptuaginta duos annos, quibus vixiſſe perhibetur, quis unquam poſſet iſtam immenſitatem concipere? Miraculum progreditur ulteriùs, Auditores, ſi obſerves, quòd omnes ſtellæ erant fixæ & immobiles, & primæ magnitudinis; id eſt, quòd omnes actiones illius erant heroicæ: non enim operabatur ipſa puſillanimiter, ſed totâ extenſione virium ſuarum, quæ efficiebat ut minimus vel motus aut affectus ipſius excederet actus voluntatum aliorum. Illæ erant fixæ, quia mediâ abundantiâ gratiarum ſuarum ipſa ſic à cœlo fuit adjuta ut ſemper illius lumen cuſtodiverit, inconcuſſa manens adverſus blanditias concupiſcentiæ. Virgo Mater in cujus animam ſunt effoſæ gratiæ cœli, quibus ipſa ſic fuit illuminata ut vocetur lucida *quaſi aurora, pulchra ut Luna, electa ut Sol* a. Amans facta, cujus caput fulcitur ſiniſtrâ Sponſi ſui, & anima circundata dexterâ ejus, nunquam receſſit à via rectâ,

m S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Luc. 1. 28
n ex Jer. 32. 19
o ex Pſ. 98. 5.
p Eccli. 24. 24.
q Gen. 3. 15.
r Dion. Carthuſ. art. 3. in Luc. 1. 27.
ſ Cant. 4. 7.
t S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1. Signum Magnū. &c.
u Applicatio ex Cant. 3. 11.
x Luc. 1. 39. &c.
y Luc. 2. 4. &c.
z Cant. 5. 2.
a Cant. 6. 9.

Digitized by Google

rectâ, ſicut ipſamet ait, *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* b. Et quam ut Pacifici lectulum Salomonis *ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël* c. Nec miror, cùm Deus vibraverit jacula luminum ſuorum in animam ejus; & cùm illuſtraverit eam fulguribus ſuis, ſtitit etiam potentias ejus ſub obſervantiâ legum ſuarum: & ſic Maria nihil unquam peregit toto tempore vitæ ſuæ adversùs Divina mandata, adjuta hoc auxilio cœleſti, quo *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus* d. Hâc etiam gaudebat ipſa prærogativâ ſupra alios Sanctos, quòd hi, licèt *in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ* e, & quorum conſequenter *converſatio in cælis* f erat; tamen experiebantur rebelliones prodeuntes *de corpore mortis hujus* g: Sed in B. Virginem nunquam inſurrexit rebellio, nunquam concupiſcentia quæ accendit ignem ſeditionis in animabus noſtris, ingreſſa eſt cor illius. Iſtæ ſtellæ fixæ & immobiles nunquam micuerunt majori ſplendore, quàm coram Sole, è quo ipſæ deſumpſerunt omne lumen ſuum, quod fuit in incarnatione Verbi: tunc enim meritum ejus tanta ſuſcepit incrementa, ut, cùm à mentibus noſtris non poſſit concipi, quibuſdam præbuerit anſam dicendi, quòd incrementum gratiarum ejus *non plus ultrà* progredi poſſet. Timor amoroſus & filialis dabat motum trepidationis; ſic ipſe eſt principium gratiæ, *Initium Sapientiæ timor Domini* h. Humilitas ipſius, erat intelligentia quæ dabat exordium huic motui trepidationis, *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem* i? Suprà Spiritus ſanctus accendit hoc firmamentum flammis amoris, ut ex eo faceret primum mobile; nunquam deſtitit trahere ſphæras iſtas velocitate incomparabili ab ortu nativitatis ejus, imò verò conceptionis illius uſque ad occaſum mortis ejus, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror* k. Cùm anima ipſius exierit è corpore impetu amoris, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* l.

II. Pars. • Mors fœliciter vitalis! dilectio ſanctè mortalis! Sic dilectio quæ per dies ejus animaverat omnes actiones illius, deduxit eam in finem ſic fortunatum, non ut relinqueret illam in otio & in quiete, ſed ut novos motus imprimeret intellectui & voluntati ipſius. Si enim Maria fuit in vitâ ſuâ firmamentum ſtellatum, micans meritis & perfectionibus, nunc ipſa eſt paradiſus deliciarum, & cœlum in compendio, *Pulchra & decora ſicut Jeruſalem* m. Si enim prædeſtinatio n eſt menſura gratiæ, gratia menſura charitatis, charitas menſura meriti, & meritum menſura luminis o gloriæ, & iſtud menſura claræ viſionis Dei, quæ reddit animas beatas, vidiſtis quòd Maria *ab æterno ordinata* p, in ſuâ prædeſtinatione fuerit nobiliſſima & altiſſima omnium creaturarum, & conſequenter quòd gratiâ & merito præceſſerit omnes homines & univerſos Angelos ſimul: quare ergo non antecelleret gloriâ & fœlicitate omnes eos qui ſunt in cœlo? Proptereà dicit S. Hildephonſus q: *Sicut incomparabile eſt quod geſſit, & ineffabile donum quod percepit: ita & inæſtimabile atque incomprehenſibile præmium, & gloria quam promeruit.* Non miror igitur ſi thronus ejus elevatus ſupra altiſſimam hierarchiam, ſuſcipit in ſe omnes ſplendores cœli, ſi ibi micat jaſpis Patriarcharum, *Porrò Jaſpis, tra-*

b Cant. 2.6.
c Cant. 3.7.
d Pſal. 45.6.
e Hebr. 11.38.
f Philipp. 3.20.
g Rom. 7.24.
h Pſal. 110.10.
i Iſai. 66.2. juxta S. Bern. verſionē Hom. 1. ſup. Miſſus eſt.
k S. Aug. lib. 13. Conf. c. 9.
l Cant. 8.6.
m Cant. 6.3.
n Rom. 8.29 & 30.
o Pſ. 35.10.
p Prov. 8.23.
q S. Hildeph. ſer. 3. de Aſſumpt.

ditur eſſe viridis, ait Cornelius r. Patriarchæ autem dicebant, *Salutare tuum expectabo Domine* ſ. Si ſapphirus Prophetarum, *Sapphirus viſum acuit*, ait Nicænus, dicit idem Cornelius t. Prophetæ autem viderunt *Dominū ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum* u. Si chalcedonius Apoſtolorum, *Porrò carbunculus, Græcè dicitur ἄνθραξ, id eſt, pruna ignita*, licèt idem Cornelius, ſentiens quòd chalcedonius ſit ſpecies carbunculi. *Et illi quidem*, id eſt, Apoſtoli, *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati* x. Si ſmaragdus Martyrum, *Smaragdi ævi ſunt affines, durique & invulnerabiles*, ait idem Cornelius. Martyres autem *obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum* y. Si Sardonyx Confeſſorum, *Sardonyx notat candorem*, ait idem Cornelius. Confeſſores autem vocat Scriptura z *Candidatos, qui legem Domini compleverunt*. Si ſardius Virginum, *Sardius colore ſimilis eſt carni perſpicuæ ac pellucidæ, ita ut caro humana in gemmam pellucidam & ſplendentem videatur converſa, ait Plinius*, dicit idem Cornelius a. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quòcumque ierit* b. Tandem, Si cæteri lapides pretioſi, quos recenſet S. Joannes c *Chryſolithus, Beryllus, Topazius, Chryſopraſus, Hyacinthus, Amethyſtus*: cùm Maria, ſicut patet ex dictis, ſit exigua Jeruſalem: & ipſe S. Joannes dicat immediatè antè, *Et erat ſtructura muri ejus ex lapide Jaſpide: ipſa verò civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo: & fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioſo ornata*: Et vocetur ab Eccleſiâ *Sancta Maria, Dei Genitrix, Regina Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Sanctorum omnium*: Angeli ſuſtinere non poſſunt tantum ſplendorem, qui ipſos offundit caligine. Aliqui admirantes progreſſus & merita ejus, exclamant, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarij* d? Alii videntes omnes pulchritudines cœli in eâ unitas, dicunt præ admiratione adinvicem, *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata* e? Sed ubi pervênit ſupra Cherubinos & Seraphinos, iſti proſternentes ſe ante thronum ejus, gaudentes de fœlicitate illius, inclamant præ exultatione, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum* f? Hæc non ſunt, mundani, gaudia veſtra quæ fluunt æquè velociter ac ventus, *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti* g. Iſtæ exultationes, non ſunt lætitiæ veſtræ mutabiles, quas comitantur dolores inſeparabiliter, & quæ terminantur in triſtitias, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat* h. Sed, *Gaudium ſuper gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium*, ait S. Auguſtinus i. *Ecce jam quibus potuimus votis aſcendentem te ad Filium deduximus & proſecuti ſumus ſaltem à longe Virgo benedicta. In hâc quoque die ſolemnitatis & lætitiæ, dulciſſimum Mariæ nomen cum laude invocantibus ſervulis, per te Regina clemens, gratiæ ſuæ munera largiatur Jeſus Chriſtus Filius tuus, Dominus noſter* k, &c.

r Cornel. in Apoc. 21.19
ſ Gen. 49.18.
t Cornel. in Apoc. 21.19. citans Nicæn. Orat. 14. in Cant.
u Iſai. 6.1.
x Act. 5.41.
y Hebr. 11.33. & 34.
z 4. Eſdr. 2.40.
a Cornel. loco ubi ſuprà, citans Plin. lib. 37. c. 6.
b Apoc. 14.4.
c Apoc. 21.19. & 18.
d Cant. 3.6.
e Cant. 6.9.
f Cant. 8.5.
g Job 20.5.
h Prov. 14.13.
i S. Aug. in Solil. c. 35.
k S. Bern. ſerm. 4. de Aſſumpt. B. V.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Et apprehendens eum de turbâ ſeorſum Marc. 7. 33. &c.

HOmo ſocietatem diligit, ſed ſocietas eſt injurioſa homini: Arbores altiſſimæ non creſcunt niſi ſuper montibus minùs habitatis: Leones ferociſſimi nunquam vadunt in conſortio, ſed morantur in deſertis remotiſſimis: Et alia reperiuntur animalia, quæ ſibi cavant antra & cavernas in terrâ, ut ibi ſint magis ſolitaria: Aquilæ generoſiſſimæ, ſunt minùs ſocietatis amicæ, ipſæ recedunt, & ſurſum ſe elevant in altra, ubi viæ quærunt minùs frequentatas: Tandem, Angeli in cœlo ſunt ſolitarij, & hoc per conditionem naturæ ſuæ, quæ ipſos invicem diſtinguit, nec duos patitur eſſe ejuſdem ſpeciei, ſaltem ex mente S. Thomæ *a* dicentis, *Omnes Angeli differunt ſpecie ſecundùm diverſos gradus naturæ intellectivæ.* Ita verum eſt quòd ſocietas eſt periculoſa, & quòd ad hoc ut quis ſit perfectè Chriſtianus, debet eſſe ſolitarius. Veritatis iſtius adumbrationem habemus in perſonâ iſtius ſurdi & muti Evangelij noſtri, qui eſt figura peccatoris inveterati in criminibus ſuis per longam conſuetudinem, quem Jeſus manu apprehendit, ut educat eum ex occaſionibus & converſationibus periculoſis, illumque reſtituat in viam ſalutis ſuæ, *Locus moralis de peccati occaſione, & converſatione noxiâ ante omnia fugiendâ. Prima hujus ſurdi & muti ſanandi ceremonia; quam Chriſtus extra ordinem adhibuit, hæc erat, ut eum à turbâ ſemoveret: non quia etiam in media turbâ ſanare eum non poterat, ſed ut doceret hoc graviſſimi morbi genus, hominemque in peccato obduratum, non priùs ſanari poſſe à Deo, non priùs remedium ſalutis à Deo accepturum, quàm peccati in quo eſt, occaſiones fugerit, converſationem noxiam declinaverit, irritamenta malorum penitus excuſſerit*, ait Stapletonus *b*. Intendo vobis igitur monſtrare bonitatem Dei, qui ut bonus Pater apprehendit peccatorem manu, eumque ducit in ſolitudinem ſeorſum, ut reddat eum dignum pœnitudine, & diſponat illum ad pœnitentiam. Hoc erit ſubjectum diſcurſus iſtius. Sed antequàm incipiamus, ſciendum eſt quòd Jeſus Chriſtus eſt et meritus hanc gratiam, cùm exiens à *Patre, & in mundum* *c* veniens, & relinquens beatam ſocietatem Angelorum, ſe reddidit ſolitarium *in utero* B. Virginis Mariæ cùm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave d Maria.*

a S. Thô. 1. p. q. 50. a. 4. ad 1.

b Staplet. in Prompt. Mor. Æſtiv. Dom. 11. poſt Pent. Propoſitio.

c Jo. 16. 28.

d Luc. 1. 28. &c.

Res habet ſe de vitiis ſicut de magnis fluminibus: omnia flumina non ſunt in origine ſuâ niſi exiguum filum aquæ, quod magnificatur & creſcit eo ipſo quo progreditur; inflatur per occurſum tot rivulorum, quot ſuſcipit in ſinum ſuum: & illud quod in origine ſuâ voluptatem præbebat ſuavi murmure ſuo, cùm ipſius aquæ adhuc mediocres infringebantur ſuper ſilices, qui opponebant ſe curſui ipſius, poſteà nos afficit faſtidio: curſus ipſius ſic eſt rapidus & violentus ut ipſius velocitas viſum lædat, & ipſius ſtrepitus eſt auri ſic importunus ut vix permittit aliud audiri præter ipſum: ſic vitia ſæculi non ſunt in principio niſi exigui & leves defectus, qui facilè poſſent vinci, ſi opponeretur ipſis reſiſtentia diligens; ſed defectu reſiſtentiæ hujuſmodi, quotidie magnificantur, & augentur per frequentationem & conſortium æquo liberiorum, unde parva vitia tranſeunt in magnas conſuetudines, & in vulnera inſanabilia, *Quia hæc dicit Dominus: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua*, per Jeremiam *e* ſingulos peccatores in vitiis obduratos alloquens. Non ergo mirabimini, ſi dicam vobis quòd ſalvare volens Deus animam, removet illam è ſocietate, ut reddat eam capacem audiendæ vocis ſuæ, *Dicit Dominus, Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor ejus f.* Deus cœpit loqui mundo, cùm produxit hunc numerum infinitum creaturarum, quæ ſunt veluti tot linguæ, quæ annunciant voluntates Domini: *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* g. Et, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum* h. Sed res mirabilis! Homo eſt ſub manu Dei, ſed non audit vocem illius; ſtrepitus mundi, ſolicitudo negotiorum, œconomia, commercia, & ſocietas æquo liberiorum ſunt magna impedimenta quæ avertunt vocem Dei ne perveniat ad nos uſque: ſed Deus qui vult facere triumphare gratiam ſuam, nos ſegregat, nos educit ex iſto tumultu, ut nos reddat capaces ſuſcipiendarum impreſſionum, quas vox ipſius ponet in cordibus noſtris.

e Jer. 30. 12.

f Oſee 2. 14. & 14.

g Pſal. 148. 5.

h Pſal. 18. 2.

Obſervaverunt antiqui Philoſophi, quòd cœli motibus ſuis ſic eximiam & ita jucundam formant harmoniam, ut ſi ipſa poſſet audiri auribus noſtris, in admirationem raperet mentes noſtras; ſed quòd ſtrepitus mundi confuſus impedit ne poſſimus illam diſcernere: non eſt profectò quid ſuavius & gratius voce Dei; ſed affectus terræ quibus implicati ſumus, impediunt ne audiamus hanc vocem cùm nobis dicit, æquè ac noſtro ſurdo Evangelico, *Ephphetha, quod eſt, adaperire.* Obſervate igitur modum procedendi Dei, & ſequimini conceptum meum. In omnibus entibus tria ſunt quæ concurrunt ad ipſorum inſtitutionem, putà principium, ſubjectum, & objectum. Principium dat ipſi eſſe. Subjectum ipſum ſuſtinet. Et objectum præparat & diſponit ipſi finem. Quicumque igitur habebit cognitionem trium iſtorum, in qualibet re, perfectè cognoſcet meritum naturæ illius: & quicumque volet uti hâc triplici clave ad examinandam ſeriò vitam Chriſtiani, clarè videbit modum procedendi Dei, qui eſt principium omnium virtutum Chriſtianarum, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, dicit S. Jacobus i. Cui ſubdit Dionyſius Carthuſianus *k*, *Certum eſt apud Philoſophos, omne quod citra Deum eſt, à Deo fluxiſſe mediatè, vel immediatè. Ariſtotele proteſtante, Ab hoc Ente omnibus communicatum eſt eſſe, & vivere. Atque Author libri de Cauſis, Omnis cauſa primaria plus influit quàm quæcunque cauſa ſecunda. Veruntamen aliter dicunt ſancti Theologi, virtutes & actiones meritorias eſſe a Deo quàm Philoſophi. Quia Philoſophi dixerunt hominem naturali poteſtate, & propriâ ratione poſſe virtutes acquirere, & fœlicitatem mereri. Quod quamvis verum ſit aliquo modo de virtutibus naturalibus politicis, in beatitudine naturali, Theologi tamen affirmant hominem (quia ad ſupernaturalem beatitudinem eſt creatus l) indigere gratiâ gratum faciente, virtutibuſque infuſis ſupernaturalibus, ac Theologicis; & inſuper actuali motione Spiritus ſancti in omni meritorio actu: ut ſic media correſpondeant fini.* Cor hominis eſt ſubjectum earundem virtutum Chriſtianarum,

i Jacob 1. 17.

k Dion. Carthuſ. art. 1. in Jacob. 1. 17.

l ex Gen. 1. 27.

& ſan-

& ſanctitas eſt earum objectum, quò referri debent omnes actiones vitæ ejus. Deus qui eſt Author & origo totius ſanctitatis, *Sanctus ſanctorum* m, eſt etiam principium ſolitudinis, *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me* n. Deus nullum patitur ſocium: & ſicut creavit hominem propter ſe, non vult etiam ut habeat commercium vel ſocietatem cum alio quàm ſe, & cùm ille ſe ſeparat ab ipſo, ipſe ſe reunit ei per gratiam.

m Dan. 9.24.
n Deut. 32.39.

Omnes virtutes, naturales, morales, aut acquiſitæ, non ſerviunt niſi ad dandam perfectionem homini in ſtatu in quo eſt. Naturales diſponunt eum propter ſemetipſum. Morales illum præparant propter alios: Sic juſtitia quæ eſt virtus moralis, vacare facit illum eis quæ ſpectant proximum: Temperantia regulas præfigit modo procedendi ejus, ne injuriam vel ſcandalum pariat proximo: Charitas effundit illum ad omnes per communicationem: Prudentia illum dirigit in agendis, vel vitandis: Et fortitudo opponit illum quibuslibet eventibus: Tandem, Virtutes omnes occupant eum ad extrà, & propter bonum ſocietatis & commercij; intelligo ſemper de virtutibus moralibus. Sola gratia refert hominem ad Deum, quippe quæ educit eum è commercio, ſeparat illum à ſocietate creaturarum, & ipſum elevat ad ſupremam & adorabilem majeſtatem ejuſdem Dei, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus*, ait S. Joannes o. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus p. *Hoc dupliciter poteſt exponi. Primò ſic, Qualem charitatem dedit nobis Pater, id eſt, quàm magnam ſuam erga nos dilectionem nobis oſtendit, ſeu quantùm ſe diligere nos monſtravit, per hoc quòd contulit nobis gratiam iſtam talem ac tantam, ut adoptivi filij ejus vocemur, & ſimus. Eſt enim conſuetudo Scripturæ, ut aliquid dicatur fieri ſeu donari, quando ejus factio ſeu donatio innoteſcit, ſeu manifeſtatur, quemadmodum poſt reſurrectionem Chriſtus diſſeruit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ* q. *Quantùm poteſtas ſibi ab Incarnationis exordio fuit collata. Sicque Deus Pater magnam charitatem nobis dedit per hoc quòd extremam ſuam dilectionem nobis per Chriſtum monſtravit, tutantùm quòd per Chriſtum ejuſque diſcipulos proteſtatus eſt, nos eſſe adoptivos filios ſuos per fidem & charitatem. Unde Salvator in Evangelio* r *ſæpiùs loquitur, Sitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Atque ad Galatas* ſ *ſcribitur, Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu. Et alibi inducitur, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* u. *Sicque per Deum Patrem hoc loco ritè intelligitur Trinitas Deus, cui aſſiduè dicimus, Pater noſter qui es in cœlis* x. *Totius enim ſuperdigniſſimæ Trinitatis, una eſt erga nos dilectio, & una charitatis ad extrà effuſio: quoniam operatio ejus ad extrà eſt indiviſa* y, *cùm trium ſupereſſentialium perſonarum ſit una eſſentia, eademque poteſtas. Secundò, Exponitur ſic, Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, id eſt, quàm ſublimis digna, & efficax ſit charitas ipſa infuſa, virtus Theologica, quam Deus per creationem nobis largitus eſt: cujus tanta eſt virtus ac eminentia, ut per eam potiſſimè adoptivi filij Dei efficimur & vocamur. Propter quod loquitur Paulus, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* z. *Et rurſus, Non accepiſtis, inquit, ſpiritum ſervitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus, Abba, Pater* a. *Hinc rurſus hortatur, Imitatores Dei eſtote, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos* b.

o 1. Joan. 3.1.
p Dion. Carthuſ. art. 4. in 1. Jo. 3.1.
q Matth. 28.18.
r Matth. 5.45.
ſ Gal. 3. 26.
u Joan. 1. 12.
x Matth. 6.9.
y ex S. Aug. in Enchirid c. 38.
z Rom. 5.5.
a Rom. 8.15.
b Epheſ. 5.1. & 2.

Natura facit exire hominem extra ſemetipſum: Philoſophia reddit hominem homini: ſed gratia reddit hominem Deo. Gratia ſuſpendit omnes facultates hominis, retrahit eum ex occupationibus & munijs ſæcularibus, ut applicet illum penitus negotijs ſerijs ſalutis ſuæ. Anima in hoc receptu & in hâc ſolitudine ſeorſum ſuſcipit lumina ſplendentia, quæ diſſipant obſcuritatem tenebrarum mentis ipſius, & hanc magnam confuſionem, quam mundus in ipſam introduxit, ſimilem primo illi chao, quod videbatur in creatione mundi c: & ſpiritus ipſius purgatus & diſſolutus ab omnibus iſtis paſſionibus, quæ ipſam anteà turbabant, incipit guſtare ſuavitates Patris cœleſtis: experitur ipſa amaritudinem mundi, condemnat ipſa vitam ſuam præteritam, & elevans ſe generoſo conatu, revertitur ad Deum ſuum, & adhæret ei amore & affectu, *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſe ſuper ſe*, dicit Jeremias d. Et poſt eum Pintus e, *Sedebit ſolitarius, & tacebit. Subauditur vir, qui portavit jugum ab adoleſcentiâ ſuâ, de quo proximè locutus fuerat. Solitudo enim & ſilentium maximè conducunt ad jugum Domini æquo animo ferendum. De ſolitudine ait Deus apud Oſeam* f, *Ducam eam ad ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. De ſilentio ait per Iſaiam* g, *Cultus juſtitiæ ſilentium. De utroque ait David* h, *Similis factus ſum pelicano ſolitudinis. Quod poteſt verti: Silvi ſicut pelicanus ſolitudinis. Quemadmodum pelicanus, & aquila, cæteraque aves nobiles ſolent hominum familiaritatem declinare, & ad loca deſerta confugere: ſic viri ſapientiâ & animi altitudine præſtantes ſolent hominum frequentiam evitare, & à cœtu amicorum, mundique tumultu tanquam in portum ſe in ſolitudinem recipere. Et quemadmodum equus fræno reprimitur & domatur: ita homo ſilentio in gyrum rationis ducitur. Quia levavit ſe ſuper ſe. Non ſuper alios ſe effert vir juſtus, ut velit principatum obtinere, quod eſt ſuperbiæ proprium: ſed ſuper ſeipſum, quod ad animi pertinet humilitatem. Nam ut in ſtaterâ quantò magis pars una deprimitur, tantò altiùs altera extollitur: ita in verâ Religione, quantò quis depreſſiùs ſe abjicit per humilitatem, tantò excelſiùs effertur per virtutem & contemplationem. Qui ſe levant ſuper ſe, ad altiſſimam Divinarum rerum contemplationem rapiuntur. Nonnulli Codices correcti habent: Quia levavit ſuper ſe: ſubaudi jugum Domini: ut ſit ſenſus: Manebit in ſolitudine, & ſilebit, quia ſuper ſe jugum Domini portavit.* Ubi poſſumus obſervare differentiam, quæ reperitur inter ſolitudinem Chriſtianam & ſolitudinem Philoſophorum. Iſti non fugiebant converſationem & ſocietatem hominum, niſi ut vacarent ſibimetipſis; & cùm neceſſitas ipſos inducebat ad prodeundum in publicum, ſuper quod decentia non poterat ipſos diſpenſare, hujuſmodi communicationem ſic diſponebant ut nunquam amitterent quietem & tranquillitatem ſuam. Sic ſolicitè non incumbebant negotiis, ſed in illis ſe oblectabant; non ſe dabant amicis, ſed illis ſe commodabant; & in varietate negotiorum publicorum, vel domeſticorum, poſſidebant ſemper ſemetipſos, quia non ſe applicabant penitus iiſdem negotiis tractandis, ſed ſemper optimam retinebant ſibi ipſis portionem: ſed ſolitudo Chriſtiana facit hominem exire è ſeipſo, ut ſe omnino Deo conſecret: omnia alia apparent ipſi inutilia, aut indifferentia, & ſolo Deo perfectè occupari poteſt: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ*, dicit S. Lucas i de Magdalenâ. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus k, *Maria optimam partem elegit, videlicet Deo vacare, juxta illud, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt* l: *Deum diligere, mente quietâ contemplativam ducere vitam, & ipſum incommutabile*

c Gen. 1.2.
d Thren. 3.28
e Pintus in Thrē. 3.28
f ex Oſeæ 2.14
g Iſai. 32. 17.
h Pſal. 101.7.
i Luc. 10. 42
k Dion. Carthuſ. art. 28. in Luc. 10. 42.
l Pſ. 72. 28.

m Thr. 3. 24. *bile: Bonum quærere ac habere, de quo in Threnis m ſcriptum eſt, Pars mea Dominus, dixit anima mea, proptereà expectabo eum. Hanc digniſſimam partem elegit Maria, terreius contemptis & corporalibus occupationibus, tanquam minus bonis, majoriſque boni impedimentum relictis. Quæ non auferetur ab eâ. Quoniam pars hæc incipit in hâc vitâ, & continuatur in patriâ: perficitur quoniam in eâ, quoniam contemplatio via per fidem eſt quædam inchoatio contemplationis Beatorum*
n 1. Cor. 13. 12. *per ſpeciem: propter quod ait Apoſtolus n, Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Et, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Virtutes in principio mundi erant multò liberiores quàm nunc ſint: oportebat ut apparerent ipſæ cum ſplendore, ut elongarent & procul amandarent vitium pulchritudine ſuâ, & opponerent ſe idololatriæ merito ſuo: ſic virtus ad hoc ut ſit virtus debet eſſe nuda, ipſa non vult latêre, oportet ut ipſa ſplendeat, & hoc eſt ipſam extinguere, aut eripere ipſi medium ſui ſplendoris, ac tribuere ipſi pallium, vel aliquod ornamentum: ſed hodie virtutes Chriſtianæ, ſi ipſæ volunt ſe conſervare, debent latêre, & pereunt eo ipſo quo in claram prodeunt lucem, *Vita veſtra eſt abſcondita cum*
o Coloſſ. 3. 3. *Chriſto in Deo*, dicit S. Paulus Coloſſentibus o. Et
p Dion. Carthuſ. art. 3. in Coloſſ. 3. 3. Dionyſius Carthuſianus p Chriſtianis pravi virtutum veratum vacantibus, *Vita veſtra quam habituri eſtis in patriâ, abſcondita eſt, id eſt, repoſita & latenter conſiſtens cum Chriſto in Deo, id eſt, in Deo Patre, in cujus corde & ſinu r Chriſtus incomprehenſibiliter con-*
r ex Jo. 1. 18. *quieſcit, Quoniam nemo novit Filium, niſi Pater ſ. Hac*
ſ ex Mat. 11. 27. *autem vita æterna eſt noſtra ſœlicitas in Deo objectaliter ſita, de quâ dicit Salvator ad Patrem, Hæc eſt vita*
t ex Jo. 17. 3. *æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum Deum t, &c. Vel ſic, Vita veſtra, id eſt, vita gratiæ & gloriæ, abſcondita, id eſt, ignota eſt omnibus viatoribus in Deo, qui eam cognoſcit atque cauſaliter continet. Nemo enim*
u ex Eccl. 9. 1. *novit an dignus ſit amore, vel odio u.* Vitrum quò magis ſplendet, eò magis apparet, eòque majori eſt expoſitum periculo deprædationis: ſic, ait S. Gre-
x S. Greg. hom. 11. in Evãg. gorius x, *Deprædari deſiderat qui theſaurum publicè portat in viâ.* Et pulchritudo mulieris eſt æquè citò concupita, ac viſa: ſic virtus damnum patitur in ſocietate, ſive per adulationem, vel quia ipſam perſequitur vitium, quod ipſam metuit, quodque ſolum regnare vult in mundo: ſolitudo igitur eſt ipſi favorabilis; ipſa eſt pulchritudo quæ amittit medium ſplendoris ſui, cùm perdit velum ſuum: non ergo ſine ratione Deus facilem præbere volens animæ viam operandæ ſalutis ſuæ, ducit ipſam in ſolitudinem. Scio quidem quòd ſolitudo non producit innocentiam: ſed non ignoratis quòd ipſa multùm ſervit ad cuſtodiendam eam; & quòd non ſolùm utilis eſt ad conſervationem innocentiæ, ſed etiam ad deſtructionem vitij, quòd moritur ſtatim ac exit è ſocietate. Sic eſt, Auditores: ſocietas eſt elementum vitij, & hoc eſt illi mortem irrogare, ac illud inde removere: in vanum enim mulier ornabit ſe, quæ non debet apparere niſi coram ruſticis; fruſtrà ſuas ille impendet operas ad accumulandas divitias, qui nullas habet ampliùs cogitationes de uxore, & de liberis, qui ſolutus eſt ab iſtis catenis, & qui non cogitat niſi de Deo. Ita verum eſt, quòd ſolitudo eſt injurioſa vitio, favorabilis virtuti, & neceſſaria ad audiendam vocem Dei. Ille nunquam cogitaret de Deo quandiu implicatus eſſet negotijs civilibus, imò verò putaret impoſſibile ut extricaret ſe ab eis, niſi Deus infringeret has catenas, niſi Deus ipſum urgeret ad exeundum more alterius Lot ex incendio Sodomæ ut *in monte ſalvum* y *ſe faceret. Et apprehendens* y Gen. 19. 17. &c.
eum de turbâ ſeorſum, ait illi, Ephphetha, quod eſt, adaperire. Sanè, Auditores, receſſus à mundo neceſſarius eſt ad audiendam vocem Dei, & difficile eſt ut gratia ſuſcipiatur ab homine, qui incumbit occupationibus mundanis, niſi ſe recipiat in ſemetipſum; tunc enim gratia Dei, inveniens animam liberam, diffundit ſe ſuper eam, & improperat illi infidelitatem ſuam, crimen ſuum, inobedientiam ſuam: & hæc anima quæ non agitatur ampliùs importunitatibus mundi, ſuas præbet attentiones voci quæ ipſam clàm alloquitur, emittit ipſa lacrymas, & deplorat miſeriam ſuam, & cæcitatem ſuam. Sic recenſetur de quodam Senatore Romano, quòd cùm didiciſſet, quòd filius ſuus impatiens expectare mortem ipſius ad habendam ipſius hæreditatem, ſtatuiſſet hanc mortem ipſi anticipare, & ideò quæreret manum per raptoris ad exequendum pravum conſilium ſuum, ipſe apprehendit eum aliquando manu, & cùm duxiſſet illum in locum remotum, ubi à nemine videri, vel audiri poterant, dixit ei, Ecce, miſer fili, pater, cujus expectare non potes mortem; vita mea tibi eſt odioſa & faſtidioſa, nimis diu vivo, tuâ quidem ſententiâ, & langues ſuſpirans ad poſſeſſionem hæreditatis meæ, & ideò ſtatuiſti habere interventu parricidij id, quod natura tibi acquiſivit, licèt ipſa tardet tantiſper eam tibi dare: ecce gladius, perfice conſilium tuum, infige mucronem iſtum in pectus illius qui tibi vitam præbuit; & ſi times ne videaris, en adſumus loco in quo metuere non debes ne habeas teſtes criminis tui; ſolitudo favet conſilio tuo, nulli ſunt hic oculi qui nos videant, nec aures aliquæ quæ nos audiant. Hæc verba talem ſortita ſunt effectum, & ſolitudo ſic vehementer intertur bavit mentem illius adoleſcentis ut confeſtim reliquerit arma & crimen ſuum, proſternens ſe ad pedes patris ſui, contentâ voce veniam inclamans, & in lacrymas erumpens, ut viveret impoſterùm in perfectâ obedientiâ ſub patre ſuo, quem ſecutus eſt plorans in civitatem, *O ſolitudinem ſanguine meliorem! O ſylvam armis potentiorem!* exclamat Hiſtoricus. Videtis quomodo ſolitudo potens eſt ut inducat æquo liberiorem ad pœnitudinem, & in emendationem vitæ ſuæ: non immeritò ergo dico, quòd Deus peccatorem ducit in ſolitudinem, ut reddat eum capacem peragendæ pœnitentiæ.

Nolite tamen, Auditores, perſuadere vobis, quòd per iſta verba intendam vos educere domibus veſtris, deſertas facere familias veſtras, & inducere vos ad relinquendas civitates, & ad percurrendas ſylvas; iſtud ego non ſentio, nec eò inclinor: hæc ſolitudo non eſt propria niſi Eremitis: illud quod à vobis concupiſco, non eſt aliud niſi ut conſulam vobis ſanctum reditum ſuper vos ipſos, ut conſulatis ſuper ſtatum ſalutis veſtræ. Cùm intereſtis foro, converſationi, quis impedit quin agatis elevationem mentis ad Deum? Suſpirium clàm vibratum versùs cœlum, prompta reviſio & reflexio ſuper voſmetipſos, ſunt exercitia ſolitudinis, quæ ubique poſſunt exerceri. Non eſt tamen ſatis Chriſtianis ac exercere ſolitudinem communem omnibus paganis; ſed vellem ut ſumeretis ſemel intra annum octo vel decem dies ad cogitandum de vobis in aliquo loco ſecreto, & ſemoti à ſtrepitu & ſolicitudine negotiorum. Sed ſatius etiam eſſet ut ſingulis diebus examen ageretis ſuper vitam veſtram, & ſuper particularem modum procedendi cujuslibet diei; ut veſpere antequam iretis cubitum, proſterneretis vos ad pedes

Crucifixi,

Crucifixi, aut in oratorio veſtro induceretis animam veſtram ad reddendam rationem uſûs quem ipſa fecit gratiarum Dei, creaturarum, & bonorum quæ Deus vobis tribuit. Sed diceretis ſinguli mihi, Si iſtud agam, deriſui exponar. Quis autem deridebit te? Uxor tua? filij tui? Iſti ſunt igitur athei: & nunquid non ipſi debent idem agere? Et dato quòd ſingulis vobis eſſet ſuſtinenda deriſio, pudetne vos vacare exercitiis Chriſtiani, & obſequia veſtra Deo exhibere? Erubeſcitiſne facere id cui incumbebant aliqui Philoſophi Ethnici, qui animam ſuam diebus ſingulis inducebant ad reddendam rationem uſûs potentiarum ſuarum, num applicuiſſet eas virtuti, & qui corripiebant eam exceſſuum ſuorum? Quòd ſi vos pudet benefacere, renunciate ergo Chriſtianiſmo, fidei, & Baptiſmo, & poſteà vivetis ſicut vobis placebit: ſi verò æſtimatis vocationem veſtram, in praxim ergo redigite illius exercitia.

Solitudo non eſt ſolùm praxis Chriſtianiſmi in terrâ, ſed eſt etiam exercitium Angelorum in cœlo. In Empyreo duplex eſt genus Angelorum. Alij ſunt aſſiſtentes, *Ego ſum Raphaël Angelus, unus*
z Tob. 12. 15. *ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum* z. Et, *Millia*
a Dan. 7. 10 *millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei* a. Et alij ſunt miſſi, *Nonne omnes, ſunt*
b Hebr. 1. 14. *adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis* b? Præ hâc tamen
c Dion. Carthuſ. art. 1. in Hebr. 1. 14. differentiâ, quòd ſoli inferiores mittuntur. Nam, ut obſervat Dionyſius Carthuſianus c, *Angelis convenit duplex miſſio, ſcilicet interior ſecundùm operationes intellectuales, prout unus illuminat alium, ſicque ſuperiores mittuntur, medios & inferiores illuſtrando, & ad exteriora officia dirigendo ordine hierarchico. Alia eſt eorum exterior miſſio ſecundùm actus tranſeuntes circa corpoream creaturam ſic, ſoli inferiores mittuntur. Omnes ergo ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſteriũ miſſi miſſione interiori, vel exteriori. Quatuor autem ſuperiores ordines non mittuntur ad extrà, ſecundùm Thomam, ſed quandoq; inferiores, videlicet Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Virtutes.* Eodem modo ſe res habet de Curiâ cœli ac de Curiâ Regum terræ. In Curiâ Regum ſunt Domini ſervientes, qui nunquam deſerunt Curiam per tempus ſervitij ſui: & in eâ ſunt etiam nobiles miſſi, quos Princeps mittit ad Provincias latum ordines ſuos, & voluntates ſuas: ſic in cœlo ſunt Angeli miſſi, nempe ij qui vacant hominum ſaluti promovendæ; hi ſunt Angeli tutelares Regnorum, Provinciarum, Civitatum, & cujuſlibet hominis in particulari, de quibus ait idem Carthuſianus poſt Apoſtolum præfatum, *Nonne omnes Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus, id eſt, Divino imperio ſervientes. In miniſterium, id eſt, ad obſequium ſeu adjutorium Electorum, miſſi a Deo miſſione interiori vel exteriori propter eos, id eſt, eorum profectum qui hereditatem capiunt ſalutis? id eſt, cœleſtem atq; beatificam hereditatem patriæ, ſcilicet beatificam Dei viſionem adipiſcuntur?* Alij ſunt qui vocantur aſſiſtentes, qui ſemper ſunt appliciti contemplandæ faciei Dei, nec unquam recedunt ab Empyreo: atqui omnes Angeli, cujuſlibet ſint conditionis, aut aſſiſtentes, vel miſſi, ſunt ſemper ſolitarij; illi per continuam applicationem contemplationi magnitudinum Dei; & iſti, licèt interrumpantur per miniſterium quod exhibent mundo, ſemper tamen Deum intuentur, nec priùs ſuum perfecerunt miniſterium cum ſtatim revertuntur ad contemplationem. Domini mei Sacerdotes, Religioſi, & vos omnes qui vacatis miniſterio Dei, eſtis Angeli aſſiſtentes altaribus: *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt* d. Conditio veſtra vos obſtringit ad
d Malach. 2. 7. ſolitudinem, ad ſtudium myſteriorum Divinorum, & ad praxim officiorum veſtrorum: tenemini fugere occupationem mundi, ſtrepitus ſæculi, & ſolicitudinem negotiorum mundanorum: non eſt ibi elementum veſtrum. Vos autem qui addicti eſtis mundo, familijs veſtris, ac negotiis, licèt conditio veſtra multùm vos occupet, quia multis vos curis onerat, tamen non ideò diſpenſamini à ſolitudine, ſed illâ eò magis indigetis.

Duo ſubjecta ſunt capacia ſolitudinis, Angeli, & bruta. Angeli ſunt ſolitarij, quia ipſorum natura non patitur duos ejuſdem ſpeciei, ſaltem juxta S. Thomam in principio diſcurſus illius citatum. Bruta ſunt ſolitaria, quia nihil habent ſociabile, nec ullam qualitatem quæ ipſa reddat commendabilia & communicabilia: ipſorum ſtupiditas, & paſſio inordinata quâ ipſa efficiuntur erga ſemetipſa, & erga id omne quod blanditur ipſorum commodis, ſunt duo impedimenta quæ ipſa retrahunt è ſocietate; ſic morantur ipſa in deſertis & in ſylvis. Omnium hominum duo ſunt genera. Alij ſunt ita ſtupidi & ſic rudes ut nihil habentes illius omnis quod alit & fovet ſocietatem, recedant è ſemetipſis à conſortio ad operiendos defectus ſuos, qui ipſos redderent contemptum & deriſum mundi. Alij ſunt è contrà, qui non deficientes induſtriâ, ſocietate, & multis alijs præclaris qualitatibus mentis & corporis, quæ faciunt ipſos conſiderari more Angelorum, recedunt nihilominùs cum electione è conſortio hominum, ut cum majori libertate muniis mentis, & exercitiis Angelorum vacent: ibi meditantur conditionem ſuam, dependentiam ſuam, & obligationem cui ſunt adſtricti inviolabiliter diligendi Deum; & ſerviendi ei, juxta hoc mandatum ipſius ad univerſos & ſingulos homines directum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ*
e Matth. 22. 37. *tuâ, & in totâ mente tuâ* e. Ibi humiliant ſe, ſubmittunt ſe, adorant & amant majeſtatem & bonitatem Dei, qui ipſos *creavit ad imaginem, & ſimili-*
f Gen. 1. 27. *tudinem ſuam* f. Tandem, diſcunt proprijs experientiis, quòd ſolitudo Chriſtiana eſt fœlicitas & conditio abſolutè neceſſaria ad emendationem vitæ; quòd non eſt ſic horribilis, ut homines imaginantur, cùm exerceatur ab ipſis Angelis in cœlo, & à Deo qui eſt perfectæ ſolitudinis idea.

Duæ ſunt res admirabiles in myſterio adorabili Sanctiſſimæ Trinitatis, nimirum pluralitas perſonarum, & unitas ſubſtantiæ, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt*, ait S. Joannes g.
g 1. Joan. 5. 7. Cui ſubdit Dionyſius Carthuſianus h, *Quoniam*
h Dion. Carthuſ. art. 7. in 1. Jo. c. 7. *tres ſuperbenedictæ & ſuperveneranda perſonæ ſunt una eſſentia, unus Deus, unum univerſorum principium, & unus omnium ultimus finis: unum ſummum bonum, unum plenæ fœlicitatis objectum, quo ſolo fruendum eſt. Divinitatis quippe natura nequaquam poteſt multiplicari, ſed eſt numero una in tribus: & quidquid abſolutè competit Deo, toti Trinitati, ſingulisque perſonis commune eſt, & unum in tribus. Propter quod loquitur Chriſtus, Ego & Pater unum ſumus* i.
i Jo. 10. 30. *Superexcellentiſſima quoque Trinitatis perſonalem diſtinctionem eſſentialemque unitatem Chriſtus pandit, dicens, Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti* k. Atqui licèt hæc
k Matth. 28. 19. ſanctiſſima Trinitas, & iſtæ tres Divinæ perſonæ forment fœlix conſortium, & auguſtiſſimam omnium ſocietatum; non excludunt tamen ipſæ ſolitudinem: nam inter iſtam pluralitatem per-

ſonarum non reperitur niſi una natura, & ſola ſubſtantia, quæ non conſtituit niſi ſolum Deum, ſicut ipſemet Deus ait, *Videte quòd ego ſim ſolus* l. Atqui hoc auguſtum myſterium ſervire nobis debet loco objecti & exempli ſolitudinis & ſocietatis. Tres Divinæ perſonæ in gloriâ converſantur ſimul cum maximâ puritate, & in ſanctitate conſummatâ & perfectâ, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* m. Eruamus, ſi placet, hinc, Auditores, omnem noſtræ prædicationis fructum. Tota fœlicitas, aut corruptio morum noſtrorum procedit è ſocietate quam frequentamus, & nemo eſt, cujuslibet naturæ ſit, qui non ſumat impreſſiones qualitatum perſonarum, quibuſcum converſatur, *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris* n. Huc operas veſtras impendere debetis, parentes, æquè ac oculos veſtros injicere, advertendo quibuſcum perſonis converſentur liberi veſtri. Unde enim putatis quòd procedat tanta corruptio morum, quæ videtur in Chriſtianiſmo, niſi è malo exemplo? Nemo eſt quem pravum exemplum non corrumpat. Unde putatis quòd liberi veſtri ſic ſunt corrupti, & ita difficilè ſequuntur viam virtutis & ſanctitatis Chriſtianæ, quantamlibet inſtructionem & educationem poſſibilem ſatagatis eis dare? Illud provenit è malis ſocietatibus quas frequentant. Ecce adoleſcens, cui Deus tribuit naturam bonam, mentem ſolidam, magnam docilitatem; Diceretis quòd gratia elegit ſubjectum iſtud ad faciendam in eo habitationem ſuam; modeſtia illius ſeruit loco exempli toti civitati, virtus ejus admiratione ciet unumquemque; tamen poſt aliquot annos tranſactos in exercitio virtutis videtur omnino mutatus, nullam habet ampliùs modeſtiam & urbanitatem, diſſolutus eſt, æquo liberior, inobediens, & totam familiam interturbat: unde procedit iſta mutatio? Sanè è malo exemplo. Ecce puella prædita magnâ puritate, quæ nunquam novit quid eſſet malefacere; ſi ipſa frequentat mulierem quæ amori profano vacaverit, ipſa peribit intuitu mali exempli iſtius mulieris, quæ fluere faciet vitium in animam ipſius, & inducet ipſam in lapſum antequàm advertat ipſa præcipitium. Attendite ergo parentes, quibuscum liberi veſtri converſationem & ſocietatem ineant.

l Deut. 32. 39.

m Iſai. 6. 3.

n Pſ. 17. 26. & 27.

Converſatio perſonæ vitioſæ eſt periculoſa propter duas rationes. Prima eſt, quia incurrit facilè quis probrum perſonarum quibuſcum converſatur, licèt præ innocentiâ. Ambigetur, Auditores, de virtute filiarum veſtrarum, ſi permittatis ut converſentur cum perſonis ſuſpectis, aut quæ inſimulatæ fuerunt alicujus defectus. Heu! dicetur, Hæc puella converſatur cum illa fœminâ; periculo expoſita eſt: quomodo autem mater ejus ſinit ut adſit hujuſmodi conſortio? Et nunquid non ſcit qualem vitam agat hæc mulier, quæ ſovet amicitias? Juventus accedit facilè domum ejus, ibi ordinarius intereſt circulus: Heu! quanto ſubjacet iſta puella periculo, profectò hæc frequentatio multum nocebit ei. En, Auditores, prima ſubjecta converſationis. Judicate num ſolitudo non eſſet utilior filiabus veſtris. Et cur diceretis quòd Judæi Jeſum Chriſtum crucifigendum ſategerunt inter duos latrones? *Poſtquàm crucifixerunt eum, tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris* o. Profectò ut extinguerent famam ejus, & æſtimationem ſanctitatis illius per ignominiam mortis ipſius; ut perſuaderent populo & poſteritati ejus, quòd eſſet conſcius criminis, cùm morti traditus eſſet inter duos latrones, & quòd in vitâ ſuâ communicaverat vitiis eorum, in quorum conſortio moriebatur.

o Matth. 27. 35. & 38.

Secunda ratio, quæ vos inducere debet, parentes, ad attendendum conſortio liberorum veſtrorum, eſt, quòd ſi pravum conſortium non denigrat famam eorum, ſaltem metuendum eſt ne urat, vel mordeat eam: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ* p. Sic difficillimum eſt ut quis communicet cum perſonâ vitioſâ, & non participet defectus illius. Eſto quòd liberi veſtri ſint ſapientes, tranſeat quòd filiæ veſtræ ſint caſtæ & puræ inſtar Angelorum, ſi velitis, & iſtarum æquè ac illorum virtus ſit cognita: tamen vobis aſſerere poſſum præ veritate, quòd ſi iſtarum æquè ac illorum innocentia non denigratur ex conſortio æquo liberiorum, magnum tamen incurrit periculum: & ſicut non eſt aliquid ſavorabilius conſortio perſonæ virtuoſæ; ſic non eſt quidquam periculoſius ſocietate hominis nequam. Undenam, ſi placet, procedebat ingens illa maris agitatio, & hæc furioſa tempeſtas quæ commovebat navem S. Petri, cum periculo evidenti ſubmerſionis? *Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus* q. Quiſnam dabat occaſionem huic naufragio evidenti? Advertite quænam ſocietas eſſet in iſtâ navi. In eâ ſanè erat aliquis homo nequam, nempe Judas, de quo Dei Filius dixit quòd eſſet diabolus, diſcipulos ſuos alloquens, *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt? Dicebat autem Judam Simonis Iſcarioten: Hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet unus ex duodecim* r. Si ergo ſola præſentia Judæ, qui erat homo flagitioſus, in diſcrimen manifeſtum jacturæ adduxit totum chorum Apoſtolorum in illâ naviculâ contentum; poteſtis ex hoc diſcurſu videre, quòd ſolitudo eſt præferenda ſocietati & conſortio.

p Eccli. 13. 1.

q Matth. 8. 24.

r Joan. 6. 70. & 71.

Juvenis ille Princeps qui amiſit innocentiam ſuam, dum *ſurgeret de ſtratu ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus Regiæ: viditque mulierem ſe lavantem, ex adverſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valdè: miſit ergo Rex, & requiſivit quæ eſſet mulier: nuntiatumque eſt ei quòd ipſa eſſet Bethſabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi: miſſis itaq; David nuntiis tulit eam: quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum eâ* ſ: nobis ſerviet exempli loco, & iſtum diſcurſum terminabit. Iſte Monarcha cùm eò uſque ſuîipſius oblitus eſſet ut patraret adulterium cum Bethſabee, & deinde necem inferendam ſatageret Uriæ viro illius, non ſatis fuiſſe judicavit, ſe ſpoliaſſe ſe purpurâ ſuâ, & induiſſe ſe cilicio, depoſuiſſe ſceptrum ſuum, & diadema ſuum, niſi fugeret etiam in deſerta, *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine* t. Putavit iſte Princeps, quòd virtus erat incerta, & quòd pœnitentia erat ſuſpecta, quandiu ipſe moraretur intra ambitum palatii ſui. Egrediendum eſt foras ad hoc ut virtuosè vivatur.

ſ 2. Reg. 11. 2, &c.

t Pſ. 54. 8.

Ha! peccatores, obſecro vos ex toto corde meo, ut ſerium peragatis reditum ſuper voſmetipſos, & attendatis quibuſcum converſemini. Si autem vobis eſt ineunda ſocietas cum aliquo, pangite illam cum Deo; vel ſi neceſſitas, vel decentia vos urget ad ſociandos vos creaturis, ſociate vos perſonis virtutis amantibus, amicis & ſervis Dei: ſugite æquo liberiores, illorum conſortium vehementer eſt vobis periculoſum, magnumque poteſt in vos invehere diſpendium: ſi illud non occîdit virtutem veſtram, ſaltem illam

probo

probro denigrabit & vituperatione. Credite mihi quòd eſt difficillimum ſe conſervare in loco, ubi virtus eſt impetita tot periculis undequaque, ubi nullum habet ipſa fulcrum, & ubi parum abfuit quin Sancti jacturam fuerint perpeſſi. Credite ergo quòd infallibiliter eſt ſolitudo melior conſortio & ſocietate, & quòd modus procedendi Dei eſt amoroſus intuitu peccatoris, cùm ducit illum *in ſolitudinem, & ad cor ejus* n loquitur, *& ait illi, Ephpheta, quod eſt, adaperire.* Ut diſponat illum ad hoc ut in meliorem emendationis vitæ frugem ſe recipiat, & pœnitentiam agat, & ſic mereatur gratiam ipſius in hoc mundo, & gloriam ipſius in altero ſeculo.

n Oſee 2. 14.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ: & proximum tuum ſicut teipſum.

Luc. 10. 27.

a Exod. 20. 22. & Jo. 1. 17. MOyſes fuit Legislator Hebræorum a Solon Athenienſium, Lycurgus Lacedæmoniorum, & Numa Romanorum. Omnes Legislatores ut Reſpublicas reddant benè moratas, decernunt rotas, torturas, cruces, & ſupplicia: Jeſus Chriſtus autem, qui eſt Legislator Chriſtianorum, non commendat niſi amorem; & ad reddum Chriſtianiſmum benè moratum, non pollicetur niſi mercedes & præmia, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* b. Nos omnes vult unire ſibi,

b Matth. 19. 17. dummodò diligamus ipſum, & proximum noſtrum, præſertim verò inimicos noſtros, uniendo pacem cum bello, juſtitiam cum miſericordiâ, ſicut *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculata ſunt* c in utero B. Virginis Mariæ, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* d *Maria.*

c Pſ 84. 11.

d Luc. 1. 28. & 30. Omnes homines naturali ducuntur appetitu & inclinatione ſciendi & cognoſcendi veritatem, ſed quia hæc *Aſtrea, Juſtitia aniſſita, quam Poëtæ fabulantur aureo ſeculo è cœlo in terram migraſſe, & tandem mortalium ſceleribus offenſam cœlum repetiviſſe* e, non commoratur ampliùs in terris, unusquisque ſatagit illam reperire. Inde ſuam variæ ſcientiæ deſumpſerunt originem, cùm unusquisque autumet ſe eam inveniſſe; inde oritur contentio mentium; inde prominant pariter hæreſes, cùm unusquisque imaginetur ſe ex parte ſtare optimâ, & veritati adhærere; & agnoſcuntur diſcipuli ex opinionibus quas ſequuntur. Diſcipuli Pythagoræ ſecernuntur ab aliis ex metempſychoſi: eſt autem *Metempſychoſis, Latinè animæ tranſmigratio, hoc eſt, tranſitus animarum ex uno corpore in aliud. Putabat enim Pythagoras nihil intereſſe inter animam hominis, quam rationalem animam vocamus, & brutorum animantium: ſed mortuo homine ejus animam tranſmigrare in corpora brutorum* f. Diſcipuli Platonis agnoſcuntur ex ideis, *Ideæ primus Plato appellaſſe perhibetur. Sunt autem ideæ exemplaria æterna eorum quæ naturaliter ſiunt, immortales, immutabiles, inviolabiles. Et ut res apertior fiat, opus eſt, præter omnes homines, intelligere quendam hominem: & præter omnes homines, equum: & præter animalia, animal ingenitum. Et quemadmodum ex uno ſigillo complures fiunt impreſſiones, ſic ex uno homine ſexcenta millia hominum. Et hæc eſt Platonis idea* g. Sed diſcipuli Jeſu cognoſcuntur ex mandato dilectionis, quod ipſis tradit *Magiſter* ipſorum, *Mandatum novum do vobis, Ut diligatis invicem: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* h. Ipſe eſt, quem Pater æternus dedit *Teſtem populis, Ducem ac Præceptorem Gentibus* i, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* k. Qui docet nos viam cœli, quam ſequi debemus, ſi venimus ad illud pervenire: ideò vocatur *Via, & Veritas, & Vita* l. Dicitur *Via.* Quia ſi adhæreamus huic Viæ, infallibiliter perveniemus ad gloriam, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habet lumen vitæ* m. Vocatur *Veritas.* Quoniam non poteſt decipere: res aliqua eſt vera, cùm conformis eſt intellectui, qui ipſam concipit: Jeſus Chriſtus eſt *Veritas*, cùm intellectus Patris æterni, qui ipſum cognoſcit, ſicut ipſe ait, *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te* n, ſit ipſi conformis: dilectio eſt character quo inſignitus agnoſcitur eſſe conformis filio Dei, ſicut ipſe *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* o. Nuncupatur *Vita.* Quia mandatis illius debemus morem gerere, ſi vitæ æternæ poſſeſſionem volumus nobis comparare, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* p. Hæc eſt coticula, ad quam explorantur diſcipuli Chriſti, dilectio, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ: & proximum tuum ſicut teipſum:* Charitas eſt baſis totius Religionis Chriſtianæ quam profitemur, ſicut odium eſt illius ruina & excidium. Et quia aliqui difficultatem inveniunt circa mandatum dilectionis proximi quantùm ad inimicos, oſtendam vobis Primò, Quòd non poteſt quis meliùs ulciſci ſe de inimico ſuo, quàm illi benefaciendo. Secundò, Quòd ille qui ſuſceptas dimittit injurias, fit ſimilis Deo, imitando miſericordiam ejus. Tertiò, Quòd è contrà ille qui ſuo parcere non vult inimico, adverſatur operibus ejuſdem Dei, æquè ac doctrinæ ejus.

e Calep dictió. V. Aſtræa.

f Idem ibid. V. Metempſychoſis.

g Idem ibid. V. Idea.

h Jo. 13. 34. 35.

i Iſai. 55. 4.

k Matth. 17. 5.

l Joan. 14. 6.

m Joan. 8. 12.

n Pſ. 2. 7.

o Sap. 7. 26.

p Matth. 19. 17.

Diviſio.

I. Pars. Quòd non poſſit quis meliùs ulciſci injuriam ſibi irrogatam, quàm benefaciendo, hoc oſtendo in tribus mundis, in mundo elementari, in microcoſmo ſeu parvo mundo hominis, & in mundo archetypo qui eſt Deus. In mundo elementari: re autem verâ unio eſt anima mundi hujus, auferte ab illo unionem, illum deſtruitis: non enim ſubſiſtit niſi unione & concordiâ elementorum inter ſe, aëris qui eſt vicinus igni; terræ, & maris: terra eſt quaſi pelvis aquæ, aqua verò fontibus ſuis terram fœcundat; Hæc ſunt quatuor fundamenta mundi elementaris, in quo videbimus impios qui profanabunt aërem æquè ac ignem, qui facit materiam fulminum; ibi cernemus aërem, qui nebulas format ad obſcurandum Solem, terram, cui diſcinduntur viſcera; mare, cujus ſinus aperitur: quomodo ſe ulciſcuntur omnes iſtæ creaturæ? Beneficiis. Ignis noſtris ſervit uſibus: aër, quo multi abutuntur, noſtræ proficuum ſeſe exhibet reſpirationi: Sol & aſtra reliqua ſuaviſſimas ſuas emittunt deorſum influentias, ſplendorem ſuum ac ardorem effundendo: terra ſuos fructus tribuit, & meſſibus ſe aperit ad nos alendos: mare ſua velut tegit vulnera, nedum queratur, & noſtris ſe præbet opportunum commerciis, nec ſuos nobis piſces renuit. Videte quomodo in mundo elementari non vindicentur injuriæ niſi benefaciendo. In microcoſmo

coſmo hominis ſic eſt unio neceſſaria, ut inter contrarietatem humorum illa reperiatur: hic mundus eſt compoſitus è materiâ & è formâ: Materia quæ nunquam contenta in ſemetipsâ, quæ novas ſemper appetit formas, eſt cauſa omnium deordinationum, fluxionum, febrium ardentium in ſanguine, alterationum, catarrhorum, & aliorum incommodorum, quæ homo perpetitur, & quæ unusquisque in ſe expertus: forma, anima rationalis, quæ hanc ſuſcipit injuriam, videre ſe aggravari, & impediri in operationibus ſuis (*Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* q) patiens ex iſto commercio, in quo lumina ipſius obſcurantur, talem non ulciſcitur injuriam niſi beneficiis; totam ipſa inſumit artem medicinæ, pharmaciæ, & chirurgiæ; evolvit ipſa libros Medicorum ut aliquod inveniat remedium, ut comparet ſibi notitiam illius quod ſublevare poſſit inimicum ipſius; ingreditur ipſa officinam Pharmacopolarum, ibi examinat pharmaca, eorumque proprietates ut iis utatur in favorem illius; memoria revocat præteritum, voluntas inclinatur tota ad benefaciendum ei, ut conſervet hanc unionem beneficiis, non aliter ſuſceptam ulciſcens injuriam: Sol habet ſubſtantiam ſuam, radium ſuum, & calorem ſuum: anima habet intellectum, memoriam, & voluntatem; aufer te illa à Sole, non erit amplius Sol; eripite & iſta animæ, non erit amplius anima; & ideò ut talis ſubſiſtat, & unionem ſuam conſervet cum corpore, bona pro malis ei reddendo, omnes hujuſmodi facultates ſuas inſumit, ut ei benefaciat. Videamus & hoc in mundo archetypo, qui eſt Deus: ibi eſt unio maxima, & hæc unio conſtituit Divinitatem ſimpliciſſimam: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt* r. Hanc autem unionem venit Dei Filius inſtituturum inter homines, ſic Patrem ſuum alloquens, *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* ſ. Et tamen multis criminibus offenſus (*In multis enim offendimus omnes* t) non conterit tot impiorum capita, ſuas non aperit abyſſos, ut eos in illas detrudat, quin è contrà illos ſolicitat, & invitat gratiis ſuis ad operandam ſalutem ſuam, ut ait illi Sapiens u, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Si autem perſeverent in peccatis ſuis, benefacit illis in tempore, cùm illos agnoſcat indignos qui ab ipſo bona ſuſcipiant in æternitate, *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur* x. Ecce quomodo in tribus iſtis mundis non meliùs ſumitur vindicta quàm benefaciendo. Vultiſne igitur, Auditores, ulciſci vos de inimicis veſtris? *Benefacite his qui oderunt vos* y. Eos meliùs punietis patientiâ veſtrâ, quàm quâlibet aliâ ſatisfactione.

q Sap. 9. 15.
r 1. Joan. 5. 7.
ſ Jo. 17. 22.
t Jacob. 3. 2.
u Sap 11. 24.
x Pſal. 72. 5.
y Matth. 5. 44.

Recenſetur eſſe quidam piſcis, qui poſitus in calice cryſtallino, confeſtim illum confringit: piſcis iſte eſt odium; ſtatim enim ac odium in aliquam irrepſit animam, illam frangit, & diſſipat hanc animam formatam *ad imaginem Dei* z. Ideò David a de ſuis loquens perſecutoribus, dicebat, *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Inimici ſunt veluti apes, quibus majus contingere non poteſt infortunium, quàm ſi nere eis ut aliquod corpus percutiant, ſtatim enim ac aliquod corpus vivens percutiunt, ipſæ moriuntur, & in eo ſuum deſerunt aculeum.

Spicula cæca relinquunt
Affixæ in venis, animaſque in vulnere ponunt a.

Et de illis Naturales obſervant, quod delibantes aliquid ex omnibus floribus, nunquam tamen degustant olivam, quia alioquin vitam amittunt: oliva eſt ſymbolum pacis, bonorum operum miſericordiæ; ſi velimus nos ulciſci de apibus inimicorum noſtrorum, debemus illis benefacere; hæc eſt maxima vindictarum, quas de iis capere poſſimus, nimirum patientiam præ nobis ferendo, & illorum perſecutiones æquanimiter ſuſtinendo.

z Gen. 9. 6.
a Pſ. 117. 12.
a Virg. 4 Georg. citat. à Mendoc. in 1. Reg. 3. 8. ſect. 3.

Non latet vos quænam fuerit immanitas Neronum, Diocletianorum, Domitianorum, & impietas Juliani Apoſtatæ. Quis dixiſſet iſtis Tyrannis? Quid agitis? Vos machinamini jacturam noſtram: ſed ſcitote quòd patientiâ noſtrâ de veſtris triumphabimus perſecutionibus; nobis infertis interitum, nos autem veſtram concupiſcimus ſalutem, pro veſtrâ Deum deprecamur proſperitate, *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum* b. Ex uno Martyre oriuntur decem millia Confeſſorũ. Quis dixiſſet, quòd throni Imperatorum debuiſſent eſſe ſedes S. Petri & ſucceſſorum ejus? quòd Roma Metropolis totius Imperii, debuiſſet eſſe Caput totius Chriſtianiſmi; ſicut Pantheon templum omnium falſorum numinum, ſacrarium omnium Sanctorum? Nonne hoc eſt glorioſè ulciſci ſe patientiâ, quæ deridebat carnifices, eorumque ſupplicia, quæque Tyrannos rabie percellebat? Præclara vindicta! Et Imperator Julianus, ille Apoſtata, vulnere percuſſus divinitùs inflicto, manu capeſſens ſanguinem ex hujuſmodi vulnere ſcaturientem, eumque præ rabie in cœlum projiciens, exclamabat, *Viciſti Galilæe* c. Sic glorioſa reportatur vindicta.

b Lorin. in Pſal. 128. 3.
c Theodoret lib. 3. hiſt. Eccl. c. 20.

Aſſumens Saül tria millia electorum virorum ex omni Iſraël, perrexit ad inveſtigandum David, & viros ejus. Et venit ad caulas ovium, quæ ſe offerebant vianti, eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saül, ut purgaret ventrem: porrò David & viri ejus in interiore parte ſpeluncæ latebant. Et dixerunt ſervi David ad eum. Ecce dies de quâ locutus eſt Dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saül ſilenter. Dixitque ad viros ſuos, Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia chriſtus Domini eſt. Et confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos ut conſurgerent in Saül. Et Saül dixit ad David, Juſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala d. Quam majorem referre David poterat vindictam, quàm ſatisfactionem iſtam ipſi impenſam à Rege ingenuè confitente iniquitatem ſuam, & ipſius Davidis inimici ſui bonitatem? Viſne, Domine mi, benè ulciſci te de inimico tuo? Parce ei, noli ampliorem exigere ab eo ſatisfactionem; & ipſe tandem cogetur fateri, te eſſe virtuoſiorem ipſo; inde majoris æſtimaberis à probis, licèt nihil ſis ducendus ab inſipientibus, qui inſanâ paſſione obcæcati, rectum de miſericordiâ tuâ ferre non poterunt judicium. Videte quomodo Judæi *diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus* in S. Stephanum, quem *lapidabant, dicentem, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum* e. Hæc patientia illos furiosè exagitabat.

d 1. Reg. 24. &c.
e Act. 7. 54.

Sic eſt, Auditores; inimicos veſtros dirumpi rabie facietis, ut dicitur. Videte & hoc in Jeſu Chriſto erga Judam: non ignoratis quantùm ſibi devinxiſſet Dei Filius Judam f: & tamen infœlix iſte invenit aliquid in Filio Dei, quod ipſi diſplicet, etiamſi totus ſit perfectus g. *Tunc abiit Judas Iſcariotes ad Principes Sacerdotum: & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei*

f Luc. 6. 13 &c & Joan. 13. 5. & 29.
g Matth. 5. 48.

triginta

triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet h. Quomodo autem Jeſus hanc ulciſcitur injuriã? Patientiâ ſuâ, quâ dignatur *lavare pedes* i *ejus*; iſti *veloces pedes ad effundendum Sanguinem* k Salvatoris, applicantur ab eodem Dei Filio pectori ſuo, ut percuſſio cordis iſtius amantiſſimi hunc proditorem ad pœnitudinem induceret; ſed ipſe prorſus inſenſibilis eſt. Præterea, Ubi *Judas, cùm accepiſſet cohortem & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit cum laternis & facibus & armis* in hortum Olivarum, *Jeſus proceſſit* l ei obviàm, nedum illum malè exciperet, aut infidelitatem ipſius ei exprobraret, ſed è contrà illum vocavit amicum, *Dixitq; illi Jeſus, Amice, ad quid veniſti* m? Invincibilis eſt iſte proditor. Quomodo Jeſus hanc ulciſcetur injuriam? Patientiâ, quæ faciet illum dirumpi. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet; pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens, Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, receſſit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit* n. *Et ſuſpenſus crepuit medius; & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus* o. Ecce quomodo Jeſus vindicat ſe de inimico ſuo Juda. Vultiſne, Auditores, ut inimici veſtri diſſecentur rabie & deſperatione? Præ vobis ferte patientiam, ſuſtinete æquanimiter perſecutiones eorum, benefacite eis, inquirite occaſiones exhibendi illis obſequii; hæc eſt extrema, quam poteſtis ab illis expetere, vindicta: ibi eſt major gloria, minor labor, amplior meritum, nec ullum dedecus; cùm aliter ulciſci ſe, ſit adverſari legibus Principum, edictis Regum, decretis ſummorum Pontificum, ſacris canonibus Conciliorum, & mandatis *p* Dei: qui enim ut ulciſcatur ſe, init certamen ſingulare cum inimico ſuo, jacturam incurrit animæ ſuæ: aut enim occidit, aut occiditur: ſi perimitur, moritur morte temporali & æternâ corporis & animæ, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* q. Corpus *ſepulturâ aſini ſepelietur* r. *In ignem æternum* ſ verò ibit anima. Si perimat inimicum ſuum, execrabile cõmittit homicidium, necando non ſolum corpus ejus, ſed etiam animam illius, quam *pretio magno* t ſui Sanguinis emit Dei Filius. Heu! per totam æternitatem hæc infœlix anima de ſuo peremptore pœnas & vindictam expetet, ſed fruſtrà. E contrà majus comparatur meritum parcendo, quàm auſterè jejunando toto tempore vitæ ſuæ, & flagellando corpus ad expreſſionem ſanguinis uſque, quia his pœnis exterioribus mortificatur caro, ſed indulgentiâ injuriarum mortificatur ſpiritus, qui eſt nobilior corpore: hæc igitur victoria eſt glorioſior: ſic ergo debemus nos ulciſci, inſtar Davidis de Saüle, S. Stephani de ſuis carnificibus, & Jeſu Chriſti de Juda proditore ſuo, cùm hæc praxis ſimiles nos Deo reddat imitando miſericordiã ejus.

II. Pars. Mos inveluerat apud Ægyptios, quòd ſi illorum Rex erat claudus, aut cocles, omnes aulici ejus claudicabant, aut eruebant ſibi oculum, tāo ſe debuiſſe aſſimilari Principi ſuo: ad hanc inſaniem redacti non ſumus neceſſitatem, ſed Dei Filius non minus exigit à nobis, quàm ut ſimus *perfecti ſicut & Pater cœleſtis perfectus eſt* u. Non ait, more Patriarcharũ, aut Apoſtolorum, ſed inſtar Patris cœleſtis: atqui perfectio Patris cœleſtis in hoc eſt ſita, ut ſuis omnibus benefaciat inimicis, *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos* x. Sic propriè Deo convenit benefacere, ut concinit et Eccleſia, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere.* Eſſe illos non eſt niſi bonitas, ait S. Bernardus *y*. *Cujus natura bonitas.* Juſtitia verò

h Matth. 26.14. & 15.
i Jo.13.5.
k Ps.13.3.
l Joan.18.3. & 4.
m Matth. 26.50.
n Matth. 27.3. &c.
o Act. 1.18.
p Exod. 20.13.
q Ezech. 18.4. & 20.
r Jer. 22.19.
ſ Matth. 25.41.
t 1 Cor. 6.20.
u Matth. 5.48.
x Matth. 5.45.
y S. Bern. ſer. 3. de Circumciſ. et in Pſ. 118. 68.

eſt illi quaſi extrinſeca; crimina namque noſtra fabricandis materiem ſubminiſtrant ejus fulminibus, *Peregrinum eſt opus ejus ab eo* z. Aſſimilamur illi igitur, cùm noſtris parcimus inimicis; *Quia membra ſumus corporis ejus* a, *Et ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ* b, & moriendo veniam ſuis à Patre ſuo poſtulavit perſecutoribus impendendam, *Jeſus autem dicebat, Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* d. In Jeſu Chriſto ſunt omnes qualitates Capitis; in nobis verò ſunt cunctæ qualitates membrorum. Tres conditiones conſtituunt illum Caput, ordo, perfectio, & virtus. Ordo, quia caput eſt principium totius. Perfectio, quia in capite ſunt omnes ſenſus exteriores & interiores, in quibus conſiſtit hominis perfectio. Virtus, quia pertinet ad caput influere motum, vitam, & virtutem in membra. Jeſus Chriſtus eſt Caput, quia omnium eſt eminentiſſimus hominum, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* e. Appropinquavit enim ad Deum præ cæteris hominibus, ideò à S. Joanne *f* repræſentatur nobis *Verbum caro factum plenum gratiæ & veritatis.* Præterea, Ultra plenitudinem & perfectionem omnium gratiarum, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* g, habet etiam plenitudinem & perfectionem Deitatis, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* h. Tandem, Habet virtutem influendi, & communicandi: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* i. *Quia ſine me nihil poteſtis facere* k, ait ipſe. Si autem deſideretis ſcire quomodo ſimus membra Jeſu Chriſti qui eſt Deus, & conſequenter ſimiles illi, obſervate quòd hæc datur differentia inter corpus myſticum & corpus naturale, quòd naturale habet omnia membra ſua unita, non autem myſticum: aliqui enim homines ſunt uniti Deo actualiter, ut Beati in gloriâ per viſionem & dilectionem *l*; alii in terrâ per fidem *m* & charitatem *n*, ut Juſti; reprobi in hoc mundo ſunt etiam membra Jeſu Chriſti, ſed cùm mortui ſunt, non ſunt ampliùs membra ejus: hoc enim Caput non influit ampliùs in hæc membra reſecta *o*; Deus ſuis nõ influit gratiis & miſericordiis niſi in hoc mundo, ubi ſolùm dantur nobis media, quibus ſimiles eſſe poſſumus Deo, æquè ac Jeſu Chriſto, & hoc eſt quod omnibus concupiſcit Apoſtolus *p* fidelibus, *Donec formetur Chriſtus in vobis.* Id eſt, *Donec Chriſtus in vobis habeat formã ſuam*, ait Cajetanus *q*. Et S. Thomas *r*. *Donec recipiatis ſimilitudinem ejus, quam veſtro vitio perdidiſtis.* Et S. Chryſoſtomus *ſ*, *Corrupiſtis, inquit, imaginem, perdidiſtis generoſitatem, formam immutaſtis, opus eſt ut renaſcamini, atq; refingamini.* Hoc autẽ fit per veniam inimicis indulgendam. Sic efficimur parvi dii per imitationem, ut ait Pſalmiſta *t*, ſicut Deus talis eſt per naturam: ut enim quis parcat, debet is eſſe Deus, ut dicunt Judæi, *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus* u? Nihil glorioſius. Nolite autem mihi dicere, quòd ipſe erat Deus; ego enim reſpondeo vobis, quòd tantò meliùs, cùm ſuos exinanire poſſet inimicos, & juſtitia ſua ipſum induceret ad expetendam de ſuis inimicis ultionẽ, *Et non eſt qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei, Quare feciſti* x? Si autem ipſe *homo eſt* y ſicut nos, ſi eſt Caput noſtrũ, & nos membra ejus, ſequi tenemur exemplum ejus, & miſericordiam illius parcendo.

Deus in creatione tribuit homini imaginem ſuam, ait S. Baſilius *z*, ſed non ſimilitudinem ſuam; voluit enim, dicit iſte Sanctus, ut pendêret ab homine habere hanc ſimilitudinem Divinitatis ſuæ: atqui modus habendæ ſimilitudinis iſtius eſt miſericordia, & praxis dilectionis inimicorum,

z Iſai. 28. 21.
a Epheſ. 5. 30.
b Coloſſ. 1.18.
d Luc. 23.34.
e Rom. 8.29.
f Ioan.1. 14.
g Io.1.17.
h Coloſſ. 2.3. & 9.
i Act. 17. 28.
k Io.15.5.
l Io 17.3.
m Rom. 1.17.
n Rom. 5.5.
o Eccl. 11 3.
p Galat. 4.19.
q Cajet. in Galat. 4.19
r S. Thõ. in Gal 4. 19 lect. 5.
ſ S. Chryſoſt. Comment. in Gal. 4. 19
t Pſ. 81. 6.
u Marc. 2.7.
x Dan 4. 32.
y Pſ. 56.5
z S. Baſil. hom. 10. Hexa m. ex Gen. 9 4.

Secundùm imaginem habeo ut rationalis ſim, ſecundùm autem ſimilitudinem ſio, in hoc quòd Chriſtianus factus ſum. Si ſis oſor malitiæ, immemor malè in te factorum, oblivioſus heſternæ inimicitiæ, ſi ſias amans fratris & condolens, aſſimilatus es Deo. Si qualis eſt erga te peccatorem Deus, talis ſias erga fratrem, qui in te peccavit, per miſericordiam erga proximum Deo aſſimilatus es. Quare id, quod ſecundùm imaginem eſt, ex eo quòd rationalis es, habes; quod verò ſecundùm ſimilitudinem eſt acquiris ex eo, quòd bonitatem aſſumis. Aſſume viſcera miſericordiæ, & bonitatem, ut induas Chriſtum. Ex eo enim quòd condolentiam aſſumis, Chriſtum induis, & per familiaritatem ad ipſum, Deo familiaris redderis. Quoties enim meruerantus infernum, & ut terra dehiſcens deglutiret nos, aut ut cœlum ſua in nos vibraret fulmina ad conterenda capita noſtra impia? Et tamen Deus nos ſibi vult lucrari beneficiis, nec poteſt aliter niſi favoribus rebelliones noſtras vincere.

Sed obſervandum eſt, quòd in inimico eſt aliquid odiendum, ſicut & aliquid amandum. In inimico enim tria inveniuntur opera, unum ab homine, & duo à Deo. Ab homine eſt peccatum, & ſecundùm illud opus, odiendum eſt in eo peccatum, *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*, aie-
a Pſ. 118. 113. bat Deo David a. Opera Dei, ſunt duo opera naturæ, & gratiæ. Secundùm opus naturæ debemus diligere *proximum* noſtrum, ut præcipit nobis Evangelium noſtrum. Secundùm opus gratiæ diligere debemus *proximum*, & inimicum, quia fortaſſis ſanctus eſt, nos verò reprobi; & quò magis eum perſequemur, eò ſanctiorem illum efficiemus: debemus igitur illum diligere ut inimicum ſub hac conſideratione ſecundùm opus gratiæ; & ut proximum ſecundùm opus naturæ, ne pervertamus ordinem politicum & civilem, nam ſecundùm hunc ordinem naturæ, proximus eſt frater noſter: unio quippe eſt maximè neceſſaria in politiis, & civitates deordinantur, ſi in illis non inveniatur civium unio. Omnes ferè homines dicunt, Ignoſco inimico meo, ſed non poſſum illum videre, nec ei obſequium præſtare inter occaſiones. Errorem deponite, Auditores: ad iſtud eſtis obſtricti: Jeſus Chriſtus ait, *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid ampliùs facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Propterea abſolutè præmittit, *Ego autem dico vobis,*
b Matt. 5. 44. &c. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderūt vos* b. Diligere inimicum ſuum meliùs eſt quàm amare amicum ſuum ex parte rationis, non autem ex parte naturæ: Deus ſolus eſt ratio propter quam diliguntur inimici.

Duas recenſet Scriptura victorias inſignes relatas à David, unam de Goliath, alteram verò de Saül, ſed hæc eſt magnificentior. *Prævaluit David adverſùm Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumq;*
c 1. Reg. 17. 50. &c *Philiſthæum interfecit* c. Sed inermis expugnat Saülem, cùm enim poſſet illum occidere, vitam re-
d 1. Reg. 24. 7. &c liquit ei ſalvam d, ut audiſtis ſuprà: propterea Jeſus Chriſtus vocatur Filius David, *Miſerere mei*
e Matth. 15. 22. *Fili David* e. Miſericors erat. Odiendi ſunt veri inimici, mundus, diabolus, & caro; ſed diligendus eſt frater noſter. Diligitis, Auditores, mundum, qui decipit vos, carnem, quæ procurat jacturam veſtram; diabolum, qui veſtrum machinatur exitium: & odiſtis inimicos veſtros, qui veſtram conſtituerent fœlicitatem, ſi illos diligeretis, cùm Deus vos diligeret, ſimiles ſibi vos efficeret, communicando vobis miſericordiam ſuam, ſupra quam haberetis, ut ita dicam, aliquam authoritatem. Sic eſt, Auditores, per dilectionem inimicorum acquirit quis aliquam veluti poteſtatem ſuper miſericordiam Dei. Hanc initio facio veritatem orationi, quam Dei Filius nobis dereliquit, *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* f. Sic reddit ſe veluti Dominum f Matt. 6. 12.
miſericordiæ Dei, & ei videtur diſponere, dicens, Miſertus ſum; miſerere meî: Peperci; dimitte mihi. Videte quomodo videatur eſſe Superior Dei & miſericordiæ ejus. Obſervate lapidatum *S. Stephanum invocantem, & dicentem, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino* g. Poſt orationem requieſcit inter brachia g Act. 7. 59. & 60.
Dei; ibi eſt quies ipſius, miſericordiam fecit, illam efflagitat; *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Illam conſequitur inter brachia Domini: iſtud eſt ita glorioſum, ut, cùm S. Stephanus non poſſet aliquid inſignius facere, neceſſariò ſit illi confeſtim moriendum. Ratio iſtius eſt, quia tenetur homo progredi ſemper, & ire *de virtute in virtutem* h, h Pſ. 83. 8.
è perfectione in perfectionem: cùm ergo pro ſuis oraſſet inimicis, vacare non poterat actioni glorioſiori: non debebat igitur ampliùs vivere, ſed mori, cùm altiſſimus apex perfectionis ſit pro ſuis inimicis deprecari. Sed videtur habuiſſe adhuc vires, cùm vocem exaltaret, & quòd poſſet adhuc vivere, *Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Nequaquam, ſed mori debebat, *Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino.* Fœlix mors inter manus Domini! Inveniuntur aliqui in mundo, qui moriuntur (ut dicitur) optimè: extremum vitæ agonem decertant, tunc conveniuntur illi, quos hujuſmodi agonizantes nunquam videre voluerant, id eſt, inimici illorum, & dicitur ſingulis illis: Dominus N. extremum mox eſt efflaturus ſpiritum, nunquid illum vis ire viſitatum, eique reconciliari, antequàm obeat? Annuit iſte, pergit domum infirmi, eoque ingreſſo cubiculum ejus, dicitur huic agonizanti, Domine N. ecce Dominus N. qui venit te viſitatum: nonne dimittis ei? nunquid non illi vis reconciliari? Etiam, inquit ille. Sic vitâ perfungitur infirmus iſte. Quàm benè mortuus eſt Dominus N. (dicitur) reconciliatus eſt inimico ſuo priusquàm ſpiritum exhalaret ultimum. Ha! benè mortuus eſt ſanè, morte temporali, & morte æternâ: benè mortuus eſt re verâ, cùm nunquam ſit in vitam reverſurus, morte corporis, morte animæ, morte ſempiternâ *in peccato* i mortali. Per i Joan. 8. 21.
totam vitam ſuam nunquam voluit inire reconciliationem cum inimico ſuo: & creditis quòd quandiu anima eſt interturbata inter dolores & anxietates corporis quaſi ſenſibus deſtituti, unicum verbum ſufficiat ad peragendam tanti momenti reconciliationem, & ad eradicandam inimicitiam ſic obſoletam? Graviter hallucinamini ſi hoc in veſtrum ſic induxiſtis animum. Mors deplorabilis! In vita ejus innumeræ ſunt ab amicis illius omnes rationes poſſibiles ad flectendum ipſum; ab illis obſecratus eſt *itaque per miſericordiam Dei* k, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in* k Rom. 12. 1.
quibus viſitavit nos, Oriens ex alto l, *qui dilexit nos,*
& lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo m. Pro- l Luc. 1. 78 ex Zach. 3. 9. & 6. 12
poſitum illi exemplum Jeſu Chriſti cruci ſuffixi, veniam deprecantis pro perſecutoribus ſuis, æquè ac S. Stephani vitam efflagitantis impendendam illis, qui vitam ipſi eripiebant, nullo modo profuit m Apoc. 1. 5.
ei, ſed ſemper ipſe fuit rebellis *lumini* n, & induratum eſt *cor ejus tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* o ſtrictum: & unicum verbum, mor- n Job 24. 13.
tis hora prolatum ſufficiet ad purgendam hujuſ- o Job 41. 15.

modi reconciliationem. Abuſus intolerabilis! hæc enim eſt adverſari operibus Dei, æquè ac doctrinæ ejus: & hoc eſt quod ſupereſt nobis examinandum

[III Pars.] *Cùm ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte: & ſeceſſit in Ægyptum* p. [p Matt. 2. 13. &c.] Poterat Dei Filius utens potentiâ ſuâ hunc Tyrannum exinanire, ſed hanc non aſſumit potentiam, furori illius cedit, regionem deſerit, non ulciſcitur ſe, ſed bonum pro malo reddit, indulgens ei adhuc aliquot annos vitæ. *Jam autem die feſto mediante, aſcendit Jeſus in templum, & docebat. Et mirabantur Judæi, dicentes, Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit* q? [q Joan. 7. 14.] In hoc ſitu Doctoris, corripit eos impietatis ipſorum, *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias, dicens, Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me* r. *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ* ſ? *Vos ex patre diabolo eſtis. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum. Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo* t. [r Matt. 15. 7. & 8. ex Iſa. 29. 13.] Sic malè exceptus Jeſus nedum pro malo malum redderet, è contra exhibet eis pro malo bonum, ſtatim viſum præbens cuidam cæco nato, [ſ Matth. 23. 33.] *Et præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur, Miſſus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns* †. [t Joan. 8. 44. & 59.] [† Joan. 9. 1. &c.] Ubi *Judas appropinquavit Jeſu ut oſcularetur eum, & percuſſit unus ex illis*, id eſt, è diſcipulis ejus, putà Petrus, *ſervum Principis Sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram; Jeſus cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum* u. [u Luc. 22. 47. &c.] Reddit huic miniſtro bonum pro malo, & deinceps ab eo colaphum ſuſcipit in palatio Annæ, *Unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu* x. [x Joan. 18. 22.] *Judas tradidit eum.* Et ipſe vocat illum amicum, *Amice ad quid veniſti* y? [y Matth. 26. 48. &c.] De Jeſu Judæis Pilatus dicit, *Ego nullam invenio in eo cauſam* z. [z Joan. 18. 38.] *Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum. Principes autem Sacerdotum & Seniores perſuaſerunt populis, ut peterent Barabbam, Jeſum verò perderent. Reſpondens autem Præſes, ait illis, Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam. Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis Præſes, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine Juſti hujus: vos videritis. Et reſpondens univerſus populus, dixit, Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros* a. [a Matt. 27. 18. &c.] Quomodo autem Jeſus omnes iſtas ulciſcetur injurias ſibi irrogatas? S. Joannes, qui ſtabat *juxta crucem Jeſu, & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus*; ait, quòd ſtatim ac *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, continuò exivit ſanguis & aqua* b. [b Joan. 19. 25. &c.] Quaſi diceret Jeſus, Ecce, Judæi, ſanguis quem effundere ſic deſideraviſtis, nolite credere, quòd eo uti velim ad ulciſcendum me; errorem deponite, illum libenter tribuo; cor meum eſt à vindictâ immune, ignoſco vobis injuriam, quam mihi irrogaſtis, *Jeſus autem dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* c. [c Luc. 23. 34.] Pilate, ecce aqua, quâ uſus es, lavando manus tuas ad me condemnandum. *Petrus negavit eum, & converſus Dominus reſpexit Petrum* d. [d Luc. 22. 56. &c.] Et nedum vindicet ſe de trina ejus negatione, committit ei Eccleſiam ſuam gubernandam, *Paſce oves meas* e. [e Joan. 21. 17.] Tandem, Poſt reſurrectionem ſuam præcipit ſuis Apoſtolis, ut vadant prædicatum per totum orbem, *Euntes docete omnes gentes* f. [f Matth. 28. 19.] Sed præcipuè ut incipiant à civitate Jeroſolymis, *Incipientibus ab Jeroſolyma* g. [g Luc. 24. 47.] Ipſa eſt prima Jeruſalem, quæ ipſi mortem intulerat. Videte, Auditores, quomodo edoceat dilectionem in vita ſua, in morte ſua, imò verò poſt mortem ſuam: hæc eſt doctrina ejus, & in praxim ipſe redigit idipſum quod docet: *Parùm ergo erat Dominum hortari Martyres verbo, niſi firmaret exemplo*, concludit S. Auguſtinus h.

[h S. Aug. in Pſ. 63. 2.]

Dicite mihi nunc, Auditores, Si diſcipuli agnoſcuntur, juxta ea, quæ dixi in principio diſcurſus iſtius, ex doctrina Magiſtri, quam profitentur, cujus eſtis diſcipuli vos, qui non diligitis? Jeſus Chriſtus docet dilectionem, redigitiſne eam in praxim? Nequaquam: ergo Hæretici eſtis, & non Chriſtiani. Ipſe dicit vobis hodiernâ die in Evangelio noſtro, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum.* Hanc eandem ipſius doctrinam à longo tempore annunciaverunt & adhuc annunciant Concionatores illius: & tamen ita pauci illam adimpletis non eſtis igitur diſcipuli Jeſu Chriſti, cùm adverſemini doctrinæ ejus, æquè ac operibus illius; ſed quia adhæretis doctrinæ diaboli, qui eſt pater diviſionum, ideò diſcipuli ejus eſtis. Nolite autem pro excuſatione allegare mihi corruptionem naturæ noſtræ depravatæ: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua* i. [i Gen. 8. 21.] Et quòd hæc natura infirmata nonniſi ægro injurias ſuſceptas patiatur animo, cùm hæc fuerit roborata confeſtim, ac *Verbum caro factum eſt, plenum gratiæ & veritatis; & de plenitudine ejus nos omnes accepimus* k. [k Joan. 1. 14. & 16.] Nec producite mihi opinionem populorum, quòd venia injuriarum puſillanimitatem præ ſe ferat, & quòd Philoſophi in Moralibus ſuis circa iſtam praxim difficultatem invenerunt; cùm lex nos edoceat, & ſuas nobis propalet Legiſlator per legem voluntates; non eſt ampliùs lex rigoris; fœdus antiquum; ſed lex ſuavis, *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* l, ait Legiſlator. [l Matt. 11. 30.] Et, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* m. [m Joan. 13. 35. & 36.] Prætereà, Non poteſtis accuſare malitiam diaboli, cùm devictus fuerit morte Jeſu Chriſti, nec ullas habeat ampliùs vires, *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foràs* m. [m Joan. 12. 31.] Culpa igitur vobis imputatur tota, & conſequenter non eſtis diſcipuli, cùm adverſemini doctrinæ ejus, & operibus illius.

Verbum Dei eſt conceptus Patris ſui, prima ejus productio; Pater cognoſcens ſemetipſum, generat Filium ſuum *n*, & iſte Filius eſt idem in natura cum Patre ſuo *o*. [n Pſ. 2. 7.] [o Joan. 10. 30.] Prima illorum productio eſt amor, amor nononalis communis Patri & Filio *p*, & perſonalis quantùm ad Spiritum ſanctum, qui eſt nexus & unio amborum, qui agunt in unitate ejuſdem principii, ſeu voluntatis; [p Joan. 15. 26.] Pater autem ad extrà facit univerſa verbo ſuo, *Omnia per ipſum facta ſunt* q. [q Joan. 1. 3.] Per Filium à Patre factæ ſunt natura, gratia, & gloria. Natura, cùm Pater omnia fecerit per eum, & per eum omnia redegerit ad unitatem in natura, in qua elementa mutuam ineunt ſocietatem; æquè ac ipſa animalia

inter

inter ſe: & ſi elementa locum mutarent, ſi ignis deſcenderet deorſum, & aqua aſcenderet ſurſum, univerſa deordinarentur. In politia invenitur unio, & ſi illa ibi deeſſet, omnia interturbarentur. Et licèt dicat Sapiens r, *Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximum ſibi:* tamen verificatum videmus in eo proverbium, *Homo homini lupus.* Qui talis eſt, non eſt homo, ſed diabolus, imò verò pejor diabolo, cùm aliquantula videatur eſſe unio inter diabolos, *Si Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus* ſ? Qui igitur infringit pacem, & fovet diviſiones in natura, inſurgit in Deum, in Jeſum Chriſtum, in opera ejus, in gratiam illius, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* t. Gratia nos unit Deo & proximo, *Qui non diligit, manet in morte* u. Inſurgit in Jeſum Chriſtum, quia infringit hanc unionem, quam habemus cum Deo Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & cum proximo. Cum Patre, Quia dicimus, *Pater noſter qui es in cælis* x. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. Unus Deus & Pater omnium* y. Fratres ſumus Jeſu Chriſti, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* z. Cùm ſimus filii ejuſdem Patris, animati eodem Spiritu: *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* a. Datur communicatio inter omnes fideles: ille igitur, qui non diligit, & qui diviſus eſt, infringit omnes iſtas uniones; ideò reluctatur Jeſu Chriſto, & operibus ejus in natura, & in gratia. Impugnat & illum in gloria, quia per illum habemus gloriam, quam meritis ſuis nobis acquiſivit, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum* †. Gloria nos unit Deo, intellectum per cognitionem, & voluntatem per dilectionem b: quale crimen igitur committunt illi, qui ſuos oderunt inimicos; cùm expugnent doctrinam Jeſu Chriſti, opera ejus, naturam, gratiam, & gloriam, *Nunc Antichriſti multi facti ſunt* c. Cavete, Auditores, ne ſitis è numero illorum, ſed audite eundem dicentem vobis, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt* d.

r Eccli. 13. 19.
ſ Luc. 11. 18.
t Joan. 1. 17.
u 1. Joan. 3. 14.
x Matt. 6. 9.
y Ephes. 4. 5. & 6.
z Rom. 8. 29.
a Rom. 8. 16. & 17.
† Rom. 5. 8. & 9.
b Joan. 17. 3.
c 1. Joan. 2. 18.
d Matt. 5. 44. & 45.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Apoc. 12. 1.

EDucere fortunas & eventus Magnatum ex cognitione aſtrorum, quæ præſident natalitiis illorum, eſt ſcientia prohibita a; & quæ condemnata à cælo, non poteſt eſſe niſi noxia hominibus, quorum fortunæ vacatur addiſcendæ: hæc ſcientia fati, præterquàm quòd eſt univerſaliter condemnata ab Eccleſia, obeſt communitati hominum: aut enim monebit iſta ſcientia Reges & Principes alicujus fœlicitatis, aut eventus proſperi, & ſic erunt clari, tumentes, & ſuperbi, & conſequenter tyranni intolerabiles; aut minabitur eis aliquod infortunium, & ſic afficientur moleſtiâ, & terrore, æquè ac timore corripientur, nedum aliquid magni audeant aggredi, & ſic contemptui populorum ſibi ſubditorum ſubjacebunt, præterquàm quòd

Sapiens dominabitur aſtris.

Hæc indicia & hæc prognoſtica ſunt fallibilia, hæc ſcientia aſtrorum condemnatur à Conciliis, & à Scriptura b: *Hæc dicit* Dominus *ſanctus Iſraël Plaſtes ejus, Ventura interrogate me: ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi.* Sed mihi perſuadeo, quòd Scriptura, Doctores, & Patres authoritatem conciliabunt ſcientiæ meæ, ſi aggrediar agere horoſcopum Majeſtatis excellentiſſimæ omnium earum, quæ ſint in mundo, id eſt, B. Virginis Mariæ. Intueor quòd in ejus nativitate *ſignum magnum apparuit in cælo.* Octava die Septembris video ſignum Virginis beneficum, quod non promittit niſi dulcedines: poſſum ergo dicere cum ſacra Scriptura, quòd B. Virgo Maria, quæ naſcitur hodie, erit fœliciſſima & fortunatiſſima omnium creaturarum. A ſacra Scriptura repræſentatur nobis ut *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Si ratiocinari deſideretis ſuper fortunas ejus, iſtud agere debetis ſuper verba Textus mei. Ut autem ſatisfaciam curioſitati veſtræ, incipiam vobis monſtrare fortunas hujus ſanctiſſimæ Virginis in progreſſu diſcurſus iſtius confeſtim, ac illi dixero, *Ave Maria.*

a Exod. 20. 1.
b Iſai. 45. 11.
Propoſitio.

Incipio igitur vobis oſtendere fortunas ſacratiſſimæ Virginis Mariæ. Signum eſt res, quæ perducit nos in cognitionem alicujus rei alius: & ſic cùm B. Virgo Maria in nativitate ſua apparet *amicta Sole, & in capite ejus corona ſtellarum,* quæ ſunt ſymbola gratiæ: cùm enim ſtellæ ſint claræ ſicut Sol eſt lucens, hoc nobis ſignificat quòd gratia illuminat, cùm lumen ſit ſymbolum gratiæ, ſicut tenebræ ſunt ſymbola peccati: peccator eſt in tenebris, quandiu eſt in peccato, verſatur in inconſtantia, obnoxius mutationi more Lunæ, *Stultus ſicut Luna mutatur* c. Propterea B. Virgo habet Lunam *ſub pedibus.* Intelligimus igitur per ſtellas gratiam Mariæ, quæ naſcitur hodie: & ſicut cùm Sol eſt in ſigno virginis, temperat ardores ſuos: ita B. Virgo veniens in mundum, mitigat iram Dei, & efficit ut hic manſuetus more agni evadat, *Signum magnum apparuit in cælo.* Ubi *Sol Juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* d ſe incarnavit, *ubi venit plenitudo temporis ex Muliere* e factus, intuendum ſe exhibuit ut Solem miſericordiæ in iſto ſigno Virginis, ſed quàm differenti modo à ſtatu, in quo inveniebatur in Lege antiqua, quando habitabat *in ſinu Patris* f ſui æterni, ut in ſigno leonis, in quo minas hominibus intentabat omnibus, ita ut nemo, quantùmvis juſtus, auderet apparere coram illo: ſicut enim remunerabatur bonos, ita & puniebat peccatores, ſic ut appellaretur *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum* g. Sed nunc cùm exivit à *Patre, & in mundum* h venit *per humanæ naturæ aſſumptionem, atque cum hominibus piam converſationem* i, & videtur mutaſſe domicilium, *Et habitavit in nobis* k, non ſolùm miſericors effectus eſt, ſed evaſit ipſamet Miſericordia, & intuendum ſe exhibet in Virgine totum repletum miſericordiâ, auxilium præbens & parcens criminoſis, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* l. Idem

c Eccli. 27. 12.
d Eccleſia ex Malach. 4. 2.
e Galat. 4. 4.
f Joan. 1. 18.
g Pſ. 93. 1.
h Joan. 16. 28.
i Dion. Carth. art. 40. in Joan. 16. 28. ex Baruch 3. 38.
k Joan. 1. 14.
l Joan. 1. 29.

accidit

accidit huic Soli Divino quod Soli materiali, qui diſcedens à ſigno leonis, & ſe collocans in ſigno virginis, dimittit rigorem ſuum, & clemens efficitur ac benignus: ſic non ſine magno myſterio videmus virginem inter ſigna cœleſtia, inter leonem & libram, quaſi temperantem iram & furorem iſtius generoſi animalis, & terrorem juſtitiæ ſeveræ: ecquam enim verò quamuis pœnam non metueret quis à leone conjuncto ipſimet libræ ſeu ſtatêræ Dei, & ita unito cum juſtitia? *Cognoſcetur Dominus judicia faciens* m. Teſtem aſſumo Baltaſſar impium Regem illum, qui ex conjunctione iſtorum duorum ſignorum depictorum in muro palatii ipſius digitis illius, qui pingit cœlos, vidit præſagia ſuppliciorum, quæ paulò pòſt expertus eſt, *Baltaſſar Rex fecit grande convivium optimatibus ſuis mille: & unuſquiſque ſecundùm ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo, quod fuit in Jeruſalem: ut biberent in eis Rex, & optimates ejus, uxores & concubinæ illius. Tunc allata ſunt vaſa aurea, quæ aſportaverat de templo, quod fuerat in Jeruſalem: & biberunt in eis Rex, & optimates ejus, uxores & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſq; & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur. Hæc eſt autem ſcriptura, quæ digeſta eſt: MANE, THECEL, PHARES. Et hæc eſt interpretatio ſermonis. MANE: numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. THECEL: appenſus es in ſtatêra, & inventus es minus habens. PHARES: diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Eadem nocte interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus* n. Cùm enim Deus, qui *appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatêra* o, eſſet propè leonem in ſtatêra, ſcripſit tribus digitis hoc decretum formidabile contra illum Regem ſacrilegum, irritatus ab hoc leone, & ab hac ſtatêra veræ juſtitiæ ſuæ, ſed rigidæ, & oſtendit ei deſtructionem Regni ipſius, per mortem ipſius, quæ ſine mora hanc ſcriptionem ſeveræ iſtius ſententiæ ſubſecuta eſt. Sed ecce ſignum beatum & fortunatum, in quo ſumus: cùm B. Virgo ſe poſuerit inter leonem rugientem & ſtateram formidabilem, ipſa temperavit illum, & mitigavit iſtam. Inde fit ut exclamet David p, Deum alloquens, *Benedixiſti, Domine, terram tuam, avertiſti captivitatem Jacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum, mitigaſti omnem iram tuam.* Super quod dicit Lorinus q, *Sine dubio benedicta terra debet dici Maria, quam ſalutavit Angelus benedictam* r, *& per quam conſecuti ſumus largiſſimam benedictionem benedicti fructus ventris ejus* ſ, *& ut exemplo Jacob luctando* t *captivitatem ſpiritualem effugiamus, nobiſq; remittatur iniquitas, & operiantur peccata. Mitigaſti omnem iram tuam. Alij, collegiſti. Collectionem propriè ſignificat aſaphtha, quo modo dicitur etiam colligi animus, atque apud Joelem* u *eodem etiam Hebræo verbo, ſtellæ colligere lumen ſuum. Et Cajetanus intus vult, quòd à diſperſione populi, quam propter peccata in deſerto merebatur, collegerit iram ſuam Deus, & (quod habet Hebraicè ſequens membrum) redire fecerit ab indignatione furore n ſuum, quo volebat populum diſperdere. Quòd ſi accommodatitiè loqui velimus, & mitigandi, ut ſonat, verbum ſumere; comparare poſſumus iram Dei cum ardore Solis, quem tranſitu leonis ſigno,*

m Pſ. 9. 17.
n Dan. 5. 1. &c.
o Iſai. 40. 12.
p Pſ. 84. 2. &c.
q Lorin. in Pſ. 84. u. &c.
r ex Luc. 1. 28.
ſ ex Luc. 1. 42.
t ex Gen. 32. 24. &c.
u ex Ioel 2. 10.

& virginis ingreſſus, deponit, ac temperat: ſic enim qui terribilis anteà erat Deus in uterum Virginis, velut in cœleſte illud ſignum intrans, mitigavit omnem iram ſuam; & ſicut ſignum virginis medium eſt inter leonem & libram, ita B. Virgo inter dictam iram & rigorem Juſtitiæ Divinæ. Unde patet, quòd ſi Deus aliàs ſe oſtendebat terribilem & formidabilem, ut ait idem Joël x, *A facie ejus contremuit terra:* & ſubitò furorem iræ ſuæ effundebat ſuper eos, qui ipſum offendebant; nunc iſto fortunato tempore gratiæ, quo B. Virgo ſe poſuit inter leonem & libram, ita temperavit rigorem ſuum, & iram ſuam, ut evaſerit totus benignus & miſericors; ita ut peccatores accedentes ad ipſum non ſolùm debeant ab ipſo ſperare veniam, ſed etiam maximam ſibi polliceri miſericordiam, *Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores* y.

Non eſt mirabile viſu talem mutationem in leone, aut æqualem metamorphoſim interveniri clementiæ & miſericordiæ in ſtatêra juſtitiæ. Verum quidem eſt, quòd nunquam pondus iſtius aggravatur in cœleſtibus ſtatêris, quia ipſa ſerviat eis loco momentorum & ſacomatum: ſed aliàs lanx juſtitiæ ſic erat plena, & lanx miſericordiæ ſic exiguum pondus habebat, ut cùm illa tangebat terram, & in ea ſeveram edebat ſtragem, ut cum *factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram, conſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram; univerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt* z: & cùm *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia* a: & cùm *Dathan & Abiron Principes populi ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adverſùs Dominum rebellaverunt: & aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* b: iſta attingeret cœlum uſque, & ibi exerceretur circa ſolos Angelos, ita ut jure merito diceret Deo Pſalmiſta c, *Domine, in cœlo miſericordia tua.* Sed B. Virgo, quæ eſt origo clementiæ & miſericordiæ, interveniens, cumulavit unam, cujus effecta eſt Genitrix, *Ego Mater pulchræ dilectionis* d. Et quaſi exinanivit alteram, cujus evaſit ipſa gubernatrix; ita ut hæc totam terræ repleverit extenſionem, & deinceps dicatur Deo, *Miſericordiâ tuâ, Domine, plena eſt terra* e: quandiu altera aſcendit in cœlum, unde reſpicit opera hominum, quaſi nunc otioſa, & de ea dicitur, *Juſtitia de cœlo proſpexit* f. Et jure merito, quia, ut ait S. Auguſtinus g ſuper hunc locum, *Veritas de terra orta eſt, Chriſtus de fœmina natus eſt. Veritas de terra orta eſt, Filius Dei in carne proceſſit. Quid eſt veritas? Filius Dei. Quid eſt terra? Caro. Interroga unde natus eſt Chriſtus, & vides quia veritas de terra orta eſt. Sed hæc veritas, quæ orta eſt de terra, erat ante terram, & per ipſam facta eſt cœlum & terra* h. *Sed ut juſtitia de cœlo proſpiceret, id eſt, ut juſtificarentur homines divinâ gratiâ, Veritas nata eſt de Maria Virgine: ut poſſit pro illis juſtificandis offerri Sacrificium Paſſionis, Sacrificium Crucis. Et unde offerret Sacrificium pro peccatis noſtris, niſi moreretur? Unde autem moreretur, niſi à nobis acciperet ubi moreretur? Id eſt, niſi à nobis ſumeret carnem mortalem, Chriſtus mori non poſſet: quia Verbum non moritur, Divinitas non moritur, Virtus & Sapientia Dei non moritur. Quomodo ergo offerret ſacrificium victimam ſalutarem, ſi non moreretur? Quomodo autem moreretur, niſi carnem indueret? Quomodo carnem indueret, niſi veritas de terra oriretur? Veritas de terra orta eſt. &*

x Joel. 2. 10.
y Luc. 15. 1.
z Gen. 7. 17. &c.
a Gen. 19. 24. & 25.
b Num. 26. 9. & 10.
c Pſ. 35. 6.
d Eccli. 24. 24.
e Pſ. 118. 64.
f Pſ. 84. 12.
g S. Aug. ex Pſ. 84. 2.
h ex Ioh. 1. 3.

juſtitia de cœlo proſpexit. Sic per B. Virginem manifeſtavit Deus in terra ſuam miſericordiam infinitam, & immenſum amorem ſuum cum effectibus prorſus admirabilibus. Sed quiſnam revocabit in dubium, quin, cùm lanx miſericordiæ fuit repleta beneficio Incarnationis, & Creator cœli attractus eſt in terram, altera lanx juſtitiæ, quæ erat priùs in terra, elevanda foret in cœlum momento & faciomate immodico & excedente? Inde tuum, peccator, intuetur procedendi modum, ut te deprimat, ad hoc, ut tuam ſpem colloces in hoc fœlici tempore miſericordiæ; fieri enim poſſet, ut ipſa poſteà ſuccederet ad te puniendum juſtitia, ſi hâc abutereris miſericordiâ.

Prætereà, Signum iſtud ſic eſt excellens, ut, cùm ſemel ſuſceperit Solem æternum, nunquam diſcedat ab illo, *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole.* Ubi, ſi placet, obſervate, quòd duplex eſt veſtimenti genuſ, unum unionis eſſentialis, alterum verò unionis accidentalis. Unio eſſentialis, eſt unio hypoſtatica ſeu perſonalis Verbi Dei cum natura humana in unitate ſuppoſiti, *Verbum caro factum eſt* i. Altera, quæ non eſt ita intima, eſt ſubuculæ cum carne, & hæc proximè accedit ad illam præ omnibus unionibus. B. Virgo habet Solem pro indumento, hoc innuit, quòd poſt unionem hypoſtaticam naturæ divinæ cum natura humana non eſt aliquid, quod plùs accedat ad Deum quàm B. Virgo: ipſa plùs appropinquat ad illum quàm omnes Angeli, Cherubim, & Seraphim. Dicere illam Deam non poſſum, quia Fides docet me, quòd *Dominus Deus noſter Deus unus eſt* k, qui ſolus meretur omnes reverentias & adorationes noſtras, *Non habebis Deos alienos coram me* l. Et hoc eſt quod eſt confeſſus divinus S. Dionyſius m, *Teſtificor Deum, qui aderat in Virgine, ſi tua divina concepta me non docuiſſent, hanc ego verum Deum credidiſſem.* Et conſequenter exhibere non debemus creaturæ ſummum cultum latriæ, qui non debetur niſi ſoli majeſtati Dei. Dicere eam Angelum, iſtud non eſt ſatis, dicam de ea quid plus; aſſeram illam proximam Deo præ omnibus creaturis, & ut ſic fœliciſſimam omnium illarum, cùm pro indumento habeat Solem, qui eſt Princeps omnium aſtrorum, & ſic ipſa eſt ſublimiſſima omnium creaturarum, *De qua* ait S. Epiphanius n, *per Scripturas in cœlos incumbo, & conſpicio illam ab Angelis adorari. Hinc Gabriel imprimis ſalutat Virginem, Ave gratiâ plena* o, *quæ es ſplendidum cœlum. Ave gratiâ plena, quæ habes radium de cœlo lucidis facibus coruſcantem, utpote Solem Chriſtum. Virgo plurium nominum & multocula effecta eſt. Seraphim incomprehenſa viſionis: quæ inventa eſt velamentum quoddam intellectuale corporis univerſalis, Cherubim tranſcendens. Illa enim avertuntur, cùm nequeant ſpiritalem ignem Divinitatis fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis ſivè intuens incomprehenſibilem & ſomni expertem oculum Chriſti, cum deſiderio & oſculo ſalutabat. Exercitus Angelorum (qui ſunt ſcabellum pedum Chriſti* † *) procidentes nec videre poſſunt nec contingere, hæc verò labra labris conjungens, incomprehenſum* * *ſalutabat. O Virgo incomprehenſi myſterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicaſti. Virgo ſublimior Angelis facta eſt; Superior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & Mater: Sancta Mater immaculata, quæ genuiſti Chriſtum, qui eſt ante te, & dixit, Priuſquàm Abraham fieret, ego ſum* p. Et S. Bernardus q, *Jure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divinæ Sapientiæ, ultrà quàm credi valeat, penetravit abyſſum, ut quantùm ſine perſonali unione, creaturæ conditio patitur luci illi inacceſſibili* † *videatur immerſa. Illo nimirum igne Propheta labia purgantur* r, *illo igne Seraphim accenduntur. Longè vero aliter Maria meruit non velut ſummatim tangi, ſed operiri magis undique & circumfundi, & tanquam ipſo igne concludi. Magna planè viſio rubus ardens ſine combuſtione* ſ: *magnum ſignum, Mulier illæſa manens amicta Sole. Non eſt rubi natura opertum undique flammis, manere nihilominùs incombuſtum: non mulieris potentia ut ſuſtineat Solis amictum. Non eſt virtutis humanæ, ſed nec Angelicæ quidem. Sublimior quædam neceſſaria eſt. Spiritus ſanctus, inquit, ſuperveniet in te* t. *Et tanquam reſpondeat illa, quoniam Spiritus eſt Deus* u: *& Deus noſter ignis conſumens eſt* x: *virtus, ait, non mea, non tua, ſed Altiſſimi obumbrabit tibi* y. *Nihil itaque mirum, ſi ſub tali umbraculo talis etiam à muliere ſuſtineatur amictus. Mulier, inquit, amicta Sole, planè amicta lumine tanquam veſtimento* z. *Non percipit fortè carnalis, nimirum ſpirituale eſt, ſtultitia illi videtur* a. *Non ſic videbatur Apoſtolo* b *qui dicebat, Induimini Dominum Jeſum Chriſtum. Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruiſti, quantam inveniſti gratiam apud eum* c. *In te manet, & tu in eo; & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis enim ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ majeſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris. Novum enim fecit Dominus ſuper terram, ut mulier circundaret virum* d, *nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur, Ecce vir Oriens nomen ejus* e. *Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier Sole appareret amicta.* Et S. Thomas ſ, *Rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit* g *Unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis* h, *præ omnibus alijs majora privilegia gratiæ acceperit.*

Sed quare referemus teſtimonia tot virorum illuſtrium & tot Sanctorum, qui de ea libros compoſuerunt integros, ſi præ manibus noſtris habeamus eaſdem rationes, quæ nos moverunt ad attribuenda tot elogia huic beatiſſimæ Virgini? Nonne ſcimus, juxta maximam Philoſophiæ infallibilem, quòd quò propiùs res aliqua accedit ad originem ſuam, aut ad principium ſuum, eò magis ingreditur communicationem effectuum illius, ſicut quò plùs quis accedit ad ignem, & ad Solem, eò magis accenditur, & illuminatur? atqui inter omnes creaturas illa quæ propiùs accedit ad Filium Dei, qui eſt origo totius ſanctitatis, ut putà *Sanctum Sanctorum* i, eſt B. Virgo, eò quod ſubminiſtraverit illi corpus, & ſanguinem, in cujus effuſione ſita erat noſtra redemptio k: oportebat igitur ſit ipſa magis communicaret ſanctitati, & majores ſuſciperet gratias quàm omnes Sancti ſimul. Prætereà, Quare putatis, quòd beatiſſima Virgo vocatur Mare, Maria Mare? niſi ut innuatur, quòd, ſicut dicit Eccleſiaſtes l, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*; Ita omnes gratiæ aliorum Sanctorum ingrediuntur in eam, ut ait S. Bonaventura m, *Flumina ſunt chariſmata Spiritus ſancti: Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam.* Et quare vocatur *Electa ut Sol* n? & in Textu noſtro, *Mulier amicta Sole*: niſi ut ſignificetur, quòd ſicut Sol ſplendore & pulchritudine ſuperat omnia aſtra; ſic B. Virgo vincit omnes Sanctos eminentiâ meritorum ſuorum, & ſanctitatis ſuæ: *Dicitur Electa ut Sol, non fulgens ut Sol* o, *ſicut de omnibus juſtis teſtatur Salvator, ſed electa, propter ſingularem gloriam animæ, ſingularemque ſuam electionem, eminùs ſuper omnes conſtituentem chorum; ad quem nullus hominum, vel Angelorum pertinget,* ait de Ponte p. Sed de quo cogitatis, quòd loqui velit

i Joan. 1. 14.
k Deut. 6. 4.
l Exod. 20. 3.
m S. Dion. ep. ad S. Paul. citat. à Caſlem. tô. 2. ſabbat. 3. in quadrag.
n S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
o Luc. 1. 28. &c.
† ex Pſ. 98. 5.
* ex Jer. 31. 19.
p ex Jo. 8. 58.
q S. Bern ſerm. de verb. Apoc. 12. Signum magnũ, &c.
† ex 1. Timot. 6. 16.
r ex Iſai. 6. 6. & 7.
ſ ex Exod. 3. 2.
t Luc. 1. 35.
u ex Joã. 4. 24.
x ex Deut. 4. 24. & ex Hebr. 12. 29.
y ex Luc. 1. 35.
z ex Pſal. 103. 2.
a ex 1. Cor. 2. 14.
b Rom. 13. 14.
c ex Luc. 1. 30.
d ex Jer. 31. 22.
e Zach. 6. 12.
f S. Thó. 3 p. q. 27. art. 1. in corp.
g ex Luc 1. 7.
h ex Joã. 1. 14.
i Dan. 9. 24.
k 1. Cor. 6. 20.
l Eccl. 1. 7.
m S. Bon. lect. 2. in Spec. B. M. V.
n Cant. 6. 9.
o ex Mat. 13. 43.
p de Pont. lib. 9. in Cant. 5. ... 5. par. § 5

Digitized by Google

q Iſai. 2. 2

Iſaias q, cùm dicebat? *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*: niſi de B. Virgine, ut docet S. Gregorius r, *Poteſt antem hujus montis nomine, beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei Genitrix deſignari. Mons quippe fuit, quæ omnẽ electæ creaturæ altitudinem electione ſua dignitate tranſcendit. Annon mons ſublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, uſque ad ſolium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans, ait, Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit. Nam ſicut mons altitudinem, ita domus deſignat habitationem. Mons quippe & domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus eſt illuſtrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, ſacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, ſi ſupra Angelorum altitudinem, hanc divina fœcunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, ſi in ejus ventre, per aſſumptam humanitatem, Verbi Divinitas non jaceret.* Et quid ſignificare nobis voluit Pſalmiſta ſ, cùm dixit: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob: Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei*: niſi Mariam, ut exponit Lorinus t, dicens, *De Maria Virgine Germanus Conſtantinopolitanus apertiſſimè contendit, verbis iſtis Davidem in ſpiritu cecinìſſe, ut de civitate magni Regis, atq; manifeſtiſſimè, ac ſine ulla contradictione ita ſentiendum: illam verò ſuperiorem omnibus eſſe, non de more ſuum excellentiâ, & altitudine excitatorum ædificiorum, ſed divinarum & ſublimium virtutum magnitudine, & puritate, nulli penitus culpæ affinem, in qua, qui verè eſt Rex regum, & Dominus dominantium u, habitavit.* Eccleſia ſic uſurpat in Officio parvo B. Mariæ: *Sicut lætantium omnium noſtrûm habitatio eſt in te, ſancta Dei Genitrix.*

r S. Greg. lib. 1. c. 1. in 1. Reg. 1. c. poſt init.

ſ Pſ. 86. 1. &c.

t Lorin. in Pſ. 86. 3. cita s Germ. Conſt. Orat. in adoratio venerandæ zonæ Deiparæ u ex 1. Tim. 6. 15 & ca Apoc. 19 16.

Inſuper, B. Virgo Maria, juxta piam & communem ſanctiſſimorum Doctorum ſententiam, ab inſtanti ſuæ Conceptionis immaculatæ, habuit perfectum rationis uſum, & illius glorioſum fecit exercitium toto tempore vitæ ſuæ: atqui quælibet ex actionibus ejus producta in gratia, & ſecundùm totam vim & capacitatem illius gratiæ, merebatur incrementum primæ gratiæ. Si enim Angeli beati, quos Deus *creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*, ut ait S. Auguſtinus x, hoc primo inſtanti, quo creati fuerunt in gratia, produxerunt actum amoris y, ſecundùm totam fortitudinem gratiæ, quam ſuſceperant ipſo ſuæ creationis inſtanti, cùm eſſent prædeſtinati ad fruendum gloriâ, & unicum duntaxat haberent inſtans ad merendam hanc fœlicitatem æternam, & congruum non eſſet, ut hæc gratia foret otioſa in ſpiritibus ſic nobilibus, *Angelus poſt primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, ſtatim beatus fuit*, ait S. Thomas z: imò verò Protoplaſti noſtri Adam & Eva a ante inobedientiam ſuam iiſdem vacabant praxibus divinæ dilectionis exercendæ: quare non dicemus, quòd B. Virgo, quæ ſuſcepit dona gratiæ & virtutis multò plura, & abſque ulla comparatione excellentiora quàm illi, & quæ eam inducebant ad exercitia ſanctiora, & ad praxes glorioſiores; & quæ experiebatur motus Spiritus ſancti multò violentiores, & quæ ab iis ſuſcipiebat guſtus & conſolationes ſuaviores, & quæ nullum habebat impedimentum, quod ipſi eriperet poteſtatem agendi in omnibus cogitationibus ſuis, æquè ac in cunctis operibus ſuis, ſecundùm totam fortitudinem principii, quod ipſa habebat, quod erat gratia Dei, ſimilibus praxibus incubuerit? Sicut filius benè moratus, qui diligit patrem ſuum, qui reveretur eum, & ſollicitus eſt de cuſtodienda illius amicitia, eique complacere conatur in omnibus occurſibus, agnoſcens beneficia & favores, quibus ab eo cumulatus eſt, & adhuc cumulari poteſt, ſi talis eſt, qualem ſe debet exhibere in omnibus actionibus, quibus vacat nititur ſe excitare ad novum amorem, & ſimilibus actionibus incumbere propter amorem patris ſui: Sic B. Virgo, quæ primo inſtanti ſuæ Conceptionis immaculatæ ſic abundantem gratiam ſuſceperat, ut dixit deinceps *Angelus ad eam, Ave gratiâ plena* b, ex tunc erat grata oculis Dei ſui, & cum iſta gratia habebat charitatem habitualem, aut originem dilectionis, quâ diligere poterat eum, qui ipſam ſic dilexerat: & ſecundùm notitiam, quam ipſa habebat ſummæ bonitatis Dei, & favorum, quos ab ejus liberalitate ſuſceperat, & eorum, quos ab ejus magnificentia poterat adhuc ſperare; piè credendum eſt, quòd hæc gratia, & hæc dilectio, & hæc notitia non manebant otioſæ in ipſa, quæ ideò jugiter vacaret exercitio alicujus rei bonæ, ad quam ipſa inſumeret totum amorem & totum ardorem affectus, quo erat ipſa animata. Cùm igitur Salomon c dixerit, *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*: B. Virgo, quæ abſque ulla intermiſſione vacabat operibus bonis ſecundùm totam gratiam, & totam dilectionem, quam habebat, merebatur in quolibet ex iſtis operibus incrementum & reduplicationem totius illius gratiæ, & totius hujus dilectionis, ſi verum eſt id, quod dicunt aliqui innitentes verbis iſtis S. Bernardini d, *In Virgine ſic fuit ſenſitivus appetitus rationi ſubjectus per gratiam ſanctificantem, quòd nunquam contra rationem movere ſe poterat*: quòd gratia, quæ fuit illi data à principio, hanc haberet poteſtatem per excellentiam, operandi ſine exercitio ſenſuum, aut miniſterio corporis: quòd ſi ita ſe res habebat, ipſa continuo vacare poterat exercitio, nedum ullam pateretur fatigationem, imò verò dormiendo, ut diceret præ veritate hæc verba dilectionis, *Ego dormio & cor meum vigilat* e. *Quæ ſingulari excellentiâ*, ut ait de Ponte f, *convenıunt Deipara, quæ cum duplici ſomno duplicem conjunxit ſtupendam vigiliam, id eſt, duplicem contemplationis modum, ut inſinuat Rupertus. Prior, in quo omnes ſenſus interni & externi, ita circa temporalia ſopiti erant, ut nec minimam in vita paterentur cogitationem ab oratione alienam. Quod ſingulare ejus fuit privilegium. Et ideò cor ejus perpetuò vigilabat in oratione, obtutum mentis in Deum fixum habens, ita ut nec ipſe ſomnus corporis eum omnino interciperet ſicut S. teſtatur Ambroſius, de ea dicens, Cùm quieſceret corpus: ipſa vigilabat animus, qui frequenter in ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat* g. *Sed alacriùs audio Deiparam in ſomno ſuæ contemplationis dicentem: Et cor meum vigilat. Non tantùm pro me, ſed pro omnibus fidelibus, & filiis meis, curam illorum gerens, ſicut Chriſtus, qui eſt cor meum, vigilat pro illis. Nam uterque idem habens cor, & cor meum eſt juxta cor ipſius: ad quod autem vigilat, niſi ut, ſicut ſcriptum eſt, Convertat cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum* h? *Id eſt, ut Parentes noſtri Chriſtus & Chriſtifera, ac Patriarchæ, & Apoſtoli, ac ſancti Patres, qui nos præceſſerunt, tranſfundant in ſuos filios ſuos, cor ſuum, & mores ſuos.* Si autem [illegible] mus adhærere ſententiæ magnorum illorum Doctorum, & velle nos dicere, quòd B. Virgo [illegible] ret è concurſu corporis, & miniſterio ſen[illegible]

x S. Aug. lib. 12. de civ. Dei c. 9. ex Gen. 1. 3.
y Apoc. 12. 7.
z S. Thó 1. p. q. 62 art. 5. in corp.
a Gen. 1. 27.
b Luc. 1. 28.
c Prov. 4 18.
d S. Bernardin. ſerm. 4. de Concept. a 1. c. 4.
e Cant. 5. 2.
f Pôc. [illegible] 8 in Cant. 5. 2. exhort 7 Parag. 4.
g ex S. Ambr. [illegible] 2. de Virginib poſt init.
h Malach. 4. 6

more cæterorum hominum g, propter quod ipſa poterat aliquam experiri fatigationem corpoream h, & conſequenter non valebat ſingulis inſtantibus producere actus amoris Dei, nec ſecundùm totum vigorem gratiæ ſuæ, tamen ſemper eſſet dicendum, quòd inter illos actus, qui poterant eſſe tantiſper remiſſi, ipſa producebat aliquando alios excellentiores & ardentiores quàm eſſet totus amor habitualis & tota gratia præcedens, ob validum auxilium Spiritus ſancti, qui ſemper ipſi aderat, quique ſic compenſare poterat aliorum actuum remiſſionem, ut omnibus rectè conſideratis dicere poſſimus audacter, quòd peractâ quâlibet die, imò verò quâlibet horâ, ſi ſi velitis dicere ſingulis momentis, tantam mereretur B. Virgo gratiam, quantam immediatè antè ipſa habebat: & ſicut inſtantia vitæ ejus ſunt innumera, & excedunt haud dubiè numerum inſtantium virtuoſorum Sanctorum, & Angelorum, etiamſi nolletis comparare meritum cujuslibet inſtantis B. Virginis cum ſingulis inſtantibus uniuscujusque Sancti, aut Angeli, ſemper inveniretis, quòd B. Virgo ſola Sanctos omnes, & univerſos Angelos meritis & ſanctitate ſuperat: & dato quòd oſtenderetis mihi, quòd numerus Sanctorum eſſet major numero omnium iſtorum inſtantium Mariæ, tamen exceſſus & incrementum gratiæ & meriti in qualibet ex actionibus ejus ſic erat ingens, ut unica ex illis, quibus vacabat ipſa ſub finem vitæ ſuæ, adæquare poſſet omnem perfectionem Sanctorum: unica vel Communio B. Virginis poſt aſcenſionem Filii ſui *in cœlum* i, magis erat meritoria, quàm fuerunt unquam omnes Communiones maximorum amicorum Dei. Contemplamini, Animæ piæ, ſi poteſtis, abyſſum dilectionis, quam experiri debebat hæc beata Deipara diebus ſingulis, quibus ipſa reponebat in corde ſuo & in ſtomacho ſuo idem corpus pretioſum, quod ex ipſa exiverat ad operandam redemptionem noſtram: non puto quòd concipere poſſitis abundantiam dilectionis & devotionis, quam ipſa experiebatur in unâ è Communionibus ſuis: ſic non conciperetis meritum ineffabile & incomprehenſibile, quod illi accidebat; minùs autem blanditias & conſolationes, quibus amantiſſimus ejus Filius illam perfundebat per præſentiam corporis ſui, & per infuſionem gratiæ ſuæ. Poſt hæc quis auderet æquiparare puritati B. Virginis merita aliorum Sanctorum, qui obnoxii fuerunt inconſtantiæ, quique nobis repræſentantur per Lunam, quam ipſa habet ſub pedibus? *Nam & defectus omnis ſub ea: & quidquid fragilitatis ſeu corruptionis eſt, excellentiſſimâ quâdam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit & ſupergreditur creaturis, ut meritò ſub pedibus ejus Luna eſſe dicatur,* ait S. Bernardus k. *Alioquin nihil magnum dixiſſe videbitur, ſit Luna iſta ſub pedibus ejus, quam ſuper Angelorum choros, ſuper Cherubim quoque & Seraphim exaltatam nefas eſt dubitare.*

i Marc. 16. 19.

k S. Bern. ſerm. in Apoc. 12 Signũ magnũ, &c.

Et Luna ſub pedibus ejus. Luna eſt pudor aſtrorum, ſcandalum ſenſuum noſtrorum: Luna, quæ eſt ſymbolum inconſtantiæ, creſcit & decreſcit: & B. Virgo tenet illam ſub pedibus, ut oſtendat, quòd ipſa triumphat de inconſtantia iſtius aſtri. Ubi, ſi placet, obſervate, quòd pictores ſoliti ſunt pingere alios Sanctos cum circulo ſuper capite; B. Virgo autem tenet hunc circulum ſub pedibus, ut diſcamus, quòd ipſa cœpit inde, quò alii ſinivèrunt, *Fundamenta ejus in montibus ſanctis,* ait Pſalmiſta l. *Luna ſub pedibus ejus.* Scriptura m nobis repræſentat B. Virginem per eam, quam *Sapientia ædificavit ſibi domum* n, ad inhabitandum in ea, & ad collocandam in ea plenitudinem ſuæ Divinitatis, non ſolùm quantùm ad animam beneficio gratiæ, ſed etiam quantùm ad corpus, ſumendo in ventre ejus humanitatem ſacram, & hanc carnem pretioſam, quæ decebat dignitatem Verbi: *Hujus loci interpretatio pertinet ad Virginem Deiparam, quâ nulla Patribus ſolemnior eſt,* ait Salazar n. *Omnes autem conſpirant, domum iſtam, quam Sapientia ſubſtruxit, aut Mariam eſſe, aut Mariæ uterum: idque ſatis adumbrari illis verbis: Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis* o. *Id eſt, domum captans uterum Mariæ, cœpit quidem inter nos degere, & nobiscum habitare. Sat eſt dicere, Sapientiam exædificaſſe ſibi domum. Proh Deum immortalem! quantam humilitatem pro fundamento jecit? Quos parietes ex virginitatis frigido marmore erexit? Quas virtutum omnium columnas, quàm ſublimes, quàm pulchras cœleſtis converſationis concamerationes, quantam quàmque variam, & diſſimilem gratiarum omnium ſupellectilem cumulavit?* Sed iſta Divina *Sapientia ædificavit ſibi domum* iſtam ſuper ſeptem ſpecioſas columnas, *Excidit columnas ſeptem.* Super quod ait idem Salazar, *Idiota in contemplatione Virginis ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam* p *intelligit, ſic enim ait, Septem columnæ, quibus firma ſemper ſtetiſti, ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ requieverunt in te, & nunquam te deſeruerunt, per quæ ſtetiſti firmiter, & perſeveranter in omni virtute.* Unde colligi poteſt, quòd prima fundamenta, ſuper quæ Deus ſtabilivit iſtam domum, in qua habitaturus erat, non fuerunt infirma & inconſtantia, ſive ratione ſordium peccati originalis contemptibilia, & abjecta, ſed ſolida, pretioſa, & ſancta ob donum ſpeciale gratiæ & bonitatis ipſius; quod erat maximè congruum: nam poſtquàm *in principio creavit Deus cœlum, & terram,* quæ erat elementum vile & abjectum, dedit illi approbationem ſuam, *Et vocavit Deus aridam terram. Et vidit Deus quòd eſſet bonum* q. Quòd nimirum terra haberet perfectionem naturæ ſuæ convenientem: ſic dicere poſſumus, quòd idem Deus, poſtquàm produxit ſanctiſſimam Matrem ſuam, quæ meritis & ſanctitate ſuperat, non ſolùm terram, ſed etiam cœlum, & omnes Angelos cœli, non invênit quòd illa eſſet mala, id eſt, peccatrix, & filia maledictionis ob labem originalem, à qua illa fuit immunis, ſed è contrà illam approbavit præ cæteris operibus ſuis, cùm ipſa ſola poſſideat plùs perfectionum quàm omnes creaturæ.

l Pſ. 86. 1.

m Prov. 9. 1.

n Salaz. in Prov. 9. 1. n. 3. &c.

o Joan. 1. 14.

S. Bern. ſerm. 9. ex Parvis, & aliis.

p ex Iſai. 11. 2. & 3.

q Gen. 1. & 10.

Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Numerus duodenarius in Scriptura eſt ſignum plenitudinis. S. *Joannes* ait, *ſanctam civitatem Jeruſalem portas duodecim* r habere. S. Lucas recenſet *duodecim Apoſtolos* ſ, qui ſunt veluti fundamenta t Eccleſiæ naſcentis: Erant duodecim lapides pretioſi u in rationali Summi Pontificis Fœderis antiqui: *In Elim erant duodecim fontes aquarum* x ad potandos filios Iſrael: Et, *Dixit Dominus ad Joſue, Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus & præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt pedes Sacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, ubi fixeritis tentoria* y, &c. B. Virgo igitur habens duodecim ſtellas ſuper capite ſuo, nobis oſtendit plenitudinem gratiæ, *Cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ,* dicit S. Hieronymus z. Ubi obſervate, ſi placet, quòd duplex eſt plenitudo: datur plenitudo Jeſu Chriſti, & plenitudo Mariæ.

r Apoc. 21. 12. & 12.

ſ Luc. 6. 13. & ex Act. 1. 26.

t Epheſ. 2. 20.

u Exod. 28. 17. &c.

x Exod. 15. 27.

y Joſue 4. 1. &c.

z S. Hier. ſerm. de Aſſumpt.

Pleru-

Plenitudo Jeſu Chriſti eſt plenitudo fontalis *a*. Sed plenitudo Mariæ *b* eſt plenitudo talis, qualem poterat habere pura creatura, & hæc venit in illam à Jeſu Chriſto, qui eſt origo & fons omnium gratiarum, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* c. Unde hujuſmodi gratiæ fluunt in Mariam, quibus ipſa Sanctos ſuperat univerſos. Sic diſpoſitiones debebant præcedere, & Deus qui antequàm introducat aliquam formam, ſicut illas natura requirit ſimiliter & ars: v.g. in natura, ut introducat ignis formam ſuam in lignum, ab eo debet priùs ejicere omnem humorem: in arte, ad quadrandum lapidem requiritur ſcalprum, malleus, & norma: eodem modo ſe res habet in gratiâ: cùm Deus ut ſummus Artifex facere vellet hominem, & deſtinaret hanc Puellam quæ naſcitur hodie, ad hoc ut eſſet Mater ſua, requirebatur in eâ abundantia omnium gratiarum quæ erant neceſſariæ ad hanc Divinam Maternitatem, quæ eſt opus eximium, quod exhaurit Omnipotentiam Divinam, cùm Deus nihil hâc Divinâ Maternitate majus poſſit agere, ut docet S. Thomas *d*. Ideò neceſſariæ erant in eâ diſpoſitiones, requirebatur in eâ plenitudo gratiæ, & aliquid Divinum: & conſequenter dici poteſt abſque ſcandalo quòd Divinitas habet aliquid Virginis: ſi enim viſâ uxore ſuâ dixit Adam, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ* e: cùm B. Virgo ſubminiſtraverit carnem Jeſu Chriſto *d*, & hæc caro fuerit unita Divinitati, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro*, ait Arnoldus Carnotenſis *e*, Divinitas habet aliquid Mariæ. Ex hinc inferri poteſt, quòd ipſa erit fortunatiſſima omnium creaturarum. Ecce fortunæ Mariæ quæ naſcitur ad hoc ut ſit Mater Dei.

a Ioan. 1. 14. & 16. *b* Luc. 1. 28. *c* Ioan. 1. 17. *d* S. Thom. 1 p. q. 25. a. 6. ad 4.

Honoremus, Auditores, hanc fortunatam B. Virginem, quæ gratiis & favoribus antecellit omnes creaturas; & conemur imitari puritatem nativitatis ejus, habentes infœlicem horoſcopum, quippe *naturâ filij iræ* f. Nitamur habere pro indumento Divinum Solem *juſtitiæ* g, ut conſulit nobis S. Paulus *h*, *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum*. Conculcemus Lunam inconſtantiæ, pedibus, firmi manentes in bonis conſiliis noſtris; ſeramuſque ſtellas ſymbola gratiæ, ut detur nobis gloria.

c Gen. 2. 23. *d* Matth. 1. 18 *e* Arnold. Carnot. ſerm. de Laudib. Mar. *f* Epheſ. 2. 1. *g* Malach 4. 2. *h* Rom. 13. 14.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

***Occurrerunt ei decem viri leproſi:* Luc. 17. 12.**

HOmines terræ ordinariè plùs ſentiunt mala particularia, quàm ea quæ affligunt communitatem: & conſiderationes commodi privati majorem utplurimùm faciunt impreſſionem ſuper mentem, quàm illæ quæ totum reſpiciunt Statum politicum. Amor Divinus elaborabat his diebus Dominicis præcedentibus converſionem peccatoris (qui nobis etiam repræſentatur hodie in perſonâ decem leproſorum Evangelii noſtri) interventu maximarum ſocietatis, ſicut & ſolitudinis; ſed hodiernâ die repræſentat ei ſtatum infamiæ in quem ſe præcipitat, & clarè oſtendit ei, quòd è ſtatu nobilitatis tranſit in ſtatum ignobilitatis, & è conditione Angelorum deſcendit in conditionem brutorum, ſicut ait Pſalmiſta *a*, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Et Dionyſius Carthuſianus *b* poſt eundem Pſalmiſtam, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, hoc eſt, peccator cùm ad Creatoris ſui imaginem factus eſſet* c, *propriam dignitatem non advertit, nec rationaliter vixit, nec cœleſtem atq; Angelicam beatitudinem concupivit, ſed in rebus temporalibus atq; carnalibus ſe immerſit, nec per rationem paſſionibus ſuis prævaluit, idcirco comparatus eſt jumentis inſipientibus, factus ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus* d, *& ſimilis factus eſt illis, ſequendo concupiſcentiæ impetum, & vitiorum impulſum, non rectæ rationis imperium, neque Divinæ Legis cenſuram. De tali homine in Geneſi ait Dominus, Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* e. *Non enim adimplet quod Dominus ait, Sub te erit appetitus illius, hoc eſt, concupiſcentia mala, & tu dominaberis illius* f. Homo per peccatum tranſit igitur in conditionem beſtiarum, ut videbitis in progreſſu diſcurſus iſtius. Angeli in hoc ſtatu non conſiderabunt eum ampliùs ut fratrem, conculcabunt eum, id eſt, contemnent illum, cùm non ſint ampliùs obſervaturi in eo lumina mentis, quæ reddebant eum ipſis ſimilem. Tamen ex quo Dei Filius reliquit omnes magnitudines cœli, cùm exivit *à Patre, & in mundum* g venit quæſitum hunc hominem, ſublevavit nobilitatem ejus, & reparavit damna illius: & Angeli qui priùs ſpernebant hominem videntes eum elevatum uſque ad thronum Dei, mutaverunt hunc deſpectum in venerationem, & inducti ſunt adorare Deum hominem *i in utero* k Virginis, quam ſalutaverunt *gratiâ* plenam, verbis iſtis, *Ave Maria.*

a Pſ. 48. 13. & 21. *b* Dion. Carthuſ. in Pſal. 48 13. *c* ex Gen. 9. 6. *d* ex Pſ. 31. 9. *e* Gen. 6. 3. *f* ex Gen. 4. 7. Propoſitio. *g* Io. 16. 28. *i* Hebr. 1. 6. ex Pſ 96. 8. k Luc. 1. 31 &c. ex Iſai. 7. 14.

Non eſt diffitendum, quòd cùm *in principio creavit Deus cœlum & terram* l, idem Deus produxit effectum liberalitatum ſuarum æquè ac potentiæ ſuæ, cùm tribuit unicuique creaturarum ſuarum qualitates & perfectiones, quæ ſunt ornamenta eſſe ipſarum: tamen id omne quod ſpecioſum videmus in creaturis, non eſt niſi depreſſio, quia omnes ſunt captivæ hominis, qui eſt opus eximium manuum Dei, & ille qui creatus eſt ad imperandũ toti mundo, ſicut ait Pſalmiſta Deo *m*, *Domine Dominus noſter, quid eſt homo quòd memor es ejus? aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* n: *oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris qui perambulant ſemitas maris.* Nolite tamen perſuadere vobis, Auditores, quòd colligere velim nobilitatem hominis ex eo quòd noſtros perentit oculos: ſed meæ mentis oculos ferre volo ad intimam uſque illius animam. Homo compoſitus eſt è duabus præcipuis partibus, quæ ſunt corpus & anima. Non ignoro quòd conſiderare diſpoſitionem corporis ejus, ordinem concinnum omnium membrorum illius, pulchritudinem fortitudinis ejus, rectitudinem ſtaturæ illius, & ſitum oculorum ipſius in loco totius corporis eminentiſſimo ad intuendum ſemper cœlum, hoc ſufficit ad evehendum illum ſupra creaturas omnes, ſicut ait Poëta Ethnicus,

l Gen 1. 1. *m* Pſ. 8. 2. &c. *n* ex Gen 1. 28.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Sed quia pars iſta, quæ eſt corpus, magnam habet ſocietatem & convenientiam cum beſtijs, & corruptibilis eſt ſicut iſtæ corruptioni ſunt obnoxiæ, quemadmodum *Dominus Deus Adæ dixit, Pulvis es, & in pulverem reverteris* o: *Homo ergo poſt peccatum immedicabili quaſi phthiſi, putà contrariarum qualitatum pugnâ & corruptione laborat, quæ eum ſenſim abſumit & enecat*, ſubdit Cornelius p: Hoc eſſet injuriam irrogare nobilitati hominis, ſi faceremus initium excellentiam ejuſdem hominis corporis ipſius: iſtud eſſet relinquere illuſtriſſimum titulorum ejus, ac non loqui de prærogativis eximiis animæ illius. Debemus igitur, ſi rationabiliter loqui volumus de nobilitate & excellentiâ hominis, examinare ſtatum animæ ejus, quæ eſt ſpiritus immortalis & incorruptibilis; ſpiritus qui pervadit intimè montes ſolidiſſimos; nedum ſit aliquid quod poſſit ipſi obſiſtere & reluctari; ſpiritus qui trajicit omnia ſpatia, & maria remotiſſima quæque, nedum fatigetur; qui velut ictu oculi pergit ab Oriente in Occidentem, & unico quaſi momento permeat à Septentrione in Meridiem; qui aſcendit ad Empyreum uſque cœlum, & deſcendit uſque ad abyſſos profundiſſimas, ut conſideret quid agatur ibi; qui revocat totam antiquitatem, eamque mediâ memoriâ ſuâ ſibi reddit præſentem; qui adducit poſteritatem, ut præſcribat ei ordines quos ipſa debet ſequi, licèt ipſa nondum ſit, & hoc intra concavum cogitationis; qui tandem judex eſt naturæ, & arbiter omnium ætatum, & univerſorum ſtatuum. Hæc anima habet duas facultates. Prima eſt mens, quæ eſt potentia tota repleta luminibus, quæ in ſuâ capacitate includit omnes ſcientias, & univerſas artes, quæque nihil invenit ſic difficile ut illud ad exitum non perducat. Sed heu! quemnam uſum facit homo mentis ſuæ? ad quid inſumit homo intellectum ſuum? Sanè ad hoc ut ſit coquus ventris ſui qui corrumpitur, cum ſemper ſit ſollicitus de adinveniendis ciborum condimentis ad placendum ipſi, inſtar illorum, *quorum Deus venter eſt*, ait Apoſtolus q. Et Dionyſius Carthuſianus r, *Id eſt, delectationibus gulæ ita inſiſtunt, quaſi in repletione ventris ſalus conſiſteret. Unde ventrem ſuum plùs colunt quàm Deum. Quod autem quis maximè colit, hoc Deus ejus aſſeritur. De quibus Judas ſ in ſuâ teſtatur Canonicâ, Hi ſunt in epulis convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, quibus procella tenebrarum conſervata eſt uſque in æternum.* Ad quid adhibet homo mentem ſuam? Ad formandas calumnias ſuper famam virorum & mulierum, ad componendas cantilenas turpes, ad concinnandos libellos famoſos, ad detrahendum appoſitè honori innocentium, ad decipiendos ſimplices, viduas, & orphanos. Ad quid inſumit homo hanc mentem immortalem, niſi ad actiones criminoſas, quæ ipſum tandem perducunt hominem *in ſupplicium æternum* t. Hæc anima eſt etiam prædita voluntate, quæ eſt potentia capax amoris, quâ quærit ipſa id omne quod ipſi blanditur, & adhæret illi omni quod ipſi placet. Interventu facultatis illius ipſa ſe elevat ſupra omnes creaturas, ſicut Regina ſupra ſuos omnes vaſſallos, imperat univerſis ipſa ſenſibus ſuis ut captivis; ipſa libera eſt, & ſic generoſa mediâ hâc facultate ut univerſas derideat ipſa contradictiones, ſpernat omnes minas, & nihili faciat cunctas promiſſiones, quia nihil eſt quod poſſit ipſam domare, præter ipſam; nec Deus ipſe poteſt illam cogere quin illam deſtruat, quippe qui *creavit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, ait Scriptura u. Et Cornelius x, *Hæc imago ſita eſt in mente hominis, ſive in eo quòd homo in ſummo rerum ſit gradu, in quo Deus eſt & Angelus; putà quòd homo ſit natura intelligens, ſitque animal rationale: per rationem enim, mentem & intellectum homo maximè refert Deum, illique præ alijs creaturis ſimillimus eſt. Ex hâc naturâ rationale ſex eximiæ hominis dotes & proprietates conſequuntur, in quarum modò unâ, modò aliâ Patres ſubinde hanc Dei imaginem collocant, ſcilicet partialiter & incompletè. Prima eſt, quòd hominis anima incorporea ſit & individua, uti eſt ipſe Deus* y: *in hâc imaginem Dei collocat S. Auguſtinus. Secunda eſt, quòd ſit æterna & immortalis: In hâc collocat Origenes. Tertia eſt, quòd ſit intellectu, voluntate, & memoriâ prædita: in hâc collocat Damaſcenus. Quarta, quòd ſit liberi arbitrij: in hâc collocat S. Ambroſius. Quinta, quòd ſit capax ſapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, viſionis Dei, omniſque boni: unde in hâc capacitate imaginem Dei collocat Nicænus. Sexta, quòd cunctis animalibus ſuâ poteſtate præſit & dominetur: in hâc collocat S. Baſilius.* Imperatores terræ & Tyranni potuerunt quidem findere montes, vincere Regna integra, deſolare Provincias florentiſſimas, aperire fluvios ſanguinis, & terrore percellere univerſa loca, in quæ ſua ferebant arma; ſed nunquam cogere potuerunt animam liberam; ſic ipſi coacti ſunt inviti cum totâ potentiâ ſuâ cedere puellis infirmis, S. Cæciliæ, S. Agneti, S. Agathæ, S. Catharinæ. Colligite, ſi placet, è præfatis iſtis qualitatibus animæ ſpiritualis & immortalis, ex intellectu qui eſt totus lux, & ex voluntate quæ eſt tota ignis, & è cæteris excellentiis quæ qualitates has præclaras conſequuntur, & videte num homo non ſit dignus veneratione, cùm ſit imago viſibilis Divinitatis. Sic appoſitè locutus eſt Socrates, cùm obvium habens quendam militem redeuntem è certamine, & præ manibus ferentem coronam ut illam imponeret capiti cujuſdam idoli, dixit ei, Quò vadis? pone hanc coronam ſuper caput meum: ego enim merear eam portare, quippe qui ſum filius Dei, & ejus imago vivens non autem hæc ſtatua mortua, ad quam illam defers.

Non eſt tamen ſatis dignè loqui de nobilitate Chriſtiani, ac dicere quòd poſſidet ſpecioſum corpus, dives officiis & organis; & animam rationalem præditam intellectu & voluntate: per corpus enim ſimilis eſt beſtiis, quæ habent corpus commune cum corpore illius, & anima ejus in nihilo differt ab animâ Turcæ & Pagani, qui habent eandem animam, & facultates iiſdem qualitatibus inſignitas: ſed auguſtiſſimus titulus Chriſtiani, eſt gratia quæ facit ipſum filium Dei, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* z. Et ipſum conſtituit fratrem Jeſu Chriſti, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* a. Natura facit eum hominem, ſed gratia facit illum Chriſtianum & hæredem cœli: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, dicit S. Paulus b. *Id eſt, beatitudinis Chriſti conſortes atque participes erimus. Ipſe eſt enim principalis hæres, & nos ſimul cum ipſo Divinam beatitudinem conſequemur*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus c. E gratia igitur Chriſtianiſmi educenda eſt nobilitas excellentiæ ipſius. Magnificè ſentire de Deo, vivere ſub legibus æquis, & proinde vitam innocentem, eſt gloria Chriſtianiſmi. Nulla eſt ſecta, quæ ſic dignè locuta fuerit, & ſic verè cogitaverit de Deo;

o Gen. 3. 19. &c.
p Cornel. in Gen. 3. 19.
q Philip. 3. 19.
r Dion. Carthuſ. in Philipp. 3. 19.
ſ ex Judæ v. 12. & 14.
t Matth. 25. 46.
u Gen. 1. 27.
x Cornel. in Gen. 1. 26.
y ex Joan. 4. 24.
z Jo. 1. 12.
a Rom. 8. 29.
b Rom. 8. 16. & 17.
c Dion. Carthuſ. art. 11. in Rom. 8. 17.

ſicut Chriſtianiſmus. Aliqui enim Deum fecerunt agere præ neceſſitate, eripientes ei hoc modo libertatem. Alij velut evulſerunt ei oculos, rati quòd non attenderet ad humana & terrena, nec invigilaret regimini mundi, ne videret illius diſſolutiones & exceſſus, quaſi vererétur ne inquinaretur hujuſmodi intuitu, & alteraret quietem ſuam, dicendo, *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſi-*
d Job 22. 13. & 14. *derat, & circa cardines cœli perambulat* d. Alij præciderunt ei velut brachium, mancam faciendo potentiam ejus, aſſerentes quòd nō feciſſet omnia; tales erant Manichæi: *Manes duo Principia inter ſe diverſa atque adverſa, eademq; æterna & coæterna, hoc eſt, ſemper fuiſſe, compoſuit, duaſque naturas atque ſubſtantias boni ſcilicet & mali, ſequens alios antiquos hæreticos, opinatus eſt: quarum inter ſe pugnam & commixtionem, & boni à malo purgationem, & boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem ſecundùm ſua dogmata aſſeverans, multa*
e S. Aug. li. de hæreſ. ad Quod-vult Deum, n. 46 *fabulatur*, ait S. Auguſtinus e. Tandem, Alij ut juſtificarent diſſolutiones ſuas & impuritates ſuas, adoraverunt Deos impuros & flagitioſos, Bacchum ebrium, Venerem impudicam, Martem adulterum, & Jovem æquè primum vitio ac imperio. Ubi videns quid ſenſerint aliæ ſectæ, & quantùm cogitationes earum fuerint injurioſæ Deo: ſed in Chriſtianiſmo fideles adorant Deum ſummum
f Apoc. 1. 8. & majeſtate plenum, qui eſt *principium & finis* f omnium rerum, cujus providentia, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuavi-*
g Sap. 8. 1. *ter* g, univerſum regit orbem; qui diſcernit meritum actionum, qui præparat coronas virtuti, & ſupplicia vitio, *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus: iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati credunt autem iniquitati: ira &*
h Rom. 2. 6. 7. 8. *indignatio* h. In Chriſtianiſmo adoratur Deus ſanctus, & ſine macula, Deus puritatis, Deus qui poſſidet eſſentialiter ſanctitatem, & illam præcipit, di-
i Levit. 19. 1 & 2. *cens, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum* i. Seu ſecun-
k Cornel. in Levit. 19. 2. dum Cornelium k, *Sancti eſtote, Sancti, id eſt, mundi & puri ab omni immunditia carnis & ſpiritus, ab omni peccato.* Deus, cujus leges non ſolùm ſunt juſtæ & æquæ, ſed etiam ſanctæ & perfectæ, *Itaq; lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bo-*
l Rom. 7. 12. *num*, dicit Apoſtolus l. Et Dionyſius Carthuſia-
m Dion. Carthuſ. art. 10. in Rom. 7. 12. nus m, *Itaque lex quidem ſcripta, eſt ſancta, quia prohibet vitia, præcipitque honeſta. Unde, ſecundùm Iſidorum, Lex eſt juſſio ſancta, jubens honeſta. Et mandatum legis eſt ſanctum, hoc eſt, ad Divinum cultum directè ordinatum, non ad agendum peccatum, quamvis homo ex fomitis corruptione ex occaſione moveatur ad vitium audito legis præcepto. Et juſtum, quoniam docet & imperat unicuique dare quod ſuum eſt, & injuſtitiam dignè ulciſcatur. Et bonum, quia ad ultimum*
n Pſal. 18. 8. *finem, qui optimus eſt, dirigit. Hinc ait Pſalmiſta* n, *Lex Domini immaculata convertens animas, &c.* Et
o Prov. 6. 23. Salomon o, *Mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ.* Tandem, In Chriſtianiſmo fit profeſſio vitæ innocentis, vitæ irreprehenſibilis: & ex quo quis recedit à puritate & à ſanctitate, quam iſta Lex Evangelica præſcribit ſanctitate ſuorum decretorum ſacrorum, eodem tempore Chriſtianâ profeſſione ſe reddit indignū. Hoc eſt improperium, quod faciebat Tertullia-
p Tert. In Apologe. c. 44. nus p Gentilibus, dicens: *Veſtros jam conteſtamur actus, qui quotidie judicandis cuſtodijs præſidetis, qui ſententijs elogia diſpungitis: tot à vobis nocentes varijs criminum elogijs recenſentur, quis illic ſicarius, quis manticularius? quis ſacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo? Quis ex illis etiam Chriſtianus aſcribitur? Aut cùm Chriſtiani ſuo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes. De veſtris ſemper æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant, de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur, de veſtris ſemper munerarij noxiorum greges paſcunt. Nemo illic Chriſtianus, niſi tantùm planè Chriſtianus; aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus.* Pamelius autem Scholiaſtes ejus, ſic interpretatur nomen illud, *munerarij, id eſt, cives illi, qui ſpectacula populo edunt.* Quaſi diceret Tertullianus illis Ethnicis, Obſervate, ſi placet, quòd omnes captivi qui detinentur in ergaſtulis veſtris, ſunt è veſtrâ Religione: ſi verò in eis ſint aliqui è noſtris, non ideò quòd commiſerint aliquod crimen, aut patraverint aliquam actionem prohibitam à legibus; ſed idcircò detinetis eos ibi ſub conſideratione nominis Chriſtiani: non crimen, vel injuſtitiam, cujus nullo modo ſunt conſcij, punitis in eis, ſed Religionem: ſi verò ibidem ſit aliquis, qui ſit aliquo ſcelere inquinatus, is non eſt ampliùs Chriſtianus, nos diſſitemur eum pro fratre, quia inhonoravit Religionem noſtram: Lex noſtra prohibet crimina, & profitetur ſanctitatem: illi ergo qui producunt actiones contrarias ſanctitati noſtræ Legis, non ſunt ampliùs iſtius Legis.

Ha! Auditores, ſi ſeriò examinaretur modus procedendi vitæ Chriſtianorum hujus temporis ferrei quo vivimus, ſuper iſtam maximam, ſinè multò plures reperiremus atheos, idololatras, Ethnicos, Turcas, Mauros, & barbaros, quàm Chriſtianos, quia iſti quantùm ad maximam partem, vivunt aliter quàm credunt: vita ipſorum eſt vita beſtiæ, quæ non ſpectat niſi ſenſus, *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*, dicit S.
Paulus q. Et Dionyſius Carthuſianus r, *Animalis* q 1. Cor. 2. 14.
autem homo, id eſt, carnalis & vitioſus, cujus affectus & intellectus in ſenſibilibus detinentur, non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, id eſt, ſpiritualia bona. Sermo enim juſtitiæ, myſticus intellectus, cætera quoque Divina ei non ſapiunt, nec delectatur in eis, propter ſui interioris guſtus infectionem: ſicut febricitans non guſtat mellis dulcedinem propter exteriorem ſui guſtus corruptionem. r Dion. Carthuſ. art. 2. in 1. Cor. 2. 14. Chriſtianiſmus includit myſteria auguſtiſſima & venerabiliſſima, damnat omne genus impuritatis, injuſtitiæ, & diſſolutionis: *Nolite errare: Neq; fornicarij, neq; idolis ſervientes, neq; adulteri, neq; fures, neq; avari, neq; ebrioſi, neq; maledici, neq; rapaces Regnum Dei poſſidebunt* ſ. Tamen res ſ 1. Cor. 6. 9. & 10.
inaudita! nihil magis contemnitur quàm myſteria noſtra, hæc quotidie ſunt materia joci & deriſûs in cauponis, & in locis infamibus: ſi agatur ibi de ridendo, tunc eſt ibidem proponenda aliqua præclara ceremonia Eccleſiæ, & ille qui eam meliùs agit, magis induſtrius reputatur ab alijs. Chriſtianiſmus dat Chriſtianis uſum gratiæ & meritorum Filij Dei: nihil tamen ſic æquè profanatur ac ſanguis adorabilis ejuſdem Jeſu Chriſti. Ipſemet de hâc profanatione queritur per unum è Prophetis
ſuis, *Servire me feciſti in peccatis tuis* t. Chriſtia- t Iſai. 43. 24.
niſmus damnat perjuria u & blaſphemias: quid u Exod. 20. 7. &c.
videmus, Auditores, frequentius & magis ordinarium quàm juramenta, quæ ſunt ſpecioſiſſima ornamenta diſcurſuum ſæculi? Tandem, Sanctitas Chriſtianiſmi apparet in hoc, quòd prohibet avaritiam, & nihil hodie magis exercetur ab univerſis hominibus, *A minore quippe uſque ad majorem omnes ſtudent avaritiæ: & à Prophetâ uſque ad Sacerdotem*
cuncti faciunt dolum x. Corruptio generalis eſt in- x Jer. 6. 13.
ter homines, & pauci inveniuntur qui cuſtodiant

purita-

puritatem, quam Deo promiſerunt in Baptiſmo, cùm renati ſunt *ex aquâ & Spiritu ſancto* †. Qui vellet igitur judicare de merito Chriſtianiſmi per vitam & per meritum particularium, nonne putaret quòd noſtra Lex eſt omnium peſſima, cùm nulla ſit ſecta quæ ſit inquinata tot criminibus, quot eſt infecta Religio Chriſtianorum. In hoc pejores ſumus barbaris: nam aliæ ſectæ fugiunt & abhorrent minimam ceremoniarum noſtrarum, ne appareant nobis ſimiles; nos verò è contrà gloriæ ducimus & vanitati adſcribimus in praxim redigere conſuetudines, impuritates, & ceremonias infames Gentilium: *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus naturæ* y, *noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento, cujus capitis & cujus corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & Regnum* z, ait tibi S. Leo a. Gratia eſt pretioſum ornamentum animæ tuæ: quare inquinas eam impuritatibus tuis? Invanùm defers nomen Chriſtiani, niſi vita tua convenientiam habeat cum innocentiâ & ſanctitate tuæ Religionis: & nomen Chriſtiani ſine perfectione Chriſtianâ eſt inſtar ornamenti poſiti in luto. Deſere ergo pravam vitam tuam, & infames praxes tuas.

† Jo. 3. 5.
y ex 2. Petr. 1. 4.
z ex Coloſſ. 1. 13.
a S. Leo ſerm. 1. de Nativit. Dom c. 3.

Palæmon Grammaticus fuit aliàs invitatus à Magiſtratibus civitatis ut adeſſet actionibus duorum Oratorum qui declamaturi erant propter præmium, & conſequenter ſuam daret approbationem illi ex ambobus, qui meliùs orationem ſuam pronunciaſſet. Ipſe interfuit actionibus utriuſque, & ſolicitè obſervavit qualitates, merita, & defectus amborum. Statim ac illi perfecerunt orationes ſuas, Magiſtratus rogaverunt hunc Grammaticum ut ipſis diceret, uter eorum meliùs peroraſſet, ſuâ quidem ſententiâ. Sed vos potiùs Domini mei, reſpondit ipſe illis, utrum amborum putatis meliùs egiſſe? Reſponderunt Conſules, Talem, qui erat ille, qui juxta æſtimationem omnium meliùs pronunciaverat orationem ſuam. Ego verò, inquit ipſe, è contrà judico illum eſſe indignum nomine Oratoris. Sed nunquid non obſervaſti eloquentiam ejus, gravitatem & vim periodorum illius? Verum eſt, Domini mei: benè loquitur: ſed nonne obſervaſtis quòd *ſolæciſmum manu commiſit*? Hoc eſt ſolæciſmum mano committere ac non conformare actionem ſuam ad verba ſua; loqui de cœlo & ferre manum ſuam versùs terram, diſſerere de terrâ & digitum ſuum in cœlum dirigere, eſt ſolæciſmus manu patratus; aliquem alloqui, & viſum ſuum & actionem ſuam aliò ferre, eſt magnum ſolæciſmum committere, *Solæciſmum manu commiſit*. Eodem modo ſe res habet de Chriſtianis, Auditores: & poſſumus abſque periculo erroris incurrendi, facere idem judiciū de quolibet fideli, quod Gramaticus Palæmon egit de illo Oratore inidoneo, *Solæciſmum manu commiſit*. Unusquiſque perfectè de Deo loquitur in Chriſtianiſmo, ibi magnis evehit elogijs ſanctitatem Dei, quem ibidem agnoſcit & adorat; & vocat ſancta myſteria quæ ibi repræſentantur, nomine auguſtorum & venerabilium; ſed manus non conſonat linguæ, & quælibet actio eſt ſolæciſmus: conformem effice, Chriſtiane, modum agendi vitæ tuæ fidei tuæ, opera tua ſanctitati legis tuæ, & manum tuam linguæ tuæ: ſi aliter agas, inhonoras profeſſionem tuam impuritate vitæ tuæ. Quid tibi prodeſt alta & ſublimia ſentire de Deo, niſi vitam tuam exigas ad ea quæ de illo ſentis? Quid utile tibi eſt ut vivas ſub legibus æquis, ſi eas non obſerves? Invanùm profiteris vitam innocentem, ſi diſſolutus es in tuo procedendi modo: fruſtrà profiteris puritatem Angelorum, ſi non adhæreas regulis ſpiritus, ſi vivas vitâ ſenſuum, & juxta concupiſcentias carnis? Nunquid non eſt vivere more beſtiæ ac non impendere tuas operas niſi ad fovendam vitam animalem? Ha! nonne tibi poſſet improperari id, quod ſummus Pontifex improperat Judæis ipsâ die coronationis ſuæ? Una è ſpecioſis ceremoniis quæ obſervantur in coronatione Papæ, eſt, quòd cùm diſceſſerit è palatio S. Joannis Lateranenſis ut veniat ad templum S. Petri, ubi coronandus eſt, Judæi turmatim procedunt ei obviàm ſuper collem quendam, & Rabbinus in capite populi iſtius, offert Papæ Biblia ſacra, ſeu vetus Teſtamentum, & ait illi, Sancte Pater, ecce Teſtamentum quod Deus poſuit præ manibus patrum noſtrorum, ut eſſet regula vitæ ipſorum, & pactum fœderis qood inivit cum eis: hæc ſacra Biblia tibi offero, ut ea agnoſcas, ea ſuſcipias, & illa approbes. Papa Biblia ſumit è manibus Rabbini, illa præcipit examinanda, & cùm hæc inventa fuerint bona & vera, ipſe procumbit in genua, reveretur & honorat hos ſacros charactéres, & iſta verba pronunciat, *Legem probo, & vitam improbo, ô Judæi.* Idem dicere poſſumos ſingulis his hominibus, qui vocantur Chriſtiani, & qui non conformant vitam ſuam ad ſanctitatem legis ſuæ, *Legem probo, & vitam improbo, ô Chriſtiani.* Non eſt aliquid perfectius Lege Jeſu Chriſti, *Lex Domini immaculata, convertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis*, ait Pſalmiſta b. Et Dionyſius Carthuſianus c poſt eum, *Lex Domini, id eſt, Chriſtiana Religio & Chriſti traditio immaculata nihil habens vitij vel impuritatis admixtum, convertens animas, id eſt, homines. Ponit enim partem pro toto, quia retrahit eum, qui ſibi obedit, à rebus illicitis & caducis ad opera ſancta, atq; ad ſummum & incommutabile bonum. Teſtimonium Domini fidele, id eſt, articuli fidei Chriſtianæ ſunt veri, non fallaces. Sapientiam præſtans parvulis, id eſt, cognitionem Divinorum præbens humilibus, qui ſuum intellectum fidei ſubdunt: & quod credunt, opere atteſtantur. Unde Iſaias d ait, Niſi credideritis, non intelligetis. Et Salvator, Confiteor (inquit) tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis* e, *id eſt, fide & converſatione humilibus. Teſtimonium autem propriè pertinet ad credenda, ſicut præceptum ad agenda.* Sed non eſt aliquid pejus & diſſolutius vitâ Chriſtianorum. Leges Chriſtianiſmi ſunt æquiſſimæ; ſed non eſt aliquid injuſtius actionibus particularibus Chriſtianorum: regula vitæ, cujus fit ibi profeſſio, eſt puriſſima & innocentiſſima; ſed vivitur ibidem more beſtiarum, licèt gratia quam unusquisque ſuſcepit in Baptiſmo, per quam nobilitatus eſt, & evectus ad conditionem Angelorum, obſtringat ipſum ad magnam ſanctitatem vitæ, & ad puritatem ſimilem puritati Angelorum. Illud quod Phyſiognomi, qui hominum mores ex corpore, vultuque cognoſcunt, dicunt de corpore hominis, quòd habet convenientiam cum corporibus beſtiarum in diſpoſitione ſuá, meliùs explicabitur, ſi dicatur quòd homo comparatur eis in conſuetudinibus & paſſionibus ipſarum: eſt enim guloſus ſicut lupus, crudelis more tigridis, ſuperbus inſtar leonis, & piger ut aſinus: & licèt præditus ſit ratione, cujus interventu dominari poſſit paſſionibus ſuis, tamen radiis iſte luminis, quem Deus impreſſit fronti ipſius (ſicut ait Pſalmiſta f, Deum alloquens, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*: *Id eſt, anima*

b Pſal. 18. 8.
c Dion. Carthuſ. in Pſ. 18. 8.
d Iſai 7. 9. juxta LXX.
e Matth. 11. 25.
f Pſ. 4. 7.

noſtra

noſtra impreſſa eſt quædam participatio luminis vultus tui, hoc eſt, Divini intellectus, & in claritate hujus lucis oſtenduntur nobis bona, ut intellectualiter videamus animæ immortalitatem, Divinam Providentiam, juſtam omnium præmiationem; & certitudinaliter rerum veritatis agnoſcimus, ſubdit Dionyſius Carthuſianus g) ſic infirmatus eſt, ut ferè ſit penitus extinctus: & videndo quomodo vivat homo, vix judicari poſſet quòd eſſet rationalis.

g Dion. Carthuſ. in Pſal. 4. 7.

h Mirandul. de omnibus Mundis l. 5. c. 6.

Admiror conceptum Pici Mirandulani h dicentis, *Eſt conſuetudo à Regibus uſurpata & Principibus terræ, ut ſi forte magnificam & nobilem civitatem condiderint, jam urbe abſolutâ imaginem ſuam in medio illius viſendam omnibus ſpectandamq; conſtituant. Haud aliter Principem omnium Deum feciſſe videmus, qui totâ mundi machinâ conſtructâ, poſtremò omnium hominem in medio illius ſtatuit ad imaginem ſuam, & ſimilitudinem i formatum.* Eximius ille Princeps obſervat, quòd poſtquàm Deus creavit mundum, produxitque creaturas innumeras, & tribuit eis qualitates & ornamenta quæ erant ipſis neceſſaria, eaſque ordinavit, collocans ſingulas in loco ſuo, & in diſpoſitione, in quâ admiramur eas hodie, tandem ingredi fecit hominem in mundum, ultimum omnium, velut in urbem, aut domum, quam ipſe paraverat ei. Deus nullum aſſignavit locum homini, ſed illi reliquit libertatem eligendi quemcumque voluiſſet, quaſi dixiſſet ei: Ecce, Adam, paravi tibi magnam & ſpatioſam civitatem, vel domum omnibus deſiderabilibus inſtructam, omnia in eâ ſunt plena, vacuum ab eâ exulat: collocavi omnes creaturas in ſpecioſo ordine cum mādato obediendi tibi; tribuo tibi totam authoritatem meam ſuper illas, & iis uteris prout tibi placuerit; nullum aſſigno tibi locum, nec aliquem ordinem, hoc relinquo electioni tuæ, pendet à te ut te facias magnum, prætendere potes ad nobilitatem Angelorum, & tibi conciliabis gloriam ſimilem gloriæ eorum, ſi conformes vitam tuam vitæ illorum: quòd ſi malis deſcendere quàm aſcendere, miſcere te potes beſtiis; non eſt locus poſt te nobilior loco beſtiarum, medius es inter eas & Angelos: aut aſcende virtute ſpiritus tui, aut deſcende infirmitatibus corporis tui. Sed heu! hic homo qui poterat ſe elevare ad gloriam Angelorum ſanctitate vitæ ſuæ, ſe deprimit & miſcet inter beſtias corruptione naturæ ſuæ. Expergiſcere Chriſtiane, ſi placet, diſſolve cogitationes tuas ab occupationibus terræ, & cogita de nobilitate tuâ. Deus te creaverat ut eſſes ſocius Angelorum, præbuerat tibi ſpiritum immortalem, ſicut illis; ſed tu deſcendiſti ad ſtatum brutorum uſque per peccatum tuum. Tamen Deus offert tibi gratiam ſuam ad reparandas jacturas tuas, ſublevabit nobilitatem tuam, ſi velis eâ uti; ipſa eſt præ manibus tuis, Deus illâ te honoravit in Baptiſmate k: utquid non ritè inſumis eam? Mavis converſari cum brutis, & ſequi leges ſenſuum tuorum, quàm cum Angelis juxta S. Paulum l dicentem, *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Inveniſne majorem voluptatem *implere ventrem de ſiliquis quas porci* m *manducant*, quàm manducare *panem Angelorum* n? Miſer prodige, undenam deſcendiſti? & quònam lapſus es? Tu tranſiviſti è ſtatu Angelorum in ſtatum beſtiarum.

i ex Gen. 1. 27. &c.

k Jo. 3. 5.

l Philip. 3. 20.

m Luc. 15. 16.

n Pſ. 77. 25.

o Pſ. 11. 9.

Pſalmiſta o loquens de peccatoribus, ait, *In circuitu impii ambulant.* Non comparat David peccatores aquilis, aut leonibus, licet non ſint niſi animalia, ſed jumentis, quæ à manè uſque ad veſperem vertunt rotam molendini, quæ incedunt totâ die, & nunquàm progrediuntur, ſine intermiſſione gyrant capite depreſſo versùs rotam quam vertunt; ſic peccatores ſemper ſunt alligati cogitatione & affectu objecto quod amant: cùm ſurgunt, prima ipſorum cogitatio dirigitur ad cauponam, quomodo genio indulgebunt die illâ, in quânam ſocietate diem tranſigent: non priùs ſurrexerunt cùm meditantur de jentaculo, è jentaculo cogitant de ambulationem, à deambulatione prandium, è prandio ludum, è ludo circulum ſeu conſortium, è ſocietate cœnam; poſt cœnam eſt per vicos & plateas percurrendum, eſt quærenda aliqua caupona, & tandem perguot cubitum: die ſequenti idem peragitur, & conſeqoenter tota vita peccatorum inſumitur circa corpora ipſorum ſaginanda, vel oblectanda, incipiendo inde quò perfecerant, & perficiendo eò unde inceperant, *In circuitu impii ambulant.* Id eſt, inſtar jumentorum: *Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* p. Miſerabilis Princeps qui inquinaverat innocentiam ſuam impuritatibus ſuis q, deplorabat miſeriam mutationis ſuæ, cùm ſuſpirabat hæc triſtitia verba, *Laqueum paraverunt pedibus meis* r. Ecce ego circundatus laqueis more jumenti; & id quod me magis affligit, eſt quòd ſentio ſecretam diſpoſitionem in meipſo, quæ me inclinat versùs terram, & manum quæ me incurvat præ violentiâ, *Et incurvaverunt animam meam* ſ. Sed quid? homo eſtne beſtia? eſtne conſuetudo ut venatio fiat hominum, ſicut & beſtiarum, ut parentur eis laquei? Etiam, Auditores: ex quo enim homo amiſit gratiam per peccatum, deſcendit ad conditionem beſtiarum, & diaboli qui ſunt venatores, perſequuntur eum, parant illi laqueos ubique, nec ulla eſt creatura quæ non ſit laqueus quem diabolus tetendit ad capiendum eum more beſtiæ, *Quoniam creaturæ Dei factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium* t. Sed quid, dicet aliquis? iſtud eſt nos offendere ſenſibiliter, ac vocare nos beſtias: homines ſumus miſeratione Divinâ, habemus diſpoſitionem differentem à diſpoſitione brutorum; præ nobis ferimus ſtaturam elevatam, & oculos ſublimes ad intuendū cœlum. Heu! infœlix, quid tibi prodeſt reſpicere cœlum, & habere oculos ad illud conſiderandum, cùm ſemper caput tuum, corpus tuum, & cor tuum versùs terram jugiter feras inclinatum? Hoc autem efficit ut ſis ſimilis beſtiis: imò verò beſtiis pejor es propter tres rationes. Prima eſt, quòd bruta ſolo aguntur inſtinctu, qui ipſa ducit circumquaque præ tantâ rectitudine ut nunquam decipiantur in proſecutionibus ſuis; ipſa amplectuntur id quod ipſis utile eſt, & fugiunt illud omne quod ipſis nocet: ſed homo quàmvis ſit ratione præditus & intelligentiâ, derelinquit bonum ut currat ad malū, & amplectitur id omne quod concurrit ad ipſius jacturam. Secunda eſt, quòd animalia non ſuſceperunt niſi unam legem, quam inviolatè ſervant, quæ eſt ut diligant eos qui ipſis vitam præbuerunt: ſic refertur de ciconiis, quòd alunt parentes ſuos in ſenectute illorum, & quòd cùm mutandus eſt locus, ipſæ apprehendunt eos roſtro, imponunt eos ſuper ſe, & illos transferunt in locum quem elegerunt in habitationem ſuam: Sed ubinam reperiemus amorem ſimilem? ubinam ſunt liberi ſic grati ut auxilientur parentibus ſuis in neceſſitate conſtitutis? Nonne vidimus parentes veniſſe petitum panem à liberis quos ditaverant, qui tamen fuit illis denegatus? Et nunquid non liberi multi ſunt qui quotidie ſuis improperant parentibus panem quem comedunt? Faxit autem Deus ut non inveniantur aliqui ita ſceleſti, ut manus ſuas inji-

p Pſ. 48. 13. & 21.

q 2. Reg. 11. 2. &c.

r Pſal. 56. 7.

ſ Ibid.

t Sap. 14. 11.

erant ſuper eos ad illos offendendos. Viſæ ſunt aliquando filiæ conjugatæ, pretioſis veſtimentis indutæ permittere ut matres ſuæ in extremâ neceſſitate conſtitutæ languerent, nedum genitrices iſtæ miſerandæ duas haberent ſubuculas quas mutarent, nedum imitites iſtæ filiæ auxiliarentur eis. Tertia eſt, quoniam animalia non habent niſi unam paſſionem, quæ dominatur ipſis, ut tigris crudelitatem, leo ſuperbiam, & lupus gulam, &c. Sed peccator eas omnes includit, & congregat in ſe id quod eſt diviſum in animalibus. Judicate, Auditores, an conditio peccatoris non ſit miſera, qui derelinquit dignitatem filij Dei, & fratris Angelorum, ut tranſeat ad ſocietatem beſtiarum.

Stupore me percellit id quod narrat Evangelium u, quòd cùm Dei Filius legionem dæmonum expuliſſet è corpore cujuſdam hominis, iſti *deprecabantur eum ſpiritus, dicentes, Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.* Iſti dæmones qui erant ſpiritus, ſicut boni Angeli, differentes tantùm ab eis per privationem gratiæ, petunt ut ſibi liceat ingredi corpora porcorum! Angeli qui recuſaverant conſortium fratrum ſuorum x, & gloriam Dei, eò uſque ſe deprimunt ut concupiſcant ſocietatem immundorum iſtorum animalium! Heu! poteſtne videri quid magis affligens, & dari exemplum manifeſtius modi procedendi peccatoris, qui deſerit domum Patris ſui, & regimen Dei, ut ſe tradat peccato? Fierine poteſt ut Chriſtianus qui regeneratus eſt in Baptiſmate y, qui ſuſcepit gratiam Dei, & jus ad gloriam, qui direxit ſpem ſuam ad vitam æternam, & qui ſumpſit capacitatem converſandi cum Deo & Angelis ejus, eò uſque ſe deprimat ut vivat cum beſtiis & porcis, non ſatisfaciat ampliùs munijs ſpiritus ſui, ſed ſuas non impendat operas niſi ad implendos appetitus ſenſuum & affectuum ſuorum qui ſunt porci quantùm ad ſuum procedendi modum? Heu! peccator quid agis? Quid agimus, Auditores, cùm ſervimus voluptatibus & paſſionibus noſtris? Sanè ſaginamus porcos, tranſeuntes ad conditionem beſtiarum. Heu! oblitioe ſumus primæ conditionis noſtræ? nunquid non ampliùs diligimus primam dignitatem noſtram? Faciamus conatum, exeamus ex hâc infami conditione, ejiciamus à nobis peccatum, & nobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* z.

u Marc. 5. 12. &c.
x Apoc. 12. 3. &c.
y Jo. 3. 5.
z Pſ. 83. 12.

IN OCTAVA NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ, dicit Dominus? Iſai 66. 1. &c.

DUplicis generis homines invenio in mundo. Aliqui tranſigunt ibi dies ſuos medias inter delicias, quæ nullis ſunt interruptæ faſtidiis ac tædiis, ſed è contrà ſatisfactiones & lætitias comites individuas & inſeparabiles habent jugiter, *Ducunt in bonis dies ſuos* a. Alij ex oppoſito ab ipſo momento nativitatis ſuæ ad ultimam uſque vitæ ſuæ periodum verſantur inter labores continuos, & indeſinentibus ſunt obnoxii miſeriis, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis* b. Sic homines ſunt conſtituo, quandiu Jeſus Chriſtus & Maria, Filius & Mater ſoli venerunt fœliciter abſque labore & miſerijs in mundum. Dies quiens, momentum fœlix nativitatis, quo B. Virgo Maria non fuit obnoxia miſeriis hominum, cùm ne vel labe fuerit infecta originali, ſicut ait illi Sponſus ipſius, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* c: quandiu illi omnes *erraverunt ab utero* d; *in utero damnati antequàm nati, quia de peccato, & in peccato e concepti*, ait S. Bernardus f, qui eſt è miſerorum illorum numero. Ideò dicamus illi, *Ave.* Ipſa es ſine væ maledictionis in nativitate tuâ, æquè ac in conceptione tuâ, in quâ fuiſti ſine væ peccati originalis. *Gratiâ plena.* Ipſa habes omnes gratias, gratiam prævenientem, juſtificantem, & gratias infuſas, earumque plenitudinem. *Dominus tecum* eſt ex ipſo primo greſſu quem peragis prodiens in lucem, ipſa eum poſſides, ipſe eſt tecum, & in te. *Benedicta tu in mulieribus* g. Ipſa habes omnes benedictiones quas amiſit Eva. *Et benedictus fructus ventris tui* h. Talis arbor benedicta producere non potes niſi fructum benedictionis, vitæ, & ſalutis. Mater Dei glorioſiſſima & excellentiſſima omnium creaturarum, ſed poſtquàm fuiſti illarum omnium humillima. Proptereà dicit Iſaias, quòd Deus non innietur hoc templum materiale quod Judæi volebant ipſi reædificare (exuſtâ priori domo à Romanis) ut in eo requieſceret, ſed quòd illius intuitus ſit ſuper templum ſpirituale, ſuper ſpiritum humiliatum, *Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ, dicit Dominus? Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Ego autem cum devoto famulo tuo S. Bernardo i, *Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas placuiſſet illi tua. Super quem, inquit, requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum? Super humilem dixit, non ſuper virginem. Si igitur Maria humilis non eſſes, ſuper te Spiritus ſanctus non requieviſſet. Si ſuper te non requieviſſet, nec impregnaſſet. Quomodo enim de ipſo ſine ipſo* concipetes? *Patet itaq. quòd ut de Spiritu ſancto* conciperes, *ſicut ipſa* perhibes, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* k *Deus potiùs quam virginitatem. Et ſi* placuiſti *ex virginitate, tamen ex humilitate* concepiſti, cùm reſpondiſti Angelo annuncianti tibi myſterium incarnationis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* l, poſtquàm dixiſſet tibi, *Ave Maria.*

Non concipimus Deum, & non venîmus in notitiam modi procedendi & regiminis ejus, niſi ex conformitate quam nobis perſuademus admitti aliquo modo inter ipſum & nos: metimur illum ad ulnam noſtram, & judicare volumus de potentia ejus ſupremâ, independente, & infinitâ, ſicut ipſe *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* m; ex effectibus infirmitatum & impotentiarum noſtrarum nimis abbreviatatum. Cognitiones noſtræ ſunt nimis debiles, eique eſſent injurioſæ, tuli cognoſcens infirmitatem mentium noſtrarum, miſereretur impotentiæ conſiliorum noſtrorum, cùm judicamus de ijs quæ ſunt ſupra nos interventu reflexionum quas peragimus ſupra noſmetipſos. Et ſicut dicimus, nos multum operari, cùm agimus aliquem magnum conatum; & nos requieſcere deſiſtentes ab his actionibus, quæ requirebant omnes vires noſtras: ſic dicimus, Deum operari cùm aliquid agit, eumque conſequenter requieſcere, *Deus requievit ab univerſo opere quod patrarat* n. Licèt re vera nunquam

a Job. 21. 13.
b Job 14. 1.
c Cant. 4. 7.
d ex Pſ. 57. 4.
e ex Pſal. 50. 7. & ex Job 14. 4.
f S. Bern. ſerm. 2. de Pent.
g Luc. 1. 28.
h Luc. 1. 42.
i S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt.
k Luc. 1. 48.
l Luc. 1. 38.
m Baruch 3. 25.
n Gen. 2. 2.

inentis

meliùs operetur quàm cùm quieſcit, nec unquam meliùs quieſcat quàm cùm plus operatur. Operatio Dei eſt quies ipſius, & quies ipſius eſt ipſius operatio: dicimus autem quòd operatur ratione actionis ſuæ, & termini quem producit: & quò productio eſt major, eò majorem dicimus illius eſſe operationem, etiamſi, ut modò dixi, maxima illius operatio, ſit maxima quies ipſius. Atqui dico, quòd B. Virgo præ omnibus creaturis quæ ſunt egreſſæ de manibus Dei opificibus illius orbis universi, eſt Primò maxima operatio potentiæ Dei: Secundò maxima quies illius: cùm maxima quies Dei ſit maxima ipſius operatio, & maxima ipſius operatio ſit maxima quies ipſius, ut videbitis in duplici parte diſcurſus iſtius.

Diviſio.

I. Pars.

Cùm magnitudo operationis educatur è magnitudine operis, petitur quodnam opus majori conſtiterit Deo (loquor noſtro concipiendi modo, cùm omnia Deo ſint æquè facilia) & in quo ejus potentia ſit plus operata. Reſpondetur, quòd potentia ejus ſit plus operata in productione corporis & animæ Adæ & Evæ, & hoc propter quatuor circumſtantias, quæ tribuunt præeminentiam huic operi manuum Dei. Prima circumſtantia, eſt cura ſpecialior quam Deus attulit ad formationem hujus primi hominis, & iſtius primæ mulieris, circa quam ſe reddidit attentiorem, & cui potentiùs ſe applicuit, quàm applicuerit ſe reliquis operibus, quæ exierunt è manibus ipſius ipſo creationis ipſorum momento.

Secunda circumſtantia quæ concludit in favorem hominis, eum eſſe opus circa quod Divina Potentia plus eſt operata, eſt conſilium quod Deus inivit, quod oſtendit magnitudinem effectus, qui inde ſecutus eſt, *Et ait, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* o. Quam magnitudinem multis oſtendit rationibus Cornelius p, dicens, *Nota hic ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium: hiſce enim verbis alloquitur Deus Pater, non Angelos, quaſi iis jubeat, ut ſibi fabricent corpus humanum, & animam ſenſitivam, ſibiq; ſolùm reſervet fabricam animæ rationalis, uti voluit Plato in Timæo, & Philo libro de Opificio ſex dierum, ac Judæi. Hoc enim ut impium deteſtantur S. Baſilius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Cyrillus lib. 1. contra Julianum, & Auguſtinus lib. 16. de Civit. c. 6. Nam Deus non per Angelos, ſed per ſe tam corpus, quàm animam hominis creavit, ut patet cap. 2. v. 7. & 21. unde non hic ait, Facite, ſed, Faciamus ad imaginem, non veſtram, ô Angeli, ſed noſtram. Alloquitur ergo hic Deus Pater ſuum Filium, & Spiritum ſanctum, quaſi Collegas ſuos, ejuſdem ſecum naturæ, potentiæ, & operationis. Ita S. Baſilius, Rupertus, & alii ſuprà: imò Concilium Sirmienſe apud Hilarium lib. de Synodis, dicit anathema iis, qui aliter hunc locum explicant. Nota ſecundò excellentiam hominis: Deus enim de homine, tanquam re magna, creatione deliberat, & conſultat, dicens, Faciamus hominem. Ita Rupertus. Eſt enim homo prima mundi increati, id eſt, ſanctiſſimæ Trinitatis imago, & ejus infinitæ artis, & ſapientiæ teſtimonium, & opus perfectiſſimum: creati verò mundi homo eſt finis, compendium, vinculum, & nexus: omnes enim rerum ſpiritualium & corporalium gradus in ſe habet, & nectit homo. Ideòque eſt, & vocatur Microcoſmus, atque à Platone vocatur Horizon univerſi, quia diſterminat, & in ſe conjungit ſuperius hemiſphærium, putà cœlum & Angelos, atq; inferius, putà terram & bruta: Homo enim partim Angelis, partim brutis eſt ſimilis. Sic vita, & tempus hoc noſtrum eſt Horizon æternitatis: quia diſterminat æternitatem beatam quæ eſt in cœlis, à miſerâ, quæ eſt in inferno, & ab utráque aliquid participat. Secundò, Quia per Chriſtum hominem omnes pariter creaturæ, quæ in homine quaſi in microcoſmo, uti jam dixi, continentur, erant Deificandæ. Vide ergo quanta ſit hominis dignitas. Tertiò, Quia propter hominem, & cum homine, uti mundus eſt conditus, ita & in reſurrectione renovabitur. Quartò, Summum fidei myſterium, ſcilicet ſanctiſſimæ Trinitatis & individuæ Unitatis, primùm in generatione hominis reſeratum eſt, quod poſteà in ejuſdem hominis regeneratione, putà in Baptiſmo, apertè declarandum, & profitendum erat: nam illa verba, Faciamus, & noſtram, Trinitatem ſignificant: Unitatem verò indicant illa verba, Dixit Deus, Fecit Deus q, &c. Quintò, Animalia & plantæ ex terrâ & aquâ generata dicuntur r: at ſolus Deus corpus hominis finxit & figuravit, illique animam rationalem à ſe ex nihilo creatam indidit ſ. Sextò, Homo factus eſt à Deo Rector & Princeps omnium animalium, etiam maximorum, totiuſque mundi quaſi Rex t. Septimò, Aſſignavit Deus homini ad habitandum, & ſeſe oblectandum paradiſum, deliciis omnique rerum copiâ inſtructiſſimum u. Octavò, Creavit Deus hominem tantâ integritate animi & innocentiâ præditum, ut & mens ſubjecta eſſet Deo, & ſenſus rationi, & corpus animo, & omnes animantes hominis imperio ſubderentur: hinc factus eſt ut nudus non erubeſceret. Nonò, Adam congrua ſingulis animantibus nomina impoſuit x: unde elucet ſumma ejus ſcientia & ſapientia, ut & ipſa animantes quaſi agnoſcerent & profiterentur, ſe pro Rege ac Domino habere hominem. Decimò, Corpus habuit immortale, ut ſcilicet ſi Deo parêret, longiſſimo ævo in terris acto, ex vitâ terrenâ ad cœleſtem & ſempiternam, mortis malorumq; omnium expers traduceretur. Undecimò, Deus dono prophetiæ hominem inſignivit, cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis y. Duodecimò, Deus ſæpè ſub ſpecie humanâ homini apparebat, eumq; familiariter alloquebatur.* Hæc omnia multùm extollunt formationem primi hominis, & primæ mulieris. Quid majus?

o Gen. 1. 26.
p Cornel. in Gen. 1. 26.
q Gen. 1. 3 &c.
r ex Gen. 1. 11. &c.
ſ ex Gen. 2. 7.
t ex Gen. 1. 28.
u ex Gen. 2. 8 &c.
x ex Gen. 2. 20.
y Gen. 2. 23.

Tertia circumſtantia eſt, quòd primus homo factus eſt poſt alias creaturas, quæ omnes productæ ſunt propter obſequium ejus, ut revererentur illum ut Dominum ſuum: ipſe enim venit in mundum veluti Rex, toto orbe qui debebat eſſe palatium ipſius, parato, omnibus officialibus ipſius diſpoſitis, & inſtructo toto ipſius apparatu: & ſicut media præcedunt finem, cùm ea non ſint ordinata niſi propter acquiſitionem illius, cùm Adam eſſet finis omnium rerum ſublunarium, illa debebant eum præcedere: & hoc eſt quod ait idem Cornelius conſequenter: *Nota tertiò, Deus palatium hoc mundi, quaſi quoddam convivium, ait Nicanus, aut potiùs quaſi ſplendidum triclinium, inſtruxit omnibus rebus, quæ ad uſum, oblectationem, & ſcientiam erant opportuna, ac deinde ultimò in illud ita adornatum induxit creavitq; hominem, quaſi qui omnium eſſet vertex, finis, & Dominus.*

Quarta circumſtantia, quæ oſtendit quòd formatio primi hominis fuit maxima operatio Dei, eſt præſentia ejuſdem Dei, cùm hujuſmodi formationi Deus ipſemet interfuerit, eique immediatè ſe applicuerit: licèt enim Deus ſit ubique per eſſentiam, per præſentiam, & per potentiam, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* z: ſpecialiori modo tamen intererat formationi hominis: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* a. Productioni aliarum creaturarum non aderat Deus hoc modo, ut tetigi in ratione quintâ Cornelii ſuprà dictâ: præcipiebat enim tantùm Deus ut fierent; ibi erat quaſi per præſentiam moralem; ſicut Princeps qui

z Jer. 23. 24.
a Gen. 2. 7.

imperat ut paretur exercitus, ut naves mari committantur, & explicentur earum vela, quamdiu ipſe multum diſtat à mari, eſt cauſa expeditionis iſtius bellicæ, & navalis, ſed cauſa moralis: eodem modo ſe gerit Deus erga creaturas alias, dicens, *Fiat, Fiat, Fiant* b. Sed formationi hominis ipſemet intereſt, *Formavit*. Quod extollit ejuſdem hominis dignitatem, cui formando applicat nimirum idem Deus manum ſuam: & quod oſtendit illum eſſe maximam operationem potentiæ ejuſdem Dei. Et hoc eſt quod dicit Cornelius c, [Nota, Hebræa ad verbum ſic habent: Plaſmavit Deus hominem pulverem: vel lutum de terrâ. Unde videtur, quòd Deus primò corpus hominis in modum ſtatuæ de limo terræ efformarit, uti plaſtæ fingunt homines luteos. Et hoc eſt quod ait Job d. Memento quòd ſicut lutum feceris me. Et Jeremias e Deum figulo, hominem luto comparat. Hinc etiam Sap. 7. v. 1. Adam vocatur primoplaſmatus & terrigena f: & ab Apoſtolo, De terrâ terrenus g appellatur. Deinde, Deus in hunc hominem luteum ſenſim induxit diſpoſitiones carnis & corporis humani, ac denique ſimul cum ultimâ diſpoſitione induxit formas heterogeneas ſingularum partium corporis, ſimulque cum iis infudit creando, & creavit infundendo animam rationalem: itaq; factus eſt homo perfectus, corpore humano & animâ rationali conſtans. Ita S. Chryſoſtomus hîc Hom. 12. & Gennadius in Catenâ. Idque ſolus Deus per ſe effecit. Unde S. Baſilius, Ambroſius, & Cyrillus docent, quòd homo ſit conditus à ſolâ SS. Trinitate, ſine alio adjutore, & contrariam ſententiam appellant Judaicum errorem.] Quod præ ſe fert maximam hominis excellentiam.

[b Gen. 1. 3. &c. — c Cornel. in Gen. 2. 7. — d Job 10. 9. — e ex Jer. 18. 2. &c. — f ex Sap. 7. 1. — g 1. Cor. 15. 47.]

Sed dico non obſtantibus omnibus iſtis rationibus præfatis, quòd maxima operatio potentiæ Dei manifeſtatur in B. Virgine Mariâ, & hoc propter has eaſdem quatuor rationes, quæ multò illuſtriùs reperiuntur in eâ, quàm in Adam, & Evâ. Primò, Deus majorem curam adhibuit ad illam formandam, fortiùs illi ſe applicuit, digniùs eam conſiderabat, & ingentiori attentione, quippe quæ futura erat *Dei Patris Filia, Filii Dei Mater, Spiritus S. Sponſa*, ait Cornelius h. Et ante eum S. Epiphanius i: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis: quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit * Chriſtus.* In creatione hominis capit Deus conſilium, ſed in formatione B. Virginis, quam deſtinat ad Divinam Maternitatem, majori attentione conſilium capeſſit, *Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt* k? Super quod de Ponte l dicit, *Perpendamus cur tres Divinæ perſonæ hæc verba protulerint ſub hoc communi verbo, Quid faciemus? Etenim in creatione hominis, ut ſuperius dicere cœpimus, eodem verbo dixerunt, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Quoniam, ut notat Rupertus, in venerando ſanctæ Trinitatis Concilio, mors vel perditio noſtra quæ futura erat, perſpecta eſt, & inde totum conſilium habitum, ut unaquaque perſona ſuam operis partem ſuſciperet. Ut ſcilicet tunc Pater conderet, poſteà in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus ſanctus remiſſionem peccatorum & carnis reſurrectionem perficeret. Atq; ita communi Trinitatis conſilio reædificarentur in homine deſerta ſæculorum, &c. Sic igitur modò eædem tres Divinæ perſonæ de Virgine per cujus Filium hæc reparatio agenda erat, loquẽtes dicunt, Quid faciemus ſorori noſtræ? Id eſt, quid offeremus & præſtabimus ei quæ futura eſt noſtra ſoror, & coadjutrix in hominum reparatione? Offerunt autem ei tria dona inſignia, quæ Angelus bis enarravit, primò in ſalutatione, deinde in explicando conceptionis modo. Sed quia præparatio condigna ad hoc opus cætera præcedit, Spiritus ſanctus cui bonitas & ſanctitas attribuitur, primò contulit illi plenitudinem ſanctitatis, conſequenter ſeipſum, per quem ſanctificantur omnes, & ideò Angelus primò vocavit eam gratiâ plenam, deinde dixit, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te m. Ut ſcilicet te ampliùs impleat ad hoc opus in te perficiendum. Filius autem cui tribuitur ſapientia, per quem Pater omnia operatur & regit, offert ei protectionem & auxiliũ ſpeciale ad omnia quæ ipſa operatura erat, & Deus in illâ, & ideò de eo Angelus ait, Dominus tecum, ſubaudi, aſſiſtit, & rurſus, Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Pater verò qui fœcundam à ſe habet naturam Divinam, quam per æternam generationem ſuo communicat Filio, ſtupendam dedit ei fœcunditatem, ut ſine ullâ corruptione ſuum Filium generaret. Quod inſinuavit Angelus, cùm dixit, Benedicta tu in mulieribus. Et clariùs cùm ait, Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

[h Corn. in Act. 1. 14. — i S. Epiphan. de Laud. Deip. — * ex Pſ. 18. 6. — k Cant. 8. 8. — l De Pont. lib. 10. in Cant. 8. 8. exhort. 17. parag. 2. — m ex Luc. 1. 28. & 35.]

Pro ſecundâ ratione, Tota SS. Trinitas conſilium init ut in re maximi momenti, & cùm dicit conſequenter, *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea* n, idem eſt ac ſi diceret, Mariam *faciamus ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram.* Nam, ut ait aliquantò pòſt idem de Ponte, *Pater ædificavit ſuper hunc murum propugnaculum poteſtatis, ut faciliimè ad omne opus bonum potentiam haberet, & omni malo oſtium cordis clauſum cuſtodiret. Filius ædificavit propugnaculum ſapientiæ, Spiritus ſanctus propugnaculum charitatis, ut omne quod Deo placitum eſſet, probè agnoſceret, diligeret, & perficeret, ac contrarium omnino repelleret.* Deus igitur illam fecit ut vivam imaginem quæ ipſum perfectiſſimè repræſentat: & ſi Deus illam ſimilem ſibi fecit, ſeu formavit illam ad ſimilitudinem ſuam; ipſa etiam Deum formavit ad ſimilitudinem ſuam, dans ei naturam ſuam, eſſe ſuum humanum, quod *Verbum caro factum* o aſſumpſit in viſceribus ipſius, *Una eſt Maria & Chriſti caro*, ait Arnoldus Carnotenſis p. Filius dedit imaginem ſuam Matri, Mater autem tribuit ſimilitudinem ſuam Filio: *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* †.

[n Cant. 8. 9. — o Joan. 1. 14. — p Arnold. Carnot. ſerm. de Laudib. Deip. — † Philip. 2. 6. & 7.]

Tertia circunſtantia, quæ evehit B. Virginem, eſt, quòd ipſa facta eſt poſt tot eximias perſonas quæ ipſam præceſſerunt, poſt tot virtuoſas & illuſtres Dominas q, quæ non fuerunt niſi umbræ & figuræ, quæ extollerent gloriam & perfectiones ipſius quam repræſentabant: ſi enim intueamur earum eximias qualitates, projiciamus tantùm oculos ſuper Spiritum ſanctum, qui formavit eam in viſceribus matris ipſius S. Annæ, quæ erat ſterilis: inde enim erit facile judicatu, quòd ita dignus Opifex non potuerit facere aliquid quod non fuerit excellens, præcipuè cùm ſtatuiſſet reddere illam digniſſimam Sponſam ſuam.

[q Gen. 24. 16. & 29. 17. & Judith 8. 7. & Eſth. 2. 7.]

Quarta circunſtantia quæ extollit B. Virginem ſupra Adam, & Evam, eſt præſentia intima Dei in illâ, & cum illâ. In eâ eſt, non ſolùm per exiguum tempus, ut in formatione Adam, & Evæ, ſed novẽ menſibus in ventre ejus r, tribus annis inter brachia ejus ſ, & triginta annis ſub tecto illius t: ipſe eſt corporaliter, ſubſtantialiter, & perſonaliter in B. Virgine: quænam major & intimior præſentia? Si ergo ſe Deus fortiùs applicuit formandæ Mariæ, quàm formandis Adæ, & Evæ, dicamus quòd B. Virgo eſt maxima operatio potentiæ Dei. Sic

[r Luc. 1. 38. &c. — ſ Luc. 2. 7. &c. — t Luc. 2. 51. &c.]

ſancti

Digitized by Google

ſancti Patres vocant eam correctionem Evæ, opus eximium Dei, in quo potentia & ſapientia Dei magis manifeſtantur quàm in cæteris operibus ipſius. Ipſa corrigit defectus Evæ. *Angeli accuſabant Evam, nunc verò Mariam gloriâ proſequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit, quæ lapſam Evam erexit, & Adamum è paradiſo dejectum u, & per Latronem rurſum Adamum complantavit*, ait S. Epiphanius x. Et Heſychius y dicit de eâ, *Hæc univerſum Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus ſanctus adveniebat atq; hoſpitabatur, & pater obumbrabat, & Filius utero geſtatus inhabitabat. Spiritus enim ſanctus, ait, ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* z. *Vides quanta & qualis eſt Deipara Virginis dignitas. Unigenitus enim Dei Filius, mundi Conditor, velut infans geſtabatur ab eâ, & Adamum reformabat. Evamq; ſanctificabat, excludebat draconem, & paradiſum aperiebat, ſigillum uteri muniens. Meritò ſanè utrumq; & juſtâ ratione. Aperiebat enim paradiſum, quoniam Latronē introducturus erat in eum a, cunctoſq; Regni hæredes deducturus. Sigillum uteri muniebat, eò quòd is qui carnem aſſumebat, eſſet Deus & Verbum, nequaquam opus habens portis ingrediendi januâ b, aut egrediendi c.* Et aliquantò pòſt, *Ecce Virgo d, quanam? Mulierum egregia, è virginibus electa, præclarum naturæ noſtræ ornamentum, gloria luti noſtri, quæ Evam pudore, & Adamum comminatione liberavit, audaciam Draconis abſcidit: quam concupiſcentiæ fumus non attigit, neq; vermis voluptatis eam læſit.* Et Chryſippus e dicit eundem draconem *hoſtem humani generis ſecum loqui, dum videt nos per mulierem revocatos ad filiorum adoptionem f, quam initio habebamus. Nonne hoc licet, & queritur? Quæ fuit meū inſtrumentum, quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi adverſatur? Mulier g mecum effecit, ut in … tas humanum tyrannidem occuparem, & Mulier me è tyrannide deturbavit. Antiqua Eva me erexit in altum, & nova dejecit. Ipſa eſt enim Eva ſecundùm naturam, licèt non ſit Eva ſecundùm generandi rationem. Quæ enim mulier poſſit edere partum adeò alienum ab omnium opinione? Nulli coitus inſerviens corruptioni impragnata Mater effecta eſt citra ſolutionem virginitatis. Lac ſtillat quæ nullas novit nuptias: nutrivit Infantem, cujus tamen Infantis nullus ſit Pater in terrâ. Quamobrem immutata ſunt res meæ ab eo qui immutat naturam: & per quam captivitati ſubjiciebam, in captivitatem redactus ſum: per quam vincebam, ſuccubui. Horum igitur omnium quæ mihi cauſa eſt? Quæ alia præter eam, quæ genuit ejuſmodi miraculorum Opificem? Profectò præſtabat mihi, ut Evam illam antiquam non inducerem in dolum: ſatius erat mihi etiam per ſerpentem illam non decipere. Nam quid lucri mihi acceſſit ex circumventione? ſiquidem eos quos in ſervitutem redegi, modò video priſtinam libertatem recipere, imò verò unà cum præcedente libertate etiam ipſum Regnum cælorum hæreditario jure poſſidere. Talibus equidem communis omnium noſtrum inimicus apud ſeipſum uſus eſſe ſermonibus videtur.* Et S. Auguſtinus h hæc omnia ſic complectitur: *Hæc enim flos campi, de quâ ortum eſt pretioſum lilium convallium i, per cujus partum mutatur natura Protoplaſtorum, deletur & culpa. Præciſum eſt in eâ illud infelicitatis elogium, quo dicitur, In dolore paries filios tuos k. Quia iſta in lætitiâ peperit Dominum. Eva enim luxit, iſta exultavit l: Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit. Quia illa peccatorem m, iſta edidit innocentem n. Virgo quippe genuit, quia Virgo concepit, inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobiq; mirabilium, & ſine corruptione gravida, & in partu Virgo puerpera. Deſcendit Angelus de cælo miſſus à Patre Deo in noſtræ Redemptionis exordium, ad beatam ſalutandam Mariam: Ave, ait, gratiâ plena, Dominus tecum o. Impleta eſt ergo Maria gratiâ, & Eva vacuata eſt culpa. Maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ. Ave, inquit, gratiâ plena, Dominus tecum. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Gratulare beata Virgo. Chriſtus Rex è cælo ſuo incarnatur in utero tuo, ex ſinu Patris in uterum dignatur deſcendere Matris. Benedicta tu, inquit, in mulieribus, quæ vitam & viris & mulieribus peperiſti. Mater generis noſtri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percuſſit, iſta ſanavit. Pro inobedientiâ enim obedientia commutatur, fides pro perfidiâ compenſatur. Circundat virum p Maria Angelo fidem dando, quia Eva perdit virum ſerpenti conſentiendo.*

Cùm ergo B. Virgo ſit maxima operatio potentiæ Dei, quomodo Deus non contuliſſet ei majores prærogativas, quàm concesſerit Adamo, & Evæ in formatione ipſorum? Ideò Tertullianus q loquens de carne humanâ, dicit, quòd ſit Divini flatus vagina, &c. *Abſit, abſit ut Deus manuum ſuarum operam, ingenij ſui curam, afflatus ſui vaginam, molitionis ſuæ Reginam, liberalitatis ſuæ hæredem, Chriſti ſui ſororem, in æternum deſtituat interitum.* Et poſteà addit, *Diliget carnem tot modis ſibi proximam.* Ecce ſpecioſa elogia, quibus magnus hic Africanus extollit carnem noſtram, quam Deus tot modis voluit ſibi eſſe proximam, ut ejus formationem committere noluerit Angelis, *manuum ſuarum operam.* Potiori ratione id dicendum eſt de B. Virgine. *Ingenij ſui curam*: ipſe curavit infirmitatem noſtram, undequaque illam roborans. *Afflatus ſui vaginam*, thecam rei ſic pretioſæ ac eſt anima. *Molitionis ſuæ Reginam*, Dominam omnium quæ creavit Deus propter omnes ſenſus, & oblectamenta illorum. *Liberalitatis ſuæ hæredē*, id eſt, cui caro noſtra, æquè ac anima noſtra communicare poſſunt: ſic carne noſtrâ indutus poſt reſurrectionem ſuam noſter *Dominus Jeſus aſſumptus eſt in cælum* r, ut ſpem nobis præberet, quòd illuc pervenire poſſemus, ut ait S. Leo ſ, *Chriſti aſcenſio, noſtra provectio eſt; & quò præceſſit gloria Capitis, eò ſpes vocatur & corporis.* Et S. Paulus dicit: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut conglorificemur* t. *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* u. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* x. Tandem, *Chriſti ſui ſororem*, id eſt, humanitatis Jeſu Chriſti. Et omnes iſtæ prærogativæ non ſunt, niſi quia caro noſtra hanc habet cognationem cum Jeſu Chriſto: & cùm B. Virgo ſit illi proxima, ut Mater ipſius, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro*, ut Arnoldus Carnotenſis y, ideò ſuſcepiſſe debet omnes iſtas prærogativas in gradibus multò eminentioribus. Deus formans hominem, nihil aliud egit quàm flare, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* z. Et hoc ſemel tantùm. Sed quoties Deus inſpiravit in B. Virginem, & ipſa viciſſim reſpiravit propter Deum? Flatus infantium in utero matrum ſuarum eſt idem flatus ac illarum: Jeſus reſpirat medio halitu Matris ſuæ: ſi Deus tanta fecit intuitu ſororis Jeſu Chriſti, quid non aget reſpectu Matris, quæ eſt plus quàm ſoror? Prærogativæ & gratiæ Mariæ ſic ſunt ingentes ut ſolus Deus eas cognoſcere poſſit. Sic myſterij Incarnationis monens eam Angelus, dixit ei, *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* b. Deus

u ex Gen. 3. 6. &c.
x S. Epiph. ſerm. de Deip. Laudib.
y Heſych ſerm. 2. de Laud. Deip.
z ex Luc. 1. 35.
a ex Luc. 23. 43.
b ex Ezech. 44. 2.
c ex Ezech. 46. 2.
d Iſai. 7. 14.
e Chryſipp. ſerm. de Laud. Deip.
f ex Gal. 4. 5.
g ex Gen. 3. 6. &c.
h S. Aug. ſerm. 2. de Annunciat. qui eſt 18. de Sanctis.
i ex Cant. 2. 1.
k ex Gen. 3. 16.
l ex Luc. 1. 47.
m ex Gen. 3. 4.
n ex Luc. 2. 7. & ex 1. Petr. 2. 22. & Iſai. 53. 9.
o ex Luc. 1. 28. &c.
p ex Jer. 31. 22.
q Tert. lib. de Reſurr. carn. c. 9.
r Marc. 16. 19.
ſ S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ.
t Rom. 8. 16. & 17.
u Eph. 5. 30.
x Coloſſ. 1. 18.
y Arnold. Carnot. de Laud. Mar.
z Gen. 2. 7.
b Luc. 1. 35.

Deus gerit ſe more pictoris, quaſi velo obducit imaginem ſuam, quam efformavit in B. Virgine, nemo eſt qui dicere, exprimere, aut cogitare poſſit magnitudines Mariæ, *Virtus Altiſsimi* obumbravit. Solus Deus illas fecit, *Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt* c. Et licèt hæc verba dicantur ad literam de Sapientia incarnata, tamen quia hæc incarnatio peracta eſt in utero B. Virginis: ideò & Virgini Deiparæ jure merito applicari poſſunt. Maria igitur eſt maxima operatio potentiæ Dei, in qua nimirum Deus melius manifeſtat magnificentiam ſuam, cùm univerit in ea id omne, quod erat diſperſum per reliquas creaturas: & cùm maxima operatio potentiæ Dei ſit maxima quies ipſius; & maxima quies ipſius ſit maxima ipſius operatio; cùm Maria ſit maxima operatio potentiæ Dei, eſt & maxima quies ejus.

c Eccli. 1. 9.

II. Pars.

Poſt laborem capeſſimus quietem, ad reparandos ſpiritus qui diſſipati erant; Deus non indiget capere quietem hoc modo: maxima enim ipſius operatio eſt maxima ipſius quies, ſicut maxima ipſius quies eſt maxima ipſius operatio: *Deus requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrârat,* poſtquàm *formavit hominem* d. Quia invênit in eo, unde ſibi complaceret; nos autem deſiſtimus ab opere, ſtatim ac invênimus id, quod quærebamus. Deus fuerat operatus per ſex ætates mundi, Primò ab Adam uſque ad diluvium e, Secundò à diluvio uſque ad ingreſſum populi ſui in Ægyptum f, Tertiò per totum tempus, quo ibi manſit captivus idem populus Iſraëliticus, *Manus ejus in cophino ſervierunt* g. Quartò ab egreſſu illius ex Ægypto in deſertum h, Quintò ab exitu illius è deſerto in terram Chanaan i, Sextò ab ingreſſu in terram Chanaan uſque ad Regnum Davidis k, Septimò à Regno Davidis uſque ad nativitatem Meſſiæ l: & hâc ultimâ ætate requievit, id eſt, in B. Virgine, *Et factus eſt in pace locus ejus* m. Uſque ad Mariam ſemper laboraverat, non inveniens niſi crimina, quæ inducebant divinam ipſius juſtitiam ut ſeveram de iis capeſſeret ultionem, *Præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*, ait ipſemet eidem populo Iſraëlitico ſuo, poſtquàm de illo dixit, *Populum iſtum formavi mihi* n. Non erat tunc inveniri niſi idololatrias o, & rebelliones p, quinimò & in Angelis ipſis, *Et in Angelis ſuis reperit pravitatem* q. Adam fecit eum laborare inobedientiâ & infidelitate ſuâ r: ſola B. Virgo eſt, in qua Deus quietem capit, & ſibi complacet: propterea ſuprà vocata eſt ab Heſychio ſ *hæc univerſum Trinitatu complementum*. Sciendum eſt enim, quòd Pater æternus *in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum* t gignit Filium ſuum, cognoſcendo ſemetipſum intellectu ſuo; & quòd Pater & Filius mutuò ſe diligentes voluntate ſuâ producunt *Spiritum* u ſanctum: & iſtæ duæ perſonæ ſunt fœcundæ in æternitate, ſed Spiritus ſanctus nihil producit in divinitate, quia nullum reperit terminum, qui recipiat ipſius actionem: manere non vult ſterilis, quærit aliquod ſubjectum ſuſcipiendæ ipſius actioni congruum: omnes creaturæ nimis ſunt abbreviatæ, nedum recipiant actionem ipſius ac eminentiſſimas ipſius perfectiones, nullum invenit locum, in quo quieſcere poſſit; ideò deſcribit eum nobis Scriptura x velut inquietum, *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Et Iſaias y repræſentat eum dicentem, *Ad quem autem reſpiciam?* Sola B. Virgo capax eſt ſuſcipiendarum adorabilium omnium perfectionum illius; ipſa habet intellectum recipiendis divinis luminibus & illuſtrationibus illius idoneum, & voluntatem ad ſumendas ardorum illius impreſſiones diſpoſitâ: ſic in illa requieſcit Spiritus ſanctus, cùm in ea ipſe ſibi complaceat, & ſatisfactionem ſuam inveniat. Nam B. Virgo ab inſtanti ſuæ Conceptionis habuit uſum rationis præ privilegio, & extunc ſe convertens ad Deum, cognovit eum mente, & dilexit eum voluntate, ſuſcipiens omnia lumina ejus, & totum amorem illius in tanta plenitudine, ut nunquam ab ulla creatura pura ſic fuerint ſuſceptæ illuſtrationes & dilectiones. Ideo Cornelius z dicit, *Damaſcenus Deiparam vocat, miraculorum officinam*. Aliqui Sancti ſuſceperunt aliquam gratiam in ſpeciali, Iſaias a gratiam prævenientem, Jeremias ſanctificantem, imò verò *in utero, & antequàm de vulva* b exiret: & David ſublevantem c: ſed B. Virgo omnes gratias ſuſcepit: *Quia cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ*, ait S. Hieronymus d. Cùm quis aliquam erigere vult officinam, undequaque merces capit, ut illam repleat: ſic Deus vult reddere B. Virginem velut officinam, ut in ea intuendam exhibeat perfectionum ſuarum magnificentiam. Ipſa eſt igitur locus quietis Dei, ut ipſamet ait, *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* e. Et S. Epiphanius f, *Illa enim reperietur eſſe cœlum, templum, & thronus*. Et Chryſippus g Deum ſic alloquitur poſt Pſalmiſtam h, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Arca enim verè Regia. Arca pretioſiſsima eſt Virgo Deipara. Sed arca, cujus Architectus & incola, gubernator & mercator, comes viæ & dux* i *erat Opifex omnium creaturarum, quas in ſe ipſe univerſas portat, ſed à cunctis ipſe non comprehenditur* h. *Surge Domine in requiem tuam. Tua enim requies, inquit, eſt Virgo, & uterus tua requies, quia tibi cubile efficietur & habitatio. Surge Domine. Nam niſi tu exurgas è ſinu* k *paterno, inquit, genus noſtrum quondam lapſum non reſurget. Tu & arca ſanctificationis tuæ. Cùm enim tu inde ſurrexeris, ſigillabis arcam ſanctificationis tuæ, tumque arca cum omnibus exurget à lapſu, in quo vel illam conſtituit Evæ cognatio. Talia proclamabat & exorabat illius gratia, quæ ex eo germinare debebat, imò verò totius generis humani nomine.*

d Gen. 2. 2. & 7.
e Gen 7. 17 &c.
f Exod. 1. 1. &c.
g Pſ 80. 7
h Exod. 15. 22.
i Joſue 3. 13. &c.
k 1 Reg. 13. 16.
l Luc. 2. 7.
m Pſ 75. 3
n Iſai. 43. 21. & 24
o Exod. 32. 6.
p Num. 20. 10. & 16. 9. & 10.
q Job 4. 18.
r Gen. 3. 6.
ſ Heſych ſerm. 2. de Laud. Deip.
t Pſ. 109. 3.
u Joan. 15. 26.
x Gen. 1. 2.
y Iſai 66 2.
z Cornel in Jer 31 A. c. 15 S. Damaſ ſerm. 1. de Nativ B. M.
a Iſai. 61 7.
b Jer. 1. 5
c 2. Reg. 12. 13
d S. Hier ſerm. de Aſſumpt
e Eccli. 24 12.
f S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
g Chryſipp. ſerm. de Laud. Deip.
h Pſ. 131 8.
i ex Joſue c. 4. & ſequ.
k ex Joan. 1. 18.

Ubique Deus laborat, ſed in B. Virgine quietem invenit. Ex quo cœpit Religio Chriſtiana, ſex labores exagitaverunt Chriſtianiſmum; Primò Secta Mahumetica, quæ abſtulit Regna & Imperia integra; Secundò Hæreſis, quæ templa & altaria noſtra deſtruxit; Tertiò bella civilia, quæ ſic copioſum fecerunt effundi ſanguinem; Quartò bella extranea, quæ magnas invexerunt clades; Quintò peſtis, quæ tantas edidit vaſtitates; Sextò fames, quæ tanta intulit infortunia: ſed interventu B. Virginis, cujus experti ſumus jugiter auxilia favorabilia, ſublevati ſumus, & requiem nacti ſumus. Si Turcæ accedant ad oras noſtras, non videmus eos niſi in triremibus noſtris, illorum ſtemma pallet, eorum Luna eclypſi ſuffunditur: Hæreſis tantas non cauſavit vaſtitates in Provincia noſtra, quantas in Germania, & in Anglia: apud nos non apparuerunt à longo tempore bella civilia; bella extranea non videmus niſi à longe; peſtis non egit tantas clades apud nos, quantas in aliis regionibus; fames, quæ premit nos, tolerabilis eſt, æquè ac infœlicitates, quibus impetimur ordinariè, non ſunt immodicæ: omnes iſtos favores B. Virgini referre debemus acceptos: Deus quietem nobis indulget interventu Matris ſuæ, nos verò præ ingratitudine intolerabili cauſamus eidem Deo laborem, ſicut ipſe ſingulis nobis queritur, cum ait, *Servire me feciſti*

viſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis l. In ſex rebus cauſamus laborem Deo. Primò, In indevotione, & ubinam fuit unquam illa major? Secundò, In puſillanimitate, & ubinam intolerabilior? Tertiò, In ludo, & ubinam jugior? Quartò, In injuſtitia, & ubinam magis juſtitia venditur? Quintò, In voluptate, & ubinam criminoſior? Sextò, In crimine, & ubinam magis abundavit? Si tandem Deus nobis requiem præbet, illam nobis indulget interventu B. Virginis; Maria eſt cauſa quietis noſtræ, ipſa curam ſuſcipit omnium neceſſitatum noſtrarum, quandiu nullo nos ducimur affectu recurrendi ad illam. Ratio autem propter quam tantam noſtrûm curam agit, eſt, quia, ut ait S. Thomas m, myſterium Incarnationis nunquam fuiſſet adimpletum, niſi peccatum Protoplaſti præceſſiſſet: & ſic *Verbum caro factum eſt* n totùm pro peccatis noſtris: & hoc modo B. Virgo, quæ naſcitur hodie, obtinuit hanc qualitatem Matris Dei, quia homines erant peccatores, ita ut dicere poſſimus, quòd per occaſionē tradiderint hanc qualitatem ſupereminentem Mariæ, quæ ne inſimuletur ingratitudinis, ſemper invigilat neceſſitatibus noſtris ſublevandis, eò quòd non ſuſcipiat hanc qualitatem niſi ob eum finem, ut eſſet etiam Mater noſtra ſimul ac Mater Dei, ut declarat iſte locus Canticorum o, *Venter tuus ſicut acervus tritici.* In Jeſu Chriſto enim, qui vocatur à S. Joanne p *Granum frumēti*, omnia alia grana, id eſt, omnes filii Adæ virtualiter continebantur: & ideò cùm Maria eſſet Mater Verbi incarnati, erat conſequenter & Mater omnium hominum.

l Iſai. 43. 24.
m S. Thom. 3 p. q. 1. art 3 in corp.
n Joan. 1 14.
o Cant. 7. 2.
p Joan. 12. 24.

Ex toto hoc diſcurſu colligere debemus, Auditores, quòd cùm in beata Virgine reperiamus quietem noſtram, & quòd cùm ipſa tantam curam noſtrî ſuſcipiat ex parte ſua; æquum eſt ut ex parte noſtra aliquid agamus, ut quietem noſtram poſſimus adipiſci, conando cooperari tantis gratiis quas interventu illius à Deo ſuſcepimus, & agnoſcendo quòd quoties renaſcimur ſpiritualiter tranſeundo à miſero ſtatu peccati, in quo eramus inquieti, ad fœlicem ſtatum gratiæ, in quo quietem noſtram nanciſcimur, favores illi nobis adveniunt interventu curarum illius, cùm ipſa nos animet ad contemnenda omnia terrena, & ad quærenda cœleſtia. Eò tendebat Apoſtolus cùm ſic ſcribebat Theſſalonicenſibus q, *Rogamus vos, Fratres, ut abundetis magis: & operam detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: & ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis.* Omnia negotia noſtra in hoc ſita ſunt, ut agamus ſalutem noſtram, *Porrò unum eſt neceſſarium* r. Illam nobis procurare ſatagit B. Virgo: propterea idem Apoſtolus ſcribens Romanis ſ, ait illis de quadam Maria, neſcio de qua, *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Hæc verba jure merito applico B. Virgini, Benè veneris Maria, parva Regina cœli & terræ. Sic eſt, Auditores, *Salutate Mariam.* Agite ei gratias pro omnibus favoribus, quibus vos Deus cumulavit illius interventu: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt theſaurus diſpenſationis planè arcanus*, ait S. Epiphanius t. Omnes gratiæ, quas ſuſcepiſtis, tranſierunt per manus ejus, veluti per canales, & ſi dignos vos exhibeatis, qui illarum ſuſcipiatis incrementa, ejusdem ſuæ Matris intuitu vobis ampliorem *gratiam, & gloriam dabit Dominus* u.

q 1. Theſ. 4. 10. &c.
r Luc. 10 40.
ſ Rom. 16. 6.
t S. Epiphan. ſerm. de Laudib. Deip.
u Pſ. 83. 12.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6. 33.

INveniuntur homines aliqui, qui majoris æſtimant emolumentum quàm honorem; & ii, quos gloria non potuit afficere, interdum cedunt commodo: numerata pecunia manui oblata aperit aliquando arces maximè inexpugnabiles, & illi, qui reſtiterant violentiſſimis inſultationibus, arma ſæpè deſerunt intuitu exiguorum aliquorum commodorum, quæ ipſis promittuntur. Ecce Deus aggreditur hodiernâ die è parte commodi peccatorem, quem Dominicâ præcedente vincere non potuerat conſiderationibus honoris. Ibi repræſentabat ei ſtatum infamiæ, in quem ſe præcipitabat per peccatum, quod ipſum redigebat ad claſſem beſtiarum, cùm prætendere poſſet ad dignitatem Angelorum, *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* a. Hîc verò proponit illi magnas prærogativas, quas ſperare debet ex ipſius bonitate, ſi fidelis eſt ipſius obſequio divino, & quibus ille ſe privat per peccatum & per ingratitudinem incomparabilem: [Quærite ergo, id eſt, contemplando, amando, & benè agendo adipiſci ſtudete, primùm, id eſt, principaliter & ante omnia inferiora, Regnum Dei, id eſt, cœleſtem patriam, vitam æternam, triumphantis Eccleſiæ ſocietatem, hæc bona à longè aſpiciendo, ſalutando: & confitendo, quoniam peregrini & advenæ eſtis ſuper terram b: de quo Regno ſcriptum eſt, Juſti accipient Regnum decôris, & diadema ſpeciei de manu Domini c. Hoc Regnum eſt finis noſter, ideò debet primò cadere in intentione, & quotidiè prima ac ſumma occupatio noſtra eſſe debet pro adipiſcendo hoc Regno. Quod quia adipiſci non poſſumus, niſi obſervando mandata, idcircò poſt deſiderium hujus finis ſtatim quærere debemus juſtitiam ejus, id eſt, opera bona ac meritoria, quibus ad Regnum perducimur. Hæc verò juſtitia eſt, quam Chriſtus jam docuit, de qua & profeſſus eſt, Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum d. His autem æternis ac ſpiritualibus bonis dignè quæſitis, temporalia neceſſaria nobis non deerunt, ſi tamen ſaluti expediat. Unde ſubjungitur, Et hæc omnia ad victum & operimentum opportuna adjicientur, id eſt, ſuperaddentur vobis, quaſi bona accidentalia ac principalia, ſine quibus ſpiritualis converſatio nequit ſubſiſtere,] dicit Dionyſius Carthuſianus e poſt Evangeliſtam noſtrum.

a Pſ. 48. 13 & 21.
b ex Heb. 11. 13.
c Sap. 5. 17.
d Matt. 5. 21.
e Dion. Carth. art. 14. in Matt. 6. 31

S. Paulus f docet me, quòd ſicut homo defert in ſe duos homines differentes, ſic iſti duo homines ſemper habuerunt objecta differentia, *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem: noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Hæc prophetia ſtupore me percelleret, niſi Philoſophi docerent me differentiam, quæ eſt inter animam & ſpiritum

f 1. Cor. 15. 45. ex Gen. 2. 7

tum hominis,licèt non ſint niſi res unica. Anima, inquiunt ipſi,eſt id,quod defert corpus,quod illud movet,quod illud ornat, quod ipſum decorat, & quod eſt principium & regula omnium actionum ipſius: Spiritus è contrà non ſiſtit in corpore, ſed altiùs tendens, elevat ſe uſque ad res immortales, quæ ſunt naturæ ipſius: ſic in homine, & homine Chriſtiano duplex eſt homo, licèt in ipſo unicus appareat: eſt in eo homo exterior, qui eſt compoſitus ex anima & corpore, & homo interior, qui eſt Spiritus Dei, qui communicatur ipſi per gratiam, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* g. Atqui ſicut à creatione mundi uſque ad incarnationem Verbi, homo exterior non fuerat occupatus niſi intuitu hominis ejuſdem;ſic *ubi venit plenitudo temporis* h, à myſterio Incarnationis, per quod homo ſuſcepit Spiritum Dei, qui eſt hic homo interior, qui debet eſſe regula actionum ipſius, debuit ſe occupare plenè Deo: nam Spiritus,quem ſuſcepit, non ſolùm factus eſt in animam viventem,ſed in Spiritum vivificantem, qui educens hominem à ſeipſo,elevat ipſum uſque ad Deum, qui eſt objectum fœlicitatis ipſius, æquè ac Angelorum, qui adoraverunt, eum *in utero* i B. Virginis Mariæ, in quo ſe incluſit ut gratiam præpararet hominibus, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* k. Et hoc factum eſt eo momento, quo ex ipſis unus *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* l *Maria*.

g Rom. 5. 5.
h Galat. 4. 4.
i Matt. 1. 18. & 22. & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14
k Joan. 1. 17.
l Luc. 1. 28.

Etiamſi filius prodigus non eſſet magnus Philoſophus, id eſt, amator ſapientiæ, ut concludere poteſtis ex ſequela funeſta diſſolutionum ejus, tamen ſic ſublime loquitur, ut mihi eſſet difficillimum expreſſu ingeſtitiam petitionis illius, quin recurrerem ad terminos Philoſophorum. Cùm hic *dixit adoleſcentior Patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit* m, non intendebat ſuſcipere ab eo patrem redituum illius, qui tranſmittunt hæreditatem à patre ad filium; ſed orabat eum, ut ſibi daret plenam & abſolutam diſpoſitionem ſuæ libertatis, quæ ſola poteſt & debet vocari ſubſtantia præ omnibus aliis commodis, quæ non ſuſcipimus à natura niſi ad ſublevandas neceſſitates noſtras: *Quæramus, quæ res filium rapuit hæc ad auſus, ad petitionem tantam fiducia qua levarit. Quæ res? Illa ſcilicet, quâ cœleſtem Patrem ſenbat nullo claudendum fine, concludendum tempore nullo, nullâ mortis poteſtate ſolvendum. Et ideò cupit vivendi libertate gaudere, qui ditari noluerit facultatibus decedentis*, ait S. Chryſologus n. Et Dionyſius Carthuſianus o ſuper hæc eadem verba, [Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Hoc eſt, poſſeſſionem boni pertinentem ad me, quæ poſſeſſio eſt portio ſubſtantiæ, id eſt, pars boni creati mihi conveniens, ſeu partialis ſubſtantia ſpectans ad me. Omne quippe bonum creatum eſt Creatoris ſubſtantia,ſive poſſeſſio: ſicut in Geneſi p Abraham ait, Levo manum meam ad Dominum Deum poſſeſſorem cœli & terræ. Ex hac verò ſubſtantia aliquid ad hominem ſpecialiter pertinet, utpote corpus ejus, & anima, & naturalia dona ipſius: ſupernaturalia quoque dona ſibi conceſſa, & bona fortunæ: Petit ergo adoleſcentior filius ſibi partem pertinentem à patre ſuſcipere, quia naturalibus donis ac cæteris bonis ſibi à Deo collatos voluit ſecundùm voluntatem propriam uti, potiùs autem abuti, nec ſubjici legi divinæ, aut protegi ſupernaturalibus donis gratiæ Salvatoris, quemadmodum per Jeremiam q quibuſdam loquitur Deus, A ſeculo confregiſti jugum, rupiſti vincula, & dixiſti, Non ſerviam. Hinc ait Pſalmiſta r, Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Iſtud quoque ſimiliter dicit omnis tranſgreſſor Legis Divinæ. Et diviſit illis ſubſtantiam, hoc eſt, unicuique dedit quod petiit, & quemlibet facere permiſit quod voluit, ſecundùm illud Eccleſiaſtici ſ, Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui: appoſuit tibi aquam & ignem,ad quodcunque volueris porrige manum tuam.] Quid eſt enim ſubſtantia, niſi id quod portat & ſuſtinet accidentia,ut terminus actionum ipſorum? *Subſtantia eſt quæ ſubſtat, aut quæ ſubſiſtit.* Atqui omnia bona terræ non ſunt niſi parva accidentia, quæ non ſunt ordinata niſi propter ſervitium hominis, qui ipſis liberè debet uti: ſic gloria aut infamia ſunt merces aut ſupplicium meriti vel demeriti actionum liberarum & moralium: illæ enim, quas facimus inſtinctu naturæ, neceſſitate, aut vi, nullam merentur ex ſe gloriam: divitiæ enim habent ſuam gloriam, vel contemptum ſuſcipiunt è libertate hominis, ſecundùm bonum vel malum uſum quem facit illarum: tandem, voluptates ſunt juſtæ vel illicitæ, ſecundùm finem ad quem homo eas refert. Unde videtis, quòd prodigus non intendebat petere à patre ſuo partem bonorum ſuorum, quæ non ſunt niſi extranea homini; ſed quòd ipſius intentio eò dirigebatur, ut ſibi liceret uti libertate ſuâ, quæ ſola eſt verum bonum, expers omnis periculi,& quod non poteſt vi nobis auferri, aut ullo funeſto caſu: eſt enim naturæ bonorum illorum immobilium, quorum fundum ſemper ſubſiſtit, nec unquam perit. Atqui licèt hæc libertas ſit bonum ex natura ſua, tamen evadit malum per accidens, ſecundùm bonum vel malum uſum qui fit ipſius:& quàmvis non ſit aliquid fortius libertate, cùm hæc eſt adjuta gratiâ, non eſt etiam aliquid eâ infirmius, cùm ipſa eſt deſtituta eâdem gratiâ: & ſicut non eſt aliquid melius eâ, cùm ipſa adhæret bono, quia in hoc ſtatu univerſa ſerviunt ipſi loco menſuræ, *Quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum* t: ita per legem contrariam, non eſt aliquid eâ pejus, cùm ipſa malo incumbit, quia in hoc ſtatu nihil poteſt ipſi prodeſſe, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*, &c. ait Apoſtolus u. Et hoc eſt ſubjectum diſcurſus mei, in cujus priori parte videbitis, quòd omnia ſerviunt homini, qui eſt in gratia. In poſteriori verò, quòd univerſa ſunt ei inutilia cùm eſt in peccato.

n S. Chryſol. ſerm. 1.
o Dion. Carth. a. 38. in Luc. 15. 12.
p Gen. 14. 22.
q Jer. 2. 20.
r Pſ. 48. 13. & 21
ſ ex Eccli. 15. 14. & 17.
t Rom. 8. 28.
u 1. Cor. 13. 1. &c.
Diviſio.

I. Pars.

Ingenuè fatendum eſt, Auditores, quòd anima, quæ eſt involuta peccato, habet convenientiam cum illâ *terrâ desertâ, & inviâ, & inaquosâ*, de qua loquitur Pſalmiſta x, quam nunquam Sol illuminat, quæ ſterilis eſt, quia ex nulla parte irrigatur, vel pluviâ cœli, vel fontibus terræ, æquè ac deſertâ,& ſine via,quia nemo per ipſam tranſit: Sic anima peccatoris eſt ſemper obſcura, quippe ſuper quam *Sol Juſtitiæ* y, radios gratiæ ſuæ non effundit: Sterilis eſt bonis operibus, quia aqua ejuſdem gratiæ ipſam non irrigat: Tandem eſt veluti terra deſerta, quæ nemini viam præbet, quia non fert niſi monſtra: ſed cùm Deus miſericordiâ ſuâ ductus intuetur eam cum propoſito ſuccurrendi ei, cùm communicat illi gratiam ſuam, quæ eſt germen omnis boni, ipſa evadit fertilis, abundans, & dives omni genere bonorum: ipſa non eſt ampliùs terra maledictionis, ſed hortus voluptatis, quia Dominus reparavit jacturas illius: *Conſolabitur Dominus omnes ruinas ejus, & ponet deſertum*

x Pſ. 62. 2.
y Malac. 4. 2.

ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini, dicit Iſaias z. Hic Propheta videtur alludere creationi mundi, de qua dicitur in principio Geneſeos a, *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Quòd mundus tunc non erat niſi chaos & confuſio ſine forma & figura, & quòd Spiritus Dei effundens ſe ſuper aquas, calefaciebat eas, ſicut fert verbum Hebraicum, quod juxta Cornelium b, ponitur in litera originali pro *ferebatur. Quod teſte S. Baſilio, Diodoro, & Hieronymo in Quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, eſt volucrum, dum ſuper ova & pullos quaſi pendulæ leniter agitatione alarum ſe librant, motitant, & volitant, iiſq; deinde incubant, calorem aſpirant, fovent & animant. Pari modo Spiritus ſanctus ſuperferebatur, vel, ut Tertullianus legit, ſupervectabatur aquis, non loco, aut motu, ſed omnia ſuperante ac præcellente potentiâ, ſicut ſuperfertur rebus fabricandis voluntas & idea artificis, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de Gen. ad lit. c. 7. Hâc ergo voluntate ac potentiâ ſuâ, cum aurâ calidâ quam à ſe ſpargebat, aquis quaſi incubabat Spiritus ſanctus, eiſque vim prolificam indebat, ut reptilia, volantia, piſces, & germina, imò cœli omnes ex aquis producerentur.* Statim terra produxit plantas, flores, & fructus; viſa ſunt exire ex aquis innumera animalia, quæ operuerunt ſuperficiem terræ, æquè admirabilia in naturis & ſpeciebus ſuis, ac erant grata; & æquè differentia numero, ac erant diverſa formâ & figurâ: viſæ ſunt etiam egredi ex eadem origine fœcunda quamplurimæ aves, volatum carpentes in aërem: & tandem id, quod priùs non fuerat niſi ſubjectum horroris, apparuit hortus voluptatis: ſic cùm anima eſt involuta peccato, ipſa non eſt ampliùs niſi chaos obſcurum, ſine forma, abſque ordine; omnia ſunt in ea inordinata & confuſa; & id quod debebat aſcendere ſurſum, deſcendit deorſum; & ſpiritus, qui debebat ex natura ſua elevare ſe amore & affectu ad cœlum, deſcendit in terram inter creaturas, quibuſcum format ſocietatem: ſed ſtatim ac Deus naſci fecit radium gratiæ ſuæ in anima hominis, ordinat id, quod priùs erat confuſum, calefacit eam ſancto amore ſuo: hæc anima calefacta incipit emittere aquas lacrymarum, concipit ſanctos affectus, producit bonos effectus, promit innumera ſacra deſideria, parit quamplurima bona opera, quia habet in ſe principium gratiæ, unde redditur fertilis, & digna quæ mereatur interventu actionum ſuarum vitam æternam. Quid enim eſt gratia? Gratia eſt communicatio Dei animæ, eſt veluti Deus abbreviatus, & participatio formalis illius quod eſt in Deo: quòd ſi homo participat naturam Dei, debet producere actiones dignas poſſeſſione Dei: nam, ut ait Philoſophia, *Operari ſequitur eſſe.* Quòd ſi communicatio eſt divina, operationes per conſequentiam neceſſariam debent eſſe divinæ. Homo habet in ſe eſſe divinum, cùm poſſidet gratiam, per quam Deus unit ſe animæ ipſius: ſicut enim ex unione corporis & animæ reſultat totum; ſic etiam è Spiritu Dei & ex anima Chriſtiana reſultat homo ſpiritualis: & ſicut anima eſt origo fœcunda & principium omnium actionum naturalium; ſic gratia eſt origo fertilis univerſarum actionum Chriſtianarum: atqui ſicut omnes actiones ſequuntur meritum principii ſui, & ipſæ ſunt eò nobiliores, quò principium, quod ipſas produxit, majorem præ ſe fert nobilitatem, juxta axioma præfatum, *Operari ſequitur eſſe:* Sic operationes hominum ſunt nobiliores operationibus plantarum, & beſtiarum. Tandem, Juſtâ & rationabili gradatione, actiones Angelorum ſunt incomparabiliter & infinitè perfectiores operationibus hominum, quia natura Angelorum eſt nobilior & excellentior naturâ hominum: ergo actiones Chriſtianæ ſunt meriti infiniti, quia procedunt à gratia, quæ eſt principium ſupernaturale & divinum, & conſequenter infinitum, & meritis innumerum. O fœlix & fortunata conditio hominis Chriſtiani, qui elevare ſe poteſt interventu favorabili gratiæ uſque ad magnitudinem & ad gloriam Angelorum! Sed quid dico? Uſque ad magnitudinem & gloriam Dei ipſius: non enim proponit Deus homini aliquid creatum, vel caducum pro mercede, ſed ſemetipſum, *Factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem, dicens: Ego ſum merces tua magna nimis* c. *Ubi enim eſt merces*, ſubdit Cornelius d, *ibi eſt meritum bonorum operum, quod hanc mercedem meretur. Merces hæc eſt ſpiritualis & æterna. Quaſi diceret, Ego ipſe, qui ſum Deus bonorum omnium opera tua, ero merces, præmium, & beatitudo tua objectiva, ô Abram. Idem canit David e, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Et, Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram* f? *Et S. Thomas Aquinas cùm Neapoli orans audiret à Chriſto crucifixo: Bene ſcripſiſti de me Thoma: quæ ergo erit merces tua: reſpondit: Non aliam, quàm te Domine. Tu enim es ſpes mea, merces mea, amor meus, & omnia.* Ubi poteſtis obiter obſervare obligationem, quam habet homo laborandi jugiter, cùm ſuſceperit gratiam, cujus capacitas eſt illimitata, & prætendat ad gloriam, quæ eſt abſque menſura.

Tria ſubjecta ſunt capacia fœlicitatis, Deus, Angelus, & homo. Deus poſſidet illam ſine labore, *Ego ſum qui ſum* g. Angelus unicum duntaxat habet greſſum agendum ad acquirendam eam, *Factum eſt prælium magnum in cælo: Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone* h. Et homo laborare debet, ut illam ſibi conciliet, quia magis eſt ab illa remotus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* i. Deus poſſidet fœlicitatem ſine labore, quia eſt ipſemet beatitudo ſua, & non indiget eam inquirere extra ſeipſum: Angeli acquiſiverunt illam unicâ actione, quæ reddidit ipſos beatos: ſed inducit Deus hominem ad laborandum, ut mereatur eam: *Si vis ad vitam gloriæ ingredi, id eſt, æternam beatitudinem adipiſci, ſerva mandata Decalogi. Tanquam dicat, Hoc requiritur, & ſufficit ad ſalutem. Unde in Proverbiis* k *habetur, Serva mandata & legem quaſi pupillam oculi tui. Et in Eccleſiaſtico* l, *Si volueris mandata cuſtodire, conſervabunt te*, ſubdit Carthuſianus *m*. Tamen iſte modus procedendi Dei non debet homines ſtupore percellere, ſed potiùs debet eis eſſe motivum amoris erga eundem Deum, & calcar ad ipſos animandos. Deus fecit quidem, ut mererentur Angeli gloriam unicâ actione; ſed etiam compoſuit totam illorum fœlicitatem ad meritum iſtius actionis: illorum gloria eſt fixa & determinata, hæc nunquam creſcet: ſed homines augere poſſunt gloriam ſuam tot gradibus, quot exerciturì ſunt actiones virtutis, & nulla eſt actio, quæ non ſerviat ipſorum elevationi, ſi fiat in ſtatu gratiæ. Videte, Auditores, num jure merito non teneamini diligere *Deum ex toto corde, in tota anima, & in tota mente* n, pro eo quòd determinare gloriam veſtram noluerit ad quaſdam actiones; ſed permittat vobis, ut augeatis eam quâlibet horâ, & ſingulis momentis, quia non eſt aliquid quod non poſſit nobis ſervire propter illud, *Scimus autem quoniam diligentibus*

z Iſai. 51. 3
a Gen. 1. 2. &c.
b Cornel. in Gen. 1. 2
c Gen. 15. 1.
d Cornel. in Gen. 15. 1.
e Pſ. 15. 5 & 6.
f Pſ. 72. 25.
g Exod. 3. 14.
h Apoc. 12. 7.
i Matth. 19. 17.
k Prov. 7. 2.
l ex Eccl. 15. 16
m Dion. Carth. a. 13. in Matt. 19. 7.
n Matt. 22. 37.

Deum omnia cooperantur in bonum, dicit Apoſtolus *. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus, †

*Rom. 8. 28.

† Dion. Carth. c. 12. in Rom. 8. 28.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum charitate infuſâ & ſupernaturali ac perſeveranti, omnia tam bona quàm mala, proſpera & adverſa, cooperantur finaliter in bonum fœlicitatis æternæ, quia per hæc aliquo modo proficiſcuntur ad Dominum. Bona enim, id eſt, opera virtuoſa, cooperantur in bonum directè, mala verò indirectè. Nam ubi abundavit iniquitas, abundavit & gratia o. *Ideò ſcriptum eſt de vero juſto, Omnia quæcunque faciet, ſemper proſperabuntur* p. *Sæpè enim contingit, ut quò ſe graviùs peccaſſe perpendunt, eò humiliores & ferventiores reddantur.* Omnes actiones vitæ, non ſolùm ſupernaturales, ſed etiam naturales & indifferentes, imò & peccatum, ſerviunt illis, qui perfectè Deum amant, ad ſtabiliendam ipſorum fœlicitatem: unde concludendum eſt, quòd homo laborare debet toto tempore vitæ ſuæ, & virtuti vacare, cùm Deus conſtituerit ipſius fœlicitatem in merito actionum ipſius, & dederit ei libertatem extendendæ, vel reſtringendæ illius interventu numeri meritorum ſuorum.

o ex Rō. 5. 20.

p Pſ. 1. 3.

Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum q. Sed quænam erat obligatio laborandi in loco, ubi terra ſemper ferebat fructus, non ſolùm propter neceſſitatem, ſed etiam ob profuſionem, & nedum indigeret ipſa coli? *Argumentum eſt gloriæ, quam Deus Adamo attribuit, dum ipſum collocaret in paradiſo ſeris arboribus amœno, ut ſe ibi ipſe oblectaret*, reſpondet Moſes Barcepha r. Et aliquantò poſt ſubdit: *Quid ergo ſibi volunt illa verba, Ut coleret, & cuſtodiret? Reſpondemus non id ſignificare, fodiendas illi fuiſſe ſcrobes, in quibus plantas conſereret, ut Noha vineam* ſ, *aut laborioſis ipſum inſtrumentis operando moleſtiam ullam ſubire debuiſſe, ſed in eo poſitum fuiſſe cultum illum, ut ibi locum ſibi pro habitatione aptaret, viaſque ac ſemitas, quibus commodè poſſet obambulare, complanaret, ne ſcilicet otioſus eſſet, quando ex otio plurima enaſcantur mala. Cæterùm quod de cuſtodiendo paradiſo dictum eſt, id ad arcendas inde beſtias ſpectat.* Obſervat hîc Antiſtes Syriæ, quòd Deus non ſolùm præparaverat Adæ ſoli locum deliciarum, ſed quòd tota ejus poſteritas fruitura eſſet eodem privilegio, ſi ipſe conſervaſſet innocentiam ſuam; quòd ipſe & filii ipſius fruituri eſſent vitâ immortali, quæ conſervata & reparata fuiſſet uſu fructus ligni *vitæ*, quod Deus conſtituerat *in medio paradiſi* t terreſtris, ad reparandas jacturas, quas calor naturalis quotidiè facit in corporibus. Ait ergo quòd mandatum, quod ſuſcepit Adam à Deo, erat, ut dirigeret vias, quæ perducerent ad arborem vitæ: tenebatur Adam toti poſteritati ſuæ præparare vias, per quas pergerent ipſius filii ad arborem vitæ. Parentes, qui edocetis vitium liberos veſtros, qui inducitis illos ad diſſolutionem, ſcitote, quòd tenemini monſtrare eis iter virtutis, & perducere eos ad arborem vitæ: ſed perfungimini-ne iſtis muniis? Parentes, qui ſingulos dies tranſigitis in cauponis, & in ludo, exemplum veſtrum docet veſtros liberos, ut cauponas frequentent, & folia luſoria tractent. Patres, qui frequentatis duellum, lectionem facitis liberis veſtris, ut contentiones, quas habent, ferro diſcutiant: hoc non eſt illos perducere ad arborem vitæ, ac eos edocere dolos & adinventiones, quibuscum præcipitatis illos ad inferos. Matres, quæ edocetis filias veſtras, ut amicitias foveant, ut ſe ornent præ exceſſu ſupra conditionem ſuam, quæ inſtruitis in eis fucum, hoc non eſt dirigere eis vias & ſemitas ad arborem vitæ:

q Gen. 2. 15.

r Moſes Barcepha part. 1. de paradiſ. c. 28.

ſ ex Gē. 9. 20.

t Gen. 2. 9.

hoc eſt potiùs eas illuc avertere, & monſtrare eis iter mundi, & pandere illis viam diaboli. Diſcite igitur hodiernâ die obligationem indiſpenſabilem, quam habetis laborandi, & parandi ſanctitate vitæ veſtræ & bonorum operum veſtrorum liberis veſtris vias ad cœlum, ut ſequantur vos, & imitentur veſtrum procedendi modum: diſcite conſtruere vobis magnam gloriam, quæ nullam aliam habebit extenſionem niſi eam, quam dabitis illi interventu meriti actionum veſtrarum virtuoſarum & Chriſtianarum. Inexcuſabiles eſtis: non enim obſtringimini ad hoc, ut operemini fœlicitatem veſtram, ut ſemper jejunetis, ut flagelletis vos, ut cilicium deferatis, & ut omnia bona veſtra pauperibus erogetis: nihil aliud exigitur à vobis, niſi ut cuſtodiatis vos in gratia & in amicitia Dei: & tunc omnia vobis erunt utilia & proficua; omnes actiones veſtræ ſervient fœlicitati veſtræ, ſi noveritis eas dirigere ad bonum finem, id eſt, ſi facitis eas propter amorem Dei, *Quoniam diligentibus Deum omnia comparantur in bonum* u.

u Rom. 8. 28.

Tria ſunt genera actionum in homine: in eo ſunt actiones morales, ſunt & actiones animales, & ſunt actiones Chriſtianæ. Quantùm ad actiones Chriſtianas, certum eſt quòd ipſæ ſunt magis meritoriæ vitæ æternæ, quia factæ ſunt in ſtatu gratiæ, quæ eſt principium & origo fœcunda, unde ipſæ eruunt id omne, quod habent ipſæ valoris, pretii, & meriti, & unde elevantur ipſæ ad Deum uſque: effectus enim aſcendunt æquè ſublime ac principia ſua: & ſicut cùm vernantis arboris ſalivarius humor ſub cortice bonus eſt, fructus, quos hæc arbor producit, ſunt optimi guſtus, & ſaporis delicati proportionabiliter, Sic Chriſtianus, qui eſt in ſtatu gratiæ & amicitiæ Dei, habet in ſe germen gloriæ, & omnes fructus, quos producit, ſunt digni vitâ æterna. Sed id quod eſt admirabilius, eſt, quòd omnes aliæ actiones, animales, aut morales, imò verò indifferentes in ſpecie ſua, ſunt etiam meritoriæ virtute gratiæ: dico, actiones indifferentes. & explico me: Auferre lapidem è via, eſt actio indifferens; auferre lapidem è via ne offendat tranſeuntes, eſt actio bona, quia habet pro fine ſuo charitatem: auferre lapidem è via ad cauſandam moleſtiam ei, qui illum ibi poſuit, eſt actio mala, quia habet intentionem pravam, quæ juſtificare non poteſt hunc agendi modum: atqui actiones, quæ ſunt indifferentes in natura & in ſpecie ſua, evadunt morales in particulari: nam agere ſine conſideratione finis alicujus, & abſque intuitu alicujus conſilii, hoc non eſt agere ut hominem, ut rationalem; ſed ut brutum: dico igitur quòd illæ, quæ ſunt indifferentes in ſpecie ſua, ſunt meritoriæ vitæ æternæ, factæ in ſtatu gratiæ, ſi homo noverit eas dirigere ad bonum finem intentione purâ. Non ſolùm autem actiones morales, & indifferentes, nobis ſerviunt propter gloriam, ſed etiam naturales & animales: ſic cùm comedo, bibo, & dormio, mereor vitam æternam, ſi ſum in ſtatu gratiæ. Sed quomodo? dicetis mihi: cœlum eſtne ſic exigui pretii, ut comparari poſſit comedendo, bibendo, & dormiendo? Edoce nos, ſi placet, iſtud ſecretum. Poteſtis, Auditores, infallibiliter lucrari cœlum, imò comedendo, ſi eſtis in ſtatu gratiæ: hæc fœlicitas & iſta glorioſa prærogativa vobis continget, ſi comedatis, & bibatis, non propter voluptatem, quæ eſt inſeparabilis ab hujuſmodi actionibus animalibus, ſed ad hoc, ut ſatisfaciatis neceſſitati. Eo cubitum, Domine, eo conſilio ut dormiam, non propter voluptatem è ſomno capeſſendam, ſed ad roborandum corpus meum,

ut

ut magis aſſiduè tuo vacare poſſit obſequio. Quid facilius hoc agendi modo? Ha! Quidnam impedit quin omnes & ſinguli artifices, cùm incumbunt artibus ſuis, & mulieres, cùm nent, vel conſuunt, aut applicant ſe œconomiæ domus ſuæ, Deo offerant exercitia ſua, & dicant ei, Deus mi, offero tibi hunc exiguum laborem, non deſidero me occupare niſi propter gloriam tuam. Quòd ſi exercitium iſtud vobis apparet æquo difficilius, quippe quod nimis ordinarium & frequens, ſaltem vacare debetis ei manè: tunc enim offerre debetis perſonam veſtram, familiam veſtram, & univerſa opera veſtra Deo; referre debetis id omne, quod agetis per totam diem ad gloriam ſummæ majeſtatis Dei, *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facite: gratias agentes Deo, & Patri per ipſum*, ait vobis Apoſtolus *x*. Et Cornelius *y*, *Quaſi diceret, Non propter Simonem, non propter Moſen, non propter Angelos, ſed propter Chriſtum, ejuſq; gloriam facite omnia, quæcumque facitis, & ſic eſt hoc præceptum, ſed negativum. Ita Theodoretus & Theophylactus. Secundò, Poteſt hoc eſſe præceptum quoque affirmativum, ſi cum Ambroſio & S. Thoma ſic exponas. Quaſi diceret, Omnia opera veſtra talia ſint, quæ cedere poſſint in gloriam Chriſti, Chriſtuſque veſtræ vitæ & actionum ſit ultimus finis, & hoc propriè videtur hic velle Apoſtolus, ſcilicet ut non Angelos, ſed Chriſtum ſtatuat ut nobis finem actionum omnium in genere, ut Chriſtus in iis omnibus laudetur. Et ſanè conſulenda eſt hæc praxis, ut aſſueſcamus crebrò iteratis actionibus opera noſtra, præſertim in eorum exordio, referre ad gloriam Chriſti: ita fiet ut ex conſuetudine habitum induamus, quo vel actu, vel virtute omnia illa referamus ad gloriam Chriſti: hinc conſequetur, ut omnia opera noſtra, etiam indifferentia, virtutis & meriti rationem induant. Quâ in re multi ſimplices opifices, agricolæ, aliique permulti deſiciunt, faciuntque ingentes labores, ſed ſine merito: quia laborant tantùm ex motivo & fine naturali, ut ſcilicet ſibi ſuiſque de neceſſariis provideant; qui ſi docerentur eadem inſuper referre ad Dei laudem & obſequium, nullo lucro terreno fraudarentur; ſed præter illud, ingens meritorum & benedictionis divinæ lucrum apud Deum acquirerent. Ut ad hoc ſe & ſuos excitaret, Deique & piæ intentionis in Deum memoriam renovaret B. Ignatius, hoc elogium perpetuò habebat in ore: Ad majorem Dei gloriam. Simili modo Apoſtolus z dixit: Omnia in gloriam Dei facite.* Unde videtis, Auditores, quòd omnia ſerviunt homini, cùm eſt in ſtatu gratiæ. Sed heu! per legem contrariam, non eſt aliquid quod non ſit ei inutile cùm eſt in peccato, & hoc nobis ſupereſt examinandum.

x Coloſſ. 3. 17.
y Cornel. in Coloſſ. 3. 17.
z 1. Cor. 10. 31.

II. Pars. Chriſtiani vivunt duplici genere vitæ, vivunt vitâ naturali, & vitâ gratiæ. Vita naturalis ſubſiſtit per unionem & conſervationem animæ & corporis: & vita gratiæ continuatur per unionem animæ cum Deo ſuo: atqui ſicut ſunt duo genera vitarum in homine, ſunt etiam in eo duo genera interituum oppoſita duobus iſtis generibus vitarum. In eo eſt mors naturalis, quæ accidit per ſeparationem animæ & corporis, per diſſolutionem duarum iſtarum partium præcipuarum, quas Deus & natura univerant vinculo ſic arcto & intimo, *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, dicit Apoſtolus *a*. In illo eſt etiam mors ſpiritualis, quæ contingit per diviſionem animæ à Deo, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*: ait Iſaias *b*, peccatores alloquens. Vocamus jacturam gratiæ mortem ſpiritualem animæ, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*, inquit Ezechiel *c*.

a Heb. 9. 27.
b Iſai. 59. 2.
c Ezech. 18. 4. & 20.

Quia quemadmodum in morte naturali homo non poteſt facere ullam actionem, nec cadaver ſe movere, loqui, ratiocinari, nec ulli vacare actioni vitali, quia privatum eſt animâ, quæ erat principium omnium actionum ipſius; ſic cùm anima amiſit gratiam, nullum poteſt ampliùs bonum opus facere quantùm ad vitam æternam, quia privata eſt gratiâ, quæ eſt germen omnium actionum ſupernaturalium. *Quia ſine me nihil poteſtis facere.*, dicit Dei Filius apud S. Joannem *d*. Et apud Dionyſium Carthuſianum *e*. [Quia ſine me, id eſt, ſine gratia mea gratum faciente, nihil meritorium poteſtis facere. Propter quod dicit Apoſtolus, Gratiâ Dei ſum id, quod ſum *f*. Et, Omnia poſſum in eo, qui me confortat *g*. Hinc apud Jeremiam *h* legitur, Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Nemo ergo ſibi ipſi blandiatur, vel in ſe ipſo glorietur, cùm nil habet boni à ſe: & hoc ipſum quod habet, nec ad momentum poteſt ſervare, ni conſervetur à Chriſto. Denique, Ipſa prima mentis ad Deum converſio, Dei donum eſt à Deo. Propter quod Jeremias *i* precatur, Converte nos Domine ad te, & convertemur.]

d Joan. 15. 5.
e Dion. Carthus. art. 37. in Joan 15. 5.
f 1. Cor. 15. 10.
g Philip. 4. 13.
h Jer. 10. 23.
i Thren. 5. 21.

Theologi diſtinguunt in homine peccatore tria genera actionum. Aliæ ſunt mortiferæ, vel mortales. Aliæ ſunt mortuæ. Et aliæ ſunt mortificatæ. Opera mortifera ſunt ea, quæ dant mortem animæ, & quæ faciunt, ut hauriat ipſa venenum cum voluptate, quâ ipſa perfunditur, patrando crimen, & offenſam Dei committendo, & hæc ſunt omnia peccata mortalia, quia, ut dixit ſuprà ſacer Textus *k*, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Et alibi *l* ſalutare nobis iſtud conſilium præbet, *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Opera mortua, ſunt ea, quæ eſſent bona aliâ tempeſtate, ſed quæ nihil proſunt, quia homo eſt in peccato; & hæc ſunt omnia bona opera, quæ fiunt in ſtatu peccati mortalis. Viſitate quantùmlibet volueritis xenodochia, conſolamini afflictos, erogate bona veſtra pauperibus, ſi non eſtis in gratia, vobis illud omne inutile eſt. Sed cavete, ne vos iſtud verbum ſtupore percellat, Auditores: eſt enim verum, & illi S. Paulus *m* conciliat authoritatem, cùm ait, [Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt.] Vide, peccator, crudelitatem peccati, quod non ſolùm tibi mortem infert ſpiritualem, ſed etiam te reddit incapacem faciendi alicujus boni. Parum autem eſſet re verà, quòd peccatum ſpoliaret nos omnibus meritis noſtris, ſi poſthæc permitteret nobis ut acquireremus alia: ſed non ita ſe res habet, ſed quamdiu nobiſcum ferimus peccatum, nullo modo mereri poſſumus. Tandem, Dantur opera mortificata, quæ ſunt omnia bona opera, quæ fecimus in ſtatu gratiæ ante peccatum: hæc opera, licèt bona in ſemetipſis, nobis ſunt tamen inutilia, quia non ſuffi it incepiſſe benefacere, ſed continuandum eſt; & progreſſus parum proficuus eſt, ſi ſocium non habeat bonum finem.

k Ezech. 18. 4. & 20.
l Eccli. 21. 2.
m 1. Cor. 13. 1. &c.

 Conſi-

Conſideramur, & mercede donamur ſecundùm ſtatum in quo morimur, & non juxta ſtatum ſecundùm quem vivere cœpimus. Iſtud nobis ſenſibilius apparebit per exemplum, quod mentes noſtras terrore percellet non vulgari.

En Eremita qui receſſit à mundo, ductus affectu pietatis, & deſiderio agendæ pœnitentiæ; nuncium remittit hominum ſocietati, ſylvas percurrit, ne videat aliquid ampliùs quod ipſum avertat à converſatione Angelorum, & Dei. In hoc ſtatu acquirit ſibi merita innumera interventu jejuniorum ſuorum, vigiliarum ſuarum, & mortificationum carnis ſuæ, & ſpiritus ſui: continuat in hoc exercitio per ſexaginta annos, per iſtud tempus ipſe eſt objectum amoris Dei, imò verò videtur admirationem & æmulationem parere Angelis: ſi contingat ut poſt ſexaginta annos labatur in peccatum morale, amittit gratiam, & amicitiam Dei ſui; omnia bona opera, quæ ipſe fecit anteà, ſunt mortificata, & ipſi ſunt penitus inutilia quandiu erit in ſtatu peccati mortalis: hæc tamen poſſunt ei prodeſſe, ſi ipſe revertatur in gratiam: omne quod aget ipſe boni, quandiu ipſe erit in peccato, erit mortuum; conſumat ipſe ſe pœnitentiâ quantùm voluerit, totum illud eſt mortuum, niſi fortè conetur ipſe reverti in gratiam. En, Auditores, œconomia peccati.

Ha! ſi ageremus pro Deo id quod facimus pro mundo, & ſi daremus animæ noſtræ id quod prodigimus pro corpore; tandem, ſi faceremus ad ſalvandos nos id quod agimus ad incurrendam jacturam noſtram, infallibiliter inde meliores efficeremur. Si pro certo ſciret mercator, quòd primâ vice quâ juraturus eſſet, fiſco addicenda foret merx ſua, ſane reverentiam Deo exhiberet, abſtinendo ſe à jurejurando. Ha! miſer homo, majoriſne ducis exiguas merces terræ, quàm divitias paradiſi? Eſne judicij ſic depreſſi ut mediocris alicujus fortunæ acquiſitionem præferas gloriæ cœli? Si ille qui detrahit honori proximi ſui, quique calumniatur innocentes, ſciret quòd quotieſcumque proferret verbum detractionis, obſtringeretur ad ſolvendum nummum, infallibiliter attenderet ſibi, ne famam denigraret alienam. Ha! æſtimaſne majoris nummum, quàm ſalutem animæ tuæ? Niſi ſtupidus ſis, & omnino mentis inops, non potes ita regerere. Hæc tamen eſt praxis ordinaria Chriſtianorum & hominum terræ; majoris iſti æſtimant exiguam voluptatem, parvum vaporem honoris, & aliquas divitias, quàm gloriam cœli, delicias paradiſi, & poſſeſſionem Dei, qui eſt ſummum ipſorum Bonum. Ha! ſi tantillam præ nobis ferremus curam placendi Deo, ſaltem tantam quantam inſumimus ad placendum mundo, quàm fœlices eſſemus. Ha! peccator, diſcamus æſtimare animam noſtram, quam redemptam fuiſſe ſcimus à *Jeſu Chriſto qui eſt Teſtis fidelis, Primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavat nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* n. Fugiamus peccatum, quod huic animæ noſtræ mortem infert, ſpoliat eam omnibus bonis ſuis, illamque reddit odioſam Deo, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* o. Exhibeamus ei eadem ſervitia quæ reddimus corpori noſtro, faciamus tantum ad ſalvandos nos, quantum agimus ad machinandam ruinam noſtram; commoda quæ inde ſuſcipiemus, erunt majora; & ſi magis afficimur erga commodum, quàm erga honorem; ſi gloria Dei, cui ſerviri debet ab hominibus, non potuit nos afficere; intueamur prærogativas quas ipſe nobis pollicetur vacantibus ipſius obſequio: & ſi ſpes iſta nullum producit effectum ſuper mentes noſtras, ſaltem infortunia quæ ſequuntur peccatum, faciant nos ingredi noſmetipſos, & inducant nos ad cognoſcendum quòd ſatius eſt ſervire Deo, quàm diabolo. Primus dabit nobis gratiam ſuam, & conſequenter gloriam ſuam.

n Apoc. 1. 5.
o Sap. 14. 9.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. 12. &c.

ILli profectò ſunt appoſitè locuti, qui vitam iſtam vocaverunt theatrum, in quo aguntur comœdiæ, juxta conceptum S. Pauli a dicentis, *Quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Quaſi diceret, Effecti ſumus veluti theatrum, ſuper quo varias agimus perſonas, per convenientias quæ admittuntur inter vitam & tragœdiam. In tragœdiâ actores ſequuntur ſemetipſos alij alios, ſinguli ſemetipſos exhibent intuendos in ordine ſuo: idem dicendum eſt de vitâ, & licèt actores mutentur, tamen theatrum manet ſemper idem; cœli, & montes manent, quàmvis homines pereunt. In theatro bene erecto & ordinato duas eſt intueri portas, unam ad intrandum, & alteram ad exeundum: ſic in mundo duæ dantur portæ, nimirum janua nativitatis, & janua mortis: actores magnificis induti ſunt veſtimentis, quæ non ſunt ipſorum, ſed tragœdiâ finitâ iiſdem indumentis ſpoliantur: ſic in tragœdiâ vitæ iſtius, alij habent officia & dignitates; ſed ſicut has dignitates æquè ac officia iſta non habebant ipſi niſi veluti commodata, ideò nec ea poſt mortem ſuam auferunt: *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus* b. In theatro non loquuntur actores æqualiter, ſed alij plus, alij minus: eodem modo ſe res habet in vitâ: alij duntaxat exeunt, ne dum videantur ampliùs; alij perficiunt perſonam ſuam, & deinde recedunt, *Ego dixi, In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, ajebat Ezechias c. Quaſi diceret, Incipiebam tantùm agere perſonam meam circa medios dies meos, & Dominus theatri præcepit mihi ut ex illo exirem. Videte hoc idem in hoc adoleſcente Evangelij hodierni, qui defert ad ſtuporem ſpectatores, & inducit eos ad reverentiam: *Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum.* Jeſus Chriſtus operaturus iſtud miraculum, nimirum ſuſcitationis adoleſcentis iſtius, appropinquavit *porta civitatis.* Hæc porta nobis ſignificat Mariam, quam ſic ſalutat Eccleſia, *Salve porta.* In quam idem Jeſus Chriſtus venit, ut ingrederetur mundum, ſicut ipſemet ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum* d, & daret nobis vitam, quemadmodum ipſe dicit alibi, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant* e. Sed vitam gloriæ, æquè ac gratiæ, cujus eadem Maria ſuſcepit plenitudinem, cùm concepit *in utero* ſuo Authorem ejuſdem gratiæ, quando *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

a 1. Cor. 4. 9.
b Pſ. 48. 17. & 18.
c Iſai. 38. 10.
d Jo. 16. 28.
e Jo. 10. 10.
f Luc. 1. 28. &c.

Inter plures cogitationes quæ formantur in mente noſtrâ, inter multas rationes quæ exeunt ex ore noſtro, inter tot diſcurſus qui perſonant in auribus noſtris, & inter tot ſpectacula quæ oculis noſtris ſeſe exhibent intuenda, ſeveriſſima occupatio cogitationis noſtræ, moleſtiſſima ratiocinatio mentis noſtræ, terribiliſſimus omnium diſcurſuum qui poſſint audiri, & horribiliſſimum objectum viſus verſatur circa mortem: timor illius ſic eſt formidabilis, ut homo libenter pactum iniret cum Deo de manendo ſemper in miſeriis iſtius vitæ eâ conditione interpoſitâ, ut nunquam moreretur. Quotidianâ ſiquidem comprobare nobis licet experientiâ, quòd cùm in aliquâ domo moritur aut pater, aut mater, aut filius, aut filia, aut vir, aut uxor, unuſquiſque induit ibi ſe veſtimentis nigris, nec ullâ perfundi poteſt conſolatione. Unde fit ut antiqui Philoſophi conſiderantes formidabilem mortis ſtatum, dixerint, *Terribilium omnium terribiliſſimum mors.* Sed, ut verum fatear, nos qui ſumus Chriſtiani, qui credimus & ſperamus alteram vitam, quique pro certo tenemus quòd hæc acquiri non poteſt ſine diſſolutione iſtius individui, tantâ non deberemus affici triſtitiâ, mortis intuitu. Sanè flere deberemus, ſi vita noſtra finiretur cum morte, ſicut ait S. Paulus g, *Si in hâc vitâ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Et poſt eum Eſtius h, *Ordo verborum in Græco eſt: Si in vitâ hâc ſperantes ſumus in Chriſto ſolùm; &c. Senſus tamen poſtulat ordinem noſtræ verſionis: ut ſolùm ſeu tantùm referatur non ad Chriſtum, ſed ad vitam hanc: quò referunt etiam Græci commentarij. Conſtat autem ad actum ſperandi referri non poſſe; quis reverà tantùm eſt hujus vitæ, non permanſurus in alterâ, ubi ſpei res ipſa ſuccedet. Senſus igitur argumentationis Paulinæ eſt: Si ſpes noſtra quam defiximus & habemus in Chriſto, non extenditur ultra terminum hujus vitæ mortalis, id eſt, ſi non ab eo expectamus bona futuri ſæculi, ſed præſentis tantùm: ſumus ergo miſerabiliores cæteris hominibus: vel, quemadmodum etiam ex Græca verti poteſt, Sumus omnium hominum miſerrimi, maximèque miſerabiles, ut ſit Atticiſmus; qualis ſuprà i, Major, id eſt, maxima horum eſt charitas.* Sed cùm ſciamus infallibiliter, quòd ſupereſt nobis etiam altera vita, & quòd hæc vita, eſt vera vita, utquid flere debemus, & mortem timere? Omnis igitur fidelis Chriſtianus ejiciat ex animâ ſuâ omne genus pavoris, & audacter dicat cum eodem S. Paulo, quòd ſit *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* k. Et alibi, *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum* l. Atqui duo ſunt quæ debent ipſum conſolari & animare. Primum, quòd anima noſtra eſt immortalis. Secundum, quòd corpus noſtrum debet aliquando reſurgere. Quantùm ad primum, nimirum quòd anima noſtra ſit immortalis, non eſt aliquid iſtâ veritate clarius: hoc enim fuit Dei beneplacitum componendi hominis è duabus partibus differentibus, è corpore & ex animâ m; & voluit ut anima eò nobilior eſſet & excellentior, quò corpus vilius eſt & abjectius. Re autem verâ non eſt aliquid in univerſo orbe poſt Angelum, quod excedat pulchritudinem animarum noſtrarum, quas *creavit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* n. Propter quam imaginem quam ipſa defert, ipſa eſt immortalis. Duas ſiquidem format Theologia conſiderationes de imagine Dei, primam de Filio Dei, qui eſt ipſamet imago Patris, ut ait S. Paulus, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* o, *cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* p. Secundam de animâ noſtrâ *ad imaginem Dei* q factâ. Re autem verâ magna eſt conſonantia inter majeſtatem Dei & animam noſtram: dicimus enim quòd Deus eſt eſſentialiter unus, *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt* r. Et anima noſtra eſt una ſubſtantialiter. Deus eſt trinus in perſonis, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* ſ. Et anima noſtra trina eſt in potentijs ſuis, in intellectu, in memoriâ, & in voluntate. Deus eſt immortalis, *Regi ſæculorum immortali* t. Anima verò noſtra eſt immortalis. Deus eſt inviſibilis oculis humanis, *Deum nemo vidit unquam* u. Et anima noſtra eſt inviſibilis. Deus liber eſt in volendo & in operando: *Omnia quæcumq; voluit Dominus, fecit in cælo & in terrâ, in mari & in omnibus abyſſis* x. Anima verò noſtra libera eſt quantùm ad conſenſum & quoad diſſenſum, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Ante hominem vita & mors: bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi* y. Deus eſt ubique per eſſentiam, per potentiam, & per præſentiam, & præſertim in cælo Empyreo: *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* z? Anima verò noſtra eſt tota in toto corpore, & tota in quâlibet partium ejus, & præcipuè in corde. Deus æternus eſt, *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus*, dicit S. Athanaſius a. Anima verò noſtra eſt etiam æterna: ſed hæc admittitur differentia inter æternitatem Dei & æternitatem animæ noſtræ, quòd Deus eſt æternus à parte antè & à parte poſt; anima verò noſtra eſt tantùm æterna à parte poſt. Quantùm verò ad ſecundam conſiderationem, quæ nobis ſervire debet loco motivi ad hoc ut non anxiemur propter mortem, ſed potiùs ut illam æquo ſuſcipiamus animo, ipſa eſt ſpes iſta quam habemus videndi nos aliquando glorioſos & triumphantes, quod clarè nobis oſtenditur à Salvatore noſtro in reſurrectione illius adoleſcentis elati ad ſepulturam à quatuor portitoribus, ut docet S. Ambroſius b, *Qui quidem mortuus in loculo materialibus quatuor ad ſepulchrum ferebatur elementis, ſed ſpem reſurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etſi nobis antè non proderat, tamen poſteaquàm Jeſus id tetigit, proficere cœpit ad vitam; ut eſſet indicio ſalutem populo per crucis patibulum refundendam.* Aut, ſi vultis, in reſurrectione Lazari, quem idem Dei Filius ſuſcitavit poſt mortem ipſius jam quatriduanum c, ut oſtenderet nobis, quòd reſurrectio mortuorũ fieri deberet in quarto ſtatu mundi, id eſt, æternitatis. Primus ſtatus, fuit naturæ d. Secundus, legis e. Tertius, gratiæ f. Quartus autem, erit gloriæ, *Venit hora, in quâ omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt: in reſurrectionem vitæ* g. Sed corpus differt ab animâ in multis, & in hoc præſertim, quòd anima, ut dixi, manet ſemper, & eſt incorruptibilis; ſed iſta caro quæ fragilis eſt & caduca, corrumpitur, diſſolvitur, & moritur ad aliquantum tempus. Quod induxit me ad oſtendendam vobis in priori parte diſcurſus iſtius, infallibilitatem mortis; & in poſteriori cauſam terroris qui ab eâdem morte inſeparabilis eſt ultimis illis vitæ noſtræ momentis.

g 1. Cor. 15.19.
h Eſtius in 1. Cor. 15.19.
i 1. Cor. 13.13.
k Philip. 1.23.
l 2. Cor. 5.8.
m Gen. 2.7.
n Gen. 1. 27.
o Coloſſ. 1.15.
p Hebr. 1.3.
q Gen. 9.6.
r Deut. 6.4.
ſ 1. Joan. 5.7.
t 1. Tim. 1.17.
u Jo. 1.18 & 1. Jo. 4.12
x Pſal. 134 6.
y Eccli. 15 14 & 18.
z Jer. 23. 24.
a S. Athan. in ſuo Symbol.
Ex Dan. 13 42.
b S. Ambr. li. 5. in Luc. 7.14.
c Jo. 11. 39 &c.
d Gen. 2. 7.
e Exod. 20 &c.
f Galat. 4.4.
g Joan. 5. 28. & 29.
D. v. ſin.

Quàmvis in mundo non ſit aliquid communius quàm mori, tamen mors videtur res de qua minimè cogitamus, quaſi ipſa non eſſet infallibilis. Sed fortaſſis aliquis imaginari poterit, quòd inutile ſit volitu perſuadere hanc maximi momenti veritatem hominibus mortalibus, quia hoc velut eſt velle probare quòd tenebræ ſint obſcuræ, & quòd Sol ſit clarus & lucidus. Quis autem neſcit, in-

1. Pars.

quiet ille, quòd nos oporteat mori ? Quis iſtud non cædat. & quis hoc non videat ? Et tamen, Auditores, iſtud teneo pro puncto maximi momenti; quaſi perſuadeo vobis quòd infallibiliter moriemini, niſi ſitis inſipientiſſimi hominum, cogitabitis de morte, eamque formidabitis. Nemo tamen de illâ cogitat: unde enim, quæſo, naſcitur hæc devotionis exiguitas, & iſte defectus charitatis erga mortuos, niſi ex vitâ quam ducit unuſquiſque, quaſi verò nemo deberet unquam mori, & quaſi mors non eſſet infallibilis. Cùm lupus circumdat aliquod ovile ad auferendam ovem aliquam, omnes oves hac illacque fugiunt; ſed ſtatim ac lupus abſtulit prædam ſuam, aliæ ex illis eò redeunt ubi priùs herbam comedebant, quaſi verò ibidem lupus ipſas non deberet tangere: veſter agendi modus ſimilis eſt modo procedendi oviū; cùm mors ingreditur domum alicujus, & arripit filium, fratrem, filiam, ſororem, virum, uxorem, patrem, aut matrem, & nuncium diffunditur per plateam, & per civitatem, & per quemlibet alium locum, quòd talis è vivis exceſſit, omnes propinqui & illi qui eum cognoſcunt, ſi inter ſtatuunt intra ſemetipſos, & dicunt quòd ſibi ſit attendendum, ne imparati reperiantur, cùm mors ſit infallibilis: ſed ſtatim ac defunctus, in tumulo poſitus fuit, ſepulchrum clauſum eſt, funera peracta ſunt, fletus propinquorum abſterſi fuerunt, & cymbala ſonare deſtiterunt, confeſtim perit recordatio mortis,
b Pſ. 9. 8 æquè ac mortui, *Periit memoria eorum cum ſonitu* b.

Ubi, ſi placet, obiter obſervabitis, quòd inter res omnes quæ ſunt in mundo, homo ſolus vocatur mortalis. Res inuſitata! Univerſæ creaturæ quæ illuminantur a Sole, quæ ſunt in aëre, in terrâ, & in aquis, herbæ, plantæ, & bruta ſubjacent morti, *Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes:*
i Pſ. 101. 26 & 27. *& omnes ſicut veſtimentum veteraſcent* i. Et tamen inter omnes iſtas res quæ peribunt, homo ſolus habet hanc miſeram qualitatem mortalis. Sed forſan ſermones iſti ſunt diſcurſus vulgi? Nequaquam, Auditores, ſed conceptus Pſalmiſtæ k.
k Pſal. 81. 7. *Vos autem ſicut homines moriemini.* Et iſtud jure merito: æquum enim eſt, ut cùm ipſe ſolus inter res mortales natus fuerit ad non moriendum, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem* l, ſeſe
l Sap. 2. 23 ex Gen. 27. voluntariè ſubjecerit morti, cum vetito *de fructu comêdit* m, quippe cui *Dominus Deus præcepit, dicens: De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris* n: & conſequenter *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* o:
m Gen. 3. 6. n Gen. 2. 17. &c. o Rom. 5. 12.
ipſe ſit etiam ſolus inter res omnes, qui præ ſe ferat nomen mortalis. Sed dicamus meliùs, Res omnes in homine terminantur ad fortaſſe. Conceptuſne eſt in utero matris? Si quæratur, Prodibitne in lucem, vel non? Reſpondebitur, Fortè ſic, forſan non. Eſtne natus? Si petatur, Vivetne, vel non? Reſpondebitur, Fortaſſe ſic, fortaſſis non. Vivetne diu ad ducendam uxorem, & ad ſuſcipiendos ex eâ liberos? Reſpondebitur, Forſan ſic, fortaſſe non. Honorabiturne à ſuis? Reſpondebitur, Fortè quòd ſic, forſan quòd non. Vivetne ſanus & beatus, habens favorem Magnatum & Principum terræ? Reſpondebitur, Fortaſſis quòd ſic, fortè quòd non. Sed morietúrne? Etiam, etiam; infallibiliter morietur: quantùm ad mortem nullum forſan admittitur: nulla quippe datur ſpes non
p Hebr. 9. 27. moriendi, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* p. Mors eſt illi infallibilis, nec ab illius inſultationibus ipſe poteſt eſſe immunis.

Hæc veritas fœliciter fuit explicata Danieli Prophetæ q, juxta quorundam interpretationem, *Ego*
q Dan. 8. 1. &c. *Daniel vidi in viſione meâ, cùm eſſem in Suſan caſtro, quod eſt in Ælam regione: vidi autem in viſione eſſe me ſuper portam Ulaj. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce aries unus ſtabat ante paludem, habens cornua excelſa, & unum excelſius altero atque ſuccreſcens. Poſteà vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem: & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque liberari de manu ejus.* Omiſſis alijs interpretationibus, hæc beſtia non eſt alia niſi mors, quæ ſicut beſtia furioſa ipſo egreſſu è portâ hujus vitæ, veluti nos ſpeculatur, ut nos ſuis cornibus impetat, & è mundo nos auferat. Unuſquiſque ergo attendat ſibi. Sed quis cavere poterit ab iſtâ beſtiâ, cùm habeat unum cornu magnum, & alterum parvum? Sed ideo hoc conſultò ſic factum eſt, ut ſciat unuſquiſque, quòd non eſt progenies ſic excelſa, nec familia ſic depreſſa, quam ipſa non attingat acie unius, vel alterius: magno cornu tangit ipſa Magnates, in terram proſternit mitras, principatus, tiaras, ſceptra, coronas, monarchias, regna, & imperia: parvo verò cornu non dedignatur impetere parvos, vulgum, & fæcem populi. Cùm ab uno die, aut à duobus diebus vidiſtis mori aliquem hominem nobilem, dicite quòd hæc beſtia inſumpſit adversùs eum cornu magnum: cùm verò quotidie advertitis exire è xenodochio pauperes qui efferuntur ad hoc ut terræ mandentur, dicite quòd cornu parvum proſtravit eos. Sed viſio præfata repræſentat nobis *arietem ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem.* Et deinde ſubdit quòd cùm aries iſte percuſſus eſſet ab hirco, hic *hircus caprarum magnus factus eſt nimis: cùmq; creviſſet, egreſſum eſt cornu unum modicum: & factum eſt grande contra Orientem.* Ecce quatuor regiones mundi. Quid ſibi vult iſtud? Sanè quòd mors nullam facit exceptionem ætatum, & quòd ipſa eas indifferenter impetit. Modò ipſa percutit Orientem, cùm ipſa ſuffocat infantes, affligens patres, & deſolans matres per illorum jacturam, evellens eos è brachijs illorum, è cunis, è faſcijs infantilibus ad perimendos illos crudeliter. Modò ipſa inſurgit in Meridiem, cùm aggreditur hanc viridem juventutem, quæ eſt calida & humida, & ſic fortiſſimos ipſa quoslibet perimit. Si autem iſti declinent à falce ipſius, & ipſis liceat ſeneſcere, vergit ipſa versùs Septentrionem, qui frigidus eſt, & occîdit ſenes. Tandem, Cùm ipſa videtur veſtri oblita, pergit ipſa versùs Occidentem, & vadit percuſſum hanc decrepitam ſenectutem: & ſic nemo declinare poteſt ab ictibus ejus. Ipſa ſe gerit in ſuo agendi modo non ſecus ac videris procedi in ludo ſcruporum aut latrunculorum. Cùm ſcrupi aut latrunculi ſunt ordinati ſuper alveolo vel laterculo ſuo, omnes ſunt in locis ſuis cum præeminentiâ ſibi debitâ, Rex in primo loco, Regina prope Regem, deinde ſatellites, poſteà equites, inſuper turres, & tandem pedites: alij ex ipſis incedunt rectà, alij ad latus, iſti parum, illi verò plus; alij currunt, alij ſaltant, alij eunt antè, & alij revertuntur. Ludo finito, omnes iſti ſcrupi ſeu latrunculi reponuntur in ſacculo nullâ habitâ ipſorum ratione, ſic ut non cognoſcantur amplius Rex, nec Regina, nec ſatellites, nec equites, nec turres, nec pedites: iſte mundus eſt veluti ſcrupulorum alveolus ſeu laterculus; homines ſunt quaſi ſcrupi ſeu latrunculi; per iſtius vitæ decurſum, iſte eſt Princeps, ille Doctor, is Miles, alius Judex, alius nobilis, alius ignobilis, ille dives, iſte

pauper,

pauper, hic habitat in palatijs, miniſtratur ipſi à tot famulis, imperat ipſe tot civitatibus, conſiliumq; præbet tot hominibus; ille panem non habet domi ſuæ, alius verò vivit inter vincula: poſt mortem ſine ullo reſpectu ponuntur in ſacculo ſepulturæ, ita ut Rex non dignoſcatur ampliùs à ſubdito ſuo, nec pauper à divite, nec nobilis ab ignobili, ſed omnes æqualiter reſolvuntur in cinerem, *Quid ſuperbit terra & cinis?* ait Eccleſiaſticus r. Et poſt eum de Tuſo t, *Et quidem terra, pulvis, cinis dicitur homo ad idem ſignificandum. Quia pulvis es, & in pulverem reverteris u. LXX. Quia terra es, & in terram ibis. Et, Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis x. LXX. terra & cinis. Hoc autem è terrâ principium Deus voluit primum hominem vel ipſo nomine præferre: dictus eſt enim Adam ab Hebræo Adama, quod terram ſignificat: ut cùmque herbas, flores, plantas è terrâ eduxiſſet, animam terræ nomen indidit, ut eam ſemper ob oculos verſans, ſuperbiæ materiam omnem abjiceret. Sic Moyſen virgâ voluit ſigna illa & portenta in Ægypto excitare y, illâ tanquam virgâ, quâ paſtor gregem nec ſuum paverat z, ut illam intuens dum magna moliebatur, ſuæ vilitatis non obliviſceretur.* Benè Auguſtinus in Sententijs ſent. ult. *Divitijs, inquit, flores, majorum nobilitate te jactas, & exultas de patriâ ac pulchritudine corporis, & honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur: reſpice teipſum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Hoc reſpicientes veteres Romani, triumphantibus quendam aſſidere volebant, ut Tertullianus libro de Coronâ militis, qui ſubinde inclamaret, Reſpice poſt te, hominem memento te. Hoc idem Pauſaniæ ſuperbienti conſilium dedit Simonides, ne ſe hominem eſſe obliviſceretur. Philippus etiam cùm Athenienſes in Cheronæâ fudiſſet, metuens ne rebus præclarè geſtis nimium eſſeretur, humanæq; conditionis obliviſceretur, puerum delegit, qui ſingulis diebus antequam ſui copiam alicui faceret, humanitatis memoriam renovaret, ter inclamans, O Philippe, homo es.*

r Eccli. 10. 9.
t De Tuſo in Eccli. 10. 9.
u Gen. 3. 19.
x Gen. 18. 27.
y ex Exod. c. 7. & ſeqq.
z ex Exod. 3. 1.

Inde videmus crudelitatem mortis, & quòd nemini parcit. Propterea vocabatur ab antiquis Atropos: eſt autem, ſicut ait Calepinus a, *Atropos ita dicta, quaſi immutabilis, quòd ad nullius preces convertatur.* Ipſa ſe immitem exhibet omnibus, terribilem Regibus, ſeveram vaſſallis, formidabilem pauperibus, inexorabilem divitibus, generoſam adversùs magnos, infallibilem parvis, contrariam ſenibus, & generalem univerſis. Iſtud enunciavit S. Paulus b digniſſimè cùm dixit, *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Et poſt illum Eſtius c, dicens, *Syra verſio ſic habet, Conſtitutum eſt filijs hominum ut ſemel moriantur. Significatur autem lex ordinaria. Nam extraordinarium eſt, quòd quidam bis mortui fuerunt, utpote reſuſcitati ad vitam mortalem: ſunt & illud, quòd juxta quorundam opinionem ab Eccleſiâ non improbatam, qui in adventu Domini reperientur vivi, ſine morte mortalitatem exuent. Porrò ſive legas, Statutum eſt hominibus, ſive repoſitum, ſive, quod alij malunt, Manet homines ut ſemel moriantur: intelligendum eſt, hanc legem ac neceſſitatem emanare ex juſto Dei decreto, quo hominem tranſgreſſorem* d *cùm totâ poſteritate morti ſubjecit.* Et Theophylactus e, *Erat hominibus ſic præſtitutum ut ſemel morte naturæ concederent.* Alij legunt, *Deſtinatum eſt hominibus ſemel mori.* Rigor iſtius legis explicatur ritè per iſtud verbum, *Deſtinatum eſt.* Quia deſtinare idem eſt ac eligere & aſſignare rem aliquam ad aliquem finem infallibilem: atqui ſecundum hanc explicationem cùm dicit Apoſtolus, *Deſtinatum eſt hominibus ſemel mori*, idem eſt ac ſi diceret, quòd mors hominis non eſt caſualis, ſed quòd infallibiliter debet advenire. Alij dicunt quòd iſtud verbum deſtinare, idem ſignificet ac ligare, quaſi diceret S. Paulus, *Ligatum eſt hominibus ſemel mori.* Homo ligatus eſt infallibili legi mortis: non eſt Hercules ita generoſus, nec Alexander ita magnanimus, nec Samſon ſic invincibilis f, qui vincula & catenas illius poſſit infringere. Alij vertunt, *Inſtitutum eſt hominibus ſemel mori.* Quaſi diceret Apoſtolus, Statuto infallibili ſic cogitur homo ut declinare non poſſit à funeſtis rigoribus mortis. Dicimus ordinariè ad enunciandum id quod obſervatur in Religionibus; Inſtituta S. Auguſtini, S. Dominici, S. Franciſci ſunt Regulæ differentes: atqui cùm S. Paulus ait, *Inſtitutum eſt hominibus ſemel mori*, idem eſt ac ſi diceret, Decreto irrefragabili ſtatutum eſt ut homo ſit obnoxius legibus mortis, iſtud decretum eſt irrevocabile. Mundus iſte caducus habet decreta ſic abſoluta, ut, ſi Reges in eo volunt immorari, oporteat ut tributum ſolvant iſti crudeli morti, cùm legi ipſius ſtatuit, ut omnes ipſi præſtent obſequium. Quin imò & ipſe Jeſus Chriſtus, licèt *Primogenitus omnis creaturæ ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens* g, à lege ejus non fuit immunis, *Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis* h. Poteſtas mortis ſic eſt abſoluta, acies falcis ipſius ita eſt inevitabilis, & tyrannis ipſius ſic eſt temeraria ut clauſis oculis quemlibet impetat.

a Calep. in Diction. V. Atropos.
b Hebr. 9. 27.
c Eſtius in Hebr. 9. 27.
d ex Gen. 3. 6. & Rom. 5. 12.
e Theophylact. in Hebr. 9. 27.
f Judic. 15. 9. &c.
g Coloſſ. 1. 15. & 18.
h 1. Petr. 3. 18.
i Dan. 2. 31. &c.

Propheta Daniel i interpretans Regi Nabuchodonoſor viſionem, quam iſte Monarcha Aſſyriorum habuerat in ſomniis, ait illi, *Tu Rex videbas, & ecce quaſi ſtatua una grandis: ſtatua illa magna & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nullusq; locus inventus eſt in eis.* Per hanc ſtatuam compoſitam è diverſis metallis, repræſentantur nobis diverſi ſtatus hominum qui ſunt in mundo. Aurum ſignificat Reges, argentum Magnates, æs potentes, ferrum generoſos, & lutum pauperes & afflictos. Sed obſervate cum Daniele, quòd *contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam.* Id eſt, Reges, Magnates, Potentes, generoſi, & inopes docent nos hoc exemplo, quòd mors metitur univerſa ad ulnam ſuam, & quòd cùm imperium ipſius ſit abſolutum, ipſa nemini parcit. Antequàm David appropinquaret ad mortem, inſigniebatur titulo honorabili Regis, *Dixitq; Nathan ad Regem. Ingreſſus eſt autem Rex David* k. Sed accedens ad terminum quo redderet tributa huic immiti, non vocatur ampliùs Rex, *Appropinquaverunt dies David ut moreretur: Dormivit igitur cum patribus ſuis* l. Tempore mortis Davidis nulla ſit mentio ſceptri aut diadematis ipſius Regij: ut diſceremus quòd poteſtas mortis ſic eſt abſoluta ut nullus Rex reſiſtere poſſit ipſius furori, ita ut ipſa nemini parcat, cujuſlibet ſit ille conditionis.

k 2. Reg. 7. &c.
l 3. Reg. 2. 1. & 10.

Quod ſi curioſitate ducimini ſciendi quotuplex ſit ſpecies mortis, eam quadruplicem obſervo in Scripturâ ſacrâ. Prima, eſt voluntatis. Secunda, eſt animæ. Tertia, eſt corporis & animæ. Quarta verò, eſt corporis ſolius. Quantùm ad primam mortem, quæ eſt voluntatis, invenio quod boni Chriſtiani mortui ſunt hâc ſpecie mortis, cùm liberâ ſuâ voluntate moriantur peccato, mundo, &

carni,

m Coloſſ. 3.3. n Eſtius in Coloſſ. 3.3.

carni, quibus ſcilicet ait Apoſtolus m, *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Et Eſtius n poſt illum, *Mortui eſtis. Referendum hoc ad partem proximam, Non quæ ſuper terram. Quaſi diceret, Meritò vos adhortor non ſapere terrena: quia illis jam mortui eſtis per Baptiſmum, ſicut Chriſtus in cruce mortuus eſt vitæ huic terrenæ ac mortali. Et vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Sensus. Non ſolùm mortui eſtis cum Chriſto, ſed & vivitis cum eo, nimirum vitâ ſpirituali ac cœleſti, ad quam à morte reſurrexiſtis: licèt hæc vita veſtra adhuc abſcondita ſit ab oculis & ſenſu hujus mundi: ſicut & vita Chriſti quâ vivit & regnat in cœlis: utraque, inquam, abſcondita in Deo, id eſt, apud Deum.* Secunda mors, eſt animæ, & hâc moriuntur peccatores, qui vivunt peccato, de quibus dicebat Salvator noſter cuidam in Evangelio o, *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.*

o Matth. 8.22.

Tertia mors, eſt corporis & animæ, & hâc morte moriuntur damnati, ſicut ille dives epulo, de quo dicitur, *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno* p. Quarta verò mors, eſt corporis ſolius, non autem animæ: & hæc eſt illorum qui moriuntur in gratiâ Dei, de quibus S. Joannes q ait, *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Et iſta mors corporis eſt infallibilis, nec ullus eſt qui ſit immunis à rigore legum illius.

p Luc. 16 22. q Apoc. 14. 13.

Sed non me latet etiam, Auditores, quòd ex vobis unusquisque deſiderat ſcire cauſam propter quam ſumpſit mors poteſtatem ſuper hominem. Circa quæſitum iſtud tres dantur opiniones, prima Philoſophorum, ſecunda Medicorum, tertia Theologorum. Philoſophi dicunt, quòd corpus noſtrum conſtat ex elementis, quæ invenientia ſe ſimul, prout armata qualitatibus contrarijs, bellum continuum fovent inter ſe: atqui ubi eſt bellum, oportet neceſſariò ut victoria cadat ſuper unam è partibus ad invicem diſſidentibus; & cùm una ex iſtis prævalet adversùs alteram, neceſſitas exigit ut hæc harmonia quæ cuſtodit nos in vitâ, diſſolvatur. Iſtud bellum inteſtinum, manifeſtatur in omnibus iſtis alterationibus & mutationibus, quas quotidie experimur in corporibus noſtris: atqui non ignoratis quòd eadem res eſt ea quæ cauſat iſtas alterationes, & generat morbos, & infert mortem: ſola datur differentia ſecundùm plus & minus quo humores prædominantur. Cùm humor malignus non prædominatur niſi parùm, ipſe deordinat, ut ita dicam, chordas iſtius citharæ, diſſolvens duntaxat conſonantiam & harmoniam ſanitatis, quæ conſiſtit in juſtâ & æquali proportione humorum: ſed ſi nimis imperat, ipſe prorſus corrumpit eam, & infringit texturam iſtius vitæ. Ecce prima cauſa, quæ affertur ad oſtendendam infallibilitatem mortis. Sed ecce altera: Materia prima, è quâ compoſitæ ſunt res omnes naturales, eſt inſatiabilis, inquiunt iidem Philoſophi: hæc ſimilis eſt meretrici, ſeu mulieri proſtitutæ, quæ jugiter novis agitatur deſiderijs, quæque ſine ullâ interruptione ſuſpirat ad fruitionem novi amaſij: ipſa enim procurat ſemper ut inducere poſſit novas formas; unde fit ut ipſa nihil aliud intendat niſi corruptionem illorum individuorum & omnium ſubjectorum, quibus ipſa actu adeſt: ut autem perveniat ad hunc finem, quem ingenter appetit, iſta crudelis ſoror & ſocia mortis, ita delectatur mutationibus iſtis, ut ſanius ducat effici lutum, quàm ſe perpetuare in ſubjecto hominis, licèt nobiliſſimi omnium creaturarum, ſic ut radens uſque ad radicem vitæ noſtræ, mortem ſic nobis inferat.

Secunda opinio, eſt Medicorum, qui dicunt quòd cauſa propter quam mors ſuccedebat homini, erat, quòd cùm humor noſter radicalis, qui fovet & cuſtodit vitam noſtram, attigerit limites incrementi ſui, incipit paulatim minui, & eodem inſtanti ſpiritus vitales incipiunt etiam deficere: ſic ſanguis qui eſt theſaurus naturæ, & ſedes vitæ, *Quia anima carnis in ſanguine eſt* r, paulatim fit ſpiſſus, & ita terreſtris evadit, ut non ſit ampliùs capax vitæ. Imaginamini lucernam accenſam, cui alimentum incipit paulatim deficere, quomodo confeſtim hæc lucerna incipit extingui; & facilè concipietis id quod dico. Et licèt quotidie interventu ciborum quibus utimur ad fovendam vitam noſtram, conemur impedire iſtud diſpendium, & reparare jacturam quam incurrimus; tamen iſtud remedium non eſt ſufficiens: quàmvis enim fortiſſimum & delicatiſſimum ſit alimentum noſtrũ, ipſum tamen non reparat omne damnum ad æqualitatem jacturæ quæ inde ſequitur, quia humor hic externus qui ſubſtituitur loco alterius, non attingit ad perfectionem humoris naturalis & radicalis, qui conſumptus eſt: hic autem humor exiguus qui remanet, ſic adulteratur ut evadat totus velut terra, aut ſicut fæx ſine vigore vel fortitudine, propter quod ſtatim morimur.

r Levit. 17. 11.

Tertia opinio, eſt Theologorum, qui dixerunt præ majori veritate, quòd ratio propter quam mors ſuccedebat homini, erat ob pœnam decretam à Juſtitiâ Divinâ peccato Protoplaſti noſtri, ſecundùm id quod ait S. Paulus ſ, *Stipendia peccati mors.* Quia ſi Adam non peccaviſſet, homo non eſſet expertus aculeum mortis, *Dominus Deus præcepit ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris* t. Quia fructus vitæ, quem Deus ei providerat, erat cibus ſic excellens, ut fovere potuiſſet & roborare humorem radicalem ad æqualitatem caloris naturalis, eumque ſic conſervaſſet ut mortuus non eſſet. Et ideò Scriptura concludit, quòd mors habuit principium ſuum à tribus rebus, nimirum à diabolo per perſuaſionem, *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum* u. A fœminâ per occaſionem, *A muliere initium factum eſt peccati* x. Et à viro per originem, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, ait Apoſtolus y. *Scilicet intravit in mundum*, ſubdit Eſtius z. Et ſtatim ſic proſequitur, *Mortem corporis intelligit: non quidem primi hominis, ut nonnulli volunt, ſed mortem corporis in genere, cujus cauſa fuit in primo homine. Dicitur enim mors in mundum intraſſe per peccatum, quia peccato in mundum introducto ſimul & mors introducta eſt in mundum, id eſt, in genus humanum, infligente eam juſto Judice Deo, qui dixerat, In quocumq; die comederis ex eo, morte morieris.* Sed videamus quænam ſit cauſa terroris mortis.

ſ Rom. 6.23. t Gen. 2. 15. &c. u Sap. 2. 23. ex Gen. 3. 1. &c. x Eccli. 25. 33. y Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6. z Eſtius in Rom. 5. 12.

II. Pars.

Non affero diſſolutionem compoſiti è corpore & ex animâ, quæ non poteſt eſſe niſi ſenſibilis utrique propter utriuſque conjunctionem, quæ non poteſt eſſe niſi maxima. Propter hanc contriſtatur Jeſus Chriſtus immodicè in horto, dicens, *Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem* a. Omitto voluptates, magnitudines, & bona quæ neceſſariò ſunt deſerenda, poſtquàm ſic ingenter dilecta ſunt, *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis* b! Siſto in ſolo horrore offenſæ & peccati, cùm diabolus præ noſtris oculis peccatum ponat iſto ultimo mortis momento, & oſtendat illud nobis ſic deforme in hoc occurſu, ut deſperando moreremur, niſi ſpeciali gratiâ adjuvaremur. Quòd ſi diabolus (ut opinantur aliqui) interfuit monti Calvariæ, in quo crucifixus

a Matth. 26. 38. & Marc. 14. 34. b Eccli. 41. 1.

eſt

e Jo. 19. 18. &c. eſt Dei Filius e, ut tentaret num poſſet in eo quidquam reperire: quid debebit eſſe de peccatoribus? qualis erit illorum timor & tremor ipsâ mortis horâ propter crimina ſua? Res iſta ſic eſt horribilis, ut ſi de eâ ſeriò cogitaremus, juges lacrymas effunderemus. *Martinus inſtante jam morte, viſo humani generis hoſte. Quid, inquit, adſtas cruenta beſtia? Nihil in me funeſte reperies*, ſicut canit Eccleſia. Hic ſacer Antiſtes, ſanctus erat, ut innuunt verba immediatè pòſt ſequentia, *Eâ in voce, animam Deo reddidit, quam Angelorum chorus excepit, eoſque Divinas canentes laudes multi, in primisq; S. Severinus Colonienſis Epiſcopus, audierunt.* Sed quid erit de peccatoribus? *Hilarion frequens erat in Eccleſiâ, aſſiduus in jejunio, & oratione: omnes voluptatum illecebras, & terrenarum rerum cupiditates contemnebat. Qui octogeſimum annum agens multis ædificatis Monaſterijs, & clarus miraculis, in morbum incidit: cujus vi cùm extremo penè ſpiritu conflictaretur, dicebat: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta prope annis ſerviſti Christo, & mortem times? Quibus in verbis ſpiritum exhalavit*, concinit eadem Eccleſia. Si formidabat iſte ſanctus Abbas mortem, quid non timere debebunt extremâ illâ horâ peccatores? Tunc omnia peccata noſtra nobis repræſentabuntur, & diabolus nobis aperiet oculos ad videndum meliùs eorum horrorem. *O mors quàm amâra eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis* d! Sunt igitur tunc omnia nobis dolentia. Sed cùm ita ſe res ſit habitura, ut- d Eccli. 41. 1.
quid non cogitamus de ſerijs noſtræ ſalutis operandæ negotijs? *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi*, dicebat Job e, Deum alloquens. Fœlix ille qui poterit imitari modum procedendi iſtius eximij viri. Quare ſingulis horis non diſponimus nos, Auditores? Cur non cogitamus nos jam mortuos, quos ſcimus neceſſitate infallibili morituros? Hæc recordatio nobis ſerviet loco fræni, & iſtud frænum nobis erit vice diſpoſitionis ad benè moriendum, cùm impedire nos debeat quin offendamus Deum. In omnibus operibus noſtris dicere debemus nobis ſingulis, Si hoc inſtanti tibi moriendum eſſet, ageresne hoc, aut illud? Si aliquis ex vobis (quod abſit) inſideret ſcalæ patibulari, jam jam inde excutiendus, & tunc ſuſpendendus, velletne offendere Judicem ſuum? Auſcultate, ſi placet, vocem lamentabilem cujuſdam reprobi ipsâ mortis horâ ſic edifferentis, *En morior, quid mihi proderunt primogenita* f? Moriendum mihi eſt: ad quid ergo ſervient mihi voluptates, honores, & divitiæ? Univerſa iſta ſerviêrunt ad machinandam ruinam meam. *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra. In malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt* g.

e Job 14. 14. & 15.

f Gen. 25. 32.

g Sap. 5. 7. &c.

Sed id quod majorem terrorem incutit, eſt, quòd ex hoc ultimo puncto pendet æternitas, aut fœlicitatis, vel infortunij, *Momentum unde pendet æternitas.* Si in gratiâ quis moriatur, ſalvus erit; ſi in peccato obeat, damnatus erit: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* h. Neceſſariò perveniendum eſt ad unum ex iſtis, aut ad paradiſum, vel ad infernum: omnis motus tendit ad terminum ſuum: vita noſtra eſt motus aut ad gehennam, vel ad gloriam: videntes nos igitur in ſtatu damnationis, ſub tyrannide Satanæ, cùm ſemper abuſi fuerimus gratijs Dei, quantas ſuſtinemus anxietates interiores? Cœlum non eſt niſi pro filijs Dei, pro Juſtis; anima in peccato, eſt inimica ejuſdem Dei; ipſa videt infernum apertum, & diabolos qui ipſam expectant: unicum peccatum mortale nos damnat: unicum duntaxat commiſerunt diaboli i: nos intuemur Deum, cujus contempſimus decreta; B. Virginem, cujus nunquam ſubſidium poſtulavimus; Sanctos, quos nunquam exoravimus: ad quem igitur recurremus? Heu! omnes nos derelinquunt, oportet ut eamus ſoli, *Opera illorum ſequuntur illos* k. Et, *Ubi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, & opitulentur vobis* l. Divitiæ noſtræ, magnitudines noſtræ, propinqui noſtri, & amici noſtri nos deſerunt, *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum* m. Id eſt, ſepulchrum corpori, & animæ infernus tribuitur, ſi moriamur in ſtatu peccati, quod inducere nos debet ad terrorem mortis. *Momentum unde pendet æternitas.* Iſtud eſt quod tremore nos debet concutere, & efficere ut in meliorem emendationis vitæ nos recipiamus frugem, nedum expectemus hanc ultimam horam. Noſtra ſalus nobis debet eſſe chara: mors eſt certa & infallibilis, hora ejus eſt incerta, & ultimum momentum ſequetur terror immodicus.

h Eccl. 11. 3.

i Iſai 14. 13. &c.

k Apoc. 14. 13.

l Deut. 32. 37. & 38.

m Job 17. 1.

Deus mi, dico tibi cum Davide n vero prototypo peccatorum converſorum, *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Domine, cùm vires mihi deerunt, cum intellectus meus erit turbatus noli me derelinquere; fac ut meminerim ultimorum iſtorum finium, aut mortis æternæ, aut vitæ ſempiternæ; vel inferni, vel paradiſi: defende me in hâc anguſtiâ, conſerva hæreditatem tuam, ipſe me *redemiſti* o, projicio me inter brachia tua, *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum* p. Cogitemus hæc ſeriò, Auditores; ſatagamus ut exhibeamus nos *mortuos quidem peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro* q per gratiam, & aliquando per gloriam.

n Pſal. 70. 9.

o Apoc. 5. 9.

p Pſ. 30. 2. & 70. 1.

q Rom. 6. 11.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, Luc. 14. 12.

Sicut res eſt valdè rudis homini qui patitur, ignoratum motivum propter quod impetitur ipſe dolore, moleſtia, vel adverſitate aliquâ importunâ; ſic magnam habet anſam capeſſendæ conſolationis, ſi paſſionis ſuæ pervadere poſſit intimas cauſas, & perſcrutari rationes, cum ſit in plenâ libertate conſequenter afferendi remedij opportuni ſublevandæ, vel extinguendæ penitus hujuſmodi tolerantiæ: Deus conatus eſt bis ultimis Dominicis præcedentibus attrahere hominem peccatorem ad ſervitium ſuum, illumque redigere ad juſtum obſequium medijs omnibus conſiderationibus honoris, commodi, & multis alijs motivis magni momenti, tamen ſine ſucceſſu: ſed hodie facit ul-

timum conatum, qui forſan inducet hunc hominem, qui nobis tepræſentatur in Evangelio noſtro in perſonâ iſtius hydropici ſub qualitate peccatoris etiam, ad juſtam pœnitudinem culpatum ſuarum. Oſtendit ei clarè quòd ſi infortunijs impetitur à foris, & ſi intùs angitur remorſibus conſcientiæ ſuæ, ideòque ipſe eſt origo infortunata infœlicitatum ſuarum, & conſequenter quòd accuſaret injuſtè Divinam ipſius bonitatem ſævitiæ,
[a Jer. 31. 3.] cùm hæc bonitas *in charitate perpetuâ* a dilexerit
[b Job 24. 13.] ipſum; & quòd licèt ipſe fuerit ingratus beneficijs ipſius Divinis, & rebellis *lumini* b gratiarum quibus ipſum ſalvare volebat; mutavit tamen hæc bonitas ipſius jacula, quæ malitia ipſiuſmet peccatoris vibraverat in cœlum, in motiva benedictionis, cùm amor ipſius præbuit initium myſterio Incarnationis, & quòd Deus non eſt factus homo
[c Matth. 1. 18 & 23. & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.] *in utero* c Virginis, niſi ad præparandam et originem earundem gratiarum, ſicut te verâ *Gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* d. Hâc gratiâ Maria jam repleta erat, cum *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* e *Maria*
[d Jo. 1. 17.] [e Luc. 1. 28.]

Non eſt aliquid generalius & univerſalius in mundo, quàm ſint infortunia: omnes homines ſunt hodie præda infœlicitatum quæ ipſos jugiter impetunt: tamen licèt omnes homines patiantur, duo genera reperio conditionum, quæ tantum abiliter vocari poſſunt miſeræ; ignoro autem, vel ſaltem judicare vix poſſum utra ex ipſis ſit alterâ miſerior. Aliqui ſunt homines, quos nativitas expoſuit pœnæ, labori, & mendicitati: hos paupertas ſuſcepit inter brachia ſua, eos aluit ſuper exigua paleâ cum neceſſitatibus immodicis, nedum permitteret ipſis ut veram deguſtarent voluptatem. Præterea, Sunt alij, qui poſtquàm fuerunt amici fortunæ, tandem præcipites aguntur ex altiſſimo faſtigio fœlicitatis in infimum miſeriæ gradum, & ex ingenti abundantiâ ingrediuntur immodicam paupertatem. Res eſt profectò miſeratione digna viſu Principem ſpoliatum ſtatibus ſuis politicis, & aliquem virum nobilem adverſos Fortunæ rigentis ictus experientem, ut S. Euſtachium cum uxore ſuâ & liberis ſuis in Chriſtianiſmo inductos ad miniſtrandum, licèt ipſi non eſſent nati niſi ad imperandum; conſideratu virum illuſtrem obſtringi ad ſubeundas leges, cùm tamen ipſius progenies daret ipſi poteſtatem imponendi eas alijs.

Quæritur utrum ſit majus infortunium pati per totam vitam in miſeriâ, quæ fuerit portio nativitatis, aut evadere miſerum, poſt deguſtatam fœlicitatem, experiendo favorabiles Fortunæ ridentis, & blandientis intuitus. Aliqui favent primæ conditioni, & proteſtantur quòd ex omnibus moleſtijs quæ poſſunt nos impetere in decurſu vitæ, nulla eſt magis timenda quàm ſit ea quæ nos reddit miſeros poſtquàm deguſtavimus voluptates & delicias fœlicitatis. Pauper quem natura & depreſſio progeniei ſuæ naſci talem fecit in mundo, nullam habet notitiam conditionis fœlicioris eâ quam ipſe poſſidet: & ſicut non habet illius cognitionem, ita nullum deſiderium format aſpirandi ad illam; cruſtam panis rodit juxta fontem, & ſe vertit ſuper paleam cum tantâ voluptate, ut putet non eſſe eâ majorem: ſic videmus quòd præfert habitationem viliſſimi vici præclariſſimis civitatum ſocietatibus. E contrà homo, quam ira cœli, vel infœlicitas ſpoliavit commodis & prærogativis ſuis, duplex malum perpetitur: experitur neceſſitates ſuæ conditionis præſentis, & deplorat jacturas quas fecit omnium bonorum ſuorum, quarum jugem conſervat cogitationem, quæ nunquam deletur ex ipſius mente: nihil in mundo mitigare poteſt ipſius malum quandiu ipſe ſe videt lapſum è priſtina fortunâ ſuâ: ſi comedit, ipſe videtur reperire venenum in optimis quibuslibet cibis, & cubilia vel molliſſima nullam tribuunt ipſi requiem: eſt ergo concludendum cum alijs, quòd miſerior eſt conditio, pati poſt habitum experimentum fœlicitatis, & quòd paupertas durior eſt homini qui fuit dives, quàm illis qui nunquam deguſtaverunt ullam voluptatem, quia natura fecit illos naſci in vitâ indigenti.

Tamen ſi mihi liceret exponere conceptum meum, & in medium promere ſententiam meam ſuper iſtam materiam, exiſtimarem conditionem hominis pauperis per leges naturæ, & per depreſſionem nativitatis ſuæ, miſeriorem ſorte illius, quem infœlicitas Fortunæ adverſæ, vel crimen ſuum redegit ad mendicitatem: ille enim jugiter angitur neceſſitate, nedum ſperare poſſit ſe futurum unquam fœlicem, vel poſſeſſurum ſublimem fortunam; ſic ut pœna mali præſentis, & afflictio mentis quâ exagitatur videndo quòd ab eâ nunquam ſit ſublevandus, reddat ipſius conditionem vehementer infœlicem; cùm ille qui fuit fœlix, præterquamquòd pœna ipſius non fuit ita longa, quia non ita citò cœpit, conſolari ſe poteſt cogitatione boni, cujus habuit aliàs poſſeſſionem & fruitionem, quod non eſt mediocris conſolatio. Præterea, Sicut ipſe natus eſt ex illuſtri proſapiâ, cor ipſius inſpirat ipſi ſemper glorioſas cogitationes erga libertatem, & ipſe ſemper conatus exerit ad hoc ut liberetur à malo & ab infortunio quod ipſum affligit. Sic legimus in Evangelio f quòd [f Lucæ 15. &c.]
filius prodigus videns ſe redactum ad hanc probroſam & infamem neceſſitatem, ut ſuſtentaret miſeram vitam ſuam eodem alimento quo veſcuntur porci, quodque ipſe vix habere poterat ad explendam famem ſuam, ingreſſus eſt ſemetipſum, & memor abundantiæ domus patris ſui, in quâ minimus vel famulus honorabiliter excipiebatur, quandiu ipſe convivebat porcis, quos cuſtodiebat & paſcebat in ſtatu præſenti in quem ſe videbat redactum à Fortunâ adverſâ, conatum fecit, & generoſum formavit conſilium deſerendæ miſeræ conditionis ſuæ, *Et congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè. Et poſtquàm omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illâ, & ipſe cœpit egere. Et abijt, & adhæſit uni civium regionis illius: & miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In ſe autem reverſus dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum.* Heu! inquit ipſe, æquo diutiùs paſſus ſum, habeo patrem, ſed patrem qui dives eſt: reverti volo domum illius, ut potiar ibi iiſdem commodis & prærogativis, quibus ibidem fruebar antequàm infortunium iſtud incurrerem. Hæc eſt cogitatio, quam Deus inſpirat animæ peccatrici, cùm anxiata infortunijs, quæ intùs ipſa patitur, & remorſu interno ſuæ conſcientiæ, cognoſcit ſe privaſſe ſemetipſam voluntariè ſuavitatibus & conſolationibus, quas ipſa ſuſcipiebat in ſancto obſequio Dei, qui ipſam præveniebat *in benedictionibus dulcedinis* g: quòd [g Pſal. 20. 4.]
tieſno ipſam ejecit domu ſui boni Patris cœleſtis,

quòd

quòd propria malitia ſua induxit ipſam ad egrediendum ex eâ, cùm ipſa diviſa eſt ab eodem Patre ſuo cœleſti, amittendo gratiam ejus per peccatum, ſicut ait Iſaias b, peccatores omnes alloquens, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*: dicit, *Surgam, id eſt, à peccato deſiſtam, & à terrenis ad cœleſtia me levabo, ſicut hortatur Apoſtolus* i, *Surge qui dormis*. Et Iſaias k, *Excutere de pulvere. Et ibo per meam converſionem, veramq́ contritionem, ad Patrem meum cœleſtem ubique præſentem, prout monet Pſalmiſta* l, *Accedite ad eum, & illuminamini*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m. Volo igitur ire me proſtratum humiliter ad pedes ejus, bonitas illius parcet mihi id quod commiſi criminum contra ipſum malitiâ meâ & malo uſu libertatis meæ. En ſubjectum diſcurſus iſtius qui vobis oſtendet in progreſſu ſuo, quòd homo eſt origo omnium malorum quæ ipſe patitur, quòd per peccatum ſuum dat occaſionem ſupplicijs univerſis, quibus ipſum Deus affligit.

b Iſai. 59. 2.
i Epheſ. 5. 14.
k Iſai. 52. 2.
l Pſal. 33. 6.
m Dion. Carthuſ. art. 18. in Luc. 15. 18.
Propoſitio

Inducere Deum ad puniendos & affligendos homines, ad vibranda ſuper capita ipſorum fulmina ſua, hoc eſt velut ipſum facere mutare naturam ſuam, quæ eſt tota ſuavitas, *Cujus natura bonitas*, ait S. Bernardus n. Bonitas enim illius ſibi non complacet in infortunijs noſtris, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* o. Sed proteſtatur in Scripturâ p, ſe non poſſe cogitare niſi cogitationes pacis, non autem, afflictionis; *Ego enim ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis.* Et hoc eſt illum quaſi cogere, ac ipſum inducere ad puniendum, *Uſque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus, exinde Judex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt, ſævus*, ait Tertullianus q. Et expreſſiùs S. Bernardus r, *Et benè dicitur Pater miſericordiarum* ſ, *cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere* t. *Sed fortè quis dicet: Quomodo illi proprium eſt miſereri, cujus judicia abyſſus multa* u? *Neq; enim dicitur: Omnes viæ ejus ſola miſericordia, ſed miſericordia & veritas* x. *Non minùs juſtus quàm miſericors eſt, cui miſericordia & judicium decantatur* y. *Verum id quidem: Cui vult miſeretur, & quem vult indurat* z. *Sed quod miſeretur, proprium illi eſt: ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quod judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longè aliter de corde ipſius miſeratio, quàm animadverſio procedere videatur. Ipſum audi dicentem: Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non magis ut convertatur & vivat* a? *Rectè igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum: non modo quòd Pater videatur miſereri potiùs quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum miſereatur timentium ſe* b: *ſed eò magis quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro.*

n S. Bern. ſerm. 3. in Circumciſ. Dom.
o Sap. 1. 13.
p Jer. 29. 11.
q Tert. l. 2. cõtr. Marcio. c. 15.
r S. Bern. ſerm. 1. in Natal. Dom.
ſ ex 2. Cor. 1. 3.
t Eccleſia
u ex Pſ. 35. 7.
x ex Pſ. 24. 10.
y ex Pſ. 100. 1.
z ex Rõ. 9. 18.
a ex Ezech. 18. 23.
b ex Pſ. 102. 13.

Triplex eſt genus mutationis. Prima mutatio eſt à non eſſe ad eſſe, vel ab eſſe ad privationem. Secunda eſt tranſitus ab uno loco in alium. Tertia eſt tranſitus à ſtatu minùs perfecto ad ſtatum nobiliorem, & à ſtatu nobiliori ad ſtatum minùs perfectum. Plantæ ſunt obnoxiæ primæ mutationi, cùm tranſeunt à non eſſe ad eſſe, vel ab eſſe ad mortem. Quàmvis cœli ſint perfecti, & omni parte abſoluti, ac deberent eſſe quieti, tamen motus continuus qui tranſire facit partes ipſorum ex uno loco in alium, eſt nota inconſtantiæ ipſorum. Et licèt natura Angelorum videretur nihil aliud deſiderare ad conſummandam perfectionem ſuam, niſi requiem, ipſi tamen fuerunt ſubjectum viciſſitudinis, cùm medio actu virtutis tranſiverunt è ſtatu naturæ & gratiæ ad ſtatum fœlicitatis ſupernaturalis; qui ſtatus non eſt aliud niſi fruitio æquè ac poſſeſſio ſummæ majeſtatis Dei univerſa bona complectentis, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum*, dicit Boëtius c. Hæc mutatio fuit honorabilis ipſis, ſed nimis funeſta fuit ſociis eorum, qui noluerunt imitari exemplum illorum, qui receſſerunt ab ultimo fine ſuo, qui eſt Deus, ut ſe referrent ad ſemetipſos. Et tranſiverunt à ſtatu eminenti nobilitatis ad conditionem infœlicem; ex Angelis effecti ſunt dæmones, & ex amicis Dei inimici ejus æterni, *Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* d. Atqui ſicut homo eſt creatura media inter Angelos & alias naturas ſublunares, participat etiam mutationes & viciſſitudines horum duorum extremorum: ſuſcepit enim eſſe cum omnibus creaturis poſt æternitatem nihili, cùm non erat niſi in infinitis ideis Dei, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, ait S. Joannes e. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus f, *Quod factum eſt, id eſt, omne creatum, in ipſo Verbo vita erat, id eſt, in verbo vitaliter atque intellectualiter ab æterno fuit, ac ſplenduit per rationem exemplarem ſive ideam, quam habet in Verbo omnia cognoſcente, intellectualiterque producente: quemadmodum artifex facit domum, & Medicus ſanitatem per ſpeciem ſeu exemplar domus ac ſanitatis, quod habet in mente.* Et eſt etiam obnoxius morti, ſicut & illæ: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur* g. Et, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* h. Ipſe mutat locum cum animalibus, & nunquam idem dies vidit illum in eodem loco, ſic eſt obnoxius mutationibus & viciſſitudinibus, ſed ſemper gyrat, jugiter agitatur, & proteſtatur agitationibus ſuis indeſinentibus, ſe nondum acquiſiviſſe locum quietis ſuæ, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſerijs. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet* i. Tandem, Mutatur inſtar Angelorum & ſpirituum ex una perfectione in aliam, vel ex ſtatu perfectionis in ſtatum malitiæ, è bono in malum, aut è malo in bonum; è gratiâ ad peccatum, aut è peccato ad gratiam. Hæc omnia patent ex Scripturâ, *Ibunt de virtute in virtutem*, dicit Pſalmiſta k de ijs qui mutantur ex unâ perfectione in aliam. De illis qui è ſtatu perfectionis mutantur in ſtatum malitiæ, in perſonâ Judæ, ſuos Apoſtolos alloquens *Jeſus*, ait, *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt? Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet unus ex duodecim* l. Et de illis qui de peccato mutantur ad gratiam S. Lucas m ſic edifferit, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi; Saule, Saule quid me perſequeris? Qui dixit: Quis es*

c Boët. li. 3. de Cõſol. Philoſ. proſ. 2.
d Apoc. 12. 7. &c.
e Jo. 1. 3.
f Dion. Carthuſ. art. 3 in Joan. 1.
g 2. Reg. 14. 14.
h Hebr. 9. 27.
i Job 14. 1. & 2.
k Pſ. 83. 8.
l Joan. 6. 70. & 71.
m Act. 9. 1. &c.

Domine? Et ille, Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine quid me vis facere? Et

n 1. Tim. 1. 13. & 14.

alibi ipſemet n ait, *Priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Deus ſolus immunis eſt à mutatione, *Dicit Dominus exercituum, Ego Dominus, & non mutor* o. Et eſt in poſſeſſione perfectæ quietis. Immortalitas ipſius non reddit ipſum mortis inſultationibus pervium, *Qui ſolus habet immortalitatem* p. Et ipſius æternitas conſtituit ipſum in perfectâ fruitione ſui eſſe, quod nullum metuit finem, ſicut non habet principium, nec progreſſum, *Ego ſum qui ſum* q. *Id eſt, ſum æternus, ſum qui ſum in præſenti, carens præterito, & futuro. Hinc Hebraicè eſt, Ero qui ero. Nam futurum Hebræi uſurpant pro præſenti, ubi conſuetudo, continuatio, aut perduratio, & conſtantia rei ſignificatur. Itaque ero qui ero, Hebræis idem eſt, quod Latinis ſum qui ſum: nam, ut ait Nazianzenus τὸ erat & erit, noſtri temporis fluxæque naturæ ſegmenta ſunt, Deus autem ſemper eſt. Unde ſum qui ſum ſignificat æternitatem Dei, opponiturque volubilitati temporis, quæ per futurum præſens & præteritum extenſa eſt & diſtincta: æternitatis enim proprium eſt, ſemper & immutabiliter eſſe*, ſubdit Cornelius r. Immenſitas ipſius reddit ipſum præſentem omni loco, *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* ſ? Non eſt igitur opus ut ex uno loco tranſeat in alium. Tandem, Natura ipſius eſt perfecta, ipſe non poteſt aliquid deſiderare ad eam perficiendam, quia ipſe ſummè *perfectus eſt* t. Eſt ergo pro comperto, quòd Deus non eſt mutabilis, ſicut mutationi ſunt obnoxiæ reliquæ creaturæ: & propter hanc eandem rationem dico quòd eſt velle cogere Deum, ac illum inducere ad malefaciendum, vel mittendum afflictiones & adverſitates vel infortunia hominibus, quia proprius effectus bonitatis ejus eſt ſemper benefacere: quòd ſi illos caſtigat, ut puniat illorum peccata; videtur ergo mutare naturam, quæ nihil eſt in ipſa niſi ſuavitas & bonitas: *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti*, dicit Salomon u, Deum eundem alloquens. Et paulò pòſt x, *O quàm bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus!* Deus erat incapax mutationis per conditiones naturæ ſuæ, *Ego ſum qui ſum* y. *Id eſt, ſum immutabilis, conſtans, & ſtabilis: nam id quod mutatur, propriè non tam eſt, quàm deſinit eſſe quod fuit, & incipit eſſe quod non fuit*, ſubdit Cornelius z. Deus igitur erat incapax mutationis per conditiones naturæ ſuæ, ſicut audiviſtis: fit tamen mutabilis per leges amoris ſui, & occaſione peccati. Quidnam eſt quod peccatum fecit? Peccatum Deum ex immortali reddidit mortalem, id eſt, obnoxium legibus mortis, & ex eſſe tranſire fecit illum ad non eſſe interitus. Fides enim non repræſentat nobis ſolùm inter obſcura lumina ſua hominem Deum, & hunc crucifixum, *Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum* a: ſed etiam Deum morientem, & exhalantem Spiritum ſuum, quem commendat Patri ſuo, *Et clamans voce magnâ Jeſus, ait, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum* b. *Et hæc dicens expiravit* c. Ex immenſitate ſuâ Deus tranſit ad abbreviationem, ipſe ſe reſtringit, evadit obnoxius loco, includit ſe in hoc exiguo corpore capaci mutationis, & tranſitus ex uno loco in alium. Tandem, Per peccatum

o Malac. 3. 6.
p 1. Tim. 6. 16.
q Exod. 3. 14.
r Cornel. In Exod. 3. 14.
ſ Jer. 23. 24.
t Matth. 5. 48.
u Sap. 11. 25.
x Sap. 12. 1.
y Exod. 3. 14.
z Cornel. in Exod. 3. 14. Citant S. Greg. hom. 2. in Ezech.
a 1. Cor. 2. 2.
b ex Pſ. 30. 6.
c Luc. 23. 46.

hominis mutat conditionem; è Deo efficitur homo more cæterorum hominum, è Domino fit ſervus, & è Creatore creatura, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d. Et, ut uno verbo concludam, Cùm eſſet *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum* e, efficitur Pater amantiſſimus; nec nobis dat ſanguinem ſuum, niſi ut nos certos reddat de conſtantiâ bonitatis ſuæ, quæ erit ſemper applicita tribuendis nobis bonis, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*, ait S. Paulus f. Ex poſt eum Dionyſius Carthuſianus g. *Chriſtus dilexit nos, id eſt, purè ac ſpiritualiter, quamvis non æqualiter. Et tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem pacificam, & hoſtiam pro peccato in arâ crucis, Deo Patri, vel Trinitati, id eſt, ad gloriam ejus, & ut ei pro nobis ſatisfaceret. In odorem ſuavitatis, id eſt, in ſuavem odorem, videlicet in holocauſtum accepriſſimum atque gratiſſimum Deo. Maximè enim placuit Deo oblatio Chriſti ex parte patientis, non ex parte inferentis. Nam ex parte patientis mors illa erat piiſſima, & ex ſummâ charitate aſſumpta: ſed ex parte inferentis, crudeliſſima erat, ſacrilega, & diſplicentiſſima Deo.*

d Philip. 2. 6. & 7.
e Pſal. 93. 1.
f Epheſ. 5. 2.
g Dion. Carthuſ. art. 5. in Epheſ. 5. 2.

Sed quid, ſi Deus præ ſe tulit voluntatem devinciendorum noſtrûm ſibi interventu mortis ſuæ, & meritorum ſuorum, & ſiſtendi curſus juſtitiæ ſuæ punitivæ, compeſcendo fulmina jam jam vibranda ab ipſius irâ ſuper impia capita noſtra, ut nos faceret deguſtare præ voluptate fructus & ſuavitates bonitatis ipſius: unde igitur oriuntur tot infortunia, quæ invehunt deſolationem in univerſam terram? Unde procedunt tot bella? Unde ſuam trahunt originem peſtes? Quænam eſt cauſa famis, & aliorum flagellorum quæ totam devaſtant Europam, quæ eſt pars mundi quæ adorat verum Deum, quæ cuſtodivit puritatem ſuæ Religionis, quandiu Aſia, Africa, & America rebellaverunt contra majeſtatem ejus ſupremam, ut adorarent idola? Nunquid non diceretur quòd Deus non elegit eam niſi ad plantandum in eâ thronum ſuum, & ut ſeveriùs illam faceret experiri rigorem iræ ſuæ? Ha! lingua mea ſiſte paululum querelas tuas quæ non poſſunt eſſe conformes rationi & veritati: ne irroges injuſtitiam bonitati Dei, murmurando adversùs amantiſſimum ipſius procedendi modum, poſtquàm irritaſti bonitatem iſtam criminibus tuis, & diſſolutionibus vitæ tuæ: quære originem omnium iſtorum infortuniorum, & invenies quòd hæc non oriuntur à Deo, ſed quòd homines illum inducunt ad ipſos ſic excipiendos: videbis quòd ſi Europa eſt Deo devinctiſſima præ omnibus orbis partibus, eſt etiam præ illis univerſis maximè criminibus onerata, & quòd non eſt amplexa Religionem, niſi ut Religionem non haberet, & quòd non profitetur ſanctitatem vitæ, niſi ad hoc ut ſit diſſolutior, quaſi verò lex quæ prohibet & punit crimina, deberet ſervire loco excuſationis probro quod acquiritur ex effrænì libertate vitæ inordinatæ. Non accuſemus igitur bonitatem Dei, ſed proprios exceſſus noſtros.

Error eſt ordinarius mundo, ut accuſet Deum, vel cauſas ſecundas, omnium infortuniorum quæ accidunt. Hic error eſt effectus paſſionis, quæ interturbat mentem, & non permittit ei ut verè judicet de rebus, & quærat principium hujuſmodi eventuum qui maximam ſecum invehunt moleſtiam.

ſtiam. Chriſtiani ſæculi iſtius ferrei quo vivimus in omni genere diſſolutionis, obnoxij ſunt huic errori: nullum accidit ipſis infortunium, nec ipſos adverſitas ulla impetit, quin ſtatim cœlum accuſent velut illius originem, aut vituperium illius injiciant ſuper cauſas ſecundas, vel creaturas, quaſi illius eſſent conſciæ: & ſi Perſæ projiciunt ſagittas & vibrant jacula contra Solem, cùm exurgit & ſævit aliqua tempeſtas importuna, quaſi vellent ulciſci ſe de hoc planetâ, quem accuſant velut authorem omnium infortuniorum ſuorum, ſicut illum agnoſcunt patrem omnium bonorum ſuorum: ſic ſi moriatur infans in aliquâ familiâ, ſtatim accuſantur famuli non allatæ curæ, nutrix negligentiæ, vel malæ educationis, & Medici ignorantiæ: non eſt ibi, parentes, origo veſtri mali, *Propter peccata veniunt adverſa*, ſicut vulgò dicitur. Peccata veſtra mortem intulerunt hujuſmodi infanti, propter offenſas veſtras vobis ereptus eſt filius veſter; impuritates veſtræ, & diſſolutiones vitæ veſtræ induxerunt Deum ut illi mortem inferret, quò vos puniret in perſonâ ejus, & ſic caſtigaret peccata parentum in perſonâ iſtius innocentis. Intenta vobis eſt lis, Auditores, & illam Pars veſtra perducit ad victoriam, quandiu vos illa excidatis; accuſatis Teſtes falſitatis, Judices injuſtitiæ, & Partem veſtram perfidiæ: non eſt ibi cauſa jacturæ quam incucurriſtis: non advertitis quòd furta veſtra, rapinæ veſtræ, & fœnora veſtra induxerunt Deum ad vos puniendos, & quòd non permiſit ut veritas fuerit agnita, ad hoc ut vos caſtigaret, cùm ſingulis vobis jure merito poſſit improperari, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentium* b. Impatientiæ veſtræ non ſunt rectæ rationi conſonæ, querelæ veſtræ ſunt illicitæ, & murmura veſtra ſunt injuſta, ideòque immeritò inſurgitis in Deum, & adversùs decreta adorabilia ſummæ providentiæ illius, *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*, ait Pſalmiſta i, Deum alloquens. Cujus duplicem tradit Dionyſius Carthuſianus k rationem, dicens, *Primò, Quoniam peccatis peccata adjiciuntur, juxta illud, Peccator adjiciet ad peccandum* l. *Et in Apocalypſi* m, *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. Secundò, Quoniam elatio ſuperborum tendit ad alta. Propter quod Iſaias* n *dicit, Cùm fureres adverſùm me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas, dicit Dominus.*

b Jer. 2. 34.
i Pſ. 73. 24.
k Dion. Carthuſ. in Pſ. 73. 24.
l Eccli. 3. 29.
m Apoc. 22. 11.
n Iſai. 37. 29.

De Deo, & de regimine illius intuitu mundi ſe res habet non ſecus ac de Sole materiali reſpectu terræ. Terra mittit vapores ſuos in aërem, Sol reſolvit eos ſecundùm diſpoſitiones quas reperit in illis; diſſolvit eos in grandinem, ſi præ ſe ferant diſpoſitionem grandinis; in ventum, ſi habeant diſpoſitionem venti; vel in imbrem, ſi in illis ſit diſpoſitio pluviæ; & terra foret injuſta, ſi ipſa quereretur de vaſtitatibus quas edit grando, ſi murmuraret contra tempeſtates & inundationes, cùm Sol non remittat ad ipſam niſi id quod ipſa miſit ad illum: ſic Deus nos excipit ſecundùm diſpoſitiones quas invenit in nobis: ſi ſervimus ei, ſi benefacimus illi, mittit ad nos benedictiones & beneficia: ſed ſi vitioſi ſumus, flagitioſi, & nequam, è contrà mittit ad nos punitiones & ſupplicia, peſtes, fames, & bella, quæ ſunt ſtipendia peccati, non ſecus ac mors, *Stipendia enim peccati, mors*, ait Apoſtolus o. Tandem, Deus nos excipit eo modo, quo excipi volumus, *O homo, an divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicij Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus: iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio*, ut ait idem S. Paulus p, unumquemque noſtrûm alloquens. Et ſic idem Sol liquefacit ceram, & indurat lutum: ſic Deus accommodat ſe ad captum noſtrum, ſecundùm varias diſpoſitiones quas obſervat in nobis, *Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt* q, ait Sponſa. Quaſi diceret, ſubdit de Ponte r, *Abſque amore, quem tu me accendiſti, anima mea eſt liquefacta, ex frigidâ facta eſt calida, ex dura mollis, ex conſtrictâ in ſe dilatata ut extra ſe exeat, ac ſupra ſe tendat ad illum. Etenim ſi peccatores culpa gelu frigidos, corde duros & obſtinatos, ac ad ſeipſos valdè converſos ob bona delectabilia quæ ſibi concupiſcunt, Divina locutio intùs tangat, mox corda eorum ſuo inflammat amore, ut peccati frigus expellant; mollefacit & liquefacit, ut Deum quem à ſe expulerant, intra ſe recipiant, & ſe totos ad ipſum convertant, recedendo à ſuo inordinato amore, & rerum quas pravè diligebant, ut univerſum amorem in ipſum Deum transferant.* Et Pſalmiſta ſ loquens de peccatore indurato, dicit, *Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Et S. Paulus t concludit, differens de Deo: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*

o Rom. 6. 23.
p Rom. 2. 4.
q Cant. 5. 6.
r D. Pont. lib. 8. in Cant. 5. 6. Exhort. 15. parag. 2.
ſ Pſ. 108. 18.
t Rom. 9. 18.

Deus alio ſe gerit modo cum hominibus terræ, quàm cum Beatis in cœlo. Sancti qui ſunt in fruitione invariabili gloriæ, ubi poſſident Deum, ſunt ſpecula Dei; ſed Deus eſt ſpeculum hominum ſuper terrâ, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate* u. Non latet vos, Auditores, quòd ſpeculum hoc habet proprium ut repræſentet & oſtendat perfectè eum qui ſe in ipſo intuetur: cùm objicio me ſpeculo rotundo, iſtud me repræſentat totum, & ſe penitus accommodat ad me, & ad univerſos ſitus meos; ſi elevo manum meam, extollit & ipſum eam; & ſi ſimulo me velle percutere aliquem, ipſum videtur ſe diſponere ad ſe defendendum: in quo videtis quòd illud accommodat ſe in omnibus ad illum qui ſe in ipſo intuetur: eodem modo res habet ſe de Sanctis in cœlo: Beati ſunt ſpeculum Dei, in quo Deus perfectè & ſincerè repræſentatur, & ſpeculum quod perfectè & integrè ſe accommodat ad omnes diſpoſitiones Dei: non enim habent niſi eandem voluntatem, idem cor, æquè ac eaſdem cogitationes cum Deo: *Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſummæ ac primæ Veritatis clara & immediata eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa fœlicitas: tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adjunctam. Hinc dicit Auguſtinus* x, *quòd viſio eſt tota merces*, ait Dionyſius Carthuſianus y. Tandem, Sicut docet Theologia, *Deus unus eſt* z, *& omnia in omnibus* †. Non eſt tamen ſic loquendum de hominibus terræ: hi non ſunt ſpeculum Dei, ſed potius Deus eſt eorum ſpeculum. Et ratio iſtius evidens eſt: Quia homines terræ non ſe accommodant ad Deum, ſed potiùs ſe Deus ipſis accommodat. Sic cùm homines ſunt ei fideles, cùm ſe cuſtodiunt in inviolata obſervantia ſanctæ legis ejus, & divinorum mandatorum illius, cùm ſerviunt

u 1. Cor. 13. 12.
x ex S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8.
y Dion. Carthuſ. art. 42 in Joan. 17. 3.
z Deut. 6. 4.
† 1. Cor. 15. 28.

ei cum

ei cum ſinceritate, cùm illum laudant, cùm ei benedicunt, Deus elevat etiam manum ſuam ad benedicendum ipſis: ſed ſi ipſi extollant manum ſuam quaſi ad percutiendum eum, ſi inſurgant adversùs illum, ipſumque derideant: *Tetendit enim adversùs Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt, cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt*, ait Job *x*, loquens de impio: Deus elevat etiam brachium ſuum, & effundit ſuper eos conatus iræ ſuæ, & jacula vibrat in eos indignationis ſuæ. Non eſt igitur, Auditores, Deus accuſandus crudelitatis, aut injuſtitiæ, ſi afflictionibus imperamur: ſed potiùs projicere debemus vituperationem ſuper nosmetipſos: quia Deus non excipit nos niſi eo modo, quo nobis placet; & ſi punit nos, ideò quia ad id peccata noſtra veluti cogunt eum.

x Job 15. 25. & 26.

Ha! utinam perſuadere poſſem vobis hanc veritatem maximi momenti, & tribuere vobis notitiam iſtius ænigmatis, de quo ſuprà loquitur Apoſtolus, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Queriminì, Auditores, quòd à multis annis infeſtati eſtis à viris militaribus, qui multas patraverunt ſtrages, quòd ſemina veſtra perierunt in terra, & fefellerunt ſpes veſtras, quòd negotiatio ceſſat, & quòd commercium nihil ampliùs valet: dicitis quòd vivitis nunc ſub ſeculo ferreo, & ſub tempeſtate maledictionis; & non dicitis quòd nunquam fuiſtis magis vani, magiſque diſſoluti quàm nunc: dicitis quòd paupertas eſt generalis, quòd vos experimini magis quàm quilibet alius illius effectus, & funeſtas ſequelas; ſed non dicitis quòd nunquam regnavit vitium magis quàm regnet nunc: nunquam vidit quis tot cauponas, tot ludos, tantum luxum, tantamque profuſionem, ſicut hæc omnia videntur iſtis temporibus. Ceſſate igitur accuſare cœlum infortuniorum veſtrorum, & dicite præ veritate quòd peccata veſtra ſunt illorum cauſa.

Præclarum protulit Job *a* verbum, quod magna continet myſteria, cùm ſic effatus eſt, *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ ejus eſſe conſumptos.* S. Gregorius *b* explicans hunc locum, dicit, quòd in Deo accidit id, quod obſervamus in nobismetipſis; Cùm reſpiramus, attrahimus aërem, qui eſt circum nos, & aër iſte eſt frigidus; ſed cùm ſuſpiramus, efflamus foràs halitum, & aër, quem attraxeramus, non eſt ampliùs frigidus, ſicut illum ſuſceperamus, ſed calidus & fumans, quia calefactus eſt in corpore mediâ actione pulmonis. Cùm ergo Job dicit, ſe vidiſſe quòd peccatores conſumpti ſunt halitu potenti Dei, iſtud eſt, quia Deus attrahit ad ſe infinitâ notitiâ ſuâ & luminibus ſummæ ſapientiæ ſuæ omnia peccata & univerſa crimina hominum, & ea introducit in tribunal juſtitiæ ſuæ, & poſtquàm judicavit ea conformiter ad ipſorum demerita, ea vibrat contra peccatores & impios, non ampliùs frigida ſicut anteà, ſed ardentia & fumantia irâ irritatâ Dei, quî ipſa mutavit velut arte chymicâ formidabili in flagella, & in ſupplicia: ſic autem loquitur ſanctus ille Papa: *Nos quippe cùm flamus, aerem ab exterioribus introrsùs trahimus, & introrsum tractum hunc exteriùs reddimus. Flare ergo Deus in vindicta retributionis dicitur, quia ab exterioribus cauſis introrsùs judicij conſilium concipit, & ab interno conſilio extrorsus ſententiam emittit. Quaſi flante Deo ab exterioribus aliquid introrsùm trahitur, quando foris mala noſtra conſpicit, & intùs judicium diſponit. Et ruxſum, quaſi flante Deo ab interioribus ſpiritus extrorsùs emittitur, quando ab interno conceptu conſilij, exterius judicium damnationis infertur.* Videtis igitur, Auditores, inde quòd Deus non meditatur ruinam noſtram, ſed potiùs quòd nos ad id veluti cogimus illum interventu criminum noſtrorum, quæ fabricant & cudunt fulmina, quæ ipſe ſuper impia noſtra vibrat capita: & conſequenter mirari non debetis, ſi quotidie creſcant adverſitates & infortunia, cùm ſingulis diebus augeatur quod multetur, eò quòd indeſinenter ſubminiſtretis Deo novam materiam, ſuper quam exercere poſſit ſeveram juſtitiam ſuam. Veſtri igitur exceſſus, & veſtræ libertates effrænes dant occaſionem omnibus infortuniis iſtius mundi: auferte crimina veſtra, corrigite exceſſus veſtros, recipite vos in bonam emendatæ vitæ frugem, & Deum inducetis interventu ſanctitatis hujus vitæ novæ ad retrahendam manum ſuam à vobis, & ad indulgendam vobis miſericordiam ſuam: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſè, diſcite benefacere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt* c.

a Job 4. 8 & 9.

b S. Greg. lib. 5 moral. c. 15. in Job 4. 8 & 9

c Iſai. 1. 16. &c.

Factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens, Surge & deſcende in occurſum Regis Iſraël, qui eſt in Samaria: ecce ad vineam Naboth deſcendit, ut poſſideat eam: & loquêris ad eum, dicens, Hæc dicit Dominus, Occidiſti inſuper & poſſediſti. Et poſt hæc addes, Hæc dicit Dominus, In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Et ait Achab ad Eliam, Num inveniſti me inimicum tibi? Qui dixit, Invêni, eò quòd venundatus ſis, ut faceres malum in conſpectu Domini. Itaque cùm audiſſet Achab ſermones ipſos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens, Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei causâ, non inducam malum in diebus ejus d. *Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus: & receſſimus & declinavimus à mandatis tuis ac judicijs* e. Tibi dicimus cum famulo tuo S. Auguſtino *f* ſinguli, *In hac vita purges me, & talem me reddas; cui jam emendatorio igne non opus ſit.* Caſtiga nos in iſto ſeculo, ut miſericordiam tuam nobis largiaris in altero mundo.

d 3. Reg. 21. 17. &c.

e Dan. 9. 4. & 5.

f S. Aug. in Pſ. 37. 2.

IN

Digitized by Google

IN FESTO B. V. MARIÆ REGINÆ SS. ROSARII.

[Dominica I. Octobris]

Quaſi plantatio roſa in Iericho. Eccli. 24. 18.

Cùm exiret Judith incomparabilis è civitate ſua Bethulia obſeſſa ab Aſſyriis, eo animo ducta ut vitam eriperet Holoferni Duci generali Regis Nabuchodonoſor, qui præceperat *exercitibus ſuis, ut aſcenderent contra Bethuliam* a eandem ad deſolandam eam, Scriptura ſacra memorat, quòd Deus augmentum decôris addidit ſpeciei iſtius Dominæ, *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem* b. Et cùm B. Virgo Maria non venerit in mundum niſi ut contereret caput Holofernis inferni, ſicut illi canit Eccleſia, *Quæ contriviſti caput* c *ſerpentis*, non ſecus ac Scriptura memorat de præfata illuſtri Matrona, quòd *abſcidit caput Holofernis* d, qui vitam eripere volebat Iſraëlitis, ſicut Holofernes infernalis totam volebat humanam naturam perimere, cumulata fuit à Deo gratiarum immenſitate, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa*, dicit S. Epiphanius e. Et ſicut cùm *intraſſet ante faciem* Holofernis Juditha, *ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes* f amore ejus, & *tunc juſſit eam introire ubi repoſiti erant theſauri ejus* g: Sic Deus immodico ductus amore Mariæ, cujus Judith erat figura, *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob* h, collocat eam inter id omne, quod habet ipſe pretioſiſſimum; & non ſolùm conſtituit illam inter theſauros ſuos, ſed etiam facit illam Arcariam gratiarum ſuarum, ſicut ait S. Epiphanius i: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis plane arcanus, cui Gabriel inquit, Ave Maria.*

[a Judith 7. 3. — b Judith 10. 4. — c ex Gē. 3. 15. — d Judith 13. 10. & 11. — e S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip. — f Judith 10. 17. — g Judith 12. 1. — h Pſ. 86. 2. — i S. Epiphan. ſerm. de Laudib. Deip. ex Luc. 1. 28.]

Non ſecus ac ſtellæ moventur circum axem cœli, nedum tamen iſte cardo, circum quem ipſæ gyrant, ſuſcipiat agitationem, & interturbetur in quiete ſua, ſed è contrà maneat ſemper immobilis: ſic licèt pars animalis ſeu ſenſualis, vel, ſi vultis, mundus, & diabolus ſint in perpetuo motu, & interturbent rationem; mundus nos inducere volens ad exercendas maximas ſuas pravas, & diabolus non quærens niſi occaſiones, quibus nos decipiat, ſicut ab illius inſidiis cavere nos monet S. Petrus k, dicens, *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in Fide*: ratio tamen nunquam debet deſiſtere à proſequenda via virtutis, quam ſemel aggreſſa eſt, ſed in hoc firmo immobili permanere conſilio. Et licèt terra, & infima portio aëris, æquè ac corpora inferiora agitentur pluviis, grandinibus, turbinibus, & tempeſtatibus; hæc tamen deordinatio nunquam pertingit ad cœlum, nec pervenire poteſt ad ſupremam uſque aëris regionem, quæ perfectâ jugiter fruitur quiete, & conſummatâ ſerenitate, quantùmlibet in regione infima ſint pluviæ, grandines, vapores, & exhalationes, quæ impetunt hanc infimam regionem, nedum poteſtatem habeant elevandi ſe uſque ad ſupremam: Sic ea, quæ *radix omnium malorum eſt, cupiditas* l non debet aſcendere uſque ad partem ſuperiorem, licèt pars inferior ordinariè patiatur ipſius inſultationes: volo autem dicere, quòd B. Virgo Maria, quæ eſt elevatiſſima omnium creaturarum, debet eſſe immunis à cupiditate, & ab inordinatione paſſionum, quam peccatum cauſat in cæteris hominibus, qui ipsâ ſunt inferiores, ſicut de illa queritur Apoſtolus *in* his terminis, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Seu, *Video aliam legem à Lege Dei, cui ratio condelectatur, in membris meis, id eſt, in carne mea mortali, vitiata, ac fragili; utpote fomitem peccati, qui primò reſpicit carnem, & ex carnis contactu derivatur ad animam, quàm citò corpori copulatur, repugnantem legi mentis meæ, id eſt, legi naturali ac divinæ cordi meo inſcriptæ, & captivantem me, id eſt, ſubjicientem per conſuetudinem malam, & conſenſum in legem peccati, quæ eſt in membris meis, id eſt, ſibi ipſi exiſtenti in corporis membris, quæ univerſa infecta ſunt pronitate ad malum* n. Propter hunc eminentem effectû S. Damaſcenus o conformiter ad Scripturam, & ad Eccleſiam, comparat B. Virginem Mariam roſæ ſine ſpinis, quæ ſuavitate odoris ſui perfundit univerſa, cùm illam ſic alloquitur, *O roſa, quæ ex ſpinis, hoc eſt, ex Judæis orta es, ac divinâ fragrantiâ cuncta perfudiſti.* Super quod volo vobis oſtendere in progreſſu diſcurſus iſtius, B. Virginem Mariam eſſe roſam myſticam. Attendite, ſi placet, dum incipio.

[k 1. Petr. 5. 8. — l 1. Timoth. 6. 10. — m Rom. 7. 23. — n D. Dion. Carthuſ. in Rom. 7. 23. — o S. Damaſc. citat. à Cartham. tom. 2 Sabb. poſt Dom. 4. Quadr. — Propoſitio.]

Inficias iri non poteſt ſine crimine, quin incomparabilis Maria ſit ſpecioſiſſimus flos ob puriſſimam virginitatem ſuam. Sed quare potiùs roſa, quàm alius flos? Poſſet quidem huic Virgini ſacratiſſimæ attribui nomen omnium aliorum florum propter excellentiam omnium virtutum, quibus erat ipſa prædita: & ut ſic poſſet ipſa dici viola humilitatis, ſicut ipſamet ait, loquens de Deo intuitu humilitatis ſuæ, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* p. Narciſſus cognitionis tùm ipſius, æquè ac Dei, *Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum* q. Eſt autem, dicit Calepinus r, *Narciſſus lilii genus, radice carnosâ atque odorâ, flore purpureo.* Et, *Poëtæ fabulantur Narciſſum quendam puerum fuiſſe tantâ formâ præſtantiâ, ut cùm aliquando ad fontem biburus acceſſiſſet, conſpectæ ſuæ imaginis amore captus ſit: cùmque nulla potiundi amoris ſpes eſſet, nimio deſiderio contabuiſſe, & in florem ſui nominis fuiſſe commutatum.* Vel dici poſſet ut ſic cum S. Epiphanio ſ, quòd *Virgo eſt lilium* t *immaculatum, quæ roſam immarceſſibilem genuit Chriſtum* u. Aut Heliotropium ſequens jugiter radios Solis, perfectæ conformitatis ſuæ voluntatis ad voluntatem Dei ſui annunciatam ſibi ab Angelo, cui ipſamet dixit Maria, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* x. Et ſic de cæteris, cùm ipſa ſit, ut ait S. Hieronymus y, *verè hortus* z *deliciarum, in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta virtutum, ſicque concluſus ut neſciat violari, neque corrumpi ullis inſidiarum fraudibus.* Sed ſpecialiter ipſa vocatur Roſa, quia roſa eſt Regina florum, flos florum, & *Sancta Dei Genitrix, ſancta Virgo virginum, Regina virginum eſt*, ut canit Eccleſia. *Comparat autem ſe roſæ beata Virgo*, dicit Hugo Cardinalis a, *quia roſa pulchra eſt, imò pulcherrima florum: ſic beata Virgo pulcherrima mulierum, Quo abiit Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum* b? Et reſpondet Salomon c, *Abiit viâ longiſſimâ, ſacculum pecuniæ ſecum tulit: in die plenæ Lunæ reverſurus in domum ſuam, &c.* Item, *Roſa rubea eſt in colore, ſed candida in natura, Sicut fragmenta mali Punici, ita genæ tuæ abſque eo quod intrinſecus latet* d. Item,

[p Luc. 1. 48. — q Luc. 1. 46. & 47. — r Calep. in D. & V. Narciſſus. — ſ S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip. — t ex Cān. 2. 2. — u x Luc. 2. 7. — x Luc. 1. 38. — y S. Hierō. ſerm. de Aſſumpt. B. V. M. — z ex Cān. 4. 12. — a Hugo Card. in Eccli. 24. 18. — b Cant. 5. 17. — c Prov. 7. 19. & 20. — d ex Cān. 4. 3.]

Redolet

Redolet roſa: ita beata Virgo fama ſua odore totam pinguentat Eccleſiam, Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris e. Item, *Roſa frigida eſt: & beata Virgo exemplo ſuæ caſtitatis refrigerium præſtat contra æſtum libidinis, Numquid de petra deficiet nix Libani* f? *id eſt, de firma mente refrigerium Virginis? Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano* g. *Id eſt, de candore ſanctæ Virginis. Item, Roſa ſtiptica eſt, id eſt, reſtrictoria fluxus capitis: quem in ſe benè reſtrinxit beata Virgo, & in nobis per exemplum: quater enim tantùm legitur in Evangeliis fuiſſe locuta Angelo* h, *& Elizabeth* i, *Filio* k, *miniſtris* l *in nuptiis. Item, De ſpinis naſcitur roſa non ſpinoſa: & beata Virgo de Judæis incredulis non incredula. Unde ſicut ſpina roſam genuit: ita Judæa Mariam. Item, Roſa in vere poſt brevem apparet: ſic gloria beatæ Virginis in præſenti vita non apparuit, ſed poſt Aſſumptionem. Nigra ſum, ſed formoſa* m. *Nigra in mundo: formoſa in cœlo. Item, Roſa modica in ſtatura: & beata Virgo humilis, Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* n. *Item, Roſa grana crocea habet intra folia, quæ ſignificant charitatem Virginis, quam geſſit in corde, in verbo, in opere.* Prætereà, Sicut roſa naſcens e ſpinis, ſed è ſemetipſa nullas habens in ſe ſpinas, eſt tenera & delicata: Sic B. Virgo nata à peccatoribus, ſed ſine peccato, ſicut ait ipſi Sponſus ſuus, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* o, imò ab ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti; & immunis à concupiſcentia, quæ eſt illius fomes, non habet in ſe aliquid rude & auſterum, ſed ſuavis eſt, *Omnibus miſericordiæ ſinum aperit*, ait S. Bernardus p, *ut de plenitudine ejus accipiant univerſi* q, *captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, Juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii perſona carnis humanæ ſubſtantiam* r: *ut non ſit qui abſcondat ſe à calore ejus* ſ. Inſuper, Roſa exiguas habet radices: ſic B. Virgo exiguum vel nullum erga res terrenas affectum. Denique, Aliqui flores reperiuntur, qui ſunt ſpecioſi, ſed nullum exhalant odorem, nec ſervire poſſunt medicinæ; ſed roſa excellit pulchritudine, odore, & virtute ad conficienda pharmaca: inter homines inveniuntur aliqui, qui præditi ſunt perfectâ formâ exteriori, ſed nullum à ſe ferunt odorem ædificationis & boni exempli: alii habent quidem hunc bonum odorem æſtimationis & probitatis, ſed deeſt ipſis virtus auxilii ſpiritualis animabus tribuendi: at B. Virgo eſt ſpecioſa puritate ſuâ, eſt odorifera ſanctitate ſuâ, & ſanare poteſt animas, æquè ac corpora, ut patet ex dictis.

Sed quænam roſa eſt B. Virgo? Aliquæ ſunt roſæ compoſitæ è quinque foliis, aliæ è duodecim, aliæ è centum, & aliæ è centum & quinquaginta. Dici poſſet quòd ipſa eſt roſa compoſita duntaxat è quinque foliis, cùm obſervetur ipſa fuiſſe quinquies locuta, id eſt, quatuor vicibus ſuprà relatis ab Hugone Cardinali, & inſuper pro quinta vice cùm in præfatis nuptiis *deficiente vino* dixit hæc eadem *Mater Jeſu ad eum, Vinum non habent* t. Dici poſſet, ſi velletis, quòd ipſa conſtaret è ſeptem foliis, propter ſeptem virtutes præcipuas, quas habebat, Fidem, Spem, & Charitatem, quæ ſunt Theologicæ; & fortitudinem, temperantiam, juſtitiam, & prudentiam, quæ ſunt Cardinales, ut oſtendit fuſè S. Bernardus u ſuper hæc verba Proverbiorum x, *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*, dicens, *Sapientia, quæ Dei erat, & Deus erat de ſinu Patris* y *ad nos veniens, ædificavit ſibi domum, ipſam ſcilicet Matrem ſuam Virginem Mariam, in qua ſeptem columnas excidit. Quid eſt in ea ſeptem columnas excidere, niſi ipſam dignum ſibi habitaculum fide & operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter Sanctam Trinitatem: quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes*, &c. Vel propter ſeptem dona Spiritus ſancti z, ſicut Salazar a dicit, quod de illa *Idiota in Contemplatione Virginis ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam intelligit: ſic enim ait: Septem columnæ, quibus firma ſtetiſti, ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ requieverunt in te, & nunquam te deſeruerunt, per quæ ſtetiſti firmiter, & perſeveranter in omni virtute.* Dici poſſet etiam, ſi vobis placeret, quòd eſſet è decem foliis compoſita, propter decem gratias, quas ſuſcepit, cùm effecta eſt, aut electa Mater Dei, *ab æterno ordinata* b ad hanc ſupereminentem qualitatem. Prima, fuit gratia ſanctificans, quam ipſa ſuſcepit ab ipſo ſuæ conceptionis inſtanti primo, *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus* c. Et aliæ novem, fuerunt gratiæ gratis datæ, de quibus ſic loquitur Apoſtolus d: *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum: alii operatio virtutum: alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.* Licèt ipſa gratiis iſtis gratuitis non uteretur per humilitatem. Dici poſſet, quòd ipſa conſtet è duodecim foliis propter duodecim fructus Spiritus ſancti, quos ſic enumerat idem Apoſtolus e, *Fructus autem Spiritus, eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Dici poſſet, quòd compoſita ſit etiam è duodecim foliis, cùm S. Joannes f viderit eam coronatam ſtellis duodecim, *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Quæ ſunt duodecim excellentiæ, quas ipſa ſuſcepit. Prima eſt, *Cùm ſit Dei Patris Filia* g. Secunda, *Filii Dei Mater* h. Tertia, *Spiritus ſancti Sponſa* i. Quarta, Totius ſimul *Sponſa Trinitatis. Et Pater miſit arrhabonem de cœlo Spiritum ſanctum, præparavit Virginem unigenito Filio cœleſti Sponſo, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex ea Sponſus procedit* k *Chriſtus* l. Quinta, Ut ſedeat in throno gloriæ ſuper omnes Angelos, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna* m. Sexta, Ut ſit Arcaria omnium gratiarum & divitiarum cœli, *Theſaurus diſpenſationis plane arcanus* n. Septima, *Regina cœlorum* o. Octava, *Domina Angelorum* p. Nona, *Domina mundi* q. Decima, *Mater miſericordiæ* r. Undecima, *Advocata noſtra* ſ. Duodecima, Ut colatur ab omnibus creaturis cœli & terræ: *Conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam: & quicumque Jeſu curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat, & acclivis* t. Si autem iſtas duodecim excellentias audire velitis, auſcultate S. Bernardum u, qui ſuper prædicta S. Joannis verba ſic eloquitur, *Supra hominem eſt corona hujus rationem exponere, judicare compoſitionem. Nos tamen pro modulo noſtræ exiguitatis abſtinentes à periculoſo ſcrutinio ſecretorum, non incongruè forſan duodecim ſtellas iſtas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria ſingulariter adornatur. Siquidem invenire eſt in Maria prærogativas cœli, prærogativas carnis, prærogativas cordis: & ſi fuerit ternarius iſte, per quaternarium multiplicatus, habemus fortè ſtellas duodecim, quibus Regina noſtra diadema præfulgeat univerſis. Mihi ſanè ſingularis rutilat fulgor: Primò quidem in Mariæ generatione: Secundò in Angelica* x *viſitatione: Tertiò in Spiritus ſupervenione: Quartò in Filii Dei inenarrabili conceptione. Sic & in*

bus

e Cant. 4. 11.
f ex Jer. 18. 14.
g Cant. 4. 15.
h ex Luc. 1. 34. &c.
i ex Luc. 1. 46. &c.
k ex Luc. 2. 48.
l Joan. 2. 5.
m Cant. 1. 5.
n Luc. 1. 48.
o Cant. 4. 7.
p S. Bern. ſerm. de verb. Apoc. 12. Signum magnum, &c.
q ex Joã. 1. 16.
r ex Joan. 1. 14.
ſ ex Pſ. 18. 7.
t Joan. 2. 3. &c.
u S. Bern. ſerm. 9. ex Parv.
x Prov. 9. 1.
y ex Joã. 1. 18.
z Iſai. 11. 2. & 3.
a Salazar in Prov. 9. 1. n. 46.
b Prov. 8. 23.
c Pſ. 45. 5.
d 1 Cor. 12. 8. &c.
e Gal. 5. 22. & 23.
f Apoc. 12. 1.
g Cornel. in Act. 1. 14.
h Idem ibid.
i Idem ibid.
k ex Pſ. 18. 6.
l S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
m Eccleſia.
n S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
o Eccleſia.
p Eccleſia.
q Dion. Carth. in Luc. 1. 27.
r Eccleſia.
ſ Eccleſia.
t Arnold. Carnot. de Laud. Deip.
u S. Bern. ſerm. de verb. Apoc. 12. Signum magnum, &c.
x ex Luc. 1. 26. &c.

bis quoque ſiderum planè irradiat decus: quòd virginitatis primiceria: quòd ſine corruptione fœcunda: quòd ſine gravamine gravida: quòd ſine dolore Puerpera. Nihilominùs etiam ſpiritualis quodam ſplendore in Maria coruſcant: manſuetudo pudoris: devotio humilitatis: magnanimitas credulitatis: martyrium cordis †. Dici poſſet, quòd ipſa eſt compoſita è centum foliis, quia ſemen Verbi Dei, quod ipſa ſuſcepit *in utero* y ſuo, &, ut meliùs dicatur, in corde ſuo, cùm dicat S. Auguſtinus z, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti*, produxit in ipſa fructum non tantùm trigeſimum, aut ſexageſimum, ſed etiam centeſimum a, *Semen cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum* b. Sed præcipuè dici poteſt, quòd ipſa conſtat è centum & quinquaginta foliis, quod genus roſarum naſcitur *in Jericho*, quibus repræſentantur nobis centum & quinquaginta *Ave Maria*, ſeu Salutationes Angelicæ, è quibus ſacrum Roſarium beatæ Virginis eſt compoſitum. Et quia roſarum aliæ ſunt coloris albi, aliæ coloris carnei, & aliæ coloris rubri; omnes iſti colores appoſitè conveniunt B. Virgini. Ipſa eſt coloris candidi ob virginitatem ſuam: coloris carnei, eò quòd Verbum Patris æterni carnem ſuſcepit humanam in puriſſimis ipſius viſceribus: & coloris rubri, quia ipſa particeps effecta eſt effuſionis ſanguinis Filii ſui præ cæteris creaturis. Sed quare roſæ, quæ naſcuntur in terra Jerichuntina, ſunt omnium ſpecioſiſſimæ? *Quaſi plantatio roſæ in Jericho*. Sciendum eſt terram Jerichuntinam fuiſſe ſterilem, ſicut illius *dixerunt viri civitatis ad Eliſeum, Ecce civitatis hujus aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis*. Sed non ſecus ac *ſanatæ ſunt aquæ, juxta verbum Eliſei, quod locutus eſt* c, & terra fertilis effecta eſt; ita B. Virgo nata eſt per miraculum è matre ſterili, & nativitas ipſius fuit potiùs effectus gratiæ quàm naturæ, *Cujus parentes fuerunt Joachim & Anna, qui quidem in vita ſua Deo placuerunt, atque etiam fructum ejuſmodi germinârunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul & Matrem Dei. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo. Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, proptereà quòd Joachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent ſanctam Virginem adepti. Joachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo*, ait S. Epiphanius d.

Sed nunquid inſuper ipſa non eſt ſpecioſiſſimum roſarium? Etiam. Sed ſicut impoſſibile videtur ut eadem res ſit roſa & roſarium, flos & planta: ſic videtur impoſſibile ut eadem Maria ſit Virgo & Mater, ſicut ipſamet *dixit Maria ad Angelum, Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco* e. Iſtud quidem verum eſt, ſi conſideretur ſecundùm vires naturæ. Sicut autem Maria, prout Virgo, eſt ſpecioſiſſima roſa; ſic etiam, quatenus Mater, eſt pulcherrimum roſarium, quod tulit hanc roſam myſticam, quæ ait de ſe, *Ego flos campi* f. Seu, juxta literam Hebraicam, *Ego roſa Saron*. Eſt autem Saron idem ac planities. Et hoc eſt quod dicit S. Epiphanius g, *Virgo eſt, quæ roſam immarceſſibilem genuit Chriſtum*. Sed dicet mihi aliquis, Roſarium eſt totum plenum ſpinis: & beata Virgo eſt tota immunis à ſpinis peccati, juxta quod canit Eccleſia h in laudem ejus, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Adæ*. Reſpondeo quòd ſpinæ duobus modis poſſunt uſurpari. Pro culpa, & pro pœna. Si ſumantur pro culpa, ipſæ nullum habent locum in B. Virgine. Si autem capiantur pro pœna, non ſolùm B. Virgo eſt roſarium plenum ſpinis, ſed etiam rubus ſpinoſus ob labores & dolores

† ex Luc. 2. 35.
y Matt. 1. 23. ex Iſai. 7. 14.
z S. Aug. lib. de S. virginit. cap.
a Matt. 13. 23.
b Luc. 8. 5. & 8.
c 4. Reg. 2. 19. &c.
d S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
e Luc. 1. 34.
f Cant. 2. 1.
g S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
h Eccleſia in Offic. Concept. juxta Minor. ex Cant. 2.

innumerabiles, quos ipſa toto vitæ ſuæ decurſu pertulit. Ipſa fuit igitur in progreſſu vitæ ſuæ roſarium plenum roſis & ſpinis, id eſt, gratiâ & doloribus, conſolatione & laboribus. Et ſicut videntur in roſario folia, ſpinæ, & roſæ: ſic in roſario myſtico B. Virginis invenitur triplex genus myſteriorum: Alia enim ſunt gaudioſa, alia doloroſa, & alia glorioſa. Gaudioſa repræſentantur per folia virentia, quæ præcedunt ver, & lætificant viſum & cor. Doloroſa per ſpinas, quæ pupugerunt cor B. Virginis juxta prophetiam Simeonis ſic ipſam alloquentis, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* i. Et glorioſa per roſas. Quinque myſteria gaudioſa ſunt, Annunciatio Angeli B. Virgini: Viſitatio ejuſdem B. Virginis exhibita cognatæ ſuæ Elizabeth k: Nativitas Salvatoris, quò referri poteſt adoratio paſtorum l, & Magorum m: Præſentatio Pueri Jeſu in templo n: Et inventio ejuſdem Pueri Jeſu *in templo* o. Quinque doloroſa ſunt, Oratio Jeſu Chriſti in horto p: Flagellatio ejus ad columnam: Illius coronatio *de ſpinis*: Bajulatio crucis ſuper humeros ſuos: Et crucifixio q, cui addi poſſunt ipſius ſepultura, & ſolitudo B. Virginis. Et quinque glorioſa ſunt, Reſurrectio Jeſu Chriſti r cum apparitione ſuâ Matri ſuæ, diſcipulis, & ſanctis Dominabus: Aſcenſio ejus *in cœlum* ſ, cui interfuit B. Virgo: Adventus etiam Spiritus ſancti t, cui ſimiliter adfuit & hæc glorioſa Virgo cum præfatis diſcipulis, & ſanctis mulieribus: Aſſumptio glorioſa ejuſdem B. Virginis in cœlum u: Et gloria coronationis ipſius x. Quæ quindecim myſteria verſibus iſtis comprehenduntur à Poëta Chriſtiano:

Nunciat, inviſit, parit, offertur, reperitur.
Orat, flagra, vepres fertque, ſubitque crucem.
Surgit, & aſcendit, Paraclitum mittit Olympo:
Virgo polum ſcritur, dat diadema Deus.

Primum myſterium gaudioſum, eſt Annunciatio Angeli, qui Mariam proclamat gratiâ plenam, *Ave gratiâ plena*. Gratia nos elevat ad Hierarchias cœleſtes, ad Angelos cuſtodes ad regimen noſtrum deſtinatos, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis* y? Ad Archangelos, qui habent curam Provinciarum, & Regnorum z, quia pax annunciatur ab Angelis & Archangelis intra Regnum animæ per gratiam, *Appropinquavit in vos Regnum Dei* a. Ad Principatus, qui gubernant Reges, *Regnum Dei intra vos eſt* b. Ad Virtutes, quæ conſtitutæ ſunt ſuper prodigia & miracula, quia virtute gratiæ patramus prodigia & miracula, & vitam ducimus omnino cœleſtem. Ad Dominationes, quæ diabolum in fugam convertunt, quia per gratiam vincimus tentationes. Ad Poteſtates, quæ poteſtatem habent ſuper ſpiritus inferiores, quia per gratiam ſenſus ſubditur rationi. Ad Thronos, eò quòd per gratiam anima fiat ſedes Dei: *Anima enim Juſti ſedes eſt Sapientiæ*, ait Euſebius Emiſſenus c poſt Scripturam. Ad Cherubinos, quia gratia eſt cauſa veræ ſapientiæ, *Initium ſapientiæ timor Domini* d. Et ad Seraphinos, quoniam per gratiam charitas diffunditur in corda noſtra, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* e. Gratia nos elevat ad SS. Trinitatem per tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, & reddit nos ſimiles potentiæ f, ſapientiæ g, & bonitati Dei h. Gratia eſt oleum illarum virginum prudentium, de quibus parabola loquitur Evangelica, ſine quo non poſſumus introduci ad nuptias Sponſi cœleſtis. Ipſa eſt ſicut manna cœli k: Sicut quippe non

i Luc. 2. 35.
k Luc. 1. 26. &c.
l Luc. 2. 7. &c.
m Matt. 2. 1. &c.
n Luc. 2. 21. &c.
o Luc. 2. 46.
p Luc. 22. 41.
q Joan. 19. 1. &c.
r Joan. 20. 1. &c.
ſ Marc. 16. 19.
t Act. 2. 1. &c.
u Cant. 8. 5.
x Cant. 4. & 4.
y Hebr. 1. 14.
z Dan. 10. 13.
a Luc. 10. 9.
b Luc. 17. 21.
c Euſeb. Emiſſ. ſerm. 1. Dom. 1. de Adventu.
d ... 10.
e Rom. 5. 5.
f ... 4. 7.
g ... 22.
h ... 118. 68.
i Matt. 25. 4. ...
k ... 16. 31.

propter opera noſtra bona, nec propter merita noſtra, ſed eſt purum beneficium Dei: *Si autem gratia: jam non ex operibus: alioquin gratia jam nõ eſt gratia* l. Gratia eſt ſicut unguentum pretioſum, quo *Maria unxit pedes Jeſu* m. Ipſa eſt velut *calculus* ardens, qui *tetigit os & labia* n Iſaiæ, ut verba noſtra præ ſe non ferant niſi charitatem. Ipſa eſt quaſi *vinum novum* o, quod renovat in nobis vitam veteris Adæ, juxta conſilium Apoſtoli p. *Deponite vos, ſecundùm priſtinam converſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ: & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Ipſa eſt adeps animæ, quem ſic ardenter deſiderabat David q, dicens, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Ignis jugiter ardens, *Ignis in altari ſemper ardebit* r. Eliæ *currus igneus*, qui nos elevat *in cœlum* ſ, ſeparans nos à rebus terrenis. Atqui B. Virgo continet hæc omnia in ſumma perfectione.

Speculum expoſitum radiis Solis comburit id omne, quod eſt prope ipſum in debita diſtantia: ita Maria (quoniam, ut ait Salazar t, *Adeò ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ* u, *Speculum ſine macula Dei operationis, Græcè, energiæ, ſeu efficacitatis: quia nimirum in ea, tanquam in ſpeculo, divinorum attributorum efficacia, & energia maximè ſpectatur*) illuminata radiis Solis gratiæ accendit igne ſuæ charitatis omnes illos, qui accedunt ad ipſam cum diſpoſitionibus requiſitis: *Itaq; præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſq; ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit*, ut S. Epiphanius x. Et ſicut Eliſeus multiplicare volens oleum cujuſdam viduæ, præcepit ei, ut peteret *mutuò ab omnibus vicinis* ſuis *vaſa vacua non pauca* y, quæ replevit oleo: ita ſi recipere volumus oleum gratiæ, evacuandum eſt cordis noſtri vas omnibus affectibus terrenis. Axa filia Caleb dixit patri ſuo, *Da mihi benedictionem: quia terram arentem dediſti mihi; da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius* z. Atqui B. Virgo fuit dotata portione ſuperiori intellectus, id eſt, immunitate ab omni peccato, originali, & actuali; & inferiori portione corporis, hoc eſt, puritate, ſeu virginitate: hæc fuit dos conceſſa Mariæ, ſicut prædicta dos tributa fuit filiæ Caleb: Maria recepit pro dote ſua in parte ſuperiori fidem, ſpem & charitatem; & in inferiori, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem & temperantiam: in ſuperiori, vitam contemplativam; & in inferiori, vitam activam. *Quomodo Virgo invenitur eſſe cœleſtis Sponſa, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratiâ, cœlum unà cum paradiſo?* petit S. Epiphanius a. Maria comparatur à Patribus paradiſo terreſtri, *Verè tu benedicta, ſenſu intellectuque prædita, vividi ſalutis noſtræ ligni Paradiſus, quæ ipſum horti Eden colonum, Chriſtum, inquam, Dominum intra te habes, figuris in te adumbratum: qui ineffabili quâdam potentiâ virginalem uterum tuum egreſſus, quatuor velut initiis per Evangelium ſuum orbis faciem irrigavit*, ait illi S. Andreas Jeroſolymitanus b. Sic ipſa vocari poteſt Paradiſus animatus: ſicut enim illum terreſtrem ſcimus fuiſſe *paradiſum voluptatis* c: ſic Maria eſt cauſa conſolationis Juſtorum & peccatorum, ideòq; vocatur *Conſolatrix afflictorum*. Et ſicut paradiſus terreſtris declinavit ab aquis diluvii, juxta ſententiam *eorum: qui volunt in Orientali parte eſſe paradiſum, longo interjacente ſpatio, vel maris, vel terræ, à regionibus, quas incolunt homines, ſecretum, & in alto ſitum, uſque ad lunarem circulum pertingentem, unde nec aquæ diluvii illuc pervenerunt*, ait Magiſter Sententiarum d: ad hanc conformiter opinionem, Maria non fuit ſubmerſa aquis peccati: & licèt verum ſit, quòd illius diluvii *aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: opertiq; ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo* e: ipſæ tamen nunquam pervenerunt ad Mariam, ut canit Eccleſia f, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina peccatorum obruent Mariam.* Ædificia deſtruxit *diluvium*. Peccatum verò deſtruit ædificia virtutum. In paradiſo terreſtri erat continuum ver: in Maria verò erat perpetua ſerenitas, ita ut, ſicut quidam lapides recenſentur cuſtodire caſtitatem iis qui ipſos deferunt, ſolus intuitus Mariæ poſſet illam conſervare in integritate ſua in illis, qui ipſam tanto decôre præditam aſpiciebant. *Produxit Dominus Deus lignum vitæ in medio paradiſi, lignumq; ſcientiæ boni & mali* g. Sic in Maria erat firmiſſima fides, è qua ortus eſt fructus iſte jucundus ſcientiæ Eccleſiæ, ſicut dixit ſuprà S. Epiphanius h, *Itaque præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſq; ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit.* Et Eccleſia ſic illi congratulatur, *Gaude Maria Virgo: cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Et aliquantò pòſt idem S. Epiphanius, *O beata Virgo, nubes i lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum.* Arbor vitæ, eſt ipſius charitas, quâ auxiliatur ipſa peccatoribus, qui ad ipſam recurrunt. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita* k. Sic ex viſceribus iſtius paradiſi animati egreſſus eſt *parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, Solemq; converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit* l. Et hoc eſt quod ait S. Epiphanius m, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa. Ave gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo, ex lampade n geſtans lucem inextinguibilem* o, *Sole ſplendidiorem.*

Secundum myſterium gaudioſum Roſarii B. Virginis, eſt ipſius Viſitatio. Hæc viſitatio quam ipſa exhibuit cognatæ ſuæ Elizabeth, dat notas gratiæ ipſiuſmet Mariæ. *Exurgens Maria abiit in montana* p. Maria eſt mons, de qua nimirum loquens Iſaias q, ait, *Et erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Ipſa eſt mons Sinai, ad cujus ima tabulæ legis confractæ ſunt, *Reverſus Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonii in manu ſua, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis* r. Cùm ibi fuerit abolita lex naturæ, *ſingulari excellentiæ novitatis, utpote quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Angelus nunciat, virtus obumbrat, Altiſſimi ſupervenit Spiritus, Virgo credit, fide concipit, Virgo parturit, Virgo permanet*, ait S. Bernardus ſ. Et alibi, *Gravida, ſed non gravata*, pariens, *ſed non cum triſtitia* t. In morte permanens ſine corruptione, æquè ac Filius ſuus, dicens Patri ſuo, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* u. Sed exaltata in corpore & in anima in cœlum, *innixa ſuper Dilectum ſuum* x. Dei Filius volens ſe transfigurare, *aſſumpſit Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum* y. Iſte mons ſeorſum poſitus, eſt Maria ſeparata ab omni alio, *Unum eſt, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem: gaudia Matris habens cum virginitatis honore*, ait S. Bernardus z. Et elevata per prædeſtinationem & per præſervationem ab omni peccato ſupra omnes alios montes, ſicut ipſamet ait, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam* b. In hoc monte *Jeſus transfiguratus eſt.* Quia ibi *in ſimilitudine*

l Rom. 11. 6.
m Joan. 12. 3.
n Iſai. 6. 6. & 7.
o Luc. 5. 38.
p Eph. 4. 22. &c.
q Pſ. 62. 6.
r Levit. 6. 12.
ſ 4. Reg. 2. 11.
t Salaz. in Prov. 8. 23. n. 301.
u ex Sap. 7. 26.
x S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
y 4. Reg. 4. 1. &c.
z Judic. 1. 15.
a S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
b S. Andr. Jer. ſerm. de ſalut. Ang. ex Luc. 1. 28 & ex Gen. 2. 8. &c.
c Gen. 2. 8.
d Mag. Sent. lib. 2. diſt. 17
e Gen. 7. 19. &c.
f Eccleſia in Offic. Concept. juxta Minor. ex Cant. 8. 7.
g Gen. 2. 9.
h S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
i ex Iſa. 19. 1.
k Gen. 2. 10.
l Eſth. 10. 6.
m S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
n ex Zach. 4. 2.
o ex Sap. 7. 10.
p Luc. 1. 39.
q Iſai. 2. 2.
r Exod. 32. 15. & 19.
ſ S. Bern. ſerm. 2. in vigil. nat. Dõ. ex Luc. 1. 28 &c.
t Idem hom. 3. ſuper Miſſus eſt.
u Pſ. 15. 10.
x Cant. 8. 5.
y Matt. 17. 1. &c.
z S. Bern. ſerm. 4. in Aſſumpt. ex Luc. 1. 42.
b Eccli. 24. 5.

Digitized by Google

ſimilitudinem hominum factus, *& habitu inventus ut homo* c, cùm eſſet priùs *Deus ultionum* d, effectus eſt *Pater miſericordiarum*, *& Deus totius conſolationis* e. Et non ſecùs ac unicornis, qui eſt animal furioſum, manſuetus efficitur in ſinu alicujus virginis: ita Deus colloeans *in utero* f B. Virginis evaſit *ſuavis & mitis*, *& multa miſericordiæ omnibus invocantibus* g te. *Dilectus quemadmodum filius unicornium* h. In iſto monte *reſplenduit facies ejus ſicut Sol*. Id eſt, per magnitudinem Divinitatis ipſius. *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*. Hæc eſt caro pura & virginea ſacræ humanitatis, quæ conſtat è puriſſimo ſanguine Mariæ, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro*, dicit Arnoldus Carnotenſis i. *Ecce nubes lucida: & ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Iſta nubes lucida eſt Maria, è qua exivit vox, id eſt, Patris æterni *Verbum caro factum* k è ſanguine ejus, ſicut illi ſuprà dixit S. Epiphanius, *O B. Virgo, nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum*. Sed, Auditores, *Bonum eſt nos hic eſſe*. Id eſt, meditari debemus jugiter myſteria montis iſtius ſacri. Ille igitur qui ritè perfungi volet iſtâ devotione, non ſolùm non aridè recitare debet Salutationes Angelicas in ſacro Roſario contentas, ſed recitans eas ore, debet illas meditari corde, æquè ac comprehenſa ſub illis myſteria (quæ prolixius æquo foret protrahere, cùm mihi ſatis viſum fuerit ea ſuprà vobis breviter declarare, ne vobis faſtidioſus appaream) & immorari in ſingulis iſtis quindecim myſteriis, quantùm Spiritus ſanctus ipſum erga ea devotione afficiet. Hæc meditatio ſuggeret ipſi motiva & cogitationes ad excitandã devotionem ipſius, humiliando ſe ante omnia, & orando Deum, ut ſibi tribuere velit ſenſum & affectum cordialem erga id omne, quod ipſe fecit, & pertulit in hoc mundo pro nobis, cùm ad ipſum ſolum pertineat dare humilibus, & diligentib⁹ veram notitiam, & ſincerum affectum, æquè ac ſenſum myſteriorum iſtorum, *Quia Deus humilibus dat gratiam* l. Ex interventu devotionis iſtius quæ ſpectat gloriam Filii, & honorem Matris, impetrabit homo gratiam & favorem utriuſq; in omnibus laboribus & negotiis hujus vitæ. Et licèt ſentiant aliqui, quòd ad infallibilitatẽ orationis, id eſt, ad hoc ut oratio conſequatur infallibiliter id quod efflagitatur ab aliquo, neceſſe ſit ut ille qui orat, ſit in gratia, fulti eo quod ait Scriptura m, *Quia peccatores Deus non audit*: tamen ne repellantur fideles ab hac devotione S. Roſarii, puto quod non oportet abſolutè (licèt optimum ſit) ut quis ſit in gratia ad hoc ut exaudiatur, cùm orat: ita ut homo, qui eſt in peccato conſtitutus, poſſit exaudiri à Deo. Et quare? Ratio iſtius præſto eſt: Quia fundamẽtum orationis non eſt meritum perſonæ orantis; & cauſa, propter quam exauditur, non eſt virtus ejuſdẽ perſonæ deprecantis, ſed verbum & promiſſum Dei: verbum enim venit ab illo; & conſequenter hæc infallibilitas orationis non fundatur ſuper ſanctitatẽ illius qui orat, nec eſt innixa homini, ſed Deo. Scio equidem quòd ille, qui eſt in gratia, citiùs exaudietur quàm homo nequam: ſed loquor de neceſſitate orationis ad hoc ut ſit infallibilis, id eſt, ut infallibiliter conſequatur votum ſuum. Præterea, Promiſſio Dei non eſt cum reſtrictione, nec ad nos pertinet illud limitare, cui Deus nullos præfixit limites: *Omnia quæcumq; orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis* n. Id eſt, ait Dionyſius Carthuſianus o, *Dummodò ſit vera oratio, quæ, ſecundùm Damaſcenum, eſt petitio decentiũ à Deo, hoc eſt, rerum, quas decet poſtulari à Domino*:

c Philip. 2. 7.
d Pſ. 93. 1.
e 2. Cor. 1. 3.
f Matt. 1. 18. & 23. ex Iſai. 7. 14.
g Pſ. 85. 5.
h Pſ. 28. 6.
i Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.
k Joan. 1. 14.
l 1. Petr. 5. & Jacob. 4. 6.
m Joan. 9. 31.
n Marc. 11. 24.
o Dion. Carthus. in Marc. 11. 24.

Dei Filius iſtam ſub multis parabolis proponit quæſtionem, inter alias autem ait, *Quis veſtrùm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille deintùs reſpondens, dicat, Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere, & dare tibi. Et ſi ille perſeveraverit pulſans: dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens eò quòd amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur* p. Unde videtis orationem eſſe potentiorem amicitiâ, & illum amicum non ſatisfacere amico ſuo, quia amicus ipſius eſt, ſed quoniam ipſi importunus eſt: quod innuit, quòd cùm aliquis orat, infallibiliter exaudietur (ſi orat ſicut eſt orandum) non quia amicus Dei eſt, eiq; gratus, ſed quoniam eſt illi importunus, eò quòd promiſſio non fiat amicitiæ, ſed illi, qui petit. Sufficit ut petamus mediâ oratione ſacri Roſarii à Matre Dei, aut à chariſſimo ipſius Filio interventu ipſius, & proculdubio conſequemur id omne, quod efflagitaverimus.

Roſarium ſervit ornamẽto hortorum: & B. Virgo S. Roſario ſuo ornat Eccleſiam, & tuetur membra ejus, quæ ſunt fideles, qui ſunt ipſi devoti, à poteſtate inferni. Non ſolùm autem B. Virgo eſt roſarium, ſed ipſa majoris æſtimat ſe eſſe roſariũ quàm roſam, quia ipſa pluris ducit ſe eſſe Matrem iſtius ſpecioſæ roſæ, quæ eſt Jeſus Chriſtus, quàm aliam quantamlibet perfectionem & excellentiam quam ipſa poſſideat, *Ptolemæus, qui maxima authoritatis fuit apud Alexandrum Macedonem: poſt cujus mortem Ægypto & Africâ, & magnâ Arabiæ parte potitus, regnavit annis quadraginta: hic deceſſit in rerum geſtarum gloria, cùm paulò ante Regni ſe abdicans adminiſtratione, Regem filium conſtituiſſet Philadelphum* (ait Calepinus q) majoris ducens ſe eſſe patrem Regis, quàm Regem. Sed B. Virgo gloriari poteſt, quòd licèt ſit *ipſa cœli Regina*, *Domina mundi*, *quoniam Genitrix Dei* (dicit Dionyſius Carthuſianus r) tamen ipſa majori conſolatione perfunditur videre Filium ſuum dilectiſſimum adoratum ab omnibus creaturis, quàm ſemetipſam intueri Reginam. Et, *Cornelia, Matrona nobiliſſima, Sempronij Gracchi uxor, & Tyberij & Caij Gracchorum mater, & Majoris Africani filia, à Valerio Maximo laudatur, quòd Matronæ Campanæ ornamenta ſua pulcherrima oſtentanti, non aurum, non gemmas, non denique veſtes oppoſuerit, ſed liberos, qui ſua vima ſunt Matronarum ornamenta*, recenſet idem Calepinus ſ. Sed B. Virgo meliùs hoc dicere poterat, quàm Matrona illa Romana. Licèt enim ipſa ſit *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim* t: tamen ipſa contempſit hæc omnia ornamenta, nec gloriatur de alia re niſi quòd ſit Mater tanti Filii. Re autem verâ ſtatim ac ipſi *Elizabeth dixit, Benedicta tu inter mulieres, ait Maria, Magnificat anima mea Dominum* u.

S. Paulus x ſcribens Romanis, dicebat eis, *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis*. Apoſtolus loquebatur de quadam Matrona Romana vocata Maria, quæ multas curas ſuſcepit ad gratiam Chriſtianorum: ſed hæc altera Maria Mater Jeſu *locuples eſt, Chariſſimis, virtutibus plena menſa virginea, optimis quibuſcunq; cibis abundans, quibus terra fruatur*, ait S. Epiphanius y. Salutemus eam per ſacrum Roſarium, & per eam nobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* z.

p Luc. 11. 5. &c.
q Calep. in Dictio. V. Ptolemæus, citatq; Trogũ lib. 13.
r Dion. Carthus. in Luc. 1. 27.
ſ Calep. in Diction. V. Cornelia.
t Apoc. 12. 1.
u Luc. 1. 41. &c.
x Rom. 16. 6.
y S. Epiphan. ſermo de Laud. Virg.
z Pſ. 83. 12.

IN FESTO S. P. N. FRANCISCI.

Præcedat Dominus meus ante ſervum ſuum : & ego ſequar paulatim veſtigia ejus. Gen. 33. 14.

LIcèt hæc verba ſint Patriarchæ Jacob timore correpti, alloquentis fratrem ſuum Eſau humano more & hyperbolico, nec tamen illum Deo comparantis, ſicut Gloſſa Ordinaria *a* ſuper hæc verba quæ paulò Textum noſtrum præcedunt, *Si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis : ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei*, dicit, *Timore perturbatus hic loquitur : Hic loquitur ut Jacob, non ut Iſraël : non tamen fratrem Deo comparat, ſed humano more hyperbolicis verbis benevolentiam captat :* poſſunt tamen ſub alio ſenſu applicari Seraphico Patri S. Franciſco, qui correptus timore filiali, qui eſt *timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi* b, juxta conſilium Apoſtoli *c*, *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini :* Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum *d*, *Cum metu filiali quantùm ad perfectos, & tremore corporis, ex interiore timore progenito, veſtram ſalutem, hoc eſt, opus virtuoſum, operamini : Vel, veſtram ſalutem operamini, hoc eſt, æternam beatitudinem bonis operibus procurate :* dicit Deo, *Præcedat Dominus meus ante ſervum ſuum : & ego ſequar paulatim veſtigia ejus.* Rectæ rationi congruum eſt, ut miles, cùm exequitur aliquid magnum, præ ſuis ponat oculis exemplum Ducis ſui : Apes, cùm exeunt ex alvearibus ſuis, ſuos intentos habent jugiter oculos in eam quæ jure Regio & dominatu ipſis imperat, & cùm hæc incedit, ipſæ incedunt ; & cùm iſta quieſcit, quieſcunt & ipſæ pariter : Sic requiritur, ut in exercitu ſit Dux generalis, in navi Nauclerus, & in domo Paterfamilias, cui omnes obediant, cujus mandata ſequantur, & imitentur exempla : propterea *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt* e. Et diſcipulis ſuis dixit *Jeſus, Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* f. Cùm igitur ſim facturus imaginem Jeſu Chriſti, non poteſt mihi melius ſuccedere conſilium meum, quàm ut præ veſtris oculis ponam S. Franciſcum, qui eſt viva expreſſio iſtius Prototypi, *Exhibeamus hominem perfectum in Chriſto Jeſu* g. Videbimus utriuſque convenientias. B. Virgo quæ ſuum ſanguinem ſubminiſtravit ad formandum Jeſum Chriſtum *h*, nobis erit favorabilis ad hoc ut nobis ad deſiderium ſuccedat repræſentatio tranſumpti, ſi dicamus illi, *Ave Maria.*

a Gloſſ. Ord. in Gen. 33. 10.
b Pſ. 18. 10.
c Philip. 2. 12.
d Dion. Carthuſ art. 2. in Philipp. 2. 12.
e Exod. 25. 1. & 40.
f Jo. 13. 10. & 15.
g Coloſſ 1. 28.
h Luc. 1. 38.

Deus qui replet omnia ſpatia immenſitate ſuâ, *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* i? vult etiam ut creaturæ, quas ipſe produxit, ſint characteres qui publicent ipſius magnitudinem. Cœlum aſtris & luminibus ſuis manifeſtat ſplendorem majeſtatis ipſius, *Cæli enarrant gloriam Dei : & opera manuum ejus annuntiat firmamentum* k. Aër, qui circumquaque ſe diffundit, ipſius bonitatem, *Bonum eſt diffuſivum ſui* l. Mare extenſione ſuâ immenſitatem ipſius ; profunditate ſuâ profunditatem judiciorum ipſius, *Judicia tua abyſſus multa* m. Et turbinibus ſuis iram ipſius, *Juxtà eſt dies Domini magnus, dies turbinis* n. Cùm igitur creaturæ in particulari præ ſe ferant aliquas notas perfectionum Dei, oporter ut ſit aliqua quæ ipſum repræſentet, ad hoc ut imago habeat convenientiam cum ſuo Prototypo : & hæc, eſt S. Franciſcus, qui imitatus eſt perfectè Jeſum Chriſtum in perfectionibus ipſius. Propterea dicit ei, *Præcedat Dominus meus ante ſervum ſuum.* Quaſi dicat, Tu es Dominus, & ego ſervus : tu es Prototypon, & ego tranſumptum, ideòque debeo me conformare tibi : ad te ergo pertinet præcedere, & imperare ; & ad me ſequi te, & tibi morem gerere. *Et ego ſequar paulatim veſtigia ejus.* Ipſe ſubdit, ſe adhæſurum paulatim veſtigiis ipſius : quia non poſſumus illum ſequi in omnibus, debemus, quantùm poſſumus, imitari veſtigia illius. Eſt igitur, ſi placet, obſervandum, quòd Salvator nobis reliquit veſtigia humilitatis ſanctæ *o*, miſericordiæ ſingularis *p*, charitatis immenſæ *q*, & potentiæ abſolutæ *r* : & hæc veſtigia S. Franciſcus eſt imitatus, quantùm potuit. Secutus eſt enim Primò veſtigia humilitatis ejus, ſuperando ſeipſum. Secundò veſtigia miſericordiæ illius erga proximum. Tertiò veſtigia charitatis ejus erga ipſum. Quartò veſtigia potentiæ illius, in miraculis & prodigiis ſuis, & in operibus præcipuis & excellentibus quæ fecit, quæ ſapiunt miraculum. Iſtæ quatuor conſiderationes ſervient panegyri Seraphici Patris mei S. Franciſci, & materiam ſubminiſtrabunt attentionibus veſtris exercendis.

i Jer. 23. 24.
k Pſal. 18. 1.
l S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4.
m Pſal. 35. 7.
n Soph. 1. 14. & 15.
o Jo. 13. 5.
p Luc. 9. 5.
q Jo. 19. 30.
r Matth. 8. 3. &c.

Diviſio.

I. Pars.

Requiritur Magiſtro, ad hoc ut imitabilis ſit, & ut iſte Magiſter ſit conſummatus perfectione : ſi enim quis imitetur prototypon imperfectum, nunquam fœlicem conſiliorum ſuorum ſortietur effectum : Jeſus Chriſtus imitatur perfectè Patrem ſuum, qui eſt Prototypon perfectionum, quippe qui *perfectus eſt* ſ. Pater æternus ſeipſum cognoſcens, producit *Verbum* t ſuum hac Divinâ cognitione : & Pater & Verbum in unitate principii ſeu ejuſdem voluntatis producunt *Spiritum veritatis* u, qui eſt terminus amoris ipſorum. Requiritur igitur perfectio è parte Magiſtri, ad hoc ut ſit imitabilis, & ſcientia ad docendum. Jeſus Chriſtus habuit triplicem ſcientiam, beatificam, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* x. Infuſam, *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & ſcientiæ* y. Et acquiſitam ſeu experimentalem, *Et Jeſus proficiebat ſapientiâ apud Deum & homines* z. Scientiâ beatificâ ipſe videbat omnia in Deo. Scientiâ infuſâ ipſe ſciebat univerſa quæ ſciri poterant. Et ſcientia experimentalis, eſt ea, quam ipſe ſibi comparavit propriis experientiis. Non poſſumus eum imitari in ſcientiâ ipſius beatificâ, & in infuſâ, ſed ſolùm in experimentali : at quali ſcientiâ ? Sanè ad offerendum ſe Patri ſuo in victimam, & ad faciendam in omnibus ejus voluntatem : *Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam* a. In quo S. Franciſcus eſt eum perfectè imitatus : *Omnium virtutum cuſtos & decor humilitas copioſà virum Dei ubertate repleverat*, ait S. Bonoventura *b* : *Tam enim aſſerebat ſanctæ obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ipſius colla ſummitterent, nil temporis ſine lucro tranſiret.* Magna humilitas Filii Dei, *lavare pedes diſcipulorum* c ſuorum. Quam conſiderans idem S. Bonaventura *d*, ait, *Inclinat ſe ſumma Majeſtas, & humilitatis Ma-*

ſ Matth. 5. 48.
t Pſ. 44. 2.
u Jo. 15. 26.
x Coloſſ. 2. 3. & 9.
y Iſai. 11. 2.
z Luc. 2. 52.
a Hebr. 5. 8
b S. Bon. in Legend S. Franciſc. c. 6.
c Jo. 13. 5.
d S. Bon. in Medit. vitæ Chriſti. c. 73

giſter

giſter uſque ad piſcatoris pedes, ſtat incurvatus, & genibus flexis, coram ipſis ſedentibus. Lavat propriis manibus, abſtergit, deoſculaturque omnium eorum pedes. Et quam cognoſcens S. Franciſcus, humiliter cœpit, humiliter proſecutus eſt, & humiliter perfecit, ut videri poteſt in ipſius vitâ. Propterea dici poteſt jure merito de illo id, quod dicitur de Ezechia [e], *Adhæſit Domino, & non receſſit à veſtigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moyſi* e. Hæc eſt humilitas S. Franciſci, qui diffiſus ſibi ipſi, omnia audet fultus virtute Dei, & dicere poteſt ſicut *Job ait, Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus, viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex eâ* f. Super quæ verba Gloſſa Ordinaria dicit, *Beatus Job in futurâ operatione incarnandæ Sapientiæ intendebat. Cujus vitam dum ſuperno Spiritu repletus ſolicitâ intentione conſpiceret, futuram manſuetudinis illius humilitatem prævidens, quaſi ad exemplum propoſitum recurrit.* Hoc applicari poteſt & S. Franciſco. Quid humilius Franciſco? ſed etiam quid illo generoſius? ipſe audet univerſa aggredi humilitate ſuâ, quæ ipſum inducit ad omnia contemnenda, ſed humilitate innixâ amori, & magno deſiderio quo ipſe cupiebat aſſimilari Domino ſuo. Amor pingitur cum alis, cæcus, & nudus: amor poſſidens cor Franciſci, facit ipſum volare cæco impetu *in ſolitudinem* g. Amor hic educit eum è mundo, è divite, qualis erat, facit illum pauperem, & relinquere *omnia, &* h ſequi Chriſtum. [In propriâ quidem reputatione nihil erat, niſi peccator, cùm in veritate ſpeculum eſſet, & ſplendor omnimodæ ſanctitatis. Malebat quidem de ſe vituperium audire, quàm laudem, ſciens quòd hoc ad emendandum induceret; illa impelleret ad cadendum. Et ideò ſæpè cùm populi merita in eo ſanctitatis extollerent, præcipiebat alicui Fratri, ut in contrarium verba ipſum vilificantia ſuis auribus inculcando proferret. Cùmque Frater ille, licèt invitus, eum ruſticum, & mercenarium, & inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quàm facie reſpondebat: Benedicat tibi Dominus, Fili chariſſime, quia tu veriſſima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire,] refert S. Bonaventura i. *Peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant*, ait S. Auguſtinus k. Et Dei Filius, *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* l. Et ſic eſt aliquid minus nihilo, cùm ſervus ſit minor Domino: *Humiliter Chriſti ſervus, Videor, ait, mihi maximus peccatorum*, juxta S. Bonaventuram m. Ergo eſt minor nihilo: & in hoc eſt comparabilis Deo, qui eſt ens infinitum, & Franciſcus nihilum: & hoc nihilum attrahit ad ſe magnitudinem Dei ad ipſum replendum, hoc vacuum requirit plenitudinem Dei: *Abyſſus abyſſum invocat* n. Et hoc nihilum Franciſci, eſt hoc quod ipſum plurimùm extollit: *Et quoniam humilitatem tam in ſe, quàm in ſubditis, cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipſum dignum judicabat faſtigiis, ſecundùm quod uni Fratri viro virtutis, & devotionis præcipuæ, viſio cœlitùs oſtenſa monſtravit. Cùm enim eſſet in comitatu viri Dei, & unà cum ipſo in quadam Eccleſiâ desertâ ferventi oraret affectu, in extaſi factus vidit inter multas in cœlo ſedes, unam præ cæteris digniorem pretioſis ornatam lapidibus, & omni gloriâ refulgentem. Miratus intra ſe præcelſi refulgentiam throni, anxiâ cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet aſſumi. Audivit inter hæc vocem dicentem ſibi, Sedes iſta unius de ruentibus* o *fuit, & nunc humili ſervatur Franciſco: Evangelio* p *ſacro teſtante cognoſcens, quòd ad excellentiam gloriæ, de quâ ſuperbus ejicitur, verè humilis exaltetur*, ait S. Bonaventura q.

e 4. Reg. 18.6.
f Job. 23. 11. & 12.
g Oſee 2. 14.
h Matth. 19.27.
i S. Bon. in Legend S. Franciſc. c.6.
k S. Aug. tract. 1. in Joan. 1.3.
l Joan. 8. 34.
m S. Bon. in Leg. S. Franc. c 6.
n Pſal. 41.8.
o ex Apoc. 12.9.
p ex Matt. 23.12.
q S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 6.

Ipſe manifeſtavit etiam humilitatem ſuam, ſuperando ſeipſum. Tres inſtituo maximas propter renovationem veteris Adæ, mortificationem carnis, denudationem mentis, & abnegationem voluntatis, quas perfectè Jeſus Chriſtus exercuit. *Militia eſt vita hominis ſuper terram* r, in quâ victores ſumus & victi, milites & aggreſſores, id eſt, victoriam referimus de nobis ipſis. Jeſus Chriſtus exercuit tres præfatas maximas. Primò enim, Si naſcitur, naſcitur in ſtabulo ſ: Si vivit, vivit in exilio t: Si moritur, moritur in loco montis *Calvariæ* u cruci ſuffixus. Secundò, Adverſantur homines doctrinæ ipſius, quam nolunt admittere, inſurgentes in ſententias ipſius: *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retrò: & jam non cum illo ambulabant* x. Tertiò, Quoad voluntatem, ipſe renuntiat ei, *Non mea voluntas, ſed tua fiat* y. Renovandus eſt hic vetus homo, mortificanda caro, cùm Adam, ut ſerviret ei, & placeret illi, nos perdiderit z: hæc eſt Dalila a, ſeu Siren, quæ nos demulcendo, ruinam nobis infert. Præterea, Non eſt adhærendum luminibus mentis noſtræ, ſicut luminibus intellectus ſui adhæſit Protoplaſtus Adam, quæ ipſum deceperunt. Tandem, Non eſt faciendum id, quò nos inducit propria voluntas noſtra. Quoad primam maximam, quæ eſt mortificatio carnis, non eſt tanta difficultas, cùm ſit eam diligere ac illam odiſſe, *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam* b. Nec ſic ingens eſt difficultas quantùm ad denudationem mentis, cùm poſſit decipi, & ſumere falſum pro vero. Sed maxima difficultas attenditur intuitu propriæ voluntatis abnegandæ, cùm agitur ut homo ſuperet ſemetipſum. S. Franciſcus tres iſtas maximas in praxim perfectè redegit. Primò, Mortificationem carnis: [Attendens enim illud Apoſtoli c verbum: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis: ut crucis armaturam ſuo ferret in corpore, tantâ diſciplinæ rigiditate ſenſuales appetitus arcebat, ut vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat neceſſitati corporis ſatisfacere, & pronitati ſenſuum non parêre,] refert S. Bonaventura d. Secundò, Quoad denudationem mentis, [Dixit aliquando ſociis: Inter alia, quæ dignanter Pietas mihi Divina conceſſit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter Novitio unius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo & diſcretiſſimo Fratri. Subditus (inquit) Prælatum ſuum non hominem conſiderare debet, ſed illum, pro cujus eſt amore ſubjectus. Quantò enim contemptibilior præſidet, tantò magis humilitas obedientis placet,] recenſet idem S. Bonaventura e. Tertiò, Quantùm ad abnegationem propriæ voluntatis, [Ut pluribus modis negotiator hic Evangelicus lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum, non tam præeſſe voluit, quàm ſubeſſe, nec tam præcipere, quàm parêre. Idcircò Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia ſubjacêret,] ait idem S. Bonaventura f. S. Franciſcus igitur tres iſtas maximas exercuit, ut ſe conformaret Prototypo ſuo Jeſu Chriſto, qui docens humilitatem, dicebat, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde* g. S. Franciſcus fuit inſignis diſcipulus illius, quippe qui proficuè uſus eſt omnibus inſtitutionibus Domini ſui. Nos autem agimuſne iſtud? Imò è contra quis eſt hodie in mundo qui non quærat gloriam ſæculi? Ipſi vel Ethnici confuſione nos operiunt in ſcholâ humilitatis: refert enim Valerius Maximus h de

r Job 7.1.
ſ Luc. 2. 7.
t Matth. 2.14. & 15.
u Jo. 19. 17. &c.
x Joan. 6. 67.
y Luc. 22. 42.
z Rom. 5. 12. ex Gen. 3.6.
a Judic. 16.19. &c.
b Joan. 12.25.
c Galat. 5. 24.
d S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 5.
e Idem Ibid. c. 6.
f Idem Ibid.
g Matth. 11. 29.
h Valer. Max. lib. 4. c. 1.

Fabiano Maximo Romano, quòd, cùm quinquies honoratus fuiſſet Conſulatu, videns quod filius ſuus electus erat ad eundem honorem, conatus ſuos omnes adhibuit ad impediendam talem dignitatem, non quòd filius ipſius indignus eſſet illis muniis ſic ſplendentibus, ſed ne illud officium ſic honorabile, foret in unâ & ſolâ familiâ. Sumuſne S. Franciſco ſimiles in mortificatione corporis? Nunquid non carnē noſtrā velut idolum colimus? Qualem luxum, & qualem pompam præ nobis ferimus; cùm cilicium portare deberemus ad ſatisfaciendum juſtitiæ Dei pro criminibus noſtris? Venimuſne ad Confeſſionis ſacræ tribunal? ideò ut diſputemus cum Confeſſario, & Theologiam Moralem reperiamus quæ ſit accommoda pravis conſuetudinibus noſtris. Unusquisque vult agere ad nutum ſuum, & nemini cedere, & eſſe ſummus in propriâ voluntate ſuâ. Franciſcus non ſe gerit iſto modo; ipſe deſerit ſemetipſum. Et ſi dicimus, quòd Abram obedivit Deo, & mandato huic, quo ipſi *dixit Dominus. Egredere de terrâ tuâ, & de domo*
i Gen. 12. 1. *patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi* i: Franciſcus hoc perfectiùs exequitur. Abram audit mandatum Dei ſui, præbet ei aurem ſuam, &
k Gen. 12. c. deſerit patriam ſuam *ut in terram Chanaan* k eat: Sed Franciſcus relinquit *omnia* l, quæ ipſe habet,
l Matth. 19. 27. & quæ ipſe eſt. Abram petit à Deo mercedes, *Dixitque Abram, Domine Deus, quid dabis mihi* m? At
m Gen. 15. 2. Franciſcus non petit quid amplius quàm pati, *Cùm cerneret vir Dei Franciſcus ſuo exemplo ad crucem Chriſti bajulandam ferventi ſpiritu plurimos animari, animabatur & ipſe tanquam bonus Dux exercitus Chriſti, ad palmam victoriæ per culmen invictæ perve-*
n S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 5. *nire virtutis*, ait S. Bonaventura n. Abram recedit à ſuis; & Franciſcus abnegat *ſemetipſum* o. Abnegatio perfecta. Ipſe dicit, inſtar S. Pauli p, *Vivo*
o Matth. 16. 24. *autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*: Divitiæ, habetis delinimenta, per quæ vobis concilietis a-
p Gal. 2. 20. morem; ſed non intuitu mei. Voluptates, præ vobis fertis eſcas, quibus decipiatis inſipientes; procul à me recedite. Amor proprie, tecum invehis lenocinia ad captandos ſuperbos: ſed nihil intereſt: *Vivo autem*, &c.

II. Pars. Pater cœleſtis in æternitate producit imaginem ſui ita perfectè, ut ipſe qui eſt producens, & Filius ſuus qui eſt productus, loquens & Verbum ſint
q Jo. 10. 30. idem, *Ego & Pater unum ſumus* q, ait Filius. De quo S. Paulus ait, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* r. *Cùm*
r Coloſſ. 1. 15. *ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* ſ. Et Ec-
ſ Hebr. 1. 3. cleſia, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Idem *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitu-*
t Gen. 1. 27. *dinem ſuam* t. Sed ubi Protoplaſtus iſte transgrediens ipſius mandatum u, vetito *de fructu comedit* x,
u Gen. 2. 17. & *denigrata eſt ſuper carbones facies* y, ſeu imago
x Gen 3. 6. hæc ipſi præbita à Deo, idem Pater æternus *ubi ve-*
y Thren. 4. 8. *nit plenitudo temporis* z, produxit Jeſum Chriſtum in Incarnatione, qui reponeret ſuper hanc imagi-
z Gal. 4. 4. nem charactēres quos ibi primus homo deleverat ſimilitudinis ipſius: Jeſus Chriſtus vult idem facere miſericordiâ ſuâ, & format S. Franciſcum, qui ipſum ſecutus eſt & imitatus quoad exempla miſericordiæ. Evangelia fidem faciunt, quòd Jeſus Chriſtus hâc virtute fuit commendabilis. Hoc teſtantur verba ipſius, & exempla. Quoad verba, ipſemet ait, [Filius hominis non venit animas per-
a Luc 9. 56. dere, ſed ſalvare a. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſal-
b Joan. 3. 17. vetur mundus per ipſum b.] Quantùm ad exempla, [Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam: & ſtatuerant eam in medio, & dixerunt ei, Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege c autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare. c ex Levit. 20. 10.
Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum; ut poſſent accuſare eum. Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terrâ. Cùm ergo perſeverarent interrogantes eum: erexit ſe, & dixit eis, Qui ſine peccato eſt veſtrûm d, d ex Deut. 17. 7.
primus in illam lapidem mittat. Et iterùm ſe inclinans, ſcribebat in terrâ. Audientes autem hæc, unus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus: & remanſit ſolus Jeſus, & mulier in medio ſtans. Erigens autem ſe Jeſus, dixit ei, Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Jeſus, Nec ego te condemnabo. Vade, & jam ampliùs noli peccare e.] S. Franciſcus imitatur exempla miſe- e Jo 8. 3. &c.
ricordiæ Domini ſui: [Afflictis qualicunque corporali moleſtiâ mirâ compaſſionis teneritudine condeſcendens, ſi quid penuriæ, ſi quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Chriſtum. Sanè clementiam habebat ingenitam, quam ſuperinfuſa Chriſti pietas duplicabat. Itaque liqueſcebat animus ejus ad pauperes, & infirmos, & quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Contigit ſemel, ut pauperi cuidam eleemoſynam importunè petenti, unus è Fratribus duriùs reſponderet. Quod audiens pauperum amator, Fratri præcepit, ut ad illius pauperis pedes ſe nudatum proſterneret, proclamaret culpabilem, orationis ſuffragium poſtularet, & veniam. Quod cùm ille feciſſet humiliter, dulciter Pater adjecit, Dum pauperem vides, ô Frater, ſpeculum tibi proponitur Domini, & pauperis Matris ejus. In infirmis ſimiliter infirmitates quas aſſumpſit, conſidera,] recenſet S. Bonaventura f. Qui ut f S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 8.
breviter omnes miſericordiæ ſeu pietatis ejus charactēres præ noſtris oculis ponat, ait aliquantò antè, [Pietas vera, quæ, ſecundùm Apoſtolum g, g ex 1. Tim. 4. 8.
ad omnia valet, adeò cor Franciſci repleverat, ac penetraverat, ut totum videretur ſervum Dei in ſuum Dominum vendicaſſe. Hæc eſt quæ ipſum per devotionem ſurſum agebat in Deum, per compaſſionem transformabat in Chriſtum, per condeſcenſionem inclinabat ad proximum, & per univerſalem conciliationem ad ſingula, refigurabat innocentiæ ſtatum. Cùmque per hanc piè moveretur ad omnia, ſpecialiter tamen animas Chriſti Jeſu ſanguine pretioſo redemptas h cùm h ex 1. Petr. 1. 19. & 18.
cerneret inquinari aliquâ ſorde peccati, tantâ miſerationis teneritudine deplorabat, ut eas tanquam mater in Chriſto quotidie parturiret i.] Sic ipſe i ex Gal. 4. 19.
dicere poterat id, quod *Job ait, Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus* k. Id eſt, miſericordiæ, ſicut colligitur k Job. 23. 11.
ex eo quod Gloſſa Ordinaria huic verbo, *veſtigia*, ſubdit, *operationes, quâ bonos juvat: malos verò tolerat.* Sed quis hodie habet hanc pietatem & miſericordiam? Sed potiùs quis eſt qui non ſit ſævitiâ repletus adverſus proximum ſuum? *Quaſi leo in ſpeluncâ ſuâ, inſidiatur ut rapiat pauperem*, ait Pſalmiſta l. Et poſt eum Dionyſius Carthuſian. m: l Pſal. 9. 30.
Verumtamen videat ſibi quilibet, qui ſe ad Chriſtum pertinere confidit, ne ſibi aliquo modo conveniant, quæ nunc de Antichriſto recenſita ſunt. Videat ſibi ne ravenatur ſuperbus, pauperumque oppreſſor, aut irriſor ſimplicium, vel contemptor infirmorum. Et ne de ſe m Dion. Carthuſ. in expoſ. tropol. Pſ. 9. 30.
dicatur, *Nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph* n. n Amos. 6. 7.

III Pars. S. Franciſcus eſt imitatus charitatem Jeſu Chriſti. Qualis charitas Jeſu Chriſti, qui ait per Jeremiam o, *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem* o Jer. 12.
meam: dedi dilectam animam meam in manum inimicorum ejus. Quod autem ait, ſubdit S. Hieronymus p, p S. Hier. lib. 3. in Jer 12. 7.

Dedi

Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum ejus: illud eſt; Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo reſumendi illam q. Sicut re verâ *in hoc cognovimus charitatem Dei: quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit* r. Ut paſſione & morte ſuâ daret nobis vitam, qui perdideramus eam per peccata noſtra. Sicut Deus eſt principium & origo vitæ, *Apud te eſt fons vitæ*, ait illi Pſalmiſta ſ: quam vitam omnes vitæ mundi tenentur agnoſcere ut primam & univerſaliſſimam cunctarum vitarum: ſic & illam communicat Filio ſuo in æternitate. In tempore Jeſus Chriſtus eſt principium vitæ, *Ego ſum Vita* t. Et ipſe communicat hanc vitam, quæ non eſt alia, niſi vita amoris & charitatis, S. Franciſco, qui ait cum S. Paulo u, ſe non vivere aliâ vitâ, niſi Jeſu Chriſti: *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Amor transformabat eum in Jeſum Chriſtum, cujus vitâ ipſe vivebat, quia, ut ait Dionyſius Carthuſianus x, *Secundùm Auguſtinum, Anima potius eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Amor, ſed amor patiens uniebat eum Dilecto ſuo. Quanta pertulit amore Seraphinus hic incarnatus in decurſu vitæ ſuæ! *Charitatem ferventem, qua Sponſi amicus* y *Franciſcus ardebat, quis enarrare ſufficiat? Totus namque quaſi quidam carbo ignitus Divini Amoris flammâ videbatur abſorptus. Subitò enim ad auditum Amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quaſi plectro vocis extrinſeca chorda cordis interior tangeretur. Non habebat aliud Chriſti pauper niſi duo minuta* z, *corpus, ſcilicet, & animam, quod poſſet liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Chriſti ſic offerebat continuè, ut quaſi omni tempore per rigorem jejunij corpus, & per ardorem deſiderij ſpiritum immolaret, exteriùs in atrio ſacrificans holocauſtum, & in templo interiùs concremans thymiama* a. *Sic autem eum charitatis exceſſiva devotio ſurſum in Divina ferebat, ut ejusdem affectuoſa benignitas ad naturæ conſortes, & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis cæteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non eſt ſi Creatoris inſignitis imagine, & ſanguine redemptis Auctoris germaniorem Chriſti charitas faciebat. Non ſe Chriſti reputabat amicum, niſi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum eſſe dicebat, eo maximè probans quòd Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Ferventi quoque charitatis incendio glorioſum ſanctorum Martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari,* &c. ait S. Bonaventura b.

S. Paulus c dicebat, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne meâ, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Id eſt, per applicationem. Seraphicus Pater S. Franciſcus poteſt iſtud meliùs dicere. Deerat paſſioni Chriſti ictus lanceæ, quem non ſuſcepit Chriſtus niſi poſt mortem ſuam, qui non profuit, cùm non eſſet ampliùs in ſtatu merendi Salvator, quippe qui non erat ampliùs viator; tunc cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* d. Franciſcus illum recipit, & ſupplet in corpore ſuo id quod deerat paſſioni Domini ſui: *Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*, ait ipſe meliùs quàm idem S. Paulus e. *Ejus manus enim & pedes in ipſo medio clavis confixa videbantur: dextrum quoque latus, quaſi lanceâ tranſfixum rubrâ cicatrice obductum erat, quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens, tunicam & femoralia reſpergebat* f.

Sed Jeſus Chriſtus non eſt ſolùm principium vitæ, ſed etiam mortis, cùm ſit *Primogenitus mortuorum* g. Sic docet iſtud ipſe Franciſcum. Franciſcus imitatur etiam Jeſum Chriſtum in hoc puncto. Triplex datur mors, deſiderij, amoris, & naturæ. Jeſus Chriſtus deſideravit mortem, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur* h. Mortuus eſt amore, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* i. Mortuus eſt morte naturæ violentâ manibus carnificum, qui *crucifixerunt eum* k. Sic Franciſcus mortuus eſt deſiderio: *Deſiderabat & ipſe illâ perfectâ charitate ſuccenſus, quæ foras mittit timorem* l, *per martyrij flammam hoſtiam Domino ſe offerre viventem* m, *ut vicem Chriſto pro nobis morienti rependeret, & ad Divinum amorem cæteros provocaret*, ait S. Bonaventura n. Mortuus eſt amore: *Excreverat quidem in eo inſuperabile amoris incendium boni Jeſu in lampades ignis atque flammarum, ut aquæ multæ charitatem ejus tam validam extinguere non valerent* o. *Cùm igitur Seraphicis deſideriorum ardoribus, ſurſum ageretur in Deum, & compaſſivâ dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimiâ voluit crucifigi: intellexit tandem ex hoc Domino revelante, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti crucifixi ſimilitudinem transformandum. Igitur mirabilem in corde ipſius reliquit ardorem, ſed & in carne non minùs mirabilem ſignorum impreſſit effigiem*, dicit idem S. Bonaventura p. Mortuus eſt morte naturæ: & ſicut dicitur de Moyſe, *Mortuus eſt jubente Domino* q, quod aliqui vertunt, *in oſculo Domini*: ſic Franciſcus ſpiritum ſuum poſuit in manibus Dei, ſicut *& clamans voce magnâ Jeſus, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum* r, *& hæc dicens expiravit* ſ. De illo enim narrat idem S. Bonaventura t, *Ipſe verò prout potuit in hujus Pſalmi* u *vocem erupit; Voce meâ ad Dominum clamavi; voce meâ ad Dominum deprecatus ſum. Et ad finem uſque complevit. Me, inquit, expectant Juſti; donec retribuas mihi. Tandem, Cunctis in eum completis myſterijs, animâ illâ ſanctiſſimâ carne ſolutâ, & in abyſſum Divinæ claritatis abſorptâ, beatus vir obdormivit in Domino.* Videte quomodo iſtud tranſumptum repræſentet Prototypon ſuum. Franciſcus non adhæret ampliùs terræ: & ſi Deus Pater omnia tradidit Filio ſuo, ſicut ipſemet Filius ait, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo* x: Jeſus Chriſtus omnia dedit Franciſco, imò verò communicavit etiam ei potentiam ſuam, ſic ut dicam modò, poſtquàm verbulum reflexionis protulerim vel unicum.

Videamus nunc eum ſimilem nobis per convenientias quas faciemus paſſionum illius cum paſſionibus noſtris. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſe[...] veſtigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*, ait nobis S. Petrus y. Nolumus aſſimilari Jeſu Chriſto, huic perfecto Prototypo innocentiæ, & ſanctitatis; ſed volumus ut Jeſus Chriſtus aſſimiletur nobis, cùm nolimus reddere nos imagines Prototypi ſic conſummati: *Exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis*, exprobrat ipſe ſingulis per Pſalmiſtam z ſuum. *Sanguine hircino adamas frangi dicitur. Sed heu! Sanguine Chriſti cor tuum non frangitur. O duri & obdurati Adam filij, quos non movit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris!* exclamat S. Bonaventura a. Avarus ſibi putat, quòd Jeſus Chriſtus ſit totus aurum, ut ipſi ſerviat loco idoli: hæc puella, vel mulier, quæ ſibi complacet in amicitijs fovendis, ſumit illum pro amaſio: vos vultis Deum talem quales vos eſtis, qui ſit ſimilis vobis, qui ſeſe omnibus accommodet ad captum veſtrum, dicentes, ſicut Iſraëliticus *populus congregatus adverſùs Aaron, dixit, Surge, fac*

nobis

q ex Jo. 10. 18.
r 1 Joan. 3 16.
ſ Pſ. 35. 10
t Joan. 14. 6.
u Gal. 2. 20.
x Dion. Carthuſ. art 31. in Luc. 12. 34.
y ex Jo. 3 29.
z ex Marc. 12. 42.
a ex Exod. 31 9.
b S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 9.
c Coloſſ. 1. 24.
d Io. 19. 34.
e Gal. 6. 17.
f S. Bon in Leg. S. Franc. c. 13.
g Apoc. 1. 5.
h Luc. 12. 50.
i Iſa. 53. 7.
k Io. 19. 18. &c.
l ex 1 Io. 4. 18.
m ex Rô. 12 1.
n S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 9.
o ex Cât. 8. 6. & 7.
p S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 13.
q Deut. 34. 5.
r ex Pſ. 30 6.
ſ Luc. 23. 46.
t S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 14.
u Pſ. 141.
x Matth. 11 27.
y 1. Petr. 2 21. & 22.
z Iſai 53. 9.
z Pſ. 49. 21.
a S. Bon. ſerm. 4. in Paſſ. ... S. B... dum.

Exod. 32.1. *nobis Deos qui nos præcedant* b. Conformate vitam veſtram vitæ Jeſu Chriſti, ad exemplum S. Franciſci, qui tandem imitatus eſt eum in potentiâ ipſius.

IV. Pars. Colligimur eximiæ qualitates, authoritas, & potentia alicujus ex officio, vel ex dignitate, quo elevat ipſum Deus, *Qui & idoneos nos fecit miniſtros* c 2. Cor. 3.6. *novi Teſtamenti* c. Inde cognoſcimus excellentiam diſcipulorum Chriſti ab ipſo evectorum ad digni- d Luc. 6, 13. &c. tatem Apoſtolatus d: & eminentiam B. Virginis e Matth. 1.16 &c. Mariæ ſupra omnes Sanctos, ab eo elevatæ ad Divinam ſuam Maternitatem e. Ut igitur cognoſcamus magnitudinem potentiæ humilis S. Franciſci, conſiderare debemus ad quod officium ipſe electus ſit. Sed quis poſſet illud explicare? Deus illud & ipſi, & Innocentio III. ſummo Pontifici manifeſtavit. *Dum enim die quâdam egreſſus ad meditandum, in agro deambularet juxta Eccleſiam ſancti Damiani, quæ minabatur præ nimiâ vetuſtate ruinam, & in eam inſtigante ſe Spiritu, causâ orationis intraſſet, proſtratus ante imaginem Crucifixi, non modicâ fuit in orando ſpiritus conſolatione repletus. Cùmque lacrymoſis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipſâ Cruce dilapſam ad eum corporeis audivit auribus, ter dicentem: Franciſce, vade, & repara domum meam, quæ ut cernis, tota deſtruitur. Licèt principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Chriſtus*
f ex Act. 20.28. *ſuo ſanguine acquiſivit* f: *ſicut eum Spiritus ſanctus edocuit, & ipſe poſtmodùm Fratribus revelavit*, ait S.
g S. Bon. in Leg. S. Franc. c. 2. Bonaventura g. Qui aliquantò pòſt h ſubdit:
h Idem ibid. c. 3. *Chriſti Vicarius Dominus Innocentius III. viſionem, quam tunc temporis è cœlo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu Divino ſuggerente firmavit: Videbat namq; in ſomnis, ut retulit, Lateranenſem Baſilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus modicus & deſpectus proprio dorſo ſummiſſo ne caderet ſuſtentabat. Verè, inquit, hic eſt ille, qui opere & doctrinâ, Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam.* Proptereà ſi cupitis ſcire, in quo ſitum ſit officium Franciſci: reſpondeo, quòd in reparandâ & ſuſtentandâ Eccleſiâ, quod eſt, ut loquar cum Con-
i Concil. Trid. ſeſſ. 6 decret. de Reform. & Reſ. c. 1. cilio Tridentino i, *Omnis Angelicis humeris formidandam.* Finxerunt Poëtæ de Atla, quòd ſuſtineret humeris mundum: ſed ecce S. Franciſcus ut verus Atlas, qui ſuſtentat Eccleſiam univerſalem, quæ abibat in deſolationem. Eccleſiaſticus k dixit
k Eccli. 50.1. de Simone, *Simon Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vitâ ſuâ ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum.* Hoc ipſum quod ſummus iſte Pontifex fecit templo materiali, fecit & inuſitato prodigio & miraculo S. Franciſcus templo ſpirituali. Unde vi[illegible]us quomodo tempore S. Franciſci, Eccleſia vergebat in ruinam per malitiam dæmonum, & ruinam vitiorum. Tempore Regis Antiochi. *Sancta in manibus extraneorum facta ſunt: templum ſicut homo ignobilis. Et ſcidit veſtimenta ſua Matathias, & filij ejus: & operuerunt ſe cilicijs, & planxerunt valdè. Et venerunt illuc qui miſſi erant à Rege Antiocho, ut cogerent eos qui confugerant in civitatẽ Modin immolare, & accendere thura, & à lege Dei diſcedere. Et multi de populo Iſrael conſentientes acceſſerunt ad eos: ſed Matathias & filij ejus conſtanter ſteterunt. Et exclamavit Matathias voce magnâ in civitate, dicens, Omnis qui zelum habet legis ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me. Et fugit ipſe, & filij ejus in montes, & reliquerunt quæcunque habebant in civitate. Tunc deſcenderunt multi quærentes judicium & juſtitiam, in deſertum: & ſederunt ibi ipſi, & filij ejus, &*
l 1. Mach. 2.8. &c. *mulieres eorũ, quoniam inundaverunt ſuper eos mala* l. Sic loquendum eſt de Franciſco, & de filiis & filiabus ejus ſpiritualibus. Sed examinemus officium Patris iſtius Seraphici, quod ita altum eſt, ut vires prætergrediatur humanas, & ſapiat miraculum? Quale eſt hoc officium, & in quo ſitum, niſi in reparandâ Eccleſia? Sed quis poteſt hoc facere, niſi Jeſus Chriſtus, qui *fundavit eam in æternum?* juxta Pſalmiſtam m. *Quia fides Eccleſiæ uſq;* m Pſal. 47. 9.
in finem mundi durabit, quemadmodum Chriſtus Apoſtolis in perſonâ Eccleſiæ dixit, Ecce vobiſcum ſum
omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi n, ſub- n Matth. 28.20.
dit Dionyſius Carthuſianus o. Et qui ait ipſemet o Dion. Carthuſ. in hunc locum Pſ.
Petro, *Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* p. Quis igitur poterit illam reparare, niſi ille qui eam ædificavit? Cùm domus aliqua minatur ruinam, tunc vocatur architectus,
qui ædificavit illam, ut eam reparet. Dicere poſ- p Matth. 16.18.
ſetis, quòd alij perſæpè hoc faciunt appoſitè. Sed ad hoc reſpondeo quòd opus eſt interdum ſic delicatum, ut requiratur ad ipſum reparandum manus proprij artificis. Tempore S. Franciſci, Eccleſia, quæ eſt opus delicatiſſimum, vergebat in ruinam; & ideò reparanda erat. Jeſus Chriſtus non debebat è cœlo deſcendere propter hunc effectum: ſed ecce ſecundus Jeſus Chriſtus, qui muniis his fungeretur, qui erat Pictor, & ad hoc ut agnoſcatur, inſignitus erat ſtigmatibus ejuſdem Salvatoris, ut ſigillo Regio authoritatis ejus. Cùm
igitur dicat Apoſtolus q, quòd *Chriſtus reſurgens ex* q Rom. 6. 9.
mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur: Divina Sapientia decrevit, ut idem Jeſus Chriſtus denuò crucifigeretur in ſervo ſuo Franciſco, cujus vulnera renovarent memoriam vulnerum ejuſdem Salvatoris: ideòque inſignitus eſt vulneribus ejus, ad hoc ut fides ipſi adhiberetur, ſicut Reges munienda ſatagunt edicta ſua ſigillis ſuis Regiis, ut concilient eis authoritatẽ & fidem. Franciſcus igitur imitatus eſt Jeſum Chriſtum in prodigiis & in operibus ſuis miraculoſis, quæ videri poſſunt in ipſius vitâ. Dici poteſt de illo id
quod ſcriptum eſt in Iſaia r, *Venient ad te, & adora-* r Iſa. 60. 14.
bunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Nam in civitate Potentiâ, Provinciæ Apuliæ, Sacerdos quidam intuens imaginem S. Franciſci, dubitavit de miraculo ſtigmatum, & confeſtim ſenſit ſe percuti in cavo manus lævæ, & auferens chirothecam ſuam, invênit vulnus; quod ipſum induxit ad agnoſcendam culpam ſuam, & ad petendam illius veniam ab iſto Sancto, cujus interceſſione impetravit animæ ſuæ, æquè ac manus ſuæ ſanitatem.

Aliàs colligebantur oſſa Ducum, qui occiſi fuerant in prælijs, & collocabantur in magnificis mauſoleis, ut meliùs conſervaretur memoria magnanimitatis eorum: quòd ſi hæc non habebantur, erigebantur ſtatuæ ad honorem & gloriam eorum. Non habemus hîc, Auditores, reliquias S. Franciſci, ut erigamus eis mauſolea: debemus ergo ſtatuas erigere. Sed ha! retracto me: illæ non deſunt nobis. Dicere poſſum ſine vanitate, reverendi Patres, & chariſſimi Fratres, quòd nos omnes quotquot ſumus, potimur hâc prærogativâ ut ſimus ſtatuæ viventes & animatæ Seraphici Patriarchæ noſtri, ſi reddamus nos naturales expreſſiones quæ illum repræſentent. Continuemus jugiter conformare nos iſti perfecto prototypo: ſatagamus ut ſimus humiles ſicut iſte Pater Seraphicus fuit humilis, pij & miſericordes non ſecus ac ipſe, diligamus ſicut ipſe patiendo amavit, & ignis amoris Divini non ſerviet niſi ad reddendos nos ſplendidiores in cœlo, ſicut Pater noſter in terrâ micuit prodigijs & miraculis. Diſcamus nos qui nomen dedimus militiæ ejus, & ſub vexillis illius militamus, quòd

Diſcamus

Dedecus eſt natis claros habuiſſe Parentes,
Ni ſtudeant illis moribus eſſe pares.

Quòd ſi non poſſumus omnino, ſaltem paulatim contendamus, dicentes ſicut ipſe dicebat Domino ſuo, *Sequar paulatim veſtigia ejus.* Religioſi dicere deberent id, quod dicebat *Jophte Galaadites vir fortiſſimus atque pugnator, Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero* f. Cùm ſuggeſtio mundi, vel diaboli, vel carnis perſuadere conabitur Religioſo, ut agat aliquid contra vota ſua, oportet ut ipſe nunc dicat, *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Promiſi in profeſſione meâ me futurum fidelem obſervatorem eorum omnium quibus alligavi me voluntariè, relinquens *omnia, &* t ſequendo eundem Dominum; non poſſum ſine crimine Regulam meam infringere, & ſic Divinæ Majeſtatis læſæ reum me conſtituere.

f Judic. 11. 1. & 35.
t Matth. 19. 27. &c.

O beate Franciſce, cùm conſidero te in terrâ, mihi videor intueri te ut virum prodigioſum, ut Magiſtrum doctoratus laureâ decoratum in cœlo, ut Scholaſticum Spiritus ſancti, ut tertiumdecimum Apoſtolum, ut quintum Evangeliſtam, ut *alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi* u, miſſum à Deo ad prædicandum populis, ad docendas res altas, ad revelanda myſteria, ad inſtituendos ignaros, & ad convertendos peccatores. Si reſpicio te evectum in Ecclesiâ, ibi te video ut fortiſſimam columnam, ut ſoldiſſimum fundamentum, ut celeberrimum Ducem: videndo te, mihi videor intueri ibi illum magnum fluvium, qui *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita* x. Ex te enim ut è magnâ & vivâ origine ſanctitatis & pietatis prodierunt in Ecclesiam omnes iſti egregij viri, majores noſtri, qui nos irrigaverunt, & irrigant adhuc ſcriptis ſuis, poſtquàm nos irrigarunt prædicationibus & exemplis ſuis, & nos fœcundant bonis ſuis operibus. Sed cùm te contemplor in cœlo, puto quòd ultra gloriam eſſentialem y quæ tibi cum omnibus Sanctis eſt communis, poſſides etiam magnam gloriam accidentalem. Intercede pro nobis, & nobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* z.

u Apoc. 7. 2. juxta S. Bon. in Prol. og. Leg. S. Franc.
x Gen. 2. 10.
y Joan. 17. 5.
z Pſ. 83. 12.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matth. 22. 39.

Fides, ſpes, & charitas ſunt altiſſimæ & excellentiſſimæ omnium virtutum, quas unquam cœlum mundo communicaverit: ingenuè tamen eſt hæc veritas fatenda, quòd ipſæ erant coactæ & captivæ intra limites ſtrictos, *cùm benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei: non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* a. Nam primò fides & cognitio veri Dei erat coarctata intra terminos Palæſtinæ, & nomen Dei erat ſolùm cognitum à populo Iſraël, *Notus in Judæâ Deus, in Iſraël magnum nomen ejus* b. Et excepto populo Iſraëlitico totus mundus erat obvolutus obſcuritatibus & tenebris Paganiſmi, uſque ad prædicationem Evangelicæ legis, quæ circumquaque veritatem deferens, ditavit univerſum mundum theſauris & abundantiâ Spiritus ſancti per cognitionem veritatis iſtius: ex tunc enim limites qui coarctabant extenſionem fidei, evulſi ſunt à veritatibus Evangelicis, quæ per totum fuerunt orbem publicatæ, *Prædicate Evangelium omni creaturæ* c. Prætereà, Quantùm ad ſpem, hæc non erat fundata niſi ſuper promiſſiones & mercedes temporales, ut ſuper abundantiam bonorum d, magnum numerum gregum e, & fertilitatem hæreditatum f, *terram quæ fluit lacte & melle* g, & benedictionem familiarum h, ſic ut tunc ſpes non poſſet altiùs ſe protendere. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* i. Et tunc limites fuerunt eradicati, & anima noſtra elevata eſt per altam elevationem Filij Dei k, uſque ad ſpem cœli, & ideò S. Paulus l ait quòd *gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Præcipuè charitas, quæ eſt virtus ſic nobilis & ita elevata, erat veluti captiva & detenta per occurſum obſtaculorum, quæ ſiſtebant ipſius flammas; ſic ut tunc præciperetur ſolus amor proximi m, nedum quid aliud juberetur. Et ecce quomodo ante adventum Salvatoris, charitas erat intra ſtrictos limites: ſed ad ſolum Salvatorem, qui eſt Pater viventium & defunctorum, (*In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur* n) pertinet ut ſit origo & author noſtræ libertatis, cùm dicere poſſimus ſinguli poſt S. Paulum o, *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto, liberavit me à lege peccati, & mortis.* Ad illum ſpectat deſtruere has arces, & iſtos limites, in quibus mundus erat captivus, evellere terminos quos mundus conſtituerat amori, educere charitatem à vinculis ſuis. Et hoc eſt quod ipſe facit hodiernâ die, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Id eſt, quemlibet viatorem ad Dei imaginem factum* p, *& gratiæ gloriæque capacem*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus q. Sic ut ſub iſto proximo comprehendantur non ſolùm amici, ſed etiam inimici, quos etiam diligere debemus, ſi velimus eſſe *filij Patris qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos* r. Qui communicabit nobis gratias ſuas, ſi noverimus eas ab ipſo efflagitare per interceſſionem Matris gratiarum, dicendo ei, *Ave Maria.*

a Tit. 2. 4.
b Pſal. 75. 2.
c Marc. 16. 15.
d Gen. 27. 28.
e Gen. 30. 43.
f Gen. 27. 8.
g Exod. 3. 8.
h Deut. 28. 1. &c.
i Galat. 4. 4. & 5.
k Philip. 3. 0.
l Rom. 5. 2.
m Deut. 15. 7. &c.
n Rom. 14. 9.
o Rom. 8. 2.
p ex Gẽ. 9. 6.
q Dion. Carthuſ. art. 1. in Matth. 22. 39.
r Matth. 5. 44. & 45.

S. Paulus Apoſtolus deſiderium format in favorem noſtrûm, videlicet ut pax Jeſu Chriſti nos eximat à moleſtijs & faſtidijs, & ut lætitia animæ noſtræ manifeſtetur in noſtris cordibus: & ſicut lectiones iſtius Magiſtri illuſtrati luminibus cœli, *Quoniam raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* ſ, erant repletæ ſapientiâ profundâ & Divinâ, certum eſt quòd abſcondit ipſe ſublimes ſcientias, & raras cognitiones ſub illis, *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris* t.

ſ 2. Cor. 12. 4.
t Coloſſ. 3. 15.

u Corn. in Col. 3. 15. Et, ſecundùm Cornelium u, *Pax Chriſti βραβευέτω, id eſt, quaſi Brabeuta imperet, & regat animi veſtri motus. Græcum enim βραβεύειν ſignificat præſidere, regere, moderari, & tanquam Præſidem in certamine victori dare palmam & bravium. Alludit enim ad agones & certamina, in quibus Brabeuta quaſi Judex, Arbiter, & Moderator præſidebat, & victori palmam ac bravium dabat.* Et hoc in ſenſu ſignificat S. Paulus, paſſionem animæ furioſæ eſſe veluti exercitum, in quem ſe intromiſit diviſio. Sed oportet ut in his occurſibus, ait Apoſtolus, fideles alloquens, *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Spectat ad charitatem, quæ inſtituit pacem, quæ eſt character & nota infallibilis Chriſtianiſmi, ut ad Ducem generoſum & æquum, diſtribuere in exercitibus unicuique ordinem, & bravium quod ei debetur; ad ipſam, inquam, pertinet regere motus immoderatos, temperare ardores excedentes, & frænum imponere violentiæ paſſionum æquo liberiorum: atqui pax hæc animæ interturbari poteſt, aut amore inordinato, aut ambitione immoderatâ, aut deſiderijs præſumptionem ſapientibus, vel iracundijs ardentibus, vel moleſtijs acerbis, aut diſſenſionibus ingentibus: ſed proprium eſt charitati Chriſtianæ prævenire hanc confuſionem, & eam extinguere in oanvitate ſuâ, ſi jam concepta erat; modum imponere progreſſui ejus, ſi ipſa non poteſt habere hoc imperium ſuper principium illius, & conſtituere ei limites ad impediendum quin interturbet pacem cordium noſtrorum. Vel, ſecundùm eundem Cornelium, *Pro exultet, Græcè eſt βραβευέτω, quod Eraſmus & Vatablus vertunt, Bravium & palmam ferat pax, ut quæcumque opinionum, rerum, factorum diverſitas, vel averſitas accidat, pax conſervetur; primum ſtudium ſit paci, prima ubique paci deferantur; ut potiùs tuâ ſententiâ decedas, imò potiùs tua bona perdas, quàm pacem: ideòque pax victrix inſtar triumphantis exultet in cordibus veſtris, & is putet ſe viciſſe in quâvis lite, aut diſputatione, qui cæterarum rerum diſpendio pacem conſervarit.* In quo Apoſtolus ſupponens, ſicut verum eſt, quòd eſt magna diviſio inter ſapientes mundi & diſcipulos Chriſti, poſtquàm dixit, quemadmodum eſt veritati conforme, quòd eſt pugna continua in animâ Chriſtianorum, alij dicunt quòd eſt vindicta capeſſenda, & hæc eſt maxima mundi: atqui, Chriſtiani, dicit Apoſtolus, cùm certamen ſit ineundum, in quo ſunt magis ac magis accendendæ paſſiones in vobis, ſatagite ut *pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*: & ut lectiones crucis Chriſti prævaleant adversùs lectiones mundi. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis,*

x Levit. 19. 18. y Matth. 5. 43. & 44. *Diliges amicum tuum x, & odio habebis inimicum tuum y.* Hæc veritas Salvatoris continet magnas contentiones & bella perpetua inter ſapientes mundi & eos qui habent ſapientiam Dei, inter Judæos & Chriſtianos, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Odio habebis inimicum tuum.* Ecce doctrina Judæorum, & mundi. *Hoc autem quod de odio inimici ſubjicitur, quidam Judæorum peſſimè intellexerunt, dicentes inimicos ſimpliciter odiendos, ad quod multa veteris Teſtamenti teſtimonia adduxerunt. Multa enim ſunt quæ ſuperficialiter intellecta, videntur*

z ex Deut. 23. 6. † ex 2 Eſdr. 4. 5. *hoc ipſum prætendere. Sicut cùm Moyſes z ait, Non quæres ei bonum. Et Nehemias †, Confundantur, & peccata eorum non deleantur. Sed talia atque ſimilia intelligenda ſunt quantùm ad temporalia bona, vel de inimico ſecundùm vitium inimicitiæ, non ſecundùm eſſe naturæ: vel dicuntur zelo juſtitiæ, ſeu modo prophetiæ, non affectu invidiæ,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus a. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros.* Ecce deciſio crucis, & Jeſu Chriſti. Lex mundi vult ut conteſtatio & vindicta extinguant odia; & lex Dei requirit ut amor & charitas terminent omnia diſſidia: mundus ait quòd venia injuriarum eſt jugum intolerabile; & crux docet nos quòd eſt lex ſuavitatis b: Sapientia mundi dicit, quòd indulgentia offenſarum eſt inſtitutio nova, quâ onerati ſumus à pietate Chriſtianiſmi, qui tamen eſt lex libertatis; ſed devotio crucis deſtruit hæc univerſa mendacia. Re autem verâ crux decidit hæc tria diſſidia tribus decretis infallibilibus. Quorum primum eſt, quòd nedum venia injuriarum infirmet aut minuat animos noſtros, aut privet eos oblectamento vindictæ, è contrà ſtabilit generoſitatem in animabus noſtris; & non poſſumus melius ulciſci nos de inimicis noſtris, quàm parcendo eis æquo animo. Secundum eſt, quòd nedum indulgentia offenſarum ſit jugum moleſtum & intolerabile, è contrà Deus mitigavit iſtud jugum ſuavitatibus extraordinarijs & inauditis. Tertium verò eſt, quòd nedum hujuſmodi condonatio facta inimicis, ſit inſtitutio nova, è contrà lex iſta ſic eſt antiqua ac fundamenta mundi, & inſtituta eodem tempore quo homines. Et ecce tria areſta crucis, quorum primum tangit generoſitatem veniæ, ſecundum dulcedinem illius, tertium verò juſtitiam & antiquitatem ejus, ſicut videbitis in triplici parte diſcurſus iſtius.

a Dion. Carthuſ. art. 11. in Matth. 5. 43.

b Matth. 11. 30.

Diviſio.

I. Pars. Dico igitur quòd eſt oppoſitio ridicula quorundam veterum inimicorum, quibus tempus abſtulit authoritatem, qui dicunt quòd inſtituere legem veniæ inimicorum, eſt armare furorem improborum, & exponere non ſolùm domos particulares, ſed etiam Regna integra rabiei & furori Tyrannorum; quia ſi decernitur ut injuriæ condonentur, illico inſtituitur impunitas criminum, & animatur & roboratur vitium, cùm homo poſſit univerſa attentare cùm nihil timet, & immunis eſſe poteſt à punitione & à ſupplicio. En id quod ipſi allegant: atqui ſuper hoc afferendæ ſunt rationes ſufficientes ad confundendos iſtos æquo liberiores. Dico quòd hæc oppoſitio eſt quorundam fictorum & diſſimulatorum hominum, qui operiunt ſe ſanctâ apparentiâ generoſitatis, & prætextu virtutis, quia vindicta rapit homines extra ſeipſos: atqui videntur affectus violenti, qui eos rapiunt extra ſeipſos ferre etiam illos extra vulgum; & blaſphemiæ, quas jugiter habent in ore, apparent quibuſdam ſermo pompaticus, & hoc æſtimatur magnitudo & generoſitas animi: datur enim differentia inter hominem vanitate, ſuperbiâ, & præſumptione tumentem, & hominem verè generoſum & fortem: nam ſi vindicta eſſet nota infallibilis generoſitatis, hæc paſſio non illaberetur homines infirmos: quotidianâ tamen experientiâ comprobamus, quòd illi qui magis ſe ulciſcuntur, ſunt pueri, ſenes, & mulieres, utpote promptiores ad vindictam propter infirmitatem ætatis ſuæ, & ſexus ſui.

Prætereà, Generoſitas cordis provenit ex elevatione animæ, quæ conſiſtit in hoc quòd ipſa ſe elevat ſuper id quod interturbare poteſt quietem & tranquillitatem mentis noſtræ: & ſicut pars ſuperior animæ eſt in quiete, nec unquam eſt in inquietudine, & quia non eſt turbata [illegible] ..., ipſa eſt in ſerenitate permanenti, quæ eſt nota elevationis ipſius ſupra fulmina & tempeſtates: ſic ſoli homines viles, depreſſi, & repentes, ſe ſinunt

abripi

abripi deſiderio vindictæ, cùm ſint interturbati & inquieti: ſed homines generoſi elevant ſe ſupra turbines & tempeſtates: & illi ſunt fortiores, qui meliùs noverunt injurias ſibi irrogatas dimittere.

Inſuper, Animus nobiliſſimus & elevatiſſimus omnium, eſt ille qui nihil intuetur ſupra ſe, quique nihil timet quod poſſit ipſum interturbare. Et hoc modo conſulit S. Paulus *c* Chriſtianis, ut ſint magnanimi, dicens ſingulis illorum, [Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.] Et Dionyſius Carthuſianus *d* poſt eum, [Noli vinci per impatientiam, à malo, ſed vince per fortitudinem animi, in bono, id eſt, tuâ bonitate, malum alterius, non apponendo malum malo, ſed quò alter ampliùs malignatur, eò tu magis pium te præbeas.] Et Cornelius *e*, [Noli vinci à malo, ſcilicet ab injuriâ illatâ, & conſequenter à dæmone, qui injuriam hanc & injuriantem excitat, ut & ſuam & tuam pacem, pariter ac conſcientiam turbet. Rurſum, Noli vinci à malo, à tuâ ſcilicet impatientiâ. Nemo enim læditur & vincitur niſi à ſeipſo, ait S. Chryſoſtomus. Nam, ut ait S. Ambroſius lib. 1. Offic. c. 63. Vindicare ſe non eſt actus fortitudinis, ſed abjectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat. Imò Ariſtoteles lib. 4. Ethic. c. 3. docet magnanimi eſſe oblivisci injuriarum. Sicut enim (inquit) debilis ſtomachi eſt, cibum duriorem non poſſe concoquere; ita puſillanimi eſt, verbum duriuſculum non poſſe ſuſtinere. Hinc de Julio Cæſare ait Cicero Oratione pro Marcello: Cæſar nihil obliviſci ſolet niſi injurias. Sive hoc dixerit verè Cæſarem laudando, ſive fictè eidem adulando, ait S. Auguſtinus, Epiſt. 5. Quàm longè ab hâc virtute abeſt vulgus hominum! qui (ut dicere ſolet B. Thomas Morus) beneficia pulveri, maleficia marmori inſculpunt. Sed vince in bono malum. Id eſt, malefacta benefactis ſupera, malitiam vince bonitate, tùm ut per maleficium alterius beneficentia tua ſit illuſtrior atque auguſtior; tum ut vincas ejus improbitatem beneficiis, ut ex improbo probus & bonus fiat, ex hoſte amicus. Pulchrè de hâc victoriâ diſſerit hîc in Morali S. Chryſoſtomus, ubi docet vinci inimicum non talione, ſed patientiâ, contemptu, riſu. In Olympiacis, ait, certaminibus diabolo conſecratis lex eſt, malefaciendo vincere: in ſtadio Chriſti omnino lex eſt contraria: hîc enim non eum qui percutit, ſed qui percutitur, coronari decretum eſt. Illud demum eſt Divinæ virtutis, illud cœleſte ſtadium, illud Angelorum theatrum. Si manſuetudinem exhiberemus, eſſemus omnino inſuperabiles, nec ulla ad nos injuria perveniret. Roga inimicum, an non doleat, an non cenſeat ſe victum cùm rides, cùm contemnis ejus injurias?] Attendite ne Injuriæ mundi ſuperent generoſitatem animi veſtri; ne ſinatis vos vinci vanis timoribus: vincere enim, eſt exhibere ſuperioritatem ſuper id omne quod nos aggreditur, & illud contemnere, ſicut eſt ſignum infirmitatis, nihil poſſe ſuſtinere: ſicut cùm homo præ ſe fert firmitatem animi, & ſcit domare paſſiones ſuas, en ipſe ſit velut acies inexpugnabilis, cujus Angeli ſunt ſpectatores, ut videant an malitia impiorum victoriam ſit relatura de animo illius, vel an illius generoſitas ſe ſit elevatura ſupra malitiam hujuſmodi hominum. Et hoc modo nedum venia injuriarum extinguat generoſitatem cordium noſtrorum, è contrà elevat illa uſque ad ſublimiſſimum virtutis apicem.

c Rom. 12. 21.
d Dion. Carthuſ. art. 16. in Rom. 12. 21.
e Cornel. in Rom. 12. 21.

Deinde, Fortitudo animi ſe exhibet inviendam in reſiſtendo paſſionibus, & is fuit modus ordinarius vincendi S. Pauli, & maximorum Sanctorum Eccleſiæ dicentium cum eodem Apoſtolo *f* poſt Pſalmiſtam Deo, *Propter te mortificamur totâ die. Id eſt, nos ipſos quotidie mortificamus orando, legendo, abſtinendo, contra proprias concupiſcentias præliando, propriam voluntatem fraudando, & in cæteris virtutum exercitijs ac pœnitentiæ laboribus deſudando*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *g*. *Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Id eſt, in hoc ſuperamus mundum: mundus gloriatur ſe referre victoriam, nos aggrediendo, nos autem reddimus nos ipſos victores de eo, reſiſtendo illi: putat mundus ſe vincere reddendo injurias injurijs, & nos exiſtimamus ſuperare conatus ejus, reddendo laudes & benedictiones blaſphemiis & maledictionibus, ſicut alibi dicit idem Apoſtolus *h*, *Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus.* Vel, ſecundum eundem Carthuſianum *i*, *Maledicimur à perverſis; & benedicimus, id eſt, bona eis dicimus, precando ipſis verbum ſalutis. Perſecutionem patimur propter juſtitiam* k. *Et ſuſtinemus libenter amore Chriſti. Ibant enim Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati* l. *Blaſphemamur, id eſt, crimen blaſphemiæ nobis imponitur; & obſecramus Deum pro blaſphemantibus.* Mundus nos perſequitur, & effundit ſanguinem noſtrum, & in hoc ſuperamus eum: nunquid enim non eſt res inaudita viſu quòd infirmitas noſtra habeat effectus fortitudinis? Sic ſuperamus inimicos noſtros, & prævalemus adversùs eos: generoſitas enim conſiſtit in veniâ, nec timet tempeſtates & turbines perſecutionis.

Legimus in Scripturâ ſacrâ quòd ſibi Deus res duas reſervavit præ omnibus alijs, quarum zelo vehementer ducitur. Prima, eſt gloria ſua, de quâ ipſemet ait, *Gloriam meam alteri non dabo* m. Secunda, eſt ultio, de quâ ſimiliter dicit ipſe, *Mihi vindictam* n. Et, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum *o*, *Mihi vindictam committite. Et ego retribuam, dicit Dominus, qui facio judicium omnibus injuriam patientibus* p. *Noſtra tranſlatio talis eſt, Mea eſt ultio talis, & ego retribuam eis, in tempore.* Sed cùm Deus ait ſe velle ſibi reſervare gloriam, non vult tamen impedire quin ad eam prætendamus, & ad illam aſpiremus, cùm dicat Apoſtolus *q*, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quaſi diceret, Quicumque gloriatur, deſerat gloriam mundi, & aſpiret ad gloriam Dei; & ideò non ut eripiat gloriam noſtram Deus zelo ducitur gloriæ ſuæ, ſed ut gloriam nobis tribuat majorem, cùm dicat Cornelius *r*, [Gloria Dei, eſt in Deo, cujus omne eſt bonum, & à quo omnia in nos dimanant *ſ*, gloriari, ac dicere, Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam *t*: in te laudabimur totâ die *u*. Gloria hominum conſiſtit in ore laudantium, nihilque tibi confert, nihil boni imprimit: quare non eſt in te, ſed in glorificante: ſicut honor non eſt in honorato, ſed in honorante: gloria verò Dei, eſt & in Deo, & in re. Eſt enim efficax & fœcunda. Nam beat te in animo lumine *x* gloriæ, & in corpore dotibus glorioſis *y*, adeòque Deus Beatis ipſiſſimam ſuam gloriam Divinam & increatam fruendam & poſſidendam communicat.] Sic cùm Deus nobis eripere voluit deſiderium vindictæ capeſſendæ; non ideò ut auferret hominibus deſiderium ulciſcendi ſe, ſed potius ut illud communicaret eis, cum velit ut a-

f Rom. 8. 36 ex Pſ. 43. 22.
g Dion. Carthuſ. art. 12. in Rom. 8. 36.
h 1. Cor. 4. 12.
i Dion. Carthuſ. art. 4. in 1. Cor. 4. 12.
k ex Matth. 5. 10.
l ex Act. 5. 41.
m Iſai. 42. 8.
n Rom. 12. 19 & Hebr. 10. 30.
o Dion. Carthuſ. art. 16. in Rom. 12. 19. ex Deut. 32. 35.
p ex Pſal. 145. 7.
q 2. Cor. 10. 17.
r Corn. in 2. Cor. 10. 17.
ſ ex Jacob. 1. 17.
t Pſ. 113. 9.
u ex Pſ. 43. 9.
x ex Pſ. 35. 10.
y ex 1. Cor. 15. 42. &c.

grediamur cum ipſo vindictam inimicorum noſtrorum. Quid enim, ſi placet, facere poſſunt homines ad ſe vindicandos de inimicis ſuis, niſi ut inſerant eis mortem, quod facit ut non habeant ampliùs ſenſum, nec valeant ampliùs experiri injurias ſibi irrogatas? Si autem vindictam illorum relinquimus Deo, ipſe puniet eos, & illos ire faciet
z Matth. 25.46. *in ſupplicium æternum* z.

Præterea, Vindicta quæ noſtros infirmare videtur inimicos, reddit eos potentiores, & mors ampliorem dat eis fortitudinem. Videte vim conceptus iſtius in perſonâ duorum fratrum Abelis & Caini. Quandiu vivit Abel, Cain eſt illius ſuperior, primogenitus ejus eſt, & dominatur fratri iſti ſuo. Sed quid inde contingit? Id ſanè quòd mors potentiam ſuam communicat Abeli, & hic qui ſemper obediverat fratri ſuo, cœpit ex tunc ei imperare, ſicut poſtquàm *conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum, ait Dominus ad*
a Gen. 4. 8. &c. *Cain, Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ* a. Ergo quandiu ſanguis Abelis ebulliebat adhuc in venis ipſius, Abel erat in diſpoſitione & inter manus ſui fratris Caini; & iſtud hic oſtendit, cùm immititer cruentas manus ſuas immiſcuit ſanguini ſui fratris innocentis: ſed ſtatim ac innocens Abel mortuus eſt, hic ſanguis innocens Abelis effuſus tantâ ſævitiâ, ducit ante oculos Caini phantaſmata horribilia, & videtur hujus fratricidæ faucibus gladius jugiter applicitus, *Hebraicè eſt, Vox ſanguinum*, dicit Cornelius *b*.
b Cornel. in Gen. 4.10. Quia omnes guttæ ſanguinis Abelis effuſæ ſe formabant in totidem voces, quæ expetebant ultionem. Quòd enim homines ſe ulciſcantur, Deus vult ut ipſi prætendant ad vindictas nobiliores, & vindictæ de inimicis ipſorum ſumendæ relinquant ſibi ipſi diſpoſitionem.
c Rom. 12.19. Quòd induxit S. Paulum *c* ad dicendum? Vultiſne ut ultio veſtra exerceatur ad extremum uſque? *Date locum iræ. Id eſt, judicio Dei*, ſubdit S.
d S. Anſelm. in Rom. 12. 19. & Deut. 32. 35. Anſelmus *d*. Et ſtatim ait, *Non præcipit ut nolint vindicari, ſed ut nosipſi vindicantes, demus locum iræ Dei, qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuam.* Vel, ut aliqui vertunt, *Date thronum iræ.* Sicut enim non pertinet niſi ad Reges habere thronos; ita non ſpectat niſi ad Monarchas ulciſci ſe nobiliter. Et juxta hanc verſionem S. Paulus ait, quòd cùm committimus vindictam Deo, collocamus iram noſtram in Throno, & ſumus veluti parvi Reges; & quòd cùm Deus ſuis obruit inimicos noſtros fulminibus, vibramus ea manibus ejus in illos; ſic ut honoremur per legem veniæ & exhibeamus ibi magnanimitatem noſtram, ſicut etiam experimur ejuſdem legis ſuavitatem & facilitatem.

II. Pars. Non videremur compoſiti è carne & è ſanguine, ſi diceremus quòd paſſio vindictæ ſuam nativitatem non ſumeret in ſinu naturæ, cum videamus quòd infans qui adhuc nutricis adhæret uberibus, iraſcitur, ad minimam vel injuriam, quam ſibi putat irrogari; & quòd mitigari non poteſt, niſi nutrix ipſius ſimulet ſe percutere, vel procul amandare ab ipſo eum qui ipſi moleſtiam intulit. Sic Deus mitigaturus populum ſuum Iſraëliticum vulneratum à ſerpentibus ignitis, præcepit Moyſi ut elevaret ſerpentem ex ære, qui repræſentaret eos, qui vulneraverunt hujuſmodi populum, ut intuitu illius, Iſraëlitæ memores eſſent miſericordiæ Dei, qui ipſos miraculosè ſanaverat: *Miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora ut tollat à nobis ſerpentes. Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur* e. e Num. 21.6. &c. *Non quòd ſerpens hic æneus vim aliquam naturalem eos curandi haberet: hoc enim eſt impoſſibile, uti fusè ibi demonſtrat Abulenſis. Sed quòd Deus hoc ſigno viſo, eos miraculosè curaret. Fuit ergo hic ſerpens ſignum, ſimul & inſtrumentum morale, hujus curationis*, addit Cornelius *f*. f Cornel. in Num. 21.8.

Sed quæritur quare Deus præcepit iſtud Moyſi in gratiam populi ſui ita proclivis ad idololatriam *g*? g Exod. 32. 1. &c. Nunquid non probabile videbatur quòd adoraturi eſſent Iſraëlitæ ſerpentem illum, ad cujus aſpectum ipſi ſanandi erant? Reſpondent Interpretes aliqui, quòd Iſraëlitæ offenſi & læſi fuerant à ſerpentibus: & quia iſte ſerpens æneus erat figura illorum, à quibus ipſi vulnerati fuerant, nedum timendum eſſet ne illum adorarent, è contrà ſuſtinere non poterant illius præſentiam.

Petitur utra ex duabus actionibus iſtis ſit rarior, utpotè benefacere iis qui nobis benefecerunt, aut parcere illis, à quibus aliqua nobis irrogata fuit injuria. Reſpondetur autem quòd poſterior eſt rarior, & minus ordinaria. Sic ut inde ſequatur, quòd venia inimicorum eſt res difficilis executionis. Sed, ſi placet, unde venit maximum deſiderium vindictæ, niſi è lege, quam amor honoris nobis imponit? Ait enim aliquis offenſus, Si parcam, non æſtimabor generoſus, & reputabor ut puſillanimus. En id quod animum deſpondere facit eos qui vel maximum præ ſe ferunt pietatis affectum: Non habebor niſi ut infirmus: ſi autem ulciſcar me, exiſtimabor ut magnanimus. Heu! inſenſati, decipi vos ſinitis ab imperito & rudi vulgo, æquè ac ab eo elevari,

Non quidquid credula Roma
Elevat, hoc magnum eſt.

Ubique utendum eſt ratione, non autem credendum leviter opinioni vulgi. Quid enim intelligitis per opinionem mundi? Eſtne opinio hominum elevatorum, & ſapientium, aut *ſtultorum*, quorum *infinitus eſt numerus*? ſicut ait Eccleſiaſtes *h*. h Eccle. 1. 15. *Stulti autem in ſcripturis vocantur univerſi, qui dono ſapientiæ carent*, dicit Carthuſianus *i*. i Dion. Carthuſ. art. 1. in Eccle. 15. Quòd ſi ſtatis in opinione magnorum virorum, nunquam aliquis major fuit Alexandro, & Cæſare: & de his refert Cornelius *k*, k Corn. in Rom. 12. 21. *De Julio Cæſare ait Cicero Oratione pro Marcello; Cæſar nihil obliviſci ſolet, niſi injurias. Darius Rex invidebat clementiæ Alexandri Magni, & à Diis precabatur, ut aut ſuperare poſſet clementiâ Alexandrum; aut ſi ipſe Regno ſpoliaretur, ſolus Alexander in Perſarum Regno imperaret.* Ha! nunquid non eſt res inaudita, ut Cæſar ignoſcat inimicis ſuis, & nemo velit adhærere veſtigiis Jeſu Chriſti præcipientis veniam inimicorum, eamque exemplo ſuo confirmantis? *Jeſus autem dicebat, Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quod faciunt* l. l Luc. 23. 34. Quòd ſi per opinionem mundi, intelligitis opinionem ſapientum, audite eumdem Cornelium recenſentem *Cleobuli, qui unus fuit è ſeptem Græciæ Sapientibus, pulchrum æquè ac prudens diligendi præceptum. Amicum tibi beneficio adjunge, ut te impenſiùs amet: inimicum verò ſic tractabis, ut eum tibi aliquando amicum ſperes. Cautio tamen hic adhibenda erit, ut illorum inſaniam, horum verò inſidias vitemus.* Ita ut non ſit hìc ampliùs *Circe, Ulyſſen ſociosque ejus, in porcos* m commutans, ſed ſit admirabilis transformatio amoris victoris, qui ex inimicis facit nobis homines acquiſitos interventu veniæ injuria- m Calep. in Dict. V. Circe.

juriarum ipſis à nobis condonatarum. Ubinam igitur eſt iſte vigor mentis, de quo ſic homines gloriantur, & de quo aſſerunt quòd nos elevet ſupra opinionem vulgi, cùm dicunt, Niſi ulciſcar me, reputabor ut puſillanimus, juxta opinionem vulgi? En atomus componens præmium invincibilis reſiſtentiæ veniæ injuriarum applicitæ. Ha! profectò conſilium mutaremus, ſi intimè haberemus animæ noſtræ impreſſam opinionem crucis: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis*
n 1. Cor. 1. 23.
quidem ſcandalum. Gentibus autem ſtultitiam n. Et tamen, peccator, cùm agitur de ſalute tua, opponis opinionem mundi, & præfers ſtultas ejus ſententias bono conſcientiæ tuæ. Si allegares voluptates, quæ præ ſe ferunt lenocinia ſic potentia; ſi opponeres ſupplicia, quæ incutiunt horrorem, aut bonum honorum, qui ſunt ita ſplendentes, tantâ non cieret inde admiratione: ſed cùm allegas rumorem mundi, tu detegis errorem tuum; & cauſæ, quas allegas, propter quas vindictam vis ſumere, non minùs ſunt ridiculæ.

Et hæc eſt ſecunda ratio facilitatis veniæ, quæ nobis eſſet facillima, ſi vellemus examinare cauſas commotionum & turbationum cordium: ſi enim quis quærat à me, quænam ſit cauſa turbinum & furorum iſtorum: dico quòd illa ſic vana eſt, ut non poſſit aſſignari, quia nihil ferè requiritur ad hoc ut excitentur. Sic videmus quòd color rubeus commovet & excitat furorem tauri, & conformi-
o 1. Mach. 6. 34.
ter ad hoc Scriptura ſacra o refert, quòd aliàs tempore Machabæorum viri militares *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium.* Sic aſpis elevat ſe, & furit adversùs umbram ſuam: & mappa candida rabie leonem ciet: nunquid non igitur præ nobis ferre debemus firmum conſilium, quod nos inducat ad corrigendas imperfectiones noſtras, & ad evitandas cauſas ita leves? Sed dato quòd iſtud non eſſet verum, non facti ſumus propter cœlum quin ſimus obnoxii paſſionibus, quæ faciant nos illud mereri; nec ſumus filii crucis, niſi participemus dolores ejus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt il-*
p Matt. 11. 12.
lud, ait Dei Filius apud S. Matthæum p. Et apud
q Dion. Carth. art. 21. in Matt. 11. 12.
Dionyſium Carthuſianum q, *Regnum cœlorum, id eſt, vita æterna, ſeu gloria patria, vim patitur, id eſt, per violentiam quandam acquiri prædicatur. Et violenti, id eſt, ſuperantes ſeipſos, qui contra ſeipſos, & concupiſcentias, cunctaque vitia efficaciter pugnant, rapiunt, id eſt, cum labore & bonâ violentiâ capiunt illud pro præmio ſui certaminis.* Nam cùm cœlum ſit ſupra capita noſtra, quomodo poſſumus ad illud unquam pervenire, quin violentiam nobis inferamus?

III. Pars.
Tertius error eſt ille, qui complectitur examen inſtitutionis veniæ inimicorum, & ait eſſe inſtitutionem novam. Hæc autem difficultas ſolvitur duabus rationibus formalibus eductis è Scriptura. Quarum prior eſt, quòd eſt pro comperto, quòd dilectio inimicorum eſt lex æquè antiqua ac fundamenta mundi, quia ipſa habet principium ſuum & radicem ſuam è lege naturæ, quæ præcedit legem Moyſis, & legem Evangelii, *Quod ab alio*
r Tob. 4. 16.
oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias r. Poſterior eſt, quòd eſt mandatum novum, non inquantùm eſt inſtitutum à natura, ſed à Salvatore,
ſ Joan. 16. 28.
poſtquàm exivit *à Patre, & in mundum* ſ venit. Hoc autem vobis erit facile intellectu, ſi cogitetis, quòd Deus conſiderari poteſt dupliciter. Vel pro-
t Eccli. 24. 12.
ut *Creator omnium* t. Vel quatenus *eſt Salvator*
u 1. Tim. 4. 10.
omnium u. Deus ſecundùm quòd Creator, inſtituit leges; & ut Redemptor, dedit præcepta. Sicut Creator, eduxit nos è nihilo potentiâ ſuâ: & ut Redemptor, eduxit nos è peccato per meritum ſanguinis ſui, *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* x. Si ergo referatis hanc legem ad x Apoc. 1. 5.
Deum, quatenus Creatorem, ipſa eſt æquè antiqua ac fundamenta mundi: ſi verò referatis eam ad Deum, prout Redemptorem, ipſa eſt æquè nova ac lex Evangelica, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vosinvicem* y. Si conſideretis eum, ut Crea- y Joan. 13. 34.
torem, præcepit etiam mandatum amoris, *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem devenerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris* z. Et ille, qui z Deut. 15. 7. & 8.
impugnat iſtud præceptum, committit offenſam contra Deum, exhibens ei ſpectaculum æquè ingratum, ac eſt patri diviſio ſui à liberis ſuis: & ideò ut cuſtodiret nos omnes in concordia, ipſe inſtituit legem iſtam.

Ante creationem mundi homines erant uniti in ſinu Divinitatis, & ibi abſque ullo diſſidio erant in quiete, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* a. Erant a Joan. 1. 3.
igitur in Deo; & cùm in Deo nulla ſit diviſio, quia Deus eſt Ens ſimplex, *Spiritus eſt Deus* b, *Id eſt,* b Joan. 4. 24.
ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata, ſubdit Dionyſius Carthuſianus c: ſequitur quòd creaturæ erant in hoc princi- c Dion. Carth. art. 11. in Joan. 4. 24.
pio, quod non eſt aliud niſi mens & ſinus Dei, ubi ipſæ erant ſine contentione & diviſione: ſed cùm placuit potentiæ & bonitati Creatoris, homines exierunt ex hoc principio; ſed propterea non fuerant diviſi: Deus enim elegit unum ex illis, in quo omnes alii erant uniti ſicut in origine ſua, cùm *formavit hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* d. Sicut homines eſſent ſine conten- d Gen. 2. 7.
tione in maſſa Adæ & Evæ, priuſquàm ſuſciperent liberos. Sed poſthæc accidit, ut homines multiplicarentur e, unde reſultavit hoc impedimentum, e Gen. c. 4. & ſeq.
quòd multiplicatio corporum multiplicavit corda & voluntates: propterea Deus huic occurrere volens obſtaculo, ligavit & conjunxit eos vinculo ſtricto affinitatum, jungens propinquos propinquis f. Sed quia bona affinitatis habent limites, f Gen. 2. 24. &c.
nec poterant homines ſtringere niſi cum illis, qui erant ejuſdem progeniei g: ut obſtringeret eos g Num. 36. 6. & Tob. 7. 14.
ad ſocietatem parentelæ, inſtituit Matrimonium. Et iterùm quia ſunt conditiones, in quibus Matrimonium eſt illicitum, charitas erat limitata Primò in vinculis ſanguinis, Secundò in affinitatibus Matrimonii, quæ non poterant extendi ad omnes homines; oportebat ut charitas effunderetur in corda hominum, & ut daretur charitas univerſalis erga omnes, per quam adinventiones mirabiles Dei conſiderarentur in hominibus, uniendo eos aut per diverſitatem conditionum, aut fortunarum, vel indigentiarum animæ, vel corporis. Nemo enim eſt, in conditione quantùmlibet elevatâ conſtitutus, qui non indigeat aliquâ re, quæ poſſidetur ab alio: atqui Deus, ut ligaret homines unione conditionum, ſic univit conditiones ſimul, ut inſtituerit ſuperiores per relationem ad inferiores. Sic conditio ſubditi habet relationem ad Principem, & vaſſalli ad Dominum; & illa conditio ſubditi obſtringit eundem ſubditum ad honorandum Principem ſuum, ſicut vice versâ conditio Principis alligat eundem Principem ad amandum & tuendum ſubditum ſuum: ſic conditio uxoris alligat ipſam ad diligendum virum ſuum, & catena amoris viciſſim ſtringit virum ad hoc, ut amet

& honoret conjugem ſuam, non autem ut dominetur ei imperiali verbo, ſicut ancillæ ſuæ. Sumus etiam uniti in neceſſitatibus, quas habemus ad invicem: Nauclerus indiget viatoribus, qui ipſum comitantur; & illi indigent nauclero, qui ipſos dirigit: Dux indiget militibus; & milites nihil agere poſſunt ſine Duce. Et hoc eſt, quod innuit S. Pau-
b 1. Cor. 12. 20. & 21. lus *b*, cùm ait quòd omnes ſumus membra corporis ejusdem: *Nunc autem multa quidem membra: unum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui, Operâ tuâ non indigeo: aut iterùm caput pedibus, Non eſtis mihi neceſſarij.* Et ſicut oculus indiget manu ad hoc ut defendatur, & manus oculo ut illuminetur, & caput pedibus ut huc illucque ducatur, en neceſſitas unionis, quæ eſt inter omnes partes corporis, quarum diſſolutio cauſavit magnos dolores, & diviſionem animæ & corporis, & iſtud eſt quod mortem nobis infert. Sic ut ex iſtis omnibus edoceamur amorem per conditionem neceſſitatis, & per unionem generalem hominum. Et in mundo nihil videmus, quod non obſtringat nos ad amorem inimicorum. Deus enim impreſſit creaturis ſuis notas, quæ nos inducere poſſunt ad exhibendam hanc dilectionem. Re autem verâ, Auditores, ſi ſurſum oculos attollitis in cœlum, videtis Solem, qui æqualiter illuminat bonos & malos: Si intuemini terram offenſam vomere infixo ab hominibus ſinui ipſius, obſervatis quòd propterea non ceſſat ipſa dare eis flores & fructus: Si aſpicitis aërem, cernitis quòd licèt ſit obvolutus nubibus & vaporibus, quibus extinguenda videntur ipſius lumina, tamen hujusmodi nubes & vapores ipſe ſuſtinet: Si reſpicitis mare percuſſum fulminibus cœli, ſcitote quòd ipſum ſubminiſtrat vapores & exhalationes, quibus illa formantur: Si videtis ignem in furnis incluſum, ipſe tamen ſervit ad coquendum panem: & quando concluſus eſt in tormentis bellicis, ſervit nobis ad hoc ut de noſtris triumphemus hoſtibus. Et ecce quantùm ad id quod ſpectat Deum prout Creatorem. Prætereà, Videmus quòd per præceptum Dei Redemptoris, habemus exemplum & motivum dilectionis. Ideòque ut perſuadeatur amor inimicorum, eſt tantùm allegandus Deus moriens ſuper cruce, qui exemplo novo nobis prædicat obligationem amoris, cujus habemus nova motiva in lege nova. Nam in lege antiqua quicumque tranſgrediebatur hoc mandatum, verbum Dei duntaxat offendebat; ſed qui illud violat in Chriſtianiſmo, offendit crucem & ſanguinem Salvatoris. In lege antiqua homines tenebantur ſeipſos adinvicem diligere, ſicut filii patris communis: ſed in lege Evangelica tenemur ad hanc dilectionem, prout facientes partes ejusdem corporis, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus*, ait S. Paulus *i*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *k*, i Epheſ. 5. 30.
Quia membra ſumus nos Chriſtiani, corporis ejus, id eſt, Eccleſiæ, quæ eſt myſticum corpus Chriſti. Sumus itaque membra de carne ejus, & oſſibus ejus, id eſt, ejusdem naturæ exiſtentes cum Chriſto homine. Diligamus igitur inimicos noſtros: & Deus qui *in charitate perpetua l* dilexit nos, diliget nos in iſto mundo per gratiam ſuam, & amabit nos in altero ſeculo per gloriam ſuam.
k Dion. Carth. art 5. in Epheſ. 5. 30.
l Jer. 31. 3

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et Ieſus dixit paralytico, Confide fili. Matth. 9. 2.

a Iſai. 57. 20. Cùm Scriptura ſacra *a* comparat rebelliones animæ peccatricis mari ventis agitato, *Impij quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt:* docere nos vult, quòd deordinationes ejus ſunt absque ulla medioeritate, & nullos habebunt terminos, non ſecus ac iſtud elementum immite, cùm tempeſtatibus eſt commotum, niſi manus Dei impoſuiſſet ipſius litori limites, qui inducunt ipſum ad ſiſtendum ibi, & ad non ulteriùs procedendum. Si aliquando advertiſtis mare cum eſt iratum, elevat ipſum fluctus ſuos ad nubes uſque, ſtupore percellit immodico animos nautarum conſtantiſſimorum quorumlibet, qui vident tot tumulos apertos, quot ipſum habet fluctus: curſus ejus ſunt ita violenti, ut diceretis quòd ipſum inundare deberet univerſam terræ ſuperficiem, niſi manus Dei veluti ſcripſiſſet ſuper arenam litoris ipſius legem, quæ ipſi præcipit ut ſiſtat fluctus ſuos, & imponat modum iræ ſuæ. Sic non priùs ipſum tulit fluctus ſuos ad litus uſque, cùm ſtatim incurvat illos, ut veluti revereatur manum Dei, qui ipſum ſiſtit, & imponit ipſi obligationem non progrediendi ulteriùs, dicens, *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia: & dixi, Uſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* b. Sic cùm videtis peccatorem,
b Job 37 10. & 11. qui habet cor præoccupatum aliquâ forti paſſione, & corpus accenſum igne concupiſcentiæ, diceretis quòd ſit mare irritatum, quòdque minatur ſe conculcaturum id omne, quod habebit obvium, & ſe confuſurum ſacrum & profanum, ut ſibi penitus ſatisfaciat, *Pij in tranquillitate vivunt*, inquit Pintus *c* poſt Iſaiam, *impij verò ſimiles ſunt ferventi & inquieto mari. Vide aptiſſimam Prophetæ ſimilitudinem. Quid commodatius & ſimilius mari, quàm vir impius? Ille enim eſt amarus contentionibus, tumidus ſuperbiâ, lividus invidiâ, ſpumidus libidine, mutabilis inconſtantiâ, creſcens & decreſcens Lunâ, ſequens humanarum rerum varietatem & inconſtantiam, turbulentus, fluctuoſus, aliarumque maris qualitatum imitator. Ut enim mare propellit in litus limum, ſpumas, & alias ſpurcitias, & ut ſe purget, litus coinquinat; Sic impius, ut ſe laudet, alios vituperat; ut ſe defendat, alijs vitiorum notam inurit, eorumque ſplendorem maculare contendit. Et adverte: Non dicit, Impij autem quaſi mare: eſt enim aliquibus in partibus mare aliquando quietum, ſed, Impij autem quaſi mare fervens. Quemadmodum eſt Euripus in Eubœa, ubi aqua fluit & refluit, & ſurſum deorſumque jactatur, cui Socrates & Epicharmus Pythagoricus libidinoſum animum compararunt.* Sed contingit, ut Deus effectu miſericordiæ ſuæ veluti manu ſiſtat impetus iſtius peccatoris, conſtituat terminos voluptatibus ejus, & opponens eum ipſi, intuendam exhibeat illi propriam deformitatem ſuam, & dicat ei ſicut paralytico Evangelii noſtri, qui eſt figura peccatoris, *Confide fili.*
c Pintus in Iſai. 57. 20.

Oſtendi vobis jam à diebus quindecim, quomodo gratia Dei aperuerat oculos peccatoris, ut oſtenderet ei, quòd ipſemet erat origo omnium deordinationum ſuarum, & cauſa omnium malorum, quæ ipſum aggrediebantur & ab intùs, & deforis: hodiernâ verò die eadem gratia inducit

eundem

eundem peccatorem ad deprimẽdós oculos ſuos, ut applicet ſe conſiderationi ſuiipſius, & ſtatui in quem lapſus eſt per peccatum ſuum. Sed quia in iſto ſtatu videre non poteſt niſi objecta horroris; ut reperire Deum poſſit in homine, Deus ſe abſcondit in homine in Incarnatione; & unus ex Angelis iovênit illum *in utero* Virginis Mariæ, cùm

d Luc. 1. 28 & 31. *ingreſſus, ad eam dixit, Ave* d *Maria.*

e x Iſai. 7. 8 49j

Illud eſt pro comperto, quòd fides immortalitatis animæ noſtræ conſtituenda eſt inter fundamenta noſtræ Religionis: ipſa enim eſt, quæ coërcet partem diſſolutionum noſtrarum: & hoc eſſet aperire januam omni generi criminum, ac velle aſſerere contrarium. Nam quomodo homo abſtineret ſe à voluptatibus, quas ſenſus ipſi proponunt, ſi nihil ampliùs expectaret poſt iſtam vitam? & in quos exceſſus, & in quas diſſolutiones non irrumperet homo æquo liberior, qui nullam juſtitiam formidaret poſt mortem ſuam? Verùm tamen eſt dicere, quòd etiamſi Deus vitam noſtram limitaſſet ad annos decem v. g. eſſemus ei tamen obſtricti propter hoc beneficium, pro quo teneremur illi ſacrificare *hoſtiam laudis* e: & dato quòd

e Pſ 114. 8. & 17.

nobis permitteret uſum vitæ noſtræ, & rationis noſtræ ad unicum momentum, hoc momento fortunato deberemus exhibere illi adorationes noſtras: hoc enim momento fœlici ipſe eſt *Deus noſter* f, *Pater noſter* g eſt: Debet igitur hoc eodem momento ſuſcipere amores noſtros, quos ipſe requirit à nobis, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* h. Et adorationes noſtras, æquè ac obedientias noſtras, inquiens ſingulis nobis, *Ego ſum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me* i. Alioquin homo, qui præditus eſt ratione, ſicut fatetur Pſalmiſta k, Deum alloquens, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*; minus religionis haberet, quàm veluti habeant creaturæ deſtitutæ eâdem ratione, & ſenſu, quæ ſemper attentæ ſunt & applicitæ ſuo modo honorando Deo, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum* l. Homo ergo tenetur adorare Deum, diligere illum, eique gratias agere pro omnibus momentis vitę ſuę, quia ſingulis momentis ſuſcipit teſtimonia benevolentiæ illius: & dato quòd Deus me deſtruere vellet, debeo uſq; ad hoc momentũ adorare providentiam ejus, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* m, & diligere bonitatem illius, & dicere ei, *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus* n! nedum ſim ei injurioſus medus improperis, vel ingratus ad extremum, uſque eò ut mea denegem ei obſequia.

f Pſ 45. 2.
g Matt. 6. 9.
h Matt. 22. 37.
i Exod. 20. 2. & 3.
k Pſ. 4. 7.
l Pſ. 18. 2.
m Sap. 8. 1.
n Sap. 12. 1.

Inſuper, Præterquam quòd voluntas Dei eſt principium effectivum rerum omnium, juxta S. Thomam o dicentem, *Quòd neceſſe eſt dicere, voluntatem Dei eſſe cauſam rerum*, anima eſt immortalis, quia nullum habet principium eſſentiale corruptionis in ſeipsa; nec ullum timet ipſa extraneum, quod poſſit ipſam deſtruere, vel alterare. Nihil poteſt illam ullo modo impugnare, nulla res valet ei eſſe contraria; quia ipſa non deſumit vitam ſuam, & conſervationem ſuam deforis, ſed ipſa reperit vitam ſuam & conſervationem ſuam in ſeipſa; reflectendo ſe ſupra ſeipſam, ipſa dirigit totam exiguam œconomiam ſuam intrà ſeipſam, cognoſcit ſeipſam, diligit ſemetipſam, eſt principium & terminus omnium actionum ſuarum, nec opus eſt ut exeat è ſemetipſa ad operandum velut ſuper alienam materiam: ipſa quippe ſatis reperit in ſeipſa, circa quod ſe occupet, nedum quid aliunde emendicet.

o S. Thõ. 1. p. q. 19. a. 4. in corp.

Obſervate, ſi placet, Auditores, quòd non habet ſe res de actionibus ſpirituum, ſicut de operationibus corporum. Corpora, ſicut non agunt niſi interventu principii externi quod ipſa movet, indigent termino extraneo, qui ſuſcipiat & ſuſtineat ipſorum actiones: ſed ſpiritus non indigent termino alieno qui ipſos exciter, ſed ipſi animant & determinant ſemetipſos ad omnes actiones ſuas: actiones enim ipſorum ſunt immanentes, ipſæ non tranſeunt ad extra, ipſæ non egrediuntur è principio, è quo emanant; & eadem potentia, quæ ipſos producit, ipſos ſuſcipit; & hoc fit per reflexionem, quam anima facit ſupra ſemetipſam, & ſuper actiones ſuas, quæ æquè ſublime aſcendunt ac ipſa alta eſt, & ipſarum principium eſt elevatum per iſtam reflexionem: & hæc eſt occupatio ordinaria ſpirituum, qui foventur, quique nunquam fatigantur in actionibus ſuis internis & immanentibus, quia non retardantur mixtione ullius materiæ. Spiritus igitur inveniunt vitam ſuam in ſemetipſis, & principium duplicis fœlicitatis, & naturalis, & ſupernaturalis: non enim opus eſt ut extrà quærant unde ſe elevent ad Deum: inveniunt in ſeipſis conditiones, quæ ipſos inſeparabiliter alligant Deo, quæ ſunt ipſorum nativitas, & ipſorum dependentia. Et inde probo immortalitatem animæ noſtræ, ex eo nimirum, quòd totum illud fit per reflexionem, id eſt, ex progreſſu actionis ejuſdem animæ, & ex ſequela reflexionum ipſius ſuper ſeipſam, & ſuper ſuum procedendi modum. Et inde occaſionem ſumo, Auditores, dicendi, quòd Chriſtianus, &, ſi mavultis, peccator (quippe qui repræſentatur nobis ut talis in perſona paralytici Evangelii noſtri) debet incipere ſalutem ſuam per ſeriam reflexionem, & ſuſcipere gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ & vitæ æternæ, per reditum & reflexionem ſupra ſeipſum, & ſupra modum omnium actionum ſuarum. Propoſitio.

Philoſophi referunt omnes ſcientias ad tres ordines, ad naturales ſcientias, ad ſcientiam politicam, & ad religionem: & unaquæq; ex iſtis ſcientiis acquiritur per reflexionem. Scientiæ naturales, aiunt Platonici, ſunt effectus reminiſcentiæ. Scientia politica eſt reflexio mentis, quam facit homo referens & conformans res præſentes ad præteritas, unde conſequentias educit, & format regulas & leges pro regimine vitæ civilis. Quòd ſi utendum eſt reflexione in ſcientiis naturalibus, & in ſcientia politica, non minùs eâ Chriſtianus indiget in exercitiis religionis, & debet reflexione mentis ſuæ redire ſuper ſeipſum, cognoſcere dependentiam ſuam, & diſcere quomodo ſe gerere debet erga Deum, intuitu proximi ſui, & reſpectu ſuiipſius, & ex quo deficit reflexione, recedit ab obſequio ſuo; & ſi perit, ideò quia deficit attentione & applicatione ſuper ſemetipſum.

Stupore percelluntur Theologi, quomodo Angelus cum omnibus luminibus ſuis potuit incurrere jacturam ſuam, & prætendere ad gloriam Dei, ſuo dicens *in corde*, *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum in profundum laci* p *detractus*. Non ignorabat fuiſſe ſibi impoſſibile æquè ut prætenderet ad ſupremum dominium Dei, ac ad excellentiam naturæ illius: apprimè enim ſciebat quòd ipſe eſſet pura creatura, & ſic dependens, ſubdita, & captiva.

p Iſai. 14. 13 &c.

Præterea,

P. errorē; Non latebat ipſam, quòd natura divina
eſt incommunicabilis extra myſterium Sanctiſſi-
mæ Trinitatis, & quòd nullam admittat multipli-
cationem ad extrà, ſicut deinde docuit S. Joan-
q 1 Joan. 5. 7 nes q, *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in*
cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum
r Dion. Carth. art. 7 in 1. Joan. 5. 7 *ſunt.* Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus r, *Quo-*
niam tres ſuperbenedictæ & ſupervenerandæ perſonæ
ſunt una eſſentia, unus Deus, unum univerſorum princi-
pium, & unus omnium ultimus finis ſ; *unum ſummum*
ſ ex Apoc. 1. 8 *bonum* t, *unum plenæ felicitatis objectum, quo ſolo*
t ex Exod. 33. 19 *fruendum eſt. Divina itaque natura nequaquam*
poteſt multiplicari, ſed eſt numero una in tribus: & quid-
quid abſolutè competit Deo, toti Trinitati, ſinguliſque
perſonis commune eſt. Propter quod loquitur Chriſtus,
u Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum ſumus* u. *Superexcellentiſſimæ*
quoque Trinitatis perſonalem diſtinctionem, eſſentia-
lemque unitatem Chriſtus pandit, dicens, Docete omnes
gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spi-
x Matt. 28. 19. *ritus ſancti* x. Ratio iſtius caſus Angeli fuit, quia
defecit attentione ad Deum, & reflexit ſe ſupra
ſeipſum, & tunc lapſus eſt in hanc præſumptio-
nem, quæ operata eſt ipſius perditionem. Dico in
meipſo, Mentiri non debeo. Re autem verâ quan-
diu habeo hanc cogitationem præſentem non re-
cedendi à veritate, non mentior: ſed ſi contingat ut
mea mens amittat præſentiam cogitationis hujus,
tunc occupatur aliis quæ inducunt ipſam ad erro-
rem & ad mendacium. Si haberemus ſemper
mentem attentam, & ſi jugiter eſſemus in tam ſan-
ctis cogitationibus, proculdubio non laberemur
ſic infœliciter in deordinationes & in infortunia,
quæ quotidie nobis contingunt, quæ nos ſuſpirare
faciunt, & amaras effundere lacrymas: ergo defe-
ctu reflexionis amittimus gratiam, & recedimus
à bono Deo noſtro: interventu reflexionis etiam
& ſerii reditus ſupra nos ipſos debemus recupera-
re gratiam, poſtquàm ſuſtinuimus illius privatio-
nem per peccata noſtra, & per diſſolutionem vitæ
noſtræ. Sed quodnam commercium inter gratiam
quæ eſt lux, & peccata quæ non ſunt niſi tenebræ?
Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut
y 2 Cor. 6. 14. *quæ ſocietas luci ad tenebras* y? Quomodo fieri
poteſt ut homo è conſideratione ſui criminis edu-
cat radium luminis? Verum tamen eſt iſtud, & hoc
eſt arcanum Divinæ Sapientiæ, *Quoniam Deus qui*
dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe in cordibus no-
z 2. Cor. 4. 6 ex Gen. 1. 3. *ſtris* z illuceſcere vult, & nativitatem ſuam in ani-
ma peccatoris conformare ad nativitatem ſuam,
a Joan. 1. 18. quâ ipſe eſt *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* a.

Tria obſervo genera nativitatum in Filio Dei.
Prima nativitas eſt ea, quam habet ab æternitate
in ſinu Patris ſui dicentis ipſi, *In ſplendoribus San-*
b Pſ. 109. 3 *ctorum, ex utero ante Luciferum genui te* b. Secunda
nativitas, eſt ea, quam ſuſcepit *ubi venit plenitudo*
c Gal. 4. 4 *temporis* c, ex Maria Virgine, quæ ipſum *peperit,*
d Luc. 2. 7. *& reclinavit eum in præſepio* d. Tertia nativitas, eſt
ea, quam ſumit in anima peccatoris, eo momento,
quo peccator iſte tranſit à peccato ad gratiam per
pœnitentiam, *Si impius egerit pœnitentiam ab omni-*
bus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia
præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vi-
e Ezech. 18. 21. *vet, & non morietur* e. Dei Filius tranſit à vita ad
vitam in prima nativitate. In ſecunda nativitate
tranſit à vita ad mortem. Sed in tertia tranſit à
morte ad vitam. In prima nativitate ſua tranſit à
f Joan. 5. 26. vita ad vitam, quia ſuſcipit eandem vitam, quâ
g Dion. Carth. art. 14. in Joan. 5. 26. Pater vivit, *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic*
dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo, dicit S. Joan-
nes f. Et Dionyſius Carthuſianus g poſt eum,
Sicut Pater habet vitam intellectualem, non vegetati-
vam, ſenſitivam, vel ſecundùm locum motivam, in ſe-
metipſo, ſic dedit, id eſt, generando communicavit natu-
rali confuſione, ſeu originatione, non liberâ ad utrum-
libet, & Filio vitam, non ſolùm ſimilem, ſed nume-
ro eandem habere in ſemetipſo. Pater nempe ſic ha-
bet vitam in ſe, quòd ipſe eſt hæc vita h, *quæ etiam* h ex Joã. 14. 6.
vita eſt in ſeipſa omnino perfecta, omnem nobilitatem,
beatitudinemque vivendi cum incomprehenſibili ſimpli-
citate complectens: ita quòd eſt vita ſupereſſentialis,
fontana, ſupereminens, & ſuperbeatiſſima, vita verè
puriſſima, vivaciſſima, prorſuſque ſuperpleniſſima,
omnis vitæ fontale principium, in quo eſt omnium bo-
norum atque pulchrorum ac deſiderabilium ſuperdives
poſſeſſio. Simili modo habet Filius ſecundùm divinam
naturam vitam in ſemetipſo, quoniam ipſa eſt vita
hæc, ſuntque Pater & Filius una vita, quæ divina eſt
Eſſentia, prout eſt actus purus: Pater ergo generando
communicans Filio divinam eſſentiam, communicavit
& dedit ei vitam, & ſapientiam. In ſecunda nativita-
te ſua tranſit à vita ad mortem, quia naſcitur è Vir-
gine vivente, quæ communicat ipſi vitam tempo-
ralem: ſed ipſe non ſuſcipit eam niſi cum obliga-
tione moriendi, *Et ideò Novi Teſtamenti Mediator*
eſt, ut morte intercedente, in redemptionem earum
prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, re-
promiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ heredi-
tatis, ait S. Paulus i. Et poſt eum Carthuſia- i Hebr. 9. 15.
nus k, *Et ideò, id eſt, quoniam Chriſtus obtulit ſe* k Dion.
pro nobis, idcircò Novi Teſtamenti Mediator eſt, id Carth.
eſt, medius dator eſt, inter Deum & hominem me- art. 9 in
dians, & novam legem proponens. Ut morte inter- Hebr. 9.
cedente, id eſt, merito Paſſionis Chriſti pro nobis in- 15.
terveniente, in redemptionem earum prævaricatio-
num, id eſt, ad obtinendam indulgentiam tranſgreſſio-
num, quæ erant ſub priori Teſtamento, id eſt, tempore
veteris Teſtamenti vigebant, nec per legem auferri va-
lebant, repromiſſionem accipiant, id eſt, bonum pro-
miſſum conſequantur, Qui vocati ſunt, vocatione æter-
næ prædeſtinationis, de qua ad Romanos l *dicitur,* l Rom. 8.
Quos prædeſtinavit, hos & vocavit. Æternæ here- 30.
ditatis, hoc eſt, ad ipſam æternam hereditatem ſeu fœ-
licitatem hominibus promiſſam. Chriſti enim morte
aperta eſt janua patriæ, & merito Paſſionis Dominicæ
omnes Electi ſalvantur. Sed in tertia nativitate ſua
tranſit à morte ad vitam, quia anima quæ mortem
intulerat Jeſu Chriſto per peccatum ſuum, *Rur-*
ſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, dicit Apo-
ſtolus m, loquens de peccatoribus, facit illum m Hebr.
revivere eo momento, quo ipſa ſuſcipit gratiam: 6. 6.
Mortui enim eſtis: & vita veſtra eſt abſcondita cum
Chriſto in Deo, dicit idem S. Paulus n, ſcribens n Coloſſ.
Coloſſenſibus, & in eorum perſona fideles allo- 3. 3.
quens. *Quaſi diceret,* ſubdit Cornelius o, *per* o Cornel. in Co-
Baptiſmum, morum converſionem, & vitæ mutatio- loſſ. 3. 3.
nem, mortui eſtis mundo, carni, peccatis, vitæ & con-
verſationi mundanæ & carnali; imò mortui eſtis vobiſ-
ipſis, quia non eſtis id, quod eratis antè: hoc enim mors
quædam eſt. Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in
Deo. Quaſi diceret, Mundus non videt veſtram divi-
nam vitam gratiæ, quam habetis, & gloriæ, quam expe-
ctatis: ſicut non videt vitam glorioſam, ad quam reſur-
rexit, quâque vivit jam Chriſtus in Deo, id eſt, apud
Deum. Et ſcribens ad Galatas p, ait illis, *Filioli* p Gal. 4.
mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chri- 19.
ſtus in vobis. Seu, ſecundùm Carthuſianum q, q Dion.
Filioli mei, quos iterùm parturio, id eſt, cum do- Carth.
lore & planctu ſpiritualiter regenero, transferendo vos art. 4. in
de non eſſe ſpirituali ad eſſe ſpirituale, donec formetur, Gal. 4.
id eſt, recipiatur ac deſcribatur Chriſtus in vobis, id eſt, 19
in cordibus veſtris per fidem puram, jugem memoriam,
& dilectionem firmatam.

Sed

Sed quænam convenientia reperitur inter æternam cogitationem Dei & cogitationem peccatoris ? Illa non terminatur niſi ad lumina & ad magnitudines ; hæc verò non habet pro objecto niſi crimina & deordinationes. Ut concipiatur hæc veritas, eſt obſervandum quòd æterna cogitatio Dei, quâ Pater æternus generat Verbum ſuum intuitu adorabilium perfectionum ſuarum, non ſolùm terminatur ad conſiderationem divinorum ipſius attributorum, ſed etiam omnium infirmitatum, mendarum, & malitiarum oppoſitarum potentiæ, ſapientiæ, & bonitati ipſius: ergo intuitu alicujus rei deformis, Verbum ſuſcipit eſſe ſuum in ſinu Patris ſui, æquè ac aſpectu infinitarum perfectionum, quæ omnes ſunt adorabiles, non ſecus ac ipſius eſſentia ; cum hac differentia tamen, quòd id omne, quod Deus cognoſcit funeſtum & injurioſum, eſt extra ipſum, & eſſentiam ipſius ; hoc nihilominùs ſervit loco objecti cogitationi Dei: Simili modo cùm peccator concipit Filium Dei per gratiam, iſtud agit intuitu reflexionis, quam facit non ſolùm ſuper bonitatem Dei, quem offendit, ſed etiam ſuper propria crimina ſua, quæ privaverunt ipſum gratiâ & amicitiâ Dei, *donec formetur Chriſtus in vobis*. Sic convenit nativitas JeſuChriſti in corde peccatoris, cum prima nativitate ipſius in ſinu ſui Patris æterni.

Cùm peccator agit hanc reflexionem ſuper ſeipſum, Heu! inſœlix ubinam ſum? Unde procedunt tot mala, quæ me opprimunt? Ipſa ſanè ſunt ſupplicia diſſolutionum mearum, & pœna peccati mei: ecce ego extra Deum, ejeci Deum ex anima mea, peccatum meum intulit illi mortem, & mihi eſſet *bonum, ſi natus non* r eſſem, id eſt, mihi ſatius eſſet omnino non eſſe, quàm non eſſe cum Deo meo. Debebamne inſœlix ego pro voluptate momentanea amittere gratiam & amicitiam Dei mei? Quemnam fructum retuli è diſſolutionibus meis niſi mortem, & mortem æternam, annumeratus cum illis, de quibus ſcribitur, *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda* ſ? Heu! Deus mi, parce huic crimonoſo, miſericordiam largire iſti rebelli. Anima non priùs fecit hanc reflexionem, cùm ſtatim, niſi ſit induratum *cor ejus tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* t ſtrictum, & niſi ſit ipſa pejor dæmone, emittit ſuſpiria, & amaras effundit lacrymas; concipit ipſa dolorem de peccatis ſuis, ſuſcipit ipſa lumen quod manifeſtat ipſi diſtinctè cunctas diſſolutiones ſuas; ipſa deteſtatur eas, & ſubitò ſuſcipit ipſa gratiam, & Deum cum illa, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, ait Apoſtulus u. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus x, *Quia charitas Dei, quæ eſt virtus Theologica ſupernaturalis, ſumma ac diviniſſima, quâ Deum proximumque diligimus, mandata implemus, unum cum Deo efficimur, & quidquid petierimus, obtinemus, diffuſa, id eſt, latè ac liberaliter fuſa eſt in cordibus noſtris, præſertim in voluntate, quæ eſt charitatis ſubjectum, per Spiritum ſanctum, id eſt, à Spiritu ſancto, cui appropriatur bonitas, liberalitas, clementia, communicatio, & per conſequens charitatis infuſio. Qui datus eſt nobis à Patre & Filio, imò & à ſeipſo, tanquam pignus & arrha fœlicitatis æternæ. Ipſe enim Spiritus ſanctus eſt dator ac donum, proceditque à Patre & Filio per modum donabilis* y, *quoniam ipſe eſt charitas ſeu amor Patris & Filii. Amor autem eſt primum donum gratuitum, in quo omnia dona donantur. Itaque Spiritus ſanctus datur Electis, non ſolùm in ſuo dono, ſed etiam in ſeipſo, quia per charitatem habetur, & eſt in nobis novo ſpecialique modo. Propter quod ait Salvator. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclètum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis* z. *Et in Actis Apoſtolorum* a *legitur, quòd per impoſitionem manus Apoſtolorum dabatur Spiritus ſanctus.*

r Matt. 26. 24.
ſ Apoc. 21. 8.
t Job 41. 15.
u Rom. 5. 5.
x Dion. Carth. art. 8. in Rom. 5
y ex Joã. 15. 26.
z Joan. 14. 16.
a ex Act. 8. 17.

Cùm mulier conjugata, quæ tranſegit aliquot annos in adulterio, & in praxibus infamibus, ſemel revertitur in ſemetipſam, & ſeriò cogitat de injuria, quam irrogavit Deo, & fidei quam promiſit ſe cuſtodituram viro ſuo, quòd ſe reddit infamem, cùm tota civitas calleat ſecretas & impuras ipſius amicitias ; de diſpendio, quod legitimis infert ipſa liberis ſuis, quòdque domum repleat adulterinis, qui auferent portionem verorum hæredum, & quòd ipſa eſt infidelis viro ſuo, qui ipſam diligit, æquè ac honorat, quique ſuas impendit omnes operas ad hoc, ut ſibi complaceat, Heu! inquit ipſa, ecce ego infœliciſſima ſum omnium creaturarum : ſanè indigna ſum quæ vivam, & ut terra me ſuſtineat. Quoniam crimina patravi vice vel unicâ, ut æquo liberiori placerem ? Incucurri jacturam famæ & conſcientiæ meæ. Heu! Domine, parce huic infami, quia te diſſolutionibus ſuis inhonoravit ; nolo ampliùs vivere in deordinationibus iſtis, & cùm bonitas tua me ſuſtinuerit uſque nunc, mea diſſimulans *peccata propter pœnitentiam* b, proficere volo gratiâ, quam mihi offers : tunc Deus qui utiliter inſumit hoc momentum ad operandam ſalutem iſtius miſeræ captivæ, illuminat animam illius potenti radio gratiæ, quæ illam mutat, quæ inſpirat ei novos affectus, & conſilia contraria prioribus; & ex infideli efficitur ipſa fidelis, & ex inimica Dei evadit illius amans. Reflexiones iſtæ ſic ſunt efficaces ut ſubitò peccatum ejiciant.

b Sap. 11. 24.

Propterea vera Theologia agnovit, quòd oportuit ut Jeſus Chriſtus veniens in mundum ad perficiendum noſtræ redemptionis myſterium, uniret ſe naturæ innocenti : quia ſi ſumpſiſſet naturam peccato inquinatam, ipſe eam ſanctificaſſet acceſſu ſuæ Divinitatis. Ego verò dico, quòd ſi Deus oſtenderet peccatori in viſione ſtabili & ſolida *omne Bonum* c ſummum, & quòd iſtud peccator ipſe diſtinctè videre poſſet, viſus iſte confeſtim procul amandaret ab eo peccatum. Sed quia hæc viſio eſt impoſſibilis homini mortali; *Non enim videbit me homo, & vivet* d, ait Deus: operatur idem Deus gratiâ ſuâ id, quod gloria faceret in hoc occurſu: nunquam enim Deus aperit oculos peccatori ad hoc, ut ipſe cognoſcat peccatum ſuum, injuriam, quam irrogavit Divinæ Bonitati, & diſpendium, quod ipſe ſibi infert, quin hanc reflexionem ſequatur gratia, quæ confeſtim ejicit peccatum, *Peccatum ipſius peccati cognitione curatur*, ait S. Cæſarius e. Quemadmodum cùm *miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, a quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te : ora ut tollat a nobis ſerpentes: Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, vivet: Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur* ſ: Sic viſio & ſeria reflexio, quam anima facit ſuper peccatum ſuum, & ſuper diſſolutiones vitæ ſuæ præteritæ, ſanat ipſam à veneno, & à morte æterna, dicit iſte ſanctus Antiſtes Arelatenſis, *Sed etiam modò, medela, ſi volumus, nobis contra morſum ſerpentis, viſo ſerpente confertur. Quod tunc eviden-*

c Exod. 33. 19.
d Exod. 33. 20.
e S. Cæſar. hom. 4. de Paſchat.
ſ Num. 21. 6. &c.

Digitized by Google

ter confertur, quando peccatum ipſius peccati cognitione curatur: ac ſi homo quando benè reſpicit peccatum ſuum, ſanat morſum ſerpentis per ſerpentis aſpectum. David proteſtabatur ſe præ ſuis habuiſſe ſemper oculis peccatum ſuum, & crimen ſuum fuiſſe ſubjectum ordinarium cogitationis ſuæ, *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper* g. Heu! dicebat miſer iſte Princeps, conſiderans ſe fuiſſe immemorem beneficiorum, quibus à Deo fuerat cumulatus, nunquam deleo peccatum meum è memoria mea, illud habeo potenter impreſſum cogitationi meæ, ipſum eſt magis ordinaria reflexio, quâ utor, ut mihi ſerviat loco remedii præſentis, ne in ſimiles relabar ampliùs infirmitates.

g Pſ. 50. 5.

Duo tamen obſervo genera hominum, qui pereunt, vel qui Deum offendunt defectu reflexionis. Sunt aliqui, quorum vita tranſit ultra debitum. Alii verò ſunt, qui remanent citra debitum. Illi qui tranſeunt ultra debitum, ſunt ii, qui faciunt plus quàm poſſint, qui emunt officia & dignitates ſupra reditus ſuos, & quorum officiorum pretium excedit meritum nativitatis ipſorum: inde contingit, ut cùm ſolvere non poſſint hæc officia ſine incommodo, educant è crumena ruſticorum, viduarum, & orphanorum, unde illa ſolvere valeant, ſic ut ipſis improperari poſſit id, quod ait Jeremias b, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum.* Quod induxit Salvianum i ad exclamandum, *Quid eſt omnium aliud dignitas ſublimium, quàm proſcriptio civitatum? Aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla ſiquidem major pauperculorum eſt depopulatio, quàm poteſtas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, ut cunctorum vaſtatione ſatietur. Quo quid eſſe indignius aut iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt. Commercia neſciunt, & ſolutionem ſciunt. Ut pauci eleventur, mundus evertitur. Unius honor, orbis excidium eſt.* Et unde procedit, ſi placet, omnis hæc inordinatio, niſi ex exiguæ reflexionis defectu? Si unuſquiſque ſe tantiſper conſideraret, & diceret intra ſe, Conditio mea, & reditus mei non mihi permittunt, ut aſpirem ad iſtum ſtatum: non enim poſſum in eo me diu conſervare, qui a nimis eſt elevatus quantùm ad me, metiri debeo vires meas, alioquin hoc pudore ſuffundar, & hâc afficiar moleſtiâ, ut me ſim viſurus deſcendere in ſtatum mediocrem: ſatius eſt incipere inde quò cogerer perficere; ſaltem ſemper habebo libertatem aſcendendi. Si homines facerent hanc reflexionem, non viderentur tot furta, tot fraudes, quæ quotidie nos inducunt ad fundendas lacrymas: Si Dominus hic, & Domina hæc, qui deferre volunt aurum, argentum, & ſericum, ſeriò cogitarent de conditione ſua, de ſtatu familiæ ſuæ, & quòd miſeriæ temporis non permittunt ipſis, ut præ ſe ferant tantum luxum, tantamque vanitatem, certè non viderentur tot inopiæ: ſed ut ſatisfiat paſſioni immodicæ mulieris vanæ, oportet ut vir inſumat id omne, quod habet, imò verò id, quod non habet: poſthæc autem mirabimini ne, ſi tot honeſtæ familiæ funditus pereunt? Exigua reflexio mentis impediret infallibiliter univerſam hanc deordinationem. Tanta eſt ſympathia inter aquilam & exiguum regulum ſeu regaliolum terræ, ut, licèt avis illa monſtrifera ſibi complaceat in findendo aëre puriſſimo, ſi contingat ut ipſa videat exiguum amicum ſuum in terra, volatu præpeti irruat ſuper eum, ut amanter blandiatur illi, tendat illi alam ſuam, & explicet pennas ſuas ut invitet illum ad aſcendendum ſupra ſe: ſtupore non percellitur parvus hic regulus ex acceſſu iſtius aquilæ, ſed ſuaviter aſcendit ſuper eam, & inde veluti è throno imperiali incipit in omnia alia animalia inſurgere: aquila habens amicum ſuum ſibi inſidentem ſurſum fertur, aſcendit ad altiſſimas aëris regiones uſque, ut oblectet ibi amicum ſuum: ſed ſi contingat tandem, ut hæc aquila fatigata ferre amicum ſuum, tantiſper incurvet alam ſuam, ſinit ipſa cadere regulum, qui dirumpitur contra terram pro eo, quòd æquo altiùs aſcendere intenderit: En, Auditores, idem quod accidit multis viris & mulieribus mundi, qui eò quòd æquo altiùs aſcendere voluerint, more parvorum regulorum tumentium, coguntur tandem labi, & edere caſum eò probroſiorem, quò ipſorum elevatio fuerat inſignior, conformiter ad hoc, quod ait Poëta:

b Jer. 2. 34.
i Salviā. lib. 4. de Provid.

Tolluntur in altum,
Ut caſu graviore ruant.

Hæc mulier deferre voluit ſericum, argentum, & aurum, ſicut vicina ſua, quæ eſt nativitatis elatioris, quæque ampliores habet reditus quàm ipſa; ipſa ſublime æquè ferri vult ac aquila, licèt ipſa non ſit niſi mercatrix, vel civis: ſed patienter agite tantiſper, & perfundemini voluptate conſiderandi exitus illius; metietur ipſa elevationem ſuam caſu ſuo. *Redite prævaricatores ad cor* k. Tantiſper reflectite vos, Auditores, ſupra vos ipſos, conſiderate quòd magnus ſtatus non poteſt diu durare: & dato quòd poſſetis illum continuare, mementote quòd eſtis Chriſtiani, & quòd modeſtia Chriſtiana libertatem prohibet æquo ſolutiorem.

k Iſai. 46. 8.

Illi è contrà qui remanent citra debitum, ſunt ii, qui non faciunt id omne quod poſſunt ad hoc ut perfungantur eo, quod ſpectat ipſorum munia & obligationes: ipſi delicatos agunt. En appropinquat ſacrum Quadrageſimæ tempus, unuſquiſque perpetitur infirmitates pectoris: hic eſt obnoxius fluxionibus, iſti oleum obeſt, & alii piſcis noxius eſt: hoc in occurſu procurandæ ſunt diſpenſationes, & hæ diſpenſationes ſunt ita generales, ut pauci inveniantur qui obſervent Quadrageſimam præter Sacerdotes, & Religioſos. In vosipſos revertimini, Auditores: metimini tantiſper captum virium veſtrarum, & conſiderate, quòd ſi vobis gerenda eſt res, in qua agatur de commodis veſtris, & de augenda re veſtra familiari, tranſibitis ad horam primam vel ſecundam uſq; pomeridianam ſine cibo, & potu: & ſi agatur de jejunando, non vultis expectare quòd appropinquaverit hora undecima, vel decima, ut ſolitam capeſſatis refectionem. Ecce mendicus, qui petit à vobis eleëmoſynam manu tremente, & corpore ſeminudo: non efflagitat à vobis, niſi fruſtulum panis, aut denarium: heu! Amice mi, dicitis ei, Deus auxilietur tibi, nihil habeo hîc, numeroſam habeo familiam, &c. Heu! Auditores, reflectite tantiſper vos ſupra vosipſos: ſi tranſigendæ ſunt vobis horæ pomeridianæ in ludo, vel apud aliquam puerperam, non deeſt vobis pecunia ad ludendum, vel ad fovendas vanitates veſtras: & deficitis aſſe, vel denario ad auxiliandum pauperi. Hoc provenit ex defectu reflexionis. Tandem, Omnia mala, quæ videmus abundare ſuper terrâ, peſtes, fames, bella, & univerſæ deordinationes Monarchiarum, Provinciarum, Civitatum, & Familiarum particularium, non accidunt niſi defectu conſiderationis & reflexionis uniuſcujuſque ſuper ſeipſum.

Philo-

Philoſophus Pythagoras dicebat, quòd vita civilis & communis erat ſimilis ludis Olympiacis, ad quos concurrebatur ex univerſis mundi locis. Alii veniebant ad iſtos ludos, ut ibi venderent merces ſuas, ſicut mercatores: alii ut præliarentur, & reportarent bravium, quod erat propoſitum victoribus: & alii ut viderent, & eſſent judices actionum aliorum. Heu! Quotnam ſunt homines in mundo, qui videntur non eſſe nati, niſi ut ſint cenſores & judices modi procedendi proximorum ſuorum? Ipſi ingerunt ſe in Reſpublicas, intimè pervadunt familias optimè moratas, illuminant uſque ad minimas ſuorum vicinorum actiones, perſcrutantur omnia, nihil eſt quod non ſciant eorum quæ fiunt ad extrà; nec unquam cognoſcunt ſemetipſos, neque faciunt unquam verum reditum aut veram reflexionem ſuper ſeipſos, ut examinent ſicut expedit ſuum procedendi modum. *Redite prævaricatores ad cor* l. [l Iſai. 46. 8.] Intuemini vagi voſipſos, reſpicite deformitatem vitæ veſtræ, & monſtriferas actiones veſtras, nedum ſitis ſoliciti de examinando eo, quod non ſpectat ad vos, & ſuper quod non eſtis inquirendi. *Redite prævaricatores ad cor.* Revertimini ſuper greſſus veſtros, peragite ſolidam & ſeriam reflexionem ſuper ſtatum animæ veſtræ cum hoc Principe diſſoluto, qui poſtquàm inquinaſſet cubile ſui fidelis ſubditi Uriæ, & deinde mortem præcepiſſet ei inferendam, vel procurandam m [m 2. Reg. 11. 4. &c.], verâ pœnitentiâ percitus intuitu modi procedendi criminoſi actionum ſuarum, in hæc præclara verba erumpit, *Totâ die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me* n. [n Pſ. 43. 16.] Non me conſidero ampliùs, ait David, ut Principem ſapientem, & modeſtum, nec ampliùs ut eum quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* o [o 1. Reg. 13. 14.], quod poſſidebam. Heu! pudet me aperire os meum ad illud dicendum: nam inhorreo meipſum: adulter ego ſum, & homicida: amiſi per impuritatem meam, & per ſævam proditionem meam gratias univerſas, quæ me gratum exhibebant oculis Dei: Domine, vita mea tota deformis eſt & monſtroſa: ſed largire mihi gratiam habendæ veræ cognitionis, quæ naſci faciat in anima mea verum dolorem de exceſſibus meis. Tandem, Auditores, ad concludendum totum diſcurſum iſtum, cùm Deus convertere vult Adamum poſt peccatum ſuum, eumque diſponere ad peragendam pœnitentiam, non utitur niſi unico verbo, quod inducit illum ad ingrediendum ſeipſum, *Adam ubi es* p? [p Gen. 3. 9.] Deus non ignorabat quales erant diſpoſitiones animæ ejus, ſed intendebat hoc verbo inducere eum ad faciendam reflexionem ſuper ſeipſum, ut cognoſceret malum ſuum, & ut, poſtquàm cognoviſſet illud, curreret ad remedium ſanando illi opportunum. Ita verum eſt, quòd bona reflexio ſuper vitam eſt non ſolùm utilis, ſed etiam maximè neceſſaria ad agendam ſalutem: non enim acquiritur gratia niſi per peccati deteſtationem, nec illud homo deteſtatur niſi poſtquàm cognovit illud, & hæc cognitio eſt reflexio, quam facit anima ſupra ſeipſam, quâ comparat malitiam ſuam bonitati Dei, & exceſſus ſuos gratiis ejus. Cùm igitur oporteat ad hoc, ut quis ritè convertatur ad Deum, ut reflectat ſe ſupra ſeipſum, obſecro vos, Auditores, quicumque ſitis, ſi eſtis in peccato, ut examinetis conſcientiam veſtram, & perſcrutemini univerſos cordis veſtri ſinus, & ut certum faciatis ſtatum ſalutis veſtræ, per veram reverſionem ad Deum, quæ merebitur vobis gratiam, & gloriam illius.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt. **Matth. 22. 7. &c.**

HOmo defert in intimis animæ ſuæ ſinibus duas potentias ſpirituales æqualiter liberas, ſcilicet intellectum, & voluntatem: & impoſſibile eſt ut flectatur una quin flectatur & alia. Intellectus non examinat niſi id quod ipſi placet, & voluntas non adhæret niſi illi, quod ipſa vult: & ſicut cogi non poteſt mens ut ſe applicet objecto contrario inclinationibus ſuis; ſic nulla eſt violentia, quæ voluntatem compellere poſſit ad amplectendum id, quod ipſa non diligit. Iſtæ duæ facultates ſic apprimè concordant inter ſe, ut homo nihil unquam operetur unâ ſine altera: voluntas non amat & non ſe determinat ad aliquid, quin priùs conſuluerit intellectum; & intellectus nulli ſe ſubjecto applicat, quin priùs exegerit conſenſum voluntatis; & ferè nihil eſt ac ſibi conciliaſſe unam ex ambabus, niſi attrahatur altera; & parum eſt profeciſſe ac diſpoſuiſſe intellectum ad aliquid, ſi voluntas non cedat. Propterea gratia Dei, quæ triumphare vult de malitia hominis, & illum redigere ad juſtum obſequium, videns quòd ipſa nihil profecit ſuper eum, licèt ipſa diebus Dominicis iſtis præcedentibus conciliare ſibi conata fuerit mentem & cor illius, conſiderationibus honoris, & commodi, novum facit hodiernâ die conatum, utitur rigore, & inſumit brachium ferreum & igneum, ut flectat illius voluntatem, & inducat eam ad cedendum ſuavitatibus amoris ipſius, *Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt. De quo dictum ſuprà fuerat. Simile factum eſt Regnum cœlorum homini Regi. Quando invitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appoſitum eſt: nunc quando ad ultionem venit, homo ſiletur, & Rex tantùm dicitur*, ait Sanctus Hieronymus a. [a S. Hier. lib. 3. in Mat. 22. 7.] Sed licèt iraſcatur, non deſiſtit propterea miſereri, ſicut ait illi Habacuc b [b Habac. 3. 2.], *Domine, cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Gratia ejus oſtendit jam à diebus Dominicis aliquot animæ peccatrici, quòd ipſa eſſet origo omnium infortuniorum ſuorum, & induxit eam conſequenter ad deprimendos ſuæ mentis oculos, ut conſideraret ſemetipſam, & miſerias ſuas: ſed hodie videns quòd ipſa noluit obedire amori ſuo, incipit percutere hanc voluntatem rebellem malis & ſuppliciis, quæ inducunt illam ad agnoſcendum crimen ſuum, & ad quærenda remedia, quæ miſericordia ipſius divina ipſi præparavit, cùm ipſe carnem ſumpſit humanam *in utero B. Virginis Mariæ*, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* c *Maria.* [c ex Luc. 1. 28. & 31. ex Iſai. 7. 14.]

Maxima generalis eſt, in ſcholis omnibus admiſſa, quòd eadem cauſa producere poteſt effectus diverſos & oppoſitos, ſecundùm diſpoſitionem quam reperit in ſubjectis quæ terminant & ſuſtinent ipſius actionem: ſic Sol eodem radio liquefacit ceram, & exiccat terram; & majori ſplendore micat ſuper aquis, quàm ſuper luto, quia differentes invenit diſpoſitiones in nive & in terrâ, in aquâ & in luto: atque ideò cùm Deus in Scripturâ ſacrâ comparet ſe Soli, *Dicit Dominus exercituum, Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus* d: ipſe nos docere vult, quòd
d Malac. 4.1. & 2. operatur intuitu animarum noſtrarum eoſdem effectus, quos hic planeta qui lucet ſuper capitibus noſtris, operatur in naturâ: ſic Sol iſte eſt perfectum tranſumptum in quo legimus modum procedendi Dei intuitu hominum. Obſervate, ſi placet, convenientiam quæ reperitur inter utrumque. Non eſt aliquid in naturâ Sole beneficentius; ipſius influentiæ, & amoroſi ipſius intuitus, vitam tribuunt univerſis creaturis quæ ipſum ſequuntur & agnoſcunt ut Patrem, & nulla ex illis eſt quæ non ſit ipſi devincta pro eo quod habet ipſa pulchri & boni, & ſine eo tota natura non eſſet niſi ſepulchrum: & omnia rident ibi, ubi ipſe illuminat; è contrà verò univerſa ſunt in luctu & in triſtitiâ per ipſius abſentiam: fatendum tamen eſt etiam, quòd non eſt aliquid magis injurioſum quàm ſit idem Sol: idem radius enim qui manè naſci fecit flores, eos exurit, & eorum decôrem obſcurat caloribus & ardoribus ſuis: ſi calefacit terram, & germinare facit ſemina agricolæ, ſi producit etiam ventos, qui evertunt ſpecioſiſſimas quaſlibet domos, ſi diſſipat nubes luminibus ſuis, revocat illas etiam eodem radio qui ipſas expulerat, ut ex illis producat tempeſtates, fulgura, tonitrua, & fulmina: ſed ſi examinemus ſecundò omnia, reperiemus quòd ſi Sol producit ventos, & grandinem, id ò ut puniat injuſtitiam terræ, quæ nedum agnoſcat favores, quos ab ipſo ſuſcepit, remittit ad ipſum fumos obſcuros, & vapores denſos, ad eripiendam ipſi claritatem ſuam: tamen nunquam ſic ſeverus eſt in ſupplicijs ſuis, quin intermiſceat eis aliquas ſuavitates; ſic ſi ſtrepit in tonitruo, quod univerſam tremore naturam concutit, diſponit ipſe cervam ad pariendus catulos ſuos, producit foſſilia in cavitate rupium, & purgat aërem ab omni eo quod habet funeſti, ita ut valdè difficile ſit ut judicet quis, an magis Sol ſibi naturam devinciat rigoribus ſuis, vel ſuavibus ſuis influentijs. Deus obſervat eandem œconomiam in ordine gratiæ intuitu hominum, quam Sol in naturâ reſpectu creaturarum ſublunarium: ipſe devincit ſibi generaliter omnes hòmines, quippe qui intendit illos univerſaliter omnes ſalvare, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, di-
e 1. Tim. 2. 4. cit S. Paulus e. Id eſt, ſubdit Dionyſius Carthu-
f Dion. Carthuſ. art. 2. in 1. Tim. 2. 4. ſianus f. *Deus vult omnes ſalvari, quantùm in ſe eſt, ita ut ex parte ejus non ſit defectus, neminemque ad ſe venientem repellat, & ſingulis gratiam dare paratus ſit, ſi fecerint quod in ſe eſt.* Non eſt aliquid quod ipſius Divina bonitas non inſumat ad hoc ut ſibi devinciat illorum affectus: ſed homines ingrati nedum agnoſcant favores ipſius, & ipſi gratias agant pro beneficijs ab ipſo ſuſceptis, inſurgunt adverſùs Benefactorem ſuum, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* g.
g Job 24. 13. Et ſic deſpicientes eum, è beneficijs illius faciunt inſtrumenta, quæ ipſi ſervire faciunt jacturæ ſuæ: *Perditio tua, Iſrael: tantummodò in me auxilium*
h Oſee 13. 9. *tuum* h. Sed Deus qui perdere non vult homines, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* i: ex iiſdem inſtrumentis, quæ ipſi i Sap. 1. 13. fabricaverunt ad operandam jacturam ſuam, facit inſtrumenta ſaluti ipſorum operandæ accomoda: & videns quòd abuſi ſunt blanditijs amoris ſui, utitur rigoribus & minis, more Medici qui videns infirmum ſuum in pejus abire inter remedia, calculum & cauterium inſumit ad hoc ut reſtituat ei ſanitatem ſic Deus videns quòd peccator non ſe recipit in bonam emendatæ vitæ frugem intuitu ſuavitatum miſericordiæ ipſius, quæ illum quotidie ſibi devincit liberalitatibus ſuis, inſumit manum ferream, & fortitudinem brachij ſui oneratí virgis & ſupplicijs, quorum rigor infallibiliter reducet illum ad juſtum obſequium ipſi exhibendum. Sic Deus perfungitur officio Solis, devincit ſibi beneficijs ſuis, ſed etiam punit. Propterea defert nomen Solis Juſtitiæ, ut diſcamus rigorem ſuppliciorum ipſius: ſed tamen nunquam ſic ſeverus eſt in malis, quibus affligit homines, quin commiſcere faciat ſuavitates amoris ſui: & ideò ſi dicit *Dominus exercituum, Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*: dicit ſimiliter *Et ſanitas in pennis ejus* k. Quia nunquam punit, quin è ſupplicijs quæ k Malac. 4.1. & 2. ipſe infligit, intendat educere ſalutem illorum quos caſtigat.

Repræſentare nobis poſſumus Deum ſedentem in throno amoris & miſericordiæ, tenentem præ unâ manu coronas ad remunerandam virtutem, & præ alterâ fulmina ad conterenda capita inimicorum ſuorum, & ſecundùm hanc objectorum diverſitatem, obſervare poſſumus in Deo duplicem voluntatem (ſaltem ſecundùm noſtrum concipiendi modum) unam quam Theologi vocant, voluntatem antecedentem, quâ Deus intendit ſalutem omnium: tamen hæc voluntas non habet ſemper effectum ſuum: alteram verò quam vocant voluntatem conſequentem, quam ſemper ſequitur effectus ſuus, quem ipſa redigit in praxim, aut ſuavitate, vel minis. Cùm conſideratio coronarum quas Deus præparat virtuti, non poteſt homines attrahere ad præſtandum ipſi obſequium, inſumit ipſe fulmina, quorum ſtrepitus illos tre- Propoſitio. more concutit, & rigor reducit eos ad juſtum obſequium; exercens ſeveritates Judicis adverſùs eos qui noluerunt ipſi ſervire ſicut Patri, eo tamen ſemper conſilio ut inde ſuccere faciat illorum ſalutem, ſicut videbius in progreſſu diſcurſus iſtius.

Theologia ſemper agnovit & confeſſa eſt, quòd damnatio dæmonum, erat effectus impœnitentiæ ipſorum, *Et factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cælo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* l. l Apoc. 12. 7. &c.
Sed omnes Theologi non ſemper in eandem abierunt ſententiam circa determinationem cauſarũ impœnitentiæ ipſorum. Inter hanc diverſitatem opinionum, tres referam quæ facient corpus diſcurſus iſtius. Prima eſt eorum qui referunt impœnitentiam malorum Angelorum ad voluntatem Dei. Iſti doctores dicunt, quòd cùm Deus produxiſſet inter infinitatem creaturarum, duas naturas intellectuales, putà Angelicam m, & humanam n, m Gen. 1. 1.
& direxiſſet eas ad finem ſupernaturalem, qui eſt
ipſemet, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt* o, n Gen. 1. 27.
ut eſſet objectum fœlicitatis ipſarum, tribuit unicuique gratiam ſuam, quæ eſt auxilium ſupernaturale, quod poſſet utramque hanc naturam ferre ad o Prov. 16. 4.

finem

finem ſuum: ſed ſicut ipſe agebat cum creaturis liberis, reliquit eas in electione utendi eâ propter commodum ſuum, aut contemnendæ illius, ut ferrentur aliò cum plenâ libertate: ſed accidit ut tertia pars Angelorum perierit, *Et ecce draco magnus, & cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram* p. Quia tertia iſta pars abuſa eſt gratiâ, quam Deus ipſi tribuerat; quippe qui, ſicut ait S. Auguſtinus q, *Eos creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Poſt quam gratiam deperditam, Deus rationabiliter potuit eis auxilium ſuum denegare; quia non tenetur ſalvare eum qui perire vult: ipſe jam fecerat ex parte ſuâ id quod debebat: Deus dederat Angelis gratiam, quæ poterat illos ferre ad finem ſuum: Angeli noluerunt eam proficuè inſumere: Deus poſthæc non tenebatur eis ſuccurrere. Propterea S. Judas r dixit, *Angelos qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni dei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Angeli perierunt, quia noluerunt ſe cuſtodire in ordine, in quo Deus ipſos collocaverat. Ex hâc opinione Doctorum iſtorum patet igitur quòd impœnitentia malorum Angelorum cauſatur à voluntate Divinâ, quæ rationabiliter denegare poteſt gratiam ſuam, poſtquam contempta eſt. Idem infortunium contingeret hominibus, & quotidie accidit illis qui pereunt: ſed ex omnibus illis qui offenderunt Deum, nullus eſt qui reſurgeret, aut qui ſe diſponeret ad faciendam pœnitentiam, niſi Deus huic infortunio occucurriſſet interventu miſericordiæ ſuæ: tanta eſt enim diſtantia inter peccatum & gratiam, & hominè criminoſum & Deum, ſicut ait Iſaias ſ, peccatores alloquens, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret*; ut homo non poſſit ad illum pervenire; non ſecus ac Angeli cum excellentiâ naturæ ſuæ: & totidem peccatores quot ſunt in mundo, tot eſſent impœnitentes qui perirent, ſi deficerent medio ſalvandis ipſis opportuno. Medium autem, quo Deus utitur, ſunt afflictiones, pœnæ, & ſupplicia. Cùm Deus invenit animam obſtinatam in peccato, & ita induratam ut audire renuat ipſius inſpirationes, & blanditias amoris ipſius: & ſicut *cùm elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ* t: ſic Deus ſumit præ manu virgam, & percutit illam rupem voluntatis, ut illam emolliat; & ut ex eâ manare faciat aquas, calefacit eam in fornace tribulationis, ut reddat illam capacem ſuſcipiendæ gratiæ ſuæ. Heu! Domine, quoniam animæ impœnitentes ſunt in mundo, quæ perirent, ſi miſericordia tua non faceret eas experiri rigorem brachij tui? Nullum eſt beneficium quod eas emolliat: reprehenſiones, quibus invehitur Prædicator in cathedrâ contra vitium, habentur ab eis ut ridiculæ; monita ſalutaria quæ dantur ipſis in particulari, reputantur ab illis ut ineptiæ: & omnia bona exempla videntur eis ut nugæ; neceſſaria eſt manus valdè induſtria, & requiritur remedium vehementer potens ad ipſas ſanandas, cùm ſenuerint in malo: percute Domine duritiem illarum: nunquam enim revertentur ad obſequium tuum, niſi percutiantur. Propterea ſingulis illis conſulit Salomon u, *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cùm ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit: & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus x, *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: neq; deficias cùm ab eo corriperis. Diſciplina Dei eſt omnis adverſitas, tribulatio, caſtigatio, increpatio, quæ ex Divinâ Providentiâ accidit nobis à quocunq; inſligatur.* Et ſicut legitur, *Deus increpat quandoq; per dolorem in lectulo, & omnia oſſa hominis marceſcere facit* y. *Per Prælatos quoque Vicarios ſuos, & per Principes ac Judices corripit & caſtigat, qui teſte Apoſtolo* z, *Miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum conſtituti. Omnia igitur iſta æqualiter ferre debemus, tanquam virgam fideliſſimi Patris. Primò, Quia per iſta purgamur à vitijs. Secundò, Quia per hæc creſcimus in virtutibus. Tertiò, Quoniam per hæc à futuris graviſſimis eripimur pœnis. Quartò, Quia per iſta Capiti noſtro propter nos paſſo* a *conformamur. Quintò, Quia per hæc corona æternæ fœlicitatis nobis augetur. Sextò, Quia per hæc efficimur in ſpirituali converſatione exercitati. Qui enim non eſt tentatus, quid ſcit* b? *Septimò, Quia ex horum eventu cognoſcimus charitatem Patris cœleſtis ad nos, qui ob tam multiplicem fructum, & commodum noſtrum per præfata nos diſciplinat. Quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi, id eſt, beneplacitum eſt ei in his ſicut pater complacentiam habet in filio ſuo dilecto & bono.* Ideò ait Gloſſa, *Tantò minùs de flagello, quo caſtigamur, murmurare debemus: quantò certius in eo pignus paternæ dilectionis tenemus.* Unde & ipſe in Apocalypſi c fatetur, *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Hinc de reprobis apud Oſee d ait, *Non viſitabo ſuper filias veſtras cùm fuerint fornicatæ.* Per Ezechielem e quoque ait de reprobo indurato, *Auferatur zelus meus à te, non iraſcar tibi ampliùs.* Et in Pſalmo f de impijs, *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum. Hæc eſt metuendiſſima & graviſſima Dei plaga ac ira, dum juſto judicio hominem ſic relinquit. Deſideremus ergo in vitâ præſenti paternè caſtigari à Domino, & Superiorum noſtrorum correptiones atq; correctiones hilariter amplectamur, cùm & Apoſtolus* g *jubeat, In diſciplinâ perſeverate, tanquam filijs vobis ſe offert Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri, & non filij eſtis. Hinc etiam in Job* h *habetur, Beatus homo qui corripitur à Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes, quoniam ipſe & vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus ſanabunt.*

Deus uſus eſt duobus montibus ſuper terrâ ad operandam in eis ſalutem hominum. Primus mons, fuit mons Sinai ſub veteri Teſtamento, ubi Deus legem ſuam dedit populo ſuo, ut eum dirigeret, illumque edoceret id quod agere deberet, *Dedit Dominus Moyſi in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei* i. Et alter mons, fuit mons Calvariæ ſub novo Fœdere, ſuper quo *Jeſus inclinato capite tradidit ſpiritum* k, & totum fudit ſanguinem ſuum eo conſilio ut ſalvaret omnes homines: & per mortem ſuam meritus eſt eis univerſas gratias neceſſarias ad exequendum id omne quod cognoviſſent. Iſta ſalus tamen non fuit adimpleta, nec lex iſta data fuit niſi inter tempeſtates, fulgura, & tonitrua; *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem* l. Et Jeſus Chriſtus non eſt mortuus niſi inter eclypſes, terræ motum, & alterationem generalem omnium creaturarum: *Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum: ubi crucifixerunt eum* m. *Et obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* n. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt* o. Quod innuit quòd violentia requiritur ad diſponendam animam ad gratiam, & quòd niſi percutiatur fulminibus, nunquam agnoſcit eam.

Jeſus Chriſtus inſumpſit duas vias oppoſitas ad operandam ſalutem mundi. Adhibuit ipſe vitam ſuam ad percurrendas Provincias, civitates, valles,

p Apoc. 12. 3. & 4.
q S. Aug. lib. 12. de Civ. Dei c. 9.
r Judæ v. 6.
ſ Iſai. 59. 2.
t Num. 20. 11.
u Prov. 3. 11. & 12.
x Dion. Carthuſ. in c. 3. in Prov. 3. 11. & 12.
y ex Job 33. 19.
z ex Rom. 13. 6.
a ex 1. Petr. 2. 21.
b ex Eccli. 34. 11.
c Apoc. 3. 19.
d Oſee 4. 14.
e ex Ezech. 16. 42.
f Pſal. 80. 13.
g ex Hebr. 12. 7. & 8.
h ex Job 5. 17. & 18.
i Exod. 31. 18.
k Jo. 19. 30.
l Exod. 19. 16.
m Jo. 19. 17. & 18.
n Luc. 23. 45.
o Matth. 27. 51.

& villas, ut prædicaret ibi Evangelium ſuum, *Et ipſe iter faciebat per civitates & caſtella prædicans & Evangelizans Regnum Dei p.* [p Luc. 8. 1.] Tot ferè patrabat miracula quot agebat greſſus; unumquemque devinciebat ſibi, ſed pauci inde ſumebant occaſionem converſionis, *Sed cùm doceret, mirabantur Judæi. Omnes quidem, quantùm arbitror, mirabantur, ſed non omnes convertebantur*, ait S. Auguſtinus q. [q S. Aug. Tract. 29. in Jo. 7. 14.] Pauci agnoſcebant eum, & multi inſurgebant in illum, & ſumebant anſam irrogandarum ei injuriarum, quia nimis beneficus erat. Quidnam fecit? Vidit quòd mundus pejor evaderet in et remedia, & quòd miſericordiæ ſuæ irritarent ægros ſuos, tunc inſumpſit rigorem, & venit ad crucem, & effudit ſanguinem ſuum: & forſan nunquam mundus converſus eſſet ad Deum, niſi eundem Deum fuiſſet intuitus cruci ſuffixum, niſi tremore perculſus eſſet ad aſpectum eclypſis univerſalis, terræ motus, ſciſſuræ petrarum, & aperturæ monumentorum. *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, percutientes pectora ſua, revertebantur* r. [r Luc. 23. 48.] Oportet, Auditores, ut Deus crucem plantet in hàc familiâ diſſolutâ, ut educat eam è libertate æquo ſolutiori: Maritus non deſeret ludum, & cauponam, niſi Deus inde retrahat ipſum paupertate; Et uxor continuabit impuras praxes ſuas, niſi morbus aliquis impediat ſecretas ipſius amicitias: Inſumendæ ſunt virgæ & ſpinæ ad lucrandam animam iſtius fœneratoris, qui divitias ſuas velut idola colit: Et niſi adhibeatur violentia, hic *animalis homo*, qui *non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* ſ, [ſ 1. Cor. 2. 14.] nunquam deſeret diſſolutiones ſuas: Tandem, Maxima pars mundi periret, niſi Deus eſſet paululùm ſeverus, &, ſi poſtquàm ſollicitavit animam peccatricem beneficijs ſuis, amor ipſius non imprimeret ei tamſ per rigores & ſeveritates juſtitiæ ſuæ. Deus non eſt minùs amans in hoc procedendi modo, in quo ſimilis eſt aquilæ provocanti pullos ſuos ad volandum. Refertur de aquilâ, quòd cùm pulli ipſius eò uſque creverunt ut ſinguli volare poſſint, ipſa volitat ſupra nidum, vocat illos amanter, & conatur illos inducere ſuavitatibus & blanditijs ad exeundum è nido: ſi verò pigros aliquos reperiat, ipſa roſtro ſuo percutit eos, violenter inde illos ejicit, & ex eodem roſtro, quo afferebat ipſa eis alimentum, ipſa facit inſtrumentum iræ ad eos affligendos: ſic Deus, qui in Scripturâ t ſe comparat aquilæ, [t Deut. 32. 11.] *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans*, attrahit omnes homines, quos conſiderat ut filios ſuos, ad ſalutem ſuavitatibus, beneficijs, & inſpirationibus internis, quæ illuminant ipſorum mentem, & quæ blandiuntur illorum voluntati: ſed cùm obvias habet animas obſtinatas in vitio, & quæ nolunt deſerere peccatum, percutit eas, urget illas, affligit ipſas, & inſumit id omne quod eſt rigidum, ut inducat eas ad mutandam vitam, & ad exeundum è peccato, in quo diutiùs reſediſſent, niſi Deus uſus eſſet adversùs ipſas rigore, ſed ſemper eâdem manu quæ percutit & blanditur ſimul. Videte poſthæc, Auditores, num Deus non mereatur qualitatem Patris, cùm exerceat illius officia, & velit ut omni modo præ nobis feramus qualitatem filiorum ſuorum, licèt ſimus ipſi rebelles, & feramur ad impœnitentiam, niſi manus ipſius nos inde retraheret medijs afflictionibus, cùm hæc impœnitentia, juxta ſententiam primorum Doctorum, pendeat à voluntate Dei, loquendo de ea eodem modo quo de impœnitentiâ Angelorum, ſicut ſuprà dictum eſt.

Sed alij ſumunt cauſam impœnitentiæ Angelorum in termino peregrinationis ipſorum: Angeli enim, ajunt Doctores iſti, repererunt ſalutem ſuam, vel ruinam ſuam, & conſequenter impœnitentiam ſuam in termino peregrinationis ſuæ. Ut intelligatur illorum conceptus, eſt obſervandum, ſi placet, quòd ſe res habet de Angelis non ſecus ac de reliquis creaturis. Cùm aliqua creatura eſt extra finem ſuum, ipſa requirit auxilium & continuationem ſuæ virtutis naturalis ad conſequendum centrum ſuum & finem ſuum: ſed cùm ſemel ipſum attigit, hoc auxilium eſt ipſi inutile: ſic cùm lapis diſſolutus eſt à centro ſuo, & ſurſum elevatus eſt, indiget auxilio ut ad illud revertatur, & hæc auxiliatio eſt ſua gravitas naturalis, quam requirit à concurſu cauſæ primæ; ſed ſtatim ac attigit centrum, hæc gravitas eſt ipſi inutilis: ſic ignis qui eſt extra ſphæram ſuam, continuus cietur inquietudinibus, movetur, & agitatur ut aſcendat ad locum ſuum originarium, indiget auxilio, quod eſt ſua levitas naturalis; ſed cùm illuc pervênit, non indiget auxilio, nec levitate: proptereà Philoſophia proteſtatur, quòd *elementa nec gravitant, nec levitant in proprijs centris.* Eodem modo ſe res habet de Angelis: Angeli fuerunt fideles, & viatores ſicut nos, licèt illorum peregrinatio non fuerit ita longa ac noſtra: eorum itineratio fuit trium duntaxat inſtantium; primum, fuit creationis ipſorum; ſecundum, fuit determinationis & curſus ipſorum; tertium verò, fuit termini ipſorum. Cùm Deus creavit Angelos, propoſuit eis finem, & dedit illis auxilium & gratias quibus indigebant ad ipſum attingendum, ſicut audivimus ſuprà ex S. Auguſtino. Omnes cucurrerunt eodem inſtanti, ſed non omnes pervenerunt ad eundem finem: alij elegerunt gloriam, & hi ſunt boni Angeli: alij qui aberraverunt à verâ viâ, perfecerunt curſum ſuum, ſed curſum funeſtum: nam derelicti ſunt ibi, ubi inventi ſunt: Deus apprehendit eos in malo, & in peccato, & in eodem malo & peccato derelicti ſunt, *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem in quocumque loco ceciderit, ibi erit* u: [u Eccl. 11. 3.] Idem infortunium accidit hominibus qui moriuntur *in peccato* x. [x Jo. 8. 21.] Perficiunt peregrinationem ſuam, ſed funeſto modo: vita enim ipſorum terminatur ad præcipitium: non erat tamen hoc conſilium Dei, qui retulerat ipſos ad finem ſupernaturalem & eminentem, & dederat ipſis auxilia neceſſaria ad hoc ut ipſum attingerent, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei* y? [y Iſai. 5. 4.] Sed malitia ipſorum avertit ipſos à verâ viâ, ut induceret ipſos ad currendum poſt peccatum, quod eſt via perditionis: *Ergo erravimus à viâ veritatis. Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus* z. [z Sap. 5. 6. & 7.] Sed licèt idem fieri deberet judicium de hominibus qui vivunt & perſeverant in peccato, ac de Angelis qui curſum ſuum finiverunt in impœnitentiâ, habemus tamen certitudinem moralem, quæ docet nos, quòd homines non ſunt in impœnitentiâ; & hæc certitudo educitur è pœnis & è malis, quibus affligit Deus impios. Sciendum enim eſt, quòd in afflictionibus eſt quædam virtus quæ emollit duritiem voluntatis hominis, & ignis ſecretus amoris Divini qui diſſolvit chalybem cordis humani, ut ipſum flectat ſecundùm voluntatem Dei. Cùm gratia vult facere conatum & exemplum miſericordiarum ſuarum ſuper veterem peccatorem qui incanuit in criminibus ſuis, circundat eum ſpinis, operit eum miſerijs, & onerat illum malis, quæ faciunt illum redire ad ſe, & agnoſcere miſeriam ſuam, *Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis* a. [a Oſee, 2. 6.] Et quia afflictiones iſtæ ſunt effectus gratiæ, labi

faci-

faciunt in medullas ejus ignem ſecretum, qui eum calefacit, illum emollit, & diſponit ipſum ad pœnitentiam, *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me* b. Tunc anima quæ reſurgit à peccato ſuo, & incipit ſe cognoſcere, edocetur diſcernere verum à falſo, bonum à malo, & verum amicum à perfido, quia gratia Dei communicavit ipſi lumina ſecreta, quæ clarè videre faciunt ipſam objecta, & diſtinguere amicum ab inimico. Ha! cùm anima eſt afflicta, cùm homo labitur in miſeriam, poſtquàm fœlix fuit in mundo, amici ejus comitantur ipſum ſemper in infortunijs ipſius; ſed illi qui non diligebant niſi fortunā ejus, derelinquunt ipſum cum eā, & derident illum; ſed hæc derelictio non eſt ſine aliquo bono effectu, quia ordinatus fuit à Deo propter bonum finem. Tunc homo iſte qui poſuerat omnes ſpes ſuas in amicis ſuis, quique omnia in diſcrimen adduxerat ut illos acquireret; & conſervaret, videns ſe derelictum, incipit errorem ſuum deponere, & non ampliùs tanti æſtimare amicitiam mundi; & ſicut vivere non poteſt quin diligat, unico greſſu vadit ad Deum, ut adhæreat ei ſic ut nunquam ſit ab eo receſſurus, diffidens affectibus ſpecioſiſſimarum quarumlibet creaturarum, quia expertus eſt illatum infidelitatem, ideòque dicens. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam* c. Sic ut afflictiones non ſolùm ſint inſtrumenta quibus Deus utitur ad retrahendum hominem è peccato, ſed etiam ſint notæ quæ nobis dant certitudinem moralem, quòd homo non eſt in impœnitentiā, & quòd prætendere debet ad qualitatem filij Dei, cùm ferat ejus notas.

b Thren. 1. 13.

c Pſ. 72. 28.

Miratus ſum aliàs quòd Pater æternus dediſſet ſolemne teſtimonium, quòd Jeſus Chriſtus eſſet Filius ſuus, cùm in fluvio Jordane fuit à S. Joanne Baptiſtâ *baptizatus, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* d: & in monte Thabor, cùm *transfiguratus eſt, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite* e: & tamen quòd dereliquerit illum ſuper monte Calvariā, cùm magis indigebat ipſius approbatione. Nonne videtur vobis, Auditores, tunc fuiſſe tempeſtas pronunciandorum ſpecioſorum prædictorum verborum? Nihilominùs Pater æternus tacet, & ejus ſilentium videtur illum accuſare ejuſdem affectus, cujus conſcij ſunt homines terræ, qui non amant niſi in proſperitate: Jeſus Chriſtus ipſe videtur de eo queri, cùm pronunciat hæc triſtia verba: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* f? Ha! Auditores, neceſſarium non erat ut Jeſus Chriſtus ſuſciperet approbationem à ſuo Patre æterno: tota natura, ſicut audiviſtis ſuprà, teſtimonium ferebat authenticum in favorem illius; omnia tormenta quæ patiebatur, & cuncta vulnera quæ ſuſcipiebat ſuper corpus ſuum, erant tot ora aperta, & tot linguæ diſertæ, quæ ſolemnem Divinitatis ipſius agebant proteſtationem: & ſufficiebat ut quis videret eum pati, & agnoſceret patientiam illius, ut palàm confiteretur quòd ipſe eſſet verè Deus. Similiter quantumvis ſceleſtus videatur vobis homo, quantùmlibet effrænem & æquo ſolutiorem vitam tranſegerit; quandiu patitur, nolite condemnare eum, quia defert charactêrem filiorum Dei: conſiderate crucem ejus ſicut illud magnum Thau ſuper frontes g amicorum & Electorum ſuorum ſignatum à Deo: exhibere debetis illis venerationem & reverentiam, quia Deus operatur in eis ipſorum emendationem & ſalutem interventu miſeriarum iſtarum quæ ipſos obruunt. Admiramini igitur, Auditores œconomiam Patris æterni, qui retrahit homines ab impœnitentiâ, & imprimit eis charactêrem prædeſtinationis ſuæ interventu afflictionum & ſuppliciorum.

d Matth. 3. 16. & 17.

e Matth. 17. 1 & 5.

f Matth. 27. 46. & Pſ. 21. 2.

g Ezech. 9. 4.

S. Thomas h obſervat tertiam cauſam impœnitentiæ Angelorum: reperit eam, non in voluntate Dei, aut in termino curſus ipſorum, ſed ſumit eam in inflexibilitate voluntatis ipſorum, dicens, *Ad inquirendum cauſam hujuſmodi obſtinationis, conſiderandum eſt quòd vis appetitiva in omnibus proportionatur apprehenſivæ, à quâ movetur ſicut mobile à motore. Appetitus enim ſenſitivus eſt boni particularis, voluntas verò univerſalis: ſicut etiam ſenſus apprehenſivus eſt ſingularium, intellectus verò univerſalium. Differt autem apprehenſio Angeli ab apprehenſione hominis in hoc, quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, ſicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus: homo verò per rationem apprehendit mobiliter diſcurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppoſitorum. Unde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter quaſi potens etiam ab eo diſcedere, & contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixè & immobiliter. Et ideò ſi conſideretur ante adhæſionem, poteſt liberè adhærere, & huic, & oppoſito, in his ſcilicet, quæ non naturaliter vult. Sed poſtquàm jam adhæſit, immobiliter adhæret. Et ideò conſuevit dici, quòd liberum arbitrium hominis flexibile eſt ad oppoſitum, & ante electionem, & poſt: liberum autem arbitrium Angeli eſt flexibile ad utrumque oppoſitum ante electionem, ſed non poſt. Sic igitur & boni Angeli ſemper adhærentes juſtitiæ, ſunt in illâ confirmati, mali verò peccantes, ſunt in peccato obſtinati.* Non habet ſe res de Angelis ſicut de hominibus, qui amant hodie rem aliquam, & cras illam contemnunt, qui quærunt nunc quod priùs dedignati fuerant; ſed Angeli ſunt inflexibiles & invariabiles in judicijs ſuis, & in proſecutionibus ſuis. Hæc inflexibilitas procedit à vi intellectus ipſorum, qui ſic purus eſt, & cujus lumina ita clara ſunt ut unico intuitu concipiat id omne quod eſt bonum, aut malum in aliquo objecto: eodem inſtanti quo Angelus applicat ſe conſiderationi alicujus objecti, intellectus ipſius obſervat illius meritum, lumina ipſius ſecretiſſimos pervadunt illius ſinus, nec eſt in eo quid ſic abſconditum quod ipſe non detegat: & ſicut voluntas ipſius ſequitur motum & activitatem intellectus ipſius, ſic & adhæret ipſa ſubitò objecto quod ipſa elegit, ſed præ tantā firmitate ut quidquam non poſſit ipſam ab eo avertere: quia nihil poteſt Angelus cognoſcere novum aut contrarium in objecto ad quod amandum ipſe ſe determinavit, quod poſſit ipſum aliò convertere. Impœnitentia igitur Angelorum procedit, juxta S. Thomam, ex inflexibilitate voluntatis ipſorum. Sed non ita ſe res habet de hominibus, quorum lumina ſunt valdè incerta & limitata: primò enim homines pendent in cognitionibus ſuis à ſenſibus qui ſunt fallibiles, & infideles, quique ſæpè repræſentant intellectui objecta aliter quàm ſint in ſe: & ſicut voluntas ſequitur lumina intellectus, ſic ipſa perſæpè diligit id quod eſt dignum contemptu, ipſa amplectitur apparens pro vero: ſed ſi contingat ut ipſa obſervet in eiſdem objectis qualitates differentes ab eis, quæ ſervierunt loco fundamenti primis cognitionibus & affectionibus ipſius, mutat ipſa perſæpè affectum ſuum, & dedignatur interdum id quod ipſa ingenti ardore fuerat priùs proſecuta. Præterea, Mens noſtra non poteſt unico intuitu pervadere totum meritum alicujus objecti, quia creaturæ non oſtendunt nobis id omne quod ipſæ habent amabile, vel odibile: unde

h S. Thom. 1. p. q. 64. a. 2. in corp.

inde contingit ut, cùm creaturæ non exhibeant ſe nobis intuendas niſi dimidiatim, ipſas diligamus ſecundùm id quod ipſæ nobis exhibent pulchri; ſed ſi accidat ut poſſimus illas ad plenum intueri, & videre defectus earum, tunc amor noſter tranſit in iram, & contemptus reverentiam noſtram ſequitur. Sed quidnam operatur hunc effectum in nobis? Non aliud niſi afflictio. Afflictio mentem aperit, *Tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui* i. Hæc errorem aufert à mente, & oſtendit ei, quòd id quod voluntas amavit, non erat dignum proſecutionibus ipſius; quòd commiſit tot errores, quot judicia formavit favorabilia creaturis. Cùm homo qui adorabat divitias ſuas, ſubitò videt ſe ijs deſtitutum turbine qui devaſtat meſſem ipſius, tempeſtate quæ excutit oleas ipſius, manu quæ evacuat ciſtas ipſius, & abripit id quod in eis eſt pretioſius, tunc incipit oculos aperire, format hanc cogitationem, quòd divitiæ ſunt parùm amabiles, cùm ita parum ſtabilitatis præ ſe ferant.

i Iſai. 28. 19.

Advertiſtiſne aliquando, Auditores, hanc inſignem differentiam quæ eſt inter actiones corporis & operationes ſpiritus? Corpus habet facultates ſuas, ſicut & Spiritus ſuas: & illud habet propria objecta ſua, ſicut & iſte ſua, ut ſint termini actionum ipſorum; ſed non agunt æqualiter: corpus enim petit objectum quod ſit adæquatum facultati ipſius; quòd ſi excedat ipſius capacitatem, nedum faveat ipſius actioni, è contrà illam deſtruit: ſic cùm applico me intuendo Soli, magnus ſplendor luminum ejus meos oculos offundit caligine, & non poſſum quid aliud videre per aliquantum tempus, quantumlibet decôrem & ſplendorem præ ſe ferat: ſic auris manet ſurda poſt frequentes ſtrepitus tormentorum bellicorum, juxta hanc maximam Philoſophorum, *Nimium ſenſibile impedit ſenſationem*. Sed non ita ſe res habet de ſpiritibus qui agunt cum majori perfectione ſuper magnum objectum, quàm ſuper parvum, quia habent capacitatem majorem; & quò magis elevationis habet objectum, eò magis ſpiritus elevatur, nec ſiſtit donec perveniat ad Deum, quocum habet commercium & communicationem propter rationem & animam intellectualem capacem cognoſcendi omnis illius quod eſt ſpiritus, ſicut ipſa: ſed cùm anima deſiſtit vacare contemplationi rerum immaterialium & ſpiritualium, ut applicet ſe corporeis, evadit ipſa ſicut corpus, efficitur ipſa terreſtris, & ſe ſinit abripi affectu erga creaturas, quarum ſplendor offundit ipſam caligine, in quâ non poteſt ipſa videre Deum, quia potentiæ ipſius ſunt nimis applicitæ ideæ & colori creaturarum, quibus occupatur tota: & ſicut ad diſponendos oculos ad videndum objectum aliud ab eo quod ipſos offudit caligine, diu fricandi ſunt ad ſuſtinendum dolorem uſque: ſic anima noſtra nunquam poſſet videre Deum & converti ad eum contemplandum, niſi afflictio induceret ipſam ad deponendum errorem ſuum: oportet ut anima percutiatur & fricetur adverſitatibus, ad hoc ut ſit capax communicationis cum Deo.

Philoſophi nobis ſubminiſtrant alium conceptum, qui nobis oſtendit neceſſitatem afflictionum, cùm dicunt, *Senſibile ſupra ſenſum poſitum, lædit ſenſum, & impedit ſenſationem*. V. g. ſi feram manum ſuper oculos meos, illam videre non poſſum; ſed ſi illam tantiſper inde removeam, illam perfectè video: ſic cùm amamus inordinatè creaturas, nimis accedimus ad eas affectibus noſtris, qui nos eis ferè conglutinant, & in hoc ſtatu non poſſumus quaſi diſcernere earum meritum: ſed ſi tantiſper ab eis recedimus, meliùs pervadimus illarum meritum: devincti ſumus pro hoc ſtatu afflictioni, quæ removet à nobis creaturas, & ponit eas in juſtâ diſtantiâ, ut videamus illas, & verum formemus de illis judicium. Avarus proteſtatur, non eſſe quid amabilius divitijs, judicium tamen ipſius eſt falſum, quia divitiæ ſunt ipſi propiores: adverſitas eas ipſi abripit, & ſubitò mutat ipſe judicium: & ſic de reliquis. Sed colligamus hunc diſcurſum.

Gratia Dei perducere vult hominem ad ſalutem: homo non emendat ſe intuitu beneficiorum Dei; Deus utitur virgis ut redigat illum ad juſtum obſequium; & ne labatur in impœnitentiam, utitur ipſe rigore qui præ ſe fert gratiam, & charactêrem filiationis Divinæ, & inducit eundem hominem ad emendationem. Dic mihi, peccator, Cur expectas in bonam emendatæ vitæ frugem te recipere? Uſquequò reſiſtes brachio Dei? Audio te dicentem Deo cum Auguſtino k ante converſionem ſuam, *Modò, ecce modò, ſine paululùm, ſed modò & modò non habebat modum, & ſine paululùm, in longum ibat*. Sed auſculta eundem S. Auguſtinum l poſt converſionem ſuam dicentem tibi, *Propter iniquitates tuas converſo tibi indulgentiam promiſit Deus, ſed craſtinum diem tibi nemo promiſit*. Et dic Deo cum illo m, *In hâc vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit*. Sed ut ardeam amore tuo in gloriâ.

k S. Aug. li. 8 Cõf. c. 5.
l S. Aug. ſerm. 59. de Verb. Dom. c. 9.
m S. Aug. in Pſal. 37. 2.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, Ioan. 4. 46. &c.

INgenuè fatendum eſt & abſque ullâ diſceptatione, quòd conſilia Dei ſic parùm conveniant cum conſilijs hominum, ut non ſit quid invenire quod præ ſe majorem ferat contrarietatem & differentiam: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neq; viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra; ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* a. Hæc Divina *Sapientia* b, quæ *attingit à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* c, & quæ ut ſic errare non poteſt in modo ſuo procedendi, vias tenet ſic parùm congruas humanæ ſapientiæ, & rationi noſtræ, ut videatur eis adverſari in quibuslibet occurſibus, & eas omnino deſtruere contrarietate. Conſiderate, ſi placet, Patriarcham Joſeph: hic offert, ut ſapiens mundanus duos filios ſuos patri ſuo Jacob jam in extremis poſito, ut daret eis ultimam benedictionem ſuam: putat ipſe collocans filium ſuum natu majorem Manaſſen ad dexteram illius, & Ephraim natu minorem ad ejus lævam, quòd ſine labore ſit habiturus implementum deſideriorum ſuorum. Sed bonus iſte ſenex, Divinâ ſic diſponente Providentiâ, tenens locum Dei, ſpiritu prophetico

a Iſai. 55. 8 & 9.
b Sap. 7. 24.
c Sap. 8. 1.

phetico afflatus, optimè judicans quòd illi qui ſunt in proſperitate in terrâ, & collocari ad dexteram ipſius, non merentur niſi ipſius lævam quantùm ad vitam futuram, mutat manus ſuas, & in modum crucis brachia ſua conſultò complicat, & facit natu minorem hæredem dexteræ ipſius, & paradiſi, eò quòd participaverit & expertus fuerit adverſitates lævæ ipſius per decurſum vitæ ſuæ: *Cùmque tuliſſet eos Joſeph de gremio patris, poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, id eſt, ad ſiniſtram Iſrael, Manaſſen verò in ſiniſtrâ ſuâ, ad dexteram ſcilicet Patris, applicuitque ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe qui major natu erat, commutans manus. Benedixitque Jacob filijs Joſeph* d. Iſtius figuræ veritas nobis prædicatur in Evangelio hodierno per *diſcipulum, quem diligebat Jeſus* e, dicentem, *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiſſet quia Jeſus adveniret à Judæâ in Galilæam, abijt ad eum; & rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: incipiebat enim mori.* Quod non feciſſet iſte Regulus, niſi filius ipſius fuiſſet infirmitate gravi detentus. Portio probatæ vitæ hominum ſunt mala & afflictiones, quandiu reprobi non fruuntur niſi delicijs: *Dixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè, Venite, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequàm marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrûm exors ſit luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors* f. B. Virgo Maria nobis favebit interventu auxilij ſui, ipſa quæ ſuſcepit omnes cruces & maledictiones terræ, juxta id quod ipſi *Simeon dixit, Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* g. Licèt Angelus publicaſſet ipſam benedictam præ omnibus mulieribus, cùm ſalutavit ipſam verbis iſtis, *Ave Maria*.

d Gĕ. 48. 13. &c.
e Joan. 21. 20.
f Sap. 2. 1. &c.
g Luc. 2. 34. & 35.

Cùm fides nos edoceat, quòd è ſolâ manu Dei, deſolationes & proſperitates, cruces & oblectamenta, mala & bona procedant, & hanc veritatem Scriptura ſacra cautam præſtet authoritate ſuâ, dicens, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* h? Et, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum* i: nonne dicere poſſumus ſine errore, quòd, ſi diſtribuit Bonis mala & afflictiones, ſicut è contrà communicat malis bona & favores, opera ipſius præ ſe ferunt imperfectionem, & quòd tria præcipua ipſius attributa, juſtitia, amor, & providentia, non apparent in hoc procedendi modo? Videtur mihi, quòd nedum irrogemus injuriam Deo, poſſumus aſſerere, quòd affligendo Bonos, & conſolando eos qui non ſunt tales, juſtitia ipſius patitur diſpendium, cùm hæc requirat ut unuſquiſque mercedem ſuſcipiat juxta meritum ſuum. Sed quomodo nobis juſtè ſatisfieri poteſt, cùm videmus quòd homo poſtquàm benè vixit, malum ſuſcipit, & quòd ille qui vivit ſemper in peccato, diffluit delicijs & voluptatibus, nedum experiatur moleſtias naturæ? *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur* k. Et hoc eſt quod nobis videtur injuſtum. Amor ipſius non eſt minùs verus quàm vera ſit ipſius juſtitia, cùm velit ut amantes mutuum ſibi teſtentur affectum donis & beneficijs: tamen quis modus amandi quo utitur Deus noſter, cùm reſecet nedum det, cruciet cùm ſublevare debeat, & infinitis obruat moleſtijs & faſtidijs eos qui merentur voluptates & oblectamenta, & qui deberent habere delicias pro portione ſuâ? Sed præ omnibus intueor Divinam ipſius providentiam, meâ quidem ſententiâ, lædere mentem meam, cùm hæc ſumma Sapientia diſponere debeat omnia cum medijs quæ ſint congruentia ſubjectis, & ſic ſuaviter homines dirigere ad finem ſuum, qui eſt gloria: Nihilominùs utitur ipſa medijs rigidiſſimis, & itineribus aſperrimis, & minùs acceſſibilibus, imò verò quæ apparenter ſunt horrori, cùm per crucem, per ſupplicia, per ferrum, per ſanguinem, per omne genus tormentorum, & per mortem nobis oſtendat iter paradiſi: tamen è contrà ſe res habet: licèt enim verum ſit quòd *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia* l, & ut ſic micare faciunt ſublimiter juſtitiam, amorem, & providentiam ipſius, nullum tamen ex ijs conſiderare poſſum quod faciat Deum noſtrum juſtiorem, amantiorem, & providentiorem erga homines, quàm ſit opus crucis & afflictionum, ut intendo monſtrare vobis in tribus partibus diſcurſus iſtius. Attendite, ſi placet, & incipio primam partem per juſtitiam, quam Deus oſtendit dans mala Bonis, & bona malis.

h Amos 3. 6.
i Jacob. 1, 17.
k Pſal. 72. 5.
l Deut. 32. 4.
D. eſſe.

Theologi tractantes de juſtitiâ Dei, dicunt quòd ſumi poteſt duobus modis. Primò, Quatenus aliquid eſt congruum Divinæ Bonitati, eſt juſtitia Dei; ſicut v. g. conveniens eſt Juſtitiæ Divinæ, ut infundat animam rationalem in carnem quæ prodit è progenie Adæ, cùm Deus ſit *Creator omnium* m, & præſcripſerit hunc ordinem, ut, cùm caro fuerit organis inſtructa, anima rationalis in eam debeat infundi. Secundò, Juſtitia conſideratur in Deo, cùm tribuit unicuique ſecundùm merita ſua. Ex hac diviſione Theologiæ educo rationem ad probandum, quòd Deus diſtribuens afflictiones & mala Bonis in iſtâ vitâ, nobis oſtendit juſtitiam ſuam, in eo quòd tribuit unicuique juxta merita ſua. Licet enim actiones Bonorum facta in gratia, ſint meritoria gloriæ, tamen ipſæ nunquam ſunt ita puræ, quin in ipſis ſit aliquod genus imperfectionis: & quia *non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium* n, Deus ut faveat Electis ſuis fruitione faciei ſuæ, purgat eos in iſto mundo ab omnibus his exiguis impuritatibus, ab univerſis iſtis parvis defectibus, ut apparere poſſint coram ipſo candidiores nive, & puriores cryſtallo: *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis* o.

1. Petr.
m Eccli. 24. 12.
n Apoc. 21. 27.
o Eccli. 27. 6.

Quod ſi forſan inveniretur aliquis ſuper terrâ ſic ſanctus & ita innocens ut nullum patraſſet unquam crimen per totam vitam ſuam; nunquid non injuſtus eſſet Deus, ſi mitteret ad illum tribulationes? Nequaquam, cùm ſemper peccatum originis ſerviat loco objecti juſtitiæ ejus: & ſicut pro unico motu cordis & ſuperbiæ, Deus deſcendere fecit Angelum ex altiſſimo cœli Empyrei apice in profundiſſima abyſſorum inferni ergaſtula ad infinitatem temporis, & ſine ulla ſpe veniæ, ſicut ei exprobrat Iſaias, dicens illi, [Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris: corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamẽti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo: veruntamen ad infernũ detrahẽris in profundum laci p.] ſic peccatum primi hominis meruit ipſi mortem, & toti poſteritati ipſius, [Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per

p Iſa. 14. 12. &c.

peccatum

peccatum mors : & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverunt,] ait S. Paulus *q*. (q Rom. 5. 12.) Id eſt, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *r*, (r Dion. Carthuſ. art. 8. in Rom. 5. 12.) [Non actualiter, ſed virtualiter, originale peccatum incurrendo, quod eis imputatur in culpam, inquantùm aliquo modo erant in primo parente, & idem cum ipſo. Erant autem in ipſo, ſicut in primo principio generationis humanæ. Et ſicut multa membra ſunt in uno corpore, & multa individua in unâ ſpecie, ſic quodammodo omnes eramus in primo parente ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, ſeu materialem propagationem. Porrò originalis juſtitia ſic data erat primo parenti, ut transfunderetur in poſteros. Ideò primo parente hâc juſtitiâ destituto, poſteri ejus juſtè privantur eâdem, nec tamen fit eis injuria, quia nec primo parenti, nec eis iſta juſtitia naturaliter debebatur aut competebat : ſed nec beatifica viſio Dei, quâ merebantur privati propter hujus juſtitiæ privationem.] Et omnibus pœnis imaginabilibus, infirmitatibus, morbis, crucibus, afflictionibus, & omnibus malis hujus mundi compenſatis cum peccato originis, in quo ſumus omnes concepti in ſinu matrum noſtrarum, ſicut fatetur Pſalmiſta *ſ*, (ſ Pſ. 50. 7. & Jo. 14. 4.) dicens, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* : repetentes quòd hæc omnia ſunt pœnæ temporales ob ſolutionem culpæ quæ dirigebatur ad Deum, & quæ per conſequens erat infinita : quia hæc culpa inſurgens aufu ſacrilego in Deum qui *non habet finem* t, (t Baruch 3. 25.) accedere debebat ad infinitatem, & ſic non debebat eſſe minùs infinita quàm ille. Pœnæ igitur, afflictiones, & anguſtiæ univerſæ quibus impetimur, ſumpſerunt originem ſuam è peccato, nullum aliud agnoſcunt principium niſi peccatum : ſic Deus non eſt injuſtus, ſi eas nobis diſtribuat, ut purget crimina noſtra & exceſſus noſtros, cùm peccatum primum omnium illas pepererit infœliciter. Quin imò Deus non dat illas Electis ſuis, niſi ſicut vermem qui exit è ligno, illud rodit, & ipſum devorat : ſic triſtitia & afflictio quæ ſunt productiones infortunatæ hujus abortivi infernalis, inſtar vermis debet eos rodere, & penitus illos devorare, ut hoc peccatum non ampliùs appareat in mundo. Juſtitia Dei requirit iſtud, & vult ut productiones peccati originalis eos devorent, ut ſint ſine macula, puri & mundi coram ipſo.

Oporteret igitur (poſſetis mihi dicere) ut, ſecundùm rationem præfatam, illi qui commiſerunt majora peccata, exceſſus atrociores, defectus notabiliores, & inobedientias inſigniores, majoribus affligerentur & cruciarentur malis, ut æqualitas reperiretur inter manus Dei, qui ea diſtribuit : tamen contrarium videmus, cùm perſæpè maximi Sancti & amici Dei maximè premantur malis, afflictionibus, & anguſtijs vitæ, quandiu peccatores & impij natant eodem tempore juxta deſideria ſua in torrente voluptatũ & deliciarũ, æquè ac criminum. Hîc autem videmur probare difficiliùs, quòd juſtè Deus incedat : & tamen ipſe juſtè procedit : quòd ſi dat mala ijs qui faciunt bonum, & è contrà bona illis qui agunt malum, iſtud eſt unum ſignorum perfectiſſimorum, & teſtimonium maximè authenticum ſummæ juſtitiæ ipſius. Et ratio iſtius eſt : quia ipſe vult ut unuſquiſque experiatur ſuavitates amoris ſui, ſicut etiam ipſe vult ut alij ſuſtineant, licèt inviti, rigores juſtæ iræ ſuæ, & amaritudines ſuæ ſeveritatis inexorabilis : & quia expectat in futurum ſe excepturum rigidè malos, mittendo eos *in ignem æternum* u, (u Matth. 25. 41.) indulget eis in hoc mundo voluptates & delicias vitæ, quandiu ipſe vult ut ſint, quos deſtinavit ad fœlicitatem æternam, & quos ſuæ vult inebriare *ubertate domus, & torrente voluptatis* x (x Pſal. 35. 9.) *ſuæ* potare, miſerijs & adverſitatibus acriter examinentur. Sic Deus manifeſtat æqualitatem ſuam, diſtribuendo eo modo juſtitiam ſuam, cùm facit unumquemque experiri ſuavitatem ſuam, & ſeveritatem ſuam ; ſed præ hâc tamen differentiâ, quòd illi qui deguſtant ipſius ſuavitates in iſtâ vitâ, non poſſunt habere niſi ſeveritates æternas in alterâ vitâ : & è contrà quòd illi qui temporalibus immerſi ſunt adverſitatibus, polliceri ſibi debent ſe aliquando fœlicitatibus fruituros ſempiternis. *Moraliter*, ait Cornelius y, (y Corn. in Rom. 5. 12.) *Vide hîc quantum malum ſit peccatum, quod generat tot morbos, mortemque ipſam, tum præſentem, tum æternam. Vis ſcire quid ſit peccatum? Intuere tantùm unicum Adæ peccatum, & conſidera quot millionum hominum morbos, fames, ærumnas, neces, hoc unum peccatum pepererit ; quàm multi parvuli & adulti propter illud damnentur ; quòd Dei Filius ad illud expiandum mori debuerit, & videbis quantum malum ſit unum peccatum mortale, dicesque, cùm te voluptas ad peccatum ſollicitat, Ego tantillo pretio mortem & æternum pœnitere non emo.*

(II. Pars.) Deus non minùs nobis experiendas exhibet ſuavitates amoris ſui per mala quæ nos impetunt, & per adverſitates quibus ipſe nos affligit, quàm fecit interventu juſtitiæ ſuæ ; nec unquam magis diligit homines, quàm cùm eos cruciat majoribus malis & miſerijs in terrâ, quia tunc ſe teſtatur habere amorem Patris erga filios ſuos. Quòd ſi ſervat modum procedendi contrarium intuitu aliquorum, ideò quia non adoptavit eos propter id, & infallibiliter dicere poſſumus abſque ullo periculo erroris incurrendi, quòd ſunt adulterini ipſius, & quòd non admittit eos ut filios ſuos legitimos. Sic ratiocinabatur magnus Apoſtolus *z*, (z Hebr. 12. 6. &c.) ſcribens Hebræis, ut illis innueret, quòd amplectendæ eſſent cruces & adverſitates iſtius ſæculi, ſicut dona Patris noſtri cœleſtis, & quòd iſto ſolo modo daret nobis auguſtum titulum filiorum ſuorum, & hæredum Regni ſui : *Quem enim diligit Dominus, caſtigat : flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplinâ perſeverate. Tanquam filijs, vobis offert ſe Deus : quis enim filius, quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filij eſtis.* Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *a*, (a Dion. Carth. art. 12. in Hebr 12. 6. &c.) *Quem enim diligit, id eſt, cui bonum gratiæ in præſenti, & bonum gloriæ in futuro vult Dominus, caſtigat, id eſt, paternè corrigit in præſenti, ne poſteà duriùs crucietur. Flagellat autem omnem filium quem recipit ad numerum Beatorum, & quem habet acceptum. Nam & proprio, naturalique Filio non pepercit* b. (b ex Rô. 8. 32.) *Hoc eſt quod in Apocalypſi* c, (c Apoc. 3. 19.) *proteſtatur, Ego quos amo, arguo & caſtigo. Imò periculoſiſſimum eſt, & maximum Divini odij reprobationisque ſignum, non caſtigari nec argui à Deo in ſæculo iſto, prout per Ezechielem* d (d Ez. 16. 42.) *Dominus ait populo reprobo, Zelus meus receſſit à te, non iraſcar tibi amplius. Itemque in Pſalmiſta* e, (e Pſ. 80. 13.) *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis. Ex præinductâ inſuper authoritate infert Apoſtolus inſtructionem moralem. In diſciplina, id eſt, correctione juſta illatâ perſeverate uſque in finem, eam æquanimiter ſuſtinendo, dicentes ſinguli illud Job* f, (Job 33. 27.) *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi. Hinc enim ſcriptum eſt, Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam : qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur* g. (g Prov. 13. 18.) *Alio quoque loco*

Salomon

Digitized by Google

h Prov. 15.32. *Salomon* h *loquitur, Qui abjicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis. Cur autem in diſciplinâ perſeverandum ſit, ſubditur, Tanquam filijs, offert ſe vobis Deus, id eſt, tam clementer & providentialiter ſe habet ad vos, ſicut decet patrem ſe habere ad filios, ideò corripit. Quis enim filius, quem non corripit pater? ſi peccaverit, tanquam licat, nullus. Scriptum eſt enim, Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit filium,*
i Prov. 13.24. k Eccli. 30.1. *inſtanter erudit* i. *Et alibi* k, *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſſimo. Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, ita quòd virga Dei non eſt ſuper vos, ſicut de nupiis legitur: cujus diſciplinæ participes facti ſunt omnes filij & Electi, eam experiendo: ergo adulteri, id eſt, non ſpiritualiter à Deo geniti, ſed filij adulterini: filij utiq; hujus ſæculi atq; diaboli eſtis. Prout*
l Joan. 8. 44. *apud Joannem* l *ſcribitur de quibuſdam, Vos ex patre diabolo eſtis.* Res igitur infallibilis eſt, Auditores, quòd Deus non caſtigat, niſi eos quos amat: teſtimonia certa & ſigna authentica quæ ipſe nobis tribuit amoris ſui paterni, ſunt moleſtiæ, cruces, & flagella. Nolite ergò errare, quia ſi privati eſtis correctione ejus, & deſtituti illius diſciplinâ, hoc eſt indicium certiſſimum, quòd non eſtis electi pro filijs ipſius legitimis, & ideò quòd non debetis eſſe ſic fœlices ut ſuccedere debeatis ipſius hæreditati, id eſt, quòd communicare non debetis meritis infinitis ſanguinis Jeſu Chriſti, nec acquirere interventu illius eminentem gradum beatitudinis in gloriâ æternâ; ſed quòd excipit vos ut adulterinos, & excluſos ab hæreditate ſuâ cœleſti, quam reſervat veris filiis ſuis. Propterea ſingulis vobis
m S. Aug. in Pſal. 102, 13. conſulit S. Auguſtinus m, *Noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate.* Cavete ne reſpuatis flagella & tormenta per iſtius vitæ decurſum: alioquin amor Dei non accendet vos flammis ſuis, & ſic cùm non ſitis futuri è numero filiorum ipſius, ſic nec ipſius hæreditate potiemini.

Si autem videre velitis differentiam eorum qui vivunt in omni genere libertatis effrænis, & illorum qui caſtigantur & puniuntur in iſto mundo, ſicut captivi, debetis obſervare quòd id quod in Deo videtur amor & miſericordia, eſt magna ira, & quòd id quod apparet ingens ira, eſt amor ipſius & miſericordia: ille enim à quo libertas ſeu facultas patrandi criminis aufertur, proficuè ſuperatur: ſtatim quippe ac eripiuntur ipſi media & occaſiones malefaciendi, abeundi in exceſſus & in deordinationes, infringendarum legum Divinarum, cum utilitate vincitur. Quia non eſt aliquid infœlicius fœlicitate peccatorum, quæ fovet impietatem deſtinatam ad pœnam; & prava voluntas, inſtar inimici domeſtici, roboratur, & novas capeſſit vires: ſed corda perverſa peccatorum & impiorum contrarium prorſus cogitant: imaginantur ipſi, quòd res humanæ ſociam habent quamlibet fœlicitatem, & quòd eſt ab eis inſeparabilis beatitudo, cùm vident magna palatia, ſuperba & magnifica ædificia quæ marmoribus pompaticè ſplendent, quandiu pauperes & innocentes languentem vitam tranſigunt inter fœtores intolerabiles, reſidentes ſuper paleâ & ſuper ſterquilinio, *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*, ait
n Pſ. 143. 15. David n. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus o,
o Dion. Carthuſ in hunc locum. *Beatum dixerunt homines excæcati, carnales, ſola temporalia conſiderantes, populum cui hæc ſunt, id eſt, qui prædictis terrenis proſperitatibus florent. Cùm enim nonniſi bona præſentis vitæ quærant, tantò alios magis beatificant, quantò viderent eos in talibus amplius abundare. Unde dicunt, Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidem ædificati ſunt facientes*
p Malac. 3.15. *impietatem* p. *Veruntamen ſicut non omnes infælices & reprobi ſunt, qui in prædictis terrenis bonis abundant, & abundaverunt (certum eſt enim quòd*
q ex Gē. 13.2. r ex Gē. 26.13. ſ ex Gē. 10.41. t ex Jud. 6.11. &c. u ex 2. Reg. 2.1. &c. *Abraham* q, *Iſaac* r, *Jacob* ſ, *Gedeon* t, *David* u, *& alij Sancti ditiſſimi erant, multoſque filios habuerunt) ſic non omnes perverſi & reprobi prædictis bonis abundant, imò multi eorum mendici atque pauperrimi fuerunt, & ſunt. Non ergo univerſaliter, ſed particulariter intelligenda ſunt præinducta verba Prophetæ. Sunt enim aliqui reprobi, qui non ſolùm in futuro, ſed etiam in præſenti miſeri ſunt, tàm in ſpiritualibus, quàm in corporalibus. Denique; Sicut Electis non obeſt temporalium affluentia, eò quòd non afficiantur ad ea inordinato affectu, ſed ſolùm eis utantur quantùm neceſſe eſt aut utiliter ad propriæ vitæ ſuſtentationem, ſeu aliam rationabilem cauſam, omnia ad Dei honorem finaliter referendo, Deumque ſuper omnia diligendo: ſic reprobis non prodeſt temporalium rerum carentia, quoniam non ſponte, ſed coactè ſeu invitè talibus carent. Rebus namq; caducis adhærent finaliter, & bona creata plùs amant, quàm ſummum Bonum, quod eſt bonum eſſentialiter. Igitur inter Bonos & malos hoc intereſt, quòd Boni utuntur creaturis, mali verò eis fruuntur. Boni enim utuntur eis tanquam medijs ſeu inſtrumentis perveniendi ad Deum. Mali autem conſtituunt ſibi finem in eis, adhærentes creaturis magis quàm Creatori. Propter quod in libro Sapientiæ* x *legitur, Creaturæ Dei factæ ſunt* x ex Sap. 14.11.
in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Id enim quod amabilitatis, ſuavitatis, delectationis, & pulchritudinis in creaturis invenitur, non ordinant ad Creatoris amorem, atque honorem ſeu cultum, ſed ſiſtunt in rebus creatis. Cur ergò Propheta hæc dixit de proſperitate malorum, niſi quoniam juſto Dei judicio ſæpè permittuntur in hoc ſæculo proſperari, quatenus eorum damnatio appareat juſtior, vel ut bonorum quæ fortè fecerunt, mercedem in hoc mundo recipiant? Et ne homines boni turbentur dum impios proſperari in tranſitorijs intuentur: imò tranſitoria ſpernant, quæ vident reprobis dari ad damnationem eorum majorem, ſed neque mirentur dum cernunt Juſtos affligi, atque in omnibus aſpera pati, penſantes quòd per talia à reatu vitiorum purgantur, vel præmia copioſiora adipiſcuntur. Quod eſt teſtimonium authenticum amoris Dei noſtri erga nos, cùm nobis evidenter oſtendat quòd *Pater noſter* y eſt, & quòd nos ſumus filij ipſius, cùm mittat ad nos mala, ut nobis bona tribuat æterna. y Matth. 6. 9.
Quanti debemus igitur æſtimare mala hæc quibus ipſe nos affligit; & quanto gaudio debemus amplecti cruces, cùm hæ nobis ſint ita proficuæ, & ſic apprimè nobis oſtendant amorem Dei noſtri, qui nos magis diligit cùm nos acriùs affligit.

Ad terminandum diſcurſum iſtum, video etiam in malis & in afflictionibus, quibus manus Dei nos tangit, micare Divinam ipſius providentiam apertius, quàm omnia alia attributa, cùm afflictiones, ſecundùm Scripturam, ſint veræ viæ per quas pervenitur ad gloriam: niſi enim per iſtud iter tranſeant homines, impoſſibile eſt ut illum beatitudinis terminum conſequantur: ita ut, cùm Deus mittat ad nos afflictiones propter hunc eminentem finem, concludendum ſit in bonâ conſequentiâ, quòd affligendo nos, meliùs manifeſtatur ipſius Divina providentia, quàm ipſius amor, imò verò quàm juſtitia ipſius. Quòd autem afflictiones, cruces, mortificationes, & anguſtiæ, quæ ſunt inſeparabiles à miſerâ noſtrâ conditione ſuper terrâ, ſint viæ per quas ad cœlum III. Part.

x Jo. 4. 6. perveniτur, de hâc ambigere nemo debet veritate, cùm procedat ab ipſâmet Veritate x eſſentiali quæ
a Matth. 11. 12. Deus eſt, qui ait in Evangelio a, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et apud Dio-
b Dion. Carthuſ. art. 22. in Matth. 11. 12. nyſium Carthuſianum b, *Et violenti, id eſt, ſuperantes ſeipſos, qui contra ſeipſos & concupiſcentias cunctaq; vitia efficaciter pugnant, rapiunt, id eſt, cum labore & bonâ violentiâ capiunt illud pro præmio ſui certaminis. Violenti ſunt ergo qui deſiderio patriæ ſeipſos quotidie mortificant, carnem ſuam cum vitijs & concupiſ-*
c ex Gal. 5. 24. *centijs crucifigentes* c: *qui dicere poſſunt cum Prophe-*
d Pſal. 16. 4. *tâ* d, *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Et cum Apoſtolo* e, *Nullam requiem ha-*
e 2. Cor. 7. 5. *buit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. Foris pugnæ, intùs timores. Dicitur itaque Regnum cælorum vim pati, quoniam propter adipiſcendum infert homo ſibiipſi vim bonam, & patitur affli-*
f Act. 14. 21. *gendo ſeipſum.* Et in Actibus Apoſtolorum f, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. De exilio enim non venitur ad patriam*, ſubdit
g Dion. Carthuſ. art. 24. in Act. 14. 21. idem Carthuſianus g, *niſi per diverſos labores. Quotidiana quoque noſtra peccata caſtigationem Dei paternam requirunt. Caro etiam adverſatur ſpiritui* h: *& quò magis proficere cupimus & conamur, eò invi-*
h ex Gal. 5. 17. *ſibiles hoſtes graviùs nobis inſiſtunt. Demque, Non eſt*
i Jo. 13. 16. *ſervus maior Domino ſuo* i. *Si ergo oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam* k, *quomodo nos*
k ex Luc. 24. 26. *ſervi ejus viliſſimi, ſine tribulationibus optamus ſalvari? Itaque qui ſe dicit in Chriſto manere, debet*
l ex 1 Jo. 2. 6. *ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare* l. *Qui enim nunc compatitur Chriſto, conglorificabitur poſt eum eo* m.
m ex Rō. 8. 17. *Hinc, ait Pſalmiſta, Multæ tribulationes juſtorum* n.
n Pſ. 33. 20. *Et item, Tranſivimus per ignem & aquam* o. *Hinc, Arcta dicitur via quæ ducit ad vitam* p. *Væ filijs ſæ-*
o Pſ. 65. 12. *culi, amatoribus hujus mundi, qui cuncta quæ carni*
p ex Mat. 7. 14. *mollia ſunt, quærunt, qui nullam volunt ferre injuriam, nil perpeti propter Chriſtum, qui inſtar brutorum paſſiones concupiſcentiaſque ſequuntur. Ideò dicit Salvator, Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam*
q ex Luc. 9. 23. *quotidie, & ſequatur me* q. *Et Apoſtolus* r, *Non*
r ex 2. Tim. 2. 5. *coronatur, niſi qui legitimè certaverit.* Propterea poſtquàm ait Dominus Deus ad ſerpentem, *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*: ubi venit ad hominem, ei dixit, *In laboribus comedes ex eâ cunctis die-*
ſ Gen. 3. 14. & 17. *bus vitæ tuæ* ſ. Super quod conformiter ad pro-
t S. Ambr. lib. de Paradiſ. c. 15. poſitum noſtrum dicit S. Ambroſius t, *Maledicta terra in operibus tuis. In triſtitiâ manducabis eam omnes dies vitæ tuæ. Videtur certe ſimilitudo quædam eſſe ſententiæ, ſed tamen in ipſa ſimilitudine magna diſcretio. Intereſt enim utrùm manducet aliquis terram, ſicut ſerpenti dictum eſt, Quia terram manducabit: an verò, ſicut homini dictum eſt, In triſtitiâ manducabis. Adjectio enim iſta, in triſtitiâ, diſcretionem facit. Diſcretio quam vim habeat, conſidera. Bonum eſt mihi in triſtitiâ magis terram manducare, quàm in delectatione, hoc eſt, in actu quodam & ſenſu corporis contriſtari videar, quàm delectari in peccato. At verò ille qui ait, Caſtigo corpus meum,*
u ex 1. Cor. 9. 27. *& ſervituti redigo* u: *contriſtatur in noſtrorum pœnitentiâ peccatorum, quia ſua tanta delicta non habuit, ut in his contriſtari deberet. Denique, Et nobis ſuadet, unicam iſtam eſſe triſtitiam, quæ ſecundùm Deum, non ſecundùm ſæculum eſt: nam ſecundùm Deum triſtitia, ſalutem operatur, ſæculi autem*
x ex 2. Co. 7. 10. *triſtitia mortem operatur* x. Triſtitiæ & pœnæ quas aſſumimus propter Deum, ſunt opifices noſtræ ſalutis, & ſunt veræ viæ quas ſequi debemus ad hoc ut perveniamus ad gloriam: nec infallibilius iter nobis tribuitur, per quod aſcendere poſſimus ad iſtam gloriam, hâc viâ afflictionum, quam Dei Filius nobis aperuit.

Hanc veritatem confirmat alibi y idem S. Paulus, dicens, *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non* y Rom. 5. 2. 3.
ſolum autem: ſed & gloriamur in tribulationibus. z S. Bern. ſerm. 17. in Pſal. Qui habitat.
S. Bernardus z explicans has duas glorias Apoſtoli, ait ipſas non eſſe niſi eandem, quia gloria continetur in afflictionibus, in crucibus, in mortificationibus, & in anguſtiis vitæ præſentis, ſicut ſemmis ſpem fructus, & ipſum fructum in ſemine contineri: ſic autem loquitur iſte ſanctus Abbas: *Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in ſpe magni Dei. Non ſolùm autem, ſed, ut dicam expreſſiùs, glorietur in tribulatione. In eâ ſiquidem ſpes gloriæ eſt. Vide ſi non hoc ipſum docere voluit Apoſtolus, cùm ſubjunxit: Quoniam tribulatio patientiam operatur, &c. Manifeſtè advertere eſt in his verbis, cùm præmiſiſſet Apoſtolus gloriari in ſpe: non aliud aliquid, ſed ampliùs eum addidiſſe, dicendo: Non ſolùm autem, ſed & gloriari in tribulationibus. Non enim altera gloriatio commendatur, ſed additur ubi ſpes gloriæ, ubi ipſa ſpei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione ſpes gloriæ, imò & ipſa in tribulatione gloria continetur, ſicut ſpes fructus in ſemine, ſic & ipſe fructus in ſemine eſt.* Tribulatio, licèt ſit affligens, non deſinit tamen eſſe ſemen beatum æternæ gloriæ; ibi continetur, ſicut in grano projecto in terram ſpes meſſis: & ſicut cùm quis non ſevit, prætendere non poteſt ſe collecturum frumentum, vel fructum; ita ſi paſſi non fuerimus in iſto mundo, non expectemus fœlicitatem vel paradiſum in altero ſæculo. Filij *Zebedæi*, rati ſe relaturos fructum ſinè ſemine, ſtatim ac acceſſerunt ad Salvatorem interventu matris ſuæ dicentis illi, *Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo*, repulſi fuerunt acriter ab hoc perſpicaci & ſupremo Domino, qui ipſis *reſpondens dixit*, *Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Calicem quidem meum bibetis* a. a Matth. 20. 20. &c.
Cui ſubdit S. Bernardus b, *Nec dubium quin de paſ-* b S. Bern. ſerm. in Nata. SS. Innoc.
ſionis calice loqueretur. Et bibit ergo Joannes calicem ſalutaris. Et S. Hieronymus c, *Refert autem Tertullianus, quòd Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit, quàm intraverit.* Et iterùm d, *Quæritur quomodo calicem martyrij filij* c S. Hier. lib. 1. cōtra Jovinian.
Zebedæi, Jacobus videlicet & Joannes biberint, cùm Scriptura e *narret Jacobum tantùm Apoſtolum ab* d Idem lib. 3. in Matth. 10. 23.
Herode capite truncatum: Joannes autem propriâ morte vitam finierit. Sed ſi legamus Eccleſiaſticas Hiſtorias, in quibus fertur, quòd & ipſe propter martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium, & inde ad e ex Act. 12. 2.
ſuſcipiendam coronam Chriſti athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Pathmos inſulâ ſit f, *videbimus* f ex Apo. 1. 9.
martyrium animo non defuiſſe, & bibiſſe Joannem calicem confeſſionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt g, *licèt perſecutor non fuderit ſanguinem.* g ex Dan. 3. 50. &c.

Huic propoſito congruit id quod refertur in vitâ S. Perpetuæ Martyris: cùm enim in carcere detineretur cum S. Fœlicitate, & alijs quatuor Chriſtianis propinquis ſuis, nimirum Satyro, Saturnino, Revocato, & Secundulo, hanc habuit viſionem: Videbatur ipſa ſibi intueri ſcalam auream, quæ attingebat à terrâ uſque ad cœlum: ex utrâque parte iſtius ſcalæ erant multi enſes acuti ſic contigui alij alijs, ut vix quis aſcendere poſſet per hujuſmodi ſcalam quin hujuſmodi gladijs offenderetur. Ad ima ſcalæ iſtius erat horribilis & formidabilis draco qui impediebat ne quis ad eam accederet. Ipſa vidit etiam quòd per hanc ſcalam aſcenderet Satyrus (unus è præfatis quatuor

tiot incarceratis, de quibus locuti ſumus) qui animabat omnes alios ut aſcenderent poſt ſe, nedum metuerent draconem, qui non poterat impedire quin ipſi per hujuſmodi ſcalam aſcenderent. S. Perpetua narravit relationem ſibi factam in ſomnis alijs incarceratis ſocijs ſuis, qui ſtatim gratias egerunt Deo pro favore quo ipſos cumulaturus erat idem Deus, ipſos coronare volens in cœlo gloriâ martyrij, & ipſos illuc perducere per hanc ſcalam armatam gladijs & novaculis, nedum poſſet ipſis nocere draco infernalis, pro quo illi gratias retulerunt: eſt enim gratia ſingularis, ire in cœlum, licèt hoc ſit tranſeundo per rotas enſibus inſtructas. Propterea *Dominus Deus collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem* h. Ut oſtenderet

h Gen. 3. 23. & 24.

quòd nemo poſſet ingredi paradiſum, niſi per gladium paſſionis, de quâ loquitur S. Hieronymus loco præfato ſuper prædicta verba Chriſti filios Zebedæi ſic alloquentis, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Calicem in Scripturis Divinis paſſionem intelligimus. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* i. *Et in Pſalmo* k, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Statimque infert quis ſit iſte calix. Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et Jeſus Chriſtus mori voluit habens *coronam de ſpinis capiti* l

i Matth. 26. 39.
k Pſ. 114. 12 &c.
l Jo. 19. 2. &c.

ſuo impoſitam, ut nos edoceret, quòd hæc ſola, & non ulla alia, nobis deberet acquirere coronam cœleſtem gloriæ paradiſi: ſi enim conſequi cœlum volumus, oportet ut eamus per eandem viam, quia nunquam poſſidebimus coronam gloriæ immortalis, quin priùs ſpinis fuerimus coronati. Sic verum eſt, quòd Deus mittit ad nos afflictiones ut media prorſus neceſſaria quæ nos perducant ad ultimum Finem noſtrum, qui non eſt alius niſi ipſemet, *Ego ſum Principium, & Finis* m. Et conſequenter quòd ſuam nobis intuendam exhibet providentiam, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* n.

m Apoc. 3. 8.
n Sap. 8. 1.

Hunc diſcurſum concludo, Auditores, per hæc verba S. Petri Apoſtoli o, *Quapropter, Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Id eſt, ſumendo cum generosâ reſignatione quam exhibebitis decretis Divinæ Providentiæ, & cum ſummâ voluptate afflictiones, quæ veſtræ prædeſtinationis ſigna ſunt infallibilia, cruces, & incommoda ſæculi iſtius alacriter amplectendo. Sinite ut gaudeant reprobi in voluptatibus & delicijs ſuis; hi faciunt reprobationem ſuam inevitabilem, cùm gaudia hujus mundi ſint ſcalæ, per quas deſcenditur in infernum. Plorate, ſecundùm verbum S. Joannis p, *Plorabitis & flebitis vos*, quandiu mundus diffluet voluptatibus ac delicijs, *Mundus autem gaudebit.* Patimini in iſtâ vitâ, & eritis beati in alterâ, & poſtquàm deguſtaveritis amaritudines in iſto mundo, non experiemini niſi dulcedines in paradiſo: *Vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Nam, ut ait Dionyſius Carthuſianus q, *Cuncti Electi nunc in hoc mundo plorant, & flent, amore dilecti ſuper omnia Jeſu Chriſti. Item præ deſiderio exiſtendi cum Deo, & ex gloriæ dilatione, propria inſuper & aliena deflent peccata, & ita ſunt eis lacrymæ panes die ac nocte* r, *& lavant cum David per ſingulas noctes lectum* ſ *ſuum. Mundus verò, videlicet reprobi, modò gloriatur cùm malefecerit* t. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt in infernum* u. *Quibus ait Salvator, Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis & flebitis* x. *Electorum quoque triſtitia citò in gaudium convertetur, juxta quod dicunt in Pſalmo* y, *Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Hinc ſcriptum eſt, Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt fletum exultationem infundis* z. *Et, Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & ſciens ſperantes in ſe* a. *Magis ergo optemus nunc cum Electis utiliter contriſtari & plangere, quàm cum mundo inaniter jucundari, interiorat[que] mente ridere. Melius enim eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij* b.

p Jo. 16. 20.
q Dion. C[ar]th. art. 59. in Jo. 16. 20.
r ex Pſ. 41. 4.
ſ ex Pſ. 6. 7.
t ex Pſ. 10. [...] 24.
u ex Job 21. 13.
x Luc. 6. 25.
y Pſ. 65. 12.
z Tob. 3. 22.
a Naum 1. 7.
b ex Eccl. 7. 3.

Cùm Deus igitur caſtiget in iſto mundo eos quos diligit, & in afflictionibus, quas mittit ad illos, meliùs oſtendat juſtitiam ſuam, dilectionem ſuam, & ſummam providentiam ſuam, ſicut audiviſtis in progreſſu diſcurſus iſtius, dicamus ei ſinguli affectu ſuavi, & deſiderio quo ducimur communicandi doloribus ipſius cum S. Auguſtino c, *In hâc vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit.* Etiam, Domine: diſpone nos prout tibi placuerit, cùm omnia ſupplicia quæ venient ad nos è manu tuâ, ſint futura ſigna infallibilia tuæ dilectionis erga nos, puniendo nos ad tempus, ut nos reddas beatos per totam æternitatem: tibi proteſtamur quòd æquali facie ſuſcipere volumus id omne quod tua Divina providentia mittere dignabitur ad nos, pro certo tenentes, quòd jactura noſtra erit lucrum proficuum, quòd fletus noſtri mutabuntur in gaudia, ſupplicia noſtra in delicias, amaritudines noſtræ in ſuavitates; & quòd omnes infirmitates noſtræ non concurrent niſi ad reddendos nos ſanctiores, & quòd ſi afflicti ſumus ad tempus in iſto mundo, in æternum conſolationibus perfundemur in altero ſæculo.

c S. Aug. in Pſal. 37. 2.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti. Epheſ. 1. 4.

AD hoc ut aliquis ſit ſanctus, non ſufficit ut imitetur Sanctum aliquem, ſed habere debet virtutes omnium Sanctorum, ſicut ille mercator Evangelicus quærens multos lapides pretioſos, ut inveniret unum, *Simile eſt Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventâ autem unâ pretioſâ margaritâ, abijt & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam* a. *Ut tanquam prænobile*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus b, *bonum poſſideret. Sic quilibet veraciter Chriſtianus, quærens pretioſas margaritas, hoc eſt, virtutes præclaras & Cardinales, unum verò pretioſiſſimam inveniens, ſcilicet increatam Dei Sapientiam Dominum Jeſum, vendit, vel vilipendit cuncta terrena, ut margaritam iſtam obtineat, ſicut teſtatur Apoſtolus* c, *Omnia arbitror detrimentum propter eminentem ſcientiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Pretioſior nempe eſt Sapientia cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari* d.

a Matth. 13. 45 & 46.
b Dion. Carth. art. 26. in Matth. 13. 46.
c ex Philipp. 3. 10.
d ex Prov. 3. 15.

Jeſus Chriſtus igitur eſt iſte lapis pretioſus, ut perveniamus ad illum, tranſire debemus per virtutes omnium Sanctorum; imitari debemus omnes Sanctos, ut inveniamus Jeſum Chriſtum, qui eſt
e Dan. 9. 24. *Sanctus Sanctorum* e. Id eſt, qui continet eminenter ſanctitatem omnium Sanctorum, & eſt protorypon omnium Sanctorum, quod nobis convenit imitari. Acceſſit ad ipſum proximè B. Virgo præ omnibus creaturis: per eam ſpecialiter pervenire poterimus ad ipſius Filium. Sed quomodo contemplari poterimus oculis infirmis & obtunbus tenebroſis objectum ſic divinum, & quod ſic micantem emittit ſplendorem? Id non poſſumus meliùs agere quàm uſurpando verba Angeli, ut dicamus ſtuc B. Virgini præ omni reverentia poſſibili, *Ave Maria.*

Admiratione capior dum video quòd, cùm omnes Chriſtiani teneantur eſſe ſancti, ſic exigua tamen in mundo reperitur ſanctitas. Non poteſt quis eſſe Chriſtianus quin ſit ſanctus, ſicut non poteſt quis eſſe ſanctus quin ſit Chriſtianus. *Sancti eſtote*, ait Deus ſingulis Chriſtianis. Sanctitas debet eſſe inſeparabilis à Chriſtiano: ſi autem non acquieſcitis huic mandato, ſaltem ſinite vos vinci ab illo, quod ipſe ſtatim ſubdit, *Quia ego ſan-*
f Levit. 19.2. *ctus ſum* f. Deus noſter non vult, more Deorum veterum, adoratores qui non ſint ſancti. Dii antiquorum adorabantur à criminoſis, eò quòd ipſimet eſſent conſcii criminum: ſed Deus noſter, cùm ſit ſanctus, vult ut omnes Chriſtiani, adoratores ſui, ſancti ſint. Et interim ubinam reperitur ſanctitas? In Curia? Ipſa non eſt exarata niſi in charta: Curia ſancta non invenîtur niſi in libris. Ubinam reperiemus ſanctitatem? In Clauſtris? Ibi perſæpè deordinatio reperitur: quin imò vitium ad ima ſe uſque protendit altarium noſtrorum. Quò ibimus igitur, ut inveniamus hanc admirabilem & adorabilem ſanctitatem? Mundus non novit illius lectionem: quis enim in mundo exercet charitatem? quis puritatem colit? & quis vacat humilitati? Sic eſt, Auditores: in mundo non eſt virtus agnita: & quamvis Chriſtiani teneantur eſſe ſancti ob mandatum, quod Deus ipſis facit colendæ ſanctitatis, & propter imitationem, quam ipſi Deo debent, tamen virtus, aut ſanctitas non apparet in mundo, ubi ignoratur illius meritum. Dicitur Pater æternus, antequàm
g Luc. 2. 21. Filio ſuo imponeret hoc *nomen*, *Jeſus* g, ipſum veluti ponderaſſe, & appendiſſe in ſtatêra, collocando ipſum in una lance ſtatêræ, & in altera omnes virtutes, quas exerciturus erat, & omnia bona opera, quibus erat vacaturus, & intuitu omnium meritorum ejus, tribuiſſe ipſi nomen iſtud: nos habemus nomen Chriſtiani: Deus nobis iſtud tribuit, ut eſſemus ſancti; *Elegit nos ut eſſemus ſancti.* Ipſe eſt intuitus bona, quibus vacare debebamus, opera; & Sancti ſuerunt ſancti, cùm fuerint Chriſtiani, & fecerint opera Chriſtiano-
Diviſio. rum. Ego autem volo vobis oſtendere Primò, quòd eædem rationes, quæ Sanctos induxerunt ad hoc, ut eſſent ſancti, obſtringunt etiam nosmetipſos. Deinde, Videbimus media, quæ habemus ſanctitati conſequendæ conſona.

I. Pars. Ut ritè concipiamus hanc veritatem, quòd eadem ratio, quæ induxit Sanctos ad hoc ut eſſent ſancti, nos ſimiliter adſtringit ad colendam ſanctitatem, ſuppono duas res, quæ erunt veluti duo fundamenta veritatis, quam ſtabilio. Prima eſt ea; quà dico, quòd non conſiſtit ſanctitas in habendis viſionibus, & revelationibus, in faciendis miraculis, in ejiciendis dæmonibus, in colenda doctrina: nequaquam: multi habuerunt viſiones, & revelationes, & nunquam videbunt Deum, multi patraverunt miracula, qui ardent in inferno; & dæmones, licèt doctiſſimi, non minùs ideò ſunt diaboli; & talis eos expulit in hoc mundo, qui poſſidetur ab illis in inferno: Sanctitas igitur non conſiſtit in hoc: ſed ſcitisne in quo? In unione animæ cum Deo, quæ fit per gratiam, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* h. Ut autem fiat ſanctitas, eſt aliquid addendum gratiæ, nimirum fides victorioſa, & charitas invincibilis. Et ecce id quod ſanctitatem facit, & in quo ipſa conſiſtit. Requiritur ergo fides, & ſi petatis à me quare, reſpondeo ſubjiciendum eſſe Deo id totum quod eſt in nobis, ita ut omnes potentiæ noſtræ totidem dicant ab eo dependentiam, quod fit perfectè per fidem: omne enim quod nobis proponitur, aut eſt probabiliter verum, & generat opinionem; aut eſt certum & cognitum ut tale, & tunc generat ſcientiam, & intellectus noſter tenetur ei ſe ſubjicere; ſicut cùm oculus meus videt objectum coloratum, & illuminatum, neceſſariò illud intuetur: ſed per fidem credo id omne, quod Deus dixit, id omne, quod ipſe exigit à me, ſubjicio intellectum meum voluntati ejus, licèt comprehendere non poſſim id, quod mihi revelatur, *In captivitatem redigens omnem intellectum in obſequium Chriſti* i. Cùm intellectus conſentit, voluntas ipſum ſequitur; & ſic ſubjicimus Deo id omne, quod eſt in nobis: ita verum eſt quòd primus greſſus ſanctitatis eſt fides, quæ nos ſubjicit Deo. Sed oportet ut ipſa ſit fides victorioſa, & triumphans de omnibus, quæ ſcilicet extendatur ad omnia credenda, qualis erat fides Sanctorum antiquorum, quæ triumphavit de creaturis, & de Deo. Fides Moyſis triumphavit de aqua k: Fides Joſue de Sole & Luna ipſi obedientibus l: Fides Eliæ de igne, quem ipſe desurſum fecit deſcendere m: Fides n Chananææ de corde Jeſu: iſtud cor erat renuens, & fides iſtius mulieris ipſum mutat: iſtud cor nolebat, & fides hæc facit ut velit, ipſa triumphat de invincibili, & victrix eſt de Deo. Fides ergo triumphans, & charitas invincibilis, ita ut nihil poſſit ipſam proſternere, & extendatur ipſa circumquaque: diligere enim omnes homines, excepto uno ſolo, non eſt habere charitatem. Et ratio iſtius eſt, Quia ad hoc ut habeatur virtus, & ut virtus ſit virtus, oportet ut ipſa ſit infinita, defectu cujus non eſt ipſa virtus: V. g. Patientia complecti debet omnia ſubjecta, quæ offerri poſſunt: & ſicut objectum ipſius nullos præ ſe ferre videtur limites, ſic debet & ipſa ſuſtinere omnia, alioquin non debet dici quis patiens, cùm virtus eſſe debeat infinita ad hoc ut ſit virtus: quod dico de fide, de charitate, &c. Sanctitas igitur non conſiſtit in patrandis miraculis, ſed in habenda anima unita Deo per gratiam, in habenda fide triumphante, & charitate invincibili.

h 1. Cor. 6.17.
i 2. Cor. 10.5.
k Exod. 14.21 &c.
l Joſue 10.12. & 13.
m 3. Reg 18.37. & 38.
n Matt. 15 28. &c.

Hoc poſito, his fundamentis ſic conſtitutis, Dico quòd habemus eandem obligationem ad colendam ſanctitatem, ad quam adſtringebantur Sancti priſcorum ſeculorum. Et iſtius ratio eſt ea, quam affert S. Paulus o, cùm ait, *Unus Dominus, una fides, unũ Baptiſma. Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia & in omnibus nobis.* Qui revelavit nobis veritates ſuas, & manifeſtavit nobis voluntates ſuas: *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti* p. Eadem cauſa debet ſemper eoſdem effectus producere, manens ſemper eadem, juxta axioma Philoſophicum, *Idem manens idem, ſemper facit idem.* Iſta fides fecit Sanctos q: Hæc eadem fides nos obſtringit igitur ad hoc ut

o Eph. 4. 5. & 6.
p Rom. 10. 17.
q Hebr. 11.4. &c.

ſimus

r Matt. 22. 37. & 39.

ſimus ſancti: eadem charitas nos obligat æqualiter ad diligendum r ſine exceptione, & ad ſuperandas omnes difficultates, cùm debeat eſſe invincibilis.

ſ Pſ. 118. 112.

Id quod induxit etiam Sanctos ad ſanctitatem, erat motivum mercedis, cùm nihil ſit potentius, & quod magis animet, quàm intuitus præmii: propterea dicebat David ſ, Deum alloquens, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Sed quid? Nunquid non hæc eadem ratio nos etiam obſtringit ad ſanctitatem, ſicut illos? Nonne ſperamus eandem gloriam? Annon Deus promittit eam nobis, ſicut illis? nunquid non *fidelis Dominus eſt* t, ut illam nobis tribuat?

t 2. Theſ. 3. 3.

An forſan quia merces iſta non meretur, ut tantos labores ſuſtineamus, ut ipſam nobis comparemus? Quid eſt præmium Sanctorum? Ha quàm ingens eſt illud! *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum,* ait S. Paulus u poſt Iſaiam. Vultisne ſcire quid ſit gloria Sanctorum? auſcultate Filium Dei dicentem hodie ſuper monte, *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* x.

u 1. Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4.

x Matt. 5. 3. &c.

Cùm ædificatum eſt templum Conſtantinopolitanum, recenſetur præ foribus illius poſita fuiſſe ſtatua Salomonis, qui faciem ſuam operiebat quaſi præ pudore, quòd templum hujuſmodi S. Sophiæ ſuperaret illud, quod ipſe ſategerat ædificandum Jeroſolymis y: Taceant hodie Abraham, Moyſes, Elias, & omnes Prophetæ, cùm Jeſus loquatur, & alleget maximas & inſtitutiones ad ſtabiliendum Statum ſuum, quas ſecula præterita ignoraverant, & quas lex neſciebat; magnitudinem in parvitate, veram gloriam in infamia apparente, divitias in paupertate, & fœlicitatem in confuſionibus, quæ illam producunt. Infœlices erimus, ſi non proficiamus lectionibus iſtis, cùm admiſſi ſimus in ſtatum & domum ipſius. Illi qui vivunt ſecundùm maximas mundi, nihil prædictarum Jeſu Chriſti maximarum concipiunt, & ideò *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda* z. Nos verò nos debemus elevare inter faſtidia noſtra ſub ſpe mercedis, quam Dei Filius nobis pollicetur, eruendo gloriam noſtram è depreſſionibus noſtris, quod facit concluſionem ſermonis, quem habet hodiernâ die idem Salvator in gratiam noſtri ſuper monte, *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

y 3. Reg. 6. 2. &c.

z Apoc. 21. 8.

Gratia imitatur naturam in ſuo modo procedendi, &, ſicut ait Apoſtolus a, *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpirituale.* Corpus, quod eſt inferius ſpiritu, ipſum præcedit, ſicut formæ ſupponunt diſpoſitiones, quæ ipſas præcedunt: natura, quæ eſt prima, præcedit legem, & gratia, ut perfectior utràque, ambas ſequitur. Evangelium datum eſt poſt naturam, & legem, ut perfectius totum ſuum, aut ſubrogatum b, ſicut natura legi, & lex Evangelio; aut deletum, ut ceremoniæ c, & ſacrificia antiqua d, ut ingreſſum darent veritati Evangelii, Jeſus Chriſtus volens fundare Statum ſuum, jacere fundamenta illius, inſtituit maximas novas, collocans fœlicitatem in contemptu, veras divitias in paupertate, & ſolidam gloriam in ignominia apparente. Perfectio autem Status iſtius meliùs non apparet quàm per eſſe ſuum, operationem ſuam, & finem ſuum. Per eſſe ſuum: quid eo ſublimius? Ipſe Jeſus Chriſtus illum fundat, *Aperiens os ſuum, docebat eos.* Iſte Status eſt infallibilis in veritatibus ſuis, & æquè infallibilis ac ipſa viſio Beatorum in cœlo infallibilis eſt ſicut Deus, quem vident, qui eſt ipſorum beatitudo objectiva: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* e, ait Salvator. Et alibi f, *Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Evangelium eſt productio Jeſu Chriſti, cùm ſit lex ipſius, *Quia veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* g. Lex autem eſt productio Legiſlatoris: & ſicut ipſe mentiri non poteſt, lex iſta complectitur perfectionem omnium rerum, iter cœli, praxim virtutum, receſſum à vitiis, prohibitionem mali patrandi, & mandatum boni peragendi.

a 1. Cor. 15. 46.

b Heb. 8. 13. &c.

c Exod. 12. 3. &c.

d Levit. 3. 2. &c.

e Matt. 24. 35.

f Matt. 5. 18.

g Joan. 1. 17.

In Statu benè morato quatuor requiruntur, præcipere, vetare, permittere, conſulere. Lex Dei, Evangelium præcipit bonum, vetat malum, conſulit virtutes, quæ non ſunt de mandato propter altiſſimam perfectionem ſuam h, permittit id quod eſt licitum; & prædicat perfectionem ignoratam ab aliis Sectis. Operationes Status Jeſu conſiſtunt in faciendis Sanctis in hoc mundo: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* i. S. Thomas k loquens de ſanctitate, ait, *Quòd nomen Sanctitatis duo importare videtur. Uno quidem modo munditiam. Et huic ſignificationi competit nomen Græcum. Dicitur enim ἅγιος, quaſi ſine terra. Alio modo importat firmitatem. Unde apud antiquos ſancta dicebantur, quæ legibus erant munita, ut violari non deberent. Unde & dicitur aliquid eſſe ſancitum: quia eſt lege firmatum. Poteſt etiam, ſecundùm Latinos, hoc nomen, Sanctus, ad munditiam pertinere, ut intelligatur ſanctus, quaſi ſanguine tinctus, eò quòd antiquitùs illi, qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur, ut Iſidorus l dicit. Et utraque ſignificatio competit, ut ſanctitas attribuatur his, quæ divino cultui applicantur: ita quòd non ſolùm homines, ſed etiam templa, & vaſa, & alia hujuſmodi ſanctificari dicantur ex hoc, quòd cultui divino applicantur.*

h Matt. 19. 12. &c.

i Matt. 5. 3.

k S. Th. 2. 2. q. 81. a. 8 in corp.

l ex S. Iſid. lib. 10 E. thim. lit. S.

Ex iſtis S. Thomæ verbis eruitur, quòd ſanctitas conſiſtit in ſeparatione, in purificatione, & in conſecratione. In ſeparatione, verus pauper nonne ſanctus eſt? Nunquid non eſt ſeparatus ab omnibus? Deus illum ſpoliat omnibus, propinquis, amicis, & bonis, quia totus vult addictus eſſe Deo, ſicut Seraphicus S. Franciſcus, qui dicebat, *Deus meus & omnia.* Et S. Ludovicus, filius ejus ſpiritualis, & Toloſatum Antiſtes, *Deſint cætera omnia, dummodò Chriſto meo fruar.* Sufficit ut habeatur Deus, & omnia poſſidentur cum illo, *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* m. Et, *Regnum Dei intra vos eſt* n. In purificatione, quæ quamlibet excludit mixtionem, *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Quæ ſanctitas extenditur uſque ad aſpectus, qui ſunt purgandi, æquè ac purgandæ ſunt intentiones, purganda opera, & purganda voluntas. In conſecratione, afflictiones autem nunquid non conſecrant? *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.* Propterea Tertullianus o dicebat, *Qui puniuntur, conſecrantur.* Quaſi diceret, quòd Tyranni erant velut aurifices, qui projiciebant Martyres & veros Chriſtianos in fornacem tribulationum, ut eos meliùs purgarent, polirent, & ex eis facerent Sanctos tormentis Deo conſecratos. Sic *David quando eſuriit, & qui cum eo erant, intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus* p. Sed quare ſummus Sacerdos Abimelech tribuit ei, æquè ac ſociis illius panes hujuſmodi

m Matt. 5. 3. &c.

n Luc. 17. 21.

o Tert. 11 Apologet. c. 12.

p Matt. 12. & 4. ex 1 Reg. 21. 6. &c.

Digitized by Google

modi comedendos? Quia perſecutione conſecrati erant. Proprium eſt igitur Statui Jeſu Chriſti facere Sanctos: ſi autem in Lege naturæ, æquè ac in Lege ſcripta fuerunt Sancti, tales fuerunt per fidem in Meſſiam venturum: *Fide, qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit* q, *neſciens quò iret.* *Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis* r: *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem* ſ. Iſti magni viri agebant intuitu iſtius objecti: novus Status Evangelicus dat ſanctitatem, & veram ſanctitatem. Aſſignatur à S. Paulo t duplex homo, animalis, & ſpiritualis. Animalis eſt terreſtris, *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* Dicite homini animali & impio, gloriam reperiri in infamia: hoc ipſe vertet in deriſum, quippe qui ignorat maximas Status Jeſu Chriſti. *Spiritualis autem judicat omnia.* Ipſe levat *ſe ſuper ſe* u. Ipſe ſe ſpoliat omnibus, excluſo Deo, qui ipſum replet. Finis iſtius Status eſt gloria, *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis* u. Sed gloria, quæ replebit intellectum, memoriam, voluntatem, & omnes potentias interiores, & exteriores: ſoli autem illi merentur eam, qui patiuntur in hoc mundo, aut qui veram habent ſanctitatem, quæ talis eſt, ut nullos alios velit teſtes actionum ſuarum, niſi Deum. Sic res pretioſæ ſunt abſconditæ, & theſaurus apertus eſt profligatus: feruntur enim manus eò, quò feruntur oculi. Non eſt aliquid delicatius virtute & ſanctitate, *Simile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito* x. Sic Juſti, qui agunt per ſinceram virtutem, per ſolidam devotionem, & per veram ſanctitatem, debent eſſe abſconditi, *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs* y.

q ex Gen. 12. 4. & 13. 1.
r ex Exod. 2. 11.
ſ Hebr. 11. 8. &c.
t 1. Cor. 2. 14. & 15.
u Thren. 3. 28.
u Matt. 5. 12.
x Matt. 13. 44.
y Pſ. 44. 14.

Sancti Patres loquentes de vera ſanctitate dicunt, quòd eſt *difficilis, profunda, & incantata.* Ipſa difficilis eſt in praxi ſua, ipſa eſt collocata ſuper monte, *Virtus in arduo poſita eſt.* Difficilis in cognitione ſua, num ſit effectus virtutis, aut naturæ, unde procedit; amoris proprii, vel Dei. Difficilis viſu, in ea ſunt ambages & anfractus, ſolus Deus ſcit quid ipſa ſit. Ipſa eſt profunda, & ut ſic nullo penetrari poteſt modo. Ipſa eſt incantata; illi, qui ipſam exercent, ipſam perſæpè non cognoſcunt, Deus coram ſe velut oculis capit, unde fit, ut maximi Sancti ſe putent maximos peccatores, Deus abſcondit eis virtutem & ſanctitatem ipſorum. Deus operari vult in ſinu B. Virginis, illam præparat ad myſterium Incarnationis, ipſa neſcit iſtud, quod latet oculos hominum; ipſe facit eam recedere in templum, *Elegit eam Deus & præelegit eam: in tabernaculo ſuo habitare facit eam*, ait Eccleſia z. *Ecce Virgo concipiet* a. Seu, juxta literam originalem, apud Cornelium b, *Ecce abſcondita concipiet.* Ipſa non videt virtutes ſuas, eæ ſunt ipſi abſconditæ: vera ſanctitas eſt abſcondita, *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* c.

z Eccleſia ex Pſ. 44. 15 & 16.
a Iſai. 7. 14.
b Cornel. in Iſai. 7. 14.
c Coloſſ. 3. 3.

Prætereà, iidem ſancti Patres tres aſſignant inceſſus veræ ſanctitati, *Ante Deum, in Deo, in humilitate*, Ante Deum, quærendo placere ei, intuendo honorem & gloriam ejus præ reverentia, nedum conſiderentur homines, & reſpectus mundi, mundi qui eſt oppoſitus Deo, mundi quem Deus excludit ab orationibus ſuis, *Ego pro eis rogo: non pro mundo* d. Mundi, cujus anima eſt malitia, *Totus mundus in maligno poſitus eſt* e. Mundi, è quo ſuos Deus ſervos retrahit, quippe qui eos poſſidere non meretur, *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor ejus* f, ait Deus, loquens de anima. Vera ſanctitas eſt ea, quæ exercetur coram Deo: ſic debemus eſſe ſancti in conſpectu ejus, ſicut Abrahæ *Dominus dixit: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & eſto perfectus* g. In Deo, mutando ſe totum in Deum, accommodando ſe ad eum, ad voluntates ejus. In humilitate, annihilando ſe in præſentia ejus: nam, ut ait Iſaias h, *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Angeli & homines nihili ſe æſtimant coram Deo, quia nihil ampliùs quærunt, quàm manifeſtare gloriam ejus: & maximi Sancti ſe collocant inter maximos peccatores, ſicut ajebat S. Paulus i, *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere: quorum primus ego ſum.* Iſti ſunt characteres ſinceræ virtutis, ſolidæ devotionis, & veræ ſanctitatis: ſed falſa ſanctitas, quæ non fert præ ſe niſi apparentias, ſequitur aliam viam, non incedit coram Deo, non quærit gloriam ejus, ſed intuetur purè mundum, approbationem hominum, eorum applauſum, id quod dicent, ad hoc ut ipſa laudibus & encomiis extollatur. Videte quomodo cùm *acceſſerunt ad Jeſum ab Jeroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes, Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas cum panem manducant, ipſe reſpondens, ait illis, Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias* k, *dicens, Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me* l. Phariſæi componebant inter Judæos Sectam, in qua vitam tranſigebant ſolitariam: Phariſæus enim idem eſt ac diviſus, à verbo Phares Hebræo, quo innuitur diviſio: præ ſe ſolas ferebant apparentias, ſed veri erant hypocritæ, de quibus alibi dicit idem Evangelium m, *Omnia verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi.* Univerſa ſua faciebant, ut auras captarent populares, ipſi ſemetipſos quærebant, zelo ducebantur apparenti, ſed ſuis invigilabant commodis, & erant inimici Dei: nihil eſt enim magis oppoſitum Deo quàm ſit mendacium & diſſimulatio: ipſe eſt *Veritas* n per eſſentiam, & Phariſæi illius temporis non erant niſi hypocritæ, nec *Verbum caro factum eſt* o *ubi venit plenitudo temporis* p, niſi ut deſtrueret hos Phariſæos hypocritas, qui erant inimici ipſius, & debebant Evangelio ipſius adverſari. In illis erat intueri ſimulachrum falſorum devotorum & devotarum illius temporis, qui non habent ſolidam virtutem, nec veram ſanctitatem, qui omnia effundunt in exterius, qui præ ſe nihil ferunt niſi apparentias, qui non quærunt niſi ſemetipſos & proprium commodum ſuum: *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt: non quæ ſunt Jeſu Chriſti* q. Qui non habent niſi verba magnifica, qui ſunt apparenter ſancti, ſed cum revera nihil præ ſe ferant niſi hypocriſin, non ambulant ante Deum, nec in Deo, ſicut nec in humilitate, ſed coram hominibus: & cùm vanitas principium fuerit noſtri totius infortunii, *Eritis ſicut Dii* r, ipſi ſemetipſos faciunt Sanctos, & Deos in viis ſuis, in verbis ſuis, in affectibus ſuis, & in omnibus praxibus ſuis: ipſi comederunt *de fructu ligni ſcientiæ boni & mali* t. In viis ſuis Dii ſunt: viæ enim ipſorum differentes ſunt à viis aliorum: alloquimini noſtros illuminatos, & ſpirituales; ipſi ducunt vitam ſpiritualem, cùm deberent illam ſequi. Deos agunt in verbis ſuis: hæc enim non ſunt, niſi de cognitionibus Dei, de perfectionibus eminentibus Divinitatis, de rebus ſublimibus, de oratione unionis,

d Joan. 17. 9.
e 1 Joan. 5. 19.
f Oſ. 2. 14.
g Gen. 17. 1.
h Iſai. 40. 17.
i 1. Tim. 1. 15.
k ex Iſai. 29. 13.
l Matt. 15. 1. &c.
m Matt. 23. 5. &c.
n Joan. 14. 6.
o Joan. 1. 14.
p Galat. 4. 4.
q Philip. 2. 21.
r Gen. 3. 5.
ſ Gen. 3. 6.
t Gen. 2. 17.

unionis, de vita ſupereminenti, ſupercœleſti, de vita transformationis, & de Deiformitate. In affectibus, æquè ac in ſenſibus ſuis, ipſi nihil ſunt præ ſe niſi raptus & ecſtaſes. Et in praxibus ſuis, ipſi accedunt bis aut ter ſingulis hebdomadibus ad ſacram Communionem; ſed hæc omnia ſunt illuſio & deceptio, non autem ſolida devotio, nec vera ſanctitas.

S. Franciſcus Saleſius, Epiſcopus Genevenſis prædicans Divione, eo tempore quo decreverat inſtituere ſuum Ordinem Viſitationis B. Mariæ, didicit quòd eſſet in illa civitate quædam illuſtris Matrona, quæ concurrere potuiſſet ad executionem conſilii ipſius, cùm maximè devota haberetur. Ipſe ſategit igitur eam vocandam, quam, cùm acceſſiſſet, ſic interrogavit iſte Præſul inſulatus, Domina mea, vacasne devotioni? Etiam, Domine mi, reſpondit illa. Quònam autem perveniſti, dixit ei denuò ſacer hic Antiſtes? At illa, Ad tertium gradum perfectionis. Ha! ait vir iſte ſanctus, ipſa nimis es perfecta quoad ea, quæ me ſpectant, recede, ſi placet, ope tuâ non indigeo. Hujuſmodi perſonæ falsò ſpirituales, ſunt Dii, plantaverunt lignum ſcientiæ boni & mali in corde ſuo, quod non eſt aliud niſi proprius amor, non quærentes niſi applauſus, non incedentes ante Deum, nec in Deo, nec in humilitate. Oculi mundi ſunt contrarii ſolidæ virtuti, & veræ ſanctitati: debet quis abſcondere virtutem ſuam; ſi eâ præditus eſt, niſi velit eam perdere. *Cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinai, ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Videntes autem Aaron & filii Iſraël cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere. Et poſuit velamen ſuper faciem ſuam* u. Virtus eſt oculis hominum abſcondenda, ſufficit ut Deus ſciat, an habeamus ſanctitatem. *Ama neſciri*, dicit nobis ſingulis S. Bernardus x. Vera ſanctitas debet eſſe abſcondita, & ſoli Deo nota.

u Exod. 34. 29. &c.

x S. Bern ſerm. 3. de Nativit. Dom

Sed hæc ſanctitas adhuc ut ſit vera, debet inſuper eſſe plena & fœcunda. Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd Deus & natura ſuſtinere non poſſunt vacuum, oportet ut illud repleant: Si cecidit *de cœlo Lucifer* y cùm ſociis ſuis, homines illuc aſcendunt, ut illud repleant, & occupent vacuum, quod ſpiritus iſti rebelles *in terram cum illo miſſi* z, ibi relinquebant. Si Dei Filius *aſcendit ſupra omnes cœlos, ideò ut impleret omnia* a. Propterea *& cùm complerentur dies Pentecoſtes, repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* b. Si terra dat, ipſa ſuſcipit: atqui veri Devoti, veri Sancti, ſunt toti vacui, vacui vanitate in intellectu ſuo, vacui propriâ æſtimatione, vacui propriâ ſufficientiâ; in voluntate ſua vacui ſunt terrenis affectibus, amore proprio, id eſt, creaturarum. Quid autem agit Deus, qui pati non poteſt vacuum? Illos replet, *Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes* c. Replet eorum mentem luminibus, & cogitationibus; memoriam recordatione mercedum, gloriæ, & fœlicitatis æternæ; & voluntatem gratiis ſuis, & amore ſuo, qui non eſt alius niſi Spiritus ſanctus, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* d. Videte B. Virginem: ipſa eſt humilis: *dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini.* Propterea Deus illam replet, *Et ait Maria: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes* e. Atqui obſervate, quòd omnis plenitudo eſt fertilis. Deus Pater eſt ipſamet plenitudo, cùm ſit repletus fœlicitate, & habeat plenitudinem notitiæ rerum omnium: & in hoc ſtatu fœcundus eſt, cùm cognoſcendo ſe generet Filium ſuum plenitudine cognitionum ſuarum, ſicut ait illi, *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* f. Et Filius, qui eſt illius terminus, qui totam ſuſcipit iſtam Patris plenitudinem, in unitate principii unà cum eodem Patre ſpirat *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* g eodem, æquè ac ab ipſo. Et licèt Spiritus ſanctus nihil producat in æternitate, non eſt propterea minùs adorabilis quàm ſint adorabiles Pater & Filius: ipſe fœcundus eſt in tempore; ipſe facit omnes productiones ſpirituales, fœcundans omnia corda. Videte B. Virginem, ipſa eſt *gratiâ plena* h. Ipſa fœcunda eſt, cùm ignoret Dominum hominem: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* i. Nihil ſterilius virginitate, & tamen in Virgine Maria nihil ipsâ fœcundius; ipſa producit Deum. Iſtud eſt promiſſum, quo ſe Deus alligavit Abrahæ, ſe multiplicaturum poſteritatem ipſius, more ſtellarum, quæ ita copiosè ſuas communicant influentias, ut nihil ſit ipſis fœcundius, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli; & velut arenam, quæ eſt in litore maris* k. Videte hoc in Inſtitutionibus Ordinum Regularium: quænam fertilitas, & abundantia! Falſi devoti non debent prætendere ad hanc mercedem, ipſi ſunt ſicut arena maris: aréna maris eſt ſterilis; ſic iſti falſi ſpirituales nullos producunt bonos fructus, ſunt inutiles ad omnia, præ ſe nihil ferunt niſi apparentias, & ideò nihil ſibi polliceri poſſunt quantùm ad mercedem fœlicitatis, quæ ſolis veris Sanctis reſervatur, & quæ tanta eſt, ut mens humana nequeat ipſam concipere. Propterea debetis obſervare, quòd, cùm anima ſit imago Dei, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* l: communicat omnibus magnitudinibus ejus, & ideò cùm Deus ſit infinitus, anima eſt etiam infinita per communicationem, cùm habeat ipſa per hanc communicationem id omne, quod Deus habet per naturam: cùm Deus ſit ubique; anima deducit corpus Beati quòcumque voluerit: ſicut Deus *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* m per naturam, ſic anima hujuſmodi divinis perfectionibus communicat, & ideò nihil ipſi poteſt ſatisfacere, niſi Deus, cui propterea dicebat David m, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Etiam, Auditores: univerſæ creaturæ immenſam animæ capacitatem replere non poſſunt, *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit. Inde eſt quòd naturali quidem deſiderio ſummum quivis probatur appetere Bonum, nullam niſi adepto eo requiem habiturus,* ait S. Bernardus n. Ingenuè fateor, Auditores: ambitioſus ego ſum: ſi per impoſſibile Pater & Filius dividi poſſent à Spiritu ſancto, & Pater & Filius ſemetipſos darent mihi in gloria, ego contentus non eſſem, niſi mihi daretur etiam Spiritus ſanctus, quem etiam deſiderare poſſem, totus Deus requiritur ad perfectam fœlicitatem; & cætera omnia nihil ſunt, & animæ noſtræ replere nequeunt capacitatem. In mundo exigua nobis ſatisfaciunt, & replent cor noſtrum, quia hujuſmodi cor terrena ingrediuntur, qualia ſunt voluptates & deliciæ, ſed gloria Dei non ingreditur cor, ſed cor ingreditur gloriam, *Intra in gaudium Domini tui* o. Et hæc eſt differentia, quæ datur inter gloriam cœleſtem & alias fœlicitates terreſtres. Requiritur igitur Deus, & id totum, quod ipſe eſt, ad perfectam fœlicitatem: & ſicut ipſe eſt infinitus, & anima noſtra, prout ipſius imago, eſt etiam infinita per communicationem, ſic & ipſi nihil poteſt ſatisfacere niſi Deus.

y Iſai. 14. 12.

z Apoc. 12. 9.

a Epheſ. 4. 10.

b Act. 2. 1 &c.

c Luc. 1. 53.

d Rom. 5 5.

e Luc. 1. 38. &c.

f Pſ. 109 3.

g Joan. 15. 26.

h Luc. 1. 28.

i Matt. 1. 20.

k Gen. 22. 17.

l Gen. 9. 6.

m Baruch. 3. 25

m Pſ. 16. 15.

n S. Bern in Declā circa medi

o Matt. 25. 21.

Sed quid dico de gloria Sanctorum, quæ eſt ratio præcip..., quæ induxit Sanctos ad colendam ſanctitatem, videntes merita ſua cumulanda mercede ſempiternâ, quæque nos ad illius praxim debet invitare? Nihil prorſus, Auditores. S. Joannes *p* nobis eam deſcribit tanquam *civitatem ſanctam. Et habebat murum magnum & altum. Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata.* Sed totum iſtud non eſt gloria & merces Sanctorum, ſed Deus, qui unit ſe intimè animæ Sanctorum, qui elevat illorum mentem, ut *in lumine* gloriæ creato *lumen* Divinitatis videant increatum, ait Pſalmiſta *q*. Unde dicit Incognitus *r*, *Ponitur hic viſio luminoſa, tantùm enim claritas Divinæ Eſſentiæ excedit intellectus humani vigorem, quòd per ſeipſum illam non valet aſpicere, ſed oportet quòd per lumen gloriæ creatum quaſi per quoddam medium elevetur, & confortetur: quo lumine mediante illam apertè conſpicere poteſt. Et iſtud lumen gloriæ derivatur ab ipſo Chriſto, qui eſt fons & origo omnis luminis, qui eſt lux vera* f. *Volens ergo oſtendere qualiter ſit poſſibile, intellectum creatum Divinam Eſſentiam clarè videre, quæ plùs ipſum excedit quàm corpus Solis oculum corporis sui quod tamen oculus clarè non poteſt aſpicere, dicit quòd hoc erit virtute luminis gloriæ, quod ab ipſo Chriſto procedit. Unde dicit, Quoniam apud te, ô Chriſte, eſt fons vitæ, ſcilicet, initium omnis boni, & luminis; & ideò in lumine tuo, quod eſt lumen gloriæ, videbimus lumen, ſcilicet, Eſſentiam Divinam, quæ eſt eſſentialiter lumen. Deus Lux eſt* t, *ſcilicet per eſſentiam.*

p Apoc. 21. 10. &c.
q Pſ. 35. 10.
r Incognit. in Pſ. 35. 10.
f ex Joã. 1. 9.
t 1. Joan. 1. 5.

A te, Jeruſalem cœleſtis, efflagito veniam, nihil dixi de te: indigerem ego ſcientiâ & experientiâ Sanctorum, ut de te loqui poſſem; hoc eſt detrahere magnitudini tuæ; iſtud eſt obſcurare lumina tua; & ipſum eſt deprimere gloriam tuam: mihi foret opus auxilio ſpirituum Angelicorum ad oſtendendum quantum valeat cœlum: Seraphini præbete mihi veſtros ardores; Cherubini tribuite mihi veſtra lumina & cognitiones veſtras; Throni, & cæteri ſpiritus Angelici nolite mihi renuere virtutem veſtram ad exprimendum quid ſit iſta merces, quam Deus bonis operibus noſtris reſervat impendere; Patriarchæ, & Prophetæ, date mihi notitias veſtras; Apoſtoli, quos Deus conſtituit veluti *fundamentum* u noſtræ Religionis, date mihi zelum veſtrum; Martyres, ſanguinem veſtrum, ut emolleſcant Auditores mei, quorum induratum eſt *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* x ſtrictum: quòd ſi molliri renuant, ſaltem cogantur erubeſcere intuitu ſanguinis veſtri; Confeſſores, vigilias & pœnitentias veſtras; Virgines, puritatem & innocentiam veſtram; *Sancta Virgo virginum*, prima & maxima omnium, effunde ſuper eos lac tuum, ut voluntates illorum rebelles hoc liquore ab uberibus tuis exeunte perfuſæ ferantur ad colendam veram ſanctitatem, & conſequenter ad conciliandam ſibi gloriam Beatorum: Salvator mundi, oſtende tua vulnera, foſſas tuas *manus, & pedes* y tuos clavis terebratos, & tuum *lanceâ latus* z apertum, ut diſcant quid valeat gloria tua, cùm ipſe ad eam tibi comparandam tanta pertuleris, ut ait Evangeliſta *a* tuus, *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et quam ut Sancti conſequerentur, *per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſionem. Alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres; lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ* b. Nos verò propter hanc conſequendam nunquid non aliquid agemus? manebitiſne brachiis in modum crucis præ puſillanimitate complicatis? Etiam, Auditores: nonne laborabimus, quia *filii Sanctorum ſumus* c? Ha! Patres noſtri tantos labores ſuſtinuerunt: & cur non imitaremur eos?

u Epheſ. 2. 20.
x Job 41. 15.
y Pſ. 21. 17.
z Joan. 19. 34.
a Luc. 24. 26.
b Hebr. 11. 33. &c.
c Tob. 2. 5.

Dicere mihi poſſetis etiam pro ultima ratione, quòd Sancti fuerunt tales, ut evitarent *ſupplicium æternum* d, quod Juſtitia Divina minitatur illis, qui *fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* e, ſi *in peccato* f ſuo moriantur: nunquid non hæc eadem ratio nos obſtringit ad exercendam ſanctitatem? Nonne *idem ipſe* g ſemper eſt? & ſi eſt *ſuavis & mitis & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* h ſe, ſimiliter eſt *Judex juſtus* i ad infligenda criminoſis ſupplicia. Cur igitur non laborabimus, ut evitemus ea? Quare ſancti non efficimur, ut evitantes tormenta, dignos nos reddamus æternâ mercede? Juxta id quod video, præ vobis bonam voluntatem fertis adipiſcendæ veræ ſanctitatis, & ideo media eidem conſequendæ opportuna ſcire deſideratis. Videamus hæc breviter.

d Matt. 25. 46.
e Job 24. 13.
f Joan. 8. 21.
g Pſ. 101. 28. & Heb. 1. 12.
h Pſ. 85. 5.
i Pſ. 7. 12.

II. Pars.

Deus noſter non eſt Deus cæcus, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* k. Et ab æterno vidit id, quod eſſe debebamus, & ex tunc nos elegit ut ſancti foremus, *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti.* Hæc autem differentia datur inter electionem Dei & electionem hominum, quòd homines diligunt & poſteà eligunt, Deus verò è contrà eligit ut diligat: Deus eligit nos; & quia nos eligit, nos diligit, ita ut dicere poſſimus, quòd electio noſtra ſuit à tota æternitate, & quòd Prædeſtinati electi fuerunt ab æterno: atqui electio Dei eſt ſicut productio, & ſicut ab æterno producit ipſe Verbum ſuum, cùm ab æterno ſe cognoſcat; ſic cùm electio ſit productio, dicere poſſumus, quòd Prædeſtinati ſunt ab æterno producti: & in hoc ſunt ſimiles Filio Dei. Sed hæc expreſſio ſola non ſufficit ad faciendos eos ſanctos, & ideò ad hoc alia requiritur in tempore. Verum quidem eſt, quòd hæc æterna Filii Dei generatio dat ipſi qualitatem Creatoris, ſed non qualitatem Salvatoris, qui debet eſſe prototypon ad quod ſe conformare debent homines, concipi ſicut ille è Matre Virgine *l*, naſci, circumcidi, vivere *m*, mori *n*, & reſurgere *o* ſicut ipſe: ecce id quod agere debent ad hoc, ut efficiantur ſancti. Videte, Auditores, num ſimiles ſitis Jeſu Chriſto. Verum quidem eſt quòd concepti eſtis, & nati ſicut ille è Matre Virgine, quæ eſt Eccleſia ſancta, renati *ex aqua & Spiritu ſancto* p in Baptiſmo, qui eſt conceptio, & regeneratio ſpiritualis. *Ipſa quoq; & Mater & Virgo eſt: Mater viſceribus charitatis, Virgo integritate fidei*, dicit S. Auguſtinus *q*. Et alibi *r*, *Mater Eccleſia nos de Chriſto concepit, hæc Martyrum ſanguine parturivit, hæc in ſempiternam lucem peperit.* Sed fuiſtiſne circumciſi ſicut ille? reſecuiſtiſne à vobis non ſolùm ſuperfluum & illicitum, ſed etiam utile & licitum, privantes vos rebus permiſſis? Vivitiſne ſicut ille? Vita Jeſu Chriſti fuit vigilare, orare *ſ*, bonis operibus vacare: vos vigilatis, ſed in ludo, in ſaltatione, & in occaſionibus funeſtis: oratiſne, & faciſtiſne bona opera, ſicut Jeſus Chriſtus? Heu! quàm diffi-

k Hebr. 4. 13.
l Luc. 1. 38.
m Luc. 2. 7. &c.
n Joan. 19. 30.
o Marc. 16. 6.
p Joan. 3. 5.
q S. Aug. ſerm 10. de temp. c. 2.
r Idem Epiſt. 98.
ſ Luc. 6. 12. &c.

diſſimiles eſtis illi. Hæc Auditores, *Conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* t. Et ſic erimus ſancti in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam.

t Rom. 6. 4.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Matth. 18. 32. &c.

a Hebr. 10. 31.
STupore mentes noſtras percellit Apoſtolus a immodicò, cùm ait, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Et Evangelium proponit nobis, Auditores, hominem inclementem, qui excipiens abſque miſericordia aliquem conſervorum ſuorum, animat cæteros conſervos ſuos, ut ipſum denuncient Domino ipſorum communi, qui ad magnas damnat ipſum pœnas ſuſtinendas, ut hoc modo ad ſanctum reducat obſequium illos, quos ſuaviſſima verba & blanditiæ dulciſſimæ Patris amantiſſimi, remittendo ipſis debita peccatorum ipſorum, & volendo ipſos conſtituere filios ſuos adoptivos per gratiam, cujus Author ipſe eſt, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* b, inducere poſſunt ad exhibendum ipſi honorabilis obſequii munia. Iſte timor eſt ſalutaris, eximiis illum Salomon c evehit encomiis, *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Non videmus tamen quòd detur timor in cœlo, quòd eſt locus perfectæ ſecuritatis, *Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis: & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* d. Et licèt cœli perpetuò gyrent, in firmiſſima nihilominùs perſeverant ſtabilitate, *Qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt* e. Res univerſæ ſunt fœlices, cùm ſe conſervant in ſtatu, in quo Deus ipſas collocavit: Lapis ſuâ potitur quiete in centro ſuo: Ignis in ſphæra ſua ſub Lunæ concavo: Et Angeli ſuâ requie fruuntur in cœlo Empyreo per poſſeſſionem Dei, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* f. Deus poſuit hominem in ſtatu medio inter cœlum & infernum; poſſidere non poteſt homo fœlicitatem ſibi congruentem, in hoc ſtatu niſi per timorem, qui ſubjicit ipſum Deo, & ſubmittit ipſi omne quod non eſt Deus. Sic interventu hujus dependentiæ participatæ ipſius à Deo, & omnium creaturarum ab ipſo, in ſua ſeſe cuſtodit fœlicitate, quæ eſt poſſeſſio Dei, quantùm poſſibile eſt ipſi poſſidere illum per gratiam. Hac cogitatione præventi, quòd iſta vita eſt tempus adminiſtrationis, quæ nobis committitur bonorum naturæ & gratiæ, quorum rationem tenebimur reddere per obligationem perſonalem Creditori, cui nemo mortalium poteſt facere ceſſionem bonorum, quique, ſi ita citò ſolutionem debiti à nobis non exigat, uſuram illius à nobis eſt requiſiturus, *Quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* g: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum* h: concipere debemus timorem juſtitiæ Dei, cùm B. Virgo Maria timeat ad acceſſum Angeli, licèt illam gratiæ plenitudine refertam prædicet; *Turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio* i. Ipſa conſiderabat & timebat ut Judicem eum, quem ipſa concipere meruit ut Filium ſuum: nos autem rationabiliter timere non poſſumus; ſi cœlum imprimat nobis participationem timoris Mariæ, dicamus igitur ei, *Ave Maria.*

b Joan. 1. 17.
c Prov. 28. 14.
d Iſa. 32. 17. & 18.
e Job 37. 18.
f 1. Petr. 1. 12.
g Act. 10. 42.
h 2. Cor. 5. 10.
i Luc. 1. 28. &c.

Ingenuè fatendum eſt, illum eſſe verè ſurdum, qui renuit audire vocem Dei, quæ tot naturæ ſe audiendam exhibet. Deus nos alloquitur ordinariè tribus viis, interventu creaturarum ſuarum, inſpirationum ſuarum occultarum, & Filii ſui. Si verò non poſſit quis concipere id, quod ipſi Deus annunciat, alium quærat interpretem. Deus alloquitur mundum mediis creaturis ſuis, quæ licèt ſint mutæ, ſunt tamen facundiſſimæ ut divinas nos edoceant voluntates, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum* k. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles* l. Mundus eſt magnus liber plenus Deo, nec ulla eſt creatura, quæ non ſit litera, aut periodus integra, quæ nos egregiam edoceat veritatem, ſi illam benè legere noverimus in hoc libro; ſi verò non ſumus iſtius ſcientiæ divinæ ex conſideratione rerum naturalium addiſcendæ periti, conſulere debemus interpretem, qui iſtum librum nobis explicet: alioquin enim daretur errandi periculum: ſic antiqui conſulebant volatum avium, & viſcera animalium, ut diſcerent in diſpoſitionibus illorum ſucceſſus conſiliorum ſuorum: iſtud enim nos edocet Deus omnes, ſicut illud edocuit S. Dionyſium Areopagitam, qui ex eclypſi Solis ſenſibilis, cùm *obſcuratus eſt Sol* m: didicit defectum ſeu occaſum Dei naturæ, qui eſt *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* n: ut ipſe teſtatur, ſcribens Polycarpo o, cumque de Apollophane ſic alloquens; *Dic autem ei: Quid dicis de ipſa in ſalutari Cruce facta eclypſi? Nam utrique tunc juxta Solis civitatem ſimul advenientes & conſiſtentes, mirabiliter Soli Lunam incidentem vidimus. Non enim erat coitus tempus. Iterùm autem ipſam à nona hora uſque ad veſperas* p, *in Solis diametrum ſupernaturaliter è contrario conſiſtentem. Admone autem quiddam & alterum ipſum, Scit enim quia & occaſum ipſum ex Orientalibus videbamus inchoantem, & uſque ſolarem ſummitatem venientem, deinde retrogredientem: & iterum non ex eadem, & occaſum & repurgationem, ſed ſecundùm diametrum ex contrario factam. Talia ſunt tunc temporis ſupernaturalia, & ſolo Chriſto cauſaliſſimâ virtute facienta magna & ampla, quorum non eſt numerus* q. Et ideò, ut concinit Eccleſia in Legenda ipſius conformiter ad hoc, *Qui cùm adhuc in Gentilitatis errore verſaretur, eo die, quo Chriſtus Dominus Cruci affixus eſt, Solem præter naturam defeciſſe, animadvertens, exclamaſſe traditur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.* Interpres, cujus expoſitionem ipſe nobis providit, eſt Scriptura ſacra, quæ docet nos, quomodo divinam timere debeamus Juſtitiam, & hoc eſt, quod ait Evangelium noſtrum, *Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum.* Secundus modus, quo Deus nos alloquitur, eſt medio voce ſecretarum inſpirationum ſuarum, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* r. Et, ut ait Diony-

k Pſ. 18. 1.
l Rom. 1. 19. & 20.
m Luc. 23. 45.
n Eccleſia ex Malach. 4. 2.
o S. Dion. Epiſt. 7.
p ex Mat. 27. 45.
q ex Job 5. 9.
r Apoc. 3. 20.

Digitized by Google

f Dion. Carthuſ. art. 4. in Apoc. 3. 20.
t ex Jer. 23. 24.

Dionyſius Carthuſianus f, *Ecce ſto ad oſtium, id eſt, oſtio cordis, ſcilicet libero arbitrio, ſeu voluntati, aſſiſto ſeu præſens ſum, qui omnia impleo t, & nullibi deſum: & pulſo per ſacram Scripturam hortando, per Vicarios meos loquendo, per Angelicam inſpirationem, per motionem internam, quâ moveo mentem ad ſupernaturale bonum. His ſiquidem modis, Deus omnipotens cordis noſtri pulſat quotidie januam.* Ex iſtis modi ſunt manifeſti in Evangelio noſtro, ubi idem Carthuſianus u loquitur ſic de hoc ſecundo, *Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narraverunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Servi iſti intelligi poſſunt Angeli, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus* x, *quorum unus ait Joanni in Apocalypſi* y, *Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum. Hi tanquam diligentes cuſtodes conſiderant facta noſtra, & ſicut de noſtro profectu verè lætantur: ita de noſtris peccatis & afflictionibus metaphoricè contriſtari dicuntur, quia per modum dolentis ſe habent, dum diſplicet eis quod impiè agimus. Hi narrant Chriſto non quaſi ignoranti, ſed ut judicanti opera noſtra, verba, &c. Sicut Tobiæ Angelus loquitur, Ego obtuli orationem tuam Domino* z. *Secundò, Per conſervos intelligi poſſunt homines juſti, Prælati, ac judices zelo æquitatis ſuccenſi, qui videntes quomodo unus opprimat alium, coram Deo cor ſuum effundunt, & Divinam ultricem Juſtitiam invocant, non zelo vindictæ, ſed amore juſtitiæ.* Tamen eſt periculoſum ne decipiamur, niſi dirigamur à ſapiente interprete: *Et non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis* a. Et aliquando ita nobis inſpirat ut diſcernere nequeamus, utrùm natura, aut gratia loquatur in nobis, an Deus nos moveat, aut amor proprius. Interpres hoc in occurſu eſt Eccleſia ſancta, cui eſt data *diſcretio ſpirituum* b. *Sed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* c. Ego autem debeo ſemper ambigere de ſpiritu qui animat me, donec hujuſmodi conſuluerim interpretem. Tandem, Deus nos alloquitur in perſonâ Filij ſui, in quo non eſt aliquid, quod non habeat linguam ſpecialem ad nos edocendos intentiones & voluntates ſupremæ Majeſtatis, *Multifariàm multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* d. Et de hoc Filio loquitur nobis Evangelium noſtrum, & poſt illud Dionyſius Carthuſianus e, *Aſſimilatum eſt Regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Porrò juxta myſticum intellectum, Dominus iſte eſt Chriſtus Rex regum* f, *& Dominus univerſorum* g, *qui licèt in die judicij, vel in hora mortis, ac particularis judicij nullum peccatum relinquat inultum, nec tempus pœnitentiæ tribuat, tamen quotidie ponit rationem cum fidelibus per Vicarios ſuos Prælatos, per Scripturarum admonitiones, & per inſpirationes internas.* Ego verò addo, & per vulnera ſua, quæ ſunt tot ora quibus nobis prædicat; & per Sanguinem ſuum, qui eſt lingua, quâ ſine intermiſſione nobis clamat, & intimas uſque ad medullas perducit infame criminum noſtrorum improperium, cum præ noſtræ mentis oculis ponat S. Paulus h *Teſtamenti novi Mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel*, ne loquentem recuſemus, nobis conſulens; & aliquantò ante i dicens, *Irritam quis faciens legem Moyſi: ſine ullâ miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur* k: *quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hinc occaſionem arripio diſſerendi vobis de motivis timendæ juſtitiæ Dei exercitæ adverſus hunc ſervum ingratum, qui, ſpreto Filio Dei, qui ipſum Dei filium fecerat per gratiam, ab eodem damnatur.

u Dion. Carth. ſ art. 32. in Matt. 18. 31.
x ex Hebr. 1. 14.
y Apoc. 19. 10.
z Tob. 12. 12.
a 2. Cor. 11. 14.
b 1. Cor. 12. 10.
c 2. Petr. 1. 21.
d Hebr. 1. 1. & 2.
e Dion. Carthuſ. art. 32. in Matt. 18. 23.
f ex Apoc. 19. 16.
g ex Eſth. 13. 10.
h Hebr. 12. 24. & 25. ex Gen. 4. 10.
i Heb. 10. 28. & 29.
k ex Deut. 17. 6. & ex 19. 15.
Propoſitio.

Primum motivum, quod habemus formidandæ Divinæ Juſtitiæ, oritur è contemptu, quem ſervus hic ingratus fecit Divinitatis, Humanitatis, & actionum Jeſu Chriſti. Illi qui in conſiderando operum naturæ immorantur cortice, nec intuentur illa niſi in ſuperficie ipſorum exteriori, eorundem diſcernere non poſſunt excellentiam & meritum: ſed qui ſunt perſpicaciores, ibi detegunt arcana ſpecialia: ego verò tria obſervo quæ concurrunt ad productionem omnium entium, tam naturalium, quàm ſupernaturalium, nimirum cauſam finalem, cauſam efficientem, & cauſam exemplarem: ars autem, quæ eſt ſimia naturæ, nos iſtam ſenſibiliter edocet œconomiam. Ecce v. g. pictor, qui ſtatuit aliquam inhabitare civitatem; ſibi proponit egregiam aliquam imaginem pingere, quæ ipſi conciliet authoritatem, ipſumque exhibeat commendabilem: determinat ergo ſe ad exequendum conſilium ſuum particulare, nimirum faciendæ primò ſpecioſæ alicujus imaginis, deinde ideam illius efformat ſuper aliquod egregium prototypon, aut, ſi ingenij eſt acuti, ejuſdem tabellæ ideam in mente ſuâ concipit, tandem telam capeſſit, illam diſponit, eam tendit, & arrepto penicillo conatur exprimere fideliter, quantùm poteſt ipſi induſtria ſua ſuggerere, ideam quam de illâ efformavit: v. g. pingere vult imaginem Regis noſtri Chriſtianiſſimi, illius ideam, aut exemplar præ ſuis habet oculis, & ſi elaborat, ſuam inſumit operam intuitu prototypi quod proponit imitari. Ubi obſervabitis œconomiam admirabilem cauſæ finalis, quâ ſibi proponit; cauſa exemplaris ipſum adjuvat, ſubminiſtrans ipſi ideam: & cauſa efficiens illam exequitur, & perficit, & omni parte abſolvit: ſed ſtatim ac tabella conſummata eſt, cauſa exemplaris, quæ ſervivit loco ideæ, ſervit loco judicis intuitu ejuſdem operis: ſic pictor judicat de defectibus tabellæ ſuæ, proponendo ei exemplar, quod conatus eſt imitari. Granum projectum in terræ ſinum, nullum aliud intendit, etiamſi illud non cognoſcat, niſi ſe perpetuare, ſi non in individuo ſuo, ſaltem in ſpecie ſuâ; ecce cauſa finalis grani terræ viſceribus commiſſi: caulis, quem emittit, & quem ſic glorioſè elevat, eſt veluti cauſa efficiens, quæ exequitur intentum ipſius: ſed cauſa exemplaris eſt idem granum productum in eâdem ſpecie; & ordinariè judicatur de bonitate grani, opponendo illud ei grano, quod terræ mandatum eſt; & dicere ſoletis, quòd triticum quod collegiſtis, eſt æquè bonum, aut minùs bonum eo quod ſeviſtis: ubi videtis, quòd id quod ſervivit loco ideæ, aut cauſæ exemplaris in omnibus productionibus artis, quæ eſt ſimia naturæ, quòdque conatur illam imitari in cunctis operationibus ipſius, æquè ac ejuſdem naturæ, ſervit loco judicis intuitu eorundem operum. Atqui Deus qui eſt ſummus Arbiter cordium, & Author naturæ, hunc eundem obſervat procedendi modum in reparatione hominis, æquè ac in ejus creatione: primum conſilium ejus fuit faciendorum hominum, & hominum Chriſtianorum: *Verbum* l *æternum*, quod fuit prima idea, & exemplar generale omnium creaturarum, ſervit loco prototypi earum productioni: & idem *Verbum caro factum* m, *Verbum breviatum* n, ſemetipſum præbet prototypon conſummatum perfectionis, ut ſit regula infallibilis directionis illorum, *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis Sapientia à Deo* o, *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* p. Ipſum Deus conſtituit ideam prædeſtina-

l Joan. 1. 1. & 3.
m Joan. 1. 14.
n Rom. 9. 28. ex Iſai. 10. 22. & 23.
o 1. Cor. 1. 30.
p Rom. 8. 29.

ſtina-

ſtinationis hominum, quibus impoſuit obligationem imprimendæ ſibi & deferendæ ſuper ſe imaginis & ſimilitudinis ejus Divinæ: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus.* Divina Providentia conſilium format hominibus proficuum, ſumma Sapientia illud præparat, & infinita Poteſtas illud exequitur: atqui ſicut id quod ſervivit loco exemplaris in productione naturæ, & artis, illis ſervit etiam loco judicis: Jeſus Chriſtus qui fuit idea perfecta & vivum prototypon productionis & reparationis hominum, erit etiam jure meritiſſimo illorum Judex: Jeſus Chriſtus erit Judex omnium hominum, præſertim verò Chriſtianorum, quibus ipſe ſemetipſum præbuit ideam ſenſibilemq; omnium actionum in tempore, ſicut eſt illorum idea æterna in gloriâ: *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum* q. Et quia multò plura fecit pro illis, quàm pro alijs, quos non vocavit ad Chriſtianiſmum; ita juſtum eſt ut eos excipiat majori ſeveritate & rigore, quàm alios qui nunquam illuſtrati ſunt lumine fidei, ut patet in improperio quo iſte homo Rex invehitur in hunc ſervum ingratum Evangelij noſtri, qui ipſum contempſerat, *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.*

q Jer. 17. 10.

6. Joannes r loquens de rigore Divinæ Juſtitiæ, ait, *Libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.* Nimirum, quòd die judicij libri aperientur, ſicut & liber Agni, ſuper quem actiones judicabuntur; opponetur vita Jeſu Chriſti vitæ Chriſtianorum, & ſuper convenientiam aut diſconvenientiam quæ erit inter vitam ſuam & vitam Chriſtianorum, ipſe formaturus eſt judiciorum diverſitatem. Heu! Auditores, quænam convenientia vitæ Chriſtiani qui contempſit Chriſtum, cum vitâ ejuſdem Chriſti? quæ conformitas actionum illorum cum actionibus iſtius? Si verò ille, qui ſervivit loco prototypi nativitati noſtræ, & ideæ reparationi noſtræ, judicare nos debet per ſuæ ſanctæ vitæ oppoſitionem depravatæ vitæ noſtræ, heu quale judicium ſuſcipient improbi, qui ſpreto Jeſu Chriſto, vitam duxerunt oppoſitam vitæ Jeſu Chriſti! *Audite hoc Sacerdotes, & auſcultate domus Regis, quia judicium vobis eſt* ſ. Non eſt igitur mirum ſi formidare debeamus Divinam juſtitiam, cùm vita noſtra ſit injurioſa Jeſu Chriſto, & per nos ſanctum nomen Dei blaſphemetur ab infidelibus, ut improperatur nobis ab Apoſtolo t. *Nomen Dei per vos blaſphematur inter Gentes.* Et adverſarij noſtri, ait Salvianus u, loquens de vitâ diſſolutâ & effræni Chriſtianorum, capeſſunt occaſionem blaſphemandæ vitæ & ſanctitatis Jeſu Chriſti, *Sancta à Chriſtianis fierent, ſi ſancta Chriſtus docuiſſet. Quomodo enim bonus Magiſter eſt, cujus tam malos videmus eſſe diſcipulos? Vide Chriſtianos quid agant, & evidenter potes de ipſo ſcire quid doceat.* Quaſi dicerent: Si tam improba ſunt emanationes prototypi, cùm Chriſtiani debeant eſſe imagines exemplaris, quod eſt Jeſus Chriſtus, ſequitur quòd Jeſus Chriſtus ſuit improbus, cùm vita Chriſtianorum ſit vita divitionis, detractionis, impuritatis, & vindictæ, ut patet in hoc ſervo flagitioſo Evangelij noſtri, qui ſpreto Domino ſuo, contemptâ miſericordia ejus ſibi exhibitâ, ultionem præſumpſit expetere de conſervo ſuo, *Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens, Redde quod debes. Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abijt, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus.* Unde videtis quàm merito jure Divinam timere debeamus Juſtitiam.

r Apoc. 20. 12.
ſ Oſee 5. 1.
t Rom. 2. 24.
u Salvia. lib. 4. de Provid.

Omnes homines concupiſcunt aſſimilari Deo: Magnates adhibent omnes conatus ſuos ut concilient ſibi ſupremum dominium ejus, dicentes ſinguli cum primo Angelo Lucifero, *Similis ero Altiſſimo* x. Intuitus iſte tamen eſt illis funeſtus, ut innuunt verba immediatè pòſt ſequentia, *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Alij aſpirant ad immortalitatem ejus, ut Protoplaſtus noſter, *Nequaquam moriemini* y. Curioſitas inducit aliquos ad perſcrutanda ſecreta quæ ſumma Sapientia hominibus voluit eſſe abſcondita, *Eritis ſcientes bonum, & malum* z. *Sic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloriâ* a. Tandem, Omnes prætendunt ad fœlicitatem Dei, & vellent eſſe abſoluti in executione voluntatum ſuarum, *Eritis ſicut Dij* b. Sed hæc omnia deſideria non ſunt rectæ rationi conformia: quæritis, Auditores, id, quod non licet vobis poſſidere, & deſeritis id, quod imitari tenemini: non debetis aſpirare ad ſimilitudinem Dei, ſed ad ſimilitudinem Jeſu Chriſti, id eſt, humanitatis ejus: ipſa tamen eſt, quam maximè deſpicitis, nec niſi præ contemptu conſideratis actiones ejus, paupertatem c, humilitatem, & obedientiam d illius: poſt omnes iſtos contemptus creditiſne, quòd Rex noſter Evangelicus non iraſcatur adversùs vos, æquè ac contra iſtum ſervum nequam, & quòd non timere debeatis juſtitiam ejus?

x Iſai. 14. 14. & 15.
y Gen. 3. 4.
z Ibid. v. 5.
a Prov. 25. 27.
b Gen. 3. 5.
c Matth. 8. 20.
d Philip. 2. 7. & 8.

Jeſus Chriſtus præ ſe fert ſtatus differentes, & cùm Deus univit diverſas iſtas duas naturas, Divinam & humanam in perſonâ Salvatoris, oppoſuit veluti ſpeculum alteri ſpeculo, ut ſplendor unius extolleret claritatem alterius: ſic Deus naturæ humanæ infirmitates ſervire facit excellentiæ naturæ Divinæ, & ſuam extollit magnitudinem depreſſionibus ipſius. Sic cùm S. Philippo dixit *Jeſus, Philippe, qui videt me, videt & Patrem* e: voluit illum edocere, quòd non deberet ſiſtere in ſolâ conſideratione illius, quod ſenſibus ipſius eſſet pervium, ſed quòd ſuos ferre deberet obtutus in aliquid ſublimius & eminentius, & credere quòd ipſe eſſet Deus, ſicut Pater ſuus, cujus erat *imago inviſibilis* f. Et licèt Jeſus Chriſtus apparuerit in ſtatu abſolutè oppoſito magnitudinibus Dei, nihilominus præbuit demonſtrationes, quæ nos Divinas edocent magnitudines. Principalia attributa, quæ obſervamus in Chriſto, ſunt hæc, immortalitas g, immenſitas h, amor i, & juſtitia k: atqui Jeſus Chriſtus præ ſe fert ſtatus contrarios illis: defert enim ſtatum mortis, vitam ſuam ducit per tempus, concludit ſe in loco, evadit objectum odij & indignationis Judæorum, & procuratam ab eis ſibi mortem injuſtam perpetitur & flagitioſo Barabbæ poſtpoſitus, Crucique ignominioſè ſuffixus l. Attamen in iſtis omnibus ſtatibus obſervantur indicia magnitudinis & Divinitatis ejus.

e Jo. 14. 9.
f Coloſſ. 1. 15.
g 1. Tim. 6. 16.
h Baruch 3. 25.
i Pſ. 118. 68.
k Pſal. 7. 9.
l Matth. 27. &c.

 Teſtatus

Teſtatus eſt in morte ſuâ hoc magno clamore, quem emiſit *m*, quòd non moreretur præ infirmitate, & quòd violentia omnium malorum non potuiſſet ipſi vitam eripere, niſi ipſe voluiſſet, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* n. Sic proteſtatur Centurio, *Verè Filius Dei erat iſte* o. Eſt etiam ſignum immortalitatis ejus, imperium quod exercuit ipſe ſuper mortem intuitu illorum, quos ſuſcitavit *p*, & ſuiipſius, *Surrexit enim* q *propriâ poteſtate* r. Signa dedit etiam æternitatis ſ ſuæ: nunquam enim fuit obnoxius impreſſionibus temporis, nec ſuam menſuravit vitam niſi ad voluntatem Patris ſui, non autem ad curſus cœli, aut ad motus aſtrorum, *Nondum venit hora mea* t. Suam manifeſtat immenſitatem in Euchariſtiâ *u*, ubi per ſuam præſentiam corpoream eſt in pluribus hoſtiis, & in multis locis differentibus, & hâc immenſitate creatâ publicat ſe totius orbis, id eſt, cœli & terræ Dominum, cùm iſtam, æquè ac illud replent, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* x? Amor ejus apparuit præ ſplendore, cùm vacavit prædicationi *y*, ſanandis infirmis *z*, adjuvandis iis ipſis qui ipſum blaſphemabant *a*, ſed multò melius in inſtitutione Euchariſtiæ *b*, & in veniâ quam deprecatus eſt ſuis perſecutoribus à Patre ſuo impendendam *c*: & Sanguis quem effudit ſic ubertim pro inimicis ſuis, lingua fuit eloquens, quæ diſertè prædicavit amorem ipſius, & omnibus eſt hominibus proteſtata, quòd ipſius capacitas amandi, excedit capacitatem omnium mortalium. Jeſus Chriſtus igitur fuit theatrum mortis, temporis, loci, odij, & injuſtitiæ; ſplendere fecit inter maximas infirmitates ſuas radios immortalitatis ſuæ, æternitatis ſuæ, immenſitatis ſuæ, & amoris ſui: nondum teſtatus eſt juſtitiam ſuam; illam reſervat in diem formidabilem extremi judicij ſui explicare, cùm, juxta id quod ſuprà dixi, illud quod ſervivit loco ideæ alicui operi, ſerviat etiam eidem judicando. Si autem Salvator judicaturus eſt homines præ eodem rigore, quo ipſe fuit ab hominibus judicatus, ut ait S. Paulus, *In exemplum juſti judicij Dei* d *futuri in morte cujuslibet, vel in die noviſſimo*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *e*, qualia erunt ſupplicia, quæ Juſtitia Divina ipſi eam præparat hominibus, cùm ipſe ſic dirè fuerit exceptus? *Pater omne judicium dedit Filio, quia Filius hominis eſt* f. Ubi obſervate, quòd hæc admittitur differentia inter authoritatem Principis & authoritatem Judicis ſubalterni, quòd Judex ſubalternus tenetur judicare ſecundùm legem, nec à judicando ſecundùm illam poteſt ſeſe diſpenſare; Princeps autem moderari poteſt ſententiam latam adverſus reum, imò verò & illum abſolvere, ſi ipſi placet: atqui Jeſus Chriſtus diverſimodè vocatur in Scripturâ, modò *Filius Dei* g. Nunc autem *Filius hominis*. Prout Filius Dei, ipſe eſt Princeps ſupremus, & ut ſic hominibus indulgentiam poſſet concedere: non tamen quatenus Filius Dei, eſt homines judicaturus, ſed ſecundùm quòd Filius hominis, & ſub conditione hujuſmodi nemini parcet.

Peccator, Nonne habes unde jure merito timere debeas juſtitiam Dei? nunquid tremore non percelleris? Deus te judicabit, & eumdem obſervabit procedendi modum, quo tu fueris uſus adversùs ipſum: tu illum contempſiſti, ſprevisti omnes inſpirationes ejus, tranſgreſſus es illius mandata, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* h. Quid agetur de te, cùm ab eo aperientur *libri* vitæ tuæ, *& alius liber qui eſt vitæ* i ipſius, & opponet tibi vitam

m Matt. 27.46.
n Iſai. 53. 7.
o Matth. 27.54.
p Matth. 27.52.
q Matth. 28.6.
r Dion. Carthuſ. art. 41. in Matth. 28.6.
ſ Dan. 13. 42.
t Jo. 2. 4.
u Matth. 26.26.
x Jer. 23. 24.
y Matth. 4.17.
z Matth. 8.3. &c.
a Act. 9. 1. &c. & 1. Timoth. 1.12. &c.
b Matth. 26.26. &c.
c Luc. 23. 34.
d 2. Theſſ. 1. 5.
e Dion. Carthuſ. art. 1. in 2. Theſſ. 1. 5.
f Joan. 5. 22. & 27.
g Matth. 16.16.
h Prov. 1. 24. & 25.
i Apoc. 20. 12.

ſuam? Quam allegare tunc poteris excuſationem? Propria conſcientia tua te condemnabit, & quia convictus eris à temetipſo, & ab omnibus creaturis, & ab omni eo quod eſt in mundo venerabile & auguſtum, *Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narraverunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant*: Jeſus Chriſtus immittet ſuper caput tuum omne quod erit affligens, juxta menſuram ſuppliciorum quæ ipſe pro te pertulerit, & quæ tu contempſiſti; ſuper te maledictiones projiciet univerſas, *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia* k. Infliget tibi omnes pœnas, quibus anguntur dæmones & reprobi, *Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus*. Tunc miſer ad quem recurres? videbis enim totam naturam adversùs te irritatam, *Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* l. Invocabis Jeſum Chriſtum ut Patrem: ſed tunc ipſe amiſerit omnes affectus bonitatis, quos tu deſpexeris, *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non invenient me: eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieverint conſilio meo, & detraxerint univerſæ correptioni meæ* m. Ille homo dives, *ſepultus in inferno, clamans, dixit; Pater Abraham miſerere mei* o. Id eſt, invocabat Deum ſub nomine Patris. Sed reſpondet illi S. Chryſologus *p*, quòd inconcinnè Patrem vocet eum, quem ipſe contempſerit, quique non habeat ampliùs affectus, niſi Judicis irati, *Infelix, cui in judicio pro magnitudine criminis non miſereri Genitor, non Pater ignoſcere, non affectio potuit ſubvenire*. Perhibetur Lucius Brutus ad mortem damnaſſe filios ſuos, eò quòd faviſſent aliquibus hoſtibus Status Politici, & licèt enixè rogaretur ab omnibus propinquis & amicis ſuis lacrymantibus ut cor ipſius afficerent commiſeratione, reſpondit eis, quòd oportebat ut ipſe eſſet Pater, ſed quòd ipſos non latebat, quòd ipſe eſſet Conſul, & ideò quòd ſuis parcere non poſſet filijs, quin maximam Statui ſeu Reipublicæ inferret injuriam, *Exuit Patrem, ut Conſulem ageret*. Eodem ſe geret Jeſus Chriſtus modo: deſeret enim omnes affectus Patris amantis, ut ſeveri Judicis exequatur officium.

Secundum motivum quod habemus timendæ Juſtitiæ Divinæ, eſt qualitas filij Dei adoptivi quam ſuſceperat hic ſervus improbus à Jeſu Chriſto, qui dimittens ei debitum, & largiens illi gratiam ſuam, conſtituerat illum filium Dei, ſicut ipſe illi exprobrat ob ingratitudinem ipſius, *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi. Id eſt, omnia* [illegible] *tua*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *q*. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* r. *Hoc eſt, idoneitatem, ſeu gratiam efficacem, per quam ſint filij Dei adoptivi*, addit idem Carthuſianus ſ. Timor igitur quem concipere debemus juſtitiæ Dei, innititur his verbis, *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi. Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus*. Quia cùm ſe indignum reddiderit abutendo hâc eximiâ qualitate filij Dei adoptivi, æquum eſt ut id quod ipſi gloriam afferebat, nunc ſit motivum extremæ deſperationis ipſius: cùm enim non ſit aliquid, quod majorem gloriam conferat hic hominibus, quàm qualitas filiorum adoptivorum Dei; ita nec aliquid majus infliget eis tormentum in alterâ vitâ, quàm hæc eadem qualitas. Maximus pudor, quo ſuffundi poterit

k Prov. 1. 26. & 27.
l Sap. 5. 18. & 21.
m Prov. 1. 28. &c.
o Luc. 16. 19. &c.
p S. Chryſol. Serm. 122.
q [illegible]
r [illegible]
ſ [illegible] Carthuſ. art. 32. in Matth. 18. 32.
[illegible] Jo. 1. 12.
ſ Dion. Carthuſ. art. 4. in Jo. 1. 12.

filius

filius Regis, qui jure natalium ſceptrum gerere
debebat, & diademati paterno legitimè ſucceſſu-
rus erat, eſſet videre ſe exhæredatum à patre ſuo,
& concluſum in triremibus ejus, ut ibi remos age-
ret more captivi. Hæc conſideratio quòd ſit fi-
lius Regis, eſſet graviſſimum tormentorum ipſius,
& memorando quòd ſi ſapienter ſe geſſiſſet, ipſe
captivos libertate donaſſet; hæc cogitatio red-
dit omnes potentias ipſius captivas ſupplicij con-
tinui, quod ſuſtinetur in hoc inferno mundi iſtius:
ſic qualitas filiorum Dei, quam reprobi poſſident,
non ratione prædeſtinationis, ait Dionyſius Carthu-
s Idem Ibid. ſianus s, *ſed creationis, & temporalis electionis, atq;*
vocationis, de quibus ait per Iſaiam tt, *Filios enutrivi,*
tt Iſai. 1. 2. *& exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me*: & intuitu re-
demptionis, *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per*
x Rom. 3. 24. *redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu* x: & quam Je-
ſus Chriſtus illis improperat, eſt maximus dolo-
rum ipſorum, & probroſiſſima qualitatum ipſo-
rum, cùm eâ ſic puſillanimiter fuerint abuſi.

Cùm memini quòd Angeli rebelles, nobiliſſimi
præ omnibus creaturis propter unicam culpam *ad*
y Iſai 14. 15. &c. *infernum, in profundum laci* y detracti ſunt; quòd
propter peccatum inobedientiæ z, Deus deſtituit
z Gen. 3. 6. &c. Protoplaſtum, & omnes poſteros ejus, *in quo om-*
a Rom. 5. 12. *nes peccaverunt* a, gratiis inſignibus, quas illi tri-
buerat; cùm præ meæ menis oculis ponitur *dilu-*
c Gen. 7. 17. &c. *vium* c generale totius orbis; quòd *Dominus pluit*
ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à
d Gen. 19. 24. &c. *Domino de cælo* d; quòd *aperiens terra os ſuum devo-*
e Num. 26. 10. &c. *ravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit*
ignis ducentos quinquaginta viros e; quòd inſumpſit
flagella belli *f*, peſtis g, & famis *h* Deus; & om-
f 2. Reg. 15. 10. &c. nia armavit elementa *i* ad ulciſcendum ſe de pec-
g 2. Reg. 24. 15. catoribus; quòd aufert talenta *k* ijs, qui illa non
h Deut. 28. 30. ritè inſumpſerunt; quòd januam claudit *l* virgini-
bus, quæ cum omni merito, quod præ ſe ferre vi-
i Exod. 14. 27. debantur, deficiebant diligentiâ; & quòd hodier-
k Luc. 19. 22. &c. nâ die damnat ad pœnas æternas ſervum ingra-
tum, qui noluit ſui *miſereri conſervi, ſicut & miſertus*
l Matth. 25. 10. &c. ipſius, Dominus fuerat; *Et iratus Dominus ejus, tra-*
didit eum tortoribus: dico poſt iſta omnia, quòd
qualitas filiorum Dei, quam Angeli rebelles, & re-
probi deſerunt, eſt maximum motivum rigoris
juſtitiæ Dei, probroſiſſimum & graviſſimum da-
mnatorum tormentum, & eſt maxima ratio pro-
pter quam formidare debemus eandem juſtitiam.
m Matth. 6. 9. Offendere Deum qui eſt *Pater noſter* m: recedere
per peccatum *à Jeſu Chriſto, qui eſt Teſtis fidelis, Pri-*
mogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui
dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine
n Apoc. 1. 5. *ſuo* n: iſtud eſt quod mentes noſtras timore, ac
tremore percellere debet incredibili.

Validis ducitur pater affectibus naturalibus er-
ga commoda ſuis liberis procuranda; omnes la-
bores ejus non tendunt niſi ad accumulandas eis
divitias, & alias fortunæ facultates: ſed ſi illi tot
beneficiorum immemores ſeſe exhibeant, ipſe eos
derelinquit, & leges permittunt ei, ut illos exhære-
datione puniat: ſic Deus ita bonus eſt ut vellet ſa-
o 1. Tim. 2. 4. lutem omnium, *Omnes homines vult ſalvos fieri* o.
Et Jeſus Chriſtus omnes ſuos labores ad hunc effe-
ctum eminentem retulit: ſed ſi illi abutantur li-
bertate ſua, æquè ac gratijs ipſius, ſi diligant id
quod ipſe ipſis prohibet, ſi carpant conſuetudines
directè perfectionibus ipſius oppoſitas, ſi violent
leges ipſius, ſi morem ipſi gerere renuant, ſi ipſius
præcepta tranſgrediantur, ſi ipſius altaria profa-
nent, & ſi myſterijs ipſius illudant; nonne æqui-
tati conſonum eſt, ut juſtitia ipſius arma capeſ-
ſat, & æternâ privet illos hæreditate? Et ſi hodi-
ernâ die huic ſervo ingrato *Dominus ait, Serve ne-*
quam, omne debitum dimiſi tibi, ideò ut hôc illum
pudore offundat, quòd cùm poſſidere Regnum
æternum poſſet prout filius, ab eo omnino deſti-
tuitur; & quòd cùm poſſet conciliare ſibi gloriam
cœli ut propriam hæreditatem *p*, innitetur ſe de- p Rom. 8. 17.
trudi in ſupplicia æterna, *Et iratus Dominus ejus tra-*
didit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum
debitum. Id eſt, in æternum: quoniam in inferno exi-
ſtentes nunquam ſalubriter pœnitent, unde nec debitum
ſolvunt ſatisfaciendo pro culpis q. Omnes nos, Au- q Dion. Carthuſ. art. 12. in Matth. 18. 24.
ditores, ſumus filij Dei, ipſe nos omnes genuit cœ-
lo, concepit nos denuò morte ſuâ, adoptavit nos
ut ſuos renatos *ex aquâ & Spiritu ſancto* r in Baptiſ-
mo, caveamus ne captivi evadamus inſtar infœlicis r Jo. 3. 5.
iſtius ſervi, & ne ſuper nos attrahamus iram Patris
noſtri cœleſtis qui deſerit iſtum ſervum ingratum,
& flammis addicit illum æternis.

Et hoc eſt tertium motivum, quod inducere
nos debet ad timendam juſtitiam Dei. Ille qui
æternam incurrit damnationem, tormenta ſuſtinet
abſque ullâ intermiſſione, moritur & vivit ſimul,
debilitates ſuſtinet per tormenta quæ illas repa-
rant, ut reddant eum novorum capacem ſuſtinen-
dorum dolorum, qui finientes omnes fœlicitates,
nullum finem impônunt infortunijs. Hæc æter-
nitas tormentorum non ſolùm timore, ſed & ter-
rore ac horrore percellit, & de illâ nunquam co-
gito, quin totus inhorreſcam. Si autem ſcire ve-
litis rationem æternitatis tormentorum reprobo-
rum, dicam vobis, quòd pœna debet correſpon-
dere crimini; Quòd, cùm crimen ſit indelebile, in
alterâ vitâ ubi nullus datur acquirendi meriti lo-
cus, pœna ſemper eſt duratura; & quòd, cùm
crimen tandiu ſit duraturũ, quandiu animæ, cùm
animæ ſint immortales, crimen nunquam morie-
tur, & pœna erit indeſinens, *Pro menſurâ peccati*
erit & plagarum modus ſ. *Diſcedite à me maledicti* ſ Deut. 25. 2.
in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis
ejus t, inquiet *ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Judex vi-* t Matth. 25. 41.
vorum & mortuorum u. Juſtiſſimum areſtum, u Act. 10. 42.
quod pronunciabitur ab ipſâ Juſtitiâ, ſed horribi-
liſſimum, comparatione cujus omnia tormenta
hujus mundi ſunt velut umbræ: & ratio hæc illius
eſt: Infortunia hujus vitæ brevia ſunt, ſi verò ſunt
violenta, ſaltem terminantur ad tumulum, & vir-
tus ea poteſt in occaſiones gloriæ convertere,
Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-
num x. Sed infœlicitas damnatorum durabit in x Rom. 8. 28.
æternum, & in hoc ſtatu lamentabili in æternum
avertentur à Deo, *Si ceciderit lignum ad Auſtrum,*
aut ad Aquilonem, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit y. y Eccl. 11. 3.
Hæc cogitatio, Auditores, nunquid non vobis fre-
mitum incutit, cùm *iniquitates veſtræ, quæ diviſerunt*
inter vos & Deum veſtrum z, in æternum vos ſint z Iſai. 59. 2.
ab eodem Deo veſtro ſeparaturæ, & flammis æ-
ternis vos addicturæ, nedum permittant vos un-
quam Divinæ inebriandos *ab ubertate domus, &*
torrente voluptatis a ejus potandos, niſi in bonam a Pſ. 35. 9.
emendatæ vitæ frugem per pœnitentiam vos re-
ceperitis? Si autem juſtitia Dei timore non per-
cellat vos, ſi memoria illius intra terminos ratio-
nabilis obſequij non coërceat vos, cùm iſtud ſit
proprium timoris officium, *Per timorem Domini*
declinat omnis à malo b: Heu! intueor vos carpere b Prov. 15. 27.
viam præcipitij, & iter inferni: ſi enim *Deus proprio*
Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradi-
dit illum c, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt* c Rom. 8. 32.
dolus in ore ejus d, eò quòd apparuerit duntaxat ut d 1. Petr. 2. 22. Iſai. 53. 9.
peccator, *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem*
carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in
carne e,

e Rom. 8. 3. *carne* e, ita ut dicat ipſi Filius iſte, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* f? quid reſervant nobis
f Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2. niſi infinitas ſuppliciorum, & derelicto Dei, ſi *in peccato* g noſtro moriamur, ſicut ſervus iſte ingra-
g Joan. 8. 21. tus, quem *iratus Dominus ejus tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum* ? nedum qualitas filiorum Dei, quam poſſidemus per creationem, per recreationem, *Omne debitum dimiſi tibi*; redemptorum *pretioſo Sanguine quaſi Agni imma-*
h 1 Petr. 1. 19. & 19. *culati Chriſti & incontaminati* h, & ablutorum, ſanctificatorum, & juſtificatorum equidem *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei no-*
i 1. Cor. 6. 11. *ſtri* i, ſerviat nobis, niſi ad majorem damnationem, cùm qualitas Filij naturalis Jeſum Chriſtum non exemerit ab interitu. Non blandiamur nobis ex eo quòd *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu*
k 2. Cor. 1. 3. *Chriſti, Pater miſericordiarum* k eſt, ſed cum *metu &*
l Philipp. 2. 12. *tremore ſalutem* l noſtram operemur, verùm ne nobis accidat id, quod contigit huic infœlici; ideò
m Pſ. 77. 11. que noſtras lavemus *manus in ſanguine peccatorum* iſtius. Solum remedium hujus timoris, eſt ut eo configamur intimè, juxta conſilium Pſalmiſtæ n,
n Pſ. 118. 120 & 121. *Confige timore tuo carnes meas: à judicijs enim tuis timui: feci judicium & juſtitiam*: & ſecundùm præfatum Apoſtoli monitum, ut elaboremus opus ſalutis noſtræ præ timore non vulgari. Febricitantes & inſerni qui quotidie tremunt, præ ſe ferunt ſpem recuperandæ ſanitatis; ſic timor Dei ſanat nos à pœnis inferni, timor iſte eſt quædam ſpecies chryſis, quæ mala noſtra curat medijs convulſionibus, & cùm tremore concutimur ac horrore antequàm peccatum perpetremus, iſtud eſt ſignum ſanitatis noſtræ ſpiritualis: & ſicut cùm *Jeſus infremuit ſpi-*
o Joan. 11. 33. &c. *ritu* o, ſuſcitavit Lazarum; ita accedimus ad reſurrectionem noſtram ſpiritualem, cùm fremimus iſte timoris Dei comitatur omnes actiones noſtras:
p S. Aug. in Pſal. 149. 0. nam, ut ait, S. Auguſtinus p, *Niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. Initium*
q Pſal. 110. 10. *ſapientiæ timor Domini* q. Habeamus igitur, Auditores, timorem Domini præ oculis noſtris in hoc mundo, ut poſſidere poſſimus illum in altero.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo, Matth. 22. 21. &c.

QUàm criminoſus eſt impius in cogitationibus ſuis, & quàm malitioſus æquè ac temerarius in conſilijs ſuis! inſurgit in cœlum, & laqueos ipſimet Deo parat. En hodiernâ die caterva Phariſæorum malitioſè conſpirantium ſimul cum ſervis Herodis, ad capiendum Dei Filium, qui
a Joan. 14. 6. eſt ipſamet *Veritas* a, in reſponſis ipſius: & non invenientes quid reprehenderent in ſanctitate vitæ ejus, eò quòd eſſet publica, & ſolemniter habita ut innocens, vel ex ipſâ confeſſione inimicorum ip-
b Joan. 7. 12. ſius, *Quidam enim dicebant, Quia bonus eſt* b, parant ei inſidias, ut capiant eum in ſermonibus ipſius: *Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt ut caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes, Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non?* Sed quid poſſunt tenebræ tenebræ terræ contra lumen
c 1 Joan. 1. 5. cœli? *Quoniam Deus lux eſt* c. Quid poteſt infir-
d Pſal. 64. 7. mitas contra potentiam? Deus eſt *accinctus potentia*. Quid poſſunt Pygmæi contra gigantes? *Exul-*
e Pſal. 18. 6. *tavit ut gigas* e? Quid poſſunt tempeſtates contra rupes inconcuſſas maris? *Petra autem erat Chri-*
f 1. Cor. 10. 4. *ſtus* f. Sed quid poteſt ſapientia hominum adver-
g Prov. 21. 30. ſus ſapientiam Dei? *Non eſt ſapientia, non eſt conſilium contra Dominum* g. *Qui apprehendit ſapientes*
h Job 5. 13. *in aſtutiâ eorum, & conſilium pravorum diſſipat* h. Qui incidunt probroſè *in foveam quam* i fecerunt.
i Pſal. 7. 16. Audiemus reſponſum illius: ſed priùs exhibeamus reverentias noſtras B. Virgini Mariæ, quæ reſpondit humiliter, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſe-*
k Luc. 1. 38. *cundùm verbum tuum* k, Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria*.

Obſervantur homines ebrij eſſe ordinariè læti, & in gaudijs ſuis flere, audientes aliquam jucundam harmoniam: Ratio iſtorum diverſorum effectuum eſt, quòd vapores vini elevati in cerebrũ, attrahunt ſecum materiam melancholicam, & ſic homines iſti ſublevati & exempti ab illo quod ipſos reddebat triſtes, lætantur, & ſi tunc audiant aliquem ſuavem concentum, gaudio ipſorum ſe roborante, in lacrymas erumpunt præ exceſſu lætitiæ: idem quod contingit hominibus ebrijs vino, advenit hominibus ſanctis inebriatis charitate, qui flent & ſuſpirant quandiu canuntur auribus ipſorum verba adulationis: homo quippe ſapiens, interiùs affligitur cùm palàm laudibus effertur: & perſæpè illi qui nos laudant verbis, nobis adulantur, & decipiunt nos verbis ſuis adulatorijs, ſicut accidit aliàs Regi Achab qui occiſus fuit in præ-
l 3 Reg. 22. 34. &c. lio l, eò quòd credidiſſet ſermonibus adulatorijs falſorum Prophetarum contra veritatem ſibi annunciatam à Michæa. Proptereà dixit Salomon m,
m Prov. 27. 6. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſian. n,
n Dion. Carthuſ. art. 29. in Prov. 27. 6. *Meliora ſunt vulnera diligentis, id eſt, verbera & læſiones inflicta dilecto à ſpiritualiter diligente, Deo, aut Angelo ſuo, vel homine bono, cùm ſint quædam remedia contra peccata præterita, & medicamenta peccati præteriti, vel præſentis, quàm fraudulenta odientis oſcula, quæ non proſunt, ſed fallunt. Hinc loquitur Auguſtinus, Magis amat objurgator caſtigans & ſanans, quàm adulator diſſimulans.* Veritatis iſtius probationes habemus ſcriptis exaratas in Evangelio hodierno, ubi Judæi ſuavitate verborum ſuorum decipere volunt Filium Dei, *Molliti ſunt ſermones ejus*
o Pſ. 54. 22. *ſuper oleum: & ipſi ſunt jacula*, dicit Pſalmiſta o. Et
p S. Baſil. in Pſ. 54. 22. poſt eum S. Baſilius p ad propoſitum noſtrum, *Molliti ſunt ſermones eorum. Tales erant & Saulis, & Judæ ſermones. Saül enim ad Davidem dixit: Tune*
q ex 1. Reg. 24. 17. *es, fili David* q? *Judas verò, Numquid ego ſum, inquit,*
r ex Mat. 26. 25. *Rabbi* r? *Et oſculatus eſt eum* ſ. *Verba quidem hæc levi oleo ac butyro: cogitationes verò haſtis & jaculis acutiſſ*
ſ Matth. 26. 49. *ſimis erant ſimilia. Aquila enim pro jaculis haſtas reddidit.* Et ideò Dei Filius repellit illos dicentes, *Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non?* Si enim diceret quòd non, accuſarent eum coram Cæſare, quaſi prohibentem ne tributa ſolverentur ei, cujus juris cuſtodiendi zelo maximè ducuntur Principes: ſi verò diceret quòd ſic, facerent illum incurrere inimicitiam populi, qui ita difficilè ſolvit tributa. *Cognitâ autem Jeſus nequitiâ eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jeſus, Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris.*

Tunc ait illis, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Ex hoc reſponſo Filii Dei, quòd numiſma quod ferebat impreſſam Principis
t Gen. 9. 6
imaginem, debebat ei reddi ut res ſua, infero quòd anima noſtra inſignita imagine Divinitatis t, debet ei reddi ſicut res ſua. Et hoc eſt quod intendo probare vobis in duabus conſiderationibus. In
Diviſio.
prima oſtendam vobis, quomodo anima noſtra defert imaginem Dei: ut inde concludam in ſecunda, quòd debet ei reddi ut res ſua.

I. Pars.

Docent Theologi quòd imago Dei eſt in homine: nam ſummus Opifex iſte loquens de formatione ejus, ſive quòd prævideret incarnationem Verbi ſui divini, & cauſam hujus ineffabilis myſterii, & quòd in forma & figura hominis eſſet mundum reparaturus, ſive quòd haberet alia motiva, quorum notitiam non habemus, ait, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* u.
u Gen. 1. 26
Quaſi diceret, Faciamus hominem talem quales nos ſumus, ſicut natura noſtra ſit prototypon ad cujus ſimilitudinem homo producatur. Vel, Faciamus hominem ita ſimilem nobis, ut ſit velut imago noſtra, repræſentans naturam noſtram, potentiam noſtram, & cætera attributa noſtra ſuper terrâ. Imago, & ſimilitudo debent attendi ſecundùm animam, & non ſecundùm corpus: cùm enim Deus
x Jo. 4. 24
non ſit corpus, Spiritus eſt, *Spiritus eſt Deus* x. Et ideò aſſimilamur ei aliquo modo, & ſumus ad illius imaginem ſecundùm Spiritum: *Cùm primùm*
y S. Baſil. hom. 10. Hexam.
condebamur, ait S. Baſilius y, *inditum hoc nobis eſt, quòd ad imaginem Dei facti ſumus: ex propoſito verò nobis acquiritur, ut ſimiles Deo reddamur. Id verò ſecundùm propoſitum, potentialiter nobis ineſt, effectualiter verò nosipſos impellimus. Niſi præveniens dixiſſet qui fecit nos Dominus, Faciamus, & ad ſimilitudinem noſtram; niſi ad hoc ut ad ſimilitudinem Dei fieremus, potentiam nobis largitus eſſet, ex noſtra utique poteſtate ſimilitudinem Dei non eſſemus adepti. Nunc autem conceſſâ facultate ſimiles nos Deo fecit: facultatem verò cùm dedit ad hoc, ut Deo ſimiles evadamus, permiſit nos ſimilitudinis hujus ad Deum operarios eſſe, ut ſit quâ provocemur operis merces, nec ſimus inſtar imaginum quas pictores fingunt & inanes ſtatuunt, neque laudem eam, quæ noſtra eſt ſimilitudinis, alii auferant. Si quando enim imaginem aliquam ad prototypon diligenter effictam vides, non imaginem laudas, ſed pictorem extollis. Ut itaque meum ſit hoc præconium, non alienum, hoc mihi reliquit ut ſimilis Deo evadam. Ad imaginem Dei factum ex eo habeo, quòd ratione præditus ſum: ſimilem verò Deo fieri, ex eo, quòd Chriſtianus ſum. Siitis perfecti,*
z ex Matt. 5. 48
inquit, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt z. *Vides in quo ſit, quòd Dominus ad imaginem Dei formari dedit? Quoniam Solem ſuum producit ſuper malos*
a ex Matt. 5. 45
& bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos a. *Itaque illud, Ad imaginem Dei, ex eo quòd ratione donatus es, habet: ad ſimilitudinem verò Dei formaberis, ſi bonitatis affectum indueris.*

Sed obſervate, quòd per hæc verba, *Ad imaginem*, dicere voluerunt aliqui quòd ſolus Filius divinus eſſet imago Divinitatis, ſic vocatus à S. Paulo b, *Qui eſt imago Dei inviſibilis.* Et quòd nos eſſemus ſolùm facti ad ſimilitudinem iſtius imaginis
b Colo. 1. 15
Filii Dei, cùm hæc præpoſitio, *ad*, *Ad imaginem*, ſignificet aliquid relativum minùs perfecti ad perfectius, cùm ad hoc ut aliquid ſit vera imago Dei, debeat habere eandem naturam Dei: cùm ergo homo non habeat eandem naturam Dei, ſolùm factus eſt ad imaginem illius: *Ad imaginem quippe*
c Gen. 9. 6
Dei factus eſt homo c. Unde dicunt Theologi, quòd eſt imago in recto in Chriſto, in homine in obliquo. Quia Filius divinus habet eandem cum Patre ſuo naturam, ſicut ipſemet ait, *Ego & Pater unum ſumus* d. Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum †,
d Jo. 10. 30
† Dion. Carth. art. 27. in Jo. 10. 30
Ego, ſecundùm naturam Verbi, & Pater unũ ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo unũ, notatur eſſentiæ unitas individualis, nõ generica ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionẽ perſonæ. Sed in homine imago ejus eſt ſolùm, ſicut imago Principis eſt in numiſmate. *Nota, imaginem hic ſumi pro exemplari. Quaſi diceret, Faciamus hominem ad exẽplar noſtrum, ut quaſi imago nos, quaſi ſuum exẽplar referat ac repræſentet. Imago hæc non eſt Verbum divinum, ſive Filius, qui eſt imago Patris, uti aliqui apud Lipomanum explicant, ſed eſt ipſa Eſſentia divina, ipſeq; Deus unus & trinus: ad hujus enim imaginem conditus eſt homo* ait Cornelius e. Anima igitur
e Cornel. in Gen. 1. 26
eſt aliquo modo ſimilis Deo. Nam ſicut Deus eſt immortalis, *Regi ſeculorum immortali, ſoli Deo honor & gloria* f, ſic anima eſt immortalis. Quemadmodum Deus totum replet orbem, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* g? ita anima replet totum corpus. Non ſecus ac Deus præeſt
f 1. Tim. 1. 17
g Jer. 23. 24
univerſo, ſicut *Mardochæus deprecatus Dominũ, memor omnium operum ejus, dixit, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita: & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati* h: eodem modo anima
h Eſth. 13. 8. & 9
præſidet huic microcoſmo. Sicut Deus excellit omnibus rebus, & habet dominium ſuper illas, quẽadmodum ait illi idem Mardochæus, *Dominus omnium es tu* i: ſic homo eſt excellentia mundi, miraculũ naturæ, perfectio univerſi, & imperat ut Dominus univerſis rebus, ſicut ait David k, Deum alloquens, *Domine, conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi Volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Sicut diverſimodè Deus operatur in diverſis creaturis,
i Eſth. 13. 11
k Pſ. 8. 2. &c. ex Gẽ. 1. 28
Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ ait S. Paulus l: & poſt eum Dionyſius Carthuſianus m, *Qui omnia operatur per ſeipſum, vel cauſas ſecundas, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, hoc eſt, ſecundùm certiſſimam rationẽ ſuæ voluntati conſonam atq; placentem: nil enim operatur ad extrà de neceſſitate, aut caſu, ſed ſapienter ac liberè univerſa producit, juxta illud, Omnia in ſapientia feciſti* n: *&, Omnia quæcunque voluit Dominus fecit* o: ſic anima
l Epheſ. 1. 11
m Dion. Carth. art. 1. in 1. p. c. 6. 11
n Pſ. 103. 24
o Pſ. 134. 6
vivificans corpus, diverſimodè operatur in diverſis partibus, videt in oculo, &c. Sicut Deus eſt unus in eſſentia, & trinus in perſonis, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* p: ita anima eſt una, &
p 1. Jo. 5.
habet tres potentias: memoriam, mentem & volũtatem. Præterea, Ipſa ſimilis eſt aliquo modo Deo, quia ipſa cognoſcit ſeipſam, & ſe cognoſcens producit in corde ſuo verbum intelligibile quod ipſam exprimit, & inde exit amor ipſius, quod mirabiliter repræſentat duas proceſſiones æternas Divinitatis. Unam Filii per modum Verbi intelligibilis, ſicut ipſemet Filius ait, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* q. Alteram Spiritus
q Pſ. 2. 7
ſancti in modum Amoris, quemadmodum dicit idem Filius incarnatus, diſcipulos ſuos alloquens, *Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* †.
† Jo. 15. 26
Cùm id omne quòd reperitur in Deo, reperiatur in homine, & ex homine in anima. Inſuper, Ipſa eſt imago Dei, quia eſt ſpiritualis, ſicut *Spiritus eſt Deus* r, *id eſt, ſpiritualis* ſ. Et quoniam habet libe-
r Jo. 4. 24
ſ Dion. Carth. art. 11. in Jo. 4. 24

rum arbitrium, & potentiam ſuiipſius, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui* t: Quemadmodum *omnia quæcunque voluit Dominus fecit* u. Et ſicut in Deo res omnes ſunt eminenter & cauſaliter, *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia* x: ſic & ſunt aliquo modo in homine per participationem: *Habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis* ait ſanctus Gregorius y. Propter quod dixerunt antiqui Philoſophi, quòd anima noſtra eſſet quodammodo omnia, *Homo intelligendo fit quodãmodo omnia.* Sive quia per intellectum capax eſt cognoſcendarum omnium rerum, ſive quoniam in ambitu naturæ ipſius comprehenduntur aut virtualiter aut formaliter omnes res. Tandem, Homo ſic perfectè eſt ad imaginem Dei, ut ad ſolum ipſius intuitum ſtatim agnoſcatur Deus, qui eſt ipſius prototypon: & licèt omnes creaturæ nos ferant ad imaginem Dei; contemplatio tamen hominis formati ad ideam eſſentiæ illius, nobis multò melius abſque illa comparatione illum exhibet cognoſcendum: & ideò Deus, ut opinor, volens notitiam ſuî præbere mundo, ferè ſemper apparuit ſub forma hominis, *Vidi ſimilem filio hominis, veſtitum podêre, & præcinctũ ad mamillas zonâ aureâ* z. Et aliquando dixit S. Philippo, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem* a. Tam prout Deus, quàm prout homo repræſento Patrem meum: & cùm ego videor, ille videri poteſt: nam prout Deus, & prout homo, defert imaginem ejus. Et in hoc homo differt à reliquis creaturis materialibus, quòd ipſe eſt imago Dei, creaturæ verò *non* ſunt niſi velut illius veſtigium, cum hac differentia, quòd imago repræſentat ſecundùm ſimilitudinem naturæ, veſtigium verò ſicut effectus cauſam ſuam: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*, ait ſanctus Paulus b. Et Cornelius c. *In cæteris creaturis non eſt imago, ſed quoddam quaſi veſtigium Dei, Deum repræſentans, ſicut effectus ſuam cauſam repræſentat. Conſiderantienim earum naturam, actionem, diſpoſitionem, determinationem, & mirabilem omnium inter ſe conſociationem & ordinem patet, eas divinâ ratione & ſapientiâ conditas eſſe, & conſervari.*

t Eccli. 15.14
u Pſ. 134.6
x Rom. 11.36
y S. Greg. hom. 29. in Evang.
z Apoc. 1.13
a Jo 14.9
b Rom. 1.20
c Cornel. in Gen. 1.26

Quàm ingens excellentia animæ, quàm ſublimis ejus dignitas, ut ſit imago Dei! Sicut enim in creaturis non eſt aliquid Deo propinquius imagine ſitâ, quàm ſit homo: ſic Deus eum decorare voluit iſtâ prærogativâ. Et iſtud eſt ratio propter quam Deus ita vehementer animam diligit: nam ſicut diligimus imagines, quæ nos repræſentant, & mulieres non ita diu manerent præ ſpeculis ad ſe contemplandas ibi, niſi ipſæ ſibi complacerent in imagine ſua: ſic Deus diligit animam, quæ eſt ipſius imago: & hæc eſt cauſa amoris ipſius: *Similitudo eſt cauſa amoris.* Pater diligit omnes filios ſuos, ſed præ omnibus eum qui ipſi ſimillimus eſt: eodem modo loquendum eſt de Deo, cui dicit Salomon d, *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Deus, prout cauſa, diligit omnes effectus, ſed ſpecialiter hominem, qui eſt imago ſua, cùm fecerit illum ad ſimilitudinem ſuam, quod extollit illum ſuper omnia: & id omne quod corpus habet, ipſum tenet ab anima, fortitudinem ſuam, pulchritudinem ſuam, motum ſuum, &c. Quòd res ita ſe habeat, evidens eſt, quia animâ à corpore diſſolutâ, corpus eſt totum deforme, ſine vita, & abſque motu, cùm mors non ſit niſi receſſus animæ à corpore. Hæc dignitate antecellit univerſas creaturas ſublunares, unde ſequitur quòd unica anima pretioſior eſt omnibus imperiis mundi, omni argento & auro, & univerſis lapidibus pretioſis: & ſi poſſibile eſſet ut infiniti mundi fierent, unica anima pretioſior eſſet illis omnibus: quod patet ex eo quod ait nobis Apoſtolus e, *Empti eſtis pretio magno.* Quòd nimirum empta eſt ipſa pretio infinito: atqui è pretio pervenitur ad notitiam valoris rei emptæ; nec aliquid eſt pretioſius ſanguine Jeſu Chriſti, cùm pretium illius ſit infinitum, ſicut ipſe *non habet finem* f: Deus autem tanti æſtimavit animam, ut illum totum effuderit pro redemptione ejus, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* g. Cùm non ſit aliquid pretioſius animâ, quam Deus diligit ad æqualitatem pretioſiſſimi ſanguinis ſui, *Quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ* h? Et cui non poteſt aliquid ſatisfacere præter Deum, *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit*, ait ſanctus Bernardus i. Unde ſequitur, quòd ſi daretur animæ tota terra, & omne quod in ea eſt, firmamentum cum omnibus ſtellis ſuis, cœlum cum univerſis Sanctis ſuis, hæc omnia eſſent ipſi pro nihilo, cùm eſſet ipſa privata Sponſo ſuo, *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo* k, ait ipſa, Sponſum ſuum alloquens. Et, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua* l. Ipſa enim facta eſt propter æternitatem, ad fruendum beatitudine in ſocietate Angelorum, ad contemplandum ibi Deum in æternum. Ut autem ipſa pervenire poſſet ad hunc beatum finem, Deus tribuit ei Angelos ad ipſius cuſtodiam, vel ab ipſa nativitate, *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, ait Pſalmiſta m. Et ſanctus Hieronymus n, *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum.* Et iſtæ animæ hos Angelos cuſtodes habent ubique, qui aſſiſtunt ipſis ſocii individui, & comitantur ipſas ad vitam æternam, ſicut comitatæ ſunt illuc Lazarum, de quo dicit Evangelium o, *Factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Quàm ingens excellentia animæ, cùm Jeſus Chriſtus acquiſiverit eam tot laboribus, quippe qui laboraverit triginta tribus annis, *In laboribus à juventute* p, jejunando q, incedendo r, prædicando ſ, orando t, & plorando u! Deus orat pro jactura animæ, quod non agit pro excidio civitatum & Regnorum temporali: & alit eam propriâ carne, & ſanguine ſuo adorabili: *Caro enim mea vere eſt cibus: & ſanguis meus, vere eſt potus* x. Quidnam dare poterat amplius, quàm ſeipſum? Elegit eam pro habitatione ſua: quippe in qua ipſe ſibi complacet, ſicut ipſemet ait per Pſalmiſtam y, *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Et per Dionyſium Carthuſianum z, *Hæc, id eſt, Eccleſia, ſeu anima munda, devota & ſtudioſa, requies mea in ſeculum ſeculi ſicut dixi, Ecce ego vobiſcum ſum cunctis diebus* a. *Dicitur autem Deus immobilem requiem habere in nobis, non quod ipſe unquam turbetur aut moveatur, ſed quoniam corda noſtra facit in ipſo quieſcere. Hic habitabo per gratiam, quoniam elegi eam meâ bonitate, non ejus virtute.* Ex iſtis omnibus inferte quanta ſit dignitas animæ noſtræ,

d Sap. 11. 25.
e 1. Cor. 6.20
f Baruch 3.25
g Eph. 5.2
h Matth. 16.26
i S. Bern. in Declamat. circa med.
k Pſ. 15.11
l Pſ. 16.15
m Pſ. 90.11
n S. Hier. l. 3. in Matt. 18.10
o Luc. 16. 22
p Pſ. 87.16
q Mat. 4.2.
r Matth. 4.14
ſ Matth. 4.17
t Luc. 6.12
u Luc. 19. 41
x Jo. 6. 56
y Pſ. 131.14
z Dion. Carth. in Elucidat. Myſtic. in hunc locum.
a ex Matt. 28.20

Dico autem quòd utile eſt cogitatu de dignitate noſtra propter quatuor rationes. Prima eſt,

Ut

Ut magis diligamus Deum: nam naturaliter omne ſimile diligit ſibi ſimile; & quàmvis amor ſit naturalis inter patrem & filium, major eſt ſi filius ſit ei ſimilior: cùm igitur non ſit aliquid in iſto mundo ſimilius Deo quàm ſit anima noſtra, cùm facta ſit ad imaginem & ſimilitudinem ejus, hæc tribuere debet ei omnes amores ſuos. Secunda eſt, Ut reverentiam exhibeamus imagini quam deferimus divinæ Majeſtatis: non enim deceret Deum inhonorare in hac eadem imagine, unde anima noſtra tot ſuſcepit dotes, quæ antecellunt omnes creaturas: quòd ſi non licet imaginem beatæ Virginis in cloacas projicere, quantò minus imaginem Dei, eamque inquinare peccato? *Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges*, ait Pſalmiſta *b*, Deum alloquens.
b Pſ. 72. 20
Quia in terrena ſua civitate imaginem Dei ad nihilum redegerunt, ſubdit Gloſſa Ordinaria. Et, *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus* c. Revereamur igitur animam noſtram, ſicut imaginem Divinitatis. Tertia eſt, Ut ſtudeamus eſſe ſimiles in gratia, & in gloria, illi, cui ſimiles ſumus in natura aliquo modo. Sanctus Joannes *d* ait, *Scimus quoniam cùm apparuerit ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Nam, ut ait Philoſophia, res eſſet in vanum quæ non haberet operationem ſuam, ut ignis, ſi non calefaceret: ſic fruſtrà eſſet imago Dei in anima, ſi ipſa non operaretur ſecundùm capacitatem ſuam: tres enim ſunt potentiæ, in quibus ſplendet imago Sanctiſſimæ Trinitatis, & quæ debent operari ad hoc ut ſibi concilient illius ſimilitudinem. Nam operatio memoriæ conſiſtit in jugi recordatione Dei: operatio mentis ſita eſt in cognitione & contemplatione ſecretorum divinorum: & operatio voluntatis refertur ad diligendum eundem Deum. Quarta eſt, Ut cognoſcentes tantum beneficium, quod ſuſcepimus à Deo, reddamus ei gratias pro illo, quippe quod non meriti ſumus, cum ſit effectus ſolius bonitatis ipſius.
c Pſ. 14. 4
d 1. Jo. 3. 2

Quanti Deus æſtimat animam, cùm dotet illam tot prærogativis! Sed peccatores eas contemnunt, majorem curam ſuſcipientes munditiæ calceamentorum ſuorum, quàm animæ ſuæ. Inter eos reperiuntur aliqui qui eam vendunt, alii qui eam perdunt, alii qui eam oppignerant, & alii qui eam dant pro nihilo. Fœneratores & avari vendunt eam pro lucro, voluptuoſi pro deliciis, & ambitioſi pro dignitate ſplendenti: *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* e. Illi eam perdunt, qui manent otioſi, *Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella*, dicit Salomon f. *Id eſt, ab operatione bona ſe retrahit, & manum capiti ſuo ſupponit ad appodiandum & dormiendum ex torpore*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus g. Illi qui eam oppignerant, ſunt ii qui habent curam animarum, quibus dicitur, *Cuſtodi virum iſtum: qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus* h. Et iracundi dant eam pro nihilo, cùm non ſuſcipiant niſi moleſtias, quando alii è contrà recipiunt aliquid: *Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua* i?
e 1. Joan. 2. 16
f Prov. 19. 24
g Dion. Carth. art. 19. in Proverb. 19. 24
h 3. Reg. 20. 39
i Gen. 4. 5. & 6

Quanti igitur æſtimare debemus animam noſtram, cùm facta ſit ad imaginem Dei, & cavere ne inquinemus eam aliquo peccato: quantam reverentiam debemus exhibere Deo, qui dignatur habitare in eâ per gratiam ſuam, & à quo tot bona quotidie ſuſcipimus! ſed quantùm timere debemus *rationem* k, quam requiret ipſe à nobis pro prærogativis, quibus ipſe cumulavit eam, cùm hæc anima ad illum pertineat, deferens imaginem ejus, ſicut ipſemet ait per Ezechielem l, *Ecce omnes animæ, meæ ſunt, ut anima patris, ita & anima filii mea eſt*. Et ſicut Cæſar exigit numiſma propter impreſſionem ſuæ imaginis: ſic Deus exigit animam quæ defert ipſius ſimilitudinem, cùm ſit inſignita ipſius charactere. Et iſtud eſt quod debemus ei: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo*.
k Luc. 16. 2
l Ezech. 18. 4

Anima, quæ eſt rationalis, capax intelligentiæ ad cognoſcendum Deum, & beneficia ejus, ſe totam debet ei, cùm omne veniat ex ipſius liberalitate, nec ulla poſſit eſſe felicitas niſi in fruitione ipſius, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* m. Et ſicut operationes ſequuntur naturam, cùm Deus dederit ei naturam veluti ſimilem naturæ ſuæ, eam ſibi devincit hoc favore ut producat operationes conformes, quantùm in ipſa eſt, operationibus ipſius: & inde debet educi perfectio hominis, ſi ſe ſimilem Deo reddat interventu operationum ſuorum; ſicut perfectio imaginis pendet à perfecta ſimilitudine quam habet cum ſuo prototypo. Omnes aliæ creaturæ pertinent ad Deum, cùm ſint illius productiones: ſic ipſæ ſuis ſemper perfunguntur muniis, *Ordinatione tua perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi*, dicit David n, Deum alloquens. Et, *Præceptum poſuit, & non præteribit* o. Homo igitur, qui eſt perfectum opus Dei, numquid non agnoſcere debet eundem Deum, prout Authorem ſuum, exhibendo ei obſequia ſua, ut pendens omnino ab eo? Cùm inſignis aliquis pictor, vel eximius aliquis ſculptor perfecit aliquod opus artis ſuæ, ille pingendo aliquam ſpecioſam tabellam, iſte verò ſculpendo ſtatuam aliquam ſingularem, uterque ad imum operis ſui ponit inſcriptionem ſuam, ut extendat famam ſuam ad extenſionem operis ſui, & nomen ſuum poſteritati commendet: Deus, qui eſt magnus pictor orbis, qui tot mirabilia pinxit, & quaſi ſcalpro exaravit velut in dorſo naturæ, cùm feciſſet hominem ut opus eximium manuum ſuarum, ſignificare voluit toti mundo, quòd ipſemet eſſet Author & Inventor operis ſic eximii, ideòque pinxit, ſeu ſculpſit in eo homine nomen ſuum, decoravit eum inſignibus ſuis, & nobilitavit illum hâc illuſtri prærogativâ, ut eſſet ipſius imago, cùm cæteræ creaturæ non ſint niſi velut ipſius veſtigium, propterea homo, prout res ſua, debet ei reddi.
m Jacob. 1. 17
n Pſ. 118. 91
o Pſ. 148. 6

Dicetis mihi, quòd creaturæ materiales obediunt Deo, quia ipſæ non poſſunt facere aliter, cùm non ſint liberæ in actionibus ſuis: & quòd vos deeſtis huic obſequio, eò quòd liberi ſitis; quod veriſſimum eſt. Sed ſi procedatis ut rationales, hæc libertas vos meliùs obſtringet ad obediendum ei, cùm ampliorem ab eo favorem ſuſceperitis quàm illæ. Dicite autem mihi, Si Monarcha noſter invincibilis elevaret è pulvere duos pauperes, dans uni feudum mille nummorum reditus annui, alteri verò dominium decem millium nummorum, nedum uter ex illis aliquid eſſet erga ipſum meritus ratione alicujus obſequii ipſi impenſi, ſed ſolâ liberalitate ſuâ: ſi ille qui ſuſcepit dominium, fortè rebellaret adversùs Principem ſuum; machinans inferre ei mortem: & interrogaretur quare præ ſe tantam ferret ingratitudinem poſt tot favores ſuſceptos, quandiu ſocius ipſius decimam duntaxat partem ſuſcepit illius, quo ipſe donatus

eſt,& tamen ſemper fidelis fuit Regi ſuo : & reſponderet , quòd ſocius ſuus non habet ſatis virium ad aggrediendum conſilium ſic arduum, cùm non habeat niſi mille nummos reditus : ſed quòd ipſe qui potens eſt , habet unde cogat velut exiguum exercitum , & inſurgat in ſuum Principem : nunquid non diceretur ei,quòd cùm ſuſceperit hoc dominium è liberalitate Regis , hæc ſola conſideratio magis ipſum debet obſtringere ad fidelitatem obſequii illius? Idem dico peccatori, Infelix homo,potitus libertate,& eâ cæteræ creaturæ ſublunares ſunt deſtitutæ : ſed nonne verum eſt, quòd hunc favorem à Deo ſuſcepiſti? Poteſne rebellare contra Deum,quod illæ non poſſunt? Sed quid? voleſne impugnare Deum, & offendere eum propriis beneficiis ſuis,abutens libertate, quam tibi tribuit præ illis creaturis ? Hæc ingratitudo eſt omnium teterrima.

¶ En altera comparatio , quæ non eſt inferior priori. Rex aſſumit duos viros , unum conſtituit ipſe œconomum & diſpenſatorem palatii ſui, alterum adoptat in filium ſuum cum intentione relinquendi ei Regni ſui in hæreditatem: ſi primus intra terminos obſequii ſui maneret , & alter abuteretur favoribus Principis ſui, & ita ſingulare beneficium contemneret, ac adoptatum fuiſſe in filium ipſius, nonne is eò majoris conſcius eſſet criminis, quò favorem ſuſcepiſſet inſigniorem ? Iſtud eſt, quod Deus improperat fidelibus ſuis per Iſaiam p,

p Iſai. 1.2

Filios enutrivi,& exaltavi : ipſi autem ſpreverunt me. Eò magis obſtricti ſumus ei, quò plus ſuſcepimus ab ipſius liberalitate quàm cæteræ creaturæ inferiores, quæ non ſunt niſi veluti veſtigia Divinitatis ipſius , quandiu nos ſumus imagines formatæ ad illius ſimilitudinem. Debemus igitur nos ei ſubmittere promptâ obedientiâ exhibendâ voluntatibus illius, ut nos perficiat , & conſummet imaginem quam incepit : nam ſi tabella quæ nondum habet niſi prima lineamenta, præ ſe ferret aliquam lucem notitiæ , certè nihil æquè concupiſceret ac perfectionem ſuam, & proculdubiò ſe ſubmitteret manui pictoris , qui ipſam perficeret : Idem eſt hoc , Auditores , quòd Deus exigit à vobis : vos eſtis imago illius, ſed imperfecta. Vultiſne id videre? Auſcultate ſanctum Paulum q ſic edillerentem , *Filioli mei,quos iterùm parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Et r. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.* Iſtud eſt quod Deus innuit in creatione hominis , cùm *ait, Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram* ſ. Cùm hæc præpoſitio , *ad* , ſit relatio quæ datur imperfecti ad perfectum. Et ecce probationes iſtius perfectionis , quas in medium adducit idem Apoſtolus t, *Is qui intùs eſt, renovatur de die in diem.* Id eſt,homo. Quaſi diceret, Hæc imago non eſt niſi delineata in naturâ hominis , perficitur per gratiam , & promovetur ad perfectionem conſeſt. in ac idem homo it *de virtute in virtutem* u. Nec ultimam ſuam conſequetur perfectionem donec idem homo ſit conſtitutus in termino æternitatis, *Chariſſimi , nunc filii Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt,* ait nobis S. Joannes x.

q Galat. 4.19
r Philipp. 1.6
ſ Gen. 1.26
t 2. Cor. 4.16
u Pſ. 83.8
x 1. Jo. 3.2

Imago Dei eſt in homine ſecundùm,quòd homo imitatur Deum:& hæc imago triplex eſt. Prima eſt ea,quâ cognoſcere poteſt & diligere Deum: & hæc imago , eſt naturalis, & communis omnibus. Secunda , conſiſtit in hoc quòd de facto cognoſcit & diligit eum , & hoc imperfectè,tam ratione fidei, quàm charitatis , cujus actus perſæpè interrumpuntur : & hæc eſt , imago Juſtorum in iſtâ vitâ. Tertia , ſita eſt in hoc ut videat Deum clarè , & diligat eum jugiter & abſque ulla interruptione : & hæc, eſt imago patriæ cœli. Unde Gloſſa Ordinaria y ſuper hunc locum Pſalmiſtæ , *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui , Domine* , diſtinguit triplicem imaginem, putà,creationis,recreationis,& ſimilitudinis. Sed loquamur de imagine recreationis, de qua ſanctus Thomas z ait, *imago recreationis, per quam reformatur imago creata, ſcilicet mens noſtra . eſt Dei gratia , qua menti reparanda infunditur.* Et paulò pòſt , *Homo per naturam anima participat ſecundùm quandam ſimilitudinem naturam divinam per quandam recreationem ſive regenerationem.* Loquamur , inquam , de juſtificatione , in quâ ſumus per cognitionem , & per dilectionem Dei: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui , ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus,* ait Apoſtolus a. Et, *Triplicem perfectionem habuit Proles iſta in inſtanti conceptionis , videlicet,natura,gratia,& gloria,* dicit ſanctus Thomas b, loquens de eodem Filio Dei. Deus poſuerat in principio imaginem ſuam in homine: ſed homo denigravit eam peccato , cùm vetito *de fructu comedit* c. Idem Dei Filius exivit *à Patre, & in mundum* d venit ad eam reparandam : *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* e. Nam homo perfectus, eſt imago expreſſa Dei, & ideò, ſicut Salvator dixit ſancto Philippo, *Philippe, qui videt me , videt & Patrem* f: nam ipſe *eſt imago* g Patris: ita qui videt perfectum Chriſtianum,videt Jeſum Chriſtum. Deus inviſibilis in ſe, *Regi ſeculorum inviſibili , ſoli Deo honor & gloria* h, ſe reddidit viſibilem in Jeſu Chriſto, *cùm benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei* i. Jeſus Chriſtus qui ſe inviſibilem oſtendit in aſcenſione ſua, *Elevatus eſt , & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum* k, ſe videndum exhibebit in homine perfecto: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei,in virum perfectū,* ait S. Paulus l. *Hoc eſt,in ſtatu perfecto. habentes videlicet perfectionem virtutum & fortitudinem animorum,ſicque appareat nos eſſe viros , non ratione ſexus, ſed perfectionis,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus m. Quòd ſimiles fiamus Jeſu Chriſto per cognitionem,& dilectionem,hoc facile eſt intellectu. Cognitio fit per ſimilitudinem rei cognitæ; amor etiam reddit ſimilem,quia quærit amorem in re amatâ:& ultima perfectio iſtius imaginis conſiſtit in actibus iſtius cognitionis,& amoris Dei, repræſentâdo in ſe perfectiones divinas, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te ,ſolum Deum verum* n. *Tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt,* ſubdit idem Carthuſianus o. Concordat Apoſtolus p, *In eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Unde ſequitur quòd perſæpè cogitare debemus de Deo , ſi velimus ut ejus imago perficiatur in nobis : nam ſicut homo ſimilis eſt ſpeculo, quod repræſentat figuram objecti quod ipſi opponitur : eodem modo ſe res habet de anima noſtra : propterea ſæpe interroganda eſt ; *Cujus eſt imago hæc* ? Superbe, *cujus eſt imago hæc* ? Nonne Luciferi tuo dicentis *in corde? In cœlum conſcendam* q, &c. Impudice, *cujus eſt imago hæc?* Nunquid non Veneris & brutorū? *Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit : comparatus eſt jumentis inſipientibus , & ſimilis factus eſt illis* r. Avare , *cujus eſt imago hæc* ? Annon terræ ? *Facti ſunt ſicut ea quæ dilexerunt* ſ. Deus Eze-

y Gloſſ. Ordin. in Pſ. 4.7
z S. Th. Opuſc. 60. art. 1
a Rom. 8.29
b S. Thom. Opuſc. 60. art. 3
c Gen. 3. 6
d Jo. 16.28
e Luc. 19. 10
f Jo. 14.9
g Coloſſ. 1.15
h 1. Tim. 1.17
i Tit. 3.4
k Act. 1. 9
l Epheſ. 4.13
m Dion. Carth. art. 4. in Eph. 4.13
n Jo. 17.3
o Dion. Carth. art. 41. in Jo. 17.3
p 2. Cor. 3.18
q Iſai. 14. 13 &c
r Pſ. 48. 13. & 21
ſ Oſee 9.10

Ezechieli *dixit, Fili hominis, fode parietem. Et ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium abominatio* t, &c. Idem præcipit mihi Deus, *Fode parietem.* Id eſt, cor peccatoris. [t Ezech. 8, 8, &c.] Peccator igitur quicunque ſis, ubi *eſt imago hæc* Divinitatis? Nonne deleta eſt? Numquid non defers imaginem Satanæ? *Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius* u. [u Sap. 2, 25.] Ubi *eſt imago hæc* ſpecioſa, quam tibi Deus dederat in Baptiſmo, hæc eximia ſimilitudo Filii ipſius? In Baptiſmo ſuſcepimus hanc notam, inſigniti charactêre Dei, ut agnoſcamur ſui, ſicut greges, panni, & veſtes notantur, ut reddantur dominis ſuis: & tamen tradimus noſipſos dæmonibus inimicis eius & noſtris: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis in die redemptionis,* ait nobis S. Paulus x. [x Epheſ. 4. 30.] *Id eſt, Baptiſmi, quia in Baptiſmo fit homo particeps redemptionis factæ per Chriſtum,* ſubdit S. Thomas y: [y S. Tho. lect. 10, in Epheſ. 4, 30.] *in quo ſignati eſtis, id eſt, reformati eſtis, & ab aliis diſtincti.* Nam cùm aliquis eligitur ad aliquod officium, ſtatim ſuſcipit inſigne aliquod, cujus interventu agnoſcatur ab aliis: ſic Equites Melitenſes deferunt Crucem: nos omnes militiæ Chriſtianæ nomen dedimus, & promiſimus nos prœliaturos fideliter & generosè, & in Baptiſmo ſuſcepimus inſignia noſtri Principis; ideòque debemus amplecti cauſam ejus, ut generoſi milites ad effundendum ſanguinem noſtrum uſque, cùm pertineamus ad eum: *Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur* z. [z Rom. 14, 7, & 8.] Sicut miles qui non vivit niſi propter Principem ſuum. Propterea ſatagamus ut amplectamur cauſam Dei, & gloriæ ejus.

Etiam, Domine: rectæ rationi conſonum eſt, ut toti incumbamus obſequio tuo: cùm toti ſimus tui, & omnia teneamus à liberalitate tua; oportet ut tibi cuncta reddamus: anima noſtra pertinet ad te, quia defert imaginem tuam; ipſa, eſt hoc numiſma cuſum & inſignitum charactêre tuo, & deferens inſcriptionem tuam, & ideò debet tibi reddi: quòd ſi hæc imago Regia erat *denigrata* a [a Thren. 4. 8.] peccato, fac ut denuò cudamus eam malleo veræ pœnitentiæ, ſolidæ contritionis b [b Ezech. 18, 21.] per bona opera c, [c Tob. 12. 8.] quibus cudi & renovari debet hoc numiſma tuum. Tandem, Effice ut anima noſtra notata imagine tuâ per gratiam, aſſimuletur aliquando tibi Prototypo ſuo per gloriam.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuum ſuper eam, & vivet. Matth. 9. 18. &c.

[a 1, Jo. 1, 1] DEI Filius, de quo S. Joannes a loquitur ut *de Verbo vitæ* in Divinitate ſua, cùm procedit à [b Pſ. 35, 10] Patre qui eſt principium vitæ, *Apud te eſt fons vitæ* b, & in humanitate ſuâ, cùm hæc excellentia communicata fuerit animæ ejus, corpori illius, & verbis ipſius, & ipſa ſit *Vita* c [c Jo. 14, 6.] in omnibus rebus, *Verba vitæ æternæ habes* d, [d Jo. 6, 68] & qui vel moriendo vitam præbet; & extra quem vivere non poſſumus: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* e: [e Act. 17, 28.] & ad quem ut fontem vitæ ſolùm pertinet impertiri ſanitatem infirmis, cùm adventus ipſius in hunc mundum ad hunc effectum fuerit, ut ipſe dicebat aliquando Centurioni ab ipſo efflagitanti curationem famuli ſui paralyſi laborantis, *Ego veniam, & curabo eum* f; [f Matth. 8, 7, &c.] cùm conſilium illius adventus eſſet dandi effectus hujus vitæ; venit etiam ad largiendam vitam mortuis, *Amen, amen dico vobis quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint vivent* g. [g Jo. 5, 25.] Propterea & *cùm veniſſet Jeſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cùm ejecta eſſet turba, intravit: & tenuit manum ejus & dixit, Puella ſurge. Et ſurrexit puella.* Id eſt, ſuſcepit ab eo vitam, ſed vitam quæ eſt figura illius, quam idem Filius Dei operatur in animabus noſtris per reſurrectionem ſpiritualem, quæ eſt juſtificatio, ut ait Hugo Cardinalis h [h Hugo Card. in Matt. 9, 25] ſuper hæc verba, *Puella ſurge. Argumentum, quòd prius dimittitur peccatum, & pòſt intrat gratia.* Cùm Dei Filius in hunc mundum veneris non ſolùm ad ſananda corpora, ſed etiam ad ſalvandas animas: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* i. [i Luc. 19, 10.] Tantum abeſt ut illas relinquere velit in morte ipſarum, quin econtrà ipſe venit *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant* k. [k Jo. 10, 10] Sed vitam excellentiorem & perfectiorem, quò anima præeminet corpore, quò ipſa ſuam è cælo deſumit originem: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* l. [l Gen. 9, 6.] Quò ipſa eſt immortalis, corpus verò corruptibile: *Corpus enim corrumpitur* m. [m Sap. 9, 15.] Quò anima capax eſt ut cognoſcat Deum, illum diligat, eoque fruatur in gloria, æquè ac in via n: [n 1, Cor. 13, 12.] corpus verò animâ deſtitutum, ſit inſenſibile & ignobile, & ſic eſt *homo putredo* o, [o Job 25, 6] & nihil aliud. Ipſa eſt hæc anima, quæ hodie ſeſe debet diſponere ad reſurgendum per pœnitentiam, ut ait Hugo Cardinalis p [p Hugo Card. in Matt. 9, 26 ex Marc. 5, 42.] ſuper hoc verbum S. Marci loquentis de hac puellâ ſuſcitatâ à Dei Filio, *Et ambulabat. Ut & à ſceleribus ſurgat, & bonis operibus proficiat.* Hoc opus efficiet hæc anima, ſi ſuas præbeat intentiones voci Filii Dei ipſam vocantis ad juſtificationem in perſona hujus puellæ, ſicut B. Virgo ſuum præbuit conſenſum verbo Angeli annunciantis ipſi myſterium incarnationis, cùm *ingreſſus ad eam dixit, Ave* q *Maria.* [q Luc. 1, 28, & 38.]

Non eſt aliquid curioſum ſicut eſt intellectus hominis: non priùs effectum aliquem cognovit in natura, cùm ſtatim vult illius cauſam ſcire & inductionem: ſi hâc curioſitate ducitur erga ea quæ ſunt ipſi aliena, eam majori cura debet habere quantùm ad ea, quæ ad ipſum propiùs accedunt; & videns effectum mortis, illius cauſam debet inquirere, non ut ſuæ faciat ſatis curioſitati, ſed ut educat inde utilitatem, & maximas ſalutares, & operandæ ſaluti animæ ſuæ opportunas. Trianos mittunt Medici in natura, diſpoſitiones, morbum, & mortem: Theologi verò in Morali Chriſtiana tria pariter admittunt iſtis ſimilia, languores, morbos peccatorum venialium, & mortem animæ per peccatum mortale, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* q. [q Ezech. 18, 4, & 20] Languores, quos experimur in nobis non ſunt propriè loquendo niſi id, quod ab iiſdem Theologis vocatur fomes peccati: eſt enim

 bleuſt

oleum, ſeu lignum, quo fovetur peccatum. Hunc fomitem communiter appellamus ſenſualitatem, aut concupiſcentiam, & eſt, ut clariùs dicam, appetitus noſter ſenſualis, unde procedunt omnes affectiones, & cuncti languores, quatenus eſt corruptus & vulneratus peccato: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua* r. Hic appetitus eſt principium omnium malorum noſtrorum, inducens nos ſemper ad vetita, *Quod enim operor non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio*, ait Apoſtolus ſ. Adam creatus fuit in juſtitia originali; *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* t. In hoc ſtatu innocentiæ omnes creaturæ ſuas exhibebant ei obedientias, ipſa caro ſubdita erat ſpiritui; ſed ſtatim ac violavit legem Dei, & vetito *de fructu comedit* u; eædem omnes creaturæ inſurrexerunt adversùs eum, quin imò & proprium corpus bellum ipſi indixit; & poſteritas illius, quæ cum eo participare debebat prærogativas ſtatus innocentiæ, criminoſa effecta eſt, communicando culpæ ejus, *In quo omnes peccaverunt* x. Et conſequenter iſti poſteri ejus hæreditaverunt omnia mala, quæ Protoplaſtum impetiverunt poſt ſcelus ipſius. Hæc concupiſcentia, aut hic appetitus ſenſualis non eſt peccatum, cùm ſit naturalis homini; oportet ut ratio interveniat, ſuumque præbeat conſenſum ad hoc ut perpetretur aut fiat peccatum: & in hoc ſimilis eſt arbori inclinatæ contra terram: ſi ſemen ſuum jaciat ſuper terram, ex eo diuturnitate temporis naſcetur planta ſimilis ei, è quo emanavit hoc ſemen: *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum* y. Ecce fructus hujus arboris corruptæ, peccata, & languores. Peccata venialia ſunt infirmitates animæ, quæ præcedunt mortem peccati mortalis: diabolus enim (qui alioquin derepentè expelleretur) hoc utitur ſtratagemate: hanc aggreditur animam peccatis venialibus, negligentiis, imperfectionibus, ut meliùs conſilium ſuum perducat ad exitum: mala magna non fiunt repentè, ſed pedetentim; unica ignis ſcintilla in cæſpite mixto paleâ inter reliquias meſſis incluſa ſufficit ad comburendum totum agrum: anima eſt ager, tantillus ignis peccati inveniens eam aridam & deſtitutam humore gratiæ, poteſt eam totam adurere; & multa magna crimina, quæ aliàs ſunt perpetrata, debilia habuerunt initia: ſed poſtquàm corpus diu languit inter infirmitates, tandem ſuccumbit; eodem modo ſe res habet de anima. Privatio gratiæ eſt hoc idem animæ, quod anima eſt corpori: effectus mortis, ſeu ſeparationis corporis ab anima ſunt gravitas, fœtor, putredo, & oblivio: anima mortua gratiæ per peccatum ſuſtineri non poteſt; cœlum, terra, & reliquæ creaturæ ſupportare non poſſunt illius gravitatem, *Electi Principes ejus ſubmerſi ſunt in Mari rubro; abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis*, ait Scriptura z de Pharaone, & de exercitu illius. Et de aliis Principibus *populi, qui ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adverſus Dominum rebellaverunt: Et aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* a. Ipſa fœtida eſt, æquè ac gravis, ut patet è ſupplicio Sodomitis & Gomorrhæis inflicto, *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubvertit civitates has, univerſos habitatores urbium* b. Et cadit in oblivionem Dei, & Angelorum, *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum, dicentes; Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat* c. Nedum in hoc ſtatu poſſit ipſa ſibi polliceri hæreditatem gloriæ, niſi fortè ipſa audiat vocem Dei vocantis ipſam ad reſurrectionem, & ad juſtificationem. Nam, ut ait Dionyſius Carthuſianus d, *Tres mortuos legitur ſuſcitaſſe Salvator, per quos ſpiritualis ſuſcitatio trium generum hominum impiorum myſtice figuratur. Suſcitavit namque filiam Iairi in domo: per quod deſignatur ſpiritualis ſuſcitatio eorum, qui propter peccatum interioris conſenſus ſpiritualiter mortui ſunt. Alium ſuſcitavit in via ad tumulum, ſcilicet unicum filium viduæ* e: *quo deſignatur ſpiritualiter ſuſcitatio impiorum, propter peccatum operationis, vitâ gratiæ deſtitutorum. Tertium ſuſcitavit de monumento, utpote Lazarum* f: *per quod figuratur ſuſcitatio habituatorum in malo, qui peſſimâ conſuetudine velut lapide grandi premuntur.* Et, ut dicit Hugo Cardinalis g apprime ad propoſitum quod aggredior, loquens de ſuſcitatione puellæ præfatæ à morte ad fruitionem lucis, *Moraliter. Primò venit Dominus pulſando, prædicando, inſpirando per gratiam gratis datam: & homine ceſſante à malis actibus, & ſe præparante, intrat per gratiam juſtificantem.* Conformiter ad hoc deſidero vobis oſtendere in progreſſu diſcurſus iſtius illud quod eſt requiſitum ad reſurrectionem animæ mortuæ per peccatum, id eſt, ad juſtificationem illius operandam.

Propoſitio

Juſtificatio primo loco requirit ut Dei Filius præveniat nos, *Et cùm veniſſet Ieſus in domum Principis*. Cùm Deus vult animam juſtificare, illam prævenit, licèt mortuam: Deus igitur prævenit animam, antequàm induratum ſit *cor ejus tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* h ſtrictum. In hoc autem myſterio juſtificationis duas invenio præparationes, & tres cauſas. Prima præparatio eſt ea quæ nobis datur à Deo ſine nobis, & hæc complectitur omnes gratias prævenientes: v. gr. Deus mittit in animam peccatricem radium gratiæ ſuæ, de qua tamen gratia ipſa anima nec cogitat, hæc gratia vocatur præveniens, quæ eſt neceſſaria ante juſtificationem: & ſicut animâ à corpore ſeparatâ per mortem, corpus non poteſt ampliùs vivere naturaliter: ſic anima per mortale peccatum ſeparata à Deo (*Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* i) amiſſâque gratiâ, quâ vivit, non poteſt ampliùs recuperare hanc gratiam, cujus incucurrit jacturam, & ſuſcitari à morte ad vitam ſine auxilio Dei; & hoc, eſt gratia præveniens, de quâ loquitur Pſalmiſta k in perſona Chriſti, Patrem æternum alloquens, *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et licèt hoc literaliter dicat de Chriſto, ut unanimiter exponunt Interpretes; tamen, ſicut *Deus*, eiuſdem *Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* l, *quia membra ſumus corporis ejus* m: poſtquàm illud expoſuit Lorinus n de Chriſto, dicens inter alia, *Nullo modo Chriſtum fuiſſe obnoxium peccato benedictio præveniens eſt*: idipſum nobis applicans, ſubdit, *Nemo eſt, quem non præveniat gratia, quia prior diligit* o, *eligit* p, *vocat* q, *præoccupat* r *Deus. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei* ſ? Secundùm motivum, quod Deus habet, eſt quòd permittit ut aliquod infortunium contingat alicui, ut jactura liberorum, viri, uxoris, parentum, &c. vel aliæ ſimiles clades quotidianæ, quibus ſcatet vita noſtra, ſed quibus proficuè uti poſſumus, ſi velimus: perſæpè

enim

r Gen. 8, 21.
ſ Rom. 7, 15, &c.
t Gen. 9, 6.
u Gen. 3, 6, &c.
x Rom. 5, 12.
y Jac. 1, 15.
z Exod. 15, 4, & 5.
a Num. 26, 9, & 10.
b Gen. 19, 24, & 25.
c Pſ. 70, 10 & 11.
d Dion. Carth. art. 18, in Matt. 9, 26.
e ex Luc. 7, 14, &c.
f ex Jo. 11, 43, &c.
g Hugo Card. in Mat. 9, 25.
h Job 41, 15.
i Iſai. 59, 2.
k Pſ. 20, 4.
l Epheſ. 1, 17, &c.
m Epheſ. 5, 30.
n Lorin. in Pſ. 20, 4.
o ex 1. Joan. 4, 10.
p ex Jo. 15, 16.
q ex Rom. 9, 12.
r ex Sap. 6, 14.
ſ ex Rom. 11, 35.

cùm Deus has inſumit infelicitates ad nos convertendos, ut interventu hujuſmodi afflictionum ad ipſum recurramus ut ad *omne Bonum* t. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* u? Ecce præparationes interiores, & exteriores. *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem* x. Deus prævenit illum in hoc ſtatu gratiâ interiori, & exteriori. Gratiâ exteriori: in terram Saulus proſternitur, *Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo. Et cadens in terram.* Gratiâ interiori, *Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat.* Deus aperuit oculos animæ ejus, ita ut ipſi diceret, *Domine quid me vis facere?* Hoc lumen internus, cùm *audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris?* erat gratia præparationis. *Ubi ſciendum* dicit Incognitus y, *quod, ut ait Magiſter, duplex eſt gratia Dei in nobis, ſcilicet prævenìens, & ſubſequens; ſive operans & cooperans. Operans enim, vel prævenìens gratia præparat hominis voluntatem, & prævenit, ut velit bonum. Sed gratia ſubſequens, vel cooperans adjuvat, ne fruſtrà velit. Operans ergo gratia eſt, quæ prævenit voluntatem bonam, ut ſit bona, bonumque efficaciter velit. Cooperans verò gratia jam voluntatem bonam ſequitur adjuvando.* His ſuppoſitis,

t Exod. 33, 19.
u Amos 3, 6.
x Act. 9, 1, &c.
y Incogn. in Pſ. 20. 4 citans Magiſt. ſent. l. 2, diſt. 26.

Invenio in myſterio juſtificationis tres cauſas. Prima eſt cauſa efficiens. Secunda eſt cauſa formalis. Tertia eſt cauſa præparativa. Iſtæ autem tres cauſæ poſſunt obſervari in Evangelio noſtro. Cauſa efficiens eſt Deus: ipſe ſolus, qui eſt *Vita* z eſſentialis, poteſt tribuere vitam animæ mortuæ per peccatum, nullus eſt alius modus opportunus ei ſuſcitandæ præter iſtum. Verum eſt, Auditores, quòd ex quo anima lapſa eſt in peccatum mortale, iſte lapſus illius funeſtus eſt æternus, non poteſt ipſa reſurgere ex ſemetipſa, ſolus Deus illam ſuſcitare poteſt: *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat: ſic & Filius quos vult vivificat* a. Quod ad propoſitum noſtrum ſic explicat appoſitè Dionyſius Carthuſianus b: *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos morte naturæ, & culpæ, hoc eſt, mortuos corporaliter per diſceſſum animæ, & mortuos ſpiritualiter per amiſſionem charitatis & gratiæ, & vivificat eos. Mortuos namque corporaliter ſuſcitat atq; vivificat Pater, animam corpori reuniendo, ut totum compoſitum habeat vitam naturæ, ſicut & ante mortem habebat. Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit* c. *Deus enim habet imperium vitæ & mortis. Mortuos verò ſpiritualiter, de quibus ait Salvator, Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos* d, *ſuſcitat, itemque vivificat Pater, culpam delendo, & gratiam reſtituendo. Cùm eſſemus mortui peccatis convivificavit nos Chriſto* †. *Sic & Chriſtus quos vult vivificat, non utique alios, aut pauciores quàm Pater ſed eoſdem, & æquè multos: quoniam operatio Patris & Filij ad extrà eſt penitus indivisa* e. *Et idem dicendum eſt de Spiritu ſancto, de quo fatur Apoſtolus* f, *Hæc omnia operatur unus atq; idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Sic vocamus Deum cauſam efficientem.

z Jo. 14, 6
a Jo. 5, 21
b Dion. Carth. art. 14, in Jo. 5 21.
c 1, Reg. 2, 6.
d Math. 8, 22.
† Epheſ. 2. 5.
e ex S. Auguſt. in Enchirid. c. 38.
f 1, Cor. 12 11.

Sed invenio in Deo duplex genus cauſæ efficientis præcipuè circa Jeſum Chriſtum. Prior eſt principalis. Poſterior eſt inſtrumentalis. Principalis eſt Divinitas quæ eſt in illo. Inſtrumentalis eſt duplex. Una conjuncta, quæ non eſt ſeparata à principali, eſt humanitas ſacra Jeſu Chriſti unita hypoſtaticè Divinitati, nec eſt ab illâ ſeparata, quia Deus non dat gratiam ſuam niſi per merita Filii ſui, *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu* g. Ipſa eſt inſtrumentum conjunctum, ita ut juſtificatio noſtra dependeat in omnibus à Chriſto Jeſu ut à cauſa efficiente principali & inſtrumentali. Sed dicetis mihi, Auditores, Non vivimus illo tempore, quo Dei Filius *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* h, inter quos tot operabatur mirabilia i: non alloquitur nunc ampliùs nos, quid agemus? Invenio in illo alteram cauſam inſtrumentalem, ſed ſeparatam, id eſt, Sacramenta: idipſum enim quòd humanitas Jeſu Chriſti ſacra operabatur ex ſemetipſa, quandiu erat in terra, hoc ipſe nobis reliquit cùm *aſſumptus eſt in cælum* k, per Sacramenta, in quibus continentur omnia merita hujus ſacræ humanitatis ipſius. Dei Filius ſanitatem, & vitam impertiebatur loquendo *l*, tangendo *m*; & patet ex Evangelio noſtro, ubi puellam noſtram tangens, illamque alloquens, eam ſuſcitat: Sacerdos autem, qui eſt miniſter ejus, tangendo *n*, & loquendo *o* tribuit ſanitatem & vitam animæ infirmæ, aut mortuæ per peccatum. Quid autem faciliùs quàm confeſſu coram Sacerdote peccata, quæ quis auſus eſt committere coram Deo? Nihilominùs homines contemnunt Sacramenta, quæ Dei Filius nobis dereliquit ut tot canales, per quos gratiæ ipſius ſuper noſtras fluere poſſunt animas, & reſtituere eis vitam gratiæ, quam amiſerant per peccatum, ea conculcant præ ingratitudine intolerabili, & quaſi ſanæ mentis deſtituti luminibus, malunt torpere in infirmitatibus & in ſordibus criminum ſuorum, quàm adhibere remedia iiſdem infirmitatibus ſuis curandis, & ſordibus abluendis accommoda; & ſicut talpæ cæcutientes, ſolâque terrâ viventes, extollere ſurſum non poſſunt oculos in cælum: & velut nycticoraces immundi ſibi non complacent niſi in tenebris & obſcuritatibus errorum ſuorum, nec aliquid ſic oderunt ac claritatem Dei, & lucem ſplendentem gratiæ, quæ ſeſe ipſis offert. Si ſciretis quantum ſit bonum, recuperare gratiam Dei deperditam, & *cùm inimici eſſemus, Deo per mortem Filij ejus* p reconciliari; & è captivis diaboli, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* q, in priſtinam reſtitui libertatem, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* r; & per quam *ipſe Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* ſ: ſi iſtud, inquam, cognoſceretis, pro comperto teneo, quòd frequentiùs ad ſancta Sacramenta accederetis. En igitur quomodò per Sacramenta Eccleſiæ ut cauſas inſtrumentales noſtræ ſalutis, ſuſcipimus juſtificationem animarum noſtrarum, quæ ſuſcitantur illorum interventu à morte peccati ad vitam gratiæ. Mortuus es peccator, deſtitutus es vitâ gratiæ: modus animæ tuæ juſtificandæ peropportunus eſt Sacramentum Pœnitentiæ *t*. Taodem, In Sacramenos ut cauſis inſtrumentalibus invenimus omnia ad operandam æternam ſalutem noſtram requiſita.

g Rom. 3, 24.
h Baruch 3, 38.
i Joan. 2, 7
k Marc. 16 19.
l Joan. 5, 8
m Luc. 7, 14.
n Jac. 5, 14, &c.
o Matt. 18 18, & Joan. 20, 23.
p Rom. 5, 10.
q Jo. 8, 34
r Gal. 4, 31
ſ Rom. 8, 16, & 17.
t Luc. 13, 3

Secunda cauſa eſt formalis, quæ tribuit formam & veritatem quâ quis ſit juſtus præ oculis Divinæ Majeſtatis. Quid efficit ut homo ſit homo? Sanè forma interior, quæ eſt anima ipſius. Sic illud quod tribuit eſſe animæ mortuæ, eſt forma, quænam? Gratia Dei, non per imputationem, ut aiunt Hæretici: ſed eſt in nobis qualitas realis,

quæ

quæ nos renovat. Peccatum reddit animam de-
formem,& eripit illi pulchritudinem ipſius : gratia
verò aufert iſtam deformitatem, & affert ei pul-
chritudinem verè & realiter : ille qui juſtificatur,
non eſt ampliùs verè id quod erat priùs : peccator
erat,& inimicus Dei ; juſtificatus autem , efficitur
juſtus coram Deo, *Videte qualem charitatem dedit*
u 1,Jo.3,1 *nobis Pater,ut filij Dei nominemur,& ſimus* u. Non
Non per imputationem, ſed per veritatem, & per
realitatem. Iairi *filia defuncta eſt. Et ſurrexit pu-
ella*. Erat illa mortua, & deinde effecta eſt vivens
realiter, & ut meliùs appareret quòd verè ſuſcitata
x Marc. 5, eſſet,S.Marcus x addit, quòd Dei Filius *juſſit dari*
43. *illi manducare*. Eodem modo ſe res habet de ju-
ſtificatione animæ : mortua erat ipſa per pecca-
tum,ſed reſurgit per gratiam verè & realiter.

Tertia cauſa eſt diſpoſitiva , quæ non eſt ſine
nobis : debemus enim nos præparare ad ſuſcipien-
dam juſtificationem. Hanc vocamus gratiam
præparativam,& invenîtur hæc in voluntate. Di-
verſas Deus habet vias, & differentes ſpecies præ-
parationum,alias ſine nobis de quibus ſuprà,& a-
lias quæ non ſunt ſine nobis. *Ecce mulier quæ erat
in civitate peccatrix,ut cognovit quòd Ieſus accubu-
iſſet in domo Phariſæi,attulit alabaſtrum unguenti:
& ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare
pedes ejus,& capillis capitis ſui tergebat,& oſculaba-
tur pedes ejus,& unguento ungebat*. Hoc tangebat
cor Filii Dei, & præparabat miſericordiam ejus.
Propter quod remittuntur ei peccata multa, quoni-
y Luc.7, 37,&c. *am dilexit multùm* y. Cùm *Saulus cadens in ter-
ram,& tremens ac ſtupens dixit,Domine quid me vis
facere*? diſponebat ſe ad ſuſcipiendam juſtificati-
z Act.9, 1 &c. onem ſuam,*Et ſurgens baptizatus eſt* z. Sic Dimas,
ſeu bonus Latro gratiam ſuſcepit, cùm diſpoſitivè
ſuorum veniam ſcelerum à Dei Filio popoſcit, *Et
dicebat ad Ieſum, Domine,memento mei, cùm vene-
ris in Regnum tuum. Et dixit illi Ieſus , Amen dico*
a Luc. 23, 42,& 43 *tibi : Hodie mecum eris in paradiſo* a. Mutanda
eſt vita, deſerendum peccatum, & obediendum
voci Filii Dei.

Sed videamus cauſas præparativas noſtras ad
operandam juſtificationem noſtram exaratas in
hoc verbo Evangelii noſtri, *Et cùm Ieſus vidiſſet ti-
bicines. Hoc eſt, quoſdam homines lugubre carmen
canentes ad provocandum fletum in aliqu. Tales ad-
ducebantur antiquitùs in funere magnarum perſo-
narum. Quemadmodum enim quædam ſymphoniæ
melodiæ,ſeu cantus provocant ad audaciam, ſicut in
bellis : quædam ad lætitiam,quædam ad devotionem :
ſic quædam inducunt ad planctum*, ait Dionyſius
b Dion. Carth. art 18, in Mat. 9,23 Carthuſianus *b*. Quod innuit quantùm lacrymæ
placent Deo. Re autem verâ non eſt aliquid æquè
potens coram Deo ac lacrymæ : & ſi videre velitis
meliùs quantæ ſint lacrymarum prærogativæ,con-
ſiderate quòd Dei Filius Lazarum amicum ſuum
mortuum,& in tumulo reconditum ſuſcitaturus,
lacrymas fudit, ut oſtenderet quàm gratæ ſint ipſi
lacrymæ noſtræ, quas approbavit in Mariâ Mag-
dalenâ,& in Judæis deflentibus mortem ejuſdem
Lazari, *Ieſus ergo ut vidit eam plorantem , & Iudæos
qui venerant cum ea,plorantes, infremuit ſpiritu,&*
c Jo.11, 33 & 35. *turbavit ſeipſum , & lacrymatus eſt* c. Dionyſius
d Dion. Carth. art. 28, in Joa. 11,33. & 35. Carthuſianus *d* ait, quòd *fremuit ſpiritu, indignans
peccato,& actori peccati diabolo,cujus invidiâ mors
introivit in orbem terrarum* e. *Indignabatur igi-
tur contra diabolum, eo quòd ſuâ perſuaſione indu-*
e ex Sap. 2. 24,& ex Gen 3, 1, &c. *xit Protoplaſtos parentes ad culpam,ſicque totam in-
fecit poſteritatem, & genus humanum tot pœnis, mi-
ſeriiſque addixit,ita ut Lazarum quoque ſuum ami-
cum mors ipſa quæ eſt pœna peccati, proſtravit. Infre-
muit ergo ſpiritu, & turbavit ſeipſum in exemplum,
ut doceret nos contra vitia atque diabolum fremere,
& moveri. Et lacrymatus eſt Ieſus amicus humanæ
naturæ,non Lazarum tantùm ſed totius humani ge-
neris multiplicia mala deplanxit , præcipuè mala
culpæ, & futuram damnationem multorum*. Idem
docet S.Cyrillus Alexandrinus *f*, nimirum, quòd f S. Cyrill, Alex. l.7, c 20, in Jo. 11,33.
iſte fremitus Salvatoris noſtri oſtendit , eum indi-
gnatum fuiſſe contra mortem, & diabolum, qui
ingreſſum præbuerat ei in mundum, *Infremuit,
quaſi minas Satanæ,& morti intentans*. Quaſi di-
xiſſet,Pro certo tenete, mors, & diabole, quòd,
cùm ita velim,verè moriturus ſum; ſed moriendo
vobis mortem inferam , & ulciſcendo me de vo-
bis, de vobis pœnas expetam propter tot injurias
quas hominibus irrogaſtis, *Ero mors tua , ô mors,*
morſus tuus ero inferne g. Et hoc eſt quod ipſe g Oſee 13 14.
complevit, *Abſorpta eſt mors in victoria*, ait S.Pau-
lus *h*. Et Carthuſianus i, *Abſorpta, id eſt, victa eſt* h 1, Cor.15 55.
mors ſive diabolus in victoria, id eſt, per victorioſam i Dion.
paſſionem,ac reſurrectionem Chriſti, qui mortem no- Carth art. 16, in 1, Cor.15,55
ſtram moriendo deſtruxit k, *ſicut & per Oſeam lo-
quitur, Ero mors tua , &c. Quod eſt ſecundùm* k ex Eccleſia.
*tranſlationem LXX. Abſtulit enim à nobis mortem
culpæ,atque gehennæ*.

Nunquam flevit Dei Filius, quin Patrem ſuum
obſecraverit ut ſuis ſtaret promiſſis, & miſereretur
noſtrî,ait S.Hilarius *l* ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, l S. Hilar. in Pſ.55,9
*Deus vitam meam annunciavi tibi : poſuiſti lacry-
mas meas in conſpectu tuo. Lacrymæ enim ſuæ, quas
vel pro ſe Propheta,vel pro nobis Dominus profudit,in
Dei ſunt conſpectu , legatione earum ad obtinenda
quæ Deus promiſit,uſui* m. Si enim lacrymæ noſtræ
provocant illum ad plorandum, & ipſe ſuſtinere
non poteſt ut fleamus ſoli, Gillebertus m ſuper hæc m Gilleb. ſerm.40, in Cant. ex Iſa, 22, 4.
verba Iſaiæ, *Recedite à me, amarè flebo, nolite in-
cumbere ut conſolemini*, ait, *Flebo & ego tecû. Fortè
Dilectus tuus & ipſe collacrymabitur tibi, qui Laza-
rũ flevit. Fortè plùs ille dolet. Plùs dolet qui plùs dili-
git*. Illa ſunt privilegia, quæ educim° è lacrymis no-
ſtris,quæque ſic recenſentur à S. Ambroſio n, *Ex-* n S. Ambr. l. 1, de Pœnit. c.4.
*pectat gemitus noſtros, ſed temporales, ut remittat
perpetuos : noſtras expectat lacrymas, ut perfundat
pietatem ſuam : expectat converſionem noſtram, ut
revertamur & ipſi ad gratiam*. Et alibi o, *Mihi* o Idem l. 2 de Fid. c.3
*triſtis eſt, mihi dolet : dolet Domine Ieſu, non tua, ſed
mea vulnera. Et quid mirum ſi pro omnibus doluit,
qui pro uno flevit ? Quid mirum ſi moriturus pro o-
mnibus tædeat, qui Lazarum reſuſcitaturus illacry-
mat* ? Ut oſtenderet quòd recordatio exigui fru-
ctus, quem homines erant educturi ex opere ſic
miraculoſo ſuſcitationis Lazari, majori tormento
ipſum angebat, quàm honor qui erat ipſi proven-
turus è tanto miraculo, poſſet ipſum lætificare.

Ipſæ ſunt quæ abluunt peccata noſtra : non e-
nim ſolùm veniam efflagitant à Deo lacrymæ, ſed
illam extorquent : & hoc innuere videtur nobis
Scriptura figurativè in luctâ initâ à Jacob cum An-
gelo : *Et ecce vir luctabatur cum eo uſq; mane. Di-
xitque ad eum : Dimitte me : jam enim aſcendit
aurora. Reſpondit, Non dimittam te, niſi benedixe-
ris mihi, At ille, Si contra Deum fortis fuiſti, quantò
magis contra homines prævalebis* p? Sed quomodo p Gen 32, 24.&c.
Jacob prævaluit adversùs Deum in perſona Ange-
li ? Quomodo, inquam, ut utar verbis ejuſdem
Scripturæ, *In fortitudine ſua directus eſt cum Ange-
lo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt? Fle-
vit, & rogavit eum* q. Et ſic conſecutus eſt ab eo
benedictionem,ut ſubdit Eccleſia, *Et benedixit ei* q Oſee 12 4.
in

Digitized by Google

in eodem loco. Simili modo peccator orans & flens coram Deo, triumphat de juſtitia ejus, & flectit miſericordiam illius. Propterea ſemper eſt obſervatum, quòd illi qui impetrare voluerunt indulgentiam à Deo, ad lacrymas recucurrerunt, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam,* ait Deo eidem Pſalmiſta r.

r Pſ. 117, 126.

Super quod apprimè ad propoſitum noſtrum, ſed ſatis fusè dicit Incognitus ſ, *Pœnitentia peccata commiſſa delet, & gratiam Divinam acquirit: ſine qua adultus ſalvari non poteſt. Hoc benè novit Magdalena, quæ maculas criminis lacrymis lavit* t. *Hoc novit Petrus, quia ut peccatum negationis Christi tergeret, egreſſus foras, flevit amarè* u. *Sic & Pſalmiſta* x *dicebat: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Sic & modò in perſona peccatoris, qui peccata dolore curavit, dicit, Exitus aquarum, id eſt, lacrymarum deduxerunt oculi, &c. Et adverte, quòd magna eſt virtus lacrymarum, quæ non damno temporalium, ſed ſpiritualium emittuntur. Vnde cauſam harum lacrymarum inſinuans hic Pſalmiſta, dicit: Exitus aquarum, &c. quia non cuſtodierunt legem tuam. Iſta ſunt lacrymæ quæ pro offenſa delenda funduntur. Vnde hic Ambroſius ait: Cauſam ſui fletus oſtendit Pſalmiſta, dicens, Quia non cuſtodierunt legem tuam. Sancto viro plùs culpa, quàm ærumna defletur. Flevit enim David quando Nathan ei de Vriæ morte indignationem nuntiavit, & peccatum ſuum de prævaricatione legis agnovit. Deniq; Filio in ægritudine conſtituto nec cibum ſumpſit, nec regium thronum aut cubile aſcendit, ſed ſtratus in terra, jejuna ora lacrymis diluebat* y, *non tam filij ſui mortem, quàm peccati ſui pœnam in illo lavare deſiderans. Flevit, quando, numerato populo, repente corde percuſſus eſt, dicens: Peccavi graviter. Flevit ergo primò, quia elatus Regiâ poteſtate, quærendo numerum plebis, menſuram egreſſus eſt conditionis humanæ. Deinde, Quia ſui erroris pretio vindicabatur in plebem, ſed à Domino propoſita hæc pœna fuerat, non à Rege eſt poſtulata, Domini tamen ſe committendo miſericordiæ* z, *electionis cauſam probavit ſimul: quia propter eum populus laborabat; ipſe quoque ſe offerendo pro populo, elationis ſolvit injuriam, pietatis protulit affectum.* Iſto modo noſtra abluuntur ſcelera, non ſolùm primo Baptiſmo, quo renaſcimur *ex aqua & Spiritu ſancto* a, ſed etiam ſecundo, qui vocatur à S. Gregorio Nazianzeno b *Baptiſmus lacrymarū*. Propterea S. Chryſoſtomus c loquens de Magdalena pœnitente, ait, *Illa tu Evangelii meretrix, à maximis ſordibus peccatorum largiſſimo lacrymarum fonte purgata.*

ſ Incognit. in Pſ. 118, 136.
t ex Luc. 7, 37, &c.
u ex Luc. 22, 62 &c.
x Pſ. 6, 7.
y ex 2. Reg. 12, 16, &c.
z ex 2. Reg. 24, 14, &c.
a Joan. 3, 5
b Greg. Naz. Orat. ad ſancta Lumina.
c 8. Chryſ. hom. 6, in Matt. 2, 1, ex Luc. 7, 37, &c.

A tanto tempore mundani ſuas agnoſcunt culpas, nedum tamen eas oderint, ut dici poſſit, ſed infallibiliter, quòd mundus hoc abuſu deceptus, ad finem uſque ſæculi ſit in eis perſeveraturus. Imaginantur aliqui, quòd ſatis ſit ad acquirendam ſanctitatem, ut confiteantur ſe peccatores, & quòd mala, quæ nobis accidunt, oriantur è peccatis noſtris: talis cognitio ſola non juſtificavit Davidem, Magdalenam, S. Petrum, & bonum Latronem, ſed, ut ſuprà dixi, horror criminis, qui efficit ut in bonam emendatæ vitæ nos recipiamus frugem. Ideò S. Ambroſius d loquens de lacrymis amaris ſancti Petri, ait, *Flevit ergo amariſſimè Petrus, flevit ut lacrymis ſuum poſſet lavare delictum. Et tu ſi veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam, eodem momento, eodem tempore reſpicit te Chriſtus. Habebat ergo lacrymas Petrus, pro quo fundebat affectu, non habebat proditor fletus, quibus culpam ablueret, ſed tormenta conſcientiæ, quibus ſacrilegium fateretur* e. Lacrymæ procedere debent ex horrore peccati, nedum ſint ut lacrymæ mundanorum, quibus videtur ſufficere ut laudent cœlum, paradiſum, bona opera: ſed hallucinantur turpiter: *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum cœlorum* f, ait Dei Filius. Et, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* g. *Quapropter, Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis* h. *Hoc enim ſuo modo agnoſcitur, ſi quis Creatori ſerviat diligenter, peccata abhorreat, Deo ſemper intendat, deſideret, & conetur, ac perſeveret in bonis,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus i. Sed oportet ut hoc deſiderium ſit efficax, non autem tale, quali ducebatur Herodes videndi JESU: licèt enim deſideraret illum videre, nunquam tamen fecit illum ad ſe vocandum, quamvis eſſet è ſubditis ipſius, ortus è Galilæa: & niſi tempore quo Jeſus jus dicere amore compulſus eſt, ipſe Jeroſolymis adfuiſſet, parùm fuiſſet ſolicitus de vocando ad ſe eo: *Pilatus ut cognovit quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Ieſu, gaviſus eſt valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo: & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri* k. Conformiter ad hoc dicebat Salomon l, *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari.* His deſideriis inefficacibus non ducebatur Magdalena, ſed fervorem illius demiratus S. Gregorius m, ait, *Cogitanti mihi de Maria Magdalena pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cujus enim vel ſaxeum pectus illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Conſideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingreſſa eſt, non juſſa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubeſcit. Sed ecce quia turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lavanda ad fontem miſericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia ſemetipſam graviter erubeſcebat intùs, nihil eſſe credidit quòd verecundaretur foris.* Exiſtimabat enim Magdalena, quòd omnes lacrymæ, quas ipſa poſſet effundere, non forent niſi exigua teſtimonia magni doloris ſui, intuitu probationum quas ipſa deſideraſſet Domino ſuo exhibere affectus ſui. Nulla eſt legatio, quæ meliùs ſuſcipiatur, quàm lacrymæ. Sic Ovidius in exilio poſitus, ſcripſit epiſtolam uxori ſuæ, eam deprecans ut adiret Imperatorem, eumque enixè rogaret ut ipſum ab exilio revocaret; ita ut, quàmvis lacrymæ eſſent interruptoræ orationum ipſius, quandiu ipſa alloqueretur Imperatorem, amitteret ipſa potiùs uſum loquelæ, quàm ſuarum ſiſteret curſum lacrymarum, quippe quæ potentiſſimæ ſunt ad quidlibet impetrandum,

d S. Ambr. l. 10, in Luc. 22, 61, & 62
e ex Matt. 27, 3, & 4.
f Matth. 7, 20, & 21
g Matt. 11 12.
h 2, Petri 1 10.
i Dion. Carth. art. 1, in 2, Petr. 1, 10
k Luc. 23, 6, &c.
l Prov. 21, 25, & 26.
m S. Greg. hom. 33. in Evang. ex Luc. 7, 37, &c.

Nec tua ſi fletu ſcindentur verba, nocebit:
Interdum lacrymæ pondera vocis habent,

Re autem verâ lacrymæ meliùs perſuadent quàm verba; non eſt aliquid quod meliùs nos audiri faciat à noſtro magno Judice quàm lacrymæ: orationes non benè ſemper audiuntur; & delinquere poſſumus, aut circa connexionem, aut circa ordinem diſcurſus noſtri: perſæpè verba noſtra non ritè repræſentant illi neceſſitates noſtras; lacrymæ verò apprimè proponunt ei miſerias noſtras; & impetrant id, quod rationes humanæ perſuade-

ſuadere non poſſunt: lacrymæ noſtræ nunquam ſunt ei importunæ, non timent erubeſcentiam, & quò majori pudore ſuffunduntur, eò ſunt illi gratiores, & faciliùs conſequuntur id, quod efflagitant, nec unquam reputantur adulatrices, aut hypocriticæ. Ideò Magdalena non vult adhibere verba, quippe quæ inquinaſſet os ſuum tot ſermonibus ſordidis & profanis; ſed lacrymæ nunquam fuerunt infectæ contagione voluptatis ipſius, nunquam effudit ipſa lacrymas niſi propter peccata ſua.

Magnam deprehendit S. Ambroſius *n* convenientiam inter peccatum S. Petri & crimen Adæ; & differentiam inter utriuſque converſionem & juſtificationem; dicens, *Quòd ad ſimilitudinem Evæ Petrum oſtiaria mulier quoque deceperit* o; *& ſicut Adam fœmina circumſcripſit* p, *ita & Apoſtolum fœmina circumvenerit. Eſt ergo eadem ſimilitudo deceptionis in Petro quæ in Adam fuit, quoniam eadem eſt & ſimilitudo mandati. Accepit enim à Domino uterque mandatum, Adam ne tangeret, Apoſtolus ne negaret. Guſtat ille quod non licet, loquitur iſte quod non decet, & tamen facilior negatio Petri, quàm Adæ prævaricatio. Citiùs enim Apoſtolo quàm Protoplaſto ſubvenitur. Adam reus facti nudus erubuit, Petrus conſcius dicti correctus ingemuit. Ille tanquam deprehenſus feſtinat ad latebras, hic tanquam emendatus prorumpit ad lacrymas. Ergo Petrus prorupit ad lacrymas, nihil voce precatus. Invenio enim quòd fleverit, nõ invenio quid dixerit. Lacrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego. Lavat lacryma delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lacrymæ ergo verecundiæ conſulunt, pariter & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando. Lacrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces ſunt, veniam non poſtulant & merentur, cauſam non dicunt & miſericordiam conſequuntur, niſi quòd utiliores lacrymarum preces ſunt quàm ſermonum, quia ſermo in precando fortè fallit, lacryma omnino non fallit.* Flendum eſt propter peccata, non ob ineptias & vanitates, quæ noſtris ſunt indignæ lacrymis: illi autem ſunt verè digni lacrymis qui ita plorant: verus dolor eſt ille qui deflere nos facit peccata noſtra, aut aliena. Nihil eſt igitur æquè potens coram Deo ac lacrymæ. Sed ſanè multi ſunt qui lacrymas non effundunt ſicut expedit.

n S. Ambr. ſerm. 46.
o ex Luc. 22, 56. &c.
p ex Gen. 3. 6. &c.

Lorinus *q* poſt Caſſiodorum, explicans hunc verſum Pſalmiſtæ, *Auribus percipe lacrymas meas*, ait, quòd lacrymæ habent virtutem orationis, *Vox hæc dulcis, quam ſonare cupit in auribus* r, *& audire quid loquatur in ſe Dominus* ſ. Quomodo igitur intelligitur hoc? Nimirum, quia lacrymæ clamant ad Deum, ſicut oratio, *Exaudivit Dominus vocem fletus mei* t. Et Genebrardus *u* exponens hunc locum ejuſdem Davidis, *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo*, ait, *In utre tuo, in ſacculo tuo, ut eas ſcilicet ſervet, ut earum memor ſis, id eſt, in tuo commentario, in tua mente & memoria.* Ipſæ quippe ſunt exquiſitæ, quaſi ipſæ oblectamentum præbeant Deo, quia illi gratæ.

q Lorin. in Pſ. 38, 13.
r ex Cant. 2, 14.
ſ ex Pſ. 84, 9.
t Pſ. 6, 9.
u Genebr. in Pſ. 55, 9.

Sed aliquæ ſunt lacrymæ, quæ Deo diſplicent. Defletis, Parentes, mortem corpoream liberorum veſtrorum, ſed non ploratis mortem eorum ſpiritualem, cùm aliquo ſcelere lethali ſe inquinaverunt, & eo ſpiritu quo flebat ſancta *Monica, S. Auguſtini dupliciter mater, quia eum & mundo & cœlo peperit: in aſſiduis verò ad Deum orationibus pro filio qui in Manichæorum ſectam inciderat, lacrymas effundebat*, ut ait Eccleſia in ejus Legenda. Amatis corpora liberorum veſtrorum, ſed non illorum animas. In morte Lazari, ait S. Cyrillus Alexandrinus x, *Erudiit etiam nos Dominus ſuis lacrymis, quonam modo charos noſtros vità defunctos moderatis & lege rationis temperatis lacrymis flere debemus.* Sed quasnam lacrymas requirit à nobis Deus? Lacrymas ob peccata noſtra, ad operandam juſtificationem noſtram. Defleamus igitur, Auditores, ita ut lacrymæ noſtræ ſint nobis præparationes ad juſtificationem peragendam: *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur* y. Virtute cujus nobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* z.

x S. Cyril. Alex. l. 7. c. 20. in Jo. 11, 35.
y 2. Cor. 7. 12.
z Pſ. 83, 12.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.
Matth. 24. 15. &c. ex Dan. 9. 27.

HÆc eſt abominatio deſolationis, quam prædixit Daniel, & quam Evangelium hodiernum nobis proponit, quæ eſt ſubjectũ quod propter gravitatem ſuam non minorem cauſare debet in moribus noſtris emendationem, quàm timorem & tremorem mentibus noſtris incutere, ut evitare poſſimus immodicum rigorem, cujus monent nos iſti dies ultimi, qui præ ſe non ferunt aliquid quod non ſit funeſtum & terribile, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur: & tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majeſtate.* Quæramus, Auditores, portum ſecurum, in quo declinemus ab univerſis iſtis commotionibus; eamus à tribunali juſtitiæ ad thronum miſericordiæ: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* a. B. Virgo *Maria, Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ* eſt, quæ proculdubio nobis erit favorabilis, quippe quæ ipſam Miſericordiam concepit *in utero* b ſuo, poſtquàm ſalutata eſt ab Angelo terminis iſtis, *Ave Maria.*

a Hebr. 4, 16.
b Luc. 1. 31. ex Iſa. 7, 14.

Neſcio aliquid quod ſit magis naturale hominibus, & quod ipſi avidiùs inquirant, quàm id quod ipſos poteſt commendare præ oculis hominum, manifeſtando eximias ipſorum qualitates, & id quod ipſi agunt præ pura vanitate, reperio quòd Deus ſemper idem facit propter bonum noſtrum, quod eſt inſeparabile à gloria ipſius, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ait Salomon c. *Id eſt, ex propria liberalitate ac bonitate, & propter ſuipſius gloriam ac honorem, non ob aliquam indigentiam aut profectum ſeu commodum ſui, qui*

c Prov. 16. 4.

bono-

d ex Pſ. 15, 2. *bonorum noſtrorum non indiget* d, *ſed ut ex ſua ple-*
nitudine ac munificentia ſeipſum creaturis commu-
nicaret, ſuamque perfectionem ac beatitudinem eis
e Dion. Carth. art. 16, in Pre. 16, 4 *multipliciter participaret*, ſubdit Dionyſius Car-
thuſianus e. Sicut enim ipſe ſcit apprimè quòd ex
cognitione ſuæ Divinitatis pendet omnis beatitu-
do noſtri eſſe, quemadmodù *Ieſus ſublevatis oculis*
in cœlum, dixit, Pater, Hæc eſt vita æterna. Vt cogno-
f Io. 17, 1, & 3. *ſcant te, ſolum Deum verum* f: nolens ut diutiùs
verſaremur in ignorantia Divinorum attributo-
rum ſuorum, educens tot creaturas è nihilo, poten-
tiam ſuam nobis æquè manifeſtat in earum creati-
g Baruch 3, 25. one, ac bonitatem ſuam, quæ *non habet finem* g, in
illarum conſervatione, ne veniant in primum non
eſſe ſuum, è quo erutæ ſunt: ſapientia ipſius etiam
apparet in earum directione: ſed præcipuè ipſius
miſericordia, veluti principium è quo omnes aliæ
Divinæ perfectiones oriuntur, in illis ſplendet præ
majori majeſtate quaſi earum Regina, *Miſeratio-*
h Pſ. 144, 9. *nes ejus ſuper omnia opera ejus*, ait Pſalmiſta h. Et
i Dion. Carth. in Pſ. 144, 9 poſt eum Dionyſius Carthuſianus dicit, *Quòd iſtud*
dupliciter intelligi poteſt. Primò ſic, Miſerationes e-
jus, id eſt, Divinæ Pietatis effectus, ſuper omnia opera
ejus, id eſt, ad omnem ſe creaturam extendunt, o-
mnibus communicantur, & inſunt. Hoc autem
ſimpliciter & generaliter verum eſt. Nil enim Di-
vinæ Bonitatis participatione expers conſiſtit, ſed ef-
fuſio Liberalitatis Divinæ ad omnia venit quantùm
ad naturalia dona, in damnatis etiam miſeris invo-
nitur, dum citra condignum torquentur. Hinc Chri-
ſtus teſtatur, Eritis filij Altiſſimi, quia ipſe benignus
k Luc. 6, 35. *eſt ſuper ingratos & malos* k. *Quia Solem ſuum*
l ex Matt. 5, 45 *facit oriri ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Iuſtos*
& injuſtos l. *Secundò, Intelligitur ſic, Miſerationes*
ejus ſuper omnia opera ejus, hoc eſt, effectus Divinæ
Miſericordiæ, majores & evidentiores ſunt cæteris
Dei operibus, utpote quòd plùs abundant in creaturis
m Jac. 2, 13. *quàm effectus Divinæ Iuſtitiæ, juxta illud Iacobi* m,
Superexaltat miſericordia judicium. Si autem hoc
modo intelligatur, non videtur verum eſſe niſi quan-
tùm ad viatores. Si enim juſti ſunt, hoc per ſolam
gratiam & miſericordiam Dei habent. Si verò in-
juſti ſunt, per miſericordiam tolerantur, & quan-
diu expectantur à Deo, miſeratio Dei in eis præfulget.
Miſericordia Dei reperitur ubique, & inter rigores
Divinæ Juſtitiæ facilè detegitur ipſius imperium.
Iſtæ duæ perfectiones ſunt duæ columnæ Monar-
chiæ Dei, & duæ manus illius, quæ faciunt omnia
opera ejus in iſto mundo, quarum dextera veluti
fortior, eſt miſericordia, *Dextera Domini fecit vir-*
n Pſ. 117, 16. *tutem* n. Illa nos tremore concutit, hæc verò nos
conſolatur: illa vult nos perdere, hæc verò quæ-
rit ſalutem noſtram: illa armat omnes cœlos,
irritat elementa, ſtrepere facit tonitrua, & cauſat
terræ motus ad moliendam ruinam noſtram, hæc
verò charitativè nos admonet ut declinemus à
o Pſ. 59, 6, & 7. fulminibus illius, ſicut ait David o, ſic Deum de-
precans, *Dediſti metuentibus te ſignificationem:*
ut fugiant à facie arcus: ut liberentur dilecti tui:
ſalvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me. Videmus
hodiernâ die veritates omnes iſtas in Evangelio
noſtro, quod mentionem facit rigoris, quem juſti-
tia Dei eſt exercitura: ſed in eo habemus etiam
monita ſalutaria miſericordiæ ejuſdem Dei ad hoc
ut evitemus omnia Juſtitiæ Divinæ conſilia, *Tunc*
qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. Deus regna-
re non vult ut Tyrannus, cui non obeditur niſi per
vim & per coactionem, & qui non haberet vaſſal-
los, niſi pavor quem imprimit ipſius potentia, eos
p Pſ. 144, 9 ipſi faceret. Ipſe qui eſt *ſuavis Dominus univerſis* p,

damnat intitate ſuâ verbum indiſcretum Impera-
toris illius Romani, qui cùm non diligeretur à
ſubditis ſuis, dicebat, *Oderint, dummodò metu-*
ant. Deus noſter, Auditores, timeri vult propter
rigores juſtitiæ ſuæ, ſed ſemper magis diligi ob le-
nocinia ſuavitatum ſuarum, & propter effectus
miſericordiarum ſuarum, quæ ſupremum locum
tenent in conſilus ipſius, *Miſerationes ejus ſuper o-*
mnia opera ejus q. Cum juſtitia nullam habeat q Ibid.
unquam poteſtatem niſi per contemptum quem
facimus miſericordiarum ipſius. Ego autem dico
(obſervate, ſi placet, iſtud, quippe quod erit ſubje-
ctum diſcurſus iſtius) quòd cùm Deus ſit ſumma
Bonitas per eſſentiam, nunquam puniret nos, niſi
ad id veluti cogeretur à criminibus noſtris: pecca-
ta noſtra ponunt arma præ manibus illius, ut dei-
pſis ultionem capeſſat. Ecce duo puncta, Quo- Diviſio.
rum unum erit de miſericordia ejus in ſeipſa: Al-
terum de juſtitia illius irritata culpis noſtris.

Deus qui per antonomaſiam præ ſe fert nomen I. Pars.
Boni, cùm ſit eſſentialiter bonus; *Nemo bonus niſi*
ſolus Deus r, nobis dare volens omnipotentiæ ſuæ r Luc. 18, 19.
probationes, non poteſt hoc meliùs facere, quàm
explicando vires Divinæ miſericordiæ ſuæ: *Mi-*
ſereris omnium, quia omnia potes, ait ille Sapiens ſ Sap 11, 24
ſ. Miſericordia eſt probatio potentiæ ipſius, &
ipſius potentia eſt tota miſericors. Ipſa miſeri-
cordia facit univerſa mirabilia mundi, & Deus in
illam fertur cum omni facilitate poſſibili, veluti ad
rem quæ eſt ipſi naturalis, & propria: & ſicut i-
pſe in nulla re ſibi magis complacet quàm in pro-
fuſione gratiarum ſuarum, ſic vehementiſſimè ſi-
bi complacet in effectibus miſericordiarum ſua-
rum, quæ procedunt ab eſſe ipſius, quod eſt ori-
go omnium bonitatum, *Omne datum optimum &*
omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à t Jac. 1, 17
Patre luminum t.

Deus tanto zelo ducitur erga miſericordiam
ſuam, & illam tanti æſtimat ut maluerit ut ambi-
geretur de Divinitate ipſius (ſi liceat ita loqui)
quàm ſi in dubium revocata eſſet ipſius bonitas:
ipſe maluit, ſuſtinendo peccatores, ut impii aude-
rent dicere ſeu cogitare *in corde ſuo, non eſt Deus*,
ſicut ait Pſalmiſta u: & poſt eum Dionyſius u Pſ. 13, 1.
Carthuſianus x, *Hoc eſt, Non eſt aliquis qui ſit om-* x Dion.
nium Iudex ac Dominus, & providentiam de actibus Carth. in
hominum habens: quàm vindicando crimina ju- Expoſit.
ſtitiâ ſuâ, quam ipſe non exercet niſi veluti coactus, Tropol. in Pſ. 13, 1.
ſicut dicemus in ſecundo puncto, diceretur, Verè
Deus eſt, ſed ipſe ſemper armatus eſt fulminibus.
Prodigium inauditum! Tanti Deus æſtimat mi-
ſericordiam ſuam, ut videatur malle ut ſibi eripia-
tur titulus Dei, quàm perfectio miſericordis, quam
poſſidet ipſe per naturâ inſeparabiliter ab eſſe ſuo;
æquè ac à Divinitate ſua.

Pſalmiſta y conſilium præbet peccatori, quod y Pſ. 36, 5.
mirabiliter iſtam confirmat veritatem, cùm ait,
Revela Domino viam tuam, & ipſe faciet. Et Hu-
go Cardinalis z, *Non dicit, quid: unde intelligen-* z Hugo
dum eſt de proprio opere ſuo, quod eſt miſericordia. Card. in
Vnde dicitur in Collecta: Deus cui proprium eſt mi- Pſ. 36, 5.
ſereri ſemper. Si ingrederemini domum pictoris,
& quæreretis quidnam agat, & reſponderetur vo-
bis, quòd operaretur, non peteretis cuinam exerci-
tio vacaret, cum ejus occupatio quotidiana ſit pi-
ctura: ſic Pſalmiſtâ dicente, *Ipſe faciet*, hoc intel-
ligere debemus de proprio opere ſuo, quod eſt mi-
ſereri. Juxta quod dicit eidem peccatori poſt
Pſalmiſtam Dionyſius Carthuſianus a, *Revela* a Dion.
Domino, qui omnia novit, viam tuam, hoc eſt cor tuū Carth. in Pſ. 36, 5.

fiducialiter coram eo effunde, peccata tua accuſa, indigentias tuas expone, de imperfectionibus tuis conquerere, & totam vitam tuam coram Deo, ſicut coram fideliſſimo amico, recole & pertracta: & ipſe faciet quod tu cupis, videlicet vitia indulgendo, gratiam conferendo.

Idem Pſalmiſta, quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* b, neſciens quomodo poſſet agnoſcere tot favores quos ſuſceperat à Deo ſuo cum tanta liberalitate, vocat eum abſolutè miſericordiam ſuam, *Deus meus, miſericordia mea* c. Super quod ſanctus Auguſtinus d ait, *Non invênit impietm bonus Dei, quid appellaret Deum ſuum, niſi miſericordiam ſuam. O nomen ſub quo nemini deſperandum eſt! Deus meus, inquit, miſericordia mea. Quid eſt miſericordia mea? Si dicas, ſalus mea* e, *intelligo quia dat ſalutem: ſi dicas, refugium meum* f, *intelligo quia confugis ad eum: ſi dicas, fortitudo mea* g, *intelligo quia dat tibi fortitudinem. Miſericordia mea quid eſt? Totum quidquid ſum, de miſericordia tua eſt.* Quòd ſi univerſæ creaturæ, imò verò inſenſibiles, haberent voces, ipſæ omnes eas inſumerent ad explicandum quòd ipſæ ſunt effectus iſtius potentis miſericordiæ, quæ triumphat de cunctis operibus Dei, & cujus productiones prætereunt cognitiones noſtras. Miſericordia Dei tanta eſt, & ejus clementia ita extraordinaria, & ſic incomprehenſibilis ut nulla penna poſſit eam ſcriptis mandare, nulla lingua poſſit illam explicare, nec ulla mens poſſit illam concipere. Immergant ſe quantumlibet voluerint intellectus creati contemplationi Divinæ Miſericordiæ, coguntur ignorantiam ſuam ingenuè fateri, eò quòd exire non poſſint ex abyſſo, quæ cùm non habeat principium, nullum etiam habet finem. Nam quænam mens non hebetatur, cùm conſiderat velocitatem quâ ſubvenit hæc miſericordia illis qui ſunt in neceſſitate conſtituti? Quænnam pœnam reperiemus quæ non ſit gravis, ſi comparemus eam cum diligentia curarum illius? Quænam lingua non erit debilis ad loquendum de fortitudine, quâ auxiliatur ſuis, quos liberat, & tuetur, ſumens eos ſub protectionem ſuam ſtatim ac videt quòd jam fieri deberent victima Divinæ Juſtitiæ? Quinam autem homines in mundo, imò verò Angeli in cœlo concipere poſſent adinventiones iſtius Miſericordiæ? Altitudo ejus ad Empyreum ſe protendit uſque, *Miſericordia ædificabitur in cœlis*, ait Pſalmiſta h. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus i, *Id eſt, per effectum miſericordiæ, ruina cœlorum reparabuntur, & muri cœleſtis Jeruſalem ex vivis lapidibus conſtruentur, dum per Chriſti incarnationem ac paſſionem homines ad ſedes apoſtatarum Angelorum transferuntur. Unde ſuperiùs dictum eſt, Domine in cœlo miſericordia tua* k. *Et, Magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia tua* l. Profunditas illius attingit uſque ad infernum, *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus* m. Super quod Pintus ait n, *Senſus eſt, Miſericordia Dei in cauſa ſunt, ut vivi relinquamur. Niſi illa eſſent, omnes ſimul conſumpti fuiſſemus. Nos enim citra condignum punivit, & vivos reliquit miſertus noſtri propter nomen ſuum.* Id intelligens Habacuc o, ait, *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Ut mare fons eſt humorum: ſic Deus fons eſt miſericordiæ. Sed quemadmodum mare cum humore habet conjunctum ſaporem amarum: ſic Deus admiſtam miſericordiæ habet juſtitiam, quæ nobis amara videtur.* Latitudo ejus terram complectitur univerſam, *Miſericordiâ Domini plena eſt terra* dicit David p. *Hoc eſt, beneficiis Dei, gratiâ Chriſti, & variis donis Spiritus ſancti repleti ſunt homines Chriſtiani in terra peregrinantes: imò omnes homines aliquo modo pleni ſunt miſericordiâ Dei, quoniam Deus omnes longanimiter expectat, & omnibus, quantum in ſe eſt, gratiam ſuam offert, atque ubique terrarum Evangelium Regni prædicari diſpoſuit*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus q. Et longitudo illius, eſt æternitas, *Quoniam in æternum miſericordia ejus*, ait Pſalmiſta r. *Nam miſerationes Dei ſunt ſuper omnia opera ſua* ſ, *imò quidquid boni in nobis eſt, ex miſericordia Dei profluxit: inceſſabiliterque egemus miſericordiâ Creatoris*, ſubdit idem Dionyſius Carthuſianus t. Obſervate autem, ſi placet, quòd id quod unquam Deus fecit, ipſe egit idem miſericordiâ ſuâ, *Univerſa via Domini, miſericordia & veritas*, ait David u. Et, ut ait idem Dionyſius Carthuſianus x, *Univerſa via Domini, id eſt, omnia opera Dei ſunt miſericordia & veritas, id eſt, in omnibus effectibus Dei apparent atque relucent miſericordia Dei & juſtitia ejus. In aliquibus tamen miſericordia Dei evidenter apparet, ut in Electis: & in quibuſdam manifeſtiùs apparet juſtitia, ſicut in reprobis. Tamen quoniam reprobi citra condignum à Deo in hac vita relinquuntur, & in inferno torquentur, idcircò in eis miſericordia Dei apparet. Electi verò ultra condignum præmiantur, ſicque in eis miſericordia locum habet, & quòd iſtud eſt verum, conſtat.* Miſericordia Dei de omnibus triumphat: miſericordia Dei ipſum induxit ad creandum hominem, & ad replendam animam ejus plenitudine gratiæ ſuæ, *Et ait, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* y. Nam, ſicut ait Cornelius z, *Altera in homine eſt imago Dei, ſcilicet ſupernaturalis* (quia priùs locutus erat de imagine naturali, quæ non amittitur propter peccatum) *quæ ſita eſt in gratia & juſtificatione hominis, quâ ipſe Divinæ fit conſors naturæ* a, *quæque in gloria & vita æterna firmabitur & perficietur. Gratia enim eſt anima animæ, ait ſanctus Auguſtinus.* Ipſa eſt miſericordia quæ nobilitavit eum tot eximiis qualitatibus, & tot præclaris ornamentis. Ipſa eſt miſericordia quæ fecit eum Regem totius orbis iſtius cum mandato reliquis creaturis ut eum agnoſcerent prout agentem vices Divinæ Majeſtatis, ſicut ait Pſalmiſta b, Deum alloquens, *Domine, conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Cùm ejuſdem Majeſtatis præ ſe ferat inſignia, & ab ea ſuſceperit authoritatem. Ipſa eſt miſericordia, quæ curam habet ſalutis illius, & quæ deſtinat ei cœlum pro domicilio ipſius æterno. Hæc eadem eſt miſericordia, quæ poſt lapſum hominis qui vetito *de fructu comêdit* c, facit ut Deus prodat velut fœlicitatem ſuam, ſi fas eſt ita loqui ſine ſacrilegio, avellens veluti è ſinu ſuo Filium ſuum, ut illum collocet in ſinu Virginis, & inducat illum ad ſe incarnandum, & manendum more captivi novem menſibus *in utero* d illius. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* e. Et iſte Filius, factus homo, tantam præſtans hominum cauſam, fit objectum iræ Patris ſui, qui ipſum damnat ad ſuſtinendam mortem crucis infamem pro peccatis eorundem hominû,

Propter

b 1. Reg. 13, 14.
c Pſ. 58, 18.
d S. Aug. conc. 2, in Pſ. 58, 18.
e Pſ. 26. 1.
f Pſ. 30, 4.
g Ibid.
h Pſ. 88, 3.
i Dion. Carth. in Pſ. 88, 3.
k Pſ. 35, 6.
l Pſ. 56, 11.
m Thren. 3, 22.
n Pintus in Thren. 3, 22.
o Habac. 3, 2.
p Pſ. 32, 5.
q Dion. Carth. in Pſ. 32, 5.
r Pſ. 135, 1.
ſ ex Pſ. 144, 9.
t Dion. Carth. in Pſ. 135, 1.
u Pſ. 24, 10.
x Dion. Carth. in hunc loc.
y Gen. 1, 26.
z Corn. in Gen. 1, 26.
a ex 2. Petr. 1, 4.
b Pſ. 8, 2, &c. ex Gen. 1, 28.
c Gen. 3, 6.
d Matt. 1, 18, & 23. & Luc. 1, 31, ex Iſai. 7, 14.
e Joã. 3. 16.

[f Iſai. 53, 8] *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* f. Miſericordia operatur hæc omnia mirabilia, *Ut ſervum redimeres Filium tradidiſti.* canit Eccleſia, Patrem æternum alloquens. Ipſa eſt, quæ facit illum diſſimulare eorundem *peccata hominum propter pœnitentiam* g. [g Sap. 11, 24.] Ut hæc mora ſit motivum converſionis eorum, & remedium curandis illorum morbis opportunum. Tandem, Ipſa eſt miſericordia, quæ potenter operatur ſalutem noſtram, educens nos ab omnibus miſeriis noſtris: ſic ei debentur omnia trophæa noſtra, & univerſæ victoriæ noſtræ.

Eja ergo, Auditores, erimusne mali, quia Deus bonus eſt? Abutemurne bonitate ejus ad offendendum illum tantâ impudentiâ & temeritate? Patientia ejus ad ſuſtinenda & diſſimulanda crimina noſtra, augebitne audaciam noſtram ad committenda ea denuò? [h 2. Pet. 3, 9.] Cùm dicat nobis S. Petrus h, *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Nunquid non timemus, ut hæc ſuavitas exacerbata inſolentiis noſtris, tandem convertatur in furorem ad caſtiganda demerita noſtra? *Horrendum eſt incidere* [i Hebr. 10, 31.] *in manus Dei viventis*, ait S. Paulus i. Apoſtolus vocat Deum, viventem, quia nunc eſt Deus bonitatis, Deus dulcis, Deus veluti mortuus, & quaſi privatus omni ſenſu, & deſtitutus manibus ne puniat crimina noſtra, & oculis ne videat defectus noſtros, ſed ut eos meliùs diſſimulet: ſed veniet dies, & non tardabit, cùm ipſe habebit manus graves, & oculos furentes ad incutiendum terrorem vel audaciſſimis, *Et quis ſtabit ad videndum eum?* ait Malachias k ſtupore perculſus intuitu rigorum i- [k Mal. 3, 2] ſtorum. Tunc ipſe ſe exhibebit ſic rudem & ita ſeverum, ut vix Juſti ſuſtentari ſint iram, quæ apparebit ſuper faciem ejus; tunc omnis iſta ſuavitas, quâ ipſe uſus fuerit ut nos expectaret ad pœnitentiam, convertetur in furorem, & juxta proportionem contemptus quē fecerimus miſericordiarum ejus, experiemur juſtos effectus indignationum illius. En emblema quod apprimè propoſito noſtro congruit, nimirum, tabella in qua gladius acuit aciem ſuam ſuper lapidem ſuavitate olei, quod ſuper illum effuſum eſt, præ hac inſcriptione, *Linimine acutior.* Quis putaret quòd è dulcedine olei exire deberet chalybs acutior gladii, & quòd inde gladius eſſet meliùs ſecaturus? Ha! Auditores, id nos edocet, quòd Deus è miſericordiâ, quâ ipſe utitur erga nos, educturus eſt motivum maximorum rigorum ſuorum ad nos caſtigandos: & quòd beneficia ejus erunt gladii qui nobis inferent mortem, & quòd totum oleum ſuavitatum illius non ſerviet niſi ad acuendam illorum aciem propter jacturam noſtram. Res inaudita, quòd ſuavitas Dei, nobis reddat eum ſeveriorem, & quòd educamus inde ruinam noſtram, unde debebamus eruere motiva noſtræ ſalutis operandæ: nam ſicut odia mundi ſunt fortiora, quæ prævias habuerunt amicitias fortiores, & omnes blanditiæ prætéritæ convertuntur in rigores immortales: ſic ſuavitates Dei & omnes miſericordiæ ejus convertentur in rigores per contemptum quem fecerimus illarum: non accuſemus igitur Deum, rigoris, ſed crimina noſtra, quæ ſubminiſtrant ei inſtrumenta ſuppliciorum noſtrorum. Et hoc nobis examinandum ſupereſt in ſecundo puncto.

[II Pars.] Deus, cujus omnipotentia ceſſare facit contrarietatem qualitatum in unitate eſſentiæ ſuæ, & qui cùm ſit ſummè bonus, & per eſſentiam, ſicut audivitis in primo puncto, eſt etiam juſtus l, [l Pſ. 118, 137.] licèt nunquam veniat ad infligendum ſupplicium, quin ad hoc veluti cogatur ab aliquâ causâ extraneâ: nam ſicut ipſe fertur naturaliter ad benefaciendum, cùm æquè proprium & naturale ſit ipſi benefacere, ac igni calefacere, & Soli illuminare; ſic cùm venit ad punienda crimina noſtra, veluti vi trahitur ad peragendam hujuſmodi ultionem, quæ eſt actio ipſi extranea, & quam non libenter exercet, cùm non ſit ipſi propria, *Ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus; ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo*, ait Iſaias m. [m Iſai. 28, 21.] Quem Pintus n ſic [n Pintus in Iſa. 28, 21.] apprimè dilucidat ad propoſitum noſtrum, *Punit Deus homines ſceleratos, non ut eos ex animo velit perdere, ſed ut convertantur, aut alii Deum timeant. Punit igitur, ut ſalvos faciat. Punire non eſt proprium Dei opus, ſed miſereri & parcere, quemadmodum canit Eccleſia: Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Ideò Deus non punit ex animo, ſed quia ita exigunt ſcelera noſtra. Ait enim Ieremias in Lamentis, loquens de Deo: Quia ſi abjecit, & miſerebitur ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum* o. [o Thren. 3, 32.] *Non enim humiliavit ex corde ſuo, & abjecit filios hominum. Appellat hoc in loco Iſaias opus Dei miſereri, opus autem alienum ab eo iraſci & punire.* Quomodò enim ipſe ſibi complaceret in deſtruendo homine quem *formavit* p tanto [p Gen. 2, 7] veluti labore, & quem cum tantis curis conſervat q? [q Luc. 12, 24.] Si inducitur ad capeſſendam de illo pœnam, præ ſe ferre videtur dolorem propter hujuſmodi rigorem, cùm libentiùs, ſi per ipſum ſtaret, ſceptra & diademata largiretur, quàm ſupplicia infligeret: *Tardiùs ſiquidem et videtur peccatori veniam dare, quam ipſi peccatori accipere. Sic enim feſtinat abſolvere reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plùs eum cruciet paſſio miſeri, quàm ipſum miſerum compaſſio ſui*, dicit S. Auguſtinus r. [r S. Aug. l. de Spirit. & Anim. c. 6.] Non eſt Dei conſilium puniendi nos, ſed nos ipſi inducimus eum peccatis noſtris ad nos caſtigandos propter eadem peccata noſtra, *Uſque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus, exinde Iudex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt, ſævus*, ait Tertullianus ſ [ſ Tert. l. 2. advers. Marcion. c. 11.] ad propoſitum noſtrum. Sed clariùs & expreſſiùs ſanctus Bernardus t, [t S. Bern. ſerm. 5. Nativ. Dom.] *Benè dicitur Pater miſericordiarum* u, [u ex 2. Cor. 1, 3] *cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Sed fortè quis dicet: Quomodo illi proprium eſt miſereri, cujus judicia abyſſus multa* x? [x ex Pſ. 35, 7] *Neque enim dicitur: Omnes viæ ejus ſola miſericordia, ſed miſericordia & veritas* y. [y ex Pſ. 24, 10.] *Non minùs juſtus quam miſericors eſt, cui miſericordia & judicium decantatur* z. [z ex Pſ. 100, 1.] *Verum idquidem: Cui vult miſeretur, & quem vult indurat* b: [b ex Rom. 9, 18] *ſed quòd miſeretur proprium illi eſt, ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quòd judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longè aliter de corde ipſius miſeratio, quàm animadverſio procedere videatur. Ipſum audi dicentem: Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non magis ut convertatur & vivat* c? [c ex Ezech. 18, 23.] *Rectè igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum: non modò quòd Pater videatur miſereri potiùs quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum miſeretur timentium ſe* d: [d ex Pſ. 102, 13.] *ſed eò magis quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro.*

Propheta Regius e [e Pſ. 73, 16 & 17.] ad inſtructionem noſtram, & ad manifeſtandam nobis meliùs potentiam Dei noſtri, ſermonem ſuum dirigens ad illum, dicit ei, *Tu fabricatus es auroram & Solem. Tu feciſti omnes terminos terræ: æſtatem & ver tu plasmaſti ea.* Sed quid? Nunquid non Deus fecit autumnum & hye-

hyemem, æquè ac ver & æſtatem? Nemo eſt qui de hoc ambigat. Sed ideò Pſalmiſta nullam mentionem facit autumni & hyemis, quia hæc duo tempora repræſentant rigorem juſtitiæ ejus: ſed refert alia duo, quæ denotant ſuavitatem miſericordiæ illius, ut inde nos edoceat, quòd ipſimet ſimus authores punitionum quas experimur. Si verò id videre velitis, conſiderate quòd quandiu Adam manet intra terminos juſti obſequii erga Deum, idem Deus intuetur ipſum ut objectum in quo ipſe ſibi complacet, ut opus eximium manuum ſuarum, ut perfectam imaginem ſuam: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* f. f Gen. 9, 6 Diligit eum, & innumeris dotat illum prærogativis: ſed ſtatim ac excutit jugum obedientiæ, comedens g Gen. 3, 6 *de fructu* g vetito, virgas præ Dei manibus ponit ad ipſum puniendum. Deus igitur venit ad caſtigandum eum, ſed videte quomodo? ipſe non currit, non venit velociter, ſed ſuaviter veluti greſſibus plumbeis, ut dicitur: & videtur velle ut aliquis opponeret ſe juſtitiæ ipſius, ne vindictam capeſſere teneretur de hujuſmodi criminoſo, *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in* h Gen. 3, 8 *paradiſo ad auram poſt meridiem* h. Quod edocet nos, quòd ſuavis Zephyrus miſericordiæ ipſius mitigat ardorem juſtitiæ ipſius, *Superexaltat* i Jac. 2, 13 *miſericordia judicium*, dicit ſanctus Jacobus i. k Dion. Carth. ert. q in Jac. 2, 13. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus k, *Id eſt, tranſcendit & magis apparet in operibus Dei miſericordia ejus, quàm rigor judicij, præſertim in vita* l Pſ. 144, 9 *hac, juxta id Pſalmiſtæ* l, *Suavis Dominus univerſis: & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Deus venit ad occaſum Solis, ad ingreſſum noctis, non ita citò iraſcitur, non punit confeſtim: ſed cùm agitur de exercenda miſericordiâ ſuâ erga animam, tunc ſummo manè ſurgit, *Ad-* m Pſ. 45, 6 *juvabit eam Deus manè diluculò* m. Cùm autem juſtitiam ſuam vult exercere, ſerò venit veluti coactus à nobis propter crimina noſtra. Mementote reprehenſionum quas facit villico ſuo ob malum uſum bonorum quæ ipſe ei commiſerat, *Quid* n Luc. 16, 2, & 2. *hoc audio de te* n? Obſervate, ſi placet, iſtud: Deus habet primus notitiam, quòd villicus ille malè diſpoſuiſſet bona, quorum curam illi præbuerat, & tamen ultimus queritur ei de abuſu quem ille fecit eorum, *Quid hoc audio de te?* Quaſi diceret ei, Nunquid non audis, quòd accuſat unuſquiſque te coram me? *Cognita velut audita imputat: quia in reum non vult accelerare ſententiam: & convictum pentiſſe, velut accuſatum convenit, quia judicium geſtit veniâ ſic præ-* o S. Chryſ. ſerm. 125. *ire*, dicit ſanctus Chryſologus o. Sic poſtquàm *conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum, ait Dominus ad Cain, Ubi eſt Abel frater tuus? Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui* p Gen. 4, 8 &c. *clamat ad me de terra* p. Deus veniens ad puniendum perfidiſſimum & immaniſſimum omnium hominum, nimirum fratricidam Cainum, interrogat illum de ſanguine innocenti fratris ſui Abelis, quem proditorie effuderat ſuper terram, & qui ſanguis ſic inſtanter vindictam inclamat, ut nullo poſſit diutiùs modo Deus diſſimulare tantum ſcelus. Bonitas inaudita Dei, qui videtur velle ſe juſtificare ſuper ultionem quam capeſſere tenetur de crimine ſic nefando, ſuper inſtantiam quam ipſi faciunt clamores reduplicati ſanguinis fratris illius, quorum veluti interventu venerat in cognitionem facinoris ejus, non quòd illud non ſciret: *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* q: ſed illud diſſimulabat, ne teneretur q Hebr. 4, 12. & 13 de eo vindictam referre. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Quaſi diceret, Reatus homicidij, imò parricidij tui, ita voluntarij, in conſpectu meo comparet, atque à me celerem & atrocem vindictam expoſcit*, ſubdit Cornelius r. r Corn. in Gen. 4. 10 Sed eloquentiùs ſanctus Chryſologus ſ, ſ S. Chryſ. ſerm. 115. *Quia illa quæ noveras, quæ pietate velabas, quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra. Vox ſanguinis fratris tui clamat de terra. Clamabat terra, clamabat cœlum: dolebant Angeli, quando jam tota ſæculi fama loquebatur.* En ſpectaculum inuſitatum, nec unquam auditum vel viſum in toto ordine naturæ, quòd frater eripiat vitam fratri ſuo, cujus ſanguis inſtanter inclamat ultionem voce contentâ ad Creatorem, quòd cœlum & terra ſuas in ejus favorem forment querelas, quòd beati ſpiritus contriſtentur in ſignum doloris ſui, tandem quòd tota natura ſcandalizetur ob facinus ſic enorme; & quòd poſthæc Deus veniat ad puniendum crimen iſtud ita nefandum, quaſi verò ante omnes iſtas querelas ipſe non cognoviſſet iſtam culpam. Hanc agnoſcebat, Auditores, proculdubio: ſed expectat ut ſanguis, terra, cœlum, Angeli, & totus mundus ſuper eam requirant ultionem: ut edoceat nos, quòd non ex animo exercet punitiones, & quòd niſi ad illas quaſi cogeretur à criminibus noſtris, nunquam veniret ad earum executionem. Terra querebatur de gravitate hujus Rei, & licentiam petebat aperiendi ſinus ſui ad eum deglutiendum, ſicut deinceps ipſa id impetravit adversùs quoſdam ſeditioſos & rebelles, *Iſti ſunt Dathan & Abiron Principes populi, qui ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adversùs Dominum rebellaverunt. Et aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis* t. t Num. 26, 9, & 10. Cœlum velut invitum ſuas effundit ſuper illum influentias, & quaſi vellet ſuper impium caput illius vibrare fulmina ſua, ſicut deinceps ad punienda crimina nefanda *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia* u: u G... 10, 24, & 25. & quemadmodum tempore prædictæ ſeditionis & rebellionis *combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* x. x Num. 26, 10. Spiritus cœleſtes ſuſtinere non poſſunt hoc facinus Caini, qui cruentavit manus ſuas ſanguine fratris ſui, & vellent de eo vindictam referre, non ſecus ac propter blaſphemiam Sennacherib Regis Aſſyriorum adversùs verum Deum Iſraël, deinceps *factum eſt in nocte, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia* y. Tandem, Tota natura clamat y 4 Reg. 19, 35. &c. adversùs peremptorem, & intendit perdere id quod habet ipſa abominabiliſſimum, *Omnis creatura ingemiſcit & parturit* z. z Rom. 8, 22. Seu, *Omnes creaturæ inanimes anxiè, & magno cum dolore finem malorum expectant: ita ut ſi haberent ſenſum, gemerent quaſi parturientes, idque ab exordio mundi & lapſu hominis* a. a Corn. in Rom. 8, 22

Boni-

Bonitas ſuprema Dei! propterea *manus illius tornatiles, aurea, plena hyacinthis* b. In teſtimonium liberalitatum ipſius, & in probationem miſericordiarum ipſius, ſicut videtur innuere Dionyſius Carthuſianus c, *Manus illius tornatiles, id eſt, celeriter mobiles, aurea, plena hyacinthis. Per manus Chriſti intelliguntur ejus opera virtuoſa ac miraculoſa, ad quæ peragenda expeditiſſimus ac efficaciſſimus fuit ad libitum ſuum: quæ aurea exstiterunt, id eſt, excellentiſſima, atque ex ardentiſſima charitate manantia, & inſtar auri delectabilia ad videndum, ac ſpecioſa, quia nil culpæ fuit eis admixtum, eranteque plena hyacinthis, id eſt, gemmis ſic dictis, ſeu floribus, id eſt, ſapientibus documentis, venuſtiſſimis moribus, & rationabiliſſimis ac utiliſſimis cauſis, propter quas fiebant à Sponſo, videlicet ad Dei Patris honorem, ad ſupernaturalis doctrinæ ſeminationem, ad totius mundi converſionem atque ſalutem*, Sola crimina noſtra ſubminiſtrant ei inſtrumenta ad nos puniendos. Quamdiu ſumus in peccato, ſuper nos effundit miſericordias ſuas, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* d. Cùm ipſe ſibi complaceat in benefaciendo nobis, & æquè remotum ſit ab ipſius bonitate uti rigore & punitione, ac conforme eſt ipſius naturæ nobis impertiri miſericordiam. Debemus igitur, Auditores, invehi in peccata noſtra, cùm officiant felicitati noſtræ, & privent nos favoribus & ſuavitatibus Dei, projicientia nos in infortunia, & facientia nos experiri rigores illius: peccatis noſtris indicere debemus bellum ſine induciis, cùm privando nos felicitatibus noſtris, inducant Deum ad excipiendos nos ut rebelles, ſubminiſtrando ei arma ad expugnandas temeritates noſtras, & ad puniendas inſolentias noſtras. Omne malum noſtrum procedit à nobis, ſicut univerſum bonum noſtrum oritur à Deo, *Perditio tua Iſraël: tantummodò in me auxilium tuum* e. Non debemus aliquo modo ambigere de bonitate Dei, ſed timere à malitia noſtra. Heu! quomodo ſuſtinere poterimus in nobis peccatum, quod inducit Deum ad armandas omnes creaturas adversùm nos? *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum: & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* f. Heu! peccatores, quò nos ducit noſtra cæcitas? Nunquid non proditores ſumus felicitatis noſtræ: nonne crudeles ſumus nobiſipſis, cùm per peccata noſtra ſubminiſtremus inſtrumenta, quibus noſtra cuduntur ſupplicia? Quid agimus per crimina noſtra, niſi ut accendamus iram Dei contra nos, & attrahamus ſuper impia capita noſtra effectus ſeveræ juſtitiæ illius? Ha! ſequi nolumus Deum bonitatis experiemur eum, licèt inviti, Deum juſtitiæ. Queremurne de juſtitia ejus? accuſabimuſne illum rigoris? Nequaquam: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*, aiet David g. Tunc non diſſimulabit ampliùs crimina noſtra, non erit ampliùs ſine manibus ut non puniat ea, ſine oculis ut non videat illa, & ſine ore ut non queratur de illis: ea videbit, illa puniet, & cornua conſcios ut reos læſæ divinæ Majeſtatis faciet diſcedere *in ignem æternum* h. Dulcedo illa, quâ invitabat ipſe nos ad pœnitentiam, convertetur in horribiles rigores: ipſe non apparebit ampliùs, ſicut modò, *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* i, ſed quaſi *Leo rugiet, quis non timebit* k? Præ ſe non feret ampliùs ipſe niſi fulmina, ſicut prænunciat nobis Evangelium hodiernum, *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multâ & majeſtate.* Quòd ſi, ut ait S. Auguſtinus l, *timuit eum Rex Herodes, ſibi Magis nunc antibus, cùm adhuc quærerent Parvulum, quem cognoverant eo teſte jam natum: quid erit tribunal judicantis, quando ſuperbi Reges cunabula terrebant Infantis*? Quantus timor & tremor! ſed jure merito, cùm noluerimus eum agnoſcere ut miſericordem, oportebit ut agnoſcamus illum ut vindicem criminum noſtrorum.

Abſit hoc à nobis, Domine: hoc ipſo momento deponimus arma obſtinationis noſtræ: nimis abuſi ſumus ſuavitatibus tuis, deditionem tuam ſubimus: per crimina noſtra accendimus ignem iræ tuæ, per contemptum noſtræ ſalutis irritavimus patientiam tuam: ſed Salvator adorande, satage ut miſericordia tua referens trophæa de juſtitia tuâ, triumphet denuò de impietatibus & malitiis noſtris, ut ſuaviter compulſi ſuavitatibus tuis, & allecti ſic dulcibus lenociniis, abrenuntiemus peccato, quod ſolùm opponit ſe miſericordiæ tuæ, prout injurioſum felicitati noſtræ. Iſtud eſt, quod efflagitamus à te ex toto corde noſtro, quippe quod ſalutem noſtram maximè condecet, ut poſtquàm nos experiri feceris effectus miſericordiarum tuarum in hoc ſeculo, nobis continues eas in æternum in altero mundo.

b Cant. 5.14
c Dion. Carth. art. 16. in Cat. 5.14
d Apoc. 3.20
e Oſee 13.9
f Sap. 5. 18. & 21
g Pſ. 118. 137
h Matth. 25.41
i Jo. 1.29
k Amos 3.8
l S. Aug. ſerm. 2. de Epiph qui eſt 10. de Temp. et Matth. 2. 7. &c.

PRO INGREDIENTE VEL PROFITENTE RELIGIONEM.

In monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas. Gen. 19. 17. &c.

Angeli amantes ſalutis hominum, ſcientes quòd in mundo non eſt aliquid niſi funeſtum, & quòd omnes illius apparentiæ ſunt mendaces, & univerſæ promiſſiones ejus ſunt fallaces, conantur inde educere Iuſtos, inſtar alterius Lot, infami Sodoma, quæ brevi finienda erat incendio generali, cùm cœlum non poſſet ampliùs ſuſtinere exceſſum abominationum, quæ ibi patrabantur; & conſulunt illis ut ſanctâ elongatione recedant è regione tempeſtatum, quæ non minatur niſi naufragia, ut veniant appulſum portum, qui non eſt agitatus omnibus iſtis procellis, & fruantur ibi felici tranquillitate: ipſi vocant eos è vallibus, ubi vapores ſunt omnes infecti, ad puritatem montium, qui ſunt immunes ab his impuritatibus; ſollicitant eos ad deſerendas voluptates ſenſuum, ut meliùs guſtent delicias ſpiritus, ad exeundum ex inferno mundi, ut ingrediantur paradiſum Religionis, *In monte ſalvum te fac.* Sed quid dico infernum? Etiam, infernum: hoc redico, Licèt hæc veritas nimis habeat luminis, nedum videatur ab hominibus mundanis; hujuſmodi talpæ terreſtres ſuſtinere nõ poſſunt illius ſplendorem, *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* a. Hæc propoſitio videtur paradoxum his hominibus juxta ſeculi maximas innocentiæ contrarias viventibus, quòd mundus ſit infernus; ipſi nimis eum diligunt, nedum huic veritati fidem præbeant; nimis ei adhæſent, nedum ab eo exire velint: ipſi perſuadere ſibi non poſſunt, quòd mundus ſit infernus, & Religio paradiſus, cùm in Religione non intueantur niſi cruces, nedum fuerint unquam experti illius ſuavitates!

a 1 Cor. 2.14

rates: dico tamen, Auditores, & hoc eſt quod oſtẽdere volo vobis in duabus partibus iſtius diſcurſus, quòd mundus eſt infernus? & Religio paradiſus. Sed priùs exhibeamus reverentias noſtras B. Virgini Deiparæ, quæ vocatur à S. Epiphanio b, *Porta cælorum* per hæc verba, *Ave Maria*.

Diviſio.
b S. Epiph. ſerm de Laud. Deip.

Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis c, in qua *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* d, nos edocet, quòd Salvator noſter, qui *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* e, poſtquàm terminavit dies ſuos ſuper infami patibulo crucis, *deſcendit ad inferos* f, ut educeret inde animas ſanctorum Patrum, quæ ibi detinebantur. Et S. Auguſtinus g aſſerit, quòd Dei Filius deſcendit in infernum, cùm venit in mundum, & quòd fecit in nativitate ſua id, quod deinceps egit ipſe poſt mortem ſuam, *Propter duo inferna miſſus eſt Filius Dei, undique liberans: ad hoc infernum miſſus eſt naſcendo, ad illud moriendo.* Verum enim eſt, quòd ipſe invênit infernum, & rigidum infernum inter homines, & horribiles pœnæ, confuſiones, & contradictiones, quas ſuſtinuit ibi, ubi fuit *in laboribus a juventute* h ſuâ, ſatis oſtendunt, quòd mundus, in quo nunquam perpeſſus eſt niſi dolores, vel ab ipſo illius ingreſſu: nam, ſicut ait Dionyſius Carthuſianus i, *Lacrymatus eſt Ieſus, Primò in ſua nativitate* k, *ſecundùm ſanctos Doctores; Secundò, in ſua circumciſione* l, *ſecundùm Bernardum, & alios: Tertiò, in Lazari ſuſcitatione* m: *Quartò, in hac proceſſione: Quintò, inſtante ſuâ paſſione, quando & ſudor ejus factus eſt ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram* n: *Unde ad Hebræos* o *dicitur, Cum clamore valido & lacrymis preces offerens: Sextò, in ſua paſſione* p, *in qua & ſæpiùs præ acerbitate dolorum ſponte ploravit*: quòd mundus, inquam, merebatur hoc nomen potiori titulo, quàm limbus: nam ſi *mundus eum non cognovit: in propria venit, & ſui eum non receperunt* q: limbus ſuſcepit illum cum reverentia, & ibi Salvator iſte, prout victor, apparuit cum toto ſplendore potentiæ ſuæ, *Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* r. Mundus igitur eſt infernus: impii ſunt diaboli hujus inferni mundi: & dæmones non faciunt aliquid in inferno, quod iſti non faciant in mundo: Dæmones ſunt carnifices & miniſtri juſtitiæ Dei; & nunquid non impii exercent idem officium adversùs Juſtos quos affligunt? Sed ad probandam clariùs iſtam veritatem, quod mundus eſt infernus, non poſſum meliùs eam perſuadere, quàm oſtendendo convenientias utriuſque, & monſtrando vobis, quòd illud omne, quod fit in uno, peragitur in altero. Verum quidem eſt, & hoc ingenuè fateor, quòd figurare non poſſumus infernum ſicut eſt, quòd mens noſtra non eſt ſatis fœcunda ad formandam ſibi ideam loci, quò nemo vivens unquã deſcendit, ad tranſumendum illud quod ibi peragitur, & inde referendam ejus imaginem: attamen errare non poſſumus, ſi nobis illius ideam effingamus per comparationem ad res omnes moleſtas & graves quas cognoſcimus, & quæ ſenſus noſtros dolore percellunt. Obſervate igitur, quòd in inferno non erit alia lux, niſi lux ignis, qui combureret reprobos, nedum eos conſumat: ſed lux iſta ſic erit obſcura ut minus ſit habitura ſplendoris quã denſiſſima omnium noctium noſtrarum, nec eis ſit ſervitura, niſi ad hoc ut videant objecta horribilia in hoc loco immundo, qui erit cloaca omnium vitiorum, ſordium, & abominationum mundi, ubi non erunt niſi fœtores, & ubi aër qui reſpirabitur ibi, ſic corruptus erit, ut mortem reprobis inferret, ſi liceret eis vitam amittere. Exercitia æterna iſtorũ impiorum erunt rabies, blaſphemiæ ſ, & deſperationes, *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit*, ait Pſalmiſta t. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus u, *Peccator impœnitens videbit felicitatem Iuſtorum, quam in futuro judicio habebunt perfectè, & iraſcetur contra eos ex impatientia, vel contra ſeipſum, quòd tanta tormenta promeruit. Dentibus ſuis fremet in inferno, ubi erit fletus & ſtridor dentium* x. *Et tabeſcet in ſeipſo ex invidia. Deſiderium peccatorum peribit, id eſt, ſuo effectu, ſeu re optatâ privabitur. Quemadmodum enim Iuſti deſiderant Deo æternaliter frui, & in hac vita ſpiritualibus bonis ditari; ſic impii cupiunt rebus temporalibus & caducis jugiter frui, quoniam eis finaliter inhærent. Tale autem deſiderium penitus perit poſt mortem, quia tunc ampliùs frui non poſſunt temporalibus rebus, ſed pro earum delectationibus compelluntur ſentire æterna tormenta.* Et id omne quod univerſi morbi poſſunt habere intolerabile, reperietur unitum in conditione ipſorum miſerorum. Sed, Auditores, ſi in medio tenebrarum fruerentur quiete, quam affert nox; & ſi carnifices, qui illos torquent, fatigari poſſent, ſaltem ipſi poſſent ſe determinare ad ſuſtinenda tormenta ſua patienter inter hæc intervalla trãquillitatis: at juſtitia Dei nullas præbet inducias illis, qui indixerunt ipſi bellum, quod nullas habebat inducias, & vult ut eorum pœnæ continuentur æquè ac continuatæ ſunt illorum deliciæ. Ha! quis ex vobis, Auditores, non videt, quòd deſcribens tormenta inferni, feci imaginem mundi, & quòd eodem penicillo depinxi vobis vitam præſentem, & mortem futuram? *Hæc eſt mors ſecunda* y. Putaremusne nos invenire minus infortunii in mundo, quàm dæmones reperiant in inferno? Si jactura luminis reprobos vehementer exagitat, *Ejicientur in tenebras exteriores*, ait Dei Filius apud S. Matthæum z: *Id eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus a, *corporales atque palpabiles tenebras carceris infernalis, ſtatim cùm moriuntur quoad animam, in die autem noviſſimo quoad corpus & animam: Quàmvis enim in inferno ſit ignis, ille tamen obſcurus eſt atque fumoſus, non lucidus, niſi forſitan in tantum, ut damnati poſſint ſe mutuò videre ad cumulum ſuæ miſeriæ, ſecundùm Thomam*: mundus habet tenebras denſiores & importuniores, quæ pervadunt intimam uſque cõſcientiam, *Tenebræ aliud non ſunt niſi privatio luminis. Lumen verò eſt duplex, videlicet ſpirituale, ſicut eſt ſapientia, gratia, veritas: & hujus privatio ſunt tenebræ interiores exiſtentes in ſpiritu. Aliud eſt lumen ſenſibile ſeu corporale, cujus privatio ſunt tenebræ exteriores, quæ ſequuntur per privationem, ſicut ſilentium dicitur audiri*, ait idem Carthuſianus b. Et ſic nox peccatorum plùs eſt lugenda. Si in inferno ſunt catenæ, ſi libertas eſt ibi veluti vinculis cõſtricta, *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores* c: mundus non continet niſi ſervos, quorum paſſiones effrænes non permittunt ipſis ut ſint in poſſeſſione ſuæ libertatis: *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* d, dicebat aliàs Dei Filius Judæis. *Id eſt*, ſubdit præfatus Carthuſianus e, *peccato ſubjicitur, vitio vincitur, ſecundùm impetum pravæ inclinationis movetur, quaſi ab extraneo, quemadmodum ſervus movetur à Domino, cui ſubjicitur. Unde Petrus* f *aſſerit, Iniqui ſervi ſunt corruptionis. A quo enim quis victus eſt, hujus & ſervus eſt. Et Apoſtolus* g *hortatur, Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Denique, Serviendo peccatis, ſervitur diabolo, &*

c 1. Tim. 3. 15
d 2. Petr. 1. 21
e Epheſ. 5. 2
f Eccleſia ex Epheſ. 4. 9
g S. Aug. in Pſ. 85. poſt med.
h Pſ. 87. 16
i Dion. Carth. art. 47. in Luc. 19. 41
k ex Luc. 2. 7
l ex Luc. 2. 21
m ex Joan. 11. 35
n ex Luc. 22. 44
o ex Hebr. 5. 7
p ex Joan. c. 18. & 19
q Jo. 1. 10. & 11
r Coloſſ. 2. 15
ſ Apoc. 16. 9
t Pſ. 111. 10
u Dion. Carth. in hunc locum.
x ex Matt. 8. 12 & 13. 42. & 22. 13. & 25. 30
y Apoc. 20. 14
z Matth. 8. 12
a Dion. Carth. art. 16. in Mat. 8. 12
b Idem ib.
c Matth. 22. 13
d Jo. 8. 34
e Dion. Carth. art. 22. in Jo. 8. 34
f ex 1. Petri 2. 19
g Rom. 6. 12

ab

h 2.Timoth.2.26 *ab eo quaſi à Domino peccator, ligatur agitatur, ac regitur: ideò dicit Apoſtolus* h. *Reſipiſcant à laqueis diaboli, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* i S.Chryſoſt.hom. 33.ex c.9 Matth. Et S.Chryſoſtomus i ait, *Magnus dæmon peccatum eſt.* k Petr. Cellenſ. l. de Panib. c.15 Et Petrus Cellenſis k, *Servus namque peccati, ſervus eſt tot Dominorum, quot vitiorum.* In inferno non ſunt niſi conſcii criminum, innocentia non invenitur ibi, & hæc ergaſtula non ſuſcipiunt niſi malefactores: in mundo numerus criminoſorum tantus eſt, ut ſi quærendi eſſent homines innocentes ad eos condemnandos, vix judices invenirentur. Fœtor inferni magnus eſt, ſed ille quem exhalat prava vita, ferè communis omnibus mundanis, eſt re verâ intolerabilior naribus Dei, cùm damnet l Matth. 25.46 eum *in ſupplicium æternum* l. Quòd cùm ita ſit, mundus non eſt valdè differens ab inferno damnatorum.

Addamus his, quòd incendia & blaſphemiæ non minùs vigent in mũdo quàm in inferno. Numquid non concupiſcentia carnalis, *ignis eſt uſque ad* m Job 31. 12 *perditionem devorans* m ſplendidiſſimam omnium virtutum, quæ eſt puritas, & reſolvens bonam vitam quaſi ceram? Propterea vitæ profligatæ hominem vocamus diſſolutum, quia perdidit ſtabilitatem primorum morum ſuorum, & diffluxit deliciis, blaſphemiis contra Deum, imprecationibus, juramentis, & perjuriis ferè cõtinuis: & dato quòd os illius taceret, opera ejus loquerentur contra Deũ & ſumerent officium linguæ ad maledicendum ei: actiones enim noſtræ utplurimùm irrogant ei injuriam cùm labia noſtra ſilentium cuſtodiunt: & ſi punirentur omnia ora, quæ blaſphemias & execrationes evomunt adversùs cœlum, exterminandæ eſſent univerſæ potentiæ noſtræ. Si in inferno n Job 10. 22 *nullus ordo* n eſt; nec ferè ordinem invenio in mũdo, qui eſt illius imago: & obſervo quòd in hoc pũcto tranſumptum valdè accedit ad prototypon ſuum. Ordo eſt propriè diſpoſitio rerum, quæ aſſignat unicuique locum congruum qualitatibus ſuis: atqui hæc jucunda diſpoſitio ita parùm reperitur inter homines, ut ſtupidiſſimi ſæpè ſæpiùs occupẽt locum perſpicaciſſimorum quorumlibet. Meritum quod deberet habere regimen, & habenas moderari, ſervit fortunæ & potentiæ, *Vidi ſervos in equis:* o Eccl. 10.7 *& Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos,* ait Eccleſiaſtes o. Et ordinariè imperium & authoritas ſunt præ manibus hominum ſervilium: & qui plus habet argenti & auri, ſublimiùs elevatur ad officia & dignitates. Totum eſt mercenarium in mũdo. Poſthæc illi qui diligunt mundum, æſtiment tanti quanti voluerint gratum domicilium illius; in eo ſuſtinetur ſpecies damnationis, cùm peccata & infortunia ibi regnent, & non videatur ibi Eſſentia divina, non ſecus ac nec in inferno. Sic Angeli ad cuſtodiam noſtram deſtinati, noſtræ ſalutis amantes, nos hortantur ut exeamus è civitatibus iſtis miſeriarum; invitant nos ad veniendum ad montem Religionis, ut operemur ibi ſalutem noſtram. *In monte ſalvum te fac.* Perſuadent nobis, inſtar alterius Lot, ut exeamus ex incendio Sodomæ, niſi ſepeliri velimus in cineribus ejus; inducunt nos ad nos recipiendos in montem, ne conſumi velimus flammis illius, *Ne & tu ſimul pereas*. David qui illuminatus à Deo, quippe quem idem *quæſivit Do-* p 1.Reg. 13.14 *minus ſibi virum juxta cor ſuum* p, & qui perſpicax erat quoad negotia mundi, petit alas columbæ ut ea inde eadem velocitate, quâ ſe ſubduceret ex incendio; recedit ex hujuſmodi loco confuſionis, ubi non audiuntur ordinariè niſi conclamationes ad arma, ut operetur ſalutem ſuam in deſerto: & licèt ipſe ut Rex, inveniat requiem ſuam in ſolitudine, quæ non apparet ipſi minùs paradiſus propter delicias, quas experitur ibi, quàm mundus ipſi videbatur infernus ob inquietudines ordinarias, quibus agitabatur, *Et dixi, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Ecce elongavi fu-* q Pſ.54.7. & 8 *giens, & manſi in ſolitudine* q. Seu, juxta Dionyſiũ r Dion. Carth. in Expoſit. Morali in hunc locum. Carthuſianum, dicit unuſquiſq; fidelis, *Et dixi intra me, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?* r id eſt, *quàm libenter haberem pennas virtutum, videlicet veram & columbinam ſimplicitatem, & innocentiam, quatenus mala prædicta evadere, & immaculatam vitam ducere valeam inter iniquos: & volabo pennâ contemplationis, ſpeculando cæleſtia, propter quorum amorem terrena deſpicio, adverſaque libenter ſuſtineo, & requieſcam in Deo per fidem, & charitatem, & pacem internam à terrenarum rerum tumultu, & inquietudine paſſionum, ac ſolitudine tem-* ſ Pſ.4.9 *poralium rerum, ſicut ſuperiùs* ſ *dictum eſt, In pace in idipſum, dormiam & requieſcam. Ecce elongavi meipſum affectu, ſeu loco, vitâ & voto à peccatoribus & inquietis hominibus, fugiens pericula mundi, ne* t ex Pſ. 17.17. *cum perverſis pervertar* t, *& manſi in ſolitudine, id eſt, ſoli Deo vacare tentavi. Vel etiam in loco deſerto moram feci, ut Deo liberiùs adhærerem, atque in eo ſuaviùs repauſarem. Maximè enim confert ſolitarius locus ad vitam quietam & ſpeculativam. Propter* u Oſee 2. 14 *quod per Oſee* u *Dominus ait animæ ſibi devotæ, Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & lo-* x Jer.9.2 *quar ad cor ejus. Et Jeremias* x, *Quis dabit mihi in ſolitudine diverſorium viatorum, & derelinquam po-* y Marc. 6.31 *pulum meum? Unde & Chriſtus Apoſtolis dixit, ſicut Marcus* y *teſtatur, Venite ſeorſum in deſertum locum & requieſcite puſillum.*

Scio equidem, ſed ſcientiâ, quæ me affligit, quòd in vanum laboro, & quòd diſcurſus meus non poteſt eſſe niſi inutilis, cùm perſuadere odium & horrorem rei, quam homines diligunt, & æſtimant ſic gratam, non ſit in mea poteſtate. Dei Filius ipſemet qui eſt Magiſter eloquentiæ, de quo dicebatur, z Jo.7.46 *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo* z, prohibet eis illius affectum, dicens eis per *diſcipulum* a Jo.21.20 *quem diligebat* a, *Nolite diligere mundum* b. Ipſe nõ b 1.Jo.2.15 vult ut diligant mundum, cùm prodat eos qui ſtant è partibus ipſius: nam poſtquàm eſt *oblitus Domini* c Deut. 32.18 *Creatoris* c ſui, non debent ab eo ſibi polliceri niſi perfidias. Omnes Doctores declamant contra eũ, & nobis illum figurant ſic horribilem, ut non habeant niſi colores nigros ad repræſentandum nobis eum: ſed fruſtrà, cùm homines non inveniant injucundam id quod diligunt. Poſthæc non debeo mihi promittere me repræſentaturum mundum ſic horribilem, ut ad eum odiendum inducere poſſim illos, qui præbuerunt ei cor ſuum: ſed ambigere debeo, & jure merito, ne poſtquàm illum oſtenderim ut infernum plenum tormentis & cõfuſione, multi reperiantur, qui contenti forent ab eo nunquam exire, & qui exiſtimabunt quòd nihil deſit conditioni ſuæ ad reddendam eam beatam, niſi æternitas, licèt ſciant quòd in mundo, æquè ac in inferno, eſt pœna damni, & pœna ſenſus, & quòd nulla eſt conditio, quantùmlibet ſit ipſa ſublimis, & elevata, quæ ſit iſtis privata; quòd in mundo ſuſtinetur privatio Dei, iſtius viſionis, quæ facit felicitatem Beatorum in cœlo d; & quòd peccatum d Jo.17.3 eſt cauſa totius infortunii ipſorum, æquè in tempore, ac erit in æternitate.

Ego derideo cæcos iſtos, qui ſibi blandiuntur in miſeriis ſuis, & diligunt motivum ſui infortunii: ipſi imitantur Protoplaſtum ſuum Adam, qui poſt peccatum ſuum dedit uxori ſuæ nomen Evæ, quod ſignificat matrem vivorum, cùm non poſſet am-

plius

plius producere niſi filiòs mortuos, *Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ, Eva: eò quòd mater eſſet cunctorum viventium* e. Priùs hæc vocabatur Adam, æquè ac ille, *Deus vocavit nomen eorum Adam in die quo creati ſunt* f. Sed ſtatim ac ipſa vetito *de fructu comedit* g, impoſitum fuit ipſi novū nomen, quod nedum exprimeret ipſius infortunium, erat ſolum ſignum illius, quod ipſa fuiſſet, ſi ipſa perſeveraſſet in obedientia, quam Deo tenebatur exhibere. Nobis in mundo complacemus immeritò: ipſe nihil habet, quod noſtros mereatur affectus, & eum indignum puto omnibus elogiis, quibus ipſius amatores granficantur ei in cæcitate ſua. Sic Deus nos in eo ſæpè relinquit *in furore* h ſuo; & licentia vivendi ibi diu, non tam eſt gratia, quàm decretum juſtitiæ ipſius exacerbatæ, quæ nos retinet in loco, ubi felicitas non eſt niſi in deſiderio, & in opinione, & ubi miſeriæ ſunt veræ.

e Gen. 3.20
f Gen. 5. 1. & 2
g Gen. 3.6 &c.
h Pſ. 37.2

Heu! Auditores: poſthæc nunquid non compaſſione digni ſumus in cæcitate noſtra pro eo quòd ſic vehementi affectu adhæreamus ſubjecto, quod non meretur poſſideri? Hoc eſt velle infortunium noſtrum ac diligere mundum, qui nobis illud cauſat. S. Joannes i, qui noverat illius perfidias, hortatur nos ad odiendum eum, prout noſtræ ſalutis inimicum, *Nolite diligere mundum*. Ipſe, eſt maledictus hoſpes, qui non miniſtrat niſi venenum ad inferendam nobis mortem: *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ* k. Tria hæc, ſunt veluti jacula venenata, quorum ictus ſunt lethales. Ego autem exiſtimo, quòd ſi primi Parentes noſtri, & primi criminoſi, diu vixerunt in mundo, iſtud, Juſtitiæ divinæ ſupplicium fuit, ut cognoſceretur qualitas criminis eorum è longitudine carceris ipſorum. Deus ſe geſſit contra eos eodem modo, quo proceſſit Imperator ille Romanus adversùs hominem quendam miſerum, quem tenebat in ergaſtulis ſuis, ut Reum. Infortunatus iſte videns ſe redactum ad extremas patientiæ ſuæ anguſtias, & non valens afflictionibus ſuis amplius reſiſtere, præſentandam ſategit Imperatori ſupplicationem, per quam exorabat eum humillimè, ut ipſum expediret. Nequaquam, reſpondit Imperator: præbere ei volo tempus ſentiendi ſe mori: id quod iſte requirit à me, eſt gratia, quam non concedo niſi illis, qui iram meam longo mitigaverint ſupplicio: dicatur ei, quòd patiatur, & vivat, & quòd poſtquàm conſtanter pertulerit dolores præteritos, & pœnas quas ei præparo, cogitabo num mereatur exire è mundo pro præmio ſuo. Donum eſt ſingulare, quo Deus Electos ſuos ſibi devincit, ac illos è mundo educere: ſic eos hic non meretur tenere, *quibus dignus non erat mundus*, ait Apoſtolus l. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus m, *Id eſt, mundanorum hominum cœtu: quia & ipſi ea quæ mundi ſunt vilipenderunt, & mundus propter ſuam impietatem dignus non fuit converſatione ipſorum.* Propterea Deus replet Religiones Electis ſuis, quos educit è tempeſtate, ut eos collocet in portu ſalutis ſuæ: merentur ipſi frui aere puriori quàm ſit aer mundi, & Deus abripit eos ut alios Elias n. Aliqui ſunt qui murmurant adversùs decreta divinæ providentiæ ipſius, pro eo quòd impedit ne ſimus miſeri, repetentes injuſtitiam in miſericordia ipſius, iraſcentes contra eum, quia non conſentit tormentis noſtris, & opponit ſe ſuppliciis noſtris: & hi, ſunt parentes, qui moleſte ferunt quòd Deus ipſorum liberos vocet in domum ſuam. Sed ſanè compaſſione digni ſunt in cæcitate ſua, & ipſorum procedendi modus plus habet erroris, quàm malitiæ: neſciunt ipſi in quo ſita ſit eorum felicitas, & quòd illorum vocatio eſt initium felicitatis ipſorum: *Beati qui habitant in domo tua Domine*, dicit Pſalmiſta o Deum alloquens.

i 1. Jo. 2.15
k 1. Jo. 2.16
l Hebr. 11.38
m Dion. Carth. art. 11. in Hebr. 11.38
n 4. Reg. 2.11
o Pſ. 83.5

II. Pars

Cùm Deus juſtè irritatus ob inobedientiam Adæ, voluit illum punire criminis ſui, ductus juſtitiâ ſuâ, *emiſit eum de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de qua ſumptus eſt* p. Eduxit illum ex illo loco deliciarum, & collocavit eum in mundo, ut in domicilio infortunii, in valle lacrymarum, & in loco exilii, æquè ac in effectu peccati ipſius: cùm ergo Deus educit aliquem è mundo, ut collocet eum in Religione, quis non videt quòd hæc vocatio eſt ſignum bonitatis ipſius, & effectus amoris ipſius, cùm eruat illum ex inferno, ubi non erat niſi prout criminoſus, ut collocet eum in novo paradiſo, ubi fungetur muniis ſpirituum beatorum, & deguſtabit abundantiam conſolationum, quibus idem Deus prævenit eos *in benedictionibus dulcedinis* q, qui ipſi ſerviunt in ſancta domo ipſius: Non immeritò puto me fuiſſe locutū cùm aſſerui, quòd mundus eſt infernus, ſicut audiviſtis, propter convenientias ſuprà relatas, quas obſervaſtis inter eum & infernum: & ſi ita ſe res habet, quare Religio nō erit paradiſus, cùm id quod fit in paradiſo, fiat & in Religione, & cùm incolæ clauſtrorum, æquè ac cives cœli, ſibi proponant omnes eundem finem, & habeant omnes idem objectum, quod eſt Deus, in quo ipſi ſibi complacent? Sic nō habent ipſi actionem, niſi ut illi placeant; & benedictiones, laudes, hymni, & cantica, ſunt ordinaria ipſorum exercitia, cùm omnes ipſorum potentiæ non agant niſi propter gloriam ejus, *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Quòd ſi mons Thabor ubi *Jeſus transfiguratus eſt, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix* r, & ipſius Divinitas emiſit ſplendorem gloriæ ſuæ, eſt imago paradiſi: quare Religio non erit imago montis Thabor, ubi homines ſe transfigurant, è terreſtribus evadentes cœleſtes & divini?

p Gen. 3.23
q Pſ. 20.4
r Matth. 17.2. & 3

Antiqui ſentiebant, quòd non licebat converſari cum Diis, niſi illis, qui receſſerant à tumultu vitæ communis, & à commercio hominum: propterea fingebant quòd Minos ſapientiam didicerat à Jove ſuper monte Idâ, & quod Epimenides doctus effectus erat in caverna in ſocietate cujuſdam Dei, qui edocuerat ipſum veritatem & juſtitiam. Hæc, commenta ſunt, & ſermones fabuloſi: ſed etiam certum eſt, quòd Deus non ſe communicat ordinariè niſi in deſerto, & in quiete ſolitudinis, animæ devotæ, dicit Dominus, *Ecce ego lactabo eam & ducam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor ejus* ſ. Illuſtriſſimæ apparitiones factæ ſunt in ſolitudine: *Moyſes autem paſcebat oves Iethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian: cùmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes t: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait, Moyſes, Moyſes Qui reſpondit: Adſum. At ille, Ne appropies, inquit, huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt; Et ait, Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum, Cui ait Dominus. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum qui præſunt operibus: & ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam*

ſ Oſee 2. 13. & 14

de terra illa in terram bonam & ſpatioſam, in terram quæ fluit lacte & melle. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſrael
t Exod. 3. 8. &c *de Ægypto* t. Et hoc, fuit motivum, quod induxit
Sanctos qui deſiderabant Deum alloqui familiariter, ad recedendum è civitatibus, & è tumultu mundi. Et ſi aliqui remanſerunt in tempeſtatibus vitæ civilis, ut mundani, qui inde non exeunt, haberent Naucleros, qui ipſos dirigerent ad portum, Deus prævidebat ordinariè tempus quietis ipſorū, ut converſaretur cum eis, & mittebat ad eos ordinariè ſoporem corporis, qui reddebat illos rerum cœleſtium capaces. Quin etiam vel ipſe Salvator animarum noſtrarum ſic ſibi complacet in ſolitudinibus, ut adeat S. Joannem Baptiſtam inter deſerta: *Venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ. Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem, ad Ioan-*
u Matt. 3. 1. & 13 *nem* u. Et quare? Ut edoceret nos, quòd ſeorſum
recedere debemus, ſi Dei colloquiis frui velimus; & quòd ille qui non facit divortium cum mundo, non eſt diſpoſitus ad hoc ut honoretur favoribus
x Jo. 1. 18 illius. Et hic *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* x,
y Jo. 16. 28 hoc exiens *à Patre, & in mundum* y veniens, ut ibi
maneret, & converſaretur, ſecundùm quod prædi-
z Baruch 3. 38 xit Baruch z, *In terris viſus eſt. & cum hominibus*
a Matth. 1. 18 & 23 & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14 *converſatus eſt*, elegit viſcera ſolitaria Virginis, conceptus *in utero* a Mariæ. Et Virgo, Hebraicè idem ſonat ac, abſcondita. Et ipſe, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus*
b Philipp. 2. 6. & 7 *ut homo* b, ſibi ſemper complacuit in ſolitudini-
c Matt. 4. 1 bus, *Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu* c. Et propter quid? *Ut ſolitariam vitam commendaret, atque eremiticæ ac anachoriticæ converſationis exemplum*
d Dion. Carth. art. 7. in Matt. 4. 1 *præberet*, reſpondet Dionyſius Carthuſianus d inter alias rationes, quæ non faciūt ad rem noſtram. Et volens tractare cum Patre ſuo de negotiis noſtræ ſalutis æternæ, hæc negotia ſemper pertractavit in ſolitudine familiariùs, *Exiit in montem orare,*
e Luc. 6. 12 *& erat pernoctans in oratione Dei* e. Cùm igitur
praxes ejus eſſe debeant inſtructiones noſtræ, quippe quem Pater æternus dedit nobis *Teſtem, Ducem,*
f Iſai. 55. 4 *ac Præceptorem* f, dicens, *Hic eſt Filius meus dilectus,*
g Matth. 17. 5 *in quo mihi benè complacui: ipſum audite* g: nec
poſſimus eſſe perfectiores unquam, quàm eum imitando, non poſſumus meliùs elaborare ſalutem noſtram quàm in ſolitudine, & in Religione, ubi ſumus procul à tempeſtatibus mundi: *O Religio pacifica, à ſtrepitu maligni ſeculi elongata, & pro Chriſto ſeculo mortua, ubi Spiritus ſanctus ſuper humilem*
h ex Iſai. 66. 2 *venit & quietum* h, *ſuper devotam Chriſti deſcendit! O Religio habitaculum Dei, & Angelorum ejus! hic permanſionem faciunt conſervi ſui. O Religio vita beata, vita Angelorum! Quid plura reſtant? Verè Clauſtrum, Fratres mei, verè Religio eſt paradiſus,*
b S. Bern. hom. ſup. Verb. Domin Simile eſt Regnum cœlorum homini negotiatori. ait S. Bernardus b. Ut evadamus incolæ paradiſi, debemus nos extricare à ſolicitudinibus mundi, & nos recipere in ſolitudinem Religionis, quam veluti paradiſum colere debemus. Agricola valere facit agros quos colit, & reddit illos fertiles, *O Religio vallo diſciplinæ munita, in qua eſt pretioſarum virtutum fœcunda fertilitas!* exclamat idem S. Abbas immediatè pòſt. Perſona Religioſa quæ colit paradiſum Religionis, quemnam fructum inde ſu-
i Pſ. 83. 12 ſcipit, niſi fructus paradiſi, *gratiam, & gloriam* i, &
omnes dotes ejus, & quoad corpus, & quantùm ad animam? Quoad animam, ipſa repletur ibi tota dulcedine, *O Religio, qui diligunt te, aſtringunt &*
k ex Pſ. 33. 9 *guſtant quàm ſuavis eſt Dominus* k *& dulcis*, ait ali-
quantò pòſt idem S. Bernardus, Quantùm ad corpus, ipſum eſt velum transfiguratum, & miraculo inuſitato cernere ibi eſt & gloriam montis Thabor, & dolores montis Calvariæ, *Ubi mira perfectio mortificatorum*, dicit idem S. Abbas paulò antè. Et,
Si compatimur, ut & conglorificemur l. Ipſum jam l Rom. 8. 17
habet qualitates cœleſtes, ſeu quatuor dotes glorioſi corporis m in exercitio virtutis. Si cùm *Ieſus* m 1. Cor. 15. 42. &c
transfiguratus eſt, veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix n: inde voluit Salvator innuere per hanc n Matth. 17. 2. & 2
albedinem frigidam, quòd corpora glorioſa non poterunt ampliùs eſſe obnoxia moleſtis ardoribus concupiſcentiæ. Videte quomodo perfecta perſona Religioſa, in ſolitudine ſua anticipativè fruitur prærogativis iſtis, *O vita mirabilis, quæ facis de luxurioſis pudicos*, ait præfatus S. Bernardus paulò pòſt. Nam ſi corpus eſt veſtis animæ, conatur omnes illius calores extinguere, ut non induatur niſi purâ nive, & ſe oſtendit ſic inimicum ignis, ut videre non poſſit minimam vel illius ſcintillam, quin extinguat eam confeſtim lacrymis ſuis. Quis autem non putabit, quòd corpus Seraphici Patris mei S. Franciſci erat niveum, cùm ignis voluptatis nullam unquam habuerit actionem adversùs ipſum, cujus ipſe non repelleret præ ſingulari victoriâ cunctos ardores? Numquid non audiviſtis, quomodo quædam mulier infamis inducta à quibuſdam æquo ſolutioribus, qui probare volebant illius virtutem, exponendo eum rudi certamini, convênit ad eum nocte, pompaticè compta, ut conaretur eum corrumpere, ſi potuiſſet: quo pacto ſtuduerat ipſa geſtibus & verbis ſuis? Acceſſus illius erant periculoſi, & oculi ejus qui emittebant ignem artificioſum, promittebant ei certam victoriam. Sed Sanctus, nedum commoveretur illius intuitu, reſpexit eam, ſicut aſpexiſſet diabolum, qui accepiſſet hanc formam ad adverſandum ipſi in oratione ſua, & ad tentandam ipſius pudicitiam. Hæc pulchritudo lubrica, apparuit ipſi ut monſtrum, quod præ ſe non fert aliquid niſi terribile: nedum erga eam afficeretur amore, è contrà correptus eſt horrore & metu: & ut oſtenderet ei, quàm parvi ſordidas æſtimaret ipſe voluptates; ipſe ſe nudum projecit ſuper carbones ardentes, quos extendit manibus ſuis coram illâ, & invitavit eam ut veniret amplexum ipſum ſuper hoc cubile. Corpus iſtud, Auditores, quod luxuria non potuit inflammare, nunquid non erat niveum? & annon poſſumus dicere, quòd Seraphicus Patriarcha meus, qui oppugnavit delicias, non ſuperavit eas, niſi glaciebus? *O Religio ſpiritualis exercitus lucta, tu ſtadium concertantium, luctatorum, benè currentiū, perducis ad ſacras coronas*, ait idem S. Bernardus paulò antè. Seraphicus ille Pater habebat jā qualitates corporis glorioſi, impaſſibilitatem æquè ac claritatem, cùm vel ipſæ voluptates, quæ plùs carnem titillant, nullas facere potuerint impreſſiones ſuper ipſum. Poſthæc nonne dicetis, quòd Religio eſt paradiſus, cùm ibi habeatur anticipata fruitio prærogativarum cœli? *Et poteris dicere: Caſtra Dei ſunt hæc* o. *Quàm terribilis eſt locus i-* o Gen. 32. 2
ſte! Verè non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœ-
li p, dicit præfatus S. Abbas paulò antè. Religio p Gen. 28. 17
præclarus eſt paradiſus, qui cultus, nobis producit pulchra lilia puritatis, æquè ac roſas dilectionis, *Ubi ſunt roſæ charitatis, quæ ſemper flammeſcunt, quæ ſemper in ſancto odore vivunt*, ait idem. Corpus ſervorum Dei in ſanctâ domo ipſius, habet etiam aliā qualitatem: non eſt grave, ſicut corpora hominum mundanorum: habet jam aliquid illius agilitatis, quæ nobis promittitur in alterâ vitâ: ſequitur ſpiritum ſuum quòcunque deducitur, ſi eſt ipſi etiam onus, non multùm eo gravatur, quia leve redditur

per

per obedientiam, currit ad auſteritates, petit ut ſibi oſtendatur, ubinam patiendum ſit, ut eò contendat magnanimiter; & amplectitur omnes pœnas ſibi propoſitas, *Vbi mira perfectio mortificatorum*, dixit ſuprà præfatus S. Bernardus. Peccatores, quos corpus ſiſtit in via cœli, non habent meliorem rationem ad excuſandos ſe de gravitate ſua, quàm illam, quam fratri ſuo Eſau dixit Iacob, *Noſti, Domine mi, quòd parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas mecum: quas ſi plùs in ambulando fecero laborare, morientur unâ die cuncti greges* q. Caro voluptuoſa, reperitur gravis cùm eſt incedendum, queritur ipſa quòd nimis urgeatur, quòd eſt adhuc manè, quòd interrumpitur ſomnus ſuus: & in hoc languore, quo ipſa torpet, non eſt expectandum, quòd ipſa progrediatur unquam in via cœli, niſi trahatur. Sed nec huic corpori deeſt ſubtilitas, quâ veluti paradiſum penetrat in Religione: *Hac eſt enim, Fratres mei, qua miſecante Deo reſerat paradiſum*, dicit S. Bernardus prædictus, in principio. Quin addo, quòd corpus perſonæ Religioſæ ſit veluti totum ſpirituale, cùm non ſequitur ampliùs hanc legem quæ membra regit, de quâ ſic queritur Apoſtolus r, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Et S. Bernardus dixit loco ubi ſuprà, *O Religio, ſpirituale habitaculum, quaſi acm de luxurioſis pudicos.* Poſt omnes iſtas prærogativas, judicemus, Auditores, nunquid non multùm devincti ſimus Deo, & nonne debeamus ei gratias agere pro eo quòd nos vocaverit in domum ſanctam ſuam, cùm jam habeamus fruitionem felicitatis, quæ nobis promittitur in cœlo, fruentes eo per contemplationem, & per amorem, in quo conſiſtit felicitas paradiſi ſ: *O beata vita ſolitaria, & contemplativa, quid ultrà de te loquar?* concludo ego cum prædicto S. Bernardo, ſtupore percitus intuitu prærogativarum tuarum, poſt Pſalmiſtam t ſic alloquentem Deum, *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Hoc, eſt effectus miſericordiæ ejus, eduxiſſe nos è mundo, ex hoc inferno perditionis, ut nos collocaret in ſtatu ſalutis, in paradiſo Religionis, relinquens interim tot alios inter pericula, turbines & tempeſtates mundi; *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans* u. Et, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* x. Etiam, Auditores: hoc, eſt effectus puræ miſericordiæ Dei, vocaviſſe nos ad ſanctum obſequium ſuum, honorare nos illuſtri titulo ſervorum ſuorum, excipere nos ut domeſticos ſuos, & ſuſcipere reverentias noſtras. In Religione homo ſe transfigurat, ut audiſtis. Sed ne quid ejus gloriæ deſit, videtur de hoc filio adoptivo dicere Pater æternus, æquè ac de Filio ſuo naturali, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* y. Dicamus igitur gaudio perfuſi videre nos in monte Thabor Religionis, *Bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula* z. Beati ſumus in hoc paradiſo Religionis, maneamus in eo, ut in ipſo in æternum laudemus illum, qui nos in hunc ſacrum locum vocavit, *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum* a. Super hoc monte Thabor gloriæ cœleſtis transfigurabimur; & è terreſtribus efficiemur divini, *Gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem* b. In Religione, æquè ac in cœlo, ſumus in perfecta conformitate voluntatis, non agentes niſi propter Deum immediatè, & non ſtudentes niſi eum laudare. In hoc monte Religionis, erit noſtra, æquè ac Moyſis, *cornuta facies ex conſortio ſermonis Domini* c. Tandem, Cùm Religio ſit paradiſus, & gloria paradiſi ſita ſit in viſione ſeu notitiâ Dei *d*, quæ eſt actus intellectus, juxta S. Thomam *e*; & in dilectione ejus ſecundùm Scotum *f*, quæ eſt operatio voluntatis; vel in fruitione quæ utrumque actum complectitur, ex S. Bonaventura *g*, inſumamus intellectum & voluntatem ad fruendum in eâ Deo; ſimus in hoc monte, ſicut alii Moyſes *h*, per contemptum omnium magnitudinum mundi; & elevemus nos, ut alii Eliæ *i*, ſuper terram, ſic ut *noſtra converſatio in cœlis* k ſit, donec è paradiſo Religionis, transferamur in paradiſum gloriæ.

q Gen. 33. 13
r Rom. 7. 23
ſ Jo. 17. 3
t Pſ. 83. 5
u Jer. 31. 3
x Oſ. 11. 4
y Matth. 17. 5
z Matth. 17. 4
a Pſ. 132. 1
b 2. Cor. 3. 18
c Exod. 34. 29
d Jo 17. 3
e S. Th. 1. 2. q. 3. a. 8. in corp.
f Scot. in 4. Sent. diſt. 49. q. 4
g S. Bon in 1. Sent. diſt. 1. a. 2. q. 2. in concl. & in 4. Sent. diſt. 49. a. 1. q. 3
h Matth. 17. 3
i Ibid.
k Philipp. 3. 20

FINIS TOMI TERTII.

INDEX

CAPITUM, QUÆ IN HOC TOMO III. CONTINENTVR.

Dominica I. Adventus.

TUnc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magnâ, & majeſtate. Luc. 21. 27. &c.

Primò, Quòd cùm Deus non poſſit quin puniat crimina, illa caſtigat inde unde eadem delicta patrata fuerunt. Secundò, Demonſtrantur actiones Judicis, quæ juſtitiæ ipſius propalant rigores. pag. 2.

In Feſto S. Franciſci Xaverij Confeſſoris.

Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Matth. 11. 29.

Quòd homo ad hoc ut perveniat ad magnitudines, & honores, & ad cumulum verarum exaltationum, debet inſumere Primò humilitatem, quæ ipſum ſimilem reddit Angelis, & Deo ipſi, elevans ipſum ſuprà id omne, quod non eſt Deus, ut videtur in perſonâ S. Franciſci Xaverij: Secundò afflictionem, quæ ipſum etiam reddit ſimilem Deo, ſicut conſideratur in perſonâ ejuſdem Sancti. 7

In Feſto S. Barbaræ Virginis, & Martyris.

Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. Joan. 5. 17.

Primò, Quomodo S. Barbara micare fecit lumenè medio tenebrarum. Secundò, Quo pacto ipſa eduxit amorem ex odio patris ſui. Ut concludatur Tertiò per honorem, quem liberi ſuis exhibere debent parentibus. 12

Feria IV. poſt Dominicam I. Adventus.
I. Pars Adventus.

Videns Jeſus turbas, aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus; & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 1. &c.

Oſtenditur in hoc Adventu Primò Chriſtianus in principio, per fidem, ubi explicatur compendiosè, quid debeat credere: Secundò Chriſtianus in progreſſu, per ſpem, circa ea, quæ debet à Deo petere: Tertiò Chriſtianus in perfectione, per charitatem, ſecundùm ea quæ debet & tenetur agere, conformiter ad iſtam diviſionem, quam Theologia facit juſtitiæ in initiativam, progreſſivam, & conſummatam. Quæ tres partes hujus Adventus in hoc diſcurſu in genere enucleantur. 18

Feria V. poſt Dominicam I. Adventus.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

Primò, Quòd fides eſt abſolutè neceſſaria ad operandam ſalutem noſtram. Secundò, Quare fides ſit neceſſaria ad cognoſcendum Deum, & non ratio. 24

Feria VI. poſt Dominicam I. Adventus.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

Primò, Quòd Deus eſt unus in naturâ. Secundò, Quòd eſt trinus in perſonis. 29

In Feſto Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo. Eccleſia.

Quòd cùm B. V. Maria concepta ſit in gratiâ, hæc Conceptio præ gaudio celebrari debet univerſali. 34

Dominica II. Adventus.

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Matth. 11. 10. ex Malach. 3. 1.

Primò, Animam Chriſtiani parêre ſpiritualem & immortalem, & ut rationalem, & ut Chriſtianã. Secundò, Quia S. *Joannes in vinculis* hodiernâ die patitur, demonſtratur, animam Chriſtiani nunquam magis videri immortalem, æquè ac ſpiritualem, quatenus rationalem, & quatenus Chriſtianam, quàm corpus ſuum mortificando. 39

Feria II. poſt Dominicam II. Adventus.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum Matth. 5. 20.

Quomodo fides nos inducat ad credendam Incarnationem, ſeu humanitatem Filij Dei. 45

Feria III. poſt Dominicam II. Adventus.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

Tractatur de aliquibus operibus Dei ad extrà, creatione, reſurrectione mortuorum, & vitâ æternâ, ſecundùm aliquos Symboli fidei articulos. 50

Feria IV. poſt Dominicam II. Adventus.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. 20.

Cùm Deus inſtituerit Sacramenta, quæ ſunt refugij locus peccatoribus omnibus per gratiam, quam tribuit eis; & fides nos inducat ad credendam gratiæ diſtributionem, & delictorum indulgen-

dulgentiam ſuper duobus his articulis Symboli fidei; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem: remiſſionem peccatorum*: ideò oſtenditur diſtributio hujus gratiæ in juſtificatione peccatoris per cauſas ad eam concurrentes in remittendis peccatis. Et ſicut unus ex his articulis credendam proponit *Eccleſiam Catholicam*, & præcepta hujus Eccleſiæ reduci poſſunt ad Sacramenta, tanguntur obiter prædicta mandata Eccleſiæ, tractando de Sacramentis, ad quæ referri poterunt. Inter alia verò docetur practicè in fine brevis modus peragendæ bonæ Confeſſionis, ac Communionis, quas ipſa Eccleſia præcipit. 55

Feria V. poſt Dominicam II. Adventus.
II. Pars Adventus.

Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Orantes autem, nolite multùm loqui, ſicut Ethnici: putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequàm petatis eum. Sic ergo vos orabitis, Pater noſter qui es in cœlis. Matth.6.1.&c.

Spem noſtram in Deo totam debere conſtitui. 61

Feria VI. poſt Dominicam II. Adventus.

Sic ergo vos orabitis, Pater noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum: Adveniat Regnum tuum. Matth.6.9.&c.

Quid debeamus à Deo poſtulare duabus primis petitionibus Orationis Dominicæ, in duabus partibus. 66

In Octavâ Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo. Eccleſia.

1. Oſtenditur qualitas excellens B. V. Mariæ. 2. Monſtrantur favores, qui expectari poſſunt interventu ejus. 71

Dominica III. Adventus.

Miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Joan. 1.19.

1. Animam Chriſtiani in ſuo progreſſu, ſpiritualem & imortalem eſſe eo modo quo ſunt Angeli. 2. Eam illos imitari in ipſorum ſolitudine. 3. Illam in eorundem libertate ſe eis conformem efficere. 4. Eam ſe reddere ſimilem illis quoad reflexionem ipſorum ſupra ſemetipſos. 77.

Feria II. poſt Dominicam III. Adventus.

Sic ergo vos orabitis: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terrâ. Matth.6.9.&c.

Quidnam debeamus intelligere per hanc tertiam petitionem Orationis Dominicæ. 82

Feria III. poſt Dominicam III. Adventus.

Sic ergo vos orabitis: Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Matth. 6. 9. &c.

1. Quis ſit iſte panis, quem poſtulamus à Deo ut alimentum noſtrum, per hanc quartam petitionem. 2. Sicut remediis egemus, æquè ac alimentis, monſtratur qualis ſit recuperatio noſtræ ſanitatis, ſuper hæc verba quintæ petitionis: *Et dimitte nobis, &c.* 87

Feria IV. poſt Dominicam III. Adventus.

Sic ergo vos orabitis. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Matth.6.9.&c.

Quomodo ſint intelligendæ hæ duæ ultimæ petitiones Orationis Dominicæ, in duabus partibus. 93

Feria V. poſt Dominicam III. Adventus.
III. Pars Adventus.

Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Matth.7.12.&c.

Primò, Oſtenditur amor Dei in genere. Secundò, Monſtratur amor proximi univerſim. 99.

Feria VI. poſt Dominicam III. Adventus.

Omnia ergo quæcumq; vultis ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Matth.7.12.&c.

Explicantur duo prima præcepta Decalogi, quæ ſunt, Adorandum eſſe unicum & ſolum Deum, &, Non ſumendum in vanum ſacrum ipſius nomen, in duabus partibus. 104

In Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joan.20.27.&c.

Oſtenduntur rationes, propter quas Dei Filius ſua retinere vulnera voluerit poſt reſurrectionem ſuam. 109

Dominica IV. Adventus.

Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto: & venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum. Luc.3.2.& 3.

1. Quòd anima Chriſtiani in perfectione, amans Deum ſuum, oſtendit ſe eſſe ſpiritualem & immortalem, more Angelorum. 2. Quòd ipſa idem exhibet, quatenus ipſa eſt opus Dei. 3. prout eſt ejus imago. 4. inquantum eſt filia illius, qui erga ipſam exercet omnia boni Patris officia. 113

Feria II. poſt Dominicam IV. Adventus.

Omnia ergo quæcumq; vultis ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Matth.7.12.&c.

1. Quare Sabbathum, ſeu Feſta inſtituta fuerint. 2. Deducitur modus eorum ritè obſervandorum. 119

Feria III. poſt Dominicam IV. Adventus.

Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Matth.7.12.&c.

Quòd Deus præcipit nobis ut amemus proximum noſtrum, Primò, honorando parentes noſtros: Secundò, nullum malum illi inferendo in propriâ perſonâ, nec in bonis, nec in famâ; opere, nec verbo, nec cogitatione. Quod tractatur in duabus partibus diſcurſus complectentibus quinque præcepta Dei intuitu proximi: reſervando in diſcurſus ſequentis duabus partibus, ſuper reliquis duobus præceptis, quibus finitur Adventus, tractare de malo, quod irrogatur perſonæ ipſi conjunctæ, opere, vel cogitatione. 124

Feria IV. poſt Dominicam IV. Adventus

Omnia ergo quæcumque vultis ut vobis faciant homines: & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Matth.7.12.&c.

Oſtenditur ſuper his duobus præceptis Decalogi, *Non mœchaberis: Non deſiderabis uxorem proximi tui.* Exod.20.14.& 17. Primò, Luxuriam facto, vel cogitatione, majorem irrogare Jeſu Chriſto injuriam, quàm aliud peccatum. Secundò, Eam majus inferre detrimentum illi, qui eâ ſe inquinat, quàm quodlibet aliud crimen ei irroget. 130

In Nativitate Domini.

Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis. Joan.1.14.

Oſtenditur exceſſus Divinæ charitatis Filij Dei erga homines. 136

In Feſto

In Feſto S. Stephani Protomartyris.

Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Act. 7. 60. &c.

Primo, Quòd detur ſancta vindicta in Chriſtianiſmo. Secundò, Monſtratur modus illius ritè exercendæ. 141

In Feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

Converſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuit in cœnâ ſuper pectus ejus. Joan. 21. 20.

Quòd conditiones, quas objectum debet habere, ut ametur à nobis, & quas poſſidere debemus ut amemur ab aliis, ut perficiatur inclinatio noſtra duobus illis modis, redigi poſſunt, 1. ad pulchritudinem, 2. ad bonitatem, 3. ad ſimilitudinem. Has autem tres conditiones invênit S. Joannes in Deo, quem amavit; ipſeque ſic poſſedit eas, ut dilectus Domini diſcipulus effectus fuerit. 146

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Luc. 2. 34.

1. Quòd Filius Dei non venit in mundum niſi propter deſtructionem & ruinam peccatorum. 2. propter inſtitutionem & reſurrectionem virtutum. 152

In Circumciſione Domini.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.

Oſtenduntur rationes, propter quas Dei Filius ita deſideravit pati pro nobis. 156

In Epiphaniâ Domini.

Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum: vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. &c.

1. Quod potentia Dei nunquam meliùs appareret quàm in infirmitate, juſtitia quàm in injuſtitiâ, & amor quàm in rigore. 2. Tractatur de rationibus, quæ induxerunt aliàs Dei Filium ad recuſandum Regnum temporale, quod homines ipſi offerebant. 3. Quòd ipſius Regia dignitas valdè differebat à regiâ dignitate hominum. 162

Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus. Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium. Hodie vinum ex aquâ factum eſt ad nuptias. Hodie in Jordane à Joanne Chriſtus baptizari voluit, ut ſalvaret nos. Eccleſia ex Matth. 2. 9. &c. & ex Jo. 2. 9. &c. & ex Matth. 3. 15. &c.

Quòd, cùm nuper viſus fuerit ſanguis, videtur hodie aqua, & Primò examinantur cauſæ præcipuæ, ob quas Dei Filius Baptiſmum ſuſcipere voluit à S. Joanne: ubi conſideratur differentia utriuſq; Baptiſmi, Jeſu Chriſti, & S. Joannis. Secundò, Expenduntur fructus, quos nobis affert Baptiſmus Filij Dei, id eſt, ab eo inſtitutus, quem ſuſcipimus. 167

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum uſq; adhuc. Joan. 2. 19.

Primò, Quòd Deus nobis adhuc viatoribus dat omne tempus vitæ ad illud inſumendum ad ſalutem noſtram. Secundo, Quòd cum tempus iſtud ſit finitum, ſociam habebit æternitatem pœnæ & infœlicitatis, aut æternitatem gloriæ & fœlicitatis. 173

Dominica III. poſt Epiphaniam.

Acceſſit ad eum Centurio. Matth. 8. 6. &c.

1. Quòd per Crucem contemplamur incomparabiles divitias Divinitatis. 2. Cognoſcendus nobis exhibetur hic Deus dilectionis interventu omnium creaturarum, quæ eum æquè perfectè nobis repræſentant, ac ſpeculum repræſentat nobis faciem noſtram. 179

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. 8. 23. &c.

1. Quòd Deus in afflictionibus noſtris vult nos probare. 2. Quòd ſibi vult nos per eas acquirere. 3. Quòd illarum interventu nobis tribuere vult victoriam ſuper inimicos noſtros. 185.

In Feſto Purificationis B. V. Mariæ.

Ecce gloria Domini apparuit in nube. Exod. 16. 10.

1. Repræſentatur B. V. Maria ut lux ſuſcepta in nubem humiliationum ſuarum voluntariarum in ſolemnitate Purificationis ſuæ. 2. Exhibetur Filius ejus ſicut altera lux ſuſcepta in nubem humiliationum ſuarum voluntariarum in Feſto Præſentationis ſuæ ſuo Patri æterno. 190

Dominica V. poſt Epiphaniam.

Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem. Matth. 13. 30.

1. Oſtenditur infinitas miſericordiæ Dei erga omnes homines in hâc vitâ. 2. Monſtratur infinitas juſtitiæ ejus poſt interitum. 196

Dominica VI. poſt Epiphaniam.

Simile eſt Regnum cælorum grano ſinapis. Matth. 13. 31. &c.

Oſtenduntur convenientiæ quæ admittuntur inter Juſtos & granum ſinapis. 201

Dominica Septuageſimæ.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20. 16. &c.

1. Quomodo Deus vult nos omnes ſalvare, & quòd nos vocet omnes per gratiam ſuam. 2. Quòd ſi jacturam noſtram incurrimus, ideò quia noluerimus correſpondere vocationi illius. 206

Dominica Sexageſimæ.

Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, &c. Luc. 8. 5. &c.

Primò, Quomodo Dei Filius ſe manifeſtavit operibus ſuis. Secundò, Quales nos declarent opera noſtra. 212

Dominica Quinquageſimæ.

Cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans, &c. Luc. 18. 35. &c.

1. Oſtenditur bonitas Dei in illuminatione iſtius cæci, qui nobis repræſentat peccatorem. 2. Modus ſanandæ cæcitati animarum noſtrarum peropportunus. 217

Feria IV. Cinerum.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Eccleſia ex Gen. 3. 19.

Repræſentatur hodie ſtatus & numerus naturæ humanæ, pondus finis ejus, & menſura mediorum, ad terminandum fœliciter ad perfectionem. Eccleſia ſancta volens ergo reficere opus Dei, iſtas tres partes congregat in unius commemoratione diei, 1. naturam in ceremoniâ Cinerum, *Memento homo*, &c. 2. finem in theſauro Evangelij, *Theſaurizate vobis*, &c. 3. media in Epiſtola, *Convertimini ad me*, &c. in tribus partibus. 223

Feria V. poſt Cineres.

Acceſſit ad eum Centurio, Matth. 8. 5. &c.

Quòd fides eſt abſolutè neceſſaria ad operandam ſalutem noſtram, ſed quæ ſtipata ſit bonis operibus. 228

Feria VI. poſt Cineres.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Matth. 5.44. & 45.

1. Quomodo veri inimici non ſunt illi, quos mundus nuncupat inimicos, & qui nos oderunt, cùm Chriſtus in Evangelio ſuo nobis præcipiat ut diligamus eos. 2. Quòd nomen amicorum peſſime convenit illis qui ſe tales nominant: illi enim ſunt veri inimici noſtri; & orare Deum debemus ut ab illis nos penitus liberet. 233

Dominica I. Quadrageſimæ.

Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.1. &c.

Quòd Jeſus Chriſtus eſt Pontifex, & exercet tres qualitates Pontifici proprias, & tres partes diſcurſus. Prima, eſt miſericordia per ſuam compaſſionem. Secunda, fidelitas per ſuam innocentiam. Tertia, potentia per auxilium ſuum. 239.

Feria II. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, &c. Matth. 25.31. &c.

1. Oſtenditur qualitas Judicis in adventu ſuo. 2. Rigor Judicij ipſius monſtratur. 243

Feria III. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Matth. 25.31. &c.

Oſtenditur quodnam peragendum ſit in extremo judicio. 248

Feria IV. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Matth. 12.41. &c. ex Jon. 3.5.

Fit hortatio ad pœnitentiam, cujus exercendæ edocentur modi. 254

Feria V. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens, Miſerere mei Domine Fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15.22. &c.

Oſtenditur cura, quam ſuorum parentes agere debent liberorum inſtituendorum. 259

Feria VI. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Eſt autem Jeroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. Joan. 5.2. &c.

Quòd hæc piſcina eſt gratia, quæ eſt medium quod habemus ſerviendi Deo. 263

Dominica II. Quadrageſimæ.

Aſſumpſit Jeſus Petrum & Jacobum & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. &c. Matth. 17.1. &c.

Repræſentantur tres imagines ſpecioſæ. Prima, eſt imago fœlicitatis Empyrei, contenta verbis iſtis: *Transfiguratus eſt ante eos. & reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Secunda, eſt imago paſſionis & mortis Jeſu Chriſti, & myſterij redemptionis omnium hominum, ſeu iſtius operis, quod eſt exceſſus amoris, ut ſubdit S. Lucas 9. 31. *Moyſes & Elias dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.* Tertia, eſt imago miſſionis Salvatoris, potentia verbi ejus, & obedientia quam ei exhibere debemus, juxta hæc verba: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* 268

Feria II. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Joan. 8.21.

Tractatur de infœlicitate quam incurrimus cum deſerimur à Deo, & in finali morimur impœnitentiâ: id eſt, Primò cùm quærimus Deum, & non invenimus eum: Secundò, cùm non invenientes eum, in peccato noſtro morimur. 274

Feria III. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum. Joan. 8.28. &c.

Edocentur cognitio Jeſu Chriſti, ad quam ſubtiliſſimi quique pervenire non potuerunt homines. 279

Feria IV. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Neſcitis quid petatis. Matth. 20.22. &c.

Primò, Quòd, cùm nihil ſit naturalius ambitione, nihil etiam ſit damnoſius eâdem ambitione. Secundò, Quòd, cùm nihil ſit ſplendidius dignitate, nihil etiam ſit eâdem dignitate periculoſius. 285

Feria V. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendidè, &c. Luc. 16.19. &c.

Agitur proceſſus divitis epulonis, & repræſentatur ipſe Primò moriens in peccato, ſeparatus à Deo, & damnatus ob malum uſum, quem fecit divitiarum ſuarum. Secundò, Oſtenditur, quòd cùm peccatum nos ſeparet à Deo convertendo nos ad creaturas per deſiderium divitiarum, Satanæ captivos nos efficiat. 289

Feria VI. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in eâ torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt. Matth. 21.33. &c.

Primò, Explicatur vinea cum ſepe ſuâ, torculari ſuo, & turri ſuâ. Secundò, Quia, juxta S. Hieronymum lib. 3. in Matth. 21.33. Paterfamilias receſſit à vineâ, ut agricolis relinqueret libertatem laborandi, oſtenditur merces, quam Deus impendit labori noſtro. Tertiò, Conſideratur delicia illorum, qui laborare nolunt. 294

Dominica III. Quadrageſimæ.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.14. &c.

Quòd anima poſſeſſa à diabolo per peccatum mortale, efficitur 1. cæca, 2. muta, 3. ſurda. 299

Feria II. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè, &c. Luc. 15. 13. &c.

Quomodo vitium impuritatis reddit prodigũ infœlicem, & 1. quomodo in receſſu ſuo à Deo ſuo, perdit vitam per peccatum, *Peregrè profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè.* 2. Quâ ratione labitur in infamiam, profligando honorem ſuum. *Ut paſceret porcos.* 3. Quo pacto ſeſe captivum efficit, amittendo libertatem ſuam, *Et adhæſit uni civium.* 3[illegible]4

Feria III. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. Matth. 18.15. &c.

Oſtenduntur quatuor circumſtantiæ, quæ inveniri debent in correctione, & quæ ſunt quatuor partes diſcurſus. 309

Feria IV. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Matth. 15.19.

Primò,

Primò, Quàm timenda ſit hoſtis concupiſcentia. Secundò, Quomodo poſſimus hanc hoſtem concupiſcentiam expugnare. 314

Feria V. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Oportet me evangelizare Regnum Dei, quia ideò miſſus ſum. Luc.4.43.&c.

1. Quòd Dei Filius excellentiam doctrinæ ſuæ ſuſcepit à Patre ſuo æterno. 2. Quòd modus cognoſcendæ & exercendæ iſtius doctrinæ, eſt facere voluntatem Dei. 320

Feria VI. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Joan.4.6.&c.

Tres afferuntur rationes fatigationis Jeſu Chriſti. Prima, eſt longum iter quod peragitur. Secunda, eſt proſecutio magni alicujus negotij, circa quod gerendum multæ reperiuntur difficultates. Tertia, eſt gravitas alicujus oneroſi ponderis. Propter tres iſtas rationes eſt Jeſus fatigatus in converſione peccatorum, hodiè verò Samaritanæ, in tribus partibus diſcurſus. 324

In Feſto Annuntiationis B. V. Mariæ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, & nomen Virginis, Maria. Luc.1.26.&c.

Primò, Oſtenduntur aliquæ rationes, propter quas Deus mittit Angelum Gabrielem ad B. V. Mariam. Secundò, Conſiderantur excellentiæ hujus nominis, Maria. 329

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Subijt ergo in montem Jeſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Joan.6.3.

1. Tractatur de impotentiâ noſtrâ reſpectu gratiæ Divinæ. 2. de debito noſtro intuitu ejuſdem gratiæ. 335

Feria II. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Joan.2.15.&c.

Quòd Dei Filius iraſcens contra profanatores templi, quos ejicit domo ſuâ, inde docere nos vult Primò reverentiam, quam exhibere debemus templis noſtris. Secundò, Quòd per indignationem iræ ſuæ vult nobis oſtendere gravitatem pœnarum, quas ex iſtis ſumit irreverentiis. 340

Feria III. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Quid me quæritis interficere? &c. Joan.7.20.&c.

1. Monſtratur notitia, quam Deus habet omnium rerum, imò ſecretiſſimarum cogitationum omnium hominum. 2. Quòd cogitationes iſtæ non ſint bonæ, neque malæ, niſi quatenus formantur in corde. 345

Feria IV. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate. &c. Joan.9.1.&c.

Oſtenduntur mirabilia quæ Jeſus Chriſtus operatur in illuminatione cæci nati. 351

Feria V. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere. Luc.7.13.&c.

Quòd Chriſtus compatitur intuitu hujus ſpectaculi, 1. Quia erat adoleſcens ipsâ adoleſcentiæ ſuæ floridâ tempeſtate elatus. 2. Quia erat filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat. In duabus partibus. 356

Feria VI. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado ut à ſomno excitem eum. Joan.11.11.&c.

Quòd magnitudo miraculi ſuſcitationis Lazari manifeſtat Filium Dei: propterea conſideratur ipſius infirmitas, ipſius mors, & ipſius reſurrectio pro totâ materiâ diſcurſus. 361

Dominica Paſſionis.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan.8.46.

1. Quòd in Jeſu Chriſto nullum erat peccatum, imò verò nec eſſe poterat. 2. Quòd ſi idem Jeſus Chriſtus hanc facit propoſitionem ante mortem ſuam, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hoc ideò facit ut ſuam educat innocentiam ex ore inimicorum ſuorum; & ut inducat nos ad peragendum idem, quod ipſe facit. 366

Feria II. poſt Dominicam Paſſionis.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Joan.7.37.&c.

1. Oſtenduntur commoda & utilitates, quæ proveniunt nobis ex aquis ſpiritualibus gratiæ, in eo quod ipſæ habent ſupra aquas materiales, per convenientiam, quam habent cum illis. 2. Quòd Deus ſolus extinguere poſſit ſitim noſtram, quam non valeat alius potus. 371

Feria III. poſt Dominicam Paſſionis.

Et murmur multum erat in turbâ de eo. Quidam enim dicebant, quia bonus eſt. Alij autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbas. Joan.7.12.&c.

1. Quòd amor eſt id quod diſtinguit Bonos à malis. 2. Quòd amor nonniſi reciproco amore benè compenſatur. 377

Feria IV. poſt Dominicam Paſſionis.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis. Joan.10.27.

1. Oſtenditur ordo, quem Deus obſervat in prædeſtinatione, nedum tamen officiat unquam libertati noſtræ. Ut concludatur 2. quòd ſi ſuam dat ipſe nobis gloriam, nobis impertitur illam intuitu bonorũ operum, & ideò titulo mercedis. 383

Feria V. poſt Dominicam Paſſionis.

Ut cognovit, dilexit multùm. Luc.7.37.&c.

Quòd ſit cognoſcendum antequàm amandum. 387

Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc.7.38.&c.

Deducuntur utilitates & commoda lacrymarum. 393

De Doloribus B. V. Mariæ pro Sabbatho poſt Dominicam Paſſionis.

O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Thren.1.12. Vel, *Stabat juxta crucem Jeſu Mater ejus.* Eccleſia ex Jo. 19.25.

1. Tractatur de ſublimitate aut magnitudine doloris B. V. Mariæ in morte Filij ſui. 2. de longitudine. 3. de latitudine. 4. de profunditate. Quæ quatuor dimenſiones exceſſus doloris, faciunt quatuor partes. 399

Dominica Palmarum.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum. Matth.21.5.&c. ex Iſai.62.11.& ex Zach.9.9.

1. Oſtenduntur rationes ad contemnendum mundum. 2. Docetur modus triumphandi de vanitatibus ejus. 404

Feria V. in Cœnâ Domini.

Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan.13.1.

Quomodo Chriſtus majores dilectionis ſuæ notas in morte nobis exhibuerit. 409

Feria VI. in Paraſceve.

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti. Secundùm Matth. c. 26. & 27. Marc. c. 14. & 15. Luc. c. 22. & 23. & Joan. c. 18. & 19.

Septem recenſentur ſtationes Jeſu Chriſti in Paſſione ſua. Prima in horto. Secunda in domo Annæ. Tertia in palatio Caiphæ. Quarta in prætorio Pilati. Quinta in Regia Herodis. Sexta rurſum in prætorio Pilati. Septima in monte Calvaria. 417

In Feſto Paſchæ.

Surrexit, non eſt hic. Marc. 16. 6.

Quòd, cùm Chriſtus reſurrexerit, futuræ noſtræ reſurrectionis arrhas habemus certiſſimas. 427

Feria II. poſt Paſcha.

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis adinvicem? Luc. 24. 17. &c.

Cùm homo cognoſcatur ad loquelam, & ab ipſa pendeat noſtra perfectio, juxta S. Jacobum c. 3 v. 2. dicentem, *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir:* Primò oſtenditur quid nobis ſit agendum ad conſequendam hanc perfectionem interventu bonæ loquelæ. Et quia bonæ loquelæ præ omnibus malis loquelis opponitur blaſphemia, & juramentum, de hac mala loquela blaſphemiæ, & juramenti, reſecanda Secundò differitur, ut ad hanc perfectionem nobis conciliandam pateat aditus. 431

Feria III. poſt Paſcha.

Nos autem ſperabamus. Luc. 24. 21. &c.

Quomodo corpus noſtrum, & anima noſtra debeant ſperare reſurrectionem, intuitu reſurrectionis corporis, & animæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quæ duplex ſpes reſurrectionis conſtituit duas partes diſcurſus. 436

Dominica I. poſt Paſcha.

Accipite Spiritum ſanctum. Joan. 20. 22.

Quòd mandata Dei cuſtodiri poſſunt ab omnibus hominibus adjutis gratiâ ejuſdem Dei. 443

Dominica II. poſt Paſcha.

Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joan. 10. 14.

Quòd reſiſti poteſt gratiæ in ſtatu naturæ corruptæ. 448

Dominica III. poſt Paſcha.

Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me. Joan. 16. 17.

Quòd actio ad hoc ut præ ſe ferat meritum, non ſolùm debet eſſe libera hâc libertate, quæ immunis eſt à coactione; ſed etiam debet habere hanc libertatem, quæ eſt expers neceſſitatis. 453

Dominica IV. poſt Paſcha.

Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joan. 16. 13.

Quòd Deus offert unicuique in particulari gratias ſufficientes ad operandam ſalutem ſuam. 454 ſecundo loco.

Dominica V. poſt Paſcha.

Ipſe Pater amat, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum. iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem. Joan. 16. 27. & 28.

Quòd Jeſus Chriſtus mortuus eſt, reſurrexit, & aſcendit in cœlum pro omnibus & ſingulis hominibus, ut viam panderet illis ad gloriam. 460

In Aſcenſione Domini.

Viri Galilæi, quid admiramini aſpicientes in cœlum? Eccleſia ex Act. 1. 11.

Quod admirari debemus cum Galilæis, ſeu Apoſtolis, & aliis diſcipulis, Primò potentiam, Secundò ſapientiam, Tertiò bonitatem in perſona Jeſu Chriſti, in tribus partibus diſcurſus. 466

Dominica infra Octavam Aſcenſionis.

Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Joan. 15. 26.

Quòd, cùm Filius remittat Spiritui ſancto juſtificationem cauſæ ſuæ, & ſui procedendi modi, appoſitum eſt ad hoc ut fidem præbeamus teſtimonio, quod de ipſo daturus eſt, ut examinemus ſufficientiam teſtimonii hujus, & authoritatem infallibilem verbi Spiritus ſancti, Primò quantùm ad id quod innuetur jus Filii Dei, Secundò quoad id quod noſtrarum juſtificationem ſpectat animarum, in duabus partibus diſcurſus. 471. & 472

In Feſto Pentecoſtes.

Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joan. 16. 12. & 13.

Quòd Spiritus ſanctus eſt complementum ſanctitatis & perfectionis, quam Jeſus Chriſtus venerat doctum ſuper terram, & hoc propter duas rationes, quæ conſtituunt duas diſcurſus partes. 477

Feria II. poſt Pentecoſten.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Joan. 3. 16.

Primò, Quomodo miſericordia & juſtitia ſplendeant in morte Filii Dei. Secundò, Quâ ratione non poteramus adipiſci hæreditatem Filii Dei niſi per mortem ejus, & per merita ſanguinis illius. Tertiò, Quonam pacto hunc amorem reciproca compenſare poterimus dilectione. 481

Feria III. poſt Pentecoſten.

Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Act. 2. 2. &c.

Primò, Quòd Spiritus ſanctus nobis communicatur eodem modo, quo datus fuit Apoſtolis. Secundò, Quare deſcendit ſuper eos in forma venti, ignis, & linguarum. 486

In Feſto SS. Trinitatis.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Matth. 28. 19.

Cùm fides non ſit contraria rationi, afferuntur aliquæ rationes ad cognoſcendum myſterium SS. Trinitatis 492

Dominica II. poſt Pentecoſten.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14. 16. &c.

Evehitur excellentia convivii Euchariſtici ſuper id omne, quod fuit unquam magnificum, & hoc mediis tribus conſiderationibus, quæ faciunt tres partes diſcurſus. Prima eruitur è magnitudine illius, qui illud facit. Secunda ex excellentia, pretio, & valore ferculorum, quæ in eo apponit. Tertia verò è magno numero illorum, quos ad illud invitat. 496

In Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.

Quis, putas, puer iſte erit? Luc. 1. 66. &c.

Primo, Conſiderantur lumina S. Joannis, ut lucernæ lucentis. Secundò, Monſtrantur ardores ejus. 502

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Luc. 15. 2. &c.

Repræſentatur amor Dei ut Patris amantiſſimi, qui in hoc ſitus eſt, ut procuret ſalutem filiorum ſuorum, quem inſpirat omnibus cauſis erga effectus ſuos, & quem patres terreni debent habere erga liberos ſuos. 507

Dominica IV. poſt Pentecoſten.

Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Luc. 5. 4. &c.

Eſt

Eſt intueri Primò mare, in quo fit piſcatus animarum. Secundò piſcatores, qui illum faciunt. Tertiò ventos, qui eis favent. Quartò retia, quibus utuntur. Quintò piſces, qui ibi capiuntur. 512

Dominica V. poſt Pentecoſten.

Si offers munus tuum ad altare. Matth.5.23.

Quòd Miſſa, ſit res præ omnibus, quas habemus hîc, quæ Primò majus oblectamentum afferat Eccleſiæ triumphanti, Secundò majus auxilium Eccleſiæ patienti, Tertiò abundantius emolumentum Eccleſiæ militanti. 517

Dominica VI. poſt Pentecoſten.

Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Et ſi dimiſero eos jejunos, deficient in via. Marc.8. 2. & 3.

Primò, Quòd Deus ceſſare facit jura ſua, ne violet libertatem hominis. Secundò, Quòd homo non utitur libertate ſua, niſi ut ſervum ſe reddat. 523

Dominica VII. poſt Pentecoſten.

Attendite à falſis Prophetis. Matth.7.15.

Contra ſententiam falſorum Prophetarum noſtri temporis afferuntur rationes œconomiæ Filii Dei mortui pro univerſis & ſingulis hominibus, oſtendendo, quòd hæc, eſt effectus dilectionis & benevolentiæ Jeſu Chriſti, qui nobis eſt meritus qualitatem filiorum adoptivorum. 528

Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc.16.2.&c.

Primò, Quòd vera libertas conſiſtit in perfecta dependentia à Deo. Secundò, Quia villicus Evangelii hodierni non diſpoſuit de bonis Domini ſui juxta conſilia, quæ de illis bonis idem Dominus formaverat, oſtenditur, quod homo non utitur libertate ſua, quam Deus ipſi dedit, niſi ad ſe opponendum eidem Deo. 533

Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Luc. 19.44.

Primò, Quod Deus nulli rei parcit ad operandam ſalutem hominis. Secundò, Quòd homo non ſuſcipit bona, quæ Deus ipſi offert, ad agendam ſuam ſalutem æternam, niſi ad ea diſſipanda, & ad illa amittenda. 538

In Feſto Aſſumptionis B.V. Mariæ.

Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Eccleſia.

Primò, Quòd Maria aſcendit hodie in cœlum, ut exerceat ibi officium Sponſæ SS. Trinitatis: ecce quantùm ad id quod ſpectat Deum, juſtum motivum ſatisfactionis Deò in hoc triumpho. Secundò, ut fungatur ibi munus Matris & bonæ Matris erga nos: ecce quantùm ad id quod hominum conſolationem reſpicit. 543

Dominica X. poſt Pentecoſten.

Deus gratias ago tibi. Luc.18.11.&c.

Eſt intueri bonitatem Dei impeditam à malitia hominum; ſeu, Deum blandientem hominibus, & eos ſibi devincientem omnibus viis poſſibilibus ad hoc, ut ipſi adhæreant, & homines immemores tot beneficiorum, ac promiſſis ſuis non ſtantes univerſis. 549

In Octava Aſſumptionis B. V. Mariæ.

Aſſumpta eſt Maria in cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Eccleſia.

Primò, Oſtenduntur excellentiæ virtutum & gratiarum Mariæ. Secundò, mirabilia gloriæ ipſius. 553

Dominica XI. poſt Pentecoſten.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum. Marc.7.33. &c

Monſtratur bonitas Dei, qui ut bonus Pater apprehendit peccatorem manu, eumque ducit in ſolitudinem ſeorſum, ut reddat eum dignum plenitudine, & diſponat illum ad pœnitentiam. 558

Dominica XII. poſt Pentecoſten.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Luc.10.27.

Primò, Quòd non poteſt quis meliùs ulciſci ſe de inimico ſuo, quàm illi benefaciendo. Secundò, Quòd ille, qui ſuſceptas dimittit injurias, fit Deo ſimilis, imitando miſericordiam ejus. Tertiò, Quòd è contrà ille, qui ſuo parcere non vult inimico, adverſatur operibus ejusdem Dei, æquè ac doctrinæ illius. 563

In Feſto Nativitatis B. V. Mariæ.

Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus. & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Apoc.12.1. 568

Oſtenduntur fortunæ B.V. Mariæ.

Dominica XIII. poſt Pentecoſten.

Occurrerunt ei decem viri leproſi. Luc.17.12.

Quòd homo per peccatum è ſtatu nobilitatis tranſit in ſtatum ignobilitatis, & è conditione Angelorum in conditionem brutorum deſcendit. 573

In Octava Nativitatis B.V. Mariæ.

Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ? Iſa.66.1.&c.

Quòd B.V. Maria præ omnibus creaturis, quæ ſunt egreſſæ de manibus Dei opificibus iſtius orbis univerſi, eſt Primò maxima operatio potentiæ Dei. Secundò, maxima quies illius: cùm maxima quies Dei, ſit maxima ipſius operatio; & maxima ipſius operatio, ſit maxima quies ipſius. 579

Dominica XIV. poſt Pentecoſten.

Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Matth.6.33.

Primò, Quòd omnia ſerviunt homini, qui eſt in gratia. Secundò, Quòd univerſa ſunt ei inutilia, cùm eſt in peccato. 584

Dominica XV. poſt Pentecoſten.

Ecce defunctus efferebatur. Luc.7.12.&c.

Primò, Oſtenditur infallibilitas mortis. Secundò, cauſa terroris, qui ab eadem morte inſeparabilis eſt ultimis illis vitæ noſtræ momentis. 589

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14.12.

Quòd homo eſt origo omnium malorum, quæ ipſe patitur; quòd per peccatum ſuum dat occaſionem ſuppliciis univerſis, quibus ipſum Deus affligit. 595

In Feſto B.V. Mariæ Reginæ SS. Roſarii.

Quaſi plantatio roſæ in Jericho. Eccli. 24.18.

B.V. Mariam eſſe roſam myſticam. 599

In Feſto S.P.N. Franciſci.

Præcedat Dominus meus ante ſervum ſuum: & ego ſequar paulatim veſtigia ejus. Gen.33.14.

Quòd S. P. N. Franciſcus ſecutus eſt Primò veſtigia humilitatis Salvatoris, ſuperando ſeipſum. Secundò veſtigia miſericordiæ illius erga proximum. Tertiò veſtigia charitatis ejus erga ipſum. Quartò veſtigia potentiæ illius, in miraculis & prodigiis ſuis, & in operibus præcipuis & excellentibus, quæ fecit, quæ ſapiunt miraculum. 604

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matth.22.39.

Primò, Quod nedùm venia inimicorum infirmet aut minuat animos noſtros, aut privet eos oblectamento vindictæ, è contrà generoſitatem ſtabilit

bilit in animabus noſtris; & non poſſumus meliùs ulciſci nos de inimicis noſtris, quàm parcendo eis æquo animo. Secundò, Quòd nedum indulgentia offenſarum ſit jugum moleſtum & intolerabile; è contrà Deus mitigavit illud jugum ſuavitatibus extraordinariis & inauditis. Tertiò, Quòd nedum hujuſmodi condonatio facta inimicis, ſit inſtitutio nova; è contrà lex iſta ſic eſt antiqua ac fundamenta mundi, & inſtituta eodem tempore, quo homines conditi ſunt. 610

Dominica XVIII. poſt Pentecoſten.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et Jeſus dixit paralytico. Confide fili. Matth. 9. 2.

Quòd Chriſtianus, aut peccator, debet incipere ſalutem ſuam per ſeriam reflexionem, & ſuſcipere gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ & vitæ æternæ, per reditum ſupra ſeipſum, & ſupra modum omnium actionum ſuarum. 615

Dominica XIX. poſt Pentecoſten.

Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt. Matth. 22. 7. &c.

Quòd Deus infinuit fulmina, quorum rigor reducit homines ad juſtum obſequium; exercens ſeveritates Judicis contra eos, qui noluerunt ipſi ſervire ut Patri, eo tamen ſemper conſilio, ut inde ſuccedere faciat illorum ſalutem. 620

Dominica XX. poſt Pentecoſten.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaüm. Joan. 4. 46. &c.

Quod, licèt verum ſit, quod *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia*, Deut. 32. 4. & ut ſic micare faciunt ſublimiter juſtitiam, amorem, & providentiam ipſius, nullum tamen ex iis conſiderari poteſt, quod faciat Deum noſtrum Primò juſtiorem, Secundò amantiorem, Tertiò providentiorem erga nos, quàm ſit opus crucis & afflictionum, ſicut oſtenditur in tribus partibus diſcurſus. 625

In Feſto omnium Sanctorum.

Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti. Epheſ. 1. 4.

Primò, Quòd eædem rationes, quæ Sanctos induxerunt ad hoc ut eſſent ſancti, obſtringunt etiam noſmetipſos ad iſtud. Secundò, Oſtenduntur media ſanctitati conſequendæ accommoda. 630

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoaduſque redderet univerſum debitum. Matth. 18. 32. &c.

Diſſeritur de motivis timendæ juſtitiæ Dei exercitæ adversùs hunc ſervum ingratum, qui ſpreto Dei Filio, qui ipſum Dei filium fecerat per gratiam, ab eodem damnatur. 636

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Matth. 22. 21. &c.

Ex reſponſo Filii Dei, quòd numiſma, quod ferebat impreſſam Principis imaginem, debebat ei reddi ut res ſua, infertur quòd anima noſtra inſignita imagine Divinitatis, debet ei reddi ſicut res ſua. Et hoc eſt quod oſtenditur in duabus conſiderationibus diſcurſus. In prima oſtenditur, quomodo anima noſtra defert imaginem Dei: ut inde concludatur in ſecunda, quòd debet ei reddi ut res ſua. 641

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Matth. 9. 18. &c.

Oſtenditur illud, quod eſt requiſitum ad reſurrectionem animæ mortuæ per peccatum, id eſt, ad juſtificationem illius operandam. 646

Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes. Matth. 24. 15. &c. ex Dan. 9. 27.

Quòd cum Deus ſit ſumma Bonitas per Eſſentiam, nunquam puniret, niſi ad id veluti cogeretur à peccatis noſtris: crimina noſtra ponunt arma præ manibus illius, ut de ipſis ultionem capeſſat. Ecce duo puncta; quorum unum erit de miſericordia ejus in ſeipſa: alterum de juſtitia illius irritata culpis noſtris. 651

Pro Ingrediente vel Profitente Religionem.

In monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas. Gen. 19. 17. &c.

Primò, Quòd mundus eſt infernus, Secundò, Quod Religio eſt paradiſus. 656

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD LECTOREM.

Cùm toti quatuor iſti Tomi ſimul & unà in quatuor diverſis officinis procul diſtantibus ob invicem typis mandarentur, nec poſſet ſemper Author intereſſe reviſioni Operis ſui corrigendi; parte, Lector amice, mendas aliquantulas, quæ non niſi vix evitari poſſunt currente prælo, & quæ invito eodem Authore, quantùm vis conante, irrepſerunt in prædictum Opus ſuum, licet exigui momenti, ob tranſpoſitam aliquam literam, vel omiſſam, vel ſuperfluam, aut alteratam, vel propter omiſſum, aut tranſpoſitum, aut ſuperfluum, vel alteratum verbum aliquod ex incuria, vel inadvertentia Ipſiuſ, aut Concorrectorum ſuorum, vel Typographorum, quod videatur reddere ſenſum parùm obſcurum, quem tamen defectum facilè ſupplebis, æqui ac boni conſulens. Sicut enim Charitas non cogitat malum, *1 Cor. 13. 5; ſic & eadem met* Charitas operit multitudinem peccatorum, *1. Petr 4. 8. Id eſt, defectuum, quos obſervare poteris in hoc Opere, cura, & vigilantia, ſciens quòd* quandoque bonus dormitat Homerus. *Et dato, quòd Authori, & Concorrectoribus ſuis, & Typographis tot fuiſſent oculi, quot ſcatebat Argus: vix fieri potuit ut aliquando non cæcutiverint. Penes te ſit exiguas mendas obvias ex mutuo charitatis corrigere ſicut ex eodem charitatis principio tibi ſuas offert Author lucubrationes, quibus fruere, & Deum Optimum Maximum pro ipſo exora.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google